F. MARINI

MERSENNI

ORDINIS MINIMORVM

S. FRANCISCI DE PAVLA.

QVÆSTIONES CELEBERRIMÆ IN GENESIM, CVM ACCVRATA TEXTVS EXPLICATIONE.

IN HOC VOLVMINE ATHEI, ET DEISTÆ IMPVGNANTVR, & expugnantur, & Vulgata editio ab hæreticorum calumniis vindicatur.

Græcorum, & Hebræorum Musica instauratur.

FRANCISCI GEORGII VENETI

CABALISTICA DOGMATA FVSE REFELLVNTVR, QVÆ PASSIM IN ILLIVS PROBLEMATIBVS HABENTVR.

OPVS THEOLOGIS, PHILOSOPHIS, MEDICIS, Iurisconsultis, Mathematicis, Musicis verò, & Catoptricis præsertim vtile.

Cum Indice quadruplici, videlicet locorum Scripturæ Sacræ, quæ in toto libro explicantur, Conrouersiarum, Quæstionum, & rerum, quæ passim agitantur.

LVTETIÆ PARISIORVM,

Sumptibus SEBASTIANI CRAMOISY, viâ Iacobæâ sub Ciconiis.

M. DC. XXIII.

Cum Priuilegio Regis Christianissimi, & Doctorum Approbatione.



PERILLVSTRI, AC REVERENDISSIMO D. D. IOANNI FRANCISCO DE GONDY PRIMO ECCLESIÆ PARISIENSIS ARCHIEPISCOPO.



OVVM Commentariorum genus nouo Parisiensi Archiepiscopo, & primarium mei calami fructum primo Archipræsuli multis de causis affero, & offero; inter quas non vltima venit, quod Ordinis istius, cui dedi nomen, singulari veneratione prosequaris Institutorem Beatum Franciscum de Paula, quæ tuorum quidem fuit auita pietas, sed quæ in tanto Præsule altiores radices egisse videatur. Ad quod illorum accedit, quorum vel nutum detrectare mihi nefas fuerit, imperium, cui eò libentiùs obsequor, quò tua plurimùm interest, vt illa scelerata impietas, quæ in hac sæculorum fœce palam debacchari ausa est, quam in hoc opere debello, æternùm conticescat, & Athei redeant ad antiquam Gallorum religionem, qui constanter post Christi Domini susceptum Euangelium Diuini Numinis prouidentiam auguftè, sanctéque venerati sunt. Quibus addo te huius vrbis, & orbis Parisiensis vt vigilantissimum Prælatum sapientissimè constitutum esse, in qua sicut eximiam plurimorum virtutem, atque pietatem admiramur, à multorum etiam infesto, & immani scelere longissimè abhorremus, ad cuius fastigium non video quid adiungi possit, cùm numen omne pernegent, & ex eorum mente, quibuscum familiariter degunt, sensum Diuinitatis, & consensum pro viribus euellant. Quamobrem impij suorum numerum in hac Parisiorum luce ingentem esse aiunt, atque gloriantur; quod siue à veritate sit alienum, siue ab eis confictum, vt alios faciliùs ad suam impietatem traducant, (quod mihi persuadeo, nisi Hæreticos Atheis annumerent) id vnum à Deo Opt. Max. postulo, vt non solùm Gregorij Taumaturgi Neocæsariensis Episcopi instar, qui ex suis Diœcesanis 17. dun-

taxat idolorum cultores moriẽs reliquit, quot inuenerat Christianos; sed nullum hæreticum, nullum Atheum, aut Deistam in tuà Diœcesi quispiam inuenire possit, vt post adeptum de nefarijs homuncionibus triumphum meritò ΘΑΥΜΑΤΟΥΡΓΟΣ appelleris. Ecquis enim summam perditorũ hominum peruicaciã reprimat, qui non tantùm Diuinitatem inficiantur, verùm etiã mentiuntur illos omnes Atheos esse, qui consecuti fuerint doctrinam aliquam reconditiorem, ac si nullæ scientiæ, & artes absque nefando Atheismo possent subsistere, quem singulæ creaturæ tantopere detestantur. Hinc insanæ interrogationes, & spicula tartarea à cacodæmone fabricata, à perfidis euibrata cominus, dum fideles aggrediuntur; Vbi est Deus tuus? cur alium tibi fingis præter rationem? an numen aliquod abest, si sit prudentia? nunquid omnis cultus ideo fictus est, vt populus in officio contineatur? Hæc sunt, & id genus alia, quæ homines absque iugo, hominum meliùs περγατοδυνάματι dixero, insigni θεολαβείᾳ velut œstro perciti effutiunt, vt adoriantur incautos, illísque suadeant fabularum instar habenda, quæ de vero veri numinis cultu verissimè creduntur, atque prædicantur. Miraris, vigilantissime Præsul, vnde tantum hominum flagitium hac ætate prodierit? Illud sanè vomuerunt hæreses (Atheorum propagines, & asyla) *quæ non aliunde ortæ sunt, Cypriano docente, quàm inde,*
Lib. 1. ep. 3. *quod sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Ecclesia ad tempus sacerdos, & ad tempus iudex vice Christi cogitatur, cui si secundum magisteria diuina singuli obtemperarent, nemo dissidio vnitatis Christi Ecclesiam scinderet, nemo sibi placens, ac tumens seorsum foris hæresim nouam conderet.* Quod vtinam vel semel hæretici, atque schismatici Deistarum, & Atheorum fautores seriò perpenderent, *Christi siquidem aduersarius, ex eiusdem effato, & Ecclesiæ inimicus ad hoc Ecclesiæ præpositum suâ infestatione persequitur, vt gubernatore sublato atrociùs, atque violentiùs circa Ecclesiæ naufragia grassetur*, & pessundet omnia, si quando corruat Ecclesiastici regni κορυφαιότατος. Tantum interest, vt membrorum sub eodem visibili capite, summo videlicet Pontifice, & Christi Vicario Gregorio XV, (qui te nuper desideratissimum Archiepiscopum creauit) eiúsque successoribus vnitas mystica retineatur, vt singulis erroribus omnino discussis totus orbis terrarum colat ex animo rerum omnium autorem, & singuli fœlicitate perfruantur, quam Dei misericordia præparauit diligẽtibus se, téq; singuli non solùm Diœcesis, & Ecclesiæ Parisiensis dignissimũ Prælatum, sed Atheorũ, & cuiuslibet sceleris vindicem acerrimũ inexplicabili amore, atq; veneratione prosequantur. Enimuero non solùm Galli, sed & aliæ totius mundi nationes in te monstrorum domitorem, & ἀλεξίκακον conuertẽt oculos, & attoniti nouum in vrbe Parisiensi Herculem prouidentiæ clauo, fortitudinísq; clauâ contra nefarios homines in hanc ciuitatem vndequaq; confluentes strenuè dimicantem suspicient, & à Deo præpotenti mutuis orationibus tanti Archiepiscopi regimen, atque præsidiũ ardenter

exposcent

expoſcent, donec omnes impios, qui Diœceſim Pariſienſem inficiunt, fortiter expugnaueris, vt deinceps Lutetia luce fidei pleniſſima poſſit vno conſenſu numen æternum ex animo venerari. Impios verò quid tandiu moror? quos neq; terra niſi velut ingemiſcens, & tremebunda ſuſtinere poteſt, vt oſtendit illa nobilis, & aurea Curiæ Parlamenti aula, quæ ad verba ciuis Andegauenſis (quem illius Diœceſis Epiſcopus ob Diuinum numen pernegatum vrgebat) à Cauſidico Epiſcopi partes agente relata non ſine ingenti miraculo concuſſa bis contremuit: Tanto ſtupore attoniti omnes xvii Calend. Iunij, anno Chriſti Domini 1464 lapidem ex alto cadentem, poſtridie verò, dum eadem cauſa reuocaretur, trabem è propria ſede longè dimotam vix aſpicere potuêre. Tantus enim horror, tantus tremor, vt parum abfuerit, quin ſinguli inſolito timore perterriti mortem cum vita commutarint; vt ipſę creaturæ ſenſus expertes, quæ contra impios in die Iudicij armabuntur, ſui Creatoris prouidentiæ, atque præſentiæ firmiſſimum darent teſtimonium, ac ciuem illum diuinæ maieſtatis perduellem inſtar Core, & Dathan abſorbendum eſſe ſignificarent; & ipſa aula, quę nullam cauſam habuit, antequam eâ, quæ nunc ſpectatur, formâ reficeretur, palam in Præſidum, & aliorum corona teſtaretur ſe malle corruere, & in nihilum redigi, quàm impios Atheorum, atque Deiſtarum ſermones continere.

Monſtrelectus 3. volum. & poſt eum Ludouicus *d'Orleans* c. 26. de ſede Præſidũ.

Perditis igitur hominibus longè ſepoſitis, quorum ἀθεμιστουργία inter Chriſtianos nequidem audiri debet, placet aliò diuertere, & latè per illas quæſtiones exſpatiari, quas in hoc toto volumine non ſine voluptate perleges; etenim ſiue terram, & elementa, ſiue cœlum, atque ſidera, ſiue Dei imaginem ſpectaueris, habes quod te poſt Atheomachiam reficiat, atque recreet. Si difficilius pręlium in plurimam noctem productum fuerit, affero lucem quæ quinquaginta ſuis attributis, vt totidem radijs defatigatos oculos exhilaret, & animum ſingulari voluptate perfundat. An à me quidquam aliud expectes? Antiquæ tamen Muſicæ nouam inſtaurationem nolui ſub alienis auſpicijs lucem aſpicere, & extollere caput, vt non alio duce quàm Prælato concentus amantiſſimo, & Regiæ Muſicę pręfecto ſpecies illa Matheſeos hactenus inculta ſummum perfectionis faſtigium attingere valeat, & te Chorago ſinguli fideles celebrent ſtupenda numinis diuini miracula, tréſque choros inſtituant, in quorum primo deprecentur veniam peccatorum vocibus Diatonicis: in ſecundo Chromaticis ſonis ad virtutum amorem prouocent; in tertio denique ſingulorum animos phtongis rapiant enharmonicis ad cœleſtem patriam, & ipſis choris Angelicis humanam ſymphoniam perfectiſſimè coniungant.

O fœlicem Archiepiſcopatum, ſi mirabili tanti Antiſtitis prouidentiâ tubæ, tibiæ, organa, clauicitheria, lyræ, citharæ, teſtudines, & quidquid pulſu, vel flatu reſonat, dolorem de præteritis peccatis

hypodorio, hypoiaſtio, hypophrygio, hypoæolio, & hypolydio in Pariſienſium animis excitent; Dorio autem Iaſtio, Phrygio, Ælio, atque Lydio, prudentiæ, cęterarúmque virtutum ſtudium ingenerent; hyperdorio denique, hyperiaſtio, hyperphrygio, hyperæolio, & hyperlydio ſingulos promoueant ad rerum diuinarum contemplationem, atque deſiderium, & rapiant in ecſtaſim cœleſtibus dithyrambis. Nunquid iam aſpicio Muſicos noſtros præ animi lætitia geſtientes, quod Iubalem inſtauratum tanto Præſuli conſecrare voluerim, cuius videlicet ſtudio, atque prouidentiâ Muſicorum Academia poſſit inſtitui, quæ præſertim Dei gloriæ ſtudeat, & habeat peritiſſimos viros, qui Metricam, Rhythmicam, & alia reſtituant, vel de nouo reperiant, quæ à nobis diſcuſſa perſpexerint. Si facias, Reuerendiſſime Præſul, non hunc vnum audies Archiepiſcopatum, ſed totam Galliam, quæ lætabunda grates rependet, & enarrabit tanti Archiepiſcopi laudes meritiſſimas, vt ſciat totus orbis terrarum, quantum ſucceſſorem poſt patruum, & fratrem Cardinales illuſtriſſimos Ludouicus XIII. Gallorum, & Nauarræorum Rex Chriſtianiſſimus, atque inuictiſſimus nominarit. Ego verò duplici affectu venerationis pariter, & amoris publicę lętitiæ particeps, & propenſi in noſtros animi tui conſcius publico hoc teſtimonio proſequor tuam illuſtrem Dominationem, & humanitatem, qua & tui celeberrimi nominis authoritate nixa hęc commentaria in publicum prodeant, vt quem Pręlatum vigilantiſſimum, & digniſſimum fœliciter nacta eſt, & ſortita Lutetia Pariſiorum, eundem ἐπιστάτην συνθείοντα iſta patronum conſtanter habeant, cuius illuſtre nomen in fronte operis expoſitum authoris in te obſeruantiæ erit argumentum, & optimum huiuſce libri patrocinium.

Tui obſeruantiſſimus F. MARINVS MERSENNVS ex ordine Minimorum S. Franciſci à Paula Minimus.

IN ATHEOS VOTVM.

Ecquis Tænario vecors prognatus in antro
Numinis æterni nulla formidine pulsus
Audeat ore nefas tantum ructare furenti
Omnia quæ superi voluuntur cardine cœli,
Quæque sinu Cybeles laté spatiantur aprico,
Quæ sub & æquorei clauduntur carcere ponti
Non nisi fatidica naturæ sorte cieri?
Horreat ipse Getes, Sarmas, Cimbérque cruentus,
Horreat hoc Scythica pendens à rupe Prometheus,
Orbis & alterius (nulla sub lege) colonus.
Quis rutili stellata poli delubra serenis
Aspiciens oculis cùm Cynthia tempora circum
Purpureos spargens radios, tenebrisque reuulsis
Exerit ardentes arx cœli lucida tædas,
Vt Phaëtonte suas iterum subeunte quadrigas
Extinctæ pereant, rursum mox luce corusca
Victura, liquidis vbi sol se tinxerit vndis?
Hac tamen esse neget diuini symbola lychni?
Lux cedit tenebris, & fucum noctis opacæ
Discutit Eoüm linquens aurora cubile,
Omnia sed vicibus decurrunt tempora certis.
Quis geminum iubar æthereū sublime pererrans
Gressibus haud æquis cernens connectere dextras,
Dum cœli facies pullo velatur amictu,
Orbáque luce gemit tellus viduata per horam
Abnuat, hasque faces æterno sole foueri?
Ecquis & in gracili plumarum tegmine, vocis
Audiat argutæ residens quas fronde virenti
Flexibus innumeris promit Philomela querelas,
Aligerósque choros findentes aëra pennis
Mille per anfractus diducere fauce susurros,
Quos non ipsa chelys fidibus compacta canoris
Fingeret, icta licet tenero sit pollice Phœbi.
Dicat & horrendo nimium temerarius ausu.
Quod Dea non stabilis mundi moderetur habenas?
Fulgura quæ vapido toties vibrantur ab axe,
Horrisonóque cient mortalia corda tumultu
Nunquid adesse Deū memorant, vim scilicet illam,
Quæ cœlum, terramque regit ratione perenni?
Agmina squammigeræ pecudis fluitantia pinnis
Cùm molles referunt per spumea marmora lusus,
Et tot dissimilis nascentia semina, lege,
Degere cuncta canunt mundi rectore sub vno.
Sed cur Musa paras diuini numinis hostes
Debellare feros? noster Mersennvs opimas
Illorum exuuias sacræ mox inferet arci.
Armorum omne genus, non quæ Vulcania fingit
Incus, vt in populos insitet Bellona rebelles,
Sed quæ cusa nitent diuinæ Palladis arte,
Suppetit, vt fontes ferali sorte trucidet.
Spicula mille vomit, promunt quæ stellifer Atlas,
Artesenexque potens mundi subducere molem,
Euulsamque loco natali impellere cœlo.
Sed si Mersenni valida ratione subactus
Pergit adhuc demens supremi nescius entis
Insultare polo, diuumque excludere numen,
Aggere flammarum congesto turgidus aër
Visceribus medijs rumpatur, & impia casu
Turba ruat celeri stygio damnanda sub orco.
Turbinis & præco crocitans ex ilice coruus,
Harpyiæque truces rostris, ac vngue tenaci
Vallatæ miseros lacerent in frusta resectos.
Si quando placidis expandant carbasa ventis,
Committantque ratem pelago, mox nimbifer Eurus,
Et gelida spirans Boreas hirsutus ab arcto
Excitet è Thetidis gremio genus omne ferarum,
Informesque Orcas, vulpes, fuluosque dracones,
Et quot habent syluæ frondes, quot littus arenas,
Aëre tumens Nereus, tot monstra vagantia ponto
Armet in interitum tam diræ gentis, & esca
Corpora sint miserum Scyllæ lanianda rapaci.
Colla humeris auulsa, manus, truncique lacerti
Non nisi flante Deo referant perijsse sub vndis.
Quicquid & immensi vegetat sub fornice cœli,
Cocyti in sobolem flammis insurgat, & armis;
Vt quæ diua negat cunctorum liba satori
Pendere, det cunctis pœnas miseranda creatis.

P. Iacobvs Bremantivs Minimus.

ANAPÆSTICVM.

Gens Tartareis edita tenebris,
Quam Styx atro mixta colubro,
Genuit rigidi semine ferri:
Cui tensa traci sanguine nutrix
Vbera Tygris potanda dedit:
Cui sanguineus fera Busiris
Corda fatigat: cui truculentum
Caucasus horrens pectus roborat,
Cuius rictibus oris aprugni
Aconita fluunt, efflat tetram
Lingua Mephitim, Superumque ducem
Violat, veluti terret inanes
Cerberus vmbras, (qui baubatu
Regna trifauci tristia seruat.)

Quo tibi magni numinis immemor
Cura recessit? Cur fortuna
Sydera dubio currere nutu
Inuida iactas? nectens collo
Vincula domiti saeua Tonantis.
Cur sic detrahis ambitiosa
Summum firmo regem solio?
Cur mentitas crimine diro
Sufficis aras, atque sinistrâ
Fictum pascis numen acerrâ?
Sed quid nullis aequanda malis
Deteris humili musa, volatu
Crimina, tenues desere modulos,
Iam Daedaleas indue pennas,
Iam sollicita fulminis iras,
Lentos flammis coge Tonantis
Animos miseram perdere gentem:
Non Castalios pota liquores,
Sed Tenaryjs horrida facibus,
Et mordaci tristis Iambo,
Ireme funerea colla Cathena:
Pereant ipsi miseranda Orco
Turba, rebelles sputent animas,
Et quibus armis nocuêre Deo
In sua vertant viscera linguas:
Artus proprios dente trucident,
Et semineces viscera pulsent
Carnes, putri lurida tabo
Guttura pandant, toto rabies
Totoque furor corpore regnet.
Non sit tantis medicina malis,
Non sit membris vlla renatis
Requies, lacerum corpus reparent
Corpore, dentes vacuis vrgeant
Dentibus, & dum pallida frictibus
Interruptis flamma micabit,
Subtracta gemat prandia guttur.
Sed quid caeli terraeque sator,
(Quem stellifero nixum solio
Humiles metuunt Diuum cunei,
Cuius acerbas Stygius Draco,
Erebi pestis pertulit iras)
Pia cur tantùm brachia torpent?
Tam pius audis crimina, tam pius
Pateris stulta verbera linguae?
Ecquando polus igne coruscans
Metuet rursus Phaëtontis equos?
Nunc nunc atris nubibus aether
Ruat, obscuram condat lucem,
Nunc inuertat squallida maestos
Cynthia currus, nunc sulphureo
Maestus amictu Titan radios
Pluat ignitos, perdatque diem.
Non sunt solito ferienda malo
Capita insolito rapta furore.
Tuque, ô Ponti mobilis vnda,
Quid luctaris scopulis toties
Allisa tuis? frange repagula,
Metas supera; rursus volucris
Delphin pingues carpat oliuas
Arbore summa; rursusque capax
Ore Physeter, Pristisue salo
Nota Britanno populetur nefas.
Quondam vestris Virbius integer
Perijt monstris, dum faemineis
Lachrymis motus, genitor subitas
Thalami vindex, arsit in iras.
Tuque, ô genitrix inclyta Diuum,
Cybele varijs habitata feris,
Latebris saeuas excute belluas,
Non est pestis pestibus istis
Furiosa satis: quamuis Python
Dentes acuat, quamuis septiceps
Hydra resurgens vires reparet,
Spirisque liget complexa scelus,
Debilis vltio non erit impio
Iusta furori. Mitte Leones,
Age virgatas pectora Tigres,
Hos Crocodilus lugubres doctus
Simulare dolos, oris hiatu
Sorbeat, auido gutture missi
Gemitus resonent, frusta cruentam
Condat in aluum: sed neque dederint
Sic aequales scelerum poenas,
Placet Aetneas currere ad artes,
Et Trinacrium torrere bouem:
Placet vmbrosas reserare domos
Noctis opacae, terra fatiscat,
Tenebras pandat, & praecipiti
Mersa barathro corpora sorbeat.
Agite vltrices verbera Dirae,
Animate pigros tetra colubros
Turba sororum, tuque flagellis
Metuenda tuis, Nemesis, pestes
Hortare tuas; ipsa furoris
Ebria, vires viribus adde.
Et sanguineos voluens oculos,
Finde immanis iugera dorsi
Vltrice manu, lanient humeros
Robora latos donec cedant
Fessa labori: tum sulphureas
Praetende faces, & nebulosi
Repleant ignes ora gementum.
Omnis sedibus auulsa ruat
Regia ditis, totus furijs
Ingruat Acheron, impete denso
Currat Erynnis, frendeat Eumenis,
Lassata malis, non satiata:
Vires doleat prodere sensus
Crescat poenis poenarum sitis:
Nec sic tanti pausa doloris:
Sic sic iuuerit Atheos plecti.
Nos, meliori Pallade tincti,
Canimus celsi iura Tonantis
Relligionis dociles, Superûm
Regem supplice voce ciemus:
Hilaris vultu testata Deum
Machina mundi resonet laudes

Omnipotentis

Omnipotentis; gens illa graues
Impia pœnas dedit obscuro
Mersa barathro; prostrata iacet
Turba rebellis, poscitque mori.
Vicit io, rex, vicit io, poli
Christus volucres temperat ignes,
Legesque pati Tartara cogit.
Totus laudes personat orbis,
Superi festo clamore fremunt,
Studio laudum sydera gestiunt,
Et flammantes accensa comas
Solitum præter rubicunda micant.
Nec modo mundi turba citati
Carmine tacito, Domino pensat
Certos grato fœnore cursus.
Ecce maligna respersa die,
Tinnula varios gestit Alauda
Promere cantus, semperque nouas
Elicit imo pectore voces,
Terraque fugax tremulum nens iter
Surgit ad axem, pendula suscitans
Gracili Phœbum voce morantem:
Paroque volat proxima cælo,
Obuia primos opperiens equos,
Rursus natum propiore Deum
Ore fatigat, neque vocalis
Pectine rostri fessa recedit,
Nisi nocturnæ hesperus horæ
Præuius, aures reuocet cæcæ
Lumina noctis, cogens tristem
Tramite multo quærere terras.
Sed quid volucrum querulos tentas
Animare modos? nec enim quamuis
Musa, canoris tincta laticibus,
Poteris dulces simulare sonos,
Quos centeno gutture pariter
Thracia volucris, nocte trimestri,
Promit verno garrula ramo.
Contrahe ventos, remige littus
Propiore seca, gloria tanti
Numinis artes exosa fugit,
Tuta silenti voce virescit.
Dum cana pinnis grex squammigerum
Diuidit æquora, raptimque natans
Ordine iunctis præceps rostris
Labitur alacri turba triumpho,
Numen sentit, numenque docet.
Et pia sæuas mouit belluas
Cura Tonantis, Lucæque boues,
Ceu sol rutilans hilaret mundum
Flammante coma, vernetque diem,
Ceu vaga iuncto Delia curru
Pictum stellis pulset Olympum,
Relligionis signa dedêre.
Nos quoque nostros, Pater omnipotens,
Addimus hymnos; discute nubes
Mentis, purum da te, qualem
Videre patres; sic tibi totus
Seruiat orbis, quà terra patet
Votiua ferant carmina gentes.
Sic tibi rursus mascula mittat
Thura Sabæus, sic Panchæos
Terra vapores Parthica mittat.
Sic dùm nostras viserit aras
Miretur Arabs sole sinistro
Vmbras nemorum currere dextras.
Sic fatidicis pulsus arenis
Corniger Ammon exulet orbe,
Statuàtque tuis vellera templis:
Sic nimbosis Sarmata terris,
Et qui gelidum potat Tanaïm,
Diuite fumo templa vaporet.
Sic tibi seruiat vltima Thule,
Sic Romanæ pietatis honos
Sacra remotas portet in oras.
Sic externos vincat populos
Gallica laurus, si quid iuris
Perdidit armis, impetret aris:
Sit pius omni vultus in orbe.

Cecinit LVDOVICVS LE QVEVX Rosetensis.

PANEGYRICVS MVSICVS.

VNDE nutantes trepidare syluas
Et feras imis resilire tesquis
Fila dum Thracum numerosa ducit
Pollice vates?
Vnde Cadmæo celebres labore
Prominent arces, numerisque plectri
Ebrius piscis medijs carinæ
Assilit vndis?
Vt quid ô Pellæ iuuenis superbum
Induis pectus? rigidique ferro
Pruriunt pugni, petitùrque telis
Impar Achilles?
Vt quid, alternâ vice, puriore
Persicæ vestis rutilas ab auro
Mollior blandas vbi leniore
Barbitos aures.
Verberat cantu, Cytharæ sonantis,
Et maritata fidibus loquelæ
Regis Hebræi genius peritâ
Arte quiescit.
An facit virtus numeri? decórue
Oris, & vocem Chelyos sequentis
Gratior pulsus? meditata & apti
Verba puelli?
Nota vel sedes animi, vel auris
Pendulæ affectus, seriésque metri?
Docte MERSENNI reseras, itérque
Primus iuisti.
Inuium nostris, volat inuidendâ
Altior famâ tibi restitutæ
Musices splendor, modulos nec vltra
Venditat Ellas.

IOANNES TINEREL

R. P. GENERALIS FACVLTAS.

F. Franciscus de Mayda totius ordinis Minimorum Corrector Generalis.

VT omnia, quæ ad Ecclesiæ Catholicæ gloriam, Ordinisque nostri splendorem meditatus est V.P. Marinus Mersennus instituti nostri Theologus in lucem prodeant, licentiam facimus, modò à duobus sacræ Theologiæ Doctoribus legitimè approbentur. Datum Romæ in Cœnobio nostro Sanctissimæ Trinitatis de monte, anno 1620. die verò 3. Septembris.

F. FRANCISCVS DE MAYDA Minim. Generalis.

APPROBATIO DOCTORVM.

NOs subsignati sacræ facultatis Theologiæ Parisiensis Doctores, fidem facimus nos accuratè legisse, & examinasse librum cui titulus est *R.P. Marini Mersenni ordinis Minimorū S. Francisci de Paula Celeberrimæ Quæstiones in Genesim cum accurata textus explicatione, &c. necnon Obseruationibus & Emendationibus in Problemata Francisci Georgi Veneti in eandem Genesim.* In quo nihil occurrit quod Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ, & Romanæ doctrinæ repugnet; prædictum testimonium priuato chirographo firmauimus. Parisijs anno Domini millesimo sexcentesimo vigesimo secundo, die 14. Februarij.

H. BACHELIER   I. BANDEL.

PRIVILEGIVM CHRISTIANISSIMI REGIS.

LVDOVICI XIII. Christianissimi Galliæ, & Nauarræ Regis diplomate sancitum est, ne quis in Regno suo, alijsve locis suæ ditioni subiectis intra decem annos à prima die editionis computandos, excudat, vendat, excudendum, vendendumque quouis modo & ratione curet librum, qui inscribitur *F. Marini Mersenni Ordinis Minimorum sancti Francisci de Paula Quæstiones Celeberrimæ in Genesim, &c. vnà cum Obseruationibus, & Emendationibus in Francisci Georgij Veneti Problemata, &c.* præter Sebastianum Cramoisy Bibliopolam Parisiensem iuratum, aut illos quibus ipsemet concesserit. Prohibitum insuper eadem authoritate Regia omnibus suis subditis, eundem librum extra regni sui limites imprimendum curare, vel quempiam, vbicumque fuerit, ad id agendum impellere, ac inuestigare sine consensu dicti Sebastiani Cramoisy. Idque omne sub confiscatione librorum, alijsque pœnis originali diplomate expressis. Datum Parisijs 17. Februarij 1622.

De mandato Regis

Sic signatum

RENOVARD.

Hæc prima editio perfecta fuit prima die Februarij 1623.

PRÆFATIONE

6

DEO

TER OPTIMO MAXIMO

OMNIVM ATHEORVM. ATQVE
DEISTARVM ACERRIMO, ATQVE
IVSTISSIMO VINDICI,

HONOR, LAVS, VIRTVS, GLORIA,

ET DE INFENSISSIMIS HOSTIBVS
CONSECRATA VICTORIA.

QVAM EI AD ÆTERNVM
DIVINÆ MAIESTATIS
TESTIMONIVM, ATQVE
MONIMENTVM, ET SE TOTVM
IN ÆTERNA SÆCVLA VOVET,
DEDICAT, ET CONSECRAT,

F. MARINVS MERSENNVS
INTER OMNES HOMINES
MINIMVS.

PRÆFATIO, ET PROLEGOMENA AD LECTOREM.

Plurima sunt, quæ huic totius Scripturæ sacræ principio attexere cogitaueram, quę cùm ab aliis agitata videam, omitto; qualia sunt, an sit aliquod Dei verbum: de nominibus Scripturæ sacrę; qui sint libri canonici: de editione vulgata; de translatione 70 interpretum; de Pentateucho, & eius scriptore, déque multis id genus, quæ plurimi hoc sæculo aduersus hæreticos attigerunt.

Hinc fit, vt te, charissime lector, solũ monere velim me sequentẽ cõmentariorum ordinem secutum fuisse, vt Atheos, magos, Deistas, & id genus portenta confutarem, qui iam per totum mundum grassari cœperunt: plurimas verò quæstiones, quę alioquin curiosę videri possint, etiã agitasse, vt ostenderẽ Cãpanellę, Bruni, Telesij, Kepleri, Galilæi, Gilberti, & aliorum recentiorũ discipulis, falsum esse, quod aiunt, Doctores videlicet Catholicos, & Theologos solum Aristotelẽ sequi, & in eius verba iurare, licet experientiæ, atq; phęnomena cõtrariũ euincant: enimuero Theologi nunquã vlli authori assentiuntur, si ratione careat, quippe qui soli Deo, vt supremo veritatis authori firmiter adhęrent, & omnibus credũt, quæ Deus per se, vel per Ecclesiã reuelat, atq; credẽda proponit, parati verbi gratia terrę motũ: cœli quietẽ: solis, planetarũ, & stellarũ elementa 4, vel etiã plura; cœlũ vnicũ corruptibile, & aëris instar cedẽs: mũdi, ac proinde siderũ animã non solũ vegetatiuã, atq; sentientẽ, verũ etiã rationalẽ, & beatitudinis capacẽ, vel iam ipsa beatitate fruentẽ: virtutẽ omniũ creaturarũ magneticã: duo sola rerũ naturaliũ principia calorẽ, & frigus; vel vnicũ principiũ aquã: vel atomos, eorũq; panspermiã, & cõpositionẽ: animę materiã admittere, vel substantias, materiã, formã, &c. quæ ab Aristotele docentur, vel ab aliis recentioribus afferuntur, tollere, si illud scripturæ sacrę veritati, ob quã omnia cõdita fuisse videntur, in quantũ ad ipsum Deũ veritatis patrẽ refertur, magis conuenire iudicauerint. Facessant igitur istiusmodi nebulones, qui mundo suadere conantur viros Catholicos in summa philosophiæ ignoratione versari, vel sentẽtias veras, aut probabiliores admittere nolle, & opinionũ falsarũ, aut minus verarũ antiquâ persuasione veluti tyrãnide Christianorũ animos premere, vt eos superstitionibus, & falsis dogmatibus in religione Catholica detineant, id enim falsissimum est.

Authores nouæ philosophiæ. Falsa curiosorum persuasio.

Theologorũ mens.

Imo si quibus vnquã veritas amica fuerit, Catholicis amicissima est, quapropter nihil præter falsum respuũt. Sciunt etiã locos Scripturæ sacræ pluribus sensibus fœcundissimos esse, & liberrimè quolibet sensu vtuntur, siue vt paganos, & hæreticos cõuincant, & illorum sophismata dissoluant, quæ ex ipsa Scriptura texere solent, siue vt fidẽ Catholicam propagent, aut quidpiã aliud ad Dei gloriã, & propriã, vel aliorũ salutẽ faciant, dũmodo sensus ille veritati minimè repugnet. Hinc fit, vt, si sit

opus in ſole mare aliquod cŏſtituere ex quo vapores nubecularũ inſtar circa ſolem, vel in ipſo ſole apparentes explicentur, ſi motus planetarũ meliùs intelligãtur, vbi virtꝰ magnetica in ſole collocata fuerit, quâ ſidera ad ſe vertat, ſi aliqua vegetatiua, vel cŏſtitutiua anima terræ neceſſaria ſit, vt exponamus, quomodo plantæ è terra oriantur, Theologus ea nuſquã repudiet, ſed aſſumat.

Campanelliſtarum iniuſta querimonia.

Quod vſque adeò verũ eſt, vt Theologi alienis inuẽtis, atq; fundamẽtis libenter vtantur, cũ id ad fidei myſteria intelligẽda iuuat. Non eſt igitur, quod Cãpanella tantopere cŏmoueatur, ſi qui copernicoturire nolint, vt cũ eo loquar; quandoquidẽ minimè neceſſarius eſt terræ motus, vt cœleſtia phænomena explicemus.

Campanella in apologia pro pluribus mundis.

Ecquis verò negat eũ Dei zelũ habere debere, qui de quæſtione quouis modo ad religionem ſpectante iudicat? fatemur etiã virũ illũ non ſolũ zelũ Dei, ſed & ſcientiam habere debere, alioquin enim quis Aſtrologię imperitus aduerſus Mathematicos ſcribere poterit? quis in dubiũ reuocauit ſcientiã rerũ cœleſtiũ nondũ perfectã eſſe? Chriſtũ Dominũ non veniſſe, vt nos Aſtrologiã doceret? Moyſem philoſophicas difficultates non attigiſſe, ſed rẽ prout apparet, explicauiſſe; philoſophiã Chriſtianis nec vllã aliã verã ſcientiã prohibendã eſſe concedimus; verũ quis nobis ſciẽtias prohibuit? imo viros doctiſſimos Eccleſia magno ſẽper in pretio habuit, & ipſa ſcriptura laudes illorũ aperit, dũ affirmat eos ſtellarũ inſtar in perpetuas æternitates refulſuros, qui multos ad iuſtitiam erudierint; ſub qua iuſtitia facilè comprehendere poſſumus, quidquid ad animæ ſalutẽ attinet. Licet ergo viris Catholicis, maximè verò Theologis, omnibus ſcientiis incumbere, & mirabilia Dei opera ſcrutari, nŏ

Leo.

ſolũ quia per ipſa elementa mundi tanquã per publicas paginas, diuinę voluntatis ſignificationẽ accipimus, vt S. Leo ſerm. 7 de ieiunio decimi

Cyril.

mẽſis habet, non ſolùm quia philoſophia eſt catechiſmus ad fidẽ, iuxta

Bernard.

Cyril. 1. cont. Iul. non ſolũ quia mundus codex eſt Dei, in quo iugiter legere debemus, inquit Bern. ſerm. in *Audiã quid in me loquatur*, &c. ſed etiã vt omnẽ impietatẽ aduerſus Deũ ſeſe erigẽtẽ retũdãt, & opprimãt.

Fateor præterea modos aliquos præſcribi poſſe, quibus ſcientiæ admodũ imperfectæ reſtaurẽtur, quod maximè cupio, nec vllã viã tutiorẽ exiſtimo, quã ſi viri docti ſimul cŏueniãt, & Academiã erigãt. Quod ſummi Pontificis, & Regũ omniũ, Catholicorũ prę ſertim authoritate fieri operæpretiũ eſſet, vt omni priuilegiorũ genere, & omnibus ad tantũ opus neceſſariis fulciretur. Vtinã viri principes totius mũdi, vel ſaltẽ Europæ operi adeò nobili intendãt; enimuero ſi Galli, Hiſpani, Itali, & alij quipiã in ſuis regnis, & ditionibus peculiarẽ Academiam inſtituant, quæ ſcientias à fundamentis reſtaurare, vel probare velit, & eã de cauſã nullam experientiam, nullum laborem, nullas expenſas refugiat, breui

Scientiæ quomodo perfici poſſint.

tempore Reſpublicæ florebunt, & plurima ad maiorem Dei gloriam excogitari, & inſtitui poterunt. Quàm facilè fuerit centum, aut plures eximiæ doctrinæ viros aduocare, quorũ alij rebus Theologicis, alij philoſophicis, alij mathematicis, Medicinæ, & Alchymiæ: Iuriſprudẽtiæ, & reliquis facultatibus alij ſeriò incũbant, & nihil in rebus naturalibus

eſſe

esse patiantur, cuius rationem, causam, finem, materiã, & proprietates pro viribus non explorẽt; quę omnia plures diuersorum regnorũ Academię destinatis temporibus simul discutere possent, vt ea ratione tota Encyclopædia fœliciter perficeretur. Et quidem non desunt plurimi, quibus nulli stimuli addendi essent, vt huiuscemodi Academiis libentissimè iungerẽtur, quorũ alij in rebus Theologicis, alij in Philosophia, Medicina, Mathematicis &c. nõ parũ versati sunt, si quis primi mobilis instar occurreret, qui Academicis faueret, eosque tãtisper cõmoueret.

Verũ hæc aliàs, quę in quęstione de Musicę viribus tetigi, in qua puto me singula propemodũ attulisse, quę necessaria sunt, vt Musica ad fastigiũ honoris perducatur, licet omnia breuissimè percurrerim, & plurima omiserim, quæ si Deus volet, alio loco fusiùs dici poterũt, nisi facultatẽ adeò præstantem viri docti, & in rebus Græcis, & Hebræis versatissimi suis scriptis à tineis vindicent, & eam in integrũ restituant. Non est, quòd plura de prędictis neotericis hîc afferamus, cũ nemo Catholicorũ verè doctus in dubiũ reuocet non esse certũ, num cœli sint ex aliqua quinta essentia, & noua materia, quę sit diuersę speciei à nostra: num sol, & astra sint formaliter, an tantùm virtute, vel eminenter calida: num omnis corruptionis, & alterationis expertia sint; num sit vnicũ cœlũ sidereum, per quod astra velut pisces in aqua, non tamen fortuitò, sed motu certo, & à Deo determinato moueantur; nũ sint aliqua elementa his similia, aut dissimilia, quæ nonnulla sidera cõponant: quæ omnia ad salutem nostram minimè necessaria sunt, neq; sciri possunt, donec corporeo carcere mortales detinemur. Placet tamẽ aduertere homines istos, qui nouã philosophiam condere, & eam à fundamẽtis probare desiderant, nusquam Dei gloriã spectare, sed potiùs nescio quâ cacozeliâ niti, qua religionem Catholicam concutere, & subuertere vellent, si illud possent, nisi fallor. Et vtinam me decipi contingat, neq; enim vllius odio, vel inuidiâ hæc cõijcio, sed quia plurimi, & ferè omnes isti nouatores malè audiunt, & de fide Catholica perperã sentiunt, quippequi Caluinianæ, Lutheranę, Ariminicæ, vel alteri hæreticæ perfidię manus dederunt; sed reuocare gradum facillimum est. Macte animo, non vos pudeat ad Ecclesiam Catholicam matrem vestram optimã redire. Iam altè profiteamini vos ab istis impostorib⁹ deceptos esse, qui suadebant Catholicos plurima aduersus Scripturam sacrã facere, & idololatras esse, id enim falsissimũ esse videtis, & passim coram Deo, & Angelis asserimus mille potiùs mortes sustinere parati, quã vt quidpiam aduersus illam diuinarum scripturarum veritatem proferamus, aut etiam admittamus.

Dubia quæ nunquam nisi in patria soluentur.

Curiosorũ scopus.

Nulla etiam ratione Athei sibi fingere debent Catholicos esse homines melancholicos, mille scrupulis, & superstitionibus agitatos, qui plurima de Deo indigna, & impia, & quæ rationi opponantur, asserant; enimuero nemo tanta, támque præstanti libertate fruitur, nullus meliori ratione vtitur, quàm Christianus: nullus

Catholici vindicãtur à curiosorũ calumnia.

de Deo tam altè ſentit, cui vna dies melior eſt dum verè Chriſtianus eſt, quàm Atheo integra licet centum annorum ætas. Sanè non parũ ignorantiam alicuius paucis abhinc diebus admiratus ſum, quẽ tamen virũ egregium, & in Dialectica verſatiſſimum, aſſerunt, cùm in eius ſtudio ſaltem annos triginta conſumpſerit; qui 428 verſus Gallicos concinnauit, vt Deiſtarum impietatem propagaret: in quibus omnia vel falſa ſunt, vel ab eo perperã intellecta, vel nihil omnino concludẽtia, quibus tamẽ ingens negotiũ ſe Chriſtianis faceſſere putat quos ſuperſtitioſos, crudeles hypocritas, & Atheis peiores vocat. quis obſecro mõſtrũ illud ſuſtinere queat? à quo plurimos Chriſtianos iam ſubuerſos fuiſſe aiũt. Ergóne viri docti ſuum tempus, ſuam operam, & induſtriam in neſcio quibus Grãmaticæ ruderibus in lucem reuocandis, & ſimilibus nugis inueſtigandis conſument, vbi tam audacter ipſam religionẽ Athei, & Deiſtæ aggrediuntur? Pueris id per me liceat, ſed viris eruditis, qui vel 30, vel 40 annos plus minus attigerunt, & iam propter doctrinam, imo & pietatem, & modeſtiam bene audiunt, & iure laudantur, viris inquã apprimè doctis id nugarum quis permittat? Deiſtarum impietas.

Vereor ne cacodæmon, φιλαυτία, non autem diuini numinis zelus huiuſcemodi viros ad ludicrorũ illorũ diſquiſitionẽ impellat, & magis, ac magis illos ad huiuſcemodi puerilia inflãmet, vt quãdiu totam vel meliorem operam in illis perdunt, non poſſint eâ doctrinâ, & eloquentiâ, qua pollẽt, Atheorum, & Deiſtarũ impios paralogiſmos confutare, & illis æternum ſilentiũ imponere. Faxit Deus Opt. vt de gloria Dei ſeriò cogitent, & ea proponant, quæ ſtultorum illorũ verba blaſphema retundant, & Deum eſſe colendum, & adorandum eſſe tam clarè probent, vt nemo ſit, qui veritatem illam non amplectatur. Viri docti Atheos, & Deiſtas refellere debent.

Vt autem noſtrũ inſtitutũ intelligas, ſolummodo celebres quæſtiones in Geneſim ſcribere decreuerã; ſed cũ plurimos eſſe viderẽ, qui textus explicationem quærant, eam libẽter adiunxi; ne quid in opere deeſſet. Inter quæſtiones, quas attigi, illa fuſiſſima eſt, quæ Atheos expugnat, quam initio Geneſis primã inuenies, vt vnuſquiſque ſibi perſuadeat, & & firmiſſimè credat numen diuinũ eſſe, cuius verba in tota Scriptura ſacra credenda proponuntur. Omnes autem Atheorũ obiectiones fusè attuli, ne vel tantillus ſcrupulus, aut vllum dubiũ illis ſuperſit, quas illico fusè confutaui. Et quidẽ non parum miror nonnullos perperã factũ exiſtimare, quod vel de Atheis loquar, vel eorũ paralogiſmos refellam, cùm impij illi, & hominũ monſtra palã glorientur, quod Atheiſmo, vel Deiſmo manus dederint, & nullos præter quã Atheos in aliquo pretio habere videantur, adeout nullum eruditum eſſe credãt, qui non fuerit Atheus, vel Deiſta. Quin potiùs omnes viri docti aduerſus tantam impietatem pro viribus exurgere debent, vt penitus extinguatur; & qui Catholicam Eccleſiam deſinere cupiunt, inſtar fumi deficiant, vt cum Pſalte canentes in quæſtione 57. a. 13 ſperamus, & ardenter optamus. Inſtitutum operis declaratur. Opinio Atheorum.

Illi iudicant ex aſtrorũ motu, & aſpectibus imperia magna, & quæ

iam

iam per aliqua sæcula durarunt, nec non Ecclesiam Catholicam circa annum Christi Domini 1661 desitura, qua ♃, & ♄ anno 1603 à trigono aqueo in igneum progressi sunt, & omnes characteres numeri Romani ad annum illum explebuntur, qui illos complectitur, vt in sequentibus literis videre est MVCLXI; nos verò credimus Ecclesiam Catholicam vsque ad extremum diem Iudicij vniuersalis duraturam; in quo vnusquisque suorum operum, verborum, omniumque cogitationum, & affectuũ rationẽ reddere cogetur, vt vel præmio, vel supplicio afficiatur. Neque difficile est huiuscemodi nænias vel vnius diei Astrologo conuellere. Vtinam Athei diem illum terribilem potiùs expectarẽt, quàm tempus illud, in quo Deismum, & Atheismum regnaturum arbitrantur; verùm his ad nostram quæstionem ob eorum salutem elucubratam amandatis, reliquum opus explico.

1665 adhuc

Dictum Atheorum, & Deistarũ.

Cùm in vnaquáque dictione primi capitis ferè plurimos sensus contineri viderem, quos Ascanius fusè 2 tomis prosecutus est, multa problemata in illud 1 Caput scripsi, vt plures sensus breui compẽdio complecterer, & oculis tuis subijcerem; quod in aliis capitibus facere nolui, cùm non sit adeò frequens variorum sensuũ concursus. Tres etiam textus Hebræum, Græcum, & vulgatum habes, vt quilibet etiam pertinaces, etiam hæretici videant, quàm bene vulgata editio reliquis textibus conueniat, & vbi textus discrepare videntur, quomodo in cõcordiam redigendi sint. Præter illam quęstionem nõnullas alias proposui, quæ tametsi ad Philosophos pertinere videantur, ne tamẽ illi neoterici Theologis, & scripturæ interpretibus deinceps succenseãt, & vt scires, quid iuxta fidem, & Scripturam sacram de iis sentiendum sit, denique vt illi scirent Theologũ omnia meritò discutere posse, eas tractauimus, quod suo iure primum, & 2 caput postulare videbantur, licet plurimas omiserim, quæ fieri poterant, vt non raró insinuaui.

Ascan.

Plurimi verò Geometrica, catoptrica, astronomica, astrologica, & harmonica schemata, tam in quæstione aduersus Atheos, quàm in aliis posui, quod nemini ingratũ esse debet, licet enim id mathematica sapiat, non longè ab instituto theologico abest, cùm id factũ sit, vt intelligas, quæ aduersus Atheistas, hæreticos, & alios huiuscemodi protulimus, quę alioquin à paucis intelligi potuissent; adde quòd multę sunt figuræ, quę plurimum Theologis seruire valeant, vt in progressu fateberis. Exempli gratiâ diagramma arithmeticum col. 54 docet, quomodo propositam multitudinem hominum facilè numeres, etiamsi singulos, qui ab initio mundi hucúsque fuerunt, omnem arenam, quæ totum mundũ, & alios mundos impleret, efferre velis, vt ibi fusè videbis: de quibus nõnulla subiunxi in obseruationibus ad finẽ voluminis. Col. 59 habes, quod extẽsioni virtuali Angeli explicãdæ inseruiat; omitto reliqua, quę sequũtur in quæstione aduersus Atheos, & in aliis sequẽtib⁹, in quibus mundi systema repræsentatur. Columnâ 1742 figuras manuum chiroscopicarum attuli, vt Theologus stultorum chiro-

Vtilitas figurarum.

manticorũ errores facilè refert. Vltima verò capita breui absolui, quia sex hoc volumine includi volebam, ne sequens reliqua capita cõplecti non posset. Hæc sunt ferè, de quibus te monere volui, vt sequentia faciliùs caperes. His autem in prima sex capita quęstionibus, & cõmẽtariis Georgij Veneti problemata subiunxi, vt ea expurgarẽ, & vulgatã editionem tuerer, quã sæpe mẽdosam appellat, in quibus cùm maiores totius Genesis difficultates attingere videatur, ea supplere poterunt, quæ in commentario deesse possent. Vnde si quis conqueritur, quod fusiores fuerimus, & cum iusto volumine 6 tantũ capita cõplectamur, notę & emendationes in problemata totam Genesim suggerent, & nos excusabũt, præsertim caput 49; cùm enim Venetus in singulos propè versiculos problema scripserit, textum hebręum discussi, vbi præter textus explicationẽ, quęstionem de sceptro Iuda, quandónã defecerit, & num inde Messias aduersus Iudęos probetur, inuenies. Cęterũ errores quos passim in hoc libro defectu operarum irrepserunt, quos pro viribus, & tempore ad calcem notatos habes, benignè suppleas, quos si non omnes sublatos perspexeris, incuriam non arguas, donec aliquid simile prælo subieceris. Si quid verò minus arriserit, monita facilè patiar. Quęcunque verò lecturus es in toto volumine, & quęcunq; scripturus sum, Ecclesiæ Catholicæ, & summi Pontificis illius visibilis capitis censurę libenter subijcio. Exciderat è memoria me quæstionẽ de musica excitasse, quando de Iubale locutus sum, vt quicunque illam legerit, pro viribus diuini numinis laudes celebret, & cantũ hîc incipiat, qui nunquã desinat, donec eũ cœlestis ille cantus excipiat, quem beati concinent, dum illud Psaltis intonabunt, *Cor meũ, & caro mea exultauerunt in Deum viuum. Altaria tua Domine virtutum, rex meus, & Deus meus: Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te*; qui psalmus ita mihi gratus, & ad animum in Deum erigendũ aptus esse videtur, vt eum pręcedenti quæstione triplici metro attulerim, vt nemo sit, qui cũ illũ deuotè cecinerit, non eructet illa verba psalmi 41. *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.* Alia metra eandem ob causam me retulisse credas. Quę si Gallica fuerint, cogita me non solũ latinè sciẽtibus, sed & Gallis scripsisse: si metrica, vide me huiuscemodi ad musicæ vires instaurandas postulare, & cupere vt Galli similia deinceps cõponant, siue diuersis characteribus vtãtur, vt c. 13 factum est, siue antiquos retineãt; quod fortè sufficiet, vt aliquando dicendũ erit, si Gallum Ephæstionẽ proferamus, in quo de Gallorum elementis, syllabis, dictionibus, & earum quantitate, de rythmis, accentibus, & metris abundè. Hæc autẽ omnia, quæ scripsimus, vel deinceps allaturi sumus, ad honorẽ, cultum, & gloriam numinis diuini transferri summopere cupio, vt nulla sit ars aut scientia, nulla creatura, nulla dictio, imo ne quidem litera, quæ ad illius gloriam fouendã, atque propagandã non collineet, vt ea ratione singulæ creaturæ laudent Dominũ, cuius nomẽ benedictum in sęcula.

Psal. 83.

Psal. 41

INDEX



INDEX QVÆSTIONVM.

NVMERVS ET ORDO QVÆSTIONVM,

quæ in pręsenti volumine continentur, cum articulis vnicuique quęstioni subiectis, præter quas multa problemata præsertim ad caput 1, & in toto Veneto legere poteris, quæ ob longitudinem,& excellentiam, quæstionis vices præstare valeant.

refractionibus

Quæstionum.

Quæstionum.



FRATRIS
MARINI MERSENNI
MINIMI, CELEBERRIMAE
QVÆSTIONES IN GENESIM CVM
ACCVRATA TEXTVS EXPLICATIONE.

LECTORI.

NE mireris si nostri commentarij in primum caput adeò fusi sint, quandoquidem illud est omnium difficillimum, cùm opera Dei omnem admirationem superantia complectatur, quæ saltem attigisse oportuit. Adde quod nostra quæstio Atheismum euertens in causa fuerit, cur fusiores annotationes appareant. Verùm neque caput illud longum, imò breuissimum esse dices, si, quod verum est, supponas, nempe in Ascanij glossa magna, propemodum immensa, duobus magnis voluminibus contenta, nihil ferè, quod sit alicuius momenti, haberi, quod non in problematibus nostris ad hoc primum caput appositis inueniatur. Ideoque enim hac methodo vsus sum, vt plura breuiùs concluderem, quod in alijs capitibus efficere nolui.

Cum autem non omnes explicationes probandæ sint, quæ in illis problematibus afferuntur, id facilè deprehendes ex verbis, & terminis, quibus vtor; adde quod ferè semper authores laudauerim, ex quibus vnaquæque interpretatio desumpta est. Quod si nonnullæ explicationes tibi ridiculæ videantur, cogita sæpius interpretes non solùm legitimas, sed etiam falsas afferre, vt veritas falsitatis oppositione magis, atque magis elucescat. Illas tamen omnes repudio, quæ falsitatis aliquid in se continent, vt facilè reperies.

Cætera de quibus te monere possem, vel deberem, in epistola, quam huiusce voluminis initio ad te direxi, fusè conscripta sunt. Iam verò primum totius scripturæ sanctæ caput Spiritussancti consilio descriptum aggrediamur.

CAPVT PRIMVM GENESIS.

IN principio creauit Deus cælum & terram.

2. Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi: & Spiritus Dei ferebatur super aquas.

3. Dixitq; Deus: Fiat lux. Et facta est lux.

4. Et vidit Deus lucem quòd esset bona: & diuisit lucem à tenebris.

5. Appellauitque lucem Diem, & tenebras Noctem: factúmque est vespere & mane, dies vnus.

6. *Dixit quoque Deus: Fiat firmamentum in medio aquarum: & diuidat aquas ab aquis.*
7. *Et fecit Deus firmamentum, diuisitque aquas, quæ erant sub firmamento, ab his quæ erant super firmamentnm. Et factũ est ita.*
8. *Vocauitque Deus firmamẽtum, Cęlum: & factũ est vespere & mane, dies secũdus.*
9. *Dixit verò Deus: Congregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt, in locum vnum: & appareat arida. Et factum est ita.*
10. *Et vocauit Deus aridam, Terram, congregationésque aquarũ appellauit Maria. Et vidit Deus quòd esset bonum.*
11. *Et ait: Germinet terra herbam virentem & facientem semen, & lignum pomiferum, faciens fructum iuxta genus suum, cuius semen in semetipso sit super terram. Et factum est ita.*
12. *Et protulit terra herbam virentem, & facientem semen iuxta genus suum, lignúmque faciẽs fructum, & habens vnumquodque sementem secundùm speciem suam. Et vidit Deus quòd esset bonum.*
13. *Et factũ est vespere & mane, dies tertius.*
14. *Dixit autem Deus: Fiant luminaria in firmamento cœli, & diuidant diem ac noctem, & sint in signa, & tempora, & dies & annos.*
15. *Vt luceant in firmamento cœli, & illuminent terram. Et factum est ita.*
16. *Fecitque Deus duo luminaria magna: luminare maius, vt præesset diei: & luminare minus, vt præesset nocti: & stellas.*
17. *Et posuit eas in firmamento cœli, vt lucerent super terram.*
18. *Et præessent diei ac nocti, & diuiderent lucem ac tenebras. Et vidit Deus quòd esset bonum.*
19. *Et factum est vespere, & mane dies quartus.*
20. *Dixit etiam Deus: Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile super terram sub firmamento cœli.*
21. *Creauítque Deus Cete grandia, & omnem animam viuentem, atque motabilem, quam produxerant aquæ in species suas, & omne volatile secundum genus suum. Et vidit Deus quòd esset bonum.*
22. *Benedixítque eis, dicens: Crescite, & multiplicamini, & replete aquas maris: auésque multiplicentur super terram.*
23. *Et factum est vespere & mane, dies quintus.*
24. *Dixit quoque Deus: Producat terra animam viuentem in genere suo, iumenta, & reptilia, & bestias terræ secundùm species suas. Factúmque est ita.*
25. *Et fecit Deus bestias terræ iuxta species suas, & iumenta, & omne reptile terrę in genere suo. Et vidit Deus quòd esset bonũ.*
26. *Et ait: Faciamus Hominem ad imaginem & similitudinem nostram: & præsit piscibus maris, & volatilibus cœli, & bestijs, vniuersæque terræ, omníque reptili quod mouetur in terra.*
27. *Et creauit Deus hominem ad imaginem suam: ad imaginem Dei creauit illum, masculum, & fœminam creauit eos.*
28. *Benedixítque illis Deus, & ait: Crescite, & multiplicamini, & replete terram, & subijcite eam, & dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli, & vniuersis animantibus, quæ mouentur super terram.*
29. *Dixítque Deus: Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & vniuersa ligna quæ habent in semetipsis sementem generis sui, vt sint vobis in escam.*
30. *Et cunctis animantibus terræ, omníque volucri cœli, & vniuersis quæ mouentur in terra, & in quibus est anima viuens, vt habeant ad vescendum. Et factum est ita.*
31. *Viditque Deus cuncta quæ fecerat: & erant valdè bona. Et factum est vespere & mane, dies sextus.*

CAPVT





CAPVT PRIMVM.

VERSICVLVS PRIMVS.

IN PRINCIPIO CREAVIT DEVS COELVM ET TERRAM.

בְּרֵאשִׁית בָּרָא אֱלֹהִים אֵת חַשָּׁמַיִם סוְאֵת הָאָרֶץ׃

Εν ἀρχῇ ἐποίησεν ὁ Θεὸς τὸν οὐρανὸν ϗ τὴν γῆν.

PROBLEMA PRIMVM.

1. VÆNAM est prima vox totius Scripturæ sacræ? An Bereschit, cum pri-
2. mo loco ponatur? Vnde à ראש Rosch, idest principium, seu caput deducitur. An potius dicendum est Elohim esse primam vocem, cùm sine Deo nihil intelligi possit? Nam siue dixeris, creauit, siue, in principio, siue, cœlum, & terram, non percipio, quid velis, nec vllam veritatem intelligo, donec adiunxeris, seu præposueris: Deus, vnde in qualibet oratione, aut periodo quæritur à Grammaticis, vbi sit nomen, quod vel expresè, vel mentaliter quodlibet verbũ antecedit. Et quidem nomen, illud rectè primam scripturæ vocem constituere possumus, quandoquidem omnia Deus mouet, regit & sustinet, sine quo nullum nomen, aut verbum efformamus, nullam veritatem apprehendimus vnde Psalm. 118. dictum est optimè. *Principium verborum tuorum veritas*, vel iuxta lectionem Hebraicam; Caput verbi tui veritas רֹאשׁ דְּבָרְךָ אֱמֶת, Rosch, deuareca ilmeth, vbi miror, quòd caput, seu principium, & veritas conueniant; sed quid mirum, cùm radix אמן aman, à qua fluit veritas, educatorem, & nutricium, firmũ, fortem, atque fidelem significet, qualis est prima veritas, sine qua nihil verum esse potest; veritas, quæ cùm à patre per ineffabilem generationem processisset, iterum per inenarrabilem generationem de terra virginali nobis orta, nobis data est Psal. 84. *veritas de terra orta est*. Quod autem Deus sit primæ Scripturæ vox ex Rabinis confirmari potest, qui dicunt 70. sic incœpisse Genesim, θεὸς ἐποίησεν ἐν ἀρχῇ, vt primum bibliorum verbulum sit Deus, qui locus vnus est ex 13. in quibus 70. ab Hebræo dissensisse videntur, vt Rabbini volunt. 2. locus habetur versiculo 26. huius capitis, dicunt enim apud 70. non haberi, *faciamus hominem*, sed *faciam*, quod tamen falsum reperio, quandoquidem in omnibus bibliis, quæ legi, ποιήσωμεν legitur. Tertius locus c. 2. v. 2. vbi in septuaginta dicunt esse, *Perfecit Deus in die sexto, & quieuit in die septimo*, cùm Hebræus textus habeat, *perfecit Deus in die septimo, & quieuit in die septimo*. Quarto loco Gen. vndecimo vers. 7. in 70. non esse *descendamus*, sed *descendam*, quod falsum est, habent enim καταβάντες συγχέωμεν descendentes confundamus, seu descendamus, & confundamus. Quinto loco Genes. 18. vers. 12. non haberi in 70. dicunt, *Risit Sara intra se*, sed cum propinquis, quod perinde falsum est, cũ habeamus, Ἐγέλασε δὲ σάῤῥα ἐν ἑαυτῇ in seipsa, vbi de natura risus fusè dicemus. Sextus denique locus eorum, quæ ad Genesim pertinent (cætera enim ad cap. 49. circa Problema Veneti 244. afferemus, quæ ad alios scripturæ sacræ libros attinent) est Gen. 49. v. 6. vbi dicunt pro viro, bouem positum, & pro boue, præsepe; sed ibidem videndum erit. Illi verò Rabbini ab ipso R. Azaria refelluntur, qui dissensionem illam tantùm admittit in 4. locis, in tertio scilicet, de quo nos postea, dum ad c. 2. peruenerimus, & in 7. 8. & 10. de quibus c. 49. dicendum habemus.

7. Interpretes in 13. locis ab Hebræo dissensisse ferunt, quæ hic partim recitantur.

10. *Augustus Cæsar; Ludouicus Rex, Populo, senatui, &c. salutem.* An quia sicut Architecti nos in admirationem adducere solent principis alicuius stemmatibus in aditu Palatij propositis, vt desiderij stimulis agitati, domus interiora videamus, & omnia quæ intus recluduntur, perscrutemur, vt dum aliò deflexerimus, principis illius laudes celebremus, cæterosque pro viribus in tantarum diuitiarum admirationem, tantique regis magnificentiam enarrandam prouocemus, eo ferè modo quo regressa Sabæ Regina omnibus inclamabat, *Verus est sermo, quem audiui in terra mea*; sed, *Maior est sapientia, & opera tua, quàm rumor, quem audiui*; Ita Moses in atrijs Scripturæ sacræ, pro Dei stemmatibus, nomen illius proposuit, vt eius pulchritudine, suauitate, atque maiestate allecti, vlteriùs ad Sācti codicis lectionem, & thesauros, quos continet, eruendos prouocaremur, & alios ad tanti opificis gloriam prædicandam, & bonitatem, potentiam, atque sapientiam omni laude celebrandam aduocaremus, vt simul omnes tanto perfusi gaudio, & velut in ectasim rapti personemus: *Beati serui tui, qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam.* 3. Reg. c. 10. Vos vos Atheos malè feriatos, vos Philosophos, Mathematicos, Physiologos, Magos appello, prouoco, adiuro, vt vestris libellis, (qui nugas, mendacia, sortilegia, & siquid peius, continent) Vulcano dicatis, ad Scripturæ sanctæ lectionem accedatis, eámque dies, & noctes reuoluatis; in ea namque thesauros omnes sapientiæ, & scientiæ Dei, velut in regia domo collectos inuenietis; in ea sapientiam æternam de fontibus saluatoris haurietis; in ea Philosophi verum rerum omnium principium, Physiologus veras rerum proprietates, Mathematicus verum circulum reperiet; In ea Magus discet, quomodo vincendi, & expellendi sint dæmones, denique omnes ex tanto Oceano, quantum libuerit haurire poterunt.

PROBLEMA V.

1. CVR Deus mundum creauit? An quia illius auxilio indigeret? Absit, vt id putemus, quandoquidem Psaltes ait: *Dixi Domino Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.*
2. An quia quæcumque potuit, necessariò, vel etiam liberè produxit? neque id dici potest, aut debet, siquidem plura sunt, quæ possit, quàm ea, quæ produxit. An quia non erat, à quo laudem, & honorem sibi de-
3. bitum acciperet? Sed nec vlla creatura laudes ei debitas reddere valet; vt enim omnes creaturæ in maiestate diuina contemplanda cœcutiunt, ita & in laudibus eius enarrandis balbutiunt, & obmutescunt. An quia bonum est sui diffusiuum, eóque se magis communi-
4. cat, quò maius est, Deus autem illud est bonum; quo nil maius est, quóue nihil dici, cogitari, aut esse maius potest; qui propterea sese communicare voluit non solùm ad intrà, sed etiam ad extrà? An quia mundum explicare voluit, qui in ideis æternis antea velut inclusus, & ob-
5. uolutus latebat, adeout idealis rerum omnium conceptus, qui nondum è mente diuina discesserat, per creationem foras eruperit, vt iam totus mundus, ac singulæ partes illius, voces Dei sint, & velut conscriptus vndequáque liber, ac pellucidum speculum, in quo mira Dei sapientia, bonitas, & potentia cum cæteris attributis elucescant. O mira, ac ineffabilis Dei bonitas; quæ sufficit, vt totam vitam etiamsi Nestoream, in eius contemplatione traducamus. O bonitas! Sint, inquam, omnes creaturæ verbum externum, & secundarium, seu imago, splendórque Dei creatus, sicut filius est Primum verbum, & intimum, speculum, & imago, atque splendor patri coæternus. Tanto igitur amore me vermem, me nihilum, tanta dilectione prosecutus es, vt vniuersa mihi velut Imperatori paraueris, omnia in me velut in finem ordinaueris, vt ipse Philosophus 2. Phys. tit. 24. & 1. Polit. c. 5. fatetur, qui à te, & per te dixit, quicquid verum dixit; Nec enim Angeli creaturis à se distinctis indigebant, quibus vel nondum beatis rerum omnium species indideras, vel iam beatis te clarissimè, & immediatè manifestas. Laudes igitur diuinas homines continuo cordis iubilo celebrent; de quibus tam magnificè loquitur Apostolus 1. Cor. 3. *Omnia vestra sunt, siue mundus, siue vita, siue mors, siue præsentia, siue futura, omnia enim vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei.* An
6. propter seipsum Deus mundum creauit? iuxta id Prouerb. 16. *Vniuersa propter semetipsum, operatus est Dominus*; est enim finis optimus, & vltimus, cæteris omnibus velut mediis suam bonitatem communicans, cuius intuitu, omnes causæ, principia, & fines inter effectus, &
7. media referenda sunt. An quia Deus creaturas omnes in æterni verbi filij sui trisipho adesse voluit, & velut captiuas ante currum triumphalem duci, cùm ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem. Sed quid moror ampliùs? *Omnia quæcunque voluit fecit, & quis eius consiliarius fuit*, vt eius intima scrutari posset? Creauit igitur, quia voluit; de quibus videri pos-

sunt Lactant. c. 13. & 14. de ira Dei. Nazian. hom. 1. de Noë, & arca. Nyssen. c. 1. & 2. de hominis Opificio.

PROBLEMA VI.

1. QVID significat verbum bara ברא? An fortè designat mundum ea necessitate à Deo manare, qua proficiscitur vmbra à corpore? Absit vt in tam crassum errorem impingamus, id enim meritò D. Basil homil. & D. Ambr. l. 1. cap. 5. Basil. Ambrof.
2. refellunt. An bara ponitur, vt operis mira celeritas ostenderetur? Non autem *creabat*, legitur, ne mundum imperfectum esse cogitaramus; sic enim antiquorum pictorum tabulæ, teste Plinio, inscribebantur, Apelles, vel Polycletus faciebat, fortè quia si nunc viuerent, opera sua perficerent, aut in melius mutarent, vt pote imperfecta,
3. vel quia nullus reperiebatur, qui ea perficere valeret. An quia nondum erat, cui Deus iuberet, ideo non dixit, *fiat*? Nullum enim chaos erat, à quo cætera prosilirent, sed creauit, non præcipiendo rebus, vt fiant, quæ vnde fierent, non habebant, licet ea vocet, quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt, in quantum ea producere potest: & quidem licet, bara, tam creare, quàm facere significet, sapienter tamen nostra vulgata editio habet, creauit: quod iam Catholici Theologi mysterio creationis meritò tribuunt, eo si quidem intelligimus omnia ex nihilo facta esse. Tametsi enim Tullius l. 5. de finibus 1. tuscul, & oratione pro Cornelio, Tullius.
R. Dauid. verbo, *creauit*, vtatur, pro fecit, & R. Dauid hâc inter bara, & iasar distinctionem ponat, quòd iasar formare, aut fingere significet, quod de re corporea, aut sensibili dicitur, bara verò cuiuslibet rei productionem, aut innouationem; & Scriptura sacra, hoc verbo, & Hassah, quod est facere, & Ialad, quod est gignere indifferenter vti videatur, sicut & bar.., pro separare, vt hîc verti possit; Deus produxit, genuit, formauit, aut separauit, vt ex Oleastro colligitur; Attamen cùm certa fide sciamus Deum ex nihilo cuncta produxisse, iam Catholici rectè conuenerunt, vt illa actio diuina, quæ nullum subiectum præsupponit, creationis, atque creandi Diuersæ significationes verbi ברא.
Catharinus. nomine vocetur. Rectè verò Catharinus trium artificum naturam aduertit; homo nempe est artifex infimus, quia materia subiecta, & iam informata indiget: natura est opifex homine superior, quæ tametsi subiecto indigeat, formam tamen non curat, eam enim producit. At summus artifex hominis, naturæ parens & autor, neque subiecto, neque forma opus habet, sed rem quamlibet ex non esse educere potest, quandoquidem illius potentia nullis terminis circunscribitur. An verò ברא præter faciendi, producendíque vim quamlibet actio- Tres artifices.
4. nem comprehendit, vt ostenderetur non tantùm mundi, sed & omnium actionum, quæ tandem aliquando futuræ sunt, Deum esse causam; ab eo enim omnes actiones nostræ tam in fieri, quàm alio quolibet modo dependent.

PROBLEMA VII.

1. POTVITNE Deus mundum de nouo creare sine vlla sui mutatione? Quomodo qui antea creans non erat, iam reuera creans, & creator dicitur? An quia actio transiens in agente nihil ponit, sed tantùm in patiente; Deus au-
2. tem agens, mundus verò patiens est. An quia Deus id perfectissimè habuit ab æterno, quod ex parte agentis, seu causæ, & principij necessarium erat?
3. An quia per vnicum imperium per, *fiat*, expressum, creatus est mundus, aut per actum intellectus, & voluntatis productus est, quo se pater intelligit, & amat, ita tamen, vt actus ille necessariò, & ab æterno ad patrem, liberè verò, & in tempore ad creaturas terminetur, eásque inferat. An quia decretum, quo mundum in certo tempore creare voluit, non est præ-
4. teritum, vt concipere solemus, sed præsentissimum, cuius virtute mundus effectus est, & adhuc efficitur, cùm rerum iam productarum conseruatio, sit creatio continua. At quî fieri potest, vt decretum, seu voluntatis diuinæ statutum, & actus, qui potuit ab æterno non respicere mundum creandum, non subeat mutationem, cùm mundum illum creandum intuetur? An quia nulla prioritas assignari potest, in qua diuinæ mentis actus nondum creaturas Hic satis acutè Dei immutabilitas in creatione declaratur.
5. faciendas aspiceret; sed id ex sola intellectus nostri debilitate, & tenuitate proficiscitur, qui primò diuinam essentiam per modum actus vitalis significatam concipere nititur, quatenus ad

ad Deum, vt ad obiectum præcipuum, atque primarium necessariò terminatur, & vt indifferens est ad obiecta creata, quæ nondum intuetur. Secundò Deum ad creaturas producendas terminari sine vlla eius mutatione concipit, ita tamen vt illa terminatio liberrima sit: tametsi enim Deus simplici complacentia creaturas omnes secundum bonitatem, essentiam, & existentiam possibilem necessariò diligat, (ita siquidem consideratæ, sicut necessariò possibiles sunt, ita & necessariò amabiles) attamen liberè creaturas illas quoad esse, seu existentiam actualem vult, & diligit, nec enim ea ratione necessariò sunt, sed contingenter pro mera Dei voluntate, qua statim esse, statim non esse possunt.

An ideò Deus est immutabilis, quia prout ad instar actus vitalis concipitur, idque necessarij, ad suam essentiam, personas, omnia attributa, possibilesque creaturas terminatur, liberè verò ad creaturas actuales, itaut actus ille diuinus simul & liber sit, & necessarius; necessarius quidem, vt priùs dictum est; liber verò ea libertate, quæ absque mutatione potest ad mundum producendum, vel non producendum determinari: Cùm enim per duos nostræ libertatis actus aliquid velle, & nolle possimus, cui dubium esse potest Deum illa duo posse vnico suæ voluntatis actu omnimodè infinito: quod quia sæpiùs occurrit, cùm nihil sit ad extrà, aut esse possit, in quo non eadem difficultas appareat, id paulò latiùs explicabo. Itaque

Quomodo Deus liber dicatur.

Subtilia de nostra, Deique libertate, & immutabilitate.

Certum est Deo tribuendum esse, quicquid perfectionis in libertate creata reperitur, esse verò denegandum, quicquid imperfectionem redolet; at in arbitrio libero tam Angelorum, quàm hominum indifferentiæ perfectio sita est, ratione cuius potentia formaliter libera non alio eget quo determinetur ad ea, quorum intuitu libera dicitur, seipsa enim determinatur. Deinde hæc indifferentia est directè, & immediatè in ordine ad actus volitionis, & nolitionis quoad eorum entitatem, itaut vel eliciantur, vel non eliciantur, cùm voluntas non immediatè tendat in suum obiectum, sed tantùm actu mediante: vnde libertatem suam circa obiectum immediatè exercere nequit, sed exercitio actus sui intermedio, qui quia limitatus est, & certo obiecto addictus, itaut sit formaliter volitio, aut nolitio huius, aut illius obiecti, & non alterius, inde fit, vt in libertate creata plurimorum actuum capacitatem admittamus, quorum vno, velle aliquid, alio verò realiter distincto, idem nolle possit. Denique ex cuiuslibet actuum istorum limitatione sequitur, vt quantumuis voluntati liberum fuerit, vt exerceat, aut non exerceat actum suum, ei tamen liberum non sit, vt actus, quem exercet, totum obiectum, cui addictus est, respiciat, aut non respiciat, vel circa aliquod aliud obiectum sine reali mutatione versari possit, sed est omninò necessarium, vt simul, atque existit totum suum obiectum, cui addictus est, amplectatur, præter quod nullum aliud idem actus respicere valet.

Ex quibus manifestò constat totam voluntatis, seu libertatis creatæ indifferentiam penes actum eius internum constitui, vt nimirum existat, aut non existat; Vnde 4. in libertate creata reperiuntur, quorum tria cùm imperfectionem inuoluant, à Deo remouenda sunt; primum enim inter actum liberum, & potentiam liberam distinctio realis admittenda est; 2. potest esse, & non esse talis actus. 3. multitudo actuum in homine cernitur, quæ omnia Dei simplicitati, atque immutabilitati repugnant. Denique vnus actus non potest extendi ad aliud obiectum, quàm ad illud, cui addictus est. Igitur tantùm Deo conuenit indifferentia libertatis, quæ in ipsa entitate actus volitionis sita est, quo Deus se necessariò diligit, liberè verò creaturas producendas, quas vel diligit, vel non diligit pro mero suæ voluntatis beneplacito? Quod exemplo nostræ voluntatis explicatur, quæ suorum actuum intuitu sine reali mutatione, aut realis entitatis additione, aut detractione libera est, & per vim sibi intrinsecam hunc aut illum actum elicit, quem posset non elicere, aut alium non elicit, quem elicere posset; sic enim diuina volitio creaturam hanc, vel illam infert, quam, si vellet, non inferret, aut non infert, quam sine vlla sui mutatione inferre, atque producere posset.

4. Quæ reperiuntur in creata libertate.

Quid conueniat Dei libertati.

Nec obstat, quòd nostra voluntas immutetur, suum actuum recipiendo, atque relationem causæ ad effectum fundando; illud enim libertate posterius est, nihilque facit ad libertatem, nec enim minus libera voluntas esset, si suum actum non reciperet, & sustētaret, & ad extra poneret; vt tamen libertatem nostram exprimamus, relatione vti solemus, imò & eadem vtimur in diuina libertate pro viribus intelligenda; dicimus enim Dei circa creaturas, aut earum productionem, vel circa producendas creaturas libertatem esse ipsam actus diuini necessariam entitatem, qua se diligit, prout hunc, aut illum respectum, seu relationem ad creaturas producendas fundat, cùm ob suam libertatem posset non fundare, immò fundare posset oppositum. Quod fortè per ignem, Solem, & obiectum quodlibet explicari posset; Ignis enim cùm nihil habet, in quod agat, neque calefacit, neque comburit, tametsi statim calefaciat sine vlla sui mutatione, quando lignum, aut quodlibet aliud opponitur; eodémque

modo Sol illuminat, qui si liber esset, sine vlla sui mutatione posset illuminare, vel non illuminare; Denique paries in oculum species immittit, nec tamen vllam propterea mutationem subit; sed hæc materia contra Atheos vel aliàs agitanda recurret, quam hîc delibasse satis est. Iam verò quæstiones in Genesim aggrediamur.

QVÆSTIO PRIMA FVSISSIMA.

An Deum esse, contra Atheos probari possit.

Vemadmodum in problematibus Deo primus locus assignatus est; ita magnum operæ pretium existimaui, si primam de ipsomet Deo quæstionem excitarem, vt primo scripturæ sacræ lumine primum ens assererem, & ab Atheorum calumnijs numen æternum vindicarem. Et quidem meritò de Deo loquimur, antequam rerum omnium conditarum genesim, & progressum aggrediamur, vt qui primus est, primatum in nostris quæstionibus obtineat. Verùm cùm hanc quæstionem paucis folijs complecti fuisset animus, ob impios Atheorum, atque Deistarum paralogismos ferè in immensum excreuit, quandoquidem rebus omnibus abutuntur, vt euertent infinitam Dei existentiam atque prouidentiã, & illam ex mentibus hominum radicitùs euellant. Eapropter cum impijs semel decertandum fuit, ne deinceps vllam nobis molestiam huiuscemodi tenebriones facesserent; quod ita, Deo iuuante & pro seipso dimicante præstituri sumus, nullum vt amplius subterfugium Atheis, vel Deistis superesse poßit. Vtinam cedat illud ad maiorem Dei gloriam, & Libertinorum resipiscentiam. Totam verò quæstionem in plures articulos diuidemus, qui rursus in obiectiones, vel capita distinguentur, vt in progressu constabit. Vt autem faciliùs vela pandamus, imprimis nonnihil de nomine Dei præfabimur, idque articulo primo: Secundo rationes afferemus, quibus Deum esse probatur: Tertio reserabimus causas Atheismi: Quarto refellitur Illyricus. Quinto viginti tres Atheorum, & Deistarum obiectiones cõuellentur. Sexto 44 capitibus propemodum infinita confutabuntur, quibus impij suis erroribus patrocinantur. Septimo reliqua discutientur, quæ perditi nebulones obijciunt; Denique huic quæstioni colophonem imponemus. Faxit diuina bonitas, vt omnes Athei, Politici, & Deistæ, qui hoc opus perlegerint, quod eorum saluti destinatum est, ad bonam frugem, & religionem Catholicã se breui recipiãt, quod sanè facillimũ est, habet enim Deus testimonia totum hoc, quod sumus, & in quo sumus, *vt optimè Tertullianus monet. Sit igitur*

Lib 1. adu. Marcion. cap 10.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid per Dei nomen intelligi debeat & quale sit.



EMO credat me genuinum, & adæquatum nomen Deo tribuere velle, *ὄνομα γὰρ τῷ ἀῤῥήτῳ Θεῷ οὐδεὶς ἔχει εἰπεῖν*; Nomen siquidem ineloquibili Deo dicere nemo potest, inquit Iustin. Martyr Apol. 2. pro Christianis, adeout qui contra nititur, insanum appellet, *εἰ δέ τις τολμήσειεν εἶναι λέγειν, μέμηνε τὴν ἄσωτον μανίαν.* Et cohortatione ad Græcos: *οὐδὲν γὰρ ὄνομα ἐπὶ θεοῦ κυριολογεῖσθαι δυνατόν*; cuius rei hanc rationem affert, quòd ante Deum nemo extiterit, qui nomen ei tribueret; deinde quia neque seipsum nomine aliquo designare opus esse duxit vnus, & solus existens, *τῷ δὲ ὄντι οὐδεὶς ὄνομα προϋπῆρχεν, ἵνα αὐτὸς ἑαυτὸν ὀνομάζοι οὐκ ᾤετο δεῖν, εἷς καὶ μόνος ὑπάρχων*: Quapropter, vt sese dijs fictitijs opponeret dixit: *Ego sum existens.* In Apologia 1. fatetur, Dei nomen non esse illius appellationem, sed tantùm ineloquibilis rei insitam opinionem; *ὥσπερ καὶ τὸ θεὸς προσαγόρευμα οὐκ ὄνομά ἐστιν, ἀλλὰ πράγματος δυσεξηγήτου ἔμφυτος τῇ φύσει τῶν ἀνθρώπων δόξα*; idémque de cæteris nominibus affirmat, quæ, inquit, non sunt nomina, sed ab eius beneficijs petitæ appellationes.

Idem fatetur Galliæ Apostolus S. Dionysius Areopagita lib. de diuinis nominibus, cap. 1. Vnde Theologi ex omni nomine laudant, vt pote nomine carentem, cúmque Genes. 32. nomen eius Abraham quæsijsset, ait: *Cur quæris nomen meum, quod est mirabile.* *Ἢ οὐχὶ τοῦτο ὄντως ἐστὶ τὸ θαυμαστὸν ὄνομα, τὸ ὑπὲρ πᾶν ὄνομα, τὸ ἀνώνυμον, τὸ παντὸς ὑπεριδρυμένον ὀνόματος ὀνομαζομένου, εἴτε ἐν τῷ αἰῶνι τούτῳ εἴτε ἐν τῷ μέλλοντι,* hoc est. An non nomen hoc verè planéque mirabile est, quod omne nomen superat? Quod vacat nomine? Quod super omni nomine, quod nominatur siue in hoc mundo, siue in futuro, tanquam fundamento collocatum eminet; quorũ omnium luculentam rationem in toto libro, præcipuè tamen

men duodecimo, & vltimo reddit, quia mentem omnem & cogitationem Deus optimus trāscendit. Philo.l.1. De Monarchia, quem vtinam Athei perlegerent, clarè, atque pulchrè demonstrat, nequidem totum mundum Dei notitiam capere posse, quomodo igitur eam humana natura capiet? πῶς δ' ἐμὲ καταλαβεῖν ἡ ἐχεῖ ἀνθρώπου φύσις, ἀλλ' οὐδ' ὁ σύμπας οὐρανός τε καὶ κόσμος δυνήσεται χωρῆσαι: Vbi, & præclara habet aduersus illos, qui diuinationibus incumbunt: Paulò etiam ante, cùm asserat facillimo negotio sciri Deum esse; quid sit Deus, dictu censet impossibile. τὸ τί δ' ἐστὶ τῷ ὄντι δυσκαταληπτὸν μόνον, ἀλλὰ καὶ ἴσως ἀδύνατον.

D. Athanasius tract. de definit. Deum appellat definitionem definitionum: μόνος ὅρος τῶν ὅρων ἐστὶν ὁ Θεός. S. Greg. Nazian. carmine aureo Iambico, de virtute, cùm de prudentia loquitur, maximum esse munus credit, nosse Deum, eúmque colere, quem exiguè cogitare possumus, non tamen audire, vel eloqui, quantus sit. Iābico 18

Φρονήσεως δὲ πολλὰ μὲν τὰ τῆς λόγων,
Τί γὰρ φρονήσεως δίχα τῶν αἰνουμένων.
Πρῶτον δὲ καὶ μέγιστον, εἰδέναι Θεόν,
Ἔργῳ λόγῳ τιμᾶν τε καὶ μὴ ψευδόμενον
Πηγὴ γὰρ αὕτη πᾶσι καὶ σωτηρία.
Θεὸς νοεῖται μὲν πάνυ. εἰ γὰρ μετρίως
Τὰ δ' ὅστις ἐστὶ φράζειν οὐδ' ἀκούειν.

Quos sequentibus versibus Fred. Morellus Professor, & Interpres Regius reddidit.

Prudentiæ autem sunt quidem quæ diximus
Cuncta (hac remota, quidnam enim laudabile?)
At munus eius maximum, nosse est Deum,
Hunc ore colere, rebus, & non subdolè.
Est namque fons hic omnibus, certa & salus:
Hunc cogitare quispiam exiguè potest
Audire sed non, quantus est, nec eloqui.

Ipse Trismegistus dicebat ὁ γὰρ ὁ ὢν ἀνώνυμος: est enim, qui est sine nomine; οὗ τὸ ὄνομα οὐ δύναται ἀνθρωπίνῳ στόματι λαληθῆναι; cuius nomen non potest humano ore exprimi. Et Apollo Delphicus, quærenti quid esset Deus respondit; cuius nomen nec verbo capiendum; οὗ τὸ ὄνομα μηδὲ λόγῳ χωρούμενον.

Sed D. August. audiamus qui commentariis in 85. Psalmum idem asserit. Intendat charitas vestra, Deus ineffabilis est, faciliùs dicimus, quid non sit, quàm quid sit; terram cogitas, non est hoc Deus; mare cogitas, non est hoc Deus: omnia quæ sunt in mari, quæ volant per aërem, non est hoc Deus: quicquid lucet in cœlo, stellæ, Sol, & Luna, non est hoc Deus; ipsum cœlum, nō est hoc Deus; Angelos cogitas virtutes, potestates, Archāgelos, thronos, sedes, dominationes, non est hoc Deus: & quid est? hoc solùm dicere potui, quod non sit; quæris quid sit, quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit; Quæ postquam l.1. de doctr. Christ. cap. 5. protulit, sequenti capite subiungit. Diximus ne aliquid, & sonuimus aliquid dignum Deo? Aureus D. Aug. locus.

Imò verò me nihil aliud, quàm dicere voluisse sentio; si autem dixi, non est hoc, quod dicere volui. Hoc vnde scio, nisi quia Deus ineffabilis est, quod autem à me dictum est, si ineffabile esset, dictum non esset, ac per hoc, ne ineffabilis quidem dicendus est Deus, quia & cùm hoc dicitur, aliquid dicitur, & fit nescio quæ pugna verborum, quoniā si illud est ineffabile, quod dici non potest, non est ineffabile, quod vel ineffabile dici potest.

Veruntamen omnes tam Hebræi, quàm Græci, & Latini diuersis nominibus ens ineffabile compellarunt; Sic enim ipse D. Aug. 3. Confess. cap. 6. loquitur: Tu vita es animarum, vita vitarum, viuens te ipsa, & non mutaris, vita animæ meæ. Tu eras interior intimo meo, & superior summo meo. D. Hieron. nomina decem Epist. 136. ad Marcellam enumerat, nempe שדי, quod Aquila vertit ἀλκιμον, Sadai, sibi sufficiens, seu αὐτάρκης, ac si dicatur אשר aser, & dai די, id est qui sufficit, vel est ipsa sufficientia, quia inquit Algazel l. de Dei nominibus, Solus Deus simpliciter, & absolutè diues, & ditans est, & ab omni dependētia libertimus; Alij tantundem significare volunt, quātum παντοκράτωρ; alij dicūt vberrimum, cuius virtus vniuersas creaturas permeet. Aliud est אל, quod 70. Θεὸν, Aquila ἰσχυρὸν vertit, deriuatúrque à radice איל aial, id est fortitudo, vel ab אלה iurare, sicut Sadai à שדד Sadad, id est vniuersum permeare, affluenter dare, vastando depopulare, destruere, percutere, &c. Sequitur אלהים Elohim, quod Galatinus l. 2. ca. 16. censet esse plurale nominis אל, vel אלוה, vbi per Elohim probari cōtēdit aduersus Iudæos Trinitatis mysteriū ex sentētia R. Semlai, qui rogatus ab hæreticis, cur scriptū esset, initio, siue in principio creauit dij, non creauerunt: respondit in omni loco, in quo inuenis obiectionem, quæ hæreticis faueat, habes quoque medicamentum illius in latere eius, vt videre est apud R. Mosem Hadarsan: Simile quiddam refert ex libr. Sanhedrim c. Echad dine Mamonoth, idest vnum iudiciorum diuitiarum, vbi R. Iohanan dixit: Omnis locus, vnde Epicurei facti sunt hæretici, responsionem habent in latere, in cuius rei confirmationem exempla plurima refert.

Decem nomina Dei.

שדי

אל

אלהים

Dictū Rabinorum.

Aduertendū est autem ab אל el, ab אלל alal deriuari, à quo fit אליל elil, idest vanum, nihil, & idolū, ac si diceremus אל אל al el, non Deus, vel vmbra Dei, quandoquidem omnia respectu Dei sint velut vmbra, & omnino nihil. Quartum nomen est עליון helion, excelsus, supremus, qui respectu omnium creaturarum est in altissimo gradu, nec vllis passionibus subiicitur, & omnem captum humanū superat; vnde hoc nomen 70. vertērunt, ὕψιστος, ἀνώτερος, πατρῷος, ἐσώτερος, ἄνω, hoc est altissimus, superior, patrius, interior, supra. Quintum est אהיה Ehie, cui אשר aser præponi solet, vt constat ex 3. cap. Exodi, significátque, fui, sum, ero, quoniam æternitas Dei differentiam omnem temporis amplectitur, venit autem à verbo היה haia, quod 70. per γίνομαι, κοιμάω & συμπλέκω fio, vel sum, dormio, & connecto exprimunt: vel à הוה, quod fermè significat idem: quod præterea per ἐπιβάλλω vertunt, idest irruo, siue insidior, vt patet ex Psalmo 61. versu. 3.

עליון

אהיה

Aliud nomen est אדני adonai, Dominus, estque plurale significans Domini mei, ab אדון adon, à quo fit adoni, Dominus meus, à plurali verò adonim, fit adonaï. Sequitur יה iah, quod cùm sit decurtatum nominis tetragrammati, radicem eandem habet; sicut etiam אל volunt esse nomen decurtatum ab אלהים. Sunt & alia multa nomina, quæ ex diuinis operibus desumuntur, qualia sunt דין daion Iudex, צדיק tsadic, iustus, חנון hannon misericors, & gratiosus, אגלא agla omnipotens. Reliquum est tetragammaton, quod ἀνεκφώνητον & ἄρρητον seu ineffabile dicitur, nec enim Hebræi pronuntiabant illud, sed vbicunque occurrisset, per Adonaï efferebant; vel per elohim, si quando

אדני

יה

Adonaï præcessisset: quomodo verò pronuntiari deberet τετραγράμματον, an Iehoua, an Iauo, an Ioue, vel alio modo nihil est certi; adde quòd ineffabile diceretur, ex eo quòd nec temerè, nec passim assumi debeat: D. Hieron. monet aliquos literas Hebraïcas pro Græcis sumêtes, pipi legisse; Gentiles autem à Iehoua, Iouis nomen deduxisse nônulli existimant; Illud tamen quia latiùs exponebant Hebræi semhammephoras, idest nomen expositum appellarunt, de quo R. Hakados multa Antonino cnosuli Romano retulit, dixitque nullum Deo nomen, præter eius substantiam inesse posse; quod tamen cæteris sit magis proprium, quia nobis, in quantũ sufferre possimus, Dei notitiam ingenerat, vnde, *ipsum esse*, Dei nomen asserimus.

יהוה

D. Hieron.

R. Hakados.

Mitto cætera Dei nomina, quæ in infinitum abeunt, Caballistæ siquidem 72. Dei nomina decies multiplicant, & per varias literarum methatheses ex tribus versiculis, ex 14. Exodi desumptis à 19. versic. ad 22. efformant, vt apud Galat. ca. 17. videre potes. Hac autem ratione procedunt; nomen primum fabricant sumendo literam primam primi versiculi, quæ est ו vau, mox vltimam 2. versic. quæ est ה, postea primam tertij versic. quæ est ו vau, vt resultet והו; Secundum nomen ita reperiunt; secundam literam primi versiculi י Iod, penultimam secundi ל Lamed, & secundam vltimi י coniungunt, vt fiat ילי, & sic deinceps, quoúsque litteræ omnes absum ptæ fuerint, ex quibus primum diuinorum nominum ordinem conficiant. Secundum ordinem ita fabricant, literam primam primi secundi, & tertij versiculi sumunt, vt fiat והו, deinde secundas literas, mox tertias trium versiculorum, donec decem nominum ordines exhibuerint, vnã componunt, quorum vnusquisque Dei 72. nomina diuersa contineat.

72. Dei nomina à Caballistis efficta. Galat.

Si verò nomen aliquod dari posset, quo ea omnia explicarentur, quæ Deus ad extra facere potest, esset perfectissimum, ac proprium nomen diceretur, tametsi diuinam essentiam non aperiret, quæ supra omnia possibilia longissimè stat; at sicut non possumus omnia quęcunque Deus facere potest, intelligere, ita nec illud nomen comprehendere, vel etiam efferre, quod illa omnia explicaret.

Græcis etiam nomina minimè desunt, quibus Deum exprimant, quorum pauca delibasse suffecerit. D. Nazian. vbi de S. Athanasio loquitur, hæc habet de Deo: αὐτὸς τῶν νοουμένων ἐστὶ τὸ ἀκρότατον; ipse intelligibilium omnium vertex. Ipse verò D. Athan. dial. 2. de Trin. ait Dei nomen ἀγένητον esse verum: Inter cætera nullum est adeò frequens tam apud sacros, quàm prophanos Authores, vt θεὸς, quod idem Athan. sermone contra Macedonium pneumatomachum, ait esse naturæ nomen, quod omnia contemplantem significet; τὸ γὰρ θεὸς ὄνομα φύσεώς ἐστι θεωρητικῆς, ἤ διαδίνουσ τὰ πάντα ἐπισκοπεῖν: & tract. de definition. ait Deum esse essentiam sine causa, omniúmque essentiarum causam supersubstantialem, θεὸς μὲν ἐστιν οὐσία ἀναίτιος, ἢ πάσης οὐσίας αἰτία ὑπερούσιος; diciturque, inquit, ἀπὸ τοῦ θέειν ἤτοι τρέχειν à currendo, quòd sua prouidentia, & efficaci operatione cuncta permeet; vel ab αἴθειν ardendo, vel à θεωρεῖν contemplando; & in cæteris quæstionibus addit Deum esse Spiritum materia carentem, oculum non dormientem, animum immobilem, essentiam creatricem, omniũ visibilium & inuisibilium creaturarum. θεὸς ἐστι πνεῦμα ἄυλον, ὀφθαλμὸς ἀκοίμητος, ἢ νοῦς ἀκίνητος. θεὸς ἐστιν οὐσία δημιουργικὴ πάντων τῶν ὁρατῶν, ἢ ὁρωμένων ἀκτισμάτων.

Græca Dei nomina.

Vnde dicatur θεὸς variæ sententiæ

Isidorus verò l. 7. c. 1. θεὸν putat dici, quasi δέον, qui enim Deum colunt, eundem timent, vbi & multa Dei nomina refert, de quibus fusè S. Dionysius lib. de diuin. nomin. præclara subiungit Isidor. cap. 2. de Christi, atque Spiritussancti nominibus. Nomen verò, quod sibi Deus ipse posuit, habemus Exodi 3. ἐγώ εἰμι ὁ ὤν, ego sum ens, vel ego sum, qui sum, vel iuxta paraphr. Chald. ero qui ero: tametsi enim nullum tempus Deo tribui possit, cùm sit & ante, & extra omne tempus, nostro tamen loquendi more dici potest, Deus fuit, quia nunquam defuit, erit, quia nunquam deerit, est quia semper est. D. Damasc. l. primo orthod fid. c. 12. asserit nullum nomen æquè Deo proprium esse, ac nomen entis, quippe quod immensum essentiæ infinitæ pelagus sonat. Iustin. verò exhort. ad Gentil. Nazianz. orat. 4. de Theol. Basil. Epist. 80. ad Eustachium medicum, fatentur Deum nullo nomine posse exprimi: Propterea verò meliùs ens, quàm cætera, de Deo dicitur, quia hæc propositio, *Deus est*, est prima, & immediata, ad quam omnes aliæ, quæ diuina continent attributa, resoluuntur; nam si quæris, cur Deus est Spiritus, bonus, Sapiens, &c. Pulchrè respôdetur, quia Est; vt enim hæc propositio, *Deus vult*, est prima ex propositionibus contingentibus, ad quam cæteræ contingentes reducuntur, vt dum quæritur, quare mundus creatus est, quare Deus prædestinat, præscit, punit, permittit, consulit, &c Bene respondemus, quia vult; Ita propositiones necessarias rectè per primam necessariam soluimus, quia Est. Lactant. 1. diuin. Inst. c. 6. refert Trismegistum dixisse Deum esse ἀνώνυμον, qui ita est Ens, vt facta cum eo comparatione nil simus: vt egregiè D. Greg. 8. moral. cap. 35. insinuat. Cùm huic coniungimur, sumus, viuimus, sapimus; si comparamur, nec sapimus, nec viuimus, omninò nec sumus.

Isidor.

Exod 3.

Damascenus.

Iustin.

Prima propositio necessaria. Prima contingens.

Lactant.

D. Greg.

Ex eo verò, quòd Deus sit incomprehensibilis, nullo proprio nomine exprimi valet: vnde Simonides Poëta apud Tullium 1. de nat. Deorum Hieroni Syracusanorum tyranno, quid Deus esset roganti, respondebat: Quanto diutiùs considero, tanto mihi videtur res obscurior. Nec mirum est, si mentis oculi summum lumen spirituale capere nequeant, cùm oculi corporis lumen supremum corporeum vix aspicere valeant: quapropter rectè S. Nazianz. 5. orat. de baptismo, Deum esse lumen inaccessibile, quod nec mente percipi, nec verbis explicari potest, asserit: idémque repetit orat. 2. de Theol. Nec omittendum est, quod in templis Ægyptiorum de Deo scriptum fuisse referunt, nempe: *Ego sum, quod fuit, quod est, quódque futurum est: verbum meum nemo vnquam reuelauit*, id est imperscrutabilis est meârum perfectionum abyssus.

Simonides apud Tullium.

Nazianz.

Liber autem nonnulla de nomine quadrilaterò subiungere, maximè cùm apud omnes nationes 4. litteris Dei nomen exprimi videatur, nam ab Ægyptiis θεύθ, à Persis συρε, ab Hetruscis εσαρ, ab Arabibus Αλλα, ab Assyriis Αδαδ, à Turcis αγδι, à Germanis Godi vocari ferunt, vt à nobis Deus, θεὸς, Dieu vulgò nominatur, de quibus Angelus Caninius, Gyraldus Syntag. 1. de Diis gentium, Bongus c. de quaternario. Goropius & alij consuli possunt. Nonnulli verò existimant יהוה Iehoua idem significare ac אהיה אשר אהיה, ero, qui

Dei nomen apud omnes 4. literis scribitur.

qui ero, nempe vobiscum in tribulationibus, à quibus vos eruam, vt R. Salomon explicat. Septuaginta sic explicant, ego sum ille ens, quia nimirum dij, quos colebatis, non sunt amplius, sed esse desinunt. Tertiò sic interpretantur, ego sum, qui sum, non tantùm, vt alia, quæ recipiunt esse, sed ego possideo esse irreceptum, cæterisque esse tribuo. Quartò, sum immutabilis, & non vt res, quæ mutatur, quæque dum mutatur, non est amplius, sed esse desinit, quod fuerat, & incipit esse, quod non erat. Quintò sum æternus carens præterito, atque futuro; vnde S. Iustin. ait τὸ ὢν tria tempora complecti; quod Apocal. 1. dicitur: qui est, qui erat, qui venturus est; & Thales Milesius, teste Plutarcho in conuiuio 7. Sapientum rogatus, quodnam antiquissimum esset, respōdit, *Deus*, ortu nēpe caret; vel vt habet Laërtius, quod principio, fineque caret: Hinc Ægyptij Deum circulo repræsentabant, vt Pierius refert. Sextò D. Hieron. in cap. 3. ad Ephes. sic habet: sum Solus non ab alio productus, cætera non sunt ex se, sed ex mea voluntate habent esse, quantū, quemadmodum, & quoúsque volo. Septimò, sum, quia in me nullum est accidens, sed quæcunque sunt in me, sunt idem cum essentia mea, quod apud D. Bernard. 5. ad Eugenium videre est. Octauò, sum actus purissimus sine vlla compositione, quod Theologi ad primam partem de attributis agentes fusè probant, atque declarant. Nonò, sum esse vniuersalissimum, & illimitatum, cùm enim à me ipso esse habeam, quis mihi terminos præfigeret? Decimò, sum causa rerum omnium, quia cùm sim per me talis, sum causa cæterorum, quæ de meo esse participant. Vndecimò, sic explicant, sum vnus, & solus.

R. Salomō

Illa verba sum, qui sum, vel ero qui ero Exodi 3. vndecim modis explicantur.

Iustin.

Thales apud Plutar.

Inter omnia nomina, Deo potiùs nomen Entis adscribitur, quàm alia cæteras creaturarum perfectiones denotantia: licet enim ratio Entis Deo, atque creaturis nō sint minus æquiuoca, vel analoga, quàm Sapientis, boni, potentis, &c. Quia tamen Esse cuilibet rei primò conuenit, aduenit, & vltimum ab ea recedit; eidémque maximè intimum est, necessarium, vniuersale, simplex; ac quodammodo infinitum, cætera verò attributa sunt participationes entis: ideóque nil est Deo, atque creaturis commune, per quod meliùs nuncupari possit, quàm Ens. Itaque meritò dicere potuit; Ego sum omne ens, quia perfectiùs omnia contineo, quàm ipsa se ipsis contineri valeant. Quapropter omnes creaturæ dicere possunt; meū nomen est, Non Esse, seu non Ens, quia iuxta Platonem, omnia præter Deum verius nō esse, quàm esse habent; Hinc D. Iohannes Baptista rogatus quis esset, Non sum; nam ante creationem quælibet creatura æternum non esse habuit, iterúmq; si corruptibilis est, & interitura æternum non esse sortietur; si verò corruptionis expers, illa saltem ad æternum non esse redire potest, quandoquidem in nihilum redigi valet; adde quod quandiu variatur, non esse admixtum habeat, nam in omni mutatione aliquod non esse includitur. Deniq; creatura quæpiam, plus non entis, quàm entis habet, tametsi enim Petrus sit homo, attamen non est lapis, non planta, non leo, non cœlum, non Angelus, non omnia, quæ ab eo distinguuntur, sed cùm habeat vnicum esse, innumera non esse obtinet.

Quo sensu creaturæ dici possint non ens, & non esse.

Igitur nomen illud, quod Exodi 6. Deus asserit se nondum Abraham, Isaac, & Iacob indicasse, quod non exprimitur nisi per nomen Adonaï, quia ἄρρητον Theodoreto, ἀώνυμον Damasceno, idest, indicibile, & ineloquibile dicitur, aliquatenus exprimi potest per illa verba, *ego sum, qui sum.* Nec putes ideo solùm ineffabile dici, quod 4. duntaxat consonantibus absque vocalibus constet, cùm Deus loco cit. Exod. & Moses coram Pharaone, ipseque post Mosem Pharao nomen illud expresserit, sed quia tantùm in populi benedictione, atque sacrificiis à Sacerdotibus efferebatur, & in magna erat veneratione. Quò fortè Plato respiciebat, vel Ægyptij, dum ciconia lingua carente, vel crocodilo Deum significabant, teferente Pierio 17. & 19. Hieroglif. quem tamē nomine Entis exprimebant, nam cùm in Apollinis Delphici templo scriptum legerent γνῶθι σαυτόν, alia parte legebant, εἶ, tu es.

Theodoretus.

Pierius.

Simeon verò vltimus fuisse cēsetur, qui nomen illud, cuius Hebræi obliti sunt, pronuntiarit, cuius recordationem à futuro Messia expectāt; hinc fortè Lucanus ait: *Incerti Iudæa Dei*: nec Iudæi per illud nomen, quod summus Pontifex in aurea lamina gestabat, quodque Pontifici Iaddo, teste Iosepho, Alexander occurrens adorauit humi prostratus, iurare audebant, sed ea ratione promissa sua firmabant, Iuro per Iod, Hé, Vau, Iod, quod iusiurandum sanctissimum esse credunt. Huc referri potest, quod Bocacius, & Lucanus habent, Gentiles per falsi Dei Dæmogorgonis nomen iurare non ausos, alioquin enim terræ tremore, tali se iuramento Demogorgon offendi demōstrabat. At quonammodo reuera pronuntiandum sit tale nomen, certi nihil reperio, nam Iustinus contra Triphon. censet efferendum esse, Iesus: Isidorus Iodiod, Irenæus Iaoth, vnde Diod. Siculus l. 3. ait, Mosem à Deo Iao legem accepisse; & Apollo Clarius rogatus quis esset Deus, ait, Iao. *Summum cunctorum Diuum tu dicito Iao.* Apud Macrob. c. 18. primi Saturn. Alij à centum annis post Massorethicam punctuationem dicunt Iehoua, siue Iotta. Vnde Varro apud D. Aug. 1. de cons. Euang. c. 22. censuit Iudæos coluisse Iouem Deum Romanorum: Alij pronūtiant Iiue, vel Iehcue, id est, est, vel, erit, quia hoc nomen idem est cum nomine. Ego sum, c. 3. Exod. alij potiùs Iehcua, vbi dicunt primum Iod heemanticum esse, nominísque formatiuum.

Lucanus.

Iosephr

Bocaci

Quomodo Dei nomen pronuntiādum.

Nomen autem יהוה Iehoua deducunt nonnulli à הוה haua, id est conterere, quia hoc nomine Pharao contritus est, ita Oleaster, vnde ... contritio; meliùs alij à היה, est, vel fuit, quod multifariàm intelligi potest, & quidem primò iuxta R. Salomonem; qui est verax in promissis educendo Israëlitas ex Ægypto. Secūdò, qui est terribilis miracula patrans, secundùm Burgensem. Tertiò iuxta Pradum in 1. Ezech. qui est liberator liberans Israëlem; nec immeritò Scotus, Gabriel, & alij Scholastici, si qui sint, arguuntur in 22. distin. primi, quòd asserant Deū hic vt in se est cognosci posse; adeout ei nomen imponatur, quod significet, atque referat eum, sicuti est, quale sit tetragrammaton, cùm D. Thomas q. 13. primæ partis, vtrúmque impossibile esse sentiat, atque demonstret.

Vnde Iehoua sumpsit originem.

Non desunt, qui plurima mysteria in nomine יהוה includi censeant, adeout ex ipsis literis secreta eruant, nam Trinitatis arcanum in hoc nomine contineri demonstrant, cùm Iod sit littera, quæ cæteras omnes producere videtur, vt ex figu-

figuris characteris sancti, quem Mosi in tabulis datum esse ferunt, apparet; exempli gratia Aleph litera prima constat ex 4. Iod variè dispositis; sicut & aliæ, quas Duretus initio Thezauri linguarũ attulit, nec nõ P. Bonauentura noster in encomio virginis, in quo 72. diuersos literarũ characteres depinxit: Præterea Iod significat 10. perfectissimũ numerum, nam Iod tantum habet numerum apud Caballistas, quantum literæ 4. ita dispositæ, 1. 2. 3. 4. quo numero Pythagorici omnes harmonicas consonantias cõprehendebant, & quæcunque ad geometriam attinẽt, quandoquidẽ omnes figuras, omniáque corpora puncto, longitudine, latitudine atque profunditate cõstant: ה verò secundam personam significat, quia repræsentat essentiam patri, filióque communem; ו significat coniunctionem, & Spiritum sanctum, qui est copula, & amor notionalis patris, & filij; vnde Græcorum Scholiastes pro, *non indicaui Adonai*, habet nomen Patris, & Filij, & Spiritussancti; litera ה gemina, duas in Christo naturas, diuinam & humanam adumbrat, vnde nominibus Abrahæ, & Saræ fuit additum, quòd Christus ex illis egressurus esset. In hoc nomine sunt tantum literæ 3. quæ differant, quæ si in seipsas ducantur, 9. efficiunt, quot sunt numeri simplices, sphæræ mobiles, & angelorum chori. Primum ה denotat productiones diuinas ad intra, secundum ad extra, vel ipsas rerum producendarum ideas, & ipsas res productas, vel duas personas à patre productas. Ex his 2. ה iubilæum inuestigant, quia si vnum in aliud multiplices habes, 25. quot inter annos iamiam Iubilæus noster repetitur; si 25. duplices surgit 50. quot annos Iubilæus apud Iudæos durabat. Adde quod literæ tetragrammati Iod, Hé, Vau, sunt circulares, quia quantumcúnque 10. 5. aut 6. in se multiplicaueris, semper idem numerus auditur, nam quinquies quinque, faciunt 25. quinquies verò 25. 125. conficiunt, sicque de cæteris.

Iod præter punctum, quod in summitate habet, lineolæ in imum vergenti iungitur, quæ lineam geometricam refert, atque binarium, primámque Angelorum productionem, vnde verbum ipsum aliquando dicitur Angelus. Hoc autem nomen secundæ numerationi, seu sephirot, Caballistæ tribuunt, quam חכמה Hochma vocitant, quod per Cherubinos in sphæram stellarem influat, sicut כתר per Cheter, seu numerationem secundam in primum mobile Seraphinis mediantibus. Cæteras numerationes apud Caballæ authores videre potes. Sunt autem omnes tetragrammati literæ quiescentes, vt ostendatur Deum esse solum, in quo perfectè quiescere possimus, & debeamus, est enim principium, & finis, α, & ω, vt præclarè Valesius vltimo capite sacræ philosophiæ notat. Notant & alij nomen hoc esse quadrilaterum, quia omnia nomina præter tres literas characteristicas, vnam heemanticam habent; denique volunt in eo non tantùm omnem numerum, sed & Musicam, Geometriam, imò & ipsam virtutem contineri, quorum expositionem si quis amplectatur, ipsam beatitudinẽ, & omnia in יהוה cõcludi animaduertet; Alia referre poterimus, vbi id Exodi aggrediemur, *ego sũ, qui sũ*: Qui plura de Deo voluerit, legat Eugubinũ de perẽni philosophia, & Bulengerũ qui ecclogat. ad Arnobiũ plurima, eáq; pulcherrima de Deo refert, dũ sequẽtia verba Arnobij ex antiquis illustrat, atque cõfirmat, quæ ex l. 1. desumpta sunt. O maximè, ô summe rerum inuisibilium procreator, ô ipse inuisus, & nullis vnquam comprehense naturis, dignus es, dignus es verè (si modo te dignum mortali dicendum est ore) cui Spiritus omnis, intelligénsque natura & habere, & agere nunquam desinat gratias, cui tota conueniat vita genu nixo procumbere, & continuatis precibus supplicare. Prima enim tu causa es, locus rerum ac spatium, fundamentum cunctorum, quæcũque sunt, infinitus, ingenitus, immortalis, perpetuus, solus, quem nulla delineat forma corporalis, nulla determinat circunscriptio, qualitatis expers, & quantitatis, sine situ, motu, & habitu, de quo nihil dici & exprimi mortalium potis est significatione verborum, qui vt intelligaris tacendum est, atque vt per vmbram te possit errans inuestigare suspicio, nihil est omninò mutiendum. Non est mirum, si ignoraris, maioris est admirationis, si sciaris.

P. Bonauentura.

Mysteria in nomine Iehoua cõtenta.

Valesius.

ARTICVLVS SECVNDVS.

In quo Deum esse probatur aduersus Atheos

SI Tertullianus inter Ponti Euxini Barbaros, sedésque eorum incertas, vitã crudam, libidinẽ promiscuã, & plurimũ nudam, parentum cadauera cum pecudibus cœsa, atque conuiuio condorata, cœli duritiem, diem nunquam patẽtem, Solem nunquam liberum, aërem nebulis turbidũ, totum annum hybernum, omnem flatum aquilonarem, amnes glacie cõcretos, mõtes pruina exaggeratos, feritatẽ, sacrificia Taurorũ, amores Colchorum, Caucasorũ cruces, nihil tam barbarũ, ac triste reperit, quã quòd illic Marcion natus esset, qui duos deos adferebat, tanquã duas symplegadas naufragij sui. Quid obsecro de illis dicemus, qui nõ deorum pluralitatẽ, non binarium inuehunt, sed omnem diuinitatem abnegant, omnẽ diuini numinis cultũ, & reuerentiã abiiciunt? si propter deorum multitudinẽ, (si tamen binarius multitudine gaudet,) Marcion iure dici possit Scytha tetrior, Hamaxabio instabilior, Massageta inhumanior, Amazonia audacior, nubilo obscurior, gelu fragilior, hyeme frigidior, Istro fallacior, Caucaso abruptior; quibus verbis, qua oratione, qua vehemẽtia in eos insurgẽdum est, qui numẽ omne pernegãt; quibus equuleis, rotis, catastis, quibúsue crucib⁹ torquẽdi sunt? nunquid in eos omnes creaturæ insurgere debẽt? Nunquid faciliùs pepperceris Valentino, qui vsq; ad 30. Æonũ fœtus, tãquã Æoniæ scrophæ, examẽ diuinitatis effudit, quã nostris Atheis, quibus ne quidẽ lippientibus singularis lucerna numerosa est, sed prorsus nulla? tametsi enim veritas Christiana pronunciet: Deus, si nõ vnus est, nõ est, quia dignius credimus non esse, quodcunque non ita fuerit, vt esse debebit; attamen longiùs à veritate abesse videtur, qui nullũ, quã qui plures Deos asserunt, quandoquidẽ longè difficiliùs ad saniorẽ mentẽ sese recipiũt, qui nullũ, quàm qui plura numina sectãtur. Porrò si quandoque tẽpus opportunũ nactus fuero, hos cum Tertulliano perstringam

Pulcher Tertulliani locus. Euxinus prius Axenos dict⁹ ob ἀπὸ ξένων, & ἄξενον ἐπιμίας; Vide Orpheũ in Argonaut. Ouid. 3. de tristib. Herod. l. 4. Melpom. Strabon l. 7. & Nyssen. de laude Taumaturgi. Marcionis error.

Impietas Marcionis eleganter describitur.

Error Valẽtini. Athei Marcione peiores.

gã: illos imprimis aggredior, nõ vt eos rubore, atq; pudore suffundam, non vt superasse videar, sed vt clarissima veritas elucescat, sed vt Deo vincantur, sed vt ad verum Deum de Deo vero accedãt, sed vt diuina fide illustrati, tandem aliquando beatitudine perfruantur: iuxtà id psaltis: *Accedite ad eum, & illuminamini, & facies vestræ non confundentur:* Propterea non iniuriis eos impetere, vel potiùs meritis sceleribus lacessere velim; Sola ratione rem totam conficiam, vt si quid humanitatis in eis reliquum est, si non omninò mentis expertes fuerint, atque rationib⁹ vale dixerint, æternũ, Deũ esse fateãtur, qui viuos, & mortuos iudicaturus est, & vnicuique, prout gesserit redditurus, vt Apostolus docet.

Mihi verò tot infiniti Solis radiis illustrato, idem contingit, quod in multarum viarum capite constituto, qui nescit, quam semitam eligat, etenim prorsus ignoro à qua ratione exordium sumere debeam, vt Deum esse quibuslibet Atheis manifestissimè comprobem, veruntamen cùm omnes creaturæ Deum esse prædicent, age, primum argumentum nobis ipsæ suggerant. Hic autem articulus totidem membra continebit, quot argumenta. Antequam verò rationes afferam, hunc rationum indicem præmitto, vt vnico intuitu videas, quibus armis Atheos impugnemus.

RATIONES QVIBVS DEVM esse probamus.

Prima sumitur ex eo quod omnes creaturæ hanc diuini numinis existentiam suo quæque modo affirment.
2. *Ratio est, quod omnes homines illam cogitationem habeant.*
3. *Quia necesse est aliquid esse à seipso.*
4. *Sumitur ex veritate.*
5. *A b optima entitate, & bonitate.*
6. *Ex illo axiomate, quicquid habet virtutem mouendi, habet ab alio.*
7. *Ex gradibus entium.*
8. *Ex eo quod Deus sit lumen cætera manifestans, sitque per se notum, Deum esse.*
9. *Quia creaturæ omnes sunt ens, productum ab alio, & de nihilo.*
10. *Ex singularum creaturarum pulchritudine.*
11. *ex lege naturali immutabili, quam in nobis percipimus.*
12. *Ex appetitus nostri infinita capacitate.*
13. *Ex dissonantijs in concordiam redactis.*
14. *Ex totius vniuersi gubernatione.*
15. *Ex scientijs.*
16. *Ex arithmetica.*
17. *Ex geometria.*
18. *Ex musica.*
19. *Ex astrologia.*
20. *Ex mechanicis.*
21. *Ex quibuslibet scientijs, & artibus.*
22. *Iterum ex scientijs præsertim inferioribus.*
23. *Ex ipsis diuinationum speciebus.*
24. *Ex sex rebus, quæ ex se indeterminatæ sunt.*
25. *Ex rebus moralibus.*
26. *Ex omnibus artefactis, & ex astris de quibus pulchra referuntur.*
27. *Ex omnium entium collectione.*
28. *Ex Geographia, & Hydrographia.*
29. *Ex diuersitate vultuum, vocis, Scripturæ, statuum, & incessuum.*
30. *Ex fine, ad quem omnia tendunt per suas operationes.*
31. *Ex eo quod debeat esse obiectum, dignum amore voluntatis nostræ.*
32. *Ex varijs absurdis, & incommodis.*
33. *Deum esse probatur ex optica.*
34. *Ex gnomonica.*
35. *Ex Architectura, & nautica.*

RATIO I.

Deum esse, probant omnes creaturæ.

Minutius Fœlix hanc rationem suggerit.

NON est quòd impensiùs laboremus in inquirenda diuini numinis natura: Quid enim potest esse tam apertum, tam confessum, tamque perspicuum, inquit Octauius, cùm oculos in cœlum sustuleris, & quæ sunt infrà circáque lustraueris, quàm esse aliquod numen præstantissimæ mentis, quo omnis natura inspiretur, moueatur, alatur, gubernetur? Cœlum ipsum vide quàm latè tenditur, quàm rapidè voluitur, vel quod in noctẽ astris distinguitur, vel quod in diem Sole illustratur, iam scies, quàm sit in eo summi moderatoris mira, & diuina libratio. Vide & annũ, vt Solis ambitus faciat, & mensem, vide, vt Luna auctu, senio, labore circumagat. Quid tenebrarum, & luminis dicã recursantes vices, vt sit nobis operis, & quietis alterna reparatio? Relinquenda verò Astrologis prolixior de syderibus oratio, vel quæ regãt cursum nauigandi, vel quæ arandi, metendique tempus inducant, quæ singula non modò vt crearentur, fierent, disponerentur summi opificis, & perfectæ rationis eguerunt, verùm etiam sentiri, perspici, intelligi sine summa solertia, & ratione non possunt. Quid cũ ordo temporum hac frugum stabili varietate distinguitur? nonne authorem suum, parentémque testatur.

Mundi pulchritudo & omnium eius partiũ decor & vtilitas describitur.

Ver æquè cum suis floribus, & æstas cum suis messibus, & autumni maturitas grata, & hyberna oliuitas necessaria; qui ordo facilè turbaretur, nisi maxima ratione consisteret. Iam prouidentiæ quãtæ, ne hyems sola glacie vreret, aut sola æstas ardo-

re torreret, autumni & veris inserere mediũ temperamentum, vt per vestigia sua anni reuertentis occulti & innoxij trãnsitus laberentur. Mari intẽde, lege littoris stringitur; quicquid arborum est vide, quàm è terræ visceribus animatur. Aspice Oceanum, refluit reciprocis æstibus; vide fontes, manant venis perennibus; fluuios intuere, eunt semper exercitis lapsibus. Quid loquar aptè disposita recta montium, collium flexa, porrecta camporum? Quidue animantium loquar aduersus sese tutelam multiformem? alias armatas cornibus, alias dentibus septas, & fundatas vngulis, & spicatas aculeis, aut pedum celeritate liberas, aut elatione pinnarum. Ipsa præcipuè formæ nostræ pulchritudo Deum fatetur artificem, status rigidus, vultus erectus, oculi in summo velut in specula constituti, & omnes cæteri sensus velut in arce compositi. Longum est ire per singula; nihil in homine membrorum est, quod non, & necessitatis causa sit, & decoris, vt neque minus quidquam addere, minuere nihil, aut immutare sine deformitate, vel detrimento possit: Et quod magis mirum est, eadem figura omnibus, sed quædam vnicuique lineamenta deflexa; sic & similes vniuersi videmur, & inter se singuli dissimiles inuenimur. quid nascendi ratio, quid cupido generandi? Nonne à Deo data est, & vt vbera partu maturescente lactescant, & vt tener fœtus vbertate lactei roris adolescat? Nec vniuersitati solummodo Deus, sed et partibus consulit. Britannia sole deficitur, sed circunfluentis maris tepore recreatur. Ægypti siccitatem temperat Nilus amnis; colit Euphrates Mesopotamiam, pro imbribus pensat: Indus flumen, & serere Orientem dicitur, & rigare.

Quod si ingressus aliquam domum, omnia exculta, disposita, ornata vidisses, vtique præesse ei crederes Dominum, & illis rebus multo esse meliorem. Ita in hac mundi domo, cum cœlum, terramque perspicias, prouidentiam, ordinem, legem, crede vniuersitatis esse Dominum, parentemque, ipsis syderibus, & totius mundi partibus pulchriorem. Omnes igitur creaturæ Deum esse personant, vt is è numero rerum delendus esse videatur, qui de diuini numinis præsentia, atque prouidentia dubitat. Quibus mirum in modum illa consonant, quæ D. August. habet l. 10. confess. cap. 6. in quo creaturas omnes inducit, suum creatorem agnoscentes: Cœlum enim, & terra, & omnia quæ in eis sunt, ecce vndique mihi dicunt, vt nõ solum te esse fatear, Deus meus, verùm vt te amem, nec cessant dicere omnibus, vt sint excusabiles, surdisque loquuntur laudes tuas. Quid autem amo, cum te amo? Non speciem corporis, non decus temporis, nec candorem lucis; ecce istis amicum oculis, non dulces melodias suauium cantilenarum omnimodarum, non florum, & vnguentorum, & aromatum suaueolentiam, non manna, & mella, nõ membra acceptabilia carnis amplexibus. Non hæc amo, cùm Deum meum amo, & tamen amo quandam lucem, & quandam vocem, & quendam odorem, & quendam cibum, & quendam amplexum, cùm amo Deum meum, lucem, vocem, odorem, cibum, amplexum interioris hominis mei; vbi fulget animæ meæ, quod non capit locus, & vbi sonat, quod non rapit tempus, & vbi olet, quod non spargit flatus & vbi sapit, quod minuit edacitas, & vbi hæret, quod non diuellit satietas. Hoc est, quod amo, cùm Deum meum amo. Et quid est hoc? Interrogaui terram, & dixit: Non sum; & quæcunque in eadem sunt, idem confessa sunt. Interrogaui mare, & abyssos, & reptilia animarum viuarum, & responderunt: Non sumus Deus tuus, quære super nos. Interrogaui auras flabiles, & inquit vniuersus aër cum incolis suis: fallitur Anaximenes, non sum Deus tuus. Interrogaui cœlum, Solem, Lunã, stellas; neq; nos sumus Deus, quem quæris, inquiunt. Et dixi omnibus ijs, quia circumstant fores carnis meæ. Dicite mihi de Deo meo, quod vos nõ estis, dicite mihi de illo aliquid. Et exclamauerunt voce magna: ipse fecit nos. Interrogatio mea, intentio mea; & responsio eorum, species eorum.

Pulcherrimus D. Augustini locus.

Anaximenis error.

Quod l. 3. de libero arbitr. cap. 23. confirmat. Et reuera si piè, ac diligenter attendas, omnis creaturæ species, & motus, qui in animi humani considerationem cadit, eruditionem nostram loquitur, diuersis motibus, & affectionibus, quasi quadam varietate linguarum, vndique clamans, atque increpans cognoscendum esse creatorem. Quod adeò verum est, vt ex qualibet creatura tametsi seorsim spectata Deum esse probetur, vt ostendit Tertullian l. 1. aduersus Marcionem cap. 13. vnus, opinor de sepibus flosculus, non dico de pratis, vna cuiuslibet maris conchula, non dico de Rubro, vna tetrationis pennula, taceo de pauo, sordidum artificem pronuntiabit tibi creatorem? vnde concludit in Apolog. cap. 17. Et hæc est summa delicti nolentium recognoscere, quem ignorare non possunt: Vbi aduerte per ironiam dixisse. Sordidum artificem, ac si diceret: nõ, sed omninò præstantem: cùm nullus hominum, aut etiam Angelorum nequidem vnicum flosculum efformare possit, vnde quælibet creatura Deum esse manifestò comprobat. Quapropter omnibus Atheis hæc ratio sufficere deberet, vt ad mentem rediret, nam creaturæ sunt magnus Dei liber, quo docemur summũ opificem admittendum esse, qui omnia produxerit, cui proinde summas gratias agere, & quem toto animo diligere, summaque deuotione venerari debemus, quippe qui omni cultu, reuerentia, amore, & adoratione dignissimus est; adde quod ijs, qui verè dilexerint eum, eiusque voluntati in omnibus paruerint, vitam æternam omni cogitatione maiorem præpararit. Vnde hocce desideriũ omnibus indidit, vt beatitudinem appetant, sicut & cogitationem, qua ad numen diuinum volentes nolentes in quibusuis periculis, ijs maximè, quæ possunt viros constantes interturbare, recurrant, vt sequenti ratione videbimus.

D. August.

Duo præclara loca Tertulliani.

Confirmatio præsentis rationis.

RATIO

RATIO II.

Deum esse probatur, ex eo quod illam cogitationem omnes habeant.

NVLLVS est, qui non fateatur omnium hominum desideriũ, & cognitionẽ, in quibus omnes conueniunt, non esse cassa & inutilia, & circà vera obiecta versari debere; & vt in præsentiarũ de desiderio cuilibet innato taceã, tantùmodo cognitionẽ omnibus communẽ persequar: omnes ergo Deum esse cognoscunt, adeout ipsa vniuscuiusque anima nolens volens diuinũ numen asserere cogatur; quòd præclarè Minutius fœlix aperit. Quid quod omniũ de isto habeo cõsensum? Audio vulg⁹, cùm ad cœlũ manus tẽdunt, nihil aliud, quã Deum dicunt, & Deus magnus est, & Deus verus est; & si Deus dederit: Vulgi iste naturalis sermo est, an Christiani confitẽtis oratio? & qui Iouẽ principem volunt, fallũtur in nomine, sed de vna potestate cõsentiũt. Audio Poëtas quoque, vnũ patrem diuũm atque hominũ prædicantes, & talẽ esse mortalium mẽtẽ, qualẽ parens omnium Deus induxerit. Quid Mantuanus Maro; nonne apertius, proximius, verius, principio ait? Cœlum, & terras, & cætera mũdi mẽbra Spiritus intus alit, & infusa mens agitat: Inde hominũ, pecudumq; genus, & quicquid aliud animaliũ, idem in alio loco, mentẽ istam, & Spiritũ Deum nominat. Hæc enim vera sunt; Deum námque ire per omnes terrásq; tractusque maris, cœlúmque profundum: Vnde homines, & pecudes, vnde imber, & ignes. Quid aliud à nobis Deus, quã mens, & Spiritus, & ratio prædicatur? Recenseamus, si placet, disciplinam philosophorum, deprehendes eos, etsi sermonibus variis, ipsis tamen rebus in hanc vnam coïre, & conspirare sententiam.

Præclarus Octauij locus.

Opinio Thaletis de rerũ principiis.

Thales Milesius, qui omnium primus de rebus cœlestibus disputauit, rerum initium aquam dixit; Deum autem eam mentẽ, quæ ex aqua cuncta formauerit, & altior, & sublimior aqua, & Spiritus ratio, quàm, vt ab homine poterit inueniri à Deo tradita, vides Philosophi principalis nobiscum penitus opinionem cõsonare. Anaximenes deinceps, & post Apolloniates Diogenes, aëra Deum statuũt, infinitum, & immẽsum. Horum quoque similis de diuinitate consensio est. Anaxagoræ verò descriptio, & modus infinitæ mentis, Deus dicitur, & Pythagoræ Deus est animus, per vniuersam rerum naturam commeans, & intentus, ex quo etiam omniũ animalium vita capiatur: Xenophanem notum est omne infinitum cum mente Deum tradere; & Antisthenem populares Deos multos, sed naturalem vnum præcipuum. Speusippus vim naturalem, animalem, qua omnia regãtur Deum nosse. Quid Democritus, quamuis atomorum primus inuentor, nonne plerũque naturam, quæ imagines fundat, & intelligentiam Deum loquitur? Straton quoque, & ipse naturam; etiam Epicurus ille, qui Deos aut otiosos fingit, aut nullos, naturam tamen superponit. Aristoteles variat, & assignat tamen vnam potestatem, nam interdum mentem, mundum interdum Deum dicit, interdum mũdo Deum præficit. Aristoteles Ponticus variat, aliàs mundo, alias diuinæ menti tribuens principatum. Heraclides Ponticus quoque de Deo diuinam mentẽ (quamuis variè) adscribit. Theophrastus, & Zenon, & Chrysippus, & Cleanthes, sunt & ipsi multiformes, sed ad vnitatem prouidentiæ omnes reuoluuntur. Cleanthes enim mentem, modò animum, modò æthera, plerúmque rationem Deum disseruit.

Anaximenis & Diogenis opinio. *Anaxagoræ.* *Pythagoræ.* *Xenophanis.* *Antisthenis.* *Speusippi.* *Democriti.* *Stratonis.* *Epicuri.* *Aristotelis.* *Arist. Pontici.* *Heraclidis.*

Zenonis.

Zenon eiusdem magister, naturalem legem atque diuinam, & æthera interim, interdúmque rationem vult omnium esse principium; idem interpretando Iunonem aëra, Iouem cœlum, Neptunum mare, ignem esse Vulanum, & cæteros similiter vulgi Deos elementa esse monstrando, publicũ arguit grauiter, & reuincit errorem. Eadem ferè Chrysippus, vim diuinam, rationalem naturam, & mundum interim, & fatalem necessitatem Deum credit, Zenonémque interpretatione Physiologiæ in Hesiodi, Homeri, Orpheique carminibus imitatur. Babylonio etiam Diogeni disciplina est exponendi, & differendi, Iouis partum, & ortum Mineruæ, & hoc genus cæterarum rerum vocabula esse non deorum Nam Socraticus Xenophon formam Dei veri negat videri posse & ideò quæri non oportere. Aristoïcus comprehẽdi omninò nõ posse. Vterque maiestatem Dei intelligendi desperatione senserunt. Platoni apertior de Deo, & rebus ipsis, & nominibus oratio est; & quæ tota esset cœlestis, nisi persuasionis ciuilis nonnunquam admixtione sordesceret. Platoni itaque in Timæo Deus est ipso suo nomine, mundi parens, artifex animæ, cœlestium, terrenorúmq; fabricator, quem, & inuenire difficilè præ nimia, & incredibili potestate, & cùm inueneris in publicum dicere impossibile præfatur. Eadem fere & ista, quæ nostra sunt; nam & Deum nouimus, & parentem omnium dicimus, & nũnquam publicè nisi interrogati prædicamus. Exposui opiniones omnium fermè philosophorum, quibus illustrior gloria est Deum vnum multis licet designasse nominibus. Quæ profectò tantam vim ad diuinitatem demonstrandam habuisse credidit Minutius, vt sequentia verba subiiciat: vt quiuis arbitretur aut nunc Christianos Philosohos esse, aut Philosophos fuisse iam tunc Christianos.

Chrysippi. *Diogenis Babylonij.* *Xenophõtis.* *Aristoicl.* *Platonis.*

Eadem ratio sed alio modo præclaro à Tertulliano deducitur.

His Tertulliani mentem subiicimus, qui ex ipsa anima Dei cognitionem nobis velut ingenitam esse demonstrat. Nouum testimonium aduoco, imò omni literatura notius, omni doctrina agitatius, omni editione vulgatius, toto homine maius, id est totum, quod est hominis. Consiste in medio anima, seu diuina, & æterna res es, secundum plures Philosophos, eo magis non mẽtiens; seu minimè diuina, quoniã quidẽ mortalis, vt Epicuro soli videtur, eo magis mentiri non debebis, seu de cœlo exciperis, seu de terra conciperis, seu numeris, seu atomis cõcinnaris, seu cum corpore incœperis, seu post corpus induceris, vnde & quomodo hominẽ facis animal rationale sensus, & scientiæ capacissimum. Sed non eam te aduoco, quæ Scholis formata, bibliothecis exercitata, Academiis, & porticibus Atticis pastam sapientiam ructans. Te simplicem, & ru-

Epicuri error.

dem,& impolitam,& idioticam compello,qualem habent, qui te solam habent,illam ipsam de compito,de triuio, de textrino totam. Imperitia tua mihi opus est; quoniam aliquantulæ peritiæ tuæ nemo credit. Ea expostulo, quæ tecum in hominem infers, quæ aut ex temetipsa, aut ex quocunque authore tuo sentire didicisti. Non es, quod sciam, Christiana, fieri enim non nasci solet Christiana. Tamē nunc à te testimonium flagitant Christiani, ab extranea aduersus tuos, vt vel tibi erubescant, quòd nos ob ea oderint,& irrideant, quæ te nunc conscìam detineant. Non placemus Dominum prædicantes hoc nomine vnico vnicum, à quo omnia,& sub quo vniuersa.Dic testimonium, si ita scis. Nam te quoque palam, & tota libertate, qua non licet nobis, domi, ac foris audimus ita pronuntiare. Quòd Deus dederit; &,si Deus voluerit, ea voce & aliquem esse significas, & omnem illi confiteris potestatem, ad cuius spectas voluntatem, simul & cæteros negas Deos esse, dum suis vocabulis nuncupas, Saturnum, Iouem, Martem, Mineruam. Nam solùm Deum confirmas, quem tantùm Deum nominas, vt & cùm illos interdum Deos appellas, de alieno, & quasi pro mutuo vsa videaris. De natura quoque Dei, quam prædicamus, nec te latet, Deus bonus est, Deus benefacit, tua vox est. Planè ea dicis, sed homo malus scilicet, contraria propositione obliquè, & figuraliter exprobrans, ideò malum hominem, quia à Deo bono abscesserit. Etiam quod penes Deum benignitatis, & bonitatis omnis benedictio inter nos summum sit disciplinæ, & conuersationis Sacramentum; Benedicat te Deus, tam facilè pronuntias, quàm Christiano necesse est. At cùm id maledictum conuertis in benedictionem Dei, perinde dicto omnem super nos potestatem eius consistere secundum nos confiteris. Audiant Athei, suas animas interrogent, nullum amplius negotium facessant: Sed Illyricus, & si quis eius sectator, fuerit audiat, quàm pulchrè testimonium animi dictis Apostoli consonet. *Quod notum est Dei, manifestum est in illis; Deus enim illis manifestauit. Inuisibilia enim ipsius à creatura mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus, & diuinitas, ita vt sint inexcusabiles.* Nunquid omni stupore dignum est, vt cùm solam diuini numinis existentiam probare vellemus, simul etiam eius vnitatem, bonitatem, benignitatem, atque potestatem manifestissimam reddiderimus?

Hæc ratio etiam attributa Dei innuit.

Anima probat Deum esse iudicē.

Vis Deum, vt iudicem, vtque timendum eadem anima prædicet? Sunt qui, etsi Deum non negent dispectorem planè, & arbitrum, & iudicem non putent, in quo utique nos maximè reiiciunt, qui ad istam disciplinam metu prædicati iudicij transuolamus; Sic Deum honorantes, dum curis obseruationis, & molestiis animaduersionis absoluunt, cui ne iram quidem adscribūt. Nam si Deus, inquiunt, irascitur, corruptibilis, & passionalis est. Porrò, quod patitur, quódque corrumpitur, etiam interitum potest capere, quem Deus non capit. At idem alibi animam diuinam, & à Deo collatam confitentes, cadunt in testimonium ipsius animæ retorquendum aduersus opinionem superiorem. Si enim anima aut diuina, aut à Deo data est, sine dubio datorē suum nouit. Et si nouit, vtiq; & timet, vt tantū postremò autorē. An non timet, quē magis propitiū velit, quā iratum? Vnde igitur naturalis timor animæ in Deū, si Deus nō nouit irasci? Quomodo timetur, qui nescit offendi? Quid timetur nisi ira? Vnde ira, nisi ex animaduersione? Vnde animaduersio, nisi de Dei iudicio? vnde iudicium nisi de potestate? Cuius potestas summa, nisi Dei solius? Hinc ergo tibi anima de conscientia suppetit domi, ac foris, nullo dante, vel prohibente prædicare, Deus videt omnia, & Deo commendo, & Deus reddet, & Deus inter nos iudicabit. Vnde hoc tibi non Christianæ? Atque id plerúmque, & vitta Cereris redimita, & pallio Saturni coccinata, & Deæ Isidis linteata. In ipsis denique templis Deum iudicem imploras, sub Æsculapio stans, Iunonem in ære exorans, Mineruæ calceans furuis galeam formis, & neminem de præsentibus deis contestaris, in tuo foro aliunde iudicē appellas, in tuis templis alium Deum pateris. O testimonium veritatis, quæ apud ipsa dæmonia testem efficit & Christianorum? Quibus, postquam ex eodem animæ testimonio resurrectionem mortuorum inculcauit, hæc subiicit.

Præclara Tertulliani gradatio.

Hæc testimonia animæ, quanto vera, tanto simplicia; quantò simplicia, tantò vulgaria; quātò vulgaria, tantò communia, tanto naturalia; quantò naturalia, tantò diuina. Denique pulcherrimam coronidem apponēs, ait. Deus vbique, & bonitas Dei vbique; Dæmonium vbique, & maledictio dæmonij vbique; Iudicij diuini inuocatio vbique; mors vbique, & conscientia mortis vbique, & testimonium vbique. Omnis anima proclamat, quæ nobis ne mutire conceditur. Meritò igitur omnis anima rea, & testis est; In tātum & rea erroris, in quantum testis veritatis; & stabit ante aulas Dei die iudicij, habens dicere. Deum prædicabas, & non requirebas; Dæmonia abominabaris, & illa adorabas; Iudicium Dei appellabas, nec esse credebas; Inferna supplicia præsumebas, & non præcauebas: Christianum nomen sapiebas, & Christianum persequebaris.

Climax pulcherrimus Tertuliani.

Ex quibus manifestò constat nemini dubium esse posse, quin sit Deus; Vnde Tullius exclamat de natura deorum. Quæ est enim gens, aut quod genus hominum, quod non habeat sine doctrina anticipationem quandam deorum, aut vt Catholicè loquamur, & verissimè, Dei? quam appellat πρόληψιν Epicurus, idest anteceptam animo rei quandam informationem, sine qua nec intelligi quidquam, nec quæri, nec disputari possit. Cùm enim non instituto aliquo, aut more, aut lege sit opinio constituta, maneátque ad vnum omnium firma consensio, intelligi necesse est, esse Deum, quoniam insitas eius, vel potius innatas cognitiones habemus. De quo autem omnium natura consentit, id verum esse necesse est, esse igitur Deum confitendum est. Quod quoniam ferè constat inter omnes non Philosophos solùm, sed etiam indoctos, fateamur constare illud etiam, hanc nos habere siue anticipationem, vt ante dixi, siue prænotionem Dei: quod vtinam Illyricus perpendisset, vt simul cum hæresi non fuisset Atheismum amplexatus: At de eo in obiectionibus Atheorum agemus.

Tullius.

Satis verò duarum istarum rationum vim, & energiam apparere existimo, cùm enim hæc opinio à natura omnibus insita sit, fieri nequit, vt sit falsa, cùm natura menti non inseuerit assensum falsi, alioqui mentem peruerteret, sed tantùm veri, quandoquidem verum est bonum intellectus, & veluti sanitas, sicut falsum eius est malum, atque deprauatio: atqui malum, & vitium rei non est ex inclinatione naturæ

Declaratur vis & pondus istius argumenti.

naturę, sed contra illam, igitur nec assensus falsus.

Quæ veritas ex eo confirmatur, quòd si verum non esset Deum esse, non solùm id falsum esset, sed etiam penitus impossibile, & cōtradictionem inuolueret, enimuerò si Deus iam non est, prorsus repugnat ipsum aliquando existere, quandoquidem in diuinis idem est, esse actu, & posse esse, & non esse actu, ac esse ἀδύνατον; quî verò fieri potest, vt id quod non solùm falsum est, verùm etiam impossibile, ita omnibus gentibus persuasum sit, & omnium animis insculptum, vt in illud omnes consentiant, & semper in omnibus locis consenserint: adeout hanc veritatem nemo vnquam negarit, nisi cui naturale iudicium falsa aliqua ratiuncula, vel peruersa phantasia corruptum & offuscatum fuerit. Nec enim quidquā tam verum esse potest etiam ex ijs, quæ sensibus manifesta sunt, quin aliqui malè feriati illud saltem ore negare possint, sic enim Zeno motum negabat, Democritus verò statum, ac si mundus quotidie nasceretur, & quotidie interiret. Iam verò ad rationem metaphysicam accedamus.

Confirmatur ratio ex impossibili.

RATIO III.

Sumitur ex eo, quod necesse sit aliquid esse à semetipso.

IN hac ratione supponendū est, nos Dei nomine nihil aliud intelligere, quā ens, quod sit à seipso, & à quouis alio indepēdēs; hinc enim facillimo postea negotio perfectiones Deo propriæ cōcludūtur. Itaque si probauero ens aliquod à nullo pendere, & esse à seipso, rumpatur Atheus necesse est. Illud omne quod est, aut esse potest, vel suum esse habet ab æterno, vel in tempore cœpit; vel habet à seipso, aut ab alio, ac proinde omne esse tripliciter distinguitur, quandoquidem omne, quod est, vel est à semetipso ab æterno, vel nec ab æterno, nec à semetipso, vel ab æterno, non tamen à semetipso: nec enim quartum genus entis admitti, nec intelligi potest, nempe vt aliquid sit à seipso, non tamen ab æterno; demus enim aliquid esse à seipso, vt postmodum ostendamus fieri non posse, vt sit in tempore; quicquid enim in tempore cœpit, ante tempus illud in quo, vel cum quo cœpit, nihil fuit, nec enim cœpisset, si iam fuisset, igitur fuit, quando illud ens, quod in tempore cœpit, nihil fuit, at quandiu nihil fuit, omninò nihil habuit, neque potuit; igitur nec sibi, nec alteri dedit, aut dare potuit, vt esset, aut aliquid posset, alioquin dedit, quod non habuit, & fecit, quod non potuit; quæ omnia cum manifestò sese destruant, sibique repugnent, fieri non potest, vt aliquid sit à se ipso, quod tamen ab æterno non fuerit, ac propterea quarta species entis reijcienda est, quibus positis procedamus.

Omne ens tripliciter distinguitur.

Subtilis ratio.

Certum est quædam apud nos esse, quæ non fuerunt ab æterno; quis enim negare potest, hasce literas, quas hodierna die, S. Ioanni Baptistæ dicata pingo, non ab æterno, sed in tempore exaratas esse? Prodeat Atheus, qui rationem hanc seriò perlegat, nunquid se, non ab æterno, sed in tempore hanc perlegisse fatebitur. Bene res habet aduersarium nobiscum sentientem obtinuimus; quædam admittenda sunt, quæ tamen non sint ab æterno; at quæ non sunt ab æterno, nec à se ipsis sunt, aut esse possunt: nunquid igitur sunt ab alio, quod sit à semetipso? Enimuerò si nihil sit à se ipso, nihil erit omnino: nam obsecro, vnde aliquid existere posset, quod suum esse non habet à semetipso, nisi suum illud esse duxisset ab alio, quod esse habeat à seipso? An igitur aliquis negabit, ens aliquod admitti debere, quod sit à seipso, & per consequens ab æterno? Vides ergo, vides Athee Deum tibi præsentissimum esse: quādoquidem Deus verus, quem tibi probamus, quem tibi totus orbis terrarum ponit ante oculos, quem omnes creaturæ prædicant, quem omnes Angeli venerātur, & adorant, est illud ipsum ens, quod à semetipso est, & à quo proinde cætera proficiscuntur, atque dependent: Verè igitur Deus est. Ex quibus, tametsi Deū vnicum esse, nec duos, aut plures esse posse necessariò consequatur, quia tamen in præsenti quæstione, Deum esse tantummodo probare decreui, nec enim mihi res cum Gentilibus deorum multitudinem inuehētibus, sed cum Atheis nullum admittentibus: ideóque diuinam vnitatem non attingam, id alibi Deo volente præstiturus: Interim Richardum à S. Victore toto 1. & 2. lib. de Trinitate legere poteris, vnde præsentem rationem deduximus.

Richardus à S. Victore.

Quibus similē rationē attexere possumus ex Hugone de S. Victore l. 1. de Sacramentis parte 3. ca. 8. & 9. quam ex ipsa rationali anima deducit. Anima namque cùm de se dubitare non possit, quoniā est, cogitur ex se, & hoc credere, quòd aliquando se cœpisse meminit, quoniam non semper est, quia se nescire non potest, cùm est. Cū ergo per se, & in se cœpisse, & initium habuisse videat, nec hoc ignorare potest. Quoniam cū non fuit, sibi ipsi, vt esset, initium, & subsistentiam dare omninò non potuit. Vt ergo inciperet, quod nō erat, ab alio factum est, qui erat. Quē idcirco ipsum esse, ab alio nō cœpisse necesse est, quoniā qui ab alio esse accepit, primus omnibus existēdi autor esse non potuit. Non ergo ab alio accipere esse potuit, qui omnibus esse dedit, quē propterea semper fuisse, & nūquā cœpisse fateri oportet, quoniā omne, quod aliquādo esse cœpit, authorē habuit, per quē cœpit. Cōstat ergo, nec vllo modo dubitari potest, quod ille, per quem cœpit, quod non semper fuit, nunquā cœpit, sed semper fuit. Illū autē rerū autorē, & primum principiū hoc modo ratio inuestigat, & inuentū pietas veneratur, & adorādū fides prædicat Deū. Hoc autē ratio inuētū in se probat, & in his, quæ videt extra se, quia ortū, & occasum habētia cuncta, sine authore nec originē habere possent, nec reparationē. Quæ in toto aliquando cœpisse idcirco dubiū esse non potest, quia & in partibus suis sine cessatione quotidie, & oriri videtur, quod non est, & præterire quod est. Omne autē quod mutabile est, aliquādo nō fuisse necesse est, quia quod stare non potuit, cùm præsens fuit, indicat se aliquandò non fuisse, priusquam fuit. Sic respondent, qui foris sunt, ijs, quæ intus videntur ad veritatem comprobandam; & authorem suum natura clamat, quæ se ab illo factam ostendit.

Hugo Victorin. aliud argumentum affert.

Ratio hæc vrget.

Quis obsecro post tot & tanta momenta rationis, vllo dubio tentari poterit? quis in animū inducere mundum hunc Deo carere? an alia argumenta subijcienda sunt, cùm nullas rationis cōpos esse pos-

se videatur, cui non satis supérque persuasum sit Deum necessariò constituendum esse. Verùtamen vt Athei nullam prorsus excusationem obtendere valeant, idem ex D. Damasceno l. 1. fidei orthod. c. 4. vrgeamus.

Aliud Damascen. argumentum non minus verum, quã acutum.

Quicquid est, vel est creabile, vel increabile, creabile verò vertibile est, idque secúdum electionem, si spirituale, vel intellectuale fuerit; si corporeum, verti potest, vel generatione, vel alteratione, vel motu locali; igitur quicquid creabile est, cùm vertibile sit, exiuit de non esse ad esse, siquidem omnia quę vertibilitati, seu mutationi subiecta sunt, à versione, seu mutatione cœperunt, & ex nihillo facta sunt, igitur creationi sunt obnoxia, seu creabilia, at nihil est à se creabile, igitur aliquid increabile concedendũ est, quod cætera creet, & hoc est Deus noster: Nec enim circulus in causis efficientibus, siue per se, siue per accidẽs subordinatis, admitti debet, aut potest: adeout verbi gratia Angelus aliquis, vt pote supremus, sit causa Cherubin, Cherubin causa potestatum, potestates principatuũ, & sic deinceps vsque ad Angelos, qui regressu, atque reciprocatione quadã sint causa Seraphinorũ: alioquin idem seipso prius esset, & posterius; prior enim esset Angelis Seraphin ex hypothesi, & non prior, seu posterior, quia ab Angelis produceretur. Quam rationem vtinam Athei legerent, atque perlegerent, atque animo suo permitterent, vt veritati consentiret, statim enim Atheismum deponerent. Licet autem sint veritatis osores, ipsam veritatem eis opponere liber, si fortè aliquis eius radius mentem eorum illustrare valeat.

RATIO IV.

Sumitur ex veritate.

COGITET qui potest, quando non fuit verum, quia erat futurum aliquid, vel præteritum erit aliquid, inquit S. Anselmus c. 1. Dialogi de veritate; quòd si neutrum horũ cogitare potest, & vtrũque horum sine veritate verum esse non potest, impossibile est cogitare, quòd veritas principiũ, aut finem habeat, igitur veritas est æterna, & hæc est Deus; nã si veritas principiũ habuit, vel finem habitura est, antequã esset veritas, verũ erat, quia nõ erat veritas, & postquã finita erit, verũ erit, quod nõ erit veritas, at verũ esse nõ potest sine veritate, ergo erat veritas, antequã esset veritas, & erit veritas, postquã nõ erit veritas, quod est absurdissimũ, & omninè contradictoriũ atq; repugnãs, igitur est veritas, quę nec principum, nec finẽ habere potest, sed necessariò est ab æterno, & à se ipsa. Quæ cõfirmantur ex D. Aug. in soliloquiis: Si veritas non est, veritas est, quia consequitur veritatẽ non esse, verum esse; quòd si dixeris veritatẽ non esse, simpliciter verũ non esse, saltẽ ex parte, & secundũ quid, verũ erit, at omne secundum quid, est, atq; dicitur, facta collatione, & habita proportione cũ alio, quod est simpliciter, quandoquidẽ illud, quod est secundũ quid, tale per participationẽ existit; cùm igitur sit aliquid verum ex parte, secundũ quid, & participatione, necessariò debet esse verũ simpliciter, & per essentiam, à quò cætera veritatem suam repetant, eique ferant acceptam; quæ veritas, est ipse Deus. Quod si tam imperfectus est Atheorum animus, vt eum tanti veritatis radij potiùs retundant, & hebetent, quàm illuminent, optimam entitatem, atque bonitatem eorum menti, atque voluntati offerimus.

D. Anselmi ratio.

D. August.

RATIO V.

Sumitur ab optima entitate, & bonitate.

OPTIMVM, sine dubio est optimum, quia in mẽte concipiẽtis, vel intelligẽtis est optimũ, nec tantùm in intelligẽtis animo residet optimum! verùm etiam in ipsa re, tametsi nullus id optimum concipiat; Illud enim, *Est*, non solã essentiam, siue prædicata rei essentialia, sed actũ essẽdi, seu existẽdi connectit: Etenim ens actu necessariò cõcipit, qui optimũ apprehẽdit, nunquid enim intelligens optimũ, illud animo concipit, quo nihil melius est, aut esse potest, at ens actu melius est, quã ens in potentia, vtrúmq; verò non ente melius esse. palã est; igitur cũ id, quo nihil est melius, ens actu conuincat, quod est optimũ, necessarium est, vt sit ens actu, ac proinde cũ nullus intellectus negare possit optimũ, esse optimũ necesse est, vt optimũ existere cõcedat, quod est ipse Deus. Vnde S. Anselm. ca. 2. 3. 4. 5. & 15. prosologij. Credimus te Domine aliquid esse, quo nil maius cogitari potest. An ergo non est aliqua talis natura, quia dixit insipiẽs in corde suo nõ est Deus. Sed certè idẽ ipse insipiẽs, cũ audit hoc ipsum, quod dico; aliquid, quo maius nihil cogitari potest, intelligit, quod audit, & quod intelligit, in intellectu eius est, etiam si non intelligat illud esse. Aliud enim est rẽ esse in intellectu, aliud intelligere rẽ esse. Nam cũ pictor præcogitat, quæ facturus est, habet quidẽ in intellectu, & intelligit esse, quod iam fecit, non esse verò quod nondũ fecit. Cõuincitur ergo insipiẽs esse vel intellectu aliquid, quo nihil maius cogitari potest, quia hoc cũ audit, intelligit, & quicquid intelligitur, est in intellectu. Et certè illud, quo maius cogitari nequit, non potest esse in solo intellectu; si enim vel in solo intellectu est, potest cogitari esse, & in re, quod maius est. Si ergo id, quo maius cogitari nõ potest, est in solo intellectu, idipsum quo maius cogitari nõ potest, est quo maius cogitari potest, at certè hoc esse non potest, existit igitur aliquid, quo maius cogitari non valet & intellectu, & in re.

D. Anselm.

Ratio acutissima.

Quod vtiq; sic verè est, vt nec cogitare possit non esse. Nã potest cogitari esse aliquid, quod nõ possit cogitari non esse, quod maius est, quã quod nõ esse cogitari potest. Quare si id, quod maius nequit cogitari, potest cogitari non esse, idipsum, quo maius cogitari nequit, non est id, quo maius cogitari nequit, quod cõuenire nõ potest. Sic ergo verè est aliquid, quo maius cogitari non potest, vt nec cogitari possit non esse. Et hoc es tu Domine Deus noster. Sic ergo verè es Domine Deus meus, vt nec cogitari possis non esse: Et meritò; si enim aliqua mens posset cogitare aliquid melius te, ascenderet creatura super creatorem, & iudicaret de creatore, quod valdè est absurdũ. Et quidẽ quicquid est aliud præter

Præclarus ad Deum ascensus.

preter te solú, potest cogitari non esse. Solus igitur verissimè omnium, & ideo maximè omnium habes esse, quia quicquid aliud est, non sic verè est, & idcirco minus habet esse. Cur itaque dixit insipiens in corde suo, non est Deus? cùm causa in promptu sit rationali menti te maximè omnium esse? Cur? nisi quia stultus, & insipiens.

Verùm quomodo dixit insipiens in corde suo, quod cogitare non potuit, aut quomodo cogitare non potuit, quod dixit in corde? cùm idem sit dicere in corde, & cogitare? Quòd si verè, imo quia verè, & cogitauit, quia dixit in corde, & non dixit in corde, quia cogitare non potuit, non vno tantùm modo dicitur aliquid in corde, vel cogitatur. Aliter enim cogitatur res, cùm vox eam significans cogitatur, aliter cùm idipsum, quod res est, intelligitur. Illo itaque modo potest cogitari Deus non esse, isto verò minimè.

Nullus quippe intelligens id, quod Deus est, potest cogitare, quia Deus non est, licet hæc verba dicat in corde, aut sine vlla, aut cum extranea significatione. Deus enim est id, quo maius cogitari non potest. Quod qui benè intelligit, vtique intelligit idipsum sic esse, vt nec cogitatione queat non esse. Qui ergo intelligit sic esse Deum, nequit eum non esse cogitare. Gratias tibi bone Domine, gratias tibi, quia quod priùs credidi te donante, iam sic intelligo te illuminante, vt si te esse nolim credere, non possim non intelligere.

Excellens doctrina, & admodum pia.

Qui igitur es Domine Deus, quo nihil maius valet cogitari, quis es, nisi quomodo summum omnium solum, existens per seipsum omnia alia fecit de nihilo. Quicquid enim hoc non est, minus est, quàm cogitari possit; sed hoc de te cogitari non potest. Quod ergo bonum deest summo bono, per quod est omne bonum. Tu es itaque iustus, verax, beatus, & quicquid melius est esse, quàm non esse, beatum, quàm non beatum. Ergo domine non solùm es, quo maius cogitari nequit, sed es quiddam maius, quàm cogitari possit. Quoniam namque valet cogitari esse aliquid huiusmodi, si tu non es hoc ipsum, potest cogitari aliquid maius te, quod fieri nequit. Quibus si Atheorum peruicacia non euincatur, legant tractatum, quem D. Anselmus aduersus insipientem composuit, in quo præsens argumentum fusè declaratur, quod ita concludit.

Si quisquam est tam insipiens, vt dicat non esse aliquid, quo maius cogitari non possit, non tamen ita erit prudens, vt dicat se non posse intelligere, quid dicat, aut si quis talis inuenitur, non modo sermo eius est respuendus, sed & ipse conspuendus. Quisquis igitur negat aliquid esse, quo maius nequeat cogitari, vtique intelligit, & cogitat negationem, quam facit, quoniam negationem intelligere, aut cogitare non potest sine partibus eius, pars autem eius est, quo maius cogitari non potest. Quicunque igitur hoc negat, intelligit, & cogitat, quo maius cogitari nequit: Palam autē est, quia similiter potest cogitari, & intelligi, quod non potest non esse. Cùm ergo cogitatur, quod maius non possit cogitari, cogitatur, quod possit cogitari maius, sed nequit idem simul cogitari, & non cogitari. Quare qui cogitat, quo maius non possit cogitari, non cogitat, quod possit, sed quod non possit non esse. Quapropter necesse est esse, quod cogitat, quia quicquid non esse potest, non est, quod cogitat, illud autem quod esse necesse est, Deus noster est. At forsitan Athei metaphysicam ignorant, vel rationes illas minus concipere possunt, ideòque ad motum ipsis oculis, & tactui subditum descendamus.

Acuta demonstratio.

RATIO VI.

Petitur ex axiomate, quicquid habet virtutem mouendi, habet ab alio.

D. Thomæ rationes explicantur

IN D. Thomæ doctrina mirabilis ordo relucet, præcipuè verò in ea, qua Deum esse probauit; Cum enim supremum ens, per ea quæ facta sunt, intelligatur, quæ vero producta sunt, virtutem artificis, cuius est aliquid de potentia in actum reducere, commendent, atque manifestēt, propterea demonstrat aliquid in rerum natura constituendum, quod ita sit immobile, vt cætera mouere possit; Sed quia mouens illud immotum, primum efficiens esse debet, in secunda ratione illud ipsum ostendit: primum autem efficiens, æternum, à se, & non ab alio esse debet, itaut eminentissimè perfectiones omnes in se præhabeat: ideoque probat Deum esse ens necessarium, & à se: in 3. ratione, sicut in 4. nobilissimum esse omnium entium, & maximè tale: Adde quòd in toto mundo debet esse, qui gubernet, atque regat, cùm 12. metap. t. 52. totius vniuersi ordinatio à primo mouente procedere debeat. Propterea D. Thomas quinta ratione rectorem omnium, & ex consequenti finem vltimum concludit, quæ tametsi Deum esse directè non probent, eatenus tamen sufficienter illud ostēdunt, quatenus nonnullas proprietates, vel attributa demonstrant, quæ soli Deo conuenire possunt. Itaq; Deū esse probat post Aristotelē ex motu, quicquid enim mouetur, siue physicè, siue metaphysicè, siue moraliter: physicè, motu generationis, alterationis, augmentationis, locali, aut alio quopiam; metaphysicè per operationem intellectualem, aut potentiæ ad actum applicationem; moraliter, motu metaphorico, vt pote suasione, volitione, & motione finis, ab alio mouetur, nec tamen in istis mouentibus processus in infinitum admitti potest, igitur ad primum motorem deueniendum est, qui nec physicè, nec metaphysicè, neque moraliter commoueri possit, qualis est solus Deus. Quod autem ab alio moueatur, id quod motum patitur, clarius est, quàm vt probatione indigeat, quandoquidem, si non ab alio, sed à seipso mouetur, non est potior ratio, cur hoc, aut illo motu, quàm alio agitetur; imò si à seipso quidquam mouetur, cur non elegit motum omnium nobilissimum: Alio modo quidam efficaciùs probare credunt, si quicquid mouendi virtutem habet, ab alio concludant habere, at illud ferè cum sequenti ratione conuenit, quæ desumitur ab efficiente causa. Nonnullæ tamen difficultates in præcedenti ratione continentur, siquidem fortè non omnes statim concedant illud omne quod mouetur, ab alio moueri; fierique potest, vt malè feriatis hominibus anima à seipsa moueri videatur, qui similiter cœlos à seipsis motum habere existiment, deinde non

Triplex motus, physicus, metaphysicus & moralis.

desunt, qui omnia sic esse connexa putent, vt nescio quo processu, fictáque reuolutione hunc motuum tenorem ab æterno seruet, quem ea obtinere cernimus. Veruntamen illos rationis expertes esse necesse est, nisi concedant quodlibet vel à se, vel ab alio moueri; si ab alio, vel illud aliud adhuc ab alio mouetur, & tertium à quarto, quartum à quinto, itaut vel procedamus in infinitum, vel ad aliquid deueniamus, quod quidem moueat, tametsi minimè moueatur: si semel immotum aliquid concedant, Deum esse concludendum est, qui cùm immobilis sit, omnia mouet, iuxtà hymnum: *Rerum Deus tenax vigor, immotus in te permanens, lucis diurnæ tempora, successibus determinans.* Si verò progressum infinitum semel admiserint, iam nullum esse motum, imò nec esse posse concedant, necesse est, alioquin enim infinitum pertranseundum fuit, quod cùm definiatur id, quod pertransiri non potest, vt exhauriatur, omninò fieri non potest, quod tamen exhaustum, ac proinde finitum esset, si quid ab infinitis mouentibus dependens moueretur: si vero mouetur à se, Deus est; nec enim mihi dixeris Solem non esse Deum, tametsi à se moueretur, quandoquidem aliquid à se habere, tantam perfectionem includit, vt soli Deo competat, quicquid tandem illud fuerit; quod enim à se est, cùm nihil habeat, à quo determinetur, definiatúrque, suas omnes perfectiones, non tales, aut tantas, sed summas, & infinitas possideat omnino necesse est. Placet etiam Atheis omnes gradus entium, vt alteram Iacobi scalam offerre, qua ad rerum omnium conditorem ascendant.

RATIO VII.

Sumitur ex gradibus entium.

Certum est, hunc inter creaturas ordinem constituendum esse, vt quædam aliis superiores, aliæ inferiores, aliæ etiam meliores sint, nec enim ratio suadet aliquam ita cæteris antestare, vt supra se nullam habeat, vt notat D. Anselm. cap. 4. monol. vbi hanc rationem, viam eminentiæ vocat; quod si iste ordo graduum ita se habeat, vt nullus sit in eo gradus superior, quo maior non inueniatur, nullo fine naturarum multitudo claudi poterit, quod absurdum est, infinito siquidem in rebus admisso, nihil omnino esse poterit, quandoquidem infinitum illud est, quod pertransiri non potest, igitur aliqua natura necessario admitti debet, quæ sit ita reliquis superior, vt nullã sibi superiorẽ agnoscat, ac proinde summa nuncupetur, quam nos Deum appellamus, aliqui vero naturam naturantem; appellant vnde Rich. 1. de Trin. c. 11. ait, illud certissimũ est, & vnde credo nemo dubitare potest, quod in tanta multitudine rerum existentium, & tam multiplici differentia graduum, oportet aliquid esse summum, quod est Deus. Hanc autem rationem sic explicat sanctus Doctor, In rebus aliquid magis & minus bonum, & verum, & nobile inuenitur, & sic de aliis eiusmodi, sed magis, & minus dicuntur de diuersis, secundum quod appropinquãt diuersimodè ad aliquid, quod maximè est, sicut magis calidum est, quod magis appropinquat maximè calido, est igitur aliquid, quod est verissimum, & optimum, & nobilissimum, & per consequens maximè ens, nam quæ sunt maximè vera, sunt maximè entia. Quod autem dicitur maximè tale, in aliquo genere, est causa omnium, quæ sunt illius generis, sicut ignis, qui est maximè calidus, est causa omnium calidorum, igitur est aliquid, quod est omnibus causa esse & bonitatis, & cuiuslibet perfectionis, & hoc dicimus Deum.

Hæc est via eminentiæ iuxta D. Anselm.

Richardus à S. Victo.

D. Thom.

Cum autem inter omnia corporea nihil lumine clarius, aut pulchrius esse videatur, quod omnibus, præterquam cæcis, aut carcere detentis, quibus neque dies, neque lux affulget, abundè communicatur, videamus, an Athei adeo cœci sint, aut pertinaciæ carceribus ita mancipati, vt nulla luce perfundi valeant.

RATIO VIII.

Depromitur ex eo, quòd Deus sit lumen cætera manifestans, sitque per se notum Deum esse.

Deus est ratio cognoscendi omnia, vt D. August. lib. de Trin. differit, eo ferè modo, quo lumen est ratio, qua colores omnes perspicimus: at quod est causa cognoscendi omnia; latere non potest cognoscentem, vt patet in luce, quæ nota est, quandoquidem omnia eius beneficio videmus; Addit S. August. forma inconcussa, & stabili veritatis, quæ Deus est, tanquam luce incorruptibili, & sincerissima rationis mentis conspectum perfundit, per quam videtur, & cogitatur verum: Ita verò notum est Deum esse, vt D. Anselm. cap. 4. prosol. dixerit nullum intelligentem, quod est Deus, posse cogitare, quia non est Deus; quòd si illa verba dixerit in corde suo, aut sine vlla significatione, aut cum aliqua extranea significatione dicet, vnde fit, vt illa propositio, *Deus est*, intellectui inserta sit, inquit, Damascen. lib. 1. ortod. fid. cap. 3. & Boët. de Hebdom. Nam sublato primo bono, quod est Deus, nihil potest concipi bonum esse, ad quod illud reduci potest, quod D. August. 8. de Trinit. cap. 3. ait. Bonum hoc, & bonum illud, tolle hoc, & illud, & considera bonum simpliciter, si potes, & habebis Deum: Nec certe mirum est, si per se notum sit Deum esse, cùm prædicatum in subiecto includatur, & cum eo penitus sit idem; adde quod illud intellectui naturale

D. August.

D. Anselm.

S. Damasc.

D. August. pulchra sententia.

Quare per se notum sit Deum esse.

naturale videtur, quod minimè situm est in videri, & non videri, sed conceditur apud omnes, quale est ius naturale, at manifestum est omnes Deum aliquem sibi constituisse, aut saltem concepisse, omnis enim congregatio Deum aliquem semper coluit, tametsi de vnitate minus conuenerint. Denique cùm propositio, quæ supponit aliam, per se nota est, prima, quæ supponitur, & in supponente continetur, si non potiori, pari saltem iure nota esse debet, at hæc propositio, *Deus colendus est*, per se nota est, est enim communis animi notio, & naturæ lege præscriptum, vt Deo cultus exhibeatur, vnde philosoph. 2. poster. ait quæstio quid est, præsupponit notum esse, si est: omnes autem inquirunt, quid sit Deus, vnde sit, inquit Aristot. 2. Rhet. vt qui iniusta fecerint, timeant, quia arbitrantur quiddam diuinum auxiliari iniusta patientibus: & quamuis non statim quilibet simplici mentis intuitu Deum esse apprehendat, illud saltem imperceptibili syllogismo concipit, vt Aureol. d. 2. primi, aduertit, cùm enim inter creaturas aliis alias nobiliores esse deprehendit, in quodam summo mens figitur, quod Deum appellat, vnde nascitur illa notio communis, aliquid adorandum esse.

Aristotelis locus pulcherrimus.

Aureolus.

Hîc autem aduertendum est eum hæreticum dici posse, qui Deum esse, si non iuxtà syllogisticam Aristotelis, sufficienter saltem, vt hominibus illa veritas persuaderi posit, minimè demonstrari posse dixerit, vt Bannes. ait quæst. 2. art. 2. in prim. partem D. Thom. vt iam Alliaci opinio sustineri nequeat, dum omnes Aristotelis rationes ex 7. & 8. physic. & 11. ac 12. metaph. depromptas soluere nititur, nisi fortè tantùm neget illas rationes, quibus Deum esse probamus, non ea omnia continere, quæ philosophus in veris, ac propriè sumptis demonstrationibus requirit. Audiamus iam omnes creaturas, quæ fatentur se ex nihilo productas esse.

Bannesius, Aliacus.

RATIO IX.

Sumitur ex eo, quòd creaturæ sint ens, productum ab alio, de nihilò & tres, aut 4. rationes inuoluit.

S.Dionys. Areopag.

SVnt qui viam negationis, seu remotionis, viæ affirmationis anteponant, vt sculpturam picturæ, qua Deum esse probent, vnde nihil affirmare, sed omnia de Deo negare videntur, vt D. Dion. qui cap. 7. de nomin. diuin. ait, Deus non est terra, aqua, aër, lapis, arbor, bellua, homo, angelus, sed his omnibus nobilius aliquid; quam D. Dionysij doctrinam subtiliter Durandus explicat secundum tria, quæ in creaturis spectari possunt; quælibet enim creatura est ens, productum ab alio, de nihilo; ex eo quòd ab alio producta est, causam efficientem agnoscit, quia verò de nihilo producta est, si conseruantis influxus substrahatur, vertibilis est in nihilum, denique quatenus est ens, aliquam perfectionem importat; vbi 3. modos, quibus Deum esse probemus, insinuat; siquidem, vt est ens, viam eminentiæ: vt est ab alio, viam causalitatis: vt verò in nihilum redigi potest, viam negationis ipsa creatura nobis suggerit, vt ex omni parte Deum esse, omnis creatura ipsis surdis intonet, vt de rebus omnibus, præcipuè verò de cœlis meritò psaltes affirmauerit. Psal. 18. *Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum:* tametsi enim non eum, vt est, perfectè cognoscamus, satis tamen agnoscimus, vt eum veneremur, atque summis laudibus efferamus, quod satis Areopagita sãctus, declarat his verbis vbi supra. μήποτε οὖν ἀληθὲς εἰπεῖν, ὅτι Θεὸν γινώσκομεν, οὐκ ἐκ τῆς αὐτοῦ φύσεως (ἄγνωστον γὰρ τοῦτο, καὶ πάντα λόγον καὶ νοῦν ὑπεραῖρον) ἀλλ' ἐκ τῆς πάντων τῶν ὄντων διατάξεως, ὡς ἐξ αὐτοῦ προβεβλημένης, καὶ εἰκόνας τινὰς, καὶ ὁμοιώματα τῶν θείων αὐτοῦ παραδειγμάτων ἐχούσης, εἰς τὸ ἐπέκεινα πάντων ὁδῷ καὶ τάξει κατὰ δύναμιν ἄνιμεν ἐν τῇ πάντων ἀφαιρέσει καὶ ὑπεροχῇ, καὶ ἐν τῇ πάντων αἰτίᾳ. Διὸ καὶ ἐν πᾶσιν ὁ Θεὸς γινώσκεται, καὶ χωρὶς πάντων· καὶ διὰ γνώσεως ὁ Θεὸς γινώσκεται, καὶ διὰ ἀγνωσίας. καὶ ἔστιν αὐτοῦ καὶ νόησις, καὶ λόγος, καὶ ἐπιστήμη, καὶ ἐπαφὴ, καὶ αἴσθησις, καὶ δόξα, καὶ φαντασία, καὶ ὄνομα, καὶ τὰ ἄλλα πάντα, καὶ οὔτε νοεῖται, οὔτε λέγεται, οὔτε ὀνομάζεται. καὶ οὐκ ἔστι τι τῶν ὄντων, οὐδὲ ἔν τινι τῶν ὄντων γινώσκεται· καὶ ἐν πᾶσι πάντα ἐστὶ, καὶ ἐν οὐδενὶ οὐδὲν, καὶ ἐξ οὐδενὸς οὐδενί. Quod ita vertunt. Verè fortassis hoc dicetur, Dei nos habere notitiam, non ex ipsius natura (est enim incognita, omnémque rationem, mentémque superat) sed ex rerum omnium descriptione, vt quæ ab eo prolata sit in lucem, & imagines quasdam similitudinésque diuinorum eius exemplarium in se contineat, ad id quod omnia superat, via & ordine pro virili parte, omnium detractione, & præstantia, omniúmque causa ascendimus. Itaque in omnibus Deus noscitur, & sine omnibus; scientiáque Deus cognoscitur, & ignoratione; estque eius & notitia; & ratio, & scientia, & tactus, & sensus, & opinio, & visio, & nomen, & cætera omnia; & neque intelligitur, neque nominatur; non etiam est aliquid eorum, quæ sunt, nec in quoquam eorum, quæ sunt, noscitur: & in omnibus est omnia, atque nihil in quoquam, omnibusque ex omnibus cognoscitur, & ex vlla re nemini. Durandus verò hanc ex via remotionis argumentationem elicit. Quicquid est ab alio, potest non esse, quolibet influxu conseruantis sublato: at aliquid est, quod substracta qualibet influentia non potest non esse, igitur non omne quod est, est ab alio, quod autem non potest non esse, solus est Deus, qui à nullo dependet; maiorem probat, quia si nulla vnquam causa quidquam produxisset, nihil productum esset; tametsi verò sit aliquid productum, si lucis instar à causa sua, vt à Sole dependeat, influxu causæ sublato, tolletur illud; probat autem non omnia esse ab alio, nam si quodlibet ens posset non esse, id iam intellectu statuamus; tunc sequetur impossibile, nempe quòd nihil vnquã poterit esse; nam si nihil esset, tunc quicquid futurum esset, vel fieret, (si intellectu futurum aliquid gratis concedamus,) vel esset à seipso, vel ab alio; non primum, quia nihil impossibilius est, inquit S. Aug. 1. de Trinit. cap. 1. quàm vt aliquid producat seipsum, quicquid enim fit, ab ente actu fit: non se-

Durandus.

Tres viæ quibus De' agnoscitur, eminentiæ, causalitatis, & negationis.

Psal. 18.

Præclarus, & difficilis locus S. Dionysij.

Durandus.

D. August.

cundum, quia nihil eſſet aliud: ex quibus manifeſtò ſequitur aliquid concedendum eſſe, quod non ſit ab alio, & hoc eſt Deus. Quæ D. Thomas clariùs exprimit, dum per cauſam efficientem Deum eſſe probat.

D. Thomas hic duas rationes affert ex cauſa efficiente, ex poſſibili & impoſſib li depromptas.

Quæ facta ſunt, quæque videmus, vel ſunt à ſeipſis omnia, vel tantùm quædam, vel ab alio; à ſe eſſe nequeunt, alioqui cur tot imperfectiones inuoluerent, igitur ab alio: & hoc aliud, vel iterum eſt ab alio, vel à ſe, ſi ab alio, tandem in vno ſtare debemus, quod ſit à ſe, qualis eſt ſolus Deus. Quò ferè reducitur alia ratio S. Doctoris, quàm ex neceſſario, atque poſſibili ita deducit. Inuenimus in rebus quædam, quæ ſunt poſſibilia eſſe, & non eſſe, cùm quædam inueniantur generari, & corrumpi, & per conſequens poſſibilia eſſe, & non eſſe. Impoſſibile eſt autem omnia, quæ ſunt talia ſemper eſſe, quia quod poſſibile eſt non eſſe, quandóque non eſt. Si igitur omnia ſunt poſſibilia non eſſe aliquando nihil fuit in rebus. Sed ſi hoc verum eſt, etiam nunc nihil eſſet, quia quod non eſt, non incipit eſſe, niſi per aliquid quod eſt. Si igitur nihil fuit ens, impoſsibile fuit, quòd aliquid inciperet eſſe, & ſic modo nihil eſſet, quod patet eſſe falſum. Non ergo omnia entia ſunt poſſibilia, ſed oportet aliquid eſſe neceſſarium in rebus. Omne autem neceſſariũ vel habet cauſam ſuæ neceſsitatis aliunde, vel non habet, non eſt autem poſsibile, quòd procedatur in infinitum in neceſſariis, quæ cauſam habent ſuæ neceſsitatis, ſicut nec in cauſis efficientibus, alioquin enim non erit prima cauſa efficiẽs, & ſic non erit nec effectus vltimus, nec cauſæ efficientes mediæ, ergo neceſſe eſt aliquid ponere, quod ſit per ſe neceſſarium, non habens cauſam neceſsitatis aliunde, ſed aliis ſit cauſa neceſsitatis, quod omnes Deum appellant. Iam verò creaturarum pulchritudinem aduocemus, vt Deum opt. max. Atheis annuntient.

RATIO X.

Deum eſſe, ex ſingularum creaturarum pulchritudine oſtenditur.

NVlla res in orbe conſpicitur, quæ propiùs intuentibus *Deum eſſe* clarè non oſtendat, quod tam ex dictis patet, ſi cuipiam creaturæ applicentur, quàm ex dicendis; hinc fit vt Theodoretus ex ſyderum contemplatione, ſtupore meteororum, elementorum conſideratione, admirabili corporis humani ſtructura, in quo nulla eſt pars, quæ non authori ſuo luculentum ferat teſtimonium, ex manuum opificiis, & artibus, ex hominis in belluas imperio Deum eſſe probauerit, de quibus non ediſſero, cum ea, quæſtiones integras iure ſuo poſtulent. Ex iis autem omnibus naturalis inſtinctus, & communis ferè omnium ſenſus & perſuaſio, naſcitur, Deum aliquem eſſe, quod cùm omnes ſentiant, falſum eſſe nequit, vt monet Ariſtot. lib. de diuin. per ſomnia, & 7. ethic. atque 10. nam vt habet Tullius in Tuſcul. conſenſus omnium gentium vox eſt naturæ, & quod ferè omnibus indiuiduis alicuius naturæ ſemper, aut plurimùm conuenit, id eſt ſecundum naturam illius ſpeciei, illorumque indiuiduorum, vt quod paucis, idque rarò contingit eſt præter naturam, cùm natura ferè ſemper eodem modo operetur, ac proinde cùm ferè Dei cognitio ſit omnibus inſita, idque omni tempore, illa ſecundum naturam æſtimari debet: quapropter illos humani generis monſtra dixerim, & errata naturæ nuncuparo, qui Deum eſſe negauerint. Vide Leſsium qui 4. argumentum fusè de hac materia explicat, nóſque illud tangimus alicubi, dum Atheorum obiectionibus reſpondemus.

Et Theodoretus ſit in omnium manibus.

Ariſtoteles.

Tullius.

RATIO XI. XII. XIII. XIV.

Deum eſſe probatur, ex lege naturæ immutabili appetitu noſtro diſſonantia, concordia, & mundi gubernatione.

Ratio 11. Lex naturæ immutabilis Deum eſſe probat.

RAtio 11. In nobis legem naturalem experimur, quæ immutabilis eſt: at ea non potuit nobis imprimi, niſi ab aliquo immutabili, igitur ex iis per ſe notis vnum immutabilem concludere debemus, ac per conſequens *Deum eſſe* fateri neceſſe eſt; lex autem naturalis, quam in nobis experimur, eſt multiplex, quales ſunt illæ: *Alteri ne feceris, quod tibi non vis fieri*, & contra. Deinde *Bonum eſt amplectendum, malum verò fugiendum*, &c. Vnde pſaltes. *Declina à malo, & fac bonum* Pſal. 36. Quæ cùm immutabilia deprehendamus, vnde obſecro hanc ſortiuntur immutabilitatem? non à ſe, fuit enim tempus, quo nondum eras, & quo mente corpus tuum deſtituebatur, ſine qua lex immutabilis, de qua iam diximus, eſſe non poterat, cùm menti inhærere debeat, quæ nondum erat. Igitur aliquam huiuſce legis, & omniũ notionum, quas fatemur immutabiles eſſe, cauſam agnoſcere debemus, quæ ſit immutabilis; quod enim eſt in effectu, priùs, aut nobiliori modo in ſua cauſa reperitur, vt inductione conſtat. Hæc autem cauſa neque aliquis alius homo, neq; mundi pars, neque totus iſte mundus aſpectabilis eſſe poteſt, ſiquidem obnoxius eſt mutationi, quapropter animus ad aliquam cauſam toto mundo, & ſingulis eius partibus excellentiorem erigendus eſt, quæ omnia producat, quæcúmque hîc immutabila cernimus. Quod ſi dixeris omnia, ſaltem quoad aliquid, immutabilia videri propter aliquem certum ordinem, quem inter ſe mundi partes obſeruant, tanto melius; hinc enim concludendum eſt vnam eſſe rerum omnium cauſam, quæ rei cuiuſlibet immutabilitatis aliquid impertiuit, quam Deum meritò nuncupamus, cùm det omnibus, & ipſe nullo indigeat.

Pſal. 36.

indigeat. Adde quod aliqua sint in hoc mũdo, quæ minus, alia quæ magis sunt obnoxia mutationi; quę verò ita se habent, vt recipiant magis & minus, aliquid recipiunt, cuius participatione id habent, secũdum quod illud magis, & minus patiuntur, quod omnem à se mutationem abiiciat, nam propter quod vnumquodque tale, & illud magis: quale præter Deum nihil est, nec esse potest; cætera enim saltem quoad operationes externas, vel internas, aut quoad non essendi possibilitatem alicui mutationi sunt obnoxia.

Ratio 11. ex appetitu desumpta.

Ratio 11. experimur appetitum nostrum nunquam bonis omnibus creatis expleri, cùm tamen omnis appetitus naturalis satiari, ac requiescere debeat, nisi quis impedierit; debet igitur esse bonũ aliquod increatum, videlicet Deus opt. quo noster appetitus satiatur: aliqua veritas, qua mens humana contenta sit: aliquid ineffabile & infinitum, quo ingenij humani capacitas aliquatenus immensa, & indicibilis ex omni parte satiari possit, iuxta id psalmographi Psalm. 16. *Satiabor cùm apparuerit gloria tua*, verùm huiusmodi rationem fusiùs postea declarabimus.

Psal. 16.

Ratio 13 & discordia, & concordia.

Ratio 13. dissonantia non solent in concordiam redigi, nisi per aliquem, qui redigat, & regat, vt patet in testudinibus, lyris, & violis, quæ debitã melodiam, & harmoniam efficere nequeũt, nisi prius à viro Musico in concordiam redigantur, qui fides illas magis ac magis intendat, atque paulatim remittat, donec omnes inter se consonent. At in orbe terrarum plurimæ naturæ dissonæ sunt, quę tamen ferè semper in vnum ordinem, ac velut harmonicum concentum rediguntur, vt admirandum illud systema componant, quò singulis propè momentis animus noster, aures, oculi, & singulæ facultates recreantur: debet ergo choraula aliquis hæc omnia ad concordiam reducere, vt totius vniuersi discordia concors, atque discors concordia summum Musicum nostrum debitis laudibus celebrent, atque Deum esse conuincant. Quod autem multa hoc in mundi theatro sibi repugnent, non est quod ostendamus, id enim elementa, id ignis, & aqua, id ferè omnia proclamãt, hinc qualitates dissymbolæ, & omnes antipathiæ tã apertæ, quã occultæ, vt nemo sit, qui demirari non debeat, quomodo hæc amplissima mundi compago non dissoluatur, & intereat, cùm eius singulæ, aut plurimæ partes inter se tantopere dissideant. Enimuero si fatemur corporis humani fabricam statim ruituram, si ex eo euolet anima, quia quatuor illos humores 4. elementis respondentes sola regere, & in concordia retinere potest; quis ita demens fuerit, qui non fateatur totum hunc mundum tot partibus inter se dissidentibus compositũ stare non posse, nisi quis illas partes à mutua internecione cohibeat, eásque summo ingenio ad concordiam reducat. De mundi concordia, atque discordia plura leges, vbi Deum esse postmodum ex Musica ostendemus.

D. Thom. Ratio 14. ex mundi. gubernatione.

Rationem 14. S. Thomas explicat ex rerum gubernatione: videmus, inquit, quòd aliqua, quæ cognitione carent, scilicet corpora naturalia, operantur propter finem, quod apparet ex hoc, quòd semper aut frequentius eodem modo operantur, vt consequantur id, quod est optimum. Vnde patet quòd non à casu, sed ex intentione perueniunt ad finem. Ea autem quæ non habent cognitionem, non tendunt in finem, nisi directa ab aliquo cognoscente, & intelligente, sicut sagitta à sagittante, ergo est aliquid intelligens, à quo res omnes naturales ordinantur ad finem, & hoc dicimus Deum.

Vt verò detestandos Atheos modis omnibus ad Deum adducere possimus, per ipsas scientias, quibus intellectus noster perficitur, illos communicamus.

RATIO XV.

Depromitur, ex scientiis quibusdam.

TAmetsi satis supérque probasse videamur nõ tantùm esse Deum, sed & vnicum, & omnipotentem, & ex omni parte immensum esse, libet tamen alia via parum trita idem commonstrare, quandoquidem mihi noua lux non semel oriri visa est ex pluribus scientiis, & artibus, quæ volentem nolentem cogere possint, vt quilibet Deum esse fateatur. Enimuero quis ad scientiarũ naturalium reginam, nomine sapientiæ dignam, cæterásque totius Encyclopediæ disciplinas oculos animi cõuertere potest, quin omnia transcẽdat, rerúmque omnium principium admittat; quandoquidem Deus Deorum, bonum bonorum, omniúmque causarum causa suprema est obiectum præcipuum Metaphysicæ. Ille est intelligentia intelligentiarũ, atque creator omnium potentissimus, qui ad idearum diuinum prototypum conuersus, angelorum choros, animarum cœtum, orbes rutilos, & cætera, quæ hanc amplissimã mundi totius macchinãm ornant, summa facilitate produxit. Sed cùm ex naturali theologia ad physicam me confero, videre mihi videor diuinum principium immotum quidem, sed mouens omnia, naturam naturantem, vt vocant infinitam, principium principiorum, lumen luminum suis infinitis radiis vndique collucens, oculorúmque perstringens aciem: oceanum immensum, qui me fluctibus immensis absorbeat, iuxta psaltem. *Et fluctus tuos induxisti super me*, Psal. 87. Vbi verò me ad tempora longissima confero, nunc æternum viam omnem præripit, quominus possim vlteriùs pergere: O nunc verum, sine quo nullum est tempus, quod est sine tempore, tametsi tempus omne concludat, de quo vates regius canebat Psal. 76. *Cogitaui dies antiquos, & annos æternos in mente habui:* Sed me iam matheses ad se rapiunt, quarum radix est vnitas, & punctum, à quo lineæ omnes, atque corpora proficiscuntur, in idemque redeunt; nunquid miraculo simillimum esse videtur, vt punctum omnis quantitatis principium sit, & finis, ipsum tamen quantum neque sit, nec esse possit? an illud est vera diuinitatis imago, quę cùm minimè corporea, vel finita sit, omnia tamen corpora producit, & determinat. Iam verò cœlestem audio concentum, qui altissimè intonet, Deus est; quænam enim est harmoniæ totius origo? nunquid vnisonum? siquidem ab eo velut

Metaphisica.

Phisica.

Psal. 87. Nunc æternum.

Matheses.

Musica.

omnium consonantiarum patre Symphonia tam Empyrea, siue intellectuales, quàm cælestis, mundana, humana, atque instrumentalis oritur; omnia siquidem verbo Domini, velut vnisono, firmata sunt, quæ vox, ad creaturarũ diapason terminata est, in quibus diatonicas, chromaticas, enharmonicásque cantilenas videre possis, quibus omnes creaturæ verbum illud vnisonum collaudent, suáque omnia eidem accepta referant, quæ nunquam ad creatoris perfectionem, sicut nec diapason ad vnisoni simplicitatem accedere possunt.

Rimentur obsecro viri docti summo quo pollent, acumine firmissimis adhibitis demonstrationibus Arithmeticam, Musicam, Geometriã, Opticam, Astronomiam, Astrologiam, Perspectiuam, Mechanicas omnes, & alia cæterarum artiũ reconditissima, quibus spondere ausim infinita propè diuinitatis argumenta, quibus ad asserendam Diuini numinis existentiam adducantur, quæ rimari, fusiúsque demonstrare, vtinam angustiæ temporis, aliæque graues occupationes non impedirent; at digito monstrasse, satis, & paulò post accuratiora de his afferemus.

Logica. Quanta, Deus bone, quótque radiantia diuinitatis sibi præsentis testimonia Logici persentiscũt, dum subtilissima ratione prædicabilium series, & ordines ab ente transcendente ad genera, à generibus ad species, & ab his ad indiuidua constituunt; dum prædicamentorum ortus prædicationes, species substantiæ, accidentiumque gradus, ordinem, pondus, mensuram, & omnia, quæ ad logica pertinent, attentè perscrutantur, altéque suspiciunt: sed nondum cuiuslibet ordinis, numeri, ponderis, & mensuræ modos agnoscunt, nondum omnia suis cathegorijs incluserunt; nempe summum ens seriem omnem, & ordinem excedit; *Deus enim nullis verbis propriè exprimi, nulla potest cogitatione comprehendi quomodo immensus, & incomprehensibilis prædicaretur*, inquit D. Aug. c. 3. de cognitione veræ vitæ, *si humana locutione, vel meditatione includeretur. Nunc autem patet quàm sit admirabilis, cùm omnibus linguis sit indicibilis, omnibus cordibus sit incogitabilis. Dialectica námque differendi potens, potenterque dubia definiens, cunctas scripturas enibrans, & eniscerans, cunctam humanam sapientiam annihilans, cùm in diuinitatem intendit, tantæ maiestatis luce repercussa pauidum caput tremefacta reflectit, atque in abdita mundanæ sapientiæ fugiens delitescit, dissolutisque syllogismorum nexibus stulta obtumescit.* (Præclarus locus. D. Augustini.) Quæ de scientijs dictum esse velim, vt quilibet ex omnibus scientijs ad Dei gloriam extollendam, eumque summopere diligendum exurgat, quem nobis præsentissimum esse omnes scientiæ demonstrant. At de his iterum, vbi ex scientijs quibusdam in particulari Deum esse probauero, quapropter incipiat Logistica.

RATIO XVI.

Deum esse, Arithmetica suggerit, nec non Algebra cum suo Algorithmo.

Monas Arithmetica Deum esse facilè persuadet, quandoquidem illa magnam cum Deo similitudinem, atque cognationem habere videtur. numerorum enim omnium finis est, atque principium, vnde nouenarium claudit, in quo quantitatis omnes proprietates, atque species, tam consequentes, & resultantes, quàm primariæ, longitudo latitudo, profunditas, perfectũ, imperfectũ, diuisibile, indiuisible, trigonum, cubus, oblongum, multilaterum, æqualitas, inæqualitas, absolutum, cõparatum, simplex, multiplex, simile, diuersum, sesquitertium, sesquialterum, duplum, triplum, quadruplum, superpartiens, & alia plurima comprehenduntur, quorum omnium principium tam formale, quàm materiale, efficiens, atque finis, vnitas esse videtur; cùm enim ex vnitatibus numerus omnis conficiatur, est materia; efficiens verò, quia numerum eundem procreat: finis autem, quòd omnes vnitates in hoc conueniant, vt sint vnus numerus, qui sicut ab vnitate capit exordium, sic in eadem terminatur; denique vnitas est forma, nam addita, vel detracta numeri speciem euariat; quapropter nouenarius numerorum omniũ summus, & perfectissimus dici potest, cũ ab alio minimè claudatur, sed reliquos includat; mundi machinæ similis est, quæ singulas vniuersi partes continet, & à suprema vnitate, quæ Deus est, finitur, qui rerum omnium finis est, idémque principium. (Nouenarij perfectio.) (Excellentia vnitatis.)

Monas ergo Deum esse conuincit, cùm ex ea, vt ex infinito thesauro, digiti articulique numeri, centenarij, millenarij cæterique in infinitum emergãt, vnde monas est vnum, & omina, vnum omnium, vnum ante omnia, vnum in seipsa, radix, & centrum præsentium, præteritorum, atque futurorũ; est igitur vnitas, vt mihi videtur, tersum diuinitatis speculum, cùm omnium numerorum sit mensura communis fons, & origo, & omnem numerũ vtcunque magnũ in se contineat, tametsi multitudinis eam expertem esse manifestisimè constat, quæ ita indiuisibilis est, atque immutabilis, vt in se multiplicata nihil præter seipsam producat, vnde sibi radix est, quadratum, cubus, & omnia, semperque hoc idem est, nec finem habet, neque principium, nihil enim vno prius, posterius nihil: quamobrem vsque ad vnum omnia sunt, & vltra ipsum nihil existit. (Vnitas diuinitatis speculum, quia nobis Deũ refert.)

Porrò quæcunque sunt, vnum desiderant, velut suum principium, quoniam primùm ab eo processerunt, in quod nunquam ea redirent, quæ multitudine gaudent, nisi ipsa multiplicitate gradatim exuerentur.

Exurge igitur anima Christiana, illamque mysticam monadem, vnitatum vnitatem, simplicitatis summitatem, rerumque omnium semen, & centrum mentis intuitu suspice, in ea siquidem facilè reperies, quæ in vnitate prædicta: sed & alia plura; hæc enim est vnitas, quæ mysticum concentum in mundo producens eum ita mouet atque regit, vt microcosmi compages exiliendo veluti tripudiare videatur: hoc concentu stellæ velut animatæ choreas sempiternas ducere, quibus humani corporis consonantiæ quodammodo respondere valeant

leant. Hæc est vnitas quæ ciphris omnibus virtutem confert, sine qua quotcunque ciphras apposueris, verbi gratia 000000. sicque deinceps in infinitum, nihil prorsus efficient, nisi præcedat vnitas. Quid obsecro sunt omnes creaturæ seorsim absque Deo spectatæ? tollis vnitatem tollis & omnia, quam si restituas, omnia redeunt.

O quantum est vnitatem è rebus tollere, cùm nulla sit alia miseria, præter vnitatis priuationem, nulla fœlicitas, nisi cum Deo vnitatem habere, & vnum esse, quæ omnia, prout ad profectum animę, ac vitam religiosè, tranquilléque degendam attinent, fusè, graphicéq; descripta videre potes apud nostrum Rangolium in cap. 1. lib. prim. Regum initio.

Vnde verò putas hæc omnia vnitatem arithmeticã nisi dependêter ab vnitate diuina habere? à qua sunt, quæcúnque sunt; quare nihil penitus excogitari, nihilque subsistere potest, nisi vnitatem habuerit: eapropter Deus, qui est vnitas suprema, quibuslibet ita præsens adest, vt sine eo nihil esse, nedum excogitari possit; quomodo enim quidquã excogitabis, nisi præsentissimus sit, qui tibi dat, vnde cogites.

Ad ea verò, quæ prętat Arithmetica, si descendero, vereor ne his, quæ de ea dicturus sum plurimi, ex iis minimè credere velint, qui rem experti non fuerint. Enimuero reliquas scientias industria tam longè superare videtur, vt cùm eius operationes gustauerit aliquis, alias facultates contemnere videatur, ac si nihil haberent, quod animo ita satisfacere posset.

Excellen-tia Arithmeticæ.

Quid obsecro admirabilius, quàm vt numerum arenæ maris, imò, & totius terræ recensere possit aliquis? id tamen negotio facillimo facit Arithmetica; quod in illorum philosophorum mentem cadere non poterat, qui Gelonis Siciliæ regis aulam frequentabant; arbitrabantur enim numerum arenę littoribus Syracusanis contentum infinitum esse, vel saltem adeo magnum, vt nullus eum recensere possit, licet per mille annos milliones millionũ continuò proferret. Quos Archimedes à rege rogatus confutauit, atque demonstrauit non solùm inueniri posse numerum arenæ totius, qua globus terrestris constat, verùm etiam numerum illum arenæ, qui in toto mundo tam cœlesti, quàm sublunari esset, si totus mundus quantũcunque minutissimis arenulis coagmentaretur.

Gelõ frater Hieronis.

Sententia Archimedis

Deus bone si hominis animus adeo capax sit, & admirabilis, vt totius mundi partes singulas ità dissecet, & pro libito enumeret, eiusque ambitum, etiam si immensus appareat, in se tam arctè complectatur, vt nequidem vna particula reliqua sit, quam non computet; quis fuerit adeo vecors, atque demens, qui non liberè fateatur animum hominis ab alio, quam à mundo suam originem repetere debere? Quis non præter mundum hunc inuisibilem aliquid esse concedat, quod nostris corporibus hanc infuderit mentem, quæ terræ, quæ cœlis, quæ toti mundo ita dominatur, vt quantus quantus sit, cum veluti punctum sibi animus noster proponere valeat. Quod apertum facio ex eo, quod non solùm hunc vnicum mundum capere valeat, sed præter hunc tot alios, vel vnum aliquem adeò vastum, vt hic eádem cum nostro proportionem habeat, quã firmamentũ cum globo terreno, quem Geographi omnes duntaxat vnius puncti rationem habere respectu firmamenti concedunt.

Mira animi capacitas.

Vt autem vnusquisque hæc omnia sibi persuadeat, eáque seriò consideret Athei (nec enim viris doctis, aut tantisper in Arithmetica instructis ea persuadeo; quos ipsa experientia docuit) ipsam demonstrationem clarissimam affero, qua fere vsus est Archimedes; quam vt quilibet assequatur, imprimis iure scientiæ postulo quædam mihi concedantur, vt rei veritatem in apertum proferam: sic enim in omnibus scientiis, atque demonstrationibus nonnulla supponuntur, & ita Euclides tria αἰτήματα statuit, antequam ad problemata, vel propositiones libri primi accedat. Imprimis igitur semen aliquod minutissimum assumo, verbi gratia papaueris, cui 100. arenæ grana liberaliter assigno, nec enim plura arenæ grana licet minutissima continere potest; quod si tibi maius visum fuerit semẽ illud, vt 100. grana tantùm in se complectatur, accipe aliquod aliud quantumcunque minutũ, quod etiam tuo iudicio non pluribus, imò paucioribus arenæ granis respondeat, nam per me licet. Itaque granum illud, vel semen 100. arenæ grana continet.

Mos scientiarum.

Euclides.

Quædam notanda.

Semen papaueris 100 granis arenę confertur.

Postulo secundò, vt aliqua huiuscemodi semina, quæcunque fuerint, sese inuicem tangentia in lineam rectam disponantur, donec vnius digiti geometrici longitudinem effecerint, vtque hæc hypothesis, vti & præcedens, certa sit, id abundè facient 40. semina quantumuis minuta, vt ipse videbis, si experiaris; etenim digitus ille paruam admodum longitudinem habet 4. videlicet granorum hordei iuxta latus ordinatorum. Iam verò quærendum est, quot digitos huiusmodi, ac per consequens quot arenæ grana milliare contineat in sua longitudine. Quod facillimo negotio dicetur, quandoquidem milliare passus mille complectitur, hinc enim appellationem habet: passus quilibet quinque pedes longus est, sicut pes palmos 4. & palmus 4. digitos; quare in milliarica longitudine octuaginta digitorum millia reperientur.

Papauerea grana 40. digiti longitudinem efficiunt.

In milliari sunt 80000 digiti, quid sit milliare, passus, pes, & palmus.

Tertium postulatum est, vt diameter terræ contineat 7000. milliaria, licet pauciora velint recentiores, vt alibi dicemus, & diligenter excutiemus.

Quanta sit terræ diameter.

Quartum, vt totius mundi diameter quatuordecim millia diametrorũ orbis terreni cõplectatur.

Quanta sit diameter totius mũdi.

Quintum, vt sphæræ inuicem habeant triplicatam suarum diametrorũ proportionẽ, sic enim statuit Euclides vltima proposit. lib. 11. suorum elemẽtorum. αἱ σφαῖραι πρὸς ἀλλήλας ἐν τριπλασίονι λόγῳ εἰσὶ τῶν ἰδίων διαμέτρων: exempli causa detur aliqua sphæra, cuius densitas, seu diameter alterius sphęræ diametrum bis in se complectatur, vt si vna pedem in diametro habeat, altera duos pedes assequatur, sic enim maioris diameter erit alterius minoris dupla, qua ratione hi numeri 1. 2. sese habent; hanc autem rationem, 1. duplam hanc proportionem, quæ Græcis λόγος dicitur, triplicabimus, si numeros assumamus, inter quos illa ratio, seu proportio dupla ter contineatur: igitur eadem proportio, quæ est inter 1. & 2. reperitur inter 2. & 4. & inter 4. & 8. adeout inter 1. & 8. sit ratio triplicata proportionis subduplæ, vel inter 8. & 1. ratio triplicata duplæ proportionis; vnde concludendum est sphæram illam, quæ vnius pedis diametrum habebat, sese habere ad aliam, cuius diameter erat duorum pedum, vt 1. ad 8. id est si minor, exempli causa, 100. pedes in tota sua soliditate capit, maior 800. continebit. Quod in omnibus corporibus perfectè sphæricis imo, & in quadratis, atq; cęteris polyedris verum est, ita vt hæc regula nunquam fallat. His quinque suppositis reliquum negotium expediamus.

Euclides.

Explicatur prop. vltima l. 11.

Quid sit, & quomodo inueniatur ratio triplicata, & ad quid inseruiat.

Quid hic præcognitũ supponam.

Sunt autem globi seu sphæræ 4. quarum diametros cognoscimus, nempe globulus seminis, digiti, terræ, & totius mundi; nec aliud superest, quam vt illas proportiones, seu rationes inuestigemus, quas habent adinuicem, vt tandem concludamus, quoties maior minorem in se comprehendat. Primùm autem de grano seminis inquiramus, quod cum eã cum digitali globo rationem habeat, quam 1. cum 40. ex hypothesi, ipsi globi numerorum istorum habebunt rationem triplicatam, ita verò triplicabuntur illæ proportiones 1. 40. 1600. 6400. nam inter. 1. quod semen papauereum, aut aliud quodcunque volueris, refert, & 64000. quod digitalem globum significat, est triplicata proportio; & per consequens sphoera digitalis semina 6400. continebit; quia verò semen arenulis 100. correspondet, globus digitalis 6400000. arenæ grana complectitur, vt patet ex multiplicatione 64000. per 100.

Sphoera digitalis quot arenæ grana habeat.

Deinde globi digitalis diameter ad diametrũ globi milliarij habet proportionẽ, quã 1. & 80000. quam rationem si triplices, hosce terminos exhibebit 1. 80000. 6400000000. 512000000000000. qui numerus vltimus collatus cum 1. globorũ prædictorum analogiam explicat: vnde globus milliaris tot globos digitales continet, quot ille numerus vnitates: quia verò glob⁹ digitalis arenę grana 6400000 complectitur, globus milliarius arenæ totidẽ grana complectetur, quot vnitates in sequenti numero includuntur 3276800000000000000000.

Sphoera milliaris quot sphoeras digitales contineat, & quot arenæ grana.

Sequitur totius terræ diameter 7000 milliaria continens, cuius proinde habitudo ad globi milliarij diametrum est vt 1. ad 7000. quam proportionẽ ita triplico 1. 7000. 49000000. 343000000000. vt tota terra ad globum milliarium collata sit, vt hic quartus numerus ad primum.

Globus terræ quot sphoeras milliarias includat.

Quod si numerum arenæ in milliario globo contentæ, quem antea retulimus esse granorum 3276800000000000000000, in illum paulo ante dictum numerum duxeris, docebit te, quot arenulæ in toto globo terreno contineantur, nempe, 11239424000000000000000000000000.

Quot arenas terræ Globus cõtineat.

Denique cùm terræ diameter sit ad totius mũdi diametrũ, sicut 1. ad 14000, si hanc proportionẽ triplicemus, termini seu numeri, sequentes exurgẽt 1. 14000. 196000000. 2744000000000. adeout tota terra sit ad totũ mundũ simul sumptũ, vt 1. ad quartum numerum proximè allatum. Iam numerum arenæ in globo terreno contentum ducas in hunc quartum numerum, vt mirabilẽ arenæ numerum habeas, qui in integro mundi ambitu contineretur, si totus ex arenis solidè constaret, estque 30840979456000000000000000000000000000000000000 habens 46 figuras; qui numerus tot vnitates, totque, arenulas continet, quot essent in toto firmamenti ambitu, si sphæra illius solida foret, & arenulis tota constaret.

Quoties ambitus firmamenti terrę globũ contineat.

Maius aliquid audeo, atque demonstro idem facilè de ipso firmamento dici posse, si iam cum aliquo alio cœlo, vel nouo mundo eam rationem haberet, quam terra cum illo, id est ferè insensibilem, adeout firmamentũ sit instar puncti respectu mũdi alterius, quod factum erit, vbi numerum aliquem assignauerimus, qui cum præcedenti numero arenæ grana in toto mũdo contenta exprimente proportionem habeat, quam granum arenæ cum isto numero. Supponamus igitur totum istum numerũ esse velut vnitatem respectu alterius inueniendi, certè numerum, qui toties præcedentem habeat quoties ille vnitatem includit, inuenies, vbi illum per seipsum multiplicaueris: exurgetq; numerus, qui quidem ingens, & immanis, verumtamen Arithmeticæ facilis, vt infrà constabit. Hæc enim ea, quæ non tantùm difficilia, verùm etiam impossibilia quibusdam videri possent, facillima, atque iucundissima efficit.

Hypothesis

Eadem ratione de hoc fictitio mundo, ac de firmamento nostro possumus affirmare, vt sit alterius etiã noui respectu velut punctum, vnitas, aut arenæ granum, & sic in infinitum. Quod profectò satis ostendit animum nostrum nescio cuius infinitudinis esse participem, quæ toti mundo anteponi debeat. Imo singula corpora quamdam infinitatis vmbrã habere videntur, cùm in eis tot partes enumerari non possint, quin adhuc plures recensendæ supersint. At verò neque, rerum istarum, neque mentis humanæ actualis est infinitas, sed tantùm in potentia: quodlibet autem ens in potentia fundari debet in aliquo ente actu, siquidem illud quod est actu, debet illud anteuertere, quod est in potentia: perfectius siquidẽ ab imperfectiori non pẽdet, sed vice versa imperfectũ à perfecto, minus ens à maiori: debet igitur ens aliquod infinitum actu sine controuersia, & omnium consensu admitti, à quo alia entia, quæ sunt in potentia dependeant: atqui in toto mundo nihil infinitum, cùm ipse mundus finitus sit, vt constat ex eius minutissimis partibus, quas Arithmetica tam facilè definit, atque comprehendit: igitur præter illum, & extra sphæram omnium rerum, quæ sub aspectum cadunt, aliud debet assignari, quod est ipsemet Deus Opt. Max.

Signũ mentis infinitæ.

Quædam infinitudo in omni re.

Nolim autem hinc abire, quin priùs facilem methodum suggessero, qua & numerũ vltimum, quãuis ingẽtem, vnusquisque numerare, & quamlibet rationem, seu proportionem triplicare valeat, id enim ingentis est vtilitatis, atque voluptatis: sequitur ergo numerus arenularum, quas cœlum illud, vel mundus ille nouus in ambitu suo contineret, qui eamdem cum hoc nostro mundo, & arenulis ab eo contentis proportionem haberet, quam reuera firmamenti tota capacitas habet cum terra. 951437981349190559360000000000000000000000000000000000000000000000000000000000000000000000, qui numerus ciphras, seu characteres habet, nonaginta, & exurgit ex ductu sequentis numeri in seipsum declarantis numerum arenæ in ambitu firmamenti contentum, vbi non solùm apponam numerum, sed & ipsam operationem Arithmeticæ cum examine proprio.

Numerus 90. characterum.

Numerus

Numerus arenæ in toto mundo contentæ per ſeipſum multiplicandus.

30840979456000000000000000000000000000000000000.
30840979456000000000000000000000000000000000000.

Mirabilis arenæ numerus, qui in aliquo mundo cõtineretur eãdem cum firmamẽto rationem habente, quã firmamentũ cum grano arenæ habet.

Operatio in qua omnia zero 35. quæ characteres ſequuntur more ſolito relinquuntur, vt poſtea ſibi tantùm addantur, ſintque 70. in producto ſubſequente, quod ex hac operatione ſequitur.

18504587673 6
15429489728 0
12336391782 4
27766891610 4
21588685619 2
27766891610 4
00000000000
12336391786 4
24672783564 8
00000000000
92522938368

Numerus inde productus arenam à ſuppoſito mundo contentam exhibens.

95143798134919055936000000000000000000000000000000000000000000000
0000000000000000 000000000.

Hunc autem numerum quis ſine maximo tædio, & eorumdem verborum battologia efferet? modum tamen omnium facillimum ſuggero, quo & hunc, & quemlibet alium numerum maiorem, & maiorem in infinitum explicare poſſimus; primò quidem vſque ad centum milliones pro more numerabimus in loco nono, in decimo verò, & in vlterioribus locis ordine retrogrado quædam vocabula, noua quidẽ, ſed optimè rem totam cõficientia vſurpabimus; itaque loco decimo licet mille milliones, in vndecimo decadem millium millionum, in duodecimo centum mille milliones, in decimotertio millionem millionum, in 14. decadem millionum millionum, in 15. centum milliones millionum, in 16. mille milliones millionum, in 17. decadem millium millionum millionum, in 18. centum millia millionum millionum, in 19. millionem millionum millionum, & ſic deinceps decem milliones millionum millionum, centum milliones, mille, decẽ millia, & ita deinceps efferre poſſemus, breui tot millionum & millionũ nobis pronuntiandum erit, vt id non tantùm faſtidium, & nauſeam pariat, ſed etiam turbet imaginationem.

Modus vulgaris numerandi quis ſit, & cur hic contẽnitur.

Itaque loco octauo bilionem dicemus, quod decem milliones valebit, in 9. decem biliones, in 11. centum biliones, nec vlterius illa voce vtemur; ſed terno quoque charactere nomen cum numero ſequente mutabimus, tum vt frequens eiuſdem vocis, & ingrata repetitio vitetur, tum vt omnibus characteribus tertio quoque ordine notatis, ſciamus quænam vox efferenda ſit, itaque ſuper characterem, qui bilionem deſignat, eſtque loco decimo, binarium notabo, ternarium ſuper trilionem, & ſic de cæteris, vt patet hîc.

Nouus & facilis numerandi modus.

29 18 27 26 25 24 23 22 21 20 19
95143798134919055936000000000000
18 17 16 15 14 13 12 11 10 9
000000000000000000000000000000
8 7 6 5 4 3 2
0000000000000000000000000000.

Quod ita poſsis exprimere, mundus ille nouus à nobis ſuppoſitus granorum arenæ contineret nonagintaquinque vigintinouiliones, centum & quadraginta tres vigintioctiliones, ſeptingentos nonagintaocto vigintiſeptiliones, 134. vigintiſextiliones, 919. vigintiquintiliones, 55. vigintiquatriliones, & 936. vigintitriliones. Hic eſt totus numerus contentus, quẽ eadẽ ratione vſq, ad finẽ proſequeremur, ſi loco zerorum, quæ nullius ex ſe valoris ſunt, characteres numerandi apponerentur.

Ecce tibi Athee prodigium intellectus humani, qui primæ regulæ ex Arithmeticæ ſinu depróptæ auxilio mundum hunc vltimũ ita conſiderare poteſt, vt alium inueſtiget, qui ſeſe ad hunc habeat, ſicut ipſemet ad arenæ granum.

Supereſt vt modum triplicandi breuiter, & clarè doceã. quod exẽplo declarabitur; ſint duo quicũq; globi ſolidi, vel cubi, vel pyramides, aut alia quæuis polyedra homologa, detur exempli gratia globus, cuius diameter 4. pedes habeat, quem cum alio globo conferre velis, qui octo contineat, ita duplã hanc proportionem triplicabis, vide quænam ſit ratio 4. ad 8. & numerum tertium inueſtiga, qui eamdem cum 8. proportionem obſeruet, quam 8. cum 4. duplam videlicet, prodibit 16. qui numerus bis 8. continet, ſicut 8. bis 4. deinde numerum

Artificium quo ſinguIæ proportiones triplicari poſſint. Triplicatur ratio quæ eſt 4 ad 8. reperiturq; talis 4. 8. 16. 32.

quartum inuenias, qui sit duplus 16. nempe 32. qui demonstrabit globum sese habentem vt 8. continere globum 4. bis & trigesies: itaque idem reperire potuissemus quaternarium ducendo in 8. hinc enim similiter 32. exurgunt; at illud non contingit in omnibus aliis proportionibus: nos quod semper accidit, attulimus.

Officium Arithmeticæ.

Verùm Arithmetica hac vna numeratione contẽta non est, quippe quæ omnia multiplicabilia, diuisibilia, & quæ coniungi, disiungi, atque comparari possunt, confert, distinguit, vnit, addit, diuidit, & multiplicat. Quis non demiretur ingenium, quo regula trium proportionum aurea, regula vnius, vel duplicis falsæ positionis, & aliæ plurimæ inuẽtæ sunt? Omitto numeros quadratos, & cubos tã in integris, quàm fractis numeris collocatos, quos ita discutit, vt nihil accuratius fieri posse videatur.

Algebra vnde dicatur.

Placet autem Almucabalam, seu Algebram addere, vt syntheticam analytica sequatur, quam ab articulo Arabico אל, & nomine גבורה .i. fortitudo deriuari putant; vnde illius inuentionem Arabibus saltem καθ' ἐξοχὴν acceptam ferũt, alioquin enim eã à Græcis hauserunt Arabes: Hanc Itali Cos, seu regulam de cosa nuncupant, forsitan ab Arabico כוס, quod sit ab Hebræo כסס. i. numerare: Alij verò regulam Algebræ, census, & rei, artem maiorem, seu regulam Cossicam à Gebro Arabe dictam existimant;

Regula Cos quid & vnde.

Quomodo Algebra operetur.

quæ cum in quæstionibus soluẽdis laborat, semper ad aliquam æquationem, seu æqualitatem procedit, vt quicquid ablatum, vel diminutum fuit, restituat, atque restauret; hinc apud Arabes Algebra restaurationem sonat; quæ cùm ad æqualitatem peruenit, duos numeros æquales quidem, diuerso tamen nomine sibi inuicem oppositos inuenit, quapropter Almuchabula significat oppositionem.

Almuchabula.

Quibus de nomine breuiter præmissis, vix in omnibus scientiis aliquid reperies, quod tantam in se admirabilitatem cõtineat, ac Algebra, quippe quæ Cossicorum, seu denominatorum numerorum beneficio, ex quibus præcipui quinque à Diophanto definit. 1. & 2. lib. 1. Arithm. nempe δύναμις, κύβος, δυναμοδύναμις, δυναμόκυβος, & κυβόκυβος explicantur, id est per numeros zenzizensos, siue quadratiquadratos, surdesolidos, cubizensos, bisurdesolidos, zensizenzensos, cubicubos, zensurdesolidos, tersurdesolidos &c. procedens, nullam quæstionem, nullum ænigma ad numeros attinens indissolutũ relinquit, adeout Algebræ scientes peculiari ratione diuinitatis participes asserere possis, vbi vides illos diuinare, quod alioqui nunquam inueniri potuisset. Nec enim vereor illos diuinitatis magis participes existimare, qui maiores à Deo scientias, aut alias perfectiones habent; quicquid enim habemus à diuinitate manat, non quidem vt pars, sed vt effectus illius. Hinc Clauius admiratione veluti raptus ad 2. defin. secundi elem. credit regulis Algebræ vix in disciplinis humanis prẹstantius aliquid reperiri, quippe cũ miracula quædam numerorum eruant tam abstrusa, atque recõdita, vt facultas illa omnem captum humanum superare videatur, tanta nihilominus facilitate, atque voluptate, vt facilius videatur esse nihil.

Algebritæ magno in pretio habendi.

Clauius laudat Algebram.

Authores Algebræ.

Possem hic exẽpla referre, quæ etiam Athei mirarentur, ac fortè dicerent Deum esse necessarium, qui ea explicaret, & enodaret; verùm istis exemplis plenus est Diophantus, Steuinus, Buteo in Logistica, & Clauius, qui præter 30. ænigmata Geometrica, alia 70. de rebus diuersis aperit: vnicum Ptolomæo tributum, quod Græcorum epigram. l. 1. habetur, proponam, in quo & alia 4. reperies, vnum de Palladis statua, quotnam auri talenta appendat: aliud de bobus Augeæ, quotnam fuerint: tertium vero de Zethi, Amphionis, & matris ipsorum Antiopes statuis, quartum ab Euclide propositum, quæ etiam Bambergensis retulit, Ita verò se habet ἐπίγραμμα leonis ænei ornati canalibus.

Epigram. Græca.

Problema iucundũ & difficile de fonte quem leo ornabat

Χάλκεός εἰμι λέων· κρουνοὶ δέ μοι ὄμματα δοιὰ
Καὶ στόμα, σὺν δὲ θέναρ δεξιτεροῖο ποδός.
Πλήθει δὲ κρατῆρα δυσὶν ἤμασι δεξιὸν ὄμμα,
Καὶ λαιὸν τρισσοῖς, καὶ πισύροισι θέναρ.
Ἄρκιον ἓξ ὥραις πλῆσαι στόμα· σὺν δ' ἅμα πάντα,
Καὶ στόμα, καὶ γλῆναι, καὶ θέναρ, εἰπὲ πόσον. id est.

Ex ære sum leo; fontes verò mihi oculi duo, & os; simul verò vola dexteri pedis. Implet verò craterẽ duobus diebus dexter oculus, & sinisteṛ tribus, & quatuor vola. Sufficit sex horis, vt impleat os. Si verò simul omnia, & os, & oculi, & vola, dic quãto tempore. Quod & aliis rebus applicari potest; vt si dixeris esse 4. homines, qui opus aliquod ita cõficere possint, vt primus totum opus 2. diebus, secundus tribus, tertius diebus 4. quartus denique 6. diebus perfecturus sit, & petas quoto tempore singuli vnà laborantes perficere possint. Quod nisi Algebræ beneficio nunquam te reperire posse credas. Crater autem implebitur à leone, vel opus ab istis hominib' efficietur horis quatuor, & horæ $\frac{44}{61}$

Quæstio Algebraica difficillima soluitur.

Sanè belluas præsertim superamus in eo, quod numerare possimus, enimuerò cùm abeant in infinitum numeri (vt Diophantus initio primæ defin. testatur, ἀλλὰ καὶ πρὸς τοῖς δὲ γινώσκειν σοι πάντας τοὺς ἀριθμοὺς συγκειμένους ἐκ μονάδων πλήθους τινός, φανερὸν καθέστηκεν εἰς ἄπειρον ἔχειν τὴν ὕπαρξιν. i. Verùm etiam præter hæc intelligenti tibi omnes numeros compositos esse ex quadam multitudine vnitatum, liquet eos in infinitum augmentum capere, inde fit vt Dei infiniti peculiarem imaginem habeamus, qua belluæ destituuntur. Vt verò numeri omnes ad vnitatem, tanquam ad verum principium, ita singulæ mũdi partes ad Deum referuntur; neque potest homo perfectè quiescere, donec ad vnitatem redeat.

Diophãtus

Aperi mentis oculos Athee, & vide quot, & quantis argumentis te prouocet Arithmetica, vt vnitatem diuinam amplectaris, sine qua neque ipsa consisteret, cùm impossibile sit vllam vnitatem esse vel materialẽ, vel numericam, nisi diuina supponatur. Faxit Deus vt hæc apud se recogitent Athei, statim enim Deum esse fatebuntur. Quibus iterum Geometriam obijcio, si fortè Platonem audiãt, qui ex hac scientia Deum agnouit, sic enim dixit, ὁ θεὸς ἀεὶ γεωμετρεῖ. i. Deus semper exercet Geometriam.

Plato.

RATIO XVII.

Sumitur ex Geometria.

Circuli proprietates, & eius cũ Deo analogia.

IDem etiam ex geometria probamus, non tantũ quia lineæ omnes circunferentiam tangentes æqualiter à centro distãt, vt omnes creaturę à Deo: non tantùm quia circulus principio, finéque careat, séque ipso contentus est, cæteris figuris non indigens, omnes comprehendens, atque superans, qua ratione Deus omnia comprehendit, omniáque termino carens limitat; non

In quo Deus sit circino similis, & in quo creatura.

non tantùm quia circulus est figura capacissima omnium, ad cuius perfectionem alia figura pertingere nequit, sicut nec aliquid æquale Deo esse potest; sed quia Deus instat circini videtur esse, cuius pes in centro positus immutabilis cùm sit, alius ad circumferentiã extensus mouetur, ita tamen, vt quicquid agit, aut describit pedi fixo acceptum ferat, cui amicitiæ vinculo per caput connectitur; nunquid enim à Deo pari ratione dependent omnia, tam vt sint, & fiant, quàm vt operentur; omnes enim creaturas Deus immobilis mouet; igitur circinus ille Deum refert, iuxta id, quod in se circinus fixum, & immotum habet, creaturæ verò sunt veluti pars mobilis, quæ nisi Deo coniungãtur, nihil omnino producere possunt, quod sit perfectum. Hinc quamdiu firmissimum diuinæ voluntatis pedem sequemur, nunquam à perfectissima religione Christiana, nũquã à perfectis operibus recedemus.

Itaque vir Christiane, si tuis in actibus iustus, & perfectus esse volueris, respice centrum, vide immutabilem diuini numinis voluntatem, vide sciẽtias omnes, vt rationes, atque media, quæ te ad Dei cognitionem adducant, atque charitatis ardore voluntatem inflamment tuam, téque ad æternitatem circularem, in qua centrum est vbique, circunferentia nusquam, citò perducant. Quòd si proprietates circuli, atque sphæræ penitiùs intuearis, mira profectò reperies, quæ te ad ineffabilia diuini numinis attributa, seu perfectiones suscipiendas euehant. Est ergo Deus indiuisibile centrum, cuius irradiatio in omnium rerum peripheriam extenditur; est circulus omnes angulos creaturarum perfectissimè comprehendens, vt enim circulus polygoniam infinitam, ita Deus infinitas creaturas continet, quæ si nunquam omnes simul productę erunt, ita nec omnes anguli producentur vnquam, quos circulus amplectitur; vt enim aliqui philosophi timent ne si creaturæ infinitæ essent, Deus ipse fierent; ita Geometræ putant figuram polygonam in circulum versam iri, si angulos infinitos habuerit; qua ferè ratione Nicolaus de Cusa Cardinalis se demonstrasse existimat lineam circulum futuram, atque circulum in lineam rectam esse conuertendum, si circulus, vel linea recta in infinitum protendatur. Possem ire per omnes partes Geometriæ, & ex lineis, figuris, & corporibus latè Deum ostendere, paucis tamen id conficiam, alioquin enim volumen integrum expectare possis, si rem pro dignitate velim aggredi.

Deus centro & circulo comparatur.

Vide Cusanam de docta ignorãtia, quàm in alijs, vbi ex rebus Mathematicis, ad diuina mysteria conducit.

Itaque Geometriam mecum Atheus seriò contẽpletur, & exploret, quid possint Geometræ, quid toti mundo suggerant, quid ipsi de numine diuino sentiant, quæ quidem Arithmetica mihi admirabilior esse videtur, quandoquidem infinita propemodum exhibet, quę illa nequit. Arithmetica quidem singulas mundi partes enumerare valet, at verò supponit eius magnitudinem à Geometria inuestigandam, quæ conatibus Atlanticis caput ad astra tollit, nec vllum cœlorum recessum omittit, quem non accuratè metiatur. Hinc enim illos Tychonis Brahe labores Herculeos habemus, hinc armillas, & alia instrumẽta, quorũ fabricã Geometria docuit.

Geometria superat Arithmeticã, & in ictu oculi metitur, quæ longo tempore numerat Arithmetica.

Brahe Danus.

Ecquid obsecro maiori stupore dignum vt homo solaris declinationis magnitudinem, eiusque eccentricitatem, & apogæum, perigæúmque, quotnam à terra, quot à singulis planetis distet milliaria; quantum sit firmamentum, quanta cœli cuiuslibet diameter, circunferentia, area, superficies, inueniat? Deus bone quis pręter te hoc Hipparchõ ingenium tribuere potuit, quis Ptolomęo, vt vnius Dioptræ beneficio, Lunæ, atque Solis diametrum inuenerint, & etiamnum Geometræ recentiores asserant lunam esse dumtaxat globi terreni partem quadragesimam, quia diameter terræ, lunæ diametrum ter, & duas quintas includit, id est, eam habent inter se proportionem, quàm 17. ad 5. ac proinde Lunæ globus quadragesies à globo terrestri continetur, vt fateberis, si globum aliquem ex terra, vel plumbo conficias cuius diameter sit 5. digitorum, alium verò qui diametrum habeat 17. digitorum; tunc enim minoris pondus erit, vt vnum; maioris verò vt 40. Quod & ex eadem Euclidis propsitione ad 16. probationem exposita reperire possumus, si nempe proportionem, quæ est inter 5. & 17. triplices, vt sequitur 5. 17. 57. $\frac{4}{5}$ 196. vbi ratio 5. & 196. est triplicata rationis 5. & 17. quapropter lunæ ad terram proportio erit vt 5. ad 196. in hoc autem vltimo numero, 5. tricies & nouies, & paulo plus continetur, vt patet ex diuisione maioris per minorem; vnde sequitur terram ferè quadragies luna maiorem esse.

In quo homines admirabiles esse videantur.

Terræ globus Lunam 40 continet.

Triplicatur ratio quam habet 5. ad 17.

Verùm nolim hîc demonstrationes afferre, quibus vniuscuiusque syderis & à terra, & à se inuicẽ distantiam inuenimus, ne longior, quàm par est, ista probatio videatur, digitum intendisse suffecerit. Satis est, quod iam mundi totius diametrum, eiúsque magnitudinem agnoscamus vnius Geometriæ beneficio, id est, lineæ istius longitudinem, quæ à primo gradu ♈ ad primum ♎ gradum, aut à primo gradu ♋. ad primum ♑ gradum, vel à quolibet firmamenti puncto ad aliud eiusdem firmamenti, punctum è diametro oppositum duci intelligitur, esse diametrorum terræ 14000. seu milliariorum 604872452. sicut regionis elementaris diametrum, quã à puncto aliquo cœli lunaris ad aliud punctum oppositum extenditur, 15. esse terræ diametrorum, seu milliariorum 357396. quorum vnumquodque sit gradus vnius terrestris pars sexagesima. Sanè Geometria nihil in mundo relinquit, quod non attingat, si nostris subiacuerit sensibus: imò ad maiora extenditur, quatenus mundos alios etiam isto longè maiores dimetiri valet.

Diameter firmamenti est 14000. diametrorum terrestrium.

Diameter regionis elementaris est 52. diametrorum terræ.

Ipsa etiam corpora transcendit, dum in animi virtutibus, præsertim in iustitia cõmutatiua, arithmeticam, geometricam in distributiua proportionem constituit; quid si dixero ipsas Dei actiones sub Geometriæ mensuram aliquo modo cadere? Nunquid enim ostendit numerũ, pondus, & mensuram in omnibus illius operibus? nunquid ipsum gratiæ diuinæ augmentum, quod fit in anima iusti, speculatur, vt deprehendat, an arithmetica, vel geometrica proportione contingat? Verùm de his aliàs, nec opus est, vt tam altè sapiamus, quandoquidẽ cum hominibus rem habemus, qui neque gratiam, neque gratiæ authorem agnoscunt. Eapropter res solummodo corporeas prosequemur.

Geometria virtutibus, & Dei operibus metiẽdis exprimendis vtilis.

Multa sunt Geometriæ principia, multa problemata, multæ propositiones, quæ satis ostendunt aliquem authorem esse homine doctiorẽ, qui hæc inuenerit, & homines docuerit, quas alioqui nunquam homines sine illius ope, & illustratione reperire potuissent; vel saltem, quæ hominis ingenium infinitum euincunt. Quod ex omnibus libris Euclidis faciliè probari potest. Vnde Clauius ad 1. defin. 2. asserit ex illo libro, mole quidem exiguo, vtilitate verò prope infinito demõstrationes elici, quibus inter se addantur, substrahantur, multiplicentur, atque diuidantur numeri surdi, seu qui

Quàm admirabilis sit vtilitas, quæ ex secundo libro Euclidis excerpitur.

nullo modo exprimi possunt, quales sunt radices numerorum nõ quadratorum, aut non cubicorum quæ neque per diuinam potentiam in numeris exhiberi valent, cùm id implicet. Quo quid admirabilius? inquit. Quis enim credat posse sciri demõstrationẽ, quid ex radice quadrata numeri 8 ad radicem quadratam numeri 18. adiecta producatur, cùm vtraque radix sit incognita, nullâque ratione possit exprimi, illa enim paulo minor est, quàm 3. hæc paulo maior, quàm 4. & tamen summa, quæ fit ex vtraque. Colligitur ex vi proposit. 4. li. 4. element. radix quadrata numeri, 50. quæ paulo maior est quàm 7. Adde quod ex 12. & 13. prop. area, & quantitas cuiuslibet trianguli exquisitissimè cognoscitur, ex qua deinde cognitione genus omne magnitudinis effluit. Vltima denique prop. omnis figuræ rectilinea, quantumuis irregularis, vel etiam plures ad quadratum facillimo negotio reducuntur. Libet verò paucas in medium afferre, & explicare, vt illam vtilitatem à nobis decantatam veram esse demonstremus.

Excellentes sunt propo sit. 4. 12. 13 & vltima libri 2.

In primo libro prop. 36. legimus, quod meritò quis mirari possit, nempe parallelogramma, quæcumque fuerint, super æqualibus basibus, & in eisdem parallelis constituta, inter se æqualia esse. τὰ παραλληλόγραμμα τὰ ἐπὶ τῆς αὐτῆς βάσεως ὄντα καὶ ἐν ταῖς αὐταῖς παραλλήλοις ἴσα ἀλλήλοις ἐστί. Ex quo præter multa, quæ Geometræ concludunt, theologi quidam aiunt angelum à cœlis vsque ad terram sese posse extendere, supponamus enim angelum aliquem in hoc primo parallelogrammo A. B. sphoeram actiuitatis, & locum definitiuum constituta habere,

Propos. 36. l. 1. explicatur.



dico parallelogrammum aliquod huic æquale dari posse, quod ab empyreo cœlo vsque ad nos pertingat; enimuero ponamus lineam A E & C F à terra vsque ad vltimum cœlum extendi; dico quantitatem parallelogrammi A B vsque ad illud protendi posse, siquidẽ facilè possum à puncto C & B ducere parallelogrammum ad cœlum vsque; quod vt vnusquisque concipiat, supponamus intelligendi causa in E & F cœlum vltimum desinere, & angelum esse, vel in E in patria, vel in C nobiscũ in terra; eadem extensione, quæcunque illa sit, seu sphoera actiuitatis retenta, poterit ab vno loco in alium sese extendere. Qua ratione possent Angeli nobis adesse, licet in cœlo remanerent; possent & dæmones in inferis existentes hîc adesse, vt nos tentationibus impeterent, vt iam cesset illa obiectio, quomodo angeli beati sint, cùm versantur apud nos, quomodo dæmones igne tartareo crucientur, dum hic degunt. Enimuero parallelogrãmum C B G E æquale est parallelogrammo A C D. B. quod ex hypothesi suo modo replet angelus, vel in quo præsentem per vbi angelicum se constituit.

Hinc satis ostenditur Geometriã plurimum ad Theologica conferre.

Quis iam Atheorum non fatebitur ingenium humanum hæc omnia visibilia ingenti spatio supergredi, & extra mundum hunc aspectabilem aliquid admittendũ esse? mentis enim acies illuc euolat, atque saltẽ fatetur illic aliquid esse posse, quod infinitum sit, cùm autem nullum infinitum queat esse possibile, nisi aliquod infinitum actu supponatur, cuius potentia illud possibile esse dicatur, necessarium est, vt illud infinitum actu præcedat, nõ aliquo tempore, sed ab æterno, idque necessariò: enimuero si non esset ab æterno, nunquam esse posset, quomodo enim inciperet?

Ex illius parallelogrãmi intelligentia Deũ esse probatur.

Placet verò, licet, obiter ostẽdere, quanã voluptate Geometria sui studiosos perfundat ex prop. 47. l. 1. quam cùm inuenisset Pythagoras, referente Vitruuio l. 9. Musis hostias immolauit, & iuxta quosdam hecatombem, licet iuxta Proclum bouem vnum obtulerit, tantóque gaudio affectus est, vt extra se rapi quodammodo videretur. Quod beneficio trium numerorum fertur inuenisse 3. 4. 5. in quibus deprehendit numerum quadratum maioris, æqualem esse quadratis numeris reliquorum, quod lineis accommodauit triangulum scalenum eligendo, cuius latus maximum in 5. partes æquales, minimum in tres, & tertium in 4. prioribus æquales diuideretur, adeout angulum sub his duobus lateribus contentum rectum esse viderit, idq; in 6. 8. 10. in 9. 12. & 15. &c. fieri obseruauit, & in omnibus postea triangulis latera iuxta prædictos numeros habentibus, idem cum ingenti gaudio demonstrauit: idemque reperies in omnibus numeris, qui manabunt ex horum trium 3. 4. 5. duplicatione, triplicatione, & sic in infinitum. Videatur Euclid. l. 6. prop. 31. quæ quia recidit cum propositione Pythagorica, eam hîc apponam ob magnos vsus, quos habet, & ingentem delectationem, quam affert. ἐν τοῖς ὀρθογωνίοις τριγώνοις, τὸ ἀπὸ τῆς τὴν ὀρθὴν γωνίαν ὑποτεινούσης πλευρᾶς εἶδος ἴσον ἐστὶ τοῖς ἀπὸ τῶν τὴν ὀρθὴν γωνίαν περιεχουσῶν πλευρῶν εἴδεσι τοῖς ὁμοίοις καὶ ὁμοίως ἀναγραφομένοις. i. in rectangulis triangulis figura quæuis à latere rectum angulum subtendente descripta, est æqualis figuris, quę priori illi similes, & similiter positæ à lateribus rectum angulum subtendentibus describuntur, vt in subiecta figura patet, in qua plurima declarantur, quæ forsitan Atheos à nugis, & impietate reuocare, & ad Deum adducere poterunt.

Prop. 47. l. 1. inuenta à Pythagora explicatur. Vitruuius.

Propos. 31. l. 6. refertur, & explicatur.

Nec credo abs re fuerit, si quædã arcana Geometrica reseraro, vt pij, qui hæc legerint, inter adeò longa cum Atheis certamina paululum recreentur. Hac ergo figura,

in

TRIANGVLVS PYTHAGORÆ

in qua tria quadrata cernis, 47. prop. l. 1. 31. l. 6. prop. 116. l. 10. & 2. l. 12. explicatas habebis. A 47. l. 1. sumam exordium, quæ sic habet ἐν τοῖς ὀρθογωνίοις τριγώνοις τὸ ἀπὸ τῆς τὴν ὀρθὴν γωνίαν ὑποτεινούσης πλευρᾶς τετράγωνον, ἴσον ἐστὶ τοῖς ἀπὸ τῶν τὴν ὀρθὴν γωνίαν περιεχουσῶν πλευρῶν τετραγώνοις. i. in rectangulis triangulis, quadratum, quod à latere rectum angulum subtendente describitur, æquale est eis, quæ à lateribus rectum angulum continentibus describuntur, quadratis. Quod manifestum est in triangulo rectangulo A E F, quod est huiusce totius figuræ basis; nam quadratum maius A B C D, quod super linea trianguli A F rectum angulum subtendente describitur, æquale est aliis duobus quadratis A K I E, E G H B, quæ describuntur à duobus aliis prædicti trianguli lateribus. Rursus propositio 31. l. 6. declaratur, nam non solùm quadrata illa 2. minora maiori à subtendente descripto sunt æqualia, sed etiam aliæ figuræ, exempli gratia parallelogrãmũ, seu ἑτερόμηκες (vt loquitur Euclid. def. 31. l. 1.) sit A β α C, quod super subtendente rectum angulum linea A C describitur; (hæc enim linea subtendenti A E æqualis est) dico hoc parallelogrammũ æquale esse duobus aliis A γ E δ, & E I B ε super

Hac figura propositiones 4. Euclidis aperiuntur, videlicet 47 l. 1 31. l. 6. 116. l. 10. & 2. l. 12.

Declaratur prop. 31. l. 6.

Defin. 31. l. 1.

duobus aliis lateribus descriptis. Vbi tamen obserua latera horum vltimorum parallelogrammorum homologa esse debere, vt sit verum, quod ista propositione asseritur, quod & accuratè satis in nostra demonstratione obseruauimus, hoc est, parallelogrammum super minori latere constructum sicut non ita lõgum est, ac primum, ita neque debere esse æquale in altitudine, sed quemadmodum se habet longitudo maioris ad suam altitudinem, ita etiam longitudo minoris se habet ad suam: quod ex professo notaui, nam maius quadrangulum habet in longitudine partes 4. qualis est vna in altitudine, quod & in aliis obseruatum est. Vnde habes quid sit figuras aliquas esse laterum homologorum, quod notandum est, quia id apud Euclidem frequentissimum. Idem de triangulis, & aliis quibuscunque figuris super illis lateribus trianguli recti descriptis concludito, eadem obseruata proportione.

Id accuratè obseruandum est, & quid sit homologum esse.

Aliam verò l. 11. proposit. vltimo loco positam in eadem figura clarissimè cernere potes; etenim in quadrato E F G H latus est 4. partium, diameter verò H E quinque, itaut semper aliquid supersit, quod nullam communem mensuram habere valeat, qua lateri correspondeat. Nec enim, si particulam illam, quæ post quintam diametri superest, in duas, tres, 4. mille, & quascúnque alias particulas diuiseris, reperies vnquam vnam, quæ tam diametrum, quàm latus exhauriat, & ex æquo metiatur: quapropter Euclid. hæc verba protulit. προκείσθω ἡμῖν δεῖξαι, ὅτι ἐπὶ τῶν τετραγώνων σχημάτων ἀσύμμετρός ἐστιν ἡ διάμετρος τῇ πλευρᾷ μήκει. i. Propositum esto nobis demonstrare, quod in figuris quadratis incommensurabilis sit diameter ipsi lateri. Vbi notandum est lineas quidem istas, nempe quadrati costam, & diametrum incommensurabiles esse μήκει, non tamen δυνάμει; i. longitudine, non potentia: longitudine quidem, quia non eam inter se præportionem habent, quàm numerus ad numerum; non potentia, quia duæ istæ lineæ quadrata efficere possunt, quæ mensura communi vtantur, vt ex diametro quadrati E F G H constat, quæ licet lateri E F sit ἀσύμμετρος μήκει, est tamen ei σύμμετρος δυνάμει, quia quadratum H E M L efficit, quod præcedenti quadrato σύμμετρον existit, est enim eius duplum, vt pote à diametro descriptum; Quando verò duæ lineæ ita se habent, vt neque ipsæ, neque id, quod per sui multiplicationem efficiunt, communem mensuram habeat, tunc ἀσύμμετροι sunt tam μήκει, quàm δυνάμει, quæ respectu alterius lineæ, cui neutro modo commensurabiles sunt, ἄλογοι vocantur, & quadrata ex eis producta ἄλογα.

Vltima propositio l. 11. declaratur.

Quomodo diameter quadrati sit eius lateri incommensurabilis lõgitudine, potentia verò commensurabilis.

Declaratur exemplo.

Quid sint lineæ asymmetræ, seu ἄλογοι quid ἄλογα quadrata.

Quod autem quadratum à diametro factum sit duplum, manifestò constat ex 4. triangulis, quæ in eo formantur, quorum vnumquodque triangulis æquale est, quæ sunt in quadrato minori. Vltima propositio l. 12. discutienda superest, quæ tametsi non pertinet ad quadratũ, sed ad circulũ, eius tamẽ intelligentia ab iis, quæ nunc de quadrati latere diximus, pendet. οἱ κύκλοι πρὸς ἀλλήλους εἰσὶν, ὡς τὰ ἀπὸ τῶν διαμέτρων τετράγωνα. i. circuli eam inter se rationem habent, quam descripta à diametris quadrata: vnde sequitur nihil aliud esse faciendum, vbi vis circulum duplo maiorẽ describere, quàm vt prioris diametrum quadres, & quadrati descripti nouam diametrum assumas, quæ sicut quadrati dupli, ita & circuli dupli diameter erit. Quod hac figura

Propos. 18. l. 12. declaratur.



clarum erit, in qua primũ quadratum sit vt 1. secundum erit vt 2. quia minoris duplum est, cùm pro latere diametrum illius habeat; quocirca, qui ducentur circuli à centro horum diametrorum super latere, & diametro primi, & secundi sese habebũt, vt quadrata, nam secundus circulus est primi duplus. Vbi etiam obseruare poteris circulos eam inter se proportionem habere, quam ipsa quadrata. Quapropter si vnius quadrati latus est vt 2. & alterius vt 4. numerus quadratus 2. & numerus quadratus

dratus 4. oſtendent, quales ſint quadratorum areæ; quo etiam modo circuli ſe habent ſuper iiſdem quadratorum lateribus conſtructi.

Cubi vero & ſphæræ eam inter ſe proportionem obſeruant, quam numeri cubi; quare ſi cubi primi latus eſt vt 2. totus cubus erit vt 8. cubus verò cuius latus fuerit 4. erit vt 64. quod obſeruatione digniſſimum eſt, & explicari poſſet in his 3. circulis, & quadratis, quæ in hac figura continentur, ſi prædictam inter ſe rationem obſeruarent, numeriſque quadratis, & cubis progrederentur.

Cum autem non paruo tædio ex tot cum Atheis conflictibus afficiar, mihi credo licebit per circulum exſpatiari, vt per circulum ab errore deteſtandos Atheos reuocem, qui *in circuitu ambulant*, inquit Pſaltes, vt paululum recreetur animus, nouaſque vires recipiat. Vtinam meditarentur in circulo neque principium eſſe, neque finem, & quæcumque de eo diximus alibi, fortaſſis enim ex illius analogia Deum agnoſcerent, qui cùm ſine principio exiſtat, omnium tamen figurarum veluti principium, anima, atque menſura dici poteſt; ille eſt, vt dicturus ſum in argumento deſumpto ex mechanicis, qui vectem, trochleam, & cætera, quæ tam ad cœlos, quàm ad elementa pertinent, incipit, atque perficit, cuius ἰδέα eſt tam perfecta, & admirabilis, vt illum quæcumque ſunt in mundo, imitari videantur. Ad hoc igitur σχῆμα vt ad Polycleti regulam omnia Mathematica reuocare poſſis. Circuli laudes.

Circulus enim omnium angulorum quantitatem docet; nos ad omnium aſtrorum cognitionem manuducit, muros vrbium propugnaculis bellè diſpoſitis cingit aduerſus hoſtium incurſus: quid plura? nunquid omnes ſinus, ſecantes, & tangentes ab eo repetunt originem? Placet autem ſchema proponere, quod beneficio circuli magnam admirabilitatem excitare poteſt. Vbi videbis aliquam quantitatem in infinitum augeri poſſe, & aliam in infinitum diminui, ita tamen vt prima quantitas, quæ ſemper augebitur, nunquam ad alterius magnitudinem, quæ tamen ſemper minuetur, peruenire poſſit: cuius hoc exemplum accipe. *Problema admirabile proponitur.*



Problema illud declaratur.

Nunqnid illa linea, quæ tangit circulum cum eo angulum efficit? qui quidem minor, & minor, ficut maior atque maior in infinitum fieri poteſt; creſcat igitur, quantum poterit, dico nunquam angulum illum contactus adeò magnum eſſe poſſe, quantus ſemper erit angulus acutus à 2. lineis rectis confectus, licet hic angulus in infinitum minuatur, dum angulus contactus in infinitum creſcit. Adde nouum mirabile Geometricum, nempe angulum internum B C O adeo magnum eſſe, vt nullus vnquam angulus acutus eius magnitudinē æquare poſſit, licet iſte angulus internus in infinitum minuatur. Itaque beneficio circuli, & lineæ rectæ ſuper extrema diametro perpendiculariter deſcriptæ duas habes quantitates, quæ omnem admirationem ſuperare videntur; quarum vna adeo parua eſt, vt nullus ſit angulus à 2. rectis lineis effectus, qui ad hanc exiguitatem peruenire valeat, tametſi angulus contingentiæ creſcat in infinitum, & angulus rectilineus in infinitum decreſcat: alia verò interni anguli à circunferentia B C M comprehenſa, tanta eſt, vt licet in infinitum decreſcat, & angulus acutus in infinitum creſcat, nunquam illam exæquet. Quod autem angulus ſemicirculi, omni acuto poſſibili ſemper maior ſit, licet in infinitum minuatur, ex eo patet, quod angulus à diametro, & circunferentia productus eo ſemper minor fiat, quo minor eſt circulus; qua ratione vides etiam angulum contingentiæ eò maiorem fieri, quo circuli minores fuerint, quos linea perpendicularis tangit.

Nouum problema mirabile.

Declaratur.

Hinc optimè poteſt intelligi 16. prop. 3. ἡ τῇ διαμέτρῳ τοῦ κύκλου πρὸς ὀρθὰς ἀπ' ἄκρας ἀγομένη, ἐκτὸς πεσεῖται τοῦ κύκλου. καὶ εἰς τὸν μεταξὺ τόπον τῆς τε εὐθείας καὶ τῆς περιφερείας ἑτέρα εὐθεῖα οὐ παρεμπεσεῖται, καὶ ἡ μὲν τοῦ ἡμικυκλίου γωνία, ἁπάσης ὀξείας γωνίας εὐθυγράμμου μείζων ἐστὶν, ἡ δὲ λοιπὴ, ἐλάττων. 1. Linea quæ ab extremitate diametri cuiuſque circuli ad angulos rectos ducitur, extra ipſum circulum cadet, & in locum inter ipſam rectam lineam, & peripheriam comprehenſum altera linea non cadet. Et ſemicirculi quidem angulus quouis angulo acuto rectilineo maior eſt, reliquus autem minor. Quid ſi dixero circulos omnes, tam maiores, quā minores quodammodo æquales eſſe cùm minimus circulus eodem tempore tantum ſpatium conficiat, quantum maximus, ſi eidem axi affiguntur, vt manifeſta docet experiētia, & figura præſens aperit.

Prop. 16 l. 3. probat quicquid hic de angulis diximus.

Mirabile quid de circulis.

Extensio, & contractio circulorum est rarefactione, & condensatione comparatur.

Vnde nonnulli hunc minimi circuli gyrum conuersioni maioris, tam in longitudine, quàm in tempore æqualem cum rarefactione conferunt, sicut & motum maioris (cum axi minoris ita applicatur, vt æquale duntaxat spatium conficiat) condensationi; vt sicut nullus est circulus quantuscumque fuerit, qui non ita possit axi minoris affigi, & ad paruulum istius spatium magnitudinem suam attemperare, & nullus tam paruus, qui non valeat sese ad omne maioris spatium extendere, ita nullum sit corpus quantumuis magnum, quod non per condensationem ad minimum spatium reuocari, neque tam paruum, quod non ad spatium quodcúmque propositum extendi possit. Et quidem mirabile est illud de circulis, si paruulus tantum spatium eodem tempore, quantum maior, emetiatur, itaut idem punctum, vel eamdem partem bis non tangat. Profectò nunquam deprehendere potui, nec puto alium deprehendere posse, an minor ille circulus vel bis idem punctum attingat, vel per aliquos saltus, aut tractus procedat. Quod autem æquale spatium conficiat ex eo patet, quod maior circulus quadrantem A B ad B C transferre non possit, quin simul quadrans paruuli αδ ad αγ transferatur, & super linea sua κλ spatium æquale conficiat ei; quod maior in linea K L transcurrit; quod longè clariùs in instrumento ad hanc demonstrationem aptato cernitur.

Aristot. explicatur.

Hinc explicatus est Aristot. dum q. 24. mechanic. mouet dubium quare ὁ μείζων κύκλος τῷ ἐλάττονι κύκλῳ ἴσην ἐξελίττεται γραμμήν; ὅταν περὶ τὸ αὐτὸ κέντρον τεθῶσι. Licet Baldus alio modo soluat, quàm nos suprà, sicut & Blancanus, dum asserunt id fieri, quia tametsi centrum idem esse videatur, attamen vni per se, per accidens alteri conuenit, nec minor circulus proprio, sed alterius motu circunfertur. At semper difficultas superest, quomodo minor partes omnes, & omnia puncta lineæ successiuè tangat, quę æqualis est illi, super qua maior circulus mouetur. Sed de his alias, vt nunc aliquam ex præcedentibus medicinam Atheis paremus.

Baldus.

Blancanus.

Problema mirabile de lineis ad se inuicem magis semper accedentibus nunquam tamen concurrentibus, vbi & nouum admirãdum detegitur.

Deus bone quantos ex se thesauros profert Geometria, quòt res arduas explicat, quot argumenta diuinitatis habet, quàm fortiter Deum esse persuadet, qui totum hunc mundum hominibus præparauit, vt aspicerent, & seriò per Geometriam contemplarentur, qua ratione Deus omnia in numero, pondere, & mensura, specie, modo, & ordine fabricarit. Perfecero, vbi notaueris, quod aliquando non parum mihi profuit, vt Atheum quemdam ab errore reuocarem. Notum est duas lineas, quæ ita se habent, vt semper vlterius procedendo sibi inuicem fiant propinquiores, tandem in aliquo puncto coituras esse, vt patet in sequenti figura; & tamen assigno 2. lineas, quæ tametsi in infinitum sibi continuò fiant propinquiores, nunquam tamen sese contingent, aut secabunt, vt hîc vides.


LINEA . CONCHILIS
A
C
H
K
L
B
D
G
F 1
F 2
F 3
F 4
F 5
F 6
F 7
F 8
F 9
F 10

Vbi linea A B continuo ductũ semper ad lineam rectam C D immobilem accedit, neque tamen vnquam sese contingent, quia lineæ E F semper lineã C D tanta sui parte transilire debent, quantum est spatiũ ab A, ad C, vt lineæ A B natura postulat; cùm autem semper in infinitum lineæ huiusmodi lineam C D secare possint, & vbi secuerint, pars A C æqualis capi possit, quæ nunquam cum recta linea C D recurrat (alioquin si concideret cum ea, non secaret illam, sed cum ea penitus eadem esset) inde fit, vt linea A B nunquam tactura sit lineam C D, cùm per linearum C F extrema suis partibus A C equalibus lineam transilientium describatur; quam etiam possis ex alia parte ducere, & cum Nicomede Conchilem, vel Conchoidem appellare. Orontius proposit. 10. de speculo vstorio modũ aliũ coni rectãguli beneficio suggerit, quo 2 lineæ ducantur, quæ quidem tanto propiores euadent, quanto longiùs producentur, nunquã tamen sese contingent.

Obserua etiam nouum aliud, nempe motum infinitum in spatio finito dari posse, enimuero si ab E super lineam rectam C D, quam supponimus infinitam infinitæ lineæ ducerentur, eo modo quo has decem vides esse deductas: nec enim est inconueniens, vt ab eodem puncto ducantur quæcúnque lineæ, ad aliud quodlibet, cum illud sit primũ Euclidis ἄιτημα. ἠτήσθω ἀπὸ παντὸς σημείου ἐπὶ πᾶν σημεῖον εὐθεῖαν γραμμὴν ἀγαγεῖν. Sint ergo ductæ infinitæ, certè nunquam vlla ex iis vsque ad lineam rectam G, vel, quod idem est, ad K pertinget, quia debet vnaquæque secare lineam C D, igitur, nulla vnquam cum linea E K G coibit, quippe quæ lineæ C D parallela est; parallelæ verò per vltimam defin. 1. sunt rectæ, quæ cum in eodem sint plano, & ex vtraque parte in infinitum producantur, in neutram sibi mutuò incidunt. Itaque cum infinitæ lineæ ductæ linea H K finita comprehendantur, motus qui lineam vnã pedetentim transibit, itaut simul 2 non transeat, sed verbi gratia spatio vnius Aue, vnam tantùm, vel 2, aut 3 conficiat, & sic de cæteris, infinitus erit, licet continuus, quia nunquam infinitæ lineæ pertransiri poterunt.

Vera diametri, & circunferẽtiæ proportio.

Mitto nondum inuentam circuli quadraturam, licet omnes fateantur tetragonismum inueniri posse, & etiamnum veram diametri, atque circunferentiæ proportionem latere inter sesquiseptimam, & triplam superdecupartientem septuagesimas primas, quæ sic per numeros explicantur $3\frac{1}{7}$, & $3\frac{10}{71}$.

Arabes & Scaliger reprehendũtur.

Quicquid Arabes cum Scaligero l. cyclometricorum elementorum perperam existiment proportionem diametri ad circunferentiam potentia decuplam esse, i. quadratum diametri vt 1 esse, quando circunferentiæ quadratũ est vt 10; quod falsum esse radix ipsa numeri denarij probat, quæ maior est,

Quæ sit radix denarij.

quàm $3\frac{1}{7}$ quod est radix quadrati $9\frac{43}{49}$; quapropter inde sequeretur maiorem esse proportionẽ circunferentiæ ad diametrum, quàm sit tripla sesquiseptima, cùm è cõtra sit minor.

Est minor vna quarta vnius septimæ vt ait Pinus notis suis in Plin.

Quod etiam aliũde probatur; nam vbi diameter est vt 7, minor est circunferentia, quam 22; quare minus erit circunferentiæ quadratum, quàm 484, licet ad diametrum quadrati 49 minorem proportionem habeat, quàm decuplam; hanc enim cum 49 proportionem decuplam numerus 490 habet. Ideóque minor est proportio quadrati circunferentiæ, & diametri, quã decupla.

Quænã sit proportio quadrati ex diametro;

Iam verò Geometricis istis tum ad nostrum, tum ad lectorum oblectamentum præmissis, ad Atheos reuertor, quos interrogo, num aliquid esse debeat ex natura sua scibile, quod tamen nũquam sciri debeat; ad quid obsecro aliquid ex natura sua scibile est, nisi fuerit aliquis, qui cognoscat illud, cùm sciẽtia, atque scibile se inuicem ponant, atque destruãt.

& ex circũferẽtia producti.

Est ergo aliquis, qui probè nouit, quantam circulus quilibet ad quadratum diametri proportionem habeat, & quantum aberrent, qui eandem esse proximè, quàm 11 ad 14 arbitrantur, qui cognoscat, qua ratione circunferentia vera ex data diametro, non autem vera maior, vel minor, reperiri debeat: qui sciat ex data circuli circunferentia veram diametrum eruere; sicut & ex diametro aream, circunferentiam, superficiem, & soliditatem; qui sine Dinostrati, Nicomedisq; tetragonizousa, seu quadratrice, de qua Pappus 4 collect. Mathem. circuli tetragonismum perfectè describere nouerit.

Ex dictis Deum esse probatur.

Iam verò quisnam ille est? prodeat, enimuero laudabimus eum, atque dicemus fecisse mirabilia in vita sua. Et quidem ille reuera, & actu existere debet, alioqui si tantum esse possit, & nondum sit, quis illi tribuet actualem existentiam? non homines, qui ea se ignorare fatentur, igitur iam actu debet existere, eritque ipse Deus, à quo cognitio nostra sumit originem, adeout non plura sciamus, quã ipse nos scire velit.

Varij modi quibus quadratura circuli proponitur.

Fateor quidem mechanicè quodammodo circuli quadraturam inueniri; quod ita nonnulli conficiũt: diametrũ circuli diuidunt in 14 partes, & super vndecimã partem perpendicularẽ erigunt vsq; ad circunferentiam, deinde ab illo loco contactus circũferentiæ rectam describũt vsq; ad principiũ diametri, vbi prima pars sita est, & hanc postremã lineam quadrati latus, seu costã esse contendũt, quod eandẽ quam circulus aream complectatur. Alij semidiame- 1.
trũ in 4 partes diuidũt; deinde illi partem vnã quintam extra circulum excurrentem vni ex prædictis 4 2.
æqualem affigunt; tertiò lineam rectam circuli peripheriam contingentem, & diametro perpendicularem ducunt: deniq; pedẽ vnũ circini in fine partis illius quintæ posito alium pedem ad principiũ alterius diametri extendunt, & partẽ circuli ducũt vsq; ad lineam contingẽtem diametro perpẽdicularem, cuius partem à fine diametri vsque ad punctum, ad quod pes circini peruenit, quartam circunferentiæ partem aiunt, adeout reuolutio quadrantis circuli parallelogrãmũ circulo æquale, integra verò circuli reuolutio parallelogrãmũ circulo quadruplum efficiat, quod postea facilè per inuentionẽ mediæ proportionalis quadrari potest. Alij lineam illam inter- 3
ceptam latus esse quadrati asserunt circulo æqualis.
Alij circulũ ita reducũt ad parallelogrãmum ex dia- 4.
metro, & quarta parte circunferentiæ, vel ex semidiametro, & dimidia circunferentia; quæ si vera forent, facilè quodlibet circuli segmentum quadraremus.

Quæ sit proportio diagonalis & diametri & costæ.

Sunt qui in 8 partes diuidãt ambas circuli diametros, & eis vltra circulũ productis vnam circuli partem octauã ex vnaquaq; parte iungant, vt iam istæ lineæ diametrales sint 10 partium, per quas si lineas duxeris, quadratũ circulo æquale sis producturus; & vicissim quadratum in circulũ æqualem redacturus, si diagonali in 10 partes secta à quadrati cẽtro circulum per octauã partem describas, vt diagonalis ad diametrũ circuli se habeat, vt 10 ad 8. i. in proportione sesquiquarta; volũtque ipsam diagonalẽ cum quadrati sui latere hanc inter se rationẽ habere, quã 10 & 7, vt latus sit diametro breuius tribus partibus decimis, & diameter respectu costæ sit tripartiens septimas. Alij deniq; putãt lineã ab angulo quadrati
ad mediũ costæ protractam esse lineam παραγωνιζοῦσαν: quæ tametsi non ita longè à veritate aberrare videantur, vt illud statim deprehendi possit, atta- 5.

D

Quomodo circuli quadratura possit inueniri geometricè: & modi afferuntur.

Linea æqualis à periphe riæ semidiametro ad rectos angulos subtensa, & triangulo clausa facit triangulum circulo æqualem, & ita circulus quadratur.

men geometricè nondum illud inuentum fuit; licet concedant Geometræ quadraturam inuentam esse, si quis lineam circulo æqualẽ assignet; vel omnem lunulam quadret, vel probet lineam spiralem à recta tãgi in puncto. Omitto cætera, vt ita loquar Geometriæ miracula, vt quod transiri possit à maiori ad minus, & à minori ad maius, licet per æquale non transeas; quod linea arcuata dari possit, quæ licet in infinitum augeatur, nunquam tamen neque circulum, neque circuli quadrantem consummabit; quod idem circulus tribus sui circumuolutionibus; rectas lineas inæquales circunferentiæ suæ maiorem vnam, aliam minorem, & æqualem aliam efficere possit.

Profectò si tot in rebus tot infinita videmus, quæ tamen arctis limitibus cõstringuntur, & sunt tantũ infinita secundũ quid, omnino concludendũ est aliquid esse, quod sit infinitũ simpliciter: & sicut omnia corporea circulo finiri, atq; concludi videmus, qui cæteris figuris mensurã, & ordinẽ ponere videtur; & sphæraã esse velut ideã omniũ corporũ, à qua legẽ accipiãt; ita debemus aliquã sphæraã, aliquẽ circulũ intelligibilẽ constituere, qui à nulla re finitus omnia veluti circumscribat, & mẽtibus nostris speciẽ, legẽ, & ordinem ponat. Hunc autem esse Deum quis nescit? præter quem animo nostro nihil in mũdo præstantius agnoscimus, quippe qui omnes figuras, omnia visibilia tam longè latèque prætereuolat, vt eum alterius mundi partem esse, vel aliquid toto mundo excellentius subodorari, & inquirere facilè dixeris.

Quare Geometria vsque ad cœlos pertingit.

Ad quid obsecro Geometria è suis veluti limitibus erũpens, ad cœlum caput extulit, cũ soli terreno globo destinata videretur, nã ab Ægyptiis inuenta dicitur ad agros suos post annuã nili eluuiem Geodæsiæ beneficio dignoscendos) nisi quia discipulos habet ad cœlũ transferendos, qui hoc in mũdo peregrini sunt, & patriam inquirunt? nisi quia voluit ostẽdere homines è cœlo suã originẽ habere, & illuc eos aliquãdo redituros? ad quid redituros? nisi vt summũ illũ artificẽ contẽplarẽtur, qui mirabiles illos fornices, non Corinthio, Dorio, aut Italico, sed ineffabili opere solus extruxit; contẽplarentur inquã, vt summo bono, quod hîc haberi nequit, æternũ perfruerentur, & in eo perfectè cõquiescerent. Iam iã, Athei, vos omnes prouoco, vt mentis oculis ad illam supernam patriam sublatis, mecum ea, quę psaltes regius cecinit perpendatis. *Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion. Beatus vir, cuius est auxilium abs te, ascensiones disposuit in valle lachrymarũ*, vt ad te, Deus meus, ad te contemplandum festinaret. *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est, habitaui cum habitantibus Cedar, multum fuit incola anima mea.* Quorum profectò recordatione noua lætitia perfundi videor, donec expecto beatam spem, & aduentum filij Dei, in quo possint concinere, qui Deũ agnouerint, dilexerint, & illud prophetæ meditati fuerint, *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniã à dextris est mihi, ne commouear; Laqueus contritus est, & nos liberati sumus.*

Quam fœlices Geometræ, qui poterunt empyrei cœli vastissima spatia dimetiri: qui perfectè cognoscent, quicquid hîc nescire potuerunt: qui singulorum corporum lineas, superficies, soliditates, & pũcta clarè numerare, & mutuam inter ea proportionem intueri poterunt, ita tamen, vt semper optimum Geometriæ, cæterarumque scientiarum autorem beata visione contemplentur, nec enim admirabilis ille scientiarum omnium intuitus visionem diuinam impediet: tanta est animi beati capacitas! Faxit is, ob cuius amorem hæc omnia argumenta ex scientiis depromimus, vt Athei stultas illas opiniones penitus abiiciant, quibus suam mentem, & rationem fœdis errorum, & impietatum nebulis obduxerunt, vt tandem omnes in patria summum illum Geometram suspiciamus, atque veneremur, qui modo inexplicabili ἀεὶ γεωμετρεῖ μεταποιεῖται, suam videlicet essentiam, quam solus comprehendit, & eam omnium beatè viuentium terram constituit, cuius iustos hæredes futuros sæpiùs in psalmis decantatum habemus.

Nolim in præsenti cætera persequi, quæ ex Geometriæ penu mihi depromenda posse videntur, vt ad Dei cognitionem deueniamus, & eum necessariò admittendum esse demõstremus, ne vel probationis istius moles in immẽsum abeat, vel ob nimiũ rerum Geometricarum acumen Atheorũ mens retundatur; quorum oculos si lineis, & demonstrationibus fatigauerim, iam iam aures mirabili recreaturũ concentu, & harmonia me recipio, vt saltem auribus ad Deum Op. Max. totius mundi Chorauiã adducã, quos oculis minimè pertraxero. Plurima verò ad Geometriam pertinentia legere poteris, vbi luminaria Geneseos, & eorũ altitudines, magnitudines, distãtias, atque motus perscrutamur. Verùm iam audire mihi videor mundi totius systema, quæ seipsam veluti superans, exilit, quod etiam ad autorem suum ab impiorum imposturis vindicandum conferre debeat, vt igitur dulcissimos illius concentus percipiamus, sit.

RATIO XVIII.

Musica suum etiam symbolum confert.

Enumerãtur consonantiæ.

VNde obsecro tantam delectationem nobis ingenerari putas, cũ organa, panduras, psalteriũ, sambucã, tubas, tympana, testudines, cæteráque id genus instrumenta, iunctásque cum eis hominum voces, atque symphoniã inde resultantem percipis? nonne quia Deus est, à quo, vt ab inexhaustæ voluptatis oceano tantilla delectatio promanat? Quis hemiolio sonoro, epitrito ditonico, ditono, atque semiditono tantam vim indere potuit, vt animum efferatum ad debitã tẽperiem reducant? Nunquid omnium perfectissimum Diapason nobis ostendit, quomodo nos cum singulis creaturis ad Dei voluntatem accedere, & cum ea consonare debemus? cuius excellentiã D. Aug. 4 de Trin. c. 2. his verbis exprimit. *Hæc enim congruentia, siue conuenientia, vel concinentia, vel consonantia, vel si quid commodius dicitur, quod est vnum ad duo, in omni cõpaginatione, vel si melius dicitur, coaptatione creaturæ valet plurimũ. Hãc enim coaptationem, sicut mihi nunc occurrit, dicere volui, quam Græci ἁρμονίαν vocant. Neque nunc locus est, vt ostendam, quantum valeat consonantia simpli ad duplum, quæ maxima in nobis reperitur, vt sit nobis insita naturaliter: à quo vtique nisi ab eo, qui nos creauit, vt nec imperiti possint eam non sentire, siue ipsi cantantes, siue alios audientes; per hanc quippe voces acutiores grauioresque concordant, ita vt quisquis ab ea dissonuerit, non scientiam,*

Pulchra de Diapason ex D. Augustin.

scientiam, cuius expertes sunt plurimi, sed ipsum sensum auditus nostri vehementer offendat. Postea verò qua ratione simplum Christi ad duplum nostrum respondeat, latè docet. Diapason igitur ab æqualitate suam nobilitatem repetit, in illa siquidem vnisonātia consistit, æqualitas autem ab vnitate profluit.

Vnitas est fundamentum harmoniæ, quę propterea arithmeticæ subalterna est.

Quænam est vnitas totius harmonici systematis principium, perfectio, atque colophon? An sonus? sed minimè simplex est, nouem enim partibus constat, vt suam proportionem sesquioctauam, seu epogdoam constituat; An semitonium maius Pythagoræorum, seu Græcorum apotome, vel minus, aut limma? Nusquam, illud enim 15. partibus, hoc verò 24. vt explicetur, indiget; At vnitas nullo numero proficit, aut eget, tametsi nullus sine ea numerus esse possit. Te nunc, Athee, prouoco; vbi est illa vnitas æqualitatis fundamentum? nunquid Deus solus principium sine principio; nunquid ipsa diuinitas, quam omnes creaturæ prædicant? in quo Pater, Filius, & Spiritussanctus infinitam æqualitatem constituunt; iuxta id S. Athanasij. *Æqualis Pater, æqualis Filius, æqualis Spiritussanctus.* Hæc est igitur æqualitas, cui creaturarum omnium diapason innititur. O quàm iucundè personant omnia tam spiritualia, quàm corporea cum illa æqualitate, quæ est ipsemet Deus, non harmonicis Pythagoræorum concentibus fictitijs, sed verissimis, qui tam intellectu, quàm visu, cæterisque sensibus à theodidactis percipi possint, atque debeant.

Hanc symphoniam non solæ voces, sed vota, cogitationes, & actiones constituunt, quam tunc perficiendam credimus, cùm videbitur Deus Deorum in Sion, omnesque simul canticum Agno sine macula cantabimus dicentes cum Psalte; *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum. Beati qui habitant in domo tua domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.*

Cuiuslibet instrumenti resonantis causam aliquā constituendam esse.

Vt autem Musica Deum esse tibi persuadeat, pauca de macrocosmi, atque microcosmi harmonia, deque Musicæ artificialis cum mundana & humana collatione dicenda sunt. Nemo est, qui vbi cytharæ deprehendit sonum, vel cantionem aliquam è testudine resonantem, licet instrumentum minimè videat, non fateatur aliquem cytharedum esse debere, qui sonum illum efficiat, siue digitis, & plectro, siue ponderibus, atque motibus, aut etiam venti, ignis, vel aquæ beneficio, quibus omnibus varia instrumenta parari possunt, quæ etiam in hominum absentia harmonicè resonent; Atqui sonorum, & harmoniæ huiuscemodi semper aliquis autor esse debet: alioquin enim fieri non potest, vt vlli soni perfectam harmoniam efficientes audiantur; nec crediderο, quod aliqui referunt in quibusdam antris, vel ad rupes ventos allisos circa maris littora Musicam efficere quamquam nec id impossibile sit; nam si rupes quædam ita excisæ fuerint, & quibusdam cauernulis, & foraminibus ita pertusæ, vt illa foramina satis profunda, & sonora proportionem harmonicam inter se obtineant, & in illa ventus nonnumquam vi satis magna ingrediatur, sonus aliquis harmonicus audiri poterit.

An Musica naturaliter in littorib' à vento fieri possit.

Verumenimuero nusquam illud contingere arbitror, præsertim si de perfecta harmonia loquamur: quod sicubi fiat, id in venti, atque rupium, antrorumque authorem referendum est. Fatebitur ergo Atheus nusquam testudinis sonum & harmoniam audiri, quin sit aliquis, qui ratione, atque manu, vel re alia, quæ manus subit vices, illius causa existat. Nam vbi quispiam modum Dorium simplicem, constantem, & ad pudicitiam vtilem, (Clytemnestra teste, quæ se, donec Musicus ab Agamemnone relictus superstes fuit, ab Egisto continuit) vbi inquam modum hunc à λιχανὸς ὑπατῶν, & νήτη συνημμένων contentum audierit, statim asseret aliquem esse, qui modum illum ad temperantiam in aliquo generandam dirigat. Sanè insanus ille, qui cùm aliquem æstro percitum furere viderit ex cantu Phrygio ab ὑπάτη μέσων vsque ad νήτη διεζευγμένων percepto: vel furentem ad pristinam mentem modo subphrygio reduci, prout legimus iuuenem Taurominitanum Pythagoræ iussu, vel iuuenem alium ab Empedocle, vel Alexandrum à Timotheo reuocatos esse, non statim affirmet cantus illos ab aliquo rationis compote excitari.

De modis Dorio, Phrygio, & subphrygio.

Omitto lydium flebilem, mixolydium, & alios modos, de quibus par est ratio. Vbi notandum est obiter 8 modos in Ecclesia esse in vsu, quos vulgò tonos appellant, quorum primum Græcorum Dorio, subdorio secundum, tertium phrygio, quartum subphrygio, 5 lydio, sublydio 6, septimum mixolydio, octauum denique submixolydio correspondere aiunt: qui solùm à Dorio dissidet, quòd Dorij medietas sit harmonica, alterius verò arithmetica. Quod si communi omnium etiam Atheorum calculo soni illi harmonici nos ad vnius authoris cognitionem deducāt, etiamsi neque hunc, neque cytharam, sed harmoniam duntaxat, aut illius vim & energiā deprehendamus; quid obsecro de mirabili mundi systemate tot, & tam excellentes concentus includente, quid de singulis creaturis tam perfectè resonantibus, & ad sonos harmonicos compositis dicemus? Aspice, audi, tange stupendam omnium elemētorum harmoniam, atque cœlorum, & astrorum concentum, in quibus nihil inconcinnum, nihil dissonans. Quapropter in tetrachordo suo quatuor elementa Orpheus eleganter referebat; in eo siquidem infima chorda, eaque grauissimum edens sonum ὑπάτη ὑπατῶν terram; secunda verò παρυπάτη ὑπατῶν aquam, tertia [illegible] aërē, 4 denique νήτη acutissima significabat ignem; vt enim ex illis duabus fidibus ὑπατῶν vna est altera grauior, & duarum ὑπερβολαίων vna acutior altera, ita ex 2 elementis grauibus vnum altero grauius, & ex leuibus, vnum altero leuius esse constat. Inde fit, vt sicut ex varia 4 istarum chordarum mixtione ad harmonicam proportionem facta diuersi concentus oriuntur, ita & ex diuerso concursu elementorum varia apud nos mixta quotidie procreentur.

Octo toni Ecclesiæ quib' Græcorum & harmoniæ modis correspōdeāt.

Tetrachordū Orphei.

Harmonia 4 elementorum.

Adde quod sicut ignis ad aërem, ita aër ad aquam & aqua ad terram sese habet; ignis enim duplo acutior est, triplo subtilior, quadruplóque mobilior igne, teste Platone in Timæo; quod & de aëre collato cum aqua, & de aqua respectu terræ dicendum est. Multa alia de mundana harmonia ex Platone eruere possumus, inter quæ non vltimum locum obtinent, quæ de corporibus regularibus ait, cubo, icosaëdro, pyramide, & octaëdro: de quibus Euclid. l. 13. propos. 13. 14. & sequentibus. Sed de his ad c. 2. versic. 1. agemus. Quæ omnia satis probant esse aliquem Musicum, qui mundo præsit, & omnes partes illius quantumuis à se inuicem dissitas in vnionem, concordiam, atque iugalem competentiam, vt loquar cum Macrobio, & Agellio, reuocet.

Platonica elemētorū cōparatio.

Macrob. in somn. Scip. l. 2. cap. 2. Agell. l. 1. c. 1.

Nunquid verò nōnulla de microcosmica harmonia referre licet? præsertim cum eò videatur admi-

rabilior, quò cœlis, & elementis præstantior est homo. Quod ad partes corporis exteriores attinet, illas ad architecturam reiicio. At si 4. humores, eorũque coniunctiones varias inspiciamus, si mentis, si rationis, itæ & concupiscentiæ motus exploremus, vbi hæc omnia debitam analogiam obseruant, vix explicari potest, quam admirabilem concentũ efficiant: si verò discordia irrepserit, morborũ, & peruersarum affectionum iliades erũpunt. Porro iuxta humanam harmoniã dies suos criticos, & arteriarum, atque cordis motus pulsatiles medici constituunt. In anima verò nõ sine ingenij acumine cõcentũ inuenerũt, qui ex cõcupiscibili, irascibili, atq; ratione procreetur, quando hæ facultates suum tenorem obseruant, neq; vna in messem alterius falcẽ immittit, alioqui dissonantiam ingratissimam efficiunt. Concupiscibili temperantia voluptatũ contemptrix, gaudens ob penuriam continentia, & verecũdia turpium delectationum inimica tribuitur. Irascibilis autem clementiam, audaciam, fortitudinem, atque constantiam, vti fideles socias sibi adsciscit. Ratio denique intelligentia, perspicacitate, magno sciendi desiderio, consilio, sapientia, atque prudentia decoratur.

His ita constitutis, Platonici concupiscibilẽ, & 3 eius virtutes ad Diatessarõ; irascibilẽ cũ 4 illius ornamẽtis Diapente cõpararunt; & rationẽ iuxta suum septenariũ diapasoni. His autẽ omnibus veluti consonantiarum parens iustitia præest, quæ omnes facultates, & affectiones tam corporeas, quã intellectuales mutuo concordiæ vinculo nectit. Adde quod temperantia è Diatessaronis desumpta ternario; fortitudo ex quaternario Diapente, prudẽtia ex diapasonis septenario, & iustitia ex perfecta harmonia respondent tetractydi, quam tantis laudibus Pythagorici extulerunt, vt inter eos sanctius nihil esse videretur; Quod præsertim ab illis factum esse constat ex eo, quòd quaternarius omnes consonãtias complectatur, atque procreet, nam 1. cum 2. collatum efficit diapason: 1. cum 4. disdiapason, 1. cũ 3. ob proportionem triplam diapason diapente: 3. cũ 2. sesquplam, seu sesquialterã, græcis hemiolion, & 4. ad 3. diatessaron, seu epitritum. Numerus autẽ iste quaternarius 10. generat, cum eius partes in seinuicem ducuntur, quòd si quaternarium in 2. partes diuiseris eo modo, qui sequitur, $\frac{1\,2}{3\,4}$ itaut ex vna parte sit 1. & 2. ex alia 3. & 4. 1. & 2. omnem æqualitatem, & inæqualitatem referunt, ex quibus, velut ex parentibus cæteri numeri, cæteræque consonantiæ progignuntur: ex 3. verò & 4. numerus perfectus septenarius prodit, Capellæ septas, antiquis Ἀθηνᾶ, χαιρὸς, τύχη, vt apud Anatolium habet Anonymus in theolog. arith. Macrobio, de somnio c. 6. Pallas: videatur Eulogius in somnium Scipion. Capella l. 7. & Porphyr. περὶ ἀποχῆς l. 11. & Hesychius verbo χαιροῦ.

* Quo nomine septenarium afficiebant, quia neq; ex paribus fit, nec vllum numerum infra denarium producit. Verùm nimis in istis Pythagoricorũ inuentis exspatiati sumus: Nobisque sufficere debet, quod præclarus ille mundi concentus, quem fortasſis nonnulli meliùs deprehendere poterunt, vbi rationem hanc meditati fuerint, & ordo mundi totius adeo cõcinnus, & harmonicus necessariò quẽdam inuisibilem autorem inferat, qui quidẽ mundum videat, nec tamen ab eo videatur, quẽ nos meritò Deũ appellamus, quandoquidem nihil ei deesse potest, & omnibus abundè tribuit. Libet autẽ apertos hostes diuinitatis ad astra prouocare, illos enim astrologia poterit ad rationis dictamen, & ad aliquam numinis diuini cognitionem adducere.

RATIO XIX.

Sumitur ex Astrologia.

VIx ad hanc rationem me accingere potui, cũ *non sint loquelæ, neque sermones, quorũ non audiãtur voces eorũ*, nec vllo calamo indigeamus, vt Athei sciant diuinam potentiam ab æthereis corporibus enarrari: seipsis enim, vt Psaltes ait, *Cœli enarrant gloriã Dei, & opera manuũ eius annuntiat firmamentũ.* Quanto rectore; quã potẽti artifice opus fuit, vt cœlestes illæ fornices extenderentur, ac tanta pernicitate mouerentur; quis obsecro Deũ esse negare potest, cũ machinas illas rapidissimo motu in orbẽ rotari perspicit, cũ ille motus impetũ accipere nõ potuerit, nisi à solo Deo, siue ad eũ motum naturalem inclinationẽ habeant, siue non habeant, quod probabilius esse videtur, quandoquidẽ illo motu minimè perficiuntur, nec ad vllũ terminũ cœlestes orbes tendere vidẽtur, sed ideo mouentur, vt officia sibi à Deo cõmissa propter electos perficiãt. Itaq; motus illos paulò attẽtiùs spectemus, atq; suspiciamus, vt possimus ad opificis agnitionẽ peruenire. Quis obsecro Saturno tribuit, vt suã periodũ fere 30. annis; quis fecit, vt Iupiter 12, Mars 2, Sol vno, Venus, & Mercurius vno, Luna verò 27 diebus, & 8 horis absolueret? quis spheræ octauæ triplicẽ motũ indidit, vnũ quo totũ cyclũ 24 horis, aliũ, quo ab occidẽte in orientẽ centũ annis vnicũ gradũ, tertiũ deniq; ab Austro in Septentrionẽ, & è contra, quo principiũ ♈, & ♎ huius sphæræ paruulos circulos circa principiũ ♈ & ♎ cœli noni 7000 annorũ spatio cõficeret? nõne Deus? Quomodo propter hominũ vtilitatẽ vnius horæ spatio potest sol milliariorum millionẽ perficere, & ambitum orbis terreni quinquagies adæquare; quisnã stellis virtutem tribuit, vt quæ sunt circa Æquinoctialem, leucarũ viginti milliones percurrant, ac proinde terrenũ ambitum bis millies vna hora exæquent? Nõne Deus? Profectò miraculũ omne superare videtur, vt corpora tã vasta celeritatem omnẽ etiã globi tormento quolibet excussi vincant; vix enim globus etsi moueatur vniformiter centũ horis ambitũ terræ semel absoluet, quandoquidem vno minuto vix tria milliaria conficit, vnde Sol vna hora maius spatium, quàm globus tormenti 5000. horis peragit, & tamen stellarum prope circulum Æquinoctialem sitarum velocitas solari celeritate quadragecuplo maior est; & quidẽ aliquãdo me numerasse memini suppositis astronomiæ fundamentis, minuto quolibet horæ, quamlibet stellã in æquinoctiali sitã leucas triũ milliarium 3768750. cõficere, quod non ita mirũ esse videbitur, si distantiã octauæ sphæræ à terra perpẽdamus, quę tanta est, vt si lapis ab ea descẽdens conficeret quolibet

An cœli naturaliter moueri possint.

Motus planetarũ periodici.

Triplex motus firmamenti qualis, & quotus.

Sol quot Leucas in vna hora conficiat.

Stella in æquinoctiali quot leucas in hora percurrat.

Confertur motus solis cum globulo à tormẽto bellico exploso, & cum stellæ prædictæ motu.

Quot leucas faciat prædicta stella in vno minuto horæ.

Quanto spatio lapis à firmamẽto descenderet in terram. In die quot minuta.

libet minuto leucam vnã triũ milliariũ (tales enim sunt Francicæ leucæ) minuta 53961647. donec orbem terrenum attingeret, impensurus esset, tot enim Leucas firmamenti semidiameter complectitur, vnde lapis intra dies 37473. & minuta 527. caderet, cùm enim in die, seu in 24. horis 1440. minuta contineantur, si per hæc leucas semidiametri octauæ sphæræ diuidas, prædictus dierum numerus exurget, minuta verò 527. quæ restabant, conficiunt 8. horas, & 47. minuta; Dies autem prædictos, si per 365. diuiseris, 102. habes, quibus è concauo firmamenti lapis ad nos vsque descenderet.

Quæ omnia siquis attentè considerat, ac cœlorum magnitudinem, motuumque pernicitatem, & cætera, quæ cernuntur in astris, meditatur, & explorat, dubio procul aliquem esse potentissimum & optimum fatebitur, qui hæc omnia regat, & ad vniuersi bonum ordinet; Enimuero si, cùm orationem, aut historiam, aut tragœdiam, & alia poëmata graphicè descripta videmus, quales sunt Demosthenis, & Tullij declamationes, Plutarchi, Sallustijque historiæ, & Homeri, Senecæ, atque Virgilij poëmata, liberè fateamur hæc omnia ab aliquo auctore fabrefacta, nec fortuitò prodiisse, quantomagis credendum est totum hoc vniuersum, illasque cœlestes machinas ab opifice factas esse, qui necessariò Deus est, quem pulcherrimæ orationis instar omnes creaturæ prædicant, vt illæ mihi pro literis esse videantur, quæ simul appositæ poëma celeberrimum efficiant, quo numinis æterni magnificentia, atque bonitas describantur; & quidem hoc argumentum latissimè deduci posset, at pauca hæc ad Atheũ euincendum fortasse sufficient. Placet autem hîc apponere iustam vniuscuiusque Planetæ periodum, vt si cui placuerit, cuilibet mensi, diei, horæ, minuto, aut alteri temporis parti, huius aut illius syderis motum proprium assignare possit.

Lunæ motus, & mensis peragrationis atq; Synodicus.

Ab infimo autẽ sumã exordiũ; Lunæ mẽsis, qui peragrationis dicitur, (quia 12. signa Zodiaci perficit) est dierum 27. horarum 7. & minutorum 40. cùm die quolibet 13. ferè gradus Zodiaci, minuta 10. secunda 35. perficiat, licet mensis synodicus, quo discedens à sole, ad eumdem reuertitur, longior sit, vtpote 29. dierum, 12. horarum, minutorúmque 44. cùm diebus singulis à sole discedat 12. gradibus, minutis 11. secundis verò 27.

Mercurij motus proprius.

Mercurius in Epicyclo dierum 115. horarum 21. minutorum 5. spatio circulum annuum conficit, eccẽtricus 59 quotidie minuta percurrit; & à sole tantùm per 20 gradus distat. Venus item in Epicylo suum cursum implet 383 dierum, horarum 21. minutorum 12, spatio; Eccentricus verò 365, diebus, horisque 5. cum quibusdam minutis, nam quotidie conficit 59. minuta, secunda 8. & quædam tertia: nequit à sole longiùs, quàm per 40 gradus abesse.

Veneris cursus.

Solis cursus.

Sol diebus singulis conficit minuta 59. 8", 19"', 37"".

Martis.

Martis Epicyclus spatio dierum 319. horarum 22. minutorum 23. mouetur; Eccentricus verò spatio vnius anni, & dierum 321.

Iouis.

Iouis Epicyclus 398. dierum, horarum 20. minutorum 12. mouetur, Eccentricus 11 annorum, 313. dierum, horarum verò 19 spatio cietur.

Saturni.

Saturni Eccentricus 29. annorum; dierum 155. & horarum 8. tempore cursum explet; singulis enim diebus duo minuta, & 35" percurrere videtur; At Epicyclus 378 dierum, 2 horarum, minutorúmque 23. spatio voluitur. Addamus etiam 8. sphæræ periodum. Firmamẽtum, seu sphæra stellata 25798. annos, dies verò 110. in suo cursu perficiendo complet, vnde quolibet die facit tantùm octo tertia, & quindecim quarta, per quot diebus singulis ab Ariete primi mobilis Aries firmamenti recedit. At de his fusiùs aliquando, si Deus concesserit, agemus. Adde quod ad rationem 25. plurima de his allata sunt, quæ hoc in loco non parum iuuare poterunt.

Quot annis firmamentũ motum suum peragat

Quàm difficile sit verum anni magnitudinem inuenire.

Est & aliud in Astronomia, quo Deũ esse probamus; etenim cùm deprehendamus nos semper in quibusdam deficere, adeout non solùm veram solis ab æquatore declinationem, & veras astrorum distantias à terra, verùm etiam alia propemodum infinita, licet nobis familiaria, & necessaria, ex iis, quæ spectant ad cœlos ignoremus, vt in ipsomet anno siue sydereo, siue vertente manifestum est, in cuius vero spatio constituendo laborarunt, & nunc etiam desudant omnes Astrologi. Hinc factum est, vt Ptolomæus Calippum, & Aristarchum erroris insimulauerit, qui diebus 365. & horis 6. annũ constituerunt, & Hipparchum secutus est, dum sex horas integras non addidit 365. diebus, sed 5. duntaxat, cum 14', & 48" partibus vnius diei in 60. partes distributi; adeout annus Ptolemaicus dierum 365. horarum 5. & 46', 24" fuerit; sed annis 742. post Ptolomæũ Machometus Syrus sola 46', & 24" horis 5. addenda censuit. Post Machometum verò 633. annis, seu 1376. à Ptolomæo, 1. anno Christi 1515. Copernicus post Thebitum annum sydereum elegit, quem vertente paulo maiorem 365. dierum, 6. horarum, 9', & 23", aut vt Pontus habet 40" esse statuit. Alphonsus rex horis 5. subiunxit 49', & 16" annum statuit, vt æqualis esset, atque adeo facilior in obseruationibus Astronomicis; quapropter iuxta illum annum tabulæ Alphonsinæ constructæ sunt. Tycho horis 5. vult adiungi 48' 45". Quis iam ad verum scopum post tantos viros collimare poterit? Apage sis Meton, & Entemon, nec enim solstitij punctum annum verum suggeres; satius est æquinoctiale seligere, cùm ibi solis declinatio sit fere minutorum 24. vnius diei spatio. Sed nec illud æquinoctium à labore, & errore nos eximet ob ipsorum æquinoctiorum præcessionem; enimuero quandóque annus 365. dies, 5. horas, 55', & 53" continet, itaut horis 6. quatuor duntaxat prima, & 7" desint, quominus integræ sint; túncque spatio 4. annorum bissextus 16' duntaxat, & 28" aberrat. Aliàs verò 5. horis tantùm adduntur 42', & 38"; vbi bissextus 17' & 22" maior est, quàm par sit; vnde constat 4. annorum spatio bissextum à vero anno per horam 9' & 28" secedere, ac per consequens 10. bissextorum spatio tantus est error, vt 23. horas superet, vt ex 10. illis vnus omittendus esse videatur, vt immobile constituatur æquinoctium. Quod nec ita benè successurum existimauit Tyardeus tract. de tempore, quòd annus pedetentim vsque ad 365. dies 5. horas 55', & 53" extendatur, adeout 300. annorum curriculo, quo 75. bissexti transeunt, vix vnus dies superfluat. Quò fit, inquit, vt differentia inter maiorem, & minorem annum, etiam si parua, nempe 13' & 15", sit causa cur æquinoctia ad immobile momentum reuocare non possimus.

Quotus annus Calippi.

Annus Ptolomęi quãtus.

Annus Machometi.

Annus Copernici vertens Pontus

Alphonsi annus.

Tychonis annus.

Meton.

Maximus annus, & minimus.

Variæ difficultates.

Tyardeus.

Deum esse cõcluditur.

Hinc concludo aliquem esse, à quo doceri possimus, quis reuera sit annus ille, qui nobis æquinoctia ad idem punctum restituat; cùm enim id scire desideremus, vt patet ex tot conatibus, atque laboribus, quos in ea re vestiganda insumunt Astrologi,

nec tamen spes vlla superfit, vt verum illud punctũ attingamus, & desiderium illud frustrandum esse non debeat, inde fit, vt aliquis admittendus sit, à quo scientiam illam expectemus, quippe cum annus ille verus, & accuratus ex natura sua cognosci possit; quid enim repugnat? si sciri potest, illa est cognoscibilitas passiua, vt vocant, cui actiua cognoscendi facultas respondere debet: hæc enim duo se mutuò inferunt. Quas tamen difficultates Gregorius 13. inter labores alios exantlatos, & alia opera ardua suscepta, & ad exitum bene perducta superauit, dum Astronomorum peritissimorum præsidio fultus, instar Cæsaris Sosigenis vtentis opera, æquinoctium vernum illa tempestate ad 11. Martij diem contingens, ad 21. Martij, cui anno Christi 325. à concilio Nicæno affixus fuerat, fœliciter reuocauit; nam per 10. dies ab illo tempore vsque ad annum 1582. anticipauerant, quibus ni cautum fuisset, aliquando vernum tempus in hyeme, autumno, & æstate contigisset, & omnis anni tempestates turbatæ fuissent.

Gregorius 13.

Concilium Nicænum statuit æquinoctium ad 21. Martij, quando

Ea propter ne deinceps ciuilis annus à Iuliano 365. & 6. horarum institutus naturali, vero, & astronomico paulò longior similis anticipationis æquinoctiorum, & per consequens solstitiorum causa futurus esset, vt annus astronomicus 365. dierum 5. horarum, & 48. velut adæquaretur ciuili, statutum est primò vt anno 1582 dies 10, qui alioqui inter diẽ Octobris 5. & 15. interponendi erant tollerentur, & pro 5. die 15. numeraremus, vt æquinoctia sequentis anni 1583. ad pristinas sedes reuerterentur. Secundò quia 134. annis ferè ob ciuilem annum iusto longiorem per diem integrum æquinoctia præcedunt antiquas sedes, ne iam ampliùs illud contingeret, decretum fuit, vt post annum 1600. tres anni centesimi 1700. 1800. & 1900. immediatè sequentes, qui bissextiles esse deberent, reuera non essent; 2000. tamẽ sit bissextilis; sic enim 3. dies spatio 400. annorum eximuntur ab anno, quia 134. annorum spatio per diem vnum æquinoctio præcedũt, quater autem 134, 202. quidem producũt, sed 2. tolluntur anni, vt & numerus sit certior, & quia centenariis istis bissexti, licet reiiciendi, contingũt. Verùm sicut illa præcautio negotiis humanis, & rebus tam ciuilibus, quàm Ecclesiasticis abundè sufficit, ita menti Astrologorum minimè satisfacit, de quibus nunc agimus; enimuerò isti 2. anni omissi, sunt in causa cur etiam aliquantisper erretur in æquinoctiis, quandoquidem annus quilibet ciuilis 12. primis lõgior est astronomico. Hinc fit vt aliqua semper ignoratione laboremus, donec summus ille cœlorum architectus veros illorum motus nobis aperiat. Illi siquidem anni duo pariunt errorem 24. vel secundum Alphonsinorum calculum 20', 8", qui error licet in paucis annis nõ appareat, attamẽ, cum 6. anni faciant errorem vnius horæ saltem, 144. anni erunt in causa, cur à veris æquinoctiis deficiamus per vnum diem, & ampliùs: licet illi 144. anni, qui ex binario annorum in quibuslibet annorum centenariis superflui resultant, non nisi post annos septem mille, & ducentos. At de his satis superque. Restat vt vel nobiscum pessimè actum esse velint Athei, & naturam hominibus crudelissimam nouercam fuisse, quæ tale desiderium nobis inseruit, quod nunquam in hoc mundo perfici potest, vel Deum esse fateantur, qui desiderium illud aliquãdo perficiat: & qui non solùm Astronomorum, verùm etiam idiotarum religiosam vitam ducentium animum totius Astronomiæ capacissimum expleat; alioqui ad quid ista capacitas, si nunquam ad actum reducatur.

Quomodo sub Gregorio æquinoctia restituta sũt.

Remedia in futurum.

Quisnam error deinceps subrepat.

Nos verò latiùs alibi Astronomiæ, cœlorũ, & syderum admiranda proponemus; hîc enim satis existimo fuisse, quod nonnulla obiiceremus Atheis, quibus eorum animus perstringeretur, & ad Deum agnoscendum, & concedendum adducerentur.

Quis enim Atheus exurgere ausit, vbi tam ingentia, & admiranda corpora Deum omnipotentem ostendere, eiusque gloriam enarrare percipit? Si quis proteruus adhuc dubitare velit, scalam sibi cõparet, vt cœlos omnes trãscendat videatque quis sit eorum rector, atque creator; sed priùs sibi vitam diutissimè, si potis est, proroget, quandoquidem non potest ad firmamenti concauum pertingere, tametsi bis mille vixerit annos, ac diebus singulis in altum ad centum milliaria conscenderit: solos enim 73. milliones milliarium conficeret, cùm 80. milliones numerentur; quideinde si totidem milliaria scanderet, necdum ad vsque firmamenti conuexum perueniret; Iam apud se cogitet quandónam ad Empyreum beatorúmue sedem attingere poterit, vbi Dei gloria singulariùs elucescit.

Quoto tẽpore Atheus ad firmamentum ascendere posset.

O miseras hominum mentes, audetne homuncio in suum omniumque rerum authorem, atque seruatorem insurgere? eũque negare, sine quo nequidem loqui, nequidem negare, nequidem esse potest? at fortè tot & tantis rationibus volens nolens cedet, & ad mentem reuocabitur, Deumque verum verè esse fatebitur: quod faxit ipse Deus, qui est vera lux omnem hominem illuminans, ac omnibus rebus esse tribuens. Et quidem vt per me non stet, quin Atheus ad Dei cognitionem ascendat, machinas scansiles, spirituales, & tractorias ex Mechanicis libens offero.

RATIO XX.

Sumitur ex Mechanicis.

NOn tantùm ex scientiis theoreticis ad Deum ascendere possumus, verùm etiam ex practicis, inter quas mechanica non vltimum locum obtinet, quam si iuxta suum omnem ambitum describere velim, nemo est qui non admiretur; quandoquidem miraculorum instar ea sunt, quæ fabricat; nam possumus in eam referre, quæcumque rara, atque mirabilia vulgò nuncupantur. Præsertim verò de machinis agit, cuius causas inuestigat, & assignat, prout rationalis est: operi autem manum admouet, quatenus est Chirurgica, cui artes tam ærariæ, quàm ædificatoriæ, similesque deseruiunt. Illa Manganariam continet, qua, vi minima, pondus maximum tollit; & Mechanopoëticam, qua facilè mediantibus antliis aquas attrahit; Organopoëticam, qua bellica parat, atque fabricat instrumenta, tormenta, arietes, bombardas, &c. Vt iam non ampliùs Salmoneum Iouis tonitrua fingentem commemorare debeamus, quandoquidem hisce nostris posterioribus sæculis inuenti sunt, qui ipsamet fulgura, & tonitrua non solũ in fragore, sed etiam in viribus superare viderentur, qualem ferunt impiũ illum, & omnino perfidum Mahometẽ secundum Turciæ imperatorem, qui cùm vrbem Scutari in Anatolia

Obiectum Mechanicæ.

Eius species atq; partes.

Anatolia circa Euxinum ſitam obſideret, baſilica bellica vtebatur globū ſeptingētarū librarū explodente, vt ipſos mōtes integros euertere potuerit. Huc etiam Ioannem Auſtriacum referre poſſem cum ſuis triremibus, & telis igneis, quibus & fragorem omnem ſuperabat, & omnia ligna ita inflammabat, vt priùs in cinerem cōuerterentur, quàm ab vllo extingui poſſent. Taumaturgicam, quæ ponderibus, ſpiritu, neruis, funiculis mira efficit: qualia ſunt, quæ ſubnatant aquis; aquarū horologia, & cætera hydraulica, quæ per ſe ventorum flatu, aut aquarum variè defluentium impetu voces auium exprimunt: ſiphones incendia extinguentes, æolipylæ ſuſcitantes ignem; & omnia automata, quæ viua facilè diceres: Continet etiam Centrobaricam, quæ rerum omnium centrum aperit. Omitto machinas ſcanſorias architecturæ, vt ad illam μηχανὴν accedam, quæ his ſuccurrit, inquit Ariſtot. c. 1. mechanic. problem, quæ præter naturam facienda ſunt, vbi ſanè conſtat in nobis eſſe diuinæ particulam auræ, cùm ea ſuperemus arte, à quibus natura vincimur, vt Antiphon aſſerebat.

Ariſtoteles.

Antiphon.

Τέχνῃ γὰρ κρατοῦμεν, ὧν φύσει νικώμεθα.

Hanc igitur mechanicarum partem aggrediamur, in qua diuina prouidentia maximè relucet, quæ tantam ingenij vim homini tribuit, vt naturę dominus quodāmodo euaderet; quid enim ei difficile eſt, ſed quid non facile, qui mechanicas perfectè callet. Quid Athee, quid dices, quid excogitabis, vbi videris hominem funiculo nanim è mari ſubleuantem; turres ipſas, & integros montes inſtar globuli huc illuc commouentem? Quid ſi terram ipſam, è ſuo loco ſe dimouere poſſe, & pondus quodlibet aſſignatum vi minima ſurſum leuare polliceatur, vt propoſuit Archimedes Hieroni regi, his verbis δός μοι ποῦ στῶ, καὶ κινῶ τὴν γῆν. i. da mihi vbi pedem figam, & commoueb o terram: quod ſatis experientia comprobare viſus eſt, dum ſolus nauem illam ſubduxit, quam vniuerſa Syracuſanorum multitudo collectis ſimul viribus trahere non potuerat, cùm illam Hiero regi Ægyptiorum Ptolomæo mittere vellet, adeout tantā admiratus ſcientiam rex exclamarit, ἀπὸ ταύτης τῆς ἡμέρας περὶ παντὸς Ἀρχιμήδει λέγοντι πιστευτέον, id eſt, ab hac die credendum eſſe Archimedi, quicquid deinceps aſſereret. Sunt qui Archimede audaciores ſe terram mouere poſſe aſſerant, ſi non in altum, ſaltem motu circulari, ſi plurimas ingentes bombardas in rupem magnam ad angulos rectos dimittant, quæ nunc omitto, plura de his in quæſtionibus allaturus, quæ ad terræ ſtabilitatem, vel motum attinent. Quis vim illam indidit homini, vt giganteos conatus, ne dicam diuinos aggrediatur? niſi is, qui eum è nihilo formauit? Verùm admirare horum miraculorum principium, quod aliqua ratione Dei omnipotentis gerit ſimilitudinem, circulum nempe, qui infinitos angulos eminenter complectitur, ſicut Deus infinitas creaturas; circulus tantæ capacitatis eſt, vt nulla figura ei poſſit adæquari, quid obſecro Deo æquale eſſe poteſt? Deus eſt circulus, cuius centrum vbique reperitur; nunquid circuli centrum vbique reſidet, quatenus vim ſuam in omnes lineas, & totam circunferentiam diffundit?

Deus cum circulo cōparatur.

Circulus igitur mechanicorum omnium principium optimè collocatur, ipſo ſuffragante philoſopho, πάντων δὲ τῶν τοιούτων ἔχει τῆς αἰτίας τὴν ἀρχὴν ὁ κύκλος, id eſt omnium autem huiuſcemodi cauſæ principium habet circulus, quibus ſubiungit, ἐκ μὲν γὰρ θαυμασιωτέρου δὲ συμβαίνειν τὸ θαυμαστὸν, οὐδὲν ἄτοπον. Hinc ergo fit, vt maiores libræ minoribus ſint exactiores, quorum brachia, quæ ſunt inſtar diametri, à ſparto longiùs abſunt, atque adeo citiùs commouentur, quandoquidem res, quæ ſimul cum circulo, vi motus circulo impreſſi mouetur, eò celeriùs mouetur, quò magis diſtat à centro, quod in libra ſpartum vocant, vel, ſi mauis perpendiculum.

Circulus eſt veluti cauſa efficiens, vel ſaltem formalis, aut virtualis omnium mechanicorum.

De libra & eius partib'

Eadem ratione de vecte, atque de libra philoſophandum eſt, ſiue hypomoclion, quod eſt inſtar ſparti, & centri, ſit inter pondus, & potentiā, ſiue in vectis extremo; nec enim inter onus, & hypomoclion potentia collocari ſolet, tametſi non deſunt, qui propter hunc ſitum, hanc tertiam vectis ſpeciem conſtituant; Remum verò ſecundæ vectis ſpeciei tribuere poſſumus, quia fluuius, vel mare reſpectu nauis eſt hypomoclion, ſeu fultura; pondus autem mouendum, ſcalmus cum naui, mouens denique remex; quod & de temone, ſeu gubernaculo, quo nauis huc illud conuertitur, aſſerendum eſt: enimuero mare rationem habet hypomoclij, temonis manubrium, vectis, qui puppi nauigij affixus eſt; quod ſi temonem remū appellare volueris, cardines infixi puppi ſcalmus efficientur; verùm hic remus ad latera, ille antrorſu n nauem commouebit.

De vecte & variis illius hypomoclijs.

De remo, & remi partibus.

De temone, qui & remus dici poteſt.

Quid de antennis dicam, quæ quanto ſubliniores fuerint, eò celeriùs nauigia propellunt? nā malus longioris vectis rationem habet, quando antenna ſublimior eſt; fulturæ vices mare circa pedem arboris ſuſtinet, onus eſt ipſa nauis, ventus autem potentia mouens. Eadem circa trochleas conſiderari poſſunt, quales ſunt illæ ſtriatæ, quibus ad aquam è puteis hauriendam vtimur, quarū centrum immotum fultura dicenda eſt: diameter, vectis; ſitula funis ductarij extremo ſuſpenſa, pōdus; potentia denique collocatur in alio funis extremo.

Antennæ, & malus.

De trochleis, & earum partibus.

Omitto ſcytalas Ariſtotelicas forſitan à Laconicis diſtinctas, quas eò moueri dicit celeriùs, quò maiores fuerint, & quibus pondera faciliùs, quàm curribus ferantur: Iuga telaria, quibus tam ſtamen, quàm tela contexta facillimè collopum beneficio circumponitur: quia collopes ſunt vectes lōgi, quorum fultura eſt in medio iugi, pondus in eiuſdem ſuperficie, vnde tela, vel ſtamen pendet; potentia vero, manus textoris collopem mouens, & attrahens: ſucculas, quibus in lapidicinis ad extrahendos lapides iuuantibus collopibus vtimur, vbi medium, vel axis ſucculæ hypomoclij vices gerit.

De ſcytalis Ariſtotelicis.

Iuga telaria, & earum partes.

De cuneis, & eorum hymoclio.

Quid referam cuneos hymoclion, in cono habentes, & duplicem vectem pro latere duplici continentes, qui lignum, vel lapides findendos mouent, idque malleorum ictibus: polyſpaſtos cū ſuis trochleis, ſtriis, funibus ductariis, & pegmatibus, ſeu loculamentis, quibus per rotarum multitudinem vires in infinitum multiplicare poſſis. Denique ſecurim, bipēnen, enſes, mucrones, terebras, ſeras, & quæcūque referri poſſunt ad cuneum omitto, vt ad Deum verum redeamus, à quo vis & motus omnis oritur; vbi tamen aduertendum eſt ſecurim antiquam ex duobus circulis per centra ſe mutuo ſecantibus oriri, quæ pelecoides appellantur, teſte Proclo in 23. primi Euclid. cuius figuram oſtendet poëtica ſimmiæ ſecuris in Epeigrariam, (qui Duriū equum Troia-

De polyſpaſtis & illorū viribus.

Securis, terebra.

Pelecoides quid ſit.

num architectatus fuerat) concinnata, quando bipennem suam Mineruæ Deæ in Gargaria Italiæ regione prope Metapontum dedicauit; illa Simmiæ securis operibus Theocriti subiungitur.

De statera, & eius partibus.

Quis amabo homini suggessit stateræ inuentionem, vt iustitiæ virtuti pulcherrimæ seruiret? quis eum docuit, vt trutinā pro hypomoclio, pro pondere collocaret æquipondium, & pondus in lance constitutū potentiam repræsentaret? quis ei stateręhastam pro vecte, & pro sparto trutinā suggessit? vnde forcipum (quibus dentes, & claui tam facile extrahuntur) hymoclion in connexione duorum laterum, tanquam duorum vectium vnica fultura nitentium, statuendum agnouit? Tantáne cæcitate vllus imposterum Atheus affici poterit, vt non videat tollenones, vel celonia non potuisse reperiri ab homine, nisi naturæ parens Deus optimus mentem illam indidisset, qua super tigno transuersam hastam ageret, quæ vectis instar in vno extremo vim motricem, in alio pondus hydriæ, fultura interim in tigni vertice constituta, teneret? I nunc & vbique diuinam prouidentiam admirare, quæ non solùm omnia fecit in numero, pōdere, & mensura, sed illam animi vim homini contulit, vt omnia, quæcúnque perficeret, & excogitaret, numero, pondere, & mensura complecteretur: ipsos aspice rusticos, cùm phalangant, cur onus in medio phalangæ accommodant, nisi quia dū ex æquo distant ab onere, quod hypomochlij vices obit, alter alterum æquè premit, & vterque gestantium fit illud, quod phalanga, seu vecte mouetur, & eodem modo alter alteri fit pondus; alioqui si quis ab onere remotior fuerit socium premet veluti pondus, contranitente oneris hypomoclio, & ipse rationem potentiæ vectem mouentis induet.

Forcipes cū partibus.

Tollenones, vel celonia, & eorum partes.

De phalangis rusticorum.

Hîc aduersus Atheos nota.

Itaque his præmissis plumbeum dixero, qui nō ad Dei cognitionem surrexerit, quemadmodum enim nauigium sine temone, & antennis: trochlea sine pegmatibus: vectis sine hypomoclio; collopes sine iugulo, vel succulis; statera sine æquipōdio; libra sine lancibus, & sparto: circulus denique ex omni parte mirabilis absque centro, mundus sine circulo stare nequit, ita neque homo, neque angeli, neque cœli, & astra, neque elementa, neque nauigia, trochleæ, phalangæ, libræ, rateræ, vectes absque Deo esse possunt.

Scio quidē non deesse, qui negent circulum ex contrariis constitutū esse, qualis est Bernardinus Baldus in mechanica Aristot. sed illud nolim hic discutere.

Circulus figurarum miraculum, est omnium mechanicorum principium, & causa; Deus verò rerum omnium; circulus, licet vniformis, ex contrariis constitutus esse videtur, cùm oriatur ex cōmoto, & commouente: nam vnius rectæ lineæ circunuolutione perficitur, cuius alterum extremum fixum manet, alterum verò circumagitur; nunquid in Deo ἐναντία locum habere videntur, dum immotus omnia mouet, & in se incircunscriptibilis, & infinitus, in suis operibus finitus, & circunscriptus apparet? vnde Athei perperam concludunt diametrum esse sine centro, & lineam sine extremo, creaturas enim linearum instar aspiciunt ac velut, semidiametros contemplantur, verum de fine, de centro, de principio, de circulo omnia continente, de Deo, à quo lineæ, & omnia proficiscuntur minimè cogitant.

Nihil obstat quod hęc circuli proprietas

In circulo rursus concauum, & conuexum inter se contraria sunt, nam quemadmodum paruū & magnum inter se commutari nequeunt, nisi priùs ad æquale perueniant, ita concauum in connexum transire nequit, nisi priùs in lineam rectam euadat.

ellipsi hyperbolæ, parabolæ, spiræ, cyssois, & cōchois conueniant, satis enim est quod priùs circulo.

Sanè nunquam poterit Atheus ad agnitionem maiestatis diuinæ pertingere, quæ veluti rerum omniū cōuexa superficies ambit omnia nisi ex illa cæcitatis, & impietatis suæ cōcauitate, & curuitate, qua in seipsū ita curuatur & cōuertitur, vt sibi soli credat, séque omnia cōprehendere posse arbitretur, velut è profundis, & concauis latebris erumpat, & ad rectam rationis rectæ lineam assurgat, quæ satis conuincit Deum conuexę superficiei instar toti naturæ præsidentem, omnia concludentem, ad quem nemo pertinget, donec ad rectæ rationis normam, tanquam ad lapidem lydium, & Polycleti regulam actiones, & cogitationes suas componat: Abijce ergo tuum κακὸν ἐμ-κρὸν, vt ad infinitum illud κοινὸν, καὶ τὸ μέγα perueniаs, atque propriæ pusillanimitatis oblitus, cogita aliquid esse tuo captu maius, quo maius nihil: optimum quò melius: verissimum, quo verius: iustissimum, quo iustius, pulcherimum, quo pulchrius: potentissimum, quo potentius nihil esse, vel excogitari potest.

Non quod sit in Deo superficies, sed infinita potentia, qua omnia cōplectitur.

Deus igitur est instar circunferentiæ infinitæ, quæ licet ex linea indiuisibili constet, illam tamē contrarietatem, atque repugnantiam in se complectitur, vt qua parte concaua est, eadem conuexa esse nequeat, si tamen partem in linea secundum latitudinem statuere possumus.

Acuta Dei cum circūferētia collatio.

Quænam obsecro in Deo potest inueniri contrarietas, & veluti repugnantia? nunquid productio, & improductio vt ita loquar, vel potiùs generatio, siue nascibilitas, quæ verbo, & innascibilitas quæ patri conuenit? ac si hæc illam quodammodo contineret, quatenus pater cui conuenit innascibilitas, filium continere censetur, quia vim illius productricem habet: quod & actiuæ spirationi patri, filióque communi, spirationi passiuę, quæ est in Spiritu sancto accommodari potest. Veruntamen illæ contrarietates, & veluti repugnantiæ, vel potiùs distinctiones personales inter se perquamoptimè conueniunt, & in vnica diuinitatis indiuiduæ natura, tanquam in indiuisibili linea, sine dissidio, summa pace morantur, licet filius pater esse nequeat, neque Spiritussanctus filius, aut pater, neq; generatio passiua mutari posiit in actiuam, neque passiua spiratio in actiuam spirationem.

O mirabilem circulum, ô numen non solùm vectis, & trochleæ, sed rerum omnium principiū, finis & exemplar; cuius conuexitas, infinitudo; cuius concauitas, potentia; quæ res ad opus deducendas respicit, cuius diameter, ipsa creatio, cuius centrum, ipsa essentia, nisi totius diuinitatis centrum malueris patrem æternum appellare. qui sicut centrum lineas, ita filium, & Spiritum sanctum producit, nam quemadmodum centrū immobile, & velut improductum censetur, à quo nempe linearum omnium principium oritur, ita pater est improductus, & ingenitus, ac proinde penitus immobilis est, siue κυρίως, siue θετικῶς, aut alio quouis modo loquamur: vbi tamen filiū, licet impropriè, & καταχρηστικῶς, sicut & Spiritum sanctum mobilem apprehendere possumus, si personas illas in ipso exitu à producente manantes contemplemur, aut productiones illas motus nuncupemus, non locales, nō alteratiuos, aut corruptioni obnoxios, sed ex omni parte, & infinitè perfectos, quippe qui diuini sūt, imo & ipse Deus.

Quomodo Deus pater immobilis dici possit. aliæ verò personæ mobiles licet impropriè, & abusiuè.

Quod

Quomodo per circulũ explicatur opera ad extra esse communia tribus personis.

Quod si patrem centro, filium & spiritum sanctum lineis comparemus, cur non ipsam superficiem concauam creationi, atque creaturis, cùm ab omnibus personis ex æquo producantur, sicut à lineis & centro, circunferentia describitur. Vbi aduertas velim centro superficiei descriptionem peculiari ratione posse tribui, sicut patri creatio per appropriationem, & accommodatitiè tribuitur, quia opus est potentiæ, quæ ratione singulari patrem spectare videtur, vt pote principium sine principio, ne fortè robur paternum ob senilem ætatem defecisse suspicetis, prout apud nos contingit, nam in diuinis nulla præter æternitatem ætas; in qua neque iunior quis, neque senior, neque virilis ætas, & adolescentia, vel infantia, sed omnia simul ab æterno infinita sunt.

Vide hic mirabilem D. Tho. 1. p. q. 39. a. 8.

Quicquid Baldus Vrbinas Aristoteli repugnet, facilè in concordiã circa proprietatẽ hãc, & alias circuli in concordiã reuocari possunt.

Te te infœlix Athee prouoco ad centrum illud diuinum; è creaturarum tandem aliquando concauitate, & è cæcitatis, atque pertinaciæ tenebris ad illam rerum omnium causam euola; vt circuli mechanici, simul & diuini reliqua mirabilia tibi libenter aperiam. Itaque circulus contrarijs simul motibus mouetur, nempe ad locum posteriorem, & anteriorem, ἅμα γὰρ εἰς τὸ ἔμπροσθεν κινεῖται καὶ τὸ ὄπισθεν; sicut Deus simul misericordia & iustitia, quæ contrarijs motibus ferri videntur, in suis operibus moueri videtur, qui etiam corruptibilia, & incorruptibilia, corporea, & spiritualia diuersis motibus agitata producit.

Linea ipsa, quæ circulum describit, aduersa continet, primum scilicet, & extremum; & quæ ex primo loco circumagi cœpit, ad eundem postremò reuertitur, itaut primum & postremum ipsius sint vnum, & idem: cur igitur non dicemus circulum omnium miraculorũ principium? quandoquidem οὐδὲν ἄτοπον, inquit Philosophus, τὸ πάντων εἶναι τῶν θαυμάτων αὐτὸν ἀρχήν. Vt ergo ea quæ περὶ τὸν ζυγὸν, id est, libram fiunt εἰς τὸν κύκλον ἀνάγεται, καὶ περὶ τὸν μοχλὸν vectem εἰς τὸν ζυγόν; & alia ferè omnia τὰ περὶ τὰς κινήσεις μηχανικάς, εἰς τὸν μοχλὸν referuntur, ita quæcunque fiunt in elementis, & mixtis tam viuis, quàm inanimis, ad homines, & homines ad Deũ velut ad circulũ infinitũ reducuntur, atque referuntur, Omnia enim propter seipsum operatus est, cuius in conspectu vix instar roris antelucani sumus. Superest, vt aliam circuli proprietatem subiungamus, qua faxit Deus optimus, vt veluti polyspastis, ac subtilissimis succulis Athei è tenebrarum abysso ad diuinitatis lucem ineffabilem eleuentur.

Itaque in linea, quæ discedit à centro, & vsque ad circunferentiam pertingit, infinita puncta cõcipi possunt, quæ tamen omnia inæquali velocitate ferantur; nam punctum illud, quod à circuli centro remotius est, vel vt loquitur phillosophus, ἀπὸ τοῦ μένοντος πέρατος πορρώτερον ὄν, θᾶττον, celerius mouetur, quod à termino manente longiùs abest; tardius vero, quod minus abfuerit, seu centro proximiùs: ex qua circuli proprietate πολλὰ τῶν θαυμαζομένων συμβαίνει περὶ τὰς κινήσεις τῶν κύκλων, pleráque miraculorum accidunt circa motiones circulorum.

Aristoteles.

Aspice verò quàm pulchrè ad ipsum Deum circulorum circulum, sphærarúmque sphæram infinitam ex illa circuli proprietate ascendamus; enimuero creaturę meritò lineæ dici possunt, quę totius mundi circunferentiam, atque sphæram componunt; quarum puncta eò celeriùs mouentur, atque corrumpuntur, quò magis à Deo recesserint; quod enim est celerior motus in punctis lineæ remotioribus à centro, hoc est minor diuinæ bonitatis communicatio; creatura siquidem eò propinquiùs ad Deum accedit, quò nobilior est, quò paucioribus mutationibus obnoxia, quò redditur immobilior, quia tunc immoto, & immutabili similior: est autem minus mobilis, quò maius, & melius esse, seu perfectiorem naturam, formam essentiam, existentiam, atque subsistentiam à Deo accepit, nihil enim habet præter ea, quæ sibi à Deo concessa sunt. Vnde quia Angeli Deo viciniores facti sunt, eo minus à centro distant, vt eis proximius lineæ punctum tribuere possimus, licet inter hoc punctum & centrum alia sint infinita puncta, quæ ei semper & semper in infinitum propinquiora fiunt, ita tamen vt omnia nunquam pertransiri possint, quia infinita; sicut omnes creaturæ inter Deum, & Angelos possibiles, cùm infinitæ sint, simul, vel saltem successiuè produci nequeunt.

Vnde creaturarum perfectio desumatur, quæ lineis comparantur.

Pulchra hic explicatur.

Homines sequuntur, & in puncto sequente constituendi sunt, mox in alio belluæ, deinde plantæ, mixta, meteora, elementa, atque materia prima, quæ vento mobilior est, suo cuique puncto assignanda sunt. Verùm sicut nullum cum centro punctum continuum esse potest, ita neque cum superficie, quia inter quamlibet partem lineæ quantumcumque circunferentiæ vicinam infinitus punctorum numerus intercedit; quemadmodum inter materiam primam, quæ inter substantias imperfectissima, & quantitatem, vel figuram, quæ inter omnia accidentia minimè perfectionis censentur alias infinitas substantias, & accidentia maiori imperfectioni obnoxia collocari posse arbitror.

Quid ergo dices ad hæc? si figura, quæ inter omnes creaturas vltimum locum obtinere videtur, ita nos perducit ad Dei cognitionẽ, vt eum ne quidem vllus volens ignorare possit, quantò magis angelorum perfecta natura nos ad diuini numinis cõtemplationem euehet; quo nos tot rotarum, tot partiũ, tot musculorum, neruorum, arteriarum, & venarum, quæ componunt hominẽ, meditatio, quò nos astra, eorúmque mirabiles circuitus, quò denique creaturarum vniuersitas nostram cognitionem prouehet? Sed iam vela contrahamus, & cum philosopho huic ratiocinationi finem imponamus, qui hæc habet.

Aristoteles. de proprietate circuli.

Quoniã verò secũdũ contrarias, simul motiones mouetur circulus, & alterum quidem τῆς διαμέτρου extremum εἰς τοὔμπροσθεν, θάτερον δὲ εἰς τοὔπισθεν, antrorsum, vel, vt Leonicenus vertit, in ante, & retrò, efficiunt nonnulli, vt ab vnica motione multi simul contrariò moueantur circuli, quemadmodum sunt illi, quos proponunt in locis sacris, ποιήσαντες τροχίσκους χαλκοῦς τε καὶ σιδηροῦς fabricantes orbiculos æneos, atq; ferreos; quales arbitror in nostris ferreis, æneis, argenteis, & aureis horologijs esse solent, quorum vnus motu suo denticulorum ope plures alios commouet, ita tamen vt si primus antrorsum moueatur, secundum retrorsum cõmoueat, vel è contrario, sicque de cæteris.

Horologia

Quæ cùm animaduerterent δημιουργοί, multa instrumenta fabricauerunt, quæ quia suopte nutu moueri, diuersósque cursus peragere viderentur, dixerunt automata, illorum vero principia occultarunt, vt illa machinæ pars solùm appareret, quæ parit admirationem; quos sequentibus verbis Aristoteles docuit. ποιοῦντες τὸ κινοῦμεν ἐμφανὲς ὄν τῷ κύ-

Ariſtoteles κύκλου τὴν φύσιν οἱ δημιουργοὶ κατασκευάζουσιν ὄργανον πρὸ πλείστης τὴν ἀρχὴν ὅπως ᾖ τῆς μηχανικῆς φανερὸν μόνον τὸ θαυμαστὸν, τὸ δ' αἴτιον, ἄδηλον. Nunquam fecero; ſi referre velim omnia, quæ mechanica ſuggerunt. de quibus plurima leges apud Archimedē de Aquæ ponderantibus, Commandinum de centro grauitatis ſolidorum Guid. Vbald. Bernardinum Baldum, & Blancanum in loca mathematica Ariſtotelis.

Hanc tamen vltimam circuli proprietatem Atheus Deo tribuat, quam maximè velim, enimuero non paucos arbitror deſpondere animum, de numinis diuini prouidentia diffidere, & ipſam Dei præſentiam ex mente ſua, & è mundo excutere, quod circulum illum, vel ſphoeram diuinā infinitam contrarias in partes ſeſe, vel potiùs creaturas veluti commouentem minimè cogitent; ſtatim enim atque impius videt malos florere, bonos laborare, illos bonis omnibus affluere, hos omni genere tribulationum atque dolorum opprimi, ea verba profert, quorum regius pſaltes meminit. *Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus.*

Obiectio Atheorum diſſoluitur. Dicis, non eſt Deus, quia iuſtos vides agitari retrorſum, & opprimi, ſed altiùs paulo mentem erige, nam quos in hoc mundo retrorſum agi vides, poſt obitum in æterna tabernacula recipientur, & ſuum retrorſum in fœliciſſimum antrorſum commutabunt: vbi reprobi, & iniqui à regno filiorum expellentur, & deorſum in exteriores tenebras mittentur, qui ſurſum aſcendere videbantur: quod pręclarè deſcribit pſalmographus Pſalm. 36. *Vidi impium ſuperexaltatum, & eleuatum ſicut cedros libani. Et tranſiui, & ecce non erat, & quæſiui eum, & non eſt inuentus locus eius*; qui etiam Pſalm. 7, 34, 72, 73, 82 & alibi ſæpe maledictis illis mala plurima imprecatur, de quibus Pſal. 72. v. 20. hæc habet. *Velut ſomnium ſurgentium Domine, in ciuitate tua imaginem ipſorum ad nihilum rediges.* Faxit Deus Opt. Max. vt Athei noſtri neque ad nihilum redigantur, neque in profundum abyſſi demergantur, ſed eorum locus in æterna gloria reperiatur, quod profectò continget, vbi ſeriò reſipuerint, Deum omnipotentē agnouerint, eūque toto corde, totaque mente vſque ad extremum ſpiritum dilexerint, quos vt magis ac magis ad illud prouocem, ſequentem etiam probationem ex omnibus ſcientiis peculiaribus breuiſſimè cōcinnatam attexam, quam in tot argumenta diuinæ bonitatis, atque prouidentiæ quis dirimere poterit, quot erunt ſcientiæ, vel artes, quæ enumerabuntur: quod fuſiùs, & accuratiùs, quam 15 ratione præſtabitur, nec ſæpe nimis per ſcientias prima veritas aduerſus Atheos probari poteſt, præſertim cùm illi omnimoda curioſitate ducantur, quam omnes ſcientiæ ſuggerunt. Pſal. 36. & 72.

RATIO XX.

Qua Deum eſſe aduerſus Atheos probamus, ex quibuſlibet ſcientiis, & artibus deducta.

Circulum eſſe mirabilem, & eo numen diuinum repręſentari nuper oſtendimus; vbique verò circulos inuenio, nam cœli, ſydera, aër, aquę, terra, & omnia ferè mixta circuli ſunt, vel aliquos circulos in ſe complectuntur. At verò inter circulos primùm locum obtinere mihi videtur circulus, ſeu circunferentia capitis humani, quod poſſumus cum archetypo mundo conferre: nam ſcientias omnes, & omnem cognitionem, qua nunc Deum eſſe probamus, amplectitur, vt aliquomodo hominem omniſcium aſſerere poſſimus.

Quotuplex ſit cognitio humana. Nam ſiue de cognitione humana, ſiue diuina, de ſenſitiua, vel rationali, de infuſa, vel acquiſitiua loquamur, in capite continetur, in quo primi occurrunt externi ſenſus quinque numero, quos interni quinq; ſequuntur nempe ſenſus cōmunis, imagnatio, phātaſia, æſtimatiua, atque memoria, primus ſenſus internus omnia ſolus apprehendit, quæ per 5 ſenſus externos cognita fuere. Secundus inter res apprehenſas diſtinguit; tertius res non ſenſatas, vt odium & inimicitiam agnoſcit; quartus vnum ſingulare ex alio colligit, quintus denique ſpecies rerum ante commemoratarum reſeruat, ac velut in theſauro recondit. Officia ſenſuum 5 internorum.

Rationalis cognitionis infuſæ diuiſio. Fides. Theologia. Verùm à rationali cognitione placet exordiri, quæ ſi fuerit inſpirata, dicetur fides, quam Deus infundit: ſi partim infuſa, partim acquiſita, theologiam appellamus, quæ ex articulis fidei, veluti certiſſimis principiis, multas, & indubitatas cōcluſiones elicit, & de Deo agit, prout omnia ſunt ab ipſo, & per ipſum, & omnia tendunt in ipſum, vt tandem in eo perfectè conquieſcant. Si vero rationalis cognitio inuenta eſt, multiplex à quibuſdam aſſignatur, nempe ſemper vera, aliquando vera, aliquādo falſa, & ſemper falſa. Hîc autē abſit, vt agam de ſemper falſa, vt inertia, inſcitia, & inſipientia: aut de ea, quæ aliquando falſa eſt, interdum vera, vt opinione, ſuſpicione, & fide humana; quandoquidem illas cognitiones perſequor, quæ ſunt ſempiternæ veritatis, vt nobis eum manifeſtent æternum Deum, quem inquirimus, ad quem tendimus, & in quo conquieſcere ſperamus, atque vehementer deſideramus, *Sitiuit* enim *anima mea ad Deum fortem viuum, quando apparebo ante faciem Dei*, inquiunt omnes iuſti cum propheta regio. Cognitionis inuentæ diuiſio generalis

Itaque philoſophiam omnium artium matrē, vt pote ſemper veram aggredior, quippe quæ de rebus omnibus, earumque cauſis, & effectibus diſcurrit. Illa vero eſt vel contemplatiua, quam alioqui theoreticā, & ſpectatiuam appellant; vel practica, quam dicunt moralem, actiuam, & actuoſam, vel effectiua, quæ alio nomine poëtica, & ars nuncupatur, quarum prima contemplatur, vt ſciat; ſecunda vt agat, & opera virtutum moralium efficiat: tertia denique, vt efficiat. Philoſophia. Speculatiua. Actiua. Effectiua.

Theoretica vel metaphyſica, ſeu tranſnaturalis, quæ res ab omni materia ſeiunctas conſiderat, vt Deum, & Angelos, vel doctrinalis, quales ſunt mathematicæ, quæ res medias, id eſt res, quæ reuera materiales ſunt, vt lineam, & figuram, ſed Theoretica diuiditur.

sed absque materia considerant, vel naturalis, quæ de rebus materialibus, vt cœlo & elementis ex professo agit.

Metaphysica. Metaphysica cognoscit axiomata prima, primásque propositiones, vt est mens, seu habitus principiorum; vt verò sapientia denominatur, ex illis principiis conclusiones certas de rebus diuinis colligit; quæ si diuina fuerit, Deum abstractum à materia physica, atque metaphysica, seu genere physico, & methaphysico, quod prædicamentum dicimus, inspicit: si transcendens, seu indifferens, ea spectat, quæ abstrahunt à genere prædicamenti, licet ad genus contrahi possint; sic ens abstrahit à substantia, & accidente, à spiritu & corpore; potest enim esse substantia, vel accidens, corpus, aut spiritus. Angelica verò spiritus à materia physica, nempe à corpore abstractos considerat.

Habitus primorum principiorũ. Sapientia. Diuina. Trãscẽdẽs. Angelica.

Philosophia naturalis. Naturalis philosophia rerũ corporearũ naturas, proprietates, & effectus speculatur: quę si physica dicitur, quadruplici diuisione gaudet, enimuero physica communi retento nomine, tractat de corpore naturali, quatenus mobile est iuxta varios motus, generationem, corruptionẽ, augmentum, decrementum, motúsque locales, quibus corpora obnoxia esse solent. Secunda est Alchimia, quæ agit de corpore naturali, prout coagulabile, & dissolubile est per naturam, arte iuuante. Tertia dicitur magia naturalis, quæ de corporibus tractat, quatenus admirandos effectus edunt, idque per causas nobis occultas, & qualitates specificas, in quarum explicatione sæpius ad antipathiam, & sympathiam recurrimus. Vltima medicinæ nomine gaudet, quæ de corporibus agit, vt sanitati, & ægritudini obnoxiis.

Alchimia. Magia naturalis. Medicina.

Ne verò tractu longiori scientias omnes simul enumerem, per hactenus allatas Deum esse probemus, mox ad alias redituri. Facilè per sensuum externorum, & internorum cognitiones excurrerem, quorum, internorum præsertim, vnusquisque rerum tam diuersarum cognitionem in se complectitur, vt in memoriæ laudibus efferendis, atque natura describenda D. Augustin. plurimum insudauerit in libris confess. hac enim Dei similitudinem in nobis circunferre videmur, nam sicut Deus omnium rerum tam sensibilium, quã insensibilium ideas in se cõtinet, ita & memoria, qua tantùm valuit Esdras, teste Eusebio de ratione temporum, vt integram scripturam sacram de verbo ad verbum recitauerit, cui similis fuisse videtur Charmidas apud Plin. lib. 7. cap. 24. qui libros omnes, quos legerat, memoriter recitabat: omnium Atheniensium Themistocles, Cyrus militum 3000. Scipio totius populi Romani nomina sciebat: Cæsar legebat, scribebat, audiebat, & dictabat eodẽ tempore, quem ducentos versus ordine retrogrado dixisse Seneca refert, quos ducenti scholastici ei dictauerant; nunquam legebat Porcius, quod scripserat: & vt ad Sanctos accedam, D. Antonius D. August. teste, integros scripturæ sacræ libros memoriter didicerat, & intelligebat; Nepotianus, vt refert D. Hieron. in eius Epitaphio, patrum omnium minimè laudatorum sententias ex integris concionibus distinguebat: Clemens autem sextus ob ictum quem excepit in capite, memoria fœlici deinceps fuit, teste Petrarcha; quos omnes Metrodorus mihi superasse videtur, qui de verbo ad verbum omnia referebat, quod plures eodem tempore loquendo dixerant: Palladius etiam non paucos ait Thebaidos incolas vtrumque testamentum calluisse: vnde Socrates nil scribere volebat, sicut neque Pythagoras, quòd existimarent bibliothecis aboleri memoriam, quia memoriter ediscere negligimus, quæ libris concludi nouimus.

Augustin. Memoria Esdræ mirabilis. Eusebius. Plinius. Plurimi referuntur, qui valuerũt memoria. Seneca. August. Hieron.

Ob memoriam cõseruandã antiqui nihil scribebant.

Nihil etiam Ægyptij Druides, & Bardi scribebant. Et quidem tanta est memoriæ capacitas, vt impossibile sit ab alio esse, quàm à Deo, nam illa est respectu creaturarum omnium, vt cœlum stellæ respectu: quod enim est pilus in capite, granum arenæ in mari, pars proportionalis in quanto, hoc sunt omnes creaturæ in memoria, quæ in minimo illius angulo contineri possunt: illa siquidem figuras omnes Geometrarum, numeros Arithmeticorum, stellas astrologorum, lithurgorum lapides, metalla Chymicorum, simplistarum, seu Herbariorum plantas, naturalium animalia, narrationes historicorum; prosopographiam omnium, qui à mundi principio floruerunt, maria, tractus, & regiones Geographorum, loca topographorum, ortum, atque mutationes imperiorum, canones legésque Iurisconsultorum, omnia denique memoria comprehendit.

De capacitate memoriæ.

Quid dicam de laudibus imaginationis, cui omnia opera, quæ raram industriam sapiunt, optimo iure debentur? nunquid enim Homeri Odysseas, & Ilias, nunquid Æneis Virgilij, Dialecticorum subtilitates, Musicę cõsonantiæ, Geometricæ figuræ, & omnia mechanicarũ automata ad eam referenda sunt? quis non miretur scachorum integrum ludum in vnico grano piperis includi? quis non duos versus Homeri milij grano circunscriptos? sed & ipsæ prophetiæ, atque reuelationes supernaturales imaginationis ope contingunt, qua si quis caruerit, neque prudens, neque subtilis erit. His tamen omissis sensibus, qui satis authorem suum esse conuincunt, ad cognitionem rationalem accedamus.

De laudib. imaginationis.

Fides infusa, & ex eo deducta theologia vocabulis ipsis Deum includunt, quem esse supponunt, *Accedentem enim ad Deum credere oportet, quia est*; philosophia verò contemplatrix à scientia diuina simplicis intelligentiæ oritur: practica verò à scientia visionis, & actuosa à scientia creationem ipsam concomitante: Datur metaphysica, sed eius obiectum primarium ipse Deus est: naturalis cœlum & terram contemplatur, illud est Dei thronus, hæc autem scabellum pedum eius: de mathematicis antea dictum est, & postmodum alia subiungemus: habitus primorum principiorum idem numen conuincit, cuius existentia, tanquam axiomate summo fulcitur, vel si mauis ipsa sapientia eum esse concludet ex eo, quod impossibile est idem simul esse, & non esse.

Omnes scientiæ Deum esse probant. Probatur ex altioribus scientiis.

Sapientia diuina Deum ab omni genere secretum contemplatur: angelica nobilissimas illius creaturas: transcendens, ipsum ens abstractissimum: at quid Deo abstractius esse potest, quod nullo prædicamento includitur; & tamen intellectus virtute ad substantiam contrahi potest, nõ quia substat accidentibus, sed quia omnia sustinet, atque subsistere facit ex se subsistens, ratione cuius aliæ substantię mera sunt accidentia, sunt enim entis entia, quia magis à Deo pendent in esse, & conseruari, quàm accidentia à substantia,

quam lux à lucido corpore, quàm intellectus ab anima, quàm existentia à subsistentia.

Ex physica. Si naturalis philosophia rerum corporearum causas, & effectus scrutatur, nunquid ipse Deus est causa causarum: si corpus spectet, vt mobile, Deus immobilis est, & omnia mouet immotus, nec vllus motus esse potest, nisi quid immobile supponatur, sicut nec tenebræ propriè dictæ, nisi præcesserit lumē, igitur physica Deum esse probat, quàm si voces Alchimiam, magnum illum chymicum ostendet, qui lapides, qui metalla, qui meteora soluit dissoluit, firmat, perficit: *Qui dat niuem sicut lanā, nebulā sicut cinerē spargit. Mittit chrystallum suam sicut buccellas, ante faciem frigoris eius quis sustinebit?* Psal. 147. Quis sicut Deus? qui spagyriam, & pyrotechniam ita nouit, vt non tantùm paralyticos, hydropicos, arthriticos, & elephanticos à dogmaticis relictos curet, sed & mortuos ad vitam reuocet? quis sicut Deus? qui chymicorum errores aspicit, & irridet, dum assiduè metalla comburunt, calcinant, cæmentant, dissoluunt, putrefaciunt, maturant, digerunt, fixant, sublimant, fulminant, circulant, filtrant, graduant, rectificant, reuerberant, proiiciunt, coagulant & mille modis versant, atque difformant? Quis sicut Deus? qui omnia vitra, sales, cineres, liquores, & quintas essentias perfectè nouit, quæ ex lapidibus, metallis, & plantis extrahi possunt? qui solus lapidem philosophicum, & puluerem proiectitium metallis, vel aliis mixtis indidit, si vera, non autem fabulosa sint, quæ de his enarrantur.

Ex alchymia. Psal. 147. Chymicorū otiosæ, & vanæ operationes.

Quàm sapienter magia naturalis ad Deum omnium miraculorum effectorem recurrit, dum antipathiæ, vel sympathiæ rerum nullam rationem inuenire potest, Deus enim doctissimorum fidelium asylum est, vbi humana ratio deficit, sicut antipathia, & consensus rerum, Atheorum, qui ad fictitia sese malunt recipere, quàm nobiscum fateri Deum esse, angelos esse, dæmones esse, & vera miracula fieri. Iam verò ad asylum nostrum per alias scientias licet inferiores, tanquam per scalas ascendamus, quarum vnaquæque scientiæ particula gradus esse potest. Quod in sequenti probatione faciemus, ne ratio hæc longior esse videatur. Itaque scientias, & artes, quæ prædictas consequuntur, afferamus, vt omnes Deo nostro luculentissimum reddant testimonium, & impios manifestè conuincant. Ex magia naturali.

RATIO XXII.

Deum esse probatur ex aliis scientiis inferioribus aduersus Atheos.

Medicina contemplatur corpus, vt est sanitati & ægritudini obnoxium, ideóque magnus descendit medicus, quia magnus iacebat ægrotus; nec arbitreris solos homines à Deo curari; enimuero nulla veterinaria tantopere curat de causis, & effectibus morborum, & sanitatis plantarum, arborum, iumētorum cœterorúmque animalium, ac ipse Deus, de quo psaltes: *Homines, & iumenta saluabis Domine* Psal. 35. & 105. *producens fœnum iumentis,* 140. *qui dat escam iumētis,* quod non minus verum est de coruis, & reliquis animalibus, vel etiam de plantis, & arboribus, quibus, suo quóque tempore Deus pluuias, rores, niues, ventos immittit, vt foueantur, alantur, curentur, atque purgentur.

Veterinaria. Psal. 35. 105. & 140.

Quid ergo de hominis valetudine dicemus non tantùm spirituali, verùm etiam corporeā, si Deus plantas, & animalia tam sollicitè curet? cùm hominem super opera manuum suarū constituerit: omnia Deus meus, *omnia subiecisti sub pedibus eius, oues & boues vniuersas, insuper & pecora campi,* Psalm. 8.

Psal. 8.

Contemplare igitur magnum illum medicum statim Hippocratica, seu Galenica medicina vtentem, dum per contraria curat, statim Paracelsica, dum per similia: statim spagyrica, dum humores dissoluit, aut dissipatos colligit: nolim ire per omnes medicinæ partes, cùm eas retulerim ad caput 2. Gen. ver. 20.

Deum esse probatur ex medicina.

Idcirco ad mathematicas tam puras, quàm impuras, seu mixtas descendo, si princeps illarum Arithmetica quantitatem discretam, seu numerum absolutè considerat, Deus est vnitas absolutissima: si Geometria quantitate continua absoluta delectatur, vt figuris, globis, pyramidibus: ille est sphoera, cuius circunferētia nusquam, & centrum vbique; pyramis est, cuius basis infinita, est ipsa diuinitas, conus vero potentia, qua faciendas creaturas respicit, ad hanc enim creaturæ referuntur, atque terminantur, ac per potentiæ fastigium Deus velut extra se exire videtur, dum per creationem sese diffundit exterius.

Ex mathematicis. Deus pyramidi comparatur.

Inter mixtas Musica licet impura Deum purissimum ostendit, dum numerum sonorum contemplatur, siue illa corporis, & animæ concentum, & proportiones aspiciat, & humana sit: nam Deus est animæ lyricen, & omnes illius neruos, & chordas dirigit, estque animæ, quod anima corpori, non informando, sed conseruando, atque fouendo. Si rerum omnium, maximè vero motuum, qui fiunt in cœlis, concentum, atque analogiam considerat, Deus est sphoerarum motor, atque creator. Artificialis etiam Deum agnoscit, cùm enim est Harmonica, & sonorum consonantiam, tonos, tonorumque differentias 12, variasque modulationes contemplatur, ad illam harmoniam supercœlestem, atque diuinam ascendere potest, in qua perpetuum diapason, vel trisdiapason patris, & filij, & spiritussancti, vel potiùs vnisonum, & anisonum, seu æquisonum resonat, dum per illam ineffabilem circunincessionem trium beatissimarum hypostaseon tres inter se distincti, sunt vnus Deus, & vnicam habēt, communem tamen, voluntatis, & intellectus operationem, quæ est purissimus actus, & ipse Deus, quo nihil magis indiuisum: vt neque diesis, neque schisma, neque commata ei comparari debeant.

Ex musica humana, & cœlesti. Ex artificiali. De Trinitate acutissima habes hoc in loco

Quàm mirabile futurum esset comma musicum, quod est excessus, quo maius semitonium minus superat, si cum sua simplicitate consonantias omnes contineret, quemadmodum Deus simplicissimus

Quid sit comma musicum.

simplicissimus omnes consonantias, tonos, modos, & proportiones longè perfectiùs complectitur, quàm in seipsis esse possint; tunc tunc mirabilem illam harmoniam audiemus, cùm in æterna tabernacula excipiemur; iam verò cum psalte dicamus: *Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te*: Psal. 83. & quidem Isaias c. 60. amplissimam lætitiæ materiam suggerit vers. 5. *Tunc videbis, & afflues, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum.*

Psal 83. Isai 60.

Ex Rhythmica.

Rhythmica loquitur de Arsi, & Thesi, seu leuatione, atque positione, quæ tam in saltatione, venis, & arteriis, quam in motione manuum deprehenduntur, quæ cùm in motu sita sint, ad primum motorem semper recurrendum est, qui tam arsim, quàm thesim in toto mundo variis modis exercet in elementorum, maris præsertim fluxu, atque refluxu, & astrorum trepidatione, seu titubatione.

Ex Metrica

Metrica verò à literis & syllabis, ad pedes, versus, & poëmata pergit, quibus auditores delectentur: quid aliud sunt omnes partes mundi, præterquam orationes, & poëmata pulcherrima, quibus ad Deum collaudandum prouocamur? Canonica regularum segmentis, & tetrachordo harmoniarũ consonantias apparentes excogitat, quæ præsertim in instrumentis musicis sita est, siue ea intensilia fuerint, vt testudo; siue percussionalia, vt organa; siue inflatilia, vt tubæ: de quibus fusè egimus ad versiculum 21. capit. 4. An mihi fas erit asserere Deum diuersas consonantias excogitasse, vt homines terreret, consolaretur, atque recrearet: vide quàm vehementer tonitrui sonus, atque ventorum sibili nos deterreant; quantum dulcissima riuorum fluenta, suaues & acutæ philomelarum consonantiæ, & cætera, quæ in mundi conditione Deus sonora reddidit, quantum inquam delectationis homini afferant.

Ex canonica.

Ex calculatoria.

Omitto Logisticam, seu calculatoriam cum suis numeris, eorúmque numerationibus, diuisionibus, multiplicationibus, æquationibus &c. licet Deus stellarum multitudinem numeret, eisque nomina vocet.

Ex Geomoria.

Geodęsia, seu Geomoria turres, angulos, limites metitur, atque diuidit; qua Deus vsus esse videtur, dum terram promissionis populo suo Israëlitico diuisit; & eam potiùs, quàm aliam in possessionem asciuit. *Notus in Iudæa Deus* Psal. 75. & 73. *Memor esto congregationis tuæ, quam possedisti ab initio.*

Psal. 75. & 73.

Ex Astronomia.

Astronomia cœlorum quantitatem mobilem, signorum ortus, & occasus, axes, & polos considerat; verùm quoties fallitur in hypothesibus, & phœnomenis, quæ tamen Deum scire necesse est, cùm omnia regat, atque moueat. Sphœrica, quantum potuerit, armilares sphœras compingat, Globica sphæras, seu globos cœlestes, Astrolabica planisphæriis incumbat, Azimutheos, & Almicanthareos circulos describat, retia componat, & omnem expendat industriam, nunquam ad globorum cœlestium figuras, motusque perfectè describendos perueniet, etiam si sphæram illam Norimbergensis, vel Archimedeam, quam posteritati Claudianus epigrammate sequenti consignauit.

Partes astronomiæ numerãtur.

Astrolabica

Iuppiter in paruo cùm cerneret omnia vitrio,
Risit, & ad superos talia dicta dedit
Huccine mortalis progressa potentia curæ?
Iam meus in fragili luditur orbe labor.
Iura poli rerúmque fidem, legémque virorum,
Ecce Syracusius transtulit arte senex.
Inclusus variis famulatur spiritus astris.
Et viuum certis motibus viget opus.
Percurrit proprium, mentitur signifer annum,
Et simulata nouo Cynthia mense redit.
Iámque suum voluens audax industria mundum
Gaudet, & humana sidera mente regit.
Quid falsò insontem tonitru Salmonea miror?
Æmula naturæ parua reperta manus.

Quid de Gnomonica dicam, quę distinctis vmbris solarium horas veruto tam accuratè denotat? nunquid omnia vitæ nostræ mométa perspicacissimus iudex, & Deus noster obseruat? Sæpiùs fallitur Meteoroscopica in assignandis siderum interuallis, & altitudinibus, sicut & Dioptica, dum ordines solis, & lunæ per astrolabium indigitat, sed qui sidera creauit, falli non potest, & perfectissimè nouit, quantum sol à luna, Mars à stellis, Iupiter à Venere, & reliqui planetæ cum à se inuicem, tum à stellis, & terra distiti sint, siue in apogæo fuerint, siue in mediis altitudinibus, siue denique in perigæo.

Gnomonica. Meteoroscopica. Dei perfecta cognitio.

Quam peritus est in Cosmographia, cùm ipse totum mundum vnico verbo formarit, qui dixit, & facta sunt, mandauit, & creata sunt: qui nouit quam cœli cum aëre, aër cum terra, & quam inter se proportionem cœli, & astra obtineant, nam omnia perfecit in numero, pondere, & mensura. Quis per Anemographiam ventorum differentias, quantitatem, & loca terrena, per quæ flant, agnoscere potuit? cùm ipsi nautæ huius cognitionis defectu quotidie pereant; Deus autem est, *qui producit ventos de thesauris suis, qui ambulat super pennas ventorum, qui facit angelos suos spiritus.*

Cosmographia. Anemographia.

Ille est, qui climata aquæ, per hydrographiam; terræ dimensiones, & quantitatem, per Geographiam; regiones omnes, per Chorographiam; imo & omnia loca, siue plana, siue montana, per topographiam: & ipsos homines, eorúmque opera, verba, & cogitationes per prosopographiam perfectissimam agnoscit. *Et omnes vias meas præuidisti, ecce Domine tu cognouisti omnia nouissima, & antiqua.* Quam mirabilis est optica diuina, quæ lineas omnes visibiles, earúmque figuras, & vmbras, lucisque rationes, & videndi modos perfectissimè nouit, quique respicit omnes errores, in quos optici nostrates sæpius incurrunt.

Opera Dei.

Optica particularis visibilium causas inuestigat, & explicat, cur plurima magna credantur, quæ parua sunt; catoptrica verò circa radios reflexioni obnoxios versatur; quòd si res videremus, prout Deus eas agnoscit, quot obsecro nos erroribus detineri perciperemus? Vides, Athee, nonnullos ad sublime dignitatum fastigium euehi, alios in profundum ruere; vides omnia súsque déque verti, vides omnia solitos motus peragere, vides, & inde pernegas numen æternum; nec enim veræ opticæ, neque Catoptricæ regulas didicisti; vtinam illam opticam diuinam summis labris degustasses, nec enim in abrupta te ferri patereris, sed concluderes, & quolibet pignore certares, ac quolibet Sacramento hanc æternam veritatem obsignares, *Deum esse*, qui te genuit, quem tamen dereliquisti, Deum verum & vnicum, qui omnia peruideat, & omnium iniquitatum æquissimus iudex futurus sit.

Optica. Catoptrica. Aduertat Atheus.

Vtinam Scenographia veras imagines, non deformes, sed pulchras, & exquisitissimas, quibus vera Dei iudicia in intellectu tuo repræsentarer-

Scenographia.

tur, descripsisset; vtinam saperes & intelligeres, atque nouissima prouideres. En tibi specularem offero, quæ speculorum omnium tam concauorum, quàm conuexorum proprietates, & causas aperit. Si rationi naturali minimè cedas, saltem ad fidei speculum accede, quod conuexorum speculorum instar, res veluti minores refert, quia non ita perfectè Deum, sed ex parte, & ænigmaticum ostendit.

Specularis

Quod si fidei speculo vti nolis, quodnam tuæ caligini remedium afferemus? an omnes artis Mechanicæ machinas, quarum causas Rationalis tradit, & quas Chirurgica fabricat; an omnia Manganariæ inuenta, quæ maxima pondera vi minima tollit; an antlia Mechanopoëtica, quibus aquæ trahuntur; an omnia tormenta bellica, quæ suggerit organopoëtica; an omnia mirabilia, quæ ponderibus, spiritu, vel neruis, atque funiculis thaumaturgica suggerit: an omnia hydraulica, vel quæ ventorum flatu resonant, & voces auium exprimunt, vel siphonibus incendia quæpiam extingunt, aut æolipylis ignem suscitant, vel modum suggerunt, quo quis possit aquis subnatare, vel super eas ambulare, & ipsas horas aquis distinguere; an denique omnia contraponderantia, & omnes Scansorias machinas, quas Architectura concinnat, admouebimus, vt Atheos ab illa cæcitatis abysso, & summo peccatorum pondere tollamus in altum, ne grauiùs in barathrum ruant, & dæmonum præda facti sempiternis ignibus crucientur.

Mechanicę species hîc referuntur.

Admoueantur sanè, illósque Centrobaricam doceamus, vt verum animæ suæ centrum in Deo solo situm esse tandem aliquando cognoscant; hæc enim ars agit de centro, vnde omnia desumuntur. Placet autem sequentibus vti scientiis, vt medicinam eorum saluti paremus; quandoquidem Atheismus non tantùm ex mentis cæcitate, & ignoratione Dei, sed ex vitiis oritur, quibus homines incumbunt, vt rectè psalmographus passim aduertit, vt Psal. 9. *Non est Deus in conspectu eius*: audi obsecro quid inde sequatur, *inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore*; qui ad tantam superbiam deuenit, vt paulo post ausit dicere, *non mouebor à generatione in generationem*; lege totum psalmum, in eo siquidem detestandorum Atheorum semitæ describuntur. Moralem ergo philosophiam offero, vt discant mores optimorum, & impiorum; hos, vt fugiant, illos, vt imitentur, qui si à propriæ vitæ reformatione, moribusque suis emendandis, vt par est, incipere velint, in promptu Monastica succurret: si familiam regere, œconomica: si ciuitates integras optimè administrare, Politica: si plures ciuitates in regnum redigere, basilica: si denique multa regna in vnicam monarchiam coniungere, Imperatoria magnum afferet adiumentum: nec officio suo Ius ciuile, aut canonicum deficiet, quibus omnes in communi, & vnumquemque in particulari, siue sæcularem, siue regularem, siue prophanum, siue ecclesiasticum ad officia propria dirigere, & si fuerit opus, coërcere possis; qua sanè ratione beatæ Respublicæ euaderent, nec quidquam detrimenti totum corpus à membris pateretur, imo nec à peregrinis, & hostibus, enimuero Bellicæ artis ope hostes facillimo negotio repellerentur, nam Respublica benè ordinata suos duces, & milites habere debet, qui tactica ad instruendas acies, & Stratagemătica ad hostes decipiendos, & eorum castra, siue cunctando, siue accelerando diripienda vti nouerint.

Centrobarica.

Moralis philosophia, & eius species.

Ars bellica, & eius partes.

Supersunt artes, quas philosophiam effectricem, vel rationales, & sermocinales, & reales vocant. Inter rationales Dialectica materiam disputandi, & argumenta suggerit, quam solùm Peripateticam agnosco: perperam alij Lullisticam, & Rameam distinguunt, quæ si quid boni habeant, in Peripatetica concluditur: Logica formam argumentandi tradit, quæ dici poterit sermocinalis, quatenus bene discurrere per syllogismos, sicut ex materia probabili dialectica docet: quibus vtinam Athei legitimè vterentur, reuera syllogismos inuenirent, quibus Deum esse luce clarius est, sed cùm Dominum gloriæ agnoscere debuissent, Dei maiestatem blasphemant, & omnibus artibus abutuntur: nam cùm per Grammaticam de Deo bene loqui, per Rhetoricam bene dicere, atque sibi persuadere Deum esse iustissimum, & optimum, qui omnibus prouideat: per Historicam artem: bene diuini numinis narrare mirabilia, per poëticam antiquos imitari, qui tam præclarè de Deo, etiam si per fictiones, locuti sunt; per Grammatisticam, seu literationem, quæ est veluti Grammaticæ infantia, legere diuinos characteres, quibus totus mundus descriptus est, & omnibus apertus literas optimè formatas ostendit, quibus verba, & periodi, & orationes integræ perficiuntur, vt totus mundus pulcherrimæ, & elegantissimæ orationis instar esse videatur, quæ Deum esse manifestat, omnibus pernitiosissimè abutuntur.

Artes rationales & sermocinales.

Dialectica triplex.

Logica.

Grāmatica. Rhetorica. Historica. Poëtica.

Grammatistica.

Omitto diuisionem illam, qua Grammaticam in methodicam, & historicam secant, vt illa benè loquatur, & scribat; hæc verò bene legat, & enarret: & artem Ziffrarum, quibus occultè quis loqui potest, vel scribere; quales sunt, quos Vigenerius, & Baptista Porta in libris suis de occultis literarum notis, & Trithemij Steganographia, atque polygraphia producunt. Huc etiam referri possunt Hieroglyphica Ægyptiorum, per quæ si quis ierit, dubio procul Deum ipsum illis sæpissimè conclusum videbit: sed quia hæc abstrusiora sunt nec vnicuique facilè peruia, malim Atheos ad Chronologiam prouocare, siue historiam rerum omnium: etenim Deum esse conuincet historia terræ, si Geographos audiamus; & animalia, atque plantæ per physicam descripta: historia diuina de rebus sacris, & humana, de gestis hominum nihil altiùs intonat, quàm omnia à Deo producta esse.

Grāmatica duplex.

Ars Ziffrarum.

Hieroglyphica.

Chronologia.

Geographia.

Historia multiplex.

Clamant igitur omnia, & vindictam aduersus Atheos reposcunt quos ipsa poësis, & ars Versificatoria, siue poëticis fabulis incumbat, siue aliqua verisimilitudine rerum humanarum ideas exprimat, vt cùm Homerus, per Achillem, & Xenophō sub nomine Cyri optimos belli duces formant, & exprimunt, siue quodam inuolucro res diuinas, naturales, & morales indicet, quod fecisse videmus Orpheum, Musæum & similes; quos, inquam, poësis ipsa reuincit. Nolim artes reales transcurrere, quæ ad vitam necessariæ, siue ad vtilitatem, & ornatum facere videntur, quia satis de illis cap. 4. Genesis diximus: faxit verò Deus Opt. Max. vt illa scientiarum inductione perculsi, & obdurati homines, qui dixerunt in corde suo, vel ore blasphemo pronuntiarunt, *non est Deus*, ad veritatem adduci possint, & deinceps creatorem suum agnoscant, & tota mente diligant,

Versificatoria.

Artes reales.

Psal. 17. diligant, dicántque cum psalte Psalm. 17. *Diligam te Domine fortitudo mea: Deus meus adiutor meus, & sperabo in eum; si exurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo.*

Fortè etiam iuuabit, si per ipsas diuinationes, quibus impij tribuunt plurimum, Deum esse conuincamus, vt ex omni parte diuinum numen Athei resonare fateantur, & diuini numinis exemplo, gratia illius nobis fauente, bonum è malo, & ex mendacio, atque tenebris veritatem, & lucem eliciamus, iustum est enim vt benè ipsis malis, atque mendaciis aduersus illos vtamur, qui bonis, & veris contra nos abutuntur, sic enim bonum pro malo reddentes tantis beneficiis hostes ipsos Deo vincere, & ad illius cognitionem, & amorem adducere poterimus.

RATIO XXIII.

Quæ per omnes diuinationum species Deum esse probat aduersus Atheos.

Certum est probari Deum esse, & omnibus prouidere ex diuinationibus, vel prophetiis diuinis, siue ecstasi, siue voce, parabola, afflatu, & visione contigerint; enimuero prophetæ, & viri sancti diuino numine afflati, res antequam euenirent, tametsi ab arbitrio diuino, vel humano pendentes, tamdiu, tamque certò prædixerunt, vt nemo sanæ mentis sit, qui non libentissimè fateatur eas nunquam potuisse prænuntiari, nisi diuinum aliquod numen, quod omnes humanas cogitationes superet, illas antea reuelasset: nolim autem ire per omnes prophetiæ, & oraculorum diuinorum species, visionem, verbum, somnium, vrim, & thummim, nam de his alicubi postea fusiùs; sufficitque si scripturæ sacræ prophetias penitiùs intuearis; & prædictorum euentuum successus cum ipsis oraculis conferas, vt numinis æterni veritatem profitearis. (Prophetiæ species.)

Iam verò ex naturali diuinatione Deum esse probemus; quomodo rusticus quilibet nouit veri æstatem, æstati autumnum, & tempora temporibus successura, nisi quia Deus hunc ordinem, atque tempestatum vicissitudinem ordinauit? & quidem si quæras ab aliquo quantumuis idiota, quis illum ordinem inter elementa, & tempora stabilierit, statim Deum in ore præfert, & omnia ab eo facta esse, sine vlla deliberatione præuia fatetur, vt illa veritas non acquisita, sed nobis innata esse videatur. Vranoscopiam obsecro contemplare, quæ tot, & tanta mundo paruo, & elementari prædicit, & Stecheioscopiam, quibus etiam indocti per elementa, mutationes temporis præsagiunt. Sanè tam mirabilia sunt, quæ Meteoroscopia considerat, & ex meteoris apparentibus in elementari mundo, vt ex iride, halone, pareliis &c. diuinat, vt non solùm diuinationes illæ, sed ipsa meteora Deum esse arguant; quis enim horrendum illum tonitrui fragorem, fulgurum motus inexplicabiles, audire, atque videre potest, qui statim commotus ad cœlum supplices manus non extendat, genua flectat, & Deum Opt. Max. obsecret, vt ab hominum capite tonitru auerruncet. (Diuinatio naturalis. Vranoscopia. Stecheioscopia. Meteoscopica.)

Nec in dubium reuoco eos Deum admissuros esse, qui per oryctoscopicam fossilia, metalla, & lapides ex inspectione terræ coniiciunt, nam signa, quibus ea deprehendunt, Deus apposuit, nihil vt in terræ visceribus includeretur, quod in vsus humanos conuerti non posset. Quàm mirabilis est diuini numinis prouidentia, & anthropophilia, qui phytognomiam, seu phytoscopiam hominibus dedit, vt ex rerum, plantarum præsertim signaturis, variisque florum, foliorúmque coloribus, saporibus, odoribus, & figuris earum vires deprehenderet, & ad morbos curandos applicaret; nec minores gratias de Zooscopia, & physiognomia Deo reddere debemus, quandoquidem ex inspectione sola hominum, & animalium per hanc, & illam de eorum natura iudicamus. (Oryctoscopica. Phytoscopia. Zooscopia. Physiognomia.)

Cuius species recensentur Metoposcopia, per quam ex vultus frontisque obseruatione: & Chiromantia, per quam ex volæ sectionibus de morbo, vita, & sanitate præsagimus? quid Simiotica vtilius? qua medici nobis morbum, aut valetudinem ex signis salubribus, insalubribus, & neutris prænuntiant; an diuinatio politica negligenda est? cum eius ope de mutatione, statúque futuro rerum ciuilium homines prædicere soleant; Oniromantiam omitto, quæ multa coniicit ex somniis, & alias naturales diuinationes, si quæ superfuerint, quibus numen æternum existere probamus, cui nos omnem præsagiendi vim, & intellectus acumen acceptum ferre debemus, quo multa futura coniicimus: hincque cõcludendum est in hominibus esse particulam aliquam, quæ immortalis est, qua futura omnia cognoscere desideramus. (Metoposcopia. Chiromantia. Simiotica. Politica. Oniromantia.)

Placet etiam ex ipsis dæmonis fraudibus confirmare diuinitatem, quam etiam oracula deorum, prophetiæ dæmonum, Deomantia, Magia, Goëtia, seu mangania, epodi, incantationes, & excantamenta, hieroscopia sacrificiis constans, œonomantia, sortes, & sortilegia, & cætera id genus esse probant, quatenus veras prophetias imitantur, & diuini numinis scientiam æmulantur, nam vbi adest imitatio, præcedit exemplar: quæ vt meliùs inspicias, damnatas illas species, seu octo impia diuinationum genera distinctiùs prosequor. (Dæmonum oracula.)

Dæmones immediatè per oracula prædixerunt multa, quæ rarò vera reperiebantur, sæpe falsa, dubia verò ferè semper, quibus ipsorum sacerdotes afflati eodem modo prænuntiabant: quod eousque processit, vt dæmon ipsam Dei præsentiam per Deomantiam ementiri conatus fuerit, vt ei diuinos honores haberemus. Quocirca obsessis, seu pythonibus, & engastrimythis, seu engastrymantibus, qui præsentem habent dæmonem in corpore habitantem, vel ore loquentem, vel vocibus variis in ventre, & aliis modis futura prædicentem, vsus, vel potiùs abusus est, vt mortales eum esse Deum crederent; (Deomantia. Obsessi. Pythones. Engastrimythi.)

quod cùm minimè fieri posset, quia Deus est, quo nihil melius esse potest, qui nunquam fallit, neque fallitur, necesse est verum esse Deum. quem dæmon imitari conabatur, vt in seipsum diuinos honores transferret.

Enthusiastæ Sybillæ. Ad quos Enthusiastæ, seu afflati, & quasi fatidica vi correpti, atque spiritu afflati, (quales Sybillas nonnulli fuisse putant) referuntur, qui tamen dæmonem insessorem non habent. Ecstatici. Sunt etiam Ecstatici. i. extra se rapti, qui omni motu, atque sensu priuati iacent quasi exanimes, & post aliquot horas, vel dies ad se redeunt, & mira referunt. Qui omnes Deum esse sentiunt vel ipso diuinitatis desiderio, quo exardescunt; quam, vel illius partem se putant assecuturos, si ad futurorum prædictionem peruenerint.

Lycaones. Vix scio an hîc Lycanthropos, seu Lycaones referre debeam, qui putant se in lupos conuerti, & in obuios greges irruunt, atque damna plurima inferunt, quippe qui ad maleficos potiùs, quàm diuinos referendi videantur. Quid obsecro volunt isti, quid futura inquirunt, vel occulta sciscitantur, qui certis ergastulis dæmones inclusos habent, & interrogant, nisi vt apud homines famam, & honorem, atque gloriam sibi comparent, & in eorum veniant admirationem? ac si diuinitatis quidpiam haberent.

Necromãtia. Quis Necromantiam manes ex orco reuocantem, & ex iis futura prædicentem; Lecanomantia. Lecanomantiam ex pelui aqua plena dæmonis vocem euocantem, lapillis priùs, & laminis iniectis. Gastromãtia. Gastromantiam ope pueri innocentis in vitro aqua pleno respicientis, & videntis, quid in ea fiat à dæmone, præsagientem: & alias artes peruersas, & mendacissimas inuenit, nisi qui futura, Dei instar, annuntiare desideret. Catoptromantia. Inter quas non vltimum locum Cataptromantia obtinuit, quæ per specula, in quibus apparent dæmones, occulta, futura, vel absentia sciscitatur, quod ex variis figuris in crystallo apparentibus, & à diabolo effectis: Chrystallomantia. Dactylomantia. Chrystallomantia, & Dactylomantia de futuris coniiciens ex annulis, in quibus certus cœlorum positus effectus est, præstat. In quibus omnibus manifestus est creaturarum abusus, quas Deus ad suam gloriam & hominum vtilitatem produxerat, vt iam luce clarius euadat illas vanitati subditas esse, & ingemiscere, ac parturire vsque adhuc, donec ad perfectionem reducantur: nunc autem, numine diuino iustis de causis permittente, iniquitati volentes nolentes seruiunt.

O creaturas impias, ô ingratos homines, qui tam audacter bonis à Deo sibi concessis abutuntur: quis vos ita fascinauit, vt futura Onymãtia. per Onymantiam, oleum, & fuliginem in vnguem effundentem, & per imagines apparentes innocenti (vt loquimini) puero, annuntiari posse crederetis? An aqua vobis subministrata est, vt Hydromãtia. eam Hydromantia commacularetis, & in eam demisso annulo pro variis motibus, effluxionibus, inundationibus, & coloribus, varia prædiceretis? vnde spectra in aëre apparentia virtutem Aëromãtia habent futura præsagiendi, quæ per Aëromantiam doceant. Magia. Goëtia. Facessant Magi atque Goëtici omnes cum suis incantationibus; & pharmaciam, qua Pharmacia. tot vnguenta noxia, vel medicamina ex mixtis corporibus effecerunt, quæ tactu, vel afflatu, vel suppositione, & inhumatione in loco, per quem eundem est, prætereuntes inficiunt, deinceps abiiciant.

Coscinomantia. Axinomantia. Nec vllus sit, qui stultum non arbitretur eum, quem in Coscinomantia, seu Axinomantia, securi, forcipe, cribro, & similibus vtentem tempus insumere contigerit; nec eum asini nomine Cephalæonomantia. dignum censeat, qui Cephalæonomantiæ studuerit, quæ caput asini super prunas imponit. Satis enim constat illa omnia nullam habere cum rebus futuris inquirendis analogiam; quasi verò Gallus gallinaceus certa grana comedens literis quantumcunque suppositis per Alectryomantiam Alectryomantia futura nuntiare posset: Omitto varia philtra conciliandis amoribus, vel effœminandis viris aptissima; Ars notoria, & aliæ. thesaurorum inuentiones, bonorum alienorum surreptiones occultas; malarum artem imaguncularum, variarum figurarum, & characterum artes pessimas, ad quas ars notoria, Almadei, & clauicula Salomonis, atque Picatrix referri possunt.

Hieroscopia. Dæmones non tantùm creaturis, sed & sacrificiis abusi sunt, atque hominibus persuasere, vt per Hieroscopiam ex victimis ante mactationem, Hepatoscopia. prædicerent, quapropter Hepatoscopiam, seu Extipiscinam in extis, hepate, corde, reliquis- Pyromãtia. que victimarum visceribus collocarunt; Pyromantiam in victima iam in ignem iniecta, & accensa: Capnomãtia. Capnomantiam in fumo è granis papaueris in prunas iniectis emisso; qui si ex thure exhalaret, Libanomantiam efficiebat.

Oinomãtia Oinomantiam ex vino victimis iniecto, vaAleumãtia. rioque motu, & colore, Crithomantiam, & Aleu- Crithomãtia. mantiam ex farre, libo, &c. Ooscopiam ex si- Ooscopia. gnis in ouis apparentibus: Ichthyomantiam ex Ichthyomantia. piscibus: Anthropomantiam ex victimis huma- Anthropomantia. nis, & alias diuinationes plurimas ex cœlo, & fulminibus dextris, vel finistris composuêre; sicut Ornithoscopia. ex auium volatu fecerunt Ornithoscopiam, seu Auspicinam; ex eorum garritu Cledon, siue Cledon. augurium: ex tripudio pullorum, & ex diris, atque monstris alias diuinationis species: ex iis quæ Enodium. subitò, & præter opinionem occurrũt in via, Enodium; Oecoscopia. si quid insolitum in domo, Oecoscopiam, vt si serpentem vidissent: si quid insolitum in proprio corpore Palmicam, vt si dexter oculus, vel hume- Palmica. rus subsiliret.

Deus bone quot sortes inuentæ sunt, quibus ea, quæ sunt Dei, cacodæmon, & homines sibi arrogarent; nunquid enim ea de causa tesseris ia- Cleromantiæ. ctatis Cleromantiam, & aliis modis prænestinas, antianas, Lycias, & Dælias inuenerunt? Sortes variæ. maiores erant tesseræ, vel ossiculi, ad puncta deueniendum fuit, vt ex 16 figuris in terra, char- Geomãtia. ta, vel puluere inscriptis Geomantia nugaretur, Onomãtia. & Onomantia, seu Arithmantia in propriis no- Arithmãtiá minibus ad numeros reductis luderet: quasi ve- Logarithmantia. rò vincere debuerit Achilles, quod in nomine numerum maiorem, quàm Hector includeret. Væ nugiuendulis, qui ex nominibus variè commutatis per Logarithmantiam; ex litterarum commu- Caballistica. tatione per Caballisticam, & Anagrammatismum; ex litteris cineribus inscriptis, vento- Tepramantia. que expositis per Tepramantiam futura se præsagire posse credunt; cur obsecro relictæ litteræ potiùs, quàm deletæ futura tibi manifestabunt?

Bottonomantia. Faxit Deus Opt. Max. vt has omnes diuinatio- Ceromantia. nis species impij deserant, neque deinceps vllus Bottonomantiam ex saluia, & foliis ficuũ constan- Sortes Homericæ & tem, aut Ceromantiam per fusæ ceræ guttulas Virgilianæ. in aquam decidentes, sortesque Homericas,

&

& virgilianas per fortuitum occursum quorundã versuum, aut vllã aliã diuinationis speciem exerceat. Vides ergo Lector charissime quot pestiferis artibus dæmon ad diuinitatem è medio tollendam contenderit, sed, ô miraculum, quam potiùs confirmarit, atque statuerit; nam quilibet videt clarissimè, quantum distent à Dei potestate, atque sapientia cacodæmones, quippe qui ferè semper mentiuntur, nec quidquã possunt, nisi Deus Opt. Max. permiserit. Hinc fit, vt promissis stare vel nolint, vel nequeant, & magos, diuinos, atque sortilegos decipiant. Ratum ergo fixum, atque firmissimũ esto, maximum illud bonum esse, quo nihil melius esse potest, quod iure merito numen æternum, & Deum Optimum Maximum appellamus, quem amplectimur, veneramur, adoramus, & toto corde diligimus.

S Dionys. Areopag.

Quem si rectè conciperent, atque cogitarent Athei, nunquam illum pernegarent, quandoquidem ipse causa est cur sint, & benè sint omnia, nam ad omnia peruenit, ac pertinet, vt optimè Dionysius Areopagita epist. 9. explicat, cuius verba, vt pote pulcherrima subiungam, quę prædicta sequuntur. καὶ αὐτὸς ὁ αὐτὸς ἐν τῷ αὐτῷ καθ' ὑπεροχὴν, οὐδὲν ἐν οὐδενὶ κατ' οὐδὲν ἐστιν, ἀλλ' ἐξῄρηται τῶν ὅλων, αὐτὸς ἐν ἑαυτῷ ταυτῶς καὶ ἀϊδίως ὤν, καὶ ἑστηκὼς καὶ μένων, καὶ ἀεὶ κατὰ ταὐτὰ καὶ ὡσαύτως ἔχων, καὶ οὐδαμῶς ἔξω αὐτοῦ γινόμενος, οὐδὲ τῆς οἰκείας ἕδρας καὶ ἀκινήτου μονῆς καὶ ἑστίας ἀπολειπόμενος· ἀλλὰ καὶ ἐν αὐτῇ τὰς ὅλας καὶ παντελεῖς προνοίας ἀγαθουργῶν καὶ προϊὼν ἐπὶ πάντα, καὶ μένων ἐφ' ἑαυτοῦ, καὶ ἑστὼς ἀεὶ καὶ κινούμενος, καὶ οὔτε ἑστὼς, οὔτε κινούμενος, ἀλλ' ὡς ἄν τις φαίη τὰς προνοητικὰς ἐνεργείας ἐν τῇ μονιμότητι, τὴν μονὴν ἐν τῷ προνοεῖν, συμφυῶς ἅμα καὶ ὑπερφυῶς ἔχων. quibus magnus ille, sanctusque theologus eminenter explicat, qua ratione Deus sit in omnibus, & extra omnia, quæ ita Lansselius explicauit. Rursusque eũdem, qui sit eodem excellenter, nihil in vlla re, vlla ex parte esse, quod alij vertunt: nihil in nihilo secundum nihil) sed secretum esse ab omnibus, cùm in se ipse eodem æternóque modo sit, persistque, & maneat, atque semper idem sit, eodemque modo habeat, nec nullo modo se ipse deserat, neque suam sedem, immobilemque mãsionem, & quasi larem relinquat, sed & in ea omni perfectaque prouidentię suæ munera perficiat, & procedat ad omnia, & in se maneat, & insistat semper, & moueatur, & neque insistat, neque moueatur, sed vt ita dicam, & prouidentiæ actiones in stabilitate, atque institione, & institionem mansionemque habeat naturaliter, & præter naturam in prouidendo.

Verba Areopagitæ difficilia, quod Deus sit nihil in nihilo secundũ nihil.

Mirentur deinceps Athei, nec perscrutentur diuinam naturam, quæ fugit curiosiores, ac simplicioribus sese committit; credántque nullam esse ingenij creati aciem quæ infinitam illam diuinitatis abyssum penetrare possit, donec expectata beatitudine perfruatur; quibus vnicam Ambrosij sententiam æterna meditatione contemplandam offero, vt videant, quàm sit difficile, quàm arduum, vt quis ad illius immensæ diuinitatis cognitionem attingat. *Ex quo ergo*, inquit, l. de dignit. condit. hum. cap. 2. *& qui ex eo, & quo se diligunt ipsa duo tria sunt, & illa tria ideo vnum, quia sic sunt ex vno illa duo, vt tamen ab eo non sint separata, sed ex ipso sunt, quia non à se, & in ipso, quia non separata, & ipsum ipsa quod ipse, & ipsum ipse quod ipsa, & non ipsum ipsa qui ipse, & non ipsa ipse qui ipsa, ista duo Deus est, & ipse Deus tria est, & vnumquodque horum trium Deus est, & omnia illa tria non Dij, sed Deus est.* De scientiis & diuinationibus plura dicemus, si quando voluerit Deus Opt. Max.

Locus D. Ambrosij difficillimus.

In præsenti verò satis est, quòd ex allatis Athei possint, ac debeant ad veri Dei cognitionem assurgere, quos sequenti ratione omnino cogere velim, vt numen æternum admittant, à quo pendent omnia.

RATIO XXIIII.

Sumitur ex sex determinationibus quæ sunt in rerum natura; suntque totidem rationes, quot determinationes.

Prima ratio sumitur ex quantitate indeterminata.

EX omnibus rebus, quæ ex natura suâ indeterminatæ videntur, magnitudo primùm occurrit: nam quod terra tantam habeat amplitudinem, tantam molem, ea, quam videmus, longitudine, latitudine: atque profunditate limitatam, est ab aliquo, atqui non est ab alio, quàm à Deo, quem propterea mortalium quilibet admittere debet. Minor clara est, non enim est ab ipsa natura terræ, si enim illius natura certos magnitudinis limites exigeret, eosdem semper haberet, quamdiu esset in naturali statu; nihil est autem in entibus visibilibus, in quod eiusmodi derminatio refundi possit, igitur solam illius causam Deum esse fateri necesse est. Adde quod homogenea nullum magnitudinis suæ terminum exigant, enimuero quo maior est ignis, eo meliùs sese in suo esse conseruat: idemque de cæteris elementis aqua, & aëre dicendum est.

2. Ratio ex dispositione, atque partibus rerum.

Aliud medium petitur ex omnium effectuum, & partium corporis homogenei dispositione. Licet enim daremus entia esse à se, attamen illa entium dispositio, qualem videmus, non posset esse à se, vel ab ipsa entium natura: sicut cùm videmus statuam ligneam, aut argenteam, dicimus lignum, aut argentum non esse à statuario, sed figuram necessariò esse ab illo, quia natura ligni est indifferens ad illam, vel aliam figuram: nec potest à se determinari ad vnam potiùs, quàm ad aliam, alioquin esset formaliter libera. Idem etiam de pluribus mundi partibus dicendum est, quandoquidem nulla ratio ex rei natura peti potest, cur talis pars terræ sit infra, talis supra, cur sol ab oriente in occidentem, potiùs quàm ab occidente in orientem moueatur; igitur ad dispositionem mundi faciẽdam necessariò principium aliquod requiritur à natura partium mundi distinctum.

3. Ratio ex duratione.

Tertia ratio sumitur à duratione: quod in elemento quolibet explicari potest, sicut & in aliis mundi partibus, vt patet in cœlis, vel enim ab

æterno fuerunt, vel non; ſi ſecundum, euidens eſt dari principium aliquod cœlorum productiuum, quod nequit vllum eſſe ex creatis viſibilibus principiis: neq; enim ex natura cœlorũ eſt, vt in hoc, aut illo tẽpore, potiùs quã in anteriori, aut poſteriori creẽtur; ſi verò primũ cõcedis, adhuc euinco dari effectiuum illorum principium, cùm enim non ſint à ſe erunt ab alio, cumque illud aliud nõ ſit cœlum, neque vllum aliud corpus, ex iis quæ componunt mundum, erit neceſſariò Deus.

4. Ratio ex figura. Quartum medium à figura ſumitur, ad quã terra, vel quodlibet aliud eſt indifferens, exigit enim natura terræ, vt leuiori ſubſit, ſeu non ſit ſupra corpus aliud ſe leuius in eadẽ linea recta, vel obliqua, per quã deſcendere poſſet: licet enim aliqua pars aquæ, vt quæ eſt in fundo Oceani, ſit vicinior centro aliqua parte terræ, vt quæ eſt in cacumine montis Libani, nulla tamen infertur terræ, vel aquæ violentia, cùm talis pars terræ altior non inſideat parti aquę depreſſiori, cùm ergo natura terrę figurã hanc non exigat, quã in ipſa videmus, debet aſſignari cauſa illã determinans, quę eſt Deus.

5. Ratio ex multitudine indiuiduorum, & ſpecierum. Quintum ex multitudine indiuiduorum petere poſſumus, cur enim plura ſunt indiuidua in vna ſpecie, quàm in alia? cur plures leones, quam phœnices? cur plures homines, quàm leones? cur maior ferri, quàm auri quantitas? imo & idem ex multitudine entium in ſpecie ſumptorum probant aliqui; cur enim plures herbarum, quàm animalium ſpecies? vel cur tot horum, & illarum ſpecies, non plures, neque pauciores niſi id in numinis æterni voluntatem refundamus; verùm vt ad indiuidua reuertamur, vnde fit, vt tanta eorum multitudo in ſpeciebus quibuſdam, in aliis verò tam pauca reperiãtur, niſi quia Deus, qui omnes ſpecies regit, atque conſeruat, ita decreuit? Sed hanc materiam aduerſus Atheos vrgeo. Dic obſecro, impie, vnde fit, vt ſis potiùs hic homo, quàm alius? hoc indiuiduum, & non aliud? nunquid à Domino factũ eſt iſtud? nunquid pauperrimus eſſe potuiſſes, nunquid claudus, ſtrabo, mutus, & ſurdus, vbi tamen diues es, & integra, ſi non mentis ſaltem corporis valetudine? Agnoſce igitur hæc omnia tibi à Deo Opt. Max. collata fuiſſe.

Sextum medium in varia graduum intenſione conſtituunt, ad quam multæ res quas cernimus, ſunt indifferentes; malo tamen ab exiſtentia ſextam rationem petere; etenim cùm exiſtentia rerum ſit ab alio, poſtulat aliquod exiſtens à ſe, vel proceſſum in infinitũ: hoc poſtremũ iã iã falſitatis arguimus, & iterum deſtruemus, igitur ens à ſe neceſſariò concedendum eſt, cuius exiſtentia ſit æquè neceſſaria, ac eius eſſentia, eadémque omnino cum illa, vt eſſentias rerum, quæ dicuntur æternę veritatis, & immutabiles, prout ſolam non repugnantiam includunt, ad actum reducat, & exiſtentes faciat, quæ alioquin nihil forent actu, niſi virtus ipſius cauſæ potentis illas efficere, vnde theologi creaturam, prout in Deo eſt, creatricem eſſentiam appellant. 6. Ratio quia nõ eſt, quod in pluribus rebus vna graduũ intenſio, magis quã alia reperiatur. 7. Ratio ab exiſtentia rerum.

Ex quibus medijs non deſunt, qui concludant iſtam propoſitionem, *Deus eſt*, eſſe, etiam quoad nos, omnium propoſitionum, quæ cognoſcuntur in alio euidentiſſimam, atque notiſſimam, & longè euidentiorem, quàm ſint iſtæ. Datur aliqua ſubſtantia completa, datur materia, & forma ſubſtantialis; datur virtus in magnete ad ferrum attrahendum, &c. Quomodo propoſitio hæc, Deus eſt, nota ſit.

RATIO XXV.

Depromitur ex rebus moralibus.

SI nulla domus ſine patrefamilias, nulla prouincia ſine principe, nullum regnum ſine rege, nullus exercitus ſine duce ſtare poteſt, quanto minus totus iſte mundus ex tot diſſidentibus partibus compactus ſine aliqua cauſa vniuerſali ſtare poterit, quæ ſit illius gubernatrix? maximè cùm totam rerum vniuerſitatem ita conſeruari, atque perpetuari videamus, vt ſingula iuxta naturæ exigentiam ſuo tempore aduenient; vbi ſanè tam admirabilem, támque conſtantem diſpoſitionem obſeruamus, vt ea nullo modo in caſum referri poſſit, ſed neceſſariò in ſummi numinis prouidentiam refundi debeat, alioquin enim non ſemper continuari deberent, quæ videmus, quandoquidem illud quod caſu contingit, rarò fieri ſolet.

Varia artificia. Profectò ſatis demirari non poſſum Atheorum inſipientiam, qui, viſa re aliqua artefacta, vt columba Tarentini, quæ in medio aëre pẽdula conquieſcebat; ſphæra Archimedis motus cœleſtes referente: muſca Norimbergenſi menſam, & conuiuas circumuolitante, & tandẽ in manu Domini conquieſcente; horologio varijs rotis compacto cum indice cãpanula in Caroli 5. annulum incluſo; Iliade Homerica in nuce poſita, & cæteris artefactis bene perſpectis, libentiſſimè fatentur, & aſſerunt id caſu factum non eſſe, ſed ab ingenioſo, & excellenti artifice: & tamen viſis rebus naturalibus, quæ in infinitum prope ſunt artefactis excellentiores, ſummum artificem, & rerum omnium naturalium, atque ſupernaturalium [illegible] admittere nolunt; enimuero ſi columbam Tarentini cum vera columba conferant, prorſus fateri cogentur vnicum veræ columbæ volatum tota artificiali columba longè perfectiorem eſſe, vt iam illius naturalis artificem infinitis partibus Tarentino perfectiorem aſſerere neceſſe ſit. Quàm ſtultum, & inſanum eſt ectypum demirari, non vero prototypum. Age verò Athee, ſolas apes tibi objicio, vt omnia arma deponas: vnde fit, vt ſuas cellulas non trigonas, non tetragonas, non rotundas, ſed exagonas fabricent? nunquid hanc à ſe, an à Deo repetunt induſtriam? poterãt quidem rotundas efficere, vt capaciſsimæ eſſent, quãdoquidem figurarum omnium iſoperimetrarum rotũda capaciſsima eſt: at plurima ſpatia circulos inter contenta replenda fuiſſent, ne daretur vacuum: poterant triangulares efformare, præſertim cùm figura triangularis nullum ſpatium replendũ relinquat: verũ illa eſt minimæ inter regulares figuras capacitatis Mira de apibus, & cur cellulas faciant cum ſex angulis.

citatis, quã sequitur quadrata: quapropter exagona inter omnes electa est, vt totũ locum repleret, nihil vacuum relinqueret, & tamen capacissima foret, vt sic ex modica cera multas cellulas fabricent, & ex istarum magna capacitate magnam mellis copiam congerant: quod sanè cùm sit opus subtilissimum, & arte mathematica peractum, huius Deus solus, apum creator author esse potest, vide Pappum Alexandrin. initio 5 libri collectionum, & Blancanum numero 120 in loca mathematica Aristot. dum artefactis Atheos ad Deum admittendum & adorandum conor adducere.

RATIO XXVI.

Deum esse probatur ex omnibus artefactis, & ex astris, de quibus pulchra referuntur.

SVnt tria effectuum genera, quæ ad existentiam diuini numinis comprobandam assumi solent; cùm enim illa non possit à nobis clarè, & immediatè videri, debemus eam ex effectis indagare, quæ vel ad naturam pertinent, atque opera naturalia dicuntur; vel ad prudentiam, quæ moralia vocari possunt, vel ad artem, ob quam artefacta nuncupantur, ex quibus naturali via Deum esse probamus. In præsenti verò, naturæ, atque prudentiæ rationibus omissis, ad artificia progredior. Itaque diligenter aduertendum est id, quod arti maximè conuenit in operibus artificialibus, esse solam ordinationem operum naturæ, enimuero si ab illis operibus id seperes, quod naturæ debetur, reliquum ad artẽ pertinens, soli ordinationi deputabitur; ars enim nihil omnino potest, nisi id, quod per facultates ab artificis voluntate, & industria applicabiles certis quibusdam modis in ordinatione consistentibus fieri solet; nam omnis entitas secundum realitatem, quam habet, pendet ab efficiente aliquo physico, & naturæ debetur. Ideóque solùm arti superest entitatum à natura productarum intellectualis, seu artificialis ordinatio.

Quid ad artes pertineat.

Confirmatur inductione: ars, in quantum dirigit intellectum, solam conceptuum ordinationem præscribit, vt ex logica constat; in quantum facultatem motiuam dirigit, clarum est nihil aliud nisi quendam in partibus ordinem constituere, vt ex musica, pictura, geometria, cæteris que artibus videre est. Ars autem vel secundum opera artificialia diuersa, & artis obiecta diuiditur, vel iuxta facultates per artem applicabiles, vel secundum cognitionem ipsam practicam artis, vel denique secundum artifices, & artis subiecta. Quod quidem tripliciter fieri potest, quandoquidem alia est ars humana, alia Angelica, alia Diuina; ars autem quæpiam eò est vniuersalior, dignior, atque certior, quò facultates naturales plures, & nobiliores dirigendas habet; vt ars humana dirigendas habet hominis facultates, necnon alia naturalia, quæ hisce mediantibus facultatibus dirigi, & ordinari possunt; ars verò Angelica habet illa omnia opera pro obiecto, quæ mediatè, vel immediatè ab Angelicis facultatibus ad ordinem redigi valent. Idémque de Diuina certum est, quæ est omnium vniuersalissima, atque dignissima, quippe quæ pro facultate dirigenda diuini numinis omnipotentiam sortita est, cuius directioni, & ordinationi omnis omnino natura subiacet, iuxta psalmum 118. *Ordinatione tua perseuerat dies, quoniam omnia seruiunt tibi.*

Diuisio artium.

Ars humana.

Angelica.

Diuina.

Quibus suppositis primum artificem, atque adeo verum Deum admittendum esse probatur. Quotiescunque ex multis ordinationibus possibilibus optima, vel vna ex optimis eligitur, toties illa fit ab arte, & per rationem, atque consilium procedit, at in omni rerum naturalium constitutione optima ordinatio, vel vna ex optimis animaduertitur, igitur ab arte prodit; non autem ab alia, quàm à diuina, igitur ordinatio Diuina constituenda est. Maior probatur exemplis ex variis artibus desumptis, vt in characteribus coniungendis, dum liber aliquis excuditur, in coloribus ordinandis ad aliquam imaginem exprimendam; in coloratis filis, quibus tapetes conficiuntur; in denticulatarum rotarum coniunctione ad horologia construenda, & in mille alijs id genus. Quis enim tam vecors est, qui characteres ad libri compositionem ordinatos fortuitò prodiisse arbitretur? qui si inter se confunderentur, & singuli post singulos extraherentur, prout occurrunt, nunquam fieret liber.

Sic etiam cùm super aquam varij colores promiscuè coniiciuntur, & in chartam extrahuntur, permultæ figuræ nascuntur fortuitò, at nunquam hominis, vel alterius animalis perfecta adumbratio prodit, quia hæc non nisi ab arte fieri potest. Nec obstat, quod aiunt aliquem pictorem ex indignatione penicillos, & alia colores continentia in tabulam proiecisse, & sic casu spumam equi, vel, vt alij volunt, nubem expressisse, quam arte non poterat; nam præterquam quod illud rarum est, & semel factum esse narratur, spuma est aliquid homogeneum, atque adeò facilè repræsentabile.

Tria verò requiruntur, vt euidenter concludatur esse aliquid arte factum, primum est, vt sit multitudo partium; secundum, vt illarum concursus, & ordinatio sit accidentalis ipsis partibus: tertium, vt sit vnitas exurgens ex tali concursu, qui certus esse debet, itaut ad hanc vnitatem perficiendam vnica sit ratio, vel non ita multiplex, ad aberrandum verò ab hac vnitate sit multiplex, ac propemodum infinita.

Tria notantur.

Maior autem, quam exemplis hactenus probauimus, ratione confirmatur. Talis ordinatio habet aliquam causam, & principium, illud autem non potest esse nisi ars; vel enim erit intrinsecum, vel extrinsecũ; primum dici nequit, cùm ordinatio sit aduentitia, & accidentalis rei ordinatæ: Si secundum, illa quidem à causis ordinatis manare poterit; at harum ordinatio erit ab arte. Confirmatur; talis ordinatio vel est de essentia rei ordinatæ, vel proprietas, vel accidens; tertium verò tantùm dici potest, si dicas ab extrinseco fieri, igitur artefactum directum, & ordinatum erit ab arte. His adde naturam seipsa nunquam ferri ad ea, quæ indetermi-

nata ſunt, ſed omnis determinatio accidentalis fit vltimatè à cauſa libera, quæ ratione ducitur; ratio autem, cùm eſt cognitio certa, & euidens rei faciendæ, eſt ars.

Minor probatur ex omnium confeſſo; nam medici in ſingulorum animalium ſingulis partibus partem diſpoſitionem tantopere admirātur, vt id omnem captum humanum ſuperare fateantur: & quidem nullus eſt artifex, quantúmuis ingenioſus, qui poſſit milleſimam partem motuum alicuius partis, verbi gratia cordis, aut oculi quibuſcúnq; funibus admotis exhibere: cũ tamē Deus omnes oculi motus 6 muſculis, & neruis quibuſdã perficiat, & perpetuum ſyſtoles, atque diaſtoles motum in corde, atque pulmone conſeruet. Quod ſi ſingulos homines, qui peculiari alicui ſcientiæ, vel arti vacant, interrogauerimus, idem omnino fatebuntur: enimuero phyſicus negat vllam eſſe perfectiorem ordinationem illa, quæ in toto mundo relucet: Aſtronomus in cœlorum concentibus perfectiſſimam harmoniam eſſe credit. Denique probant omnes omnia à Deo facta eſſe in numero, pondere, & menſura.

Medici.

Confirmatur, quod fit per rationem certam, & euidentem, fit per vnam ex quinque virtutibus intellectualibus, non autem per aliam, quàm per artem; cùm omne opus factum per talem operationem ſit opus intelligentiæ, opus verò naturæ eſt opus intelligentiæ, ergo & artis.

At ordinatio partium mundi minimè facta fuit arte humana, aut Angelica, quia prima ordinatio fit ab eo; qui res producit, Deus autem eſt ſimul principium artificiale, & naturale operum mundi; ſicut & homo eſt vtrúmque principium in operibus logicæ; conceptus enim producit, inquantum naturam & eoſdem ordinat, inquantum artem habet.

Sunt autem in naturalibus compoſitis ſex potiſſimum determinationes faciendæ, à quibus tanquã à ſingulis mediis peti poſſunt argumenta ad diuinitatis exiſtentiam demonſtrandam. Primum eſt magnitudo mundi, ſiue elementaris, ſiue cœleſtis; Cùm enim homogenea ex natura ſua nullum exigant terminum magnitudinis, quod iſte mundus tantam, & tantam magnitudinem habeat; quod ſemidiameter terræ milliaria 3436; Semidiameter conuexi aëris, ſeu Atmoſphæræ milliaria 3486; ſemidiameter conuexi ætheris, vel ignis milliaria 178672, vel 52 terræ ſemidiametros; quod ſemidiameter firmamenti, ſeu totius mundi viſibilis terræ 14000 ſemidiametros contineat, à natura ipſius mundi, vel partium illius peti nequit: fruſtra ergo ad mundum, & naturam Athei recurrunt. Secundum eſt figura: nam orbis terreſtris habet certam figuram ſibi merè accidentalem. Tertium eſt duratio, & initium productionis, cuius determinatio ab alio peti debet, quàm à rebus productis, illud autem eſt Deus. Quartum petitur à partium alicuius compoſiti diſpoſitione. Quintum à multitudine ſpecifica entium. Sextum ab intenſione graduum, ad quam ſæpenumero natura eſt indifferens.

In rerum natura ſex determinātur, ex quibus Deum eſſe probatur.

Semidiametri terræ aëris ætheris, & firmamenti quãtæ ſint.

Quæ omnia cùm determinantur, euidentiſſimè Deum eſſe probant, qui rebus ſingulis tam intimè præſens eſt, vt neminem præterfugere poſſit. Et quidem ex dictis concludere poſſumus euidentius eſſe Deum Opt. Max. dari, quàm vllum alium artificem, ſi loquamur de argumento à poſteriori. Itaque mendacij, tenebrarúmque iugum Athei excutiant, atque nobiſcum admirentur, & adorent rerum omnium artificem, cuius ſapientia, & βάθος ἀβύσσου ſcientiæ in minimæ formicæ corpore formando magis apparet, quàm artificis cuiuſpiam quantumuis induſtrij ſcientiæ, & artes in omnibus artefactis ſimul conſideratis.

Ecquis artifex milleſimam motuum partem alicui artificio poteſt indere, quos Deus quotidie formicis, culicibus, & cæteris animalibus tribuit? Quid ſi totum mundum velut ingens animal contemplemur? Quis nobis rationem afferet, cur terra maximè remota à ſole (quod fit dum in apogæo verſatur) 1182 ſemidiametris ab eo diſſita ſit? Cur luna, ab eodem ſole apogæo, dum ei oppoſita eſt, per 1246 terræ ſemidiametros; cur ☿ per 571; ♀ per 855: ♂ per 1628, ♃ per 3632: ♄ in ♋ per 10588 fugiant? Cur non propinquiores ſunt, aut remotiores? Quis hoſce terminos marinis dedit fluctibus, vt æſtus integer 25 horas duraret? vnde habet luna, vt totum Zodiacum 27 diebus, horiſque 8 percurrat: ſolem 29 dierum, & horarum 13 ſpatio aſſequatur; epicyclum verò ſuum diebus 27, & 13 horis; denique ☊ 18 annis Ægyptiis, & 223 diebus conficiat?

Quanto ſpatio terra & omnes Planetæ, atque ſtellæ diſtēt a ſolis apogæo.

Quinã ſint motus proprij ſingulorum cœlorum.

O ſummam Atheorum dementiam! nunquid ſol ſibi ipſi motus proprij regulas præſcripſit, vt totum cœleſtium animalium cingulum 365 diebus horis 5 $\frac{5}{6}$, & apogæum 18800 annis conficeret? Cur ſibi maculas illas addidit, quæ 15 dierum ſpatio eius diſcum tranſcurrerent? Cur Venus & Mercurius proprios motus anno complent, & tamen diſcrepant eorum epicycli? quandoquidem ☿ epicyclum 115 diebus, horis 21 abſoluit, ♀ autem anno, & 218 diebus. Omitto ♂ qui præter annum, 322 dies in Zodiaco luſtrando conſumit, in epicyclo verò percurrendo 2 annos, & 50 dies; Iouem, qui 11 annis, & 315 diebus Zodiacum, tametſi Epicyclum anno, & 34 diebus conficiat; Saturnum denique pigerrimum, qui quidem vnicum annum, & 13 dies in Epicyclo ſolùm inſumere dicitur, at in Zodiaco tranſeundo 29 annos, & 174 dies perficit. Qui tamen omnes planetæ motu velociſſimo diebus ſingulis ab oriente per meridiem, & occidentem vſque ad eundem orientem, à quo diſceſſerant, rapiuntur, atque redeunt.

Maculæ ſolis.

Te te prouoco, Athee, mihi vt reſpondeas, cur terra, quæ milliaria cubica 17003252160? continet, ſit ad maris ſoliditatem, vt 2290 ad vnam: ad atmoſphæram, vt 27 ad 1: ad æthera, vt 1 ad 140608. ad ☽, vt 40, ad 1: ad ſolem, vt 1 ad 140. ad Mercuriũ, vt 19 ad 1: ad Venerem, vt 6 ad 1: ad Martem, vt 13 ad 1: ad Iouem, vt 1, ad 14. Ad Saturnum, vt 1, ad 22. Ad ſtellas primæ magnitudinis, vt 1, ad 70: ad ſtellas ſecundæ, vt 1 ad 28: tertiæ, vt 1 ad 11: quartæ, vt 1 ad 3 $\frac{1}{8}$: ad quintæ, vt 1 ad 1 $\frac{1}{10}$: ad ſtellas ſextæ magnitudinis, vt 1, ad 1. Denique ad mundi totius ſphæram, vt 1 ad 274400000000?

Quænam ſit proportio terræ cubicæ ad cæteras ſphæras, & ad planetas.

Deus bone quis non fateatur illa omnia fieri non poſſe, niſi ſummus artifex admittatur, qui terram ita fabricare voluit, vt eius ſemidiameter ad lunæ ſemidiametrum eſſet, vt 3 $\frac{2}{5}$ ad 1: vel vt 17, ad 5: ad ſemidiametrum ſolis, vt 1 ad 5 $\frac{1}{5}$, vel vt 5, ad 26: ad ☿ ſemidiametrum vt 2 $\frac{2}{3}$ ad 1, vel vt 8 ad 3, ad ſemidiametrum, ♀, vt 1 $\frac{5}{6}$ ad 1, vel vt 11 ad 6: ad ♂ ſemidiametrum vt 2 $\frac{2}{5}$ ad 1, vel vt 12 ad 5: ad ſemidiametrum ♃, vt 1, ad 2 $\frac{2}{5}$, vel vt 5 ad 12: ad ♄ ſemidiametrum, vt 1 ad 2 $\frac{9}{11}$, vel vt 11 ad 31: Denique ad ſtellarum primæ magnitudinis ſemidiametros, vt 1 ad 4 $\frac{1}{3}$, vel vt 3, ad 13.

Quænam ſit proportio ſemidiametri terræ cum ſemidiametris omniũ planetarũ.

Et

Quænã sit mediocris distantia planetarũ à cẽtro terrę.

Et quidem non est maior ratio cur semidiameter terræ 3436 milliaria semidiametri verò conuexi aëris, 3489: conuexi ætheris, 17862 milliaria contineant, quàm vt plura, vel pauciora, nisi quia Deus magnitudinis terminos illis præscripserit. Ille ille est, quicquid Athei garriant, qui lunæ mediocrẽ à centro terræ distantiam 56 semidiametrorum terræ constituit; Solem verò, Mercurium & Venerem 1142; Martem 1745; Iouem 3990; & Saturnum 10550 semidiametris terrenis ab ipsa terra seiungi voluit, quandiu in mediocri distantia versarentur.

Collatio diametri solis cum diametris terræ & planetarũ.

Quæ profectò tam stupenda sunt, vt neminem mentis compotem esse credam, qui non fateatur Deum necessariò concedendum esse, qui illa omnia summa sapientia ordinauerit: atque Solem tantæ magnitudinis fecerit, vt eius diameter sit ad terræ diametrum, vt 26 ad 5; ad ☾ diametrũ, vt 26 1 $\frac{4}{11}$: ad diametrum ☿, vt 26 ad 1 $\frac{7}{3}$; ad veneris diametrum, vt 26 ad 2 $\frac{4}{11}$; ad diametrum ♂, vt 26 ad 2 $\frac{1}{11}$; ad ♃ diametrum, vt 26 ad 5; ad Saturni diametrum, vt 26 ad 14 $\frac{1}{11}$; Denique ad stellarum primæ magnitudinis diametrum, vt 26 ad 21 $\frac{4}{5}$. Alioquin si sol illam 26 partium diametrum sibi ipsi tribuisset, cur non longè maiorem assumpsisset? Non solùm autem planetarum distantiæ, sed ipsæ eorundem vmbrę Deum esse probant, si determinatas vmbras illis concedamus, quippe quæ ab aliquo finiri, atque limitari debuerunt. Hinc fit, vt vmbra terræ semidiametris suis 264 constet, ac proinde lunam nobis eclypset, quæ 68 semidiametris ad summum distat à nobis; aliquando verò 52 tantùm: eapropter licet vmbræ suæ mucronem terra ita longè proiiciat, nullum alium planetarum attingere potest, quia Venus reliquorum citissima saltẽ 287 semidiametris distat. Vmbra vero ☿ maxima 43 semidiametris constat; cuius apex distat à sole semidiametris terræ 614: quapropter minimè pertingit ad Venerem 855 semid. à sole seiũctam. Quid opus est Veneris vmbram commemorare, nisi vt magis, atque magis Atheorum impietatem retundamus, & ab eorum mente caliginosa tenebras dispellamus. Quibus propterea Veneris vmbram offero 102 semid. constantem, cuius acumen distet à sole 957 sem. vnde lunam assequi non valet, cum à sole 1034 sem. dissita sit. Martis autem vmbra 147 semidiametros terræ longa est, cuius vertex à sole 1775 sem. remouetur; eapropter tantùm abest, vt Iouem attingat, hic enim à sole 2652 semid. dissitus est.

Quàm magnæ sint vmbræ terræ & planetarum.

Qualem obsecro Iouis vmbram esse putas? nunquid 869 semid. vt eius vertex à sole per 4521 semid. fugiat? quæ Saturnum, vt à sole 10588 distantem, attingere nequit. Quàm verò mirabilis est vmbra Saturni cum suis semid. 12532, & vertice à sole per semid. 23124 disiuncto; qui ea de causa stellas eclypsare poterit, si tantùm seiunctæ fuerint à terra per 14000 terræ semidiametros. Superest stellarum primæ magnitudinis vmbra maxima, cui terræ semidiametros 65000 ad minimum tribuunt.

Quæ singula maximè velim, ab Atheis accuratè spectari, fallor enim, nisi tantarum rerum, & ordinis adeo pulchri contemplatione, nec non admiratione capti, necessariò Deum admittendum esse fateantur. Iam verò post artefacta creaturas omnes ad auxilium aduocemus, & omnia entia aduersus Atheos dirigamus.

RATIO XXVII.

Deum esse probatur ex omnium entium collectione.

SVmas obsecro, Athee, omnia entia, quæ nunc actu sunt, eorúmque collectionem; quæro an talis entiũ collectio sit *à se*, vel ab alio, sanè nõ omnis est ab alio, ergo aliquod ex istis entibus *à se* esse debet. Minor probatur, alioqui enim daretur ens aliquod extra collectionem, à quo esset talis collectio, quod est contra hypothesim includentem in tali collectione omnia, quæ sunt. Quod verò talis entium collectio *à se* esse nequeat, aut prædicatum *à se* ei conuenire non possit, ita probamus. Si illa esset *à se*, vel prædicatum *à se* ei competeret, esset vel ratione entium contentorum, vel ratione collectionis talium entium, vel vtriúsque; si primum habemus saltem aliquod ex illis entibus *à se esse*, quod intendebamus. Secundum dici non potest, siquidem omne prædicatum conueniens alicui toti ratione collectionis, est vel aliquis numerus, aut multitudo, vel aliqua proprietas multitudinis, & numeri, cùm enim collectio formaliter sumpta sit ratio formalis multitudinis, vel numeri, si sit collectio vnitatum ordinatarum, nihil potest conuenire collectioni, nisi quod est vel multitudo, vel proprietas eius. sed *esse à se* est prædicatum, quod nec est multitudo, vel proprietas eius, tum quia *esse à se*, sicut esse ab alio cõuenit vnitati, nec magis vni multitudini, quàm alteri, igitur *esse à se* non conuenit toti ratione collectionis; sicut ista prædicata esse ternarium, quaternarium, &c. parem, imparem & similia conueniunt ipsi collectioni, non autem partibus ternarij, quaternarij, &c. Si verò tertium concedis, primò habemus intentum, quia dabitur ens aliquod *à se*, quia prædicatum *à se* conueniet collectioni ratione entium in ea existentium. Secundò cùm non possit conuenire ratione collectionis, dici nequit quod conueniat prædicatum *à se* ratione vtriúsque. Iam verò cùm esse *ens à se* sit esse Deum, sicut clarissimè probatum est dari *ens à se*, ita notissimum debet esse dari Deum.

Ratio hæc subtilis est & generaliter proponitur.

Eadem ratio ad particularia descendit.

Vbi aduerte rationem hanc, quam entibus cuiuscúnque generis simul sumptis applicauimus, ex æquo efficaciter entibus vniuscuiúsque speciei applicari posse, vt patet in hominum generationibus, quas omnes ab aliis hominibus esse implicat, nam si sumamus omnes homines, qui actu fuerũt, quæro an tota illa hominum collectio sit *à se* genita, an ab alio, si secũdum, vel istud aliud est homo & hoc est contra hypothesim, vel est quid distinctum ab homine, & aliud esse nequit præter Deum, cùm nihil possit hominem producere, nisi vel alius homo, vt fit connaturaliter, vel Deus, vt in prima Adami creatione factum est. Primum autem dici nequit, nisi admittatur aliquis homo à se genitus mediatè,

vel immediatè, quod absurdum est; vnde constat hominum generationes ab æterno esse non potuisse, & primâ ab alio fuisse necessariò, quàm ab homine; cùm autem istud aliud organorum dispositionem, totámque ordinationem anatomicam tam admirabilem facere debuerit, non potest esse nisi summa intelligentia, nempe Deus.

Alio modo ratio metaphysicè proponitur.

Huc ferè recurrit illa ratio metaphysica; omne ens aut est factum, aut non est factum, sed non possunt omnia entia esse facta, igitur necessarium est aliquod ens non esse factum. Maior clarissima est. Minor autem facilè probatur; omne factum ab alio factum est, vel igitur id faciens etiam factum est, vel non; si non est factum, habemus intentum, nempe illud esse *à se*; si factum est, ab alio factum est, quapropter vlterius quæro, vel istud ab alio factum est, & sic deinceps, vel deueniemus ad ens increatum, nisi circulum, seu processum in infinitum admittere velis, qui omnino impossibilis est, nec enim illo progressu concesso aliquid in rerum natura daretur, quia progressus ille admittit infinitum, quod nunquam pertransiri potest, quod tamē pertransiri, seu exhauriri, & absumi debuit, vt iam in rerum natura effectum aliquem percipiamus, si progressum in infinitum semel concedamus. Deinde aliqua causa incipere debuit, vt effectus, quos videmus, producerentur, alioqui si nunquam incœpit, dubio procul, nihil erit, nam quomodo dabitur effectus, si nulla causa incipiat agere? Quod æquè necessarium est, siue causæ per se, siue per accidens tantùm subordinatæ sint.

Facessant ergo detestandi Athei, atque seriò cogitent omnino necessarium esse, vt ad aliquod primum deueniamus, quod sit independens, quódque semper fuerit: alioquin si non semper fuisset, possibile erat, vt esset, igitur cùm factum est, vel à se, vel à nihilo, vel ab alio factum est; non est factum à nihilo, quia vt ex nihilo nihil fit, ita nec à nihilo fit aliquid: nec factum est ab alio, ne detur processus in infinitum impertransibile, nec factum est à se ipso, cùm nihil seipsum faciat, si enim se ipsum faceret, esset, & non esset; esset quidem, quatenus faceret, non esset, quatenus fieret. Quę rationes, quia acutiores sunt, & difficiliores, quàm vt à stultis Atheis ritè perpendantur, ad faciliores redeo; loquantur ergo scientiæ sequentes, & Deum esse fateantur.

RATIO XXVIII.

Sumitur ex Geographia, & Hydrographia,

MVlta hîc ab omnibus conceduntur, ex quibus necessariò sequitur aliquod agens admittendum esse, quod totius naturæ vim longè superet, inter quæ non vltimum locum obtinet, quod iuxta rerum creatarum naturalem ordinem, atque naturam elementorum ex ijs quædam subsidere, alia superferri debeant: vnde philosophi suo calculo comprobarunt terram, vt pote omniū grauissimam: aquis subiici debere, hinc aqua totū orbem terrenum nostris oculis auferret, iuxta id de antiquo chao decantatum, *omnia pontus erant*, nisi quis aquam alio modo disposuisset. Deinde constat hunc orbem à sua superficie aquas illas remouere non potuisse; Tertiò necessarium fuit, vt quis eas à terra segregarit, vt arida fieret, & hominibus commodam habitationem præberet. At nullum viuens corporeum huiuscemodi separationem efficere potuit, nullum enim erat, cùm tota terra ab aquis circundaretur, igitur ad aliquod viuens spirituale deueniendum est, quod opus tam arduum perfecerit, quod Deum Opt. Max. appellamus.

Probatur verò terram ex natura sua totam aquis operiri debere, & reuera opertam iri, nisi naturarum omnium Dominus alio modo disposuisset, aut dispositurus sit, idque ex eo quod multæ partes terræ iam aquis concludi videantur, quæ antea patebant, & ex eo quod montium altitudines humiliores efficiantur, terra verò plana, atque valles ascendant, donec ipsa terra montibus, atque vallibus careat, & perfectè rotunda sit, eámque iterum aqua veluti infantiæ suæ pannis inuoluat.

Iob.

Itaque flumina quotidie montium radices corrodere, & ingentia præcipitia facere, sicque terram paulatim alluuione consumere quis nescit? quod & beatus Iob c. 14. vers. 19. testatum reliquit. Hinc fit, vt magnæ ruinæ Labinæ vicos integros in flumina præcipites agant. Quid si pluuias aquas spectemus? quæ montium superficies altissimas ad ima deducunt, licet illud nō ita percipias in montibus lapidosis sua duritie meliùs resistentibus. Inde verò fit, vt antiqua ædificia in montibus sita minus diuturna sint, quorum nempe fundamenta paulatim deteguntur, quapropter notant aliqui Capitolij Romani fundamenta modo tota supra terram extare, licet olim altè sub terram descenderent. Quod incolæ montani confirmant ex eo, quod montes, à quibus olim impediebantur, ne arcem, vel turrim in vlteriori monte sitam aspicerent, iam facilè conspiciant, monte post annos plurimos intermedios depresso.

Ruinæ Labinæ.

Nota de Capitolio.

Contrarium verò in planis, atque campestribus accidit, quæ quotidie magis eleuantur; aquæ enim terram secum è montibus aduehentes, eam in planis, atque decliuioribus locis deponunt, adeout ædificia plurima in planis constructa iam penè tota sepeliantur, vt patet in arcu triumphali Septimi ad Capitolij radices siti, qui ferè totus obruitur: hinc fit, vt iam in Pantheona descendatur, in quem multis gradibus olim ascendebatur. Luculento verò testimonio cœmentarij, & architecti ea comprobāt, quando in planis fundamenta ædificiorum excauant, in quibus primò terra, quam motam appellant, vsque ad 10, 20, aut triginta, vel plures pedes, lignis, ferramētis, ruderibus, numismatis, sepulturis, & alijs id genus permixta reperitur: quam terra nunquam mota, solida, atque compacta sequitur, hanc Galli *terre ferme*, illam *terre remuee* vocitant.

Arcus triūphalis Septimi.

Pantheon.

Terre ferme. & remuee.

Quod ab aquis pluuialibus, atque fluuialibus peractum est, quæ multam terram è montibus in planitiem adduxerunt: vnde non sunt eadem camporum superficies, quæ fuerunt olim, hinc agri quondam

quondam fœcundi steriles nonnunquam, vel longè minus fertiles esse deprehenduntur. Possumus etiam ex ipsis fluuiis hanc veritatem confirmare, qui depressiora per terræ exaggerationem paulatim replent, & eleuant, sicut & altiora loca corrosione deprimunt; vt in Ligeri constat, qui Galliam præterfluit. Huc referri potest Georgius Agricola, qui l.3. de ortu, & causis subterraneorum ait montes ab aquarum impetu produci. Quod autem de fluuiis diximus, idem de mari intellige, cuius exaggeratione littora altiora fiunt, & illud ingrediuntur, adeout mare recedere cogatur. Cõfirmatur ex Aristot. 1. meteor. c. 14., qui fatetur magnam illam Ægypti aggerationem ex arenis, & limo ex Æthyopiæ montibus simul cum Nilo in mare delabentibus esse conflatam, & antiquo littori additam, cui proinde locum mare cesserit, ideóque hunc terræ cumulum Delta, Niliquе donum Herodotus appellauit, quia Nilus terram hanc illuc asportauit. Vide, si lubet, alia regionis Ammoniç, paludis Meotidis, Bosphorique Thracij exempla apud Arist. loco cit. Plinius etiam mare ab Ambraciæ portu 10 millia passuum, ab Athenarum verò 5. millia recessisse scribit. Adde quod, Strabone teste l. 12., Pyramus Ciliciæ fluuius tantum limum in mare deducat, tam ex Cataonia, quàm ex Ciliciæ campis, vt de eo hi versus instar oraculi scripti sint,

Geor. Agricola.

De mari. Aristoteles.

Delta, Niliquе donũ quid sit. Herodotus.

Strabo. Pyramus fluuius.

Tempus erit rapidis olim cum Pyramus vndis
In sacram veniet congesto littore Cyprum.

De Rauenna.

Omitto Rauennam olim in extremo littore sitam, nunc verò plurimùm à mari distantem: Æstuarium Venetum, de quo Blancanus adeò timet, vt Venetias ex maritimo loco terrestrem factum iri vereatur: cúmque per varias arenarum aggerationes maris alueus angustior, & elatior fiat, séque quotidie magis recipiat, necessarium esse videtur, ita mare aliquando sublimari, vt exundet, prout iam in littoribus Baltico, Danico, & Hollandico factum est, quæ prælongis, & tam altis aggeribus antea non indigebant.

Vbi mare exundarit, & cur.

Ex quibus omnibus facillimo negotio Deum esse probamus, cùm enim montes paulatim ab aquis in maris, & fluuiorum concauitates, & in loca campestria deportentur, necesse est, vt mare modo huic, modo alteri terræ superficiei superfundatur, & terra, veluti mundi primordiis, inhabitabilis reddatur: quod fiet, dum terra suæ figuræ primigeniæ restituetur, & perfectè sphærica fiet, atque tota marinis fluctibus obtegetur. Igitur neutiquam ab æterno figuram hanc, qua nunc eam affici cernimus, habuit; igitur ex sua natura non illam figuram expetit, igitur non est ab æterno, alioquin enim montes ab aquis exesi, consumptíque fuissent, cùm in dies ex illis absumant aliquid.

Age verò quis terræ figuram illam, quam nunc habet, impressit? quis eam terræ cum cœlo stellato analogiam, atque μ'γιν obseruauit, vt ea sit instar puncti respectu firmamenti, quod nempe continet eius magnitudinem 274400000000: quod maximè patet ex eo, quòd in qualibet terræ superficie positi, cœli dimidium æquè videamus, ac si in orbis terreni per medium abscissi centro staremus, & styli solariorum horologiorum horas adeò exactè indicent, ac si vertex styli in centro terræ existeret, cùm tamen sit in superficie, atque supponatur esse in centro; vnde cõstat terræ semidiametrũ, licet milliaribus 3436 ½ constantem, ferè nihil esse, si cum illo spatio conferatur, quo firmamentum à nobis recedit. Cur obsecro, Athee, terræ diameter tam pauca milliaria obtinuit, vt 6873 finiretur milliaribus, & solas bis mille ducentas nonaginta & vnam leucas Gallicas obtineret? An potiùs ex natura sua leucarum Gallicarum, quæ tribus milliaribus constant, septem millia ducentas, in sua circunferentia, quàm plures, aut potiores requirebat? nusquam sanè, quippe quæ saltem ex æquo conseruari, & omnibus suis essentialibus, proprietatibúsque frui poterat, si maiorem peripheriam habuisset.

Quoties terra à firmamento contineatur.

Terræ diameter & circunferẽtia quanta sit.

Quis ergo hæc omnia pro libito compegit? Vtinam Athei sequentia Dei verba accuratè perpenderent, quæ apud Iobum c.38. habentur. *Accinge sicut vir lumbos tuos, interrogabo te, & respõde mihi. Vbi eras quando ponebam fundamenta terræ, indica mihi si habes intelligentiam. Quis posuit mensuras eius, si nosti: vel quis tetendit super eam lineã: super quo bases illius solidatæ sunt: aut quis demisit lapidem angularem eius. Cùm me laudarent astra matutina, & iubilarẽt omnes filij Dei, &c.* Quæ ibidem elegantissimè subiiciuntur; Verùm fortè satiùs fuerit ex ipsis paganis testimonia depromere, quibus Athei confundantur, cùm Scripturæ sacræ vale dixerint, vt in die Iudicij ab ijs condemnentur, qui nullo vnquam diuinæ fidei radio illustrati fuisse videntur: inter quos vnus pro cæteris satisfacere poterit Ouidius l. 1. metamorph. initio, qui postquam de Chao verba fecit, hæc habet:

Iob. 38.

Ouidius.

Sic erat instabilis tellus, innabilis vnda,
Lucis egens aër, nulli sua forma manebat,
Obstabatque alijs aliud, quia corpore in vno
Frigida pugnabant calidis, humentia siccis,
Mollia cum duris, sine pondere habentia pondus.

Quæ verò sequuntur, aduersus Atheum è diametro militant, cùm, authore Deo, poëta fateatur hæc omnia suis locis constituta, suísque limitibus circunscripta fuisse,

Hanc Deus & melior litem natura diremit
Nam cœlo terras, & terris abscidit vndas,
Et liquidum spisso secreuit ab aëre cœlum,
Quæ postquam euoluit, cæcóque exemit aceruo,
Dissociata locis concordi pace ligauit.

Vbi aduerte tam poëtas, quàm Philosophos naturæ nomine Deum intellexisse, quod ex Seneca constat, quem ita Lactantius refert l. 2. diuin. instit. c. 9. Melius igitur Seneca omnium Stoicorum acutissimus, qui vidit nil aliud esse naturã, quã Deum. Ergo, inquit, Deum non laudabimus, cui naturalis est virtus? nec enim illam didicit ex vllo. Imò laudabimus, quamuis enim naturalis illa sit, sibi illam dedit, quoniam Deus ipsa natura est. Deinde Lactantius aduersus Tullium disputans pergit. Cum igitur ortum rerum tribuis naturæ, ac detrahis Deo, in eodem luto hæsitans, versuram soluis Geta. A quo enim fieri mundum negas, ab eodem planè fieri mutato nomine confiteris: lege totum caput, in quo Ciceronem egregiè refellit, qui materiam, & elementa non à Deo facta, sed esse talia ex natura sua contendebat.

Lactantius.

Alij vero Deum naturam naturantem, alij necessitatem, quasi essentiam immobilem existentem, quidam Eimarmenem, & fatum à conserta rerum serie; nonnulli Mœram, seu sortem, & parcam à partitione rerum; alij Pepromenen, quod omnia à Deo terminata sint, adeout inter res creatas nihil sit infinitum; Nemesin etiam, quòd omnia cuique distribuat, & Adrasten causam ineuitabilem, & Æsan quasi ἀεὶ ὤν semper existentem appellarunt; quapropter vbi hisce nominibus gentiles vti vide-

Varia nomina quibus gentiles vtebantur, vt Deũ significarent.

Eimarmenen.

Mœram.

Pepromenen.

Æsan.

tis, conclude eos de Deo sermonem facere, qui etiam sæpissime Deum nomine effectuum, seu rerum creatarum nuncuparunt, vt ex vno Orpheo probare possumus, quem de Ioue ita loquentem inducunt, licet eos versus neque in Argonauticis, neque in hymnis repererim:

Orpheus.

Ζεὺς πυθμὴν γαίης τε, ϗ οὐρανοῦ ἀστερόεντος,
Ζεὺς ἄρσην γένετο, ϗ ἄμβροτος ἔπλετο νύμφη,
Ζεὺς πνοιὴ πάντων, ϗ ἀκαμάτου πυρὸς ὁρμή,
Ζεὺς πόντου ῥίζα, Ζεὺς ἥλιος, ἠδὲ σελήνη,
Ζεὺς βασιλεύς, Ζεὺς ἀρχὸς ἁπάντων ἀρχιγένεθλος,
Πάντας γὰρ κρύψας, αὖθις φάος εἰς πολύγηθες
Ἐξ ἱερῆς κραδίης ἀνενέγκατο μέρμερα ῥέζων. id est.

Iupiter est fundamentum terræ, & cœli stellati. Iupiter mas est, & immortalis nympha. Iupiter Spiritus omnium, & ignis indefessi impetus. Iupiter maris radix, sol & luna. Iupiter est rex, & dux omnium, generationis principium; cùm enim omnes occultarit, rursum in lumen gratum ex sacro corde extulit; miranda patrans. Sed ad Ouidium pedem refero, qui per meliorem naturam illum intelligit, in quo creaturæ melius, & præstantius esse, quàm in seipsis habent, cùm in eo eminenter contineantur.

Ouidius explicatur.

Sic vbi dispositam, quisquis fuit ille Deorum,
Congeriem secuit, sectamque in membra redegit,
Principio terram, ne non æqualis ab omni
Parte foret, magni speciem glomerauit in orbis.
Tum freta diffudit, rapidisque tumescere ventis
Iussit, & ambitæ circundare littora terræ.
Addidit & fontes, & stagna immensa, lacúsque,
Fluminàque obliquis cinxit decliuia ripis:
Quæ diuersa locis partim sorbentur ab ipsa,
In mare perueniunt partim: campóque recepta
Liberioris aquæ, pro ripis littora pulsant.
Iussit & extendi campos, sub sidere valles,
Fronde tegi syluas, lapidosos surgere montes.

Vides ergo, detestande Athee, vides quem Geopiticum, atque hydrographum tibi depingat Ouidius, quicquid sub fabula id dictum fuisse nonnulli censeant; vt etiam aduersarios nostros veritati ferre testimonium Spiritussanctus tametsi forsitan minimè cogitantes voluerit. Verùm poëtis, Philosophisque relictis, & authoritate neglecta placet ratione, & experientia aduersus Atheos decertare, ita tamen vt Geographia, & Hydrographia tametsi hactenus mutæ pro Deo suo deinceps verba faciant. Te verò Geographiam interrogo, cur terra, quam pro obiecto suscepisti, sui partes aliquas tam altè subleuat, vt omnibus fluuiis, & toto oceano sit altior. Vt patet in monte Caucaso inter mare Euxinum, & Caspium supra Cholchidem, & Iberiam regiones sito, vbi fere 47 gradus polus noster eleuatur: etenim, si credimus Aristoteli meteor. 1. ab illo Euxini loco, qui profunda vocatur (quia fundus ibi minimè reperitur) & à nauigantibus in stagnum Meotidem mons ille videtur, licet ab eis saltem 560 milliaribus distet: montes alios omitto, inter quos Libanum altissimum existimo, de quo fusè ad Genesis 13. caput versic. 15. agemus. Ipsa verò Geographia respondeat.

Caucasus vbi sit, & à quãto spatio videatur.

Profunda quid apud Aristotelẽ.

Libanus.

Libentissimè fateor terram pro obiecto mihi datam esse, nec enim mihi meum obiectum fabricare potui, minimè siquidem absque meo scibili scientia forem, ideóque summas ago gratias ei, qui terram mihi tribuit. Et quidem video tellurem hac illac detectam esse, & in altissimos montium vertices efformari; quod cùm sit contra, vel præter eius naturam, non est quod respondere possim, nisi dixero eundem, qui mihi terram assignauit, in his, & illis partibus meum orbem aridum effecisse, vt in eo homines degerent, atque ipsi meo, suóque factori deseruirent: montes etiam subleuasse ad eorundem hominum vtilitatem, atque delectationem, vt tanta rerum omnium varietate magis recreatentur. Hinc verò colligo, rerum omnium autori dispositionem illam acceptam ferri debere: alioquin enim nullum violentum tamdiu durabile esse solet; Vnde meum obiectum penitus ab aquis opertum iri spero, nisi vel homines artificiosis aggeribus vel angeli, aut ipsemet autor naturæ id impediant: neque tamen scio, quo tempore, quóue sæculo terra mea tota circundari poterit, atque suæ pristinæ formæ suóque loco primigenio restituetur, quin potiùs mihi persuadeo priùs mundum ignis incendio finem accepturum, quàm vt illud accidat. Ideóque malo cunctis mortalibus illas diuitias exhibere, quas liberali manu mihi meus autor concessit, vt Athei facilè reuincantur, me Deum habere, qui omnia fecerit, & terram suis limitibus constituerit, qui ei figuram nõ sphæricam, quæ vbique ὁμαλή, sed tamen σφαιροειδῆ indidit, vt mille experientiæ probant, quantumcúnque rumpantur Leucippus, cui τυμπανοειδής, Heraclitus, cui σκαφοειδής, Anaximander, cui κυλινδροειδής, Democritus cui κοῖλος, Empedocles, & Anaximenes, quibus ὁμαλός, & cæteri, quibus vel πυραμοειδής, vel κυβοειδής erat.

Geographia loquẽs inducitur, vt Deũ esse probet.

Variæ figuræ, quas antiqui terræ assignarũt.

Contemplare obsecro meam Europam, in qua præ cæteris mundi partibus maximè recreor, ob Iaphetum Noëmi primogenitum, cui distributa fuit, vnde eam nonnulli Iaphetiam appellant, sicut alij Tyriam, & Celticam; ob celebratissima virorum excellentium scripta, atque monimenta: ob victorias ab omnibus gentibus reportatas: ob incolarum virtutes, mores, diligentiam, & præsignem cœli, solique temperiem.

Europæ nomina.

Vis peculiares illius terminos, atque partes tibi referam? vt æterni numinis potentiam, atque prouidentiam agnoscas? vis φυσικῶς, prout sese partes offerunt? vis ἐθνικῶς, iuxta linguas & habitationes? vis πολιτικῶς, seu ποικίλως iuxta principum, voluntatem, atque iurisdictionem meam Europam distribuam? an mauis, vt illam tuis oculis subijciam, prout sese ante diluuium habebat? an prout in sortem Iapheti postea cecidit? an iuxta Ptolemæi methodum? an iuxta neotericos? Quod si iuxta populos malueris, qui potissimum in ea vigent, accingor.

15. Modi quibus & Europa, & totus orbis diuidi potest.

Si iuxta cœli cardines, atque mores; si iuxta planetarum dominia, atque virtutes, vt Bordinus in historiæ legendæ methodo; si iuxta Zonas in globo notatas; si secundum climata, atque dierum, noctiúmque varietatem; si iuxta circulos verticales, seu meridianos, & parallelos, seu longitudinem, atque latitudinem; si iuxta ventorum diuersitatem; si iuxta firmamenti asterismos, qui diuersis Europæ nostræ partibus dominari vulgò dicuntur; vel si quouis alio modo, me paratissimam exhibeo, atque mihi persuadeo nullam esse diuisionem, quæ te, miser Athee, non cogat Deum admittere, qui hæc omnia fecerit, aut ingenium mihi, meisque discipulis indiderit, quo nonnullas ex istis diuisionibus excogitatem.

Quis autem à Septentrione, & Occidente posuit

Termini Europæ efferuntur.

Termini Europæ afferuntur.

posuit oceanum, quo Europa finiretur, hîc Atlantico, illic Hyperboreo, seu glaciali? an aliquis hominum à meridie valuit producere, vel saltem adducere mediterraneum, aut fretum Herculeum, quibus ab Africa secerneretur? tantum abest, cùm illud ante primi hominis generationem factum sit, dum autor meus, terræ marisque dominus dixit, *Congregentur aquæ in locum vnum, & appareat arida*, quod alioqui omnes homines simul positi nunquam efficere potuissent. Quapropter Deus opus illud perfecit, vt Iob cap. 38. testatur, dum omnipotentem de mari ita loquentem inducit. *Circundedi illud terminis meis, & posui vectem, & ostia. Et dixi vsque huc venies, & non procedes amplius, & hîc confringes tumentes fluctus tuos.*

Iob 38.

Quibus terminis Europa separetur ab Asia.

Vides ergo terminos septentrionales, & australes à Deo stabiliendos fuisse: à quo neque dubitem fontes Tanais fluuij, aliàs Don, & Silin conditos, & adductos esse, vt ab Asia separarent nostram Iapheriam, idque per lineam ab illis fontibus vsque ad Granduicum Oceani Septentrionalis sinum deductam, & versus meridiem per paludem Meotidem, quam Temeridam vocant Scythæ, vulgò autem *Mar del Zabache*, indeque per Euxinum, seu Mare Magiore vsque ad mare Ægæum, aliàs Archipelago, atque Hellespontum Græciæ prolongatam.

Reuera nullum Atheum ea seriò cogitare posse credo, qui non fateatur terminos illos ab aliquo summo opifice positos. Iam verò quemlibet interrogo, cur Europa tantùm 60 gradus longitudinis, seu mille centum leucas, 60 gradibus paralleli vnius ex minoribus circulis, qui transit per 35 Meridiani gradum, correspondentes habeat, non verò plures, atque pauciores; cur iuxta latitudinem distet 35 gradibus ab æquinoctiali, & per 55 gradus seu 1650 leucas versus arcticum excurrat; cur latior, minus verò longa? Idem etiam rogare possum de Africa, seu Lybia à Septentrione iisdem terminis, quibus Europa à meridie limitata; ab ortu sinu Arabico, seu mari rubro, atque Isthmo Asiæ inter Mediterraneum mare, & sinum illum posito: à meridie, Æthiopico Oceano; & ab occasu, Atlantico supra lineam æquidialem: infra verò Æthiopico.

Quos terminos habeat Africa.

Asiæ termini. Varia Oceani nomina pro diuersis locis.

Omitto Asiam ex tribus partibus vno Oceano terminatam, qui ab Oriente Æoüs, à meridie Indicus, à Septentrione Scythicus nuncupatur, licet ab Occidente sinum Arabicum, Mediterraneum, stagnum, & Tanaïm habeat. Omitto etiam Americam tam meridonalem, quàm Septentrionalē cum sua Peruuia, Mexicana, Florida, Canada, Estotilandia, Chile, Brasilia, noua Granata, Patagonica, cæterisque illius prouinciis; nec non Magellanicam cum suis Psittacis, & aliis locis nondum bene cognitis. Denique omnia in præsenti nolim afferre, quæ ad me, meaque axiomata pertinent, quandoquidem vnica ex meis quæstionibus satis superque cogit Atheos quantumcunque pertinaces, vt mentis oculum aperiant, atque nolentes volentes fateantur causam aliquam prædictos terminos orbis terreni partibus adhibuisse.

Partes orbis noui.

Fortuitus casus explodiuur.

Dices id fortuitò, & casu ita contigisse, vt Europa hos potiùs, quàm illos terminos habuerit, hanc, longitudinem, & latitudinem assecuta fuerit, &c. Verùm à te peto, & ex propria confessione in te insurgo, an ille casus fuit causa terminorum, & magnitudinum Europæ? quisnam est ille casus fortuitus, an habet causam, vel à se ipso est? si causam habet, illam assigna! si non habet, ergo casus fuit ab æterno, idque independenter ab alio; at siue à se, siue ab alio, an hæc omnia, quæ narrauimus, & alia quæ diebus singulis obseruamus, à casu facta sunt ab æterno? Id quidem affirmari nequit, cùm multa de nouo fieri nullus sit, qui neget; quod si non omnia casu fiunt ab æterno, igitur fiunt in tempore, cur verò in tempore contingunt? nunquid antea euenire potuerunt? quis enim casum impediebat? O casum impium, ridiculum, & ignibus explodendum! Siccine miseri omnipotentis opera deprimere nitimini? cuius respectu nullus casus, nullus effectus fortuitus esse potest.

Vrgentur Athei.

Dicat Atheus an illam propositionem, *termini illi Europæ præfixi sunt, potius quàm alij, casu*, cæco casu pronuntiet, an consilio, ratione, & ex industria; sine consilio inquies; sanè iurarem id sine consilio ab Atheis effutiri, quos ideo stolidis iumentis compararim. Dicet alius cum consilio, ergo in tuo corpusculo consilium admittis, & verba tua vis esse prudentis animi opificium, neque tamen in hac præclara totius orbis machina vllam prudentiam, mentem vllam vis admittere, quæ summo consilio, & admirabili prouidentia, totum vniuersum, eiusque partes singulas regat? O insensatos politicos, ô deplorandam Atheorum cæcitatem! non alio certè lumine, quam ingentis Vulcani flamma illustrandam. Veruntamen huic cæcitati nouum alexiterium præparemus, nisi Geographicis argumentis cedere voluerint, quibus cum Hydrographia similes proferat, atque adeo par sit de illis iudicium, nunc ea omittam, vt Atheos superbia tumentes armis paupertatis deiiciam, & vultuum diuersitate ad Deum confitendum adducam.

RATIO XXIIII.

Depromitur ex paupertate, necnon vultuum, vocisque diuersitate.

CErtum est diuinam prouidentiam in ea mundi paupertate, qua diebus singulis plurimi conflictantur, non parum elucere, quandoquidem non tantùm hominem, verùm etiam totum mundum omnibus ornamentis excolit; nec enim Deus omnes diuites esse voluit, sed aliis abundè necessaria suppetere, alios inopia premi; alioquin enim facilè cessarent artes, & industriæ hominum, omniaque artificum opera, & omnium ciuitatum ornamenta. Nulli erunt nobiles, Domini, reges, nulla graduum, & ordinum differentia, nulla obedientia, nulla nauigatio, denique peribunt omnia, si omnes ex æquo diuites, si nulli pauperes, qui aliis ministrent, atque mechanicas artes exerceant. Quod optimè nouerat Persius, dum initio Satyr. 1. ait,

Persius.

Quis expediuit psittaco suum χαῖρε.
Coruos quis olim concauum salutare,
Picasque docuit nostra verba conari?
Magister artis, ingeniique largitor
Venter negatas artifex sequi voces, &c.

Nec minus bene Manilius astronom. 1. dum ostendit, quàm pulchra sint, quæ ars nobis suggessit, quam ad paupertatem refert,

Manilius.

——Artem experientia fecit
Exemplo monstrante viam, speculataque longè
Deprendit tacitis dominantia legibus astra,
Et totum alterna mundum ratione moueri:
Factorumque vices, certis discernere signis.
Nam rudis ante illos nullo discrimine vita
In speciem conuersa operum ratione carebat,
Et stupefacta nouo pendebat lumine mundi.
Tum velut amissis mærens, tum læta renatis
Syderibus, variosque dies, incertaque noctis
Tempora, nec similes vmbras, nec sole regresso,
Iam propiore suis poterant discernere causis.
Necdum etiam doctas solertia fecerat artes,
Terraque sub rudibus cessabat vasta colonis.
Tuncque in desertis habitabat montibus aurum,
Ignotusque nouos pontus subduxerat orbes.
Nec vitam pelago, nec ventis credere vota
Audebant, sed quisque satis se nosse putabat.
Sed cùm longa dies acuit mortalia corda
Et labor ingenium miseris dedit; & sua quemq;
Aduigilare sibi iussit fortuna premendo
Seducta in varias certarunt pectora curas.
Et quæcunque sagax tentando repperit vsus,
In commune bonum commentum læta dedere.
Tunc & lingua suas accepit Barbara leges,
Et fera diuersis exercita frugibus arua,
Et vagus incertum penetrauit nauita Pontum.
Fecit & ignotis itiner commercia terris.
Tum belli, pacisque artes commenta vetustas.

Quod paupertas artes repererit.

Si verò è contrario mala numerare velimus, quæ diuitiæ attulerunt, morum summam corruptelam audies, vt ij suo damno comprobarunt, qui vixerunt ante diluuium: ita etiam Brasiliani plurimi, quia annona abundant, ventri penitus mancipati, atque omnibus vitiis inquinati sunt? Hos autem malitiæ fomites otium videlicet, & abundantiam abscindit paupertas, & mentem innocuis cogitationibus occupans, totum orbem omni commodorũ genere, & omnibus ornamentis implet, quicquid enim pulchri, & admirandi cernitur, paupertatis est opus. Quis verò ex illa paupertate, quam omnes fere mortales ita fugiunt, & odio plusquam Vatiniano prosequuntur, tot tantáque bona prçter naturæ totius authorem elicere potuit?

Vultuum diuersitas.

Iuuat autem ad vultuum diuersitatem accedere, sine qua neque iustitia inter homines conseruari, neque Reipub. vllius forma consistere posset, sed maxima rerum omnium perturbatio facilè nasceretur, quomodo enim mariti suas vxores, parentes suos liberos, creditores suos debitores, amici inimicos, subditi principes, magistratus impios, & maleficos cognoscerent? Nunquid omnia plena essent adulteriis, incestibus, cædibus, & omni scelere? nec enim signum aliquod externum sufficeret, quale Iudæi nunc inter Christianos degentes gestare solent, quandoquidem ad libitum deponi posset; Ideoque nullo indicio crimen vllum deprehenderetur, quilibet enim negaret se reum esse.

Exemplum istius rei insigne nostra tulit ætas in illo homine, qui se verum alienæ vxoris, maritum finxit, adeout & parentes, & totam viciniam, & ipsam vxorem sæpe tam vultu, quàm verbis deceperit, cui nomen Martinus *Guerre*, vt in eo processu videre est, qui de eo circunfertur, nec sine vtilitate, & volupe legitur.

Hæc igitur vultus, vocisque diuersitas nullius alterius, quàm diuini numinis effectus esse potest, cùm ad hoc inducta sit, vt iniuriæ caueatur, & iustitia conseruetur.

Quia verò sæpe res in obscuro agitur, nec hominem videre possumus, quem alloquimur, aut in eo discernendo acies obtusior decipi potest, non minorem Deus vocum diuersitatem induxit, vt gemino teste difficiliùs hallucinaremur. Huc etiam Scripturarum, gestuum, imo & gressuum varietas reuocari potest, tanta est enim in iis omnibus diuersitas, vt portentum esse videatur, cùm aliquis inter duos homines discernere nequit, si ad prædicta omnia vel minimum attendit.

Vocum varietas.

Vtinam beatum Augustinum audires, dum istam vultuum diuersitatem miraculum appellat 21. de ciuit. c. 8. Vbi contendit aduersus paganos Deum aliquid in rebus facere posse, quod homines naturaliter experiri nequeunt. Non ergo, inquit, de notitia naturarum caliginem sibi faciant infideles, quasi nõ possit in aliqua re diuinitus fieri aliud, quã in eius natura per humanam suam experientiam cognouerunt, quamuis & ipsa, quæ in rerum natura omnibus nota sunt, non minus mira sint, essentque stupenda considerantibus cunctis, si solerent homines mirari nisi rara. Quis enim consulta ratione non videat in hominum innumerabili numerositate, & tanta naturæ similitudine valde mirabiliter sic habere singulos singulas facies, vt nisi inter se similes essent, non discernerentur species eorum ab animalibus cæteris; & rursus nisi inter se dissimiles essent, non discernerentur singuli ab hominibus cæteris. Quos ergo similes confitemur, eosdem dissimiles inuenimus. Sed mirabilior est consideratio dissimilitudinis, quoniam similitudinem iustiùs videtur exposcere natura communis. Et tamen quoniam quæ sunt rara, ipsa sunt mira, multo enim ampliùs admiramur quando duos ita similes reperimus, vt in eis discernendis aut semper, aut frequẽter erremus. Lege totum caput, in quo præsertim sequens notanda sententia. Sicut ergo non fuit impossibile Deo quas voluit instituere, sic ei non est impossibile in quicquid voluerit, quas instituit mutare naturas.

Verùm nunquid audio nostros Atheos respondentes illam varietatem ad casum referendam esse; Ita necur igitur feræ, aues, animalia, herbæ, plantæ, &c. non eam inter se varietatem obseruant? nunquid casus idem in illa omnia, quod in homines exercet imperium? Si casu, cur non rarò contingit illa diuersitas? nam casus est rarus quidam, & extraordinarius causarum concursus: & quod fit casu, non est perpetuum, neque frequens, cùm tamen prædictæ varietates semper contingant. Rursus mutit aliquis, id in variæ imaginationis, variæque materię naturam refundendum esse; esto, verùm quis ita disposuit? quis ita naturam hominis à belluina ferocitate discreuit, vt solus homo ita varius, ita distinctus esset? nunquid prouidentia diuina, quæ sciebat nullã iniustitiã, nulla crimina, nulla flagitia, nulla merita inter belluas futura esse. Agnosce igitur Athee creatorẽ tuũ, qui eam materiã, eã formã, illas

Occurritur duabus Atheorum responsionibus.

illas circunstantias, & conditiones, illa denique omnia sciuit adinuenire, quæ ad tuam generationem concurrerunt, ne ab vllo homine deciperetis, & ab omni iniuria omnibúsque tuorum inimicorum insidiis cauere posses. Sed te velim finem attingere, ad quem omnia tendunt, vt tandem aliquando finem tuum agnoscas, & assequaris.

RATIO XXX.

Sumitur ex fine, ad quem omnia tendunt.

SI mundi partes singulas sigillatim, & attento animo spectemus, statim fatebimur nihil inter ea, quæ sub aspectum cadunt, propter se, sed omnia propter aliquem finem extrinsecum facta esse, sicut & omnia sunt ab aliqua causa agente: quæ profectò sola rebus singulis media præscribere potuit, quibus ad finem sibi præscriptum facilè peruenirét. Non est quod in singulis creaturis probem illud, quandoquidem vnus sol totius vniuersi cor, & decor illud satis aperit, qui cum pulchritudinem suam minimè percipiat, nec vllam ex tot motibus vtilitatem, aut commodum, nullámque voluptatem hauriat, propter aliud factus est, sicut cor in medio animalium; etenim sicut cor est ob bonum totius corporis, ita & sol ob totius orbis commodum. Hinc fit, vt tantum lumen, tantam motionem, non maiorem, aut minorem habeat, alioquin enim ex se ad hanc aut illam est indifferés.

Sol non est factus propter se.

Idemque de cæteris planetis, & stellis dicendum est, sicut & de cæteris corporibus, quæ cùm minimè se sentiant, certum est ea propter se non esse, sed ob aliquem, qui ex eis voluptatem, atque commodum depromat, videlicet ob hominem, qui si à mundo abesset, tota natura corporea frustra esse videretur, neque enim sibi, nec alteri vllam afferret vtilitatem; sic enim quælibet diuitiarum copia nullius est momenti, quando nulla est earum notitia, nullus sensus, & nullus vsus.

Omnia corpora propter hominem facta

Quid obsecro commodi, quam vtilitatem, aut voluptatem soli adfert, quòd hyeme solùm per leucas totidem à centro terræ distet, quot semidiametri terræ 1101 in se complectuntur: æstate verò magis ab ea recedat, vt iam per mille & centum octoginta duas terræ semidiametros à terræ centro remoueatur, quando est in sexto gradu 69, vbi est eius Apogæum. An fortè sibi 81 semidiametrorum terræ spatiũ elegit, quo susque dèq; exspatiaretur, quia latius inuenire, vel peragrare non poterat? sanè nulla est alia ratio, cur ab æquinoctiali 23 gradus & ½ recedat, & inde tropico cursu remeet, quàm quia eius autor ita voluit, vt eam nobis tẽperiem efficeret, quæ ad ver, æstatem, autumnum, & hyemem necessaria est, & in illis tempestatibus ventos, imbres, nubes, niues, gelu, & cætera excitaret quibus herbæ, plantæ & cætera ad hominum necessitatem, aut voluptatem producerentur.

Aux, & excentricitas solis.

Solis declinatio quãta.

Idem omnino de terra, déque mari dicendum est; ad quid enim terra, quæ natura sua perfectam rotunditatem postulat, hic in montes assurgit, illic in valles deprimitur; cur in vno loco calida, lenta, friabilis, leuis: in alio ponderosa, pinguis, macra, pulla, gilua: in alio insipida, vel saporis alterius reperitur, cum vniformiter frigida sicca, & friabilis vbique esse deberet. & tamen.

Variæ variarum terrarum conditiones.

——— *Non omnis fert omnia tellus.*
Hîc segetes, illic veniunt fœlicius vuæ,
Arborei fœtus alibi, atque iniussa virescunt
Gramina. Nonne vides croceos vt Tmolus odores,
India mittit ebur, molles sua thura Sabei.

Pontum aspice, nunquid pro variis locis diuersos pisces nobis profert? nunquid etiam aër ipse alias in India, in Gallia alias aues habet? Ad quid obsecro, nisi vt homini omnium animalium præsidi inseruiant? quippe qui solus omnia considerat, discernit, iudicat, & omnibus vti, fruique potest, adeout alterius numinis instar esse videatur, cùm omnes creaturas in intellectu suo contineat, & in eo totum mundum depictum habeat.

Est etiam aliud in vniuscuiusque rei partibus, quod nos ad summum artificem perducere valeat: sunt enim tam exquisito artificio elaboratæ, & tam eleganter ad suas functiones, atque fines aptatæ, vt nulla sapientia vel minimum adiicere, minuere, vel emendare possit; vnde sequitur partes illas à sapiẽtissimo quodã excogitatas, & ordinatas esse. Quod in omnibus membris humani corporis facillimo negotio demonstrarẽ, nisi Galenus id libris de vsu partium luculenter ostendisset, qui l. de formatione fœtus, vnicuique ossi supra 40 scopos tribuit, adeout omnibus ossibus plusquã octies mille scopi conueniant; vnicuique musculo 10 scopos concedit, quos cum supra sexcentos Medici enumerent, sex millia scoporum spectabis in eis. Quæ omnia nolim persequi latiùs, cùm eleganter ea multi nostri temporis Anatomici tam latinè, quàm lingua vulgari prosecuti fuerint.

Galen.

8000 vsus ossium, & musculorũ corporis & 600 musculorum.

Tria solum corporis viscera affero cor, hepar, & cerebrum, quæ quidem propter se minimè factã sunt, sed propter hominem totum, in cuius corpus ita influunt, vt in omni corporis parte trium horum vnumquodque esse diceres; ita enim abundè sese communicant, & expandunt. Hinc fit vt nulla sit pars in corpore, in quam spiritum vitalem, & calorem cor non immittat, spiritum verò naturalẽ, & sanguinem hepar, & cerebrum animalem. Ideóque hisce tribus cæteræ corporis particulæ inseruiunt, quibus, vt officium suum expleant, hepar sanguinem per venas distribuit, vt vicem ipsius hepatis suppleant; Eapropter in singulis musculis venulæ plurimæ repeiuntur, paruulorum hepatum instar, idemque per arterias cor efficit, quibus ita se per omnes partes communicat, vt in singulis quædam corcula esse diceres.

Cor, hepar, & cerebrũ.

Distributio hepatis, & cordis.

Quid de cerebro? nunquid per spinam dorsi descendit, vt abundantiùs sese communicet? enimuero ex sex paribus neruorum è capite nascentium, 5 ad 5 sensus descendunt, & musculorum motum adiuuant, sextum per ceruicem, & pectus ad stomachi perducitur orificium, 30 verò paria ex medulla spinali prodeunt, ita tamen vt singuli nerui in alios plurimos ramusculos abeant, qui deinde in muscu-

Distributio cerebri.

los facessant, & tẽdines effecti, caput illorum musculorum constituant. Vnde cerebrum, sicut & aliæ partes, suarum membranarum beneficio, quæ etiã in neruis duplices existunt, in totum corpus, & singulas illius partes diffunditur, vt vbique sensus, motus, pulsus, & nutritio adesse possit. Quæ licet in præsentia latiùs pertractare nolim, quia Laurẽtius, & alij multi ea omnia fusissimis, & elegantissimis verbis describunt, attamen illa pauca, quę hîc à nobis dicta sunt, satis ostendunt necessariò diuinã sapientiam constituendam esse, quæ opus illud humanũ tam admirabile excogitauit, atque produxit.

Nec solùm id in homine, verùm etiam in animali quopiam admirare, in quo prædictas functiones illa tria viscera obeunt. Quid obsecro maiori dignum admiratione, si culicem inspicias, in quo hepar, cor, & cerebrum cum venis, arteriis, atque neruis adesse certum est. Illius mihi neruos, musculos, & arterias enumera; quod si nequeas, & omnes homines in opere tam paruo tanta miracula suspiciant, & præ nimia admiratione obstupescant, cur non fateris artificem, qui membra illa tam subtilia compegit? Insuper contemplare partes animantium externas, quàm aptæ sint, & quàm perfectè accommodatæ ad vsus suos, quàm expeditos motus habeant; quomodo auium rostrum pro vario pastu sumendo, variisque exercitiis figuram, quantitatem, atque duritiem variet; quanta sit in animalib⁹ diuersitas; quot sint piscium species, quę profectò tam multæ sunt, tamque variæ, vt diuini numinis sapientiam plurimum commendent. Tot enim ibi colorum differentiæ, tot figuræ planis, concauis, longis, lunatis, in orbem circumactis, dimidio orbe cæsis, in dorsum elatis, læuibus, rugatis, dẽticulatis, striatis, vertice muricatim intorto, margine in mucronem emisso, foris effuso, intus replicato; distinctione virgulata, crinita, crispa, canicu-latim, pectinatim diuisa, imbricatim vndata, cãcellatim reticulata, in obliquum, in rectum expansa, densata, porrecta, sinuata, breui nodo ligatis, solo latere connexis, ad plausum apertis, ad buccinam recuruis, inquit Plin. l. 9. c. 33. vt nemo pisces illos omnes simul positos aspicere possit, qui non fateatur mentem infinitam esse debere, cuius ope facti sint. Nitor, inquit, & puritas in plerisque incredibilis, omnia vincens auri, & argenti metalla, nisi longissimo æuo non obsolescens.

Culicis hepar, cor, & cerebrum.

Piscium species propemodum infinitæ.

Figuræ piscium variæ, quod in variis conchis videre est, quas magno studio plurimi cõquirunt, vt illis Musæa sua decorent.

Plinius.

Omitto arma, quibus animal quodlibet vtitur; insectorum, atq. vermiculorũ infinitã prope multitudinem in aëre, fluminibus, stagnis, pratis, & aliis terræ locis æstate personãtem, in quibus omnia ad miraculũ pulchra; Plantarum fabricã taceo, earũq; radices, ramos, frondes, fructus, vires, vim medullæ genitalẽ, &c. vt ostendã illa omnia, quæ hactenus attulimus, ob aliquem finẽ agere, ad quẽ omnia tẽdunt ordinatissimè. Quæcunque sunt in mũdo suas vires, & operationes habẽt, quæ vel in operãtis, vel alterius commodum viis adeo congruis tẽdunt, vt nulla arte possint aptiùs; atqui finẽ illum, media, vel horum cum fine proportionẽ minimè cognoscũt, igitur ab aliqua mente superiori concipi, atque dirigi necesse est, quomodo enim aliquid in finẽ ordinatè tendere potest, nisi fuerit aliquis, qui media ad id apta, atque necessaria, cognoscat, & ordinet? Omnes igitur creaturę mentis expertes sunt horologiorum instar, quæ quidem ordinatè tendunt ad horarum spatia indicanda, sed quia finem hũc non concipiunt, neque se ad illum disponere valent, necessariò ab aliquo hæc omnia sciẽte disponi debẽt.

Insecta varia.

Omnia tẽdunt in finem.

Creaturę mentis expertes horologio collatæ.

Quod autẽ omnia finem aliquem spectẽt ex motu, & illuminatione cœlorum, ex vi seminum formatrice, animantium operationibus, & industria, manifestius est, quã vt probatione indigeat; enimuero sydera influunt, & illuminant, vt mari terræq; fœcunditatem concilient: vis seminalis, seu formatrix, quæ in ipsis herbarum seminibus suos igniculos aperit ad operis sui, herbæ videlicet producendæ, finem tam longo, & ordinato opere pertingit, vt calidum semen mente præditum, & æternum Hippocrates existimarit l. περὶ σαρκῶν statim initio, δοκεῖ δέ μοι ὃ καλέομεν θερμὸν, ἀθάνατόν τε εἶναι καὶ νοεῖν πάντα καὶ ὁρῆν καὶ ἀκούειν καὶ εἰδέναι πάντα καὶ τὰ ὄντα, καὶ τὰ μέλλοντα ἔσεσθαι. i. Mihi quidẽ videtur, quod vocamus calidum, immortale esse, cunctáq. intelligere, videre, & audire, sentiréque omnia tum præsentia tũ futura. Quibus verbis satis fatetur ea minimè fieri posse absque sũma intelligentia, quæ vi calidi illius efficiuntur.

Hippocrates.

Seminis virtus mira.

Quis enim non assereret penicillo vim aliquam intelligentem præesse, si penicillus se mouere inciperet, & coloribus imbutus lineamenta faciei humanæ primùm rudia duceret, deinde singulas partes expoliret, formaret oculos, genas attolleret, figuraret nasum, oris hiatum designaret, & cætera perageret, quæ ratio picturæ desiderat. At lõge plura facit vis seminaria, quæ velut artis diuinæ vestigium, perinde operatur, ac si arte prædita foret, ad eum ferè modum, quo penicillus tabellam ad vmbilicum suis omnibus picturis ornatam deduceret, si penicillo vim permanentem suæ artis pictor imprimeret.

Virtus formatrix penicillo cõfertur.

Sanè proportio tam admirabilis inter vim illã formatricẽ, corpus formandum, & animam introducendam inuenitur, vt eam nemo pręter Deum intelligere, & inuenire potuerit, nã tale animalis corpusculum esse debet, quale requirit anima ad proprias functiones obeundas, hinc fit vt tanta sit corporũ quãta animarũ diuersitas. Nemo igitur agnoscit, quale debeat esse corpus, nisi qui perspectã habuerit animæ introducẽdæ naturã. Surgat Atheus, atque mihi, si possit, respondeat, quot in fornicę pedibus internodia, quot in singula crura nerui, quot, venæ, & arteriæ deducendæ sunt, quantæ magnitudinis oculi fieri debent, quot in eis tunicæ cuiusue coloris, quot humores, nerui optici quantum longi esse debent? Deus bone qui fieri potest, vt homuncio in autorem naturæ insurgat, qui nequidẽ formicæ naturam, aut partes agnoscere valet, etiam si per totam vitam huic studio vacet diligentissimè.

Atheum formica conuincit.

Præterea semen ad corpus faciendum summam proportionem habere debet, vt illud tale conficiat, quale postulat anima: hinc fit, vt is solus totam corporis structurã accuratè cognoscat, qui vim formatricẽ instituit, etenim sicut in anima, velut in causa finali, latet tota ratio structuræ corporis, cui proinde perfectè commensum esse debet, ita in vi seminali latet eiusdem structuræ ratio, vt in propria, & adæquata causa effectrice. Quæ tria ab eodem autore instituta sunt. Vides ergo aliquam intelligentiam admittendam esse, quæ vim illam seminariam in finem dirigat. Idem in semine plantarum, & arborum videre est, quod cum trunco, ramis, frondibus, floribus, & fructu perfectam rationem, seu proportionem obseruare debet.

Mira proportio animæ, corporis, & seminis.

Licet autẽ animalia ad pastũ, atque generationem moueantur, nihil tamen de fine cogitant, ad quem institutæ sunt, nec enim concũbunt, vt speciẽ propagẽt, aut comedũt, vt seruent indiuiduũ, sed ad eas actiones mouẽtur, quia modo cõfuso tãtũ sub specie conuenientis,

Cur animalia faciant, quod in dies peragunt.

conuenientis, aut delectabilis eas apprehendunt, cùm tamen vlteriùs in finem, videlicet ad speciei, atque indiuidui conseruationem colliment, idque ex mentis alicuius intentione, quæ prouidet omnibus; quæ mirabilem textricem nobis in aranea exhibuit, dum retia muscis captandis expandit. Videres enim illam primùm stamina decussatim extendere paribus in medio angulis, & extrema in ambitum ad opposita alligare, atque firmare, deinde à medio orsam texere, circinato orbe subtegmina adnectere, maculásque paribus, semper internallis, sed subinde crescentibus indissolubili nodo implicere. Aspice quanta subtilitate celet pedicas scutulato rete grassantes, quàm cautè politura quadam, & pexitate tenacem tramæ rationem occultet, & extra, specum sibi concameret ad insidias, ne conspiciatur; quis araneam tale docuit aucupium? quæ, vbi musca inciderit, accurrit citissimè, apprehendit, alas glomere ventris implicat, ne auolare possit, necat, aufert, recondit in tempus famis; quæ quidem omnia non faceret ordinatiùs, & ad illum finem aptiùs, si mente prædita esset. De Araneis etiam l. 9. animal. cap. 39. vel, vt Scaliger habet, 63 agit Aristoteles, vbi Democritum reprehendere videtur, qui dicebat araneos emittere telam ex se, velut excrementum; ab extrinseco autem de corpore, velut de cortice telam araneos emittere, illorum animalium instar quæ suos villos, seu pilos iaculantur, quales sunt hystrices.

Vide Pliniũ de araneis l. 11. c. 24.
Mira industria araneæ.
Aristoteles an benè Democritũ reprehendat.

Possunt tamen ambo de intrinseca parte corporis intelligi, quia Arist. fortè non arguit Democritum, quod ab intrinseco vellet exire telam, sed quia telæ materiam ἀφόδευμα existimaret, id est excrementum alui, quod meritò improbat, alioquin cur araneoli non emitterent? vnde Arist. non ait exire telam ἔξω, sed ἀπὸ σώματος, quemadmodum cornua, & pili ex capite animalium foras erumpunt. Duo verò Blancanus hîc adnotat, quæ expertus sit; primum, araneam vno pede filum retinentem, ne longiùs exiret, ipsum filum è secessu emittere, licet in eo Aldrouandus errauerit. Secundum est, qua ratione fila sua, atque telam ex vno loco, vt ex vna arbore in aliam longè distantem transmittere possit, maximè cum sepes, dumeta, vel aquæ interponuntur.

Ex qua parte corporis araneæ telas suas extrahant.

Ex filo, è quo suspenditur araneus, plura alia hinc inde fila alternatim prodire animaduertit, quæ innata læuitate per aërem quoquouersus, ceu natantia diffundebantur; quorum cùm vnum aliquem arboris occurrentis ramum attingeret, eique adhæreret, illicò araneus persensit filum illud suis visceribus ex alia parte affigi; ideóque per filum illud, cæteris interim omissis, veluti funambulus, pedibus tamen sursum, dorso deorsum, accurrit, & infra non supra filum, ad illũ ramũ se cõtulit. Ita ergo ex filo vnico aranei alia multa prodeunt, & ex ipso secessu duo simul emittuntur, alterũ quo suspendatur, alterũ quod hac illac volitãs alicui rei occurrat, atq; hæreat, per quod incedens ad locũ priùs inaccessum aditũ parat. Ne verò putes filũ illud esse velut glomum spira inuolutum in aluo aranei, sed vt viscosum humorem in fila tenuissima ductilem, quod in gummi, seu visco satis ostenditur, quibus aues ab aucupibus capiuntur.

Qua ratione de vna arbore in aliam valde distantem araneæ telæ beneficio transmigrent.

Similes industrias in aliis animalibus ostendere possem, vt in apibus, de quibus multa habet Plin. lib. cit. à c. 5, & deinceps, de quibus iã nonnulla ad rationẽ 15 dicta sunt, cùm earũ cellulas hexagonas ostẽdimus, quas senis pedunculis in orbẽ cõmeantes formant: vbi quid amplius admirari debeamus, vix scio, an prima fundamẽta, quæ Plin. supra ca. 7. cõmosin, Arist. κύτωσιν vocauit, cũ quo an mity sit idẽ (quo paulo post Arist. ait aluearij ostiũ ad primum aditũ obliniri) docti viderint: an fundamẽta secunda pissocerõ, vel tertia propolim fauorũ stabilimẽtũ, magni ad medicamina vsus. Aspice mirabiles illas apiculas mellificas, quomodo longè latèque per sata floresque cãporum dispersæ dulcẽ cœli rorem, & arborũ δάκρυα colligãt, & in suos condãt alueos ad hyberni temporis annonã: quomodo aliæ flores aggerant pedibus, aliæ aquã ore, guttásque lanugine totius corporis; quomodo struãt, poliant, aliis suggerant, & aduẽtantes exonerẽt. Nũquid aliquis eximius architectus potuit aluecs ita condere, nũquid subtiliori membrana cellas obturare, ne liquor effluat, aut ruentes ceras conuenientioribus pilarũ integerrinis à solo fornicatis fulcire? Quid de earũ republica dicã, in qua rex nõ laborat, à subditis in aëra fertur, cùm minus volare potest: seniores intus operantur, iuniores verò ad opera exeunt, totæque onustæ remeant sarcina pandatæ.

Plinius.
Apum opificia mira.
Mity, & cõmosis.
Tria fundamenta in apũ alueis, quæ.
Modus operandi apum.

Cũ aduesperascit, in alueo strepunt minus ac minus, donec vna circũuolet eodẽ, quo excitauit bõbo, eóq; bino, vel terno, vt notat Arist. ceu quietẽ capere imperãs: & hoc castrorũ more; tũncq; repentè omnes conticescũt. De his, déq; formicis, & infinitis id genus insectis, déq; piscibus, & animalib' vbi Plin. Arist. & Aldrouandũ legeris, nõ dubito quin diuinã prouidentiã venereris, atq; suspicias, sine qua tot & tanta tam paruulorum animalium artificia nusquam esse possent. O quantæ intelligentiæ sunt illa omnia naturæ opera.

Respublica apum.

Quis nũc Atheorũ Deũ esse negabit? qui artis, atque prouidẽtiæ suæ tantũ specimẽ, & tam admirabilia vestigia singulis animãtibus indidit, vt in operibus suis ipsos homines in admirationem rapiant, quos in artificiis sæpenumero videmus etiã à minoribus animalibus superari, licet instinctu solo in imaginatione, & appetitu sito, & à diuina prouidẽtia indito gubernẽtur, ac velut impellãtur. Vtinam hisce rebus attenderẽt veritatis hostes infensissimi, atq; concipere possent se ita à Deo pendere, vt statum in nihilum, veluti lapis in centrum, abituri sint, si vel ad momẽtum Deus cõcursum suum, & ὑποστατικὴν radiũ substantificũ abstulerit, quo illos, quẽadmodũ luminare maius suos radios cõseruat.

Carpuntur Athei.

Sed nũquid Atheos, Cãpanellistásq; è Pythagoræ, Platonis, & Telesij schola prodeũtes audio, qui rationis istius vires se retũdere existimãt, dũ opinantur, atq; contendunt omnia animalia, imo & plantas agnoscere, quibus medijs ad finẽ suum accedãt? Verũ quantũ voluerint opinentur; nos enim minimè opinamur, sed verè scimus neq; elementa, neq; mineralia, neq; plantas sentire, seu anima sensitiua pollere, neq; animalia ratione vti. Contẽplentur illi nouatores, an ita firmũ sit primũ axioma Campanellæ, à quo cætera elicere videtur, vt nullatenus corruere possit; Quicquid est in effectibus, esse in causis, igitur, inquit, elemẽta, atq; mundus sentiũt; supponit enim animalia, quę sensum habẽt, à terra, vel aliis elemẽtis fieri. Viderit an ignis, aqua, terra, & aër sint in Deo, quæ tamẽ (credo) libẽs fatebitur à numine diuino creata esse, quandoquidẽ eũ Catholicũ esse asserunt. Sed & egregiè fallitur, dũ existimat, atq; supponit animalia fieri à solis elemẽtis, & sole Spiritũ influente; id enim constanter nego, adeout contendã nullũ vnquã animal, ne quidem

Telesius, & Cãpanella.
Fundamẽtũ philosophiæ Campanellicæ, quod omnia sentiãt.
A quo fiant animalia.

muscā progenitam iri, si cœli cū elemētis solū agerent; vel enim alterius animalis semen, aut aliquid eius loco necessariū est, vel ipse mundi creator viuētis, ac sentientis causæ vices supplere debet: si animal vbicūq; & quomodòcūq; volueris, producatur; elementa quidē materiam corporis suggerere possunt, quā solis calor disponat, sed anima neq; dari, neq; introduci, neque educi potest, nisi à causa viuente per se, vel per semen suum præsente.

Quatuor genera Idolorum Verulamij.

At illas temerarias opiniones, & futilia axiomata aliquando fortè refellemus. Vtinā isti Scioli (quorū vereor, ne Mercurius cerebrū interturbet) non ita Verulamianis Idolis humanæ tribus, Idolis hominis indiuidui, Idolis fori, atq; Idolis theatri phantasiam applicarēt suā, vt axiomata iampridē receptissima, à summis ingeniis approbata, experientiæ itē maximè conformia, eáque verissima in dubiū reuocent, immutēt, vel etiā abiiciant. Sed de his aliàs.

Itaque iam huic nostræ rationi finē imponā, per quā ex fine, ad quem omnia tendunt, summā sapiētiam, & prouidentiā, ac proinde Deū esse probauimus: quem non minus assererent animalia per suas operationes, licet earū finē, & media quibus in illū tendunt, agnoscerent. Tūc enim non solū artis prouidentiæq; vestigiū, sed & imaginē hominis instar habere viderētur, quā tamen noluit Deus illis communicare, vt solus homo diuinorū operum colophon omnibus creaturis sublunaribus emineret, imo cœlos ipsos naturæ præstantia superaret. Qui cùm sit adeò excellens, vt ipsis angelis, quos antiqui Deos, geniósque appellarunt, paulo tantùm inferior existat, placet ad eum regredi, vt ex nobis ipsis, nostra præsertim voluntate, eiusque amore, & obiecto Deum Opt. Max. esse demonstremus.

RATIO XXXI.

Depromitur ex eo, quod obiectum assignari debeat, quod amorem nostrum terminare, atque satiare valeat.

SI omnes facultates, & potentiæ hominis, si omnes eius scientiæ, desideria, spes, timores, atque gaudia vana sunt, & inania; si omnes eius labores vani, vana studia, & totus homo vanitas, quando Deus esse negatur, sanè Deus admittendus est; alioqui maximā vanitatē in homine condendo natura admisisset, ac proinde natura ipsa dicenda esset insipientissima, stultissima, vanissima, atq; perniciosissima, sed hominis potētiæ actus, & habitus sūt eiusmodi, quales suprà retulimus, dum numinis diuini existentia tollitur, igitur admittenda est. Quod alio modo proponi potest. Quicūq; asserit nihil à natura frustra, & in vanū fieri, Deū esse fateatur necesse est, verū Athei ipsi fatētur omnia propter aliquem finē à natura fieri, & nihil frustra, igitur Deum esse fateātur necesse est. Maior probatur, quia nisi Deus admittatur, natura hominē frustra produxit, adeout nihil aliud sit homo, quā vanitas vanitatū, sed ipsi Athei negant hominē frustra conditū esse, fatentúrque ad hoc eū in mundo positū, vt secundū virtutē agat, & in omnibus rectæ rationis dictamini sese conformet, àmanda diligat, mala oderit, sit in alios beneficus, sit fidelis in promissis, prudens, iustus, &c. igitur necesse est vt Deum admittant.

Athei ex propria cōfessione conuincūtur.

Cardo difficultatis in eo situs esse videtur, vt huius secundi argumenti maiorē demonstremus, quę sic habet. Nisi Deus admittatur, natura hominem frustra produxit: quā ita probo; nisi homo dignum amoris sui, & aliarū actionū obiectum habeat, sed obiecto debito careat, frustra est in mūdo, sed nullū obiectū dignū, atque congruū, vel debitū habet siue amoris sui, siue aliarū virtutum, nisi Deus esse supponatur, igitur Deus admittēdus est. Maior huiusce 3 argumenti clara est, cū facultates illæ frustra esse dicātur, quæ obiecto carent. Hinc fit, vt in sola minori laborandū esse videatur. Verū antequā ad eius probationem accedamus, & ostendamus Deū solum esse posse verum, & legitimum amoris nostri obiectum, quod actum voluntatis explere, & perfectè actuare potest, & antequā ei soli, obiecti amabilis omnes circunstantias, atque proprietates conuenire probemus, quædam præmittenda sunt, vt rem totam manifestiùs concludamus.

Deum esse probatur ex eo quod nihil sit frustra.

Quædam hic supponuntur.

I. Itaque supponēdū est primò naturā nihil frustra facere, idest quod nō habeat bonū aliquē finē, aut finē optatū, & debitū assequatur: enimuero natura vacuū, seu vanū abhorret, idest quod fit absque vtilitate. 2. Secundò naturā, quam etiam Athei parentē optimā appellant, nulli animanti facultatē vllā tribuisse, vt ad suā perniciem agat: quod ita Tullius 1. offic. explicat. Principio generi animantium omni est à natura tributum, vt se, vitam, corpúsque tueatur, declinetq; nocitura, omniáque ad victū necessaria, acquirat, & paret. Quod vnicuique ita insculptū est, vt omne animal ea fugiat, quæ sibi nocitura sunt, & amplectatur, quæ profutura. Quapropter animaliū sapientissimus homo naturæ lege teneri videtur, vt quærat vtilia, nocitura verò declinet, ab actionibus illis cesset, ad quas nulla sequitur vtilitas, & quæ alioquin ei perniciē creare possent: cūq; ipsa natura vacuū, & otium abhorreat, homo, pars mundi princeps, ac veluti naturæ flos, atque decus, facultates sibi cōcessas exerere debet, ne frustra eas accepisse dicatur, & otio rubiginem contrahant; siquidem illæ facultates vanæ, atque vacuæ dicūtur, quæ non deducuntur ad actum, & vsum, quæq; suis actibus minimè perficiuntur: hinc axioma natum est, frustra est potentiā, quæ nō reducitur ad actum, qualis est ea, quæ proprios actus non exerit.

Tullius.

Ad quid homo naturæ lege teneatur.

Quænam potentiæ frustra esse dicantur.

3. Tertiò supponendum est illam potentiam esse vanam, & inutilem, cui nullum obiectum proportionatum, & cōueniens assignatur, quod reuera existat, circa quod actus suos exercere queat, ita vt nullum inde nocumētum, sed commodum oriatur, alioquin enim à suis actibus potētia cessare deberet, & sic ad ipsam vanitatē, & otium teneretur, si non posset absque detrimento ferri in illud obiectum. Quæ omnia facili inductione, eáque verissima probari possunt, quam Verulamius aphorismo 14 vnicā spem, atque viam scientiarum ab imis fundamentis restaurandarum esse putat, vt iam notiones, anticipationésque naturæ, & syllogismos in Atheorum gratiam relinquamus, qui solam experientiā quærūt. Igitur ipsi suos oculos, aures, gustū, odoratum, & tactum

Verulamij opinio de restaurādis scientiis fauet Atheis.

Quãdo facultates nõ debeãt suos actus exercere.

& tactum interrogent, an oculi suos visionis actus elicere deberent, si nullum eis obiectum adesset, nisi à quo nullam vtilitatem, nullum oblectamentum haurire possent, quòdque nunquam sine magno incommodo, & dolore aspicere valerent? non certè: hinc fit, vt si quid displicet, & horrendum appareat, oculos ab eo protinus auertamus, hinc nares ad ingratos odores; ad sonos inconcinnos, & voces inter se discordes, (quales sunt, *vt & re* à duobus simul decantatæ, & cæteræ dissonantes) auriculas obturemus, & sapores, atque qualitates tactiles, quæ nocere possent, citò, & etiam vix aduertentes solo naturali instinctu respuamus, ac si naturæ præceptum esset.

Cur potentiæ ferantur, aut non ferantur in obiecta sua

Secus verò quando obiectum est proportionatum, & conueniens, accidit, tunc enim potentia mira quadam suauitate in obiectum suum fertur, natura tunc potentiam velut inescante, & alliciente. Quo fit, vt oculi sint in quibusdam obiectis cõsiderandis insatiabiles, & reliqui sensus nostri tanta delectatione in aliquorum obiectorum sibi maximè conuenientium contemplatione detineantur, vt ab illis diuelli, nisi vi quadam, & inuiti valeant. Vnde patet naturam simul cum ipsis potentiis obiectum offerre, circa quod non solùm tutò, sed magno etiam emolumento, atque oblectamento versari possint.

Hinc concludendum est nullam esse potentiam, quæ obiectum aliquod sibi conueniens non habeat, in quod cum emolumento, & delectatione sine incommodo, atque tristitia, vel dolore feratur.

4. Supponẽdũ

Quartò supponendum est hominem ideo potentiam amandi habere, vt eam ad actum deducat, alioqui naturam ipsam frustraret, quæ nihil vanum stare permittit, quæ propterea hominem illum abominaretur, qui tam nobilem potentiam exercere nollet, ob cuius præsertim exercitium natus esse videtur. Hinc fit, vt potiùs totus orbis fractus illa psurus sit, quàm vt amandi potentia absque vllo amore inueniatur, siquidem fieri nequit, vt homo nihil amet; nam quo cæteris illa potentia nobilior est, eo magis natura illius otium, & vacuum abhorret, quam veritatem vnusquisque in seipso experitur. Ex quibus sequitur hominem nullo amore in obiectũ aliquod tendere debere, quod ei perniciosum futurum sit, cùm nocitura declinare teneatur, ni velut amens, & rabie percitus à natura reiici velit, quæ secreto quodam verbere illos omnes flagellat, qui sibi nocitura diligere comperiuntur, Synderesim theologi nuncupant. Deinde sequitur homini cauendum esse, ne quid amet, ex cuius amore nullum ei verum, & bonum, & vtile proueniat, cùm enim nudus in lucem veniat, & in natiuitate sit pauperrimus, nullum actum admittere debet, qui vanus sit, & inutilis, sicut is qui diues effici postulat, nihil in thesauro debet apponere, quod illum non augeat, alioquin enim inutile futurum est.

Fieri non posse vt homo nihil ametsi non actu, saltẽ habitu.

Synderesis conscientiæ flagellum.

Obligatio hominis.

5. Quænam obiecta amãda, quænã respuẽda.

Quintò supponendum est obiectum potentiæ amandi, verum gaudium, & lætitiam in anima generare debere; vnde quispiam cauere debet, ne obiectum aliquod amet, quod ei tristitiam afferat; illudque sibi tantùm eligat, in quo delectetur, atque quiescat: ad hoc enim vniuscuiusque potentiæ obiectum, veluti centrum assignatur quod repleat, & exsatiet potentiæ inanitatem, & illam actuum beneficio, ad perfectionis culmen prouehat, atque perducat. Igitur obiectum illud solùm amari debet, quod vtilitate, verôque gaudio amantem afficit, illud verò respuendum, quod incommodum, atque tristitiam aduehit.

6. Conclusiones sese mutuò inferentes.

Sextò debet supponi reuera tale obiectum dari, quod omnes conditiones habeat, sine quibus amandi potentia nullum obiectum amare tenetur, sed potiùs nullum amare debet, adeout illæ consequentiæ, quæ subiunguntur, necessariæ sint, seque mutuò inferant. Datur amandi potentia, igitur & obiectũ amabile: est amor, igitur & amabile, est scientia, ergo scibile, visus est, & auditus, igitur visibile, & audibile. Itaque potentia amandi concessa, obiectum etiam admittendum est, in quod sine incommodo, & tristitia, & cum vtilitate, atque lætitia tendat. Hinc concludo ea obiecta quæ nocent, odio habenda; quæ neque nocent, neque prosunt, contemnenda, sola verò, quæ prosunt, amanda. Quapropter solum bonum amandum est, bonum est autẽ, quod illud habenti prodest, vel non nocet, solum autem malum, odio habendum est: est verò malum, quòd illud habenti nocet. Vnde patet homines laude dignos esse, qui bonum, vituperio, qui malum amant, aut bonum non amant, sed contemnunt: vbi bonum intellige, non metaphysicum, sic enim & diuitiæ, & omnia entia bona sunt, & tamen laudatur is, qui diuitias spernit, sed morale, quales sunt virtutes, & quæcunque ad hominis perfectionem conferunt, quà homo est.

Tria obiectorũ genera, amãda, contemnẽda, & odio habenda.

Bonũ metaphysicũ, & morale qui differãt

7. Septimò supponendum est bonum hominis, quatenus homo est libertate præditus, esse eius finem, vel media ad finem illum perducentia; quandoquidem rei cuiuslibet proprium bonum finis est, vel medium ducens ad illum; quare is bonum hominis ignorat, qui nescit finem illius. Igitur finis, & bonum hominis sunt vnum, & idem, adeout nihil amare debeat, nisi finem suum, vel propter finem à quo mouetur, atque veluti rapitur, homo enim amore, veluti põdere fertur, quocúmque fertur. Quò fit, vt omnes actiones hominis, quæ sunt varia desideria, si legitimæ sint, atque laudabiles, à fine prouocari debeant, & ad illum tendere, itaut homo diuersis animi motibus exagitatus, & iactatus huc illuc, nunquam quiescat, donec bonum illud inuenerit, quod motiones illas compescat, & omnia nostra desideria expleat.

Amor meus, inquit Aug. pondus meũ, illuc feror, quocunque feror.

Cùm autem desideriis istis huc illuc trahatur, neque tamen ea acceperit, vt illum diuexent, torqueant, & affligant: ne vanis motibus eius anima iactetur, excrucietúrque, aliquod bonũ necessariò admittendum est, quod explendis immanibus istis desideriis sufficiat, vt iis impletis aliquando tandẽ homo quiescere possit, cui certè quærendo facilè concesserit Atheus incumbendum esse, nullúmque hominem lapidem non mouere debere, vt eo perfruatur. Hoc est obiectum hominis amabile, quod quærimus, quod profectò nisi existat, vana sunt illa desideria, quibus bonum quærit, cum à nullo alio obiecto impleri valeant. Quibus suppositis, minorem illam tertij argumenti, in qua vim totam residere dicebam, quæ sic habebat. Sed homo nullum obiectum sibi congruum, vel amore, aut sua amandi potentia dignum habet, nisi Deus esse supponatur; minorem inquam illam ita demonstro, ex eo quod nulli, præterquam Deo Opt. Max. omnes obiecti amoris conditiones tribui, vel conuenire possint, quod earum enumeratione facio.

Bonum aliquod admittẽdum, quod hominis appetitũ expleat

Minor, & vis argumenti proponitur, & probatur.

Itaque prima conditio, seu proprietas, quam

Variæ conditiones

obiecti amabilis. I. Conditio. amoris humani natura in obiecto amabili postulat, est, vt sit bonum perfectum, nullâque mali mixtione, aut boni defectu corruptum: hinc fit, vt nihil sit amabile præter bonum, neque quicquam sit bonum, quod non sit amabile, adeout bonum, & amabile reciprocentur. In hoc autem obiecto, quod verè bonum est, amandi potentia quiescere, & perfectè delectari debet; quapropter illud non est verum, & perfectum illius obiectum, in quo perfectè quiescere nequit, sed etiãnum aliquid superest, quod eam torquet, & affligit, quodque meritò displiceat amanti; tunc autem maximè torquetur amans, quando defectus in obiecto existens tolli nequit.

2. Conditio. Secunda proprietas est, vt sit ipso amante perfectius, atque melius, cùm enim amor quodammodo mutet amantem in rem amatam, & omnis mutatio, quæ non fit in rem meliorẽ, contra naturam, aut eius intentionem esse videatur, contra naturam agere videbitur, qui amore suo in rem fertur, quæ non sit eo melior: nam amor ille vanus, & inutilis videri poterit. Videat Atheus, an sit aliquid subiectum oculis, in quod transmutari vellet. Nũquid rogatus ille statim fatebitur se maximè velle transformari in aliquid, quod nullo ampliùs indigeret, sibique ipsi sufficeret? quodque nihil contineat, quod displicere possit, & nihil in eo boni desiderandum supersit, quale debet esse obiectum amoris nostri, qui cùm spiritualis sit, quemadmodum & potentia amandi, & ipsa anima, debet etiam habere spirituale obiectum, non corporeum.

Caue ne hinc concludas animã hominis esse mortalem, siquidem in nihilum eo sensu tendit, quia cũ non sit à se, reuera in nihilum reuerteretur, nisi ab autore suo cõseruaretur. Præclara, & subtilis philosophia. Cùm autem amans homo semper esse desideret, nec tamen ex se semper esse possit, quia non satis à nihilo distat, quandoquidem inter duplex non esse cõcluditur, videlicet inter nihilum, ex quo factus est, & nihilum in quod reuerti potest, quod duplex non esse ei ita dominatur cumque ita premit, vt ab eius tyrannide sese liberare nequeat; obiectum potentiæ, qua diligit, debet à nihilo maximè abesse, nec vlli non esse subijci, vt ex se sit semper, alioquin amor ille, quo amans obiectum suum semper esse desiderat, vanus esset, & inutilis, cùm obiecto suo sempiternum esse tribuere nequeat: ideoque necessarium est, vt obiectum, antequam ab homine ametur, illud esse suum æternum habeat, quod neque à non esse, neque vllo modo destrui possit, quódque à nullo pendeat, sed à quo potiùs omnia dependeant; id enim amor hominis præcipuus desiderat, vt nullũ bonum, nulla perfectio, desit obiecto in quod, velut in finẽ vltimũ tẽdit, in quo si qui defectus forent, amantẽ ex æquò torquerent, ac ipsius amantis defectus personales, cùm in amatum ita transformetur, vt idem cum eo velle, idemque nolle habeat. Hinc fit, vt natura, quæ non deficit in necessariis, vnicuique potentiæ prouiderit obiectum, in quo nullus næuus esset, & in quo perfectè vnaquæque quiesceret. Igitur potentiæ hominis amatiuæ prouideri debuit obiectum omnes proprietates habens, quas amor noster in eo requirit, alioquin hæc potentia, & eius actus frustra essent, torqueretur enim animus hominis, si nullum obiectum inueniri posset, quale requirit. Præterea perfectiones omnes obiecti sui in summo gradu esse postulat, quæ si essent diminutæ, & imperfectiores, doleret, quòd ei perfectiores tribuere nequiret: sed luce meridiana clarius est Deum nostrum, qualem nos Catholici credimus, hæc omnia habere, & neminem præter eũ, igitur ex potentia amãdi nostra rectissimè infertur Deum esse necessariò necessarium; cuius ope, & vnione, parua entitas, parua vita, & intelligentia hominis, tam parum à nihilo, & non esse distans, ad maximam entitatem, vitam optimam, & perfectissimam intelligentiam perueniat. Hactenus autem satis probatum est Deum necessariò admittendum esse, satisque patet ex dictis, quænam conditiones huic amabili obiecto conueniant, quas tamen breuiter recitabo, vt eadem veritas magis ac magis confirmetur.

Tertia igitur illius obiecti proprietas est, vt non solùm sit amante nobilius, verum etiam summum bonum, & ex omni parte beatum, ne amans, quando mutabitur in obiectum amatum, vel in eo bonum aliquod vlterius poni, vel aliquem ex eo tolli defectum expetat, & sic inquieto sit animo, diuexetur, atque torqueatur. Quod si obiectum ipsum beatum sit, debet se cognoscere, & gaudio affici, quis enim aliquem beatum esse dixerit, qui non sit summè sapiens; qui nulla lætitia afficiatur? & hæc est quarta obiecti nostri proprietas. 3. Obiecti amoris proprietas, summum bonum esse debet.

Quinta se potiùs ex amantis parte tenet, videlicet obiectum illud ab amante debere cognosci, cùm incognitum non ametur: ita tamen, vt obiectum, non solùm, vt est ens, sed vt est amabile, cognoscat; est autem præsertim amabile, prout in eo reperitur summa potentia, sapientia, & bonitas ita connexa, vt vna non sit sine alia, & quælibet, in qualibet reperiatur: nec enim potentia est amabilis, nisi bona sit, & sapiens: neque sapientia, nisi sit potens, & bona, neque bonitas, nisi potens, & sapiens fuerit, quid enim est bonitas impotens, & stulta: quid potentia insipiens, & mala, quid denique sapientia impotens & mala nunquid odio, non amore habenda? maximè cum hîc de primo, & præcipuo hominis amore verba faciamus. 5. Cognosci debet.

Sexta conditio est, vt obiectum sit æternum, & immortale, alioqui continuis angustiis amans cõflictabitur, quod non ita bene, atque vellet, suo sit obiecto: & dolebit, quod huiuscemodi obiecto destitui debeat, nec enim id sine dolore potest amitti, quod cum amore possidetur, nec possideri sine tristitia, quod certò perdendum possidetur, ideoque talis amor verum gaudium non afferet, quia variis anxietatibus semper afficitur, & veluti spinis configitur, quando sibi relinquendum esse videtur, quod tantopere dilexerat: vel igitur amor nullum obiectum sibi conueniens habet, vel habet æternum, vnde rei cuiuslibet perituræ amor homini nociuus est, quia est cum timore, & sollicitudine; quapropter de rerum periturarum amore poëta cecinit. 6. Debet esse æternum.

Res est solliciti plena timoris amor.

Itaque hominẽ miserrimum dixero, nisi sui amoris immortale obiectum habeat, adeout non desint, qui hominem caduca primariò amantẽ furioso, & rabie percito conferant, qui dentibus in seipsum desæuit, quem ideo ferreis catenis adstringimus, nam omnia sibiipsi mala procreat, & infert, quæ ex illo rerum mortalium amore nascuntur, timorem, angorem, sollicitudinem, &c. Qui terrena amat furioso similis.

Septima proprietas est, vt sit obiectum infinitæ bonitatis, vt in eo potentia quiescat, ne deinceps moueatur ampliùs, maius bonum optando, & quærendo, vel defectuum in obiecto existentium priuationem expetendo: donec enim appetitus noster obuium habebit obiectum finitum, alicui imperfectioni immixtum, vel aliquo bono carens, 7. Infinitæ perfectionis esse debet.

nunquam

nunquam quiescet aut satiabitur, sed magis ac magis versus infinitum procedet, ad quod ex natura sua inclinatur, adeout appetitus ille vanus futurus sit nisi obiectum aliquod detur, quod sit infinitæ perfectionis.

8 Esse debet vnicum

8. Obiecti amabilis proprietas est, vt obiectum sit vnicum; vnde cùm aliquem summo amore prosequimur, illum vnicè diligere meritò dicimur. Et quidem naturæ, atque rationi maximè congruum est, vt cùm homo vnicam habeat voluntatem, vnico eam per amorem subijciat, eique solùm imperium omne in suam voluntatem tribuat, alioquin amanti continget idem, si plures amarit, quod ei, qui plures habet dominos variis affectibus, & desideriis, variáque potentia affectos, quorum vnus statim hoc, alius illud, vnus vt domi remaneas, vt pergas ad forum alius iubet: quod cum simul præstare nequeas, vide quot anxietatibus torquearis.

Quod maximè de summo amore verum est.

Cùm autem id tibi molestum sit, & tamen vero, & primario nostræ voluntatis amori nihil in obiecto amabili ingratum apparere debeat, vt antea diximus, hinc fit, vt vni solùm voluntatem tuam per amorem subiicere debeas, ei videlicet, in quo reperitur omne bonum, quod appetere potes, & à quo malum omne abest, qualis solus est Deus noster. Vtinã homines seriò considerarent, cuius dominio suam voluntatem subiecturi sint, antequam se alicui obiecto laqueis amoris obligarent, atque prospicerent, quænam inde bona, vel mala sint emersura, nunquam sanè diuitiis, honoribus, aut sibipsis ita se turpiter manciparent, viderentque id esse contra naturæ leges, & rectum dictamen, quibus ad vnicum tantùm impellimur obiectum amore præcipuo diligendum, à quo nullam mœstitiam, nullum incommodum, sed omne genus lætitiæ, & omnem vtilitatem accipiamus. Ea propter quicumque in alio obiecto suum amorem collocat, totam naturam aduersam habet, omnémque rationem contemnit: hinc sapiens vnus ex nostris sapienter prædixit omnem creaturam in vltionis die armatam iri aduersus insensatos. *Pugnabit cũ illo orbis terrarũ contra insensatos*, Sapientiæ 5. quod caput vtinam Athei perlegerent, nec enim frons illorum ænea malleis diuinis, & armis resisteret, quibus numen æternum pollicetur se impios omnes deleturum.

9. Debet esse spirituale.

Nona proprietas est, vt obiectum amabile sit ens spirituale, & incorporeum, quale est amandi potentia, seu voluntas nostra: vt inter amantem similitudo intercedat: debet autem esse spirituale, quia nihil in corporibus anima maius, imo neque æquale est; adde quod intra se suum obiectum capere, atque possidere debeat (in quam tamen nullum corpus ingredi valet) vt nemo suum obiectum, suum bonum, suum finem ei auferat, sed illud inuitis omnibus possideat, & secum ferat quocumque itura est;

Quid nostrum verè dici possit.

quod sanè necessarium est, vt aliquid propriè nostrum esse dicatur, vt nolentibus auferri nequeat: huiusmodi verò nihil inter corpora reperies, cùm etiam gladius, & hostis, & mille morborum, & casuum genera proprium corpus nobis auferant, & in cineres redactum vento committant. Constat etiam obiectum nostrum ens spirituale esse debere, quia iam infinitum esse probauimus, nullum autem corpus infinitum esse potest, quia lineis, & superficiebus ambiri, & circumscribi debet, vbi infinitum incircumscriptibile est.

10. Debet redamare posse.

Decima proprietas est, vt obiectum illud amare possit, seu redamare, atque adeo sit liberum: alioqui nostra voluntas nunquam erit contenta, nisi se redamari scierit, quapropter Deus id se facere testatur, *ego diligentes me diligo*, ne amor ipse sit tormentum amanti, potiùs quàm solatium: vnde etiã nonnulli vsque ad rabiem insaniisse referuntur, quod se redamari minimè cernerent. O miserrimos mortales, qui pecuniis, vel aliis rebus corporeis, aut caducis voluptatibus vestrum amorem tribuitis, cùm vos redamare nequeant; ô vanas voluntates, & amores inutiles; non vos ipsos diligitis, nec ab illis amamini, nec vestrum, aut alienum amorem habetis, quem perdidistis, statim atque prædictas creaturas amastis. Saltem aliquando sapite, & è perditione pedem, quamdiu licet, referte.

11. Amor amati, amãtis amore summo præstantior esse debet.

Vndecima proprietas est, vt obiectum quidem redamare possit, sed ea ratione, vt eius amor sit nostro præstantior, & vtilior; quid enim alioqui prodesset amanti, si redamans æqualem tantùm amorem rependeret, sic enim lucrum cessaret, cùm tamen homo cauere debeat in iis, quæ agit, tam lucrũm cessans, quàm damnum emergens: hinc fit, vt cùm nemo possit amanti meliorem amorem rependere, quàm sit is, quo diligit, solus Deus verum eius obiectum constitui possit, atque debeat. Nam cui bono si hominem amore præcipuo dilexeris, qui nihil habet, quod tibi rependat, qui quidem tibi bonum omne desiderare potest, conferre non potest; cuius amor sterilis est, nec enim tibi vitam, mentem, sensum, aut aliquid aliud melius, ac præstantius, quàm habeas, conferre potest.

Quare homo non sit summè diligendus.

Vide igitur an aliquem hominem primò amare debeas; quod si feceris, licet te redamet, & miser eris, frustra confidens in eo, & ille miser erit frustra desiderans; tametsi enim bonum omne tibi velit, minimè conferre potest. Ideóque vnus è nostris appositè vocauit hominem maledictum, qui confidit in homine, & qui carnem ponit brachium suum, & à Domino recedit cor eius; qualis est qui primò hominem amat, & omnem spem in eo reponit, ac si suum summum bonum ab eo consequi se posse crederet; tunc enim hominem sibi pro Deo constituit. Ad eum igitur mentem erige, eique tutò spes omnes, & amorem tuum committe, qui amorem omnipotentem, & in omni genere infinitum habet, quo te redamet, omniáque largiatur, quæcunque sperare, postulare, vel etiam concipere, imo plura, quàm intelligere valeas, hinc.

12. Debet esse omnipotens.

Duodecima proprietas nascitur, vt nullius iniuriæ, aut vi maiori subiaceat, & tam à se, quàm ab amatore periculum omne propulsare queat, adeóque sit omnipotens; hinc fit, vt amans nullo timore angatur, ne fortè quid amato noceat. Quam fœlices illi, qui ad eiuscemodi obiectum ita collimant, vt illuc peruenturi sint; illuc tamen attingent, quicumque voluerint: ô terquaterque beatos, qui amato fruentur, qui omnia valeat, & id omnia habeat, quod amans in obiecto amabili desiderare posset.

13. Sapientissimum esse debet.

Decimatertia obiecti conditio est, vt sit sapientissimum, ne si, cùm omnipotens sit, stultum, vel ignarum esset, omnipotentia abuteretur, & toti mundo pericula continua imminerent. Igitur obiectum potentiæ amoris nostri omniscium, ac sapientissimum esse debet, vt qualis est potentia, talis etiam scientia, atque sapientia existat. Et quidem amans postulat, vt is quem summè diligit, nihil ignoret, sed omnium corda penetret, ne vel dum aliquid ignorat, à quibusdam seducatur, aut sit lu-

dibrio, vel amãtis amorem nesciat, cũ tamen amãs, idque meritò cupiat, vt amatus amorem illius cognoscat: hinc quia homines non vident alterius amorem, vix ei credunt, donec amans mille operibus, & multis sermonibus repetitis id comprobet: neque amor hominis ab alio homine ita sciri potest, quin aliquando seducatur; est enim amor spiritualis, & immaterialis, qui tantùm ab illo videtur qui uoluntatis humanæ supremus est dominus. Quanto gaudio afficitur amans, cum certissimè nouit cor, & amorem suum amato notissimum esse, adeout nullis verbis indigeat, vt illud amato suo persuadeat.

14. Debet esse iustissimum.

Decimaquarta proprietas est vt obiectum iustissimum sit, alioquin sapientiam iniquã haberet, & potentiam iniustam, quæ cùm infinita sit, in illo obiecto infinita regnaret iniustitia, ac proinde obiectum illud esset pessimũ, & summè malum, quo posito nullum bonum esset in mundo, quia potentissima illa iniustitia, ens, & bonum omne destrueret, & quidem amanti nihil miserabilius esset, quàm amato tam potenter iniquo subijci.

Alia etiam ex parte manifestum est, obiectum illud iniustum esse non posse, cùm antea sapientissimum esse probauerimus, & dicatur ille sapiens, qui bono fine per bona media cuncta facit. Itaque obiectum amoris nostri iustissimum est, & ideo in timore domini, vt pote infinitæ illius iustitiæ subditi, viuere debemus.

15. Debet esse misericors.

Decimaquinta obiecti conditio prædictam aliquomodo temperare videtur, est enim misericors, patiens, non iræ tenax, non pronum ad vindictam, non nimis seuerum, & facilè condonat errata amanti; alioqui si nunquam illud placare posses, vbi vel semel tantùm offendisses, neque vlterius in eius gratiam recipi posses, tuam sortem miseram dixero, qui tali seruitutis iugo subiiciaris, quod te ad desperationem adigat. Quam optimè igitur amatum infinitè misericors dicimus, sicut & infinitè iustum, vt ad summum bonum inter spem, & metum positi festinemus.

16. In promissis fidelis esse debet amatus.

Denique amatus fidelis esse debet, vt perseueret in redamando, & verbis, ac promissis stet, sitque pactorum æquissimus obseruator, quæ in æterno matrimonio numeris omnibus perfecto requiruntur. Vbi proderit aduertere plures ex illis conditionibus in optimo matrimonio desiderari posse; quid enim vxor faciet, nisi coniugem fidelem, non iræ tenacem, aut nimis seuerum, satis potentem, vt iniurias à sua familia propellat, sapientem, iustum atque redamantem inuenerit? tale igitur obiectum anima nostra, velut coniux habere debet. Iam iam plenè, perfectéque gaudeat anima, quæ suum obiectum infinitum, & omnipotens amat, quippe quod nunquam ab amore reciproco cessabit, nisi priùs illa desinat, est enim fidelissimum: quod cùm potentissimum sit, absque dubio amantem animã immortalem reddet, tametsi aliàs morti foret obnoxia (quod falsum est) cui bene semper erit, iuxta id, *Dicite iusto, quoniam bene:* & ita qui obiectum illud amauerint, æterno gaudio, & omni bono fruentur æternùm.

Vrgentur Athei.

Quis Atheorum nobis deinceps molestiam facessat? quis non æternum numen esse clamabit? nunquid fatebitur illud obiectum amabile tale esse debere, vt amori, desiderioque nostro satisfaciat? cui tamen quis satisfactum asseueret, nisi fuerit, quale descripsimus. Quod si nolis illud desiderium exsatiari, neque amorem nostrum tandem aliquando vltimam perfectionis metam attingere, ad quid amor ille, ad quid tale desiderium homini concessum est? an illud homo sibiipsi indidit, vt sese miserrimum efficeret, neque vnquam illud posset assequi, ad quod sibi potentiam aptauerat? quis hoc sine cachnno dicat, quis cogitet? Nunquid igitur alia quæpiam causa adeo stulta fuit, vt homini facultatem aliquam tribueret, quæ nullum obiectum habeat sibi conueniens, sibique proportionatum? ad quid obsecro potentiæ, nisi vt suos actus exerant; quomodo illos exercebunt, nisi circa obiectum congruum? Deus bone fierine potest, vt etiamnum aliquis Atheus reperiatur, qui si hæc legerit, & maturè perpenderit, statim pudore maximo non suffundatur, quod hactenus Deum negauerit, cùm cætera omnia priùs neganda sint, seque potiùs, quàm Deum negare debuerit; quandoquidem omnia perire possunt, vbi semper, & necessariò Deus Op. Max. perstabit, cuius intuitu omnia nihil sunt, nisi quatenus ea à nihili tenebris, & à non esse educit; ad quod suopte nutu protinus reditura sint, nisi qui promus condus est, continuò impediat, ne in abyssum nihili irruant, & eorum esse conseruet. Faxit Deus, vt Athei ex illo nihilo recedant, quo negant Deum esse, & ad verum esse redeant, qui dum nomen diuinum se tollere putant, seipsos destruunt, & Orci faucibus addicunt, quibus meliùs lõgè fuerit non esse, quàm adeò miseros, & insanos esse.

Antequam verò huic rationi vale dicam, nonnulla sunt aduertenda; primò nos semper de amore illo præcipuo, & primario loquentes, amorem illum intellexisse, quo Deum solùm amare possumus, quem Theologi vocant summum appretiatiuè, quo nempe Deum super omnia sine vlla cõparationis vmbra diligimus: adeout omnia contemnamus, vbi de Dei amore, honore, atque cultu agitur; & quantumcumque aliquid intensiùs, atque feruentiùs aliquando diligere videamur, vt parentes, amicos, aut quid simile, quàm ipsum Deum, vbi tamen Deum cum illis conferimus, cætera despectui sunt, & pro nihilo ducimus, vt solum Deum nobis super omnia diligendum proponamus. Hac ratione verissima sunt, quæcumque diximus, nullum esse obiectum, quod eo amore prosequi possimus, aut quod eo sit amore dignũ, præter id, quod 16. prædictas conditiones habet, quod non est aliud, præter numen diuinum.

Hic quædã aduertẽda. I. De quo amore hactenus locuti fuerimus. Quonam amore Deũ amare debeamus.

2. Secundò nos hîc abstrahere ab amore hominis, sicut & à cognitione naturali, & supernaturali, & à cæteris actionibus ibidem relatis; Nec enim necessarium esse duxi, vt discuterem, an homo viribus naturæ hos, vel illos intellectus, & voluntatis actus elicere posset, nec ne. Itaque tam naturales, quàm supernaturales illius actus includo. Tertiò,

3. dum verba de amore fecimus, quo quis sibi creaturam aliquam pro Deo constituit, intellige de amore tam inordinato, vt Dei negationem, vel cõtemptum saltem virtute, & interpretatiuè complectatur, adeo vt finem vltimum in aliquo creato collocare videatur. Denique vbi naturam supposuimus amandi facultatem, aut quiduis aliud nobis concessisse ad hoc, vel illud, per naturam, vel ipsum Deum intellige, vel Deum cum creaturis, quibus medijs, quæcunque habemus, liberalissimè nobis concessit: illo verò naturæ vocabulo vsi sumus, vt faciliùs cum Atheis, qui solam naturam admittunt, atque commemorant, procederemus, nec statim resilirent, & aures obturarent, si Deum nomi-

nominaremus initio, quem in conclusione reponendum susceperamus. Vtinam eos ad Deum reduxerimus, quibus illud naturæ nomen indulsimus; quos iam alia ratione vrgebo ex absurdis, & incommodis deprompta, vt si quis supersit, quem tanti obiecti amabilitas minimè rapuerit, illum incommoda, & absurda deterreant, quæ si Deus non existit, consequuntur. Verùm antequam, afferamus absurda, operæpretium existimo, vt de natura amoris nonnulla subijciamus, præsertim cùm verus Dei Opt. Max. cultus in amore situs esse videatur. Perperam enim Athei sibi persuadent nos, qui Deum agnoscimus, admittimus, & summè veneramur, nescio quo timore, & angore, velut perpetuo carnifice, premi, atque torqueri: imo nihil est quod tanta delectatione, tantoque gaudio nos afficiat, quàm vbi Deum Opt. Max. summè sapientem, atque iustissimum apprehendimus, &credimus; enimuero præmium ab illo speramus, cùm opus aliquod perficimus ob illius amorem; scimus amantibus eum deesse posse nihil; in omni tribulatione ad eum confugimus; credimus omnia incommoda, quæ nobis occurrunt, aduersa omnia, quibus conflictamur, ipsam etiam mortem à tyrannis illatam, nostræ saluti prodesse, & immortalem beatitudinem nobis comparare, adeout in medijs ignibus, & cæteris tormentis amor Dei nos immensum recreet, & addat robur incomparabile.

Occurritur opinioni, & obiectioni Atheorum.

Nec mihi dixerit Atheus, ijs, qui Deum iustissimum admittunt, vbi quid peccauerint, non solùm timorem, sed & desperationem ingruere, & incuti, quandoquidem falsum est illud; licet enim fidelis Theodidactus peccatum aliquod commiserit, non ideò desperat, sed ad amatum suum, quem nouit esse misericordem, & vniuscuiusque salutem optare, vti bonus filius recurrit, & vix errati veniam postulauit, quando misericors Deus, maximè propitius erratum delet, & filio peccatum dimittit.

Amor quid sit. Variæ proprietates amoris.

Vt ergo ad amorem redeamus, ille est mentis affectus, quo rei amatæ summa quæque, & maxima bona gratuitò cupimus; vnde si pauca, vel parua bona cupis amato, parum illum amas; si verè, & integrè amas, quicquid ei boni desiderare potes, id illi cupis, quod si ei bonum aliquid desideres, non propter eum, sed propter aliud, non eum
1. verè amas, sed aliud in illo. Amor autem est excellentissimus humanæ voluntatis fructus, quo nihil admirabilius, aut dignius in toto mundo nascitur, quo sine quispiã in omni actione sua est insipiens.
2. Amor est liber, non seruus, etenim spontaneum ortum habet, adeout ab inuito dari nequeat, neque ab inuito auferri. Adde quòd homo nihil propriè
3. suũ habeat, nec plenus sit, & integer rei vllius dominus, præterquam amoris sui; cætera enim ex-
4. ternis iniuriis patent. Amor itaque omnes hominis diuitias, & omnem eius thesaurum complectitur, quem pro libito distribuere possit cuicumque voluerit: nec quidquam aliud præter amorem suũ, aut saltem nihil ita dare potest, adeout alteri propriè nolim te gratiam habere, licet totũ mundum tribuerit, nisi id ex amore fecerit, vel simul amorem suum tibi dederit.

5. Hinc fit vt nullum munusculum adeo paruũ, & exiguũ esse possit, quod magnum non faciat amor, quandoquidẽ nihil tam vile est, cui amor gratiam, pretiumque non addat: nam ex magnitudine amoris, quo res aliqua donatur, gratiæ, pretijq; magnitudinem donum desumit. Præterea condimentũ dulcissimũ, atque suauissimũ amorem dixero, quo quicquid habemus, dulce, atque suaue redditur, & sine quo insipida sunt quæcũque agit: ideoque asserimus nos vel Deo, vel hominibus nihil sine amore gratum dari posse. Amor est res omnium 6.
pulcherrima, adeout omnibus placeat, & à nemine respui possit: nec enim vllus est, qui amari non cupiat, cui noster amor non sit gratus, si se sincerè 7.
diligi senserit, & crediderit; quis enim est ita mẽtis inops, qui non vellet omnes sibi benè cupere, & 8.
neminem malè sibi velle. Ipse amor non solũ omnibus placet, sed est in causa cur placeant, quæcũque placent, adeout sit instar alicuius mediatoris, ita omnibus gratus & acceptus, vt per eum, rebus cæteris tum apud Deum, tum apud homines gratia concilietur; sine quo nihil habet homo, quo placeat, cum quo omnia placent.

Mirabilis sanè voluntatis affectus amor, & ita pretiosus, vt nullus quantũcumque diues inueniri 9.
queat, qui amoris donum non sit accepturus, aut illud spernere valeat, quãdoquidẽ ipse Deus seipso beatissimus possitnõ potest nõ acceptissimũ habere nostrũ amorẽ, si sincerus illi donetur; qui nullius creaturæ, præterquam amoris desiderio tenetur; quẽ cum ei purũ & illibatum offerimus, nunquam repulsam patimur, aut contemni, atque respui possumus. Quid obsecro admirabilius, quã quod 10.
amor neminem offendere possit: enimuerò amare, est alicui bene velle, quod in nullius cedit iniuriã; ideoque amor est innocens, vel ipsa innocentia; qui res, alioquin ex natura sua offensiuas, excusabiles reddit, adeout sit rerum omniũ excusator, nullius verò accusator: quis enim nõ facilè cõdonet iniuriam, quã ex puro amore sibi illatam esse depre- 11.
henderit? Ille est qui per se solus placet, nec alterius rei cõmẽdatione, vel societate eget, cùm per se dulcis sit, gratiosus, & amabilis; præter quẽ homo nihil habet, quod per se gratũ sit. Hinc fit, vt amor omne hominis bonũ esse videatur, nã si bonus est, quicquid habemus, nobis bonũ efficitur, sin malus, malum; ipsum enim hominem reddit bonum, vel malum, nam sicut arbor bona, vel mala ob bonũ, vel malum fructum appellatur, ita & homo ob bonũ, vel malum amorem; atque ideo qui benè amat, bonus est, peruersus verò, qui malè, & contra naturæ leges. Vnde constat nihil hominẽ melius habere posse, aut sibi vtilius, quàm bonũ amorẽ, peius, & exitiabilius nihil, quàm amorẽ inordinatum; ille siquidem bonorum omniũ, hic autem malorũ omniũ fons est, & origo. Hinc fit, vt cùm amor sit omne hominis bonũ, ei sua omnia tribuat, cui suum amorem dedit; & è contrario sua omnia amittat, cum amorem suum perdidit, atq; malè collocauit.

Pulcherrima amoris Philosophia ex allatis proprietatibus deducta.

Amor enim est veluti talẽtum quoddam nobis à natura datum, vt negotiemur, quo iuxta bonum vel peruersum illius vsum pauperes, vel diuites, miseri, vel beati euadimus. Nam in bono amore virtus omnis, in peruerso peccatum omne consistit. Hinc fit, vt qui probè naturam amoris nouerit, totius boni, vel mali hominis scientiam assequatur; qui verò non eam cognouit, cæcus sit necesse est, dum nescit, quid sibi bonum, quid ve malum sit: est enim pernitiosissima cæcitas, & ignorãtia nescire, quo tendere debeas, & in quod, vel quale bonum collimes, sic enim huc illuc miserè iactaberis, transuersúmque rapieris. Quapropter maximè satagere oportet, vt certò sciamus, cui nostrum amorẽ tribuere debeamus, ne si ex igno-

rātia malè amemus, nostra omnia nobiscū pereāt.

12. Proprietas amoris. Sunt & aliæ amoris proprietates omnino admirabiles; est enim vis vnitiua, & iunctura quædam duo aliqua copulās, aut copulare nitens; nam proprium amoris officium est amantem cum amato vnire, quemadmodum odii proprietas est odio habentē à re, quam odit, separare, & quantam potest maximam inter eos separationem efficere; Vide igitur quàm amor sit melior, qui quantam potest maximam vnionem inter amantem, & amatum facit: deinde transformat amor, & conuertit amantem in rem amatam, vt ex duobus, vel ex multis vnum faciat, adeout per suum amorem possit esse homo, quicquid vult, hinc amantium idem est velle, & nolle, vt amor sit veluti fusura duarum voluntatum, & animarum in vnam; quo fit vt aliqui dixerint animam plus esse, vbi amat, quàm vbi animat: licet amans semper quoad substantiam, & facultates in suo esse naturali permaneat, dum se ita in amatum ferri, ac veluti transformatum esse percipit. Ita verò fortis est amor, vt præter vnum amantem nemo possit nodum soluere, quo cum amato astringimur, iuxta id Apostoli: *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.* Cui verus amans concinit, dum ait, *fortis est vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio, lampades eius lāpades ignis, atque flāmarū.*

13.

14.

Ad Ro. 8

Cantic. 8.

Statim autem atque amor existit, necesse est, vt alicui donetur, adeout homo nequeat vllum amorem parere, quin eodem momento alicui tribuat, quando quidem amor donum est, quod sese relatiuè habet ad amatum, ad quod ex natura sua propēdet. Adde quod homo ita ad amandum natus est, vt non possit, quin amet aliquid, eique suum amorem donet: nec enim natura permittit tàm nobilē potentiam actu suo vacuam esse, quæ solum hoc officium homini iniunxisse videtur, vt amet; Ideóque amor non solùm donabile, sed donum est, quia prout res cæteræ, nō potest seruari absque eo quod donetur, licet homo, quicquid voluerit, liberè amet, & spōte tribuat, quod non potest nō donare, adeò enim admirabilis est amor si reuera amet. Qui statim atq; donatus est, transit in dominiū, & potestatem amati, adeout res amata sit vera domina illius amoris, & in eum ius omne habeat; nam quod spontè, & liberaliter datum est, in eius, cui datur, ius, & dominium transit; amans ergo sui amoris perfectum dominum amatum efficit. Cum autem amor sine voluntate esse nequeat, qui dat amorem suum, suam etiam voluntatem tribuat necesse est, & amatum illius dominum faciat, adeout se sibiipsi auferat, seque totum det ei, quem primò amat. Insuper cùm per voluntatem omnia, quæcunque habet aliquis, possideat, vbi suum amorem atque voluntatem alicui donat, sua etiam omnia, tam quæ ad corpus, & bona fortunæ, quàm quæ spectant ad animam, eidem tribuit.

15.

16.

17.

18. Quæ tamen subiectio minimè tædiosa, vel tetrica est, sed delectabilis, quia libera, & spontanea; nec enim propriè laboriosum est, nisi quod voluntate renitente facimus; ideóque non sunt difficiles amantium labores, labor enim in amore diligitur; nec quidquam ista amoris seruitute pulchrius, aut suauius esse potest, quippe libertatem omnem superat, vel vt meliùs dicam, amoris seruitus, est vera & præstantissima libertas, verúmque regnū; quid enim est libertas, quid regnum, nisi quando sponte, & liberrimè facis, quicquid cupis, quicquid desideras?

Vbi verò circa rem verè amabilem versatur amor, tantum abest, vt voluntas sese subijciendo à sua nobilitate decidat, quin potius ad superiorem gradum euehitur, & perficitur: id enim omnibus potentijs commune est, vt perfectiores euadant, quando circa obiecta congrua operantur Enimuerò actiones naturam obiecti sui imitantur, & suam naturam ab eo desumunt, eiusque qualitates induunt, siue bonas, siue malas, amor præsertim, cuius dignitas ab obiecti dignitate repetenda est. Hinc fit, vt vnius rei amor, rei alterius amore melior existat iuxta rei amatæ maiorem, aut minorem bonitatem: Nam qui terram amat, terrenum amorem, qui mundum, mundanum, qui hominē, humanum, qui Deum, diuinum habere dicitur: siquidem obiectum amatum, nomen, & differentiam amori tribuit, & suis qualitatibus illum imbuit, siue bonis, siue malis. Notabilia quædam de amore. Amor pro obiecti varietate bonus, vel malus.

Amor autem ad amati similitudinem, sicut cera ad imaginem sigilli efformatur, adeout neque strictior sit, neque latior re amata; nec enim res amata permittit amorem amantis se latiorem, vel strictiorem esse; vnde amans non plura, neque pauciora amare debet, quàm quæ res amata diligit; etenim omnia diligit amans, quæ pertinent ad amatum, & omnia odio habet, quæ sunt ei inimica, vt sit amor amicus, & inimicus omnium, quos amatus amore, vel odio prosequitur: iuxta id psaltis, *Nonne omnes, qui te oderunt, oderam, & super inimicos tuos tabescebam? perfecto odio oderam illos, & inimici facti sunt mihi.* Quod sicut amans affirmat, ita & amatus Exod. 23. ver. 22. *inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligentes te.* Ex quibus sequitur amantem nihil amaturum præter rem amatam, ne quidem seipsum, si res amata nihil diligit. Quo fit, vt qui pecuniam amore præcipuo, seu summo (de quo semper loquimur) diligunt, nihil præter illam ament, cùm ipsa pecunia nihil diligere, neque redamare possit: ideoque pulchrè dictum est, tam deesse auaro, quod habet, quàm quod non habet. Quo verò plura res amata diligit, eo latiorem campum amans habet, in quo potentiæ amandi vires exerat, adeoque maiori libertate vtitur: vnde qui amat omnia amantem, liberrimus est, quia omnia potest amare absque amati offensa, qui vult omnes quos amat, à suo amante diligi. Huc, Athee, te aduoco, vt consideres, quàm fœlices sint illi, qui Deum amant, quippe qui omnia diligit, quæ sunt, & nihil odit eorum, quæ fecit. O terque quaterque beatos, quibus tam fœlix amor obtigit, vt pro seruitute, iugo, & carcere, quibus Deo mancipati estis, summam obtinetis libertatem, adeout omnia, etiam proprios inimicos sine Dei offensa amare possitis; quod sanè magna cum facilitate voluptateque faciet, qui Deum verè dilexerit. Macte virtute Athei, fœdum illum amorem, qui hactenus vos nescio cui occultæ superbiæ, pertinaciæ, cæcitati, vobisque ipsis mancipauit, reuocate, ne de arcto carcere, quo vos ipsos obstrinxistis, ad illud pergatis ergastulum, quod vos æternis supplicijs, & squalore horrido inuitos distineat. Psal. 138. Quis sit amans, & amor liberrimus. Exhortatur Athei.

Vtinam experti fuisseris, quàm dulcis, quàm honesta, quàm vtilis sit illa amoris seruitus, quàm

Theorymi

Vide pulchra de amore.

Theotymi Deo seruiunt, & eum diligunt; cui totum amorem, totam voluntatem, & omnia sua irreuocabiliter donauerunt: Vtinam numinis diuini ius, & dominium perciperetis, quod in amantem exercet. O beatum amantem, qui tuum amorem ita Deo tribuisti, vt iam tibi non sit integrum eum alteri dare, quando quidem eo dignissimus est Deus. Tametsi enim viator amorem Deo tributum repetere, & alicui alteri donare valeat, ob libertatis vsum, quo pollet, dum peregrinatur, attamen vbi patriam incoluerit, amorem suum non ampliùs commutare poterit; huius enim possessio confirmabitur, & perfectum dominium, atque irreuocabile Deus in beatum, primo fœlicitatis momento, sibi comparabit. Fœlicem amantem, qui nihil nisi propter amatum diligere potest; qui Angelos, qui beatos, qui homines, qui parentes, qui seipsum propter amatum, vel potiùs amatum in illis omnibus diligit.

Eia, Athei, psalmographum audite, eique vel saltem temporis modicum credite: *Gustate, & videte quàm suauis est Dominus*, quàm sit *Beatus vir, qui sperat in eo.*

Athei ex ipsa sua opinione conuincũtur.

Scio vos ad naturam, veluti rerum omnium autorẽ cõfugere: sit ita, ergo vos ad naturam prouoco; hanc enim contendo voluisse nos tantùm amore summo vnicum amare, ne duplici seruitutis iugo premeremur, si duobus dominis seruiremus. Debuit autem nobis illud vnum amabile permittere, quod omnes cõditiones habet, quas suprà descripsimus, quæ cum nulli, præterquam Deo conueniãt Deum esse necesse est, quãdo quidem ipsa natura, pro toto mundo aspectabili sumpta, cõditiones illas non habet, vt eas perpendenti constabit. Quis obsecro suum amorem, voluntatem, atque libertatem ei tribuet, in quo noster amor summam libertatem, voluptatem, & vtilitatem consequitur?

Præstantia diuini amoris.

qui permittit amanti, vt ex illo suo amore riuos infinitos deducat, quibus omnia, quæ sunt, amet. Amor enim Dei est velut ingens Oceanus, à quo totidem amoris, quot ab illo aquarum riuuli exeunt, eiusdem cum amore primo naturæ, quibus omnes homines, aut Deum in omnibus hominibus amamus: enimuerò statim atque primum, seu præcipuum nostrum amorẽ in aliquo constituimus, in eo finem vltimum collocamus; & sicut media non propter ipsa, sed propter finem amamus, adeout potiùs finem diligere videamur, quàm media, dum ista prosequimur; ita cùm amato primatum amoris nostri dedimus, quæcumque deinceps illo durante amore diligimus, non tam propriè ea, quam amatum in illis amamus. Quapropter omnis amor hominis amantis Deum, cùm alia propter Deum amet, vel potiùs Deum in illis, diuinus appellari potest, ac proinde optimus.

Ad hunc igitur Dei amorem te prouoco, quisquis es Athee, nam si summam voluptatem desideres, ab alio quam ab optimo amore prodire nequit; si maximam vtilitatem: à quo amabo, profluet, nisi ab optimo? Ad naturam prouocabas, naturam igitur appello: ipsa loquatur, si potest.

Naturã loquens inducitur.

Nunquid (ô natura) cupis, & prouides, vt in qualibet rerum mutatione, quod mutatur, in aliquid se melius conuertatur? Alioquin illa mutatio rei perniciosa erit, quæ mutatur; Clarum enim est argenti, vel auri mutationem in plumbum, & Mercurium inutilem, atque damnosam esse. Nec solùm illa mutatio rei melioris in peiorem inutilis est, verùm etiam illa conuersio, quæ fit æqualis rei in æqualem; cui etenim bono res illa mutaretur? sanè qui libram auri in libram alterius auri penitus æqualis commutarit, nihil illum aliud dixeris, quam opus vanum, & inutile, & frustra expensas fecisse; quod est contra naturæ intentum, quæ vult rem quamlibet proficere, non autem vanam & inutilem stare.

De mutatione amantis in amatum.

Atheus instruitur quid deinceps amare debeat.

Hinc fit, vt etiam iuxta naturæ leges Atheus aliqua se minora, vel sibi æqualia summo amore diligere non debeat, sed vnicum obiectum amabile, quod sit homine melius; vt neque damnum vllum emergat, quando amabit (quod accidit dum aliquid se minus amore prædicto diligit homo; si quidem amore seipsum in peius amatum cõuertit, quandoquidem amor ille quodammodo transformat amantem in amatum) neque lucrum cesset, quod fit, dum amat aliquid æquale sibi; qui amor non est minus inutilis, quàm libræ auri in aliam æqualis auri libram conuersio. Huc ergo Athee, huc aduola; nam hominis officium, cui tantopere inhias, tibi per me, & per ipsam naturam patet. Scio te proficere velle, ideo namque singulis momentis arcana quæris, vt scientia proficias, & quocúmque modo potes, tibi maiores facultates comparas. Perge quæso, sed via longè meliori, Natura tibi permittit, ne dicam iubet, vt vana, & inutilia deuites, & vtilia prosequaris, adeout magis secundum naturæ leges viuere, & meliùs fungi officio viri boni dici possis, quo magis proficies, & quo meliùs vtilia tibi comparabis, & inutilia diligentiùs effugies. Id autem maximè perficies, vbi quicquid pretiosius, atque nobilius habes, in aliquid melius conuerteris, nec vnquam illud cum peiori, vel æquali commutaueris; quod efficies si tuum amorem autori naturæ dederis, vt quicquid es, Dei sis; sic enim te, tuaque veluti sua curabit, nec permittet, vt vel vnus de capillis tuis pereat, vt vnus de tuis passibus, vnus ex tuis sermonibus, vna de tuis cogitationibus absque præmio relinquatur.

Cætera, quæ ad amorem attinent, in præsenti libens omitto, tum quia sum alibi prosecuturus, quæ hîc addi possent; tum quia vereor, ne ratio hæc in immensum excrescat, néue rerum tam angustarum mole nimia mens Atheorum obruatur, qui vbi tot & tam admiranda de vi & proprietatibus amoris legerint, ea leuiùs consideraturi sint; tũ denique quia satis superque sufficere videtur, quæ hucusque docuimus, vt Dei odio horribili deposito, eum amore summo diligant: Deus enim illos redamabit, & pro minimo amore hominum, quem excipit, atque gratum habet; summum amorem, seque ipsum rependet. Sic enim amoris sui fœnus immensum accipient. Quod si minimè fecerint, audiant incommoda, & absurda, quæ sequuntur, quæque ratio sequens, præter ea, quæ inferri possunt ex dictis, explicat.

RATIO XXXII.

Petitur ex varijs absurdis, & incommodis, & ex commodis, quæ ex opposita, seu vera sententia consequuntur.

Varia absurda & incommoda. 1. SI Deus non est, igitur neque summum bonum est in rerum natura; quia Deus, & summum bonum sunt vnum & idem: si non est summum bonum, igitur admitti debet summum malum, vt enim paruum malum est parui boni priuatio, ita summum malum est priuatio summi boni, si summum malum admittis, igitur nullum est bonum in mundo; quod enim bonum inueniri potest, vbi regnat summum malum? 2. Idem absurdum in entibus reperitur; nam si summum ens, siue Deum esse neges, igitur nullum ens admitti debet; quando quidem minus conuenit esse minimo enti, quã maximo, quia minimum ens parum à nihilo distat & magis ad ipsum non esse accedit, igitur id quod à non esse magis distat, & à fortiori, quod à nihilo longissimè recedit maiorem habet essendi rationem, ita enim ipsi esse vicinum est, vt inter illud, & ipsum esse nulla distantia intercedat. Nunquid ergo vides Deum admitti debere, quandoquidem à nihilo maximè distat, ac proinde magis ei conuenit esse, quàm vlli alteri; nisi concedere velis rei alicui, quæ parum distat à nihilo, esse magis conuenire, quàm ei quæ multum, aut quæ maximè ab eodem nihilo recedit, quod est absurdissimum, & impossibile.

Nec illa res, quæ parum à nihilo recedit, habere potest, vt ab eo recesserit, nisi beneficio eius, qui nunquam ei nihilo subiici potuit, nam è dominio nihili, (vt ita loquar) nulla res abscedere potest viribus proprijs, nullas enim vires habet, quod nihilo subiacet, sed est non ens. Quod autem de bono, & ente probatum est, id de vnitate, veritate, iustitia, pulchritudine dicito; nec enim vlla vnitas, aut veritas esse potest, nisi per aliquid huiusce modi constituatur quæ, iamdudum in alijs rationibus hæc omnia satis accuratè tetigimus.

3. Rursus certum est totum mundum aliqua aula quantumcumque præclarè ornata, aut, testudine, licet suauissima, pulchrius, atque melius esse, atque factu difficilius, igitur si absurdum esse existimes, si quis aulam pulcherrimè adornatam, aut cytharam suauiter resonantem fortuitò, & casu, vel à se factam esse dixerit, quanto maius absurdum erit asserere mundum hunc pulchrum vsque ad miraculum, vel à nullo factum fuisse, vel tantùm casu, & fortuitò talem esse. Tertiò, incommodum est, idque maximum, quod aliquis se in extremum periculum coniiciat, sed qui Deum negant maximum incurrunt periculum; enimuero vel Deus est, vel non est, si non est, nil inde timere debes, quod Deum esse credideris, quid enim inde mali tibi prouenturum est; si verò est, neque tamen eum esse credas, meritò timere debes ne te puniat, quod autorem tuum ingratus non cognoueris.

4. Quartò, magnum est incommodum, si Deus esse negetur; cùm enim multo plures brutis passionibus addicti sint, & omni vitiorum generi mãcipati, licet Deum esse credant, cúmque iustissimum peccatorum vindicem; quid obsecro continget, vbi numen diuinum sustuleris? quis virtuti dabit operam? quis peccata odio habebit? quis passiones suas frænabit? nunquid mundus totus in cædes, rapinas, & alia id genus scelera conuertetur? Audio tamen Atheum gentiles, & barbaros obiicientem, qui virtutem coluerint, licet Deum minimè agnoscerent: & etiamnum virtute præditos, licet nondum Euangelium audierint: virtutem ex se pulchram esse, vt animos hominum alliciat, quæ si in se videretur, omnium oculos ad se conuersura, & omnium amorem raptura sit. Occurritur obiectioni Atheorum. Verùm experientia testatur, quantis vitiis implicati sint illi barbari, qui nihil de lege diuina audierunt, quorum plurimi Anthropophagi esse dicuntur, alii parentes suos paulò ętate prouectiores pro ingenti beneficio trucidant, omnes denique multis para sangis à recto virtutis tramite aberrant.

Dentur tamen aliqui, qui virtutem ob illius honestatem, atque pulchritudinem excolant; fuerit huiuscemodi Socrates, Solon, Bias, Seneca; sed illi Deum esse fatebantur, vt clarissimè ostenderetur ex ipso Seneca, Tullio, & alijs gentilibus, qui testantur nullas nationes adeò barbaras fuisse, quæ Deum aliquem non faterentur, imo potiùs in multitudine deorum errauerunt; & ipsi Antropophagi Deum esse fatentur, vt constat ex eorum sacrificijs. Nec obstat, quod aliquid Deo affigant, vt pluralitatem, vel aliquam aliam imperfectionem: Ad Rom 1. ideo nempe in illos fœdissimos errores impegerunt, quia Deum, vt par erat, honore debito non affecerunt, nec ei exhibuerunt cultum, qui congruus esset; hinc enim euanuerunt in cogitationibus suis, vt Apostolus docet Epist. ad Rom. cap. 1. *Qui cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum,* &c. deinde. *Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam;* & *tradidit illos in passiones ignominia*: lege totum caput, in quo hęc latè prosequitur.

Quare gẽtiles virtutẽ colerent. Quod autem aliqui Barbari virtutem amplexi fuerint ob solam eius honestatem, & pulchritudinem, non ita facilè concessero, licet illud non iudicem ἀδύνατον, quando quidem virtus moralis homini naturaliter congruit; at siue fieri possit illud, siue non, dico reuera omnes, de quibus legimus aliquid, aut ferè omnes virtutem ob alia motiua coluisse, vel vt ab alijs virtute præditi, atque sapientes appellarentur, & digito monstrarentur, iuxta id Persij Satyr. 1.

5. *O mores! vsque adeone* Persius.

Scire

Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter?
At pulchrum est digito monstrari, & dicier hic est.

Vel vt aliquod præmium assequerentur, & sese insinuarent in alicuius gratiam, vel vt sibipsis satisfacerent, adeout in seipsis suum vltimum finem constituerent, quod est summa peruersitas: aut si qui fortè semel ob meram virtutis honestatem egerunt nonnihil, in alia plurima vitia prolapsos fuisse, sed de virtutis pulchritudine aliâs inuestigandum, an ob solam eius gratiam licitè possimus operari, itaut actionem nostram non referamus vlterius in Deum, an id fieri possit, siue à fideli, siue ab infideli: an ex se digna sit, quæ colatur ab homine, &c. nunc enim ad alia absurda, & incommoda inferenda venio.

Existimo vnumquemque mihi facilè concessurum, quod postulo, videlicet omnem virtutem ita se habere vt in quibusdam hominibus sit minor, in alijs maior, adeout quidam sint alijs prudentiores, sapientiores, iustiores, & sic de cæteris, cùm enim eædem contrariorum disciplinæ sint, idem de virtutibus, atque de vitijs asserendum est, quæ sanè maiora sunt in vno, quàm in alio; neque vllus sanè mentis negauerit eum prudentiorem esse, qui tota vita Rempub. præclarè gubernauit, & administrauit omnia sapienter, quàm alium, qui vnicum consilium prudentiæ suggesserit, quicquid Stoici apud Tullium afferant, & astruere conentur illo paradoxo, ὅτι ἴσα τὰ ἁμαρτήματα, καὶ τὰ κατορθώματα, æqualia esse peccata, & rectè facta; quod etiam de vitijs, atque peccatis concludunt: quod quia non parum Atheis fauere videtur, hîc discutiam, breuiter tamen. Insanus est, & omnis sapientiæ, atque scientiæ ignarus, qui negat diuersæ speciei virtutes ita se habere, vt vna præstet alteri, quando quidem vnius obiectum altero nobilius esse contingit, sicut & subiectum, à quibus maior, aut minor excellentia repetenda est; prætereà, eo virtus aliqua præstantior est, quo magis ad rationem accedit, quæ est causa, & radix humani boni, hinc enim prudentia cæteris virtutibus moralibus appetitum perficientibus melior esse dicitur, quia rationem perficit; ita etiam iustitia quæ est in voluntate, reliquis moralibus est excellentior; & fortitudo, quæ quamuis sit in voluntate, à quibusdam in appetitu irascibili collocatur, ob auxilium, quod ab eo accipit, vt in obiectum promptè, fortiterque tendat: est temperantia melior, quæ iuuatur à concupiscibili, quia cæteris minus ad rationem accedit, & in ea ratio minores suæ flammæ scintillas ostendit, quia in minoribus temperantia motus suos rationi subijcit, quàm vel fortitudo, vel iustitia; si quidem fortitudo rationi motum appetitus subijcit in iis, quæ ad mortem, atque vitam pertinent; iustitia verò non solùm in iis, quæ ad proprium bonum, sed & in iis versatur, quæ ad alienum pertinent, vnde 5. Ethic. cap. 1. virtutum pulcherrima dicitur. Pari ferè modo sapientia inter intellectuales regina est, ob excellentiam obiecti, quod est Deus, seu causa suprema, per quam velut architectonica de omnibus iudicat. Denique si de Theologicis aliquid afferre velimus, quas Athei nec habent, nec agnoscunt, præcipuam dignitatem obtinebit charitas; non tam propter obiecti diuersitatem, quàm ob maiorem illius participationem, & cum eo coniunctionem, est enim de eo quod iam habetur, vt optimè D. Thom. ait, 1. 2, quæst. 66. a. 6. cùm tamen fides sit de non visis, & spes de iis, quæ nondum habentur.

Tullius in paradoxis Opinio Stoicorũ.

Non omnes virtutes sunt æquales, sed vna præstat alteri etiã specificè sumptæ.

Aristo t.

Iustitia virtutum pulcherrima.

Sapientia.

D. Thom.

Idem verò probatur de virtutibus solo numero diuersis, quales sunt duæ temperantiæ, quarum vnam in vno maiorem, in alio minorem esse posse contendo; vt enim ferrum, vel lignum altero calidius esse potest ob calorem intensiorem, ita virtus temperantiæ, & alia quæpiam siue moralis, siue intellectualis, siue Theologica, suscipere potest incrementum, vt quis maiori, quàm antea virtute præditus sit. Quod illi constituunt in maiori assuefactione, naturæ meliori dispositione, iudicio rationis perspicaciori, aut maiori dono gratiæ, qui gradus intensionis in habitibus non admittunt, qualis videtur is, qui supra a. 1. Sed & experientia satis ostendit quosdam & promptiùs, & sæpiùs, & faciliùs opera virtutis exercere, quàm alios; vnde obsecro id fieri potest, vbi præsertim vtrisque satis ampla virtutis exercendæ materia suggeritur? Quod autem de virtutibus diximus, de peccatis è contrario dictum existima. Supersunt tela paradoxi retundenda. Est peccare, tanquam transilire lineas; quod cùm feceris, culpa commissa est; quàm longè progrediare, cùm semel transieris, ad augendam transeundi culpam nil pertinet: ergone Tulli opiniosissime concedes eum à linea, quam transilit, & ab ea per milliare recessit, non magis distare, quàm eum, qui passum vnum recessit ab eadem? si hoc tibi videtur absurdum, vide quàm facilè ruat argumentum. Perge Tulli. Peccare certè licet nemini; quod autem non licet, id hoc vno tenetur, si arguitur non licere: id nec maius, nec minus vnquam fieri potest, quoniam in eo est peccatum, si non licuit. Quod semper vnum, & idem est, ex eo peccata nascuntur, æqualia sint oportet. Egregiè quidem, nisi sophisticè, & parologicẽ: In quo vim tuæ rationis sitam existimas? in eo (credo) quod nemini peccare liceat; quid est non licere, nunquid teneri, & obligari, ne facias? quis verò neget inter obligationes fieri posse, vt vna magis adstringat, quàm alia? lege naturali teneris moribundo succurrere, si per te mortè facilè vitare potest; at occurrunt duo, peregrinus ex vna parte, deinde pater, vterque in summo periculo constituitur, nec tamen vtrúmque seruare potes; ad quem obsecro lex naturalis te magis impellit? ad peregrinum, an ad patrem? Ad patrem sanè: igitur strictius est obligationis vinculum, quo te lex obligauit, vt patri, quàm alteri succurreres, igitur tibi minus licet mortem patris, quàm alterius permittere? igitur magis peccas, si remedium patri deneges. Mitto sexcenta id genus exempla; vt alia, quæ sequuntur, excutiam.

Duæ virtutes solo numero distinctæ scinuicem perfectio: ne vincũt.

Refellitur paradoxum Ciceronianum.

Ratio Stoicorum.

1.

2.

3.

Arguit ex virtutum æqualitate, vna virtus est consentiens cum ratione, & perpetua constantia; nihil huic addi potest, quo magis virtus sit, nihil demi, vt virtutis nomen relinquatur, etenim si bene facta rectè facta sunt, & nihil recto rectius, certe ne bono quidem melius quidquam inueniri potest: sequitur igitur, vt etiam vitia sint paria, siquidem prauitates animi rectè vitia dicuntur. Atqui quoniam pares virtutes sunt, rectè facta quando à virtutibus proficiscuntur, paria esse debent, itemque peccata, quoniam ex vitiis manant, sint æqualia necesse est.

Non insimulabo te, quod hæc à Philosophis sumas, potiùs enim ab asophis dixero, & ab iis qui ne quidem à primo limine Philosophiam

salutarunt; nam à genere descendis ad indiuiduum, seu à communi ad particulare.

Per angulum rectum virtus, & vitia explicantur.

Licet enim tibi concesserint aliqui, virtutem in communi sumptam non esse magis virtutem: vbi ad subiectum descenderimus, facilè constabit vnum alio prudentiorem atque iustiorem esse posse. Verùm illam similitudinem affero recti, cuius meministi; atque concedo perfectè recto nihil esse rectius. Addo etiam commodè satis virtutem angulo recto posse conferri, quandoquidem inter duo vitia non rarò continetur, exempli causa liberalitas instar anguli normalis, interauaritiam angulo acuto similem, & prodigalitatem ab obtuso repræsentatam consistit. At verò à linea recta minus, aut magis aberrare potest aliquis, & imperfectè recta, cuius sæpe imperfectionem nullus sensus deprehendit, rectior assignari potest, donec ad summam rectitudinem peruenerimus; ita etiam obtuso angulo alius minus, alius magis obtusus, quod & de acuto dicendum est. Quapropter vt iam tibi respondeam, nego omnia bene facta ita rectè facta esse, vt rectius esse nihil possit, quantumque enim bene agas, vel sunt, qui in eodem agendi genere meliùs agant, aut saltem agere possint, scias igitur velim rectitudinem bonitatis instar sese habere, quæ statim minor, aliàs maior in quibusdam esse potest, eóque maior, quo maius fuerit illud ens, cuius est bonitas.

4. Nolim autem in præsentia disceptare quoúsque hominis bonitas, virtus, & rectitudo pertingere valeat, & quorum graduũ sit capax, id enim proprium locum requirit. Vltima ratio, quam orator attulit, hęc est; hanc sententiam non modò veriorẽ sed ne vtiliorẽ quidem hominum vita reperiri vllã posse. Quæ vis enim, quæ magis arceat homines ab omni improbitate, quàm si senserint nullum in delictis esse discrimen? atque peccare se, si priuatis, ac si magistratibus manus inferant? quamcúmque in domum stuprum intulerint, eandem esse labem libidinis.

Ergo topicè procedit orator, & ad vtilitatem diuertit; ego verò satis magnum præiudicium fieri puto veritati, quod ipsa fictæ vtilitati anteponatur. Sed est aliud, quod repono, videlicet homines sine discrimine ad omnem improbitatem aduolaturos esse, si nefanda scelera cum cæteris peccatis, quæ leuia videri possent, in eodẽ pretio haberi nouerint; cùm tamen eorum peruersitas sæpe minoribus contenta esse videatur. Potiùs igitur inutilis erit opinatio illa, quam ideo è mente excutiendam habemus. Peccatum verò in priuatione rectitudinis situm esse D. Thomas ait, non tamen pura priuatione, quæ sit indiuisibilis, & consistit quasi in corruptum esse, vt mors respectu vitæ, hæc enim non suscipit magis, & minus, sed in priuatione, quæ retinet aliquid de habitu opposito, quæ potius in corrumpi, quàm in corruptum esse collocatur, quæ proinde recipit magis, & minus, sicut ægritudo, quæ est sanitatis priuatio, quemadmodum turpitudo, pulchritudinis; illa siquidem non est totius vitæ priuatio, sed recessus à debita humorum commensuratione, hæc autem à debita proportione membrorum. Sic igitur peccatum rationis ordinem non omnino tollit, alioquin malum integrum 4. Ethic. cap. 5. seipsum destrueret, neque substantia actus, aut agentis affectio remaneret, inquit D. Thom. 12. quæst. 73. art. 2. non quod varia peccati grauitas ex sola priuatione rectitudinis sumi debeat, neque enim peccatũ in sola priuatione formæ situm est, sed habitudinẽ disconuenientiæ ad subiectum superaddit, quæ est eo maior, vel minor, quo forma opposita magis, vel minus ipsi subiecto competebat, & rectitudo sublata rationem magis perficiebat: vnde peccata licet in indiuisibili consisterent, prout sunt priuationes, possunt tamen in ratione malitiæ moralis inæqualia esse.

In qua priuatione peccatum statuatur.

Aristoteles

D. Thom

Vnde peccati grauitas sumi debeat.

An quilibet malus actus aliquid bonitatis retineat.

Alij volunt peccatum aliquando secum de rectitudine rationis aliquid retinere, vt cùm aliquis ob inanem gloriam orat; nam quoad obiectum, & substantiam actus oratio ista bona fuit, licet ob circunstantiam finis peruersi mala dicatur ἁπλῶς; addúntque omnem actum vitiosum, quantumuis malum rectitudinis nonnihil habere, quia saltem ordinatur ad beatitudinem in communi, vt satis clarè D. Th. q. 1. a. 2. innuit, adeout illum actum velint esse bonum moraliter bonitate finis sumpti formaliter, & in communi, vt refert Cumelius ad quæst. 73. art. 2. §. 2. & improbat, quem vnicuique videre licet.

D. Thom

Cumel.

Nobis verò sufficiat ostendisse virtutes & peccata inter se inæqualia esse, quorum grauitas, grauitatísque inæqualitas à diuersis obiectis, finibus, & intentionibus desumitur, enimuero peccatũ quodlibet tanto grauius est, quanto maius est principiũ, opponitur & quãto prius est in ordine ratiõis, quæ in omnibus statuit ordinem, quæ finis alicuius gratia peraguntur; quapropter quando peccatum in actionibus illis contingit, quæ fiunt ob finem excellentiorem, tanto grauius est. Statuamus ergo virtutes inæquales esse, & vnum minori, maiori alterum iustitia, vel temperantia præditum. Atqui quoties est maius, vel minus pro subiectorum varietate, summum aliquod, quod sit in omnibus istius generis præcipuum, admitti debet, cuius participatione cætera formam eãdem pro varia capacitate suscipiant; sic enim lumen se habet, quod in sole præcipuum est, & calor in igne; siccitas in terra, frigus in aqua, humor in aëre, & sic de cæteris, in quibus cum forma reperiatur in summo gradu, in reliquis diminuta est, eóque minor, quo longiùs ab illa principe recessit.

Virtutes nõ sunt æquales, sed vna maior est alia.

In quolibet summum aliquid quo modo ponitur.

Debet igitur admitti aliquis, in quo iustitia, & aliæ virtutes nullam imperfectionem includentes, sint in supremo gradu, vel secundum proprias formas, vel secũdum aliquid nobilius, & eminentius. Quem verò mihi Tullius assignabit, in quo iustitia & omnes aliæ virtutes supremum gradum obtineant, quo neque prudentior, neque iustior, neque fortior esse possit. Age Tulli aliquem in medium proferas; scio enim nullum afferri, aut excogitari posse, præter illud ens, in quo Macrobius virtutes exemplares agnouit; in quo nempe totius humanæ virtutis exemplar præexistit; Hoc autem ens Deus est, cuius ipsa mens prudentia; conuersio diuinæ intentionis ad ipsum Deum, temperantia; fortitudo, eius immutabilitas; obseruatio suæ legis æternæ, dum operatur, iustitia dici potest. Quarum virtutum beneficio, & participatione homo politicus se in rebus humanis præclarè gerit; ideóque vocantur in eo politicæ: qui rursus aliarum ope virtutum purgatoriarũ tendit in diuinam similitudinem, dum per prudentiam, omnia humana, diuinorũ intuitu, contemnit, & omnem animi cogitationem ad æterna dirigit; per temperantiam ea, quoad fieri potest, relinquit, quæ corporis vsus postulat; fortitudine veluti

Vrgetur Tullius Stoicus.

Quę virtutes exemplares sint in Deo.

Virtutes hominis politicæ, & purgatrices.

clypeo

clypeo armatus, neque propter excessum à corpore, neque propter accessum ad æterna timet, aut vllo modo terretur: per iustitiam toto animo huiuscemodi vijs intendit, quibus ad superna festinet.

Virtutes animi purgati. Denique vbi virtutes illas sibi comparauit, vel potiùs à Deo hausit, quæ purgati animi vocantur, prudens sola diuina intuetur; temperans cupiditates terrenas ignorat iustus cum diuino numine fœdere perpetuo sociatur, & fortis passiones ignorat.

O fœlices homines, qui tantum, tam bonum, tam beneficum, & potentem omnipotentem habent. O qui es omnipotens, & optimus, Atheos omnes ad te, qui veritas es, reuoca, & tenebras, quibus mens eorum obducitur, obsecro discute.

6. Absurdũ. Sunt & alia absurda, quæ nunquam Atheus concedet quæ tamen, nisi Deus admittatur, concedenda sunt; vt quod omnes causæ, quibus vnaquæque res producitur, ad hoc potiùs, quàm illud indiuiduum determinari, ac per consequens neque quidquam agere valeant, nisi Deus ad hoc potiùs, quàm illud indiuiduum illas determinet, illæ si quidem minimè curant, quale producant indiuiduum; hinc fit, vt Philosophi mirentur, cur hoc potiùs, quàm illud producatur, & in Deum refundat fidelis, cur sit potiùs hic homo, verbi gratia Petrus, quàm Paulus.

Opinio Atheorum. Rursus Deum Athei negant, quia sub sensus & experientiã eum minime cadere arbitrantur, & asserũt nihil esse præterquã quod aliquo sensu exploratur. Verùm si principium illud sequi velint,
7. vt nihil præter ea, quæ experimur atque sentimus, verũ esse, & existere putent, plurima eos negare oportet, quæ tamen hactenus concessere: Imprimis verò neque suam, neque vllius alterius, siue hominis, siue belluæ, siue plantæ animam videtunt vnquam, & tamen animam in illis omnibus esse fatentur; An aliquis eorum contemplatus est

Multa concedunt Athei, quæ non vidẽt. rerum essentias, substantiam, materiam, & formam? quis tamen illa omnia negauerit? sanè qui ea pernegare voluerit, quæ non videntur, omnia ferè negabit; nec enim ponderum grauitatem, neque virtutes magnetis, agarici &c. neque vllas qualitates specificas videmus, Quod si nonnulla tibi suppetant argumẽta ex coniecturis, & actionibus, quas exerunt; attolle, si potes, oculos, & ambitum terræ, cœlique motus, & astrorum lumen contẽplare, tunc enim omnes creaturæ tibi annuntiabunt se ab opifice æterno factas esse, quem ex tot operibus facilius est deprehendere, quàm substantiam ope accidentum, quàm animam ex quibuslibet animalis actionibus, quàm magnetis virtutem ex ferri attractione, & ad polum conuersione, quàm denique quodlibet occultum ex iis, quæ mundo continentur, licet multa sint aperta, ex quibus occultum illud coniicias, & assequaris.

8. Addo quod nullius rei rationem afferre possumus, si Deus è medio tollatur; etenim siue rei substantiam, siue accidentia spectaueris, tam interna quàm externa, quid respondebis, quando quis rogarit, cur hæc aut illa substantia facta sit; cur sunt 4. elementa; cur sol vnicus, vnica luna; cur tantæ, vel tantæ magnitudinis; cur luna mutuum

Deo ablato nullius rei rationem afferre possumus. lumen ab alio desumit; cur non sit terra maior, quando quidem non repugnat lunam terra maiorem fuisse: cur tot, & tantæ stellæ, belluæ, herbæ; cur mare terram minimè tegat, præsertim cùm id ex natura sua postulare videatur: cur terra hîc exurgat in montem, illic in vallem descendat: cur quinos digitos homo in vnaquaque manu, nõ senos, aut septenos habeat, & sexcenta id genus. Quorum rationem, quæ faciat satis nunquam Atheus reddere poterit: cùm tamen Theodidactus optimè recurrat ad omnium rerum autorem, qui pro voluntatis æternæ arbitrio quæcùmque videmus in elementis, atque cœlis perfectissimè creauit. Non ab re verò fuerit, si ea absurda subiunxerimus, quæ sextus Empiricus habet.

Nam si non sunt dij, ne religio quidem est solùm
ex virtutibus, ἐστι γὰρ ἐπιστήμη θεῶν θεραπείας, 9.
est enim religio scientia cultus deorum: eorum autem quæ non sunt, nullus potest esse cultus, vnde eius nulla erit scientia. Et vt fieri non potest, vt Hippocentaurorum colendorum vlla sit scientia, cum non sint Hippocentauri, ita nec colendi Dei vlla erit scientia, si non sit Deus. Quamobrem si non sit Deus, non est religio, igitur Deum esse dicendum est. Rursus si non est Deus, non est sanctitas, vt quæ sit erga Deum; est autem κατά τις ὁσίας, ἡ [illegible] ὁσιότης, igitur Deus sanctus est. Quod si non sit Deus, tollitur sapientia rerum diuinarum, & humanarum scientia, hoc absurdum est, igitur & absurdum est tollere Deũ. Cætera vide apud Empiricum.

Rursus magnum est incommodum, quod volens nolens sæpe patiaris violentissimos synderesis motus, quibus ad Deum cogitandum, & admittendum vrgeris; quis enim, Athee, quis in dubiũ reuocet te nõnulla habere dilucida interualla, 10.
cum neque phrenetici prorsus illis careant, in quibus lumen aliquod scintillat, & conscientia, atque lumen naturale si non concludit, saltem proponit, si Deus est, profectò pessimè mecum agetur, quippe qui nullum esse credo. Quid mihi noceat, si illum esse concessero, & credidero. Te te, tuamque propriam conscientiam appello, nunquid verissimum sit illud; licet eas cogitationes, ipsius naturæ semina, protinus excutias & obruas ne Deum Optimum Maximum, qui te licet renuentem vocat, admittere cogaris.

Hoc etiam absurdum subiungere possum, quod 11.
vbi Deum tollis, nihil relinquis te præstantius, atque adeo te veluti Deum, aut saltem æternum esse putas: nam si te nihil sit nobilius, vnde sumis originem? nunquid fuit aliquis homo primus, à quo descenderis? ille verò primus à quo factus est? quod si minimè productus fuit, igitur neque debuisti produci, cùm sis æque nobilis, vt pote eiusdem speciei: Cùm autem non neges te productum esse, neque etiam negare potes illum primum ab aliquo productum fuisse, qui non sit homo, sed homine præstantior, qualis præter Deum nullus est. Hæc est ergo maxima absurditas, quod tibi neminem præesse, te à nullo pendere velis, cùm non sit maior ratio, cur ab alio dependeas, quàm vel pater tuus, vel quiuis alius, vel etiam totus mundus, qui non magis habet, vt sit à se, quàm tu habeas. Quid si per alia velim incommoda progredi, quid si omnia ridicula, & absona numerare, quæ ex impijssima propositione, & opinione tua consequuntur? Quis enim illum sciendi appetitum explebit, cum quo te ipsa natura peperit? nunquid
eam meritò poteris, vt crudelem nouercam 12.
accusare, quæ tibi desiderium illud inseruerit, quod neque ipsa, neque alius quispiam ex-

plere possit? Apud te, obsecro, perpende, quænam scire cupias, quæ tamen nunquam scies, si naturam solam admiseris, quę cùm ex natura sua sub scientiam possint cadere, nec tamen ea sciant homines, aliquis profectò necessarius est, qui illa sciat, & qui eorum reuelatione desiderium nostrũ, sit expleturus. Verùm quid tamdiu stultos insectamur? cùm soli viris omnibus sapientissimis, atque doctissimis, qui vsquam floruere, sese opponant, & quod est in omnium prudentium confesso, quódque docent omnes creaturæ, in dubium reuocant, ac si toto mundo sapientiores essent; quod innuitur Prouer. 26. *Vidisti hominem sapientem sibi videri? magis illo spem habebit insipiens: & sapientior sibi piger videtur septem viris loquentibus sententias.*

Parum est nisi virtutum omnium finem tollerent, & omnia verterent susque deque: quos suis ipsorum verbis, atque concessis hîc capere velim.
13. Dicite, Athei, nunquid omne honestum est vtile, & omne turpe inutile? id enim vel ipsi Stoici facilè concedunt: adeout Tullius paradoxorum initio hanc veritatem Socraticam appellet; & in fine 1. Parad. concludat nihil esse aliud benè, & beatè viuere, nisi honestè, & rectè viuere. Iam verò posito quòd omne honestum vtile sit, cùm nulla forti viro, honeste pro patriæ defensione occumbenti vtilitas prouenire possit, si non esset alia ab hac vita, in qua immortalis proborum anima, condigna virtute præmia receptura sit, debemus consequenter asserere, esse aliam ab hac vitam, in qua probi virtutis suæ præmia reposita habeant, quod tanta cum certitudine asseri debet, quanta omne honestum, vtile esse omnes affirmant. Atqui si cum corpore interiret anima, quam vtilitatem ex sua virtute, & honestate caperet is, qui pro patria moritur? nullam profectò: nam qui non est ampliùs, & omnino perijt, nullius est capax vtilitatis quandoquidem prius est esse, quàm quid vtile capere: Igitur nullam vtilitatem ex sua virtute capiet, qui pro Repub. moritur, si à morte nihil est. Si verò post obitum anima superest, & præmium excipiat, à quo nisi à Deo? sine quo ne quidem virtutis nomen residuum erit.

Omitto quòd ablata Dei opinione, nulla Respublica salua, & incolumis permanere possit; quòd omnia commercia cessatura sint; cædes, rapinæ, &
14. omne genus scelerum regnatura; quòd virtus omnis peritura sit, adeout homines longè belluis peiores sint euasuri: cùm enim Dei nullo timore, vel amore, & reuerentia afficiantur, quid vetabit, quominus in omne facinus, in omnia scelera sese prorsus effundant? Apage monstra huiusceemodi, quæ mundum ita perturbent, & omnia susque deque vertant. Apage tenebriones istos, & infãdas noctuas luce solis indignissimas. Quos porcorum instar grunnientes audire mihi videor, dum aiunt se honeste, recteque viuere, adeout hanc vitam beatè traducere videantur, cùm rationis ductum, atque lumen in omnibus sequuntur, nec vanis alicuius diuinitatis, vel Dei iudicis terriculamentis, sed pura, putáque virtutis honestate ducuntur. Sic enim blasphemi homines mille rotis dignissimi garriunt, sic insaniunt, ita furunt.

Qui sanè nusquam audiendi sunt; licet enim eos virtutis specimen præ se ferre videas, & virtutem, ob solam, quæ in ea latet, honestatem, eos amplecti arbitreris, minimè res ita se habet; enimuero ambitionis occultæ, & vanitatis oestro perciti in illos actus speciem virtutis habentes feruntur, adeout reuera filij sint huius sæculi, filij tenebrarum, qui omnia in suam laudem, & gloriam referunt, quantúmcúque contrarium verbis exprimant, atque fingant. Sic enim eos passim audire potes, cum aiunt se nihil contra suam conscientiam facere, se lumen rationis in omnibus sequi; se malle mori, quàm peierare, quàm vllum velle decipere. At reuera mentiuntur, nec enim existima te vllum vnquam hominem Atheo peiorem inuenturum, quod exemplo Vanini Atheorum Cæsaris testatum facere possumus, qui ne læcator existimaretur, κατηγορίστης esse maluit, licet aliquando nomen suum alicui sanctissimæ religiosorum congregationi dedisset, quæ statim illum, vt verum monstrum euomuit. Vnde verissimum existima, quod propheta regius de huiuscemodi perfidis asseruit Psal. 52. *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studijs suis, nõ est qui faciat bonum:* nec enim vllum est bonum, nisi ex integra causa: cùm igitur illi in suis actibus ad finem præposterum colliment, quandoquidem in seipsos omnia referunt, necesse est id quod peragunt, impium esse, & prorsus inutile: quod etiam penetrauit regius propheta; *Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt.* Quos ideò magistratus, & iudices è medio tollere debent, quantum possunt, ne detestandi illi totum mundum reddant inutilem, eiusque vsum peruertant, vt nuper Tholosani Vaninum sustulerunt. Etenim mundi vsus, & finis esse debet, vt totus, quantus quantus est, in gloriam Dei referatur; qui cùm rationis defectu seipsum ad Dei gloriam dirigere non possit, id nobis omnibus faciundum incumbit, vt nobis mediantibus omnia ad maiorem Dei gloriam exurgant, & quæcumque habuerint accepta Deo ferant. Hinc fit, vt statim atque creaturam aliquam in nostrum honorem, aut gloriam, velut in vltimum finem dirigimus, illam penitus inutilem reddamus.

Filij huius sæculi sapientiores in apparentia filijs lucis.

Strophæ Atheorum.

Notatur Vanini flagitium.

Psal. 52.

Qualis mundi vsus, & finis.

Officium hominis.

Itaque caueat vnusquisque, ne decipiatur ab Atheis, quos vbi iudicaueris impios, & abominabiles, nunquam errabis, quicquid dixerint, vel fecerint, vt vel tibi, vel alijs, vel sibi placeant, reuera enim *vani filij hominum, mendaces filij hominum in stateris, vt decipiant ipsi de vanitate in idipsum,* vt notat Psaltes, Psal. 10. vnam stateram in lingua, atque verbis ferunt, aliam in corde retinent.

Psal. 10.

Cuius deceptionis, atque vanæ ostentationis exemplum non solùm in Atheis, verùm etiam in hæreticis videre est, qui sæpius virtuti magis incumbere videntur, quàm Catholici; sed vbi fraudem, & technas detegis, Deus bone, quàm vitiosi deprehenduntur, quàm impij, quanta, & quàm horrenda naturæ monstra, qui virtutis speciem induunt, vt ipsam virtutem extinguant. Quod luculento possem exemplo nuper mihi relato confirmare, quod duos fratres Caluinistas exhibet, qui licet à decennio litem inter se dirimant, attamen ambos eadem domus noctu, eadẽ stragula, eadem lintea operiunt, hospes vnus, vna mensa excipit; vnus cibus pascit; ibi nulla querimonia, nulla iniuria, contumelia nulla. Vnoquoque die salutationem mutuam reciprocant, nescio an mutuum inferant pacis osculum.

Exemplum duorum Caluinistarũ insignis imposturæ.

Ad hæc quid respondeas? quid cogites? quis non demiretur, quis non obstupescat? cuius pedes non

commoueantur? Verumtamen stopham attolle, facilè deprehendes venenum aspidum insanabile sub labiis illorum: fingunt virtutem, charitatem amplecti videntur, sed ob vanam gloriam, quæ ita illos excæcat, vt videntes non videant. Quantum enim glorientur, quod insigni virtute præditi habeantur, facilè indicant, qui illos nouere. Adde quod cacodæmon mentis hæreticæ perstringit aciem, vt dum hæretici virtutem adeo strenuè colere videãtur, hoc aucupio Catholicos viros capiãt, & auertant à vera religione, Deique cultu legitimo; cùm tamen Deus Optimus non rarò id auertat, & efficiat, vt aliqui ob Catholicorum mores peruersos, & scelera, non quidem religionem Catholicam auersentur, sed potiùs illam amplectantur, vel in ea retineantur: sic enim optimè philosophantur; impossibile sanè videtur homines tam impios religionem vllam retinere, nisi illa religio, illéque cultus, quo Deum prosequuntur, verus sit, & legitimus, vt ipsa veritas seipsam tueatur, in tot impiorum medio gloriosa triumphet, & omne genus malitiæ superet; cũ tamen si falsa esset, iamdiu perire debuerit. In quo magnam Dei prouidentiam suspicere debemus, qui cùm nos iustè ob tantas iniquitates relinquere posset, in veritatis, veræque religionis gratiam, summam illam patientiam, & longanimitatem exercet.

Bonum ex malitia quomodo Deus eliciat.

Adde tamen non esse, quod vsque adeo hæreticos admiremur animo inter se pacato esse posse, dum apud iudices causam agunt, cùm illud satis frequens sit inter multos Catholicos, qui nullam propria authoritate vindictam reposcunt, sed iudici committunt omnia. Verùm de his fusiùs alibi.

Ad Atheos redeo, quibus absurda noua obiicio. Certum est boni alicuius affirmationem illius priuationi, seu negationi anteponendam esse, atqui bonum aliquod asserit, qui Deum esse ait, quod ille tollit qui minimè Deum esse credit, igitur ille qui credit, non credenti præferendus est: ille enim bonum aliquod infinitum affirmat, iste nihil asserit, est autem melius bonum illud, quàm nihil: à quo veluti nihil fiunt, quicúmque pro Deo nihil admittunt, sine quo nihil esse potest. Hinc fit vt Atheismus sit mera priuatio, merúmque nihil.

Absurdum aliud. 15.

Quanta obsecro delectatione afficeris, dum immensi illius boni cogitatione recreas animum: quale gaudium, vbi credis opera tua præmium immensum acceptura; cùm Deo accepta esse credis, qui nihil virtute præditum. Sine præmio relinquit; qualis consolatio, dum in aduersis, dum in morbis Deum esse credis, qui tibi adsit, tibique laurum offerat, si ea patienter sustinueris. O quantum bonum, quòd Deum habeas, qui te, statim atque vis aliquid turpe cõmittere, secretò, atque benignè arguat, tibique ruinam è scelere futuram ostendat, vt à vitio reuoceris; qui, vbi malè feceris, te ad pœnitentiam hortetur, & expectet, tibique pœnitenti libentissimè veniam indulgeat. Denique nulla est actio, quam in tota vita exerceamus, in qua Deus non sit nobis necessarius, iucundus, & vtilis, si contemplemur mirabilem illum ordinem prouidentiæ, quo nos ad finem dirigit, atque gubernat, adeout omnia nobis necessaria prouideat.

Commoda quæ sequũtur, dum admittitur Deus.

Quod si Deum tollis, cui deinceps animus hominis innitetur? quas versabit cogitationes se dignas, quænam aderit voluptas in humanis actibus præter belluinam, quænam in aduersis consolatio? qua consideratione desperationem ex diutinis morbis, & tormentis ingruentem superabimus? Profectò mundus Cimmeriis obsitus tenebris non adeo horridus, terra sine luce solis, sine plantis, sine animalibus, sine quolibet ornamento non adeo ingrata est, ac anima, quæ nullum Deum esse credit; quem fateri, atque credere tantum refert, vt omnes diuinum numen admittere debeant, licet illud foret incertum, nec Deum esse rationes vllæ suaderent, tuncque singuli lapidem omnem deberent mouere, vt sibi ipsis Deum esse persuaderent vt læti, atque contenti degerent.

Incommoda quæ sequũtur eos, qui Deum tollunt.

Nullum esse potest periculum quod Deus admittatur.

Age igitur, Athee, illam nullius Dei præposteram cogitationem excute; quid enim ex priuatione, quid ex negatione, ex nihilo, quid pro viribus astruis, quid potes vtilitatis decerpere. Elige certum, & verissimum, elige optimum; & incertum, falsissimum, atque pessimum relinque, nec enim vllus vnquã te excusatum habebit, quod deteriora secutus fueris, sic enim aduersus vtilitatem tuã, aduersus ipsam naturam dimicas; at nemo te arguet, quod fueris meliora complexus, quod iucundius, & vtilius elegeris, quale est Deum credere: qui tametsi nullus esset, nihil inde incommodi sequetur, quod eum credideris; saltem enim ea durante cogitatione tuus animus recreatus fuerit, ac vitam iucundè traduxeris, nec te pœnitebit vnquam de huiuscemodi credulitate. Vbi si non credideris eum, vide, amabo, quæ te pericula, quæ tormenta maneant, etenim nullam excusationem prętendere potes, quandoquidem omnia Deum esse altissimè prædicant, vt ostensum est hactenus.

Instruitur Atheus.

Scio nolle Atheos Deum credere, & quicquid possunt efficere, vt hanc è mente sua cogitationem expellant, ac prorsus extinguant, ne cùm scelera perpetrarunt, diuini iudicij terrore corripiantur. Sed frustra, tum quia non ita cogitationem illam excutere possunt, quin aliquando saltem in magnis periculis, in morte præsertim sese ingerãt; tum quia Deum sibi fingunt crudelem, quod falsum est, quippe qui summè misericors est; nec veræ religionis lumen tua scelera detegit, vel arguit, vt te cruciet, sed vulnus aperit, vt persanet; statim enim atque peccatum tuum detestaris, quam admirabiliter immensa Dei benignitas, quæ tibi parcit, & conscientiæ stimulis omnino sublatis tranquillum animum tibi restituit.

Atheos cogitationem de Deo excutere.

Ne ergo, Athee, Deum vt crudelem, & tetricum apprehendas, hæc enim cogitatio tam Deo, quàm homine indigna est, sed animum erige, peccata tua defleas tantùm, & deinceps de diuina maiestate sublimiùs aliquid cogita; contemplare, quomodo Deus beatos summa lætitia repleat; quod nullum malum nobis inferre, sed omne concedere velit; cogita te iam degustare debere nonnihil istius gaudij, quo beati perfruuntur: siquidem impiorum, & damnatorum est, illa tristitia horrenda, & tetrica cõfici. Qui Deum verè colunt, vultum exhilaratum habent, nec ij qui contemplantur diuini numinis essentiam, animo turbato esse possunt, sed pacato, atque quieto: etenim vera religio magnum affert oblectamentum. Atheorum, sortilegorum, atque impiorum est tetricis illis cogitationibus affici; fideles verò magna lætitia replentur, quod vero Deo tam excellenti, tam bono, & in omni genere infinito deseruiant, cui seruire, regnare est. Hi enim sunt veræ religionis proprietates, quòd Deo gloriam tribuat, & homini pacem afferat, iuxta id ab Angelo decantatum in Christi Domini natiuitate. Glo-

Inuitatur Atheus, vt Deum rectè apprehendat.

Delectatio eorum qui Deo seruiunt, qualis sit.

ria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

Qualis sit Dei cultus.

Dei verus cultus perpetuò festiuus est, iucundissimus est, & secum non solùm maximam lætitiam, verum etiam magnam vtilitatem aduehit. Ille enim est vera animi nobilitas, verum decus, & ornamentum; ille est paradisus in spe, in quo quidem timor nullus est, qui torqueat, sed filialis, & reuerentialis, qui cum summa filiorum Dei libertate, & amore Dei rectè quadrat, quem potiùs amorem, quàm timorem appellato. Macte igitur animi virtute, ne te deinceps horror vllus veræ religionis, ne timor vllus à diuini numinis cõfessione deterreat.

Exhortatio ad Atheos.

Nec mihi plurima peccata, quibus adhæres, plurima vitia, in quæ pronus es, longum tempus, quod in Atheismo miser impendisti, non pudorem, quo suffundi times, si te socij errorem antiquum abiecisse nouerint, téque propterea irriserint, nec alia quæpiam obieceris, enimuero hæc omnia citò euanescent, téque maxima consolatio, summáque fœlicitas consequetur. Tantummodo te pœniteat, quod hucusque tam detestando errore implicitus fueris; nec deinceps ad eum reuertaris, sed Deum Opt. Max. verè colas; quod si feceris summam tibi lætitiam, omnia prospera, & infinitam beatitatem polliceor.

Vt autem viam faciliorem inuenire possis, Opticam offero, quæ lumine suo te ad veritatis portum, veríque Dei cultum adducat; quippe quæ tibi suggeret eá, quæ nusquam ab alio, nisi à Deo accepta, vel facta fuisse concedes; quapropter sequentem rationem attentè perlege, qua proficias, maximè velim, vt illius pulcherrimæ Opticæ fias particeps, quæ beatos expectat in patria.

RATIO XXXIII.

Sumitur ex optica in qua tamen habes plurima omnino pulchra, quæ ad Astronomiam, Geometriam, & Arithmeticam pertinent.

Laudes oculi.

QVid mirum si omnes pretiosissimam corporis partem oculos esse censeant, quæ lucis vsum vitam à morte distinguat, cùm scientiam cæterarum veluti scientiarum lumen, videlicet opticam sibi meritò adsciscant; hinc rectè Galenus dixit oculum idem esse in homine, quod sol in vniuerso; & apud Ægyptios oculus sceptro superpositus principis erat Hieroglyphicum, Idéoque Corinthij 3 oculos statuæ Iouis tribuerant, vt triplex eius imperium, vel triplicem prouidentiam significarent, vt refert Pausanias in Corinthiacis. Profectò si quis oculi laudes prosequi velit, amplissima laudis seges aderit, quandoquidem illis ipsa Philosophia debetur, teste Platone, & Philone de legibus specialibus: rerum enim cognitionem, & plures differentias ostendunt 1. metaph. cap. 1. hinc Aphrodiseus oculos τῆς ψυχῆς κανόνας dixit: quibus, innuente Hippocr. 6 epidim. tota Ophtalmoscopia nititur, vt enim, inquit, oculi valent, sic ipsa persona, nam facultatum principem reddunt aspectabilem, aut earum infirmitatem produnt.

Galenus.

Pausanias.

Philo.

Aphrodiseus.

Hippocrates.

Eapropter inter omnes sensus primatum obtinuere, quandoquidem rerum maiorem varietatem animo repræsentant, modum habent agendi nobiliorem, præstantius obiectum, & maiorem actionis certitudinem: vt verò plurimas oculos prærogatiuas omittam, non ab re quidam oculos cum ipso intellectu conferunt, vt enim hic rerum ideas absque materiæ contagione suscipit, sic illi speciebus intentionalibus, quæ sunt veluti spirituales, tantummodo afficiuntur: vt intellectus, simul duo contraria comprehendit, & verum à falso distinguit, ita oculi eodem instanti nigrum, & album diiudicant, adeout ex vnius contrarij perceptione, non impediantur à perfecta cognitione alterius; adde quod oculi quandam libertatis speciem præ se ferre videantur, quæ non ita cernitur in alijs sensibus, quandoquidem aures perpetuò sunt patulæ, sicut & nares, & tactus oculos verò pro libito claudimus.

Oculi cum intellectu conferuntur.

At in præsenti laudes oculorum non pluribus persequor, illa ὄμματα ψυχῆς, illa microcosmi lumina, & fulgentia sydera, diuinissimam Platoni partem, Orpheo naturæ speculum, portas solis Hesychio, Alexandro fenestras animi, solarem animi particulam Galeno, hominis formam Theophrasto, vitæ finem Anaxagoræ tam Philosophis, quam medicis relinquo. De quibus tamen, vt de Opticæ instrumentis pauca dicenda fuere; In quibus non desunt mirabiles proportiones, nam aquei humoris ad chrystallinum proportionem sesquitertiam Scheinerus se reperisse ait, l. 1. fundam. Optic. c. 7. & inter vitreum & chrystallinum fortasse duplã reperire est. Nec in dubium reuoco corneam, sclerodem, vueam, choroidem, araneam, hyaloidem, & retinam certas inter se proportiones obseruare, si quis eas inuestigare possit: hinc author, qui supra, vbi corneam è tribus membranis adnata, sclerode, & aranea constantem vnguis humani quasi duplam esse dixit, diametrum circuli concauæ corneæ subtensi, diametri concauæ subsesquiseptimam asserit, sicut & diametrum Sclerodis duplam esse aut duplam sesquisextam diametri corneæ.

Quid sint oculi iuxta varios authores.

Scheiner. Proportio tunicarum oculi.

Sanè in cæteris tunicis, & oculi partibus plurimas alias proportiones reperiri posse non dubito, si quis attentiùs illas considerarit. Iam verò ad Opticã omnino mirabilem accedamus, cuius obiectũ non est aliud, quã totus mundus quantus, quantus est; nam siue infra, siue supra, siue ad dextram, aut ad sinistram aspexeris, nihil latet Opticam: omnia comprehendit, singula disquirit, omnia iudicat, quãdoquidem nihil est in terra, vel cœlo, quod vel colore, vel luce non perfundatur. In eo verò constat opticam admirabilem esse, quod eius beneficio scientiæ omnes inuentæ videantur; vnde enim astronomia, vnde physica, vnde omnia, quæ intellectu comprehenduntur, nisi quia ea suggessit Optica, quæ rerum omnium rationes affert, cur hoc, & illud tam in cœlo, quàm in terra, hac, & illa ratione contingat.

Sine qua Architecti in crassos errores impingunt,

Quantum omnes ar-

tifices Optica egeāt.

gunt, dum scaporum cum basibus, superiorum ordinum cum inferioribus, proiecturarum, & intercolunimorum symmetriam non obseruant, sine qua priores plerumque sese ridiculos ostendunt, dum hominis longissimè à nobis distantis pilos ita depingunt, vt ipsa oculorum cilia, & capillos numerare possis, & fagum, ac platanum ex fronde discernas; sine qua nihil domi, foris nihil esse potest, quod placeat: sine qua, quid obsecro castrorum metatores, exploratores in speculis, excubitores in vigiliis; in poscendis tesseris circitores præstare valent? Quam velut Astronomiæ viam Oryge picto Ægyptij indicarunt; quam ita ad omnia vtilem, & necessariam esse, vel domi videant Lamiæ, atque ipse vno oculo Polyphemus; adeout ius ciuile glossa L. cæcus ff. de iudiciis, cæcis interdixerit magistratum postulare, & in cōtrouersiam vocatum fuerit, an Metellus vir alioquin insignis sacerdotio priuandus esset, cùm amisisset oculos licet religionis ergo, teste Seneca controuer. 2. dum Palladium ex æde Vestæ raperet, quibus satis ostēdebant eum neque magistratu, neque sacerdotio dignum videri, qui Opticæ vacare non potest. Sic etiam illum Optica scientia indignum existimarūt, qui scelus aliquod perpetrasset, hinc enim illa Luscij ad populum lata rogatio; vt qui oculum sciēs, & volens effodisset, ipse vtróque oculo orbaretur; Hinc etiam Zaleucus Locrensium legislator aduersus adulteros seuerissimum supplicium edixit vtriusque oculi extractionem, licet filio in adulterio deprehenso permiserit vnicum euelli, sibi verò alterum. Et quidem optimè, nec enim lucis vsura digni sunt, qui brutorum instar pecuinis animæ passionibus sese permittunt.

Pictura Ægyptiorum.

Seneca.

Luscij rogatio.

Zaleuci lex aduersus adulteros.

Omitto seruum illum, cuius oculum eruerat Imperator Adrianus, cuius ira cum deferbuisset, & seruum rogaret, quidnam sibi pro eruto oculo rependi vellet, suum oculum sibi reddi respondit, cuius iacturam nullum munus æquare possit; oculis siquidem ablatis præstantissimam illam Opticam amittimus, qua cum Tobias destitutus esset, dicebat. *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cæli non video*; Lucis enim vsu vita distinguitur à morte, inquit Plinius l. 11. ca. 37. Ideóque non immeritò Marcellus Syracusas euersurus ante ciuium sanguinem suas vrbi lachrymas impendit, teste Aug. 1. de ciuit. ca. 6. quòd Opticam Archimedeam periisse videret.

Tobiæ 5.
Plinius.

August.

Vt verò propiùs rem nostram aggrediamur, facilè quis animaduertet esse aliquid præter aspectabilia, quod nos ad se rapiat; etenim mundum hunc elementarem non esse perpetuum hominum domicilium ex eo constat, quod si in cœlum vultum erigimus, totum illud, quod inter cœlum, & terram intercedit, inoffenso obtutu perlustremus, nec enim hebescit acies remotissimorum syderum interuallo; si verò horizontem versus oculos intendimus, breui terrarum intercapedine acies absumpitur, & summum] Geometræ aiunt, si 40 millia visu complectamur, quod accuratè discutiam ad comma 14. cap. 13. Genes. subiecta verò humiliùs loca, si profundiùs dehiscant, nequidem conantes videre possumus. Ex quibus mihi concludendum esse videtur homines non vt terræ, sed vt immensæ alicuius patriæ incolas creatos fuisse, adeout is, qui genus hominum condidit, desiderium ardentissimum inseuerit, quoad melius domicilium aspicerent, & illuc pro viribus tenderent iuxta id:

Optica ostēdit cœlum esse patriam nostram.

Pronáque cùm spectent animantia cætera terram.
Os homini sublime dedit, cælúmque tueri
Iussit, & erectos ad sydera tollere vultus.

Quod & illi insinuasse videntur, qui per oculos iurabant, iuxta Plaut. in Menæch. si voltis per oculos iurare, & qui morientibus quidem oculos operibant, sed in rogo patefaciebant, idque Quiritum ritu, teste Plin. vbi suprà, vt neque ab homine supremum eos spectare fas sit, & cœlos non ostendi nefas.

Plautus.

Quocumque verò spectemus, nemo est, qui non fateatur nos etiam longiùs prospectare posse. Si maius aliquod, quàm stellarum à terra spatium concedatur, quapropter videndi facultas neque vim vltimam exerit, neque vltimo perficitur actu, ad quem tamen nata esse videtur. At verò potentię cuilibet, vt iam sæpe dictum est, conueniens obiectum assignari debet, quod ei correspondeat, adeout quantum illa, tantumdem istud extēdatur, quod cùm neque in hoc mundo elementari, neq; in cælis istis visibilibus inueniatur, prorsus concedendū est, aliud esse spatium, illudque tantum, vt oculi capacitatem, & totius Opticæ amplitudinem explere possit, quod nos cœlum Empyreum latissimam beatorum ciuitatem esse dicimus.

Optica mundum alium nobis inquirēdum esse hortatur.

Neque mihi dixeris idem argumentum pro bellluarum oculis ex æquo militare, quandoquidem omnia animalia propter hominem facta sunt, & in homine velut in centro, & breui, pretioso tamen compendio, singulæ mundi partes, & species, elementa mixta, plantæ animalia concurrunt, & coadunantur, ac si Deus mundum hunc solùm condidisset, vt illum postea magnæ cuiusdam tabellæ instar in homine velut in annuli obstrigilla repræsentaret.

Optica præ reliquis scientiis id habet, vt nos ad altissimas contemplationes prouehat, nam suo triplici radio, directo, reflexo, atq; refracto triplicem nobis cognitionem innuit, qua Deum homines agnoscere possunt; directus siquidem, quo noster oculus in obiectum intendit, cognitionem illam refert, qua beati præsentem Deum facie ad faciem contemplantur, eūque vident, sicuti est: repercusso verò radio, quo è speculis rerum imagines ad nos reuertuntur, nō est absimilis illa Dei cognitio, qua per fidem, velut per speculum, & in ęnigmate illum videmus, atque procul intuemur, iuxta id Iobi. c. 36. vers. 25. *Omnes homines vident eum, vnusquisque intuetur procul.* Denique radius infractus, quo res quidē cernimus, sed tantùm, vbi rerum species per dissimilia diaphana transmissæ sunt, & velut deformatæ, nobis illam Gentilium cognitionem repræsentat, qua Deum agnouerunt, sed istam notionem multis erroribus vitiarunt.

Tres Opticę radij triplicem cognitionem, quam de Deo habemus referunt.

Iob. 36.

In immensum abiero, si quæpiam Opticæ mirabilia patefacere velim, quorum singula demonstrēt nos altiùs originem duxisse, & post huiusce vitæ curriculum aliquid superesse, quò progrediendum sit; enimuero siue radij Optici, siue horopteris proprietates contempleris, siue in rerum omnium magnitudinem, distantiam, figuram, situm, locū, continuitatem, discretionem, numerum, motum, quietem, quæ sunt communia Opticæ obiecta, siue in oculorum hallucinationes, & illusiones, luminosi, & Opaci naturā, profusionem, concursum, occursum, illapsum, vmbram, & traiectū, luminū, siue in omne proiectionis genus, ortographicen, stereographicen, & scenographicen oculos conieceris, reperies illa omnia tibi perfectè non satisfacere, at-

Varia numerantur, quæ docet Optica.

que adeò concludes aliquid præter aspectabilia mundi istius esse debere, quibus tibi per omnia satisfieri possit.

Ex ignoratione multorum quæ sub Optica concluduntur, infertur Deum esse.

Adde quod ea, quæ pertinent ad Catoptricam, præsertim qua specula conuexa, & caua spectat, & quę in Dioptrica quæruntur, quales sunt diuersi refractionis modi, & dioptrarum genus perfectum, quo res etiam immani interuallo distantes, & extra vim aspectus constitutæ, tantæ, quantum fieri potest videantur, tantas difficultates inuoluãt, vt nemo sit, qui has aperire valeat. Scio quidem tubos diopricos fabricari, quibus non tãtùm aliquã turrim, quam oculi viribus cernere nequeas, sed & stellas plurimas detegant Optici, & Astronomi, quas alioqui videre non possent, vt ex variis experimentis tam Galilæi, quàm aliorum, quę iampridem in lucem prodierunt, manifestum est, sed quotquot mathematica sapiunt, omnes fatentur nondum lineam, & figuram ab Opticis inuentam esse, quæ obiectum tantum ostendat, quantum fieri potest, itaut exempli gratia sol, luna, vel stella sub angulo recto, vel quo possunt maximo conspiciatur; quod cùm non repugnet, & id magno adiumento futurum, atque ingentem oblectationem allaturum sit, atque ad Opticæ perfectionem spectet, vt illud sibi possibile ad praxim redigat, nemini dubium esse potest, aut debet, aliquem omni homine superiorem esse, in quo perfectissima Optica reperiatur, à qua nostra, quantulacumque proficiscatur, quique nos eam perfectè docturus sit, vt beatorum etiam naturale desiderium expleat.

4 Lineæ excellẽtes.

Hæc sunt in Optica difficillima.

Nec enim, credo, homines vnquam poterunt vlla ratione facere, vt Optica pyramis, sub qua stella videtur, conum rectum, aut prope rectum efficiat, quacumque tãdem figura chrystallum, vitrum, aut aliud quodcumque diaphanum fabri[illegible]ent, siue illa parabolica sit, siue elliptica, siue hy[illegible]bolica, siue anaclastica: séque potiùs à Lacedæ[illegible]onum scytala, literis Ephesiis, notis Tironis, & nodo Gorgonio expedient, quàm ab illius lineæ difficultate, quę vel obiecta, quantum fieri potest magna, licet in immensum distantia per infractos radios oculis imprimat, vel in quodlibet spatium ignem per reflexos immittat. Quæ tamen omnia cùm ab vnoquoque fieri posse concedantur, neque limites Opticæ transiliant, aliquis necessariò admittendus est, qui hæc omnia sciat, & fabricare valeat, quem nos Deum esse contendimus.

De axe Optico.

Contemplare, obsecro, Perspectiuæ industriam, quomodo suum axem opticum in oculi centro ita constituit, vt sicut in axe rotarum maximum robur inest, ita omnium radiorum acerrimus, & viuacissimus existat, adeout res nusquã clariùs, perfectiusque videri possit, quàm vbi axe attingitur; hic enim à cæteris radiis stipatus fouetur, vt meritò rex dici mereatur. Aspice radium hunc, quã optimè mundi referat axem, vt enim hic per maioris

Oculus mundo cõparatur.

mundi centrum, sic ille per centrum oculi transit; hinc fit, vt oculus sit maioris mundi quædam similitudo, in qua crystalloides terram; tunicæ cœlos; septem motus, quibus musculis 7 agitatur, motus 7 cœlorum planetariorum referunt; quatuor enim recti sursum, deorsum, dextrorsum, atque sinistrorsum mouent; duo verò obliquè positi illum circumagunt, septimus obtutum figit: Nullus tamen retrorsum, vel antrorsum mouet, quia vis motiua data est, vt ad obiectum accedamus.

7 musculi in oculo.

Nouum autem ex eo depromo argumentum, vt Deum esse probem, quod præstantior Opticæ pars circa cœlestia versetur: solis, & stellarum motus, magnitudines, & distantias comprehendat: verum motum, à medio, & apparenti discernat: συζυγίας, & parallaxes constituat, vel indicet; σχηματισμοὺς omnes accuratè notet; planetarum nodos ascendẽtes & descendentes, his characteribus ☊ ☋ designatos: epicyclos, eccentricitates, apogæa, & perigæa, horumque deferentes, longitudinem, latitudinem, declinationem, altitudinem, ascensiones, & descensiones tam rectas, quàm obliquas perfectè cognoscat: omnia denique, quæ de cœlo nouimus, ipsa suggerat, & ad nos veluti transferat. Quæ omnia schematibus aperirem, nisi ad alia properandum esset. Quod si præsertim de cœlis agat optica, atque maiori afficiatur oblectamento, dum oculos tollit ad sydera, cur Athei non concludũt Opticos aliquando domicilium istud, in cœleste mutaturos esse? cur non inferunt syderum, & Opticæ patrem, & authorem esse, qui cœlos hominũ obiiciat oculis, vt dum cœlestes astrorum radios, & tantã cœlorum pulchritudinem aspiciunt, horum omnium conditorem venerentur, suspiciant, & adorent: Quorsum, amabo, tam immane spatium, quod ab astris ad nos vsque intercedit, Optica tam facilè metitur, nisi quia omnia illa spatia præteruolare debet? alioquin, quæ supra nos, quid ad nos? Vnde tam ardens appetitus nobis insitus est, quo omnia cœlestia phœnomena, & quæcunque ad cœlestia pertinent, scire desideramus, nisi quia nobis illuc aliquando progrediendum est? Quod cùm propriis viribus nulla ratione possimus, necessariò concedendus, & supponendus est aliquis, qui & illum appetitum nostris mentibus, & oculis inseruerit, & eundem ex omni parte expleturus sit.

Quidnam Optica faciat in rebus Astrologicis.

Vrgentur Athei.

Ne verò probationem istam absque delectatione finiamus, placet vno, aut altero grammatismo demonstrare, quid Optica conferat, & quanti sit momenti, vt cœlestia percipiamus. Vbi inter infinita pulcherrimum illud problema eligo, quo demonstrem, quanta sit lunæ, atque solis à terræ centro distantia; quo etiam parallaxis, & eccentricitas, aliaque plurima explicari poterunt; sit ergo diagramma sequens, plurima ex dictis manifestabit.

In quo



Terræ semidiametrum & circunferetia.

Excentricus solis.

Vbi sit centrum solis.

Locus apparens, & verus solis, quid.

Linea veri, & medij motus

Vbi, & quādo nobis sol celeriùs moueri videatur.

In quo plurima sunt, quæ contemplari possimus. Imprimis verò supponendum est ex alibi demonstrandis, à centro A vsque ad superficiem B semidiametrum terræ extendi, quæ leucas trium milliarium, quales Frācicas constituo 7200 in circuitu habet: circulus α, G, β, H solis excentricum refert, quo sol continuò fertur: superior verò circulus cœlum octauum. Clarum est autem partem illam excentrici G α H maiorem esse, minorem verò partem G β H, quia eccentricus solis aliud à terra centrum habet, quod est in B, adeout solis eccentricitas sit linea A B; hinc fit vt eum sæpius in loco paulo quam par est inferiori cernamus, vnde parallaxis generatur, quæ semper astrum ostendit inferius, quàm sit, sicut refractio altius, vt suo loco dicetur.

Quod in isto schemate constat, in quo si quispiam in B positus solem in D positum conspiciat, videbit eum in F, vbi locus apparens constituitur, cum tamen verus locus in E constituendus sit, vt patet ex linea A D E, quæ est linea veri motus, verique loci. Quibus suppositis rationem affero, quā Apogæum, & eccentricitas solis, ac proinde perigæum demonstretur. Vbi proficiet aduertere, non esse mirū, si respectu nostri sol in parte G β H celeri⁹, quā in reliqua superiori parte moueri videatur, cùm tunc minus distet à nobis, quia est in parte inferiori eccentrici. In illa verò ab Æquinoctio verno, quod iam circa 21 Martij contingit, vsq; ad autumnale diebus 186 horis 18 ½ versatur: diebus verò reliquis annum perficientibus in alia parte mouetur, nempe diebus 178 & horis vndecim cum ½.

Quot diebus sit in parte superiori eccētrici.

Vbi sit apogæum.

Quid sit prostaphæresis.

Quot minuta sol in apogæo, medio, & perigæo conficiat.

Quid sit motus medius, seu æqualis solis, & vnde numerari debeat.

Vnde sumantur longitudines, latitudines & declinationes stellarum.

Est autē solis apogæū in α, perigæū in β; æquinoctia nobis fiūt in G H. Ex quibus alia plurima poteris intelligere, quæ ad solis anomaliā, atq; ad prostaphereses attinent. Enimuero motuum solis inæqualitas ex ea profluit; ideóque enim prope Apogæum, quod iam in 6 gradu Cancri statuunt, motus illius tardissimus apparet, & solū 57' & 5" quotidie mouetur: quādo verò cernitur in perigæo, minuta 61', & 21"; denique si æqualiter ab apogæo, & perigæo distet, vt in G, & H, æqualem motum habet, quem alij diatiū appellant: vnde astronomi medios solis motus enumerare solēt, adeout velint, facilitatis ergo, motum solis singulis diebus æqualem esse; qui prodibit si 360 gradus Zodiaci, quos sol peragat, per 365 dies horas 5, 48'. 45" diuiserimus: hæc enim est vera quantitas anni; quoties enim pro quolibet die 59'. 8". 10' &c. prodibet. Hic motus diurnus ab ♈ initio numerandus est, vnde & motus longitudinis appellatur, quādoquidē syderum lōgitudines sumūtur à primo gradu ♈,

ſicut declinationes ab æquatore, & latitudines ab ecliptica (eo ferè modo quo longitudines ciuitatum in Geopraphia ſumuntur à primo Meridiano verſus Canarias ſito, & latitudines ab æquatore)



Exempli gratia ſit ♈ prope G in noſtra figura: ſtella, vel planeta, qui illic fuerit, longitudine carebit: ſi quæ verò ſtella fuerit in ♂, longitudinem habebit, idque tantam, quot erunt gradus intercepti ab arcu ♂ G, qui ſolis eccentricitatem partium 2 & 9′ denotat, qualium eccentrici diameter eſt 60, cuius proportio ad illam eccentricitatem eſt ferè ſicut 24 ad 1: hæc autem eſt ſemidiametrorum terræ 40 $\frac{1}{2}$, vel 41.

Quanta ſit ſolis eccentricitas. nẽpe partiũ 2, 9, vel ſemidiam. terræ 41 $\frac{1}{2}$.

Quod ſi in eodem ♈, æquatorem imaginemur, ſtella, vel planeta in ♂ declinabit ab illo, ita tamen, vt illa declinatio 90 gradus, ſeu quartam circuli partem ſuperare nequeat; cùm prædicta longitudo vſque ad 360 gradus, excurrere poſſit. Denique ſi velimus eclipticam in G poſitam intelligere, ſydus illud, quod in ♂ fuerit, talem latitudinẽ habere dicetur, qualis erit diſtantia à G, ad ♂, duorum nempe graduum, & 9″, quanta eſt ſolis eccentricitas.

Declinatio ſtellæ quid, & quanta.

Quãta ſtellæ longitudo.

Quid ſit latitudo ſtellæ.

Diſtantia autem, quæ eſt inter F, & E, in quibus lineæ veri atque medij motus terminantur, æquatio vocari ſolet: Verùm de his alibi. Supereſt, notandum, antequam ad demõſtrationem veniamus, ſolis apogæum non eſſe prorſus immobile, ſed inſtar ſolis, quamuis longè tardiùs, in ſignorum conſequentiã quotannis moueri, idque 45″; hinc quiſpiam concludere poterit, quanto tempore motum integrum perficiet, tantùm enim omnia ſecunda eclipticæ, videlicet 1296000″, per 45″ diuidenda erunt, prodibit enim in quotiente numerus annorum 28800, quibus apogæum totum Zodiaci circulum peraget: vnde conſtat motum hunc paulò ſegniorẽ eſſe, quàm ſtellarum, quippe quæ quotãnis 51″ promouẽtur in conſequentia, vt totum Zodiacum ſpatio 25411 $\frac{1}{17}$ annorum conficiant, quem numerum reddit numerus minutorum ſecundorum in toto Zodiaco contentus per 51″ diuiſus 1296000: licet ei 28800 annos, vt & ſolis apogæo tribuant.

Æquatio; ſeu diuerſitas aſpectus.

Apogæum ſolis quantum ſingulis annis moueatur.

Curſus eius 28800.

Quantus ſit motus ſtellæ in anno, 51″.

His ad animi voluptatem non ſine vtilitate præmiſſis, ita apogæi ſolaris à terra diſtantiam demonſtro, ex qua poterit quilibet multa concludere. Itaq, circulus H α G β eſt eccẽtricus, cuius centrũ B: centrum vniuerſi A, per quæ ad rectos angulos lineæ H G, & α β ducuntur; Deinde apogæum eſt in α, perigæum in β, linea A B metiatur eccentricitatem. i. diſtantiam centri orbis ſolaris à centro mundi.

Quæ

Quantum hoc anno 1612. distet prima stella Arietis à vero æquinoctio verno.

In qua constellatione fuit æquinoctium initio mũdi Timochareis

Quæ iam ex dictis nota sunt; sicut & H G duo puncta æquinoctialia referre possunt; quorum vernum iam à prima ♈ stella, hoc anno 1612 distat gradus 27, 54′ 51″ & sic deinceps magis ac magis vernum æquinoctium ab Arietis stella prima, & autũnale à libra distabit, siquidem quolibet anno per 51″ recedunt prædictæ constellationes à verno æquinoctiali; quod in 14 ♒ initio mundi fuisse nonnulli non sine probabili coniectura putant, quandoquidem anno ab vrbe condita 466, ab orbe verò 3832, post æquinoctium 2 gradibus à Timochare deprehensa est prima stella ♈, vt refert Ptolomæus; quæ cum intra 70 annos & 7 menses, vel circiter gradum vnum conficiat, 2 illos gradus 14 annis superauit: quibus è 3832 sublatis, 3692 annus orbis conditi superest, quo stella illa in ipsa Veris sectione æquinoctiali versabatur, anno ab vrbe 325; qua fermè ætate Meton obseruauit Zodiacum asterismorum incidere cum Zodiaco signorum. Cùm autem supponant Astronomi stellas totum Zodiacum annis 28800 recurrere, licet pauciores annos supra numerauerimus iuxta motum annuum 51″ secundorum; hinc fit, vt reliquo annorum mundi spatio, nempe 3691, per 46 gradus progressæ fuerint: etenimuero per regulam proportionis, si 28800 360 gradus efficiunt, anni 3691 gradus 46 producent: quapropter Deus tunc mundum condidisse videtur, stella prima ♈. 46 gradus ante æquinoctium vernum existente. Iam verò ad demonstrationem redeamus.

Meton qua ætate floruerit, & quid obseruarit.

Supponendum est præter ea, quæ dicta sunt solem in D positum esse in medio, seu 15 gradu ♉, ad quẽ vt perueniret, à sectione verna 46 dies, horas 2, min. 55 insumpsit, sicut à medio Dõdecatemorij ♉ ad æquinoctiũ autumnale, dies 46, horas 9, min. 40. Ab eo verò loco, nempe à D, linea ducatur per A in I, quæ sit D A I; deinde coniungatur I cum ingressu æquinoctiali G per lineam I G; rursus ab I ducatur perpendicularis ad lineam H G, quæ sit I K. Ducatur etiam linea à B centro eccentrici ad D medietatem ♉, quæ sit B D, denique perpendicularis describatur à B, in A D, quæ sit B L.

Figuræ cõstructio explicatur.

His ita descriptis, angulus α A D est distãtia apogæi à medietate ♉, eccentricitas B A, quæ qualia, quantave sint, iam iam ostendemus. Primò itaque notum est tempus ab ingressu ♈ vsque ad dimidium ♉ esse dierũ 46, horarũ 2, 55′, quibus correspondent gradus 45 æqualis motus ☉, cum 27′ 34″, quantus supponitur arcus G D. Arcui verò G α H ab ♈ in ♎ correspondent 184 gradus, 5′ 24″, quorũ complementum in alia parte eccentrici H α G graduum 175, 54′ 36″ perficitur.

Est & alius angulus G A D graduum 45 ex hypothesi, idque ex apparenti motu solis ab initio ♈ in medium ♉. Rursus dimidium arcus G D efficit angulum D I G, vel quod coincidit A I G, vt ex 20 prop. lib. 3. constat, quæ docet ex eadem peripheriæ portione angulum ad centrum duplum esse eius, qui ad ambitum extenditur, atqui angulus G A D est ad centrum, vt patet ex constructione, & angulus D I G, vel A I G est ad circulum, igitur hic erit tãtùm alterius pars media, ac proinde graduum 22, 43′, 47″. Hinc etiam innotescit angulus I G H, etenim angulus I A G cognoscitur, cum sit complementum anguli G A D, partium 135: angulus verò H G I grad. 22 16′, 13″ ex complemento duorum angulorum D I G, & I K G, eo quòd in triangulo I A G duo anguli ad A, & I cogniti, si auferantur à 2 rectis, tertium ad G notum relinquant, quandoquidem necessarium, vt gradus 90 relictus angulus compleat.

Declaratur prop 20. l. 3. Euclid.

Vel si mauis angulus I G H est complementum anguli D I G ad interuallum anguli G A D. Arcus verò I H est huius anguli duplum grad. 44, 32′, 26″. Si verò arcum H I auferas ab arcu I α G, restabit arcus I α G grad. 131, 22′, 10″, cuius chorda est I G, partium 18225868, vt patet ex tabulis sinuum, & chordarum.

Datur etiam arcus I α D per additionem D G priùs cogniti ad arcum prædictum I α G graduum 176, 49′, 44″, cuius chorda est I D 19992342, Non itẽ latebit angulus I A K oppositus angulo D A G, est enim grad. 45, sicut & D A G, cuius sinus est 7071068. In triangulo autem I A K, proportio I A, ad I K est sinus anguli I A K ad totum sinum, quia angulus ad K rectus est, vt patet ex diagrammate.

Hîc supponitur doctrina sinuum, & chordarum.

Anguli & trianguli sinuum beneficio mẽsurantur, & cognoscuntur.

Sinus autem anguli H G I 3789761, proportio verò G I ad I K, sicut sinus totius ad sinum anguli H G I, igitur qualium priùs dabatur G I 18225868, talium erit chorda I K 6907168; & quia proportio I A ad I K se habet, vt sinus anguli I A K ad sinum totum, sinus verò anguli I A K est 7071068, qualium I K est 6907168, talium erit I A 9768210.

Auferatur I A ab I D, relinquetur A D 10224132. Secetur deinde D I bifariam in L, eritque D L 9996171, nempe dimidium lineæ I D. Tandem lineam B L ita metiemur.

Complementum I α D ad semicirculum est 3 grad. 10′ 16″, cuius sinus 553182, eiusque dimidium æquale est arcui B L 276591, A L autem dabitur per substractionem D L à D A 227961, hinc fit, vt B A L angulus factus è datis 2 lateribus circa rectum B L, & A L innotescat esse graduum 50 30′ prodeuntium ex 12134138. Hic autem angulus distantiam apogæi α vsque ad medietatem ♉, seu D metitur. Ideòque si hunc angulum grad. 50 30′ addideris ad 15 ♉, solis apogæum erit in gradu 5 ♊ 69 vt Danorum Astronomus pag. nouæ stellæ 25 notauit, atque demonstrauit.

Apogæũ solis in 5 gradu ♊ 69.

Latus autem tertium B A est 358416, qualiũ A L erat 227961, & B L 276561; vel qualium est sinus totus 10000000, qui semidiametro eccentrici correspondet, ac proinde qualium semidiameter illa est 60, talium eccentricitas est 2, 9′, 2″.

Magnitudo eccentricitatis.

Verùm cùm illæ supputationes etiam in hac arte peritis fastidium ingenerare soleant, nec ea mente valeant omnes, vt hæc comprehendant, totum hocce negotium eodem schemate alio modo clarissimè peragam. Sit ergo sol in D, vt priùs; idque supra horizontem 45 gradibus, tũc enim nullis refractionibus obnoxius est, vt Braheus fatetur, atque adeo liberrimis parallaxibus vtemur nusquam interturbatis. Sol autem è superficie terræ spectatus in D apparet inferior, quam reuera sit; etenim est in E, & tamen apparet in F, in maiori videlicet à vertice α distantia, quàm par esset, vt patet ex angulo α B F, qui maior est angulo α A E, vt non solùm per 16 primi, sed ipso intuitu constat. Describatur enim arcus M N O, plures gradus continebit, quàm arcus α D, tantus est autem angulus cuiuslibet trianguli, quantus est arcus inter latera anguli interceptus. Hos autem angulos alicuius quadrantis beneficio per dioptram facilè deprehendemus ea ratione, quæ sequitur.

Vbi sol refractiones non patiatur.

Parallaxis deprimit.

Vnde sumatur angulorum magnitudo.

Quadrantis igitur centrum sit in B, sicut & Opticus oculus, qui dioptra regendus est; quadrantis latus vnum lineæ α B conueniat, arcus

Quomodo anguli triãgulorũ per quadrãtem

Opticæ non debeat; cuius ope videlicet, & omnia visibilia discernimus, & de iis varia concludimus; theologiam, si scientia fuerit, excipias, sed neque illam ex toto reiiciam ab Opticæ limitibus, quandoquidem inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intelliguntur, & intellecta conspiciuntur teste D. Paulo ad Rom. 1. itaut Athei sint omnino inexcusabiles, nisi errore seposito Deum, vt par est, venerentur, eique debitam gloriam, summum honoris genus ex animo tribuant.

1. ad Rom.

Quid amabo te deinceps in impio errore detinet? An Optica illa tam admirabilis, quæ ita solem, & stellas metitur, quæ tam altè euolat, & hominis ingenium supra cœlos, supra omnia, quæcumque videntur, aut palpantur, imo velut extra, & supra se rapit, te neque commouere, neque ab impio Atheismo reuocare poterit? Quis te non belluam, vel truncum putidum, & emortuum existimabit, nisi tali, ac tanta pulchritudine spectata, quam Optica in omnibus mundi partibus contemplando proponit, quam in cœlo tam mirabiliter ostendit, Deum esse concludas, qui hæc omnia condiderit, eaque deinceps conseruet, atque foueat; qui tantum ingenium homini contulerit, vt rationes cœlestes enumerare possit.

Vrgentur Athei.

Attamen priusquam huic capiti finem imponamus, dicendum est quoties terræ semidiameter in illa linea contineatur, quæ à centro terræ vsque ad solem ducta est, vt scias triangulum in instrumẽto, si bene fieret, toties in latere maiori continere debere latus ι μ, quoties distantia solaris terræ diametrum continet; Id verò in paruis rebus nostro paruo instrumento declarabimus, quandoquidem breuius est, quàm vt nimia solis distantia eo declarari valeat. Sit ergo triangulum aliquod, quantumcumque, & vbicumque volueris, cuius 2 angulos notos habeas, & vnus sit rectus grad. 90; acutus alter 15 grad. tertius 75 graduum erit, nam tres anguli cuiuspiam trianguli gradus 180. continent, cùm sint 2 rectis æquales. Huic autem triangulo simile triangulum constitues, si à centro semicirculi μ duxeris lineam perpendicularem ad κ, & ex ι centro quadrantis, lineam ι ι per grad. 15 quadrantis, donec occurrat perpendiculari μ κ, tunc enim habebis triangulum priori analogum, quia tertius angulus erit grad. 75, sicut in priori.

Triangulũ quo solis altitudo inueniri potest.

Triãgulum rectãgulũ.

Tria exempla rem totam explicant.

Idemque dicendum est de cæteris triangulis, vt in ambligonio Iosephus Blanc. ostendit; nam si tibi proposueris trigonum illud, cuius angulus sit 120 grad. alter verò 15, tertius erit 45, cui proportionale triãgulum habes, si lineam μ ο per 120 gradus semicirculi duxeris; deinde lineam ι ι per 15 gradus quadrantis, itaut præcedenti occurrat in ι, triangulum enim ι μ ο dato ambligonio proportionale erit, nã angulus μ ι ι est grad. 120, angulus μ ι ι grad. 15, & tertius necessariò complet gradus 180. Deniq. constat idem in oxigoniis, quorũ 2 anguli cogniti sunt, vnus 30, alter 35: ducantur enim lineæ μ π per grad. 75, ι π per 30 quadrantis, & factum est: quod quærebatur.

Triangulũ ambligonium.

Triangulũ oxigoniũ.

Iam verò summa solis à centro terræ distantia per lineam A α refertur, quãdo nimirum est in apogæo circa 69 gradũ sextũ; tũcque 1182 terræ semidiametris à nobis distat: Distantia minima notatur per lineam A β: dum enim circa sextum 7 gradum versatur, est in perigæo, in quo solùm à centro 1101 terræ semidiametris abest, vt regio per quam spatiatur, 81 terræ semidiametros in crassitie obtineat. Denique media distantia, quam linea A D repræsentat, censetur esse 1142; quapropter si triangulum A B D perfectè analogum esset triangulo, quod fit à centro terræ A ad Optici oculum B, & ab eius oculo ad locum solis D, linea centri terræ, siue eius diameter A B, quæ est vnum trianguli latus, in alio latere A D, quæ est linea medij motus solis, 1142 contineretur.

Vbi sit apogæum solis, & quantum in eo positus distet à nobis.

Vbi sit perigæum & quantum tunc distet à terra.

Deus bone quis non demirabitur Opticam, quæ nos in rerum tam pulchrarum, & tam à nobis dissitarum cognitionẽ perducit; quis non illam è cœlo descendisse fatebitur, & eius originem à Deo repetendam concedet? Sed quis ausit denegare nescio quos igniculos mentibus hominum insitos esse, quibus ita feratur in altum, & ad aliquid impellatur, quod longè superet, quicquid subditur oculis, quicquid auribus excipitur, quicquid mente concipitur? Enimuero dum Optica summas illas astrorũ distantias speculatur, atque definit, simul etiam videt se longiùs adhuc prospectare posse, concluditque præter ea, quæ videt, aliquid necessariò existere, quod in illis locis, & cœli partibus, & non in aliis, solem constituerit.

Velocitas, seu motus horarius solis in media distantia Quantus sit cœli, solis, & terræ ambitus, quàm velox motus cùm est in apogæo.

Ecquis Opticorum non admittat aliquem inuisibilem motorem omnia penetrantem, qui solem tam celeri motu circumagit, vt quamdiu versatur in media distantia, quæ est in D, vnius horæ spatio milliaria 1027800 peragat? vt constat ex dictis; sol etenim positus in D, 1142 terræ semidiametris ab eiusdẽ terræ centro distat, ideoque circunferentia, quam tunc Phœbus peragrat, terræ peripheriam 1142 complectitur, quandoquidem circunferentia est ad circunferentiam, vt diameter ad diametrum: igitur cùm in terræ peripheria 21600 milliaria contineantur, in circunferentia, quam sol in D constitutus percurrit, 24667200 milliaria reperies, si terræ circuitum per 24 diuiseris, eius cursum horariũ milliariorum 1027800 habebis. Pari modo possumus reperire milliaria, quæ cursu diurno positus in apogæo conficit, sunt enim 217771100; quæ si quemadmodum priùs, per 24 horas diuiseris, protinus cognosces, quot in hora milliaria sol percurrat; quod etiam eadem methodo in minima distantia inuenire est.

Quid plura de Optica referam? nunquid schema nostrum alia plura demonstrare potest? potest quidem: etenim non solũ vnicam solis in media distãtia positi parallaxin, sed alias omnes ostendere potest, quæ tam in maxima, quàm in minima distantia per singulos circulorum verticalium gradus contingũt, donec ad 90 gradum pertingat, in quo nullam parallaxim deprehendimus; potest etiam docere, quî fiant omnes refractiones, & quantæ sint in altitudine quapiam. Primum autem cognosces si Eudoxi huius sæculi parallaxium solarium 80 prog. 3 m. pag. consulueris, in qua solis maximam parallaxim constituit 3′ 7″, quamdiu versatur in minima distantia, idque circa horizontem; si in maxima, 2′ 54″, in media verò 3′. Quãdo sol habet altitudinẽ 45. vt in figura præcedenti, si sit in minima distantia 2′ 12″ parallaxim patitur; in media 2′ 7″, in maxima, 2′ 3″. In qualibet autem distantia circa 89 gradum altitudinis 3″ tantùm.

Quæ, & quantæ sint in quauis altitudine, & distantia solis parallaxes.

Brahe.

Solis refractiones.

Secundum reperies pag. 79 de refractionibus solaribus, nosque postea ad versic. 2. huius capitis referemus, & in præsenti figura explicari potest.



in qua sol, exempli causa videri nequit, donec sit in P horizontis initio: qui tamen antea videtur, nam tantò celeriùs apparet, antequam super nostrum horizontem ascenderit, quanto maior est refractio: hæc verò tantò maior est, quanto magis astra deprimuntur. Hinc fit, vt solis radij per 34' circa horizontem refrangantur, adeout solem vel altiorem, quàm reuera sit, vel antequam ortus fuerit, per minuta 34 conspiciamus: refractio siquidem attollit sydus, quod parallaxis deprimit. Videatur Kepler. pag. 121, & sequent. ad Paralip. Vitell. Danus progym. pag. 79 de solis refractionibus pag. 280 de refractione stellar. & pag. 124. de lunæ refractionibus. Quod si contingat solem esse in D, vt in nostra figura, illius refractio deprehenditur solùm 5", vel nulla, quod etiam de luna docet: stellæ verò vltra gradum 19 altitudinis non refranguntur, licet circa horizontem 30 minutorum fractionem patiantur.

Keplerus.

Quænam Optica demonstret.

Hæc sunt è multis pauca, quæ mirabilis Optica suggerit, quæ cæterarum scientiarum lux, & splendor non immeritò nũcupatur, solis enim instar reliquis lucem impertit, & rerum in natura abditarũ nubem dispellit, præstigiarum, atque fallaciarũ, in quibus mens humana cæcutit, rationes mõstrat, & res paruas ingentis sæpe molis instar ostẽdit. Cuius auxilio facilè possit homo belluas omnes decipere, si velit recta curuis, curua rectis, quadrata rotũdis, plana solidis, & solida planis similia exhibere; ecquis nõ miretur vim illã Opticæ, quæ veluti naturæ domina res ita commutat, vt tumida depressis, conuexa cauis, directa flexis quàsimillima & quæ sunt integra, & continua frangi ac diuelli existimes.

Quid hîc commemorem apparitiones colorum fictas, & falsas punicei, viridis, purpurei & aliorum tum in cœlestibus, tum in auium plumis, præsertim in collo & cauda pauonis, cuius pluma de cataclitis vestẽ suggerit omni cõchylio depressiorẽ, qua colla florẽt, inquit Septimius de pallio; omni patagio inauratiorem, qua terga fulgẽt, & omni syrmate solutiorẽ, qua caudæ iacẽt, multicolorẽ, & discolorẽ, & versicolorẽ, nũquã ipsam, ẽper aliã & si semper ipsam, quãdo aliã, totiẽs denique mutandã, quotiẽs mouẽdã. Quid omnia passim visa? quæ sine Optica nemo discernere valeat. Nunquid sola Optica cælorũ numerum, ordinẽ, distantias, & magnitudinẽ diiudicat? Quis te docebit, cur astra omnia plana appareãt, licet sphærica sint, cur nos sequi videãtur, quocũque pergamus: quid & quantæ sint parallaxes, coni & axes vmbrarum, fulsiones lunæ nũc falcatæ, nũc diuiduæ, nũc gibberosæ, nũc silẽtis, nũc orbe pleno lucẽtis, nisi Optica? Illa est quæ videt, vnde colores eclipsium

Quomodo Optica quomodo nos decipiamur.

eclipſium horridi, tetri, & horribiles pro acceſſu, receſſuve lunæ à terra producantur; quæ Ptolomæum lunæ à terra maximam diſtantiam 64 ſemidiametrorum terræ, minimam verò 33 eſſe docuit, licet Copernicus id reprehéderit, ex eo quòd lunę perigeæ diameter non ſit duplo maior apogeæ diametro, ſicut maxima prædicta diſtantia eſt ferè minimæ duplo maior; qui fallitur egregiè propter Opticæ ignorationem, quæ docet æquales magnitudines ab oculo inæqualiter diſtantes habere minorem rationem angulorum, ſub quibus obiecta cernuntur, quàm diſtantiarum per octauum theorema Opticæ Euclideæ, quod ſic habet. τὰ ἴσα μεγέθη ἄνισον διεστῶτα, οὐκ ἀναλόγως τοῖς ἀποστήμασιν ὁρᾶται. Quod experientia quotidiana manifeſtũ eſt, enimuero ſi quod obiectum centum à te diſtet paſſibus, non illud duplo maius eſſe deprehendes, quã dum à paſſibus 200 cernis idem, quandoquidem magis creſcunt diſtantię, quàm anguli; poſſent igitur Ptolemæi diſtantiæ veræ eſſe, licet diameter ☾ tam apogeæ, quàm perigeæ ferè æqualis appareret, ſi tamen nihil obſtat aliud: ſed hoc ſæculo diligentiſſimis obſeruationibus minima lunæ diſtantia 52 ſemidiametrorum terræ inuenta eſt, ſeu milliarium aſtronomicorum 178698, quæ producuntur ex multiplicatione milliariorum vnius terræ ſemidiametri in 52.

Maxima, & minima diſtantia lunę à terra ſecundum Ptolomæũ. Copernicus arguitur. Explicatur 8 problema Opticæ Euclidis. Quanta ſit Braheo minima ☽ diſtantia à terra.

Nec ab re fuerit ſi hìc doceam clariſſimè, quomodo lunæ diſtantia præcedenti ſchemate reperiri poſſit; quid enim vetat, quominus iam ſole remoto, lunam in D conſtituamus, & hàc parallaxim E F lunæ tribuamus. Itaque arcus a G referat concauum lunæ citimæ, ſeu perigeæ, qui arcus etiam meridianum circulum repræſentet, in quo luna conſtituitur in D, quod iam ſuppono eſſe in primo gradu ♈, ac per conſequens in æquatore. Hìc autem inſpice triangulum A B D, in quo angulus A notus eſt ex nota diſtantia puncti D, ſeu puncti æquatoris, in quo luna verſatur, ab iſtius loci vertice a; nam ex noto arcu a D cognoſcitur angulus A illi ex centro inſiſtens, vt ex inſtrumento angulorum inueniendorum ſuperiùs explicatũ eſt. Deinde ſpectandus eſt angulus A B D, quem Opticus Aſtronomus per inſtrumentum quadrante M N O repræſentatum facilè cognoſcet, etenim latus quadrantis M B lineæ verticali A a congruet, dioptra verò, ſeu alhidada, per quã collimabitur in lunam, erit in linea B D; & ideo arcus quadrantis M N inter Dioptram, & latus B a incluſus, manifeſtabit angulum a B D trianguli A B D extrinſecum; quo cognito, ſcietur etiam angulus intrinſecus A B D illi deinceps, quandoquidem omnes anguli trianguli ſunt 2 rectis æquales, continentque gradus 180.

Modus quo ☽ altitudo ſeu diſtãtia à terra ſciri poteſt beneficio trianguli.

Igitur ſi angulum externum à gradibus 180 detrahas, quantitas interni A B D nota erit. Adde quod latus A B notum eſt, eſt enim terræ ſemidiameter, igitur notum erit latus A D, quia notũ erit, quoties latus A B in latere A D contineatur, quod eſt lunæ diſtantia à centro terræ, quam Danus, & Torrunnæus duo Aſtronomorum principes 52 ſemidiametrorum terræ, cùm luna perigæa eſt, cùm verò apogæa 61 repererunt, vt illa regio, per quam exſpatiatur, 9 terræ ſemidiametrorum craſſitiem habeat, & apogæa magis diſtet à nobis per 4 terræ ſemidiametros, & ½, quàm dum eſt perigæa.

Lunæ eccẽtricitas 9 ſemidiametrorum terræ.

Ex quibus facillimo negotio ſcire poteris, quantum vnoquoque die, vel etiam horis ſingulis luna ſpatium conficiat; etenim lunatio quæpiam 29 dies, horas 12, & minuta 44 habet, vt annus lunæ aſtronomicus communis 354 diebus, horis 8, & 48 minutis conſtare poſſit; ſicut inſititius, ſeu Emboliſmicus 13 lunationibus conſtitutus 383 dies, horas 21, & 32 minuta continet.

Quotus ſit annus ☽ tam aſtronomicus, quàm Emboliſmicus.

Quapropter ſi prout diameter lunaris circuli 52 ſemidiametros terræ complectitur, ſimiliter terræ circuitum lunaris peripheria 52 comprehendat, tantummodo numerus milliariorum, quæ in terræ circunferentia reperiuntur per 52 multiplicanda erunt, ſic enim totum lunaris ſphæræ ambitum in milliaribus productum exhibebit; quẽ poſtea ambitum ſi per 29 diuiſeris, conſurget ſpatium, quod diebus ſingulis luna conficit; denique per 24 horas diurnum ſpatium diuidendum erit, vt ſpatium habeas, quod luna vnius horæ ſpatio ferè decurrit.

Quantus ſit cœli lunę ambitus.

Optica ſanè rebus omnibus naturalibus maius aliquid eſſe cõuincit, cùm ita ſenſuum errores corrigat, & Opticorum hallucinationes deprehẽdat; hinc enim ſcimus propoſitionem 22. l. 3. perſpectiuæ communis falſam eſſe, quæ aſſerit galaxiam in ignis puriſſima regione fieri, idque ſolis & ſtellarum in perſpicuo puro lucentium ope; nec enim ille circulus lacteus parallaxim vllam efficit, aut eam patitur, qua deberet affici, ſi ſublunaris eſſet.

Prop. 22. l. 3 perſpectiuę communis arguitur.

Optica tollit errorem vulgi, dum credit lunam maiori lumine perfundi, cùm plena eſt, quàm vbi coniungitur ſoli, vel cum eo ſextilem, trigonum, aut tetragonum aſpectum habet; ſiquidem perſpectiua docet nũquam lucis minus habere, quàm vbi plena fuerit; tunc enim ſoli oppoſita cùm ſit, & ſæpius in Auge verſetur, maximè diſtat à ſole, atque adeo minus illuſtratur ab eo; licet enim ſemper pluſquã lunæ medietas illuminata ſit, quãdoquidẽ ſphæra luminoſa maior opacæ minoris maiorẽ partẽ illuſtrat, attamẽ in oppoſitione minor eſt lunæ illuſtratio, quia quò ſphæra luminoſa ab Opaca magis diſtat, eò minus lucis ei cõmunicat. Ergóne deinceps Atheus in lucem venire audebit cum ſcientiarum lux Optica tam clarè Deum eſſe conuincat. Quis enim vim illam nobis indere potuit, qua nõ ſolùm de rebus ſub luna poſitis, ſed etiam de pulcherrimis, atque præcipuis ſyderibus ſole, & luna iudicarimus? Profectò Deus ſolus.

Luna nunquam minus lucis habet, quã dum plena eſt.

Regula Opticæ.

Vnde peritus Opticus cauſam eruere poteſt, cur Caſtores, & Polluces, & alia vaga lumina, nunc ſolitaria, nunc gemina, vel etiam terna intempeſta nocte diſcurrant; cur volucrum inſtar ſedem ex ſede mutent, cur vocali ſono ſtrideant, cur liuido colore appareant; quomodo fiant ignes fatui, quorũ flamma humo nonnihil elata, & in aëre pendula viatores nocturnos aggreditur, & fugientes etiam ſequitur, viatorum non ſolùm maxima, ſed inaniſſima conſternatione etiam, cùm ignes iſti ſint innoxij; quorum nihilominus metu perterriti pleriq; incerti quò fugerent, è locis editis ſe præcipites dederunt; quos vulgus dæmones, vel animos hominum publico decreto occiſorum credit. Quis Opticum docuit hos ignes non eſſe dæmonas? Vnde potuit moles ignitas, candentes pyramides, ardentes ſtipulas, titiones, clypeos & reliqua miraculi ſpeciem habentia, quæ videntur in aëre, & vario colore, nunc cæruleo, nunc lurido, interdum etiam ſanguineo, & cruento, mortales deterrent, vnde inquam Opticus ea omnia diiudicare, & à miraculis veris diſtinguere potuit? Quomodo inueſtigauit lucem fumido vapori implicitam illa omnia terriculamenta efficere? adeout perterritas

Opticæ præſtantia in cognitione rerũ abſtruſarũ inueniẽda.

Optica detegit cauſã terriculamentorũ.

hominũ mẽtes stabilierit. An vis illa, & mẽtis lumẽ, quo hæc discernit, à se habet, an ab alio: si ab alio, vt necessariò dicendum est, quis ille? Reuera singulas creaturas percurre, & eas interroga, num quæpiam ex illis vim illam tibi concedere potuerit, omnes vna voce fatebuntur vim illam, & ingenij perspicacitatem ab aliquo manare, qui sit tota natura superior, cùm luminis Optici beneficio de tota natura iudicemus, eamque maximè superare videamur.

Vtinam antiqui hanc Opticam calluissent, nec enim ob coronas circa sydera conspectas, soles geminos, & tergeminos, virgas, irides singulares, & geminas, coloresque insolitos in aëre cõspicuos tot se superstitionibus implicuissent, nõ ita Iridẽ Thaumantis filiam, atque Deum miraculorum constituissent: sed vidissent clarè omnes illas apparentias partim refractione, partim reflexione contingere, coronas circa maiora sydera procreari, parelia nũquam supra, vel infra, sed tantùm ad latus solis progigni; irides non fieri integra circuli forma, nec ex aquilonari parte ad Austrum; hiatus, scrobes, dolia, & id genus spectra conspici ob aquam, aërem densum, caliginem, vaporem roscidum, retusiorẽ oculorum aciem, ob quæ sæpius decipiũtur, quibus vel oculi lippiunt, vel ex aliqua vehementi perturbatione fiunt imbecilliores, quales sunt vetulæ, & silicernia, quæ non sine consternatione suam imaginem vident, qualem ferunt Antipherontem Aristotelis, qui, vt in meteoris habetur, seipsum, vt in speculo cõspiciebat. Ita etiam Orestem vigiliis, metu, mœrore, & animi ægritudine confectum delusum esse aiunt, dum furias sibi passim à matre iniici credebat, & ita clamabat.

Optica facit, ne decipiamur.

Antipherõ.

Orestes.

O mater, obsecro noli me persequi
His furijs aspectu anguineis, horribilibus.
Ecce, ecce, me me inuadunt, in me iam ruunt.

Seneca.

Vbi Seneca Electram ita respondentem innuit, vt etiam Optices cognitionem habuisse videatur.

Quiesce, quiesce miser in linteis tuis:
Non cernis etenim quæ videre te putas.

Supponit enim Orestem in aëre nubilo, & crasso seipsum, vti in speculo vidisse, quod etiam ad lycanthropiam, aut alium morbũ cerebri referre possemus; sed id aliàs. Omitto Vitellionis socium, qui cùm noctes aliquot insomnes duxisset, & imbecillior factus, noctu proficisci cogeretur, per fluminis crepidinem equitans, vbi aër densior erat, vidit sibi præeuntem, atque omnia penitus facientem, quæ ipse faceret. Quem deceptum fuisse Vitellio postmodum ostendit, eique dixit nihil aliud, quàm suiipsius imaginem ab aëre roscido reflexam animaduertisse.

Vitellionis socius.

Apage sis Porphyri cum tuo antro Homerico, qui hæc spectra genios corpus habentes, tenue tamen, aërium, & humidum arbitraris, quod noctis frigore cogatur, & dẽsescat, diu verò calore fundatur, vt interdiu quidem aciem fugiant, noctu verò halitus instar densati aspectabiles fiant illi genij. Illuc te Opticæ ignoratio, vel Sadduceorũ error adegit, enimuero si geniorũ nomine dæmonas intelligis, nullũ corpus habent. Nolim autẽ hîc discutere, an spectra, quæ Dioni, & Bruto Plutarchus apparuisse ait: an Pausaniæ in tẽplo Mineruæ necati vmbra per Psychagogũ euocata; an vmbra, quam teste Lucano Erichtone Pythonissa Thessala asciuit, vt Sexto Põpeio Pharsalicã cladẽ nuntiaret; an vmbra Pionis, quam Pausanias in Bœoticis se vidisse ait, & alia id genus sexcẽta in Opticam referri possint;

Cõfutatur Porphyrius.

Plutarchus.

Pausanias.

Lucanus.

Id enim latè postea facturus sum, vbi Atheorum obiectiones conuellam.

Vbi etiam discutiemus quid Catoptrice possit; an speculũ fabricare, quod ita reiiciat extra se imagines, vt hominũ oculi ludificati manes mortuorũ se videre existimẽt, licet nihil aliud sit, quã alicui⁹ rei delitescẽtis simulachrũ in aërẽ à speculo emissũ. An Cylindricũ speculũ in cubiculo vndecumq; clauso statutum, possit laruæ extra cubiculũ positæ, & per rimã fenestræ ad speculũ respicientis imaginẽ velut in aëre pendulã referre, vt aliquis decipi possit, & dæmonas existimare, quæ ita reflectũtur, & ob formã cylindricã reflectẽtẽ tetra, & horribilia videtur.

Plurima ad Catoptricã attinentia proponuntur.

Id enim à quibusdam fieri aiunt, qui se magos asserunt, qui speculum tenuissimo filo appendentes ieiunium imperant, & alia quæ ad hæc facere videntur; ad quæ cum introducitur consultor imperitus, & pauidus, nihil tam nefariæ calliditatis reputans, interea magus triueneficus exorcismos, & adiurationes fundit, quibus manes rediuiui ex inferis reuocentur, vt res tota veluti diuina appareat.

Strophæ, & illusiones magorum per catoptricam.

Consultor eo loco statuitur, quo radius à speculo reflexus tendit, qui videt non in speculo, sed in aëre extra speculum, spectrum tremulum, quia speculum appensum nonnihil tremit. Videt cassam, & exanguem imaginem in aëre pendulam horrificam ad se etiam accedentem, si larua propiùs ad rimam accedat; qua cõsternatione attonitus nõ de techna vestigãda, sed de exitu, & fuga cogitat, quam à mago facilè impetrat; vnde velut ex Orci faucibus ereptus palam prædicat se vidisse animos rediuiuos ex inferis. De his, inquam omnibus me suo loco dicturum recipio.

Age verò, Athee, nũquid tam mirabilis scientia, quæ ita de rebus omnibus iudicat, ab alio, quàm à Deo nobis concedi potuit? qui hocce tibi dedit ingenium, hasce manus, quibus speculum tui cẽtum imagines referẽs fabricare possis, adeout ipsæ imagines choreas ducere videantur: quibus specularẽ superficiem efformes, & eam ita colloces, vt quæ fiunt in ædibus alienis, facilè deprehendas. O mirabilem Opticam, quæ speculum ita statuit, vt ex puncto dato solummodo videre possis capillum tenuem, licet in immensum speculi superficies extẽdatur, vt patet in concauis, quæ quodlibet minimum obiectum in foco, seu radiorum reflexorum concursu (punctum confusionis nonnulli vocant) adeò vastum referunt, vt nihil præterea conspicere possimus. Quid si dixero ex speculis planis speculũ ita fabricari posse, vt suam imaginem aliquis in eo volantem aspiciat? Verum de his vbi suprà; sicut & de Mesoptica, seu dioptrica plurima, Deo bene iuuante, referemus. Spero enim ea, quæ hîc ad probandam diuini numinis existentiam attulimus, erga Atheos, quantumuis improbos, effectura, vt deinceps Deum Opt. Max. non solùm admittant, sed etiam suspiciant, atque venerentur, qui Opticæ beneficio nos cæteris creaturis præfecisse videtur, cum ita de his iudicemus, vt nulla nos decipere valeat, si artis præcepta perfectissimè obseruauerimus, & Dei semper parata gratia iuuemur.

Catoptrica mirabilis.

Quodlibet corpus licet minimum, vbi statuitur in foco cõcaui speculi sphærici, vel parabolici totã illius capacitatẽ implet.

Plurima nunc omitto, quæ ingentem admirationem pariunt, & in Opticam transfundi debent, vt quod astrorum magnitudinem & visibilem, & veram inueniat; visibilem quidem, vt cùm sol 30', & 40'' in diametro habere deprehenditur, qualem Tycho anno 1578, Martij 15 reperit solis diametrũ; & 14 Iunij 30 4''; idque per rimam beneficio rectanguli vniuersæ Matheseos magistri. Mœstlinus verò

Rectangulum mathematicarum magister dicitur ob ingentem, quã affert vtilitatem.

Aristarchus, & Hipparchus. Quanta sit visibilis magnitudo. ☉ in perigęo, & apogæo.

verò diametrum solis apogæi 29' 36"; in longitudine media, 30' 11", & in perigæo 31', 45" inuenit. Qualē ferè omnes Astronomi reperêrunt: Aristarchus, teste Archimede: Hipparchus, qui negabat solem ab apogæo in perigęū ad sensum variare magnitudinem, quod falsi vix argui potest; etenim licet eius diameter vno, aut altero ad summum minuto maior appareat in perigęo, si id accuratissimo instrumento exploraris, libero tamen oculo nequaquam illud deprehendes. Idem ferè de Sosigene testatur Proclus. Vnde iam omnes consentiūt diametrum solis in apogæo 30', in perigæo 31' esse. Idem in lunæ tam apogeæ, quàm perigeæ diametris Optica comtēplatur, paulo tamen quàm in sole incertiùs, si quidem huius diametrum vel 33' 20", vel 34', vel 34' 40" faciunt, illius verò 30' $\frac{1}{2}$.

Sosigenes.

Dei bonitas cōmēdabilis in mundi systemate.

Præclara sanè luminarium contemplatio, quæ ob hominum vtilitatem condita fuêre. Quam bonus Israël Deus, qui terræ semidiametrum respectu planetarum sensibilem facere voluit, vt Optici ad magnitudinis, & distantiæ syderum cognitionē peruenirent; vt reuera concludere possimus Dei fuisse voluntatem, vt homines oculos ad sydera contemplanda attollant, & tanta diuinæ sapientiæ monimenta suspiciant, quæ tota huiusce mundi machina nobis testatissima facit.

Luna in eclypsi totum solem occultat. Capella.

Nec solùm Optica lucem, & luminosa, sed etiam tenebrosa perspicit, & demonstrat, quod præsertim in eclypsibus solis peragit, quem totum à luna contegi deprehendit, etiāsi luna apogæa fuerit; sic enim Martianus Capella in climate Dia Meroës plenum solis defectum contigisse ait, quod & Plutarchus, & Theon, & Cleomedes, nec nō Stesichorus, & Pindarus apud Plin. l. 2. c. 12. affirmant. Affirmat etiam Albategnius, & Vitellio. Adde si vis historiæ scriptores, inter quos Halicarnasseus l. 2. refert in conceptu Romuli totum solem defecisse, adeout omnimodæ tenebræ terras, quemadmodum noctu, occupauerint: vnde concludit optica lunæ visibilem diametrum solis diametro visibili maiorem esse, alioquin enim si æquales forent vmbræ lunaris mucro in visu nostro deficeret, aut paruulam dumtaxat terræ partem obscuraret. Herodotus l. 2. similem eclypsim refert, qua de repēte dies in noctem versus est. Quod prædixerat Thales Milesius, vt ex Plinio l. 2. c. 2. colligitur; quod sub Astyage rege Olymp. 48. anno 4. contigit, quo Buringus per tabulas Prutenicas nouilunium reperit, luna ad perigæum appropinquante in primo gradu ♊, illa videlicet æstate, in cuius medio annus 4 huius 48. Olymp. incipiebat. Libro 7. pro die noctem extitisse ait, cùm Xerxes Sardis Abydum cum exercitu proficisceretur, quod æstate ea factum est, qua 75. celebrabatur Olympias: quam tamen eclypsim hoc anno non exhibet Prutenicus calculus, sed tantùm biennio post, idque hora prima post meridiem in Asia, die 17. Februarij in 24. ♒, atque adeo circa ver; hanc autem eclypsim Græcis defectum ciuitatum significasse magi dixerunt: quam aliquis eandem suspicari posset cum ea, quæ Cleōbroto ad Isthmum sacrificanti apparuit; verùm cùm calculus non congruat, aliqui hanc Herodoteam eliminant, & solùm offuscationem aliquam concedunt.

Plinius.

Halicarnas.

Plurimæ lunę eclypses referuntur, in quibus sol penitus occultatus est.

Herodot. Buringus.

Thucydides verò l. 2. anno primo belli Peloponnesiaci aliam ad annum 2. Olymp. 87. post meridiem contigisse asserit, quod 3 Augusti ante Christum 431. Liuius ante Christum 190. 3 Martij, anno 2. Olymp. 147. ad 5 Id. Quintil. Lucio Cor. Scipione & C. Lælio Coss. eclipsim solis affert dec. 4. l. 7. qui l. 8. decad. 4. meminit alterius, sed cui calculus minimè respondet. Verū celeberrima fuit illa, quam Hipparchus, vel Timocharis Alexandriæ obseruauit, quam Ptolom. l. 5. magnæ construct. c. 11. & Theon ibidem cōmemorat, idémque l. 2. Cleomedes confirmat; & Theon ait ex ea eclipsi lunæ citimam distantiam ab Hipparcho 71 semidiametrorum, remotissimam 83 reperisse, licet ob alias causas pro citima 61, pro alia 72. $\frac{1}{2}$ assumpserit.

Thucydides

Liuius

Hipparchus. Ptolemæus Theon. Cleomedes

Quorsum, dices, has eclypses referimus? cùm nemo dubitet lunam totum solem nobis eripere posse: facilis sanè responsio; vt Athei Opticā amplexantes, nihil se dignū præter cœlū existiment, & concludāt aliquem esse syderibus superiorem, qui hos & illos motus eis tribuerit, eaque perpetuo tenore vniformiter difformi regat. Attamen alias eclypses relinquo, quas Iulius obsequēs C. Mario, C. Flacco Coss. ad horam diei tertiam: Tacitus 14 Annal. anno Christi 59, & Plin. l. 2. c. 70. Plutarchus de facie lunæ circa 100 annum Christi; Iulius Capitolinus Gordiano imperante, anno Christi 237, April 12: Ammian. Marcel. l. 20. de consulatu Cōstantini anno 360 Christi, 18 Augusti. author vitæ Ludouici Pij anno Christi 840, 5. Maij, & anno 878, Octobris 29. referunt, in quibus 2. postremis omnes stellæ apparuisse dicuntur.

Iulius Obsequens.

Tacitus. Plin. Plutarch. Iul Capitol. Ammian.

Alias omitto ad quæstionem chronologicam referendas, vt tandem aliquando caput istud ex optica depromptum perficiam. Nec mireris si longior ista probatio fuerit, cùm enim Atheos aliquos in summa rerum opticarum ignoratione versari perspexerim, summos illius apices hîc attingere volui, si fortè radiis illis opticis, & syderum fulgore illustrati è tenebris Atheismi possint erumpere, & cimmeriis illis tenebris æternum vale dicere velint.

Oculi præstantia.

Quis obsecro potest intelligere, qua ratione tam parui oculi, pupilla adeò angusta non tantùm pyramide radiosa videre possit obiecta tam immania, & tam longè dissita, sed etiā de iis, eorūque magnitudine, distantia, & virtute diiudicare, nisi agens infinitum, & optimum supponamus, qui rei tam paruæ tantam virtutem contulit, vt reuera in vnius oculi fabrica non minus sit admirabilis, quàm in totius mundi constructione.

Vt verò gratum colophonem huic probationi affingam, placet hoc schemate clarissimum facere, quonam modo solis, lunæ, imo & aliorum syderū magnitudinem tam apparentem, quàm veram opticus deprehendat.



Supponamus igitur lineam A B esse solis diametrum, quam 30' minutorum esse iamdiu deprehensum est, si præsertim in Auge fuerit; igitur scimus dimidium gradum sui cœli occupare, atque adeo 720 partem, itaut si 720 soles contiguos statuas, totum solaris sphæræ ambitum confecturus sis. Quapropter si totam peripheriam solaris cœli sumas, & eam per 720 diuiseris, solis veram diametrum inuenturus es. Quod & de luna, cæterisque planetis, & stellis dicendum est. Itaque solùm in Phœbeo corpore totum negotium perficiam.

Quotā sui cœli partē sol occupet. Quot soles cœlum circundarent. Quomodo per tri angulum vera magnitudo solis reperiatur.

Sit itaque linea A B latitudo solis visi; deinde cognita sit illius distantia 1182. semidiam. terræ, statim habebis angulum A C B, quem subtendit linea A B, quæ cum 30' contineat, seu partem cœli solaris septingentesimam vigesimam .i. gradum dimidium, totum ambitum cœli solis diuide per 720, & habebis intentum.

Quoties solare cœlum in ambitu suo terræ contineat ambitum.

Ex dictis autem constat solaris cœli peripheriā terræ ambitum toties continere, quoties diameter illius diametrum huius complectitur, idque 1101, si sol in perigæo versetur, 1141. si mediam habuerit distantiam, denique 1182 si in apogæo fuerit. Hinc vnamquamque distantiā per leucas Gallicas scire possumus, quæ tribus milliaribus constant; etenim id assequeris, vbi per leucas in terrena semidiametro cōclusas diametrum solaris cœli multiplicaueris. Sunt autem in terrena diametro 2291 leucæ, cùm in circuitu 7200. leucas similes habeat, & ratio diametri atque circunferentiæ sit, vt 7. ad 22. proximè.

Quot leucarum sit terræ diameter

Itaque semidiameter terræ leucas 1145.½ continebit. Ne verò sit vlla fractio statuamus 1146. pro terræ semidiametro; sic enim pro summa solis distātia, leucas habebimus 1354572: pro media, leucas 1308732; denique pro distantia citima, seu perigæa 1261746. In apogæo sol 30' minutorum spatium in diametro suo continere videtur; in media distantia diameter E D 31', in perigæo diameter E F 32' circiter.

Quot minutorum solis diameter appareat.

Hinc efficitur, vt quot particulas lineæ C A, vel C B in 1182 partes diuisæ, diameter A B quæ est 30 minutorum continet, tot etiam terræ semidiametros solis diameter includat: & ideo cùm spatium 30' sit totius circuli solaris pars septingentesima vigesima, statim atque cœli istius ambitum cognoueris, scies perinde, quotnam leucas illa 720 particula, seu gradus dimidius includat. Cœli verò solaris ambitus secundum apogæum sumptus ambitum terræ 1182. continet, ac per consequens leucas Gallicas 8510400: quas si diuiseris per 720, leucæ 11820 pro solis diametro prouenient, seu pro spatio dimidij gradus. Ex quibus facilè possis elicere rationem, quam solis diameter habet ad terrenam diametrum, quod fiet si per hanc illam diuidas, id est, leucas 11820. per 2291, tot enim leucæ in diametro terræ includuntur, quandoquidem diameter ad circunferentiam se habet, vt 7 ad 22: terræ verò circunferentia est leucarum 7200, quia 20 leucæ vnicuique gradui terrestri debēt assignari, quæ per 360 multiplicatæ, 7200 procreant. Terrena verò diameter quinquies in solari diametro continetur, & paulo ampliùs, nempe 5⅙ circiter, adeout illa sit ad istam, vt 1 ad 5⅙, vel vt 5 ad 26.

Quot leucas cœli solis ambitus contineat. Quot leucas habeat ☉ diameter. Quæ sit proportio diametri solis ad terræ diametrum.

Quam rationem si (prout dictū est in argumento ex Arithmetica deprompto) triplicaueris eo modo, qui sequitur, 5. 26. 135.⅕. 703. vbi ratio primi 5 ad vltimum 703 eadem est, quæ solis ad terram, videbis

Quoties ſol ſit terra maior.

videbis quoties ſol terram contineat; cùm enim hic numerus quinarium includat centies, & quadragies, vt conſtat ex diuiſione 703. per 5. reſultat enim 140. $\frac{3}{5}$, ſequitur ſolem centies quadragies terræ maiorem eſſe.

Omitto plurima corollaria, quæ hinc elici poſſunt, vt quantum tempus ſol impendat, vt totus ab horizonte ſurgat: quot leucas in qualibet diei particula faciat; & quæcunque de lumine illius dici poſſent, ne vel nimis argumentum iſtud excurrat, vel ab re id dictum videatur, vel nobis eripiatur opportunior occaſio, vt de iſta luce plura afferamus. Scio quidem infinita propemodum in opticæ laudem ſcribi poſſe, ſed quæ ſunt alterius loci; pauca, quæ hîc à nobis allata ſunt, fortaſſe non paucis ſatisfacient, nec enim opticos ita agimus, vt nunc eam docere velimus, ſed tantùm, vt impios ad Deum reuocemus, & ſcientiarum fulgore oſtēdamus iter, quo ad rerum omnium authorem accedere poſſint.

Quomodo reperiatur diameter ſtellarum, tam viſibilis, quàm ſecundum leucas.

Cum autem figura præcedens etiam ſemidiametrum firmamenti demonſtret, & circuli pars H.I. latitudinem, ſeu diametrum ſtellę primæ magnitudinis apparentem: idem in ſtellis reperire poſſumus, quod in ſole; quandoquidem ſemidiametrum firmamenti cognoſcimus; nam ex ſemidiametro ſtatim demonſtratur ſemicircunferentia; cùm enim diameter ad circunferentiam ſit, vt 7 ad 22, per regulam proportionis ſemidiameter firmamenti erit ad ſemicirculū eiuſdem, vt 14000 ad 44000. Itaque ſupereſt, vt inueſtigemus, quot terræ ſemidiametros vnum firmamenti minutum complectatur: quod illicò factum erit, ſi mediam partē ſemicircunferētiæ firmamēti, ſemidiametros terræ 22000 continentis, per gradus 90, id eſt minuta 5400 diuiſeris, quotiens enim ferè dabit $\frac{1}{13}$: & ideo minutum vnum, ſeu 60 pars vnius gradus firmamenti ſemidiametros terræ 4 $\frac{1}{13}$ obtinebit, quapropter ſtella primæ magnitudinis, quia 2′ habet in viſibili diametro, reuera 8 terræ ſemidiametros, & duas partes decimas tertias vnius ſemidiametri concludet, ſeu terræ diametros 4 $\frac{1}{13}$.

Quanta ſit vera, & viſibilis diameter ſtellę primæ magnitudinis.

Quantum ſpatiū ſtella conficiat durāte hora, vel etiā minuto.

Hinc ſcire potes, quot ſemidiametros, diametróſue terrę ſtella curſu ſuo, tā qui eſt ab Orietē in Occidētē, quàm qui eſt ab Occidente in Orientē, & ab auſtro in Aquilonem, vel quot leucas conficiat: ſiquidem horis ſingulis ſtella firmamenti ad æquatorem ſita, 15 gradus cōficit, ſeu minuta 900. Ideóque ſtella, durante hora, nonagies 4 $\frac{1}{13}$ terræ ſemidiametros percurrit, id eſt terræ Semidiametros 3600. $\frac{900}{13}$, ſeu 3669 $\frac{3}{13}$ vno minuto percurrit ſemidiam. terræ 4. $\frac{1}{13}$ Vbi ſemper aduerte me Tychonicas obſeruationes, & recentiorum demonſtrationes ſimiles ſupponere. Alioquin enim ſi poſitiones antiquorum ſequamur, numeros alios inueniemus. nam Albategnius 19000 ſemidiametris terræ firmamēti ſemidiametrū conſtare aſſerit. Alphraganus verò differt. 21. tribuit ei ſemidiametros terrenas 20110, iuxta quē diameter erit 40220. ſemidiametrorū terræ, quæ milliaria germanica, qualia 15 faciūt gradū terreſtrem, 34589200 producūt, ſi pro quauis terrena ſemidiametro 860 milliaria Germanica numeremus. In hac autem hypotheſi firmamenti ambitus eſſet horum milliariorum 108708914; quibus per 24 horas diurnas diuiſis, ſtella in Æquatore ſita ſingulis horis milliaria 4529538, & ſingulis minutis horæ 75492, denique in minuto ſecundo 1258 milliaria conficeret. Quæ minuta ſecunda cum 3600 in hora contineantur, ferè reſpondent omnibus ſaltibus, ſiue ictibus, quibus arteria, cor, ſiue pulſus micat hora durante; enimuero comprobaui experientia, quod etiam Cardanus 5 de proport. prop. 58, & 118 monet, & Mœſtlinus præfat. in Narrationem 1 Rhetici confirmat, pulſum arterialem horæ ſpatio circiter quatuor ictuum millia complere. Vnius autem ictus morula, ſtellæ ad Æquatorem ſitæ 1132 milliaria Germanica percurrerent ſecundum Alphragani fundamenta.

Iuxta fundamenta Alphragani quot leucas ſtella in quolibet minuto tā primo quā ſecundo faciat.

Cardanus ait pulſum violenta febre correpti quinquies micare, pulſu tēperato ſemel reſiliēte, igitur 20000 ille ſaliret in horæ ſpatio, quot ad ſummum verba quis celerrimè loquens in hora pronuntiaret, 5 videlicet quolibet pulſus temperati ſaltu durante.

Quod ſi veriora ſequaris, quæ cum recentioribus amplectimur, facilè reperies quot leucas Gallicas ſtella æquinoctialis vnica ictus arteriæ mora percurrat; facit enim terræ ſemidiametros 3669$\frac{3}{13}$ vna hora, vt dictum eſt; igitur ictus arterię tempore quater milleſimam præcedentis ſpatij partem efficiet.

Cùm autem vnius anni ſpatio ſecundum motum proprium 51″ conficiat, vnicuique facillimum erit inuenire quot terræ ſemidiametros tranſcurrat; ſicque ſpatium tam diurnum, quàm vnius horæ, vel minuti inuenies, quod ſtella motu proprio conficit, ſi 51″ diuiſeris per 365 pro diebus, & pro minutis, ſi 51″ per minuta in integro anno contenta partiaris. Quod fiet, ſi 51″ in tertia, quarta, vel quinta conuerteris, & ſic deinceps vſque ad decima, vel etiam vlteriora minuta. Id verò ſequenti ratione fieri poteſt, ſi 51″ per 60 multiplices, reſultabunt enim tertia, & ex multiplicatione 60 in illa tertia, quarta prouenient, & ſic impoſterum. Quæ vt tibi faciliora ſint, ſequentem, vel ſimilem tabellam parare poteris.

Tabula minutorum Aſtronomicorum, quæ ſe extendit vſque ad quindena, poteſt verò in infinitum propagari, ſi numerum vltimum ſemper per 60 multiplicaueris.

1′	Prima.	Minuta.
60″	Secunda.	
3600‴	Tertia.	
216000⁗	Quarta.	
12960000	Quinta.	
777600000	Sexta.	
46656000000	Septima.	
2799360000000	Octaua.	
167961600000000	Nona.	
10077696000000000	Dena.	
604881760000000000	Vndena.	
36291905600000000000	Duodena.	
2177574336000000000000	Terdena.	
130654460160000000000000	Quaterdena.	
7839267609600000000000000	Quindena.	

In qua vno velut intuitu deprehendas, quot minuta tertia, quarta, &c. vſque ad quindena in vno

primo minuto.i. 60. parte gradus contineãtur. Vbi prima vnitas ſignificat primum minutum, quod vnica lineola deſuper, vel ad latus erecta denotari ſolet; ſecundus ordo ſecunda minuta verutis duobus conſign..ta ſignificat, & ita de cæteris.

Ex qua tabella etiam quindena exhibente facillimum eſt inuenire, quantum ſpatium ſtella circa æquinoctialem poſita curſu proprio conficiat. Enimuero vbi videris te non poſſe 51'' diſtribuere 365 dieb⁹, ea multiplicare debes. Verbi gratia ſi tertia reperire volueris, tantummodo 51'' per 60 multiplices, productum enim omnia tertia tibi ſuggeret, quę in 51'' continentur, videlicet 3060''', vt patet ex multiplicatione 51'' per 60; quod ſi illa tertia per dies anni 365 diuiſeris, emergent pro vnoquoque die 8''', verum quia 140 poſt diuiſionem ſuperſunt, ſi præterea velis ſcire, quotnam quarta ſtellæ vnoquoque die præter 8''' conficiant, 140 per 60 multiplica, prodibunt enim 8400'''', quæ vbi per 365 anni dies partitus fueris, 23'''' habebis, quæ præter 8''', diebus ſingulis ſtellæ motu proprio conficiunt.

Quolibet die ſtella æquinoctiali proxima motu proprio metitur octo tertia, & vigintitria quarta.

At verò 5'''' ſuperſunt, quæ tametſi negligere poſſis, vt vnicuique diei 8''', 23'''' aſſignes, præſertim cùm 5'''' pro 6 ferè horis poſſis relinquere, quæ præter 365 dies in anno continentur; ſi tamen vlteriùs pertingere placeat, illa 5'''' per 60 multiplicabis, & 300''''' prodibunt, quæ quia 365 minimè correſpõdẽt, 300''''' in 60'''''' duces, vt 18000'''''' habeas, quæ ſemper poteris diuidere per 365; at præciſè ſatis dictum fuerit die quolibet à ſtellis 8''', 23'''' decurri.

Denique ſi ad horas & minuta venias, ſimili methodo vti poteris, vel alia fortè minus difficili; enimuero iam habes præcedentem tabellam, in qua numerorũ ſeries inter ſe æquales ſunt, adeout vltimus numerus quindenorum, tametſi videtur immenſus, nihil ſit aliud, quàm primus numerus, vel potiùs vnitas, quæ minutum, ſeu partem 60 vnius gradus cœli ſtellati repræſentat. Quapropter ſi tabellam aliam tibi conficias, quæ diem, vel etiam annum in horas, & minuta diuidat, totum negotium facillimum euadet. Itaque primo loco dies anni ponantur, deinde horæ anni, tertiò minuta in anno contenta, quarto ſecunda, & ſic deinceps, quoúſque libitum fuerit, eo modo qui ſequitur.

Tabellæ præcedentis numeri ſunt penitus æquales aſtronomicũs.

365	dies & 6 horæ
8820 horæ	anni
525960'	minuta anni
31557600''	ſecunda anni
1893456000'''	tertia anni

Et ſic deinceps; vbi aduerte tabellam præcedentem hîc etiam vſui eſſe poſſe, quemadmodum enim gradus vnius cœleſtis, vel etiam terreni minutum diuiditur in 60'', & vnum ſecundum minutum in 60''', &c. ita etiam horæ minutum .i. horæ pars 60 in 60'' partiri ſolemus, & 1''' in 60'''', & ſic in infinitum.

Cõparãtur minuta motus ſolis cũ minutis motus ſtellarum.

Non quod vnum horæ minutum correſpondeat vni minuto cœli, quandoquidem ſol 4 minuta temporis explet, vel ſi mauis 4 minuta temporis noſtri labuntur, quandiu gradus vnus cœleſtis motu primi mobilis conficitur, vna ſiquidem hora 15 gradibus cœli reſpondet. Vnde ſit, vt 15 minuta gradus vnius primi mobilis pertranſeant vno noſtri temporis minuto durante, adeout vnũ temporis minutum ſit minuti cœleſtis primi mobilis quindecuplum.

Supereſt, vt inueniamus quotuplum ſit minutum temporis reſpectu minutorum, quæ tardigrada ſydera motu proprio faciunt. Itaque reperiendus eſt numerus in prima tabella, quem per minuta totius anni, videlicet 525960' partiri poſſimus: vel è contra numerus iſte minutorum temporis annui per aliquem præcedentis tabellæ numerum diuidi poterit, exempli gratia per quarta: ſed quia ingẽs fractio futura eſt, ſatius erit dena per 525960' diuidere, nam fractiones poterunt negligi ob paruum illarum momentum.

Quæſtio difficilis.

Veruntamen quia hæc difficultas non minus pulchra eſt, quàm difficilis, placet eam ad normam Geometriopticam, & Aſtronomicam diſcutere, maximè cum nemo quod ſciam hactenus id effecerit: idque faciat plurimum ad Opticæ commendationem, quæ motus ſyderum tam accuratè perſpicit, & obſeruat. Vt ergo rem aggrediamur, ſupponendum eſt primò gradum vnum terreſtrem 20 leucis Francicis correſpondere. Deinde terræ ambitum 7200 leucas continere. Tertiò eius diametrum proximè 2291 includere; ac proinde ſemidiametrum leucis 1145½ conſtare. Quartò ſemidiametrum firmamenti eſſe 14000 ſemidiametrorum terreſtrium; quare ſi vnus terræ ſemidiameter 1145½ leucas dederit; vna firmamenti ſemidiameter videlicet 14000 ſemidiametris terrenis cõſtans, dabit 100800000 leucas pro circunferentia firmamenti: Cuius diameter erit leucarum 32074000. Quintò ſi vnus ſemidiameter pro terræ ambitu leucas 7200 tribuat; 14000 firmamenti ſemidiameter pro ambitu firmamẽti tribuet 100800000. Quia vt eſt diameter ad diametrum, ita circunferentia ad circunferentiam, vt Pappus rectè docet.

Quæſtio hęc de motu proprio ſtellæ in die, hora, & minuto accuratè ſoluitur.

Quædam ſupponuntur.

1. 2. 3. 4. 5.

Itaque circulus Æquinoctialis firmamenti leucas 100800000 habet: quales terrenus Æquinoctialis ei reſpondens 7200 includit. Sextò ſupponendum eſt annos 4 dierum 365, 365, 365, & 366 dies 1461 conficere: motum verò proprium ſtellarum annuum 51'', quater pro prædictis 4 annis repetitũ, dare 3' 24'' vel quod eodem recidit 204'', quæ ſi ad tertia reduxeris, dabunt 12240'''. Quapropter ſi dies 1461 ex 4 prædictis annis emergentes 12240''' efficiant, quotnam dies efficiet? nunquid 8''' $\frac{712}{1461}$.

6.

Septimò notandum eſt integrum circulum 360 gradus includentem, 21600' complecti, ſeu quod idem eſt 1296000''. Vnde concludo, ſi 1296000'' leucas Francicas 100800000 tribuant, 51'', ſeu motum annuum ſtellarum daturum $\frac{140800000}{1296000}$, vel leucas 3967 $\frac{168}{1296}$ ſeu $\frac{71}{161}$.

7.

Quot minuta tam prima quã ſecunda in 360 gradib. contineantur.

Rurſus ſi 51'', ſeu 3060, quibus ſtellarum motus annuus repræſentatur, leucas efficiant 3967 $\frac{71}{161}$, 8''' $\frac{712}{1461}$, id eſt vnius diei motum, leucas vndecim, & ferè $\frac{1}{11}$ daturum.

Quot leucas in anno ſtellæ faciant.

Quot in vno die.

Quod ſi horæ 24, hoc eſt dies integer 8''' $\frac{712}{1461}$ pro motu diurno ſtellæ tribuant; horam daturam, ſeu habituram eſſe pro motu ſtellæ horario 21'''', 27''''' 12'''''', 27''''''' dicendum eſt.

Quot in hora.

Cùm autem vigeſimæ quartæ parti motus, 24 pars ſpatij reſpondeat, & totum ſpatium, quod ſtellæ in die conficiunt, ſit leucarum noſtratum vndecim $\frac{1}{11}$; leuca verò noſtra paſſus 3000 contineat, illæ vndecim leucæ 33000 paſſus includent, igitur vigeſima quarta pars motus vnius diei, pro ſpatio 1380 paſſus dabit. Denique ſi 60 partem motus

Quot paſſus in die & hora.

stellę faciũt

Quot passus in minuto stella faciat: in 2, & tertio minuto quot.

motus horarij stellæ sumpserimus, qui motus horarius est 21····, 17·····, 12······, 27·······: pro illa sexagesima parte resultabunt 21·····, 17······ 12·······, 27········: ac proinde sexagesimam partem spatij, quod vna hora, nempe 1380 passuum assequeris, videlicet passus 23, quos æquinoctialis stella vno horæ minuto durante conficiet in suo firmamento.

Qua ratione poteris, vbi placuerit, inuenire, quotum spatium stella conficiat in vno minuto secundo, nam tantũmodo 60 pars 23. passuũ sumenda erit quos prætetea in pedes diuides vt 115 pedes habeas quandoquidem passus 5 pedes obtinet: qui cum bis ferè 60 contineant, pro motu vnius secundi minuti 2 ferè pedes habebis. Idemque pro tertiis, quartis, &c. efficere poteris: nam pro tertio minuto 60 partem 2 pedum habebis, id est, quinque lineas.

Denique si terrenum spatium iuxta spatium firmamenti, aut è contra dimetiri velis: habes primò arcus circulorum similes; ideoque tantùm ita debes γεωμετρεῖν; quemlibet arcum firmamenti se habere ad quemlibet arcum terrenum, quemadmodum totus ambitus firmamenti se habet ad totũ ambitũ terræ, id est sicut se habet 100800000 circunferentia firmamenti ad 7200 terræ circunferentiam; vel vt se habet diameter firmamenti 320074000 ad terræ diametrum 2291, ita spatium quodlibet terræ cognitum ad firmamenti spatium, vel è contra; quod sanè terræ spatium insensibile futurum est; verbi gratia, si spatium terræ velis inuestigare, quod spatio vnius minuti stellarum, nẽpe 23 passibus respõdeat, ita dices, sicut 100800000 se habent ad 7200, ita passus 23 se habent ad $\frac{1616000}{10080000}$ vel ad $\frac{107}{116000}$ vnius passus tribus regiis pedibus constantis, quod perpetuò supponimus; vel vt reducamus ad minorem numerum sicut 100800000 se habent ad 7200, ita 23 passus continentes minutum firmamenti proximè se habent ad ; vnius lineæ, quæ duæ terræ vnius lineæ sunt tertio spatium 23. passibus firmamenti seu vni eiusdem minuto correspondens.

Quota terrę pars minuto firmamenti respondeat.

Vtinam ex istis Opticæ mirabilibus proficiant Athei, & apud se concludant hominis animam hæc omnia corporea ita superare, vt suam originem alicui acceptam ferre debeat, qui nullo corpore indiget, qui omnibus corporibus præest, qui lumen istud Opticum tam latè potens, tam longè cœlos omnes superans animæ communicauit. Nec enim ab istis corporibus lumen illud, vim illam Opticam habere possumus, cùm illud tribuere nõ valeant, quo comprehenduntur, quo superantur, quo etiam contemnuntur; enimuero vbi videt Opticus ita facilè omnia tam sublunaria, quàm cœlestia vnius radiosæ pyramidis beneficio metiri, comprehendere, superare, quid superest, quàm vt his omnibus se longè præstantiorem arbitretur: cùm autem optimè nouerit se non esse à seipso, fuit enim tempus in quo nondum erat, videatque præstantius ab ignobiliori produci non posse, necessariò concludet se ab aliquo oriundum, qui hæc omnia aspectabilia longè prætergrediatur, quem nos Deum Opt. Max. appellamus, ad quem deinceps Atheos confugere velim, quandiu se propitium exhibet, ad quem vt magis ac magis eos prouocem, crassas illas tenebras, quibus mens illorum effunditur, noua Architecturæ luce dispellamus.

RATIO XXXIV.

Ex Gnomonica desumitur.

Gnomonica nescio quid excellẽtiæ continere videtur, quod omnes alliciat, miraque delectatione reficiat, atque recreet, adeout plurimi magnam ex hac vna parte voluptatem hauriant, licet alias Mathematicarum partes ne quidem à limine salutarint. Vnde vides ipsos rusticos in ianuis suis, vel in hortis lineas quasdam ducere, & pro Gnomone baculum obuium erigere, alios ipsa sui corporis vmbra vti, alios palea stili vices supplente in manu erecta, vt diei horas cognoscere possint.

Horologiorum inuentores; vide Plin. l. 2. c. 7

Anaximenes.

Messala Varia horologia.

Berosus Aristarchus Eudoxus. Scopas.

Ferunt autem Anaximenem Milesium Lacedæmone Sciotericum horologium inuenisse: seriùs enim id animaduerterunt Romani, quippe qui notarent initio in 12 tabulis vnicum solis ortum, & occasum: postea tamen solarium horologium in columna prope rostra posuit Messala Consul Varrone teste. Berosus Chaldæus hemicyclium excauatum ex quadrato, ad enclimaque succisum Catana Siciliæ capta fabricauit: scaphã verò, seu hemisphærium, nec non discum in planitie Aristarchus Samius. Eudoxus Araneam, Plinthum, seu lacunar in circo Flaminio Romæ positum Scopas Syracusius: πρὸς τὰ ἱστορούμενα Parmenion inquit Vitruu. lib. 9. ca. 9. πρὸς πᾶν κλίμα Theodosius, & Andreas: Patrocles Pelecinon; conum Dionysiodorus; Appollonius pharetram. Omitto Gonarchem, engonaton, & antiboræum, atque Vitruuianum analemma, plurimaque similia, vt ad iucundiora diuertam, & Atheis ostendam, quanta Dei bonitas eluceat in illa cognitione horarum, quas ita nobis interdistingunt horologia scioterica.

Vitruuius. Parmenion Patrocles. Dionysiodorus. Appolloni⁹

Nec enim in præsentia loqui de mechanicis horologiis est animus, quæ vel guttulis aquæ sensim ex vno vase in aliud elabentibus fiebãt, & hydraulica, seu clepsydræ vocabantur, in quibus mirabilis fuisse dicitur Ctesibius Alexandrinus, qui teste Vitruuio lib. 9. canum ex auro, vel gemma terebrata perfecit, in quo aqua fluens æqualiter scapũ inuersum subleuaret, & versatilia tympana denticulis æqualibus perfecta modicas versationes facerent, vnde cognoscerentur partes diei: Scipio verò Nasica teste Plin. ad finem lib. 7. anno vrbis 595. primus horas aquæ beneficio tam noctu, quàm die partitus est: has autem clepsydras horarias fuisse constat ex eo quod totidem clepsydræ oratoribus ad dicendum concessæ ferantur, quot horæ: quamuis nonnullæ plures horas denotare potuerint, si in eis horæ diuersæ notis quibusdam signatæ fuerint: vel minutissimo puluere per foramen paruulum ex vno vitro in aliud decidente, quod nunc frequenter vsurpatur, quod clepsydris successit, vel dentatis rotulis, librátisque ponderibus, quæ rotas inter se numero dentium cohærentes ita mouent, vt nõ solùm index vni rotarum affixus omnes ho-

Ctesibius, & eius clepsydra.

Plin.

Horologia mechanica triplicis generis, cũ aqua, cum arena, cum rotis.

rarum partes demonstret, verùm etiam cœlorum, planetarumque motus nonnunquam tanta cum voluptate ostendat, vt nescias quid magis demireris, an pictum homuncionẽ, qui singulos zodiaci gradus digito monstrat, quos sol diebus singulis peragrat; an imagunculam aliam, quæ planetarũ dominium hora quapiam denotat; an senem, qui ♄ motum, an statuas vultum iuniorem præ se ferentes, quæ ♃, ♂, ♀, & ☿ cursus ostendunt; an concentus suauissimos, quos edunt campanulæ, dum singulis horis, vel etiam horæ dimidiis, & quadrantibus momenta temporis manifestant.

Vrgetur Atheus.

Quæ profectò si Atheus accuratè perpendat, non erit, quod vlterius progrediamur: enimuerò cùm illud horologium serio perspexerit, atque fassus fuerit illud tam affabrè elaboratum, ab aliquo præstanti artifice necessariò fieri debuisse, cùm id neque casu, neque fato, vel necessitate contingere potuerit, fateatur etiam necesse est maximum illud totius mundi horologium, tot & tantis rotis cœlestibus coagmentatum, motus edens adeò mirabiles, ad cuius imitationem horologia nostra architecta fuisse videntur, ab aliquo constructum fuisse, qui ad minimum tanto superet interuallo nostrorum quorumcunque horologiorum artifices, quanto mundi totius horologium pulcherrimum nostra superat.

His tamen mechanicis horologiis omissis ad sciothetica venio, quæ profectò tam admirabilia mihi videntur, vt eorum inuentio non alteri, nisi solis factori tribuenda sit, quandoquidem ope Solariorum omnes motus solis ita complectimur, ac si iam in ipsis cœlis versaremur. Mecum obsecro, Athee, hominum industriam contemplare, qui cũ syderibus ludere videntur, ac si regionis eiusdem cœlestis incolæ aliquãdo esse debeant, adeout nulla sit pars cœli, quam non exploratam habeant, cui per ὡροσκοπολόγιον σκιόθηρον non alludant; quod optimè σκιερολόγιον appellaro, cùm ex vmbra horas quasi loquendo indicet. Quis hominem docere potuit proportionem adeò subtilem, & accuratam, qua circulos cœlestes ad horologia tam scitè, tam pulchrè reducit? Aspice quomodo per σκιόθηρον meridianum, horizontale, polare, verticale, æquinoctiale, declinans à verticali, vel ab horizonte, ad horizontem inclinatum, declinans simul, & inclinatum maximos cœli totius circulos referat, quibus videlicet illa horologia ęquidistant, atque parallela sunt.

σκιερολόγιον cur ita dictum.

Nouẽ horologiorum species.

Neque solùm homo reperit horologia stabilia, quæ solis constantes motus includerent, verùm etiam mobilia, quibus vel per solis, vel per lunæ, stellarumque radios in omni terræ loco singula tẽporis momenta bellè deprehendit. Ad hoc enim cylindri, quadrantes, armillæ, annulli, & id genus alia inuenta fuêre. Videres noctu Sciothericum ambulantem noctilabio sydera inspicientem, qui stellarũ motus, & distãtias ita inuestigat, ac si quẽpiam agrum funiculo metiretur; quod profectò satis arguit in cœlis esse patriam hominum, qui hîc sint veluti peregrini. Quid verò planisphœrio potest esse admirabiliꝰ? quod siue diu, siue noctu tractaris, tibi, quæcumque volueris, suggeret: præsertim verò tempus quodcumque, siue horarũ æqualium, siue inæqualium. An potuêre mortales in circulo semipedali, qualis est zodiacus astrolabiorum communium, veram solis eclypticam adeò perfectè referre? Quis homini hancce dedit intelligentiam, vt in Alhancabuth Arabicò, siue retino volnello, matris faciem explente syderum cuspides tam accuratè notaret, vt eundem in illo rete mirabili stellarũ cursum aduertere possis, qui reuera in cœlo peragitur, adeout vmbra non meliùs sequatur corpus, quàm illa retina aranea diurnos stellarum motus.

Mobilia, & stabilia.

Astrolabij præstantia, & eius partes.

Alhancabuth quid.

Profectò nunquam crediderim hominem tam aptè ad horas inueniendas, & ad siderum inuestigandam altitudinem Almicantarath, seu arcus altitudinis, & depressionis planetarum, atque stellarum describere potuisse, vt pro libito, quamcumque sideris cuiuslibet altitudinẽ inueniat, nisi eius animo nescio quæ semina cœlestia insideant, quæ satis arguunt in cœlestibus regionem illius esse locatam: siquidem illa tam admirabilis coronæ progressiuę inuentio cœlestium ignium progressiones ita declarantis, atque referentis nihil terrenum sapere mihi videtur. Nec solùm omnes illi circuli progressionum simul cõsiderati cœlestem esse hominis originem arguunt, verùm etiam vnusquisque singillatim, ille præsertim vltimus, quod pro suo centro Zenith ipsum climatis sortitus est, ad quod VValzagora Arabica, seu plana sphœra sciotherica fabricata est.

Corona circulorum progressionis.

Vualzagora quid.

Huc huc, Athee, te prouoco, num potes denegare hocce Astrolapsum à se fieri non potuisse, sed reuera istud horologium sciothericum cuiusdam excellentis artificis manu exaratum fuisse? Ecquis enim non illud liberè fateatur dum omnes illius partes attentè perspicit? nam siue Abalhanticam suspendentem, siue Alhabos, quo præcedens armilla iungitur cum vniuersali horologio; siue Alnogizam posticam cum suo limbo margilabro; siue tympana regionum cum superiori medij cœli Teu valzalzena, aut inferiori Cathalzeuui linea; siue lineam Almastecham Orientalem, vel Occidentalem Almagripam, quæ præcedenti ad rectos angulos connectitur, siue partem quamcũmque aliam, omnes luculentissimè testantur horologium istud astrolabicum neque casu, & fortuitò, neque ex natura sua, sed Gnomonici cuiusdam præstantis elaboratum industria, atque subtili ratione constitutum esse.

Abalhãtica. Alhabor. Alnogiza. Teu valzalzena. Cathalzẽui. Almastecha, & Almagripa lineæ.

Nec enim frustra, aut in incertum vllam partem ibi positam aspicies, quandoquidem vna quęque suos vsus, & fines habet; nam armilla siue suspensoria, siue reflexa perpendiculum astrolabio tribuit, quod ita necessarium est, vt sine eo certum nihil fieri possit: armilla verò fixa firmat horologium, & in æquilibrio sustinet; ipsum alchitot sine totius horologij iactura tolli nequit, cùm araneam, & tympana cum reliquo corpore iungat, cuius foramen latini stabulum dicunt, alphorat verò equum, seu caballum.

Armillæ variæ.

Alchitot. Alphorat.

Quid iam de magno mundi istius sciotherico, quid amabo dices Athee: nunquid à se, nunquid casu coagmentatum est? ergone potest aliquis ita insanire, vt hæc cogitet? Age verò nos, si potes, edoce, quis terram in loco suo suspendit, quibus armillis sphœræ cœlestes suspensæ sunt? quis axes illos figere potuit, super quibus motu adeo pernici sydera conuertuntur? Conferas omnes astrolabij particulas cum mundi partibus, atque mirabilem illam tot siderum interlucentium araneam, illos Almicantharatæos circulos omnino continuos, & cætera, quæ ad cœlorum systema pertinent cum illis planisphœrij partibus, & vide, an ideo partes istæ cœli, vel casu, vel ex se constitutæ

Athei acriter refellũtur.

tutæ dici, vel cogitari debeant, quòd sint astrolabici horologij partibus longè maiores. An igitur ciuitas aliqua ex se, suáque natura talis est, quia tuguriolo maior apparet? O stultas hominũ insanorũ cogitationes! quis, si mentis cõpos fuerit, nõ liberè fateatur omnino necessariũ totũ mundũ ob opifice productũ fuisse, qui Gnomonis Astrolabici artifice fuerit eò præstatior, quo tot' mũdus vnico minimo planisphœrio maior, & excellentior esse videtur.

Alias horologij suspẽsorij partes hîc afferre nõ est anim', enimuero Athei possunt experiẽtia, qua tãtopere gaudent, & cui soli innituntur, imperfectos Azimuth circumspicere, & in qua cœli parte stella vel oriatur, vel occidat, per illos rectitudinis circulos explorare. Patẽt Nototalgabicę horarũ inęqualiũ lineę à tropico ♑ ad tropicũ ♋ per ęquatorem trãseuntes: sunt in aperto lineæ crepusculinæ, & 12 domorũ cuspides; Almuri, seu calculator in postica facie, & Alhidada cũ linea fiduciæ, atque pinnulis se motibus suis satis superq; produt. Deniq; pars nulla est, quã oculis, & manib' tractare nõ possis; Ex quibus si tibi iudicij scintilla superest, ad supremum sciothericum ascendere debeas, qui mundũ exhibuit, velut pulcherrimum σκιόθηρον tum diurnũ, tum nocturnum, quo numinis diuini vias, atque motus explorares, atque suspiceres, vt reuera mũdus iste nihil aliud esse mihi videatur, nisi quoddã ὡρολόγιον rectè ἀπὸ τῆ ὥρας λέγειν dictum, quo tempus dimetiamur, & horas inuestigemus, quibus supremum numen vult à nobis coli; nisi quoddam σκιόθηρον à σκιᾶς, & θηρᾶν vmbram indagare, vocatum, quo diuinam maiestatem apprehendamus, atque concludamus numinis diuini maiestatem admodũ amplam, & excelsam esse, cùm totus mundus sola illius vmbra esse videatur. Vmbra quidem, nõ quæ in Deo corpus vllum arguat, quippe qui nihil vmbratile, imperfectum nihil includit, sed quæ nos ad illius cognitionem adducat. Quod optimè magnus ille Theophilus noster agnouerat, dum asserit nos hîc Deum nosse per speculũ, & in ænigmate; quid enim est ænigma, nisi veritatis vmbra? Ideóque Esdras l. 4. c. 2. mundum istum vmbram appellat, dum gentes ita hortatur. *Ego Esdras præceptum accepi à Domino in monte Oreb, vt irem ad Israël: ad quos cum venirem, reprobauerunt me, & respuerunt mandatum Domini. Ideóque vobis dico gentes, quæ auditis, & intelligitis. Expectate pastorem vestrum, requiem æternitatis dabit vobis: quoniam in proximo est ille, qui in fine sæculi aduenict. Parati estote ad præmia regni, quia lux perpetua lucebit vobis per æternitatem temporis. Fugite VMBRAM sæculi huius, accipite iucunditatẽ gloriæ vestræ. Ego testor palam Saluatorem meũ.* Quo sanè loco Athei ad Deum, & Iudæi ad verum Messiam Christum Dominum adduci possunt, cuius aduentum hocce tempore celebramus.

Hinc alius dixit microcosmi dies velut vmbram præterire. Deinceps igitur Athee mundum hunc sicut vmbram aspice, & tanquam horologium cõtemplare, quod Dei maiestatem infinitam velut in epitome redactã nobis ostendit; & sicut ὡρολόγιον per vmbras, horã diei loquitur, ita creaturæ omnes tibi loquantur Deum esse, qui fecit omnia; quippe quæ sunt voces, quæ Dei gloriam annuntiant; vt satis appositè Ioannes Baptista Iudæis, quisnã esset, rogãtibus, his verbis expressit: *Ego sum vox clamantis in deserto, parate viam Domini.* Quẽ profectò verũ horologiũ dixerim, qui tẽpus ostẽdit, aduẽtus Messię, de quo tulit luculẽtissimũ testimoniũ, dicẽs. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, &c.

Vtinam Athei se Dei voces exhiberent, nec ita eius detraherent maiestati; at prius Gnomonicã diuinam addiscant, oportet, sine qua Dei perfectiones imitari nequeunt. Quos maximè velim horologiorum exemplo commotos, vt imposterum numen diuinum admittant. Vnde enim Babylonici tam paruis circulis totum solis cursum ab vno ortu ad alium ope horarum Babylonicarum; Athenienses à solis occasu ad occasum alterũ, horis Italicis. Astronomicis verò de Meridie in meridiẽ Vmbri; Romani verò horis Ægyptiis à media nocte in mediã noctẽ sequentem dimetiri, atque cõplecti potuerunt? Quis eis hanc suggessit industriam, vt solis eclypticã, quæ leucis totidẽ constat, quot terrenus ambitus 1142 repetitus, in Arabico Mirach, circulo adeò paruo cõcluderet. An exiguũ existimas quod vnico prædicti horologij verticulo, nõ solùm motus, verũ etiam magnitudo solis inueniatur? quãtis obsecro laudibus efferẽdus est, qui mediclinium tã admirabile suggessit, quo sideris istius quantitatem sciremus, qui toties omnẽ terram superat? & tamẽ vix scio, quid facilius esse possit, tantum enim bis per dioptræ foramina sidus inspiciẽdum est: primò quidẽ limbus superior, dein inferior, nã statim atq; duorũ tuæ dioptræ locorũ differẽtiã acceperis, tibi suggerit, quænã sit visibilis diameter solis præsertim, & lunæ; nã alia sydera minora sunt, quã vt ea ratione diametrũ illorum inuenias. Quod etiã poteris accuratiùs efficere, si Hipparchi quadricubitalẽ, aut longiorẽ, vel breuiorẽ dioptram paraueris, de qua Proclus Diadoch. in hypoth. astron. agit, quæ in vno extremo pinnulã ad rectos angulos vno foramine terebratã, eámque immobilẽ habeat, in alio pinnulam duobus foraminibus à se nonnihil distantibus pertusam, quæ quidem dioptræ sit ad perpendiculum, ita tamen, vt per subscudem in caniculo inserta sursum, ac deorsum manens orthogonalis moueri possit: nam si foramen vnicum respiciat mediũ duorum foraminũ, & dioptrã ex hac biforati pinnacidij parte soli, vel lunæ obuertas, & per illud vnicũ foramẽ tandiu inspexeris vltrò citróque pinnacidium soli obuersum promouendo, donec per vtrúmque foramen limbum vtrúmque sideris deprehendas, & radius superioris marginis per foramen superius ingressus ad vnicum foramẽ, in quo situs est oculus, sicut & radius inferioris ad idem foramen oculi per foramen inferius pertingat, diametrũ sideris habebis minutorum totidem, quot minutorum erit latus subtendens angulũ ad foramen solitarium effectum. Quæ si clariùs habere cupis, consule Prolom. 5 σωντάξ. c. 14.

His autẽ omissis ad Gnomonicã redeo, quæ mihi sagacissima fuisse videtur, dũ in quolibet horologio styli verticẽ pro mundi centro supponit, à quo tantum abesset horologij planũ, quanta esset styli longitudo; quo stylo non solùm horas, sed etiam solis altitudines exploratas habemus. Quod si horologium magneticum in lucẽ protulero, quis non iure demirabitur, quomodo meridiana linea tam promptè inueniatur, nec non linea æquinoctialis ad normales angulos meridianã abscindens, quæ ex parte Orientali sextam matutinã, ex Occidentali serotinam denotet? Profectò nisi quid diuinum, & immortale in se Gnomonicus habeat, non video, quî filum illud axem mundi referens, & rectã ad polum vtrumque collimans, acum illam tum Austrum, ex parte bifurcata, tum Aquilonẽ ex parte acutiori referentẽ, stylum super quo acus ad rectos angulos in æquilibrio posita facilè vertitur, & magneticam virtutem, qua acus animata videtur, nec non alia, quæ in illo portatili horologio conspi-

Azimuth quid sint.

Arcus horarum inæqualium.

Almuri, & Albidada quid.

Psal. 143.

Luc 3. & Ioan 1.

Alia 4. horologia Babylonicũ Italicum, Astronomicum, Ægyptium.

Mirach. 1. eclyptica.

Mediclinium

Dioptra. Hipparchi. Proclus.

Quomodo diameter sideris alicuius inueniatur.

Prolom.

Horologiũ magneticũ.

ciuntur, non inquā video, quā ratione hæc omnia repererit. Quę cùm accuratiùs apud me perpendo, non poſſum ſatis demirari Gentilium inſaniam, qui cū animaduertere potuerint ſe beneficio ſciothericorum ſolis motus, atque magnitudinē poſſe cōprehendere, ei tamen ſe miſerè ſubiecerunt, atq; ſacrificia obtulêre: vel ſaltem diuinis quibuſdam nominibus, cultúque diuino eum affecerunt. Nam apud Flau. Vopiſcum Aurelius templum ſolis fundauit. Emiſſeni vero ſolem colebant in montis effigie, quem cœlo delapſum exiſtimabant, cúmque propterea Alagabalum. i. Deum montem appellarunt. fuitque peculiare numen Emiſſenorū, cui in vrbe Phœnices magnificentiſſimum templum extruxerunt, licet velit Scaliger Deum Gabalitarum fuiſſe: Palmyreni coluerunt eundem, cuius, ſicut & Beli ſimulachrum, Ἥλιον ἢ Βῆλον, inquit Herodianus, Aurelianus diripuit, & in templum ſolis Romæ ab ipſo conſtitutum tranſtulit, Zoſimo teſte. Sunt tamen qui Belū cū ſole cōfundant; vnde lingua Palmyrenorum Μαλαχβηλος appellatur .i. rex Belus.

R. Moſes l. 3 ductoris c. 30. refert plurimos vt zabios ſtellas, ſolem verò præſertim adoraſſe.

Refert etiam Bocatius lib. 2. de geneal. Deor. c. 4. ſub Api ſolem ab Ægyptiis in honore fuiſſe: Satiſque conſtat Maſſagetas ſolem, vt Deum coluiſſe; vt ex verbis reginæ Tomyris apud Herodot. in Clio habemus. Illa enim Cyrū ita alloquitur miſſo ad eum caduceatore. Quæ niſi feceris, i. niſi mihi filium meum Spargapiſem à te dolo, non prælio captū reddideris, per Solē iuro Maſſagetarū Dñm fore vt ego te, etſi inſatiabilem cruoris, tamen ſatiem. Quod quidem effecit; cùm enim Maſſagetæ ſuperiores fuiſſent, inter cæſorum Perſarum cadauera cùm Cyri corpus inueniſſet, caput in vtrem demiſit, quem humano cruore compleuerat, mortuóque inſultans, dixit. Tu quidem meū viuētis, & in pugna victricis filium perdidiſti dolo captum, at ego te cruore ſatiabo. Quod hîc obiter referre volui, in magnū ex vtraque parte crudelitatis exemplū. In fine verò libri, Herodotus hunc ſolis cultū clariùs expreſſit θεῶν δὲ μοῦνον ἥλιον σέβονται, τῷ θύουσι ἵππους. νόμος δὲ οὗτος τῆς θυσίης, τῶν θεῶν τῷ ταχίστῳ, πάντων τῶν θνητῶν τὸ τάχιστον δατέονται. i. ex diis vnum ſolem venerantur, cui equos immolant. Hic autem eſt eis mos ſacrificandi, vt Deorum perniciſſimo è quadrupedibus omnibus perniciſſimum mactent.

Eundē ſolis cultū, eiuſque diuinitatē imaginariā donaria teſtātur, quæ poſt viſum receptū, quē amiſerat ob ſpiculū quadā proteruitate in medios fluminis vortices contortū Phero Seſoſtridis filius in tēplo ſolis poſuit gemina videlicet ſaxa centenûm cubitorū longitudinis, octonū latitudinis: vbi etiā adulterarū mulierū pœna deſcribitur, quas omnes vnā in vrbē coēgit, & omnes cū vrbe cōflagrauit, ea in vxorē aſſumpta, cuꝰ lotio, iuxta oraculū, viſū receperat, vt in Euterpe videre eſt.

Adulteræ concremātur.

In Polymnia verò Magi Xerxis poſt ſolis eclypſim dixerūt Deū ſignificare Gręcis ciuitatū defectū; quod ſol Gręcorū, luna verò ipſorū præſes eſſet: vbi crudelitatis inſignis exēplū legere potes de filio Pythii Lydi natu maiore, quē, quia pater à militia liberari poſtularet, tribus licet in prælio relictis filiis, Xerxes abſcindi mediū iuſſit, eiuſq; diſciſſi dimidiū ad dextrā viæ, & dimidiū ad ſiniſtrā diſponi, & illac tranſire exercitū. In eadē Polymnia legimus Xerxē ex aurea phiala libātē in mare, apud ſolē vota concepiſſe, antequā exercitus Pontū traijceret; vbi dubitat Herodotus, an ſoli dicauerit acinacē, quē in Helleſpōtum abiecit cū aureo cratere; an verò Helleſpōtum gladio donauerit, quod eum flagellaſſe pœniteret.

Verū ne ſim longior in referēdis populis, qui ſolē coluêre, nūc obeliſcos omitto ſolis numini ſacratos apud Plin. l. 36. c. 8. Solis coloſſum Rhodi per 12 annos 300 talentis effectum, cuius policem pauci amplectebantur, vt refert Plin. l. 34. c. 7.

Quos facilè Gnomonica reuocare poterat ab inſania, ne creaturæ honorē ſoli creatori debitū tribuerēt; ne apud eū vota cōciperēt, cui ipſi anteponuntur. Scio quidē magnas vtilitates à ſole nos carpere, vt hominū appellatione iudicē indignos, inter quos nulla ſunt nomina, & qui ſolē Oriētē, Occidētēq; dira imprecatione intuentur, vt exitialē ipſis agriſq., quales Plin. l. 5. c. 8. Atlantes ait. Verū maiori correptos inſania dixerim, qui eū veluti numē adorāt: quod cū gētiles Chriſtianis exprobarēt, idē in illos retorquet Tert. c. 15. Apolog. Alij planè humaniùs, & veriſimiliùs ſolē credūt Deū noſtrū. Ad Perſas ſi fortè deputabimur (licet ſolē nō in linteo depictū adoramus) habētes ipſum vbiq; in ſuo clypeo. Deniq; inde ſuſpicio, quod innotuerit nos ad Oriētis regionē precari. Sed & pleriq; veſtrū in affectatione aliquādo, vt cœleſtia adorandi ad ſolis ortū labia vibratis. Quibꝰ ita reſpōdet, vt ſimul illū eſſe verū, & vnicū Deū oſtēdat, quē colimus. Quēadmodū igitur à vero longè aberrarūt, quicūq; ſolē pro Deo coluêre, ita & ij, qui nullū Deum agnoſcunt: in quorum gratiam Tertulliani verba ſequētia refero, quæ c. 17. eiuſd. Apolog. habet.

Quod colimus nos, Deus eſt, qui totā molē iſtā cū omni inſtrumēto elemētorū, corporū, ſpirituū verbo, quo iuſſit; ratione, qua diſpoſuit, virtute qua potuit, de nihilo expreſſit, in ornamētū maieſtatis ſuæ, vnde & Græci nomen mūdo κόσμον accōmodauerūt. Inuiſibilis eſt, & ſi videatur, incōprehēſibilis, etſi per gratiā repræſentetur, ineſtimabilis, etſi humanis ſenſibus æſtimetur, adeo verꝰ, & tātꝰ eſt. Cæterū quod videri cōmuniter, quod cōprehēdi, quod æſtimari poteſt maius eſt & oculis, quibus occupatur, & manibus, quibus inuenitur. Quod verò immēſum eſt, ſoli ſibi notū eſt: hoc quod eſt, Deū æſtimari facit, dū æſtimari nō capit. Ita eū vis magnitudinis & notū hominibus obiecit, & ignotū. Et hæc eſt ſūma delicti nolētiū recognoſcere, quē ignorare nō poſſūt. Vultis & ex operibꝰ ipſius tot ac talibꝰ, quibus cōtinemur, quibus ſuſtinemur, quibus oblectamur, etiā quibus exterremur. Vultis ex ipſius animæ teſtimonio cōprobemꝰ? Quæ licet corpore carceris preſſa, licet prauis inſtitutionibus circūſcripta, licet libidinibus, & cōcupiſcētiis enigorata, licet falſis diis exancillata, cum tamē reſipiſcit, vt ex crapula, vt ex aliqua valetudine, & ſanitatē ſuā patitur, Deum nominat, hoc ſolo quia propriè verus hic vnus Deus, bonus, & magnꝰ. Et quod Deus dederit, omniū vox eſt. Iudicē quoq; cōteſtatur illū, Deus videt, & Deo cōmēdo, & Deus mihi reddet. O teſtimoniū animæ naturaliter Chriſtianæ! Denique pronuncians hæc, nō ad Capitoliū, ſed ad cœlū reſpicit. Nouit enim ſedē Dei viui ab illo, & inde deſcēdit.

Verū vt ad Gnomonicā reuertar, vnquāne aduerterūt Athei, hanc ſciothericis vim, & induſtriā inditā eſſe, vt nō ſolū tēporis momēta ſuis lineis horariis, nō tātū arcus nocturnos, atq; diurnos, nō tātū inæqualitatē dierū, ſolis aſcēſiones rectas, & obliquas, verū etiā numerū graduū, atq; minutorum, quæ hora qualibet percurrit, diligenter annotarint. Enimuero diſtātia horę cuiuſlibet, exēpli gratia vndecimæ à 12, 15 Æquatoris gradibus cū reſpondeat, quorū ſinguli 4 minuta tēporis includūt, 60 minuta cōplectitur, quot ſūt in hora: vel minuta Æquatoris quindecies 60, ſeu 900. quæ ſūt motꝰ cœleſtis minuta trāſeūtia, dū 60 tēporis minuta expēdūtur.

Diſtantia horarum horologij quibus partibus æquatoris reſpondeat.

Vnde minutorū tēporis, & motꝰ analogiā facilè cōieceris, nā quindena eſt, itaut durāte vno minuto ſecūdo tēporis, minuta motus, & ſpatij primi mobilis

bilis quindecim in æquatore posita pertranseant.

Parum dixi, ipse sol excellentissimus hominis Geometra constituitur, quandoquidem pro libito genus omne figurarum nobis in plano describit, nec aliud à nobis honorarium, nullum Minerual postulat, quàm vt ei stylum aliquem digito, si vis, breuiorem suggeras. Quo in centro horologij collocato, bellè tibi circulum perfectissimum describit, ipsum videlicet æquatorem, dum radius illius in eodem extitit æquatore. Quod si lineis difficilioribus indiges, statim atque fuerit extra æquatorē, conicas delineabit, quarum vna futura est conica superficies luminis; alia superficies vmbræ conica è diametro construetur. Vis parabolam? hanc exhibet sectio communis earundem superficierum conicarū, plani sciotherici circulo maximo æquidistantis, qui superficierum conicarum bases attingat; si verò circulus iste bases prædictas intersecet, hyperbolæ sibi oppositæ prodibunt illicò, vt ex Pergæi l.1. prop.14. Båbergensis elicit 1. Gnom. 6. Denique si neque tangat, neque secet ille circulus bases illas conicas, neque eis æquidistet. Ellipsim habes. De quibus omnibus fusè Maurolycus tum l.2. de lineis horariis c.2. vbi de flexis agit, quas secant, & tangunt horariæ lineæ in obliquis horizontibus, qualis est noster in Gallia, sicut & omniū, qui citra, & vltra æquinoctialem habitant: c.3. 4. 11 & sequent. vsque ad finem; tum l.3. vbi ferè per totum de paraboles, hyperboles, & ellipseos diametris, & delineatione loquitur: Clau. 1. Gnom. ab 8, & deinceps. Federic. Cōmendinus. lib. de horol. Aguil. 6. Optic. à 14 lemmate ad 27. vbi præsertim de ellipsis natura Gethal. de parab. Durer. l.1. geom. Mechanicorum princeps tum de quadratura paraboles, tum l. de conoid. & Geometer omnium acutissimus Appollonius in Conicis cum suo Eutocio.

Quando sol veluti geometer conicas sectiones describat.

Maurolic.

Bamberg.

Vide Kepler. pag. 376 opticæ astron.

Aguil.

Hæ sunt excellentissimæ lineæ, quas sol hominum Geometer nobis exhibet; quæ profectò mihi videtur admirabiles, quandoquidem à linea recta, quæ est prima sectio coni, transimus in parabolam per hyperbolas infinitas; & à parabola in circulum per infinitas ellipses; enimuero omnium hyperbolarum obtusissima est linea recta; acutissima, parabole: sicut omnium ellipsium acutissima est parabole; obtusissima circulus; vt parabola velut in medio constituta ex vna parte duas naturâ infinitas hyperbolē & rectam; ex alia verò duas finitas, & in se redeūtes, ellipsim, & circulū habeat adeout eius natura medium locum teneat, sitque infinita, & finita; etenim quo magis producitur, eo magis sibiipsi fit parallella, nam illius crura se se instar hyperbolæ non expandunt, sed potiùs contrahuntur, ne in infinitum diffluant, semperque parabola complectitur amplius, sed minus appetit; hyperbole autem plus simul appetit, atque complectitur; plus enim de rectitudine, sicut ellipsis pl⁹ de curuitate, sed ex æquo recta & curua dicitur esse parabola; vt quo lōgiùs hyperbole producitur, rectæ, seu asymptoto suæ similis euadat, ellipsis verò quo longius vltra medium continuatur, eo magis circularem figuram imitetur, & tandem secum ipsa coincidat. Denique parabola semper est hyperbole curuior, cùm æqualibus interstitiis describuntur; ellipsi verò semper rectior.

Commendin. Gethal. Durerus. Apollon. Proprietates parabolæ.

Hyperboles, & ellipsis proprietas.

His autem lineis à sole horologiorum authore partiali relictis, & aliis plurimis, quę ad sciotherica pertinent, quæque poterunt maiori cum otio ab Atheis considerari, illos, quantum in me situm est, ad pulcherrimum illud horologium prouoco, cuius horizon, ratio naturalis prima Dei cognitione hominem imbuens; obelus axem mūdi, atque adeò poli referens altitudinem, fides; meridianus, ipse Deus: circuli horarij, Dei præcepta, quibus vita nostra dispensari debet; signa zodiaci suis quæque locis in horologio reposita, virtutes, vera animi ornamenta. Cogitent, obsecro, quis soli tribuerit illā industriam, vt tantus foret Geometra: quis homini contulit ingenium, quo vnius veruculi beneficio tantos solis cēties quadragies terra maioris circuitus, & motum adeò pernicem, quo singulis horis per 15 gradus, aut per spatium illis correspondens cieatur, & omnes illi⁹ declinationes cōprehēderet.

Horologiū mysticum.

Sol excellens geometer.

Vtinam ratio hæc Gnomonica futurus sit gnomon, & regula, quibus Athei ad veritatem adducantur, nec enim me parum fecisse arbitrabor, si quis vmbra, & luce accuratiùs perpensis, sese veræ luci exhibeat illuminandum, & omni vanitatis vmbra seposita deinceps verissimum Deum ambabus, vt aiunt vlnis, amplectatur. Exurge igitur, quisquis in vmbra mortis hactenus delitescis, & illuminabit te Christus: ne te subita mors in Orcum abripiat, vbi æternis suppliciis impij torquētur. Et quidem nihil est, quo retardari debeas.

Enimuero licet non desit horologium, quod tibi mortem ostendat, nullum est tamen, quo diem extremum vitæ deprehendas. Est horologium mortis, quo scimus nos omnes morituros esse, nam vt benè Horat. l.1. Od.28.

Horologiū mortis, & extremi iudicij.

Horat.

— Omnes vna manet nox
Et calcanda semel via lethi

Quod D. Paulus confirmat ad Hebr. 9. *statutum est omnibus hominibus semel mori*; alterum horologiū est iudicij, siquidem addit, *post hoc autem iudicium.* O fallaces hominum cogitationes! ô pernitiosa hominum consilia. Qui vsque adeò sæculi negotiis, voluptatibus, & nescio cui cæcitati pertinacissimæ immerguntur, eaque obruuntur, vt rerum omnium conditoris, & propriæ salutis obliti nunquam inde emergere in animum inducant, nunquam deliberent insaniæ vale dicere.

D. Paulus ad Hebr. 9.

Iam verò vos ipsos ad mentem recipite, hanc è mente præsumptionē deturbate, videte quales post obitum euasuri estis, quid tunc fecisse, quid cogitasse, quid credidisse velletis: Quales enim vos inuenerit vltimus vitæ dies, tales inueniet vltimus mundi dies. Vocem illam benignissimam audite, qua vos, qua nos omnes dulcissimus Christus inuitat, Marc. 13. *Videte, vigilate, & orate, nescitis enim, quando tempus sit, quo mors ventura sit, aut qua ratione diem extremum obituri sitis.* O quantum vos Deus ad pœnitentiam expectauit, quoties internis instinctibus, & inspirationib⁹, vos ad meliorem frugem prouocauit! Cur tantam vobis iram thesaurisatis? cur tanta diuini numinis benignitate, longanimitate, & patientia abutimini? Verū me iam melior spes manet, tandem enim aliquando, si non omnes, saltem vestrûm aliquem errori tam crasso æternum vale dicturum confido.

Vrgentur Athei.

Marc. 13.

Verùm antequam huic capiti finem imponam, vnum Atheos rogabo, videlicet vt seriò Sciothericum aliquod exempli gratia horizontale considerent, quod vbique propemodum occurrit, & horizonti circulo æquidistat; Poteruntne in animū inducere suū, lineam meridianā omniū solariorū fundamentum, & cæterarū linearum principem, quā descriptam aspicient; circulum super ea descriptū; lineam perpendicularem per istius circuli centrū transeuntem, & meridianam ad rectos angulos se-

Lineæ necessariæ vt horologiū perficiatur.

cantem; ipsum circuli quadrantē in 90 gradus diuisum, vt per aliquem ex istis, qui poli denotet altitudinem (quā Lutetiæ 48 graduum 40 habemus) axis ducatur per circuli mediū; horas inscriptas, & alia quæ ad horologiū attinent, poteritne inquam sibi persuadere lineas istas, totúmque horologium vel casu, vel fato, vel ex se ita sese habere. Nusquā profectò, sed libentissimè fatebitur ab aliquo Mathematico horologium istud constructū fuisse, vel ab eo, qui Gnomonices nō omnino imperitus fuerit; qui priùs scire debuit quid esset horizontalis circulus, vt circulū minorē ei parallelum circino suo describeret, quem postea in 2 hemisphæria divideret, quorū vnumquódque cōstet 180 gradibus; deinde perpendiculari per centrum producta, circulum in 4 quadrantes partiretur, vt quilibet quadrans angulo recto ad centrū facto subtendatur, sicq; 4 anguli recti totam circuli peripheriam exhaurirent.

Poli altitudo Lutetiana.

Horizontalis Sciotherici cōstructio.

Hoc credo fatebuntur Athei, dummodo in rerum Gnomonicarum summa ignoratione minimè positi fuerint. Itaq; bene res habet, progrediamur. Vt quis in horologio poli reperiret eleuationem, cui stylus respondeat, saltem vnus circuli quadrans in 90 gradus secandus fuit, quod ita potuit effici, vt priùs in 3 partes totus quadrans, deinde quælibet tertia pars in 3 alias: & singulæ harum in 2; demum harum vnaquæque in 5 partes ęquales diuideretur, vt pro quadrante 90 gradus haberet, quorum vnūquémque etiam in minuta tum prima, tum secūda, & deinceps secare possis. Præterea debuit axi prædicto perpendicularem excitare, cuius alia extremitas caderet in meridianam lineam, in qua tantæ longitudinis lineam assumeret, quanta fuit ducta perpēdicularis super axem, vt ab extremitate huius sumptæ longitudinis circulum quantumuis magnum, licet occultum describeret in 24 partes illicò secandum.

Circuli quadrantis diuisio in 90. partes.

Nunquid etiam regula fuit necessaria, qua super huius circuli vltimò descripti centrum, & super eiusdem diuisiones singulas posita, sectiones æquinoctialis annotarentur, & per singula intersectionum puncta diametri per centrum circuli maioris ducerentur, quæ horas ipsas denotarent, hinc inde, 1. super meridianum, dein à læua in dextram, & è cōtra. Quis Gnomonicus id ignorat? quis Sciothericus, sed quis mortaliū id, vbi rem intellexerit, in dubium reuocare potest? Sed & stylum in linea meridiana collocare debuit aliquis, idque ex ea parte, à qua ductus est axis, qui tātus sit vt ad eundem axem pertingat, ac proinde tanto maior, quāto remotiùs à centro, horologij collocatus est. Nū ista quispiam negare potest? Quod & de verticali necessariò fatendum est; cuius axis ab experto per gradum complementi altitudinis poli ducendus fuit, qui lineam meridianam horizonti normaliter insistentem, & ex opposito zenith loci respicientē, sicut & lineam horæ sextæ horizonti parallelam describere, & planam horologij faciē ad austrum, tergum verò ad Septentrionem cōuertere debuit. Iam verò meridionalis, polaris, æquinoctialis omnium facillimi, (cum stylus sit in centro, & ab eo 24 lineæ ductæ horas 24 æquales denotent, tantūque linea horæ sextæ horizonti æquidistare, & planam horologij iuxta complementum altitudinis poli inclinari debeat, & reliquorum tam mobiliū, quàm immobilium fabricam omitto vt ad scopum mihi propositum, Deo gratissimum, Atheis vtilissimum, omnibus iucundum Theotimis collimem.

Horarum descriptio.

Verticale in quibus à præcedenti differat.

Æquinoctiale omnium facillimum.

Ergo fatemini sciotherica prædicta non potuisse casu, vel ex se fieri; igitur aliquem concedisis, qui lineas illas duxerit, qui nouerit, cùm sit in Gallia, zenith Gallorum non esse in æquatore, vbi poli mundi radūt horizontem, sed vnum polorum tantumdem eleuari, quantum alter deprimitur, zenith verò tantum accedere ad Septentrionem, quantū polus eleuatur; æquatorem tantum à zenith recedere versus meridiem, quantum idem polus altus est. Qui scierit vel astrolabio, vel alio instrumento poli veram altitudinem, vel lineam meridianam inuestigare, altitudinem poli, & latitudinem regionis, seu distantiam zenith ab æquatore inter se esse æqualia, sicut & cōplementum altitudinis poli, & eleuationem æquatoris super horizontem: horum enim aliqua cognitio requiritur, vt sciotherica technicès fabricentur. Nūc vero mentē erigamus ad horologiorum nostrorum prototypū, mundum videlicet, cuius horologia cum sciotherica, tū mechanica, veluti cōpendia, vel vmbræ quædam esse videntur. Quis obsecro magnum istud mundi fabricauit horologiū? an circulus illius meridianus, an æquinoctialis, vel horizontalis, an axis, an cætera, quæ in eo cōspicimus casu, fato, aut ex se producta sunt? si quis ad sciotherica nostra quantumuis parua delineanda necessarius fuit, quantomagis, vt magnum istud construeretur? Enimuerò nō ideo circulus, aut sphęra rectore, vel authore caret, quia maior est, quin potiùs statim atque maiorem circulum aspicis, rectè, atque necessariò concludis maiori circino, vel eiusdem apertura maiori opus fuisse, vt describeretur, quā vbi minor faciēdus est.

Quę necessaria sit scientia, vt quis horologium rectè describat.

Quomodo ex sciotherica anim' ad Deū erigendus sit.

Cur igitur simili modo non concludis maiori authore opus fuisse, vt mundi circuli, sphæręque maiores producerentur? nunquid in prima conclusione mētis compos eras, in hac verò illius expers dicendus es? Rationē, obsecro, tuā consule, vide mūdi ingēs horologiū, omnes eius circulos, & lineas: zenith, poli, & æquatoris altitudinē cōtēplare, illas 7 planetarū rotas à superiori cōmotas sphęra, illorū statos, directos, retrogrados passus intuere, teq; ipsum interroga, vndenā hæc omnia; quo tēpore cœperint, ad quid, & à quo producta sint: profectò cōcludes ab aliquo summo artifice peracta fuisse, qui totidē cāpanas, totidēq; testudines, quot creaturas fecerit, quæ sui autoris laudes aperiant, iuxta id *Non sunt loquelæ neq; sermones, quorū non audiātur voces eorū*. Enimuerò nō solū homines Dei laudē prædicāt, sed & omnes aliæ creaturæ, quæ radiorū solatiū instar se ab entiū ente numine diuino suā originē duxisse, vel mutæ fatētur. Sunt etiā horologia, quę nos doceāt, quid pro diuersis tēporib' agere debeamus, cū ipsæ suo quoq; tēpore statim agāt, statim patiātur; vere siquidē germināt, flores edūt, & autumno fructus suggerūt. O quantū fructū Athe' edet, si ex horologiorū cōtēplatione deinceps numini diuino debitū honorē impendat, & veram religionē amplectatur. Qui si fuisset ante mundum cōditū, & post aliquod tēpus (si absq; mundo tēpus esse possit) hunc aspexisset, certū est tūc eum apud se dicturum fuisse, hic mundus productus est, quia priùs non erat, neque enim illū deprehenderā: nūc verò cùm initio vitæ mūdū inuenerit, qui ei victū, & vestitum, & quicquid ad voluptatem, & vtilitatem facere videtur, suppeditet, impius ille negat mundum productum fuisse, vbi summas gratias agere debuisset ei, qui mensam opiparam, & gratissimam habitationem omnibus hominibus, imo & animantibus cunctis præparauit. An igitur mundus non erit productus, quia nondum eras, quando

Psal. 18.

Creaturæ sunt velut horologia.

Vrgetur Atheus.

quando fuit conditus? Nunquid illud horologiũ à se esse existimas, nec ab vllo constructum fuisse, quod in horto paterno, vel in alio loco reperis, quia iam ibi fuerat, antequam ex vtero prodires? quia neminem vidisti, qui illud construeret? An aliquis adeo stolidus inueniri potest, qui hæc asserat, vel apud se cogitare, sibique persuadere possit? Itaque tuam insaniam imposterum deride, & ad meliorem frugem te recipe.

Numen diuinum esse firmissimè credas, illudque suspice, venerare, & supplex adora, vt te post huiusce vitæ curriculum, in quo horologiis, & vmbris indigemus ad illam patriam transferat, in quo neque vllæ vmbræ, neque luminis vicissitudo, neque sciotherica requiruntur, illius siquidem beatæ habitationis lucerna est agnus; ibi diuinitas summum lumen effundet, quo beati fruātur ęternum. Illuc, Athee, illuc te prouoco, vt tandem aliquando finem illum, ob quem factus es, assequaris. Quod vt melius fieri possit, mecum, amabo, totius mundi fabricam aspice, quam tibi proponit sequens architectonica. Quod si plura de sciothericis desideres, vide ad nostra prolegomena, in quibus præclara de horologiis attulimus.

RATIO XXXV.

Ex Architectura depromitur.

IN hoc argumento possem Atheum introducere, rogarem enim statim atque pulcherrimum aliquod palatium, atque domus omnibus perfecta numeris occurreret, an is qui ædificium illud tam perfectè construxit, laude aliqua dignus sit, & an domus huic similis ex se, vel aliquo casu fieri possit, in qua neque τάξις vlla, neque θέσις, neque συμμετρία deficit, si præsertim omnis generis columnæ tā interiora, quā exteriora domus exornarint, adeout neque Doricæ cedant illis, quas antiqui Mineruæ, Marti, & Herculi faciebant: Corinthiæ superent illas, quas Veneri, Floræ, Proserpinæ, atque fontium Nymphis dedicabant. Ionicæ vero à seuero Doricarum, & Corinthiarum teneritate recedentes Iunonias, & Dianæ, Liberóque factas omnino supergrediantur.

Quæ faciāt ad ædificij pulchritudinem.

Quid enim Atheus aliud fari poterit, vbi denticulos in Doricis epystiliis sculptos, aut triglyphos in Ionicis, puluinatisque capitulis expressos aspiciet, nisi architectum excellentem in illo ædificio suam operam strenuè collocasse? Addamus, si lubet, locum excelsum, non nebulosum, non pruinosum, qui cœli regiones temperatas, non æstuosas, neque frigidas respiciat; vbi neque mare vicinum, neque palustris vicinitas, neque venenatæ bestiæ; Auster morbum non inducit, non tussim Corus: sed lumina zephyro leniter verberantur, & horrea, atque cellæ vinariæ ad Aquilonem incorruptibilem vergunt; denique omnia tam ad salubritatem, quàm ad pulchritudinem confluunt, vt neque Momus quidquam in ædificio reprehendere possit. Sanè probè noui dicturum illam domū nusquam extrui potuisse, nisi cuiusdam Architecti manibus, atque consilio, qui non tantùm graphidos peritus sit, verùm etiam Geometriæ, Optices, Arithmeticæ scientiis imbutus.

Qui naturam ventorum, & aquarum præclarè nouerit; qui non sit Medecinæ penitus ignarus, vt de loci, aëris, & aquæ salubritate iudicet; qui Astronomiæ studuerit, & Geographiam calleat, vt verum Orientem, Occidentem, & alias mundi plagas, κλίματα, longitudinem, & latitudinem, nec non poli eleuationem, solstitiorum, atque ęquinoctiorum locum pro variis locis, in quibus ædificia fabricanda sunt, inuestigare potuerit: sic enim perfectū Architectum in omnibus artibus, & doctrinis plus oportet facere posse, quàm qui singulas res suis industriis, & exercitationibus ad summam claritatem perduxerunt, si Pythio ædis Mineruæ Prienēsis architecto credamus. Quæ cùm in nullo homine reperiri valeant, age, quæramus aliquē non vnius domus, aut ciuitatis, sed templi istius vastissimi, mundi videlicet architectum; par enim est, vt ingens istud ædificium ab aliquo artifice cōstructum fuerit, qui perfectissimam Encyclopædiam habeat, quandoquidem nihil omnino deest, quod non sit aptum, concinnum, magnificum, & omnem superans admirationem. Enimuerò siue columnarum spectes ornamenta, siue laquearia, & tecta, siue fundamenta, admiratione rapiaris necesse est; nam quomodo terra fundari potuit? quæ sublicæ, qui pali fistucatione solidati sunt, vt super aquas eam circundantes stabiliretur? nunquid, Athee, nunquid aderas, quando fistucæ, atque palatione vstulata alnus, robur, & olea pangebantur, & in terram adigebantur?

Quã nã in architecto perfecto requirātur.

Miraculum in terræ fabrica.

Si elementa mundi pro eius columnis statuere velimus, conferas obsecro stereobatas elementarium columnarum cum stylobatis Toscanarum, Italicarum, Corinthiarum, aut aliarum quarumlibet vide si potis es, quænam sint quadrarum, spirarum, truncorum, coronarum, plintharum, zophori, guttularum, triglyphorum, metoparum, volutarum, trochilorum, scotiarum, astragalorū inter se, & cum capitulis, atque scapis analogia.

At verò quænam est elementorum cum columnis siue Corinthiis, siue Atticurgis, siue Ionicis, aut Doricis collatio? quis vnquam videre potuit columnas per annos 5000 perseuerantes, in quibus etiamnum tori, scamilli, supercilia, cymatia, puluinorum balthei, abaci, acroteria, & aliæ columnarum partes interdistinguerētur. Cum tamen elemēta iam per annorum 6000 in integritate sua perseuerarint: Vnde statim Athei concludere deberent se hucusque in fœdissimos errores impegisse, & reuera Architectum omni ex parte admirabilem necessariò esse debere, qui terram ita super stabilitatem suam firmarit, vt neque in æternū inclinatura sit; terra siquidem in æternum stat, quicquid momentis singulis varias mutationes subire videatur.

Cōparātur columnæ alicuius ędificij cum mundi columnis.

Sanè neminem integro iudicio vti posse arbitror, qui non fateatur illam terræ suspensionem, atque constitutionem ab alio quam à summo artifice omnium hominum ingenia superante fieri non potuisse. Quid si terrę, & aliorum elementorum ornamenta cum ornamentis columnarum, quas adhibent in suis ædificiis Architecti, contu-

leto? Nunquid Athee, magis admiraberis architectum, qui tectum ita disposuerit, vt domum perfectè tegat, nec tamen ei pondus addat: tectû, quod non solam ædificij partem superiorem, sed totum ædificium ambiat: tectû, quod motibus perpetuis ita gyratur, vt omnia cubiculis omnibus suggerat, quæ vel ad incolarum vitam transigendam, vel ad voluptatem tam oculis, quàm aliis sensibus hauriendam aliquis optare posset.

Mundi palatium quã admirabile

Eia igitur, erige animum, & oculos in cœlum attolle: circumspice hoc magnum magni principis palatium; oculis lustra illustrem illustris machinam architecti. Ecce terreum pauimentum floribus, frutetis, arboribus, herbisque distinctum, quorum intuitu delectaris, gustu pasceris, odore reficeris. Quibus nunquam caret, nisi fortè circa brumam, qua verruntur flores, vt nouis aliis erumpentibus, atque lasciuientibus reflorescat. Hinc eriguntur parietes aërei cœlis attigui continente vertigine firmi, perpetua latione fortes, pellucidi, nitidi, foris, & intus luce conspicui, quã eiaculantur astra. Quibus impositus pulcherrimus ille fornix, cui lucentia astra incisa, quæ suo lumine complent vniuersa, virtute fouent, & sua pulchritudine omniû ad se oculos, animósque conuertunt. Vin Oratorê audiamus, qui tam pulchrum pulcherrimi architecti ædificiû admiratus in hęc verba erûpit, postquam introduxit Balbum, qui cum 4 sibi probanda susciperet, videlicet Deos esse: quales sint; mundum ab his administrari: & eos consulere rebus humanis, Lucilius ait. Ne egere quidem videtur oratione prima pars; quid enim potest esse tam apertum, tamque perspicuum, cùm cœlum suspeximus, cœlestiáque contemplati sumus, quàm esse aliquod numen præstantissimæ mentis, quo hæc regantur? Quod qui dubitat, haud sanè intelligo, cur non idem, sol sit, an nullus sit, dubitare possit. Quid enim est hoc illo euidentius? quod nisi cognitum, comprehensúmque animis haberemus, non tam stabilis opinio permaneret, nec confirmaretur diuturnitate temporis, nec vnâ cum sæculis, ætatibúsque hominum inueterare potuisset. Etenim videmus cæteras opiniones fictas, atque vanas diuturnitate extabuisse.

Deum esse probatur ex Tullio 2. de natura Deorum.

Quatuor verò de causis Cleãthes dixit in animis hominum informatas Deorû esse notiones: primã posuit eam, quæ orta esset ex præsensione rerum futurarû, alteram, quam ceperimus ex magnitudine cômodorum, quæ percipiuntur cœli têperatione, fœcunditate terrarum, aliarumque commoditatum complurium copia. Tertiam, quæ terreret animos fulminibus, têpestatibus, nimbis, niuibus, grandinibus, vastitate, pestilentia, terrę motibus, & sæpe fremitibus, lapideisque imbribus, & guttis imbrium quasi cruentis; tum lapidibus, aut repentinis terrarum hiatibus: tum præter naturam, hominum, pecudúmque portentis; tum facibus, tum stellis iis, quas Græci cometas, nostri crinitas vocant, quæ nuper bello Octauiano magnarum fuerunt calamitatum prænuntiæ: tum sole geminato, quod, vt è patre audiui, Tuditano, & Aquilio consulibus euenerat: quo quidem anno P. Africanus sol alter exstinctus est: Quibus exterriti homines vim quandã esse cœlestem, & diuinã suspicati sunt.

4. Causę afferuntur, cur homines ad Dei cognitionê peruenerint.

Quartam verò causam, eámque vel maximam, æquabilitatem motus, conuersionem cœli; solis, lunæ, siderumque omniû distinctionem, varietatê, pulchritudinê, ordinê: quã rerû aspectus ipse satis indicaret, non esse fortuita. Vt si quis in domû aliquã, aut gymnasium, aut in forum venerit, cùm videat omniû rerû rationem, modum, disciplinã, nô possit ea sine causa fieri iudicare, sed esse aliquem intelligat, qui præsit, & cui pareatur: multo magis in tantis motibus, tantisque vicissitudinibus, tam multarum rerum, atque tantarum ordinibus, in quibus nihil vnquam immensa, & infinita vetustas mentita sit, statuat necesse est, ab aliqua mente tantos naturæ motus gubernari.

Quibus, vt ea confirmaret, ea Chrysippus addebat, quæ ab ipsa natura didicisse, non ipse reperisse videbatur. Si enim est aliquid in rerû natura, quod hominis mens, quod vis, quod potestas humana efficere non possit, est certè id, quod illud efficit, homine melius. Atqui res cœlestes, omnesque eæ, quarum est ordo sempiternus, ab homine confici non possunt; est igitur id, quo illa conficiuntur, homine melius. Id autem quid potiùs dixerim, quàm Deû? etenim si Deus nô est, quid esse potest in rerû natura homine melius? in eo enim solo ratio est, qua nihil potest esse præstantius. Esse autê hominê, qui nihil in mundo melius esse, quàm se putet, desipientis arrogantiæ est. Ergo est aliquid melius, est igitur profectò Deus. An verò (vt ad architectonicam redeamus) si domum magnã, pulchrámq; videris, non possis adduci, vt etiam si Dominum non videas, muribus illam, & mustellis ædificatã putes; tantû verò ornatû mundi, tantã varietatê, pulchritudinêque rerû cœlestium, tantã vim, & magnitudinê maris, atq; terrarum, si tuû, ac nô Dei immortalis domiciliû putes, nône planè desipere videare.

Vrgentur Athei.

Ingredere quisquis es Athee magnum istud mûdi palatiû, & si potes, contemplare, qua taxi, diathesi, eurythmia, symmetria, quo decore, qua œconomia illius architectus vsus fuerit, quomodo Icnographiã cœlorum, aëris, & aquæ ortographiam, terræ scenographiã delinearit. Dicito si potes, an aliquis præter Deum tã perfectam graphidos sciêtiam, & eurygrãmi vsû scire potuerit. Reuera fieri nequit, vt vllus mundi tantû, & tam pulchrû ædificium côdiderit, nisi maiori, quam omnes homines scientia, maiorique virtute polleret: nec enim vllus est modus, quo lacunaria cœlis similia, aut parietes 4 elementis æquales vis humana vel perficiat, vel incipiat. Omnino autê admirabile, & omnê superans industriã liberè fatereris, si ex alicuius colũnæ zophoris, cymatiis, triglíphis, metopis, scotiis, scapo, astragalis, aut cæteris partibus, vel etiã ex toto ędificio cuncta orirentur, quę ad alendos istius domus incolas, & ad eorum oculos, gustû, aliosque sensus recreandos necessaria esse videntur. Profectò si hęc elementa respexeris, è terræ, & aquis velut ex columnis omnia nasci deprehendes, quæ ad vitã magna cum voluptate degendam attinent. Ac principiò terra vniuersa cernatur, locata in media mundi sede, solida, & globosa, & vndique ipsa in sese nutibus suis conglobata, vestita floribus, herbis, arboribus, frugibus. Quorum omnium incredibilis multitudo insatiabili varietate distinguitur. Adde huc fontium gelidas perennitates, liquores perlucidos amnium, riparum vestitus viridissimos, speluncarum concauas altitudines, saxorum asperitates, impendentium montium altitudines, immensitatésque camporum; adde etiam reconditas auri, argentique venas, infinitamque vim marmoris.

Multa referuntur ad architecturam attinêtia.

Mundi columnæ suggerunt omnia, quę nobis ad victû, vestitû, & voluptatem attinêt

Quæ verò, & quã varia genera bestiarum vel cicurum, vel ferarum? qui volucrû lapsus, atque cantus, qui pecudum pastus? quæ vita syluestrium? Quid iam de hominum genere dicam? qui quasi

cultores

cultores terræ constituti, non patiuntur eam nec immanitate belluarum efferari, nec stirpium asperitate vastari: quorumque operibus agri, insulæ, littoraque collucent, distincta tectis, & vrbibus.

Quæ si vt animis, sic oculis videre possemus, nemo cunctam intuens terram, de diuina ratione dubitaret. At verò quanta maris est pulchritudo? quæ species vniuersi? quæ multitudo, & varietas insularū? quæ amœnitas orarum, & littorum? quot genera, quamque disparia partim submersarum, partim fluitantium, & innatantium belluarum, partim ad saxa natiuis testis inhærentium? Ipsum autem mare sic terram appetens littoribus alludit, vt vna ex duabus naturis conflata videatur.

Exinde mari finitimus aër die, & nocte distinguitur, isque tum fusus, & extenuatus in sublime fertur; tum autem concretus, in nubes cogitur; humoremque colligens terram auget imbribus, tum effluens huc, & illuc ventos efficit. Idem annuas frigorum, & calorum facit varietates; idemque & volatus alitum sustinet, & spiritu ductus alit, & sustentat animantes. Restat vltimus, & à domiciliis nostris altissimus, omnia cingens, & coërcens cœli complexus; qui idem æther vocatur, extrema ora, & determinatio mundi; in quo cum admirabilitate maxima igneæ formæ cursus ordinatos definiunt.

Ex quibus sol, cuius magnitudine multis partibus terra superatur, circum eam ipsam voluitur, isque oriens, & occidens, diem, noctemque conficit; & modo accedens, tum autem recedens binas in singulis annis reuersiones ab extremo contrarias facit, quarum interuallo tum quasi tristitia quadam contrahit terrā, tum vicissim lætificat, vt cum cœlo hilarata videatur. Omitto lunam, & stellas vagas, quarum variæ lucis vicissitudines mirificè nos recreant; quarum motus tum incitantur, tum retardantur, sæpe etiam insistunt. Quo spectaculo nihil potest admirabilius esse, nihil pulchrius.

Sequitur stellarum inerrantium maxima multitudo, quarum ita descripta distinctio est, vt ex notarum figurarum similitudine nomina inuenerint; quarum cōtemplatione nullius expleri potest animus naturæ constantiam videre cupientis. Harum imagines Ausonius ita refert in eclogario:

Ausonius.

Omnes constellationes tam quæ ex parte Aquilonis, quàm Austri, & quæ sunt in Zodiaco.

Ad Borea partes è Arcti iunguntur, & Anguis,
Post has Arctophylax, pariterque Corona, genuque
Prolapsus, Lyra, auis Cepheus, & Cassiopea,
Auriga, & Perseus, Deltoton, & Andromede astrum,
Pegasus, & Delphinus, Telum, Aquila, Anguitenensque,
Signifer inde subest: bisſex & sydera complent.
Hic Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo,
Libraque, Scorpius, Arcitenens, Capricornus, & vrnam
Qui tenet, & Pisces. Post hos in partibus Austri
Orion, Procyon, Lepus, ardens Syrius, Argo,
Hydrus, Chiron, Thuribulum quoque Piscis & ingens,
Hunc sequitur Pistrix simul Eridanique fluenta.

Quæ descriptio siderum, atque hic tantus cœli ornatus ex corporibus huc, & illuc casu, & temerè concursantibus potuisse effici, cuiquam sano videri potest? aut verò alia quæ natura mentis, & rationis expers hæc efficere potuit, quæ non modò vt fierent, ratione eguerunt, sed intelligi qualia sint, sine summa ratione non possunt? Nec verò hæc solū admirabilia, sed nihil maius, quàm quod ita stabilis est mundus, atque ita cohæret ad permanendum, vt nihil ne excogitari quidem possit aptius: omnes enim partes eius vndique medium locum capessentes, nituntur æqualiter: maximè autē corpora inter se iuncta permanent, cum quodam quasi vinculo circundata colligantur: quod facit ea natura, quæ per omnem mundum omnia mente, & ratione conficiens funditur, & ad medium rapit, & conuertit extrema.

Exhortatio ad Atheos.

Erige mentem, Athee, & præclarum illud cingulum aspice, quo firmamentum per mediam sui partem circumcingitur, nobisque si potes enarra, quāta sit eius pulchritudo, quanta admirabilitas: an simile quidpiam in regum palatiis deprehendatur, quorum laquearia ornatissima iudicātur, cùm quibusdam liliorum auratorum floribus, aut balthei illius cœlestis figura decorantur. Hinc fit, vt magnum hoc mundi totius ædificium, quod non rerum figuras tantùm, sed ipsissimas naturas exhibet, eo sit domibus regū, & imperatorum excellentius, quo rei natura eiusdem figura, & vmbra, præstantior esse censetur. Deus bone quis oculos potest in altum tollere, dum nox omnia opacare videtur, & tamen sudum est, quis sursum cum oculis mentem erigere, siue ad partes Boreas, siue Australes, siue in medio sub Æquatore versetur, quin volens nolens fateatur mirabilem illum fornicem non ab alio, quàm ab infinito artifice fieri potuisse. Enimuero quis non admirabitur architectum illum, qui laquearia fabricauit, in quibus:

Signa zodiaci bellè à Manilio describuntur.

Aurato princeps Aries in vellere fulgens
Respicit admirans aduersum surgere Taurum,
Summisso vultu Geminos & fronte vocantem,
Quos sequitur Cancer, Cancrum Leo, Virgo Leonem.
Æquato tum libra die cum tempore noctis
Attrahit ardenti fulgentem Scorpion astro.
In cuius caudam contentum dirigit arcum
Mixtus equo volucrem missurus iamque sagittam
Tum venit angusto Capricornus sydere flexus.
Post hunc inflexam diffundit Aquarius vrnam
Piscibus assuetas auidè subeuntibus vndas:
Quos Aries tangit claudentes vltima signa.

Verùm si totius mundi pulchritudinem perfectè describere velim, numquam fecero. Tantummodo contemplare mūdanæ fabricæ authorem, eiusque ab architectis discrimen; illi siquidem maximo apparatu indigent, vbi quodpiam ædificium ad colophonem perducendum est, adeout instrumentorum præparatio tantum ferè tempus exposcat, quātum opus ipsum. Author verò naturæ nullis machinationibus indiget, nullo scansorio, pneumatico, tractorio, nullis rotis, follibus, rhedis, cisia, tornis, succulis, prælis, vectibus, polyspastis, ergatis, tympanis, cochleis, Ctesibicis, cæterisque hydraulicis. Quomodo enim forficibus, trispastis, colosicoteris, artemonibus, tollenonibus, & id genus instrumentis indigeret, qui est omnipotens? Hinc fit, vt cum istis nullomodò opus habuerit, in opere suo nullas antes, seu parastatas, tigna nulla, nulla transtra, & columina, canterios nullos, qui subgrūdationem facerent, apposuerit: nullisque subscudium, & securiclorum compactione vsus fuerit. Reliquis omissis, quæ ad architectonicam macrocosmicam attinent, microcosmi fabricam attentè contemplemur: fortassis enim opus illud tanto magis nostros animos in admirationem rapiet, quanto minus est, præsertim cùm magnus mundus propter eum factus esse videatur.

Deū nullis instrumentis, & machinis in mūdi creatione indiguisse.

Et quidem corpus humanum ædifico alicui præ-

Hic corporis humani dimẽsiones enumerantur.

claro iure conferri poteſt, cuius faciem, veluti domus frontiſpicium, imprimis natura ſummo loco ſpectandam propoſuit, quò cæteræ totius corporis partes ſuum commenſum, & dimenſionem inde ſuſciperent.

Mizaldus.

Illa verò, vt bene Mizaldus, tribus dimẽſionibus conſtat. Vna à ſummo frontis, qua capilli naſcuntur, ad intercilia: altera hinc ad imas nares; vltima à naribus ad mentum: quæ per ſe multiplicatæ integram humani corporis ſtaturam in nouem portiones diſtribuũt, quarum prima ſit facies ipſa: ſecundam conſtituat pectus à clauiculis ad ſternum, ſeu ſummum ſtomachum: tertia erit ab hoc ad vmbilicum. Quarta ab vmbilico ad femur ſummũ: quintam, & ſextam coxendices ad poplitem complebunt: ſeptimam, & octauam à poplite ad talos. Nonam denique ab his ad extremos pedum articulos. Quod de adultis intellige, quandoquidem infantes 4 faciebus conſtare dicuntur, nec deſunt qui longitudini noſtri corporis octo ſolùm, vel 7 partes tribuant.

De proportione quam partes corporis habẽt inter ſe.

Vtinam Atheus membrorum omnium analogiã contemplari velit quæ profectò illum ad autorem rerum omnium adducere poterit. Nam vnde fit, vt tanta ſit productio menti à iugulo, quanta eſt longitudo ab interciliis ad ſummas nares? Quanta à ſummis naribus ad mentum, tanta à iugulo ad imã gulam. Quantum eſt ſuperioris labri interuallum ab ore hinc ad nares imas, tantumdem erit ſummarum narium prominentia à labro, tantumdemque oculorum ab interciliis concauitas ad interiores angulos.

Præterea in manibus quod eſt extrinſecus à ſummo vngue indicis ad iuncturam hinc imam, continebitur ſemiportione. Ac rurſus hinc ad eam, quæ brachio colligatur, manus, alia. Sic & intrinſecus à ſummo vngue medio. Primus autem indicis articulus maior, fronti correſpondebit. Secundus ad extremum vnguis, naſo. Primus item medij huic quod eſt à naribus ad mentum. Eiuſdem ſecundus, huic quod eſt ab imo mento ad inferioris labri ſupremũ; & rurſus vngularis eiuſdem articulus huic quod eſt ab ore ad inferiora narium. Et indicis eodem, à ſupremo labri ſuperioris. Maior pollicis articulus coæquabitur huic, quod eſt à mento ad ſummum labij inferioris. Minor huic quod eſt à nare, ad idem. Vnguium autem articulorum omnium, dimidiatam ſibi partem occupabunt vngues ipſi.

Frons in latitudinem à media linea, quam diſcriminatricem appellant, hinc inde ad prima tempora ſua bis definietur longitudine. Ab interciliis ad extremos oculorum angulos, atque hinc ad primas aures, harumque longitudo tantundem. Id verò ſpatium, quod eſt inter vtramque extremitatem oculorum, ex duabus iiſdem dimenſionibus in tres partes diſtinctum, duas oculi, vnam ſibi intermedius naſus vendicabit. Oris latitudo, ſi per ſummũ labij metiatur, reſpondebit fronti, naſóue: ſi in circino, illi ſpatio, quod eſt pollicis articulo maiore definitum, à labro ſuperiore ad mentum. Pectoris latitudo faciebus continetur duabus. Palmaris autem, plantariſque latitudo definiri ſemper inuenietur ſemiportione. Spatium inter vtramque mammillam vna facie continetur; earumque certus ſitus ab inferiore gula, eodem dimenſus circino deprehendetur. Omitto cæteras proportiones, quas ex Luca Gaurico petere poteris. Quid ſi referam omnia, quæ vel Parraſius, vel Euphranor, aut qui am-

Gauricus Durerus.

borum vices 4 libris abundè ſupplet Durerus, de corporis humani ædificio cogitauerunt, aut etiam mandarunt literis? Verùm ſatius erit D. Ambroſiũ audire, qui corporis humani ciuitatem ita delineat, vt in hac materia facilè reliquos omnes ſuperaſſe videatur, quem ſi quis Atheus attentè perlegerit, vel omnino inſanus eſt, vel Deum eſſe concedet: licet enim animantis cuiuſliber corpus ſatis arguat aliquid eſſe, quod generantis ſemini vim adeò mirabilem indiderit, vt tot & tam varia vnius corporis membra, ſingula propriis mẽſuris affecta compaginaret, quod omnem animi captũ ſuperet (nos Deum meritò vocamus) forma tamen humani corporis eſt venuſtior, ſtatus erectus, & celſus, vt neque enormis proceritas ſit, neque vilis, & abiecta pauxillitas, tum ipſa habitudo corporis ſuauis, & grata, vt neque belluina vaſtitas horrori ſit, nec gracilitas tenuis infirmitati.

Ambroſ. 6. hex. c. 9.

Ac primum omniũ cognoſcamus humani corporis fabricam inſtar eſſe mundi. Siquidem vt cœlum imminet aëri, terris maria, quæ velut quædam membra ſunt mũdi; ita etiam caput ſupra reliquos artus noſtri corporis cernimus eminere, præſtantiſſimumque eſſe animum tanquam inter elementa cœlum, tanquam arcem inter reliqua vrbis mœnia. In arce autem hac regalem quandam habitare Sapientiam ſecundum propheticum dictum. Quia oculi ſapientis in capite eius; hanc eſſe cęteris tutiorem, & ex illa omnibus membris vigorẽ prudentiamque deferri. Quid enim robur & validitas lacertorum proficiat, quid velocitas pedum, niſi capitis velut principis ſui imperialis quædam adminiculetur poteſtas? Ex hoc enim aut deſtituũtur vniuerſa, aut omnia fulciuntur. Quid agat fortitudo, niſi oculo duce vtatur in prælium? Quid fuga, ſi deſit obtutus? Carcer eſt totum corpus tenebroſo inhorrens ſitu, niſi oculorum illuminetur aſpectu. Quod ergo Sol & Luna in cœlo, hoc ſunt oculi in homine. Sol & Luna duo mundi lumina: oculi autem quædam in carne ſidera fulgent deſuper, & inferiora claro illuſtrant lumine, nec patiũtur noctis quibuſdã nos tenebris implicari: ſpeculatores quidam noſtri die ac nocte excubant. Nam & ex ſopore membris cæteris citiùs excitantur, & vigilantes circumſpectant omnia: viciniores enim ſunt cerebro, vnde omnis manat vſus vigendi. Neque verò præproperè quiſquam huc deſcendiſſe me credat, quòd relicto vertice oculos prædicem, cum alienũ non ſit ſummã rem in parte laudare. Oculos enim certum eſt eſſe capitis portionem. Caput itaque oculis explorat omnia, auribus occulta rimatur, cognoſcit abſcondita, audit quid aliis agatur in terris. Ipſe autem vertex capitis quàm ſuauis & gratus. Quàm ſpecioſa cæſaries, quàm reuerenda in ſenibus, quàm veneranda in ſacerdotibus, quàm terribilis in bellatoribus, quàm decora in adoleſcentibus, quàm compta in mulieribus, quàm dulcis in pueris. Alium ſexum crinita non decet, aliũ tonſa non decet. Ex arboribus licet quæ humani ſit gratia capitis æſtimare. In capite arboris omnis eſt fructus, ibi omnis eſt pulchritudo, illius coma nos aut à pluuiis tegit, aut defendit à Sole. Tolle arbori comam, tota arbor ingrata eſt. Quanto igitur maior humani capitis ornatus eſt, qui cerebrum noſtrum, hoc eſt ſedem originemque noſtrorum ſenſuum capillis capitis munit & veſtit, ne aut frigore vexetur aut æſtu? Illic enim fons vniuerſorum eſt: & ideo vbi iniuria nocet, ibi gratia præeminet. Quid ſine capite eſt homo, cum totus in capite ſit? Cum caput

Eccleſ. 2.

De vertice & cæſarie.

De gratia capitis.

caput videris, hominem agnoscis. Si caput desit, nulla agnitio esse potest, iacet truncus ignobilis sine honore, sine nomine. Sola ære fusa principum capita, & ducti vultus de ære, vel de marmore ab hominibus adorantur. Non immeritò igitur huic quasi consultori suo cætera membra famulantur, & circunferunt illud seruili gestamine, sicut numen, atque in sublime locatum vehunt. Vnde censoria potestate quo vult, dirigit quorundam obsequia seruulorum, & præcepta singulis obeũda decernit. Videas imperatori suo singula gratuito stipendio militare. Alia portant, alia pascunt, alia defendunt, & ministeriũ suum exhibent, parent vt principi, ancillantur, vt domino. Inde velut quædam procedit tessera, quam debeant pedes obire regionẽ, quæ militiæ munia manus consummandis operibus exequantur, quam venter abstinendi, vel edendi formam impositæ teneat disciplinæ. Huic frons libera, nudis aperta temporibus, quæ mentis habitum specie sui prodat, nunc læta, nunc tristior, nũc directa ad seueritatem, nũc ad lenitatem remissior, quæ signis forensibus internam exprimat voluntatem. Imago quædam animi loquitur in vultu, fidei basis, in qua quotidie domini nomen inscribitur & tenetur. Eam geminæ sepes * superciliorum sequũtur, quæ oculis munimenta prætendunt, prætexunt gratiam, vt & venustas decoris arrideat, & diligentia protectionis assistat. Si quid enim de capite sordium decidat, aut arenæ puluis, aut ros nebulæ, aut humescentis verticis sudor, excipitur supercilio, ne teneras offensa acie visiones mollium perturbet oculorum. Adhærent velut quibusdam montiũ superciliis oculi, vt & protegente montis cacumine tutiores sint, & tanquam in summo locati, de quadam scena superiore vniuersa prospectent. Neque enim oporteba eos humiles esse, sicut aures, vel os, ipsosque narium interiores sinus. Specula enim semper in alto est, vt aduenientium cateruarũ hostilium explorari possit aduentus, ne improuisò occupent ocjantem vel vrbis populum, vel imperatoris exercitum. Sic latronum quoque cauentur incursus, si exploratores in muris, aut turribus, aut mõtis excelsi supercilio sint locati, vt desuper spectent plana regionum, in quibus insidiæ latronum latere non possint. In mari quoque positus si quis terræ appropinquare se coniicit, in ipsa mali fastigia, & celsa antennarum cornua voti explorator ascendit, & adhuc inuisibilem reliquis nauigantibus eminus terram salutat. At fortè dicas: Si specula editior necessaria fuit, cur non supra summum verticem capitis oculi constituti sunt, sicut cancris, vel scarabæis in summo sunt, quibus licet nullum caput appareat, colla, ac dorsa tamen cætero corpore celsiora sunt? Sed illis testa valida, nec tam tenuis membrana sicut nobis, quæ facile possit offendi, ruboque & cæteris interscindi sentibus. Aliis quoque animantibus huiusmodi species, vt possint oculos aut ad ceruicem conferre, vt equi ac boues, ac propemodum omnes feræ: aut ad alas suas, vt aues, quo tuta quiete potiantur. Nobis autem & in summa propemodum corporis parte constitui oculos oportuit tanquam in arce, & ab omni vel minima offensione defendi: quæ duo sibi compugnantia videbantur. Nam si in humili essent propter tutamen, munus impediretur: si in vertice, paterent ad iniuriam. Itaque ne vel vsui muneris aliquid detraheretur, vel aliquid ad propulsandã iniuriã non prospiceretur, eo loco oculos constituit, cui supercilia desuper non minimum protectionis impertiant, subter malæ aliquantulũ eleuatæ haud exiguum munitionis adiungant, interiorem partẽ sepiant nares, exteriorem quoque frontis malarũque gibbi extuberent: & licet ossium compage connexa, & æquata confinia circũuallare videantur, inter hæc medij sunt oculorum orbes, & tuti ad cauendum, & ad intuendum liberi, & decori ad gratiam, vtpote in Crystalli speciem refulgentes. In quorum medio pupillæ sunt, quæ videndi munus operantur. Hæ ne qua incidentis iniuriæ offensione lædantur, pilis hincinde consertis velut quodam vallo per circuitum muniuntur. Vnde tutum auxilium postulans Propheta ait: *Custodi me Domine, vt pupillam oculi*, vt protectionis diuinæ fieret ei tam solicita, & tuta custodia, quã pupillam oculi tutissimo quodam naturæ vallo munire dignatus est, simul quia innocentia & integritas leui sorde aspersa violatur, & gratię suæ munus amittit. Et ideo prospiciendum, ne quis eam puluis erroris oblimet, aut vlla vexet Festuca peccati, quia scriptũ est: *Eyce primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis eycere festucam de oculo fratris tui.* Itaque propter oculos ferunt medendi periti cerebrũ hominis in capite locatum: alios autem nostri corporis sensus propter cerebrum finitimo quodam esse domicilio constitutos. Initium enim neruorum, & omnium sensuum voluntariæ commotionis cerebrum est, atque inde omnis eorum quæ diximus causa manat. Initium autem arteriarum insiti caloris, quo animantur, & tepescunt vitalia, cor esse plerique arbitrantur. Sensuum autem singulorum velut organum nerui sunt, qui velut chordæ & fides quædam de cerebro oriuntur, & per partes corporis in singula quæque officia deriuantur. Ideoque mollius est cæteris cerebrum, quia omnes suscipit sensus, vnde omnes nerui quærunt vniuersa, quæ vel oculus viderit, vel auris audierit, vel odor inhalauerit, vel lingua increpuerit, vel os saporis acceperit. Quod enim molle, ad compassionem aptius: quod autem durum ex aliquo rigore neruorum, ad agendum efficacius. Præstantissimum quoque audiendi munus est, & visui suppargratia. Ideo aures extensiores, vt & ornatus decorum præferant, & excipiant omne illud quicquid de vertice sordium humorisve defluxerit, simul vt in earum finibus vox repercussa sine offensione interiores ingrediatur anfractus. Nam nisi ità esset, quis non ad omnem fortioris sonum vocis attonitus redderetur, cum inter ipsa subsidia frequenter improuisò ictus clamore nos obsurdescere sentiamus? Tum velut quædam propugnacula videas prætendere aduersus frigoris asperitatem, calorisque flagrantiam, vt neque frigus penetret ductus patentes, neque nimius adurat æstus. Sinuatio autem interiorum aurium, modulandi quendam numerum præstat & disciplinam. Siquidem per anfractus aurium quidam rythmus efficitur, & modulis quibusdam ingressæ sonus vocis exprimitur. Tenaces præterea sermonis accepti ipsos esse anfractus aurium, vsus ipse nos docet. Siquidem velut in concauis montium, vel in recessu rupium, vel in anfractu fluminum vox auditur dulcior, & responsa suauia referens Echo resultat. Ipsæ quoque sordes aurium non inutiles, quæ ligant vocem, vt tenacior eius in nobis & memoria sit & gratia. De naribus autem quid loquar, quæ biuio & procero foramine antrum quoddam recipiendis odoribus præstant, vt non perfunctoriè odor transeat, sed diutius inhæreat naribus, & earũ ductu cerebrum

De fronte.

*alias rupes.

De situ oculorum.

De orbibus oculorum.

De pupillis oculorum.

De pilis pupillarũ. Psal. 16.

Matth. 7.

De cerebro.

De arteriis ac corde.

De neruis.

De auditu & auribus.

De naribus & odoratu.

sensusque depascat? Ideo diutius odor fragrat acceptus, quàm sermo resonat, aut visus apparet. Plerumque quod momento breui fueris odoratus, toto die tibi spirat in naribus. Per eas quoque purgamenta capitis defluunt, & sine fraude, atque offensione aliqua corporis deriuantur. Est etiam non mediocris sensus in tactu, atq; in eo voluptas gratissima, syncerumque iudicium. Plerumque enim tactu probamus quæ oculis probare nō possumus. Postremum quoque officium est oris, aut linguæ, quòd tamen omnibus vires ministrat. Nam neque oculi vigorem videndi haberent, nisi virtutem substantiæ corporalis acciperent, quæ cibo defertur, & potu: neque aures audiendi, aut nares odorandi, aut manus tangendi, nisi corpus omne confortetur alimentis. Deficimus enim viribus nisi eas cibi competentis assiduitate reparemus. Denique confecti fame nullis oblectantur sensuum voluptatibus, sed quasi exortes eorum delinimenta non sentiunt. Quid ergo describam dentium vallum, quo cibus conficitur, & plenæ fit vocis expressio? Quę sine dentibus alimonia delectaret? Denique æui maturos plerumque cernimus hoc ipso citiùs senescere, quod amissis dentibus nullam possint cibi virtutem validioris assumere. Ideo muta infantia, quia non habet adhuc organum vocis: linguæ quoque non solum in loquendo, sed etiam in edendo munus preciosissimum est. Ea enim velut plectrum loquentis, & quædam edentis est manus, quæ defluentem cibum dentibus suggerit, & ministrat. Vox quoque aëris quodam remigio vehitur, & per inane portatur, eademque vis quæ aërem verberat, nunc commouet, nunc demulcet audientis affectum, iratum mitigat, fractum erigit, solatur dolentem. Sit igitur nobis canorum commune cum auibus. Sed apud quem, quo sono vocis vtatur, quod est rationabile, non potest cum omnibus animantibus irrationabilibus scilicet esse commune. Nam & ipsi sensus communes nobis sunt cum animantibus cæteris: sed tamen non eadem his cæteris animantes industria vtuntur. Erigit bucula ad cœlum oculos, sed quid spectet ignorat. Erigunt feræ, erigunt aues: omnibus est liber aspectus, sed soli inest homini eorum quæ aspicit affectus interpres. Spectat oculis ortus obitúsque signorum, videt ornamentum cœli, miratur stellarum orbes, fulgores quoque diuersos intelligit signorum, quando Hesperus surgat, quando Lucifer: cur ille vespertinus, hic matutinus irradiet, quos motus Orion habeat, quos Luna defectus, quemadmodum Sol suos norit occasus, circuitus quoque cursus sui solemnitate custodiat. Audiunt quoque animantes cæteræ, sed quis præter hominem audiendo cognoscit? Secreta sapientiæ solus homo ex omnibus generibus, quæ in terris sunt, auditu & meditatione & prudentia colligit, qui potest dicere: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* Hoc est preciosissimum, quòd homo diuinæ vocis sit organum, & corporalibus labiis exprimit cœleste oraculum, sicut illud est: *Clama. Quid clamabo? Omnis caro fœnum.* Accepit quod diceret, & clamauit. Sibi habeant prudentiā suam qui radio cœli spatia terrarumque describunt, Sibi habeant intellectum suum, de quo dicit Dominus: *Et intellectum prudentium reprobabo.* Neque numeros, orationis ac modos, & modulos musicæ sapientiæ hoc constituam loco, sed eam sapientiam definio, de qua dicit Propheta: *Incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.* Quid autem loquar de osculo oris, quod pietatis, & charitatis est pignus? Osculantur se & columbæ. Sed quid ad humani osculi venustatem, quo amicitiæ insigne humanitatisque præfulget, in quo plenæ charitatis fidelis exprimitur affectus? Vnde & Dominus velut prodigij genus in proditore condemnans ait: *Iuda, osculo filium hominis tradis?* Hoc est, Charitatis insigne conuertis ad signum proditionis, & infidelitatis iudicium? pacis hoc pignore vteris ad officium crudelitatis? Bestiali igitur oris obsequio inferentem potius necem, quàm charitatis fœdera deferentem, diuinæ arguit vocis oraculo. Illud quoque præcipuum, quòd soli homines ore exprimimus, quæ corde sentimus. Itaque cogitationes tacitæ mentis, oris sermone signātur. Quid est igitur os hominis, nisi quoddam sermonis adytum, fons disputationis, aula verborum, promptuarium voluntatis? Absoluimus velut quandam humani corporis regiam, in qua sit licet quædam quantitas portionis, forma tamen vniuersitatis est. Sequitur guttur, per quod totius corporis vitale commercium, & Spiritus huius commeatus infunditur. Succedunt brachia, validi lacertorum thori, validæ ad operandum manus, & procerioribus digitis habiles ad tenendum. Hinc aptior vsus operandi, hinc scribendi elegantia, & ille calamus scribæ velociter scribentis, quo diuinæ vocis exprimuntur oracula. Manus est quæ cibum ori ministrat. Manus est quæ præclaris enitet factis, quæ conciliatrix diuinę gratiæ sacris infertur altaribus, per quam offerimus & sumimus sacramenta cœlestia. Manus est quæ operatur pariter atque dispensat diuina mysteria, cuius vocabulo non dedignatus est se Dei filius declarari, dicente Dauid: *Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me.* Manus est quæ fecit omnia, sicut dixit Deus omnipotens: Nónne manus mea fecit hæc? Manus est totius corporis propugnaculum, capitis defensatrix. Quæ cum sit loco inferior, totum verticem comit, & honesto venustat ornatu. Quis dignè explicet pectoris cratem, ventrisque mollitiem. Aliter enim viscera molliora non possent foueri, & intestinorum sinus duris haud dubiè ossibus læderentur. Quid tam salutare quàm vt pulmo cordi finitimo limite iungeretur, vt cum exarserit cor ira, & indignatione, pulmonis sanguine, atque humore citiùs temperetur? Ideóque mollior pulmo est, quia madet semper, simul vt rigorem indignationis emolliat. Hæc ideo strictim percurrimus, vt tanquam indocti obuia perstringere, non tanquam medici pleniùs scrutari videamur, & persequi quæ naturæ latibulis abscondita sunt. Lien quoque cum iecore habet viciniam fructuosam, qui dum assumit quo ipse pascatur, abstergit quicquid sordidum deprehenderit, vt per fibras iecoris minutiores, ciborum possint tenues atque subtiles reliquiæ transire, quæ vertantur in sanguinem, viribúsque proficiant, & non cū fimo, & sordibus egerantur. Intestinorum verò circūplexi orbes, & sine aliquo licet nodo, sibi tamen inuicem nexi, quid aliud nisi diuinam prospicientiam creatoris ostendūt, vt non citò esca pertranseat, & statim à stomacho decurrat? Quòd si fieret: iugis fames, & continua vorandi libido hominibus gigneretur. Exinanitis enim visceribus, & exhaustis dum momentaria effusione vacuarentur, necesse erat inexplebilem atque insatiabilem cibi, & potus generari cupiditatem, quam sine dubio matura mors sequeretur. Ideóque prouidè conficitur

Marginalia (left column): De tactu. De officio oris, & cibo & potu. — De dentibus. — De munere linguæ. — Psalm 84. — Isa. 40 — 1. Cor. 1. — Psalm. 50.

Marginalia (right column): De osculo oris. — Lucæ. 22. — De sermone oris. — De gutture. — De brachiis, manibus ac digitis. — De singulari præconio manuū. — Psalm. 117. — De pectore & ventre. — De pulmone. — De liene & iecore. — De intestinis. — De Stomacho.

tur primum esca in vtero superiore, deinde in iecore coquitur, quousque vapore digestus transfunditur succus eius in reliquas corporis partes, eâque substantia artus aluntur humani, quam iuuenes accipiunt ad incrementum, senes ad perseuerandum: reliquum autem velut superfluum per intestina deducitur, & per illud ex transuerso ostiū deriuatur. Denique etiam in Genesi arca Noe ad fabricam humani corporis accipitur, de qua dixit Deus: Fac tibi arcam ex lignis quadratis, nidos facies in arca, & bituminabis eam intus & foris bitumine, & sic facies arcam. Et infra: Ostium vero facies ex transuerso, inferiora autem arcæ bicamerata & tricamerata facies. Hoc ergo significat Dominus, quòd ostium ex posteriori sit parte, per quod egerantur ciborum superflua. Decore enim creator noster ductus reliquiarum à vultu hominis auertit, ne dum aluum purgamus, inquinaremus aspectum. Simul illud considera, quòd ea quæ pudoris plena sunt, eo loco constituta sunt, vbi operta vestibus elucere non possint. Venarum pulsus, vel infirmitatis internuncius, vel salutis est. Eædem tamen cū toto diffusæ sint corpore, neque nudæ atque intectæ sunt, & ita lenibus operiuntur visceribus, vt explorandi copia sit, & celeritas sentiendi, quando nulla est viscerum crassitudo quæ pulsum possit obducere. Ossa quoque omnia tenui operta sunt viscere, & reuincta neruis, præcipue tamen capitis leui tecta sunt corio. Vnde quo possint aliquod aduersum imbres & frigora habere munimen, capillis densioribus vestiuntur. Quid de genitalibus loquar, quæ venis è regione ceruicis per renes lumbósque deductis, suscipiunt genitale semen ad munus & ad gratiam procreandi? Quid de officio pedum, qui totum corpus sine vlla sustinent oneris iniuria? Flexibile genu, quo præ cæteris Domini mitigatur offensa, ira mulcetur, gratia prouocatur. Hic enim patris summi erga filium donum est, vt in nomine Iesu omne genu curuetur, cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur quoniam Dominus Iesus in gloria est Dei patris. Duo enim sunt quæ præ cæteris Deum mulcent, humilitas, & fides. Spes itaque exprimit humilitatis affectum, & sedulæ seruitutis obsequium. Fides æquat filium patri, atque vtriusque eandem gloriam confitetur. Rectè autem non plures sed duo sunt homini pedes, quaterni enim pedes feris ac belluis sunt, bini auibus. Et ideo vnus quasi de volatilibus est homo qui alta visu petat, & quodam remigio volitet sublimium cogitationum. Et ideo de eo dictum est: Renouabitur sicut aquilæ iuuentus tua, eò quòd propior sit cælestibus, & sublimior aquilis, qui possit dicere: Nostra autem conuersatio in cælis est.

De ano.

De pudendis.

De venis.

De ossibus.

De capillis.

De genitalibus.

De officio pedum.

De genu.

Phil 2.

Cur duo tantùm pedes homini

Psal. 102.

Phil. 3.

Quibus non est, quod aliquid addamus: nam siue in magnum totius mundi palatium, siue in microcosmi structuram oculos conuertas, omnia Deum esse prædicant: vt iam oculis, & auribus carere dixerim, qui id non fateatur. Itaque velim, Athee, contempleris istius ædificij partes, earúmque varios, perfectósque commensus, & mediteris, quæ nam fuerint protypa, ex quibus ista mundana ectypa per admirabilem proiectionē designata fuerē: quisnam Ichnographicus primò substructionum lineamenta, & insistentis mundi operis vestigium descripserit; num quispiam Ortographicus terræ, aquæ, aëris, & cælorum assurgentium singulas facies directè obuersas depinxerit; an verò nullus fuerit Scenographicus, qui frontis, & abscedentiū laterum, nec non vniuersi mundi ex omnibus suis partibus compositi prospectum oculis spectandum obiecerit. Si quispiam id effecerit, dicite, quis fuerit; annuntiate, quis vniuersi partes singulas tam apto lumine, atque colore, vmbris hinc inde ad maiorem pulchritudinem appositis delinearit. Fortassis, Athee, desiderasses χειρῶν, seu designationem tibi allatam fuisse, vel totum mundū arte anaglyptica, sculptoria, cælatoria, statuaria, vel plastica tibi velut in compendio fictum, vt, priusquam artifex mundi singulas huius partes ad debitam altitudinem, latitudinem, atque profunditatem deduceret, quemadmodum Pasiteles apud Plin. l. 35. cap. 12. qui nihil faciebat, antequam fingeret, suum epitome, suámque designationem tibi emendandam, arguendam, vel discutiendam subiiceret.

Quot ad ædificium designandum, seu proiiciendum concurrant

Vrgentur Athei.

Deus bone quàm Atheus pulchrè mundi proiectionem, & epitome delineatum reformasset! quis risum, sed quis fletum cohibere poterit, si hominum considerarit insaniam? Heus tu perfide, nunquid te mundi totius opifice maiorem, atque sapientiorem existimas? nunquid istæ sunt brutæ, & stolidæ cogitationes, quas animo tuo voluis, atque reuoluis? quandoquidem tales sunt animi cogitationes, talia phantasmata, qualis est cogitantis affectus, qualis propensio, qualis voluntas. Velles igitur fieri, aut factum esse nihil, cui non præfuisses; velles omnia tibi subdita, vt iuxta tui nutum animi omnia gubernarentur: verbo dicam, velles esse Deus, cui omnia seruirent, quem omnes suspicerent, colerent, atque venerarentur. Hæc enim est summa humani cordis impietas, vt se pro viribus, sed penitus inanibus, eleuet supra id omne est, quod est, vt iam nemo existimare debeat Antichristum Diabolum futurum, licet supra id omne, quod est, sese erecturus sit, enimuero hucusque superbię Atheorum immensi fluctus intumescunt, nec vllis littoribus eorum insania circunscribitur.

Summa Atheorum, & superborum impietas, quæ.

O hominis summam insipientiam! ô miseram Atheorum cogitationem! cur non infirmitatis humanæ conscij apud vos recogitatis nostram originem minimè perpetuam fuisse, nos paucis abhinc diebus lucis vsuram accepisse, quicquid sumus, aut habemus nos alteri gratum acceptum ferre debere? Ne verò fines Architectonicæ transcendamus, ædificiorum quæso progressus, & origines altiùs repetite. Videbitis enim primos mortales olim belluarum instar palabundos, per auia montium, atque siluarum dispersos, sub patulis arborum frondibus ferina contentos alimonia vixisse, qui cùm cœli inclemétiam crebrò experti fuissent, id agere sunt aggressi, vt se suáque aduersus externas iniurias tuerentur, solis ardores, pluuias, grandines tectis, ventorum procellas parietibus arcerent; quos, qui cæteris ingenio præstabant, ex arborum ramis terræ defixis, intextisque, ac luto illitis conficiebant, quæ prima fuére artis structoriæ incunabula, referente Vitruuio initio operis.

Architecturæ origo, & progressus.

Quidnam primi homines fecerint.

Hos verò qui proximè sunt secuti, minimè contenti iis initiis, quæ ad humanæ vitæ conseruationem necessaria erant, ad ea quoque animum appulerunt, quæ ad expeditas commoditates non parum conducere experientia in dies edocebat. Hinc primùm tuguriola, humilesque attegiæ, ac rusticana mapalia, deinde ædiculæ, tum domus ampliores, exinde vici, demum oppida, frequentes-

que vrbes ad priuatum & communem vsum constructæ fuerunt, sicut aduersus hostiles incursus, machinæ, tormenta, castra, propugnacula; qua ratione parentes nostri partim consilijs prudentium virorum permoti, partim disertorum orationibus deliniti, à fera, agrestique vita ad humanum, ac ciuilem cultum sunt traducti. Hæc sunt, Athee, mundi incolarum incunabula, quæ hominum imbecillitatem, & ignorantiam satis aperiunt.

R. Moses. Vbi tamen cauendum est, ne quis existimet Adamum in illa rerum ignoratione creatum fuisse, in qua mortales primos paulo ante posuisse videmur; siquidem cum omni scientia creatus fuit, vt suo loco ostendemus: idcirco bene Rabi Moses Ægyptius in directore dubitantium, seu perplexorum l.1.cap.2. quendam arguit, qui putabat iuxta literam, & primam intentionem creatoris primum hominem ad hoc factum esse, vt quemadmodum belluæ, careret intellectu, & cogitatione, nec inter bonum, & malum discerneret; cùm autem peccauit, suo peccato ad hunc sublimem humani intellectus gradum promotum fuisse. Quod omnino falsum est, quis enim dicat pœnam peccati esse in tantum peccatoris priuilegium? imo sublimem intellectum Deus ei tribuerat, & ferè Angelis æqualem fecerat, vnde propter intellectum, atque rationem, ad Dei imaginem creatus fuisse dicitur; tuncque in naturæ rectitudine constitutus fuit. Moses verò perperam negat in eo fuisse potentias, per quas sensibilibus intenderet, aut ea apprehenderet, quam apprehensionem de membrorum apertione explicat; enimuero licet Adamus non ita sensibilia, ac intelligibilia curaret, nemini tamen dubium esse debet, quin illis vteretur, & ex eorum consideratione ad Deum autorem suum magis, ac magis suspiciendum, & diligendum erigeretur; cùm enim tam corpore, quàm animo constet, vtriusque opera exercere debuit. At de his aliàs.

Vides igitur, Athee, qualia fuerint post Adami lapsum ædificiorum incunabula, ex quibus facilè concedes te, cum sis homo, non aptum fuisse, qui tam admirabilem mundi fabricã vel argueres, atq; reformares, vel efficiendã susciperes, sed eum fuisse necessariũ, cuius opera nullius reprehensioni obnoxia forent, qui nullius auxilio, vel consilio indigeret, sed esset omnipotens. Nec enim vllus hominum, licet porticus, palatia, amphitheatra, circos, pyramides, columnas, obeliscos, trophæa, arcus triumphales, mausolea, delubra, templa, & similia plurima construat, poterit vnquam fornices cælestibus similes exædificare, sed astruendus est aliquis omni homine superior, imo omni cogitatione maior, qui sphæras illas propemodum immensas tornauit, & elementa suis in locis collocauit.

Miser homuncio, qui tantopere laborat etiam in obiectis repræsentandis, prout apparent, qui vix circulum delineat in tabula, vt oualis sit iuxta figuram, penes quam oculis excipitur: qui tantùm describere potest pyramidem, quæ ab obiecto in oculum fieri concipitur; qui neque sectionem illius pyramidis intelligit, nisi fingat aliquorum radiorum ab obiecto procedentium incidentiam super planum, vel diaphanum aliquod inter obiectum, & oculos positum, ac si priùs obiectum naturalem sui repræsentationem, atque figuram exprimere debeat, itaut omnes illius radij ordinatim per medium proiecti, in eo figuram, & colorem sui obiecti genuinè describant. Hæc est, Athee, hominis summa paupertas, imbecillitas, & ignorantia, quem doceri oportuit à quibuscúmque licet inanimatis creaturis, quas nequidem percipiunt, nisi radios ipsæ quosdam effundant, qui sese in medio intersecent, antequam ad oculi centrum peruenire possint. *Ostenditur hominis ignorantia & impotẽtia ex proiectionibus perspectiuæ, atque picturæ.*

Tametsi verò hæc omnia præsupponantur, videmus etiamnum impensiùs summis artificibus laborandum, vt omnium partium obiecti sectionem in plano reperiant, & eas locis propriis designent; vt iam designatas propriis, coloribus, lumine, & vmbris adornent, & obiectum, prout conspicitur, perfectè referant. Imo quicquid conentur, se ab vnica chartula superari, non sine stomacho percipiunt, in quam, vbi radij ab obiecto illuminato per foramen exiguum transmissi incurrunt, mirabilis obiecti tam secundum figuram, quàm secundum colores non sine magna voluptate repræsentatio cernitur, adeout ipsas personas agnoscere possis, maximè si ad cubiculi perfectè clausi foramen, chrystallum, aut vitrum conuexum apposueris, & obiectum repræsentandum non ita remotum fuerit, satisque aliunde illuminetur. *Sectio radiorũ obiecti in plano.* *Pulchra obiecti repræsentatio.*

Verùm longior fortè videbor, quòd in hac Architecturæ ratione tamdiu persistam; faxit Optimus omnium architectus, vt eâ si non omnes, aliqui saltem Athei proficiant, & ad magnificum illud summi regis palatium, ad beatissimam Hierusalem perueniant, *habentem claritatem Dei*: cuius muri ex iaspide constructi sunt, *& fundamenta omni lapide pretioso ornata: quæ non eget sole, neque luna, vt luceant in ea; nam claritas Dei illuminauit eam: in quam non intrabit aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens, & mendacium, nisi qui scripti sunt in libro agni vitæ*; Apoc. 21. vbi ciuitatis cœlestis descriptionem legere poteris. *Apoc. 21.*

Mihi iam in præsenti superest per Nauticam Atheum ad veri Dei agnitionem excitare; nam si terrena ædificia non eum omnino, conuicerint, nec ad cælorum, totiúsque mundi architectum adduxerint, illud forsitan marina efficient.

RATIO XXXVI.

RATIO XXXVI.

Deducitur ex Nautica.

ID nobis innatum est, vt quoties effectum aliquem admirabilem deprehendimus, causam illius inquiramus; inter effectus autem, quos percipere solemus, magnam admirabilitatem naues mihi continere videntur, dum Neptuni dorsum calcant, nosque ex vno meridiano in aliud tam pernici motu, vel potiùs volatu rapiunt, vt eas vix oculorum acies aduertere possit. Quid verò hîc magis admirer, an furentes maris fluctus, quos sæpius ad cælum vsque tolli diceres, an nauigia, quæ aduersus turbines, & insanos vortices opposita pergunt vlteriùs, an illorum industriam, qui huiuscemodi compegerunt ædificia, nescio. Licet verò Græci verterint in prouerbium mulierem, ignem, & mare, veluti tria hominum mala γυνή, πῦρ, θάλασσα, τρία κακά: neque detrectare velim summa nauigantibus imminere pericula, tam ex naufragiis, prædonibus, piratis, & tempestatibus, quàm ex cæcis saxis, Scyllis, Syrtibus, Charybdibus, breuibus, scopulis, belluis, marinisque monstris humani sanguinis auidissimis, vt iure Satyricus dixerit 3, aut 4 ad summum digitis nauigantes à mortis discrimine remoueri, quos nec inter viuos, nec inter mortuos Bias annumerabat, & illud vulgò verèque feratur, qui mare nauigant, multa pericula narrant; attamen tanta nauigationis vtilitas esse censetur, vt illa pericula contemnant homines; etenim vix vlla regio, prouincia, vel ciuitas reperietur, quæ maris auxilio non egeat; siquidem vnicuique loco multa desunt, quæ mare, nauibus intermediis, suggerit. Omitto morbos, qui per nauigationem sanantur, vt phtisim, & sanguinis egestionem, omitto brutiam ex aceto & cedrio coagulatam, & radulanam, seu zopissam nauium ad plurima medicamenta non parum vtilem, vt ad institutum propiùs accedam.

Prouerbiũ.

Pericula maris.

Biæ sententia.

Quid prosit nauigatio.

Brutia, & zopissa.

Itaque volo mecum aspicias, Athee, Oceanum, eúmque, si placet, cum ventorum impetu, fluctuum, procellarúmque fragore, super quo nauis aliqua, siue biremis, siue triremis, quinqueremis, aut 30 fuerit ordinum. Iam non quæro, neque curo, si nauis illa cedrea, vel cupressina, quales Plato, tabulas expetebat, in quibus publicæ leges inciderentur, vel pinea, alnea, laricea incendiis non obnoxia, aut ex castaneo, cerro, fago, robore, abiete, spina, quam τὴν ἄκανθαν Græci vocant, vel ex alia quacúmque materia fuerit; sed tantùm à te postulo, an nauim illam, quam à longè prospicis, casu, vel necessitate factam esse, vel se ita semper habuisse putas.

Materia, qua naues conficiendæ.

Dubito enim quid de ea dicturus sis, si præsertim nullius vnquam videris structuram, partes, vel armamenta: vt ergo certior de tua opinione fieri possim, ad illam nauem propiùs accedamus, vt non solum illius rostrum, non solam proram, puppim, vel in puppe ἀκροστόλιον, aut protomas, non solum malum, atque illius τραχῆλον, & elacatem, & vt Cinna loquitur,

Partes nauis.

Cinna poeta.

Lucida cum fulgent alti carchesia mali.

Sed & pternam, & orthiachum, & ipsam carinam Græcorum tropida, fororum apertiora latera, tabulata, stegam seu proscenium, quæ Lucretius l. 2. decantauit his versibus:

Lucretius.

——— *Transtra, carinas,*
Antennas, proram, malos tonsásque nutantes,
Per terrarum omnes oras fluitantia aplustra:
Vt videantur, & indicium mortalibus edant
Infidi maris insidias, viresque, dolúmque
Vt vitare velint, neve vllo tempore credant,
Subdola cùm ridet placidi pellacia ponti.

Itaque iam iam ad nauem peruenimus, & interiora cœpimus inuestigare: Bene res habet; superest me iam certum facias, an gubernaculum casu positum in puppi arbitreris, quo gubernator ibi sedens clauo nauigium regit, an frustra primæ parti regendæ intendat proreta; an lignum istud, ex quo πηδάλιον factum est, semper ansam, οἴαξ, & τὸν αὐχένα, nec non alas, & ceruicem habuerit.

Sanè toto cælo aberro, si his omnibus ritè perpensis, non fatearis ab aliquo fabricata esse; Quomodo enim carina potiùs in imo cum suis proëmbolidibus & embolis, & stera, & delphide & stolis, quàm in alia parte? cur artemon Machalæ, seu protæ parti, non autem puppi affigitur? Reuerà nemo sanæ mentis chelysma, gastron, scapham, naufractõ, ἰσχίον, seu thalamos, & selmata, tremata, spondã, peritonæa, tabernaculũ, aspidẽa, aphlasta, casteriam remis asseruandis destinatam, parexeresiã, & alias nauis partes fortuitò sic esse dispositas existimarit, sed ab aliquo homine, qui omnia maris pericula nouerit, atque præuiderit, quibus, nauigio ex omnibus illis partibus conflato resisteret. Quod si non potuerit nauis his particulis instructa fortuitò nasci, aut à se talis existere, licet originem illius nescias, quomodo ipsum mare, quod adeò vastum est, quod pisces longè plures, quã nauis particulas complectitur, quomodo aër, qui nauigiũ ambit, quomodo terra, quæ sustinet oceanum; quomodo cæli, qui terram, æquor, & aërem complectuntur, denique quomodo ingens istud totius mundi nauigium, in quo singuli non sine quotidianis tum animi, tum corporis periculis nauigamus sine cuiusdam opificis industria perfici potuit?

Mundus artifice indiget.

At fortè dices te nullas in mundo partes aspicere, sicut in naui, quæ mundum fabricatum fuisse conuincant. Igitur partium commoueris multitudine; quid si tibi nauem protulero, quam humana sedulitas trochleis, ac funibus tractoriis tam perfectè instruxit, vt quod in aliis vix trecenti poterant remiges, nũc vnus homo, nec admodum robustus remoueat, idque tam pari actu, tam æquali connixu, vt totidem putes brachia conspirare, vt Calcagnin. de re nauali notat. Quid si neque vllus videatur, qui nauim regat, licet optimè sulcet æquor, & ab oriente in occidentem, & è contra progredi videatur, in qua nulla ἱστία, nulli remi, funes, nulla vela, antennæ nullæ, nullus cheniscus, in quo anchoræ suspendantur; nulla anchora, nequidem facta; an propterea nauem istam rectore carere dices? nunquid potiùs eum concludes admirabilem, qui nauem tanta subtilitate gubernat, vt nemo id oculis deprehendere valeat.

Mundus naui similis.

Dic, amabo, nunquid humanum corpus nauigio simile videtur, quod eò nobilius est, quo meliùs progreditur, & pro voluntate huc illuc non solùm per terram, sed & per mare, & per aërem ambulat; cuius tamen rectorem nunquam vidisti, quem si negas, tuam animam, principem hominis partem negas. Itaque concludas oportet mundum hunc ab aliquo regi, cui quodammodo sit anima nostra similis, qui reuera sit, minimè tamen videatur. Sed nec suæ mundo partes desunt, quas, ni fallor, satis supráq; retulimus, quarum vnica nauigio integro longè maior est, & perfectior. Nec enim credo, negaueris stellas, planetas, cælos, & elementa inter mundi partes annumeranda. Mundus ergo partes habet, quibus coagmētatus, atque compositus est, si compositus, à quo? non à se, cùm nihil seipsum componere, vel constituere possit; est enim omnino necessarium, vt res in esse suo constituatur, priusquam agere possit quidpiam; igitur ab alio; hic autem alius est, quem inquirimus, quem credendum tibi proponimus, quem suspicimus, quem adoramus, quo maius dicimus esse nihil.

Quemadmodum verò non est potior ratio, cur hoc aut illo modo nauem architectus efformarit, aut his vel illis armamentis instruxerit, nisi quia ita voluit, & vtile ad scopum sibi propositum iudicauit, ita neque ratio maior est, cur hac aut illa ratione mundi partes singulæ disponātur, & tot species, & indiuidua versentur in elementis, non plura, neque pauciora, nisi quia mundi præpotens artifex ita voluit, & ea omnia tali modo disposita aptissima fore iudicauit, quibus, & homines proficerent, & diuina gloria illustrior appareret. Iamverò nihil est ampliùs, quod Athei vel obiiciant, vel cogitent, quod eos à diuini numinis confessione retardet, nam siue in terra degant, siue in mari versentur, nihil est, quod alta voce non insonet Deum esse; sine Deo nihil vel esse, vel intelligi posse, vt totidē voces, quot creaturas numerare possis, quæ hāc veritatem nostris oculis, & auribus, nostræq; menti infundant.

Diuersi funes in naui.

At verò semel iterum oculos in nauem conuerte, vide rudentes, quos vel cannabis, linum, spartū, & iuncus, vel palma, philyra, & cerasorum, vitis, tiliæ, carpini, arundinum, & aliarum arborum, cortices, aut aliæ partes suggerunt. Aspice quàm varij funes ad nauim requirantur, quos Græci κάλως appellāt, nam ibi deprehendes mesurias vela subducentes, protonos, pedes, propedes, & hyperam, quibus velum alligatur, anchorarum pesmata, seu prymnesia, epitonum antemnam malo alligātem, protonas tū à prora, tum à puppi extēsas, tropoteres scalmo remum alligantes, quos Vitruuius l.10. strophas appellat: trāsennas, opiferas, mitram, anquinam, rhymata tractoria, remulcos, sibilla, cataprorates, quibus tentatur maris altitudo: napurā, otam, mataxas, thominges, seu tomices, mermides, merinthios, hormia, & reliquos funes, qui soli magnam admirationem commouere possunt.

Vitruu.

Aplustra.

In præsenti verò omnia aplustra relinquo, quanquam referre possum amphimetria, segestria, periperasmata, & cætera acrocorymba, vt mecum attentiùs pyxidem illam contempleris, qua nauclerus pergit, quocúmque voluerit: In qua reponitur acus nautica, quæ totam cæli, terræque dispositionem ostendere possit. Quam profectò tametsi solā consideras, magnam diuini numinis erga homines beneficentiam demōstrat; quid enim illa potest esse admirabilius, quæ Septētriones adeò certa lege sequitur, statim atque magnete tacta est. Vbi dignū est animaduersione, quod Maurolycus c. 10. de lineis horariis cū aliis pluribus aduertit, qui magnetinæ rationem attractionis in legis vniuersalis naturam, & similitudinē refundens, ait vicissim magnetem à ferro trahi, quando maius est ferrum; se verò inuicem trahere, vbi filo suspensa fuerint æqualia, imo & magnetem trahere magnetē, lapidem tamen affrictu ferri vim non acquirere, quod lapis sit natura prior, & ferrum ex illa minera, sicut riuus à fonte promanet. Quibus ideo nunc omissis, quia latiùs postea de natura magnetis dicturi sumus; placet ad alia diuertere, nempe ad nauigationem, quæ totum mundum pulchrè nobis referre potest. Si enim præter nauis partes, armamenta, & ornamenta, de quibus pauca præmissa sunt, eos, qui in nauibus degunt, contempleris, nauem pro Republica, ciuitate, regno, vel mundo sumere possis. Ibi enim gubernator, seu κυβερνήτης adest, à quo totius vitæ nostræ rationem Max. Tyrius deflexit; nā gubernator vnus nauigationē moderatur, vt animus corpus; nauis gubernatoris imperio paret, vt animo corpus; venti nauem impellunt, quemadmodum virtutes instinctus Spiritussancti. Quod si tēpestas exoritur, manente naui, incolumique gubernatore, salutis nunquam spes amittitur, siue nauis ipsa recto feratur cursu, siue arte tempestatem deuitet, dum tamen à gubernatore regatur.

Maurolycus.

De magnete.

Nauis cum mundo, vel Repub cōparari potest.

Tyrius.

De gubernatore.

At si gubernatorem ipsum abstuleris, inutilis nauis efficietur, etiam si firmitatem propriam seruet, & inutilis erit ventorum flatus, etiam si secundus, ac prosper fuerit; propterea & in mari, & in naui, & in nauigatione preciosissimus est gubernator. Ergóne dicet aliquis mundum sine gubernatore constare posse? An corpusculum animo, an nauis rectore indigeat, non autem magnum illud mūdi totius nauigium? Absit, vt id suspicemur; habes igitur, Athee, rectorem, & archigubernium in toto cælorum ambitu constituendum esse, aduersus quē non debes insurgere, vel blasphemiis eum impetere, Cercitarum more Scythiæ populorū, qui suos gubernatores sputis impetebant, si quid apud nos cōtingat, quod vel nolles, vel non intelligis; quemadmodum enim non intelligit nauis, imo neque ij, qui traiiciūt, cur hoc aut illud iubeat, faciatue Nauarchus, ita neque homines diuinæ mentis secreta penetrare possunt.

Sermo ad Atheū dirigitur.

Possumus alios, qui naui seruiunt, post gubernatorem aspicere, quem, vt iam nauis dominum reticeam, sequuntur nauicularij, naustodicæ qui iudiciis præsunt, apostoles, thalassometræ, celeusma modulantes, siue assa voce, siue tibia, vt pro modulorum, & harmoniæ ratione remiges remos concitent, vel inhibeant, quod serui symphoniaci aliquando etiam cithara fecisse dicuntur: illos autem hortatores, portisculos, vel, vt est apud Senec. epi. 7. pausarios antiqui nuncuparunt.

De iis qui naui seruiunt.

Celeusma quid.

Vin proretam insistentem proræ, & remigantibus imperantem, nauicularios, nauales socios, thalamitas inferiores, zygitas medios, & superiores thranitas, vis nauphylaces, tœcharchos, helcyarios, epibatas, propugnatores classiarios, mesonauras, diætariosque tibi proponam? Quorsum tot officia, tot homines, serui, domini, nisi quia singula cum ordine, atque ratione administrari debent, sine qua statim naufragium sequeretur? En vides omnia rectore quodam opus habere, qui non tantum in magnis, sed & in paruis nauigiis sit omnino necessarius. Concludas igitur huic mundo

do

Quid scire debeat nauis gubernator.

do rectorem aliquem præesse, qui omnia administret, cui parere debeamus. Quem, ne tibi finxeris improuidum & ignorantem, percontare, quid vnius nauigij gubernatorem scire oporteat; quomodo differentiam nosse debeat, quæ est inter mundi, magnetisque polum, vt in qualibet longitudine, atque latitudine sciat, per quot gradus, vel minuta magneticus obelus à mundi polo deflectat; quid sit primus circulus meridianus, quid arcticus, vt in eorum intersectione 23½ vltra polum mundi, magneticum polum collocet; quid sit longitudo, atque latitudo, vt ex intersectione paralleli, & meridiani, seu loco, in quo se collocatum videt gubernator, lineam ad polum vtrúmque ducat, vt angulus, qui ab istis lineis fiet, in hac intersectione magnetis declinationem patefaciat, quam exempli causa 9 graduum & 16 Lugduni reperire est, si Tardeo credimus, siquidem illius vrbis longitudo est 24 graduum, latitudo 45 grad. 40', vt notat Magin. in Ephem. Massiliæ declinationem illam 9 grad. 30', Constantinopoli 21 grad. faciunt, licet ambæ hæ ciuitates in eodem sint parallelo, seu latitudine 43 grad. 5⅓ verùm longitudine differunt, Massilia quippe 24½ longitudinem, 55 graduum Constantinopolis habet.

Polus magnetis quomodo differat à polo mundi.

Qua industria magnetis declinatio reperiatur.

Quanta sit Lugduni, Massiliæ, & Constantinopoli.

Sed & altitudinem poli debet inuestigare, non tantùm Geographicarum tabellarum, vel globorum, vel ephemeridum ope, non tantùm stellæ polaris beneficio, cuius summam altitudinem, depressionem, & vtriusque differentiam sumat per dioptricum aliquod instrumentum, sed etiam vnius solis auxilio, quandoquidem stellæ sæpius occultantur, adeout polares stellas deprehendere nequeat. Ita verò sole mediante poli cognosces eleuationem, si eius altitudinem meridianam exploratam habueris, nec non declinationem ab æquatore, quam demes, si versetur in signis Septentrionalibus, addes verò eiusdem meridianæ altitudini, si australia signa pererret; His enim peractis æquatoris altitudo nota est, à quo cùm vsque ad polum 90 gradus intercedant, quot & ab horizonte ad punctum verticale, seu zenith, si à circulo meridiano æquatoris subtrahas altitudinem, prodibit altitudo poli, cùm ab horizonte vsque ad polum sit æquale spatium ei, quod ab æquatore vsque ad zenith horizontis numeratur. Ex quibus elici debet, quanta scientia, atque sapientia mundi totius gubernator præditus sit.

Quomodo poli reperiatur altitudo.

De altitudine poli, & æquatoris.

Jam superest, Athee, vt si minus nauigij, tui saltem ipsius, tuarúmque cogitationum gubernator efficiaris; tuam igitur nauim præpara, nulli rudentes, vela nulla desint, præsto sint armamenta; malus æqualis cùm tota naui longitudinis, sit ratio naturalis, & notio communis omnium, quæ Deum esse nobis profundissimè imprimit; nautica pixis, intentio sincera, vt tuum nauigium ad fœlicem portum deducere possis, polus tuus, sit ipse Deus, ad quem, vt ad vltimum finem, atque summam beatitudinem collimes: vela, expansæ ad Deum orationes: Denique nulla sit in tota naui particula, quæ tuam salutem non prouehat, quam ex toto corde desidero, mihique præ singulis huiusce mundi rebus charissimam esse cognoscas velim.

Homo naui comparatur.

Quod si priùs te mari committere, & nauigio stadia, gradúsque plurimos conficere volueris, quàm vt mihi credas, quàm vt ab exemplo gubernatoris Deum, qui huic mundo præsit, necessarium esse fatearis, tabellam exhibeo, qua per varias solis declinationes quolibet anni die notatas, in quocumque parallelo, quacumque longitudine, vel latitudine fueris, altitudinem poli deprehendas, quam Nonius l. 1. de ratione nauigandi, & alij plurimi descripserunt.

TABVLA DOCENS
quanta ſit vnoquoque die ſolis declinatio.

		♈	♏	♉	♐	♊	
Gradus ſigno-rum.	Gradus declina-tionis.	Minuta.	Gradus declina-tionis.	Minuta.	Gradus declina-tionis.	Minuta.	Gradus ſignorum.
1		24	11	51	20	25	30
2		48	12	12	20	37	29
3		12	12	33	20	49	28
4	1	36	12	53	21	10	27
5	1	59	13	13	21	11	26
6	2	23	13	33	21	22	25
7	2	47	13	3	21	32	24
8	3	11	14	13	21	42	23
9	3	35	14	32	21	51	22
10	3	58	14	51	22	0	21
11	4	22	15	10	22	9	20
12	4	45	15	28	22	17	19
13	5	9	15	47	22	25	18
14	5	32	16	5	22	32	17
15	5	55	16	33	22	39	16
16	6	19	16	40	22	46	15
17	6	42	16	57	22	52	14
18	7	5	17	14	22	57	13
19	7	28	17	31	23	3	12
20	7	50	17	47	23	7	11
21	8	13	18	3	23	12	10
22	8	36	18	19	23	15	9
23	8	58	18	34	23	19	8
24	9	20	18	49	23	22	7
25	9	42	19	4	23	24	6
26	10	4	19	18	23	26	5
27	10	26	19	32	23	28	4
28	10	47	19	46		29	3
29	11	9	19	59		30	2
30	11	30	20	12		30	1
Gradus ſigno-rum.	Gradus declina-tionis.	Minuta.	Gradus declina-tionis.	Minuta.	Gradus declina-tionis.	Minuta.	Gradus ſignorum.
	♍	♓	♌	♒	♋	♑	

Quæ tabula quia facillima est, & vnico intuitu comprehenditur, nulla explicatione opus habet. Tantummodo aduertendum est signa duo, tam supra, quam infra simul collocari, quia similem declinationem habent; deinde columnam vltimam, quæ numeros 30 primæ columnæ similes habet, signis inferioribus deseruire; vt solis declinatio talis numeretur, qualis è directo cuiuslibet gradus signata est. Hinc facilè poteris eruere discrimen declinationis vnius diei ab alio, & perspicere, quanto maior sit, vel minor diei vnius, quàm alterius declinatio. Ne verò hinc abeas, nisi priùs summam Dei prouidentiam in illa declinatione admireris, qui hinc inde solem ab æquatore per 23 gradus, & 30' recedere iussit, atque voluit, adeout obliqua solis via à tropico hyberno in æstiuum 47 gradus complectatur, vt omnia, quę homini necessaria sunt, suis quæque temporibus generarentur.

Has verò solis declinationes, & poli altitudines Atheorum meditationi contemplandas relinquo, iisque potiùs consulo, vt deinceps nauigium suum, seipsos videlicet sapientiùs regant, atque firmissimè credant reuera Deum esse, qui eos ad resipiscentiam expectat, atque sæpius prouocat; quos alioquin æternum naufragium facturos nullus sanæ mentis non credit, nisi se ad meliorem frugem receperint. Vtinam diuini numinis bonitatem vel summis labris degustassent, viderent sanè, quàm bonus Israël Deus, his qui recto sunt corde; nec ampliùs insanirent dicentes. Non est Deus, sed contenta voce, & assidua cogitatione clamarent, & apud se reuoluerent, Deus est, qui nos perspicit, regit, diligit, sustinet, alit, vegetat, & nobis esse continuò tribuit; Deus est, quem imposterum venerabimur, quem summo amore prosequemur, & adorabimus: Deus est, cuius præsentia fœlices erunt, quicúmque beatitudine perfruentur. O Deus meus omnes Atheos ab impietate reuoca, & pro summa, qua polles bonitate, illos à Sathanæ densissimis tenebris erue, vt te deinceps laudent, tibi debitos honores impendant, & illud Psalmographi concinant.

Feruens desiderium exprimitur, quo Atheorum conuersionem, & salutē, Theologi desiderant.

Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium: Laqueus contritus est, & nos liberati sumus; & prò nefandorum axiomatum veneno, quod antea vomebant, suaue illud eructent, *Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.* De nauigatione, & nauibus alia quædam in prolegomenis habes, & alia forsitan ad arcam Noë proferemus. Possent verò rationes aliæ in diuini numinis confirmationem afferri, sed hæ, quas exhibuimus, satis superque sufficiunt, reliquas forsitan subiungemus, si quæstionem hanc in perfectum opus reduxerimus. Hactenus igitur de rationibus, quibus luce factum est clarius Deum Opt. Max. existere. Omnes verò solutiones, quas infra obiectionibus Atheorum adhibemus, nouarum rationum munere defungi poterunt.

ARTICVLVS TERTIVS.

An aliquis Atheismum possit amplecti, & quomodo, quibusue de causis, vbi Atheorum obiectiones in synopsim contrahimus.

TAmetsi creaturæ omnes Deum ostendere videantur, attamen non desunt, qui cùm in luce meridiana versentur, caligant tamen, atque tenebris inuoluuntur, & Deum quem omnia personant, esse negant: Neque laborandum est, vt Atheos esse probemus, quandoquidem ex antecedentibus satis superque constat, quot huiuscemodi tenebrionibus omnia mundi regna scateant: Itaque superest, vt de causis agamus, ob quas homines Deum negare & Athei euadere soleant; Hîc autem de veris Atheis loquor, non de cæteris, qui vt facundi, & cæteris doctiores appareant, sæpiùs veram de Deo fidem euertere, & ex familiarium, quibuscum colloquuntur, mente tollere nituntur, vel Atheos induunt, vt aliquid ab aliis impetrent, quod alio modo se non posse consequi credunt, tametsi sciant, credantque Deum esse, quos seriò monitos velim, ne Dei patientia diutiùs abutantur, dum enim Atheismi semina in huius, aut illius animum spargunt, quæ postea facillimo negotio succrescere possint, non attendunt, quanti se peccati reos exhibeant, adeout huiuscemodi homines Christi verba perstringere videantur. Matth. 18. *Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris*; & postea: *Væ homini illi, per quem scandalum venit.* Inter alias verò causas vna est, quam D. Ansel. 3. prosol. refert, nempe, insipientia, cordisque vesania, atque fatuitas, per quam homines in opiniones absurdissimas, & diuersos errores facilè labuntur, vnde Psaltes ait; Dixit insipiens in corde suo non est Deus Ps. 13. vbi legimus Hebraïcè נָבָל nabal, quod significat ratione destitutum, cerebro carentem, & illum qui contra publicam honestatem, vel manifestum Dei verbum aliquid aggreditur, in quo ne mica quidem bonæ mentis agnoscitur; vertiturque à Septuaginta, μωρὸς, ἀσύνετος, ἄφρων, ἀπαίδευτος; Vbi proficiet, si notemus, idem nomē cum sex punctis, siue 2 segol, significare vas, quod sit vacuum, vtrē, lagenam, amphoram, præcipuè verò vasa musicæ, vnde Nabla dicimus, quæ Suidas ait esse speciē organi; psalteriū etiam, quod Naula vocatur, lyram, chorum, fistulam vtricalem, quā vulgò Cornamusam vocāt, significat. Iosephus autem 7 antiq. c. 10, aliàs 12, ait Cinnyram fuisse 10 chordis instructam, nablum verò 12. ἡ μὲν κινύρα δέκα χορδαῖς ἐξημμένη, τύπτεται πλήκτρῳ, ἡ δὲ νάβλα, δώδεκα φθόγγους ἔχουσα, τοῖς δακτύλοις κρούεται, id est. Cinnyra כנור Kinnor 10 chordis intenditur & plectro pulsatur, nablum duodecim sonos cōtinet, sed digitis carpitur. Verùm ad Atheos reuertamur, quos cerebro vacuos rectè nuncupauerimus; Quare insipiens, inquit D. Ansel. suprà,

Variæ Atheorum species.

Matth. 18.

Causæ cur aliquis fiat Atheus.

I. Cordis fatuitas, & insipientia.

Quid sit insipiens. Psal. 13.

Nabla quid

Cornamusa. Suidas. Ioseph.

ausus sit tam sceleratè cogitare, non est alia causa, quàm quia insipiens erat; quomodo enim Deum ille cognoscet, qui ratione non vtitur, sed potiùs abutitur? tametsi enim apostolus dixerit à visibilibus in Dei, rerumque inuisibilium cognitionem gentiles peruenisse, minimè tamen rationem ablegauit, sed potius subintellexit.

2. Ingens numerus pec catorum. D. Thom. Secunda causa rectè constituitur, ingens peccatorum numerus, eorum præcipuè, quæ ad libidinem, atque gulam pertinent, quæ tenebris mentem obsident, & nescioquam hebetudinem, atque torporem ingenerant, quod eleganter, & doctè more solito D. Thomas 2. 2. q. 153. a. 5. explicat. Quando inferiores potentiæ (inquit) vehementer afficiuntur ad sua obiecta, cōsequens est, quòd superiores vires impediantur, & deordinentur in suis actibus. Per vitium autem luxuriæ maximè appetitus inferior, scilicet concupiscibilis, vehementer intendit suo obiecto, scilicet delectabili, propter vehementiā passionis, & delectationis. Et ideo cōsequēs est, quòd per luxuriā maximè superiores vires deordi-

4. Actus rationis quomodo impediantur. nentur, scilicet ratio, & voluntas. Sūt autem rationis 4 actus in agendis. Primò quidem simplex intelligentia, quæ apprehēdit aliquem finem, vt bonum, Et hic actus impeditur per luxuriam secundū

I. Daniel. 13. illud Daniel. 13. *Species decepit te, & concupiscentia subuertit cor tuum.* Et quantum ad hoc ponitur cæcitas mentis, quæ tametsi ferè sola pertinere videatur ad id, quod in 2 Atheismi causa diximus, quia tamen ad eam non parum conferunt, quæ S. Doctor subiungit, & alioquin præclara sunt, afferam. Igitur secundus actus est consilium de his, quæ sunt agēda propter finem. Et hic etiam impeditur per con-

2. Terentius. cupiscentiam luxuriæ; vnde Terentius dicit in Eunucho Scena 1. loquens de amore libidinoso: Quæ res in se neque consilium, neque modum habet vllum, eam consilio regere non potes. Et quātum ad

Quid sit præcipitatio. hoc ponitur præcipitatio, quæ importat substractionem consilij. Quam præcipitationem sub imprudentia contentam q. 53. a. 3. eiusdē partis sic explicat, vt eam in actibus animæ, iuxta præcipitationem motu corporali factam sese habere contēdat; vt enim præcipitari dicitur, quod secundum aliquem impetum proprij motus, vel alicuius impel-

Quibus gradibus ad bonum consilium perueniamus. lentis à superiori in ima peruenit, non ordinatè descendendo per gradus, ita & homo, qui vel in credendis, vel in agendis se dat præcipitem; summum enim animæ est ipsa ratio, imum verò corporis exercitium; at gradus, quibus ordinatè descēdendum est, sunt memoria præteritorum, intelligentia præsentium, solertia in considerandis futuris euentibus, ratiocinatio conferens vnum alteri, docilitas, per quam aliquis sententiis maiorum acquiescit, per quos quidem gradus aliquis ordinatè descendit, rectè consiliando; Si verò quis impetu voluntatis ad agendum feratur eiusmodi gradibus neglectis, & omissis, erit præcipitatio, quæ secundum actum rationis, de quo agimus impedit.

3. Tertius actus est iudicium de agendis, qui etiam luxuria impeditur; sic enim senes Daniel. 13. auerterunt sensum suum, vt non recordarentur iudiciorum iustorum: & quantum ad hoc ponitur inconsideratio. Denique quartus actus est præce-

4. ptum rationis de agendo, qui pariter actu libidinis impeditur, siquidem ab impetu luxuriæ præpeditur homo, ne quod faciendum esse decreuit, exequatur, vnde Terent. supra de quodā, qui se recessu-

Voluntatis deordinatio. rum ab amica dicebat, sic ait. Hæc verba vna falsa lachrymula restinguet. Atq; hactenus de inordinatione intellectus actū est; quòd si quis actus volun-

Duplex actus inordinatus. tatis inordinatos scire desideret; ex parte volūtatis duplex actus inordinatus consequitur, quorum vnus est appetitus finis; & quantum ad hoc ponitur amor sui, quantum scilicet ad delectationem,

I. quam inordinatè appetit; Et per oppositum ponitur Dei odium, inquantum scilicet prohibet delectationem concupitam. Alius autem est appetitus eorum, quæ sunt ad finem, & quantum ad

2. hoc ponitur affectus præsentis sæculi, in quo vult aliquis frui voluptate, & è contrario ponitur futuri sæculi desperatio, quia dum nimis carnalibus affectibus detinetur, non curat ad spirituales delectationes peruenire, sed eas fastidit. Cùm

Effectus libidinis. igitur effrænis libidinis impetus cæcitate mentem percutiat, & in ea præcipitationem, & inconstantiam, in voluntate autem, sui amorem, Deique odium, affectum præsentis sæculi, & futuri horrorem generet, non est mirum si luxuriam inter Atheismi causas enumeremus, quæ prout hominem rationis expertem facit, ad primam causam facilè reuocari potest. Relinquo cæteros actus inordinatos exteriores, nempe turpiloquia, scurrilia, ludicra, atque stultiloqua verba, quæ

Isidor. refert Isidorus, & doctor Sanctus explicat, vt de cæteris Atheismi causis nonnulla subiungantur, si tamen aliquid ex Terentio decerpsero, quod libidinosam cæcitatem ampliùs manifestet, quandoquidem ipse D. Thomas comicum hunc attulit, qui dum in Eunuchi Scena 1. Phædriæ adolescentis exemplo describit amorem, eo homines brutis animalibus simillimos reddi versibus istis

Terentius. ostendit:

——— O indignum facinus; nunc ego &
Illam sceleſtam esse, & me miserum sentio:
Et tædet, & amore ardeo; & prudens, sciens,
Viuus vidensque pereo, nec quid agam scio.

3. Quia vnusquisque iudicat, prout affectus est. Tertia causa est, quod ita iudicent homines, prout affecti sunt, ac prout rem illam, de qua iudicium ferunt, sese habere vellent; vnde fit, vt sæpissimè perperam homines de rebus sibi propositis iudicent, vt enim in speculo malè disposito, imagines distortæ, & malè collocatæ cernuntur, ita cùm virtus apprehensiua malè se habet, in

Quid sit synesis D. Thomæ. ea rerum species aliter, quàm ad verum iudicium inde formandum necesse sit, apparent; vnde peculiarem virtutem, synesim videlicet, theologi cum D. Thoma 2. 2. quæst. 51. art. 3. constituunt, qua benè iudicemus, vnde sensati syneti, & boni sensus homines æsyneti, sensu verò carentes asyneti dicuntur. Eapropter licet omnes creaturæ Deum esse appetant naturali, & innato appetitu, velut primam, atque præcipuam sui esse causam, appetitu tamen elicito, ne iuxta delictorum suorum grauitatem puniantur, vellent homines animas suas esse mortales, ac proinde Deum non esse, ne suorum peccatorum vindicem eum asserere cogantur, quod ne eos impediat, quominus in vtrāmque aurem dormire, atque in sceleribus suis tam altum stertere possint, omnem de

Psalm. 9. Deo sensum, & opinionem abiicere conantur, quod Psalmus 93. insinuare videtur. *Viduam & aduenam interfecerunt, & pupillos occiderunt, & dixerunt, non videbit Dominus*; quod idem est ac negare Deum esse. Ita etiam Psal. 9. *Non est Deus in conspectu eius, inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore. Auferuntur iudicia tua à facie eius.*

4. Quia suo ingenio Quarta causa est, quòd homines omnia Dei consilia suo iudicio metiri velint, quæ cùm assequi

cuncta metiri volunt. assequi non valeant, putant nullum esse Deum, eo ferè modo quo Sadducæi, qui dum spiritus concipere non possent, eos esse negarunt; idemque non solū in cæteris rebus spiritualibus, sed & in corporeis sæpe numero contingit, quot enim exēpli gratia videas, qui nec volūt, nec possunt credere talorum ludū tornatilem cum arculis quibusdam siue ligneis, siue osseis, siue eburneis fabricari posse, qui frumenti granum vnicum pendeat, nisi priùs illud experti fuerint? quot indies cernimus, qui naturæ vel artis singulis operibus, & opificiis, quæ aliquā in se miraculi speciem continere videntur, fidem omnem ablegent? donec αὐτοψίᾳ fateri cogantur, quod antea falsum esse iudicabāt; huiusce modi Atheos Dauid Psal. 72. increpat, *quomodo scit Deus, & si est scientia in excelso: ecce enim ipsi peccatores, & abundantes in sæculo, obtinuerunt diuitias.*

Psal. 72.

5. Impatiētia & incredulitas. Impatientiam hominum, & incredulitatem pro quinta causa statuamus, qui nisi statim impetrent, quod à Deo postulant, nullum esse Deum falsissimè concludunt, ex eo quòd non eos confestim exaudierit, vnde nos inter Atheorum argumenta retulimus, quòd Deus vel non exaudiat orationes, vel tardiùs, quàm eius bonitatem atque misericordiam deceat; quibus abundè infrà respondemus, & vt credo, perfectè satisfacimus.

Exod 17. Ita etiam Iob 21. Quis est iste omnipotēs, vt seruiamus ei? quid nobis prodest, si orauerimus illum?

Hac autem ratione tentarunt Dominum Hebræi Exod. 17. dicentes: Est ne Dominus in nobis, an non? quibus aliquos similes vidi, qui dum captiuitate diuturniori, idque, vt dicebant, absque legitima causa detinerentur, secum Deum esse, sibique adesse minimè credebant, imo, quod est horrendum auditu, in hæc verba blasphema prorumpebant, Quid? fierine potest, vt mihi Deus adsit? si præsens adest, cur non succurrit? cur me carceris, inediæque squalore, & supplicio iamdiu confectum, tametsi innocentem, non liberat? absit à me longéque recedat huiusce modi Deus. O perfidiam hominum! ô tempora, ô mores! sed obsecro videant, serióque meditentur, qui tanta premuntur impatientia, vt omnem spem, atque de Deo fidem abiiciant, quid huic argumento respōderimus, si Deus esset, bonos tot afflictionibus cōfici non pateretur, &c. ibi enim multas rationes reperiēt, ob quas Deus illud permittit, & desiderat. Placet tamen causam hanc authoritate D. Basilij confirmare, qui lib. quod Deus non est autor mali, ita habet in Psal. 12. Vsquequo obliuisceris me Domine in finem, vsquequo auertis faciem tuam à me, quo ait psaltem longum tentationis certamen ostendere, & per totum psalmum docere, ne deficiamus afflictionibus, sed expectemus bonitatem Dei, sciamusque quòd ille prudenti quadam οἰκονομίᾳ afflictionibus nos dedat, & secundum proportionem vniuscuiusque fidei probationum inducat mensuram. Quoniam igitur dixit, Vsquequo Domine obliuisceris me in finem? Vsquequo auertis faciem tuam à me: statim ad malū eorū, qui Athei sunt, transit, qui si quid calamitosum acciderit, instantem in rebus aduersis dolorem non ferentes, mox secum perplexi, dubitant non sit Deus, qui rerum huius mundi curam gerat, an singula videat, an pro meritis eorum, quæ in vita gesserit, vnicuique retribuat.

Captiui alicuius blasphemia, in quam erūpebat me præsente, cū eum ad patientiam hortarer.

Basilius.

Deinde vbi se viderint in iis quæ nolunt diu detentos, paruum illud dogma intra se confirmant, & in suis cordibus ita decernunt: non est Deus, & paulo post. Hoc itaque cum in animum induxerūt, certatim ad omne reliquum peccati genus ruunt. Si enim nullus est inspector, si nullus qui pro meritis vitæ cuilibet tribuat, quid prohibet pauperem conculcare, orphanos necare, viduam & aduenam occidere, omne audax facinus tentare, impuris, & abominandis affectibus, omnibus denique pecuniis cupiditatibus inquinari? idcirco illud, quod talem impietatem, quæ Deum non esse dicit, consequitur; Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studiis suis. Impossibile est namque à via iusta aberrare eū, qui in corde suo Dei non obliuiscitur. Vnde, quæso, gentes traditæ sunt in reprobum sensum, vt faciant ea, quæ non conueniant, vt ait Paulus? Nonne quoniam dixerunt, non est Deus; & paucis interiectis. Stultus igitur, & verè à sensu alienus est, qui dixerit, non est Deus.

Horribili captiui illius blasphemiæ, cuiusdam Athei, aut Deistæ impatientiam subiicere possum, qui, vt ipse mihi narrauit, cùm longa febri, & importuna detineretur, in desperationem incidit: sic enim aiebat, quid ergo feci Deo, vt me febri tam diuturna conficiat? quænam est illa crudelitas? quandoquidem nihil mihi conscius sum, neque memini me mali aliquid ei intulisse, aut scelus vllum perpetrasse. In quæ etiam verba quidam post obitum coniugis prorumpebat, & furoris œstro percitus à Deo inquirebat, cur illum ita coniuge destitueret; curue in eum ita crudelis esset. Ille verò Deistatheus sclopum in caput suum iam iam explodebat, postquam nullum Deum esse conclusisset, à quo alioquin se à febre liberatum iri credebat, nisi quibusdam humanis rationibus à suipsius cæde reuocatus fuisset: vnde facilè colligas, quosnam ex se fructus Atheismus procreet. 7 Ob naturæ tenorem perpetuū.

Sexta causa est, quia vident rerum naturalium ordinem semper eodem modo, atque tenore sese habere, quapropter nullum esse rectorem existimant, sed res suopte genio hos, & illos cursus peragere, hanc aut illam suæ durationis periodum ex seipsis obtinere, omnia in omnium causarum connexionem æternam, atque fatum esse referenda, sic enim impij, 2 Petri 3 dicebant. Ex quo patres dormierunt, omnia sic perseuerant; cùm tamē potiùs ex ordine, statóque rerum omnium tenore concludere debuerint reuera sapientissimum esse prouisorem, atque gubernatorem, qui modo conuenientissimo, atque sapientia ineffabili hæc omnia in debitum ordinē redigat, atque moderetur. 2. Petr. 3.

Septima causa est inordinatum studium, nimiáque sollicitudo, qua nonnulli rebus naturalibus incumbunt, & carū motus omnes, opera, proprietates, & affectiones in causam naturalem referunt, adeout nihil illis supra naturam esse videatur; hinc fit, vt philosophi, atque medici Atheismo fauerint, & in eum inciderint; contra quos Apostolus ad Coloss. 2 inuehitur; Videte, ne quis vos decipiat per philosophiam, & inanem fallaciam secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, & non secundum Christum. & D. Hieronym. epist. ad magnum Oratorem 146, & 2 ad Damasum Papam, asserit gentilium philosophiam esse dæmonis cibum; Rationes autem quibus isti philosophi, atque medici decipiuntur, latè postea deductas habes; qui cùm semel apud se statuerunt rerum omnium rationem naturalem in medium proferre, sæpenumero tantam in impudentiam, & & incredulitatem incidunt, vt ebriis, multúmque ructantibus similes esse videantur, qui, ad modum Loth à filiabus vino obruti, & in nefandum incestum abrepti (ex quo Moab, & Ammon, qui præ-

7 Ob nimiam curiositatem.

Ad Coloss. 2.

D. Hieron.

fuerunt hostibus populi Dei, noti sunt) nesciunt ampliùs, quid vel faciant, vel cogitent, vel dum optimè iudicare credunt, perperam ratiocinantur.

8. Ob hæresim. Octaua causa est hæresis, quæ est ad Atheismum via latissima; sic enim primò Sadducæi resurrectionem mortuorum esse negauerunt; deinde Angelos, & Spiritus, qui proinde Deum esse negabant, cùm ipse sit Spiritus, vt Christus Samaritanam docuit; huius rei ratio est, quòd hæresis, & Atheismus eandem originem habeant, incredulitatem videlicet, quæ ex superbia, atque nimia proprij iudicij æstimatione proficiscitur; vnde legimus cap. 10. Ecclesiastici. Initium superbiæ hominis apostatare à Deo, quoniam ab eo, qui fecit illũ, recessit cor eius, quoniã initium omnis peccati est superbia; quibus sapiens minas subiungit, vt eos ab Atheismo, atq; eius origine superbia deterreat. Qui tenuerit illam adimplebitur maledictis, & subuertet eum in finem; faxit Deus Opt. Max. ad cuius gloriam, & honorem, hanc quæstionem tam latè producimus, vt quicũque Athei eam legerint, Deum verum amplectantur, & dicant; Dirupisti Domine vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis, & nomen Domini inuocabo. Psalmo 115. Sunt & aliæ causæ, cur impij Atheismo faueant, quas reticere nolo.

Eccles. 10

9. Ob impiorum familiaritatẽ & cõsortiũ. Nona igitur est ex ipsa Atheorum confessione, quia multos Catholicos, & cuiuslibet status, & sectæ hæreticos alloquuntur, quorum vbi vident vnumquemque affirmare, atque iureiurando confirmare, quod stet ex illius parte veritas, pro qua mortem subire paratus sit, alios verò falsitatem, & mendacium sectari, inde concludunt Athei melius esse nihil ex iis quæ spectant ad religionem, quàm aliquid credere, quibus enim, inquiunt, potius credere debemus, an Caluinistis, an Ariminianis, an Catholicis? cum omnes veritatem sese habere, atque pro focis, & aris illam tueri asserant.

10 Quia solis sensibus innituntur. Decima est, quia belluarum instar solis sensibus credunt, præter quorum obiecta cætera omnia, quæ ad diuina, atque spiritualia pertinere dicũtur, chimerica, & phantastica existimant; quod partim ex eo contingit, quòd philosophiæ, aut theologiæ nunquam animum addixerint, vt in quibusdam Atheis experientia comprobaui.

11. Quia vi naturæ mirabilia quędam fieri deprehendunt. Vndecima, cùm aliquid, quod antea velut miraculosum credebat Atheus vi causarum naturalium fieri deprehendit, statim imperitè concludit cætera, quæ miracula nuncupantur, vt mortuorum resurrectionem, cæcorum illuminationem, & alia mirabilia, vt quod dæmones aliquos possideant, & energumeni quantumuis ignari variis linguis loquantur, & cætera, vel naturæ vi, vel alicuius peritissimi artificis causas occultas applicantis industria fieri.

12. Quia vident malos florere, bonos opprimi. Quibus omnibus, duodecimam subiicere possem, quòd impios, vel saltem multos fruges consumere natos omnibus bonis affluere, in regnis, atque republicis primatum obtinere, bonos opprimere videant, iustos autem malis omnimodis opprimi, atque pro nihilo haberi; hinc enim concludunt vel nullum esse Deum, vel eum bonitate, iustitia, atque prouidentia carere, quibus latè satisfaciemus, vbi eorum obiectiones confutabimus.

13. Ob superbiam, & peccata præcedẽtia. 13. Adiungere possit aliquis, quòd Deus ob superbiam, vel alia peccata præcedentia, à quibus non resipuere, quamuis ad ea relinquenda millies à Deo mille modis inuitati fuerint, eos obcæcauit, & obdurauit, adeout nihil amplius credere velint; hinc fit vt imposterum omnibus hominibus, etiãsi doctissimis, atque sanctissimis iudicium suum præferant, nec assentiri velint vlli veritati, nisi demonstratio, mathematica demonstratione clarior afferatur: quod quidem in Atheo expertus sum, qui cùm omnem cultum diuinum abnegaret, Deique prouidentiæ insultaret, affirmaret tamen se credere Deum esse, quia nimirum id ei omnes creaturæ persuadere videbantur, adeout concederet se contrarium imaginari non posse, statim aliquod argumentum confeci, quo euidenter conuincerẽ eum nihil omnino, neque Dei ipsius existentiam credere: quod cum meditatus fuisset, nec ei satisfacere posset, vtpote nimiùm imperitus, vel obcæcatus, facilè manus obtulit, vnde conclusi nihil eum penitus credere.

Profundissima superbia, quia se Deum esse vellent, vt nulli subiicerentur, & præessent omnibus.

14. Quia in quibusdam libris mendacia reperiunt, pari modo de omnibus iudicant. Decimaquarta est, quòd Athei nonnunquam libros aliquos perlegant, in quibus cùm mendacia siue ad historiam, siue ad aliquos effectus naturæ, vel artis spectantia reperiunt, non Maronis gemmas ex Ennij stercore carpentis, sed pessimi serpentis instar venena colligentes, insani concludunt libros omnes mendacij, atque falsitatis plenos, nec ipsis sacris codicibus, in quibus diuini numinis voluntas, atque decreta exprimuntur, credendum esse, sed pro fabulis habendos. Hinc fit, vt solis experientiis nitantur, ne si quid absque præuia experientia credant, sese errandi periculo exponant, atque decipiantur. Hæc est insipientium sapientia, hæ cogitationes, hi sermones cum suis familiaribus, quorum cætera portenta, & horrendas blasphemias infrà videbis, vbi corũ obiectiones subuertemus; faxit Deus Opt. Max. vt detestandum illud axioma, quod in corde suo profundissimè inscripserunt Athei, radicitus euellamus, vt iam nullus futurus sit impius, qui dicat in corde suo, non est Deus, sed omnes corde & ore fateantur, EST DEVS.

15. Quia hæretici maiori amore, quã Catholici sese prosequi videntur. Decimaquinta est, quia vident eos, quos hæreticos appellamus, & ab æterna salute, ni suos abiiciant errores, excludimus, maiori inter se fidelitatis, & charitatis vinculis colligari: Catholicos verò, quos meritò solos fideles, & Christianos nuncupare possis, mutuis sese dissidiis, scommatibus, calumniis, atque cædibus impetere, & interimere, vt patet in duellis, quę adeò leuiter suscipiũt, vt pro vnico verbo, mille ensium ictibus animam cum corpore transfigant; huic enim, vitam animæ, illi verò vitam spiritualem nempe gratiam auferunt, vt æternis ignibus dirè torqueatur; hinc tot in Gallia familias alioqui celeberrimas, & antiquissimas extingui magno iustorum dolore cernimus.

16. Quia plures sunt impij, & infideles, quã fideles. Decimasexta, quia dum tam paucos esse audiunt, qui diuino cultui vacent, & numen diuinum debita veneratione prosequantur, adeout omnes fideles, riuuli, aut ad summum vnius instar fluminis esse videantur: impij verò, & gentiles, hæretici, & Athei quemadmodum ingens Oceanus sese expandere; hinc concludunt fieri non posse, vt reuera sit aliquis Deus optimus, qui fidelium, & omnium hominum, totiúsque mundi curam habeat; alioquin, inquiunt, facere debuisset, cùm illud posset, vt vel omnes verum eius cultum, vel saltem plures amplecterentur.

17. Quia impij bonos vincũt. 17. Vident eos, quos impios, Turcas, & hæreticos appellamus, licet & Deo, & principi non obediant, sed omne detrectent imperium, iustis,

iustis,& fidelibus, præualere, eosque conterere, atque conficere; vnde statuunt nullum esse Deum, qui si esset, non ita faueret iniustitiæ,& impietati, sed ita piis adesset, vt statim impios iusti delerent, aut saltem sibi eos subiicerent.

18. Quia existimant quæcunque vera esse dicuntur, eodem modo probari atque adeo res morales,& diuinas sub mathematicam demonstrationem cadere debere; cùm tamē vnumquodq; suum peculiarem modum habeat, & alia sint moralia, alia diuina, alia etiam physica, metaphysica, & mathematica argumenta. Hæc autem ratio ferè cum 10. recidit.

18. Quia putant eodem modo quamlibet veritatem demonstrari debere.

Vbi vides, charissime lector, nos plurimas fenestras,& valuas Atheismi reseraste, vbi ne rimulam quidē aliqui inueniri posse credebant, qua Atheismus hominum mentem aggredi, atque peruadere posset. Illis autem causis, & rationibus ab Orco erumpentibus, quibus dæmon plurimos allicit, & tandem secum ad æterna supplicia pertrahit, plurima reperies opposita alexipharmaca, dum impiorum argumentis, quibus magis horrenda totus infernus vomere non potest, abundè satisfacimus, quorum numerum breuiter hîc afferre duxi operæpretium, vt qui aliqua ex istis ratiunculis, vel potius tentationibus percellitur, (nec enim omnibus vnumquémque Atheorum premi arbitror, sed hunc vna, alterum alia) ad obiectæ tentationis explicationem, & ratiunculæ falsæ refutationem se conferat. Nam vbi præiudicium omne, & peruersum affectum seposuerit, serióque perpenderit rationum imbecillitatem, atque falsitatē, seipsum erroris arguet, atque condemnabit, & ab impietate reuocari poterit; quod summis votis exopto; idéoque enim laborauimus, & deinceps reliquum hunc tractatum persequemur, vt filij tenebrarum lucis arma induant, & quos suppliciis æternis Atheismus addixerat, filiorum Dei catalogo adscribantur. Vbi poteris aduertere sequenti indice obiectionum nouas causas afferri, cur, & quomodo plurimi Atheismum amplectantur.

Atheorum obiectiones breuissimè proponuntur, & postea fusissimè totidem capitibus refelluntur, & explicantur.

Plurima sunt Atheorum argumenta, quibus directè, vel indirectè nullum esse Deum insinuare, atque probare conantur, quos in tantum numerum in dies excrescere audio, vt periculum sit, ne hæresibus Caluinianis, Lutheranis,& aliis id genus Atheismus succedat, nisi Deus Opt. Max. id auertat. Vix enim aliquem videbis, qui non fateatur errorem hunc detestandum ita propagari, & vrbes etiam Catholicas ita inficere, vt iam Atheismo familiaria plurimorum colloquia scateant, & feriæ multorum malè feriatorum cogitationes in rationibus inuestigandis impendantur, quibus Deum ex mente hominum,& è medio tollant, & ex consequēti Atheismum omnino statuant. Quapropter ne mireris, si quæstionem hanc tam latè pertractemus,& operam adeò strenuam in omnibus Atheorum obiectionibus discutiendis collocemus, vt nihil superesse videatur, quod impiam illorum causam,& opinionem iuuet, quin illud afferam,& destruam. Breuiter autem omnes rationes affero, quibus vel vtuntur, vel vti possunt, vt vnico intuitu quispiam omnia hostium diuini numinis tela, technas & paralogismos omnes comprehendat.

Prima obiectio.

Itaque prima obiectio est, quod nullas de Deo notitias habeamus, quas, vt potest Illyricus expugnat, Lutheri præsertim authoritate fultus, ideóque rationes habet numero 16, quas tamen pro vnica statuimus. Tametsi enim non ex professo, atque directè Deum esse neget, facilè tamen aliquis ex impio illius axiomate nullum esse Deum concludet, siue bene, siue perperam conclusio eliciatur: nec enim insolitum est, vt doctrina hæreticorum ad Atheismum conducat.

Secunda obiectio. Si Deus est, cur non antea
2. mundum produxit?

3. 3. Si Deus est, quare tot mala, tot bonos affligi, tot impios dominari, atque bonis insultare permittit?

4. Si Deus est, mala, quæ sunt in mundo, intel-
4. ligit, at intelligere Dei est ipsius facere, igitur ipsa mala facit, igitur non est optimus, igitur neque Deus.

5. Si Deus esset, non ita negligeret homines, 5.
sed impediret quominus peccarent, & ad inferos detruderentur.

6. Si Deus est, vel peccatum impedire nequit, 6.
aut illud vult, aut impedire non vult, igitur vel malus, vel impotens, atque adeò nullus.

7. Cùm melius sit in mundo nulla esse peccata, 7.
& tamen illa regnent, non est Deus; alioquin illa tollere deberet.

8. Non potest esse Deus, alioqui naturam homini ad omne malitiæ genus non ita procliuem 8.
dedisset; quod si Deus sit, est autor mali, cùm voluntatem ad malum dederit.

9. Si Deus pœnitentiam diligit, vt misericordiam suam ostendat, igitur amat peccata, sine qui- 9.
bus pœnitentia nulla est.

10. Si liberi sumus, non est Deus; hunc enim 10.
fallere possemus, aliter agendo, quàm præuiderit, at ille Deus non est, quem homo decipere potest, nos verò liberi sumus.

11. Si Deus est, etiam hisce inferioribus prouidet, vt aiunt, qui Deum admittunt; hoc autem di- 11.
ci nequit, nisi Deus aliquid seipso indignum faciat, quis autem Deum asserat, qui se indigna perpetrat?

12. Sola animæ immortalitas Deum esse conuincere videtur, atqui mortalis est, igitur nullum 12.
superest diuinitatis fundamentum.

13. Quicquid refertur de Deo, déque miraculis in causas naturales referri potest, igitur nullus 13.
Deus astruendus est, frustra enim per plura fieri, & explicari dicuntur, quæ possunt per pauciora.

14. More belluarum tam in natiuitate, quam 14.
in vita,& morte sese habent homines, igitur nulla immortalitas animæ, neque per consequens vllus Deus admittendus est.

15. Si Deus esset, singularia cognosceret, eisque prouideret, hoc falsum, ergo & illud. 15.

16. Si Deus esset, omnia in illum referrentur, at- 16.
qui monstra, vtpote imperfecta in eum referri nequeunt.

17. Si Deus est, voluntates nostræ sunt illius in- 17.

strumenta, igitur dum peccare dicimur, ille magis peccat, atqui Deus esse dicitur, qui neque vult neque potest vllum peccatum committere, igitur nullus est.

18. 18. Si Deus esset, sicut nec facere, ita neque permittere valeret, vt peccata fierent, permittit tamen, igitur potiùs dicendum esse videtur non esse Deum, quàm esse.

19. 19. Si Deus esset, exaudiret nostras preces, hoc falsum igitur, & id vnde sequitur.

20. 20. Non solùm aliquando nobis contingere deberent, quæ à Deo postulamus, sed & semper, & statim atque preces fundimus, hoc falsum, ergo & illud.

21. 21. Si Deus esset, cùm summum bonum esse supponatur, necessariò malum omne de mundo tolleret, sicut summum malum aiunt bonum omne sublaturum, si semel admittatur, sed non omne malum è mundo tollitur, igitur non est Deus.

22. 22. Si Deus esset, ad vltimum numerum perueniri posset, quia cùm ita se numeri habeant, sicut essentiæ rerum, qui Deum admittit ad vltimam, & supremam essentiam pertingit, at numerus supremus assignari nequit, igitur neque Deus.

23. Si Deum admittere deberemus, illum cognosceremus, hoc falsum, quia Dei, prout describi solet, cum intellectu hominis nulla est proportio, igitur & illud falsum est. 23.

24. Si necesse sit Deum admittere, maximè quia mundus non est ex se, hoc falsum ergo, & illud. 24.

25. Nullus est effectus, qui Deum esse probet, nam si quis esset, vel aliqua creatura in particulari, vel omnes simul, vel spirituum apparitiones, vel morborum præsertim lethalium curationes, & alia, quæ miracula vulgò nuncupant, vel resurrectio mortuorum id efficeret, at nihil ex istis dici potest, igitur frustra Deus admittitur. 25.

26. Mysteria quæ nobis proponunt homines illi, qui Deum esse non tantùm sibi persuadent, & contendunt, verùm etiam nobis persuadere nituntur, intelligi nequeunt, & repugnantiam inuoluũt, & quicquid faciunt, aut dicunt ad propriam eorũ vtilitatem sub prætextu numinis alicuius, cui seruiant omnino vergit, igitur quicquid de Deo affirmant, fabularum instar habendum est. Hæc sunt horrenda portenta, quæ Athei aduersus Deum vomunt, quæ omnia iam iam refellimus. 26.

ARTICVLVS IV.

Continet primam Atheorum obiectionem, quam Illyricus fabricauit, & 16 rationibus probare conatus est, cui, cum sit longior, integrum hunc articulum destinamus, in quo præclara de naturalibus notionibus, & lege naturæ videre est.

OBIECTIO I.

Sumitur ex eo, quòd nullas notiones naturales de Deo habeamus.

QVid mirum, si non tantùm hæreticos, vt à vera fide aberrantes, sed vt Atheos insectemur, quippe qui suis propositionibus, scriptis, moribus, & vita, malorum omnium abyssum, videlicet Atheismum amplificent, atque propagent; vt non iniuria Posseuinus cum multis aliis Catholicis, atque nuperrimè Chichonius noster aduersus Isaacum
Hæretici sunt Athei. Cuuillum Caluiniana hæresi infectum Pictauiensem ministrum, Atheismum hæreticis obiiciant.

Igitur primum argumentum Atheorum ab Illyrico fabricatum, ita formari potest. Si Deus esset, sui notitiam aliquam mentibus nostris impressis-
Psal. 4. set, iuxta id Psaltis; *signatum est super nos lumen vultus tui Domine,* quod perperam aliqui de prima Dei notitia nobis indita explicant, at nullam Dei noti-
Psal. 14. Minor prob. tiam impressam habemus, nullus igitur Deus admittendus esse videtur; horrendus sanè syllogismus, nec aliud ab Atheo expectandum fuit, quan-
1. doquidem, κακοῦ κόρακος, κακὸν ᾠόν; ex malo coruo,
2. malum ouum. Minorem sic astruit. Psalmus 14. teste Paulo, affirmat omnes homines esse stultos, qui ignorant, imo negant esse vnum verum Deum
1. Cor. 2. deinde 1. Cor. 2. *animalis homo non percipit, quæ Dei sunt;* perciperet autem rectè, si eius scientiæ primas notitias, aut principia, etiam exilia, aut te-
3. nues inclinationes ad eas insculptas haberet. Tertiò, inter opera carnis, aut veteris Adami est ido-
lolatria, quæ ab vno Deo ad multa idola errore iu- Ad Gal. 5.
dicij discedit, ac deficit; ad Galat. 5. Quartò im- 4.
possibile est innata principia in omnibus gentibus latere, & sese in opus ipsum, aut praxim non exerere, aut proferre quando quidem.

Naturæ sequitur semina quisque suæ.

Sed omnes gentes in lege naturæ ad plures deos, imo à vero Deo ad meras nugas, aut etiam diabolos ruerunt, igitur nullum tale principium de vnitate
Dei habuerunt. Quintò, liberum arbitrium est nõ 5.
solùm quoad bonum, mortuum; sed etiam ad cõtrarium malum, viuidum, ac feruens; primum autem, & optimum opus hominis est agnitio Dei, quare non tantùm omnem vim agnoscendi verum
Deum amisit, sed etiam contrariam nactus est. Sex- 6.
tò, quia etiam ij populi, qui doctrinam de vno Deo habuerunt, subinde ab vno Deo ad plures defecerunt, perpetuò illuc sicut aqua deorsum ruentes, olim post diluuium omnes gentes, postea Iudæi, postremò Papistæ, quibus sancti reuera dij quidam sunt. Non autem sic ab vno Deo ad plures proni, præcipitesque ruerunt mortales, si eius notitiæ innata principia, naturalémue idoneitatem haberent. Septimò, Paulus dicit, quòd mundus per
sapientiam non cognouerit Deum; Essent verò 7.
talia

talia principia, vel maxima hominis sapientia, ac per ea excitata, ac illustrata, múdus Deũ agnouisset; cùm nunc omnis hominis sapientia tantùm in corporalibus versetur, & in effectibus, ac operibus Dei considerandis commoretur, ad ipsum verò artificem prorsus respicere nequeat; aut etiam si respicit, mox se ab eo, tanquam alieno, & non fe-
8. rendo obiecto, sicut cùm solem aspicimus, auertat. Octauò, quia credere dicimus, non scire Deũ; scimus autem, quorum notitias innatas habemus; inde enim scientiæ exoriuntur, & exædificantur. Quare non insunt principia de essentia Dei, sed so-
9. la fide ea cognitio constat. Nonò, quid attineret cœlitùs perfecta doctrina, & missis doctoribus agnitionem Dei tam sollicitè inculcare, si id naturâ esset notum? Posset profectò nos docere philosophia, & ratio veram Theologiam, vt Dialecticam, aut Mathesin, aliásue artes, quarum principia innata habemus.

10. Decimò, quia scriptura pro singulari beneficio pollicetur inscriptionem legis Dei, igitur abolita est præsertim in summis, & præcipuis notitiis, aut
11. sententiis; alioquin cur denuò inscriberetur? Vndecimò, quia Paulus Rom. 3. negat quemquam esse,
Ad Rom. 3. qui natura intelligat, aut exquirat Deũ & ad Rom.
Ad Rom 1. 1. dicit, nostrum cor esse ἀσύνετον, vecors, cœcum,
12. carens intellectu. Duodecimò, quia omnes pij iam renati verbo, ac Spiritusancto adiuti, toto vitæ tépore grauissimè sudant in perdiscenda ista ipsa notitia, quòd sit vnus omnipotens Deus, creator, prouidens, &c. Ergo ista notitia non tantùm non nobis innata, sed etiam est alienissima à nobis, cótra quam, nostra caro, vetus Adam, aut naturale liberum arbitrium ex diametro pugnat, quæque ægerrimè tenebricosæ, aut cæcæ menti nostræ inscribatur. Si & veteri Adamo per generationem, & nouo per regenerationem hæc notitia esset inscripta, vnde quæso tantæ dubitationes, quantas omnibus momentis pij experiuntur in semetipsis? Decimotertiò, si aliquis homo in sylua esset edu-
13. catus, neque vnquam aut ab aliis hominibus quicquam de Deo audisset, aut terriculamenta spectrorum perpessus esset, non etiam tonitrua, aut huiuscemodi alia, vnde ratiocinari posset de aliquo maiori domino; quid tandem plus de Deo sciret, quàm brutum; quod etiam nunc ipsa experientia testatur in pueris negligentiùs in syluestribus educatis, quos licet impossibile sit nihil vnquam de Deo audisse, tamen si interroges de Deo, quid tádem respondebunt? Quid verò etiam ipsi summi philosophi de hac quæstione statuerunt? Deci-
14. moquartò, nihil planè in religione licere asserere sine manifesta scriptura, omniaque in ea tradita esse, quæ nos scire opus sit, est Theologicum principium. Iam detur quæso scriptura, quæ asserat ista principia; nulla vsquam reperietur. Nam primum, & secundum ad Romanos non loqui de primis principiis, aut innatis Dei notitiis satis superiùs demonstrauimus.

At contrà innumera scripturæ loca reperies, vbi nobis meræ tenebræ, cæcitas, mendacium, &
Lutherus. totalis ignorantia Dei tribuitur, quale, & illud illustre est: *Homo cùm in honore esset non intellexit*, iumentis factus est similis. Quare & Lutherus inculcat hominem naturâ non plus de Deo scire, quã brutum, quod nulla habet principia de Deo. Proferant ergo testimonia scripturæ, qui tantas res asserere in Theologia volunt.
15. Decimoquintò. Plato in Phædone, & Menone sensit primas notitias communium doctrinarum esse in nobis innatas, licet adeò obscuras, aut obliuione sepultas, vt discere sit quoddam reminisci. Plato.
Contrà Aristoteles in fine analytic. & l. 3. de anima, Aristot.
non minus verisimiliter ratiocinatur esse mentem nostram veluti rasam quandam tabellam, in qua nihil scriptum sit; aptam tamen cui aliquid inscribatur. Hæc lis cùm sit inter summos philosophos etiam de communibus principiis, nec facilè dirimi queat, vllasue firmas demonstrationes habeat, vnde diiudicetur, quantominus audebimus illa summa primæ tabulæ principia ei adscribere, vt natiua? Inter alia satis commodè, ac valdè probabiliter dicit Aristoteles valde mirum esse, si possit tanta lux principiorum esse in homine, nec tamen ab homine sciri; sic & nos dicere possemus prodigij instar, vel figmenti potiùs esse, quòd sint in homine principia, aut notitiæ semina de vno vero Deo, cùm non solùm nulli tales fructus, sed planè contrarij passim in hominis vita, & actionibus quotidie appareant & se potenter exerant.

Decimosextò, vera est demonstratio, quòd talia 16.
principia de vno Deo nulla menti hominum in- Actuum 14.
scripta sunt, quòd cum Paulus sæpiùs agat cum & 17.
Ethnicis, eisque de vno Deo concionetur Actuum Ad Rom. 1.
14. 17. & Rom. 1 ac aliâs, & petat argumentum vndequáque potest, ex creatione, ex quotidianis beneficiis Dei, denique & ex poëtis ipsorum, ac etiã illa aræ cuiuspiam, nusquam tamen dicit de principiis eorum menti de Deo innatis, cùm quidem nihil vtilius, ac aptius fuisset Paulo, quàm proponere eis librum ipsorum propriæ mentis, ac principiorum (quæ illi, & semper philosophiam maximi faciebant) & dicere. En legite ipsimet vestræ mentis librũ, reperietis ibi meæ philosophiæ doctrinam, quòd sit vnus verus Deus, non plures; quòd is curet res humanas, quòd talem obedientiam à nobis flagitet. Cur igitur vos doctissimi Græci, & naturæ inquisitores, ac sectatores ab innata vobis luce de vno Deo, eiusdem prouidentia, atque ita à vobismetipsis, & naturæ ductu, quam esse optimam ducem prædicatis, deficitis, ac degeneratis? Nihil profectò hoc argumento aptius, eruditius, & efficacius reperiri, & depromi apud tales homines, & in tali theatro potuisset. Extende verò hoc argumentum & per totam scripturã; in qua cùm Spiritussanctus sæpè ab effectibus, aut operibus Dei, & ex aliis indiciis argumentetur, ac probet esse vnum Deum, sapientem, & omnipotentem; nusquam tamen ne gry quidem de primis principiis, ac innatis notitiis vnius Dei, & eius prouidentiæ: nusquam eis librum mentis ipsorum legendum proponit, vnde apparet Spiritum sanctum istam recentem Sophistarum sapientiam de innata Dei luce planè ignorasse. Hucusque rationes suas Illyricus extendit, qui vt omnem lapidem moueat, & amoueat; obiectis satisfacere nititur. At contra, inquit, obiicitur: Philosophi, & Poëtæ non raró dixerunt aliqua præclara de vero Deo. Illyricus
Item omnes gentes habuerunt aliquas religiones, obiectioni
ergo videtur aliquid naturale esse. Responsio. Ha- occurrit.
buerunt illas meliores sententias à primis patribus per manus traditas. Nec omnino fuit muta doctrina Iudaica, aut gentibus penitus ignota, sicut Phocylides, Homerus, Hesiodus, & alij quidem penè ad verbum ex sacris recitant. Manifestum certè est Platonem multa veræ religionis dogmata, sacrarúmque literarum sententias ab Ægyptiis percepisse. Is vero est fons Græcæ Philosophiæ:

Primus in orbe deos fecit timor.

Timentes enim, & tonitrua, ac fulmina audientes, mox cogitarunt esse aliquam potentiam suprà se, eámque placare & inuocare cœperunt. Ordo etiam causarum, & effectuum eruditiores ad vnam causam deduxit, sicut & reliqua mundi prouidentia, quæ non benè à multis regibus, teste Aristotele, regitur. Dixerunt ergo; *οὐκ ἀγαθὸν πολυ.* Denique variæ pœnæ, beneficia Dei, prodigia, minæ, spirituum malorum coli se volentiū prædictiones, apparitiones, & similia, religionem hominibus inculcarunt. Quarum narrationum de diuorum apparitionibus, & religionum, ac cultuum ortibus, omnes Ethnici, simul, & Papistici libri, ac legendæ plenæ sunt.

Sed quàm eorum cœcum cor ab ea notitia abhorruerit, quam à primis patribus habuerunt, inde apparet, quòd non tantùm non curauerunt vnum Deum, sed etiam mox ad sua idola, atque adeò vanissimas vanitates, lapides, truncos, catos, & canes recurrerūt. Ex hisce testimoniis, ac rationibus manifestum est notitiā veri Dei penitùs ex corde hominis deletam esse, meráque, ac longè tristissimas tenebras in pectore humani generis remansisse. Lutherus. Lutherus super Genesim testatur hominem naturâ de Deo non plus scire, quàm brutum, verba eius sunt. Vtile est autem videre quàm non possit longiùs progredi ratio, seu sapientia in æstimatione creaturæ. Quid enim quæso nouit philosophus de cœlo, & mundo, si quidem nescit, vnde fit, & quò tendat? Imo quid nos de nobis ipsis scimus? videmus nos esse homines, sed quòd hunc patrem, hāc matrem habeamus, an non credi hoc debet, sciri autem nullo modo potest? Sic omnis nostra cognitio posita est tantùm in notitia causæ materialis, & formalis, quanquam in his quoque nonnunquam turpiter hallucinamur.

Causam efficientem, & finalem planè non possumus ostendere, præsertim (quod miserabile est) cùm de mundo, in quo sumus, & viuimus, item de nobis ipsis est disputandum, ac cogitandum. Hæc an non misera, & egena sapientia est? Hactenus Lutherus apud Illyricum, qui sine scriptura sacra contendit homines nihilo plus de Deo scire, quàm pecudes, vt tamē aliquid concedat Flaccius, addit: per me licet cuius sentire, esse adhuc in homine quoddam peruersum, ac distortum lumen, quod verum quidem Deum, eiúsque religionem vt extremam stultitiam damnet, falsos verò deos, ac cultus pro veris monstret, vt sicut olim imago Dei tantùm verum Deum monstrauit, ita nunc contrà hęc pręsens Sathanæ imago idola, ac falsas religiones, ipsósque diabolos monstret, ac colendos esse præscribat, ac præcipiat. Tale quoddam fallax, impostorium, aut deceptorium lumē, aut prima principia esse iam in homine, facilè cōcesserim: & paulo post, vbi ex Epicuro apud Tull. 1 de natura Deorum retulit; omnibus esse innatas notitias, aut *προλήψεις*, quòd sint dij, & quidem beati, quódque humanam formam habeant, addit. Non admodum sanè repugnauerim talē quandam plenam errore, ac impostura notitiam esse in homine naturâ, aut certe facilè percipi posse, quæ & plures Deos pro vno monstret, & eos similes hominibus forma, & essentia fingat, & denique à rerum cura remoueat, ociosósque suis deliciis frui sentiat, vt ibi Velleius Epicurus disputat. Tullius.

Respondetur huic argumento, quod tametsi diuinam vnitatem oppugnare videatur, non minus Dei existentiam euertere nititur.

QVoniam responsio quęstione longior erit, vbi necesse fuerit, quibusdam diuisionibus vtemur, ne tædio lector afficiatur; tametsi verò hæc vt vnica obiectio proponatur, quādoquidem vnico antecedenti innititur, nempe Deum nullam nobis suæ maiestatis cognitionem indidisse, sunt tamen 16 rationes, quibus satisfaciendum est. At cùm Illyricus, vt Goliath alter Scolasticis insultet, qui hunc Psalmi 4. versiculum: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*, explicant de lumine Catharinus naturali rationis, quo Deus agnosci potest, inquit, verbo, *Signa*; idque non sine ingenti damno veritatis, & obscuratione originalis peccati, hinc fit, vt locum hunc priùs explicandum assumem, maximè cùm citet Catharinum pro se, qui in 4 disceptatione de hoc loco agat refutans Sotum, & alios suos inquit Papistas, illud gratiæ dictum ad liberum arbitrium trahentes, vbi ostendit omnes veteres id de lumine gratiæ exposuisse.

Expositio versiculi, *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*, & *omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt.*

Versiculi istius 7. explicationes HIc versiculus mihi reuocat in memoriam, quod Psaltes cecinit de Ecclesia, *Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato circundata varietate*, siquidem, lumen illud tam variè à patribus explicatur, vt vnicuique gratum futurū existimem, si id ostendam. Primò itaque D. Ambr. in 52. Isaiæ

Ambrosius 1. sic explicat. Quis autem lumen vultus patris, nisi splendor gloriæ, & imago inuisibilis Dei, in quo & videtur, & clarificatur pater, sicut ipse clarificat filium suum? Ipse est ergo Dominus Iesus summum bonum, quod nobis annuntiatum à prophetis, prædicatum ab angelis, promissum à patre, euangelizatum ab apostolis; quem ibidem legere poteris.

Secundò lib. 1. de Spiritusancto cap. 17 sic ait. 2.
Quod est ergo lumen signatum, nisi illius signaculi spiritualis, in quo credentes signati sunt? signati, inquit, estis spiritu promissionis sancto. Et sicut lumen est vultus diuini, ita etiam ignis emicat ex Dei vultu, quia scriptum est: *Ignis in conspectu eius ardebit*. Tertiò in epistola ad Demetriadem quæ Ad Ephes. 1.
in antiquis codicibus est 84, & vltimi, seu decimi 3.
libri penultima; in recentioribus verò trigesima tertia lib. 4. explicat his verbis. Dignum quippe est vt imago Dei Deo splendeat, & inde pulchra, inde sit compta dicens: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*; Alioquin adultera est, & à diuino aliena coniugio, si alterius cuiusque decorem

rem in speculo sui cordis ostentat, aut vllis aliis monilibus acquiescit ornari, nisi illis quæ de thesauris sponsi per sancti Spiritus pignus accepit, quod de qualibet anima Christiana intelligit.

4. D. Hieron. Quartò D. Hieron. in fine c. 59. Isaiæ explicat illud de donis Spiritussancti, quæ Sap. 11. requieuerunt super Christum, & super iustos quiescere debent.

5. Quintò in cap. 3. ad Ephes. explicat de calore, & splendore luminis, quem sensus noster à Deo mutuatur.

6. Tertul. Gen. 1. Isai 4. 2. & Psal. 106. Psal. 4. Sextò, Tertullianus lib. 5. aduer. Marcion. cap. 11. de Christi persona explicat. Quis dixit, *fiat lux?* Et de illuminatione mundi quis Christo ait? Posui te in lumen nationum, sedentium scilicet in tenebris, & in vmbra mortis. Cui respondet Spiritus in psalmo ex prouidentia futuri. Significatum est, inquit, super nos lumen personæ tuæ Domine. Persona autem Dei Christus Dominus. Vbi rectè Pamelius aduertit Tertul. legisse ἐσημάνθη, à σημαίνω, quod signo, & significo verti potest, pro ἐσημειώθη à σημειόω, prout nunc legimus, quod insignire, & notare, seu notam imprimere, & obseruare significat; quanquam non ita legisse necessarium fuerit, quandoquidem σημαίνω idem etiam quod σημειόω significare potest, & vtrumque à σῆμα; id est, signum, vexillum, monumentum, & formam significat. nomen autem personæ Tertull. pro facie sumit, vt Pamel. libr. 3. aduer. Marcion. cap. 6. notauit.

Pamelius. ἐσημάνθη.

7. Ezech. 9. Psal. 59. Septimò alij de signo 31. Ezech. 9. impresso in frontibus electorum & de significatione, quam dedit metuentibus se, vt fugiant à facie arcus psal. 59. explicant. Alij per lumen illud, Dei arbitrantur imaginem nobis insculptam esse. Veruntamen siue lumen illud de filio vero patris splendore, siue de Spiritu sancto, siue de cruce, aut sanguine Christi, siue de beatitudine, siue de notabili signo in vultu iusti, quo dignoscatur, vt voluit Aretas cap. 5. in Apoc. siue de baptismo, quem Græci φῶς appellant vt Nicetas annot. 1. in 39 orat. Nazianz. hæc tamen non obstant, quominus de lumine naturali locum hunc intelligere possimus, quo ad Dei cognitionem perueniamus; Quàm egregius Theologus, qui cognitionem naturalem à supernaturali distinguere non potuit, quàm egregius locorum compilator, qui timet ne natura præcedat gratiam, quasi verò non priùs quod animale, deinde quod spirituale præcedere debeat, aut possit. Ergo Deus signauit super nos lumen illud mirabile, quod etiam in paganis reluxit, quo non tantùm ad Dei existentiam, sed & eius vnitatē accedere potuerunt; imo teste apostolo, cùm eum cognouissent, non vt par erat, eum glorificauerunt, propterea dati sunt in reprobum sensum. Tametsi ergo D. Hieronym. verterit, leua super nos, & Aquila ἐπᾶρον, Symmachus ἐπίσημον ποίησον insigne fac: attamen cùm dictio Hebraica נסה nesah, vel נס nes signum, atque vexillum significet,

Aretas. Nicetas.

D Hieron Aquila. Symmach.

rectè verti potuit, vt iam habemus, quod notat Bellarmin. in psalm. 4. At postquam ita Deus faciem suam leuauit super nos, & intentis charitatis, & misericordiæ oculis intuitus est, voluitque suam imaginem nobis imprimere, ac quosdam mentibus nostris igniculos indere, quibus è creaturis ad eius cognitionem insurgere possemus, rationes Illyrici, quæ fauere videntur Atheismo, discutiamus. Quod autem Deum cognoscere non possimus, inde primò contendit, quòd Apostolus ad Rom. c. 3. repetat ex psal. 14. *Quia non est iustus quisquam, non est intelligens, non est requirens Deum*; psalmus autem, qui nobis est 13, Hebræis 14, ita habet, *omnes declinauerunt simul inutiles facti sunt, non est, qui faciat bonum non est vsque ad vnum.* Vbi notare profuerit D. Paulum multa hîc congerere tam ex psalm. 5, 139, 35, & 9, quàm ex Isai. 19. etenim 3 versiculi sequentes in psal. 13. nempe, sepulchrum patens. &c. non leguntur in 70 teste D. Hieron. præfat lib. 16 in Isai. nec etiam habentur in editione latina psalmi 52, qui idem est cum psalm. 14 vt rectè Bellarmin. aduertit. Hic autem versiculus minimè fauet Illyrico, quandoquidem nec psalmus, nec apostolus omnem de Deo cognitionem gentilibus denegat, sed eam, quæ vel eis ad salutem prodesset, vel quæ cuiuslibet erroris sit expers, vt satis ex c. 1. constat, in quo gentiles Deum cognouisse fatetur; sensus enim versiculi talis est; omnes auersi sunt à lumine sapientiæ, iustitiæque semitis, quibus terga verterunt, quapropter inutiles facti sunt, quia nec Deum coluêre, neque gratiarum actionem ei rependerunt, sic enim Genes. 6. *omnis caro corruperat viam suam*, non quòd homines Deum non cognouerint, sed quòd ea cognitione perperam vsi sint, vnde eos Deus in reprobum sensum tradidit: fauet initium psalmi; *Dixit insipiens* ἄφρων mente carens, Nabal, nebulo, qui stultitiam cum improbitate coniungit, vnde Nebala significat nefas, & stuprum. *Non est Deus*, id est, non est, qui prouideat? Elohim enim iudicem sonat, & prouidentiam refert, non essentiam, siquidem non significat Deum, vt primum ens, rerumque omnium opificem, & causam, vt Genebrardus annotat, sed iudicem, & rectorem; ac proinde licet impius Deum, vt omnium entium primum admittere cogatur, suorum tamen scelerum multitudine oppressus, & tenebris obuolutus, non putat esse Deum, qui pro meritis vnicuique reddat, hominúmque actiones, & cogitationes respiciat, & examinet. Taceo quòd pro, *declinauerunt* aliqui reddant, *fœtuerunt*, *rancidi facti sunt*, *rebellauerunt*, & iuxta Symmachum, *impuri facti sunt*, idémque ferè sæpius legitur, tam in aliis psalmis, & Prophetis, quàm in Sapient. & Prouerb. 1. taceo inquam hæc omnia; quandoquidem nunc abundè sufficit, si D. Pauli textum Atheis minime prodesse ostenderimus; nec meliùs Illyrico respōdi posse credo, quàm si alium hæreticum ei opposuerimus, qui D. Pauli loca explicet, vt clauus clauo retundatur.

Bellarm. Hieron. Nabal quid Genebrar.

Explicantur D. Pauli loca ex primis capitibus, epistolæ ad Romanos desumpta; quibus probatur, aut improbatur gentiles Deum cognoscere, aut cognoscere potuisse aduersus Illyricum Atheis fauentem.

NOn est quòd Illyrici mentem, ex iis, quæ in duorum primorum capitum interpretatione dicit, perscrutemur, quandoquidem satis constat ex eius rationibus, quid ipse velit, omnem enim Dei cognitionem ab hominum mente sic ablegat, vt nequidem scintilla, vllusue radius in ea reliquus

esse possit; tantam stragem originalis error edidit; Iam verò non armis propriis, sed alienis vtamur, si tamen alienũ à nobis dici possit quod à nobis furto subreptum est, quod proinde iustissimo postliminij iure nostros in vsus vindicare licet; & quidẽ eiusdẽ epistolæ ad Romanos 2. priora capita Martyr tetigit, quem impræsentiarum Illyrico velim opponere.

Paulus ad Romanos de naturali Dei cognitione disserens ait. *Quod enim notum est Dei, manifestum est inter eos.* Græce legitur τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ, ac si diceremus; *Quod est cognobile Dei.* Quod ideò dicitur, quia multa sunt diuina mysteria, quæ naturaliter minimè possumus attingere. Vt est, Deũ velle nos gratis iustificare; per Christum crucifixum condonare peccata; atque in æterna fœlicitate, hæc nostra corpora eadem restituere. Hæc, & alia id genus, rerum natura nõ docet. Ideo Paulus inquit; *Quod potuit cognosci de Deo, illis est manifestatum.* Declarat illo loco, quænam sit ea veritas, quam illi detinuerunt in iniustitia. Fuit cognitio diuinarum rerum, quam naturali lumine adepti sunt. Redigit autem Paulus ea omnia, quæ cognouerunt ad duo capita: nimirum sempiternam Dei potentiam, & diuinitatem. Nam ex ipsa fabrica huius mundi nouerunt Deum esse potentissimum; Deinde non latuit eos, ex pulchritudine, specie, ac distinctione rerum, tãtam potentiam prouidentia, atque sapientia summa fuisse administratam. Et docuit illos commoditas atque vtilitas rerum conditarum diuinam maiestatem; quæ in eo præsertim consistit, vt omnibus benefaciat. Hæc sunt, quæ Deus largitus est Ethnicis; at illi Dei donis abusi sunt. Vnde pulchrè in eos quadrat simile, quo vtitur Chrysostomus.

Quomodo gentiles Deum nouerint.

Ita enim ait. Si rex multum pecuniæ dedisset seruo suo, vt ex ea familiam suam ornaret, & splendorem suum augeret, ita vt magnificentia, & honor suus magis fieret conspicuus, seruus autem nequam omnia hæc impenderet in lenones, & meretrices: Nonne, inquit, iure ac meritò plectendus videretur iste seruus? Hoc pacto se gesserunt Ethnici sapientes. Acceperunt à Deo præclarissimam rerum notitiam, qua cùm debuissent illum colere, & ornare, eam transtulerunt ad saxa, & ligna statuarum veneranda. Quare non immeritò sæuit ira Dei in illos.

Chrysost.

Et quando scribitur: *manifestum est in eis,* neque dicitur in omnibus, sapientes, philosophósque secernit scriptura à Barbaris, & imperito vulgo. Non enim omnibus eadem pariter nota fuerunt: quod tamen accidit culpa istorum philosophorum. Debuerant enim ea, quæ cognouerant, vulgo prædicare, & inculcare plebi. Verùm id illi nequaquam præstiterunt, vt Prophetæ, & Apostoli, sed elati animo hæc inter sese continebant, immò, quodammodo occultabant, ne ab omnibus intelligerentur. Vnde circunfertur Aristotelis epistola ad Alexandrum, qua dicit physica sua ita esse à se edita, ac si non essent edita. Quæ enim scribebant, visi sunt de industria obscurare, ne ab alijs intelligerentur. Ad hæc ratiocinijs suis contaminabant, quæ pura cognouerant. Vnum Deũ esse cùm intellexissent, cùmque iudicarent esse colendum, ex se ipsis postea colligebant: Cùm vulgus nõ sit idoneum ad summam, & fusam in omnibus rebus diuinitatẽ colendam (non enim potest sic eam percipere) operæpretium fore, si eam diuiderent, & statuis, cœlestibus signis, & alijs creaturis affigerẽt. Et ijdem cùm agnouissent naturam Dei à corporea materia secretam esse, hoc est, spiritum, & ideo spiritu, & animo colendam, existimantes plebẽ adeo esse rudem, vt hoc præstare non posset, externos ritus, & cæremonias induxerunt ex suo capite confictas, quibus homines defuncti putarent se diuino cultui satisfecisse. Atque ita ratiunculis suis vitiarunt, quod purum hauserãt ex creaturis; neque veritati cognitæ fidem, quam debuerant, habuerunt. Alioqui subiecissent se summæ potentiæ, quam cognouerant, seque permisissent regendos prouidentiæ Dei, eíque confisi fuissent in aduersis, quod tamen non fecerũt, imo turpiter desperabant. Cicero exclamat suo extremo tempore in epistola ad Octauium: O me nunquam sapientem? Et ab eo inducitur Cotta de natura Deorum alioqui Pontifex, qui dicat cupere se probari sibi ad veritatem, Deos esse. Cùmque non crederent his, quæ naturaliter de Deo nouerant, non solùm fuerunt ergà eum impij, sed etiam erga proximos iniurij. Et sæpe quò fuerunt insigniores Philosophi, eò turpiorem vitam vixerunt; vt Poëta eos arguit. Qui Curios simulant, & Bacchanalia viuũt: quia ira Dei sæuiebat in eos. Vt enim præceptor, si perpetuò discipulum instituat, ille tamen interim aliud agat, & alia cogitet, tãtam negligentiam ferre non possit, ita Deus se gerit erga eos. Semper enim nobis apertùm librum rerũ conditarum statuit ob oculos, semper nos illustrat, & vocat. Nos verò à doctrina eius semper auertimus animum, atque aliud agimus. Idcirco Deus nos abijciet, vt pessimos discipulos, neque tantam iniuriam feret inultam.

Aristot.

Mos antiquorum ex quo nata videtur idololatria.

Tullius.

Deus enim illis manifestauit.

EX iis D. Pauli verbis colligit postea Martyr, omne verum à Deo esse. Non enim ex nobis nascitur. Sed quomodo sit à Deo duplex est sententia. Dicunt nonnulli hoc ideo esse, quòd Deus ea condiderit, per quæ possumus hæc vera percipere: Alij verò quibus magis assentior, quòd Deus inseruerit animis nostris προλήψεις, hoc est anticipationes, & informationes, per quas impellimur ad opinandum præclara, atque eximia de natura Dei. Atque hæ notitiæ de Deo nobis naturaliter insitæ (audiat Illyricus, ob quẽ solùmodò vermiliũ hîc produximus) obseruatione rerũ creatarũ in dies magis, ac magis confirmantur, & expoliũtur. Ineptè, nec minus impiè aliqui dicunt has veritates ab Aristotele aut Platone se didicisse, itaut Deo nequaquam propter illas gratias agant. Fuerunt quidem isti organa, & instrumẽta, non tamen authores. Isti autem perinde dicunt ac si quis Israëlita diceret se veritates legis non per Deum cognouisse, sed per Mosem: cùm is mediator tantùm fuerit, & internuncius Dei: quique eo authore de his rebus ad populum retulerit. Et annotandum est, cùm Deus natura sit ita seiunctus à materia, vt sensibus minimè percipiatur, consueuisse cum symbolis, ac verbis quibusdam sensibus declarare seipsum. Hæc autem signa, quæ ab initio Deum nobis declararunt, sunt creaturæ, quas dum perpendunt Physici, quoad naturæ

proprietates

proprietates,& qualitates admirabiles, deducuntur ad notitiam Dei. Nouerunt enim seriem causarum, earumque coniunctionem cum suis effectibus: & cùm facilè intelligerent nequaquã statui oportere infinitum progressum, concludebant ad aliquod primum pertingendum,& ita cõcludebãt esse Deum. Ista pulcherrimè docuit tum Plato, tum Aristoteles, tum Galenus. Verùm ne sacras literas abiiciamus, illæ quoque nostris hanc viam demonstrauerunt.

Quandoquidem nos Christus ad volatilia cœli, ad lilia agri, & fœnum remittit, agnoscamus singularem Dei prouidentiam ad ea conseruanda, quę produxit. Et Salomon proponit nobis formicam imitandam, propter prudentiam, qua sibi per æstatem parat, quæ hyeme futura sint illi necessaria. Isaias asinum ait agnouisse præsepe Domini sui, & bouem magistrum suum, Israëlem autem Dominum suum non agnouisse. Hinc liquet nos multa doceri posse ex creaturis. Dauid Psalmum cecinit, quo istuc idem declarauit. *Cœli enarrant gloriam Dei.* Sed inter alios libros diuinæ scripturæ, qui hac facultate admodum pollent, est dialogus libri Iob. Nam interlocutores, quos inducit, Ethnici erant, igitur res agitur duntaxat naturalibus rationibus. Ibi multa de cœlestibus reuolutionibus, de astris, de terra, mari, luce, ventis, pluuiis, tonitruis, fulminibus, niue, glacie; Item de animantibus, vt de leonibus, capreis, ceruis, equo, & Behemoth, quem elephantem multi putant, ac denique de Leuiathan maris vastissima bellua.

Isaias.

Iob.

Hæc omnia sic ibi tractantur, vt Dei ęternam vim, ac diuinitatẽ nobis prædicent. Sed inter alia, quæ Deum maximè nobis ostendunt, est nostra ipsorum natura: facti enim sumus ad imaginem, & similitudinem ipsius, quare eum maximè referimus, & potissimum, quod omnium, in quo relucent futurorum prouidentia, iustitia, sapientia, multique alij nobilissimi habitus, notitia item recti, honesti, praui, ac turpis. Cúmque homo, eiusque animus ex seipso non sit ortus, verùm à Deo pendeat, superest, vt ipsi Deo hæc eadem negare minimè debeamus, sed illi, vt authori præcipuo, ac summo attribuamus; ita vt hinc ratiocinemur Deum prouidentem esse illarum rerum, quæ fiunt; iudicem iustum nostrarum actionum, cui vt honesta placent, sic turpia displicent. Cicero lib. 3. de natura deorum, scio, hanc rationem diluere nititur, qua volumus Deo non esse neganda, quæ in nobis dicimus esse præstantissima. Sed ille sinendus est, quicquid voluerit ratiocinari; nobis est satis, vt ex sacris literis in hoc argumento confirmemur. Psalmo 94 scribitur: *Qui plantauit aurem nonne audiet? Qui finxit oculũ, nonne videbit?* Quo docemur, quæ in nobis perfecta, atque absoluta sunt, non esse naturæ diuinæ subducenda. Videmus præterea conscientias nostras naturaliter abhorrere à facinoribus, quæ admisimus, & contra lætari, atque gaudere benefactis. Quod cùm naturaliter sit nobis insitum, docemur iudicium Dei superesse, cuius damnationem maximè reformidet animus noster, vt interdum videatur furiis agitari; ac è diuerso exultet, dum sperat ab eo tribunali se reportaturum approbationem, & præmia: Possent, & alia commemorari huius generis; sed ex libris, cum sacris, tum philosophorum ea facilè colligi possunt. Vnde supersedeo plura addere; satisque habeo dixisse, nihil inueniri in mundo adeò obiectum, & vile, quod Deo testimonium non perhibeat.

Tullius.

Psal. 94.

Iouis dicebat Poëta, omnia plena. Quicquid enim est in mundo, tantisper, dum conseruatur, vim Dei habet sub se contectam, quæ si retegatur inuestigatione, ac naturali notitia, Deum nobis referet. Quibus, meo quidem iudicio, satis superque conuictus, atque refutatus esse videtur Illyricus, qui ne conqueratur, quòd tantùm attulęrim ea quæ ei contraria essent, non quæ fauerent, cætera libens subiicio, ne vllam excusationem afferre possit.

Dissoluuntur loca scripturæ, quæ pręcedentibus aduersari videbantur.

CVm hac Apostoli sententia videntur alia loca scripturæ pugnare, vbi adimitur impiis cognitio Dei. Legimus in psalmis; *Dixit insipiens in corde suo non est Deus*, & rursus habemus; in terris non esse intelligentem Deum. Et ne multa recenseam; in Isaia dicitur cap. 1. Israel autem me non cognouit. Cæterùm hoc dissidium ita conciliatur. Fatentur quidem impij, vt Paulus ait, conuicti ex creaturis Deum esse: At postea de illius natura, & proprietatibus ea decernunt, vnde Deum non esse, optimè inferri possit. Epicurus enim dicebat, esse quidem deos: verùm illos ab omni actione, cura, & prouidentia remouebat, itavt fœlicitatem tribueret eis prorsus otiosam.

Isaiæ 1.

Epicurus.

Item cùm dicunt; esse Deum, sed qui non prouideat humanis rebus, non puniat, non audiat inuocantes, & alia id genus; ex quibus conficitur eos ita sæuisse, vt Deum nomine tantùm esse concederent: Ideo scriptura negat, eos Deum cognouisse.

Verus enim Deus non ita se habet, vt illi fingebant, & quoad ipsos, vt iuuarentur, vel diuina ope fruerentur, perinde erat, ac si Deus non esset; quoniam ad eum inuocandum non confugiebant, neque ab ipso vel opem, vel auxilium expectabant.

Addas his nonnullos fuisse adeò impios, vt conati sint persuadere sibi, Deum non esse: & quamuis hoc perficere non potuerint reclamante animo, & abluctante conscientia, tamen scriptura de illis pronuntiat iuxta eorum conatus; & sic ait, illos Deum non cognouisse. Postremò sciendum, duplicem esse Dei notitiam; vnam efficacem, qua immutamur, itaut quæ nouimus, opere conemur exprimere; & hanc Dei notitiam solis piis scripturæ sanctæ concedunt, alteram verò frigidam, qua nihilo reddimur meliores: non enim factis ostendimus, ea nos nosse, quæ reuera intelleximus. Atque de hoc genere notitiæ loquitur Paulus, cùm dicit. Et sicut non probauerunt Deum non habere in notitia &c. Et Christus dicet multis, qui eius dona & notitiam iactabunt, *Nescio vos.* Sed ita nosse Deum, cùm nihil prosit, sæpenumero scriptura sacra sic reiicit, vt ne dignetur quidem nomine diuinę notitię; & impios cùm tales fuerint, Deum inquit ignorasse.

Neque vero frustra Deus impios donat eiusmodi cognitione. Equidem pulchrum est testimonium, quo nostra probantur ab hostibus; Aristoteles in suis Rhetoricis docet. Quare preclarissimum est audire in libro Samuelis Palæstinos Iehouę grauissimos hostes confiteri, & prædicare tantam eius vim esse, vt eam ferre non valeant. Nec prætérea quærunt naturales causas morborum, quibus affligebantur, cùm tamen ficorum, hæmoroidum, & dissenteriæ causæ naturales existant. Sed cùm cernerent se omnes eodem tempore; iisdem morbis laborare, statim crediderunt se à manu Dei Iehouæ opprimi. Atque ita Deus vel ab inuitis confessionem sui nominis extorquet. Nihilo secius Pharao iam acceptis multis plagis, postremò exclamauit; Peccaui, & in Iehouam, & in vos, apud Deum pro me intercedite. Nebucadnesar, & Darius cùm expendissent, quæ Deus præstitisset Danieli, egregiè sunt confessi magnum Deum, ac suis edictis cauerunt sub grauissimis pœnis, ne quis nomen eius conuitiis, aut maledictis incesseret. Et Iulianus Apostata, quamuis alioqui perditissimus, attamen vim Christi coactus est moribundus agnoscere, inquiens, vicisti Galilæe, diabolis quoque confessio expressa eadem est, cùm testabantur clamantes Iesum Christum esse sanctum, esse filium Dei, & agnoscere, ante tēpus venisse, vt ipsos perderet: Et se Christum, & Paulum probè nouisse. Eadem ratione constat, non citra fructum arcam Domini à Palæstinis fuisse captam, & Iudæos in Babylonem captiuos abductos, vt scilicet aliquis cultus, & cognitio Dei, saltem ad breue tempus nationibus exteris illucesceret. Quocirca ille, quæ grauia, & desperata videntur, exitus habent sæpe optabiles: sed ea, quò sint euasura, nos ante videre non possumus, quàm καταστροφὴ appareat. Propterea de operibus Dei ante quintum actum iudicare non debemus: quia si ex initiis, vel ex mediis coniecturam fecerimus, non aliud agemus, quàm si de Phidiæ statua, ex vno digito voluerimus constituere; omnes corporis partes considerandæ antea sunt, si conuenientiam, & symmetriam totius operis volumus deprehendere. Cúmque hoc in nobis frequenter negligatur, consequitur, vt doleamus, lugeamus, vituperemus, & blasphememus, quod nescimus. Ex illa igitur victoria, & arcæ captiuitate adepti sunt Palæstini aliquam Dei cognitionem, etsi non ita magnam, vt renouati fuerint ad vitam æternam. Hinc fortè sequaces Illyrici nonnullam occasionem capiant, vt ab eius sententia recedant. Infrà verò de modis, quibus Deus à nobis cognoscatur, agemus; ex quibus magis, ac magis Dei cognitio nobis indita probabitur, & elucescet. Præterea satis elicitur ex dictis, & alibi demonstrabitur, quomodo sit intelligendum, quòd illa Dei cognitio, de qua nunc agimus, ad salutem non sufficiat, de qua plura dicere supersedeo, vt cæteris Illyrici rationibus satisfaciamus; Itaque post minoris probationem primam, quam ex eo desumebat, quòd omnes homines stulti essent, quædam alia loca scripturæ sanctæ profert, quibus idem probare nititur.

Dissoluuntur rationes Illyrici vsque ad duodecimam, quæ ferè desumuntur ex totidem scripturæ locis, quę hic explicabuntur.

Locus D. Pauli 1. ad Corinth. 2. explicatur.

IN secunda probatione huic D. Pauli loco ex 1 ad Corinth. cap. 2. desumpto innititur. *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei*: quasi verò diuus Paulus Atheos argueret, vbi rem

2. Argumētum Illyrici soluitur.

habet cum Christianis; non igitur id intendit; tametsi enim Primasius interpretur de homine, qui ritu animalium viuit, atque putat nihil esse post mortem, & se tantùm agere debere, quod animalia faciunt, id est manducare, luxuriari, & mori; attamen certum est eos iam fuisse Christianos, ac proinde Deum, eiusque filium Iesum Christum cognouisse, quod ex consequenti confirmatur, vbi ait Apostolus; *Lac vobis potum dedi, non escam, nondum enim poteratis, sed nec nunc quidem potestis, adhuc enim carnales estis.*

Hieron.

Vnde testatur D. Hieronym. in Isa. cap. 55. olim recens baptizatis, & alba veste induris vinum & lac data fuisse, alibi verò teste

Tertul.

Tertullian. 1. contra Marcion. cap. 14. lac & mel ad significandam eorum innocentiam præbebatur, iuxta id Isai. 7. *butyrum, & mel comedet.* Tertullia-

Isai 7.

ni verba sunt. Sed ille quidem vsque nunc, nec aquam reprobauit creatoris. qua suos abluit, nec oleum, quo suos vnguit, nec mellis, & lactis societatem, qua suos infantat: quem libro de baptisnio videre iuuabit, ibi namque plurimas cæremonias attigit; & quidem rectè Christiani lacte desi-

Christiani lacte designati.

gnantur, nam ipsi pagani viros innocentes γαλακτοφάγους, seu lacte vescentes appellarunt, vt ex Homero Iliados N. refert Clemens Alexandrin. l. 1. pædag. c. 6.

Μυσῶν τ' ἀγχεμάχων, ϗ ἀγαυῶν ἱππημολγῶν
Γαλακτοφάγων ἀβίων, δικαιοτάτων ἀνθρώπων.

Mysorumque comminus pugnantium, & illustrium
Hippemolgorum
Lacte vescentium, longæuorum, iustissimorum hominum.

Itaque tantum abest, vt Illyricus suæ impietati fucum hocce diui Pauli loco facere possit. Quandoquidem ij, de quibus loquitur, non tantùm verum Deum agnoscebant, sed & baptismum susceperant, & indies in doctrina Christiana proficiebant, & velut Cathecumeni instruebantur. Adde quòd licet animalis, hîc pro carnali sumatur, qui tantùm crescit, & concupiscentiæ desideria sequitur, nec spiritualibus afficitur, sed iis quæ sensibus obuia sunt, non inde tamen sequitur eos nullam Dei cognitionem habere, quandoquidem libentissimè fatentur homines etiam stupidissimi, & quos ad res intellectuales penitus ineptos existimes, Deum esse, qui totum hunc mundum fecerit. Vnde diuus Cyprianus de vanitate idolorum ait: D.Cyprian.
Summa delicti est nolle eum agnoscere, quē ignorare non possis.

Tertia ratio Illyrici soluitur. Locus ex c. 5. epist. ad Galat. exponitur.

Alter locus sumitur ex cap. 5. epistolæ ad Galat. Versic. 19. *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum seruitus*, &c. Vnde concludit naturaliter homines Deum esse scire non posse, quia omnes homines in esse naturali sumpti, carnales sunt, stulti, & animales. Veruntamen locus hic nihil

Quid sit animalis homo.

ampliùs, quàm præcedentia, concludit; sensus enim Apostoli est, eum qui concupiscentiæ motus omnino sequitur, in ea peccata, quæ loco citato commemorantur, ruere; quanquam non pauci

pauci sunt etiam inter paganos, qui non omnia committant; nec enim libertate destituti sunt homines etiam post originale peccatum, tametsi necdum gratia diuina, vel fide ornati sint, cùm enim liberi arbitrij facultas non sit homini minus naturalis, & insita, quam intellectus, imo quam concupiscentia, quamque virtus generandi, crescendi, cæteræque facultates, inde fit vt post originale, & ipsa peccata, quæ dicimus actualia, siue lethalia fuerint illa, siue venia digna, liberum arbitrium hominis remaneat: vt fusius alibi aduersus Nouatores ostendemus, quippe qui libertatem euertere contendunt. Possum, & alia ratione aduersariis respondere; etenim animalis homo apud Apostolum sumi potest, quatenus sola ratione nititur, & omni cognitione supernaturali destituitur, quem facilè concedo ad supernaturalem notitiam, vel actum, naturæ viribus eleuari non posse; sed ad naturalem cognitionem quid obstat, quominus perueniat? qualis est tam facilis existentiæ diuinæ, non qualis est, sed prout hominũ facultas valet, apprehẽsio; quæ tamen non impedit, quin vitiis, atq; sceleribus ab Apostolo relatis vnusquisque suum animum turpefaciat, quandoquidem compos est arbitrij, vt bonum, aut malum eligat, tametsi hoc eligentem supplicia, illud efficientem præmia maneant.

4. Argumẽtum Illyrici diluitur.

Quartum argumentum Illyrici fuit, omnes gẽtes ad deorum pluralitatem deflexisse, cùm tamen innata principia non possint in omnibus latere: cur igitur nullus Deum agnouit. At perperam arguis, nam qui plures Deos admittit dubio procul diuinitatem aliquam esse fatetur, tametsi à vero supposito longissimis interuallis aberret.

Quomodo antiqui rei cuilibet Deos præfecerint, ac proinde diuinitatem agnouerint

Quis enim neget paganos eam ob rem Portunum nauigationibus, cogitationibus Consum, gregibus Palem, & Iunum, aruis Floram, Iunonem puerperiis, Vulcanum igni, Pythium hariolis, medicinæ Æsculapium, pugillatibus Mercurium, Vnxiam vnctionibus, cingulis Cinxiam, victui, atque potui Victam, & Potuam, furibus Lauernam, amori Venerem, bellis Martem, anno Ianum, tempori Saturnum, soli Iouem, terræ Opem, Iunonem aëri præfecisse? vnde obsecro tot Nouensiles, Penates, Laresque? Quorsum Lupercam, Priscanam, Pandam, Pelloniam, Lateranum, Persicam, Pertundam, Mutunum, Putam, Petam, Nemestrinum, cæteráque deorum, & dearum portenta gentiles commenti sunt? Vnde Nodutem segetum nodis, Noduterensem ferendis frugibus, pibiliam errantibus: orbatis Orbonam præesse: Quomodo Melloniam, Ossilaginẽ, Deósque Lucrios, Libentinam, Burnum, Limentinum, Limum, Montinum, Murciam constituere potuerunt, nisi vim aliquam, atque potestatem diuinam omnibus adesse percepissent, quod deorum fictitiorum editis nominibus nolentes volentes fassi sunt, quippe qui multas in partes diuidebant, quod vnum est.

D. August. Arnob. Gyrald. Bocatius etiam.

Mitto Sterquilinum, Sentinum, Stubigum cæterósque, de quibus abundè D. August. libris de Ciuit. Dei, Arnobius libr. contra gentiles, & Gregorius Gyraldus egerunt, quos teste S. Augustin. 4. de Ciuitat. cap. 11. paganorum doctores vnum, eundémque Iouem esse defendunt, de quo dictum sit.

——Deum namque ire per omnes
Terrásque, tractusque maris, cælumque profundum.

Varia Iouis nomina.

Itaut in æthere sit Iupiter, in aëre Iuno, in mari Neptunus, in inferioribus maris Salacia, in terra Pluto, in terra inferiore Proserpina, in focis domesticis Vesta, in fabrorum fornace Vulcanus, in syderibus Sol, in diuinantibus Apollo, in merce Mercurius, Minerua in ingeniis, in seminibus Liber, in eductione partus Diespiter, denique in singulis rebus idem Deus nomina diuersa sortiatur: nulla igitur natio tam barbara fuit, quæ non aliquam diuinitatem esse fateretur. Vt tamen Illyrici ratio ex omni parte falsissima esse videatur, breuiter ostendo non paucos gentiles vnicum Deum credidisse; sic enim Plato, dum suo Dionysio scripsit, fassus est. τῆς μὲν γὰρ σπουδαίας ἐπιστολῆς θεὸς ἄρχει, θεοὶ δὲ τῆς ἧττον. hoc est: nam seriæ epistolæ Deus præest, Dij autem minus seriæ; vnde Lactãtius ait. Cùm verò ipsos Deorum cultores sæpè videamus Deum summum, & confiteri, & prædicare, quam sibi veniam sperare possint impietatis suæ, qui non agnoscant cultum eius, quem prorsus ab homine ignorari nefas est. Nã & cùm iurãt, & cum optant, cùm gratias agunt, non Iouem, aut multos deos, sed Deũ nominãt, adeò ipsa veritas, cogente natura, etiam ab inuitis pectoribus erumpit. Rursus cùm Plato ex insidiis euasisset, quæ ei Siciliæ structæ fuerant, ait; pro his post Deum Dionysio gratias agere par est. καὶ τούτων δὲ μετὰ θεὸν, Διονυσίῳ χάριν εἰδέναι χρεών. Ita etiam Homerus Odyss. 14.

Plato.

Lactant.

Plato.

Homer.

——θεὸς δὲ τὸ μὲν δώσει, τὸ δ' ἐάσει,
ὅ, ττι κεν ᾧ θυμῷ ἐθέλῃ, δύναται γὰρ ἅπαντα. id est,

Deus autem hoc quidem dabit, hoc sinet, quodcúmque suo animo vult, potest enim omnia, quod ita vertit Eugubin. cap. 1. lib. 3. de perenni philosophia.

Eugub.

Largitur Deus hæc, ast altera linquit,
Quicquid mente sedet, cunctorum namque potens est.

Callimach.

Et Callimachus Cyrenæus initio hymni primi quærit, quid sit celebrare melius, quàm Deũ ipsum semper magnum, semper regem, terrigenũm expulsorem, iura dantem cœlicolis,

—— ἢ θεὸν αὐτὸν, ἀεὶ μέγαν, αἰὲν ἄνακτα,
πηλογόνων ἐλατῆρα, δικασπόλον οὐρανίδῃσι.

Pindarus.

Dies, & anni me deficerent, si paganos omnes referre vellem, qui clarissimè Deum insinuarunt, nam siue Pindarus legatur, qui θεὸν ἀριστοτέχναν, solertissimum artificem, siue Milesius, cuius est hic versus.

Est vnus sapiensque potens Deus atque beatus.
εἷς θεός ἐστι σοφὸς δυνατός θ' ἅμα καὶ πολύολβος

Sophocles.

Siue quilibet alius, vnicum Deum fateaeris, necesse est, vt fusissimè toto lib. 3. 4 & sequent. perennis philosophiæ libris Eugubinus ostendit; at vnus pro omnibus Sophocles istius argumenti solutionem concludet, qui teste Cyrillo aduersus Iulianũ Imperatorem, hos versus scripsit.

Εἷς ταῖς ἀληθείαισιν, εἷς ἐστὶν θεός
Ὃς οὐρανόν τέτευχε, καὶ γαῖαν μακράν.
Πόντου τε χαροπὸν οἶδμα, καὶ ἀνέμων βίας. &c.
Vnus verò duntaxat, vnus est Deus,
Qui polum creauit, & latum solum,
Pontique latos fluctus, ventorumque impetus.

ITa verò Deũ omnes agnoscũt, vt si artes omnes, quibus hominum industria vacat, in consilium aduoces, iubeasque simul omnes vno decreto de substantia Dei sententiam ferre, in eandem opi-

Tyrius.

nionem conueniant. Censesne, inquit Maximus Tyrius sermone 1. aut pictorem, aut statuarium, aut poëtam, philosophum diuersa intellecturos? Sed nec Scytha, nec Græcus, nec Persa, nec Hyperboreus dissentiet; tum tamen alij aliter de rebus, nec idem, sed diuersa sentire videantur. Veruntamen in tanta pugna, contentione, ac dissonantia, nusquam gentium cernere est, aut leges, aut rationes, non in hoc saltem omnes conuenire, quòd vnus Deus, princeps, ac pater omnium existat. Sed obsecro paganum philosophum audiamus, vt, si fieri potest, Illyricus, aut si quis ei similis est, à veterno excitetur. Quod quidem haud solùm fatetur Græcus, sed & Barbarus, sed & Insularum, & continentis habitator; ipsi denique, qui sapientiam abnegant, vt si vel ad Oceani littora accesseris, ibi quoque deos, hos quidem propè Orientes, illos verò propè Occidentes inuenias. Ita loquitur Tyrius, vt pote Platonicus, & gentilis, qui subiungit.

Pulcherrimus Tyrij locus.

Quid Plato? num vnum hunc putes, vel calculo, vel decreto ab his omnibus dissentientem, & non potiùs in tam pulcherrimo cantu, verissimæque opinionis affectione, cæteris consonum, atque effectus socium existere? Quid hic est sol? oculus respondet: quid hæc sunt tonitrua? aures respondent; eorum tamen artificem desiderant, artemque diuinatione assequuntur. Si verò in vniuerso æuo, duo aut ad summũ tres exorti fuerint (genus videlicet hominum inter mortales, Dei expers, abiectum, ac sine sensu) quorum oculos error, aures deceptio inuasit, qui mutilatum animum, eúmque irrationalem, infœcundum habuerunt, meticulosi similes leoni, excorni boui, atque implumi aui: etiã ab huiusmodi hominum genere, Dei mentionem fieri audies; nam & nolentes sciunt, & fatentur inuiti, licet ab eo dempseris bonum, vt facit Leucippus, addideris societatem affectionis, vt Democritus; naturam permutaueris, vt Straton, voluptatem concesseris, vt Epicurus; nullum esse dixeris, vt Diagoras: quædam ignorare velis, vt Protagoras. Accedit Sophocles apud Athenagoram legatione pro Christianis.

Sophocles.

Εἷς ταῖς ἀληθείαισιν, εἷς ἐστιν θεός,
Ὃς οὐρανόν τ' ἔτευξε καὶ γαῖαν μακράν. hoc est,
Vnum reuera numen est, & vnicum,
Quod cœlum, & terrã nutu condidit suo.

Vbi ostendit Athenagoras Philolaum, Lysidem, Platonem, Aristotelem, Stoicos, & plerosque alios volentes nolentes vnum Deum admisisse; nolim tamen hîc afferre rationes, quibus vnitatem Dei confirmat, cùm de diuinitate nunc agamus, de eius vnitate suo loco dicturi: sed Rhetorem paganum Cottam videlicet apud Tull. l. 2. de natura deorum Illyrico obiiciamus, vel ipsum Lucilium sic edissertentem. Quid potest esse tam apertum, támque perspicuum, cùm cœlum suspeximus, cœlestiáque contemplati sumus, quàm esse aliquod numen præstantissimæ mentis, quo hæc regantur? quod ni ita esset, quî potuisset assensu omnium dicere Ennius.

Tullius. Cotta. Lucilius.

Adspice hoc sublime candens, quem inuocant
omnes Iouem, & alibi.
------patrem diuúmque, hominumque.

Et præsentem, ac præpotentem Deum. Quod qui dubitat, haud sane intelligo, cur non idem, sol sit, an nullus sit, dubitare possit. Quid enim est hoc illo euidentius? quod nisi cognitum, comprehensúmque animis haberemus, non tam stabilis opinio permaneret, nec confirmaretur diuturnitate temporis, nec vnà cum sæculis, ætatibusque hominũ inueterare potuisset. Etenim videmus cæteras opiniones fictas, atque vanas, diuturnitate extabuisse; opinionum enim commenta delet dies, naturæ iudicia confirmat: Et quidem Cleanthes inter 4 causas, ob quas ait in animis hominum informatas deorum esse notiones, quartam causam profert, eámque vel maximam, æquabilitatem motus, conuersionem cœli: solis, lunæ, siderúmque omnium distinctionem, vtilitatem, pulchritudinem, ordinẽ, quarũ rerum aspectus ipse satis indicaret, non esse fortuita. Vt si quis in domũ aliquã, aut in gymnasiũ, aut in forũ venerit, cùm viderit omniũ rerum rationem, modum, disciplinam, non possit ea sine causa fieri iudicare, sed esse aliquem intelligat, qui præsit, & cui pareatur; multo magis in tantis motibus, tantisque vicissitudinibus, tam multarum rerum, atque tantarum ordinibus, in quibus nihil vnquam immensa, & infinita vetustas mentita sit, statuat necesse est ab aliqua mente tantos naturæ motus gubernari. Chrysippus quidem, quanquam est acerrimo ingenio, tamen ea dicit, vt ab ipsa natura didicisse, non vt ipse reperisse videatur. Si enim, inquit, est aliquid in rerum natura, quod hominis mens, quod ratio, quod vis, quod potestas humana efficere non possit, est certè id, quod illud efficit, homine melius. Atqui res cælestes, omnesque eæ, quarum est ordo sempiternus, ab homine confici non possunt. Est igitur id, quo illa conficiuntur, homine melius. Id autem quid potiùs dixerim, quàm Deum? Etenim si dij non sunt, quid esse potest in rerum natura homine melius? In eo enim solo ratio est, qua nihil potest esse præstantius Esse autem hominem, qui nihil in omni mundo melius esse, quàm se putet, desipientis arrogantiæ est. Ergo est aliquid melius, est igitur profectò Deus.

Cleanthes.

Chrysipp.

Quæ sane meo iudicio sufficiunt, vt omnes rationes Illyrici corruant, æternóque pudore omnes eius sequaces Athei suffundantur; ne tamen aliquid prætermisisse videamur, ad alia cautionem adhibeamus.

Quintum Illyrici argumentum est contra liberum arbitrium.

De libero arbitrio.

Liberum arbitrium, inquit ad bonum mortuum est, ad malum verò viuidum, atque feruens, igitur cùm Dei cognitio sit opus bonum, homo vim omnem agnoscendi Deum amisit. Egregia sane ratio! ergo non potuit Illyricus abstinere, quominus in tantam impietatem prorumperet, vt aduersus diuinum numen arma moueret, siquidem malum opus fuit, ad quod arbitrium eius ita ferretur, & in quod adeò efferuesceret, vt nefarios motus continere non potuerit? At impius homo scelus illud, optimum vocabit opus, séque lympha sacra tinctum, quem potius lymphaticum, dixeris, asseret? ad redemptoris vulnera fortè confugiet, vt sopitam, seu potiùs mortuam libertatem exsuscitet,

suscitet, vt ad illas de Deo prænotiones euertēdas, & ad diuinitatem ex animis hominum penitus delendam properet. At ne minus contra renatum argumentatio nostra valere videatur, paganum aduoco.

Tullius. An Tullius pro innocente dicere potuit? an Plato discipulos instruere valuit? nunquid gentiles sibi inuicem succurrere potuerunt? nunquid ipsam mortem amicitiæ postposuerunt; deficiam, si Romanorum, Græcorúmque virtutes commemorare D. August. voluero, quibus libri pleni sunt, vt D. Augustinus liberè fateatur Imperium Romanis à Deo commissum fuisse, quòd multis virtutibus reliquos homines antestarent; hæc enim est infinita Dei iustitia, atque bonitas, vt nulla virtus præmio careat, de quibus lege D. Aug. lib. 5. de ciuit. cap. 12. & deinceps, idque præclaro Piasti Crusniciæ incolæ cōfirmatur exemplo, qui cùm omnes hilari vultu exciperet, & pasceret, atque frequentes eleemosynas pauperibus elargiretur, eius facultates nullatenus minuebantur, qui tametsi inter plebeios homines numeraretur, in Polonorum principem vno totius populi consensu electus est, Deo liberalitatem eius compensante.

Caluini confessio. Cùm igitur tot virtutes pagani exercuerint, in quarum exercitio libertatē agnoscere necesse est, cur obsecro mortem arbitrio hominum Illyricus indixit? cùm & ipse Caluin. 1. Instit. ca. 2. & l. 2, c. 2. non tantùm multas veritates theoricas, & mechanicas sciētiarum, & artium humanarum, sed etiam ad Rom. 1. Deum esse aliquem solo lumine naturali cognosci posse concedat; ad quid obsecro D. Paulus ad Rom. 1. dixit gentiles inexcusabiles esse, quod Deum non glorificauerunt, nisi quia eum cognouerunt? habetur enim Sap. 13. *cognoscibiliter*, idest, euidenter. & Act. 14. *non sine testimonio seipsum reliquit benefaciens nobis, de cælo dans pluuias, &c.* vnde & ipsi cæli Dei gloriam enarrare dicuntur Psal. 18, & 88, quatenus nobis suggerunt, vt id peragamus; extendit enim Deus *cælum sicut pellem* descriptam Psal. 103, in qua velut in libro diuina opificia legamus. Sic enim ante literas sacras, inquit S. Ambr. 2. de vocat. gent. cap. 1. in testimonium Domino deseruiunt orbis, & inenarrabilis cælorum pulchritudo, per quam hominibus quædam tabulæ præbebantur, vt velut in paginis elementorum, & cælorum diuinæ institutionis doctrina legeretur: quo sensu locus Sapien. cap. 1. potest intelligi, *Et hoc, quod continet omnia, scientiam habet vocis*, mundus scilicet, quo velut præceptore vti possumus; vel etiam homo mundi compendium, iuxta Psalm. 118. *Mirabilis facta est scientia tua ex me*: nunquid enim omnia membra, & actiones hominis Deum esse tanti opificij prædicant authorem?

Sap. 13. Act. 14. Psalm. 18. & 88. Ambrof. Sap. 1. Psalm. 118.

Non est igitur liberum arbitrium omni bono mortuum, quandoquidem naturali virtute solo Dei concursu generali Deum cognoscere possumus, Platonis instar, qui teste Theodoreto Serm. 2. de curandis Græcorum affect. in epistolis seriis illa tessera, *Deus*, vtebatur, in Ludicris verò, *Dij*, scribebat; & alioquin pagani, quibus fidei lumen non illuxerat, non pauca opera moraliter bona præstitēre; sed ne diutius in huius falsissimi argumenti refutatione immoremur, cætera quæ de libertate nostra dici possent, propriam quæstionem alibi obtinebunt. Theodor.

Sextum Illyrici argumentum.

QVi doctrinam de vero Deo habuerunt, siue gentiles ij fuerint, siue Iudæi, subinde ad plures defecerunt, perpetuóque fluxu deorsum ruerunt, postremò Papistæ, quibus sancti reuera Dij quidam sunt; At non ita defecissent, si eius notitiæ innata principia habuissent, atque naturalem aptitudinem. Præclarus certè paralogismus; nunquid saltem Illyricus fatebitur nobis lucem aliquam inditam esse, qua bonum amplectamur, malum verò fugiamus? cùm voluntas, aut appetitus noster circa malum ferri nequeat, alioquin in Illyrici gratiā miraculum fieri necesse est, (si tamen vllatenus fieri possit, vt facultas extra sui obiecti latitudinem extendatur); fertur ergo voluntas humana, quantumuis originali labe deturpata, in bonum, quod ita verum est, vt Theologi suo calculo probent voluntatem bonum amplecti necessariò, si quid amplecti velit, si verò quid respuat, necessariò malū respuere, nec enim circa bonum, aut malum in communi sumptum specificationis, vt vocant, libertatem obtinet: & tamen quis non videt, quoties ad malum feramur, licet sub specie boni; perperam igitur Illyricus notitias innatas reiicit, ex eo quòd ad ea nō semper collimemus, ad quæ nos illæ notitiæ dirigunt. Adde quòd non hîc quæramus, vt iam monui, an Deum vnicum esse naturaliter cognoscamus, sed, an sit Deus aliquis, ac proinde cùm Illyricus fateatur omnes ad pluralitatem deorum effluxisse, concedat etiam necesse est omnibus diuinitatis alicuius notitiam innatam esse, tametsi nonnunquam huiusmodi semina sceleribus ita possint obrui, vt vix succrescere queant, quod in Iudæis

Quid de Papistis senserit Illyricus.

manifestum est, tunc enim verum Deum contemnebant eiusque obliuiscebantur, dum ebrietati, atque gulæ vacabant, iuxta id Deut. 32. *Et sanguinem vuæ biberent meracissimum: Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit, incrassatus, impinguatus, dilatatus dereliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo salutari suo. Prouocauerunt eum in dijs alienis, &c.* Vnde concludere possumus eandem nos ad Deum, quàm ad bonū inclinationē, eundem appetitum, eandéque Dei, ac boni notitiam habere, quod mirum nō est, siquidem Deus est omne bonum, vt patet Exod. 33. vbi cū Moses à Deo peteret; *Ostende mihi gloriam tuam*; respondit, *Ego ostendam omne bonum tibi*, idest me ipsum. Quæ omnia luculentissimo D. Aug. testimonio 8 de Trin. cap. 3. confirmantur, in quo non tantùm ostendit Deum esse bonum omne, sed etiam illius nobis impressam esse notitiam.

Deut. 32. Exod. 33. D. Augustini locus aureus.

Non amas certè nisi bonum, quia bona est terra altitudine montium, & temperamento collium, & planitie camporum, & bonum prædium, amœnum ac fertile, & bona domus paribus membris disposita, & ampla, & lucida, & bona animalia, animata corpora, & bonus aër, modestus & salubris, & bonus cibus, suauis, atque aptus valetudini, & bona valetudo sine doloribus, & lassitudine, & bona facies hominis dimensa pariliter, & affecta hilariter, & luculenter colorata, & bonus animus amici, consensionis dulcedine, & amoris fide, & bonus vir iustus, & bonæ diuitiæ, quia facilè expediunt, & bonum cælum cum sole, & luna, & stellis suis, & boni Angeli sancta obedientia, & bona locutio suauiter docens, & congruenter monēs

auditorem. Et bonum carmen, canorum numeris, & sententiis graue. Quid plura, & plura? Bonum hoc, & bonum illud. Tolle hoc, & illud, & vide ipsum bonum, si potes, ita Deum videbis, non alio bono bonum, sed bonum omnis boni. Neque enim in his omnibus bonis, vel quæ commemoraui, vel quæ alia cernuntur, siue cogitantur, diceremus aliud alio melius, cum verè iudicamus, nisi esset nobis impressa notio ipsius boni, secundum quod & probaremus aliquid, & aliud alij præponeremus: Sic amandus est Deus, non hoc, & illud bonum, sed ipsum bonum. Quærendum enim bonum animæ, non cui superuolitet iudicando, sed cui hæreat amando. Et quid hoc nisi Deus? Non bonus animus, aut bonus Angelus, aut bonum cælum, sed bonum bonum; vbi D. Aug. Hebræorum morem imitari videtur, qui vt aliquid optimum esse demonstrent, aiunt טוב טוב tof, tof. Quibus ea subiiciemus, quæ ipse toto reliquo capite habet, quia plurimum mihi facere videntur, vt affectus noster ad Deum amandum inflammetur, quod est nostrum institutum, atque omnium hominum, & Angelorum finis.

Mos Hebræorum.

Cùm enim audio, verbi gratia, quòd dicitur animus bonus, sicut duo verba sunt, ita ex illis verbis duo quædam intelligo, aliud quo animus est, aliud quo bonus. Et quidem vt animus esset, non egit ipse aliquid. Non enim iam erat, qui ageret, vt esset. Vt autem sit bonus animus, video agendum esse voluntate, non quia idipsum, quo animus est, non est aliquid boni: Nam vnde iam dicitur, & verissimè dicitur corpore melior? Sed ideo nondum dicitur bonus animus, quoniam restat ei actio voluntatis, qua fit præstantior, quàm si neglexerit, iure culpatur, rectéque dicitur non bonus animus. Distat enim ab eo, qui hoc agit. Et quia ille laudabilis, profectò iste, qui hoc non agit, vituperabilis est. Cùm verò agit hoc studio, & fit bonus animus, nisi se ad aliquid conuertat, quod ipse non est, non potest hoc assequi. Quò se autem conuertit, vt fiat bonus animus, nisi ad bonum, cùm hoc amat, & appetit, & adipiscitur? vnde si rursus se auertat, fiátque non bonus, hoc ipso, quòd se auertit à bono, nisi maneat in se illud bonum, vnde se auertit, non est, quò se iterum, si voluerit emendare, conuertat. Quapropter nulla essent mutabilia bona, nisi esset incommutabile bonum. Cùm itaque audis bonum hoc, & bonum illud, quæ possunt aliàs dici etiam non bona, si potueris sine illis, quæ participatione boni bona sunt, perspicere ipsum bonum, perspexeris Deum. Et si amore inhæseris, continuò beatificaberis: cætera vt pote pulcherrima in ipso D. Augustino legantur.

Quomodo animus reddatur bonus.

Non igitur innata rei alicuius principia faciunt, vt ab iis, quorum sunt, deflectere non possimus, alioquin nemo Deum offendere, neq; ab eo auerti, vt pote summo bono, valeret, sed tantùm, vt ea primò statim intuitu facillimè cognoscamus, vel etiam diligamus, ad quæ notiones huiuscemodi ab authore naturæ inditæ sunt. Non est quòd illi calumniæ, quam nobis struit, respondeam, cùm egregiè mentitur nos in deorum numerum sanctos adscribere, quos tantummodò creaturas nobis similes esse fatemur, beatas tamen, quæ liberrimis sponsi amplexibus, & osculis perfruantur, maximè cùm latè de Sanctorum cultu dicturi simus, cùm ad id nos Scriptura sacra vocabit; quapropter ad alias rationes Illyrici progrediamur.

Septimum Illyrici argumentum.

IN septimo argumento ait illa principia, seu notiones, quas de Deo vnumquemque habere volumus, veram esse sapientiam, per quam D. Paulus affirmat, quod mundus Deum non cognouerit. In quo multa video, quæ reprehendi possint, veruntamen erit operæpretium, si D. Pauli sensum altiùs repetamus, sic enim ineptæ conclusiones Illyrici clariùs apparebunt. D. ergo Paulus c. 1, & 2 huius epistolæ primæ ad Corinth. dissidia inter eos exorta componere nititur. Ipse siquidem ob conciones per annum, & 6 menses à Corinthiis auditas ad id laudis fastigium Corinthios euexit, vt eorum sapientiam laudaret. At vbi superuenisset Apollo vir eloquens, & potens in Scriptura, vt act. 18. vers. 27. legimus, Paulo ferè neglecto illum prætulerunt, ex eo quòd Apollo maximè polleret oratoria dicendi facultate, quę Corinthiis, vt potè eloquentissimis acceptissima erat, Paulus autem neglecto stylo vteretur, vnde quædam inter eos dissidia, & schismata orta sunt, vno dicente, ego sum Pauli, altero, ego sum Apollo.

Locus D. Pauli 1. ad Cor. ca. 1 & 2 exponitur.

Act. 18.

Quapropter D. Paulus ad eos hanc epistolam scribit, in qua statim per 4 priora capita eos ab humana sapientia, & eloquentiæ fastu, atque inani doctorum iactantia, & eloquentia ad humilitatem crucis, & Christianæ humilitatis in docendo morem variis rationibus productis adducit, è quibus vna est, quod vt euangelizaret, missus fuerit, non doctè, ornatè, & eloquenter, seu in sapientia verbi, hoc est in dicendi peritia, ne videlicet tumidæ isti eloquentiæ plus attribuentes, vis crucis Christi euacuaretur, cuius ignobilitate mundus superatus est, non autem humanæ potentiæ, aut eloquentiæ industria.

Quod apostolus subiungit his verbis, *Nonne stultam fecit sapientiam huius mundi*, quia quantumuis docti, & sapientes cæcutiunt in luce meridiana, qui tametsi veræ Dei cognitionis notiones impressas haberent, facilè tamen per falsas illationes, & inductiones à principiis naturalibus, & veris ad falsam, & erroneam doctrinam, inanésque sententias deflexerunt, quos rudis plebecula eò libentiùs sequitur, quo magis de suo iudicio diffidit: cùm enim nullis scientiæ demonstrationibus innitatur, certius esse credit, quod docti sentiunt. Hæc est huius sæculi sapientia, seu potius stultitia, quam stultam fecit, seu demonstrauit Christus dominus, sicut & in creatione stultum philosophorum axioma satis apparet. Ex nihilo nihil fieri potest; in passione, Deus pati non potest: in resurrectione, non datur regressus à priuatione ad habitum; in altaris Sacramento tremendo, accidentia non possunt esse sine subiecto, neque corpus sine extensione, &c.

Falsa 5. axiomata philosophorum.

Non igitur D. Paulus vult philosophos gentiles nulla prorsus de vnius Dei cognitione principia habuisse, sed eos ductu luminis naturalis neglecto, vel obscurato ad falsam de Deo opinionem deflexisse; vnde factum est, vt mundus vanis eloquentium illorum verbis, & scientiis delusus, qui tamē sapientes existimabantur, Deum minimè cognouerit, quāquā signato lumine naturali, quod Paulus

Hinc

Dei sapientiam nuncupat, ad eam veri numinis cognitionem per creaturas veluti manuduceretur.

Hinc patet, quàm sint ridiculæ Illyrici illationes; mundus per sapientiam, hoc est per sapiētium gentilium dogmata, non cognouit Deum, igitur nulla sunt indita principia de Deo; etenim per illam sapientiam D. Paulus tumidam eloquentiam intelligit; adde quòd eorum axiomata planè essent erronea, quæ cymmeriis tenebris lumen naturale offundebant; quapropter miseri mortales Deum, vt authorem naturæ non cognoscebant, quamuis istius notitiæ principia indita haberent, quia plus Gentilium Sophorum eloquentiæ, quàm illi lumini tribuebant, quibus facilè nimis naturale iudicium siue practicum, siue speculatiuum subiiciebant.

Addo Paulum non de qualibet sapientia, seu cognitione Dei verba facere, sed de supernaturali per fidem, seu reuelata, vt clarissimus contextus aperit, ad quam fatemur nos innata principia non habere; & ideo grauiter hallucinatur Illyricus, dum cognitionem Dei, vt authoris naturæ, & cognitionem eiusdem, vt authoris gratiæ, atq; gloriæ confundit. Fallitur etiam dum ait illa principia de Deo, vt authore naturæ, fore maximam hominis sapiētiam, id enim aduersus dogmata philosophiæ receptissima pugnat, quis enim nesciat primorum principiorum notitiam, quam Logici intellectum nuncupant, à sapientia planè diuersam esse, quæ est habitus omnino diuersus, quare debuisset logicæ studere, antequàm de rebus theologicis verba faceret. Denique falsum est quòd tantum circa creaturas versemur, nec ad Dei cognitionem peruenire possimus; quod enim philosophorum oculi noctuæ instar in Dei cognitione, vt authoris naturæ inuestiganda caligauerint, id partim imbecillitati naturæ per peccandi consuetudinem deprauatæ, partim illationibus ex principiis, & lumine naturæ perperam elicitis tribuendum est.

Octaua ratio Illyrici, simul & nona soluitur.

CVm Deum credamus, eum minimè scimus, & tamen ea scimus, quorum notitias innatas habemus, inde siquidem scientiæ proficiscuntur, quapropter Dei principia nulla habemus, sed fide sola de eo aliquid cognoscimus.

Cui facillimo negotio responderi potest nos Deum credere simul, & scire posse, credere vt autorem gratiæ, & gloriæ, scire, vt autorem naturæ, quæ scientia cùm ad salutem non sufficiat, quid mirum est, si alia doctrina nobis è cælo missa fuerit? quandoquidem ad finem supernaturaliter possidendum ordinamur, ideoque media necessaria fuere, quo vires naturæ superarent, atque superando iuuarent, vt aliquam cum beatitate analogiam haberent, vnde nona ratio soluta remanet.

Decima, vndecima, & duodecima ratio soluitur.

AD decimum, ex dictis antea facili negotio respondemus, eam diuinæ legis inscriptionem à Dei existentia differre; deinde non ita cordibus hominum lex diuina inscribitur, quin illud pro singulari Dei beneficio ducendum sit, tametsi ad insitas notitias illam reuocaris, enimuerò Deus Opt. Max. illas indidit; quæris tamen cur denuo inscribatur; Audi igitur mi homo, si quid adhuc humanitatis in te resideat, audi, & alta mente repone notitias innatas à nobis velut oppressas fuisse, quando rebellionis scelus perpetrauimus, & aduersus notitiarum datorem peruersa voluntate, atque peccato depugnabimus, vt non paruam admirabilitatem nobis inferre debeat tanta diuinæ bonitatis indulgentia, quæ iustissimè non solùm gratiam, sed etiam quodlibet naturale lumen, imo & ipsam naturam tollere potuisset. Vnde maximas ei gratias agere debemus, quòd illud nobis lumē reliquerit quod nisi per nos stet, fide, maiorique gratiæ luce confirmat, & perficit. Hinc autem manifestum est notitias illas nobis inesse, quòd in periculo positi manus in altum leuemus, & Deum inuocemus; nec obiicias id de Christianis verum esse, qui Deum credunt, quandoquidem vniuersæ nationes ab oriente ad occidentem; ab austro ad septentrionem id ipsum testentur; excute obsecro præteritorum omnium sæculorum monumenta nusquam non sacros ritus, religiones; sacrificia, lustrationes, templa, fana, delubra, Græcorum, Chaldæorum, Arabum, Persarum, ac cæterarum quantumuis moribus efferatarum gentium deprehendes; adeout verum sit, vbicunque homines vnquam vitam egerint, ibidem quoque Dei opinionem, & religionem quandam viguisse, confusam quidem illam, variam, & discrepantem, in eo tamen quòd Deus sit, consentientem. Cretenses Libyci, & Idæi Iouem adorarunt; Carthaginienses Argiui, & Myceni Iunonem diuinis honoribus coluerunt; Thebani Herculem; Bœotij Charites; Isidem Ægyptij; Thebani & Arabes Bacchum; Iones, Delphi, & Rhodij Apollinem: Venerem Cyprij, & imprimis Paphicnes: Athenienses & Ætoli Mineruam: Imbrani, & Therasiani Vulcanum: Itali & Thraces Martem: Solem Scythæ: Proserpinam Siculi: Priapum Hellesponti accolæ: Elei Plutonem: Bœotij Musas: Latonam Delphij: Saturnum Rhodij: Osiridem Ægyptij: Neptunum Lacones: Asiatici Nemesin: Fortunam Attici: Eleusij Cererem: Aristeum Arcades: Cupidinem Colchi: Æsculapium Epidaurij; Ephesij Dianam: Phryges Cybelem pro numine habuerunt; Tanta denique Dearum Deorumque multitudo ab Ethnicis fuit introducta, vt eorum numerum triginta millia excedere Hesiodus scribat. Cæterum vt hi omnes diuersa numina coluerunt, ita quoque sacris, & sacrificiis sunt vsi, quæ inter se diuersa essent. Saturno enim humana hostia fiebat; Soli equus immolabatur; Vulcano ignis: Veneri turtur: agnus niger Proserpinæ; Cybelæ, siue Deûm matri primitiæ; Dianæ cerua: Fauno capra: anchora Fortunæ: Gratiis farina; Herculi, & Neptuno taurus: anser Isidi: Ioui bimæ pecudes, & spumantes vino, atque sanguine pateræ: Iunoni agna candida: Latonæ læna; Priapo asinus: testudo Mineruæ: Nemesi lingua: Musis hasta, bos Osiridi: Plutoni aurum: Cereri porca: caper Baccho: gallus Æsculapio: sagittæ Cupidini: mel Aristeo: hecatombe Apollini offerebatur. Quæ

Quòd omnes gentiles aliquem Deū agnouerint.

Dii variarum gentiū describuntur.

Hesiod.

Diuersa Deorum sacrificia.

propterea hîc attuli, quia quanto plures dij, quanto plures sacrificiorum species commemorantur, tanto firmius est argumentum hanc communem omnium penè gentium opinionem non à consuetudine, & vicinorum populorum commerciis promanasse, sed ab ipsa natura animis hominum insitam esse, atque innatam, numen aliquod admittendum esse, vt instar portenti existimem aliquos fuisse, qui manum Atheismo dederint, prouidentiam sustulerint, & Epicureorum more dixerint

Epicurei. *Lude, bibe, & comede, atque tuum mortalibus exple*
Delicijs animum: post mortem nulla voluptas.

Quare Deus sui cognitionē de nouo nobis imprimat. Rationes octo.

Cur igitur, inquis, illa Dei cognitio, & cæteræ naturalium præceptorum notitiæ denuo inscribuntur? an quia ferè omnes ita terrenis rebus inhiabant, vt vitiis propemodum absorpti, vix aliud, quàm scelera respirarent? An quia corpus, quod multis voluptatibus, morbisque corrumpitur, aggrauat animam, & terrena cogitatio deprimit sensum multa cogitantem?
1. An quia cum pluribus intentus minor fit ad singula sensus, dum homines curiosiùs omnia inuestigant, quod præcipuum
2. est, emittunt, quia Dei cognitioni, atque virtuti-
3. bus, quibus Dei mandatis, legique naturali satisfit, minimè student?
4. An quia tametsi Dei legisque naturalis cognitionem menti inscriptam habeant homines, multis tamen erroribus scatet, nisi diuina succurrente manu confirmetur, & amplificetur, & ab errotribus vindicetur?
5. An quia Deus breuiori compendio sui cognitione nos instrui voluit? sic enim faciliùs in eum insurgimus. Nun-
6. quid illud egit, vt duplici beneficio sibi nos obstringeret? An quia sola naturalis cognitio non sufficit ad salutem nisi supernaturalis adueniat, quâ
7. feramur in Deum, qui est obiectum nostræ beati-
8. tudinis supernaturale? An quia volens, vt homo ei correspōderet, quatenus est autor naturæ, & gratiæ, naturalem, & supernaturalē cognitionē impressit.

Vndecima ratio Illyrici solutur. Ad vndecimum ex epist. ad Rom. decerptum ex 7 obiectione eiusque refutatione constat, quid dicendum sit. fatemur enim nullum esse, qui vi naturæ ita Deum intelligat, vt par est ad salutem; cùm enim fœlicitas nostra naturæ limites excedat, cognitio, qua ad illam euehimur, eiusdem ordinis esse debet, adde quod D. Paulus hominum malitiam describit, qui cùm Deum cognouissent, non eum honore debito prosecuti sunt, vnde postea Deus illos dedit in reprobum sensum, vt in eadem habes epistola.

Ad duodecimam obiectionem possumus negatione respondere, cùm videamus quoslibet etiam paruulos vix lalantes, atque papantes, vnius Dei cognitionem habere; vixque reperias vetulam catholicam, quæ non fateatur Dei prouidentiam, omnipotentiam, eiusque attributa cætera, quæ firmiter credit, nec vllam omnino dubitationem mouet; fateor tamen homines etiam doctissimos satis insudare, vt ea intelligant; sed nostra salus in mysteriorum diuinorum intellectu claro minimè posita est, verùm in eorum fide; nec is beatior erit, qui meliùs diuina intellexerit, sed qui firmiùs crediderit; quandoquidem fidei præmium est ipsa intelligentia, & euidentia, quam in cœlo futuram speramus, & in dies expectamus. Ne verò mireris, si quos pios existimas, Illyrice, nempe Lutherani, multas, easque graues tentationes, atque dubitationes patiantur, non enim pios apostatas dixerim, sed impios, & perfidos transfugas, qui castris Dei relictis, ad Babylonem, ad hæresim & Atheismum conuolarunt, quique conscientia perterrefacti, continuo verme roduntur, & variis tempestatibus iactati quo se vertant, nesciunt. Quod si videas Catholicos nonnunqum tentationibus agitari, illud Deus permittit, vt fortiores effecti rebus, quæ credendæ sunt, firmiùs inhæreant, & constantia eorum probata pugnam debita palma coronet, vel etiam, vt qui sunt probati manifesti fiant ad cæterorum ædificationem; vel denique, vt qui non sunt ex nobis, à nobis exeant, ne fortè reliquis periculum creent, & eorum saluti officiant.

12. Ratio Illyrici refellitur.

Cur hæretici tententur.

3. rationes cur tententur Catholici.

Cæteræ obiectiones Illyrici refelluntur.
13. *Illyrici argumentum.*

13. Ratio Illyrici.

Decimumtertium argumentum petitur ex puero, qui educatus in syluis non ampliùs, inquit, de Deo, quàm brutum cognosceret. Mentiris Illyrice, & gratis illud confingis; Et quidem de te quale iudicium feram, nescio, nisi brutum appellem, quandoquidem illi Deum esse fatentur, & suæ menti naturæ principia indita esse verbis, atque factis ostendunt, quod tamen audacter pernegas, & cæteris tuam stultitiam intolerandam penitus intolerabilem suadere conaris: At solo rustico te reuincere velim, qui satis apud Indos nuper ostendit, quantum diuinæ cognitionis valeret innata notitia; sic igitur se res habet: Concionator catholicus sapientes paganorum salutat, de religione statim inter se dimicant, nolunt tamen illi contentionem disputatione finiri, sed diuturniori famis perpessione, adeout eam veram religionem dici velint illius, vel pagani, vel Christiani, qui diutiùs inediam tolerarit, abnuit, vt iustum erat, catholicus, quod de Dei bonitate experientia facienda non sit, neque eius tentanda fidelitas, quando aliunde negocium confici poterat; æquius esse, si rationibus agatur; Conueniunt igitur, at cùm ad controuersiæ præsidem, atque contendentium iudicem ventum est, tunc hærêre, & in omnem partem sese versare, nullam non excusationem obtendere, velle se esse Iudices, non autem catholicum; alia tamen ex parte pro suis partibus stare Christianum, qui diceret non æquum esse, si sint aduersarij & Iudices, se enim solum esse, cùm multi sint, iudicem aliunde quærendum esse, qui neutris faueat, sed prout æstimarit, æquius iudicet. Aduocant igitur vetulum quendam è suo tuguriolo ligneo, qui non parum ab vrbe distaret, descendit è suo monte, casam deferens; Iubent eum in cathedra ad id parata, vt iudicem sedere; audit primùm gentiles, qui pro focis & aris rationibus dimicant, multáque de suis diis, idolis, legibus, sacrificiis & cæteris ad superstitionem attinentibus effutiunt: quæ omnia, & singula senex illiteratus sola Dei legisque naturæ notitia naturali præditus reprehensione digna iudicauit; igitur illi tacent, vt pro veritate loquatur Catholicus: qui rogat senem, quis tuguriolum eius erexisset, an ex seipso fabricatum,

Exemplum insigne pagani confirmans innatas de Deo notiones.

Controuersia de iudice disputationis.

fabricatum, an ab alio, qui fatetur illicò non à se factum, sed manibus propriis inquit construxi illud: quærit insuper an illa palatia, quæ sunt ornamenta ciuitatum, seipsa fecerint; ille negat, nec enim potior est ratio, cur se ipsa ædificarint, quàm vt tuguriolum meum seipsum fecerit: Denique cùm idem de integra ciuitate postulasset, ad cœlum,& totum hunc mundum pergit; quæ omnia cum libentissimè fateretur senex se ipsa non fecisse, Catholicus addidit verum Deum non esse alium, quàm qui peramplum illud & magnificum cœlorum palatium construxisset; quibus facilè probatis, positis, & ab omnibus admissis, gradatim omnia legis diuinæ præcepta probauit, & omnium cordibus inscripta, luculentissima oratione declarauit, adeout fateretur senex se ea omnia iamdudum antea sciuisse, quæ dixisset Christianus, sed minimè de iis cogitasse. Absit Illyrice, vt tui similes ad veram religionem propagandam in nouum mundum progrediantur; quid enim huic seni diceres, qui legem Christi se probè scire contenderet, etiam si nunquam didicisset; quò te verteres Athee, sed ad pensum reuertor, vt cæteris argumentis dissolutis, error euanescat, & in perpetuis tenebris sepeliatur.

Paganus nō solū Deum esse se scire fatetur, sed etiam omnia præcepta decalogi.

Decimumquartum Illyrici argumentum.

IN hoc argumento sumit vt certissimum, esse principium theologicum, in scriptura omnia tradita esse, quæ necessaria sunt ad salutem,& quę nos scire opus sit, nec fas esse quidquam in religione asserere sine manifesta scriptura; cùm igitur scriptura nullibi concedat illas notitias Dei nobis impressas esse, id asseri non debet, inquit.

Responsio.

FAlsum est, quod ait Illyricus; esse theologicum principium, nisi Theologiam vocet hæresim; imo Theologia vera,& catholica docet non omnia, quæ necessaria sunt ad salutem, in scriptura sacra reperiri; & quidem præterquam quod multæ scripturæ partes periêre, teste Chrysost. hom. 7 in 2. caput 1. ad Corint. & ex 3. Reg. 4. v. 32, & 33. constat, vbi Salomon tria millia parabolarum, & 5. millia carminum scripsisse, & super omnia ligna à cedro vsque ad hyssopum, deque iumentis, volucribus, reptilibus, & piscibus disputasse dicitur c. vlt. 1. paral. vet. 29. libri Samuelis, Nathan, & Gad commemorantur: 2 par. 9. liber Nathan, & libri Ahiæ Silonitis, & visio Addo referuntur, sicut & epist. Laodicensium, quam Paulus c. vlt. epist. ad Coloss. v. 16. in Ecclesia legi præcipit; quibus omnibus caremus; præter ista inquam, manifestè probo non sufficere ad salutem, quæ legimus in scriptura, idque primùm ex D. Hieron. c. 4. aduersus Lucifer. D. Aug. l. 1. contra Crescon. c. 33. l. 4. contra Donatistas c. 24. Vincent. Lirin. c. 3. contra hæreses, & aliis, quos breuitatis gratia non refero. Deinde ratione, nam quid dicet Illyricus de ecclesia, quæ scripturis caruit ab Adam vsque ad Mosem, à quo 1669 anni fluxerunt? quot sine scriptura sancti fuere? quot traditionibus vsi sunt Iudæi? aliquando libris scripturæ carebant, vt 4. Reg. 22. legimus?

Chrysost. 3. Reg 4. 1. Par. vlt. 2. Paral. 9. Nō omnia reperiri in scriptura, quæ necessaria sunt ad salutem. Libri quidam Scripturæ perierunt. Epist. ad Coloss. D. Hieron. D. Aug. Lirin. Ecclesiam esse posse sine scriptura. 4. Reg. 22.

Sanè à Christo vsque ad multos annos non fuit scriptura, sine qua Christiani per solas traditiones viuere possent, Sed obsecro si scriptura docet, quicquid necessarium est ad salutem, vbi legis remedium originalis peccati pro veteris testamenti fœminis, & pro masculis, qui ante diem octauum è viuis excedebant? vbi legis potuisse gentiles durante lege Mosaica consequi salutem? quis scripturæ locus te docuit hæc 4 Euangelia, quibus vtimur, non esse Thomæ, Bartholomæi, vel Nicodemi, cùm hi fuerint Christi discipuli, non autem Marcus, neque Lucas. Vnde scis hanc epistolam ad Romanos esse legitimam D. Pauli & non fictā? quis enim scripturæ locus aliquod producit testimonium de hac, aut illa scripturæ parte? O homines insanos, qui non vident scripturam necessariò dependere ab authoritate, & testimonio Ecclesiæ catholicæ, quæ sicut fuit sine scripturis, ita etiam sine iisdem consistere posset: Adde quod neque Apostolus 2. ad Timoth. dicit omnia cōtineri in scriptura, quæ ad salutem necessaria fuerint, sed tantùm vtilem esse, habet enim, ὠφέλιμος.

2. ad Timoth.

Non ergo sunt in scriptura, quæcunque ad salutē necessaria sunt, nisi virtualiter, ac velut in semine, quatenus præcipit vt homines Ecclesiæ obediant, nisi velint esse sicut Ethnici; Nolim omnia numerare, quæ saluti conueniunt, nec tamen habentur in scriptura, alioqui iustum volumen conficiendum erit; tantùm aduertant hæretici nullum scripturæ locum intelligi posse, vt oportet, nisi Ecclesiæ accedat authoritas, quæ est omnium controuersiarum iudex, quæ circa religionem, & scripturam moueri possunt: ad quam nisi recurras, quid mihi respondebis, cùm aliter scripturæ locum intelligendum esse dixero, quàm vulgò tu, vel alij intelligatis; nec proderit nouum textum afferre, quo probes alium, rogabo enim quæ pars scripturæ afferat hunc locum posterius adductum iuuare, vel aperire, atque confirmare sensum alterius? Addo etiam nihil ex illo falso axiomate sequi contra nos, cùm toties scriptura hasce Dei notiones nobis impressas insinuet, vt patet ex epist. ad Romanos, quæ docet inuisibilia Dei, id est diuinitatis maiestatem, potentiam, atque bonitatem, quæ sunt in se, & quoad suam entitatem, naturam, & essentiam nobis inuisibilia, per ea, quæ visibilia sunt, & nostris aspectibus patent, intelligibilia reddi, ac quasi visibilia conspici, vt nullus sit, qui excusationem obtendere valeat. Quid enim Athee, quid aliud esse putas illas notiones Dei, præter illam cognitionem, quæ statim oritur de aliqua causa, vbi vides tot effectus? nunquid enim omnes creaturæ suis aspectibus, & radiis tuam mentem ad rerum omnium, quas perspicis, cognitionem alliciunt, & adducunt? vt nulla sit, quæ non enarret laudes sui creatoris, & eius gloriam altissimè intonet.

15. *Illyrici argumentum.*

Plato.

ARguit Illyricus ex Platonis, & Aristotelis controuersia, siquidem ille tam in Phædone, quàm in Menone notitias nobis innatas astruit, licet adeò tenues, & obscuras, vt discere sit quoddam reminisci, cùm antiquæ cognitiones veluti obliuione sepultæ reuocantur: hic verò in fine analyt. & 3 de anima non minus verisimiliter ratiocinatur mentem nostram esse velut tabulam rasam, in qua nihil scriptum sit, aptam tamen cui aliquid inscribatur; cùm igitur tanta lis inter philosophos excitetur, quis asseret notitias de vno vero Deo, cum nihil tale in nobis sentiamus, & fructus contrarij in hominis vita quotidie se potenter exerant.

Aristot.

Respondetur.

NOn quærimus quid Plato, vel Aristoteles senserint, sed quid rei veritas doceat, tametsi ex ambobus istis philosophis eas notitias comprobare possim; enimuero siue discere nostrûm sit reminisci, siue anima sit instar tabulæ rasæ, hasce Dei notitias in homine ponendas esse dicimus: quid enim aliud nos docere putas, vbi affirmamus cum psalte, & Apostolo *signatum esse super nos lumen vultus Dei*, nisi quòd hanc Deus menti nostræ vim, & energiam indidit, vt quoties vellet ad diuini numinis cognitionem exurgere posset, adeout nullus possit esse locus excusationi. Nec si Platonis opinionem sequi velim, dicturus sum aliud, quando quidem illæ rerum species obliuione sepultæ, quas animæ tribuit, antequam corpus informet, nihil aliud efficere possunt, quàm species de nouo ad sensus aduolantes; concedit enim antiqua phantasmata similium obiectorum, quæ referebant, occursu priùs excitari, & euocari debere, antequam mens eorum, quæ extra corpus didicerat, rursus cúm est in corpore, meminisse possit. Nos autẽ cũ Aristotele idem omnino fatemur, adeout magister, & discipulus ad concordiam reuocari valeant. Quod enim Plato de speciebus, notionibusque antiquatis; & velut exoletis affirmat, id de mirabili illa mentis energia concedit Aristoteles, qua statim cuiuslibet speciei occursu aliquid potest ediscere; ideóque cùm rerum creatarum species vbique obuiæ sint, & vnaquæque testimonium euidens de numinis diuini necessitate ferat, quid aliud accedere desideras, vt homini prædictas notitias inditas esse fatearis?

Age verò textum vtriúsque philosophi discutiamus; id enim à me expectari & vnicuique pergratum futurum existimo. Itaque Plato in Phædone, & in Menone reminiscentiam affirmat; Nam Socrates Cebetem alloquens, vt immortalitatem animæ probet, quam ita disertè agnoscit, vt dicat ἀλλ' ἔστι καὶ τῷ ὄντι καὶ τὸ ἀναβιώσκεσθαι, καὶ ἐκ τῶν τεθνεώτων τοὺς ζῶντας γίγνεσθαι, καὶ τὰς τῶν τεθνεώτων ψυχὰς εἶναι. Quod ita Ficinus vertit. Sed reuera reminiscentia est, atque ex mortuis viuentes fiunt, mortuorúmque supersunt animæ; vt inquam probet immortalitatem, reminiscentiam inuehit. Vnde statim atque Simmias rogauit Cebetem, vt ratione probaret illam reminiscentiam, ita Cebes ait. ἑνὶ μὲν λόγῳ καλλίστῳ, ὅτι ἐρωτώμενοι οἱ ἄνθρωποι, ἐάν τις καλῶς ἐρωτᾷ, αὐτοὶ λέγουσι πάντα ᾗ ἔχει. καὶ τοι εἰ μὴ ἐτύγχανεν αὐτοῖς ἐπιστήμη ἐνοῦσα, καὶ ὀρθὸς λόγος, οὐκ ἂν οἷοί τ' ἦσαν τοῦτο ποιεῖν, idest, vna quidem ratio est pulcherrima, quòd interrogati homines, si quis eos rectè interroget, ipsi omnia quemadmodum sunt, respondent. Atqui nunquam id facere possent, nisi inesset ipsis scientia, rectáque ratio. Quibus addit. Deinde si quis eos ad geometricas figuras descriptionésque, vel simile aliquid conuerterit, ibi manifestè comperiet, ita id se habere; & ipse Socrates ait. Hac equidem ratione confitemur sanè quodammodò, si quis alicuius reminiscatur, oportere ipsum priùs aliquando id sciuisse. Verùm ad Menonem diuertamus, ad quem Arnobius l. 2. aduersus Gentes nobis viam parat hisce verbis, quibus hanc reminiscentiam irridere videtur.

Platonis locus exponitur.

Simmias, & Cebes.

Quid in Menone, ô Plato, quædam rationibus numeri admota ex puerculo sciscitaris, & ex eius niteris responsionibus comprobare, quæ discamus non discere, sed in eorum memoriam, quæ antiquitus noueramus, redire! Qui si tibi verè respondet (non enim nos conuenit fidem rebus adiudicare, quas dicis) non rerum scientia, sed intelligentia ducitur; & ex eo quòd aliquos numeros quotidianis habet ex vsibus notos, fit vt sequatur rogatus, & ipsa illum semper multiplicationis adducat accessio. Quòd si verè confidis immortales huc animas, & plenas scientiæ peruolare, adolescentulũ istum rogare desinito, quem esse conspicis ignarum rerum, & humanitatis esse in finibus constitutum. Quadragenarium istum ad te voca, & ex eo percõtare, non abstrusum aliquid, non inuolutum, non de triangulis, non de quadratis, quid sit dibus, aut dynamus, sesquioctauus, aut sesquitertius vltimus; sed (quod in medio situm est) bis bina, bis terna, quam efficiant summulã quærito. Volumus videre, volumus scire, quid rogatus respondeat: an inquisitam expediat quæstionem. Ita ille sensurus est (quamuis ei pateant aures) an aliquid dicas, an aliquid quæras, an ab se responderi aliquid postules, & non stipes vt aliquis, aut Marpesia (vt dictũ est) rupes stabit elinquis, & mutus: hoc ipsum ignorans, & nesciens, secum potius, an cum altero colloquaris; cum altero sermocineris, an secum; oratio sit ista, quam promis, an sonitus vocis nihil rerum significans, sed inani continuatione protractus? Quid dicitis ô viri plusquam satis est vobis ex aliena generositate tribuentes? Hæccine est anima docta illa, quam dicitis, immortalis perfecta, diuina, post Deum principem rerum, & post mentes geminas locum obtinens quartum, & affluens ex crateribus viuis?

Arnobij locus difficilis explicatur.

Cætera videri possunt apud Arnobium, quibus reminiscentiam Platonicam confutat, atque conuellit. At quia locus hic difficillimus est, placet illum explicare. Quod autem magis abstrusum videtur est, quid sit dibus quid dynamus, sesquioctauus, & sesquitertius vltimus, quod interpretes vel leuiùs, vel nullo modo attigerunt; enimuero

Quid in hoc loco sit explicatu difficilius.

Dei-

Desiderius Heraldus tantùm ait, dynamis esse legendũ esseque mirum quod dibus viris doctis incognitus fuerit, de quo tamen nihil dicit. Meursius verò in Critico Arnobiano vult esse græcam vocem dynamum, quæ binionẽ designet; cuius solus Agathias in epigrammate, quod habetur in Anthologia εἰς τὸ λυτοζένατος τοῦ βασιλέως I. in ludum Zenonis regis, meminisse videtur, quod quidem hîc referre velim, vt viros in literis humanioribus, imo & in arithmeticis exercitatos ad illud explicandum prouocem; habetur autem l. 1. c. 61.

Anthologia Græca.

Οὐτιδανοὶ μερόπων, εἰ γὰρ μέγα ῥέξομεν ἔργον,
Οὔποτε εἰς μνήμην δηρὸν ἐπερχόμεθα.
Οἱ δ' ἀγαθοί, κἂν μηδέν, ἀναπνείουσι δὲ μοῦνον,
ὡς Λίβυς εἶπεν ἀνήρ, τοῦτ' ἀδάμαντι μένει.
Αὐτὴ γὰρ Ζήνωνα πολισσούχοιο βασιλῆος
Γ' αἴρειεν ἀφεξείαν ἐν τηλία κύβων,
Τὴν περιμηχανόεσσαν ἔλεν θέσιν, ἣν ἀπὸ λευκοῦ
Τοῦ δὲ σπεύδοντος εἰς ὁδὸν ἐρχομένου.
Ἑπτὰ μὲν ἕκτος ἔχεν, μίαν ἔννατος· αὐτὰρ ὁ σοῦμμος
Δισσὰς ἀμφιέπων, ἴσος ἦν δεκάτῳ.
Ὃς δὲ πέλει μετὰ σοῦμμον, ἔχε δύο. μονάδα δ' ἄλλην
Ξῦνον τὴν πυμάτην ἀμφιέπεσκε δίβος.
Ἀλλὰ μέλας δοιοὺς μὲν ἐν ὀγδοάτῳ λίπε χώρῳ,
Καὶ τόσσας ἴσας ἐς θέσιν ἐνδεκάτην.
Ἀμφὶ δυωδεκάτην δὲ δύω πέλον εἴκελαι ἄλλαι,
Καὶ τρισκαιδεκάτῳ ψῆφος ἔκειτο μία.
Δίζυγες Ἀντίγονον διεκόσμεον. ἀλλὰ καὶ αὐτοῖς
Ἶσος ἔμιμνε τύπος πεντεκαιδεκάτῳ.
Ὀκτωκαιδεκάτῳ παρομοίιος· εἶχεν δ' ἄλλας
Εἶχεν διχθαδίας τέτρατος ἐκ πυμάτου.
Αὐτὰρ ἄναξ λευκοῖο λαχὼν σημήια πεσσοῦ,
Καὶ τὸν ἐσσόμενον οὐ νοέων παγίδα,
Τριχθαδίας ἀδόκητα βαλὼν ψηφῖδας ἀριθμοῦ,
Πύργου δουρατέου κλίμακι κευθομένας,
Δοιὰ καὶ ἓξ καὶ πέντε κατήγαγεν. αὐτίκα δ' ὀκτὼ
Ἀζύγας εἶχεν ὅλας πρόσθεν μεριζομένας.
Ταύτην φευγέτω πάντες, ἐπεὶ καὶ κοίρανος αὐτὸς
Καίνης τὰς ἀλόγους οὐκ ἀπάλυξε τύχας.

Ludus Zenonis regis hîc exprimitur.

Quod epigramma fatetur Brodæus se non intelligere, eique soli Phyllida concedit, qui & futurus sit magnus Apollo, si id interpretatus fuerit. An verò hîc sit ille Zeno Imperator, quem Suidas ait audita suorum clade, in castellum in colle situm confugisse, quod vicini Constantinopolim vocabant, cùm tamen iuxta vatum prædictionem vrbem Constantinopolim se aditurum speraret; vnde suis cum gemitu dixit. Ergo homo est Dei ludibrium, siquidem me sic ludificari voluit, δαίμονες; an inquam sit ille Zeno, vel alius quispiam non ita facilè est diuinare Sic autem istud epigramma vertit Lubinus.

Viles homines, licet magnum faciamus opus,
Nullius in memoriam diu peruenimus.
Reges verò, licet nihil, respirent verò solum
Vt Libycus dixit vir, hoc perpetuò manet
Etenim Zenonem vrbis præsidem regem,
Ludum imperuestigabilium perficientem cuborum,
Talis variè traxit positio, cùm ab albo
Etiam posticam in viam peruenienti.
Septem quidem sextus habebat, vnam nonus; sed summus
Binas continens, æqualis erat decimo.
Et qui est post summum, habet duo, vnitatem verò aliã
Calculum vltimum continebat dibus.
Sed niger duplices quidẽ in octauo relinquebatur choro,
Et tantus alius in positione vndecimus.
Circa duodecimum verò excellebant similes aliæ,
Et decimotertio calculus ponebatur vnitas.
Bijuges Antigonum ornarunt; sed & ipsi
Similes manebat typus decimoquinto,
Decimoctauo similis: insuper & alias
Habebat diuisas quartus ex vltimo.
Sed rex albi sortitus signacula calculi,
Et futurum non sciens decipulum:
Triplices cùm ex improuiso proiecisset calculos numeri,
Turricula lignea in gradibus reconditam.
Bina, & sex, & quinque duxit: statim verò octo
Impares habuit omnes totas priùs diuisas.
Tabularum ludum fugite omnes, postquam rex ipse
Eius irrationales non euitauit fortunas.

Dibus.

Vbi dictionem vltimam versiculi duodecimi vides esse dibum, quam nunquam aliâs occurrere animaduertunt Elmenhorstius & alij. Dynamim autem, & non dynamum legendum esse confirmant ex Herone Alexandrino l. de arithmetica initio, qui sic habet τινὲς μὲν ἀριθμοὶ τετράγωνοι, τινὲς δὲ κύβοι, καὶ τινὲς δυναμοδύναμεις, δυναμόκυβοι, καὶ ἄλλοι τούτοις ὅμοιοι. τετράγωνος ἀριθμός ἐστιν ὁ ἰσάκις ἴσος: ἢ ὁ ὑπὸ δύο ἴσων ἀριθμῶν περιεχόμενος; ἢ ὁ πολλαπλασιάζων ἑαυτόν, ἢ ὁ γινόμενος ἔκ τινος ἀριθμοῦ τινός, εἰς ἑαυτὸν πολλαπλασιασθέντος: αὐτὸς δὲ ἀριθμὸς καλεῖται πλευρὰ τοῦ τετραγώνου; ὁ δὲ τετράγωνος δύναμις. quod ita vert. Aliqui verò numeri quadrati sunt, aliqui autem solidi, & aliqui quadratoquadrati, quadratocubi, & alijs his similes. Quadratus numerus est æqualiter æqualis, qui vel à duobus æqualibus numeris continetur, vel qui seipsum multiplicat, vel qui fit ex aliquo numero per seipsum multiplicato; ille autem numerus vocatur latus, quadrati, quadratus autem vocatur potestas, vel potius appellatur quadratum potentia, quia in se velut in semine & in radice totam figuram quadratam continet.

Elmenhorstius.

De numeris quadratis, cubis, & dynamocubis, quid sint.

Qua ratione Suidas fusè docet quodlibet aliquid in se potestate continere: δυνάμει enim homines sumus in ipso semine, καὶ ἐν τῷ καταμηνίῳ menstruo sanguine, & facultate, dum pueri sumus, viri magnitudinem habemus; frigidi sumus, licet calidi simus; cùm sedemus, δυνάμει κινούμεθα mouemur, &c. Hinc aduersus Illyricum insurgere possumus, si notiones illas impressas, & lumen naturale, quo Deum esse cognoscimus, in anima ad modum tabulæ rasæ spectata δυνάμει constituamus, quæ mox speciebus à creatura mundi susceptis ad supera trahatur, & euolet, & numen aliquod diuinum esse fateatur, à quo dependent omnia.

Suidas. Quid sit esse aliquid potestate.

Locum alium insignẽ ad δύναμιν explicandam in Hierocle legimus, dum aurea Pythagoræ carmina explicat τῆς δὲ δεκάδος, inquit δύναμις ἡ τετράς. idest quaternarius numerus, denarius est potestate, quia 1, 2, 3, 4 faciunt decem; vnde cum denarius numerum omnem amplectatur, ipsi per tetradem iurantes, per Deum omnia continentem iurare putabant, Pythagorici verò teste Chalcidio in Timæum numerum hunc decimanum primam quadraturam appellabant; ab iisdem etiam numerus denarius κόσμος, οὐρανός, πᾶν, εἱμαρμένη, αἰών, κράτος, πίστις, ἀνάγκη, ἄτλας, ἀκάμας, θεός, φάνης, & ἥλιος vocabatur, vt ex Anonymo in theolog. arithmet. c. περὶ δεκάδος, Proclo l. 5. in Tim. & Anatolio refert Meursius. Itaque lumen illud, Illyrice, tantum est, & tam facilè quibuslibet obuium, vt etiam qui sententiam à veritate longissimè remotam ha-

Hierocles. Quomodo quaternarius sit denarius.

Chalcidius decas 1. quadratura. Varia denarij nomina. Anonym. Proclus. Meursius.

bent, & omnia ex numeris fabricant, volentes nolentes in ipsum numen æternum incurrãt; nec mirum, quandoquidem *in ipso viuimus, mouemur, & sumus*, inquit apostolus disputans aduersus græcorum sapientes.

Ne mihi ergo, hæretice, obiicias D. Paulum nullibi lumen hoc naturale, impressámque notitiam philosophis obiecisse, id enim falsum est; quid enim aliud volebat, dum præcedentem veritatem inculcabat, & vrgebat, nisi vt in seipsos homines reflexi, cernerent, à quo vitam, motum, & existentiam haberent, adeout illa verba apostoli possint esse fortissimus malleus, quo totius atheismi durities, atque pertinacia confundatur, comminuatur, & tandem in nihilum redigatur.

Actuum.17. Te te prouoco, Athee, verbis apostoli Act. 17. quibus græcorum sapientiam, ad veram sapientiam reuocat. *Deus, qui fecit mundum, & omnia quæ in eo sunt, hic cœli, & terræ cùm sit Dominus, non in manufactis templis habitat, nec manibus humanis colitur indigens aliquo, cùm ipse det omnibus vitam, & inspirationem, & omnia.*

Si vitam nemo sibiipsi tribuit, nihil seipsum procreare valeat, cur non ad eum assurgemus, qui fecit omnia? Verùm ad Arnobij locum redeo, quem aliquando cum Claudio Bredello clarissimo Iurisconsulto, multis mihi nominibus charissimo discutiens, vidi alios obseruasse dibum, & dynamum esse dictiones mendosas. Alij ad arithmeticam proportionẽ referebant, ac si Plato de quadratis interrogans diceret, Quid sit δίπλον, quid δύναμις, sesquioctauus, aut sesquitertius; quæ verba potuerint facilè in dibum, & dynamum typographi vitio commutari, quæ tamen à mente Platonis multum abesse vidẽtur. Et quidẽ si ita legeremus, quid sit dibus, quid δύναμις sesquioctauus, aut sesquitertius: & dibus pro duplo sumi posset, iuxta Platonicas interrogationes, quæ circa figuras versantur, quas Socrates Menonis puerum ad scientiam manu ducens pedetentim mouet, tunc quæstiones illæ, quas Arnobius tangit valde difficiles essent; enimuero duplum lateris quadrati, potestate quadratum illud, cuius latus subduplum est, quater continet, vt apud Menonem videre est; licet qui non sunt in Geometricis exercitati, putent bis solùm comprehendere debere. Quot linea lateris quadrati sesquioctaua, vel sesquitertia contineat, dictu longè difficilius esse videtur, quod tamen arithmetici facillimo negotio conficere poterunt: exempli gratia, si quadratum aliquod latus habeat 16. pedum potentia 256 pedes pro tota area complectetur, latus autem ei sesquioctauum, idest pedes 18 continens erit δύναμις 324 pedum, qui numerus, seu quæ area, præcedentem superat 68 pedibus, sesquitertius autem, seu latus sesquitertium lateris 16 pedum lõgè magis superabit quadratum illius, idque eadem proportione, qua quadratum lateris 3 superatur à quadrato lateris 4, idest, quo 9 à 16 vincentur.

Prima expositio loci Arnobiani.

De quadrati latere subduplo.

De linea sesquitertia, & sesquioctaua quadrati.

Latus sesquitertiũ, & sesquioctauum quadrati.

Profectò si sensum hunc habet Arnobius verissimum est illas quæstiones abstrusas esse, quæ nimirum è sinu Geometriæ, & Arithmeticæ depromendæ sunt, alioquin neque quadragenarius eas intelliget, nisi qui regulis arithmeticis nauarit operam. Dicebat alius locum Arnobij corruptum fuisse, & *Dibus*, vel esse barbarum nomen, vel potiùs nullum, atque fortè legendum *Dibolus*, idest duplex, quandoquidem græcis δίβολος χλαῖνα est duplex vestis. Sed hoc extra rem, cùm Arnobius de figuris, & numeris agat, de triangulo, quadrato, sesquioctauo, sesquitertio; adeout aptiùs conuenire videatur, si dibolus, pro numero, vel figura duplici sumatur. *Dynamum* verò vocem quidem græcam, sed corruptam arbitrantur, illis enim frequens est ἰσοδύναμος in numeris, & figuris: in numeris ter bina, & sex, isodynama dici posse; in figuris dari triangulum quadrangulo isodynamum; quapropter Arnobius ita dicere potuit, quid dibolus, quid isodynamus. Verùm ab ea sententia me inter alia plurima hoc vnum reuocat, quòd tunc hæ quæstiones non sint difficiles, cùm sit vnicuíque obuium, quid sit alteri duplum, aut subduplum, & sex esse æqualia bis tribus, aut ter binis, nisi fortè de quadrati duplicatione locutus fuisset, quæ ab imperito vix nisi fortuitò reperiri poterit, quam tamen illico Geometer proferet, non per numeros procedens, quia id fieri non posset, nisi post magnam fractionum cathenam, sed diametrum quadrati minoris latus dupli constituendo.

2. Expositio.

3 Expositio

Isodynamũ quid.

Alter de musicis interpretabatur, & pro Dynamus legendum putabat Dinomus, vt duplicem cantum significaret; νόμος enim, & inter alios significatus illum habet. Adde quod antiqui varios canendi modos nomos appellabant, quorum alij orthij, ad iracundiam, & furorem, alij vt Aëolij, Bœotij, trochæi, tetraœdi, terpandrij, polycephali ad alias animi commotiones prouocabant. Nomorum etiam meminit Arist. sect. 19. etenim probl. 15 petit cur νόμοι per antistrophos non agerentur, cùm in cæteris chorearum canticis in vsu essent: & 28. prob. postulat cur nonnullæ cantilenæ nomi appellarentur. vbi hanc affert rationem, quod homines ideo leges canerent, ne obliuioni darentur, quod præsertim Agathyrsis in more positum erat. Plutarchus verò tract. de musica aliam rationem adducit, idque factum existimat, quia non vnicuique, vt nunc, quem vellet canendi modum, accipere licebat, sed præscriptum, & quasi lege sancitũm erat, ne formam vnam tensionis pro alia sumeret: erant etiam quædam cantilenæ statæ, & certo numero determinatæ, quibus solis vti licebat. Itaque Dinomus hic pro duplici cantilena, vel canendi modo sumi poterit; nullus autem de sesquitertio vltimo, vel verbum dicebat, quem tamen locum ad musicam rationem expendendo ita Claudius aptè ad sententiam explicari posse contendit.

4 explicatio. de Musica.

Antiquorũ varij canẽdi modi.

Arist. de nomis.

Agathyrsorum mos. Plutarchus.

Plato, vt probet animas, antequam corporibus adiungantur, doctas fuisse, arrepta quadranguli occasione, de eius variis dimensionibus, diuisionibus, & proportionibus interrogat Menonis puerum, itaut nihil eum docere, sed potiùs ex suo puerum respondere videatur. Arnobius contra nititur demonstrare non puerum modo, sed ne quadragenarium quidem, abiectis quadratorum, & triangulorum considerationibus, tum etiam quæstionibus, quid sit Dibus, aut Dynamus sesquioctauus, aut sesquitertius vltimus, respondere posse bis bina, bis terna, quam efficiant summulam, si nullum priùs de numeris quidquam loquentem audierit.

Quo discursu Geometriæ primùm nota apprehendit, deinde abstrusiora Musices, vt ad notissima Arithmeticæ descendat exẽpla. Quapropter si dibolon

dibolon pro dupla proportione, dinomum pro duplici cantu ad ſeſquioctauam, aut ſeſquitertiam proportionem compoſito dici fuerimus arbitrati (vt & Muſici ſcribunt verſatiles cantiones, quas vocant canon, in diapaſon, diapente, & diateſſaron) nō longè forſitan à vero aberrauerimus. Quid autem ſibi velit ſeſquitertius vltimus, ſic interpretari poteſt. Nemo eſt, qui nō fateatur ſyſtema muſicum 18 phtongos comprehendere à Proſlambanomeno ad Nete hyperboleon, quarum aliæ ſunt ſtabiles, aliæ mobiles: hæ quinque tetrachorda conſtituunt, primum hypaton, ſecundum Meſon, tertium ſynemmenon, quartum diezeugmenon, quintum denique hyperboleon, de quibus fusè ſatis ad verſic. 21. c. 4. Gen. dixi.

Quæ ſint tetrachorda muſici ſyſtematis.

Singula verò tetrachorda conſtant ſeſquitertio, ſiue epitrito numero, (muſici vocant Diateſſaron, ſeu quartam); quid ergo incommodi fuerit, ſi ſeſquitertium vltimum poni pro tetrachordo vltimo, hoc eſt hyperbolæo aſſeruerimus; optimè quidem, & doctè, Mimi Claudi, adeout integris commentariis, quos à tribus hæreticis in Arnobium ſcriptos legi, tuam animaduerſionem anteponam. Et quidem ambabus vlnis hanc ſententiam amplectebar, donec in manuſcripto regio, cuius mihi copiam fecit eruditus Iuriſconſultus Dominus Rigaltius bibliothecæ regiæ præfectus diligentiſſimus alios textum hunc Arnobij aliter legere deprehendi, quàm vulgò legamus, ſic enim ipſi legendum eſſe putant.

Ex eo percontare non abſtruſum aliquid, non volutum, non de triangulis, non de quadratis quid ſyderibus, aut diametris, ſeſquioctauis, aut ſeſquitertiis, vel tonis; quod manuſcriptum eo magis faciendum eſſe duco, quo videtur antiquius, nempe ante 800 annos ſcriptum. Quæ lectio ſi legitima eſt, de rebus aſtrologicis verba facere videtur, ſimul & de muſicis, adeout ſi hæc ambo coniunxerimus, & geometrica protulerimus, etiam Ariſtarchis ſatisfeciſſe videamur: quanquam ille longè aliter ſentiat, nempe verba illa quid ſit dibus, quid dynamus, ſeſquioctauus, aut ſeſquitertius vltimus eſſe gloſſema, quod aliquorum inſcitia, qui minus Arnobium intelligebant, & quædam difficilia putarunt operæ pretium aſſuere, appoſitum fuerit, & ex margine in textum irrepſerit.

Quid ſi dixero hîc corruptè legi dibus, & dynamus, pro κύβος, & δύναμις, ideſt pro numero quadrato, & cubo, ſic enim apud Arithmeticos Græcos hi numeri appellantur, vt apud Heronem citatum, & Diophantum ambos Alexandrinos videre eſt; hic enim latè de his, & ex profeſſo diſſerit arithmet. l. 1. defin. 1 & 2. & ipſe Ariſtot. numeri cubi meminit, dum 1. poſter. c. 7. ait non eſſe Geometriæ oſtēdere, quod cubi ſint cubus; huius etiā meminit c. 10. cùm ait Arithmeticam accipere, ſeu ſupponere, quid ſignificet ἢ περιττὸν, ἢ ἄρτιον, ἢ τετράγωνον, ἢ κύβος, impar, vel par, vel quadratum, vel cubus. Licet enim Geometria ſuos cubos habeat, ſuis Arithmetica nō deſtituitur, quæ numeris nomina corporum, & figurarum tribuit, ſic enim Ariſt. c. 4 numerū ἰσόπλευρον, & ἰσοδύναμος cōmemorat, & Euclides 19 l. 7. cubum numerum definit. ὁ ἰσάκις ἴσος ἰσάκις vel ὁ ὑπὸ τριῶν ἴσων ἀριθμῶν περιεχόμενος, quiequaliter æqualis æqualiter, qui à tribus æqualibus numeris continetur, vt à tribus binariis 2. 2. 2. vel ternariis 3. 3. 3. nam ſi 2 per 2 multiplices, fiēt 4, quæ ſi rurſus per 2 multiplices habes 8; ita 27 ex ternariis exurgunt, quæ ſi per cubum 8 multiplices, fiunt 216, qui numerus cubus eſt, & ſic Ariſt. intelligitur, dum c. 7. ait cubos cubū facere.

Diophant.

Ariſtoteles.

Euclid. De cubis.

Dynamis vero numerum quadratum ſignificat, vt patet ex Diophantò l. 1. Arithmet. defin. 2. qui ſic habet, καλεῖται δὲ ὁ μὲν τετράγωνος, δύναμις, καὶ ἔστιν αὐτῆς σημεῖον τὸ δ ἐπίσημον ἔχον υ, δυ. 1. appellatur ergo quadratus, Dynamis, & eſt illius nota δ ſuperſcriptum habens υ ſic δυ. quod non parum confirmant ea, quæ antea ex Herone retuli.

Diophātus.

Deinde ſeſquioctauus etiam de numeris dicitur, idq; priùs de numeris, quàm de conſonantiis harmonicis: eſt enim ſeſquioctauus, ſiue epogdous numerus, qui numerum aliquem minorem, & inſuper octauam illius partem includit, qualis eſt nouenarius reſpectu octonarij; & 18 reſpectu 16, 36 reſpectu 32, & ſic in infinitum. Seſquitertius autem numerus ille eſt, qui minorem continet, & præterea tertiam partem illius, qualis eſt 4 reſpectu 3, 8 ad 6 comparatus, 16 & 12, 32 & 24, & ſic de cæteris. Hinc fit, vt locum hunc Arnobij de numeris omnino putem intelligendum, quandoquidem de his loquitur, niſi particula, *vltimus* negotium faceſſeret, quam ſola explicatio harmonica ſoluere videtur: nec enim iſti numeri, vel eorum proportiones ſunt vltimæ in Arithmetica, quæ in iis progreditur in infinitum, nam ſeſquimilleſimus, ſeſquimillionius, ſeſquicentilionius dicitur, & ſic in infinitum.

Nonnulla verò in gratiam lectionis illius afferamus, quæ locum hunc ſyderibus fauere innuit. Itaque præter ea, quæ de triangulis, & quadratis præmiſſa ſunt; patet ex aſtronomia, quid ſint quadrata ſydera, quid in diametro poſita; enimuero tam planetæ inter ſe, quàm ipſæ ſtellæ varias habitudines habent, quas Græci σχηματισμοὺς & συζυγίας; latini radios, aſpectus, configurationes, & combinationes vocant, quæ numero quinario comprehenduntur. σύνοδος quidem ſydera coniungit, & in eadem longitudine atque latitudine conſtituit, diciturque σωματικῶς, ſi verò latitudine differant, & longitudine tantùm conueniant, coniunctionem partilem appellamus; hanc autem cōiunctionem ideo figura hac ☌ notamus, quia radius ex vnico corpore proficiſci videtur. Secundus aſpectus eſt ἑξάγωνος ſextilis, cùm per ſextam Zodiaci partem aſtra diſſident, ideſt per 60 gradus, quod figura ſex lineolarum ✶ annotamus ex vno centro prodeuntium, quæ in centro mundi poſita, eum in ſex partes diuidet. Tertius eſt τετράγωνος quadrangulus, ſeu quadratus, cùm ſydera per quartam cœli partem diſtant à ſe inuicem, ſeu per 3 ſigna, vel 90 gradus, quapropter □ notatur, & de hoc aſpectu illud Arnobianum intelligi poterit, *non de quadratis quid ſyderibus*, 4. eſt Trigonus, ſeu triquetrus, cùm ſydera per 4 ſigna remota ſunt, ſeu per. 120. gradus, ideóque triangulo △ demonſtratur. Denique ſequitur oppoſitus; ſeu diametralis, cum per ſemicirculum diſtant i. per 180 gradus; ſunt enim in gradibus Zodiaci è diametro oppoſitis; vt cum vnus planeta eſt in primo gradu ♎, & alius in 1. ♈, ideoque notatur figura continente duo corpora in extremitatibus poſita ☍; de qua configuratione, ſeu habitudine poterit illud Arnobij, *aut diametris* intelligi. At quæ ſequuntur, *ſeſquioctauis, aut ſeſqui-*

Quid ſint quadrata ſydera.

Quinque ſyderum aſpectus exponūtur, & eorum characteres.

tertiis, vel tonis, ad aſtrologiam referri nequeunt, niſi quoſdam alios aſpectus ſupponamus; & quidem certiſſimum eſt planetas tam inter ſe, quam cum ſtellis non tantùm 5 prædictos aſpectus efficere, ſed & quoſcúnque alios, ac per conſequens ſeſquioctauum, & ſeſquitertium, & ſeſquimilleſimum, ſi volueris ad millenarios vſque, vel etiam vlteriùs progredi; Quandoquidem omnes anguli, & figuræ in circulari continētur; ſed Aſtrologi eos minimè conſiderant, ideóque ferè ſemper aberrant, nam ſi rerum, quæ hîc fiunt, aſtra cauſæ conſtituantur, in quolibet aſpectu diuerſa producent.

Notantur Iudiciarij. O viros egregios, qui inter infinitos aſpectus, quos inter ſe ſtellæ faciunt, ſolos 5 perpendunt à quibus omnia pendere volunt, riſu profectò digniſſimos; nec enim eſt quòd dicant cæteros intermedios, ad 5, velut ad capita quædam præcipua reuocari, tum quia de iis peculiares regulas conſtituere deberent, tum quia multos effectus inter duos quoſcúnque aſpectus euenire quotidie ſpectamus, qui non rarò tam præcedentis, quàm ſubſequentis aſpectus regulis, & canonibus aſtrologicis è diametro repugnant.

At neque hos aſpectus in canones nondum redactos vrgere velim, præſertim cùm addatur, & tonis, quod minimè cœlis conuenit, niſi pythagoricam harmoniam ad cœlos traducamus; hinc fit, vt explicatio ſuperior de muſica vocali ſuam adhuc probabilitatem retineat; Nam tonus propriè ſumptus, ſi maior eſt, conſiſtit in ſeſquioctaua proportione, diciturque epogdous; ſicut minor in ſeſquidecima, ſi tamen minor aliquis admittendus ſit: vel potuit generaliùs paulo tonum aſſumere, prout cuilibet conſonantiæ ſaltem imperfectæ conuenit, vt *tonis*, ſit velut ſubſtantiuum horum nominum, *ſeſquioctauis aut ſeſquitertiis*, qui ambo toni dicantur, omnes enim cantiones toni poſſunt appellari, ſic enim Eccleſiaſtici viri modulos 12 quibus pſalmos intonant, tonos vocant. Hæc ſunt quæ in Platonis, & Arnobij gratiam annotare volui, cætera fortaſſis aliquando, quæ ad Arnobij difficultates enodandas faciunt, aggreſſurus. Supereſt vt pauca de Philoſopho ſubiungamus, qui 3 de anima δεῖ δ' οὕτως, ὥσπερ ἐν γραμματείῳ ᾧ μηδὲν ὑπάρχει ἐντελεχείᾳ γεγραμμένον. Oportet autem in ipſo nihil eſſe, perinde atque in tabula nihil eſt actu ſcriptum, anteaquam in ipſa ſcribatur ὅπερ συμβαίνει ἐπὶ τοῦ νοῦ, hoc enim ipſi intellectui accidit. Vnde conſtat Beſſarionem 3 contra calumniatorem Platonis textū hunc immeritò de ſenſu intelligere, quem etiam Plato fatetur nullis rerum imaginibus inſignitum eſſe; perperam etiam Iamblicum negare hîc intellectum tabulæ nudæ, ſed exaratæ ſemideletis characteribus comparari, quos proinde neceſſe ſit nouis phantaſmatum luminibus illuſtrari; enimuero verba Ariſtotelis adeo clara ſunt, vt mirum ſit, quomodo ſit aliquis, qui de eorum ſenſu dubitet. Qui etiam l. 1. poſter. analit. c. 1 de Menone verba facit: Sin minus, inquit, ea dubitatio accidet quæ eſt in Menone, quoniam aut nihil diſcet, aut quæ nouit. Quibus etiam nonnulla de numeris ſubiungit. Sciſne omnem binarium eſſe parem, an neſcis? illo autem ſe ſcire dicente, proferebant binarium quendam, quem ille non putabat eſſe, proinde nec putabat eſſe parem, cætera legere poteris apud Ariſtot. ex quo magis ac magis mihi perſuadeo locum Arnobij de numeris intelligendum. Non autem alia de cauſa prædicti Platonici ſenſum detorquere nituntur, niſi vt ſui magiſtri reminiſcentiam, ac proinde palingeneſiam, & animorum noſtrorum longè ante corpora productionem pro viribus tueantur, quem etiam errorem 1. periarchon cap. 7. Origenes ſecutus eſt.

(Ariſt. anima eſt tabula raſa. — Beſſarion. — Iamblicus. — Origenes.)

Veruntamen non inde ſequitur nos nihil de Deo naturaliter cognoſcere poſſe, ſiue, quod nunc idem eſt, nullas de Deo notitias nobis impreſſas non eſſe; nec enim hîc de aliquo habitu loquor, qui nobis in vtero matris, vel ſtatim atque in lucem prodimus, imprimatur, eo ſenſu, quo Philoſophi diſputant, an primorum principiorum habitus inſint nobis à natura; ſcio enim id etiam inter Catholicos in vtrámque partem agitari, Durando in 3. d. 33. q. 1. Soto 1. de iuſt. & iure 46. a. 1. & aliis habitum illum negantibus, quòd ex ſe ſufficiat intellectus vis, ſeu facultas naturalis, vt ad præſentiam obiecti ſpecies ſui repræſentatiuas emittentis, obuiam primorum ſpeculatiuorum veritatem, ſiue habitu ſuperaddito, comprehendat; ſicut intellectus practicus ſine habitu rectè prima principia practica intelligit, vt bonum eſſe proſequendum, malum fugiendum, quæ reſpondent ſpeculatiuis principiis, dici de omni, dici de nullo, vel de eodem ſimul nequit eſſe affirmatio, & negatio; vel impoſſibile eſt ſimul idem eſſe, & non eſſe. Illorum principiorum notionem D. Hieron. epiſt. ad Demetriadem vocat ſanctitatem naturalem à Deo impreſſam, quæ velut in arce animi reſidens praui, rectique iudicium exercet, idest lumen naturale rationis auerſum à malo, & propenſum ad bonum: & Ezech. 1. vocat ſyndereſim, & ſcintillam conſcientiæ, quæ nunquam extinguitur, non enim ab ipſa potentia differt. Idem apud Epiph. l. 2. contra hær. & Aug. l. 2. de ſermone Domini in monte, & in pſal. 57 videre eſt; de quo etiam locum epiſt. ad Rom. c. 2. explicant, *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt, & oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus eorum*: aliis affirmantibus quoſdam habitus nobis infundi creationis initio, vel ab animis reſultare, ne Deus nobis aliquam naturam contulerit agendi principio deſtitutam, quod D. Thomæ tribuunt, cuius hæc verba in 3. d. 23. q. 1. a. 2. ad 1. habentur. Sicut habitus naturalis datur in creatione, ita infuſus in reparatione; aliis volentibus iſtos habitus acquiri, atque per actus proprios comparari, vt verum ſit intellectum initio puram eſſe potentiam in genere intelligibilium; ita philoſophum exponunt 6. Ethic. 3, & 6. & 2. poſter. c. vlt. & 2. eth. c. 1. vbi ait virtutum habitus animis noſtris non eſſe congenitos, alioqui nemo poſſet acquirere propenſionem innatæ contrariam, adeo nemo vitioſus fieret, ſic enim lapis nunquam per ſe aſcendere conſueſcit, tametſi millies proiiciatur; Non inquam eo ſenſu aduerſus Illyricum ago; ſed tantùm prout negat nos ad Dei cognitionem naturaliter peruenire poſſe, cùm omnia argumenta ſuperiùs adducta, vt Deum eſſe probaremus contrarium oſtendant. Supereſt vltimum argumentum Illyrici, quod ita ſe habet.

(Habitus primorum principiorū an inſit à natura. — Habitus primorum principiorū Durand. & Soto. — Speculatiuus. — Practicus. — Quæ ſint prima principia tam ſpeculatiua, quàm practica. — D. Hieron. — Syndereſis. — Epiph. — Aug. — ad Rom. 2. — D. Thomas — Ariſtot.)

16. *Argu-*

16. *Argumentum Illyrici & vltimum.*

ARguit ex Apostolo, qui nunquam Ethnicos prouocauit ad illas notitias Dei nobis inscriptas, sicut neque aliæ scripturæ partes, quæ ne gry quidem de innatis principiis diuinæ prouidentiæ habent; frustra igitur à Papistis assignari;

Opinio Atheorum.

addè quòd primus in orbe Deos fecit timor, aut, vt cùm alijs Atheis dicamus.

Primus in orbe *δios* fecit in orbe Deos. non est quod afferam cætera, quæ subiungit, partim quia iam antea id fecimus, partim etiam quia falsa sunt, & impia, partim etiam quia ridicula, dum Lutherum veluti sanctum aliquem laudat.

Responsio.

SAtis superq; constat, quid ad hanc obiectionē dicendum sit, cùm eā sæpius antea reiecerimus, satis est, quod manifestò constet perperam loca D. Pauli ab eo exponi, quid enim clarius Ethnicis, & Græcis obijcere potuit, vt illam Dei notitiam vnicuique obuiam esse probaret, quàm nos in Deo viuere, moueri, & esse, quàm se Deum minimè sine testimonio reliquisse, adeout lætitia, & gaudio cor vniuscuiúsque repleatur, vndenam illud gaudium? an à se, an ab alio.

O miram Illyrici cæcitatem? Quid! timor fecit Deos; concedamus Dei notitiam ita propagatam fuisse, vt vult Democritus; videntes enim, inquit, veteres, quæ in sublimi accidunt, vt pote tonitrua, & fulgura, & fulmina, & astrorum coitus, solísque, & lunæ defectus, terrebantur, existimantes Deos esse eorum auctores; Demus Epicuri sententiam verisimilem esse, qui putat ex iis, quæ in somnis occurrunt visionibus Dei notionem attraxisse homines, vt Sextus Empiricus refert l. 8. cap. 1. aduersus Mathematicos; at illud non obstat, quoniam illas notiones admittamus; omnes enim homines, eodē Empirico teste, communem, & anticipatā de Deo habent notionem, ex qua est quoddam beatum animal, vel (vt meliùs dicam, viuens, & ab interitu alienum, & in fœlicitate perfectum, & in quod nullum malum cadere potest. Est autem planè à ratione alienum omnes forte fortuna ad easdem applicari proprietates, non autem sic moueri naturaliter. Equidem paucula ex Sexto aduersus Illyricū, & reliquos Atheos subiungere placet, vt qui Christianam doctrinam repudiant, ab ipsis paganis doceantur. Non ergo, inquit, ex instituta impositione, neque vlla lata lege antiqui Deos esse acceperunt Qui autē dicunt primos homines, cùm fuissent rectores, & administratores rerū publicarū, cùm magnā sibi cōparassent potentiā, & honorē ad hoc, vt pareret populus, eos post aliquod tempus, cùm è viuis excessissent, existimatos esse deos, rursus non intelligunt, quod quæritur. Illi enim, qui ipsos in deos referebant, quemadmodum acceperunt notionem deorum, qua eos in deorum numero habuerunt? Hoc enim prætermittitur, cùm opus habeat demonstratione. Et alioqui non est id, quod censetur probabile. Quæ enim fiunt à ducibus, & principibus, & maximè falsa, solummodo simul manent cùm ducibus, ac principibus viuentibus; cùm autem decesserint tolluntur. Licétque multos recensere, qui vitæ quidem tempore relati sunt inter deos, post mortem autem ita habiti sunt contemptui, vt Deorum reprimerentur appellationes: vt Hercules Alcumenæ, & Iouis filius. Erat enim quidem ab initio ei nomen Alcæus, vt aiunt, inuasit autem appellationem Herculis, qui eo tempore existimabatur Deus; cætera omitto quibus occurrit nonnullis obiectionibus, quibus Dij negari posse videretur, vt ad illas rationes accedam, quibus Deum esse probat, idque contra Diagoram Melium, & Prodicum Cium, & Theodorum, & alios multos, ex quibus Euhemerus ait potentes homines pro dijs habitos; Prodicus verò, quod vitæ prodest, vt solem, astra, plantas, &c. Diagoras, qui fuit primùm Dithyrambicus, qui suam poësim inchoauit hoc modo, A dæmone, & fortuna fiunt omnia, eo deductus est, vt diceret non esse Deum, qui ab aliquo, qui peierauerat, iniuria affectus fuerat, qui tamen propterea nihil passus fuerat. Critias vnus ex ijs, qui tyrannidem Athenis exercuerunt, dixit antiquos legislatores finxisse Deum inspectorem rerum, quæ benè & malè fiunt ab hominibus, vt nemo proximum suum clanculum iniuria afficiat, cauēs ne à Deo puniatur; sic enim homines Deum apprehendentes, qui non tantùm verba, sed & cogitationes perspiceret, à malo faciliùs abstinebant. Sequitur Theodorus Atheos, & Protagoras Abderitanus, qui scripsit, De dijs autem neque an sint, neque quales sint possum dicere: multa enim sunt, quæ me prohibent.

Quam ob causam cùm eum capitis damnassent Athenienses, fugiens in mari perijt naufragio. Epicurus autem vt nonnullis videtur, quod ad vulgus quidem attinet, relinquit Deum; quod autem attinet ad rerum naturam, nequaquam. Sequuntur argumenta 4, quorum aliqua saltem pugnant aduersus Illyricum, quæ Deum esse probant; quorum primum est consensus omnium hominum; secundum autem ordo mundi, & distributio: tertium autem absurda quæ consequuntur iis, qui Deum tollunt. Quartum & vltimum ablatio rationum, quæ obiiciuntur, quæ latissimè Sextus explicat: ideóque non eum referam, sed tantùm ex Tullio quædam, prorsus, quod volumus concludentia, vt ab ipsis paganis Illyricus conuincatur, quæ si iam antea retuli, bis tamen, vel etiam ter repetita, & perlecta placebunt.

Lucilius igitur 2. de natura Deorum initio sic ait. Quid enim potest esse tam apertum, támque perspicuum, cùm cœlum suspeximus, cœlestiáque contemplati sumus, quàm esse aliquod numen præstātissimæ mentis, quo hæc regātur. Quod qui dubitat, haud sanè intelligo, cur non idē, sol sit, an nullus sit, dubitare possit. Quid enim est hoc illo euidentiùs? quod nisi cognitum, comprehensúq; animis haberemus, non tam stabilis opinio permaneret, nec confirmaretur diuturnitate temporis, nec vnà cum sæculis, ætatibúsque hominum inueterare potuisset. Etenim videmus cæ-

Sext. Empiric.

Sextus Empiricus soluit obiectiones quibus Deus tolli videtur.

Athei. Diagoras. Cur aliqui facti sint Athei. Prodicus. Euhemerus

Critias.

Theodorus Protagoras

Epicurus. 4. Rationes ex Empirico, quæ Deum esse probant.

Tullius.

teras opiniones fictas, atque vanas diuturnitate extabuisse. Vnde patet Illyricum paganis esse postponendum, cùm Deos à timore factos esse ait; tametsi enim Deus non terreret animos fulminibus, tempestatibus, nimbis, niuibus, grandinibus, vastitate, pestilentia, terræmotibus, fremitibus, lapideísque imbribus, & guttis imbrium quasi cruentis, tum lapidibus, aut repentinis terrarum hiatibus, tum præter naturam, hominum, pecudúmque portentis, tum facibus visis cœlestibus, tum stellis, quas Græci cometas, nostri crinitas vocant, non propterea Deum esse negaremus, quem admittédum esse æquabilitas motus, & conuersio cœli, solis, lunæ, syderumque omnium distinctio, varietas pulchritudo satis arguit, & harum rerum aspectus satis indicat non esse fortuita. Vt si quis in domum aliquam, aut in gymnasium, aut in forum venerit, cùm videat omnium rerum rationem, modum, disciplinam, non possit ea sine causa fieri iudicare, sed esse aliquem intelligat, qui præsit, & cui pareatur: multo magis in tantis motibus, tantisque vicissitudinibus, tam multarum rerum, atque tantarum ordinibus, in quibus nihil vnquam immensa, & infinita vetustas mentita sit, statuat necesse est, ab aliqua mente tantos naturæ motus gubernari. Audiamus obsecro Chrysippum ea dicentem, quæ ab ipsa natura didicisse, non reperisse videtur, vt tandem notiones aliquas de Deo nobis inesse fateatur hæreticus.

Si enim est aliquid in rerum natura, quod hominis mens, quod ratio, quod vis, quod potestas humana efficere non possit, certè id, quod illud efficit, homine melius. Atqui res cœlestes, omnésque eæ, quarum est ordo sempiternus, ab homine confici non possunt. Est igitur id, quo illa conficiuntur, homine melius. Id autem quid potiùs dixerim, quàm Deum? etenim si dij non sunt, quid esse potest in rerum natura homine melius? in eo enim solo ratio est, qua nihil potest esse præstantius. Esse autem hominem, qui nihil in omni mundo melius esse, quàm se putet, desipientis arrogantiæ est. Ergo est aliquid melius, est igitur profectò Deus. Cætera apud Ciceron. perlege, qui ita concludit. Quæ qui videat, non indoctè solùm, verùm etiam impiè faciat, si Deos esse neget. deinde. Esse igitur Deos ita perspicuum est, vt qui id neget, vix eum sanæ mentis existimem.

Quid Tullius dicturus esset, si apud Christianos educatus Illyricum videret tam impiè sentientem? Hactenus aduersus hæreticorum Atheum diximus: nec quidquam addendum esse arbitror præter locum Dionis Chrysostomi cum aliis quibusdam, qui prædictas notiones oratione 12. περὶ τῆς πρώτης τοῦ θεοῦ ἐννοίας bellè confirmat. De eorum autem natura in genere, & maximè omnium rerum præsidis, primùm quidem, & in primis opinio, & consideratio est communis totius generis humani, tam Græcorum, quàm Barbarorum necessaria, & insita ἀναγκαία καὶ ἔμφυτος ἐν παντὶ τῷ λογικῷ γιγνομένη κατὰ φύσιν, ἄνευ θνητοῦ διδασκάλου καὶ μυσταγωγοῦ, i. & in omni ratione prædito animanti innata secundum naturã absque mortali magistro, & initiatore. Postea verò de hominibus verba faciẽs, addit. Quomodo ergo ignorantes manere poterant, nullámque habere opinionẽ de eo, qui ipsos & seminasset, & plãtasset, seruarétque, & enutriret, vndiq; impleti diuina natura per que visum, perque auditum, perque vniuersos planè sensus? Quum habitarent quidem super terram, de cœlo autem lucem viderent, escas verò haberent copiosas, acquisitas & præparatas à parente maximo Deo. & paucis intericctis de modo, quo primi homines alerentur: Hæc ergo cum paterentur, & considerarent, non potuerunt non admirari, & amare diuinam naturam. Ad hæc, quum sentirent temporum vicissitudines, quod nostræ salutis causa fiant: sintque admodum diligenter, & moderatè ad vtrámque hyperbolem temperatæ; præterea, cum & hoc peculiare haberent præ cæteris animantibus, Deorum munere, quòd ratiocinari & cógitare de omnibus, déque Diis possent. Résque ferè similiter habet, vt si quis homo Græcus, aut barbarus traderetur ad initiandum, in mysticum quoddam templum, pulchritudine, magnitudinéque præstantissimum; illicque multa videret arcana spectacula, multásque audiret tales voces, apparerentque vicissim illi lux, & tenebræ, cæteráque plurima fierent; præterea & si (quemadmodum consueuerunt initiantes facere initiandis) in throno collocatus circumsaltantes videret; an hunc virum nihil animo affici verisimile esset, neque suspicari quod ea quæ fiunt, consilio, & apparatu fiant sapientiori; etiamsi sit ex remotissimis, & innominatis barbaris, nullumque habeat expositorem, & interpretem præsto, sed animum duntaxat humanum? An non hoc esset impossibile? Communiter autem cum vniuersum hominum genus integra & reuera perfecta initiatione initiatur, non in parua domuncula ad breuis turbæ susceptionem ab Atheniensibus præparata, sed in hoc mundo, vario & sapienti opificio quàm plurimis semper rebus mirabilibus apparentibus; præterea non hominibus sui similes, sed Diis immortalibus homines initiantibus, nocteque, & die, & luce, & astris (si fas est dicere) manifestè circumsaltantibus assiduè, potestne fieri, vt horum omnium nullum sensum, aut suspicionem accipiat? Et maximè principalis illius rerum omnium præfecti, dirigentis totum cœlum, & mundum tanquam si sapiens gubernator nauem regat bene prorsus, & sufficienter instructam? non est hominum hæc stupiditas; & si accidit, admirari iure aliquis queat.

Ex Dione Chrysostomo latè probatur notitias Dei nobis innatas esse.

Omitto quòd ipsis belluis, & arboribus Dei cognitionem tribuat, vt tanto fuerit erga Deum homo paganus liberalior, tanto fuerit ingratior Illyricus: deinde postquam notauit eos, qui hæc vniuersa consilio & sapientia, & domino carere, nullúmque habere principem, & quæstorem neque præfectum, sed errare temerè, & ferri, & neminem ne nunc quidem prouidentiam eorum habere, neque prius omnia ab aliquo esse facta; adeout neque tantum Deo concedant, quantum pueri rotis, quas cum prius, ipsi mouerint, deinde finunt à semetipsis currere, subiungit.

Opinionis igitur circa diuinam naturam, credulitatisque primum apertè diximus esse fontem, insitam omnibus considerationem ex ipsis ortam operibus, atque veritate, non vulgi tantùm commendationem habens neque fortuitam, sed vehementer robustam, & semper fluam ex omni retro

tempore

tempore, & apud omnes gentes cœptam, & permanentem, & pene communem publicámque generis humani. Cui quidem alios diuinæ cognitionis fontes subijcit, vt acquisitum per sermones philosophorum, per fabulas poëtarum, per legislatorum oracula, & artificum, pictorúmue simulachra, & statuas, sed qui omnes fontes ab illo primo suam originem sumpserint. Ne verò Illyricus, aut alius quispiam vel mutire audeat quòd Dion plures deos posuerit, eisque cum figulis corpora affinxerit, audi, quid postmodum habeat. Mentem enim, atque prudentiam ipsam per se neque quispiam figulus, neque pictor exprimere potest. Nemo enim prorsus hæc spectare potest, neque enarrare. Ad illud verò in quo hæc nascuntur, non suspicantes, sed scientes confugimus; atque ita humanum corpus prudentiæ, rationisque vasculum Deo attribuimus, inopia videlicet penuriáque exẽplorum; réque apparenti, atque ad effingendum possibili, id quod effingi nequit, neque apparet, exprimere conantes, in consilium adhibita potentia. Cætera legantur apud Dionem Chrysost.

4 Fontes cognitionis diuinæ supponentes notitias innatas.

Eodem modo de virtutum seminibus, quo de notionibus innatis dicendum est iuxta id Aristotelicum. Inest nobis à natura quædam cognitio primorum principiorum tam in speculabilibus, quàm in agibilibus; atque ex natura indiuidui quidam sunt plus, alij minus apti ad virtutes, & scientias secundũ corporis complexionem. Hinc Tull. 1. de offic. affirmat nobis innata esse virtutum initia, quæ si adolescere liceret, & pateremur, nos ad beatitudinem cum diuino munere ipsa natura perduceret, nos verò igniculos à natura datos extinguere; quæ lex inquit, oratione pro Milone, non scripta, sed innata, quam non didicimus, sed accepimus, non legimus, sed ex natura hausimus, ad quam non docti sed facti, non instituti, sed imbuti sumus. Quod etiam Plato magis expressisse videtur, cùm arbitratus est perfectis virtutibus animam ex se imbutam esse, nisi corporis pondere deprimeretur: quod ex doctrina Mosis hausisse nonnulli aiunt, vt nesciens primi statum hominis depinxerit, antequam passionibus corporeis manciparetur, & peccato iumentis similis fieret tunc enim omni virtute præditus erat.

Aristot.

Plura hic habes de lege naturæ, & de iis quæ nobis indita sunt à natura. Tullius.

Plato.

Illam verò legem naturalem ita descripsit S. Ambros. epist. 71. Lex naturalis est, quam Dominus omnium creator singulorum hominum pectoribus infudit, quæ non scribitur, sed innascitur; non aliqua percipitur lectione, sed profluo quodam naturę fonte in singulis exprimitur. Lex verò naturæ quatenus versatur circa proximum, ea cordibus nostris impressit, alteri feceris, quod tibi fieri vis, ei verò ne feceris, quod tibi fieri nolles, quæ Matth. 4. & Tob. 4. sic habemus. *Omnia quæ vultis faciant vobis homines, facite illis. Quod ab alio oderis fieri tibi, alteri ne feceris*: ex quibus postea D. August. 2. confess. cap. 4. conclusit. furtum punit lex tua Domine, lex inquam scripta in cordibus hominum, quam nec ipsa delet iniquitas. Aliud ad naturæ legem pertinens ex Tullio 3. de Rep. habes, An non cernimus optimo cuique dominatum ab ipsa natura summa cum vtilitate infimorum datũ? Nam & Deus homini, & animus corpori, & ratio libidini & iracundiæ, ac cæteris vitiosis eiusdem animi partibus dominatur. Quem si in offic. legeris, animaduertes, quomodo nos ad se veritas rapiat. Ex quo intelligimus, inquit, quod verum, simplex, sincerúmq; sit id esse naturę hominis aptissimum. Veri quippe cognitio maximè naturam attingit humanam; omnes enim trahimur, & ducimur ad cognitionis, & scientiæ cupiditatem, in quo excellere pulchrum putamus, labi autem, errare, nescire, & decipi malum, & turpe dicimus; hinc tolerabilius esse dicitur viuere nõ posse, quã scire non posse, nec dulcius quidquã esse quàm omnia scire.

Ambrof

Matth. 4.
Tob. 4.

Tull.

I nunc Illyrice, & vide quid de tua peruersa opinione sentiendum sit; caueántque deinceps hæretici, ne scriptura abutantur; enimuero cùm ait gẽtes non cognouisse Deum id de practica cognitione non de speculatiua sumi debet, quatenus Deum cognitum non coluerunt, vt habetur ad Rom. 7. qua ratione id psalmi 78. intelligitur. *Effundere iram tuam in gentes, quæ te non nouerunt*; Deus meus hæreticos, & Atheos ad te conuertas pro summa, qua polles misericordia, nec ira tua, sed potius benedictio super eos effundeatur. Cum autem de notionibus cognitionis diuinæ nobis innatis, & impressis hactenus tam multa dixerimus; paucis accipe, quid de illis sentiendum existimem; & quid sit lumẽ illud naturale, quo prima quædam principia tã practica, quã speculatiua scire dicimur. Illas ergo notiones, naturæque lumẽ nihil aliud esse arbitror præter ipsam vim intellectiuę, & appetitiuę facultatis; enimuero cùm Deus creat animã, eã sibi similem efficit, in qua similitudine lumen naturæ situm est, vel ex ea resultat. Cùm igitur intellectus alicuius veritatis terminos apprehendit, & hanc sine vllo labore, aut ratiocinatione comprehendit, vis illa, qua veritatem. v. g. totum sua parte maius esse, idem non posse simul esse & non esse, & similia cognoscit, est ipsum lumen naturale: præterea habet in voluntate pondus aliquod, quo fertur in bonum, vel à malo deflectit, quod pondus idem esse puto, ac semina virtutis vnicuique indita. Cuius luminis virtute huiusce mundi aliquem factorem necessariò admittendum esse facillimè sine præuio studio concludit intellectus, quemadmodum viso aliquo ædificio concludimus eam ab aliquo factam esse, adeout in ipsius ædificij apprehensione cuiusdam architecti fabriue cognitio inclusa esse videatur. Igitur vis illa, seu aptitudo facultatum rationalium optimè vocatur lumen vultus Dei, quia lumen diuinum super nos harum facultatum beneficio irradiat, & ipsius diuini luminis participatio esse censetur.

Ad Rom. 7.
Psal. 78.

ARTICVLVS V.

Reliquas Atheorum obiectiones à 2 ad 24 inclusiuè profert atque dissoluit.

OBIECTIO II.

Cur Deus non antea mundum fecerit.

HÆc est prima inter 80. obiectiones, quas nostro Francisco Humbloto æternæ memoriæ viro quidam de diuinitate dubius proposuit mœrore confectus, quòd 80 rationes diuinam existentiam ab eius mente dæmon tollere niteretur, sed vbi primam rationem solito feruore, libentissimóque animo facilè dissoluisset, reliquarum rationū nebulę ita discussæ sunt, vt eas omnino neglexerit, & in vera fide perstiterit, sic enim eius socius mihi narrauit. Huius verò rationis vim eneruare quàm facillimum, cùm enim nostro concipiendi modo citiùs mundum Deus efficere potuerit, itaut iam 1000000000 annorum à mundi principio fluxisse, vel etiam plures, ita & multò pauciores simili iure potuissent; id tamen omnipotens summe liber nec citiùs, nec tardiùs efformare voluit nec enim vlla re creata Deus vnquam indiguit, nec indigere potest, qui omnia non solùm quæ sunt, sed & omnia possibilia, sed & plusquam possibilia continet, cùm seipsum comprehendat; nec tamen inuidus fuit, cui enim inuidisset, cùm nondum quidquam esset, cui inuideret? quomodo inuideret, in quem tristitia nulla cadere potest? & tamen quid est inuidia, nisi tristitia de rebus alienis; quomodo rebus alienis inuideret, à quo nihil alienum est, cuius sunt omnia, qui neque si per impossibilem hypothesim id decerneret, vllius à se rei dominium abiicere posset; ô summa hominum excæcatio! ô dæmonis mira peruicacia! Rogo te, si mundus iam centum mille durasset annos, vt reuera durabit, nisi intercipiatur tempus, nūquid eadem esset hæc tua dubitatio? nunquid etiamnum rogares, cur non esset factus priùs? certè esset eadem: desine ergo percōtari, cur non plures ab initio mundi fluxerunt, vel cur non anni pauciores; & quicunq; dixerint, quid placuit Deo facere cœlum, & terram? respondendum est eis, inquit D. Aug. l. 1. de Genesi contra Manich. cap. 2. vt priùs discant vim voluntatis humanæ, qui voluntatem Dei nosse desiderant. Causas enim voluntatis Dei scire quærunt, cùm voluntas Dei omnium, quæ sunt, ipsa sit causa. Si enim habet causam voluntas Dei, est aliquid, quod antecedat voluntatem Dei, quod nefas est credere. Qui ergo dicit, quare fecit Deus cœlum, & terram? respondendum est ei, quia voluit voluntas enim Dei causa est cœli, & terræ, & ideo maior est voluntas Dei quàm cœlum, & terra. Qui autem dicit quare voluit facere cœlum, & terram? maius aliquid quærit, quàm est voluntas Dei, nihil autem maius inueniri potest. Compescat ergo se humana temeritas, & id, quod non est, non quærat, ne id quod est, non inueniat. Et si voluntatem Dei nosse quisquam desiderat; fiat amicus Deo. Quia si voluntatem hominis nosse vellet, cuius amicus non esset, omnes eius impudentiam, ac stultitiam deriderent. Non autem quisquam efficitur amicus Dei, nisi purgatissimus moribus, & illo fine præcepti, de quo Apostolus dicit 1. ad Timoth. 1. finis autem præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, quā si isti Athei haberent, non quærerent, vel hac futili ratione, similibúsque pulsati non titubarent, nec de prouidentiæ diuinæ dubitarent abysso.

[Margin: Notabilis Athei historia.]

[Margin: Cur Deus mundum citiùs non crearit.]

[Margin: Non quod inuidus fuerit.]

[Margin: Augustini locus egregius. Frustra quis causam inquirit, cur Deus hoc aut illud voluerit.]

[Margin: Quomodo Dei voluntatem aliquis scire potest.]

[Margin: 1. Ad Tim. 1.]

Deus autem non ideo fuit otiosus ab æterno, vel minus gloriosus, licet in se tantùm suum ardorem reflecteret; quid ergo solitarius faciebat? an fasciculos in sylua, vt huiusmodi diuinæ voluntatis osores in æternum incendium traderet, vt quidam respondent; quod tamen, quia iuxta id, quod in litera dicitur, verum esse nequit ob syluæ defectum, cùm nondum quidquam esset, alio sensu potest intelligi, nempe vt Deus ab æterno curiosis, vt & cæteris peccatoribus supplicia decreuerit; quibus omissis, quis est, qui non liberè fateatur Deum ab æterno, antequam quidquam produxisset, summa beatitate in sui contemplatione vixisse, filium per æternam generationem seipsum perfectissimè intelligendo, ac cum filio Spiritum sanctum per infinitum amorem diligendo produxisse: Sed neque ei mundana pulchritudo defuit, qui clarissimè vidit quanta pulchritudine, sol, stellæ, angeli, homines, cæteræque creaturæ non solùm producendæ, sed & quæcumque producibiles essent, quanto splendore, quotúe radijs in intellectu suo, in ideis suæ æternitatis relucerent, non indigebat, qui creaturarum omnium thesauros in se longè pulchriùs, & perfectiùs ab æterno continebat, quàm sint in se ipsis creaturæ in actum prorumpentes, sicut in idea Mathematici pulchrior est, perfectiorque figura, in idea Architecti domus, imago in mente sculptoris, quàm dum ad extra ponuntur.

[Margin: Occurritur his qui cōcludunt Deū fuisse vel otiosū, vel inuidū, vel impotentem si mundū nō fecerit ab æterno. Quòd De' antequam mundum crearet, otiosus non fuerit.]

Quod si non dixeris otiosum artificem, qui pulchritudine suarum idearum raptus, cætera non curat, quantominus summum omnium artificem, qui rerum omnium ideas ab æterno contemplatur, otiosum pronuntiabis; Antequam verò ad 3 obiectionem accedamus, placet etiam alio modo demonstrare Deum non fuisse otiosum, licet antea mundum non condiderit, idque imprimis ex eo, quod etiam concludendum esset Deum otiosum esse, tametsi mundum non solùm longè ante, sed etiam ab æterno creasset: cùm enim sit omnipotens, diceretur otiosus, quia non faceret plures mūdos nostro vel similes, vel etiam maiores, quos si vsque ad mille faceret, adhuc diceres eum otiosum, quia non faceret infinitos, cū infinita sit illius potētia, quā pari ratione vocabit otiosam Atheus, donec opus aliquod infinitum ostendatur illi potentiæ correspondens: quemadmodum igitur nolunt

ſunt diuini numinis potentiam vanam, otioſam, & inutilem eſſe nolunt, ſi mundum hunc ab æterno creaſſet, tametſi mundum alium creare potuiſſet, imo & plures alios, quos tamen minimè creauit, ita eos fateri oportet nec eam otioſam fore licet ab æterno non eum produxerit. Deinde (vt veram radicem attingamus, cur reuera Deus non ſit otioſus) potentia ſi libera ſit, nunquam vana, vel otioſa dicitur, licet, nullum opus externum efficiat, adeout nulla vacuitas in Dei potentia poſſit inueniri, tametſi nihil vnquam produxiſſet; etenim libera potentia ad duo contradictoria extenditur, & æquè operatur dum aliquid producere recuſat, ac dum illud producit, nolle ſiquidem eſt actus voluntatis poſitiuus, quo æque ac volitionis actus repletur; ſic igitur Dei voluntas, ſeu libera potentia erat ſub actu volitionis non ædificandi, ſeu actu nolitionis ab æterno, quem vbi de nouo produxit, ſub actu volitionis ædificãdi fuit; quod ſi nunquã mundum creaſſet, eius voluntas volitione ſua ſemper plena fuiſſet, qua ſemper ab opere externo ceſſare voluiſſet. Ex quibus libet concludere Deum ferri actu voluntatis poſitiuo nolitionis in omnia, quæ quidem nunquam producet, ſunt tamẽ ab eo producibilia, qui nolitionis actus cùm ſit diuinus æqualis eſt omnino, & idem eſſentialiter cum actu volitionis, quo illa producibilia produceret, ſi ea reuera produceret, quod non eſt admirabilius, quã verius, ſed veriſſimum, ſimul & maximè admirabile. Faceſſant ergo prophanæ aduerſus Deum querelæ; qui ſiue mundus ſit, aut pereat, factus, aut non factus fuerit, de eius maieſtate nil deperit, ei nihil accedit. Neminem ergo perturbent amplius aniles dubitationes quid faceret Deus ſolus in illa æternitate otioſus; cur non feceraт hæc corpora multò antea, nam qui omnia habet intra ſe eminenter, nulla vnquam re caret; qui ſibi eſt ſufficientiſſimus, nunquam eſt otioſus. Audi quæſo Valeſium exercitatione prima de philoſophia ſacra. Quis non ſit otioſus. Valeſius.

Iam verò mundus ſiquidem factus eſt in principio temporis, cùm in æternitate neque ſit prius, neque poſterius, non potuit fieri antequam factus eſt, niſi ab æterno fieret: fieri verò non potuit ab æterno, ob cõtradictionem quam aperuimus, nõ eſt ergo, quòd queramur non eſſe factum antea. Verùm poſtea videbimus, an ab æterno mundus eſſe potuerit; ſaltem quoad entia ſucceſſiua eſſe non potuit, vt melioris notæ Philoſophi, ac Theologi concludunt. Relicta nunc æternitatis difficultate ad cæteras dubitationes accedamus; interim tamen legere quæ D. Auguſtinus habet in primis libri citati capitibus iuuabit. Hactenus igitur obiectioni ſumptæ à mundi creatione reſpondimus, de qua plura alibi dicere poterimus.

OBIECTIO III.

Sumitur à Dei prouidentia, quam nullam eſſe aiunt Athei; quæ Diagoræ eſſe dicitur.

SI quis eſſet Deus prouidere deberet, ne boni malis afficerentur, neue mali bonis potirentur, atqui bonos ſæpenumero malis, & quidem innumeris ſine aliqua cauſa miſerrimè affici videmus;
Euripides. malos, & ſceleratos contrà bonis iucundiſſimè potiri, adeout Euripides in Bellerophonte indignabundus dixerit, οὐ γὰρ ἄξιον λεύσσειν φάος κακοὺς ὁρῶντας ἐν δίκῃ τιμωμένους: indignum eſt cœlum ſuſpicere, malos cùm videamus iniuſtè honoratos; quis
Telamon. igitur Deum eſſe concedet? Nam ſi Deus eſt, pro-
Pſal. 124. uidere debet, vt bonis bene, malè verò malis ſit, inquiebat Telamon, quod etiam à Deo poſtulat rex ille ſapiens pſal. 124. *Benefac Domine bonis, & rectis corde.* Cernimus autem bonos, & innoxios domo priuari, patrimonio ſpoliari, ſupplicijs, igne, ferro, cruceque tolli; impios contrà diuitiis, hono-
Archelaus ribus, & gloria ſæpius euehi, & omni bonorum genere veluti ſatiari, & vſque ad cœlum tolli. Hinc
Diogenes. Archelaus Macedoniæ glorioſus imperat, licet fra-
Harpalus. tris, patrui, & patruelis immanis ſiccarius fuerit; &
Dionyſius Diogenes Cynicus dicebat Harpalum prædonem
tyrannus. fœliciſſimum contra Deos teſtimonium dicere, quòd illa fortuna tamdiu gloriabundus viueret. Dionyſius etiam tyrannus, cum Proſerpinæ Locrenſis fanum expilaſſet, familiaribus ſuis dicebat. Videte amici, quàm bona à Diis immortalibus, ſacrilegis nauigatio datur; Agamemnon verò rex
Hercules. bonus, atque acerrimus armis, ab adultero, adulteraque exceptus, dolo interemptus eſt, ſicut & Hercules, qui cùm de rebus humanis optimè meruiſ-
Pompeius. ſet, noxiis pleriſque monſtris orbe defœcato à Deianira venenatus, & incautus confectus eſt. Põ- Diagoras.
peio contra ius faſque omnia miſcenti proſpera omnia, reip. cauſam defendenti omnia aduerſa, omnia contraria cecidere. Quapropter Diagoras Mileſius vel vnus omnium ore, & vnanimi conſenſu proclamatus Atheus perfricta fronte diuinã prouidentiam inficiabatur; ſi enim, inquit, diuina prouidentia orbis regeretur, cũcta pro meritis vnicuique hominũ, bonis ſcilicet bona malis mala, æqua quaſi quadam bilance trutinata diſtribuerentur, ſed cùm longè ſecus omnia gerantur Dei prouidentia circa hæc inferiora, cur, aut quænam ſit, videre nullomodò poſſum. Qui cùm in Samothraciam naugio iret, ipſique nautæ aduerſa tempeſtate infeſtati inclamarent, non iniuriã ſeſe talibus procellis iactari, qui Diagoram naui ſua excepiſſent, illudens ille ipſorum obiurgationi multas alias naues oſtendit eodem periculo laborantes, rogauitque ſimul num in totidem aliis nauibus Diagoram vehi putarent; quibus innuebat cuncta fortuitò ſine perſonarum diſcrimine, diuinæque prouidẽtiæ diſpoſitione euenire. Cui cùm aliquis obiiceret pictas votorum tabulas, inquiens, tu qui humana Diis curæ non eſſe diſputas, nonne aduertis ex tot tabellis pictis, quam multi conceptis votis tempeſtatis diſcrimen, & inclementiam effugerint, ſaluique & incolumes peruenerint in portum, hoc ab illo reſponſi tulit. Ita ſit, illi enim nunquam picti ſunt, qui naufragio facto in mari Iob. 21.
perierunt.

Huc accedit, quod Iob 21. legimus. Nubes

latibulum eius, nec nostra considerat, & circa cardines cœli perambulat: quibus similia plurima in scripturis passim legimus, quæ tamen nunc afferre non est opus, cùm de iis rursus in 8 obiectione dicturi simus.

Solutio.

POssem hanc obiectionem negligere, quippe quæ Deum tollere non videtur, sed tãtùm eius in hoc mundo prouidentiam; sed quia Deus ex consequenti negatur ab Atheis, qui potiùs aliqua diuini numinis attributa solent impetere, quàm ipsam illius essentiam, operæpretium est, vt huic obiectioni, quemadmodũ & cæteris satisfaciamus, breuiter tamen, cùm nonnulli latiùs id fecerint, vt Iulius Sirenius, B. Chrysost. Theodor. Itaque respondendum est non tantùm ex illis bonorum afflictionibus prouidentiam Dei non tolli, sed magis, atque magis commẽdari, & elucescere, vt postmodum ostensurus sum, vbi quædam de aliorũ solutionibus præmisero. Stoici quidem obiectioni satisfieri putabant dicentes bonos sufficienter munerari ipsa virtute, quę suiipsius fit præmiũ, malos verò, suo vitio tanquam supplicio affici, ipso suffragante Boëtio 2. lib. consol. phil. errabant Vanini iudicio, cùm præsertim assererent præmium actionis, qua exercetur agens, esse beatitudinem, quam in omni sua actione intendit; quia, inquit, nullum agens in actionis suæ pulchritudine conquiescit, ipsique Stoici, apud Tullium pro Archia poëta, suarum actionum præmium nominis sui prædicationem censebant.

Boëtius.

Stoicorum opinio.

Tullius primã Stoicorum responsionẽ arguit, de qua nos in vltima responsione ad 10 rationem dicemus.

Certè quicquid sit, verum est quemlibet hominem in omni sua actione beatitudinem quærere, licet enim veram fœlicitatem nemo hac in vita consequi possit, attamen eatenus illam intendimus, quatenus nobis bene volumus, nostramque vtilitatẽ in actionibus singulis, siue corporis, siue animæ quærimus, vnde, vt ipse Aug. ait, si rogesfurẽ, cur furetur, respondebit, vt habeat, quod nondum possidet; quod si vrgeas, cur etiam id postulet, quia meliùs, & fœliciùs est habere, quàm non habere; in quo enim summa miseria consistit, nisi in omnis boni carentia: hinc enim impij damnabuntur, quòd noluerint accipere omne bonum, quod Deus ostendere, & dare volebat; contra verò beatitas in eo sita est, quod omni genere bonorũ affluit; quod quia non possunt in singulis actionibus homines acquirere, illud saltem adipisci conantur, quod possunt: licet errore ducti boni sæpius vmbram, quàm veritatem amplectantur, quod in omnibus peccatis efficitur, errant enim, qui operantur malum. Itaque certum est virtutem id ex se habere, vt delectationẽ pariat, mentémque iugi velut conuiuio saginet; vitium autem, vt animum diris torqueat. vnde dicitur impiis, *vermis eorum non morietur.*

Beatitudinem homines quomodo in omni actione quærant

August. In quo summa miseria, & beatitas sitæ sint.

1. Respõsio.

Secundam responsionem, quòd impij sæpius à iudice meritis mulctentur pœnis, dum ad carceres, latomias, triremes, crucésque condemnantur, vel aliis torquentur pœnis, quas passim in scripturis reperias, ex eo reiicit, quod Athei non magis scripturæ sacræ, quam Alcorano credant; ipsique hæc impiorum supplicia in astra reiiciant, quod ex Ptolem. 4. de astrorum Iudic. tex. 71 probant, vbi ait eos in carcere mori, qui ♄ vtriusque luminariũ in occasu oppositũ habuerint, additq; hæc supplicia non sceleribus, sed fortunæ potiùs adscribenda; futurum alioqui, vt principes multi palos, rotas, ignes, ad expianda sua flagitia subeant; quod non reprehendit Vaninus, ne forsitan suæ opinioni aduersetur; At illud falsissimum, nec enim astra possunt esse in causa, cur vel in carcere, vel alibi vitam finiamus, sed ferè semper id à vi iudicis coactiua pendet; quod si magnates non puniantur, nõ ideo sunt indigni supplicio, quod eis in aliam vitam grauissimum reseruatur; nam potẽtes, in quos vix vllus audet, dum hîc degimus, post obitum potenter tormenta patientur; ideoque martyres in Apocalypsi vindictam à Deo postulantes, aiunt, *Vindica sanguinem nostrum, qui effusus est.* Excutiant quantum voluerint Athei veritatis euangelicæ iugum, & inferni pœnas pro vetularum deliriis ab Ægyptionum superstitione in corporib' mortuorum asseruãdis exortas habeant, & apud Cretenses Plutonem Saturni filium in inferorum Deum consecrantes, existiment propagatas; ipse enim Pluto quasdam cæremonias funebres excogitasse dicebatur; veritas semper illibata remanebit, quæ nec meo, nec vllius alterius patrocinio indiget; Certè frigidus est admodum Vaninus, qui nullam rationem naturalem illas pœnas astruere, nullam existentiæ dæmonum, sicut nec dæmonissarum fauere putat, vbi Cardanum de subtilit. & de varietate rerum circa finem citat; si ei veritas catholica cordi fuisset, vt simulabat, quot etiam paganorum, exempla, quot rationes naturales hisce veritatibus fauentes astruere potuisset, quas afferre potero, vbi aduersus Atheos angelorum existentiam probaturus sum.

Cardani error.

Vaninus.

Has Cardani nugas alibi refellemus.

Athei notantur.

Videatur Diodorus initio historiæ.

Vaninus.

Alio modo soluit argumentum Deum cum rege conferendo qui sceleratos vindicare non debeat, ne vel omnes ab eo subditi desciscant, transfugæque fiant, vel regnum suum omnino continuis suppliciis exhauriat; quare cùm non iustificetur in conspectu Dei omnis viuens, si pro meritis flagitia plecteret, breui quidem tempore mundus exinaniretur, quod licet de principe terrestri concedat, qui à rebellibus affligi, lædique potest, & de Deo non vsquequaque verum esse dicat, attamen vbi Cardani debuisset errorem detegere, qui cap. 93 de rerũ varietate asserit Deum non punire impios, quia est mens vim habens per totum diffusam, & velut animus non vlciscitur partes corporis, quia nec ab eis læditur, nec illarum priuatur imperio, sunt enim suæ, ita & Deus. Vbi primò cauendum est, ne credamus Deum improbos non punire; id enim falsum est, iustus est enim nec vllum peccatum impunitum abire sinet, quod non tantùm in alio mundo, siue in inferno, siue in purgatorio, sed & in hoc mundo facit, dum tribulationes multimodas, infirmitatésque immittit, licet eam ob causam immitti minimè cogitemus; qui sicut peccatum originis in quolibet grauissimè puniuit, vt in quotidianis infirmitatibus, & morte constat, ita & peccatum actuale iustissimis & debitis suppliciis vindicabit; & quod mirum est, ac Dei sapientiam valde commendat, & iustitiam demonstrat, per quæ quis peccauerit, per hæc & punietur. Deinde quamuis reuera non læditur Deus, imo nec lædi possit, attamẽ vt Theologi facilè cõcedunt, non tantùm peccatores lethali peccato Deum, quantum in se est, lædunt, verùm etiam mortem

3. Respõsio Vanini.

Cardani error.

Deum peccata punire hîc, & in alio mũdo.

Deus lædi nequit.

mortem ei intentant, itaut peccatum rectè Deicidium voluntarium nominari possit, cùm enim impius aliquid Deo præfert, séque plus diligit, quid restat amplius, quàm vt si daretur optio, vt vel peccator, vel Deus desineret esse, mallet peccator esse, Deum verò perire; ô summa voluntatis humanæ peruersitas?

Peccatũ lethale quomodo Deicidium.

Et hoc est quod in creatura dicuntur impij suũ vltimum finem, & ferè semper in seipsis collocare; quorum nimirum Deus venter est ad Philip. 3. hinc omnis humana malitia nascitur, teste D. August. q. 30. lib. 83. quæst. omnis itaque humana peruersio est, fruendis vti velle, & vtendis frui, nec est alia vita hominis vitiosa, atque culpabilis, quàm malè vtens, & malè fruens, vt 10. de Trinit. cap. 10 differit.

ad Phil. 3

Aug locus pulcher.

Vtinam id Athei libenter attenderent, in quorum gratiam pauca addam, vt videant, qua ratione in id impietatis inciderint; & cor eorum obscuratum sit; vnde hæc obscuratio, inquit D. August. lib. 3. de libero arbit. c. 24. nisi ex auersione à lumine sapientiæ? vnde autem hæc auersio? nisi, dum ille, cui bonum est Deus, sibiipsi vult esse bonum suum, sicuti sibi est Deus; hæc est, hæc est causa, ob quam Deum esse nolletis, vt liberiùs peccaretis, vt ipsi vobis ipsis Deus sitis; sed quisquis es, ô Athee, qui potestate tua frui cupis, tanto sis minor, quanto te cupis esse maiorem, vt cap. 25. rectè D. Aug. notat, & meritò dicere potes, *ad nihilum redactus sum, & nesciui*; quia cor tuum insipiens, obscuratũ est, gloriæque terrenæ nimis inhians, bonum quod in peccatis quærebas, idolum tuum constituisti, terrenámque ciuitatem ædificasti, quem D. Aug. cap. 18. libri 14. de Ciuitate Dei, amorem sui peruenientem vsque ad Dei contemptum ædificasse tradit. de quo conqueritur Deus Hierem. 2. *Dereliquerunt me fontem aquæ viuæ*; ecce auersio à Deo, eiusque contemptus. Isai. 1. *ipsi autem spreuerunt me*; & punitio 1. Reg. 2. *qui contemnunt me, erunt ignobiles, & foderunt sibi cisternas dissipatas*; ecce conuersio ad creaturas, qua Deum illis postponunt, quique Ioh. 12. *dilexerunt gloriam hominum magis, quàm gloriam Dei*. Ex quibus elicio peccatorem, dũ peccat seipsum sibi pro vltimo fine constituere, quem philosophi vocant, CVI, quia se amat amore amicitiæ, ac proinde omnia bona, quæ apperit, vt fini vltimo, *cui*; nec seipsum ad Dei gloriam refert. cæteras vero creaturas, in quas per peccatum fertur, sunt finis *Cuius*, nempe cuius assequendi gratia fit aliquid, cùm tamen finis cui, sit cuius perficiendi gratia fit aliquid, nec quidquam appeti potest ob finem *cuius*, nisi simul appetatur ob finem *cui*, vnde finis *cuius* alteri, finis *Cui* sibi finalizat vt ita loquor; ille finalizat assecutionem sui in gratiam alterius, nempe vt bonum alteri congruum, hic verò sui perfectionem, quia finalizat, vt bonum absolutum; ille terminat amorem concupiscentię, & amatur ob bonitatem relatam, hic amorem amicitiæ, cætera quæ in textu Cardani reprehendenda essent, in alium locum reiicio.

August.

Vnde nascatur Atheorũ impietas.

August.

Hierem. 2.

Isai. 1.

1. Reg. 2.

Ioh. 12.

Finis *cui*, & cuius qui differant.

Quomodo impius finẽ vltimum in seipso constituat.

Restat, vt id perpendamus quod ex propria mente Cæsar respondet, negat quod boni hîc affligantur, etenim multa eis bona, multas fœlicitates affundit, nẽpe tribulationes, quas si boni sunt exoptant; at optatis potiri nil dulcius, vt Thales Milesius respondisse fertur; Impij verò ipsis voluptatum additamentis puniuntur, quia delicatiores facti minimis deinde calamitatibus prosternuntur, & qualibet aduersitate examinantur. Exemplis autem à Pompeio, cæterísque desumptis, quid aliud responder, quàm Cato Vticensis, ô inuolucra, ô integumenta, ô tenebræ, quibus res diuinæ circũuolutæ sunt. *Nubes, & caligo in circuitu eius.*

Vanini opinio.

Thales.

Dionysium verò id à Deo præmij commeruisse ait, vt velis secundis nauigaret, quia falsam Deam honore indebito exuerat; licet Pyrrhus Epirotarũ rex post ingentes ex eiusdem Proserpinæ Locrensis thesauro sublatas diuitias naufragij calamitate mulctatus fuerit vt refert lib. 2. cap. 8. Lactantius; cùm enim voluntas maleficia distinguat, hic contra propriæ cõsciẽtiæ dictamẽ, qua diuinitatis aliquid Proserpinæ credebat inesse, thesaurum compilauit; ille verò bonorum Ecclesiasticorum iusti tituli, bonæque fidei possessorem se existimabat, vt patet ex aliis actionibus illius; mensas enim æreas, & aureas Diis dicatas è fanis abstulit, quòd eas epigraphe testaretur bonorum esse deorum, quorum bonitate se vti dicebat, cùm omnibus benefaciant, sic à simulachris, victorias, pateras, & coronas, porrigentibus abstulit, aut, vt dicebat, oblata non recusauit; à Ioue Olympio magni ponderis amiculum aureum detraxit, quo eum ornauerat Hieron ex manubiis Carthaginensium, & quia aureũ palliũ æstate grauius, hyeme frigidius esset; laneũ ad vtramque anni tempestatem accommodauit; denique Epidauri Æsculapio barbam auream detraxit, nec enim Apollinem patrem, imberbem, filiũ verò barbatũ esse decebat. Ad Diagoram denique responder, in nauibus similiter decumanis fluctibus agitatis Diagoræ quosdam similes fuisse, vel si boni erant, eorum fortitudinem probasse, nec mirum si Deus non omnium suffragatur precibus, sed iustis dumtaxat, & æquis.

Dionysius & Pyrrhus quomodo simulachra deorum exuerint.

Lactant.

Proserpini thesaurus compilatus.

A Ioue Olympio, & Æsculapio quid sublatum sit.

Hic autem quia magni ponderis est argumẽtum, paulo fusiùs, & exactiùs de causis afflictionum, quas Deus bonis, ac malis immittit, agendum est; maximè cùm plurimorum iam à primis sæculis istã esse querelã audiamus, nec eam ob causam desint, qui hic omnia fato quodam ineuitabili, vel fortuito regi existiment, vnde ipse regius Psaltes ait, *penè effusi sunt gressus mei, quia zelaui super iniquos, pacem peccatorum videns*. Nostro autẽ sæculo sunt, qui miracula denegare audeant, ne prouidentiam diuinam esse fateantur, sic enim Nicolaus Machiauellus in Titum Liuium, & libro de principe vaticinia de rebus futuris ait à Principibus conficta ad incautæ plebeculæ instructionẽ, vt quã ratio nõ posset ad officium, religio saltem duceret, quam ob causam in rebus religionem spectantibus licitum esse mentiri Socrates 2. de Repub., & Scæuola apud D. August. cap. 9. lib. 4. de Ciuit. dicere cõsueuerat, Expedit in religione ciuitates falli. Sic alij, ne Deum angelos, aut dæmones fateri cogantur, ad animam & corpus cœli recurrunt, ex quibus aliquos homines, imo lapides, & belluas vim diuinatricem haurire credunt; prout Amandinum lapidem ex Alberto 2. mineral. gestanti conferre dicunt prophetiam & interpretationem ænigmatum: Quiritiam secreta prodere, Selenitem diuinationi seruire sub prima luna, quas virtutes syderum influxibus conceperint. Sic inquiunt, Abenragel ex syderum sibi cognita positione infantem nascentem vaticinaturũ prædixit, qui post 24 horas à natiuitate suam mortẽ, paternæ familiæ calumnias imminentes denuntiauit vt habet cap. 7 part. 5 Abenrag. & Conciliator in exposit. 27 problem. Iunctinúsque in defensione astrologorum, vt refert. Cæsar 6 exercit. amphitheatri vbi se

Machiauelli impietas.

Socratis & Scæuolæ dictum.

D. August.

Hæc omnia, quæ de lapidibus feruntur, fabulosa sunt.

Albert.

Lapis Amandinus.

Quiritius.

Silenites.

Abenragel.

Cõciliator.

Iunctinus.

conscripsisse ait contra Pomponatium, Physicos, Politicos, Astronomósque pro lege Mosaïca & Christiana apologiam. Qui verum ait, cùm his, quæ virtute lapidum referuntur, non esse credendum asserit; nec enim adamas malleolo resistit, sed in scobem facilè redigi potest. At dum vitat Syrtē Iulius, incidit in Charybdim, dum fatetur istius adolescentis recens nati prophetiam in astris, vt in signo fuisse, vbi citat Albertum cap. 11. speculi astronomici, de libris licitis, sic loquentem. Iam scimus, quòd signo Virginis ascendente natus est Dominus Iesus Christus, non quia subiaceret stellarum motibus, qui creauerat & ipsas stellas, sed quia, cùm extenderet cœlum, sicut pellem, formans librum vniuersitatis, dedignaretúrque opus facere incompletum, noluit literis eius deesse, & eis, quæ secundùm prouidentiam in libro æternitatis sunt, elegantissimum illud, antequam de virgine nasceretur, vt per hoc inueniretur homo naturalis, & Deus, qui non naturaliter nascebatur, non quod cœli figura esset causa, vt sic nasceretur, sed potiùs significatio, imo ipse erat causa quare modus admirandæ suæ Natiuitatis per cœlum significaretur; quomodo Cardanus lib. 4 de subtil. cap. de luce, & lumine, mortis principum, & mutationis legum signum esse posse asserit, post quæ ait Cæsar, Haly facilè ex astro Veneris bene disposito de pueruIo prædicta diuinare, ac naturale esse, vt puer recens natus loquatur, quod fit, dū linguæ robur adest, tunc enim vel audita picæ, psittacíue instar non intellecta, vel intellecta quodam spirituum ad linguam concursu effutiet, miror, quòd Iulius non addiderit puerum istum non solùm audita, sed & quæ nunquam audiuit, edisserere posse, ac eorum, quæ ante corporis commerciū Platonicè viderat, facile reminisci, vt sic, energumenos à dæmonibus liberaret, linguasque varios quibus dæmonis susurro idiotæ loqui possunt, in naturalem temperiem, syderumque referret influxū, sed forte timebat, ne de eius doctrina patres inquirerēt, quod nō semel in dialogis suis innuit, alioqui plura ausurus, licet quàm par sit in asserendo sæpius audacior videatur. Quæ omnia nolim in præsentia refellere, id enim ex professo sum acturus, vbi fundamenta Iudiciariorum conuellam.

[Margin: Albertus. | Cardan. | Vanini stultus error. | Haly.]

Ad obiectionem vltima responsio vera.

FAteor sæpè viros pios affligi, diuersisque tribulationibus concuti, malos verò florere, licet ipsi etiam diuersis calamitatibus impetantur, at vbi summam Dei prouidentiam, ac benignitatem erga homines in illis afflictionibus mirum in modum elucere clariùs, quàm vt vllus addubitare possit, ostendero, nunquid obiectio soluta videbitur? Incipiam ergo à causis quas ex D. Chrysost. Muretus refert, quarum prima est, ne qui res præclaras gerunt quales boni sæpius exercent, propterea inflentur, superbiant, sed imbecillitatis suę memores animos summittant: quod cùm Psaltes agnouisset, psalmo 118. cecinit, *bonū mihi, quia humiliasti me, vt discam iustificationes tuas*: & apostolus licet ad tertium vsque cœlum raptus esset, attamē sibi datum esse angelum Sathanæ fatetur qui eum colaphizet, ne propter raptum, cæteraque præclara facinora, quibus semper vacabat, insolesceret. 2. ratio fuit ne cæteri mortales in errorem trahantur, & de viris pręstantibus, vt de diis existiment: quomodò delusa gentilitas quoslibet in scientiis, artibus, cæterisque miris inuentis excellentes, vel post obitum, vel etiam aliquando viuentes inter Deos collocabant, sed ab istis erroribus liberantur, cùm illos multa perpeti vident, quæ illos non Deos, sed homines esse declarant, sic enim Alexander Macedo sanguinem vulnere mittens, dixit iis, qui vel errore, vel potiùs adulatione Deū illum Iouisque filium appellabant; Videte quod aut non sim Deus, quia Dij sanguinē non habent, aut nō deperdūt. Profectò lōgè facilius apostolos pro Diis gentiles habuissent, dum cōtactu, verbo, vmbra morbos fugabant, claudis incessum, surdis auditum, cęcis visum restituebant, mortuos in vitā reuocabant, nisi eos esurire, sitire, ægrotare, cædi, mutilari, & innumerabiles pœnas quotidiè subire, ac perferre vidissent, cum ne quidem Paulus, & Barnabas, nisi vix Listrenses impedire possent, quin eis tauros coronatos immolare vellent.

3. causa Dei potestatem commendat, qui per homines imbecilles, morbis obnoxios, egentes, ergastulis clausos, compedibus impeditos ea facit, quorum magnitudinem cæteri obstupescunt: vnde cum D. Paulus malis fessus à Deo peteret, vt à se tantas illas acerbitates amoueret, audiuit, *sufficit tibi gratia mea*, ac si dicere voluisset, quo pluribus difficultatibus conflictaris, eò magis perspicitur potestas mea, quanta obsecro Dei virtus in martyribus elucet, qua munitæ paruulæ virgines, filij Machabææ mulieris vix à lacte, & vberibus auulsi, cæterique pro Christo passi tyrannis, Imperatoribus, regibus, tormentis, dæmonibus restiterunt.

4. Si bonis omnia prosperè succederent, si diuitiis abundarent, si suspicerentur à cæteris, si nunquā ęgrotarent, dolerent, incommodum sentirent, vulgus existimare posset eos pietatem colere non suapte sponte, sed illa quasi mercede allectos, & inuitatos: at cùm eos non egestas, non ignominia, non cruciatus corporis, non mortis metus à Dei cultu, & vera pietate possit abducere, manifestò constat honestatem, ac virtutem, & Deum in primis ipsum ab eis propter se, non propter vllam mercedem amari, vt Iob patientiæ exemplar ostēdit, qui diuinum cultum nunquam obiecit, quantumcumque dæmon omni tribulationum genere ab eius animo Dei amorem, & reuerētiam excutere niteretur: etenim eadem æquitate animi vir sanctus aduersa tulit, quia prospera susceperat, id enim semper in ore versabat, *Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum.*

5. Vt homines tanto certiùs existiment non omnia morte finiri, sed aliam superesse vitam, in qua & præmium tribuatur iustis, & à sceleratis pœna exigatur; si enim homines quantumuis iniusti eos qui sui causa labores multos pertulerunt, sine præmio non patiantur abire, quantò minus id de Deo suspicari possumus, cùm igitur homines innocentissimos videamus in hac vita numquam à molestiis respirare, sed perpetua calamitatum serie premi, cogitemus, necesse est, aut quod natura ipsa abhorret, ac refugit, Deum iniustum esse, aut post hanc vitam esse hominibus præmia pro suis cuique actionibus diuinitus constituta: etenim vt apostolus ait, si tantùm in hac vita speramus, bel-luis

[Margin: *Quare via impiorum prosperatur.* Ierem. 12. | Variæ causæ, ob quas Deus tribulationes bonis immittat. | 1. Ratio suadet humilitatem. Psal. 118. | 2. Tollit errorem. Tribulationes quemlibet adducunt, vt virtutem ob solum Deū colendam arbitretur. | Dictū Alexandri. | 3. Dei prouidentiam cōmendat. Deus admirabilis, qui tanta potest agere per instrumenta adeò debilia. | 4. virtutis honestatē decegit. Sic Deus ostendit virtutem non esse, exercendā propter bona caduca malis & bonis communia, sed ob ipsam virtutis honestatem, & Dei gloriam, & amorem, qui solus est iustum virtutis præmiū. | 5. astruit immortalitatem. Tribulationibus homines ad immortalē vitam quædam eue-huntur.]

uis ipsis longè inferiores essemus, nec enim tot calamitatibus impetuntur; igitur tribulatio generat spem, spes autem non confundit, quippe quæ laborum omnium mercedem amplissimã accipiet.

6 Consolatur afflictos

6. Vt si quid tale nobis eueniat, patienter feramus, neque despondeamus animũ, aut statim nos propterea Deo inuisos esse arbitremur, cùm Deo charissimis eadẽ, aut grauiora contigisse videamus, etenim quócunque tuas cogitationes extendere volueris, quemcumque morbum qualem potueris aduersitatem, & calumniam adinuenire, his multos sanctos afflictos, hęc æquo animo perpessos, & tandem & iis liberatos inuenies.

7. Hortatur ad patiẽtiã.

7. Ne vllus sit tergiuersationi locus, si quis nos ad illorum præstantium virorũ imitationẽ cohortetur, quasi eos non eiusdẽ, cuius & nos sumus, sed diuinioris cuiusdã naturæ fuisse causemur: quod frequenter admodum in plurimorũ ore versatur, quos cùm ad patienter morbos, & aduersa tolerãda monemus, & cõpellimus sanctorũ Iobi, Tobiæ, cæterorúmque beatorum exemplo, audent respõdere, nos non sumus sancti, non ampliùs in illo sæculo versamur, & cætera, quæ referre pudet: Nunquid fortè Deus nobiscum minus adest, quàm cum illis: an forte durioribus ossibus, carne vegetiori, neruis robustioribus compacti fuere, ô deplorandam hominum ignauiam! ô mores!

8. Docet, quid sit vera fœlicitas

8. Vt sciamus quibus rebus fœlicitatem metiri, quos beatos, quosue infœlices, ac miseros ducere debeamus, non enim qui multa possidet, beatus est, sed beatior qui non tantùm diuitias non cõcupiscit, sed iis quas habet, vltro se spoliat, vt copiis suis aliorũ inopiã subleuet, non qui innocens exulat, miser est, sed tanto fœlicior, si id æquo ferens animo det operam, ne à patria cœlesti exulare cogatur, non qui firmo est corpore, fœlix, sed qui in corpore quantumlibet infirmo perpetuam animi firmitatem retinet, non qui multa aspera passus, miser, sed is potiùs qui prosperis successibus ebri⁹, in fallacibus huius vitæ bonis acquiescit.

9. Virtute præditos in lucem profert.

Est enim actus fortitudinis maior pati, quàm agere pro quo 3 rationes D Thomas habet 2. 2. Tobiæ 12.

9. Vt eorum patientia, ac fortitudo magis illustretur, qui se à calamitatibus vinci non sinunt: neque enim à nobis cognoscerẽtur, nisi à Deo in huiusmodi certaminibus exercerentur, vt enim ignis probat aurum, ita viros fortes miseria, iuxta illud, *tanquam aurum in fornace probauit electos Dominus*; sic Deus in Isaaci immolatione probauit Abrahamum, sic quia Tobias acceptus erat Deo, necesse fuit, vt tentatio probaret eum c. 12.

Quod optimè notauit Minutius. *Quod corporis humana vitia sentimus*, inquit, *non est pœna, militia est: fortitudo enim infirmitatibus roboratur, & calamitas sæpius disciplina virtutis est: vires denique & mentis, & corporis sine laboris exercitatione torpescunt. Omnes adeò vestri viri fortes, quos in exemplum prædicatis, ærumnis suis inclyti floruerunt. Itaque & nobis Deus nec non potest subuenire, nec despicit, cùm sit & omnium rector & amator suorum; sed in aduersis vnumquemque explorat, & examinat, ingenium singulorum periculis pensitat, vsque ad extremam mortem voluntatem hominis sciscitatur, nihil sibi posse perire securus. Itaque vt aurum ignibus, sic nos discriminibus arguimur. Quam pulchrum spectaculum, cùm Christianus cũ dolore congreditur, cum aduersum minas, & supplicia & tormenta componitur, cum strepitum mortis, & horrorem carnificis irripiens inculcat, cùm libertatem suam aduersus reges, & principes erigit: soli Deo, cuius est, cedit; cùm triumphator, & victor, ipsi qui aduersum se sententiam dixit, insultat. Vicit enim, qui quod contendit, obtinuit. Quis non miles sub oculis imperatoris audacius periculũ prouocet? nemo enim premium percipit ante experimentũ; & imperator tamen quod non habet, non dat, non potest propagare vitam, potest honestare militiam. At enim Dei miles nec in dolore deseritur, nec morte finitur. Sic Christianus miser videri potest, non potest inueniri.* Hactenus Octauius. Vbi aduerte Deum non ideo probare, & experiri, quod antea vim atque mentem nostram minus sciret, sed ideo probat aliquẽ, vt cæteris sit in exemplum, & seipsum ipse certiùs exploret, & agnoscat. Quod si paganum philosophum audire malueris, in quo solum naturæ lumen habeas, lege Senecam c. 2.3. & lib. 6. de prouidentia quem breuitati studens hîc minimè refero.

10. Est, quia ne quidem optimi viri omnis peccati sunt expertes, septies enim cadit iustus, *& si dixerimus, quia peccatum non habemus*, inquit D. Iacobus, *mendaces sumus*, ideoque hîc affliguntur, vt in hac potiùs, quàm in alia vita, sua possint expiare peccata, quę tẽporariis illis acerbitatibus, quasi nitro quodam, lomento, & herba borith eluantur, ac deleantur, nec enim quidquã vlla sorde pollutũ, & contaminatũ cæli regnũ ingredietur, expedit ergo Deo charis in hac vita purgari, vt cũ è vinculis corporis excesserint nulla alia purgatione egentes, sine mora in cœlum euolent: quam profectò rationem D. Chrysost. præclare sermone de terræ motu explicat, quem ad rationem 17 referemus. 10. Iustitiã Dei commendat. Vide D Augu. lib. de vita, Christiana.

11. Vt quò plura patiũtur, quò plures difficultates superant, quò dimicant acriùs, eò maioribus præmiis ornentur, eo plures coronas accipiant, eo maiorem in omni æternitate gloriã consequantur: vt enim quo pluribus deliciis, & voluptatibus fruuntur impij, eò maius tormentum passuri sunt iuxta diuinam iustitiam, ita quo plura libenter passi fuerint, qui Deo accepti sunt, eò palmas gloriosiores reportabunt, quæ rationes licet abundè sufficiant, alias tamen adiiciam, itaque. 11. Coronat athletas.

12. Est, quia hæc est Dei voluntas, qua nil melius concipi potest, ideóque necesse est, vt nolentes volentes aduersa patiamur, & quis Dei voluntati resistere poterit? imo quis Catholicorum non eam charissimam habebit, eámque adorabit, cùm in eo maxima virtus sita sit, vt diuinæ voluntati conformes simus, quod semper postulamus, imo pro nobis gemitibus inenarrabilib⁹ Spiritussanctus iustos inhabitans, & eos ad rationem impellẽs postulat, dum Orationis Dominicæ particulam hanc pronuntiamus, *fiat voluntas tua*: sed D. August. audiamus in psalmum 35. *voluntas Dei est aliquando vt sanus sis, aliquando vt ægrotes, si quando sanus es, dulcis est voluntas Dei, quando autem ægrotas amara, non es recto corde, quia non vis voluntatem tuam ad Dei dirigere voluntatem, sed contra*: Quare autem Deus nos affligat, & ex dictis constat, & ex sequentibus magis adhuc elucet. 12. Voluntati Dei se cõformat. D. August. locus pulcher in Psal. 35.

13. Est iustos affligi, quia Christiani sunt, nec vllum tædere debet, quod ad ea, quæ ad suum statum pertinent, adigatur, & certè stultus existimaretur sutor, qui ferret ægrè, quod futuras efficiendas haberet, sicut & architectus irrideretur, qui doleret, cũ domũ fabricandã habet, quòd de quibuslibet fabris, & artificibus iudicandũ est, in quos Respublica ius habet, quo eos ad sui status, & artis opera quam amplexi sunt, eo ipso, quo tali arti se mancipauerunt, adigere possit. 13. Statum Christiani describit.

At Christianorum ars est, vt quælibet aduersa, quoslibet morbos non solũ, cũ offeruntur, patiẽter

N

tolerent, sed & mortem ob Dei amorem ardenter oppetant, martyrum exemplo, qui libentissimè ad martyrium, velut ad conuiuium currebant; quod apud D. Paulum expressum est 1. ad Timoth. 3. *Vt nemo moueatur in tribulationibus istis, ipsi enim scitis, quòd in hoc positi sumus*, ad quod etiam astruendum facit D. Aug. 2. enarrat. in psal. 25. *Surgunt procellæ agri huius, vides malos florere, bonos laborare, tentatio est, fluctus est, & dicit anima tua, ô Deus Deus, ipsa est iustitia tua, vt mali floreant, boni laborent. Dicis Deo, haeccine est iustitia tua? & Deus tibi respondet, haeccine est fides tua? haeccine tibi promisi, aut ad hoc Christianus factus es, vt in sæculo floreres,*

Aureus D. Aug locus.

Quibus Nazianz. Jambico 1 concinit de prouidentia, quod ita incipit.

Ἔρροιεν οἱ τὸ θεῖον ἐξωσμένοι,
Καὶ μηδὲ τὴν ἄρρητον ἁρμονίαν
Τοῦ παντὸς εἰς ἕν' ἀναφέροντες ἡνίαν
Ποιητικόν τε καὶ συνεκτικὸν ὅλου.
Ἔρροιεν οἱ θεῶν τιν' ἑσμὸν εἰδότες,
Ἢ δαιμόνων καλῶν τε καὶ κακῶν κράτος.
Ἔρροιεν οἱ πρόνοιαν ἐκβεβληκότες:
Ὥσπερ τι σώζεσθ' ἐκ θεοῦ δεδοικότες.
Ἀλλ' ἢ φορᾷ νέμοντες αὐτῷ τὸ πᾶν,
Ἢ καὶ διδόντες ἀστέρων κινήμασι.
Τοῖς πῶς, πόθεν τε κἀκ τίνος, κινουμένοις:
Εἰ μὲν θεοῦ: πῶς ἀγνοεῖται, ὃ στρέφει θεός
Τοῦ γὰρ πλέκοντος δεῖ καὶ μεταπλέκειν·
Εἰ δ' οὐ θεοῦ πῶς στάσιν ἐξ ἀναρχίας:
Ἢ καὶ μάχης τι κρείσσονος. πῶς δ' οὐ μάχη:

Quod ita verterunt.
Pereant prophani, qui Deum summum negant,
Tantámque mundi (verba quam nulla explicēt)
Concinnitatem cuipiam causæ dare,
Qui cuncta faciat, seruet & cuncta, abnuunt.
Pereant, Deorum qui vagam turbam inferunt.
Ac vim bonorum vel malorum dæmonum.
Pereant pronœam qui negant (tanquam optimū
Ne seruet ipsos cura metuentes Dei)
Regenda sed dant casui incerto omnia,
Aut ea referuent motioni syderum
Quæ quis sit ille qui mouet, lubens rogem
Deus? Deus quod versat, an primum asseres?
Nectentis etenim est vertere id quod nexuit.
Si non mouetur à Deo, ex anarchia
Stabuntne, pugna vel Dei? pugna est enim.

Quibus vides probari numinis diuini prouidentiam, quam cùm etiam sequent. versib. astruit, pergamus cum eo donec ad rationem nostram peruenerimus.

Ἡ γὰρ προνοίας ἄρσις αἵρεσις θεοῦ.
Εἰ μὴ σὺ πείσῃ καὶ θεὸν πεπρωμένον,
Φέροντ' ἄκοντα τὴν πλοκῆς περιττίδα.
Οὕτω μὲν ὑπὸ σφῶν ἁλίσκονται λόγοις.
Ἡμῖν δ' ἄγαθ' ἐστὶν εἷς θεὸς τὸ πᾶν τόδε,
Σοφῶς ἐλίσσων καὶ πλέκων, ὡς ἂν θέλῃ,
Τοῖς αὐτὸς αὐτοῦ θύμασι τε καὶ λόγοις.
Κἂν μὴ τὰ πάντα δεξιῶς στρέφειν δοκῇ.
Πολλοὶ γε μὴν κάμνουσι καὶ σοφώτατοι,
Τοῖς τῶν δ' αἰτίοις, καὶ πάλαι καὶ νῦν ἔτι.
Τί δεῖ λέγειν ἅπαντας: ἀλλά μοι σκόπει
Δαυὶδ τί πάσχει: τοὺς κακοὺς ὁρῶν καλῶς
Πράττοντας ὡς δοκοῦσι. σφόδρ' εἰλίγγιξε,
Μή τις φορᾷ δοῖ τὴν φύσιν τῶν πραγμάτων,
Ὡς οὐκ ἐπιστατοῦντος ἡμῶν οὐδένος.
Ὁ δ' αὐτὸς οἶδε τὴν λύσιν, τὸ γὰρ τέλος
Πάντων σκόπει μοι, φησὶν, ὡς ἀντίστροφον.
Ἔσπειρας. ὄψει τῆς σπορᾶς καὶ τὴν τύχην
Εἰ σὴ ἀγνοεῖς σοὺς λόγους, οὐ καὶ λόγος.
Οὐδ' γὰρ εἰ σὺ τῆς γραφῆς, καὶ ζωγράφος.
Οὐδ' εἰ σὺ γραμμάς, καὶ γεωμέτρης ὁ σύ.
Τὸ μὲν κατείληφας τι, τῷ δ' ἕπου σοφῶς.
Ἔστι λόγος καὶ τοῦτο, πείθεσθαι λόγῳ.

Nam prouidentem qui negat, bellum Deo
Infert: Deum nisi fortè fatalem inuehis,
Qui nexionis illibens vim sufferat.
Suismet istos sic vides dictis capi.
Mundum gubernat vnus at nobis Deus,
Sapienter ipse nutibus voluens suis,
Nectensque cuncta prorsus ad libitum suum;
Quædam putetur voluere haud rectè licet.
Multi laborant, & quidem sophi admodum,
Et nunc, & olim disparem ob vitæ statum.
Referre cunctos quid decet? spectas velim
Dauid quid ipse sentiat, cernens malos
Florere vt ipsi iudicant. valde æstuat:
Ne cuncta temerè quispiam ferri putet,
Nec esse quenquam nostra qui prudens regat.
At soluit istud ipsemet. finem omnium
Specta, inquit ille, quanquam sit contrarius,
Quod seminaris, certus hoc tandem metes.
Ignota ratio si tibi est, non est Deo:
Ignota nam si linea est, tabulæ & tibi,
Vtriusque nouit hanc vel hanc tamen artifex,
Quædam ipse nosti, in cæteris esto sequax.
Prudentis hoc est nam viri, Verbo obsequi.

Iam verò rationem audi, quæ textui D. August. correspondet.

Εἰ πάντα δῆλα, ποῦ τὸ πιστεύειν, λέγε:
Πίστις γὰρ ἐστὶν ἀπραγμὸν συναίνεσις.
Ἐγὼ δὲ καὶ τόδ' εἰκὸς σοφῶς ἴσως.
Οὐ ταῦτα εἰσιόντι σοι καθυπεσχόμην
Πλουτεῖν, ἀμεριμνεῖν, βιῶναι, ἢ εὐτεκνεῖν.
Εὐζωΐαν δὲ καὶ τὰ προσδοκώμενα.
Ὡς αὐτὰ τῶν νῦν προσδοκᾷν τὰ μείζονα.
Πῶς οὖν δίκαιον, ὥσπερ ἐν συναλλαγῇ
Καὶ τὸ πραχθὲν ζητεῖν, καὶ τὸ χρῆμ' ἔχειν:
Εἰ μὴ μόνῳ σοι τοῦτο τῶν πάντων γέρας.
Ὡς σφόδρ' ἄπληστον, καὶ ξένης συναλλαγῆς.
Ἢ κεῖνα ῥῖψον φιλαπλῇ, ἢ καὶ ταῦτα δός.
Εἰ δέ τι δεῖ σοι τὸν σὸν ἱστάναι λόγον

Μηδ' οὕτως ἔργῳ τῶν καλῶν προσκειμένοι.
Si cuncta clara, dic velim fides vbi?
Simplex profectò est nam fides assensio.
Quin illud etiam cogito, haud forsitan malè.
Non, cùm venires, ista promisi tibi,
Opes, quietem, robur, & prolem inclytam,
Fœlix sed æuum, quæque sperantur bona,
Maiora spires vt loco præsentium.
Estne igitur æquum, te, velut in contractibus
Et res habere, & venditam rem poscere?
Ni fortè honoris vis tibi hoc vni dari.
Nimis auidi hoc est, & noui commercij.
Aut illa, bone vir, proiice, aut hæc da quoque.

Si

Si stare verbis tu cupis firmus tuis,
Nec pacta quę sint commodè, his excedere.

14. Tabernaculum fieri debuit iuxta Dei præceptum, itaut prototypo responderet, quod Mosi Deus in monte ostenderat;ecquod est Dei tabernaculum, nisi corpus nostrum, *templum Dei quod estis vos*, inquit D. Paulus; quale verò corporis nostri,

14. Christo cõformat.

quale omnium hominum exemplar? nisi Christus Dominus,quem pater æternus dedit nobis conspiciendum,quem velut in ideam constituit,ad quam in omnibus actibus, verbis, & cogitationibus nostris collimaremus; *exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci,ita & vos faciatis*; at Christus vir fuit dolorum, iniuriis affectus est, omnes huius vitæ molestias pertulit, percussus est, flagellatus est, morti deniq; traditus; quid igitur ampliùs ô Christiane trepidas, quid times, cur impallescis, cur refugis? caput tuum spinis coronatum est, & membra cætera in delicijs versari non erubescis? *caput viri, Christus est*, cuius nos omnes mẽbra sumus,& quà transijt caput, illac & membra sequi debent; Imposterum ergò Christum caput nostrum inspiciamus, etenim *sapientes oculi in capite eius* Ecclesiastes 2; & tunc nihil amarum videbitur, imo potiùs in ingentes delicias aduersa conuertentur.

15. Non possunt vulgares lapides in pulcherrimũ Salomonis palatium admitti, nisi prius tunsionibus, pressurisque dolentur,polian tur, quadrentur,

Eccles. 2.

15. Nos vt lapides paradisi quadrat.

vt suis coaptentur locis à summi artificis manibus; nec tumultus vllus in eo audiri debet;& ecce summum silentium in cœlo vero fœderis tabernaculo, amplóque diuini Salomonis amphitheatro,augusto beatissimæ Trinitatis palatio, ad quod si vis assumi,cuiusq; muris si coaptari desideras, teri, contundi, atque quadrari debes; soli enim lapides in quadrum solidi,soli constantis patientiæ cubi illuc inferuntur; te verò perfectum, & apprimè dolatum,& ad libellam quadratum,omnia, quæ hîc sustinebis aduersa,exhibebunt; & vbi leonum dentibus attritus fueris, vbi superabundarint omnia tribulationum genera,cum beato Ignatio dices, frumentum Christi sum,iam in eum conuertar,& veluti cibus eius efficiar,vbi penitus à creaturis auersus fuero, ac diuinæ mensæ accumbam.

Sed obsecro totius difficultatis cardinem vertamus, in ijs omnibus, quæ vel Deus efficit,vel permittit, vel consulit, vel prohibet duplicem veluti scopum habet, primarium quidem, ac præcipuum suam gloriam intendit, non amplificandam, cùm ab æterno infinita sit, sed hominibus & angelis propalandam, & ab vtrisque, quantis poterunt laudibus, efferendam; secundarium, alterius veluti consectarium nostram vtilitatẽ intendit, ideóque si ad fines istos tribulationes, dolores, labores tam iustorum,quàm impiorum,tam reproborum, quàm prædestinatorum conferent, soluta remanet difficultas, nec non Atheis peramplè satisfactum est; age verò, quánam ratione Dei gloria commendatur; quomodo laudatur ob diuersas afflictionum tempestates, quibus velut turbine concutimur? certè illius erga homines in tribulationibus bonitas,potentia, ac sapientia cernitur; bonitas quidem, cùm filios, quos amat, ne in deterius abeant, vt ad mentem, ad rationem, ad Deum redeant, ne vinculis, tenebrisque mancipentur ęternis,corripit; quæ non minus in improbis cõmendari debet,quos cùm afflictionibus vrget, exagitat diuersis morborum, tribulationúmque stimulis, eos quantum in se est, ad pietatẽ reuocare studet,

16. Attributa Dei cõmendat.

Bonitas Dei in tribulatione.

ne fortè in peccatis eos decedere, & æternis ignibus addici contingat: potentia verò, dum virtute maiori,qui grauiter premuntur, & penè deficiunt, ad pietatem,cultum diuinũ, ac virtutum omnium, patientiæ præsertim exercitium insurgunt. Quantum enim existimas esse miraculum, vt quis, dum infirmior apparet, seipso fortior euadat; at hæc est diuinæ gratiæ vis, vt ea, quæ deficere videntur, ad maiorem gloriam euehat;nec Deus solùm in tribulationibus potens, ac gloriosus apparet, verùm etiam qui premitur, & fortiter aduersa sustinet; vnde canit Ecclesia de martyribus & cæteris, qui propter Christũ passi sunt aliquid, *honestauit eum in laboribus*; etenim si dignus honore censetur miles, qui strenuè dimicans ab hostibus victoriã reportauit; quanto enim honore iudicabimus afficiendũ, qui non ob humanam gloriam, aut timorem, vel amorem ducis, aut patriæ, sed ob amorem Christi Domini aduersus hostes fidei, mundum, carnem, dæmones & cæteros aduersarios dimicarit,ac fortiter sustinuerit omnia; quod profectò fuit in causa, cur pater ęternus vnigenitum gloria,& honore coronarit,ac super omniũ manuum suarum opera cõstituerit; sapiẽtia non minus in aduersis relucet; quæ media tã remota, ac dissita homini roborando applicat; quis enim sanæ mentis non iudicaret, eum omnino conterendum, cui iam in profundũ demerso,noua pondera imposita essent? quis obsecro ad maculas è panno detergendas atramẽtum aut oleum applicat? quis in frigore depellendo glacie, niue,aut marmore vtitur? quis in vllius onere subleuando grauius vnquam onus addit? at Deus cùm sit infinitè sapiens, superat omnino captum nostrum,estque mirabilis in sanctis suis,quos tam sapienter, ac prouidè ad se attrahit; qui dum aduersis tempestatibus concussi Deum ardentiùs inuocant,citiùs exaudiuntur,iuxta Psaltem, *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum,& glorificabo eum.*

Potentia Dei.

Sapientia Dei cernitur in afflictionibus.

Denique cõspicitur diuina iustitia,quæ cùm pati nequeat scelus impunè cõmitti,debitis pœnis illud coërcet, ac extra omne dubium positum est,neminem sine peccato viuere,cum etiam cadat iustus in die septies, nec vllus mundus esse dicitur in conspectu Dei nequidem infans vnius diei super terrã, qui saltem originale peccatum contraxit; non est igitur opus inquirere, cur Deus tam bonis, quàm malis aduersa immittat, quin potius demirarer, si quis nulla tempestate iactatus, sine diuersis molestiis vitam transigeret, ac turbidum istius mundi oceanum sine decumanis fluctibus transfretare posset.

Iustitia Dei quomodo conspiciatur in tribulatione.

17. Omnes peccare supponit.

At Dei bonitatem,sapientiam, ac iustitiam nouos existimo radios emittere,dum impij non tantis fluctibus,ac boni iactari videntur; etenim cùm boni aliquid etiã impij peragant, vt cum ducti cõmiseratione aliquantam eleemosynam largiũtur, beneficium aliquod amicis conferunt, honore ac veneratione crucem, sanctorumque reliquias, si fortè Catholici fuerint,prosequuntur,& quasdam alias virtutes exercent,id sine præmio non permittit abire Deus optim⁹,sed eos propterea vel à multis calamitatibus eripit, vel afficit bonis fortunæ, corporis,aut animæ, vt patet in Romanis, quibus imperiũ tam latè diffusum, tãdiù persistens, tanta florens gloria in virtutum aliquarum ab eis exercitarum præmium concessit, vt affirmat D. August. l. de Ciuit. vt iam affirmare possimus nihil vnquam sine præmio factum,nihil penitus futurum: Ideoque si quos legimus ex paganis, qui dum exercitio

virtutis incumbere ac vitam innocentem ducere videbantur, variis tamen, ac maioribus agitati fuerint procellis, quàm improbi, illisque fortuna nunquam arriserit, sine dubio cùm in conspectu hominum virtute conspicui apparerent, maximis peccatis interiùs infectos fuisse dicendum est, quot enim passim videas, qui dum virtutem exterius, & Socraticam faciem simulant, intus omni vitiorum labe inficiantur? quod si mihi dicis cõtingere posse vt qui reuera maiori virtute præditi sunt, aliquando grauiora patiantur, audias obsecro: Cùm sæpiùs vexatio det intellectum, & nos veluti cogat, vt ad Deum recurrẽtes, eius auxilium inuocemus, quod libentissimè tribuit omnibus inuocantibus eum, hinc fit, vt potiùs inter bona, veraque Dei beneficia, quàm inter supplicia, reponendæ sint calamitates, quæ funibus nauiculæ mihi similes esse vidẽtur, quibus ad palum vel anchorã littori fluminis affixam alligatis, dum nautæ palum ad se trahere videntur, ab ipso trahuntur, huius enim vitæ miseriis immersi dum opẽ diuinã implorantes, Deũ ad nos adducere credimus, nos ad se potenter attrahit, sibique coniungit, sed alia non deest ratio, nam si meliores aliquos, licet reuera nunquam salui futuri sint, grauiori aduersitatum pondere afficit, aliquos vero nequiores minus premat: sine dubio his longè grauiora supplicia post hanc vitam in æternum reseruat; illis autem minora præparat, non enim Dominus punit bis in idipsum, quandiu vnica suppliciorũ causa remanet. minora ergo patietur in æternis ignibus, qui hîc iam punitus fuerit, quã qui in hac vita nullis suppliciis affectus fuerit.

Possent etiam peculiares rationes adduci cur mali floreãt, vnicam nunc ex Minutio Fœlice affero, *Nisi fortè vos decipit, quod Deum nescientes diuitiis affluant, honoribus floreant, polleant potestatibus. Miseri* Octauius. *in hoc altiùs tolluntur, vt decidãt altiùs. Hi enim vt victimæ ad supplicium saginantur, vt hostiæ ad pœnã coronantur. In hoc adeo quidam imperiis, ac dominationibus eriguntur, vt ingenium eorum perdita mentis, licẽtiæ potestatis liberè nundinentur: licet Deus ea semper intentione malis tribulationes immittat, vt resipiscant, vel etiam hîc pœnarum æternarum ducant exordium.* Placet verò pulcherrimum D. Chrysost. locum hîc afferre, vt decima ratione promisi, quæ cum hac 17. recidit.

Quam rationem tametsi fusè pro more deducat, integram produco, quia omnibus obiectionibus perfectè mihi satisfacere videtur, quæ vel allatæ sunt, vel afferri possent. *Sed attende animam*, inquit, εἰς βάθος γὰρ καταβαίνειν νοημάτων, *in altas enim grauesque, sententias delabimur. Hominũ, qui nunc degunt, omniũ alij quidem peccatores sunt, alij vero iusti: animaduerte* Ratio D. Chrysost. pulcherrimè deducta *igitur etiam in iustis differentiam; alius iustus est, alius magis iustus, alius sublimior, alius maior, & quemadmodum stellæ sunt multæ, & sol, & luna, sic & differentia inter iustos: alia quippe claritas solis, & alia lunæ, & alia claritas stellarum; quædam enim excellunt claritate, quædam superantur: & quemadmodum corpora sunt cœlestia, sic & sunt corpora terrestria: & quemadmodũ in corporib' aliud seruus est, aliud canis, aliud leo, aliud alia fera, aliud aspis, aliud tale quidpiam, sic & in peccatis sunt differentiæ. Homines igitur alij quidem sunt iusti, alij verò peccatores, sed & in iustis multũ est discrimen, & in peccatoribus multũ & immensum, verũ attende. Licet iustus sit quis, licet millies sit iustus, & ad ipsum culmen ascẽderit, ita vt expers sit peccati, non potest esse mundus à sorde, licet millies iustus sit, est tamen homo. Quis enim gloriabitur castũ se habere cor, aut quis confidet mundum se esse à peccato? Propterea dicere in oratione iubemur: Dimitte nobis debita nostra, vt orationis consuetudine admoneamur illic nos obnoxios esse suppliciis. Etenim Paulus Apostolus* τὸ σκεῦος τῆς ἐκλογῆς, ὁ ναὸς τοῦ θεοῦ, τὸ στόμα τοῦ Χριστοῦ, ἡ λύρα τοῦ πνεύματος, ὁ διδάσκαλος τῆς οἰκουμένης, *qui terrã, & mare peragrauit, qui religionis semina iactauit: ille regibus opulẽtior, peccatorũ spinas reuulsit, qui ille diuitibus potentior, ille* φιλόπτωχος φιλοσοφώτατος, ὁ ἐν πενίᾳ εὐγενέστατος, *qui nihil habebat, & omnia possidebat, qui mortẽ vmbra sua soluebat, qui morbos suis vestimentis fugabat, qui trophæa erexit in mari, ad tertium vsque cælum raptus est, & in paradisum ingressus, qui Christum Deum prædicauit, ille dicit. Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum: qui talẽ tantãque virtutũ multitudinem acquisierat, ait. Qui autem iudicat me, Dominus est. Quis ergo gloriabitur castum se habere cor? aut quis confidet mundum se esse à peccato. Impossibile est igitur vt vllus homo sit à peccato immunis. Quid enim ais? iustus est? misericors est? pauperum amans est? at vitium aliquod habet, vel importunè contumeliis afficitur, vel inani gloria ducitur, vel aliud quidpiam tale agit, non enim recensenda sunt omnia. Hic misericors est, sed non temperans: persæpe ille temperans quidem, at misericors non est: hic virtutis vnius, ille alterius laude celebratur. Sit aliquis iustus, & sæpe quidem iustus est, eique omnia insunt bona, sed ob iustitiam superbia tumet, eiusque iustitiã superbia labefactat. Nũquid iustus erat Pharisæus, qui bis in sabbatho ieiunabat? quid autem dicit? Non sum sicut cæteri hominum, raptores, iniusti, ac persæpe ex conscientia munda in superbiã deuoluitur quis, & quod non* Luc. 8. *potuit afferre illi detrimẽtum peccatum, affert superbia.*

Fieri ergo non potest, vt homo sit ita penitus iustus, vt à Nec obstat *peccato sit mundus, neque rursus fieri potest, vt verus ita* quod virgo *malus sit homo, quin habeat aliquod saltẽ exiguũ bonũ:* Maria, vel *exẽpli causa, ille rapit & fraudat, & fœdum in modum* Ioannes *verberibus lacerat: at nonnunquam largitur eleemosy-* Baptista *nam: at nonnũquam temperans est, at nonnunquã bona* peccatũ nõ *verba loquitur; at nonnunquã vni saltẽ viro subsidium* habuerint, *præbuit, at nonnunquã luxit; at nonnunquã mœrore ta-* id enim fuit *ctus fuit: nec igitur iustus est vllus sine peccato, neq; pec-* insigne pri- *cator est penitus expers boni. Quid Achab perniciosius?* uilegium. *rapuit, & occidit: verũtamẽ postquã mœstus fuit, dicit Elia Deus. Vidisti quẽadmodũ cõpunctus est Achab?* 3 Reg. 21. *vides vt in tanto malorũ gurgite bonũ quoddam exiguũ sit inuentum? quid proditore Iuda deterius, qui auaritiæ mancipiũ fuit? verũtamen & ipse boni quidpiã saltem exiguũ deinde præstitit: peccaui enim, inquit, tradens sanguinem iustum. Quod igitur dicebam non est à natura improbitas, vt virtuti locus non sit. Ouis nunquam fieri potest fera, quippe quæ mansuetudinẽ habeat à natura; lupus nunquã fieri mansuetus potest, quippe qui feritatẽ habeat à natura. Non soluũtur ergo naturæ leges, neque refigũtur, sed immota permanent. In me hoc locũ non habet, sed & ferus cũ volo fio, & mansuetus, cũ volo, nõ enim natura sũ vinct', sed arbitrij libertate decorat'.*

Quod ergo dicebã, nec vllus est ita bonus, vt exiguã labẽ non habeat; nec vllus est ita malus, vt saltem exiguũ bonũ nõ habeat. Quoniam igitur omniũ est retributio, & omnium remuneratio: licet enim homicida sit quis, licet improbus sit quis, licet fraudator, si quid boni fecerit, illũ manet retributio, neque propter ea mala, quæ fecit, bonorum mercede priuatur; & rursus licet innumera bona præstiterit, si quid mali commiserit, manet illum retributio mali. Hæc retine, hæc firma & immota conserua: neque bonus est vllus sine peccato, neque sine iustitia malus est vllus. Eadem enim rursus dico, vt radicibus fixis stabiliam, vt plantem, Vis argu- *vt in profundo collocem. Diabolus quippe sollicitudines* menti.

quasdam

quaſdam in animum inijcit, dum mentem veſtram in fraudem vult illicere,& quæ à me dicuntur labefactare, propterea in profundum ea demitto. Si enim ea diligenter hic conſeruaueris, licet foras abieris, amittere illam nõ potes: vt enim ſi aurum in crumenam miſero, conſtringo illam,& obſigno, ne me forte abſente fur arripiat; ſic etiã erga veſtram charitatem me gero, doctrina aſſiduitate conſtringo,& ſigillum appono, mentemque veſtram confirmo; ne iners,& euanida ſegnitie reddatur, ſed vt eam conſeruans potiùs ea tranquillitate, quam hic percipit, externum omnem tumultum repellam.

Non ergo ſunt hominis loquacis verba, quæ dicimus, ſed ſolicitudinem, paternum affectum,& doctoris amorem præ ſe ferunt, ne effluant, quæ dicuntur. Equidem ad hæc dicenda minimè ſegnis ſum, vobis autem idipſum ſecuritatem parit, docere volo, non oſtentationis tantum cauſa verba facere: Non eſt igitur vllus, qui peccato careat, neque peccator vllus eſt, qui bonum aliquod non habeat,& iuſtus peccatis ſuis par iudicium recipit, ſi tantillum mali fecerit.

Quid ergo accidit,& quid facit Deus? peccato terminum definiuit præſentem vitam,& futurum æuum: ſi quis ergo iuſtus fuerit, qui mali quippiam perpetrarit,& hic morbo laborarit, ac ſupplicio ſit affectus, ne turberis, ſed apud te cogita,& dicito. Iuſtus iſte quippiam mali fecit aliquando,& illud hic recipit, ne illic plectatur. Rurſus peccatorem ſi videris rapientem, fraudantem, ſexcenta mala perpetrantem, qui proſperis tamen ſucceſſibus vtatur, tum cogita bonum aliquod eum olim feciſſe, ac bona illum hic recipere, ne illic mercedem repoſcat. Ita licet iuſtus ſit quiſpiam,& aduerſi aliquid patiatur, hic idcirco recipit, vt hic peccatum deponat;& purus illuc diſcedat.

Ratio confirmatur exemplo Lazari,& Iob. *Quod ſi fuerit peccator aliquis ſexcentis malis coopertus,& qui in pluribus iſtorum inſanabili morbo laboret, qui rapiat, qui fraudet; idcirco proſpero rerum ſucceſſu fruitur, ne mercedem illic repetat. Quoniam ergo & Lazarum peccata quædam habere contigerat,& diuitem aliquod bonum habere, propterea dicit Abraham: nihil hic require, bona illic tua recepiſti,& Lazarus mala ſua. Atque vt intelligas hæc à me temerè non dici, verùm ita ſe rem habere, dicit. Recepiſti bona tua, quæ tandem? feciſti aliquid boni? recepiſti opes tuas, ſanitatem, delicias, potentiam, honorem, nihil debetur; recepiſti bona tua. Quid igitur? nihilne Lazarus peccauit? Imo verò & Lazarus mala ſua: cùm tu bona tua recepiſti, tum Lazarus mala: propterea nunc iſte conſolatur, tu verò cruciaris.*

Iob. 40. *Itaque ſi quando iuſtum videris hic punitum, beatum illum prædica,& dicito, iuſtus hic, vel peccatum habet & illud recipit, ac purus illuc abit: aut plus plectitur, quàm peccarit,& illi acceſſio iuſtitiæ reputatur. Illic enim ratio ſupputatur, atque iuſto Deus. Tantum habes à me, fortaſſe verò decem obolos illi credit,& rationem illi decẽ obolorum ſubdicit. Quod ſi obulos ſexaginta expenderit, ait illi Deus: Decem tibi obolos imputo ad peccatum,& ad iuſtitiam quinquaginta: verùm vt diſcat, id quod reſtat ad iuſtitiam illi reputari, iuſtus erat Iob, ſine crimine, colens Deum, abſtinens ab omni mala re: punitum hic fuit eius corpus, vt illic mercedem repoſceret. Quid enim ait illi Deus? Aliter putas me tibi reſpondiſſe, quã vt appareas iuſtus? Eandem igitur, ô Athei, cum iuſtis patientiam,& æqualem rectè illorum conuerſationi tolerantiam exhibentes parata ſanctis Deum diligentibus bona recipiamus, quæ nobis omnibus aſſequi contingat* χάριτι καὶ φιλανθρωπίᾳ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ χριστοῦ, ᾧ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. ἀμήν.

18. Rationem afferre poſſumus, Deum videlicet hominibus aduerſa mittere, ne diuinæ maieſtatis obliti nimis efferãtur,& in mediis poſiti voluptatibus non ampliùs ad Deum recurrant, ſed potiùs illum eſſe negent. 18. Tollit oblivionẽ Dei.

Quod Lactantius lib. 2. diuin. inſt. cap. 1. animaduerit. *Equidem, ait, ſicut oportet, de ſumma rerum ſæpenumero cogitans, admirari ſoleo maieſtatem Dei ſingularis quæ continet, regitque omnia, in tantam veniſſe obliuionem, vt quæ ſola coli debeat, ſola potiſſimũ negligatur: homines autem ipſos ad tantam cæcitatem eſſe deductos, vt vero, ac viuo Deo mortuos anteferant, terrenos autem, in terráque ſepultos ei præponant, qui fundator ipſius terræ fuit. Et tamen huic impietati hominum poſſet venia concedi, ſi omnino ab ignorantia diuini nominis veniret hic error. Cùm verò ipſos Deorum cultores ſæpe videamus Deum ſummum confiteri,& prædicare, quam ſibi veniam ſperare poſſint impietatis ſuæ, qui non agnoſcunt cultum eius, quem prorſus ignorari ab homine fas non eſt. Nam & cùm iurant,& cùm optant,& cùm gratias agunt, non Iouem, aut deos multos, ſed Deum nominant, adeò ipſa veritas, cogente natura etiam ab inuitis pectoribus erumpit, quod quidem non faciũt in proſperis rebus. Nã tũ maximè Deus ex memoria hominũ elabitur, cùm beneficiis eius fruentes honorem dare diuinæ indulgentiæ deberent.* Lactantij locus aure.

At verò ſi qua neceſſitas grauis preſſerit, tunc demum recordantur: ſi belli terror infremuerit, ſi morborum peſtifera vis incubuerit, ſi alimenta frugibus longa ſiccitas denegauerit, ſi ſæua tempeſtas, ſi grando ingruerit, ad Deum confugiunt, à Deo petitur auxiliũ, Deus, vt ſubueniat, oratur. Si quis in mari vento ſæuiente iactatur, hunc inuocat: ſi quis aliqua vi affligatur, hunc protinus implorat: ſi quis ad extremam mendicandi neceſſitatem deductus, victum precibus expoſcit, Deum ſolum obteſtatur,& per eius diuinum, atque vnicum numen hominum ſibi miſericordiam quærit. Nunquam igitur Dei meminerunt, niſi dum in malis ſunt. Poſtquam metus deferuit,& pericula receſſerunt, tũ verò alacres ad Deorum templa concurrunt, his libant, ſacrificant, hos coronant. Deo autem, quem in neceſſitate implorauerant, ne verbo quidẽ gratias agũt, adeò ex rerum proſperitate luxuria, ex luxuria verò, vt vitia omnia, ſic impietas aduerſus Deum naſcitur. Vbi diligenter aduertendum eſt, quod aſſerit ipſos Gentiles, dum aduerſis impetuntur, minimè ad Deorum ſuorum templa, ſed ad Deum verum ſcilicet recurrere.

Quæ facilè ex ſcriptura ſacra confirmari poſſunt, dum aſſerit populum Iſraëliticum Dei tunc oblitũ fuiſſe, ſtatim atque voluptatibus potiti ſunt, vt Deuter. 32. *Deum qui te genuit, dereliquiſti,* & oblitus es Domini creatoris tui: quod quidem contingit, poſtquam ille incraſſatus eſt,& impinguatus, atque dilatatus, tunc enim recalcitrauit, *dereliquit Deum factorem ſuum,& receſſit à Deo ſalutari ſuo.* Sic etiam iidem Iſraëlitæ Iud. 3. 7. *obliti ſunt Dei ſui, ſeruientes Baalim,& Aſtaroth.* pſal. 105. verſ. 13. *obliti ſunt operum eius.* verſ. 21. *obliti ſunt Deum, qui ſaluauit eos.* Qui tamen Dei recordabãtur,& ad eum inuocandum redibant; ſtatim atque aduerſis confligebantur. Adde quod dũ numinis diuini recordamur, eius admiramur prouidẽtiã, qui homines mediis adeo diuerſis regit; eius bonitatẽ aduocamus, vt nos liberet; noſtram imbecillitatẽ,& tenuitatem agnoſcimus, quæ nuſquam abſque eius miſericordia ſubſiſtere poſſit,& ſic volentes nolentes Deo gloriam tribuere cogimur: atque mundi pompam adeò fragilem,& voluptates vtpote fallaces contẽnimus, adeout fateamur oculos animi in aliquem alium meliorem ſtatum conuertendos eſſe,& meliora nos manere, quàm ſint iſta inferiora, ad quæ ſi

Deut. 32.
Iudic. 3.
Pſal. 105.

inspexerimus, omnes mundi delectationes vilescent, & virtutes maiori delectatione colemus.

19 Docet tribulationes nō esse malas.

19. Ratio est, quod reuera tribulationes, dolores, & omnia aduersa non sint verè mala, neque voluptates, & omnia fortunæ bona sint verè bona, quæ duo manifesta sunt ex eo quod illorum malorum tolerantia, & istorum bonorum contemptus sæpe necessaria sint, vt quis secundum virtutem se gerat, & iustus, fortis, prudēs, temperās, atque bonus esse dicatur: iustus enim vitam, diuitias, honores, & voluptates præ virtute nihili pendit: nec obstat quod impij bona ista virtutibus præferāt, quorum iudicium minimè sequendum est. Hinc fit, vt ea, quę iusti patiuntur, & si pluribus mala videantur, reuera tamen mala non sint, sed bona; eáque lōgè meliora, quàm sint diuitiæ, honores, & imperia, quibus improbos frui sæpe videmus, quæ sua nos specie decipiunt.

Itaque si ostendero bonos etiam in hoc sæculo tantùm bonis gaudere, malos verò malis affici, ac proinde bonis in hoc mundo, nec malis supplicia deesse, omnibus Atheis, & diuinam prouidentiam negantibus abundè satisfecisse, & omnem scandali lapidem amouisse videbor.

Quod in hoc mundo boni præmia accipiant, nec eis mala contingant, impiis verò mala sint, & supplicius afficiantur.

NVnc in Atheorum gratiā scripturam sacram omitto, Deum, aut animæ immortalitatem aduersus eos non vrgeo, verùm solo naturæ lumine vtor, solisque authoribus, qui lumen illud secuti fuēre: alioquin si mihi liceat sacros attingere codices, nouū præsertim testamentum, facilè quispiā fatebitur nihil in eo sæpius nobis inculcari, quā paupertatem; patientiam, odia, contumelias, morbos, carcerem, inediam, exilium, tormenta, ignes, cruces, &c. ad quæ Christus, & Apostoli tam verbis, quàm exemplo efficacissimè hortati sunt; his quippe sciebāt nobis ad optatissimā fœlicitatē omnium bonorum aggregatione perfectam iter facilè præparari. Quibus omissis, ad ipsos paganos accedo.

Plotinus. Imprimis verò Plotinus contra Gnosticos multa ex iis, quæ vulgò mala videntur, bona esse locupletissimè demonstrauit; ita calamitatem

Seneca. virtutis occasionem appellauit Seneca lib. de prouidentia. Vbi ait. *Illos meritò quis dixerit miseros, qui nimia fœlicitate torpescunt, quos velut in mari lento tranquillitas itineris detinet. Quicquid illis inciderit, nouum veniet*, qui ipso naturæ lumine in ea verba prorumpit. *Hos itaque Deus quos probat, quos amat, indurat, recognoscit, exercet, eos autem quibus indulgere videtur, quibus parcere, molles venturis malis seruat. Erratis enim, si quem iudicatis exceptum. Sed veniet ad illum diem fœlicem sua portio. Quisquis videtur dimissus esse, dilatus est. Deus optimum quémque aut mala valetudine, aut luctu, aut incommodis afficit. Dicant quicumque iubentur pati timidis, ignauisque flebilia, digni visi sumus Deo, in* quibus experiretur, *quantum humana natura posset pati. Fugite delicias, fugite eneruatam fœlicitatem, qua animi marcescunt, nisi aliquid interuenit, quod humanæ sortis admoneat.*

Hinc Boëtius 2. de consol. prof. 8. *Mirum est, quod dicere gestio, eamque sententiam verbis explicare vix queo. Etenim plus reor hominibus aduersam, quàm prosperam prodesse fortunam. Illa enim semper specie fœlicitatis (cū videtur blanda) mentitur: hæc semper vera est, cùm se instabilem mutatione demonstrat: illa fallit, hæc instruit, illa mendacium specie bonorum mentes fruentium ligat; hæc cognitione fragilis fœlicitatis absoluit. Itaque illam videas ventosam, fluentem, suique semper ignaram; hanc sobriam, succinctámque & ipsius aduersitatis exercitatione prudentem: postremò fœlix à vero bono deuios blanditijs trahit, aduersa plerumque ad vera bona reducit, velut vnco retrahit. An hoc inter minima æstimandum putas, quòd amicorum tibi fidelium, mentes hæc aspera hæc horribilis fortuna detexit? Hæc tibi certos sodalium vultus ambiguósque secreuit, discedens suos abstulit, tuos reliquit. Quanti hoc integer, & (vt videbaris tibi) fortunatus emisses.* Quæ Boëtius tantùm vt philosophus dixit, tametsi Christianus esset.

Hesiodus, teste Plutarcho, ista quæ vulgò mala nuncupantur, vt persecutionem, & paupertatem, & id genus alia, tanquam Deorum dona veneratus est, diuitias verò, & imperia tanquam fortunæ ludibria cum Platone, Anaxagora, Thalete, & alijs philosophis irrisit, atque contempsit. Crates Thebanus magnū auri pondus in mare proijciens, ait. Abite malæ cupiditates: ego vos mergam, ne ipse mergar à vobis. At verò sepositis authoritatibus, & exemplis idem rationibus cōfirmo, quibus præsertim Athei duci videntur. Ille potens, fœlix, & beatus est, qui adipiscitur, quod appetit, at soli boni, non autem mali sibi comparant illud, quod appetunt, igitur soli probi sunt fœlices. Maior clarissima est, quid enim est fœlicem esse, nisi omnia habere, quæcúmque vis? quicquid sit fœlicitas. Minor verò probatur, quia vir probus id tantùm appetit, quod est honestum, & secundum rectam rationem, quo dum fruitur, contentus est; quo cùm in medijs afflictionibus, & aduersis quibuscúmque potiri valeat, & reuera potiatur, quia tunc maximas, & heroicas virtutes exercet, semper beatus est, & maximè beatus, dum maxima propter virtutis bonum sustinet.

Plutarchus

Crates.

Soli boni sunt diuites, & fœlices.

Mali è contra semper infœlices dicendi sunt, qui bonum illud, & finem nunquam assequūtur, in quo fœlicitas consistit, quippe qui non operantur ob virtutis honestatem, in qua bonum hominis, etiam immortalitate præcisa, situm esse videtur: nam si finem hunc mali assequerentur, non ampliùs mali essent, sed eos bonos fieri necessum esset, sicut eum album fieri necesse est, qui albedine afficitur. Nec mihi dixeris impios etiam beatos fieri, quia sibi ea comparant, in quibus suum bonum, suamque fœlicitatem positam esse arbitrantur, vt id summum bonum iudicetur, quod sibi quisque potissimum expetierit, nam præterquam quod impij peruersum habent iudicium, nō sunt minus infœlices, licet ad id, quod exoptarint, vt ad voluptates, honores, imperia perueniāt, quia miserè, & impotēter ea sibi comparant, nam ad ea mediis sceleribus & indebitis modis conuolant, vel absque præmio merito adipiscuntur.

Mali semper infœlices, & pauperes.

Deinde boni suam ita naturam seruant, & perficiunt, vt seipsos transcendere videantur: mali verò suæ naturæ præstantiam deiiciunt, atque adeò in sua natura non permanent; natura siquidem humana

humana virtute seruatur, atque virtute perficitur, & velut in diuinam permutatur, sicut vitio corrumpitur, vnde mali quasi homines esse desinunt, nec homines nisi cum additione, veluti mortui, & cadauera dicendi sunt, cùm in belluam conuertantur; nam alienorum bonorum raptorem, lupum; linguosum, canem; insidiatorem vulpem; iracũdum, leonem, timidum, cuniculum; segnem atque stupidum, asinum; inconstantem, auem; libidinosum, suem iure dixeris. Impij autem sunt bonis impotentiores licet amplissima famulorum caterua, militúmque satellitio stipati sint, quia mala perpetrare, ob quæ mali sunt, nõ est potentiæ, sed impotẽtiæ, & defectus; vnde fit vt Deus cùm sit omnipotẽs, nullum peccatum committere possit, & eo quis impotentior, & imbecillior dicendus sit, qui pluribus vitiis implicatur. Confirmatur ex eo quòd mala, & peccata nihil sint, nisi boni priuationes, vnde sequitur nihil improbos posse, etiamsi quodlibet exerceant. Adde quòd si miserum est praua voluisse, potuisse miserius, perfecisse verò miserrimum sit, itaut impij triplici infœlicitate vrgeantur, vna cum praua cupiunt, altera, cum cupita possunt; tertia, cùm ea, quæ possunt, perficiunt. Qui etiam eò sunt infœliciores, quò pœnam debitam magis effugiunt. Cùm enim vltione praui mores corrigantur, & ad rectum supplicij terrore reducantur, consequens est, vt haud mediocre bonum sit vltio, & supplicium. Quod si miseriæ cuiuspiam bonum aliquod adiiciatur, boni admistione fit miseria minor. Improbi igitur, qui suæ improbitatis pœnam minimè luunt, longè infœliciores sunt, quàm qui supplicia subeunt, cùm sceleribus impunitatem addant, quæ quidem impunitas malum est; sicut enim puniri improbos iustum est, ita eosdem impunitos elabi iniquum erit. Hinc fit improbos reuera miseros esse, & infœlices, licet iniuriam bonis inferant, & nullam patiantur; quapropter iniuriam facientibus meritò iudices supplicia decernunt, patientibus verò præmium.

Quomodo homines belluarum nomen sortiãtur.

Triplex hominis impij miseria.

Quis igitur deinceps impios laudabit, tametsi reges fuerint? cum adeò sint miseri, & infœlices. Quis proborum conditionem infœlicem pronuntiabit? sed quis non beatam? cùm omnia aduersa eis contingentia, & sæpe ab impiis illata longè meliora sint quàm ea, quæ flagitiosis contingunt, quoniam occasiones virtutum sunt, vt patientiæ, martyrij, &c. quibus ad summum humanæ naturæ bonum, tendimus, quod omnes siue boni, siue mali appetunt; licet soli boni ad illud perueniãt, & ab eo longè deiiciantur improbi, qui eo longiùs à fine, & bono naturæ humanæ recedunt, quo diutiùs vixerint. Ea propter satius esset impium citò mori, quàm diutius viuere, quandoquidem peior in dies euadit; quod D. Ambrosius l. de bono mortis c. 7. *Grauius est ad peccatum viuere, quam in peccato mori, quia impius quandiu viuit, peccatum auget, moriatur, peccare desinit. Plerique criminum suorum absolutione lætantur; si emendaturi sunt, rectè: si perseueraturi in eis, stultè, quia longè illis plus damnatio profuisset, ne incrementa facerent peccatorum.*

At diuitem esse in hoc mundo, inquies rebus cæteris præferendum est, quandoquidem pecuniæ obediunt omnia. Itane verò belluine homo? *Quæ est ista in commemoranda pecunia tua tam insolens ostentatio? solusne tu diues? egone*, vt iam cum Tullio 6 parad. loquar, *audiuisse aliquid, & didicisse non gaudeam? solusne tu diues? quid si ne diues quidem? quid si pauper etiam? quem enim intelligimus diuitem? aut, hoc verbum, in quo homine ponimus? opinor in eo, cui tanta possessio est, vt ad liberaliter viuendum facilè contentus sit; qui nihil quærat, nihil appetat, nihil optet amplius. Animus enim oportet tuus, se iudicet diuitem, non hominum sermo, neque possessiones tuæ: qui si tibi nihil deesse putas; nihil curas amplius, satiatus es, aut contentus etiam pecunia &c.* Deinde. *Animus hominis diues, non arca appellari solet quamuis illa sit plena, dum te inanem videbo, diuitem non putabo.*

Tullius.

Etenim ex eo, quantum cuique satis est, metiuntur homines diuitiarum modum. Filiam quis habet? pecunia est opus. duas? maiore. plures? maiore etiam, & si, vt aiunt Danai, quinquaginta sunt filiæ, tot dotes magnã quærunt pecuniam; quantum enim cuique opus est, ad id accommodatur, vt ante dixi, diuitiarum domus. Qui igitur nõ filias plures, sed innumerabiles cupiditates habet, quæ breui tempore maximas pecunias exhaurire possint, hunc quomodo ego appellabo diuitem, cùm ipse egere se sentiat? & paulo post. *si censenda nobis atque æstimanda res sit, vtrum tandem pluris æstimabimus pecuniam Pyrrhi, quam Fabricio dabat, an continentiã Fabricij, qui illam pecuniã repudiabat? Vtrum aurum Samnitum, ad responsum M. Curij? hereditatem L. Paulli, an libertatem Africani, qui eius hereditatis, Q. Maximo fratri partem suam concessit? Hæc profectò, quæ sunt summarum virtutum, pluris æstimanda sunt, quàm illa quæ sunt pecuniæ. Quis igitur, siquidem vt quisque, quod plurimi sit, possideat, ita ditissimus habendus sit, dubitet, quin in virtute diuitiæ sint? quoniam nulla possessio, nulla vis auri, & argenti, pluris quam virtus æstimanda est.* Denique circa finem ait. *Nos igitur ditiores sumus, qui plura habemus. vtinam quidem essemus: sed non æstimatione census, verùm victu atque cultu terminatur pecuniæ modus. non esse cupidum, pecunia est: non esse emacem, vectigal est. contentum verò suis rebus esse, maximæ sunt, certissimæque diuitiæ.*

Quænam sint veræ diuitiæ.

Etenim si isti callidi rerum æstimatores prata, & areas quasdam magno æstimant, quod ei generi possessionum minimè quasi noceri potest; quanti est æstimanda virtus, quæ nec eripi, nec surripi potest vnquam: neque naufragio, neque incendio amittitur: nec tempestatum, nec temporum permutatione mutatur? qua præditi qui sunt, soli sunt diuites. Soli enim possident res, & fructuosas, & sempiternas, solique, quod est proprium diuitiarum, contenti sunt rebus suis: satis esse putant, quod est: nihil appetunt, nulla re egent, nihil sibi deesse sentiunt, nihil requirunt. Improbi autem, & auari, quoniam incertas, atque in casu positas habent, & plus semper appetunt, nec eorum quisquam adhuc inuentus est, cui quod haberet, esset satis; non modò non copiosi, ac diuites, sed etiam inopes, ac pauperes existimandi sunt.

Probi verè diuites.

Itaque ne mihi deinceps Athei diuites, & imperiis florentes obiiciant, quippe qui veris carent diuitiis, quæ in omni genere virtutum sitæ sunt: alioquin neq; pecuniæ, neque tecta magnifica, neque opes, neque imperia, neque eæ, quibus Athei maximè astricti sunt, voluptates, in bonis rebus numerandæ sunt, quippe cùm videamus homines rebus his circumfluentes, ea tamen desiderare maximè, quibus abundant, neque enim vnquam expletur, nec satiatur cupiditatis sitis, neque ea solùm, quæ habent, libidine augendi cruciantur, sed etiam amittendi metu: vnde Tullius ait continentissimos homines hæc commutabilia pecuniæ mẽbra, solo verbo bona putauisse appellanda, cùm re,

Videatur R. Moses qui l. 3. doctoris c. 55. quod est vltimũ philosophorum sententiam recitat, qui perfectionem in diuitiis, aut bonis corporis esse negarunt, & pro-

ac factis longè aliter iudicarent. *Potest ne*, inquit 1. parad. *bonum cuiquam malo esse? aut potest quisquam in abundantia bonorum ipse esse non bonus? Atqui ista omnia talia videmus, vt etiam improbi habeant, & obsint probis.* Vbi Biantem laudat, qui fortunæ ludibria irridens, dicebat, *Omnia mea mecum porto. Quid est igitur, quæret aliquis, bonum? si quid rectè fit, & honestè, & cum virtute, id bene fieri, & rectè dicitur: & quod rectum, & honestum, & cum virtute est, id solum opinor bonum.* Igitur ex dictis in hac ratione manifestum est etiam in ipsis rebus aduersis, & afflictationibus iustos, & virtute præditos bonis melioribus affici, quàm in omnibus prosperis, atque voluptatibus improbos; eapropter non est, quod Athei diuini numinis prouidentiam nullam esse putent, si bonos hisce tribulationibus, quas obiiciunt imperi, malos verò diuitiis, & voluptatibus affluere videant; quin potiùs concludere debent hæc quæ apud impios vocantur bona, minimè bona esse, sed ad summum indifferentia, quibus omnino virtutes sunt anteponendæ, quas in aduersis sustinendis boni exercent. Hæc autem ratio nobis iter ad 20 aperit.

bat illa non esse vera hominis bona.

RATIO XX.

Explicat quomodo virtus quælibet moralis sit adhuc virtus, licet anima mortalis esse supponatur, & numen tollatur.

20. RAtio est, quia probi viri sufficienter ipsa virtute, eiusque magna delectatione munerantur, quam in ipso virtutis exercitio percipiunt, mali verò per ipsa scelera, quæ perpetrant, non paruo supplicio afficiuntur.

Ratio 20 virtutis merampulchritudinē ostendit.

Vbi duo mihi probanda sunt, videlicet humanarum actionum præcisè sumptarum remunerationem sufficientem in virtute positam esse: deinde virtutis honestatem etiam per intellectum, & per impossibile animi immortalitate, & ipsa diuini numinis maiestate sepositis, etiamnum esse futuram. Quod ad primum attinet certum est actionem studiosam, seu virtute præditam neque congruò, neque condignè vitam æternam promereri; nisi cum peculiari Dei gratia coniungatur, quæ ei qualitatem, seu conditionem aliquam æternæ gloriæ proportionatam, vocant esse supernaturale, tribuat. Hîc autem de humanis actibus præcisè sumptis loquimur, déque virtutis honestate, atque pulchritudine, prout ab ipsis Atheis admittitur, atque describitur. Quod vt melius explicare possim, iam ponamus in eorum gratiam, quod ipsi supponant, & velut suæ cardinem impietatis constituunt, neque animi immortalitatem, vt nudi & inermes cū nudis hominibus dimicemus: hac enim ratione forsitan eos ad mentem, imo & ad ipsum Deum reuocabimus. Quæro igitur abs te, quid sit virtus, quid actio humana honesta: nam facilè postea ex definitione ad alia progrediemur.

Suppositio impossibilis in gratiam Atheorum.

Est igitur virtus habitus electiuus in mediocritate consistens definita à ratione, prout vir prudens iudicauerit, vt Arist. l. 2. eth. c. 2 docet. ἔστιν ἄρα ἡ ἀρετὴ ἕξις προαιρετικὴ, ἐν μεσότητι οὖσα τῇ πρὸς ἡμᾶς, ὡρισμένῃ λόγῳ, καὶ ὡς ἂν ὁ φρόνιμος ὁρίσειε: vel si mauis, virtus est habitus, qui bonum facit habentem,
2. & eius opus bonum reddit, vt c. 5. insinuat. ῥητέον οὖν ὅτι πᾶσα ἀρετὴ, οὗ ἂν ᾖ ἀρετὴ, αὐτό τε εὖ ἔχον ἀποτελεῖ, καὶ τὸ ἔργον αὐτοῦ εὖ ἀποδίδωσιν, vt iam omittam alias
3. definitiones, qualis est, quam 1. de cœl. c. 11. habet,
4. *virtus est vltimum potentiæ*, vel quam Theologi probant, dum aiunt esse bonam qualitatem mentis, *qua nullus malè vtitur, quamque Deus in nobis operatur*, vt D. Th. 1. 2. q. 55. a. 4 ex August. refert.

Definitur virtus ex Arist. Definitio 1.

D. Thomas.

5. Non est autem quod hîc discutiam, quænam sit illa mediocritas, quam philosophus in virtutibus moralibus requirit, de quibus nunc præsertim loquimur: verum sufficit, quod cum Atheis in virtutis notione conueniamus, quæ est *dispositio perfecti ad optimum*: quia disponit animum, & aptissimum reddit, & perficit, vt ad optimum. i. ad suam operationem perueniat; nam vnumquodque propter suam operationem factum esse videtur; adeout illum iure perfectum appellare possimus, qui rectè, & prout naturæ suæ congruit, operatur: sic enim ignem perfectum dicimus, quando perfectè calefacit, & aliud quodlibet integrum, & perfectum, vbi iuxta leges à natura sibi præscriptas, & inditas, vel, quod idem est, iuxta suæ naturæ congrua principia operatur. Hinc fit, vt cum hominis natura sit rationalis, seu intellectualis, perfectè dicatur agere, cū operatur iuxta id, quod recta ratio postulat: quam actionem iure studiosam vocamus, & honestam, ac virtute præditam omnes appellant.

Quibus suppositis Dico quemlibet actum iuxta rectæ dictamen rationis elicitum (etiam seposito per impossibile numine) futurum honestum, ac virtutis nomine dignum; quid enim ad virtutem requiritur, nisi vt aliquem actum eliciat, quē hîc & nūc recta ratio dictet eliciēdum esse? nūquid enim homo, qui hunc actum elicit, eo perficitur? nunquid naturæ lumen sibi impressum, & innatum sequitur? nunquid actus iste est electiuus, cùm ab ipsa voluntate profluat, quam lumen intellectus, seu ratio dirigit? nunquid in μεσότητι consistit, cùm neque ad ὑπερβολὴν, neque ad ἔλλειψιν, excessum vel defectum vergit? nunquid illud opus εὖ. i. perfectum efficitur; nam illo actu homo bonus fit, & suo munere bene fungitur. Non iam quæro, vt perficiatur in ordine ad numen diuinum, quod fieri nequit, nisi ille actus virtutis in Deum saltem virtute, vel interpretatiuè referatur, & supernaturali charitate, siue actuali siue habituali informetur, aut iuuetur: id enim ad eos spectat, qui non solùm animæ concedunt immortalitatem, sed etiam Deum opt. max. agnoscunt, atque venerantur.

Actus virtutis per se honestus est.

Itaque non video cur hominis cuiuslibet actiones non sint honestæ, statim atque iuxta rectæ rationis dictamen eliciuntur, si quidem illum perficiunt, nec minus impossibile arbitror actiones illas non esse honestas, & virtute præditas, quàm hominem non esse rationalem, adeout quemadmodum repugnat aliquem hominem, esse hominem, nisi sit rationalis, & habeat gradum intellectualem,

ctualem, ita etiam implicet actum humanum iuxta dictamen rationis, si vel secundum rectas humanæ rationis leges elicitum non esse virtutis nomine dignum.

Nec obstat quòd is, qui operatur actionem suam in Deum, vt supremum finem non referat; enimuero in moralis virtutis, de qua nunc agimus, ratione, atque conceptu, non includitur Deus siue vt finis, siue vt principium consideratus; sed nulla Dei penitus mentione facta virtutis essentia, & definitio constat, vt patet ex dictis; & sicut multi concedunt rerum physicarum, & metaphysicarum essentias, sicut & mathematicas veritates ita æternas esse, vt id ex se habeant, atque veræ sint tales, & nō aliæ ex se independēter à quocūque fine, vel principio, ita etiam arbitror virtutum, & honestarum actionum essentiam ab omni alio independentem esse, adeout sicut implicat animal rationale non esse hominem, ita etiam repugnet actum humanū iuxta id quod rectæ rationis leges postulant elicitum, vel quod idem est rectæ rationi conformem non esse virtutem, vel præditum virtute, quandoquidem vna alicuius rei essentia & definitio, seu conceptus essentialis obiectiuus alicuius essentiæ non est magis dependens, & talis ex se, quàm alius, sed omnes rerum omnium essentiæ ex æquo id habent, adeout id nulla virtute tolli possit.

Essentia virtutis independenter ab alio quocumque pulchra, & honesta est.

Vnde fortitudinis actum, quo quis intrepidè mortem propter virtutis bonum subit, etiamsi nullam animæ immortalitatem, aut nullum Deum constituas, virtutem dixerim, licet aliquis ipso fortitudinis actu se totum quoad corpus, & animam extingui permitteret. Quod vt clariùs elucescat, exemplum assigno non mortem pro Reip. defensione susceptam, quam virtutem esse quis negat? cum pars sit toti postponenda; id enim ratio dictat, sed aliquid longè minus. Sint duo Athei sese calefacientes, quorum vnus stricto ense mortem intentet alteri, nisi dixerit ignem illum præsentem esse frigidum, vel non esse calidum, dico hunc in defensionem veritatis mortem posse sustinere, adeout futurus sit ille fortitudinis actus heroïcus, quo Atheus virtute præditus meritò dici poterit, tametsi enim Deum nullum admittat, non ideo fortitudinis essentiam actus ille deperdit, sed integer permanet. Quapropter non probo Niphi sententiam, dum contra Pomponatiū agens l. de immortal. animæ c. 54. at mori cum virtute non esse bonum, nisi supposita animi immortalitate, quā negata, nec viuere, nec mori posse secundum virtutem arbitratur, sed tantùm secundum assuetudinem; nam vbi animus esset mortalis inquit, nulla esset virtus, quemadmodum nec belluæ, nisi per assuetudinem, vt bruta. Vnde negata animi immortalitate, nec esset vitium fugere, nec vitium mori: cùm virtus non sit, nisi propter immortalitatē. Qua ratione fit, vt non bene fugiens languido comparetur, cùm non sit vitium fugere, nisi animi immortalitate supposita, quibus dilucidatis apparet nullum se debere morti exponere quouis in casu, mortalitate animi supposita. Hæc Augustinus Niphus.

Fortitudinis actus bonus est, licet anima mortalis esse statueretur.

Exemplum.

August. Niphus refellitur.

Sed contrà, etenim siue virtus per se expetenda sit, siue non: siue Aristot. fortem se morti exponere debere existimarit, quamuis nullum bonum, vel malum defunctis assignasset (quod & Senecæ Pomponat. tribuit, quem aduertit epist. ad Lucil. credidisse animam cum corpore mori,) siue non: siue eiusd. Pomponatij ratio vrgeat, qui mortem propter virtutem subeundam asserit, etiam animi posita mortalitate, quia breuis vita cum virtute transacta melior est longa, quæ virtute careat, quia sic mortem obeundo humana natura finem suum attingit, & perficitur; & quia Seneca l. de consol. ad Martianum negauit post mortem esse virtutum præmium, licet vbique mortem non esse timendā prædicet; in qua etiam sententia Tullium fuisse putant, tametsi neque de fortitudine, neque de cæteris virtutibus vnquam dubitarit; siue rationes istæ nihil omnino concludant;

Arbitror virtutem fortitudinis; sicut & omnes alias tam morales, quàm intellectuales, etiamnum virtutes fore, licet animi sustuleris immortalitatē: Quicquid antea contrariæ sentētiæ fauisse videar, dum in vna ex rationibus, quibus Deum esse probaui, & qua inferiùs animæ immortalitatem probo, dixi omnia susque deque vertenda, & homines in omne flagitium ituros, si vel Deum, vel animi non admittant immortalitatem, adeout neque fortitudinis actus, quo mortem pro patria subiret aliquis, vera virtus futura esset, nisi De⁹, & immortalitas supponerentur: id enim ex communi aliorum sententia posui, quæ non parum habet authoritatis in rebus moralibus. Adde quod neque his ita nunc contrarius sim, vt non possim omnia in concordiam adducere. Neque enim adhuc asserui hos virtutis actus reuera ab Atheis exerceri, sed tantùm virtutis futuros actus, si debitè eliciantur. Est enim alia non parua difficultas, an de facto quis Atheus, vel paganus aliquem virtutis exempli gratia fortitudinis actum, de quo iam locuti sumus, exercere possit, qui ita bonus sit, vt nulla circonstātia vitietur; scio enim plurimos ideo mortem obiisse ob vanam gloriam, vtque post obitum honore afficerentur, & statuæ, atque obelisci eis erigerentur.

Conciliatur nostra hæc sententia cum aliis, quę contrariæ videri possent.

Dubium ostenditur.

Verùm aio fortitudinis actum, vt antea dictum est, elicitam rationem virtutis habiturum, tametsi omnia præter naturam hominum auferas; enimuero hic actus erit electiuus, circa res terribiles versabitur, & in mediocritate consistet, videlicet inter audaciam, & timiditatem; quid verò aliud ad virtutem fortitudinis requiritur? nunquid eius stat integritas quoad formalem conceptum, si rectè pericula aggrediatur, & difficultates sustineat? si præparet animum ad res magnas, & periculi plenas intrepidè aggrediēdas, vt sit magnanimitas, seu fiducia; si vim homini præstet, qua se accingat, firmo animo ad operis executionem, vt sit magnificentia, & animi celsitudo? si quodlibet constanter sustineat, nec animum molliter abiicere videatur, vt sit patientia: si permanētes difficultates tempore quantumcumque longo perpetratur, nec propositum laudabiliter susceptum turpiter vnquam deserat, vt sit perseuerantia. Atqui hæc omnia præstat, qui mortem patitur, ne mentiatur: nam mendacium cum sit malum per se, quodlibet potiùs sustinendum est, quàm vt committatur, est enim cōtra rationis dictamen, nec menti, vt par est, correspondet; vnde sermonis, & linguæ vsus, & ordo peruertitur, quibus mentis conceptus, & rei veritas, prout sese habet, exprimi debet.

Enumerantur partes fortitudinis

Dices fortassis te quidem facile concedere temperantiam ablata immortalitate virtutem adhuc esse, quæ circa voluptates corporis ita versetur, vt neque ad intemperantiam qua homines in belluas conuerti videntur, neque ad stupiditatem, quæ nos à moderata voluptate abducit, vno verbo ne-

Quid sit temperātia, & eius extremitates, atque species.

que ad dextram, neque ad sinistram deflectat: licet enim aliquis omnia immortalia pernegauerit, attamen naturæ rationalis lumen ostendet honestum esse, vt quis in ciborum voluptate modum adhibeat per abstinẽtiam, in potuum delectatione per sobrietatem, ne vel gulæ, vel ebrietatis fœdum mancipium efficiatur, in rerum venerearum exercitio per pudicitiam, & castitatem.

Continens. Mansuetus. Clemens. Studiosus. Modestus. Festiuus.

Facilè igitur ea concedes, inquis; neque, credo, negabis eum esse continentem, qui voluptatibus, licet difficulter, resistit: mansuetum, qui secundũ rectam rationem iræ frænum adhibuerit, & vindictæ compescuerit appetitum; cum etiam, puto, clementẽ pronũtiabis, qui pœnarum infligendarũ appetitũ cohibuerit; studiosũ, qui cauebit, ne plus a quo studiis incumbat, & huic discendi immani desiderio modum adhibuerit; modestum, qui in gestu, motúque decenti corporis occupabitur; festiuum, qui neque in ludis nimium occupetur, neque etiam ab illis nimium abhorreat.

Iustitia & eius partes. Idem profectò de viro iusto dices; neque enim eum laude dignum inficies, qui constantem, & perpetuam voluntatem habuerit ius suum vnicuique reddendi; qui omnibus per liberalitatem benefaciat, gratam acceptorum beneficiorum memoriam conseruet, eáque rependat, benignum omnibus per affabilitatem præstet obsequium, superioribus obediat, eorúmq; præcepta adimpleat, & in omnibus quæcumque loquitur, verax existat.

Prudentia, & eius partes. At verò sicut mihi concedis temperantiam, & iustitiam virtutis esse, quandiu homo est homo, seu rationalis; & sicut arbitraris eum prudentem esse, qui ita præteritorum recordatur, principia rerum singularium, & factibilium ita nouit, & attentè repugnantes aliorum sententias ita perpendit, vt postea, quid sit agendum fugiendumque præscribat; qui solers repente media ad propositum finẽ assequendum excogitat; qui prouidens iudicat quid sit agendum præuisis omnibus, quæ imposterum futura sunt: qui circumspectus ad omnes rei propositæ circumstantias animum conuertit, & cautus impedimenta occurrentia remouet: qui denique per Eubuliam media reperiat, per synesim de iis bene iudicet, quæ lege aliqua distincta sunt, demum per Gnomen ferat iudicium de iis, quæ nulla lege determinata fuêre: sicut, inquam, arbitraris eum, qui hæc omnia habuerit, esse virtute præditum, concedas etiam necessum est eum esse virtute præditum & laudabilem, qui pro defensione veritatis mortem subierit.

Eubulia, Synesis, & Gnome quid.

Nec obstat quod ipsa facultas, quæ actu virtutis perfici debet, in ipso actu fortitudinis pereat, cùm tamen in aliis virtutibus permaneat: etenim quod voluntas, seu animus viri fortis ex hypothesi falsissima mortalitatis animæ pereat, id per accidens contingit; at vnaquæque res per se considerari debet, & prius est aliquid esse virtute præditum, quàm vt hoc, aut illud contingat. Adde quod animus actu suo iam perfectus existat, quando perit: estque satis, quod officio suo functus fuerit, adquod à natura effectus fuisse videbatur. Alioquin negabis oculum visione perfici, nec vllas sensuum perfectiones præsertim in belluis admittes, quippe quæ moriendo totæ pereunt, quod absurdum est, nam facultas quælibet siue rei simplex esse habentis, vt elementi, siue tantùm viuentis, vt arboris, aut etiam sentientis, vt leonis actu suo perficitur, & munere suo defungitur, dum iuxta naturæ suæ tenorem operatur, tametsi illo suo actu perire debeat. Cur ergo non erit ille actus virtute præditus, quo vir aliquis mortem pro veritate tuẽda fortiter sustinet, & exemplo docet veritatem esse morti præferendam?

An melius fore putas, si ratio humana longiori paulo tempore existat, itaut peruertatur, & sibi ipsi repugnet, quàm vt penitus intereat? nũquid satius est, ne imminentis mortis difficultate frangatur animus, quam vt iisdem omnino fractus, mollis, & effœminatus à naturæ suæ perfectione deflectat? Quibus omissis totum negotium ad radicem attingo. Si fortitudinis actus, quo aliquis dempta mortalitate, & numine seposito, mortem pro veritate sustineret, non esset virtus, vel laudabilis, maximè quia nullum esset præmium actus illius, vel quia non ampliùs fortitudinis, & patientiæ conceptus essentialis superesset: at primum non obstat, quia præmium est aliquid virtutem consequens, nec qui honestis actibus studiosè vacat præmium quærit, sed ob bonum virtutis, eiusque meram honestatẽ operatur, quia hominem ita decet agere, non minus, quàm ignem calefacere, vel vrere, adeout semper iisdem actibus incumbere velit, quãuis asseueres eum omnium odium incursurum, bonorum omnium iacturam facturum, & tam quoad animam, quàm quoad corpus desiturum, adeout nullum præmium expectandum sit: id enim est propter virtutis honestatem operari, quando quis præter ipsam virtutis pulchritudinem nihil omnino respicit: cuius pulchritudo cùm non magis ab aliquo dependeat, quàm ipsius naturæ rationalis essentia, & conuenientia pulcherrima, quæ reperitur in admirabili intellectus, & volũtatis cum ipsa essentia humana connexione, quæ est æternæ veritatis: & cùm dictamen rationis non minus cum intellectu, & voluntate connectatur, quo ratio dictat actum fortitudinis honestum, & laudabilem esse, quàm ipsa ratio cum anima hominis: inde fit, vt sicut veritas humanæ naturæ, & connexio rationalium facultatum, cum ipsa anima semper vera est, nec potest aliter se habere, ita neque fortitudinis actus, quocúmque tandem supposito, cum quo illius actus formalis conceptus stare poterit, alio modo sese habere potest.

Quomodo operetur qui ex virtute agit.

Quod virtus sibi ipsi præmium existat, & quomodo.

Virtutis actus duplices spectatus.

SVperest ostendamus virtutem sibi ipsi vel operãti præmium esse posse: etenim duplici modo spectari potest: primò quatenus ab agente prorumpit in actum, & velut in fieri: Secundò prout est in facto esse, & potentiam perficit, à qua suum esse accepit: vel, si mauis homo sua ipsius actione perficitur, quia habitum virtutis sibi comparat, vel iam acquisitum auget; qui cum bonus, aut melior, atque laude dignior euadat quolibet actu virtutis, illam bonitatem, atque, vt ita loquar, laudabilitatem præmium virtutis appellare quid vetat? Quod vt meliùs intelligatur, certum est præmium illud, de quo loquuntur, qui negant virtutem sibiipsi, vel operanti præmium esse posse, non esse virtuti intrinsecum, & essentiale, sed extrinsecum: Iam faciamus nullum reuera præmium extraneum virtuti decerni,

decerni; quod reuera nullũ erit, si tollatur Deus, quia nemo est, qui post mortem retribuat, atque remuneret; ergone virtus omni præmio carebit? Nunquid id in se habet ante omne præmium, vt ipso præmio digna sit? quod nonnulli præmiabilitatem appellant. Hoc autem, quod sit præmio dignus homo, si quis esset, qui muneraret, nõ paruũ virtutis ipsius præmium appellarim. Adde, si lubet, ingentem delectationem, quam virtus generare solet, quæ sit maior, quo virtutis actus feruentior, & intensior fuerit. Vnde quis facile possit agnoscere, an ex virtute operetur, necne: enimuero nisi in iis, quæ facit, siue interna, siue externa sint, delectationem percipiat, tutò concludere poterit se reuera non studiosè, & honestè, seu ob virtutis motiuum, honestatem, & pulchritudinem agere, quam adeò pulchram ipsi Gentiles agnouerunt, atque confessi sunt, vt, si videatur omnium animos ad se conuertere, & allicere possit.

Quid sit virtutis præmiabilitas.

Quomodo scire potest aliquis, an ex virtute agat necne.

Neque tantùm id de quibusdam, sed de omnibus virtutibus dixero, qualis enim obsecro delectatio suboritur, dum passionibus animi ita frænũ adhibes, vt nullus sit motus iræ, nullus concupiscentiæ, qui rationi non obediat? quis illam lætitiã enarret, qua vir ille afficitur, qui motus omnes inordinatos ita compescuit, vt voluntatem suam veluti reginam deinceps aspiciat, quæ motus omnes animi, vt ciues optimos regat, & illis pro nutu imperet? qualis delectatio, cùm teste S. Doctore 1.2. q. 59. a. 3. tristitia de his, quæ conueniunt virtuti, non possit simul esse cum virtute, quandoquidem virtus in propriis delectatur.

Delectatio virtutum.

D. Thomas

Verùm istam delectationem omittamus & eam si fieri potest, ab operationis virtute præscindamus: nullam delectationem in animo suo persentiscat is, qui mortem pro veritate patitur, adhuc assero virtutis istius actum esse laudabilem, & operanti præmium, cùm illum meliorem reddat & id, quod in homine sublimius est, perficiat: adhuc bonus est actus, qui ex se ad potentiæ tendit decorem, atque perfectionem, quam in æternum perficeret, si quis animi constantiam perpetuò retineret: adhuc videt homo se ad hoc natum esse, vt rectæ rationi suam actionem cõformet, quæ dictat nunquam esse mentiendum; seu quod idem est, contra mentem dicendum; qui prout rationis dictamen sequitur, honestè operatur, & veluti remuneratur, quatenus ipsa operatio, quæ elicitur, in eodem recepta illum actuat, perficit, & in maiori bonitate, atque dignitate constituit.

Igitur ne deinceps & hæ te obiectiunculæ remorentur, sed apud te cogita, seriòque perpende homini non minus esse naturale, vt secundum rationem agat, atque studiosè viuat, quàm lapidi, vt centrum petat, & igni, vt sursum ascendat; ac proinde sicut vides lapidem non aliud postulare præmium, ex eo quòd ad centrum peruenerit, nisi vt ibi quiescat: tametsi corruptioni obnoxius est, ita neque virtus, quæ seipsa contenta est, & cui sufficit, si potentiam, à qua elicitur, perficiat.

Quid enim vnumquodque aliud postulat, nisi vt suis omnibus partibus constet, vt iuxta suæ naturæ principia agere possit; nisi vt actibus suis sese pro viribus perficiat? Homo verò dum pro veritate moritur, aut aliquem alium virtutis actum exercet, se, quantum valet, perficit, quia de potentia sese reducit in actum, qui actus, quo perfectior est, eò magis potentiam perficit, quæ per eum fit in actu secundo: quod tantam perfectionem dixerim, vt etiam summa summi entis perfectio non in alio sublimiùs, quàm in actu secundo collocari possit, vltra quem nulla est ampliùs interna rei perfectio. Vbi semper aduerte me tecum, Athee, rem habere: enimuero si cum theodidactis, & theologis, imo & cum eruditioribus philosophis loqui velim, illicò Dei bonitatem ineffabilem, & immẽsos thesauros admirabor, quibus naturam hominum ita sublimauit, vt iam ipsi Deo non tantùm in donis naturæ, sed & in gratiæ prærogatiuis similes esse videantur: his quippe desuper numinis suspicienda liberalitate datum est, vt filij Dei sint, atque cælestis hæredes gloriæ, quandoquidem actus illos rationis, & libertatis, quales sunt temperantię, iustitiæ, & fortitudinis quos hactenus enumerauimus, ad statum adeò nobilem euexit, vt præter illud præmium intrinsecum, quo virtutes seipsis hominem afficere videntur, amplissima præmia, ipso intrinseco, ipsáque pulchritudine virtutis lõgè maiora, meliora, atque pulchriora, eáq; sempiternum in æuum duratura homini præpararit. Quem ideo immortalem, & inexterminabilẽ initio mũdi produxerat, vt virtutis perpetua dulcedine, pulchritudine, atque delectatione in hoc mundo afficeretur, & æterna Dei ipsius contemplatione hîc in fide, in patria verò clarè perfrueretur. Vtinam à statu illo immortalis lætitiæ nunquam decidissemus, tunc enim Athei nulli fuissent, tunc nulla peccata, nulla mala. Illi igitur malorum nostrorum originem aspiciant: & numine concesso, se ad eum statim diligenti virtutum exercitio reducere satagant.

Ex quibus omnibus satis constat Deum adhuc admittendum esse, tametsi nullum præmium bonos, iustósque in alia vita maneret, tum quia Deus ad id non obligatur, præsertim cùm omnes per lapsum protoplasti, in quo velut in parente, atque semine continebamur, ius omne amiserimus, si quod nobis fuerit, quo præmium actionum nostrarum à Deo postularemus, vt iam ne quidem vmbra iniuriæ, iniustitiæ, aut improuidẽtiæ in Deo reperiri possit, qui licet nullum prẽmium corrupti hominis actibus decerneret, nihil sua maiestate faceret indignum, imo iustitia illius id postulare videtur, vt eos non ampliùs curet, nec illis vel vnum solis radium immittat, qui eum ita offenderunt: Addo numen diuinum iustè ob peccatũ, tam Adamum, quàm omnes posteros in nihilum redigere potuisse.

Licet boni non remunerentur, Deus tamẽ admittendus esset, vt patet ex rationibus, quæ numen probant.

Mecum igitur, Athee, diuinam bonitatem suspice, misericordiam admirare, qui Filium vnigenitum nobis vnione ineffabili coniungi voluit, vt illud nostrum esse, quod in nihilum redigi promeruerat, nostræ actiones: quæ omni Dei concursu indignæ erant, in illud ius, atque statim restituerẽtur, in quo ab initio mundi fuerant; vt iam omnia nostra, tam ij, qui in lege naturæ, quàm scripta, & gratiæ fuimus, Christo Domino debeamus, in cuius sanguine salui fiunt, quicumque salutem consequuntur, & æterna beatitate perfruũtur, quia agnus *occisus est ab origine mundi*, Apoc. 13. 8. & in Christo Deus pater omnia reconciliauit, & *in ipso condita sunt vniuersa*, ad Colossens. 1.16.

Itaque si velis in statu naturæ corruptæ permanere, nego Deum præmia nostris actibus debere, quippe qui nihil in se habent, quod aliquo diuino præmio affici debeant: sed ipsa virtutis bonitas, & perfectio sola nobis præmium erit, si tamen præmium aliquod nobis affuturum sit. De peccato-

Peccatum ex se deforme, & malum est sibique ipsi supplicium.

torum suppliciis par esto iudicium, quandoquidē contrariorum eadem est disciplina, & scientia: enimuero sicut virtus subiectum, in quo est, perficit, ita peccatum inficit, fœdat, atque commaculat: nec vlla pœna potest inferri, quæ tantum supplicium, tantumque horrorem inuehat, quantum ipsum peccatum, cuius deformitas vincit omnem fœditatem: licet præterea supplicio externo dignissimū sit: siue illo afficiatur, siue non. Nunquid ergo probos sufficiēti præmio, impios verò supplicio vides affici? Nec enim obiicere potes virtutem præmio sempiterno dignam esse, qui ipsam tollis immortalitatem; & eum qui præmio remuneret: quæ vbi concesseris, præmia dignissima, & omni æstimatione, maiora tibi reponemus: quæ mundi seruator Christus suo nobis sanguine promeruit: quique hunc in mundum descendit, vt in assumpta natura humana patefaceret, quantam in se deformitatem, atque malitiam peccatum includat, & quanto in pretio virtus habenda sit.

Cur Christus venerit & mortuus sit.

Ecquid obsecro virtutem esse putas, nisi rationis exercitium? quæ cum ad imaginem ipsius Dei formata fuerit, illud exercitiū, diuinæ mentis operationes imitari, & ad earum similitudinem fieri debet, vt tunc omninodè ratio humana perfecta dici possit, quando illius operationes diuinis operationibus, quoad fieri poterit, similes erunt. Contemplare obsecro quid numen æternum deceat, quid agat, quomodo, quando, & cur operetur, & illud pro viribus imitare, sic enim breui rationem tuam perficies, & ad virtutum colophonem peruenies.

D. De Sales Episcopus Geneuensis tract. de amore Dei illud exercitium pulchrè describit, legat illud, qui Theotymi sunt.

Hactenus autem me tibi clarissimè probasse arbitror non ideo numen tollendum esse, aut eius prouidentiam esse nullam, quòd nunc probi aduersis rebus affligentur, & ab impiis conculcari videantur, improbi verò bonis affluant, & cæteris pro libito dominentur: tametsi enim rationes illæ nouemdecim tibi minimè satisfacerent, hanc, credo, vigesimam non repudiabis. Quibus omnibus addi potest Deum iustè post Adami peccatum hæc omnia permittere, vt sicut optima pars hominis ab inferiori, idest ratio ab appetitu sensitiuo superata est, adeout illa ancilla fieret, hæc domina illa seruiret, hæc tyrannicum imperium exerceret, ita etiam in istius obsequij peruersi, voluntarij tamen, & in istius peruersæ subiectionis pœnam, boni à peruersi affligerentur: illique horum mancipia fierent: nunquid enim iustum est, vt qui se ei subiecit, cui imperare debebat, iam ei subdatur cui nollet? & omnium peripsema fiat, qui sponte se tam fœdæ concupiscentiæ mancipauit? At verò plurima alia reperies in solutione sequenti obiectionum, quæ rationes istas mirum in modum iuuare, atque confirmare poterunt.

Ratio 21 cur Deus bonos affligi permittat.

OBIECTIO IV.

Sumitur ex Dei scientia, & Protagoræ tribuitur.

POst Diagoram Abderita Protagoras sequitur, qui licet hæc inferiora à summo bono dependere cerneret, quippe quæ ex se ipsis talia nō sunt, sed de nouo acquirunt esse, & illud admittunt, vnde quærebat. *Si Deus non est, vnde igitur bona:* attamen cùm mūdum hunc tot malis repletum aspiceret, postulabat, *Si Deus est*, vnde mala? Hoc autem Abderitanum dubium suo calculo comprobant Athei, & sequentibus rationibus confirmāt.

Argumenta Protagoristarum.

1 Si Deus est, vel cognoscit peccata, vel non; si cognoscit, igitur efficit, cùm eius scientia sit causa rerum; si non, igitur mundum non curat, id enim sine cognitione fieri nequit: nam si tot mala

2. videret, cur ea non expelleret? quæ si non possit expellere, est impotens, ac proinde non est Deus, si non vult, igitur illorum causa est, qui enim erran-

3. tem ab errore, cùm potest, nō eripit peccat. Quod si Deus vult peccata, facit, si non vult, igitur eo inuito committuntur, & sic vel erit impotens, vel improuidus, vel nescius, vel impius. Adde quòd melius esset mundum sine malis condidisse, cur igitur si Deus est, non ita fecit, cùm Deus & natura de possibilibus semper efficiant quod est melius. 4.

Denique qui causam damni dat, damnum fecisse censetur l. qui occiderit, §. in hac, ad legem Aquil. & l. nihil interest. ad leg. Cornel. de sicar. at Deus causam peccati dat: alioquin cur ei medelam non affert? an dices eum pœnitētiam & misericordiam expetere, quæ sine peccatis esse nequeat? Sanè qui finem intendit, intendit & media, at peccata sunt media, in quæ pœnitentia, & misericordia exerceatur; sicut & tyrannica impietas illi placebit, cum ea mediante contingat martyrium, quod Deo placere testis est psalmographus, dum ait. *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius.* Psal. 115. 5. 6.

Psal. 115.

Solutio.

HÆc obiectio plurima inuoluit, quæ tum ad scientiam, & prouidentiam, tum ad potentiam, & voluptatem diuini numinis attinent, quæ suis infra locis explicabūtur, & dissoluentur. Nunc verò tantùm discutiemus, an possit fieri, vt Deus peccet, & quomodo eius scientia non sit causa peccati vllius. Iam enim in obiect. 3. prouidentiam Dei defendimus, de qua etiam multa postea, præsertim in 8 obiectione; in aliis verò quodlibet ex sex huius obiectionis argumentis refellemus. Itaq; certum est Deum mala cognoscere, nec tamen ea facere, quod de malis culpæ, quæ sola dici peccata debent, si strictè loquamur, intelligo; quo supposito, clarè quibuslibet Atheis ostēdo Deum nec facere: nec posse efficere peccata: quod ipse Protagoras agnoscere videbatur, dum interrogaret, *si Deus non est, vnde igitur bona?* Deus est summum ens, summumque bonum, quod deficere nequit, quod mutari nequit, igitur nec peccare, quid enim est peccatum, nisi defectus, quid peccare, nisi deficere? quomodo Deus malum faceret, qui peccatum non habet? nemo enim dat, quod non habet. l. nemo

Protagora quæstio.

l. nemo ff Malum, seu peccatū definitur.

nemo plus iuris ff. de regul. iuris: Deus verò nec actu, nec virtute peccatum continet, & vbi peccaret statim desineret esse Deus; adde quod malum formaliter sumptum non sit ens, nec igitur à summo ente pendere potest? quid est ergo malum? nunquid sola bonitatis priuatio? nunquid entitatis defectus? nunquid carentia rectitudinis, quæ nostris actibus inesse debet? tolle omnem obliquitatem, sustuleris omne vitium: pone quamlibet priuationem omnemque negationem, omnem entitatem dempseris: dissipentur ergo hæreticorum fallaciæ, qui Deum peccati authorem constituunt; nihil penitus à Deo vel efficiente, vel præcipiente, vel consulente proficisci valet, nisi bonitatis diuinæ particeps sit; quid enim aliud sunt omnes creaturæ, nisi quædam primi entis participationes, & effluxus? qua magis à Deo, quàm à sole radij, quàm ab igne calor, quàm à potentia actus, quàm ab obiectis species intentionales, quàm vlla ab vllis substantiis accidentia, quàm vlla à relatiuis respectus in esse, & in fieri, dependent: malum ergo nequit à Deo produci, alioqui Deo inhærere deberet, quod æquè impossibile est, ac vt in Deo vlla passiua potentia effingatur: quod non tantum verum est iuxta Theologos asserentes malum culpæ tam in peccatis cōmissionis, quàm omissionis esse meram priuationem, sed etiam iuxta illos qui volunt in commissis peccatis esse reale positiuum aliquid, quod sit formaliter peccatum: hi enim illud à Deo negant effici posse, sed à peruersa voluntate duntaxat, à qua in genere actus vitalis vt formaliter mali tantummodo pendere asserunt: in peccatis autem omissionis solam priuationem admittūt, sed quicquid sit liberè fatentur peccatum esse defectum: mala verò pœnæ Deum facere concedo, quo sensu dicit se creare malum, nec esse malum in ciuitate, quod non faciat.

Quod impossibile sit Deū peccatum facere.

Sententia theologorū dicentium aliquid esse positiuū in ratione formali peccati commissionis.

Deus ergo nequit esse causa peccati: restat, vt ostendam eum omnia peccata scire? quod vt meliùs intelligatur, aduertendum est scientiam Dei, quæ secundum se simplicissima est, cùm sit ipse Deus actus purissimus per tritum axioma, *quicquid in Deo est, Deus est*, pro terminorum varietate diuersa nomina sortiri: vna dicitur merè *naturalis*, qua Deus ab æterno ante omne liberum decretum res omnes possibiles cognouit, secunda *libera* est, qua post illud decretum omnia futura nouit: 3. verò dicitur *media seu conditionalis & hypothetica*, qua sub conditione scit, quid homines, & angeli pro sua libertate facturi essent, si in hoc aut illo rerum ordine collocarentur, vel si alios sequi malimus, sciētia Dei vel est simplicis intelligentiæ, qua possibilia nouit, vel est visionis, qua præterita, præsentia, & futura clarissimè videt: quo posito, dico peccata omnia à Deo cognosci, statim atque futura sunt, itaut hæc Dei præscientia futuritionem eorum præsupponat, vnde D. August. c. 10. de prædest. sanct. ait, *præscire autem potens est etiam, quæ ipse non facit, sicut quæcumque peccata*: & de animæ origine c. 7. *Præscientia Dei peccatores prænoscit, non facit.* quod habetur clarè Psal. 68. *Deus tu scis insipientiam meam, & delicta mea à te non sunt abscondita*, & 89. *posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo*: Quod si quæras per quam scientiam ea cognoscat, per triplicem assero, per naturalem, quatenus possibilia sunt, per mediam, prout ex hypothesi futura sunt: & per liberam seu visionis, vt sunt absolutè futura: Denique si petas, qua ratione peccata videre posit, cùm sint meræ pri-

ScientiaDei quomodo sit simplex, & triplex.

Duplex scientia Dei.

D. August.

Quod Deus peccata triplici scientia cognoscat.

Psal. 68. & 69.

uationes, & nihilum, dico illa Deum cognoscere per virtutes eis oppositas: etenim boni, virtutisque priuationem inesse peccatori nouit, quatenus bonum illud cognoscit, quod ei inesse deberet, nec tamen inest: quo ferè modo per lumen tenebras nouimus, licet aliqui, quos inter Durandum annumerant, velint Deum mala scire per suam bonitatem, quæ quamuis non sit opposita peccato formaliter, quia virtus opposita peccato verbi gratia, temperantia ebrietati, non est in Deo formaliter, & quamuis peccati malitia non priuet hominem Dei bonitate, velut opposita forma sed tantum vt obiecto & fine, à quo, dum conuertimur ad creaturam, auertimur, ad quem antea per charitatem conuertebamur: attamen satis esse arbitrantur, quòd bonitas Dei virtutes omnes saltem eminenter contineat, vt per eam omnia peccata cognoscat: nam quòd per colorem, visus obiectum, non cognoscatur cæcitas, mirum non est, cùm nec eminenter, nec formaliter in obiecto visibili, verbi gratia in albo colore, visus contineatur.

Per quid Deus peccata nouerit

Ex quibus omnibus elicio Dei scientiam nullo modo esse causam peccati, si enim sit libera seu visionis, non solum peccata, sed & cætera bona, priùs futura sunt, quàm vt per hanc scientiam Deus illa cognoscat: neque etiam per scientiam naturalem peccata facit, vt pote quæ ea tantùm intelligit, vt possibilia? neque per mediam, per quam nihil omnino nouit ex iis, quæ verè, & absolutè futura sunt: neque per scientiam practicam, seu approbationis, quæ est scientia naturalis includens voluntatis diuinæ de hoc aut illo opere creando decretum: in qua illud peculiare percipio, quod per hanc scientiam neque peccata faciat, neque cognoscat, hoc enim sensu id Abachuc 1. debet intelligi, *mundi sunt oculi tui ne videant malum*: Math. 25. *Amen dico vobis, nescio vos.* 1. Corin. 14. *Si quis ignorat, ignorabitur*: vt & cætera, quæ passim in scripturis sacris, sanctisque patribus habentur.

Quod nulla Dei scientia sit causa peccati.

Abac. 1. Math. 25. 1. Cor. 14.

Multa mihi Cæsaris dicta notanda venirent, nisi ad vtiliora festinarem, qui licet Theologis non semel succenseat, & velut inscitiæ redarguat seque illis omnibus acutiùs videre dicat multis in locis, attamen satis ostendit se non adeò subtilem esse; nec enim sequeretur peccatum non esse voluntati liberum, etiamsi Deus illud cum voluntate faceret (quod tamen aliunde impossibile est) quod patet in bonis actibus liberis quorum potiorem authorem Deum esse fatemur, qui tamen liberrimi remanent, cùm omnia tam suauiter regat, & tam mirabiliter cum singulis concurrat, vt modo agendi eorum siue naturali, siue contingenti, siue libero nullatenus officiat: sed animaduersione dignius est quod negat Deum formale peccati non agnoscere, quod ex Aristotele 3. de anima tex. 25. confirmat, vbi Philosophus ait priuationem non cognosci ab intellectu semper existente in actu: sed in eo loco nihil tale reperio: textum producamus. *Id autem quod cognoscit, potentiæ nimirum esse, & in ipso potentiam inesse oportet. Quod si causarum alicui nullum sit omnino contrarium, illa seipsam profectò cognoscit, est & actus, & etiam inseparabilis.* Cuius sensus est, quod si proprium facultatis intellectricis, quæ est in potentia, & non in actu puro, cuiusmodi est humanus

Vanini instantia retunditur.

Aristot. explicatur.

O

intellectus, ex vnius cognitione ad alterius cognitionem præcedere; quod si quis intellectus fuerit, qui ex prænotione vnius non deducatur ad cognitionem alterius, sed in se ipso omnia vnitè comprehendat, oportere eum esse actum purissimum, & à potentia materiali abiunctum, quod est ipsa diuina mens, sic enim interpretes ad hunc locũ; sit ergo fixum atq; ratũ peccata à Deo cognosci, ea tamẽ Deũ nõ posse facere, quia sũt à sola causa deficiẽte factibilia: quamuis autẽ id Aristoteles dixisset, maiora sunt præmissa rationum põdera, quã vt eũ sequi possemus. Alia soluuntur in sequentibus.

OBIECTIO V.

Ex Dei prouidentia, & potentia, & voluntate depromitur.

Deus in eo mirabilis, quod ex malis bona eliciat. Gen.45.

HÆc obiectio petitur tã ex parte prouidẽtiæ, potentiæque diuinæ, quã voluntatis, dum conãturostẽdere Deũ vel homines negligere, vel eorũ peccata non posse, aut nolle impedire; quibus, vt credo iam ex ea parte satisfactũ est, qua censebant Deum esse peccatorum authorem; quod autẽ res humanas curet, fusè satis in responsione ad 3. obiectionem probauimus: quibus addo tãtam esse Dei prouidentiam, vt etiam ex voluntate mala bonos effectus eliciat, melq; de saxo durissimo educat; vt patet Genes. 45. *vos*, inquit Iosephus, fratres suos alloquens, *cogitastis de me malũ, sed Deus vertit illud in bonum, vt exaltaret me:* sic mortem suam Christus voluit ob bonorum præuisionẽ, quam exinde nascitura sciebat, & certè miram proportionem Deus obseruat inter malorum permissionem, & futurã, quæ inde proficisci debet, vtilitatẽ, quam non tantùm cuborũ geometricæ proportioni, qui sese mirum in modum superant adæquare, sed & longe præferre ausim; nam cubus in prima progressione præcedenrem octies duntaxat vincit, ac malum permissum non solùm octies, sed & octogesies octies, & ampliùs superatur à bonis inde postea cõsequentibus: non quod vlla bona ex malis per se nasci possint, id enim impossibile est, sed quòd sit tanta Dei bonitas, vt malum quodlibet, (quod eo licet prohibente, fit tamen permittente, nec impediente) centenario bonorum numero compenset; Et quod mirũ est malas voluntates ad minora mala sinit abire, quàm ad ea, ad quæ propensiùs ferebantur, sic enim peruersa Absalonis voluntate ad Dauidem puniendum, & virga Sennacherib ad populum suum castigandum Isai. 10. Rege Babylonis, vt malleo, & rete expanso Ierem. 50. Ezech. 12. Regibus Medorum Ierem. 51. Ieroboami rebellione contra Roboamum, Iehu cõtrà Achab 3. Reg. 11. & 4. Reg. 9 multisq; aliis ad impios debitis pœnis conterendos non semel vsus est, ex quibus colliges Dei prouidẽtiam latè per omnia diffusam esse, omnia penetrare, & à fine vsque ad finẽ attingere fortiter, licet omnia disponat suauiter: quo sensu verũ est quod apologet. c. 45. Tertul. habet, *Sanguis Martyrum, semen est Christianorum*; etenim ex vnius morte constantissimè perlata, gentilium plurima millia conuertuntur.

Cuborum proportio progressiua.

Quomodo Deus volũtate peruersorum vtatur. Isai.10. Ierem.50. & 51. Ezech. 12. 3.Reg. 11.

Tertulian.

De potentia diuina nullis, præterquam Atheis, dubium esse potest: hæc enim est, qua mundum hunc fabricauit, hæc est qua mille, ne dicam infinitos orbes, soles, lunas, terras, mundos faciliùs quã vt excogitare possit aliquis, in instãti creare valet; hæc est, cuius aspectu dæmones cõtremiscunt, cuius virtute cœli, terræq; cardines immoti persistũt, qua fultus angelus non solum omnes Ægypti primogenitos, sed & omnia viuentia, extinguere potest, omnes creaturas cõcutere, ac in minutissimas partes conterere; ecquis in dubium reuocet tantã potentiam, sufficere, vt nullum omnino peccatum in toto orbe fiat? quàm facilè Deus omnes voluntates fortissimè præuenire, quàm potenter, & efficaciter omnes momentis singulis ad bonum excitare, imo verbo vnico, simplici voluntatis consensu, ac decreto, impios omnes, licet flammis æternis iam addictos, inde liberare, & ad æternam fœlicitatem, si voluerit absolutè perducere posset. Absit ergo vt de eius potestate malè sentiamus, absit, vt eius ineffabili prouidentiæ succenseamus.

Quanta sit Dei potẽtia

Obiectio Atheorum, & lõga querimonia 13. quæstiones inuoluens.

Verùm audio submurmurantes: si peccatis occurrere non vult, si ea non auertat, quî fieri potest,
vt vel ab impotentia, vel à negligentia, vel ab eorũ
affectione liber euadat? quid enim prodest, quod
exorbitãtes in verum tramitem reducere & à prauis operibus ad sanam mentem reuocare dicatur
exhortationibus, inspirationibus, ac scripturis, si à
peccatis nos penitus auertere nolit? nunquid illud
potest? an timendum est, ne, si voluntatem in om- 1.
nibus actibus ad bonum determinet, liberum ar-
bitrium pereat? nunquid simul & illud illibatum 2.
custodire, & à peccatorum sordibus nos immunes 3.
reddere potest? cur nõ fecit liberum arbitrium si- 4.
ne peccandi facultate, cùm tam tale sit beatorum
arbitrium, qualis etiã fuit Christi libertas? nũquid 5.
Dei maiestatem, impeccabilis simul, & libera ma- 6.
gis extolleret quàm dum peccato subdita relin-
quitur, cùm Dei bonitas ex melioribus creaturis 7.
magis elucescat? quomodo igitur intelligemus.
Deum nolle peccata, nec ea facere, si enim ea no-
lit, cur non destruit, cur non impedit, cùm possit? Præoccupatio.
quomodo non peccat, si quod facilè posset, pecca-
tum non impedit: Nec satisfacit, quod salutem
omnium optare dicatur voluntate simplicis com-
placentiæ, non autem efficaciæ: enimuero si cu- 8.
pit, vt homines à peccato sint immunes, cur non
vno nutu extra mundi limites omnia flagitia ex-
terminat, profligatque? si contra voluntatem eius 9.
labitur homo, igitur humana voluntas diuinæ prę-
ualet, igitur Deus erit inferior homine, qui volun-
tate complacentiæ peccabit, contra voluntatem 10.
complacentiæ diuinæ; quænam est ista compla-
centia, cuius placitum nunquam in effectum pro- 11.
dit: nunquid æterni patris voluntas qua filium
suum vnigenitum diligit, est voluntas complacen-
tiæ, quem effectus amoris subsequitur iuxta id, 12.
*Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene compla-
cui*; cur ergo voluntatis diuinæ complacentiam, 13.
qua vult omnes saluos fieri, non consequitur salu- Præoccupatio.
tis effectus quonam modo voluntas illa salutis
omnium apparet, cùm alios efficaciter attra-
hat alios in massa perditionis relinquat? vbi
sunt media paganis tradita, quibus salutem
consequi possint, cùm etiam salutis fundamento, fide videlicet careant? quod si mihi suggeras opera naturæ, quibus, si legi cordibus

singulorum insculptæ satisfecerint, lumen diuinũ aderit. Vbi media sufficientia pro infantulis statim paganos inter emorientibus, vel adhuc in vtero conclusis, in quo sæpè necantur? hæc sunt Atheorum arietes, quibus cum Iulio clanculum se muniunt, & obstinatè defensant; qui clariùs, ob inquisitores quos suspicere, ac demirari fingebat, non est ausus obloqui; propterea, malum aliquomodo præter diuinam prouidentiam fieri addidit, ex eo quod Deus non assentiatur: aliquo modo nõ præter eam patrari, quia non illa prohibente, quia vult permissiuè, quod ad effectum non sufficit, nec certè in malum influit: Quibus omnibus quantum Deus opt. max. dederit, satisfaciamus.

Itaque mihi credo incumbit, vt ostendam Deum accusari non posse, nec argui de peccatis, quantumlibet ea, prout valet, non impediat: eum non esse crudelem, ex eo quod illa videat, ac permittat homines peccatis addictos flammis æternis tradi, quibus illos adiudicat: eius sapientiam, potentiam ac bonitatem non minus elucere in naturis, quibus peccare liberum est, quàm in illis, quæ peccato consentire nequeunt, nec tamen homines Deo præualere, quod aduersus eius desiderium, se peccatis mancipent: quæ cùm ostendero, Atheorum existimo querelæ, oráque blasphemias horribiles vomentia conticescent, ac obmutescere cogentur.

Sap.14. Libentissimè fateor Deum non impedire peccata omnia, licet ei displiceant & omnia prohibeat, Sap.14. *Odio est Deo impius, & impietas eius, qui nemini mandauit impiè agere & nemini dedit spatium peccandi, non enim concupiscit multitudinem filiorum infidelium & inutilium*, Ecclesiastic. c. 15. quinimmo ad omnes actus peccati concurrit, & cum homicida, cum iracundo sanguinis motum circa cor, cũ superbo motũ voluntatis, quo sese nimis extollit, cum quibuslibet peccatoribus omnia opera, seu actiones peccati efficit: nec enim existimandum est dæmones, & impios vllum suarum facultatum potentiæ, volũtatis, aut intellectus actum exercere posse, nisi Deus manus adiutrices eis continuò porrexerit, nec quicquam entitatis, seu realitatis est in peccato, ad quam Deus immediatione virtutis, ac suppositi non concurrat; cùm secundæ causæ nihil agere possint, nisi simul prima, ne priùs dicã, influat, & nisi dependenter ab ea; alioqui non esset actio peccati ens per participationem, quod necessariò dependet ab ente per essentiam? necesse est igitur, vt Deus effectiuè concurrat ad totam actionem peccati, tam secundum genericũ entitatis gradum, quàm secundum specificum, ac singularẽ, cũ actio peccati non minus sit ens per participationẽ secundũ gradum singularẽ, quàm specificũ, aut genericũ, ne dicã magis, cùm Deus agens creatũ, vel potiùs eius actiones quoad indiuiduum determinet, licet agens se quoad specificationem determinare dicatur, quibus non obstantibus.

[Ecclef. 15. Quomodo Deus ad id omne concurrat quod est in peccato ens verũ, & reale.]

[Quod Deus non sit author peccati & cur.]

1 Certum est Deum non esse peccatorum authorẽ, nõ tantũ quia lex non est ei posita, sicut homini, vt hoc aut illud non faciat, quod in actibus indifferẽtibus sola lege positiua homini prohibitis locũ habere posset, cũ Deus nulli legi sit obnoxius (quod de terreno principe legitur l. princeps § quod principi placuit, instit. de iur. nat. gent. & ciuil.) quod non est verum saltem in lege naturali malos actus ex natura sua prohibẽte, etenim Deus legẽ naturalẽ habet ei dictantẽ, quid sit agendũ, quidue omittendũ, ipsa enim Dei bonitas, & natura, est ipsi lex naturalis: nec satisfaciũt dicentes Deũ non posse à

[l. princeps. Institut.]

2.

lege deficere, à qua homo deficit, huius enim rationem quærimus: Deus ergo non peccat ad actionẽ peccati concurrens, quia concursus illius ex se indifferens est, ac generalis, ex cuius vi nulla in actione deformitas, aut malitia resultat; hominis autem cõcursus ad malum determinatus est: Deus nõ deficit, cùm ex sũma bonitate cuilibet actui cõcursum tribuit: homo verò deficit, quia diuinum concursum ad malum detorquet, eoq; abutitur, nemo est autẽ, qui non videat ad defectũ non concurrere Deum: quid enim diuino concursu semper al quid in rebus verũ, & reale efficiẽte, defectus, priuatio, falsitasq; indiget? quid deformitatis, ac malitiæ, cũ pulchritudine, ac bonitate sũma? quid lucis ad tenebras consortij, quæ Christi conuẽtio cũ Belial. At dices, diuinus cõcursus non est magis indifferẽs hominis cõcursu ad huius actionem, imo vnica est Dei, hominisq; actio singularis: esto. Sed modus, quo Deus concurrit, est indifferẽs, cùm agat homo quicquid voluerit, itaut ei liberrimũ sit diuino cõcursu ad hãc vel illã speciẽ actus vti, vel nõ vti, atq; tã quoad exercitiũ: seu actũ exercitũ, quàm quoad specificationẽ, seu actũ signatũ, liber existat, quomodo nulla sit ex parte Dei determinatio, sed tantũ ex parte hominis: & hæc tota actio posset ab homine proficisci sine malitia morali, vt si cum ignorantia inuisibili prohibitũ actum eliceret, ad quẽ tũc eodẽ penitus concurreret modo, ac cùm ille actus ab homine sciente, ac volẽte fit, & malitiã inuoluit, quod manifestè conuincit Deum non esse causam deformitatis actũ materialẽ, & physicũ cõsequentis: tum quia non illam intẽdit, vt eo bene vtamur: quoties enim id præcipit? tum quia libertatem vnicuiq; inseruit, vt ea bene vtamur: nec per eum stat, quin actionis deformis loco bonam actionẽ exerceamus, adest enim nõ solũ vt agonotheta nostras actiones respiciẽs, ac palma coronãs, sed & labores nostros promouens & adiuuans: quãtum obsecro scelus est tanta bonitate tã frequẽter abuti? nemo, nemo quærat imposterum causam malæ volũtatis, vel peccati, non est enim efficiẽs, sed deficiẽs, quia neq; malitia est effectio, sed defectio. Vt D. Aug 12 de ciuit. c. 7 ferè loquitur: Nec obstat, quòd Deus illo suo concursu malè vsuras præsciat: cum enim æterna sua prouidentia quibuslibet ad quascumq; actiones naturæ principiis debitas, vel congruas suũ concursum tribuere decreuerit, ea tamen intẽtione, vt omnes eo bene vterentur, ne iam demireris, si cõcurrat cũ impiis: qui etenim pluit super iustos, & impios pro quibuslibet nubes disponẽs; ipse similiter influxus suos ad singulas actiones omnibus, velut fœcundos imbres abundè communicat: Sed multos his influxibus ab æterno abusuros esse præsciuit, Quare igitur illis non denegauit? At tu qui id quæris, cur illud rogas? an imposterũ Dei secreta rimari vis, & eius esse cõsiliarius: nũquid es operũ Dei præfectus? nũquid arcanorum diuinorũ tibi demandata est cura? quid percontaris, quæ te peruersa curiositas agitat? quę te superbia, quę stultitia dementat? nunquid tuus est iudex omnipotẽs omnium creator an potiùs tu ipsi dominaris? quis te formauit in vtero, quis 9 mensium spatio mẽbra tua cõpegit? quis in lucẽ edidit? quis tuũ intellectũ lumine naturali illustrauit? ô miserum vas perditioni proximum, siccine diuinis operibus, tuo formatori, patri, iudici succenses, & in eius æterna decreta inuehis? Sed ne respondeamus stulto, iuxta stultitiam suam, id enim sapiens 26. Prou. prohibet: Posset quidem suũ denegare concursum Deus

[3.]

[Quomodo Deus nobiscum concurrat in actibus peccati neque tamen peccet.]

[Multa hic habes de concursu Dei.]

[Actus idem, in quo peccat quis, sine peccato esse posset.]

[D. August.]

[Temeritas Atheorum.]

[Prouer. 26. Quid possit Deus.]

tam bonis, quàm malis, sicut igni non comburenti in fornace Babylonica denegauit; posset mille mūdos hocce perfectiores efficere; potest omnes homines etiam antequam vsu rationis polleant, imo adhuc in vtero matris inclusos sanctificare, beare eisque suam faciem ostendere posset, dum peccator in procinctu est, vt peccet, multis modis illum impedire; sed hunc ordinem, quem in mundo cernimus, liberrimo decreto stabiliuit, in quo permittere voluit vnicuique plenarium in suas actiones dominium: in quo se nobis velut obstrinxit vt quoties hoc, aut illud agere vellemus, non impediret, imo iuuaret; Vnde iam suis promissis stat, qui nec falli, nec fallere potest. ex mero tamen beneplacito, & ex hypothesi voluntatis æternæ.

Quod Deus non sit crudelis.

Iam verò nobis inuestigandum est, an melius foret, si homines ita creasset, vt nunquam in peccatum ruere potuissent: quòd enim non sit crudelis, satis, vt existimo, colligitur ex dictis; qui pote crudelis esse possit, qui in singulos tam liberalis est, qui plura, quàm postulemus, tribuit: qui tot salutis auxilia singulis prouidè suggerit: tot media quibus peccata vitare possimus, virtutesque amplecti, continuò ministrat, qui in singulorum animæ suæ bonitatis thesauros effundit: ô mira, ô ineffabilis Dei bonitas; etiam dum te grauiter offendimus, nos penitus non derelinquis, imo plurima bona confers, etiam facultates, quibus in peccando abutimur, conseruas, & adiuuas; ô iterum iterumque Dei bonitas immensa, omnium parce iam culpis, vitia remittens, vt tibi puri resonemus Almum pectoris hymnum, omnes ad verum ouile reducas, vt tu pastor omnium vnicus, ad æterna pascua nos adducas; trahe nos post te, curremus in odorem vnguentorum, quia *oleum effusum nomen tuum*, vt in loco pascuæ positi semper intonemus *bonum est nos hic esse*, ô diuina bonitas!

Quanta Dei liberalitas, atq; omnias Quæstionē hanc præclarè dissoluit Tertul. 2. contra Marcion. c. 5. 6. & sequentibus.

An mundus potuerit à Deo, quàm sit, melior fieri dicetur alibi, interim legatur D. Thom. 1. p. q. 25. a. 6.

Hæc autem difficultas aliam inuoluit, an mundus aliquis melior fieri possit, quàm noster: quam quia suo postea loco discutiam, satis est si hîc viderimus, an Deo magis gloriosum, hominibus vtilius, & absolute melius fuisset, si hominis libertas à peccato semper impedita fuisset; quod non ita latè suscipio manifestandum, vt tangam illam quæstionem; an naturam impeccabilem Deus facere possit, siue enim id implicet, siue nō, satis fuerit, supponere, quod est certissimum; id per gratiam, & gloriam fieri posse; qua ratione beati non ampliùs offendere valent, siue id fiat per tantam abundantiam gratiæ, vt voluntas beati necessariò determinetur ad bene agendum, vt vult Scotus; siue ex sola visione, vt censet D. Thomas, ex qua necessariò sequitur amor circa Deum, qui cùm sit amor amicitiæ super omnia, Deum diligens, nihil inordinatè diligit contra amicitiam Dei: etenim si bonum in communi tam validè viatorum animos rapit, vt nullus quidquam velit, aut velle possit, nisi attendens ad bonum, inquit D. Thom. 1. p. q. 62. a. 8, & in ordine ad illud bonum in communi, quantò magis Dei bonitas erga beatum poterit? quæ non tantùm imperfectè bona omnia particularia continet, sicut bonum in communi, quod ea duntaxat, vt genus speciem, vel species indiuidua confusè & implicitè comprehendit, sed eminenter, id est perfectiori modo, quàm in se ipsis contineatur: quæ non tantùm in communi, obscurè & abstractiuè cognoscitur boni communis instar, sed perfectè, clarè, & intuitiuè perspicitur

Quomodo beati fiant impeccabiles.

In omni actione quilibet intendit bonum.

D. Thom.

hac ratione beati redduntur impeccabiles: quod vsque adeo verum est, vt Theologi asserere audeant eos adhuc impeccabiles futuros, si amori quo Deum feruentissimè diligunt, concursum suum Deus tribuere nollet.

Nam visio beatifica sequens iudicium in se virtute continet, *Deus est summum bonum*: ex quo sequitur aliud, *omnia referenda sunt ad Deum, vt ad vltimum finem*; at beatus à neutro cessare potest, quia prius includitur in visione, posterius verò necessariò sequitur ex primo; rursus ex priori necessariò voluntas mouetur ad Deum super omnia diligendum: ex posteriori ad omnia in Deum vt finem vltimum actu referenda; vnde patet beatos in intellectu duo iudicia necessariò habere, & in voluntate duos illorum iudiciorum effectus, proindeque multiplici titulo impeccabiles esse.

Visio beatifica duo iudicia producit.

Cur beati sint impeccabiles.

Sunt & alij modi, quibus vel homines, vel angelos Deus à peccatis liberare potest, itaut nequidem peccare possint, vt si eorum naturam ad vnionem hypostaticam assumeret vt reuera filius æternus nostram assumpsit; si gratia efficacissima eos in omnibus actibus præueniret; sunt & infiniti modi, quos Deus habet in suis thesauris, quibus omnia quæcumque non repugnant, efficere potest: verùm de his ex professo agere non est huius loci. Videamus ergo si melius foret libertatem omniū hominum à quibuslibet peccatis arcere, ac impedire, ne malo consentiret humana voluntas. Quod vt faciliùs intelligatur, semper retinendum est, omnia propter Dei gloriam, quæcunque producta sunt, in tempore creata fuisse, etenim *vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus*, inquit sapiens nec vllum præter seipsum Deus potest habere finem; ita verò creaturas omnes produxit, earumque facultates, potentias, & actus ab æterno præordinauit in suis ideis æternis, vt omnia sua attributa, perfectiones omnes mirum in modum in creaturis elucere voluerit ad instar pictoris, qui viuos omnes, natiuosque colores, & lineas, quas in mente præconcepit, quas præterea quibuslibet in tabella contemplandas exhibet, vt vnusquisque pictorem demiretur, honore, ac gloria afficiat, & amore prosequatur: Clarum est autem diuinam omnipotentiam in rerum conditione, miram in earundem ordinatione prouidentiam, ineffabilem in conseruandis bonitatem commendari: sed nōdum iustitia diuina innotuerat, itaque debuit aliquod eius obiectum inuestigari: Cuius quidem materia perampla suppetit dum libertate plenus homo conditur, qui dum à recto virtutis tramite deflectit, iustéque punitur, iustitia diuina mirum in modum commendatur. At paulo latiùs ad libertatem commendandam exspatiari libet.

Multis modis Deus hominem impeccabilem potest efficere.

An melius esset, si Deus omnia peccata impediret.

Quisnam fuerit Dei scopus in mūdi creatione.

Potentia, prouidētia, & bonitas Dei in creatione mūdi.

Deus opt. max. sibiipsi sufficientissimus, seipso beatissimus, ab omni re siue producta, siue possibili independens, angelos, & homines liberos condidit, vt ostenderet prouidentiam suam nullatenus impediri posse, etiamsi creaturis pleno viuere permittat arbitrio, quæ velint nolint ne tantillum quidem æternum diuinæ prouidentiæ ordinem interturbare possunt, non secus ac auiculæ fugere nequeunt, quas aliquis liberè quidem euolare permittit, ita tamen, vt eò tantum, quò vult, procedat, vt D. August. cap. 95. enchiridij notauit, licet enim vitio suo malæ sint voluntates, neque Deus det illis corruptionem, dat tamen ordinem, vt bene Hugo Victor. l. 1. de sacram. p. 5. c. 29. Deinde non solum vindicatiua iustitia in pœnis infligēdis apparet, sed

Quare Deus hominem liberum condidit.

D. August. Hugo Vict.

&

Iustitia Dei distributiua & vindicatiua quomodo innotescant.

& distributiua, qua bonos præmiis, malos verò suppliciis afficit, mira tamen proportione geometrica in omnibus obseruata, vt melioribus præmia maiora, peioribus grauiores pœnas tribuat: Quæ iustitiæ exerceri non possent, nisi potuisset homo peccare, vel angelus, quod si diuina iustitia hic cernitur, Quid de bonitate scribam, quæ magis apparere videtur in libertate, quàm in cæteris rebus: qua Deus voluit, vt nobilissimo modo gloriam æternam, propriis videlicet meritis consequeremur, & aliqua ratione nostri saluatores diceremur, nam *qui potuit trāsgredi, & non est transgressus*, quanā eum laude prosequemur? quantis eum viribus æstimabimus, qui super cœlos ascendere potest? profectò videre mihi videor homines paruulos esse Deos, iuxta id, *Ego dixi dij estis*. Deus ex natura sua gloriam habet, nunquid & homo eam ex natura quodammodo radicaliter habet, cùm eam, si velit, possideat? & per nos stet, si ab ea decidamus; quod certè in maximam Dei gloriam redundat, qui creaturas effecit tantæ virtutis, vt cum eius auxilio supra Cherubinos euehi possint.

In libertate nostra magna Dei bonitas, & magnificentia cernitur.

Nec infinitæ magnitudinis in libertate deest argumentum, cùm enim angelos, & homines Deus liberos, meritique capaces fecerit, quid aliud ostendit, quàm se inexhaustos diuitiarum thesauros apud se reconditos habere? tantum, quantum voluerint angeli, hominésque mereantur, nec enim periculum est, nedum præmiabūtur, infinitæ Dei diuitiæ exhauriantur, quæ ab omnibus beatis non mage diminuuntur, quàm fons perennis, qui nunquam minus fluit: aut minus plenus est, quantumcúmque aquam excipias. Præterea se nullis rebus extra se indigere ostendit, dum non timet, vt creaturæ suum imperium detrectent, prout voluerint; ideoque singulis plenam arbitrij libertatē concessit, vt in eius obsequio vel permanerent, vel ab eo recederent, cum tamen cæteri Domini suos famulos omnibus, quibus possunt iuramētis, pactis & promissionibus sibi deuinciāt, quia neq; sua, neq; se sine multorū adiumento tueri possunt: in hoc verò maxima eius charitas commendatur, quòd, licet tam facile ab eo deficiant, nec eis indigeat, attamen non minorem de ipsis curam gerit, quàm si absque illis gloriam, vitámque suam conseruare non posset: quid enim maius effingi potest, quàm Deum, qui nullius indigere potest, propter homines hominem fieri & mori voluisse, vt per suam mortem omnes ad vitam reuocaret?

Per libertatem homini concessā Deus ostendit se nullius obsequio indigere.

Quod Deus mortuus fuerit propter hominem ineffabilem arguit amorē.

Addamus id etiam ad perfectionem, ac ornamētum vniuersi facere, in quo cum sit aliquid quod agit, & non agitur, vt Deus, aliquid quod agitur, & non agit, vt natura rationis expers: ad perficiendos omnes vniuersi gradus debuit aliquid assignari, quòd & ageretur, & ageret, qualis est creatura libertate prædita. Deinde cum Deus aliquid ex nihilo operetur liberrimè, res verò rationis expertes ex alio, & necessariò: pulchrum fuit, vt creatura rationalis ex alio, libere tamen operaretur. Quod autem non omnium hominum liberum arbitrium in bono confirmauerit, ne mireris, prius enim inquit D. August. l. 2 de bono perseu. c. 10, &c. vlt. 22 de ciuit. ostendere voluit, *quid posset liberum arbitrium, deinde quid posset sua gratiæ beneficiū*: quamuis autem plurima mala ex eo proficiscantur, attamen non ob eum finem illud concessit Deus, sed vt peccata liberè detestando laudem atque gloriam apud Deum mereretur, quod patet ex naturali lumine, ac synderesi semper clamante, *rectā incede, seu declina à malo, & fac bonum*.

Libertatis gradus totū mundum ornat.

D. August.

Euseb. 6. de præpar. c. 5

Nec est verum, quod aliqui dicunt libertatem creaturarū maiori ex parte verti in malū, cùm angelorum pars maior suo libero arbitrio bene sit vsa, & in æternum vtetur; licet autem pauci homines electi dicantur, qui proinde suum vltimum finem, Dei nempe visionem nunquam assequantur, attamen aliquo modo libertatis suæ finem assequuntur, cùm ratiocinando, & aliquo saltem tempore iuxta rationis dictamen viuendo, suo arbitrio liberè vtantur, & in æternum etiam dum flammis inferorum addicti fuerint, vti poterūt, át quicquid sit de fine libertatis intrinseco, sanè finis extrinsecus semper aderit, Dei nempe gloria, quæ non minus in bonorum remuneratione, quàm in impiorū animaduersione perspicietur: quomodo omnia in eius prouidentiam cadent, & gloriam experient. Cernis ergo Athee, cur Deus peccatū impedire noluit, quòd dum cōmissum est, ostendit hominē ex se nihil posse: quicquid enim ex se potestatis habet, est deficere posse: nec mihi obtrudas, fore melius, si omnia peccata impedirentur: quicquid enim Deus faciat, quicquid decernat, bonū est, optimū est, nec peius, aut melius facere dicendus est, siue mundum fecet, siue infectum, & intra nihilū reliquerit: etenim sicut nihilum in conspectu Dei est omnis homo viuens, omnésq; creaturæ, inter quas & Deum non est tanta proportio, quanta inter pūctum, & lineam, inter vnitatem, & numerum, inter comma, & diapason, inter creaturam, & nihil. Ab æterno cùm decreuerit omni modo suam gloriam manifestare, qua ratione meliùs eam propalasset, nisi creaturas efformando, quæ propiùs eum imitarentur, eiúsque ferrent imaginem, quæ maximè consistit in libero arbitrio, secūdum quod possumus quicquid omnes beati, imo quadam ratione quicquid Deus: nam si Deus liberè creaturas dirigit, id efficere possumus; si nullum malum velit, omnia vero bona diligat, nunquid & ead. velle, ac nolle facillimè possumus, imo possumus exercere libertatem nostram circa ea, circa quæ Deus nō potest, (adsit reuerentia verbis) nunquid enim libere Deū amamus numquid in æterna filij generatione, Spiritus sancti processione, ac in diuinarum perfectionum, ac possibilium creaturarum contēplatione liberrimè delectamur, in quibus tamen intelligendis Deus necessariò delectatur, quod & per eius misericordiam nobis aliquādo continget, dum non ampliùs circa Dei amorem titubabimus, dū ita verbo æterno inhærebimus, vt spōgiæ instar in diuinitatis abyssū immergamur, quod eo fiet instanti, quo dixerit Christus: *Intra in gaudium Domini tui*, quo veluti torrente potabit nos.

Obiectio Atheorum refellitur.

Quæ sit proportio inter Deum & creaturā.

Homo per liberum arbitrium tam beatos, quā ipsum Deū imitari potest.

quid homo per liberum arbitrium possit, quod non potest Deus.

Summas ergo gratias habeamus omnipotenti, qui teste D. August. c. 10. de correp. & grat. *creauit omnia bona valde, & mala ex bonis exoritura esse præsciuit: sciuit magis ad suam omnipotentissimam bonitatem pertinere, etiam de malis benefacere, quàm mala esse non sinere*, & ibid. *Deus igitur permisit hominem tentari, quem sciebat esse casurum, quia simul videbat eo casu se vti posse ad misericordiam, & iustitiam declarandam, dum ex damnata massa alios iustè puniet, alios misericorditer liberabit*: qui libro 3. de libero arb. c. 9 aliam rationē affert ex vniuersitatis pulchritudine sumptam quam in fonte legere præstabit. Taceo, *quod canit ecclesia, fœlix culpa, quæ talē meruit habere redemptorem, vt vbi abūdauit delictū, ibi*

August. Quare Deus permiserit peccatum.

ad Rom. 5. *gratia superabundaret ad Rom. 5.* nam Christus plura bona mundo, quam Adamus, mala, intulit. O quàm gloriosum est humanam naturam de inferorum potestatibus triumphasse: quàm admirabile est eandem super omnes angelorum choros ad patris æterni dextram vnicæ filiæ, ac sponsæ instar, verbo diuino fultam ascendisse! quàm verè de Deo canere possumus, *omnia bene fecit: vidit ea quæ fecerat, & erãt valde bona*: Faxit Deus omnipotens, vt ad sanam mentem redeuntes Athei iam diuinis operibus benedicant, eiusque gloriam, & maiestatem suspiciant, ac venerentur, in quorum gratiam hæc omnia disseruimus; sciantque longè gloriosius, & vtilius esse homini, quòd, cùm possit, non cõsentiat malo, & bonum sequatur, quàm si bono assentietur, ita tamen, vt ad malum conuerti non posset. At quamuis nullam rationem inuenire possemus, cur Deus ita liberum arbitrium disposuit; cur non impediat peccata, cùm possit; adhuc tamẽ iustam eius prouidentiam demissis animis suspicere, & adorare deberemus; quot enim rationes habet eorũ omniũ quæ producit, quàm occultas, quã mirabiles? quas tantùm in patria comprehendemus; quod est in causa, cur in omnibus prope Dei operibus exclamare iure possimus, ac debeamus cum apostolo, *ô altitudo sapientiæ, & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius & inuestigabiles viæ eius! quis nouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit?*

An sit omnibus auxilium sufficiens. Superest, vt omnem submurmurandi, ac querelarum occasionem Atheis submoueamus, cùm existimant non omnibus sufficiens auxilium adesse, quo si velint, saluari possint, vt ex infidelibus ac infantibus in vtero decedentibus comprobant. Quibus Respondeo nullam in Deo futuram iniquitatem, si non solùm aliquibus, sed etiam omnibus hominibus auxilium sufficiens ad salutem denegaret, cùm nobis in ira nascentibus nihil nisi pœna debeatur Sapient. 12. *quis tibi imputabit, si perierint nationes, quas tu fecisti*; vnde soli diuinæ misericordiæ debetur, quod aliqui ex massa perditionis eruantur, adeout D. Aug. ep. 105. fateatur paucos saluari, vt intelligamus, quid omnibus deberetur; *non simus ergo ingrati*, inquit 8. de bono perseu. *quod tam multos liberat misericors Deus de tam debita perditione, vt se neminem inde liberaret, non esset iniustus:* Imo iustior aliquando videretur, quatenus iustitiam suam vindicatiuam in plures diffunderet, vnde rectè dicitur, misericordiam superexaltare iudicium, & in hac vita esse peramplum misericordiæ regnum; in quo positi dicimus neminem auxilio ad salutem necessariò destitui Psal. 18. *Non est, qui se abscondat à calore eius:* cùm 1. Prouerb. Sapiẽtia foris prædicans in plateis det vocem suam, & in capite turbarum clamitet, *conuertimini ad correptionem meam:* & Sap. 11. *Misereris omnium, quia omnia potes.* &c. *Parcis autem omnibus, quoniam sunt tua Domine, qui amas animas.* qui etiam Ezech. 33. intonat. *Viuo ego, nolo mortem impij, sed vt impius conuertatur à via sua, & viuat, conuertimini, & quare moriemini?* & Math. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis:* ad Tim. 2. *Vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire:* 2. Petri. 3. *non vult aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam conuerti* 1. Ioh. 2. *ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non solùm autem nostris sed etiam totius mundi:* Quod D. Dionysius Areopagita cap. 9. de cœlesti hierarch. optimè exprimit, dum quæstioni respondet, qua posset rogare quis, cur verum Deum soli Iudæi, coluerint, & gentes pene omnes ad idola deflexerint, non quòd eis diuinum lumen defecerit, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, quodque Deus liberali manu singulis porrigit, & quantum est in se exhibet. inquit, sed quod ipsi angelorum sibi præsidẽtium illustrationes, sequi noluerint amore sui, & contumacia ducti, cuius textus sic se habet Εἰ δέ τις φαίη, καὶ πῶς ὁ τῶν Ἑβραίων λαὸς ἀνήγετο μόνος ἐπὶ τὰς θεαρχικὰς ἐλλάμψεις, ἀποκριτέον, ὅτι μὴ ταῖς τῶν ἀγγέλων εὐθείαις ἐπιστασίαις αἰτιᾶσθαι χρὴ τὴν τῶν ἑτέρων ἐθνῶν ἐπὶ τοὺς οὐκ ὄντας θεοὺς ἀποπλάνησιν. ἀλλ' αὐτοὺς ἐκείνους οἰκείαις ῥοπαῖς ἐκ τῆς ἐπὶ τὸ θεῖον εὐθείας ἀναγωγῆς ἀποπεπτωκότας, τῇ φιλαυτίᾳ καὶ αὐθαδείᾳ, καὶ τῇ τῶν αὐτοῖς δοκούντων θεοπρεπῶν ἀλόγως σεβασμιότητι. id est, *Quod si quærat aliquis, cur populus Iudæorum ad diuinas illustrationes solus efferretur, & excitaretur, respondendum est errorem, quo aliæ nationes, in eos, qui dij non sunt, deflexerint, rectis angelorum præfecturis non esse tribuendum, sed illis ipsis qui proclinitate sua de recta ad Deum ferente via deflexerint amore sui, contumacia, eorùmque qui eis digni Dei nomine videbantur, venerationi sua opinioni conformi:* quibus deinceps similis subiungit, ac diuinam prouidentiam extollit. Quod expressiùs habet D. Ambros. serm. 8 in Psal. 118. *Sol iustitiæ omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est, & omnibus resurrexit; si quis autem non credit in Christum, generali beneficio ipse fraudat, vt si quis clausis fenestris radios solis excludat*; quod tamen ita verum esse credendum est, vt non singulis momentis vnicuique auxilium ad conuersionem necessarium Deus conferat, sed opportuno loco, ac tempore; quo sensu multa scripturæ loca intelligi possunt, vt Eccl. 7. *nemo potest corrigere, quem ille despexerit.* Ioan. 12. *propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias, excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum*; ratio est quia nemo conuerti potest sine gratia præueniente Ioh. 6. *nemo potest venire ad me, nisi pater meus traxerit eum:* quam tamen non perpetuò *sentiamus in nobis*: alioqui semper actu bona cogitaremus & vellemus:

Sufficit autem ad vniuscuiusque salutem, vt Deus corda pulset aliquoties in vita, tunc enim si vocem eius audierimus, gratiam auget, quæ nos vlteriùs prouehat: & vt illud Eccl. 15. *non dicas per Deum abest*, Osee 13. *perditio tua ex te Israël*, verissimum sit: At quamuis vnicuique pro quolibet momento sufficiens ad conuersionem auxilium nõ adsit, adest tamen, vt noua peccata deuitentur: alioqui, si quis non posset non peccare, peccatũ non faceret, quod ita voluntarium est, vt si tollatur voluntariũ, simul & peccatum euanescat, & quò magis de voluntario minuitur, eo minus peccatum est, quod patratur; Sit ergo ratum, atque fixum nemini deesse gratiam ad salutem necessariam, ac sufficientem, siue is paganus, & infidelis, siue Iudæus, aut hæreticus fuerit; de paganis id asserit apostolus, dum scribit eos nullã posse prætendere excusationem; possunt enim ex rebus creatis manifestè cognoscere, vnum esse rectorem sapientissimum, quẽ Deum appellamus, qui prouidè cuncta gubernet, qui, iustissimus cùm sit, impios debitis pœnis coërcere, bonos autem præmio remunerare possit, & debeat, ob cuius amorem si diuina gratia excitati fecerint eleemosynas aut bonum aliud, eùmq; supplices orauerint, ad fidei lumen adducentur; itaut Deus

Nota.

Sapient. 12.

D. August.

Omnes habere sufficiens auxilium.

Psal. 18. 1. & 11. Sapient.

Math. 11.

1. ad Timot. 2.

Dion. Areop.

Ambrос. Quod non omni momento gratiam sufficientem cuilibet tribuat. Eccl. 7. Ioh. 12.

Sẽper adest auxilium sufficiens vt quis non peccet.

Deus per se vel per hominem, aut angelum salutis æternæ viam ostensurus sit; quomodo Cornelius ab angelo admonitus Apostolicam doctrinam didicit. Magna beneficia, quæ Deus paganis æquè ac nobis quotidie confert, vnicuique ponderanda relinquo. Quod ad Iudæos, & hæreticos attinet, scripturas habent præ manibus, à quibus, si pertinaciam abiecerint, ac in veræ matris Ecclesiæ sinum redierint, gratiæ fluenta percipient. Quid verò de Catholicis asseram? quorum animos tanta gratiarum flumina, tot conciones, tot sacramenta irrigant.

An pueris, qui ante baptismum excedunt adsit sufficiens salutis auxiliũ.

At illud reliquum est, quod magis torquet animum, Atheósque inducit, vt Dei bonitatem, & ex consequenti æternum illius esse denegent; nullum auxilium pueris suggeri, qui in lucem editi, antequam rationis vsu polleant, ac baptismali vnda tingantur, è vita decedunt, & illicò damnantur. Quibus vt satisfiat, altiùs paulo totum diuinæ prouidentiæ negotium video esse repetendum.

Diuina ergo prouidentia, quæque nectit ordinibus, in mente diuina ab æterno suauiter omnia disponens, omnibus creaturis finem præstituit, iustum enim erat, vt qui rebus singulis esse contulerat, eas omnes suæ prouidentiæ nutu regeret, & ad debitum finem mediis præconceptis fortiter, suauiterque iuxta rei cuiuslibet conditionem adduceret; Cùm autem diuina prouidentia nullis finibus circumscribi possit, ita quod ab æterno præparatum est, exequitur, vt singulæ creaturæ, velut instrumenta ab artifice omnipotenti commota, ordini prouidentiæ diuinæ obtemperent, ac ministrent, itaut hunc ordinem impedire, aut interturbare nemo valeat. At infinitos inter ordines, quos in rebus constitui posse Deus prouidit, celerrimè selegit hunc orbem 4. elementis, ac cœlestibus sphæris compactum efformare, in quo 9. angelorum choros per hierarchias tripartitos iuxta descriptionem Areopagitę statuit, qui cùm à terrenis conditionibus omnino remoti essent, Deoque proximi propterea nobilẽ admodum speciem hominibus constantem interposuit, vt omnia veluti cathenulis connexa pulcherrimũ, ac perfectissimũ orbem efficerent, cuius centrum in homine situm esset, à quo lineæ omnes descriptæ ad Deum, vt ad totius mundi circunferentiam infinitam extenderentur, & omnia in microcosmo contenta ad Deum rerum omnium fontem continuo fluxu redirent; ideoque perfectissimis donis hominem, vt aliquem microcosmum affecerat, suamque ei impresserat imaginem, vt omnes creaturæ eum velut Dei filium agnoscerent, ac venerarentur; omnes ei colla submitterent, & operam subministrarent: Quanta ô Deus immortalis, quanta scientia, quot virtutibus, quanta prudentia, quanta pulchritudine eum affeceras: de quo vere cum propheta dicere poteramus, *gloria, & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum*; quàm verè poterat Adamus in Domino exultare dicens; *Mirabilis facta est scientia tua ex me*; enimuero suis armis eum insignuerat, & ornarat stemmatibus; rex regum Dominus rectus erat sine obliquitate, sapiens sine errore, iustus, misericors & immortalis, in quo cùm omnia, quæ cœli, terræque ambitu continentur, velut in centro terminarentur, ad hoc creatus fuerat vt omnia in Deum, obiectum, finemque sibi propositum referret, & aliquomodo beata secum in cœlum eueheret: At rex omnipotens, simul & creator, & legislator esse voluit: propterea iustas leges angelis, ac hominibus promulgauit, angelis hæc est lata lex, vt in Deum suum Dominum, & creatorem, se, suáque omnia referrent eumque sibi præferrent; vt verbum æternum æterni patris filium siue in propria natura diuina, in humana subsistentem adorarent, eique caput submitterent; hominibus verò facilè præceptum commissum est, ne videlicet de fructu arboris scientiæ boni, maliue comederent; ita tamen vt faceret eis liberrimum, de cæterarũ arborum fructibus decerpere, gustare, edere pro libito: quid ad hæc addenda cogitas? an præmia, an pœnas; præmia angelis, & hominibus constituta, sunt æqualia; ô mira Dei bonitas erga hominẽ, *quid est homo, quod memor es eius*, & ita memor, vt ei non angelum in præmio anteponas, licet ei secundum essentiæ præstantiam emineat; præmium est infinita bonitas, æterna sapientia, ac incomprehensibilis beatitas, in qua habituri sint homines & angeli, quicquid placuerit, & nihil eorum, quæ oderint; in cuius beatitudinis collatione, pro meritorum pondere, atque magnitudine iustitia distributiua mirum in modum elucet, hæc est vera ætas aurea, in qua montes stillabunt dulcedinem, & fluent colles lac & mel; hæc est cœlestis ambrosia, nectárque diuinum, à cuius vbertate iusti inebriabuntur, quia, ô summa bonitas, *torrente voluptatis potabis eos*, hic sunt elysij campi omni decore variegati, in quorum co ntemplatione iusti lætabuntur, hoc est cœlum Empyreum, in quo fulgebũt iusti, & tanquam scintillæ discurrent, videbuntque agnum aperientem librum scriptum intus & foris, hæc est æterna fœlicitas, in qua nobis Deus ostendit omne bonum, suã nempe faciem, etenim *hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum*, inquit, discipulus dilectus c. 17. qui rursus epistola 1. c. 3 asserit nos Deo similes futuros, quia videbimus eum sicuti est, & facie ad faciem, vt loquitur, Apostolus.

Constitutio graduum mundi.

Pulcher circulus, cuius centrum homo primi hominis excellentia.

Cur homo factus.

Leges datæ homini, & Angelis initio mũdi

Præmium hominis & Angeli beati idem.

Excellentia paradisi.

Ioh. 17. 1. Ioh c. 3.

At latiùs æternæ fœlicitatis describere pulchritudinem licet foret gratissimum, non tamen vacat, & ex paucis prælibatis plura concludi poterunt, nec non in Apocalypsi videri, in qua ciuitas cœlestis Hierusalem graphicè ad captum hominum describitur, de fœlicitate verò Cardinalis Bellarminus libros quinque pulchros admodum, & vtiles nuper edidit: præmia vidimus, sed nondum pœnas: angelis hęc sunt proposita supplicia: nisi præcepto vobis commisso satisfeceritis nisi perfectiones vestras in me, nisi vestras naturas ad meam gloriam referatis, statim ad inferos detrudemini, ac æternis mancipabimini suppliciis, à quibus nunquam subleuari possitis, etenim in inferno nulla est redemptio hominibus autem in Adæ persona contentis dictum est, atque constitutum; quacumque die fructum bis prohibitum comedetis, moriemini; videte, nè quis vos seducat, potestis quibuslibet tentationibus resistere, aduersus quas fortissimo meæ gratiæ clypeo vos induo: quod si filiorum ingratorum instar, meorum beneficiorum immemores, meis legibus obedientiam detrectetis, ingens malorum cohors in vestra perfida capita, rebellesque irruet animos, corpus enim omni morborum genere, animus quibuslibet vitiis, & erroribus scatebit: corpus putredini obnoxim erit; anima tartareo igne cruciabitur: corpus & anima post resurrectionem

De beatitudine animę 1. libros scripsit Auerroes, quos Niphus explicauit. Bellar.

Supplicia Angelis & hominibus proposita.

ſimul coniuncta ſuppliciis æternis addicentur, nec vnquam faciem meam videbitis, in quam deſiderant Angeli proſpicere.

Quis obſecro quantumuis animo deſtitutus infinitam Dei prouidentiam, ac bonitatem in his præmiis, ac ſuppliciis conſtituendis non demirabitur? non colet? non amabit? Nunquid omnes homines pro quibus ſupponebatur, ac ſpondebat Adamus, iuſte punientur, ac omnibus auxiliis deſtitui poterunt? imò nunquid eos in nihilum redigere, ac cum eis vniuerſam creaturam deſtruere deberet iuxta ſuæ iuſtitiæ leges? quamobrem id non effecit? quis iuſtitiæ diuinæ limites circumſcripſit? quis coërcere potuit illius furorem? ſed quis eum ad tantam clementiam potuit adducere, vt non tantùm in nihilum vniuerſa non abire permiſerit, ſed & quibuſdam pepercerit, quibuſdam ſedes beatas præpararit? dicam amplius; vnde miraculum adeò ſtupendum, vt ad generis humani reſtaurationem, ſuum Deus vnigenitum filium è cœlo deſcendere in terram, noſtram carnem aſſumere, pro nobis flere, ſuſpiria, gemitúſque è profundo pectore mittere, algere fame, ſiti, frigore, doloribúſque confici, & tandem, clauis affigi, opprobriis ſaturari, cædi, crucíſque nefandam mortem ſubire iuſſerit.

Miraculum diuinæ bonitatis.

Quis dabit capiti meo aquas, oculíſque lachrymarum oceanum, vt die ac nocte tanta mea peccata, quæ mortis Chriſti cauſa fuêre, defleam; peccaui, & Chriſtus mei peccati pœnas ſuſtinet, adeout dixerit Apoſtolus eum pro nobis peccatū factum eſſe, in quantum ſupplicia nobis debita in proprio corpore pertulit: & tanta pertulit, vt ipſe pœnarum grauitate velut oppreſſus, aſſeruerit, quæ ſequuntur, *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem*: Et alibi, *Videte ſi eſt dolor, ſicut eſt dolor meus*: vnde vir dolorum appellatus eſt. Quis ergo tantæ bonitatis, ac miſericordiæ originem inueſtigare, quis tantam abyſſum ingredi audeat? quomodo fieri potuit, vt qui ſibi ſufficientiſſimus, ſéque ipſo beatiſſimus eſt, qui neque ab hominibus, aut creaturis vllum incrementum, vel detrimentum accipere, aut timere poteſt, ob hominum ſalutem tanta facere, tam inſolita perferre voluerit? ô ineffabilis charitas; quæ plura ad hominum ſalutem effecit, quàm animo comprehendere poſſimus; ô mira Dei prouidentia, verè Deus tu es, qui hominum, Angelorúmque cogitationes infinitè ſuperas: *Nimis profunda facta ſunt cogitationes tuæ*, verè *mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me confortata eſt, & non potero ad eam.*

Quanta Chriſtus pro nobis paſſus ſit.

Omnes itaque in Adamo peccarunt, cui pro omnibus iuſtitiam originalem, (mirabile donum) cōtulerat, ea lege, vt pro ſe, ac poſteris eam conſeruaret, ſi voluntati præceptiſque ſeſe conformaret, quod profectò fuit ei perquam facile, à cuius legis tramite ſi fortè deflecteret, pro ſe, ſuiſque dono illo gratuito ſtatim exueretur, ſine quo mille calamitatibus corpus & anima conflictarentur; vt autem viueret beatiùs, cum Deus in Paradiſo voluptatis omni pulchritudine decoro, 4 fluminibus irriguo, arboribus conſito, plantis omnigenis vario collocarat, in quo nec ab externo iniuriam, nec ab interno motum vllum inordinatū perſentiſceret, in quo velut in mundi medio conſtitutus imperator omnibus viſibilibus, vt mediis, ac inſtrumentis ad Dei maiorem amorem, eiuſque gloriam magis ac magis extollendam inſurgeret: At protoplaſtes diuinæ legis immemor ſtatim à rectitudinis orbitâ deflexit, ac peruerſi conſenſus vulnere percuſſus corruit, qui cùm diuino præcepto ſe demiſsè ſubmittere debuiſſet, elatus ſuperbia legem diuinam contempſit, & factus eſt ſicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus, qui cùm omnibus diuina præcepta debuiſſet anteponere, maluit vxori placere, parum faciens diuinum odium. Nūquid igitur ei tanta ſcientia ſufficiebat, vt curioſiùs Dei ſecreta rimari, eique in ſcientia ſimilis fieri cuperet? an fortè pertimeſcebat, ne à Deo legem prędictam ferente deceptus eſſet? quaſi timeret omniſcius, ne Adamus ei fieret æqualis ſi de fructu ſcientiæ boni, & mali comederet, & quod ſeriò dixerat omnipotens, figuratiuè, amphibologicè, aut comminatoriè fuiſſet intelligendum, aut leue admodum peccatum contra iuſſum diuinum agere. Verùm hallucinabatur grauiter, ideoque ſtatim in floribus adfuit peccatum, ac amborum oculi Adam, & Euæ aperti ſunt, vt viderent quanta mala, ſuo peccato incuraſſent, quibus calamitatibus poſteri, quibus morbis, qua morte afficiendi eſſent.

Bona quæ Deus Adamo cōmiſit.

Cùm autem omnium creator hocce peccatum, & caſum primorum parentum præſciret, ſimulque pœnas eis eorumque poſteris omnibus ſubeundas perciperet, miſericordia, qua pollet infinita decreuit aliquos è flammis eripere, cæteros igni permittere, ita tamen vt inſtituta naturæ generalia conſeruare voluerit, ac cùm omnibus cauſis iuxta vniuſcuiuſque conditionē ad omnes actus naturales concurrere, cùm enim ſit prouiſor generalis totius vniuerſi generale bonum ſpectandum habuit, cui melius eſt, vt aliqua ſit inter partes diſparitas, quàm ſi omnes forent æquales, totum enim diuerſarum partium vnitatem, & ordinem includit vt patet in harmonia ſonis diſparibus concinnata, in corpore humano, in quo pulchrius fuit habere pedes cum oculis, quàm ſi loco pedum adeſſent oculi, at non ita bene mundo prouidiſſe videretur Deus, niſi cuilibet inferiori cauſæ proprios motus exercere permiſiſſet, ideoque neceſſaria cauſa neceſſariò, contingens fortuitò debuit agere: proinde cùm mulier prægnans iuxta cauſarum naturalū curſum in morbum, caſum, aut periculum incurrerit, quo fœtus in vtero perire debuit, noluit impedire, ſi iuxta cœli, ſoliue diſpoſitiones morbum aliquem infans recenter ex vtero egreſſus ante baptiſmum contraxit, vnde ſequeretur mors, non debuit arcere mortem immortalis Deus, ſi paganos, aut Muſſulmanos, Iudæoſque inter, aut alicubi natus fuerit infans, cui baptiſmus defecerit, id in cauſas vniuerſales refundas, quibus ſe Deus conformat, & ſecundum quas vniuerſa diſponit, cui ſummas, ô Catholice, eaſque perennes gratias repende, quòd tibi non merito tuo, ſed miſericordia ſua, tot, tantaque beneficia contulerit, vt inter Chriſtianos, è parentibus Catholicis, natus ſis, ſalutis lauachro tingi potueris, & in religione Catholica educari, & inſtrui.

Quos defectus Deus impedire non debeat

Nihilominus Deum omnibus auxilia ſufficientia præbuiſſe aſſerimus, quia generalia remedia conſtituit, quæ vnicuique applicata, valent ad ſalutem perducere, nec enim in ſola poteſtate ſacerdotum reliquit vndam ſalutarem, ſed vnicuique fecit liberum, vt vrgente neceſſitate nondū tinctis baptiſmum conferret: id Catholici, id hæretici, id pagani efficere valent, dummodo idem velint agere, quod ſolent in pari cauſa viri Chriſtiani: nec obſtat paganos luce euangelica deſtitui, qui ſi rectæ rationis

Quo ſenſu Deus vnicuique ſalutis remedia conceſſerit.

Baptiſmi facilitas, cū ab omnibus conferri poſſit.

rationis facem sequantur, ac diuinas inspirationes, quæ denegantur nemini, vbi senserint, non contẽnant, eisque consentiant, ad maius lumen adducentur, ac diuino fauore seipsis facti robustiores ad Catholicam fidem pertingere poterunt, sicque suos imposterum infantes lauacro Spiritussancti ab originali labe purgabunt, Denique morientibus in vtero sufficiens eatenus ad salutem gratia conceditur, quatenus Deus causas non impedit, quæ eum ad lucem properantem educere poterãt, nec eo fine morbum maternum, aut alium casum permittit, vt puer baptismo, ac paradiso careat, sed vt suos proprios motus quaslibet causas obire sinat, iuxta id quod ab æterno decreuit; quapropter non est, quod mireris, si adulterorum & aliorum impiorum hominum infantes ad baptismi gratiam perueniant qua nonnunquam sanctorum filij carere videmus, nec enim alio modo fieri debuit, imo nec potuit saluo rerum omnium ab æterno dispositarum fluxu, quid igitur vlterius dicendum est, quàm vt diuinam prouidentiam suspicientes, ac collaudantes cum psalte canamus, *Omnis spiritus laudet Dominum.*

Quod si quaslibet vtilitates ex aduersitatibus pullulantes cernere cupis, omnium virtutum pulchritudinem inspice, etenim siue fides, siue spes, siue charitas consideretur, siue virtutes cardinales, siue morales, tam infusæ, quàm acquisitæ spectentur, eas omnes tribulationibus augeri, foueri, atque conseruari fateberis, vt quot virtutes fuerint, tot vinculis Deo rerum omnium principio, atque fini coniungamur. Cætera quæ hîc desiderari possent, sequentibus obiectionibus, earúmque solutionibus discutientur.

OBIECTIO VI.

Petitur ex Dei voluntate, aperitur, & soluitur.

DIcunt ergo, vel Deus vult peccatum, vel non vult; si vult, facit, quia omnia quæcumque voluit fecit, si non vult, quomodo voluntati eius resistitur, cùm nullus sit inquit Scriptura, qui eius valeat resistere potestati? si peccatum vult, ergo deficit, quia peccatum est priuatio, seu defectus bonitatis, & sic non est Deus, quia non est indefectibilis: si verò non vult, & tamẽ eo inuito fieri possunt, ergo non est infinitæ potentiæ, & sic non est Deus, hæc est impiorum machina, qua diuinitatem euertere conantur.

Quomodo voluntas diuina se erga peccata habeat. Licet autem satis in præcedenti responsione pateat, Deum nolle peccata, sed potiùs odisse, quædã adhuc maioris intelligẽtiæ gratia respondebimus, cùm id, vt singularem obiectionem Athei proponant. Videamus igitur quomodo se Dei voluntas tam erga Deum, quàm erga creaturas, atque peccata habeat; Illa cùm sit diuina, infinitam, simplicissimámque esse necesse est, licet varia nomina sortiatur iuxta varietatem obiectorum, quam sua latitudine complectitur: non est autem, quòd hîc ostendam, ipsam Dei voluntatem Deum ipsum esse, per æternum diuinæ voluntatis actum patrem, filium, ac Spiritum sanctum se necessariò diligere patrem, & filium per actum ipsum voluntatis naturaliter producere Spiritum sanctum, per hanc voluntatem creaturas possibiles necessariò amari, per eandem creaturas producendas, & existentes liberè diligi, hæc enim omnia vel non impugnant Athei, vel saltem non sunt huius loci, ac temporis; proinde me ad diuinam voluntatem conuerto, prout, res iam futuras, aut existentes in earũ operationibus respicit, & ideo diuisiones illas voluntatis in absolutam, & conditionatam, efficacem, & inefficacem, antecedentem, atque consequentem libenter omitto, licet etiam huic solutioni inferuire possint: vt partitionẽ eius in voluntatẽ beneplaciti, & signi, vt pote faciliorem intellectu, & ad dissoluendam hanc obiectionem accommodatiorem amplectar.

Quos actus diuina voluntas eliciat.

Qualis sit necessitas voluntatis diuinæ. Intelligimus autem per voluntatem beneplaciti, diuinæ voluntatis actum internum, quo vult aliquid quo *vniuersa propter semetipsum operatus est* Prou. 16. quo suam bonitatem diligit tam necessitate specificationis, quàm exercitij: quæ necessitas, quia non oritur ab vlla causa, sed ex se ipsa est, quia ipse Deus est charitas, & amor, vnde fit, vt non debeat causalis, sed formalis dici; illo actu facit, quæcúnque facit, nempe corporibus humanis infundit animas, animæ facultatibus fidem, spem, & charitatem cum cæteris virtutibus, mundum creat, conseruat, & manutenet: At voluntas signi dicitur externum signum diuinæ voluntatis, qua significat se velle aliquid; signum illud est quintuplex, quod sequenti versu breuiter expressum est.

Præcipit, ac prohibet, permittit, consulit, implet.

Per hæc signa Deus se aliquid velle demonstrat, non tamen id velle, quod primo' intuitu concipimus eum velle, nec enim mortem Isaaci volebat, sed tantùm Abrahæ promptum obsequium: quando permittit hæreses, bella, peccata significat se velle, vt libertate nostra vtamur, & ad quodcúmque voluerimus ignem, antequam manum apponamus; sed non vult fieri peccata, nec enim vult nos arbitrio libero abuti; sicut nec vult, vt coactè, sed liberè agamus, dum prohibet peccata, aut virtutem consulit; denique cùm alicui gratiam infundit, non ideo vult eum saluari, nisi dersceueret; quæ signa benè, seu iuxta Dei propositum intellecta nobis semper ostendunt beneplaciti voluntatem, quæ quoties nobis innotescit, rectè dici potest voluntas signi: Ex quibus elicio Deum nullomodo velle peccatum, cùm illud prohibeat, eiusque contrariam virtutem consulat, aut iubeat, & operetur, quoties inspiratum eius consilium amplectimur; nec quidquam ad rem facit, quòd peccata permittat, cùm non directè permittat, sed ex consequenti tantùm, & præter intentũ, quatenus vult hominem liberum esse in sua operatione, nec rerum vniuersali statui constituto præiudicare desiderat, sed omnia, prout ab æterno statuit, effluere sinit. *Voluntas signi, quæ.* *Deum nolle peccatũ.*

Patet igitur Deum non velle peccata, sed eã odisse, nec tamẽ fieri eo inuito sequitur, nam facile esset ei vel potẽtiam peccandi destruere, vel tã fortiter præuenire, vt nunquam peccaret, nisi dixerimus id Deo inuito fieri, quod ei displicet, & quod *Quomodo Deus peccata permittat.*

prohibet: Verùm in eo mirabilis est eius sapientia, quę displicentiā cum permissione ita connexuit, vt neque permissio tollat displicentiam, & odium diuinum erga peccata, neque displicentia permissionem. At de voluntate diuina locus iterum, atque iterum recurret.

OBIECTIO VII.

Petitur ex modo quo Deus agit, & ex obiectis circa quæ producenda respicit.

DIcunt præterea Deum, & naturam semper facere, quod est melius. at longe melius esse, si nulla sint in mundo peccata: Rectè quidem Iulius Stoicos reprehendit, qui dixerunt fieri non posse, vt mundus sceleribus careat, ne ad peccandum indita potentia, & procliuitas vana sit, ac nunquam reducantur in actum, etenim non ideo Deus libertatem homini dedit, vt peccaret, aut deficeret, sed vt liberè virtutem sequeretur: At dum Platonicis fauet, qui ex Timæo Platonico concludūt mundū non posse habere meliorem dispositionem, cùm à sapientissimo rogatur, postquam asseruit Deum nō posse melius facere, quod fecit, quàm quomodò fecit, quia optimus fecit optimè, & si melius facere posset aliquid, illud antea minus bene fecisset, potentiæ diuinæ receptissimam distinctionē euellere conatur, dum non aduertit se hallucinari, cùm existimat illam distinctionem in Deo compositionem astruere; licet enim vnica sit in Deo potentia, sicut & vnica essentia, & scientia, ac voluntas, cùm omnia diuina attributa sint vnica entitas simplicissima nempe Deus ipse, attamen ob nostrū cōcipiendi modū imperfectum aliquas distinctiones rectè inter attributa constituimus, imo idem attributū in diuersas veluti partes diuidimus, quia licet impartile sit, attamē quatenus diuersis cōceptibus nostris ac perfectionib⁹ correspōdet, illud facilioris intelligentiæ gratia distinguimus: hinc fit, vt statim Dei scientiam, quatenus res possibiles respicit, scientiam simplicis intelligentiæ vocemus; prout verò res futuras, visionis scientiam appellemus; quia vnica diuina entitas ob infinitam suam perfectionem potest omnia facere, quæ fiunt à distinctis perfectionibus creatis, & diuina potentia vnico facit actu, quod nos pluribus; nec semper operatur Deus secundum adæquatam rationem suæ potentiæ, imo nunquam, cùm nullus ex effectibus ad extra positis diuinæ virtutis adæquetur: Vnde manifestum est potentiam diuinam multipliciter sumi posse, sicut & cætera attributa diuina, itaut illa potentia rectè dicatur ordinaria, quæ solummodò communi rerum omniū cursui sese accommodat, nec vnquam positos naturæ limites transgreditur; nunquam pluuiam, fulgura, grandinem, tempestates, morbos, aduersitates, naufragia, peccata impedit, sed omnes causas suos motus peragere sinit: quam potentiam his terminis circunscriptam rectè vocamus ordinariam, quæ nimirum præter ordinem naturæ nihil penitus efficere, nihil impedire potest: Vt verò nullis finibus terminatur omnipotentia, sic quæcunque in se non implicant, seu omnia factibilia complectitur, morbos miraculosè sanat, mortuos suscitat, cœcos illuminat; mundum destruere, cœlos angelos, & omnes creaturas in nihilum redigere, nouos mundos producere, & plura quàm concipiamus, efficere valet, nec enim intelligimus, imo nec intelligere possumus quæcunque non implicant, sicut nec omnia possibilia, quæ differunt à non implicantibus, vt inferiora à superioribus, quia dantur non implicātia, vt potè diuinæ personæ, Deus, eiúsque attributa, quæ quidem non implicant, cùm necessariò existant, licet possibilia non sint, quia nullam potentiā respiciunt à qua effici valeant, etenim Deus est à seipso, nec personæ effici dicuntur, sunt enim sine causa, cùm nullam dependentiam inuoluant, sed solam originem, quæ nullatenus personarum diuinarum identitatem cum essentia, & attributis impedit. Valeat ergo Vaninus qui cum hæreticis huius sæculi potentiæ diuinæ partitionem in ordinariam, & extraordinariam extinguere nititur; quæ licet admittatur Deus ordinis auctor esse non desinet, ac peræquè necessitas ordinis ab eo depēdebit, & infinita sapientia, & bonitate rebus omnibus ordinem præfiget, omnia componet prudētissimè, aptissimè distribuet, describet elegantissimè, magnificentissimè ornabit, grauissimè stabiliet, quia potentia ordinaria hæc omnia faciet, quæ facit optimè, quæcunque per eam facit, cui nulla ratione extraordinaria opponitur.

Arguitur Vaninus.

Scientia duplex in Deo.

Quid sit potentia Dei ordinaria, vt sic.

Potentia extraordinaria defenditur.

Quomodo differant possibilia, & non implicantia.

Videndum superest, an quæ Deus fecit, quales sunt homines, angeli, cœli, belluæ, plantæ, & mūdus, ita bona sint, vt meliora effici nequeant: & quidem omnia iuxta suam naturam optima esse videntur, itaut acarus, pulex, lilium, conuallium, Petrus, &c. iuxta suæ species optima sint, alioqui nō essent, quod sunt, nisi in summo suo essendi genere essent: licet Deus perfectiora accidentia vni indiuiduo, quàm alteri eiusdem speciei, vel eidem indiuiduo pro diuersis instantibus tribuere valeat; species autem perfici nequeunt, quin ipsæ mutentur in alias, sunt enim sicut numeri, quibus ne quidem vnitas addi potest, nisi species mutentur; in quo nullus est saltem ex parte diuinę potentiæ defectus quippe quæ infinitas perfectiones ex se fundere potest, si non repugnat, vt producantur, quod rectè D. Tho. q. 25. primæ partis a. 3. probat, quia esse diuinum, super quod fundatur ratio diuinæ potentiæ, est infinitum non limitatum ad aliquod genus entis, sed præ habens in se totius entis perfectionem, vnde quicquid rationem entis habere potest, continetur sub possibilibus absolutis, respectu quorum Deus dicitur omnipotens, nihil autē opponitur rationi entis, nisi non ens, quale non solum illud est, quod implicat in se esse simul, quod diuinæ potentiæ non subditur, non propter defectum diuinæ potentiæ, sed quia non potest habere rationem factibilis, neque possibilis.

Quæcunque igitur contradictionem nō implicant, sub illis possibilibus continentur, respectu quorum dicitur Deus omnipotens. Ea verò quæ contradictionem implicant, sub diuina omnipotentia

Quæcunq; sunt, bona sunt.

D Thom.

Quæ intellige de non repugnantibus possibilibus ad efficientem causam respicientibus, alioqui De⁹ est ens non repugnans, & tamen non est factibile, vt superiùs dictum est.

tentia non continentur, quia non possunt habere possibilium rationem. Vnde conuenientius dicitur, ea non posse fieri, quàm quòd Deus ea non possit facere; vbi cum Caietano aduertendum est per ens non implicans, seu possibile hîc tantùm causabile comprehendi, quia licet Deus sit ens non tantùm non implicans, sed & vera causa cur cætera non implicent (licet id pro hoc statu vix concipere possimus, cum rerum essentias actuales reales ab æterno, seu ex se non repugnantes apprehendimus independenter ab omni causa tam efficienti, quàm exemplari) attamen non est Deus possibilis, seu causabilis, cùm sit à seipso.

Caietan.

Deus non est causabilis.

Ex quibus clarissimum, est nihil diuinam potentiam subterfugere, quod in se possibilis rationem habeat, veramque entitatem causabilem includat, quam cùm præterita in quantù præterita, peccata, & cæteri defectus non habeant, quia non sunt entia, sed entis priuationes, aut negationes, inde fit vt à Deo produci nequeant, vel (vt cùm D.Thom. loquar modestiùs) ea non sunt factibilia, quia non habent rationem entis veri: Præterea concludimus aduersus Vuiclephű citatum ab Vualden. lib.1. doctrin. fid. cap.10. Abailard. apud D. Bernard. epist. 190. Caluin. in cap.23. Ezech. & 1. instit. c.16. sect. 3. Deum plura facere posse, quàm ea quæ reuera facit quod D.Thom. egregiè pro suo more demõstrat a.5. quæstionis citatæ ad 1. etenim licet diuinæ potentiæ nihil subesse possit, quod Deus etiam velle nequeat, cùm in eo sit idem potentia, & voluntas: attamen cum voluntas liberè non autem necessariò ad hæc, aut illa determinetur, potest in diuina potentia aliquid contineri, quod non vult & quod non continetur sub ordine, quẽ statuit rebus; & quia potentia intelligitur, vt exequens, voluntas autem vt imperans, intellectus & sapientia vt dirigens, quod potentiæ secundum se consideratæ tribuitur, dicitur Deus facere posse secundum potentiam absolutam, quale est omne, in quo saluari potest ratio entis.

Quænam à Deo produci nequeãt. D. Thomæ modestia.

Vuicleph. Abail. & Calu. notãtur. Vualden. Bernard. D.Thom. Deus plura facere potest, quàm quæ fecit, aut faciet.

At quod tribuitur potentiæ Dei quatenus volũtatis imperium exequitur, id Deus facere dicitur de potentia ordinaria; quibus positis concludit sanctus doctor, Deum alia facere posse de potentia absoluta, quàm quæ præsciuit, & præordinauit se facturum, licet aliqua facere nequeat, quæ nõ præsciuit se facturũ, quia ipsum facere præscientiæ, ac præordinationi subiacet, non autem ipsum posse, quod est naturale; etenim Deus ideo facit aliquid, quia vult, at non ideo potest, quia vult, sed quia talis est in sua natura: quæ omnia ex Matthæo c. 26. confirmantur, dum veritas ait, *an non possum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modo plusquam 12 legiones angelorum*; id poterat, at noluit, & ideo non illud à Petro rogauit, quoties obsecro in inferos te, Athee, si voluisset, detrusisset, sed ad pœnitentiam te expectat, vt Atheismo, hæresi, cæterisque dimissis impietatibus ad eum conuertaris, vt te illuminet mentisque tuæ densissimas tenebras discutiat.

Matth. 26.

Denique quod iam supra conclusum est Deum posse meliora facere quàm quæ fecit, optimè a. 6. explicat ad primum, vbi fatetur rem posse fieri meliorem, seu multa meliora à Deo fieri posse, quàm quæ facta sunt; eandem verò rem, verbi gratia hominem non posse essentialiter meliorem facere, licet ei meliorem essendi modum dare possit; at cùm quæris, an meliùs facere possit, cùm meliùs sit aduerbium, & importet modum ex parte facientis, hoc sensu Deus nequit meliùs facere, semper enim operatur cum maxima sapientia, & bonitate, quod sic breuiter dici potest; Deus melius ea facere potest, quàm reuera faciat, ex parte facti seu quoad modum essendi rei, verum est, at ex parte faciẽtis, falsum est. Nolim autẽ discutere multiplices quæstiones de potentia Dei actiua, & passiua creaturarum, quales sunt; an Deus plures rerum ordines, aut species producere possit, vt inter angelum, & hominem aliquod intelligens, quod quidem angelis paulo imperfectius, hominibus perfectius existat, & sic de cæteris; & quænam implicent cõtradictionem, vel non implicent, &c. quæ vel non sunt huius loci, vel non sunt necessariæ, vt Athei refellantur, quibus abundè, credo, aduersus hanc obiectionem prædicta sufficient; vt abiectis erroribus ad veritatis lucem accedant.

Quidam existimant humanæ naturæ, seu rationalitatis gradũ pluribus speciebus esse cõmunicabilem, vt sicut gradus irratio-nali leoni, boui & aliis specie differentibus communicatur ita & multis hominibus specie distinctis rationale cõuenire posse.

Quomodo Deus possit meliùs facere, quæ facit, & quo modo non.

Iam discutiendum esset, an melius sit peccata nõ esse in mundo quàm esse, verùm illud satis manifestum esse censeo ex iis, quæ suprà de prouidentia attuli; & quidem absolutè melius esset eorum loco virtutes ornare mũdum, ipsa etenim nihil sunt, virtutes autem aliquid, ipsa in deformitate, confusione, tenebris, iniquitate, morte sita sunt; virtutes in pulchritudine, decore, ordine, luce iustitia, atque vita; ac proinde tanto meliores sunt peccatis, quanto magis ab eis recedunt, & diuinas virtutes propiùs imitantur, neque tamen inde cõcludas Deum minùs bene facere, quod ea non impediat, sed permittat; iustè enim id efficit, cùm in nostris oculis ignem, & aquam, bonum, ac malum posuerit, illius vtilitatem, iucunditatem, ac honestatem, & huius incommoda, pœnas, ac turpitudinem præmonstrãdo: illud consulendo, atque præcipiendo, hoc verò prohibendo; & tamen pro vniuscuiusque innata libertate permittendo.

Peccata quid sint. Virtutes quid sint. An melius foret non esse peccata in mũdo.

Profectò si mundum hunc suis omnibus gradibus pulcherrimæ Reipublicæ instar distinctum obseruauerimus, volẽtes nolentes fatebimur Deũ omnia bene fecisse, nec potuisse gradus omnes rerum tam dissitarum maiori sapientia collocari.

Ordo mũdi pulcherrimus.

Nam summus opifex prope se naturã angelicam 9. ordinibus partitã collocauit, prout reges sui corporis, ac palatij custodes omnium nobilissimos, ac fortissimos eligũt, sub angelis homines sub hominibus belluas, sub belluis plantas, sub plantis elementa statuit; at homines inter & angelos magnã voluit interesse diuersitatẽ, tam in essentia, quàm facultatibus; quot enim diuersas angelorũ species, quot hominũ indiuidua videre est? quibusdam libertatem indidit, quàm adeo fortiter, & efficaciter præuenit in benedictionibus, vt nunquam peccarint, qualem beatam Virginem fuisse credimus; quosdam tanta gratia muniuit, vt nunquam lethaliter, sed venialiter duntaxat; aliis omnibus sufficientem gratiam tribuit, cum qua lethaliter quidẽ peccarunt, sed à vitiis per pœnitentiam resipuerũt, & tandem salui facti sunt, cæteris quidem sufficiẽtem dedit gratiam, quam spernentes deliquerunt, & in peccatis suis decesserunt; omnes vero ad se Deus beneficiis allexit, minis deterruit, prohibitionibus, ac præceptis iustissimis compescuit, sed noluerunt intelligere; vt bene agerent; & tamen Rempublicam à mente diuina præceptam perfecerunt, cum nullus Dei prouidentiam effugere valeat, meliusque fuit, vt peccata hac ratione permitteret, quàm vt impediret; in eo namque mira Dei sapientia conspicitur, quæ homines quantumuis sibi oppositos sua prouidentia complectitur, & ex

Mundus in mente diuina concipiendus, vt perfectæ Reipublicæ idea.

eorum malitia ſuæ maieſtatis ſplendorem elicit, enim vero iuſtitia eius vindicatiua ſe manifeſtat, & apparet, quantum Deus aduerſus peccata gerat odium, vt eum in illa diſplicentia imitemur; deinde virtus magis conſpicua redditur, quia contraria iuxta ſe poſita magis eluceſcunt; adde quòd Deus multa bona ex ipſis malis eliciat; quantumcumque igitur à Deo recedant homines, nil inde detrimenti poteſt numini diuino contingere, nec enim bonis alienis indiget, ſed ex ſe beatiſſimus eſt. Cætera leges in obiectione ſequenti.

OBIECTIO VIII.

Petitur ex eo quod Deus cauſa peccati videatur.

QVis abnuat, inquiunt, Deum peccati cauſam dare hominibus, cùm eis naturam ad malum procliuem, potiùs, quàm ad bonum dederit, qui nimirum plus habent de non eſſe, quàm de eſſe, vnde potiùs ad defectum declinent, quàm ad perfectionem tendant; idque ex eo conſtat, quòd neſcio quibus nebulis humanum intellectum obnubilauit, & peccatis neſcio quid titillationis indidit, oblectamentique, & facilitatis; virtutes autem in arduo poſuit, ac ſudore magno comparãdas, adeoque Deus cõſultò ita conſtituiſſe videtur, perpauci, vt virtutes, vitia vt quam plurimi ſequerentur, vnde philoſophum aliquem Lutetiæ ſic philoſophantem refert Cæſar; qui virtutes proſequuntur, fures ſunt, nam quæ Deorum ſunt, ſibi vendicant, vitiorum vero ſectatores æquiſſimi, iuſtiſſimique, quærunt enim quæ ſua ſunt: fortè ſeipsũ nominare noluit. Nec ſibi ſatisfieri dicunt, ſi reſpondeas Deũ homini tradidiſſe naturam infirmam, & ad peccata procliuem, non vt peccaret, ſed vt potens peccare, & non peccare, maiora ex meritis præmia conſequeretur, ideoque dediſſe ſtimulos carnis vt virtus in infirmitate perficeretur, nebulis intellectum obduxiſſe, vt diuina ſapientia magis eluceſceret, cum hominis natura id exigat, qui ſi natura ſua factus fuiſſet illuſtrior, ſuum ipſe amiſiſſet eſſe quia fuiſſet intelligentia, & non intellectus, nec tamen adeò obſcuratum eſſe, vt à malo bonum ſecernere nequeat; Enimuerò cum certiſſimè præuideret tot homines peccaturos, quos tamen facilè, ac ſuauiter ſine vllo præiudicio libertatis à vitiis auertere poterat, cum oblectationem ingentem peccatis inditam ſciret, vt ea apprehenſa continuò multi ad eam raperentur, quorſum ea obiecta in eorum immiſit oculos, quos inde perditionis anſam ſciebat accepturos?

Athei virtutem difficilem, facilè peccatum eſſe dicunt, ne homines virtutem colant.

Athei ſolutionem aliquam impugnant.

Quid prodeſt dicere, delectationem ea propter peccatis indidiſſe, non vt illorum irritamentis facilius ineſcaremur, ſed vt illa tanquam Syrenum ſcopulos prætern auigantes maiori cum gloria ad cœleſtem Ithacam pertingeremus, vbi maioribus deliciis, veriſſimiſq, voluptatibus exciperemus, cũ optimè ſciret euenturum contrarium; fateor quidem ipſas virtutes non omni exuiſſe delectatione, imo quaſdam tantis cumulaſſe deliciis, vt licet magnis illas acquiramus laboribus, acquiſitis tamen magno cum gaudio perfruamur; contra verò ſcelera otio conſeruata, laboris & triſtitiæ infœliciſſimum ſortiuntur exitum: Sed cur non ita præuenit omnes, vt virtutis pulchritudinem inſequerentur? nec enim bonus liberi arbitrij vſus minus illuſtris, nec perampla totius mundi Reſpublica, neque Dei gloria minus aperta fuiſſet, nec enim Deus peccatis indiget, vt ſuam miſericordiam, & bonitatem illuſtrem efficiat, æque enim incarnari potuiſſet Verbum, tametſi nullum omnino peccatum, fuiſſet. Deniq; licet bonum ſit per ſe amabile, malũ verò per ſe exoſum, ac deteſtabile, nõ ideo tamẽ homines vitiis omnes retrahere, & ad virtutes adducere voluiſſe videtur, etenim nũ minor ſæpius in peccatis, quã in virtutibus, ac fortè maior apparet bonitas, vnde fit vt etiã omnis peccator peruerſe agens nunquã ad malũ, ſed ad bonũ ſemper intendat, & ſuam aliquomodo beatitatẽ inquirat: quod autem difficilè virtutes, facili verò negotio vitia acquirantur, id non vertitur in Dei laudem, qui potius magnam ad virtutes facilitatem, ac obuium acceſſum parare debuiſſe videtur; nam ſi vitia non ſunt hominis propria, ſed potiùs aliena ab eo, & eius naturæ virtutes accomodatæ ſunt, cur non ita ſunt in parato ac cæteræ naturales proprietates! cur videmus homines magis voluptatibus, quàm virtutibus addici? nec mirum eſt, ſi belluæ potius quàm hominis ſpeciem induant, cum rebus corporeis magis immergantur, quàm ſpiritualibus inhient, nec quidquam abſque rebus terrenis intelligere valeant, cum intelligentem oporteat neceſſariò phantaſmata ſpeculari: quæ omnia ſine dubio probare videntur Atheis, vt nullum eſſe Deum, vel non eſſe tantum, tam bonum, tam ſapientem, ſed omnia facto regi, qualem nos, illum prædicamus

Confeſſio Athei.

Quæſtio, & obiectio Athei.

Deũ Athei reprehẽdũt

Ex quibus omnibus concludunt non eſſe Deũ, alioqui peccata impediuiſſet, maximè cum ſine libertatis præiudicio, nec cum minori ſuæ maieſtatis gloria id efficere poſſit.

Octauæ obiectioni reſpondetur.

IMpia viperarum progenies etiam aduerſus ſui factoris rationes armabitur? an ipſis armis, quibus Atheorum arcem inſanam expugnamus, cõtra nos, contra veritatem, contra diuinam prouidentiam dimicabit? ô frontem effrontem! ô ſummam impudentiam! verum ne quis infirmior à vero tramite diuertat; iterum iterumque hominum impiiſſimis, tametſi reſponſione indigniſſimis in proborum gratiam reſpondeamus.

Stulta imprimis eſt ratio, qua vtuntur, nempe Deum

A quo creaturæ habeant non esse, & imperfectiones.

Deum esse nostrorum peccatorum causam, quia nobis plus de non esse, quàm esse contulit quod non est tantùm Æsophon verum & belluinæ imaginationi postponendum; nec enim Deus non esse creaturis contulit, vtpote quod ex se habent, ac proinde si ad aliquem defectum, aut peccatum propendeant, ex se id habent, non à Deo, à quo tantùm abest, vt peruersis inclinationibus homines afficiat, cùm illud fieri nequeat: quomodo enim summum ens non entis, summè perfectus imperfectionis, summè potens imbecillitatis, optimus malitiæ, fons veritatis mendacij, scientiæ fons, erroris causa erit?

De virtutũ delectatione sup. à obiectione 3. ad rationem 10 egimus.

Apage sis Athee, nec ad diuinæ prouidentiæ contemplanda mysteria tutum te putes accedere posse, nisi priùs ratione vtaris, quæ cogit, vt asseramus omnis perfectionis, atque bonitatis, nullius verò imperfectionis Deum autorem esse, qui nec vlla nube mentes nostras obduxit, neque viis titillationem indidit, neque virtutem in arduo posuit, vt ab eius consortio abhorreremus; quin potiùs nescio quid fellis semper in peccatis esse permittit, vt vel initio, vel in fine pungant, & altissimos aculeos menti figant, vt ab iis vnusquisque deterreatur.

Vitium fellis aliquid habet.

Quis enim obsecro peccauit vnquam, etiam si gratissimum sensibus peccatum esse videretur, qui non illico Vermem, nisi fortè sit omnino perditus, senserit? qui non in corde suo dixerit, vellem non peccasse; nec mihi suggeras, te nullum vermem, nullam tristitiam, imo neque si vis, pudorem, aut tantillam verecundiam in te deprehendere, imo libentissimè præterita vitia, & quæ minimè perpetraueris, præclara veluti facinora commemorare, atque celebrare, quod hocce, nostro ferreo sæculo quoties heu! ô quoties contingit; sed nihil mirum: cùm tu omnésque tibi similes omni virtuti æternum vale dixeritis, atque Deum factis, si non mente negaueritis.

Scriptum reliquit Psaltes regius super nos Dei nostri lumen signatum esse, qui cùm sit fons lucis, verusque sol animarum non ingerit, sed abigit tenebras, non cogit nubes, sed dissipat, non obscurat animum, sed illustrat.

A quo enim impie, à quo lumen illud rationis habes, quo virtutes esse vitiis præferendas, quo te hominem, non pecus, quo tibi cibo, potuque vtendum esse eóque vtili, non saluti obnoxio, quo denique omnia, quæcunque meditaris, quæcunque operaris, atque loqueris facienda, dicenda, cogitandáque esse iudicas?

Deus rectũ fecit hominem.

Verùm ad cætera pergamus: Consultò Deus imel virtutibus infundit, sicut vel vitiis, vt illas studiosè nobis compararemus, hæc autem vt pote cane & angue peiora, fugiamus; hinc philosophi gentiles virtutem suum secum præmium ferre crediderunt; adeout aliqui asseruerint adhuc virtuti imcumbendum esse, tametsi anima morti obnoxia foret, quandoquidem bonum prosequendum est, sicut malum fugiendum: Ex quibus aduersus Atheos infero nullatenus hominem ad vitium procliuem esse, nisi hanc propensionem ex sua malitia contraxerit, siue ea personæ fuerit, siue originis; rectum quippe Deus fecit hominem, cui os sublime dedit cœlumque tueri, sed & mentem quæ Deum ipsum clarè videre posset.

Magnus venit medicus, quia magnus iacebat ægrotus.

Adde quòd illæ propensiones spontaneæ, sponteque contractæ non sint peccata, sed iis medecina parari potest, imo iam à Deo parata est, qui per Vnigenitum Filium optima remedia contulit, quibus veluti alexipharmacis, non solùm affectibus nostris inordinatis mederi, verùm etiam omnia mentis vulnera persanare valeamus. Nec ad huiuscemodi alexiteria suscipienda quidquam aliud necessarium est, quàm tua voluntas, cùm Deus nunquam desit.

Beatus fur, qui virtutes rapit.

Neque timeas; vt sis fur, virtutum palmam apprehendis, vtinam omnes ea ratione fures essent? ô furtum beatum, quod prædones suos ad perennem fœlicitatem perducit; quomodo fur esse potes, si quod tibi maximè congruit, quodque in tuam vtilitatem paratum est, capessis?

Cur Deus carnis stimulos in homine post originale peccatũ reliquit.

Falsissimum est homini congrua, vel propria, esse peccata, quin potiùs illius naturæ contraria sunt, quam deformant, quam factori suo reddunt inuisam, quam à fine suo præstituto, & ab omni perfectione præpediunt, cùm ex aduerso homini virtutes maximè conueniant, à quibus magis ac magis perficitur, iisque ad suum principium, atque fœlicitatem traducitur. Nec vsque adeò verum est stimulos carnis Deum homini admouisse, quos potiùs permittit, cùm illi suam ab originis peccato causam repetant, quippe qui sint ipsius peccati fœtus, quos assidua rerum cœlestium meditatione, & omnium virtutum exercitio domandos nobis Deus reliquit, non quòd alia ratione gloria nobis conferri non posset, non tantùm, vt amplam meriti materiam suggererent, sed quia nos ipsos in huiuscemodi laqueos coniecerimus, à quibus, cùm voluntarij sint saltem in origine, proprio spontaneoque labore diuina adiuti gratia liberandi sumus.

Deus ergo iustus æquè, ac misericors dictante iustitia passiones illas, & propensiones, quas ad malum habere videmur, reliquit, quas operante misericordia ad salutem, perfectionemque nostram ordinauit, vt de iis rationis frœno subactis triumpharemus, ac præmium nobis à constitutione mundi paratum consequeremur.

Quæstio Atheorum.

Quid igitur mome diuinam iustitiam, quid misericordiam, quid prouidentiam arguis? At inquis potuit Deus hominem impeccabilem creare, potuit nos omnes tanta gratia præuenire, vt nullus omnino peccaturus esset quare igitur non fecit? Itaque ab ipso Deo suarum actionum rationem exigis, atque diuinæ prouidentiæ æterna decreta transcendens, ea veluti manca reprehendis; quapropter eum te esse scias, in quem omnis creatura insurgere, & armari debeat, quandoquidem rerum omnium authorem in opificio suo carpis, imo negas, & pro viribus tollere niteris. At si quod helleborum mentem insanam purgare valet, audi obsecro, & alta mente repone.

Mala culpæ, quæ sola propriè peccatorum

P

Sex causæ cur Deus peccata permiserit, nec omnes in gratia confirmarit.

nomine intelligenda sunt, eorumque permissio diuinam prouidentiam tibi fortè destruere videntur, cùm ex iis nullum bonum elici possit, quod amicitiæ, gratiæque Dei quæ peccatis dependitur, conferri possit; sed penitiùs rem intuere, videbis enim mirabilem Dei prouidentiam peccatorum illa permisione astrui potiùs, & extolli, quàm destrui, vel deprimi, cum pluribus de causis iisque iustissimis mala Deus Opt. Max. permittat; quarum prima est, quia ad eius prouidentiam spectat, vt res modo sibi conuenienti agere sinat: sic enim attingit à fine, vsque ad finem fortiter, & tamen suauiter omnia disponit, atque gubernat, hinc fit, vt cùm hominem liberum creauerit, liberè etiam eum agere relinquat, videatur diuus Thomas 3. contra gentes. cap. 71.

Prima.

Huc referri potest D. Basilij ratio quam habet homilia quod non est αἴτιος τῶν κακῶν ὁ θεός *Sed cur in structura, inquis, non habuimus, vt peccare non possemus, itaut ne volentibus quidem contingeret, vt peccaremus? Quoniam, inquam, & tu seruos non quando vinctos in custodia retines, beneuolos esse tibi existimas, sed cum sponte omnia quæ erga te oportet, videris agere. Sic item Deo cum puta fore amicum; non qui coactus, sed qui sponte sua virtutéque illi obtemperat, Virtus vero ex voluntate perficitur, non ex necessitate. Voluntas autem ab illis pendet, quæ in nobis sunt sita. Quod verò in nobis situm est, voluntarium, & spontaneum est. Qui ergo factorem reprehendit, quod non tales nos natura fecit, qui peccare nequeamus, nihil aliud opinari videtur, quàm naturam ratione carentem ea, quæ rationis est particeps esse potiorem; & illa quæ non mouentur, nec mente ducuntur, iis quæ eligunt, iudicant, conferunt omnino præstare.* Quibus addit salutare consilium quo sibi medicinam Athei parare valeant. *Hæc & si per transitum, attamen non ab re dicuntur, ne in profundum inanium cogitationum ruens, præterquam quod quæ inquiris non assequeris, Deum etiam amittas. Desinamus ergo eum, qui sapiens est, velle corrigere. Desinamus, inquam, meliora, quàm Deus fecit indagare. Quod si ob nostri ingenij imbecillitatem omnia Dei consilia sigillatim ratione attingere nequimus, illud attamen animis nostris infixum ac in confesso sit, nihil malum ab eo qui bonus est fieri.*

2. Secunda causa est, quia Dei sapientia, & potentia hac in re mirum in modum elucent, nam ex illis malis bona elicit. *Neque enim Deus omnipotens, quod etiam infideles fatentur,* inquit D. Augustin. cap. 11. Enchirid. ad Laurent; *rerum cui summa potestas, cùm summè bonus sit, vllo modo sineret mali esse aliquid in operibus suis, nisi vsque adeo esset omnipotens, & bonus, vt benefaceret etiam de malo. De bono naturæ vitiato ipse Deus benefacit reformando, aut puniendo vitiatum, ac per hoc ergo malum nec vitium erit; quia nihil est cùm euacuatur:* Sed eum obsecro præclarè de malo bonoque differentem, sicut & cap. decimo de correp. & grat. perlege; licet autem ista bona, quæ Deus ex malis elicit, bono quod per peccatum amittitur æquiualere minimè videantur, si ad peccantem respiciamus, attamen totius vniuersi respectu, maiora sunt, vt 96 capite eiusd. Enchiridij docet. *Nec dubitandum est Deum facere bene etiam sinendo fieri, quæcunque fiunt malè. Non enim hoc nisi iusto iudicio sinit. Et profectò bonum est omne quod iustum est. Quamuis ergo ea, quæ mala sunt inquantum mala sunt, non sint bona, tamen vt non solùm bona sed etiam sint & mala, bonum est. Nam nisi esset hoc bonum vt essent & mala, nullo modo esse sinerentur ab omnipotente bono. Cui procul dubio quàm facile est, quod vult facere, tam facile est quod non vult esse, non sinere.*

D. August.

D. August.

Sed & maiora bona sunt respectu Dei, qui hac in re ad instar hominis plures aues habentis se gerit; quas ita liberè auolare permittit, vt tamen artificio quodam admirabili ad ea loca redeant, ad quæ, & quando ipse desiderat; sic enim omnes homines ad eum finem, quem Deus vult, vel ad vitam per pœnitentiam, vel ad pœnam per iustitiam, perueniunt.

Tertia causa est, vt Deus ostendat se nullomodo bonorum nostrorum indigere, nec è nostris peccatis vllum detrimentum incurrere, 3.
iuxta illud 35. Iob, *si peccaueris, quid ei nocebis, & si iustè egeris, quid donabis ei? homini nocebit iniquitas sua*; ideoque libertatem arbitrij, vt vel in obsequio permanere possent, vel eius imperium detrectare, si vellent, omnibus Deus benignè concessit, *nihil metuens de cuiusquam malitia, nihil indigens de cuiusquam iustitia*, inquit diuus Augustinus libro 11. de Genesi ad literam cap. 11.

Iob 35.

D. August.

4. Quartam etiam causam assignamus, infinitam Dei bonitatem, qui cùm suis creaturis non egeat, (quibus tametsi indigeret, eis vix se credere deberet, cùm tam facile, idque sæpius ab eo deficiant) attamen maximam eorum curam gerit, hominum præsertim, ac si absque illis gloriam vitamque suam minus tueri posset. Quod si vrgeas Deum tam angelis, quàm hominibus liberum arbitrium in gratia confirmatum indere potuisse, vt reuera quibusdam Virgini matri præcipuè concessit, adeout & liberi essent, neque tamen peccare possent, audi sanctum Augustinum 22. de Ciuitate capite vltimo tibi satisfacientem, *Seruandos videlicet fuisse gradus diuini muneris, vt primò daretur liberum arbitrium, quo non peccare posset homo, nouissimum, quo peccare non posset, atque illud ad comparandum meritum, hoc ad recipiendum premium pertineret.* Et 11. de Genesi ad literam capite septimo. *Ecce nos concedimus meliorem esse naturam, quæ omnino peccare nolit; concedant & ipsi non esse malam naturam, quæ sic facta est, vt posset non peccare, si vellet, & iustam esse sententiam, quæ punita est, quæ voluntate, non necessitate peccauit:* Quod eleganter, & doctè persequitur ab initio libri vndecimi ad vsque caput duodecimum.

D. August.

Quintam verò rationem ex cap. 6. desumo; 5.
quia probatur & exercetur virtus, & est palma gloriosior non consensisse tentatum, quàm non potuisse tentari.

Sextam autem ex capite octauo, & decimo; 6.
tametsi enim improborum voluntates in bonum conuertere, & in gratia confirmare posset, quoniam omnipotens est, id tamen noluit, cur autem noluerit penes ipsum est; Debemus enim non plus sapere, quam oportet. quibus addit. *Puto autem paulo ante satis nos ostendisse non parui boni esse rationalem creaturam, etiam istam, quæ malorum comparatione auet malũ. Quod genus bona creaturæ vtique non esset, si omnium*

nium malas voluntates in bonum Deus conuertisset, & nulli iniquitati pœnam debitam infligeret; ac si non esset nisi solum illud genus, quod vel nulla peccati, vel supplicij malorum comparatione proficeret. Ita velut aucta numerositate excellentioris generis, ipsorum generum beatorum numerus minueretur.

Fundamētū rationū præcedentium.

Quæ rationes fermè nituntur diuinis decretis, quibus hunc rerum ordinem, & non alium in hoc mundo futurum ab æterno intellexit, si vellet, idque voluit; cuius velle posse est & posse velle: non quòd ea omnia Deus efficiat, quę potest, sed quia in Deo omnia sunt idem simplicissimus Deus: Nec tamen detrectare velim, quin eminentiorem rerum ordinem intelligere, & decernere potuerit, quandoquidem eius potentia nullis limitibus circunscribitur, vnde Psaltes. *Omnia quæcúnque voluit, fecit*: nec, præter similes antea relatis congruentias, vlla ratio diuinæ voluntatis afferri potest, cùm ea nihil prius sit, cæteráque antecedat.

Malè ratiocinantur Athei.

Quapropter stultissima est Atheorum curiositas, & in primo logicæ limine turpiter hallucinatur, dum neque primam operationem intellectus, vt par est, efformat, siquidem aliquid voluntate Dei superius, vel antiquius concipere videtur, quando inquirit, quænam causa fuerit, cur Deus hunc rerum ordinem, & non alium elegerit, aut saltem in secunda mentis actione non parum errat, dum rationes se posse adinuenire credit rationes inquam æternas, ob quas sapientissimus Deus non omnes in gratia confirmarit.

Sufficiat igitur, vt credamus Deum Opt. Max. ex infinitis mundis, rerumque gradibus, & ordinibus, quos ab æterno eligere, & in tempore constituere poterat, liberrima voluntate hunc mundum cum suis gradibus, & non alium, vel etiam plures elegisse, atque creasse, nec enim est vasis à figulo inquirere, cur tale sit effectum, & non aliud.

Ad Rom. 9.

Quod diuus Paulus ad Rom. 9. attulit, vt simili quæstioni satisfaceret. *Et, ô homo tu quis es, qui respondeas Deo? annon habet potestatem figulus luti facere alud vas in honorem, alind in contumeliam?* An vas interrogare debet; cur forma quadrata, rotunda, vel ellipsis instar formatum sit?

Obiectio Atheorum.

At inquies tametsi non liceat vasi, alteri tamen fas est, vt & figulum de vasis, & fabrum de ædificiis interroget, cur hîc fenestram, illic ianuam, cur in hoc loco lapidem quadratum, vel trabem, curue in alio aliud collocarit, sic enim vulgò fabros, & vniuscuiusque opificij artifices interrogamus.

Verùm quàm frigida sit illa obiectio, patet ex eo, quòd nulla sit, nec esse possit creatura, quæ non sit Dei præpotentis opificium; vnde nec vllus Deum rogare potest, cur hoc aut illud fecerit, nisi temeritatis suæ pœnas luere velit: Roget lapis aliquis cæmentarium, cur me quadrasti, curue tali loco me constituisti? Nunquid iustissimè cæmentarius malleo ferreo lapidem illum comminuet, atque in puluerem contundendo reducet?

Desinat ergo peruersa hominum, atque prophana curiositas, & cum Apostolo, tametsi ad tertium vsque cœlum rapto, vbi viderat arcana, quæ non licet homini loqui, veluti mysteriorum diuinorum magnitudine oppressa clamet, *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & iustitiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius.*

4. Rationes cur potiùs vitiis homo quàm virtutibus incumbat.

Superest, vt intueamur, an in peccatis Deus bonitatem aliquam posuerit, vi cuius ad illa peccatores allicerentur, & vnde fiat, vt homines ad vitia, quàm ad virtutem procliuiores esse videantur, cùm ad maiorem Dei gloriam faciat, si ad virtutem magis, quàm ad scelera propendeant, verumtamen ex dictis iam illa soluta sunt, nec enim vllius bonitatis vitia capacia sunt, in quibus si quando bonitatem concipimus, eam fingimus: à Deo autem nihil fictum, seu falsum est, sed à veritate vera omnia: Vnde fit ergo, vt homines ad vitia magis ferantur?

An quia facilius est vitium quàm virtus? cùm 1.
illud ex quolibet defectu, hæc verò ab integra causa proficiscatur.

An quia caro, mundus, & dæmon ad illud nos 2.
prouocant, & ab ista reuocant?

An quia peccati fomitem originale peccatum
in nobis produxit, & virtutis fomitem extinxit, 3.
iuxta id Apostoli ad Rom. 7. Sentio Legem in Ad Rom. 7.
membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.

An quia id ex voluntatis peruersitate oritur, 4.
quæ minus Dei voluntati, atque virtuti, quàm vitiis intendit? quæ minimè motus animi compescit; quæ diuina gratia baptismo, vel alio modo suscepta, cæterisque donis abutitur: Illa ergo sola est, & vnica peccatorum immediata causa, vnde tritum illud, *tolle voluntatem, nullus erit infernus.*

Quot sint quæ virtutem suggerant.

Tu solus ergo, tu tibi ipsi, Athee, pedicas struis, tibi paras exitium, atque salutis tuæ ruinam omnimodam excogitas; nec enim mundus præualet, non caro, non fomes, non dæmon, non curiositas, denique nihil tibi violētiam inferre potest, nec vnquam peccabis, nisi priùs sponte volueris: Adest verò Deus, qui te respiciat, & in pugnando iuuet, adsunt angeli, quos tibi posuit custodes; lex Dei, quæ te à vitiis reuocet, paradisus, qui ad virtutem incendat, infernus, qui terreat, demum omnia velut vnanimi consensu ad tuam, omniumque hominum salutem concurrunt, quid plura expetis, quid conquereris? Sed iam ad sanam mentem fortè si non omnes, quosdam saltem Atheos vtinam reduxerimus; ea saltem adduximus, quæ omnes ad veritatem reuocare possint.

Quæstio an Deus mundum isto meliùs ordinatum producere potuerit.

Veruntamen in gratiam Catholicorum, potiùs quàm Atheorum pauca subiiciam, fateor rationes illas, quas attuli non ita difficultatem ad colophonem perducere, quin adhuc aliquis curiosus quærere possit, an Dei gloria potuerit amplius manifestari, si constituisset ordinem, in quo quidem omnes gradus, qui iam adsunt, reperirentur, excepto peccato, quod nullum ordinem ingreditur, quin potiùs maximam ataxiam efficit, & omnia susque déque vertit; vel nunquid alium ab isto mundum potuerit fabricare, in quo ad hominū maiorē vtilitatē, & diuinam gloriam promouendam omnia magis concurrerent. Quibus Respōdendum est, Deum pro sua voluntate, & omnipotentia quemcunque ordinem, quęcumq; rerum

statum, quaslibet creaturas tam spirituales, quàm corporeas efficere potuisse, ac proinde eas nobiliores & eminentiores, potuit omnia peccata impedire, omnes in gratia confirmare, & pluribus sanctis paradisum ornare; sed quid enumerem ea, quæ Deus potest, cùm ei nihil sit impossibile? Omnia sunt ei possibilia, ergo mentem hominum, imo & omnium angelorum captum infinitis interuallis superare potest, ergo potest aliquid efficere, cuius rationem minimè reddere, vel inuestigare valemus; quod ita verum esse credo, vt nullum omnino Dei sit opus, cuius causam adeo probè sciamus, vt nulla sit in mente Dei alia ratio, cur illud fecerit; Etenim mens diuina rationes infinitas habet, cur hunc aut illum hominem exempli gratia præsciat, aut prædestinet; cur hunc mundum, & non alium, cur tot cœlos, & non plures, cur angelos, & non solos homines produxerit.

Infinitæ sunt rationes in mēte diuina.

Non est igitur quòd mireris, si postquam omnem lapidem mouimus, & iuxta ingenij nostri tenuitatem, rationes, quas potuimus, cur Deus homines creauerit, quos peccaturos, atque ignibus æternis cruciandos esse nouerat, attulimus, adhuc mens nostra caligat; rectè enim Psaltes cecinit, *Nubes, & caligo in circuitu eius; posuitque tenebras latibulum suum*, & alibi, *ascendet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus*: cor enim altum in præsentia rationes dixerim, quas inuestigamus, cur Deus hoc aut illud voluerit, noluerit ue.

Postquam Deum aliquid facere posse statuimus, quod mentem hominum superaret, cuius rationem inuestigare non possent, & quod ab illis intelligi non valeret, omnem ambagem, & difficultatem amouisse mihi videor, adeout Atheis in præsenti validissimum argumentum, & remedium ex istis, quæ fatentur omnes, suggerere velim, quo mentem detergant, & suæ incredulitati, & sui animi imbecillitati medicinam parent, & adhibeant.

Optima ratio vt Deū esse probemus ex hominum ignorantia depromitur.

Quoties igitur homines etiam doctissimi viderint se rei cuiuspiam rationem vltimam minimè reperire posse, cogitent huiuscemodi opera esse Dei, qui ponit nubem vestimentum suum, & ascensum, & concludant illa tum maximè Deum arguere, cum mentem, & intelligentiam nostram superent: Profectò si rerum omnium tam naturalium, quàm supernaturalium causam afferre possent homines, ius aliquod habere viderentur, vt nullum esse Deum inferrent, cùm nihil se maius in mundo, id est, cuius rationes, & causas reddere non possent, deprehenderent: Maximum enim argumentum esse puto, vt Deum concludamus, quando tanti rationem opificij, curue hoc aut illo modo, cum his & illis creaturis fabricatum est nec afferre, neque concipere valemus; quod enim superat nos, mentisque nostræ summum apicem tam altè transcendit, nobis longè maius esse necesse est; quid autem nobis superiùs credimus, præter Deum immensum, vt iam angelos prætermittam.

Deus ergo mentem hominum vincit, *Qui summè sufficiens est, sicut creatura summè deficiens*, vt diuus August. 1. Soliloquiorum ait. igitur cùm aliquid efficere possit, quod vim intellectus nostri effugiat, in eo verò sit idem esse, & posse, cui dubium est, quin ita suum hoc opificium efformarit, vt illius causas assignare non valeamus, adeout iam liquidò constet eum operam, & oleum perdere, atque stultissimum esse dicendum, qui omnium actionum diuinarum causas omnes explorare, & tradere præsumpserit. Et in eo quidem Deus maximè commendabilis est quod in omnibus eius operibus etiam minimis multa sint, quæ nos in admirationem rapiant, dum etiam omni adhibita industria nescire possumus, vel corporis omnes partes, & membra, quæ in iis reperiuntur, vel omnes proprietates; quod vt ostendam, nolim angelum, nolim hominem non leonem, non etiam formicam, aut aliquod animalculum, non Zoophytam in medium afferre; plantula quæuis prodeat, & eius ortum, quicunque sis, nobis enarrā, explica rationem incrementi, quantum vno quoque minuto, quauis hora, quouis die crescat; aperi proprietates occultas, seu specificas; dic quomodo specificæ primas, quomodo primæ secundas qualitates producant, vel ex se fundant: age verò quodnam in floribus temperamentum adeò diuersum est, quod tam varios colores efficiat, vt non rarò vnico in folio 2, 3, 4 colores omnino diuersos spectare possis: testis est Trinitatis herbula, testes illæ tulipæ variegatæ, & quotquot ferè iam in hortis aspicimus: Verè verè fatendum est Deum esse quem omnes creaturæ laudant, prædicant, & mille modis esse concludunt, vt iam Athei è numero creaturarum expungi debeant, & in non entium adscribi catalogo, nisi resipiscant.

August.

Plantæ nostram ignorantiam arguunt.

Et vtinam resipiscant; id enim summopere cupio, quapropter quædam afferam quibus magis atque magis affici possint.

Mihi credo facilè concedent aliquid esse in hoc mundo, quod non intelligunt, illud tamen non est à se, si enim à se est, cur non est vbique, cur non omnes perfectiones habet: quod si minùs intelligant creaturam, quomodo factorem illius comprehendere poterunt.

At cùm dicunt eum peccata impedire debuisse, quid faciunt? nunquid Deum in parte quærunt? an forte dolent, quòd adeò bonus sit, vt ex malo bonum eliciat? Deus ergo vt inueniatur, vbique quærendus est, & in bono, quod absolutè facit, & in bono, quod ex malo trahit; quo videtur alludere diuus Gregor. 16. mor. *Creator omnium Deus pater omnipotens vbique est, & vbique totus est. In parte non est, quoniam vbiquè est, & tunc minus inuenitur, quando is, qui vbique totus est, in parte quæritur.*

D. Greg.

At obsecro ne mireris si Deum intelligere nequeas: *Illius enim natura est*, inquit diuus Greg. hom. 7. in Ezechielem. *quæ tenet omnia, superexcedit omnia, sustinet omnia, neque alia ex parte sustinet, atque alia ex parte superexcedit, neque alia ex parte implet, atque alia circumplectitur, sed circumplendo implet, implendo circumplectitur, sustinendo superexcedit, superexcedendo sustinet. Ille est*, inquit mor. 2. cap. 12. *qui manet intra omnia, ipse extra omnia, ipse super omnia, ipse infra omnia. Superior est per potentiam, inferior per sustentationem, exterior per magnitudinem, interior per subtilitatem, sursum regens, deorsum continens, extra circundans, interius penetrans, nec alia ex parte superior, alia inferior, aut alia ex parte exterior, atque alia ex parte interior*

Dei natura qualis.

terior, sed vnus idemque totus vbique præsidendo sustinens, sustinendo præsidens, circumdando penetrans, penetrando circumdans: vnde superius præsidens, inde inferius sustinens, & vnde exterius ambiens, inde interius replens; sine inquietudine superius regens, sine labore inferius sustinens, interius sine extenuatione penetrans, exterius sine extensione circumdans. Est itaque inferior sine loco, est amplior sine latitudine, & subtilior sine extenuatione.

Quod si vel ipsos Atheos, vel etiam eos, quos laudant Athei commemorare velim, etiam Deum esse fateantur necesse est; legant enim Diagoræ librum, statim in fronte scripta apparebunt illa verba, *Quod à numine summo regantur omnia.* & Cardanus, quem tanti faciunt, de Deo & vniuerso disputationem ita concludit. *Quæris ergo quid Deus sit, si scirem Deus essem; nam Deum nemo nouit, nec quid sit, quispiam scit, nisi solus Deus.* Quibus apertè vides Deum hominis animo non posse comprehendi.

Diagoras.

Cardanus.

Sed alia etiam ratione respondere iuuat, ne vllam excusationis vmbram charissimæ veritati possint obtendere, aut diuinæ prouidentiæ insultare. Tametsi ergo Deus Opt. Max. creaturas longè perfectiores effecisset, omnésque verbi gratia constituisset angelos, aut angelis perfectiores, attamen præterquam quòd nihil perfectionis, aut gloriæ ei accessisset, eius attributa, atque perfectiones, quas in rerum omnium conditione manifestari voluit, & ob quas demonstrandas mundum hunc condidit, non illustriores apparuissent, Demus enim sine peccatis, sine tribulationibus orbem terrarum, & quicquid in eo continetur, efformasse, (nec enim sine quolibet defectu (etiam negatiuo, seu priuatiuo vt loquuntur) mundus effici potuit quandoquidem id nulli potentiæ subest, vt aliquid sine omni defectu præter Deum esse possit, alioqui perfectiones omnes habeat necesse est, & Deo æquale sit, quod omninò repugnat, vt demonstrant, qui Dei astruunt vnitatem) Demus inquam Deum non tantùm sine peccatis effecisse, sed nobilioribus creaturis, sed maioribus, vel saltem pluribus virtutibus mundum ornasse; Demus obsecro Deum quicquid potuit, tandem aliquando creasse (nec enim desunt, qui id fieri posse existiment) nequaquam tamen omnes eius perfectiones clarius elucebunt; non infinitas, cùm mundus ille quisquis fuerit, adhuc finitus sit: non prouidentia, quæ in huiusce mundi theatro tam mirabilis esse conspicitur, vt de ea seriò cogitantes velut extra se rapiat, vt fateri cogantur cum Apostolo diuinæ prouidentiæ abyssum, & exclamare. *O altitudo sapientiæ & scientiæ Dei:* Non potentia, quæ si ex alio maiori opificio posset illustriùs apparere, maximè quia vel infinitam ex effectu, vel infinitati proximiorem efferre cogeremur, non primum, quicquid enim creatum & dependens constituis, illud & finitum est; Imò si mihi quid extra Deum infinitum ingeras, exempli causa gratiam, fidem, albedinem, hominem, angelum, aut aliud quidpiam, adhuc in essentia finitum esse necesse est, & eiusdem cum alio simili effectu, qui tamen finitus sit, speciei; hinc ergo potentiam Dei nobiliorem minimè concludis, cuius infinitas satis in eo faciendi modo constat, quo Deus omnia creauit, & continua veluti creatione conseruat. Adde

Ratio hæc omnibus satisfacere debet.

Deì infinitudo.

Prouidētia.

Potentia.

D. Thom.

Tria maxima.

quòd tria D. Thomas 1. p. q. 25. a. 6. ad 4. enumerat, quæ sunt aliquatenus infinita; enimuero sanctissima Christi humanitas cùm sit ipsi Deo vnita, & beatitudo sanctorum ipsius Dei fruitio, denique Beata Virgo sit Dei mater, habent quandam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod est Deus, vnde neque his potest melius aliquid fieri, sicut Deo nihil melius esse potest.

Demum ex alio quolibet mundo diuina bonitas non fuisset splendidior, fecerit enim Deus quicquid vis, vt nec vllum iudicio tuo bonum, nulla virtus, nullum ornamentum desit, assero tamen eius bonitatem vel non magis, vel etiam minus ex eo mundo futuram conspicuam, in eo siquidem maxima bonitas elucet, quod peccatoribus, inuisis, ingratis, perfidis, inobedientibus, quales nos sumus, non solùm indulgeat, verùm etiam bona perampla copiosissimè tribuat; quid enim fide, spe, & charitate, quid beatitudine, quid ipso Deo maius esse potest? at tres illas virtutes theologicarum nomine vulgatas in reconciliatione siue baptismi, siue pœnitentiæ, beatitudinem in fine vitæ, seipsum & in via, & in patria liberalissimè communicat. O quanta, & quàm ineffabilis bonitas, verè Deus meus, verè *bonitatem fecisti cum seruo tuo*, quando carnem eius ad tui verbi vnionem assumpsisti, vt qui peccatorum abysso fuerat absorptus, gratiæ, gloriæ, diuinitatisque oceano frueretur, & Deus ipse fieret; ô bonitas omni stupore maior, quæ nihilum, quæ miserum, & perditum in Deum, qui est omnia, in Deum fœlicitatis patrem, & rerum omnium parentem commutauit.

Bonitas Dei.

Quid obsecro maius afferri potest, quàm si hominem ad sublime gloriæ fastigium euexeris, qui antea te depresserat, aut deprimere conabatur & ad vltimam infœlicitatis metam redigere? nunquid maioribus bonitatis scintillis emicabis, quàm, si amico, quam si tibi fauenti, vel saltem minimè lædenti, non tantùm æquale, sed longè maius, & quantumuis beneficium impendas? Cæcus est, & omni ratione destitutus, qui hæc non videt, qui hæc non sentit, ac libentissimè fatetur, vt iam audacter, veréque canere possimus, *fœlix culpa, quæ talem habuit redemptorem*, aut fœlix culpa, quæ in tantum beneficium commutata est; vel potius fœlices homines, quibus pro tanta culpa, tanta gratia, tantaque gloria reposita est: quæ eo maior esse videtur, quò maior eorum infœlicitas, quos Deus iustis de causis, nobis licet occultis, in perditionis massa reliquit, siquidem contraria iuxta se posita magis elucescunt. I nunc Athee, & ineffabilem Dei prouidentiam, potentiam, atque bonitatem prædica, vt tuo exemplo cæteri sapiant, atque resipiscant: I nunc, & volens nolens fatere Dei prouidentiam, & cæteras eius perfectiones ab omni calumnia liberrimas esse, vt iustificetur in sermonibus suis atque vincat, cùm iudicatur. I nunc, & fatearis errorem, in quo versabaris, dum existimares à te Deum comprehendi posse. Audi Iob cap. 11. *Forsitan vestigia Dei comprehendes, & vsque ad perfectum omnipotentem reperies? Excelsior cœlo est, & quid facies? profundior inferno, & vnde cognosces? longior terra mensura eius, & latior mari: Quod colimus nos,* Iob. 11.

Tertul.

inquit Tertullianus in apologetico cap. 17. *Deus vnus eſt, qui totam molem iſtam cum omni inſtrumento elementorum, corporum, ſpirituum verbo, quo iuſſit, ratione, qua diſpoſuit; virtute, qua potuit, de nihilo expreſſit, in ornamentum maieſtatis ſuæ, vnde & Græci nomen mundo κόσμον accommodauerunt. Inuiſibilis eſt, etſi videatur; incomprehenſibilis, & ſi per gratiam repræſentetur, inæſtimabilis, etſi humanis ſenſibus æſtimetur, adeò verus, & tantus eſt. Cæterùm quod videri communiter, quod comprehendi, quod æſtimari poteſt minus eſt & oculis, quibus occupatur, & manibus, quibus inuenitur. Quod verò immenſum eſt, ſoli ſibi notũ eſt, hoc quod eſt, Deum æſtimari facit, dum æſtimari non capit. Ita enim vis magnitudinis & notum hominibus obiecit & ignotum. Et hæc eſt ſumma delicti nolentium recognoſcere, quem ignorare non poſſunt.*

Multa diuinitatis miracula in hoc mundo conſpicua.

Hinc ſatis conſtat nullum eſſe in Deo attributum, quod illuſtrius futurum ſit, licet alium mundum perfectiorem faciat, vel omnia peccata impediat, quin potiùs dixerim nõ ita fore illuſtres diuini numinis proprietates, quas præſertim in hoc mundi ſyſtemate nobis manifeſtare voluit, niſi peccata, & tribulationes permiſiſſet. Eſt enim ingens miraculum omni ſtupore dignum, quod licet multi ſint improbi, qui diuinæ voluntati repugnare videntur, omnia tamen in Dei prouidentiam recidant, illa quippe locum proprium cuilibet aſſignat: ingens miraculum, quòd de tantis malis tot bona eliciat; ingens miraculum, quòd erga homines tam impios miſericordia vtatur, & eos ad virtutem & bonam vitam reuocet: ingens bonitas, quod pro iis, qui toties diuina illius præcepta conculcauerunt, tam acerbã mortẽ ſuſtinuerit; admirabilis ſapientia, quod nihil ſit in orbe toto, quod eius infinitam bonitatem, & potentiam non aperiat; enimuero ſume tibi quodcumque volueris, lapidem, plantam, ignem &c. nemo eſt, qui omnia cognoſcere poſſit, quæ lapis, aut planta in ſe continet, quid ex iis egredi, quid ipſis mediantibus effici valeat.

Quibus omiſſis accuratiùs obſecro rem totam expẽde; vide in quo rei cuiuſlibet perfectio ſita ſit, attende, & explora quibus modis Deus ſua potuerit attributa manifeſtare, ſtatim enim videbis nihil eum omiſiſſe quod ad ſuam bonitatem, potentiã, atque ſapientiam demonſtrandam facere poſſe videretur: Tametſi enim non omnes æterna gloria donaturus ſit, licet non omnes ſibi per vnionẽ hypoſtaticã verbum æternum vniat, quamuis omnes creaturas noluerit eſſe angelos, attamen non minus infinitus eſt in omni genere, nec minor apparet, cum aliquid ex iſtis perfecit, verbi gratia, cùm ſanctum aliquẽ prædeſtinauit, quàm ſi omnes prædeſtinaſſet: ſi quidẽ opificis præſtantia non tam ex multis operibus iudicãda, quàm ex vnico perfectè elaborato, vt patet cum eximium aliquem pictorẽ, aut ſculptorẽ eſſe dicimus, licet vnicum opus, ſed egregiũ effecerit. Hinc fit, vt non magis Dei bonitatem potentiam aut prouidentiã in pluribus hominibus, quàm in vnico ſuſpiciam, quandoquidẽ omnium par eſt ratio, ideóque tantundem illius admiror miſericordiam in Dauide, aut alio peccatore, cui veniam indulſit, & pro quo mortẽ ſubiit, quantũ in omnibus, quos redemit cùm illa miſericordia ſit ſemper eadem, videlicet infinita, & ab infinito Deo procedat.

Deus æquè mirabilis in vnius mũdi, aut indiuidui productione ac in pluribus

Non eſt igitur, quòd ei ſuccenſeas, ſi non omnes prædeſtinet, aut è tribulationibus eruat; ſi non omnia peccata tollat, tum quia in vnius peccati remiſſione benignitas illius infinita eſt; tũ quia non agit vſque ad vltimũ potentiæ; tum quia magna ex iis bona elicit; tum quia mirabilis eius ſapientia illuſtriſſima redditur, ex eo quòd modum inuenerit, quo peccati occaſione tãta bona produceret, itaut illorum cauſa nullatenus diceretur, & quo actus inordinatos in ordinem reduceret.

Mundi perfectio.

Sume tibi gradus omnes entium, & vide an quis mundo deſit, vide quid totius orbis pulchritudini velles adiungi; ſanè fateberis nihil melius, aut pulchrius fieri potuiſſe, ſi alta mente reponas quod ante diximus, nempe diuinorum attributorum declarationem, cuius gratia mundus factus eſſe videtur, non eſſe minorem in vnico alicuius ſpeciei indiuiduo, quàm in omnibus. Denique conſidera nullum mundum fieri potuiſſe, ſi quod cupis, contigiſſet; vis enim Deum omnes prædeſtinaſſe, nullum defectum in mundo reliquiſſe; igitur petis, vt nullum morbum, nullam paupertatem, nullam debilitatem reliquerit, igitur omnes erunt æqualiter diuites, ſani, & fortes, quis tunc in Repub. ſerui fungetur officio? an igitur velles, vt tota domus in feneſtras, totum corpus in oculum, totum mare in piſces, totum cœlum in ſolem, omnes homines in Angelos conuerterentur? Par enim eſſe ratio videtur: At neque tibi hoc ſatisfaciet, nam vbi omnia in cœlum, vel Angelicam naturam mutata fuerint, quæres inſuper, cur angeli per pauciores, aut excellentiores ſpecies non intelligant; cur in intelligendo ſpecie indigeant, nam illud imperfectionem includere videtur: quæres etiam cur ſint finiti, & cur Deus non omnia infinita fecerit, vel etiam cur non alium Deum ſibi æqualem produxerit, vel cur non à rei cuiuſlibet productione ceſſarit: nec enim video cur illa potiùs, quàm huiuſcemodi poſtules.

Abſurda quæ ex Atheorũ cogitationib⁹ ſequuntur.

Quapropter moneo, vt ab iſtis quæſtionibus abſtineas, quæ penitus ſtultæ ſunt & apud te conſtituas mundum congeriem eſſe debere, quæ gradus omnes rerum in ſe complectatur: quod in hoc mundo perfectè obſeruatum eſt, in quo præ omnibus illud ſuſpiciendum eſt, cui detrahis, quod nimirum Deus mala permittat, ex quibus tanta bona eliciat, vt aliud nihil de eo concludere poſſis, niſi ſumma potentia, bonitate, & ſapientia nobis eum prælucere, alioquin non ita malum quodpiã in bonum commutaret. Faxit numen æternum, vt illa bonitate tandem aliquando perfruamur.

OBIECTIO IX.

OBIECTIO IX.

Petitur ex Dei misericordia.

Sine peccatis Dei misericordia satis eluceret.

EX eo quod Deus misericordiam, ac pœnitentiam diligit, Athei omni misericordia penitus indigni perperam inferunt Deum velle, & amare peccata vt pote media ad virtutes illas exercendas necessaria, quasi diuina misericordia, quæ est, ipsemet Deus à peccatis, à nihilo, à priuatione dependeret. Nunquid in creatione, conseruatione, & à tot imminentibus vitæ periculis, aduersitatibusq; præseruatione, satis appareret? imo si non peccasset Adam, & omnes in iustitia originali remansissent, vberiores misericordiæ diuinæ riuos in nos effundi dertuarique perciperemus; sublimior enim misericordiæ effectus esse videtur, stantes, ne cadant tenere, quàm lapsos erigere, & in pristinũ gradum restituere, vt patet in beatissima Virgine Deipara, quam ab omni vitiorum labe immunem, intactámque conseruauit, in qua magis elucet diuina bonitas, ac misericordia, quã in cæteris, quos, postquam lapsi sunt, in pristinum gratiæ statum restituit: Eadem ratione sine tyrannis martyrij desiderium Deo gratissimum est: itaut aliquando Confessor, qualis fuit Ioannes Euangelista maiori merito gaudere possit, licet in solo desiderio martyr efficiatur, quàm qui reuera martyrium morte propria compleuêre; non quòd negare velim martyrio reapse peracto certam aureolam reseruari, quæ nullis aliis dabitur, (licet non adeò sit exploratum an eadem potientur, qui feruentissimis charitatis actibus mortem ob amorem Christi desiderarunt, qualem D. Franciscum fuisse prædicant) sed quia super omnia præstat charitas, quæ quanto maior fuerit in alicuius actus siue interni duntaxat, siue etiam externi exercitio, tanto maiorem apud Deum gloriam promerebitur: Vtinam Iulius tyrocinium, quod 49 diebus in latomiis Lõdini exercuerat, vt ipse narrat, vtinã illam palæstram, vtinam sanguinis iam accensi, ebullientis, & inflammati emissionem compleuisset, & qui se nulli martyri propriæ conscientiæ testimonio inferiorem esse dicebat, à fide catholica nunquam diuertisset: certè si omnia debent ad charitatem, velut ad lydium lapidem examinari, omnes actus Christiani ex vitæ fine sunt diudicandi.

Martyrij meritum sine tyranno.

Iactantia Vanini.

Quædam hîc enodari posset difficultas, an pœnitentia, martyrium & aliæ, si quæ sint virtutes, quæ supponere videntur peccatum, sint per se à Deo intentæ, aut bonum occasionatum duntaxat, & secundariæ contemplationis: etenim cum ipsæ non appareant meliores, quàm non ipsæ, id arguit non esse illas primariæ intentionis, etenim si nunquam vllus peccasset, nulla vnquam pœnitentia fuisset, quantumuis ea post peccatum necessaria, valdeque laudanda sit, alia tamen ex parte cum nullum Christi animæ defuerit ornamentum: cùm homines in statu innocentiæ, & ipsi angeli hos actus exercere possint: *si peccare me contingeret, grauissimo propterea dolore afficerer, si peccassem, diuinæ iustitiæ vellem satisfacere: licet peccare valerem, attamen nollem: doleo quod cæteri peccauerint, quorum si propria morte peccata delere possem, ne contra Deum vlla remaneat offensa, libentissimè vitam profunderem;* Est & aliud, quod non mediocre negotium facessit, nec enim ita certum est pœnitentiam esse peculiarem virtutem, quin iure id in dubium reuocari possit, cùm omnes actus pœnitentiæ attribui à iustitia, & charitate proficisci posse videantur: sed neq; solutio dubij præsentis multum ad obiectionem facit, nam licet pœnitentiam hominibus concedendam, ac inter virtutes reponendam solummodò post præscientiam peccatorum liberè fateremur, non inde sequitur Deum peccatis indiguisse, qui nec pœnitentia, nec cæteris virtutibus, nec vlla re creata, imo nec possibili, vt sit Deus sibipsi sufficientissimus, opus habet: qui tamen non est minus illustris, ac mirabilis in pœnitentia, quàm in cæteris virtutibus, imo magis eius misericordia per virtutis istius exercicium, quàm per cæteratum elucere videtur: quo sensu rectè procedunt Homilistæ, cùm Deum magis ad misericordiam, quàm iustitiam propensum esse prædicant: non quod Deum velint affirmare magis misericordem, quàm iustum, vt perperam Iulius annotat, sed quòd plura, atque insigniora misericordiæ opera nobis innotescere cõmunicarique videantur, iuxta psaltẽ, *misericordia eius super omnia opera eius*; quis enim non magis artificem mirabitur ex informi materia pulcherrimum opus, quàm ex materia iam paratissima elaborantem; Denique licet misericordia, & iustitia sint in Deo penitus idem, nusquam tamen absurdè, imo verissimè, & ad nostrũ captum appositè illas distinguimus, vt & cætera attributa ob infinitam eminentiam, per quam nostris virtutibus inter se distinctis non solùm adæquantur, verùm etiam infinito interuallo illas superãt: quo fere modo in anima rationali, licet vnica & simplici, triplicem animam rectè distinguimus, vegetantem, sentientem, ac intelligentem, cum istarum officia præstet, quæ si plura vitæ intellectualis munia, quàm sentientis, aut vitalis obeat, eodem sensu magis intellectualis, quàm sentiens dici potest; non quòd æqualiter; animas in se formaliter nõ complectatur, sed quia nobis plura rationis opera videntur ab ea proficisci; quo etiam modo illius animam magis intelligentem, quàm volentem, & amãtem dicere possumus, qui sæpius in theoricis intellectum exercet, quàm in practicis voluntatem, licet non minus in se volens, quàm intelligens dici debeat. Non est igitur quod tantopere commoueatur Iulius, & se cæteris doctiorem immeritò profiteatur. Quàm mirabilis in peccatorum remissione sit Dei misericordia, ex quibus bona elicit, quantis sit efferenda laudibus copiosa eius redemptio, non est præsentis negotij latiùs ostendere; qui ex his operibus ád amorem diuinum insurgere voluerit, tractatum de sacratissima Christi œconomia, seu Incarnatione consulat, vel potius apud se meditetur, quanta misericordia Christus erga nos vsus est, cum pro nobis mortem adeò acerbam passus est.

An pœnitẽtia, & martyrium sint virtutes primariæ intentionis Actus pœnitentiæ sine peccato.

An pœnitentia sit virtus peculiaris.

Deus mirabilis in pœnitentia.

Rectè à nobis Dei attributa distingui.

Summa profectò impietas quòd ex tanta Dei bonitate tã improbi fiant homines.

OBIECTIO X.

Petitur ex diuina prouidentia ac libero arbitrio.

D August Tullij argumentum.

REctè D. August. de Tullio dixit, cum homines fecisse sacrilegos, dum liberos reddere voluit 5. de ciuit. c. 9. sic enim arguebat, vel libero caremus arbitrio, vel Dei prouidentia nulla est, at non illo caremus, igitur hanc nullam esse necesse est, alioquin quando falli non posset, quomodo remaneret inuariabilis, cum libertas sit indeterminata, & contingenter agat; Qui licet in tota sua philosophia Deum admittere videatur, cum tamen Dei prouidentiam neget, proculdubio nullam veram agnouit diuinitatem, contra qué proinde rationes afferendæ sunt, quibus Deum esse probauimus: quod si Deum admiserit, ab eo pulcherrima illa totius mundi συντάξις magnificentissimus ordo, & consensus admirabilis esse debet, atque eius prouidentia regi; qua si corpora cælestia, si terra, aqua, aër, ignis, plantæ, animalia regantur, quantomagis homo, quem horum omnium spectatorem, ac dominum constituit; si Deus eorum quæ sunt ad finem, curam gerit, quantomagis finem ipsum curare putandus est? sed oratoris rationes, si quas habere videatur, penetremus. Vult itaque prouidentiæ diuinæ certitudinem cum libertate, nostra consistere non posse, sed bellè profectò Boëtius à Cæsare relatus, nec enim scientiæ certitudinem, & infallibilitatem obiecti varietas, & indifferentia impedit, præcipuè cum de scientia diuina omnino infinita sermo est. Age verò Cæsar, quid impedit, quominus non possit verè, certò, & infallibiliter cognoscere, quam in partem nostra libertas deflexura sit, Deus inquis, posset determinatè cognoscere indeterminatũ, cognosceret impossibile, quod tamen fieri nequit, cùm repugnet esse, & per consequens agnosci; replica profectò subtilis & tali digna ingeniolo: quis in dubium reuocare ausit, nos contingentia certò ac determinatè cognoscere: nunquid enim omnes philosophi palam asserunt, ac profitẽtur scire se crastinam pluuiam, si quę futura sit esse contingenté: rogo te sciunt ne pluuiã esse quid cõtingens, addubitãdo? nũquid de hac parte, sicut & de cæteris Physica, quatenus scientia est, agit? quid obsecro certius est, quàm nonnulla quæ quotidiè accidunt, esse contingentia? quæ non rectè scirentur, si alio modo, vel alia, quàm contingentia, seu futura contingenter scirentur, nam quodlibet eo modo quo est, cognoscitur, si verè cognoscitur, Deus ergo quasdam hominis actiones certissimè nouit, quantumuis liberas, quas libenter futuras præuidit ab æterno; nec obstat, quod indeterminatio, ac contingentia sit de intrinseco conceptu prædictorum, sicut & liberorũ, id enim & Deus clarissimè videt, & nos ipsi cõprehendere existimamus; nec tamen sequitur rem simul determinatam esse & indeterminatam, etenim in seipsa, antequam determinetur, verissimè indeterminata est: sed & hãc indeterminationẽ, & ipsius indeterminationẽ ad hoc, aut illud videt De⁹, nec sequitur ex obiecti contingentia, ac indeterminatione incertitudo, & indeterminatio sciẽtiæ, quæ tantũ ab obiecto dependet (quando scientia creata est, & humana, cũ diuina scientia à nullo depẽdere

Astruitur Dei prouidentia.

Vaninus refellitur.

Quomodo res contingentes, & liberæ certò cognosci possint.

possit, nec angelica, & beata fortè depẽdeat ab obiectis) tãquã à termino, sicut centrũ circuli à lineis peripheriæ, quæ licet habeant longitudinem, non sequitur punctum longum esse debere; linea terminat superficiem latam, illa tamen est expers latitudinis, vt & superficies profunditatis, quantumcumque omnia corpora profunda determinet: potest ergo de futuris contingentibus certissima esse scientia: an verò partem, ad quam se determinatura sit, cognoscere possimus, postea videre poterit: at de Deo nulli dubium esse debet, qui omnes actus futuros tam contingentes, quàm liberos ab æterno clarissimè vidit. Ecquis amabo rei alicuius scientiam ei negabit, cuius cognitio infinita est?

Alia Boëtij responsio fuit actiones humanas relatas ad scientiam diuinam esse necessarias licet in se contingentes sint, quod Gregorius Spinola Carmelita Iulij præceptor ex maiori necessaria, & minori contingenti declarabat, à quibus consequentia deriuata contingens est? qua ratione patet effectus in ordine ad primam causam esse necessarios, licet respectu secundæ contingenter eueniãt, quia causam proximam magis, quàm remotam sequitur effectus, vt constat in planta, quæ à sole & semine oritur, cum ergo Dei scientia necessaria sit, hominis autem voluntas libera huius actiones contingentes sunt, sed nec responsio præceptoris arrisit discipulo, cùm scientia rei rem inferat, inquit, nec potest intelligere, quomodo scientia possit esse certa de re incerta, quia 1. post. *cuius est scientia, hoc impossibile est aliter se habere*, & scientia perfecta censetur, cùm omnes causas, principia, atque elementa quæsita rei cognoscimus, at contingentia nullis principiis firmis, ac certis, sed tantùm incertis fulciuntur, proinde certam cognitionem ingenerare nequeunt; supponamus enim Deum vnam partem contradictionis cõtingentis certò cognoscere, profectò aliter esse non poterit, quàm prout Deus illam nouit, & sic non poterit esse illius oppositum, & tamen vtraque pars contingens supponitur, vnde eadem pars simul esse, & non esse poterit, quod est absurdum; hic enim mutaretur contingentis natura in necessarium, quòd non minus impossibile est, quàm vt homo conuertatur in asinũ; quod tamen fieri posse concedit in sua Physicomagica metamorphosi, tanquam ex materia transeunte; denique fatetur contingens semper esse posse, sicut corruptibile sine corruptione stare posse, vt in resurrectione corporum impassibilitate gaudentium futurum credimus, & expectamus: at fieri nequit, vt contingens non possit esse, quod tamen fieri deberet, si contingens respectu scientiæ diuinæ necessarium esset: Nec est cur deferendum sibi existimet præceptoris explicationi, cùm maior non inferat necessariò conclusionem, sed tantùm contingenter, quia non eam subinfert sola, sed cum minori iuncta, quæ cùm sit de contingenti, sequitur conclusio contingenter: quod si sola maior necessaria conclusionem inferret, hæc necessaria esset; at res à Deo cognita necessariò infertur, vt existimat, ac proinde si contingentia cognosceret,

Boëtij solutio.

Spinolæ solutio.

Aristot.

Vanini rationes, & effugia.

cognosceret, ipsa necessaria essent, quod implicat. Sed has nugeculas, animique nebulas face limpidissimæ veritatis discutiamus. Inter omnes Catholicos non est dubium, quin Deus omnia contingentia ab æterno cognoscat, tantaque certitudine præuideat, quanta omnia, quæcunque necessaria dicũtur; id apertè fatetur regius psalmographus, Ps. 138. *Intellexisti cogitationes meas de longe, & omnes vias meas præuidisti*: idem Ecclesiasticus aperit, *Domino Deo antequam crearentur omnia sunt agnita*: quod etiam Christi discipulus præ cæteris dilectus ex ore Domini refert c.14 *Nunc dixi vobis priusquam fiat, vt cum factum fuerit credatis*; quorsum obsecro Deus Isai. c. 45. posset dicere, *quæ ventura sunt interrogate me*, nisi illa sciret? Daniel. 13. *Deus æterne, qui nosti omnia antequam fiant*: sed quid de præscientia Dei scribam, cum *tot habeat testes, quot prophetas*, inquit Tertul. contra Marcion. verùm quia non desunt, qui nec scripturam, nec patres audiant, breuiter addo talpa cæciorem esse, qui non videat intellectum infinitum nil subterfugere posse, cùm ad infinita scibilia se extendat, qualis est diuinus intellectus omnia penetrans, omniáque præuidens: qui proinde omnia contingẽtia nouit. Vt autẽ aggrediar illud, quod Iulio negotium facessere videtur, dico futura contingẽtia ab æterno determinatam habere veritatem, secundum quam à Deo cognoscuntur: nec enim minus verum est nunc, Antichristum futurum, quàm verum erit, quando reuera natus fuerit, Antichristus est, at hæc propositio determinatè vera est, igitur hanc determinatè veram esse, fateamur, necesse est: Enimuero licet effectus aliquis, vt iudicium extremum, in quo stabimus omnes ante tribunal Christi, sit contingens, est tamẽ determinatè futurum, quia contingens dicitur ob indifferentiam causæ: Deus autem ex se indifferens est, vt iudicium extremum exequatur, cùm sit actio ad extra, licet ex consequenti, & suppositione decreti diuini iam non possit non esse futurũ, & ideo determinatè futurũ est, quia Christ⁹ qui posset iudicare & nõ iudicare pro suæ potentiæ, & libertatis iure plenario, reipsa iudicabit viuos, & mortuos. Ne ergo mihi dixeris effectũ determinatè futurũ excludere indifferentiam causæ: id enim falsum est, cùm actionis determinatio sit in eo sita, quòd licet sit secutura actio, possit tamen omitti.

Tota huius obiectionis difficultas soluitur.

Psal. 138.

Ioh. 14.

Isai 45.

Daniel. 13.

Tertul.

Quod autem Boëtium, & præceptorem reprehendit, non caret vituperio, quia eos facilè explicare potuisset; nec Spinola primus eam solutionem attulit, nam D. Thomas satis illam insinuat a. 13. quæstionis 14. quem vtinam attentiùs perlegisset: scita à Deo sunt contingentia, inquit S. Doctor, propter causas proximas, licet scientia Dei, quæ est causa prima, sit necessaria, quæ necessitas rectè debet intelligi, non enim habet necessitatem causalem, sed immutabilitatis & infallibilitatis; quod enim scit futurum, infallibiliter adueniet: non quòd perfecta non remaneat in causis contingentibus indifferentia, sed quia earum effectus ita clarè videt Deus, ac si iam essent extra causas; quod in causa fuisse puto, vt D. Thomas futura iam esse Deo in eius æternitate præsentia dixerit, non eatenus duntaxat, quatenus æternitas est tota simul, ambitu suo omnia præterita, præsẽtia, ac futura cõprehendẽs, sed etiam quia perfectissimè, ac clarissimè videt omnia: quod enim est æternitas respectu durationũ omniũ, hoc est sciẽtia respectu scientiarum, & scibilium omnium, quæ nullatenus liber-

D. Thomas

Quam in rebus necessitatem Dei scientia constituat.

tati præiudicat. Non est quod ostendam Dei sciẽtiam nõ esse causam rerum immediatam, nec enim tanta sunt argumenta Atheorum, vt id suscipi debeat: Abundè verò satisfit, vbi mirabilem præscientiæ diuinæ, ac nostræ libertatis, cæterorumq; contingentium harmoniam ostendero; attamen vt quilibet videre possit Spinolam à Cæsare non fuisse reprehendendum, manifestum est hunc hallucinari; supponit enim solam Dei scientiam esse causam rerum, quod à vero longè abest; etenim sicut maior sola non est causa conclusionis, nisi simul influat, ita scientia Dei non est causa rerum contingentium nisi simul operetur contingens causa; imo Dei scientia non facit res, sed iam factas aut faciendas supponit, cùm debeat præcedere decretum vt aliquid esse possit scientię intuitiuæ, seu visionis obiectum.

Antequam ad concordiam prouidentiæ cum libero arbitrio accedam, verbum apponendum est, vt iniuria S. Doctorem à Vanino argui constet. Nam D. Thomas rectè negat consequens esse necessarium, quo ex scientia Dei rem futuram esse concluditur, etenim licet Deus sciat res futuras, eo tamen modo futuras nouit, quo aptæ natæ sunt vt sint; quod si, quæ necessitas adsit, est tantùm immutabilitatis, quam cõsequitur infallibilitas, quia Dei scientia nec falli, nec mutari potest, & ideo ex hypothesi, quòd Deus aliquid sciat futurum, nõ ideo futurum est ex necessitate, nam æquè contingenter eueniet, ac si Deus nesciret; imo potiùs ea propter Deus scit futurum, quia reuera futurum est, quam è contrario.

Non ideo res futuræ sunt, quia Deus scit illas futuras; sed potiùs è contrario.

Nec est satis, vt Deus futura contingentia nouerit, si cognoscat ea euenire posse, & non posse, id enim nos ipsi scimus, sed verum, ac necessarium est Deum partem contradictionis videre, quod tãdem Iulius concedit, ita tamen vt tantùm concedat rem futuram contingenter à Deo, vt præsentem cognosci, non vt futuram, quia æternitas Dei, teste Boët. 5. de consol. prof. vlt. à tempore non clauditur, neque ab æuo, sed illorum continet differentias, totáque simul est. Quod verò animaduersione dignum est, iste Cæsar sequentem explicationem sibi arrogat, & vt nouam proponit; Deus inquit, æternus, cùm omnia sua æternitate concludat, nihil ei præteritum, nil futurum est, sed omnia præsentia habet, vnde futura contingentia, non vt futura respicit, sed vt præsentissima, licet in se futura sint contingenter; quid est aliud, quàm quod D. Thomas artic. 13. supracitato habet; imo ipse cum Boëtio, & Spinola recidit: cùm enim Deus ea, vt præsentia contempletur, prout à Deo videntur, sunt necessaria: præsens enim quandiu est, necesse est, vt sit præsens, quantumuis sit in se futurũ, ac proinde ex parte Dei secundum Vaninum contingentia erunt necessaria: ecce noua tanti viri doctrina, & insolitum acumen, quò recidat. Pauca tantùm addam, vt concordia præscientiæ diuinæ, & libertatis humanæ perfectiùs intelligatur.

Boëtius.

Supponendum est igitur ex dictis contingentia futura in se ipsis à Deo cognosci, cùm determinatã veritatẽ habeãt, & non tantùm, quando sunt in actu extra suas causas, quod tempus dicitur Deo præsens: nam licet Deus nouerit Iudam, aut Petrũ peccaturum, non ideo tamen necessariò, sed liberè peccabit; Demiror autem quomodo hîc futurorum contingentium cognoscendi modus tam acutum philosophũ effugere potuerit, præsertim cùm in arduis nidum suum, & extra vulgi metas suos

conceptus efferre videatur; nam cui dubium esse potest Deum apertissimè cognoscere, quid facturus sit omnis libera creatura, licet hæc nondum ad agẽdum se accinxerit, aut determinarit? cùm Deus perfectissimè sciat, quicquid scibile est, illud autem omne scibile sit, quod fieri potest, & quod fiet: inter quæ est hominis actio quælibet libera futura.

Sed non caremus aliis modis, quibus ista futura cognoscat Deus: nempe illa suis in causis videt, nõ tantùm vt ex ea proficisci possent, aut non proficisci, vt insolitus ille Cæsar existimauit, quid enim præ hominibus haberet? sed infallibiliter videt, quid libera causa factura sit his, aut illis obiectis ei propositis; videt quænam de nouo circunstantiæ applicandæ essent, vt in aliam contradictionis partem, vel nullatenus moueretur: ne dubitent Athei de nostri veri Dei scientia, est enim infinitè perspicax; at certè me commouet Iulius, qui hic distinctionem S. Doctoris nuper irrisam amplectitur, in sensu diuiso rem contingentem posse esse, & non esse, in sensu composito non posse non esse, cùm tamen nugacissimas theologorum distinctiunculas appellet, & tamen quicquid ipse repetit, ex D. Thoma, ac quibusdam aliis expiscatur: Verùm propiùs ad quæstionis propositæ nodum accedamus.

Obiectio quo nititur libertatem euertere.

Deus ergo futura contingentia nouit tam in eorum causis, quàm in ipsis, & in suo decreto si non proximè, remotè saltem: qui igitur fieri potest, vt circa nostros actus futuros salua sit libertas? Nam si Deus sciuit me peccaturum, sine dubio peccaturus sum, at prius concessum est nempe Deum illud scire, igitur necesse est vt peccem, cùm posito antecedenti necessario, consequens etiam sit necessarium; Vbi facilis solutio occurrit, licet aliqui cerebri debilioris, & ignari ob istud sophisma libertatẽ negent: hinc dicebat Vuiclephus hoc argumentũ tãtum Armacano negotium facessisse, vt cũ 20 laborasset annos in eo dissoluẽdo, vi coactº, Dei præscientiam errare posse fateretur: quod tamen Vualdensis negat.

Certum est ergo non minus liberè fieri contingentes nostræ voluntatis actus, quàm si à Deo nescirẽtur, etenim prius est alicuius peccatum futurum, aut quodlibet aliud contingens, quàm vt illud Deus sciat futurum, cùm Dei scientia non efficiat, sed supponat rei futuritionem, enimuero præscientia Dei merè speculatiua est, quæ cùm nullam causalitatem habeat, arbitrij libertatem immutare nequit; nec vllam penitus necessitatem liberæ actiones induunt, nisi eam, quam ex suppositione effectus, aut ex consequenti nuncupamus; qualis est ea, quam habet Petrus sedens, quandiu sedet, simul enim sedere, & non sedere implicat in adiecto: at libertimus est homo, dum stat, vt sedeat, vel stans remaneat: aut vt antea sedens, exurgat; sed quid in re tam clara diutiùs immoror? ad cæteras obiectiones læti pergamus, eásque subtiliter discutiamus.

Atheorum obiectio II. rursus prouidentiæ Diuinæ insultat.

Epicurea ratiocinatio.

EPicurus, Democritus, eorúmque sectarij Dei fœlicitatem euanescere credunt, si his inferioribus prouideat: quandiu enim prouidet, qui fieri potest, vt voluptate ad perfectam beatitudinem necessaria perfruatur? quod in eorum sententia non parum vrgere videtur, cùm summi Iouis delicias esse arbitrentur Nectareos, Ambrosiosque calices, quos Ganimedes ministret; prouidentia verò necessariam cum vigiliis, ac sobrietate connexionem habere videtur: nec enim fumis lyæis oppleri cerebrum, nec stomachus in cibis concoquendis elaborare debet, cùm egregia prouidẽtiæ opera quis sibi proponit exercenda, qualia forent, si totam rerum compagem vnus Deus, per se regeret, eique momentis quibuslibet prouideret.
O hominum gulæ, ventrique dicatorum egregiam ratiocinationem! ô præclaram batitudinem hominum, quorum Deus venter est, qui medios inter catinos, atque pateras altè stertunt.

In huius stramineæ, ac vesanæ obiectionis euersione vix à lachrymis temperare valeat catholicus, qui cùm homines velis expansis, abruptoque cursu ad animalium fœdas voluptates decurrere perspicit, quid aliud cogitabit, quàm regnum Christi, crucisq; triumphum euanescere debere, nisi Deus manu valida impiorum Atheorum mentes, atque conatus susque deque vertat; Quos cum hoc nostro sæculo plurimos esse sciamus, iustum est, vt nos tantæ stoliditati fortiter opponamus.

Sap. 2.

Non est hæresis noua, quòd in voluptate corporea suã homines fœlicitatem collocẽt, sic enim tempore Salomonis, Sap. 2. canebant impij, *vbique relinquamus signa lætitiæ, quoniam hæc est pars nostra, & sors nostra*; & qui Sardanapalum, aut Smyndiridem, Sybaritam, aut alium quempiam vitæ voluptuariæ indulgentem beatum prædicant, hi in voluptate fœlicitatem posuisse videntur, inquit Aristoteles 1. Ethic. ad Eudemum c. 5. quomodo & vulgus, ac importunissimos homines sensisse testatur. 1. Ethic. c. 5. quam sententiam Eudoxo tribuit c. 12 & l. 10. c. 3, ipseque ad Eudemum supra, omnes de fœlicitate sententias triplices facit, dum ad tria vitæ genera πολιτικὸν, φιλόσοφον, & ἀπολαυστικὸν refert beatitudinem: eandem opinionem Aristippo, Diodoro, & Hieronymo Rhodio tribuit Lactantius c. 7, & 8 de vera sapientia. Cum quibus consentiebat hæreticus Cerinthus qui per mille post hanc vitam annos in voluptatibus corporis fœlicitatem esse putabat: cùm enim isti omnes perciperent ab omnibus etiam rationis expertibus voluptatem experi, eam summum bonum esse iudicabant, maxime cùm & labores, ac operationes nostræ, cæteraque omnia ad voluntatem referri, & ob eam suscipi videantur; Quam opinionem maximè Iudæis fauere certum est, qui gemmatam & auream Hierusalem sibi restituendam putant, rursumque victimas, & sacrificia, & coniugia sanctorum, & regnum in terris Domini saluatoris, quod non omnino improbat D. Hieron. l. 4. in Hierem. Vbi χιλιαστῶν refert errorem: & l. de viris illustribus asserit Papiam Hieropolitanum Episcopum Ioannisque discipulum, mille annorum δευτέρωσιν edidisse, cuius sectatores Irenæũ, Apollinarium & alios fuisse commemorat: à quo errore non longè recesserunt Tertullianus l. de spe fidelium. Lactant. 7. Instit. Victorinus Pitabionensis, ac

Aristotel.

Variæ sententiæ de beatitudine

Lactantius.

Iudæorum error.

D. Hieron.

Tertul. Lactant. Pitabionẽsis.

ac Seuerus dialogo, cui gallus, vt ipse Hier. l. 11. in Ezechiel. refert; & quod maiori stupore dignum videtur, D. Augustinus hãc opinionẽ 20 de ciuit. c. 7. nec hæresim nec errorẽ appellauit. Hos autẽ pro fundamento verba quædam Apocalypsis desumpsisse crediderim, nã 20. c. habetur, *Vixerunt, & regnauerunt cum Christo mille annis, cæteri verò mortuorum non vixerunt, donec consummentur mille anni*; Isaiæ verò 45. cibus & potus, vt optimum futuræ vitæ bonum proponitur. *Serui mei comedent, vos autem esurietis: serui mei bibent, vos autem sitietis:* & Luc 17. *ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater, vt edatis, & bibatis supra mensam meam in regno meo:* Qua ratione Iudęi prophetas explicant carnaliter, cùm de Christi regno verba faciunt, vnde & error matris filiorũ Zebedæi profluxisse videtur, vt notat Castro hæresi 2 de beatitudine, cùm petiuit à Christo, vt duo filij ad dextram & sinistram in regno Christi sederent.

Apoc 20. — Isai. 45. — Luc. 17. — Castro.

Sed Epicureorum turpem opinionem, vel eorũ, qui in corporea voluptate beatitatem collocant, nam Epicurum aiunt eam in animi voluptate constituisse, paulo diligentiùs excutere placet; nec enim aduersum hæreticos scripturam sacram admittentes, nec aduersus Iudæos difficile est probare, fœlicitatem non in corporeis bonis sitã esse, quod etiam in fine breuiter insinuabo; nunc autem intra philosophiæ naturalis metas, quibus ipsi Athei includuntur, versari nos oportet. Hanc ergo sectam naturægenius, vt vocant, Aristoteles 10 Ethic. c. 2, 3, & 4 damnauit: etenim vita sentiẽs homini, boui, equo & cuilibet animali cõmunis est, vt aduertit 1. Ethic. c. 7. quam vitam qui sequuntur, pecorum vitam diligunt, vt benè docet c. 5: nec minus beari possent animalia, quàm homines. Quasdam autem rationes pro veritate militantes apponamus.

Aristot.

Prima est, quòd nulla voluptas finis esse possit, si enim corporea fuerit, erit in aliquo sensu, & ex alicuius rei concupiscentia naturæ conuenienti, orietur: id autem sine mutatione ex contrariis nascente fieri non potest; nam quoties aliquo bono sibi congruo, seu necessario natura sensibilis indiget, illud per generationem, vel per motum acquirit, vnde fit vt delectatio hæc nascatur ex mutatione mali in bonum: quis enim vnquam ex esu voluptatem absque fame, ex potu absque siti percepit: vnde Socrates eo die, quo venenũ hausturus erat, detractis compedibus, cum aliquid oblectamenti sensisset ex frictu, exclamabat, *quàm mirè hoc natura comparatum est, vt res duæ, tam inter se diuersæ, tam reciproco mutua coniunctionis nexu conglutinentur, voluptas & dolor, nisi enim molestia præcessisset, hæc non sentirem quantulumcumque voluptatis*; Quod verò ad actum venereum attinet, qui nunquam sine tentigine fit, quem tot incommoda, morbi, obtenebrationes intellectus, & tantæ miseriarum cateruæ consequuntur, nemini dubium esse debet, in eo fœlicitatẽ sitam esse non posse; quem etiam Cardanus 12 de subtilitate c. de hominis natura ex doloris imaginatione oriri notauit; adeout Picus 3 aduer. astrol. c. 22 referat aliquem, qui nisi verberibus acerrimis cæsus, ad id non poterat disponi; cuius rationem se reperisse putat Iulius, dum spiritus ab illa tristi specie recedentes in interiores recessus sese abdere dicit: vnde postea flatus genetentur ad libidinem commouentes. Sed quicquid sit de ista ratione, certum est diminutam esse, cùm non à solius doloris imaginatione, sed à voluptatis sæpius experiẽtia comprobatæ reminiscentia libido exardescat: ex his patet voluptates corporis nõ esse finem hominis, quomodo enim sapores beate possent, qui statim insipidi sunt, statim astringentes, acerbi, acidi, acres, amari, salsi, pingues & dulces, à quibus nobis sæpius aliqua tristitia nascitur, & ingrata corporis immutatio; nam acerbus ita linguam astringit, vt eius continuitas soluatur; acidus linguam mordet, & eius partes minimas suo frigore constringit, & cum ventriculi substantiam exanguem penetret sua tenuitate eam nimis refrigerat; acris dilatando sensum corrumpit, vt in pipere constat; amarus sensui ingratissimus aliorum nutrimentum depascitur, cum sit aridior, quàm par sit & siccior, & ex consequẽti crassior, magisq; terreus, fit enim ex salso excocto, postquam euanuit humidum. Salsus ob calorem lædit, ac dilatat linguam, & vbi plus æquo salis obsoniis immiscemus, ardorem piperis similem acrimoniæ persentiscimus: Nausea satis ostendit, quàm sit iniucundus pinguis sapor, si tamen sapor dicendus est; dulcis etiam, qui cæteris præstare videtur ob calorem mediocrem, & substantiam, qua pollet, nauseam parit, & ad vomitum prouocat, eoque citius, quo magis amaro sapori miscetur; cætera quæ de saporibus afferri possent, eorumque diligentius examen omitto, satis enim est, vt quilibet viderit tristitiã esse perpetuam comitem esculẽtarum voluptatum, quas & subsequitur: & quò se quis pluribus cibis repleuerit, eo maiori tristitia postmodum afficitur: vnde natum prouerbium, *plures occidit gula, quàm gladius*; cum enim plura edulia ingeruntur in stomachum, eius virtus digerens impeditur, *exiguus namque ignis fomitis extinguitur multitudine*, inquit Hippocrat. aphoris. 1. sect. aphoris. 14.

Probatur beatitudinẽ in voluptate nõ posse collocari 1. — Socratis dictum. — Cardanus. — Picus — Beatitudinem in voluptate gu- — stus esse nõ posse. — Sapor acetbus quid. acidus. — acris. — amarus. — salsus. — pinguis. dulcis.

Quàm malè cum senibus ageretur si voluptas hominum beatitudo constitueretur; quibus cùm parum caloris insit, propterea paucis indigent; multisque carent delectationibus, quibus adolescentes fruuntur, vix enim amplius in octogenario charum illud [Greek] viget, sed quod vitæ superest, deflendum potiùs, quàm protrahendum, aut expetendum; Non est quod in actu venereo tristitiam ostendamus, cum sine Cerere, & Baccho frigeat; quo cùm homines sanguinem suum & robur deperdant, impossibile est, vt in eo vel fœlicitatis vmbra sita sit, quantam verò tristitiam lasciuiæ dediti post actum fœdissimum contrahant, eorum attestor Syndereses, qui si corpore languescant, animo tamẽ longe magis torpescunt, & propemodum obcæcãtur; adde quod Venere corpora colliquẽtur, offẽdatur cerebrũ, nerui contremiscãt, senium accersatur, ac debilitentur oculi: vnde Pythagoras rogatus, quando cum muliere congrediendum esset, respondisse fertur, *quando voles te ipso fieri debilior*, adeò vt asserat Plato 8 de legibus, athletas quosdam roboris conseruandi gratia ab vniuerso Veneris vsu abstinuisse, qui dixit alibi Veneris vsum esse *breuem quandã epilepsiam, in qua oculi conuulsi pupillam euertunt*, vt notat Ludouicus Septalius medicus Mediolanensis in 1. sectionis 4. problema, quod notari debet, quia [Greek] & verè diximus vsum venereum esse mortem, animæ quotiescunque extra legitimum matrimonij vsum exercetur: est etiam aduertendum minorem inesse fœlicitatem homini, quàm belluis, cùm supra omnia animalia homo ex coitu languescat vt Ari-

Quænam mala Venus producat. — Pythagoræ dictum. — Plato. — Septalius in probl. Arist. — Aristot.

stoteles problem. 6 notauit: sicut & adolescentibus miseriam maiorem ingruere, cùm eas odio prosequuntur, cum quibus primum sunt, vt 11 problemate habetur. νέοι ὅταν πρῶτον ἀφροδισιάζειν ἄρχωνται, οἷς ἂν ὁμιλήσωσι, μετὰ τὴν πρᾶξιν μισοῦσι: cuius rei rationem pulchrè post Aristotelem reddit Septalius: nam spiritus: & sanguis vndequaq; maximè commouetur, meatus omnes corporis, & anfractus dilatātur, vnde horror excitatur, tunc minus obedit rationi concupiscentia, quia magis animus cupiditate diffluit, & rubore suffusus iuuenis actum præteritum odio prosequitur, quòd in id malum inciderit: corpus debile, & effœminatum reddiderit, quod frigesiat, & siccetur ante tempus: adde mentis insolitam perturbationem, quam via futilibus cogitationibus aperta comitatur, quibus sæpe distractus animus intempestiua cogitatione tenerioris ætatis vitium in reliquas ætates incomparabili damno transmittit, & lasciuiæ, profligatæq; interdum libidini deditos, detentosque perpetuò facit: quin & vbi ætate illa vsus veneris, & congressus exercetur, voluptatis illecebris allecta ætas, & tota in illam effusa mentis, & corporis viribus distituitur, eneruisque redditur veneris illecebris quasi delibuta; sed & aliud incommodum sequitur, vt Sabinus ait, apud Galenum comment. 3 in 6. Epid. 12 teste, Iulio Guastauinio Patricio Genensi in 11 problema sect. 4: népe comitialis morbus, renum vitia, aliique diuturni morbi. An vero femella etiam oderit eum, cum quo rem habuit non vsque adeò certum est, licet Arristoteles, 1. physicæ scripserit à fœmina marem, vt à turpitudine, & materia pulchrum, & formam appeti, quia 4. de gener. animal. existimat; & probat fœminā esse quid imperfectum: sed viri, ac mulieris defectū æqualem Aristophanis fabella androgynea declarat in conuiuio Platonis, cuius mentionem fecit Septalius, sed ampliorem Guastauinius ex Petro Bembo l. 2 sermonum Asalanorum: quam fabellam mythologicam explicat Leo Hebræus suis de amore dialogis. Denique multis omissis vnicum addo, malum, ac fœtidum corporis odorem, qui venereum actum consequitur, quando hirquitalli dicuntur adolescentes, & hirquitallire, seu hircitare τραγίζειν quia tunc perperam coquuntur humores, vnde fiunt acidiores, salsiores, amariores, ac fœtidiores, nam corpus refrigeratur admodum, ob natiui caloris, seu natiui spiritus emissionem, vt Galen. 3 de simpl. medicam. facultatibus, loquitur, quem stellis correspondere putat Arist. 2. de gener. anim. c. 3. de quo & Fernel. libello ei rei dicato, *de spiritibus, & innato calido*; & l. 2 de abditis rerum causis c. 3. sed hîc Auicennæ locus 3 de natura animal. c. 3 sufficit, vbi ostēdens, quàm debile reddatur corpus, sic ait: *Quando de homine exit sperma, multum discoloratur, & debilitatur suum corpus magis, quàm si quadragies exiret de suo corpore sāguis tantus, quoniam sperma, res est habilitata ad transeundum in membra & cùm exit aufertur naturale nutrimentum membri.*

Septalius.

Guastauinius in probl. Arist.

Galenus.

Aristot.

Bembus.

Leo Hebræus.

Galenus.

Aristot.

Fernel.

Auicen.

Vide si lubet eos, qui de saporum natura egerunt, quales sunt Plato in Timæo: Aristoteles de sensu & sensibili, Theophrastus l. de odoribus & lib. de plantis, &c. attamen versus ex Catulo in Rufum, & ex Horatio, de alarum odore fœtido lubet apponere, vt magis ac magis hunc actum iuuenes exhorrescant.

Qui de odoribus scripserint.

Horat.

Laditte quadam mala fabula, qua tibi fertur

Valle sub alarum trux habitare Caper & Catulus

Sed nimis arcta premunt olide conuiuia capra.

Hæc & multa similia videri possunt apud Aristotelem, eiusque commentarios, quæ venereorum odium incutiant, vt si qui supersint Epicurei, desinant tandem aliquando corporis voluptates summum bonum appellare, cùm appetitio ipsarum plena sit anxietatis, possessio tristitiæ, satietas verò pœnitudinis: Valeant ergo Epicureorum greges, quibus longè fœlicior foret gallus gallinaceus, qui gallinas confertas secum habet, iacentes habet, promptas, & immoras in quas sine precibus: sine pretio, sine vlla pœnitudine, si lubet, insiliat, siquidem à congressu lætus canit, non enim resoluitur, sed exoneratur ob seminis plenitudinem.

Gustu etiam à gallinis superamur, quæ sine succi expressione vlla, statim, quæ rostro, vel leuissimè tetigerunt, digna sentiunt, indignaue, quæ ab ipsis deglutiuntur: Cæteris etiam sensibus voluptatum arbitris, hominibus cæteræ sunt animātes præstantiores, enimuero odoratu vultur, vulpis auditu, canis & auditu, & olfactu, aquila visu, aranea tactu hominem superat: licet enim Cardanus existimet hominem in tactu præualere cæteris 12 de subtil. c. de hominis natura: eodem tamen cap. l. de varietate concedit hominis tactum ab aranea vinci: ac veritati consonum esse videtur hominem in hoc sensu à limacibus, & ostreis; multisque aliis insectis superari, cùm ista neruum sensorium tactus apertum, detectumque habeant. Hinc euidentissimum esse credo nullam corporis voluptatem posse esse vitæ humanæ finem, alioqui principio, ac medio peior esset finis, nec proinde fœlicitatem in illa consistere posse. Quod vt exploratissimum sit, alias rationes subiicio.

Hominem in sensibus à belluis superari.

Cardan.

2. ratio: Fœlicitas, quæ est summum homini bonum, consistere nequit nisi in eo bono, quod ad nobilissimam hominis partem attinet, cùm enim debeat esse optimum in optima parte collocari necesse est; at huiusmodi nequeunt esse voluptates corporis: vt pote conuenientes homini secundum partem sensitiuam ignobiliorem, quam cum belluis communem sortiti sumus, quibus beatitudo non conuenit, sed tantùm homini, vt latè habes 1. Ethic. c. 9. l. 10. c. 8 & alibi.

2. probatur in quo fœlicitas ponēda sit.

Aristot.

3. Debet illud pro hominis constitui fœlicitate, quod est simpliciter bonum, quales non sunt corporeæ voluptates, quas virtute præditus fugit, qui licet solas immoderatas fugiat, inquit Aristot. 7. Ethic. c. 12, quia tamen non sunt bonæ, nisi ob rationis medium, quod obtinent, hinc fit, vt eatenus duntaxat bonæ sint, quatenus iuxta rationis dictamen illis vtimur, quibus proinde longè melior est virtus, ac ratio, quæ illas moderatur: non est igitur delectatio fœlicitas, cum per se bona non sit, vt ex eo constat, quòd non eò melior est, quò maior, alioquin quò magis ea quis vteretur, eo melior esset, nam quæ per se, ac simpliciter talia sunt, vt philosophi loquuntur, *vt simpliciter sequitur ad simpliciter, ita magis sequitur ad magis*, vnde quia calidum est per se, ac simpliciter, & absolutè calidum, quod est calidius, magis calefacit: cū tamen nimius delectationis vsus hominē vitiosum reddat 7. Ethic. suprà, & eum de sede mentis deturbet.

3.

Canant ergo palinodiam cum Epicureis Eudoxiani,

xiani, nec enim omnia voluptatem appetunt ratione sui, sed boni, cui coniungitur; nec enim, inquit Tullius de finibus bonorum & malorum natura mouet infantem, vt voluptatem expetat sed vt diligat seipsum, volendo sibi bonum, quod delectatio concomitatur; omnes enim ideo voluptatem appetunt, 10 Ethic. c. 4. quia omnes viuere effectāt, nec alia de causa voluptatē omnes appetunt, nisi quia bonum perfectum desiderant, quod voluptati coniunctum est, cum qua vnum facit, itaut delectatio sit velut eius complementum, vt D. Thom. in 4. d. 49. q. 3. a. 4 quæst. 3. ad 4. notat.

Arist.

D. Thomas

Vnde fit, vt eodem feramur appetitu in bonum, & in quietem, seu delectationem inde manantem, prout lapis eodem impetu fertur in centrum, & in quietem, qua in centro persistit, ita, tamen, vt delectationis appetitibilitas, & bonitas suam speciem, & essentiam ab illo bono, vt à principio formali desumat, vt bene notat Ægidius in 1. 2.

Ægidius.

Non desunt scripturæ loca, quæ has à beatitudine voluptates remoueāt; etenim ad Rom. 14. *regnū Dei non est esca & potus, nec esca nos commendat Deo,* inquit apost. 1. Cor. 8 *sed bonū est virtutib⁹ stabilire cor, non escis,* ad Hebr. 2. Vnde Christus Math. 22. *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam: nec enim caro, & sanguis regnum possidere possunt,* 1 Cor. 15. Sed Deus bone, quàm clarum est Matth. 22. *quod in resurrectione nec nubēt, nec nubentur, sed erunt homines sicut angeli Dei,* quibus cibis corporeis opus non est teste angelo Tobiæ 12, *Videbar quidem vobiscum manducare, & bibere, sed ego cibo inuisibili, qui ab hominibus videri non potest, vtor:* de quo cibo loci ex Isaia cæterisque scripturæ partibus desumpti, quibus rerum terrenarum abundantia promitti videtur, intelligendi sunt iuxta id Christi Ioh. 4 *ego cibum habeo, quem vos nescitis, meus cibus est, vt faciam voluntatem patris mei, qui in cælis est.*

ad Rom 14

1 Corin 8.
ad Hebr. 2.

1. Corin. 15.

Math. 22.

Tob. 12.

Ioh. 4.

Quid tamdiu hisce terrenis delectationibus inhæremus, ad alia pergamus, vbi non solùm in istis, sed nec in vllo bono creato fœlicitatem cōsistere posse ostendero; quod certè breuiter confici existimo, si perpendamus obiectum voluntatis ac intellectus esse bonum, & verum vniuersale, quale nullum creatum esse potest; at nec intellectus, nec voluntas perfecta frui quiete valent, nisi in suo obiecto adæquato, nec tamen omnes creaturæ sunt illud bonum, sed Deus solus, qui omne bonum continet, ideoque rectè Mosi dicebat, *ostendam tibi omne bonum:* est vniuersale bonum in essendo, qui formaliter & in actu exercito voluntatem, ac hominis intellectum perfectissimè satiat: sine quo, quicquid habetur, quid aliud est, quàm titiuillitium, & ipsa vanitas? nam quocunque te verteris, ibi tristitiæ, lacrymarum, atque dolorum peramplam materiam inuenies, quod his verbis pulchrè admodum exprimit Minutius Fœlix. *Absque Dei notitia, quæ potest esse solida fœlicitas, cùm sit somnio similis? antequam tenetur, elabitur. Reges, tam times, quàm timeris: & quamlibet sis multo comitatu stipatus, ad periculum tamen solus es. Diues es: sed fortunæ malè creditur; & magno viatico breue vitæ iter non instruitur, sed oneratur, fascibus, & purpuris gloriaris; vanus error hominis, & inanis cultus dignitatis, fulgerē purpura, mente sordescere. Nobilitate generosus es; parentes tuos laudas: omnes tamen pari sorte nascimur; sola virtute distinguimur.*

Deus est omne bonum.

Minutius.

Nunc alias rationes, vt pote subtiliores, quàm vt eas possint Epicurei comprehendere, libens omitto: quales sunt, beatitudinis obiectum ea esse debere bonitate, vt voluntatem perfectissimè satiet, ea veritate, vt totam impleat capacitatem intellectus, eamque superet, quàm superetur potiùs, quale præter Deum nihil esse potest, quod sit aut possit esse, vel fingi beatitudo non tantùm supernaturalis, sed neque naturalis hominis, quæ ita debet esse finis vltimus, vt ad vlteriorem non tendat; omnes autem creaturæ, productæ cùm sint, habeant etiam finem necesse est. Sed iam receptui canamus si priùs hæresis Epicureanæ radicem altiùs erutam ostenderimus, illi omnes Epicuri discipuli timebant, ne si Deus omnibus prouideret, nimiis curis defatigatus omni destitueretur voluptate, ac tristis nimis angeretur, etenim tristitia exsiccat ossa; Qui quàm fœdè, quam turpiter errauerint, est cuique peruium; nec enim diuina prouidentia hominum curas, animique conatus perplexos imitatur, qui quò fuerit pluribus intentus, minor est ad singula sensus: sed Deus optimus cunctis omnia prouidens non magis, quàm si non prouideret, laborat, cuius rationem, (si tandem aliquando veritatem possint Epicurei concipere) audiant obsecro.

Aliæ rationes transcursim recensentur.

Vnicus Deus vnico actu infinitè perfecto se, atque creaturas ab æterno complectitur, qui actus siue Deum solum spectet, siue etiam creaturas, semper idem ipsissimus est, qui neque decrementum suscipit, neque crementum; ille est actus, quo terrarum orbem, ac omnia in eo contenta initio liberrimè condidit omnipotens; ille est, quo Spiritum sanctum, quo Filium, quo seipsum pater æternus summè diligit; ille est, quo si lubet, infinitos mundos huic similes, aut ab eo distinctos potest creare; ille est, quo omnia, quæcunque voluit fecit; nec mireris ampliùs, si Deo nulla contingat ex horum inferiorum regimine tristitia, nam sicut infinitum nequit exhauriri, ita nec fatigari, nec curis angi; In seipso Deus perfectissima beatitudine perfruitur; nam, *Delectationes, in dextera eius,* nec vlla ratione creaturis indiget, quæ sunt ante conspectum eius, ac si non essent, *vocat enim ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt:* Quapropter voluptuarij non ampliùs timeant ne Dei prouidentia fatigetur, quæ nulla cura prorsus indiget, sed è profundo tenebrarum lethargo, ad veritatis lumen, iubarque splendidissimum sine mora redeant.

In Deo vnicus actus, quo omnia perficit.

Quod si tibi theologia hæc difficilior esse videatur, contemplare centrum, quod omnibus partibus circunferentiæ respondet, & eas terminat, nec tamen ideo patitur extensionem: vide solem, qui singulis momentis lumen suum omnibus communicat, nec tamen exhauritur, aut defatigatur, mille similia tibi suggerere possem, quæ tametsi semper agant, nunquam tamen deficiunt, vel minuuntur, inter quæ non vltimum locum anima rationalis obtinet, quæ ex se nulla ratione propter vllam operationem fatigatur, licet enim qui studiis difficilioribus incumbunt, affirmare soleant, se animum præ nimio labore velut

Q

oppressum habere, id tamen non ex animo indefatigabili, sed ex organo nimiis vigiliis spiritibus exhausto oritur. Itaque sicut punctum lineas omnes respiciens, & sol totum mundum fulgore perpetuo illustrans, nòn magis laborant, quàm si nullum actum exercerent, ita neque Deus, quando particulis omnibus creatis prouidet, & earum paternam curam suscipit, non magis est anxius, non maiori cura premitur, quàm si nihil omnino curaret: quod cum etiam in his elementis videas, quid obsecro te retinet Athee, quominus fatearis Deū esse? An ignis nouam curam suscipit, quando calorem generat in obiectis antea non appositis? nunquid in se manens immutabilis nos immutat? quid enim noui ei contingit, quam subit mutationem, dum manus tuas calefacit, in quas antea calorem non diffundebat? Vtinam ipsa elementa tuæ insaniæ medicinam afferre possint, & agnita Dei prouidentia, eam deinceps amplectaris, atque suspicias. Sed aliæ supersunt obiectiones ad quas festino.

12 *Atheorum ratio petitur ex animæ mortalitate.*

Obiectiones Atheorum.

NIhil est, inquiunt, quod cogat affirmare Dei prouidentiam, nisi fortè animorum immortalitas, quam tamen non esse concedendam ex eo probant, quòd bruta, & homines eodem modo concipi formari, nasci, ali, crescere, consenescere, interire, similibus partibus internis, & externis constare, videantur, quæ consimiles retineant vsus; vnde concludunt, si anima euanescit in bruto intermoriente, pariter & homine; cuncta nimirum, quæ creata sunt, interire necessum est, vnde ex mortuorum regno nullus ad nos reuersus est; cùm tamen si sit immortalis anima, saltem aliquando rediisset ad Atheismum condemnandum. Ac ne authoritate carere videantur, Aristotelem, Senecam, Pomponatium, Cardanum, & alios in suam sententiam deducere conantur; multosque passim etiam doctissimos esse affirmant, qui licet atheismum, ac animæ mortalitatem Inquisitionis, aut alterius pœnæ, pudoris saltem timore non profiteantur verbis, aut scripto, vitam nihilominus Epicuream insectantur, ducúntque in bonis dies suos, quod nullius sanè religionis argumentum est.

Vanini rationes discutiuntur.

Friuolè profectò, & insulsè admodum se hac in parte gerit Cæsar, dum in omnes Theologos tam petulanter insultat, dum negat animæ immortalitatem ratione naturali demonstrari posse, ne fidei articulus, quo resurrectionem carnis firmiter credimus, pereat: In quo maximè gloriatur quòd suum intellectum captiuet in obsequium fidei, eo quòd Deus animam esse immortalem affirmarit, nam in Euangelio reprehendūtur Sadducæi, qui animæ negabant immortalitatem: se verò conferre videtur cum D. Augustino, qui 4. de baptis. c. 24 hæc habet. *Euangelio non crederem, nisi Ecclesiæ me commoueret authoritas*: hanc tamen immortalitatem quibusdam rationibus astruit, quarum prima hæc est, quòd sit anima simplex, simplex autem non resoluatur in sua principia, quæ non habet: ex eo verò simplicitatem animæ concludit, quòd sit actus, & non potentia, cùm partes sint actus, compositum verò potentia; quàm lepidè, quàm solidè sit vnicuique iudicium; quasi verò anima non includeret potentiam, cùm præter Deum nullus esse possit actus, qui non habeat potentiam sibi coniunctam: anima quidem tam passiuam, quam actiuam habet, cùm & informare, & perficere, ingredi compositionem, & multa recipere possit accidentia, atque in nihilum redigi;

1 ratio.

quod adeò clarum est, vt eam tabulæ rasæ contulerit Aristoteles, quæ est in potentia ad omnia; De partibus eius, quis vnquā metaphysicam à limine salutauit, qui non agnoscat in ea subsistētiæ, essentiæ, & existentiæ compositionem? valeat ergo ridiculus ille theologus, qui principia tantopere nutantia constituit. Iam verò secundam rationem discutiamus: anima, inquit, quia est natura cœlestis, corruptione numquam senescit, est enim corporis ἐντελέχεια, & actus materiæ, non autem ex materia, sed quinta essentia, & per consequens res cœlestis, non autem ex 4 elementis conglutinata, vt volebat Alexander, qui sibi contrarius videtur, cùm in anima facultates ad se mouendum agnoscit motibus, qui non reperiuntur in elementis, vt pote retrorsum, antrorsum, dextrorsum, & sinistrorsum: & ipse Aristot. 2 de generatione, animam ita diuinam facit, vt sine medio colligante noluerit eam vniri corpori, quod etiam cæleste ponit; Sed nec ista ratio multum placet, cùm animam eiusdem cum cœlis materiæ facere videatur, quod tamen perquam falsum est, cœlum enim cum singulis partibus est corporeum, anima verò spiritualis: deinde, quod tanquam concessum assumit, non caret dubio, an cœli sint incorruptibiles, necne, quo tamen gratis concesso, non minus immortalis esset anima. 2 ratio.

Denique subtilissimo sibi visus est argumento totum conficere negotium: Cum enim ex nihilo non fiat aliquid, ex aliquo non fiet nihil, & tamen si anima interiret, ex aliquo fieret nihil, cùm in principia nulla resolui possit, quia ipsa est principium. 3 ratio.

At nec suis næuis illud caret, imo periculum est in eo, ne dicā manifestus error separatius; etenim ex nihilo Deus omnia condidit, non quidem actiue concurrente, cùm nihil entis priuationem, seu negationem inuoluat, sed quia de non ente, produxit ens; deinde cùm ait ex aliquo nihil fieri posse, nisi id cautè intelligatur est erroneum; nam si tantisper ab animæ cæterarumque rerum conseruatione desineret omnipotens, in nihilum omnia redigerentur, ab eo siquidem æqualiter omnia, vt sint & conseruentur, dependent, ac suum esse repetunt.

Meliores itaque rationes, si fieri potest, in asserenda immortalite animæ ex philosophicis, theologicisque thesauris depromamus.

Rationes

Sibouta quid?

hîc verterunt ἄρχων. Hac autem dictione ſolis apicibus immutatis menſem vndecimum Ianuario reſpondentem exprimunt שבט ſebat, & piſcis thynnus dicitur שבוטה ſibouta. Verùm in ſequentibus dictionibus maior eſt difficultas, ad quas ideò properandum eſt. Ex dictis autem ſequitur iuxta quaſcunque verſiones ſenſum eſſe dictionum præcedentium, non ablatam iri poteſtatem, atque dominationem, ſeu imperium, & ducem de domo ſeu tribu Iuda.

וּמְחֹקֵק מִבֵּין רַגְלָיו

Vmichokek miben raglau.

Variæ ſignificationes חקק.

QVod præcedentia clariùs exprimere videtur, quodque ad verbum ſic vertere poſſis, nec præceptor, vel ſcriba de inter pedes eius, חָקַק *cakak* enim ſignificat deſcripſit, ſtatuit, mandauit, ſtylo effigiem, ſeu imaginem impreſſit, quia leges, quas ſuperiores condunt, ſubditorum menti, velut tabulis imprimi debent; hinc enim fit חק, חקים ſeu חקות *choc*, *chukim*, & *chukot*, ſtatuta, mandata, ritus, conſuetudines, atque decreta, veritates. מְחוֹקֵק *Mechokek* verò Typographum ſignificat; dum tamen ſine ו ſcribitur מְחֹקֵק eum inſinuat, qui viuendi formam, atque leges præſcribit, vnde Septuaginta Pſalm. 59. 8. βασιλεύς. Deuter. 33. 21. ἄρχων; hic autem ἡγούμενος ducem verterunt, & vulgata quadrat. Sequitur *Miben Raglau* de inter pedes eius, quod idem eſt, ac de medio eius, & velut ex eius domo: רָגַל *Ragal* autem, vnde רֶגֶל *regel* pes, & crus, ſignificat, deferre pedibus, explorare, & imperare, ſic enim per ἀφηγοῦμαι, quod eſt impero Septuaginta verterunt, Exod. 11. 8. populus, qui ſubiectus eſt tibi, Hebraicè, qui eſt in pedibus tuis. רֶגֶל *Ragel* verò, Geneſ. 8. 9. vertunt πούς pes. Ezech. 1. 7. σκέλος crus. Nehem. 9. 21. ὑπόδημα calceamentum. In alijs locis per viam, ambulationē, tempus, ſedem: hîc verò per μηρός femur explicant, quod etiam ſignificat os inſertum acetabulo, & in genu deſinens, quod eapropter ἀμφικέφαλος vtrinque caput habens appellatur; & in hoc oſſe Iacob læſum fuiſſe ab Angelo multi exiſtimant in ea parte, in qua cum acetabulo iſchij, ligamenti orbiculati beneficio articulatur, propterquod ligamentum aliud oblongum occurrit ab apice femoris eductum, quo relaxato, & à ſua ſede diſtracto ſequitur claudicatio vi naturæ incurabilis, in qua femur tametſi perfectè repoſitum ſemper prolabitur. Volunt etiam per Synecdochen ſignificare quicquid eſt infra aluum, vt genitale; adeout hîc verti poſſit; & legiſlator ex inter pedes eius, vbi Thargum habet מִבְּנֵי בנוהי *Mibene benohi*, à filiis filiorum eius: vnde R. Kimhi à generandi vi dictum exiſtimat, quæ in eo loco ſedem habet. Proficiet fortè, ſi notauerimus ab hac radice dici fullonem, quoniam pedibus ſubſultando telam laneam rudem ſubigit, ſic enim 2. Reg. 17. Ionathas prope fontem רגל *rogel* ſeu קַצְרָא *Katſera* fullonis, vt Thargum habet, ſtetiſſe dicitur.

Typographus Hebraicè.

Pſalm. 59.

רגל quid ſignificet.

Exod. 11

Gen. 8.

Ezech. 1.

Nehem. 9.

ἀμφικέφαλος.

Quomodo neruus Iacob læſus fuerit.

Fullo Hebraicè.

2. Reg. 17.

Donec veniat qui mittendus eſt.

שילה centū dictionibus Græcis æquiualet apud 70.

NIhil eſt circa dictiones has annotandum, præter quàm circa שילה *Siloh*, nam conueniunt Interpretes, vt vertant יָבֹא *Iavo* veniat: à radice בוא, quod Septuaginta Interpretes centum verbis partim eiuſdem, partim etiam diuerſæ ſignificationis exprimunt. At diſſentiunt in lectione שילה, quod alij deducunt à שִׁיל *ſil*, vt ſaluatorem, fœlicem, auguſtúmque, vel etiam filium eius, ſeu Chriſtum ſignificet. Caſtrius 3. Apolog. legit *Sailah* cum iiſdem literis, ſed punctis diuerſis, vt donum, vel promiſſum ei ſignificet: Galatinus legit שלה *ſela*, ideſt, *qui eius*, nempe *virginis filius*. Vatablus à שָׁלָה *ſala*, ideſt fœliciter agere, deducit, vnde fit שלוה vel שַׁלְוָה, *ſalua*, vel *ſeleua*, ſaluus, fortuna, & fœlicitas: quod Septuaginta vertunt etiam pacem, benignitatem, abundantiam, inquiſitionem, ſcelus, ruinam, dolum, blaſphemiam, & temeritatem: hinc etiam fit שִׁלְיָה *ſilia*, nempe *ſecundina*, in qua ſecurè viuat embryo. Verùm ab alia radice poteſt *Siloh* deduci, nempe à שָׁלַח *ſalac*, ideſt dimiſit, quod etiam varias ſignificationes habet, vt apud Septuaginta videre eſt, vnde שֶׁלַח *ſelac*, miſſile, ſeu iaculum, & pila, & alia arma; denique hinc oritur שָׁלוּחַ *ſalouac*, ideſt nuntius, Græcis ἀπόστολος, & שֻׁלְחָן *ſulcan* menſa, quod inſtar iaculi mitti poſſet, longior enim quàm lata erat, Græcis τράπεζα: & quidem ex hac radice noſtrum שילה fortè deducitur, vt optimè vulgata dixerit, *qui mittendus eſt*, quia Chriſtus legatum Dei patris apud homines acturus eſſet. Quibus præmiſſis videndum eſt, quouſque regnum Iuda perdurarit, & an deſierit, antequam Chriſtus ad nos veniret. Vbi nonnulla dicentur, quæ non parum ad textus explicationem facient, & concludetur, quid ex præſenti verſiculo aduerſus Iudæorum impietatem colligi poſſit atque debeat. Quapropter quæſtionem tribus diſtinctam articulis aggredior, qua totum negotium ita conficiatur, vt cùm in illa verba proprios commentarios ſcribemus, non ſit opus hanc difficultatem repetere. Vtinam viri docti aduerſus Iudæos ſtrenuè inſurgant, & eorum peruicaciam ita frangant, vt nemo ſit, qui Meſſiam veniſſe non credat; ſanè operæpretium eſſet, vt viri Chriſtiani diligentiùs hebraicæ linguæ incumberent, adeout nullum librum, nullum Rabinorum arcanum intactum relinquerent, ſic enim armis propriis illos impeterent, & expugnarent, & ad Chriſti Domini Vnigeniti patris æterni filij cognitionem, & amorē adducerent. Alioquin enim Iudæum Rabbinum nunquam adeò efficaciter conuinces; & vnuſquiſque Iudæorum ſemper gloriabitur, quòd ſcripturam ſacram nobis meliùs intelligat, licet immeritò, illorum nempe ceruix duriſsima eſt, & perpetuæ rebellionis amica. Deus bone fieríne poteſt, vt Chriſtiani tot, & tātas blaſphemias Iudaicas patiātur? qui ſi poſſent, omnes Chriſtianos iugularent, & inſtar Chriſti Domini crucifigerent, magnum enim ſacrificium ſe Deo offerre credunt, ſi quempiā ex nobis trucident, vel ſanctiſsimum Chriſti Domini corpus pedibus cōculcent, & gladiis pungāt, atque diſcindant. Viderint, qui Chriſtianæ religionis veritatem pro viribus propagare cupiunt; nunc enim ad quæſtionem deſcendo.

Caſtrius.

A qua radice שילה deducatur.

QVÆSTIO.

AN EX HVIVS BENEDICTIONIS VERBIS MESSIÆ aduentus probari possit.

ARTICVLVS I.

SOLVVNTVR DVBIA EX LITTERA HVIVS textus desumpta.

VArias huiusce loci expositiones tam Christiani, quàm Iudæi proferunt, quæ vires istius textus retundere videntur. Nos verò præcipuas d[illegible]tiones in præsenti discutie[illegible].

Ac primo quidem omnium [illegible] primę dictioni *iasur* יסור [illegible] quidem à 70. Interpretibus, variis in sacræ Scripturæ locis, quinquaginta atque vno vocabulis exponitur; quare cùm tam multiplex sit istius verbi, atque thematis sensus, quid quæso certi, aut explorati habeamus? Sanè verò 70 sic reddunt Græcè eo loci, *in ἐκλείψει ἄρχων ἐξ Ἰουδα*, quasi dicat non ecclypsabitur, seu non deficiet, non quidem simpliciter, sed ad instar luminis deficientis ex interpositione corporis lunaris inter corpus solare, & terram: atqui eiusmodi defectio non est vera, & absoluta desitio, sed tantùm intercalatio quædam. Vnde qui ex eo textu regni, seu sceptri Iudaici desitionem arguunt, parum firmo passim nituntur fundamento: illis autem fauebit textus iste, qui non planè quidem ablatam regiam dignitatem, sed tantùm interceptam, vt inquiunt, & alteri datam in captiuitate Babylonica, restituendam tamen tempore Herodis, atque aliis temporibus, existimant, quibus qui è Iudæ Tribu prodierant viri solio regio sceptroque potiti sunt: quales fuisse perhibentur inter Iudices Othoniel & Abesam, atque inter Reges, Dauid, & Zorobabel, cui quidem sententiæ subscribunt Cyrillus contra Iulianum Apostatam, & Iunilius l. 2. part. diu. leg.

Vox ἐκλείψει quomodo accipiéda hoc loco?

Cyrillus. Iunilius.

In שבט difficultas est obscurior quam quæ facili diluatur negotio, namque propriè significat ea vox baculum seu potius virgam, ex arbore seu radice arboris natam: vnde per accommodationem pro tribu, seu familia passim vsurpatur in sacris bibliis, Deuteronom. 18. c. v. 5. כי בו בחר יהוה אלהיך מכל שבטיך quoniam ipsum elegit Dominus Deus tuus de cunctis tribubus tuis. Et quia reges solent gestare manu virgã, seu sceptrum, quod supremæ dignitatis est argumentũ: ideo nomine שבט seu sceptri, calami, aut virgæ, rex seu regia dignitas, aut dominium, rex, princeps, aut dominus intelligitur. Denique quòd virga, seu baculo vtimur ad verbera, nomine virgæ, seu שבט tribulatio, persecutio, disciplina, plaga, flagellúmque exprimuntur Isa. 10. c. v. 5. Væ Assur virga furoris mei, הוי אשור שבט אפי. Cùm igitur istius dictionis שבט (quæ totius vaticinij præcipua est) varius sit intellectus, cur potius in secundo, quam in primo, aut postremo significato accipitur eo loco? Quid vetat eam reddi in priori acceptione, vt alius planè sensus eliciatur? *Nõ deficiet tribus de Iuda, i. de populo Iudæo donec veniat, qui mittendus est.* Eritque propheticum dictum verissimum, quo quidem populi Iudaici prote[illegible]orem se futurum Deus pollicetur vsque ad Christi aduentum. Nam circa id tempus duntaxat Iudaicus populus à Deo derelictus, tribúsque omnes per dispersionem, & captiuitatem defecisse videntur, vt vix scirent è qua tribu nati essent, nempe tanta erat his temporibus calamitas populi Iudaici. Eamobrem videtur vox Hebręa שבט reddenda in proprio significato, vt significet tribum, seu familiam, non autem in figurata locutione, cùm sumitur pro rege, aut persecutione.

שבט quid propriè significet.

Deuter. 18.

Isa. 10. 5.

Præterea vera erit prophetia, si שבט disciplinam, seu doctrinam exponamus, nam tempore dũtaxat Messiæ, veteris testamenti disciplina, hoc est iudicialia, & cæremonialia defierunt, imò verò doctrina, & traditiones Hebrææ ecclypsim quandam passæ sunt accessione Euangelici luminis, vt noctem præcessisse Paulus dicat; diem autem appropinquasse: eritque sensus: Non deficiet disciplina, & doctrina de Iuda, idest de Iudæa, donec veniat, qui mittendus est: quæ expositio cõfirmatur ex eo, quod sequitur vocabulũ מחקק quod significat statuentẽ, præcipientem, pręscribẽtem, nam חקק statuere, præscribere, præcipere est: Chaldæus vertit ספרא scribam: quare Oleaster existimat eum intelligendum, qui describit cùm promulgat edicta regis, aut principis, & 70. vertunt vocem חקק per *διατάσσω* vt Iudicum 5. & per *γράφω* Iob. 13. Et verbale eius חק vbique vertunt voce *πρόσταγμα*, vel *νόμιμον*, hoc est legitimum, & debitum fieri, & iustum: מחקק verò erit *ἡγούμενος*, seu qui legem præscribit, omniaque discernit: quare ritè infertur non tam agi hîc de suprema potestate, quæ aduentu Christi defecerit, quàm de disciplina, seu doctrina morali Iudęorum, apud quos scribæ erant non tam auctoritate, potestatéque præcellentes, quam doctrinâ legum fulgentes: quemadmodũ apud Gallos Druidę, penes quos summa rerũ non erat, qui in iure dicundo, & in pręcipiendo, aut definiendo potestate sibi propriâ non vtebantur: sed tantũ commissâ quadam authoritate definiendi cõsultatiuè, seu discernendi quid iustũ, quidue iniustum. Namque etsi altera pars principis absolutissimi sit leges condere, aut iura tueri (quod fortassis occasioni fuit, cur *ἡγούμενον* verterint מחקק) nemo tamen ex eo regem quempiam ספר scribæ, aut præscribentis titulo appellarit, cùm regiæ dignitatis præcellentiam explicare voluerit, est enim inferiorum Magistratuum iuri cuiq; cũ tanta sedulitate, & cura reddẽdo, cõmissâ sibi auctoritate, vacare: supremi verò domini, seu principis minus laboriosis officiis exerceri, iisque quibus dignitas, & gloria regni illustratur, nõ autẽ obscuratur, occupari. Ergo isto vocabulo min' aptè principis, seu regis auctoritas, atq. pręcellẽtia venit intelligenda,

שבט disciplinam significat.

2. expositio Prophetiæ huius.

מחקק quid significat.

Chrysost. Lactant. Clemens Papa.

clcram esse D. Chrysost. 4. de prouid. & Lactant. 7. instit. affirmant, quàm euidens est meridiano sole diem esse, quamque S. Clemens 3. recognit. B. Petri discipulus à magistro suo acceptam ita proponit. *Si Deus iustus est, ergo anima rationalis est immortalis, quandoquidem plurimi scelerate viuunt, quibus tamen nihil mali, & aduersi contingit, alij vero sanctissimè viuunt, qui ferè continuò ærumnis premuntur, at diuinæ prouidentiæ consentaneum est tempus aliquod superesse, quo pœnis illi, hi verò præmiis afficiantur.* Nec mihi dixeris virtutem esse præmium sui, vitium autem sui supplicium, ergo miles vulneribus confossus ob patriæ libertatem habebit pro præmio vulnera, & mortem, eruntque ærumnæ militum stipendia, ergo homicida, atque latro eorum, quos odio habet, interitum habebit pro supplicio?

4 ratio quia Deus iustus est.

Occurritur obiectioni.

Quis non asserat Atheos animam sale, atque carne constantem habere, vbi eos animæ immortalitatem denegantes videt? quibus sanè locus aliquis in orbe terrarum constituendus esset, in quo porcorum instar glandibus alerentur, cùm omnia corpori, animæ verò nihil tribuant. Nolim eis obiicere Christi Domini sententiam, qui docet eos non esse timendos, *qui possunt corpus perdere, animam autem non possunt*, cùm solus Deus animam, & corpus in gehennam mittere valeat, nec enim Christum, Moses, prophetasque audiūt, neque Deo credunt, cùm neque Deum vllum admittant: qua propter solis rationibus vti velim, vt, si quid humanitatis retineant, rationi saltem obtemperent.

Quid de Atheis faciendum sit.

Dic obsecro Athee, illa persuasio, quæ necessaria est ad exercenda pleraque virtutum officia, idque ea, ad quæ lege naturali obligamur, est ne vera, an falsa? Certe nemo eam falsam esse fatebitur, nam cum verum, atque bonum conueniant, atque reciprocentur, idque realem veritatem habeat, quod habet bonitatem, illa propositio, vnde bonum sequitur, vel quæ bonum proponit, debet esse vera, virtutum autem officia quis non bona dicat? cùm virtus sit operantis perfectio, operantis autē perfectio bona est, alioqui perfectio non esset, & illud maximè bonum appellatur, quod maximè perfectum est.

5 ratio quia nemo virtuti studeret.

Igitur vides illam persuasionem veram esse debere, præsertim cùm omnes innato veluti desiderio immortalitatem appetant. Minor probanda superest, quæ tamen facilè persuadetur ex eo, quod multa virtutum officia requirant contemptum rerum ad hanc vitam pertinentium, ipsiusque vitæ; clarum est enim, & in omnium confesso mortem potiùs oppetendam esse, quàm scelera multa perpetranda; quapropter si quis intento mortis metu hanc potiùs oppetere, atque perpeti debet, quam illa perpetrare, & mille de causis vitam suam cōtemnere, quis non videt illam de animi perpetua duratione, seu immortalitate persuasionem verissimam esse debere? Alioqui facilè virtutis actum quispiam deseret; enimuero licet virtus ex se pulchra sit, & honesta omnique vitio, atq; voluptati præferenda, non ita tamen illā pulchritudinem apprehendimus, vt sine futuri præmij spe, & immortalitatis fide mortem ob illius defensionem subire audeamus.

Confirmatur quia nihil faciendum est, nisi quod sit rationi conueniens, at nihil tale est, nisi quod naturę rationali conuenit, cui nihil congruit, quod per se ordinatur ad naturæ rationalis totalem destructionem, qualia sunt opera fortitudinis. Nunquid Atheos audio respondentes fortem virū se exponendo sibi maximum bonum comparare? Verū si mortalem animam faciant, facilè sibi persuadebunt actum illum fortitudinis, quo mortem sustinet aliquis ob virtutem, esse malum actum, & temerarium, non verò bonum, & virtutis, cùm totam hominis naturam, si mortalis est anima, destruat, licet probabiliùs existimem fortitudinis actum etiamnum virtutem futurum.

Deus bone quem non tædeat, si Atheorum stultitiam, atque obstinationem, quis non stupeat, si brutas eorum cogitationes expendat? nunquid ipsi lumine naturali cognoscunt multa esse mala, quæ nos ad speciem actus necessitant? adeout non possimus nō iudicare furtum, perfidiam, iniurias &c. esse vitia, si iudicium aliquod circa ea exercere velimus, quæ tamen, saltem aliqua, quis mala asseteret, si anima mortalis esset.

6 ratio quia necessario aliquid bonum, & aliquid malum iudicamus.

Si mortalis est cur immortalitatis studio detineris? si mortalis est, à te quæro an immortalis esse potuerit, si potuit, quomodo facienda erat aliter, quàm sit in præsenti? quid enim habet, quod eius impediat immortalitatem? quare si potuit esse talis, illud minimè contigit? At forsitan dices non potuisse; verum repugnantiam afferas, quam licet in æternum quæras, nunquam inuenies.

Vrgetur Atheus.

Fœlix immortalitatis veritas, ex cuius persuasione nulla mala nascuntur, tanta verò bona prodeunt; fœlix terque beata immortalitas, quæ nos ipsi Deo quodammodo similes reddit, eique coniungit. Fœlix immortalitas, cui si virtus iungatur, totus homo tota diuinitate perfruetur. Quid iam, Athee, quid times, si animæ fatearis immortalitatem, quæ licet mortalis foret, nullum tibi periculum crearetur, quod immortalem existimalles: vbi tamen non solum periculum, sed æterna supplicia te manent, nisi id credere velis, cùm suprema veritas, Deus opt. max. illam immortalitatem reuelauerit, atque mediante Ecclesia sub pœnis æternis credendam proposuerit.

Laudatur immortalitas animi.

Humani animi mortalitas nullū commodū afferre potest.

Placet verò nouum argumentum subiungere desumptum ex eo, quod omnes beatitudinem appetant, vt testatur D. Augustin. tractatu de Epicureis, & Stoicis c. 3. his verbis. *Me video parū dixisse hunc appetitum beatæ vitæ philosophis, Christianisque communem, debui enim dicere omnium hominum, prorsus omnium bonorum, & malorum, nam qui bonus est, ideo bonus est, vt beatus sit, & qui malus est, malus non esset, nisi inde si beatum esse posse speraret. De bonis facilis quæstio est, quod beatam vitam quærant; ideo boni sint: de malis verò aliqui dubitant, vtrum & ipsi beatam vitam quærant. Sed si separatos malos, & à bonis discretos interrogare possem, & dicere vultis beati esse? nemo diceret, nolo: verbi gratia pone aliquam furem, quæro ab illo. Quare furtum facis? Vt habeam, inquit, quod non habebam. Quare vis habere, quod non habebas? Quia miserum est non habere. Si ergo miserum est non habere, beatum putat habere. Sed in eo impudens est, & errat, quia de malo vult beatus fieri, Bonum est enim beatum esse.*

Vltima ratio ex eo quod omnes beatitudinem appetant.

Aureus D. Augustini locus.

Ita etiam D. Thomas censuit, dum 1. 2. q. 1. a. 6. contendit hominem, quæcúmque bona appetit, ea appetere propter vltimum finem, cuius assertionis duplicem rationem assignat, quarum prima est, quia quicquid homo appetit, appetit sub ratione boni, quod quidem si non appetitur,

D. Thom.

vt bonum perfectum quod est vltimus finis, necesse est vt appetatur, prout tendit in bonum perfectum, quia semper inchoatio alicuius ordinatur in perfectionem consummatam, quæ est propter vltimum finem. Secunda est quia vltimus finis hoc modo se habet in mouendo appetitum, sicut se habet in aliis motionibus primum mouens. Manifestum est autem secundas causas mouentes non mouere, nisi quatenus à primo mouente mouentur, quare secunda appetibilia non mouent appetitum, nisi prout ordinantur ad primum appetibile, quod est vltimus finis.

Quomodo peccata volens beatitudinem appetat.

Vnde concludunt omnes cuilibet homini à Deo, & natura insitum esse appetitum, seu propensionem naturalem in beatitudinem obiectiuam, adeout nemo sit hominum: qui velit esse miser, nemo qui non velit esse beatus beatitudine saltem in vniuersum seu in communi spectata; hinc fit, tantum esse beatitudinis appetitum, vt omnia, quæcúnque amamus, etiam peccata, ea appetamus propter beatitudinem generatim consideratam, enimuero diligimus ea propter aliquam rationem boni, optamus enim bonum, & carentiam mali, statim enim atque bonum appatens, qualia sunt peccata ad se pertrahunt hominis appetitum, implicitè saltem, seu virtute beatitudinem appetit. Ex quibus manifesta est propositio nostra, nimirum beatitudinis appetitum omnibus à natura, vel à Deo insitum esse, Iam verò declaremus assumptionem. Sed beatitudo hominis esse nulla potest, nisi incorruptibilis, & immortalis fuerit, alioquin eius infinitum appetitum satiare non posset, nec hominis voluntati adæquatè correspondere, quæ fertur in omne bonum, quod in vlla creatura reperiri minimè potis est, sed in Deo solo, qui propterea Mosi roganti, *Ostende mihi gloriam tuam.* respondit: *Ego ostendam omne bonum tibi, & vocabo in nomine Domini coram te.* i. nomen meum altè pronuntiabo, vbi transiero coram te. Exod. 33. v. 18, & 19. Hinc concludo animam immortalem esse, alioqui quomodo beatitudine frueretur, quæ non est beatitudo, nisi immortalis sit, & æterna.

Exod. 33.

Verùm Atheos submurmurantes audire mihi videor, qui quidem illum appetitum concedent, at eum expleri posse negabunt. Sed contra, natura enim, vel Deus nihil vlli naturæ, vlliue facultati conferunt, quod ad actum redigi nolint, seu nihil omnino frustra faciunt; sic enim oculi non sunt dati animantibus, nisi vt videant. Dicent iterum tunc appetitum ad ea, quæ appetit, posse peruenire, quandó non sunt impossibilia, minimè verò quando sunt ἀδύνατα, illam verò beatitatem, quam nuper descripsimus, ab homine acquiri non posse, & ex duplici capite possibilitatem includere; primò quia beatitas ista Deus esse dicitur, quem omnino negant: secundò quia licet Deus admitteretur, homo nullam cum eo proportionẽ haberet, atq; adeo illum comprehendere, atque possidere, eoque frui non posset, quod tamen ad perfectam beatitudinem necesse esse videtur.

Obiectio Atheorum.

Refellũtur.

Replicatio.

Vbi tria præsertim deprehendo, quæ discutienda sunt: primum, an homo possit appetere impossibilia, atque proinde beatitudinem, etiamsi foret impossibilis. 2. an quicumque Deum negant, etiam beatitati vale dicant. 3. an homo sufficientem cum ipso Deo proportionem habeat, vt ipso beatus efficiatur.

Tria hic annotantur discutiẽda.

Secundum & tertium breuiter absoluemus: & quidem Athei minimè iam audiendi, vel admittendi sunt, cum post tot luculentas rationes in articulo 2 clarè, fuseque deductas Deum esse negant. Qui verò beatitudinem veram negant, Deum etiã abiiciunt, quippe qui vera est & vnica tam hominum, quàm angelorum obiectiua beatitudo. Si tamẽ aliquis beatitudinem negaret, quatenus eam in caduca animi voluptate nonnulli constituebãt, vt Epicurus teste Lactant. 3. diuin. instit. c. 7. vel in voluptate corporis, vt Aristippus, vel in aliqua honestate voluptati coniuncta, vt Calliphon, & Dinomachus Cyrenaici; vel in priuatione doloris, vt Diodorus, & Hieronymus in non dolendo, Herillus in scientia, Zenon in vita, quam aliquis cum natura congruenter transigeret, & in cæteris huiuscemodi, quæ sola bona creata, & finem habitura includunt, de quibus S. August. 19 de ciuit. c. 1. videri potest, vbi vsque ad 288 sectas circa beatitudinem excogitari posse asserit, tunc non statim affirmaro diuini numinis existentiam ab eo negari, qui aliquam fictitiã ex illis beatitudinibus pernegarit, nisi simul falsam illam beatitudinẽ Deum esse cogitaret: enimuero fieri posset, vt aliquis insipiens Deum quidem esse vel minimè negaret, vel etiam libenter asseueraret, qui tamen fœlicitatem homini impossibilem existimans, eam denegaret, qualis est ille Atheus qui proportionem esse negat hominis cum beatitudine, quam repromisit Deus diligentibus se, qua propter.

2 & 3 dissoluitur.

Lactantius.

variæ sententiæ de beatitudine.

D. August.

Ad tertium notabile dissoluendum accedo: Negant igitur vllam esse proportionem fœlicitatis æternæ, quæ est ipsemet Deus, cum homine, vt eum inter bestiarum ordinem includant. Quorum insaniam, atque peruicaciam facilè reuincemus: vel enim de proportione mathematica, vel physica, vel metaphysica, vel morali loquuntur, vel de omnibus simul. Si de prima, sciendum est illam esse triplicem, videlicet Arithmeticam, Geometricam, atque Harmonicam, quæ non parum inter se differunt: etenim Arithmetica proportio, seu ἀναλογία sita est in illis numeris qui progrediendo eandem inter se differentiam retinent, vt constat in sequentibus 3. 6. 9. 12, quorum vnusquisque superat antecedentem ternario. Vbi tamen aduertendum est hanc ἀναλογίαν à latinis proportionalitatem, seu medietatem appellari, vt eam ab habitudine, ratione seu proportione, quæ græcis dicitur λόγος, distinguere possint: quo sensu proportionem ita definit Euclides definit. 3. Quinti. Λόγος ἐστὶ δύο μεγεθῶν ὁμογενῶν ἡ κατὰ πηλικότητα πρὸς ἄλληλα ποιὰ σχέσις. id est, ratio est duarum magnitudinum eiusdem generis mutua quædam secundum quantitatem habitudo; vt cum 2. lineæ, 2. superficies, vel duo solida inter se conferuntur.

3. discutitur.

Proportio Mathematica triplex explicatur.

Arithmetica proportio quid.

Proportionalitas.

Euclides.

Iam verò me concedentem habebit Atheus nullam Deum cum homine proportionem habere si de mathematica loquamur, vel enim illa rationalis esset, vel irrationalis, vel æqualitatis, aut inæqualitatis, at neutram proportionem in homine respectu Dei, aut in Deo respectu hominis inuenire possumus. Non enim rationalis est, quia hæc in in numeris, aut quãtitatibus solummodo propriè reperitur, in Deo verò nullus est numerus; nec etiam

etiam in homine vnum potiùs, quàm alium numerum inuenies; non est etiam irrationalis, quia hæc licet in numeris minimè reperiatur, attamen inter quantitates eam Geometræ constituunt, vt constat ex toto lib. 10. præsertim verò 116, in qua sibi demonstrandum proponit Euclides in figuris quadratis diametrum esse longitudine incommensurabilem ipsi lateri, ἀσύμμετρος ἐστὶν ἡ διάμετρος τῇ πλευρᾷ μήκει, quia videlicet illæ lineæ nullam partem aliquotam communem habere possunt, nec vlla communis mensura datur, qua vtramque metiamur. Quod quidem admirabile est, vt quælibet ex istis lineis infinitas partes aliquotas habeat, & tamen nulla dari possit, quæ vtriusque mẽsura esse valeat.

Euclides.

Cum autem nulla sit in Deo quantitas hanc cũ homine proportionem habere nequit. Non est quod proportiones æqualitatis infinitas percurrã, quandoquidem ab homine Deus magis distat, quã cœlum à terra, quam nihil à qualibet creatura; quod intellige de distantia perfectionis, non locali, cùm Deus, absque loco tamen, sit vbique præsens. Superest inæqualitatis habitudo quæ vel est maioris, vel minoris inæqualitatis, quarum vtraque in quinque genera diuiditur, illa in multiplicem, superparticularem, superpartientem, multiplicem superparticularem, & multiplicem superpartientem; hæc verò in submultiplicem, subsuperparticularem, sub-superpartientem, submultiplicem superparticularem, & submultiplicem superpartientem.

Sunt proportiones æqualitatis infinitæ.

Inæqualitatis proportio diuiditur in 5 species.

Sanè si quam proportionem mathematicã Dei cum homine, aut è contra statuere possemus, eam maximè eligerem, quæ vocatur maioris inæqualitatis, eámque speciem aliis facilè præferrem, quæ multiplex nuncupatur; manifestum est enim Deũ multipliciter hominem superare. At cùm hominem non superet quantitate mathematica, cuius gratia proportiones istæ inuentæ sunt, inde fit, vt neque prædicta Deo conuenire possit. Scio quidem omnia quæ naturã quantitatis sapiunt, & aliqua ratione imitantur, hasce proportiones inter se habere posse, cuiusmodi sunt tempora, soni, voces, loca motus, pondera, atque potentiæ, imo & quæcúnque sunt corporea; verùm nihil ex istis in Deo admitti potest. Adde quod licet in Deo simile quidpiam esset, adhuc eum non posse cum homine comparari, nam in Deo quæcunque sunt, infinitate gaudent, quæ verò in homine, infinita sunt.

In quę proportio mathematica cadat.

Quapropter ad alia proportionum genera accedamus, hîc enim non agemus de Geometrica neque harmonica proportionalitate, quandoquidẽ hæ medietates licet continuæ, 3. saltem terminos, postulant, discretæ verò 4, at in præsenti 2 tantùm habemus, nempe Deum, & hominem, idcirco de physica proportione dicendum est, quæ cùm varia possit assignari, de ea tamẽ solùm agemus, quæ nobis necessaria est, videlicet de proportione, quæ inter obiectum, & potentiam esse debet, quàm in eo consistere certum est, vt potentia ad obiecti præsentiam, vel realem, vel virtualem, finem suum assequatur, atque perficiatur; vt obiectum minimè destruat potentiam, sed illam actuet, eámque ad supremum perfectionis culmen euehat.

Physica proportio.

Ea ratione contendo inter Deum, & hominem proportionem inueniri, etenim licet Deus sit infinitum intelligibile, est tamen liberum, adeout suæ intelligibilitatis radios iuxta nostram capacitatem attemperet, & huic certum veluti radiorum numerum, alium alteri applicet.

Quod exemplo solis explicari potest, qui quidem in suo meridie, idque præsertim æstate positus lucidior apparet, quàm vt eum fixis oculis intueri possimus: vnde potentia visiua hominis ad tantum lumen sufferendum non habet proportionem, siue id ex maiori, quàm par est lumine, siue ex calore per reflectionem in oculo nascente illud contingat, quibus temperamentum ad oculi constitutionem necessarium alteratur, dissipatur, atque corrumpitur; at verò si non necessariò, sed voluntariè, atque liberè sol oculum illuminaret, si non omnes radios, sed quàm paucos vellet, ad nos transmitteret, certo certius est illum tunc vniuscuiusque oculis lumen adeo remissum posse communicare, vt potentia istiusmodi lumini accommodetur, eoque perficiatur.

Quomodo Deus suam infinitatem nostræ finitudini accommodet.

Cùm igitur Deus sit lumen intelligibile, atque spirituale, incorruptibile, & æternum, intellectus autem hominis sit etiã intellectiua potentia, spiritualis, incorruptibilis, & æterna à parte post, vt Theologi loquuntur; cur negas Athee, beatitatem æternam, siue diuinum numen cum homine, aut potissima illius parte, quæ mens est, nullam habere proportionem? Nec obstat, quòd Deus in omni genere infinitus sit, quandoquidem satis est, quod illam infinitatem in iis, quæ apud nos producit, ita possit accommodare, & omnia ita suauiter disponere, vt eius dona nostris potentiis attemperentur.

Licet verò nihil sit in Deo, quod non sit infinitum, & anima beata ex iis, quæ sunt in Deo aliquid, & imo omnia videat, quia Deum totum videt, quamuis non totaliter, vt aiunt, attamen id animæ conuenire potest, quæ etiam aliqua ratione infinita sit; quomodo enim in infinitum numerare, ratiocinari, & se supra suas actiones reflectere, quomodo infinita discere velle, & omnia possibilia appetere valet, nisi cuiusdam infinitudinis particeps existat?

Adde quod Deus in illa fœlicitate confortat, adiuuat, & eleuat intellectum, adeout iam alterius ordinis, nempe supernaturalis esse videatur, vt iam facilè concipiamus, Deum Opt. Max. ab homine clarè videri posse. Quidni? cum perspicilia Batanica stellas illas nobis aperiant, quas alioqui videre non possemus. Quod illi tubi faciunt, cogita lumen gloriæ, quo Deus intellectum iuuat, & illius vires auget, excellentiori modo efficere.

Quod ad metaphysicam, atque moralem proportionem attinet, eas vt pote nobis minus necessarias solùm obiter perstringam: illa est cum ipsa rei alicuius essentia, vel eius proprietates transcendentales cum alterius essentialibus conferuntur, adeout talis sit proportio vnius essentiæ cum alia qualibet, qualem inter se excessum habuerint. De morali proportione hîc nihil dicemus, cùm alibi fusè id acturi simus, vbi de proportione, quam iustitia tam commutatiua, quàm distributiua obseruat, ex professo loquemur.

Proportio metaphysica, & moralis.

Sed tempus est, vt hisce Atheorum nugis finem imponamus, & primum illud punctum aggrediamur, An videlicet appetitus ille beatitudinis ideo reiici valeat, quod nos impossibilia desiderare possumus, & an reuera hominis voluntas nonnunquã feratur ad impossibile. Quibus ita Respondeo voluntatem tunc rem impossibilem etiam efficaciter appetere posse, cùm intellectus illam, vt pos-

An volũtas in impossibile ferri possit, & quomodo.

sibilem indicat, etenim voluntas in aliquid non fertur nisi præuia propositione intellectus, adeout illa moueatur à rebus, prout ab intellectu apprehenduntur, & quicquid vult, ad modum intellectus proponentis velit. Hinc fit vt in aliquid impossibile ferri nequeat efficaciter, quando intellectus iudicat illud impossibile, nam sicut intellectus nequit aliquid verum iudicare, quod falsum esse cognoscit, ita nec voluntas potest aliquid velle existere, quòd apertè videt nō posse existere. Ideoque sicut ad exercitium necessitatur, vbi Deum intuitiuè cernit, & ad speciem, si videt aliquid esse solummodo bonum esse: ita hîc ad negationem actus appetitus necessitatur, cùm aliquid non appetibile proponitur, vnde concludendum est voluntatem nunquam efficaciter tendere in impossibile cognitum, vt tale.

Præterea Notandum est impossibile reale, & quod iudicatur impossibile, modo sit obiectiuè non repugnans, nullamque in conceptu obiectiuò repugnantiā inuoluat, posse appeti appetitu inefficaci, quia in tali obiecto ratio boni remanet, atq; adeò id, quòd ex parte obiecti requiritur ad terminandum actum voluntatis; quod experientia confirmatur, multi enim in hac cogitatione sibi complacent, *Deus est ignarus meorum peccatorum*, quod licet impossibile sit, apprehenditur tamen, vt bonū, quia si fieret possibile, & transiret de statu impossibili, magnum bonum damnatis esse videretur. At verò nihil etiam appetitu inefficaci appeti potest, quod includat destructionem esse, & personæ appetentis, nec enim illa res rationem habet vllius boni respectu personæ appetentis, si personam huiuscemodi destruat. Similiter homo nequit vllo appetitu ferri in rem & realiter, & obiectiuè impossibilem, cùm intra tale obiectum affirmatio, & negatio eiusdem rei includitur, quod sicut verum iudicari nequit, ita nec amari.

In quæ impossibilia homo ferri nequeat.

Quibus suppositis, Dico primò eum, qui beatitudinem appetit, non ferri in impossibile simpliciter dictum, sed ad summum in impossibile naturæ solius virib⁹, quo sensu si philosophus 2. Ethic. cap. 4. locutus fuisset, dum asseruit, βούλησις δ' ἐστὶ τῶν ἀδυνάτων, οἷον ἀθανασίας, excusari posset. Iuuante verò diuina gratia possibilis est. Igitur dum appetimus, atque desideramus fœlicitatem, nusquam impossibile volumus, sed quod reuera iustis retribuetur.

Aristot.

Adde quod illi appetitus, quibus ad impossibilia nonnulli feruntur, non sint omnibus inditi, ac velut ab ipsa natura impressi, sicut beatitudinis appetitus, sed eliciti, vt patet in iis, qui cùm de auium volatu, piscium natatu, cursu ceruorum, & leporis, statuque regio cogitant, illis rebus delectantur, licet ea vel physicè, vel saltem moraliter impossibilia sint.

Quapropter non valet comparatio: Deinde nullum est huiuscemodi impossibile, ad quod ita feratur appetitus naturalis, imo neque elicitus, vt omnia illius gratia faciamus, cùm tamen omnia propter fœlicitatem æternam, siue in particulari, siue genericè consideratam facere videamus, vt iam nihil supersit, quod Atheus obiicere valeat.

Non est autem quod viri pij nostrorum Atheorum impia dogmata noua existiment, licet ea sibi fortè ausint arrogare, ac si hocce nostrum sæculū, non dicam subtiliora (vt ipsi insulsè loquuntur) sed magis detestanda, cæca, superba, imò & obtusiora tulisset, enimuero similium tenebrionū verba blasphema, & omnem impietatem redolentia refert Isaias cap. 22. vers. 13. *Comedamus, & bibamus, cras enim moriemur.* & Sapiens cap. 2. *Exiguum & cum tadio est tempus vita nostra; & non est refrigerium in fine hominis, & non est qui agnitus reuersus sit ab inferis, quia ex nihilo nati sumus, & post hoc erimus, tanquam non fuerimus.* Audiant Athei nostrates, quid inde impij inferant, hos enim & nostros similes esse non dubito. *Venite ergo, & fruamur bonis, quæ sunt, vino pretioso, & vnguentis nos impleamus. Coronemus nos rosis, antequam marcescant, nullum sit pratum, quod non pertranseat luxuria nostra. Nemo nostrùm exors sit luxuria nostra quoniam hæc est pars nostra, & hæc est sors.*

Isai. 22.
Sap. 2.

Hæ sunt Atheorum cogitationes, hæc proposita, quæ describit Spiritussanctus, quæque *Dixerunt cogitantes apud se non rectè*, vt eod. cap. 2. Sap. habetur.

Rationem verò cur non rectè cogitet impius, Psaltes explicat psalm. 35. *Dixit iniustus, vt delinquat in semetipso, non est timor Dei ante oculos eius.* Apage mihi tales impios solis flammis, & omni tormentorum genere dignissimos, & bono sis animo, nam quantumcúmque tibi videatur vnus, & idem interitus iustorum, & impiorum, imo iumētorum, & hominum quoad corpus, attamen certissimum est iustos post obitum ingentia præmia, impios vero tormenta grauissima manere, nec vllam horum & illorum mortem similem, nisi quoad ea, quæ hisce mortalibus oculis obiiciuntur. Macte animo iusti, exultate in Domino, qui reddet vobis coronam iustitiæ, *vt id quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operetur in nobis, non contemplantibus nobis, quæ videntur, sed quæ non vidētur. Quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur: æterna sunt*, vt Apostolus monet 2. ad Cor. 4. v. 17.

Psal. 35.

2. Ad Cor. 4

Dies veniet, in qua impios desperatos, & clamantes audiemus. *Ergo errauimus à via veritatis: & iustitiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis. Lassati sumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulauimus vias difficiles; viam autem Domini ignorauimus. Quid nobis profuit superbia? aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? transierunt illa omnia tanquam vmbra, & tanquam nuncius percurrens, & tanquam nauis, quæ pertransit fluctuantem aquam, cuius cùm præterierit, non est vestigium inuenire*, vt præclare describit Sapiens cap. 5. Si quis plures rationes desiderarit, poterit Lessium de animi immortalitate perlegere, qui 22. rationes deducit; at inter omnes maximè placet Toletus, qui 16 quæstione ad lib. 3. de anima cap. 5. tex. 20. animam immortalem esse probat: primò ex intellectus capacitate, & obiecto vbi 5. rationibus vtitur; Secundò ex voluntatis capacitate, eius obiecto, & aliis proprietatibus, idque 4. argumentis: tertiò ex variis appetitibus, continétq; 6. rationes: quartò ex operibus animæ à corpore separatis, & 2 rationes habet: quintò ex operationibus intellectus à corpore separatis, vbi 12 argumenta profert: sextò ex animæ generatione, & causis corruptionis, hîc autem 4 rationibus vtitur.

Sap. 5.

Lessius.

Toletus probat animæ immortalitatem 60. rationibus.

Septimò ex conuenientia rationalis animæ cum angelis. 8. ex præmio, & pœna post mortem debita, & recta mundi gubernatione, vbi 2 rationes

reperies

reperies. 9. ex fine vltimo,& beatitudine,in quo capite 7 rationes adducit. 10. ex variis virtutibus, & earum actionibus, quæ alioquin perirent,& vitiis, quæ contra sequerentur, quod 11 rationibus bellé confirmat. 11. ex pugna sensus cum ratione, & contra idque 2. argumentis. 12. ex omnium pene consensu. 13. ex maiori vtilitate, securitate,& decentia huius opinionis, quàm contrariæ, idque 3 argumentis.

Hinc fit, vt si rationes omnes, quibus in quolibet capite vtitur, colligere velis, 60. habeas, tametsi nullas confirmationes, quæ plurimæ sunt, annumeremus. Quibus omnibus addi possunt apparitiones,& reditus animarum, ex quibus earum immortalitatem Lessius 21 ratione probat. Quas omnes rationes, si Athei seriò legerint, iuratem eos statim animę immortalitatem,si cerebri drachma eis reliqua fuerit, ac proinde Deū Opt. Max. concessuros esse; his autē cōsulo,vt hominem paganum legant fortassis enim ei potius, quàm scripturæ sacræ fidem habebunt, Senecam dico epist. 101,in qua animæ immortalitatem præclarè docet. Non est igitur,impie,quod diuinę maiestatis thronum pro viribus euertere nitaris, ex eo quod anima tibi mortalis esse videatur, cum tot conuictus argumentis eam immortalem esse velis nolis fateare necesse fit, vt iam diuinum numen iisdem armis esse conuincamus, quibus eundem non esse contendebas, faxit igitur ipse Deus, vt deinceps menti tuæ hanc immutabilem veritatem inscribas. *Deus est*. Si quando concesserit Deus amplissimam quæstionem de animi instituemus immortalitate, in qua Pomponatium,& alios Mortalistas omni ex parte confutabimus.

Seneca.

Antequam verò huic capiti finem imponamus placet nonnullas Doctoris angelici rationes afferre, quibus eandem immortalitatem astruit dum aduersus Gentiles insurgit. Intelligibile, inquit, ratione 10. cap. 55. lib. 2. est propria perfectio intellectus, vnde intellectus in actu, & intelligibile in actu sunt vnum, quod igitur conuenit intelligibili, inquantum est intelligibile, oportet conuenire intellectui inquantum huiusmodi, quia perfectio, & perfectibile sunt vnius generis; intelligibile verò in quantum est intelligibile, est necessarium & incorruptibile, necessaria enim perfectè sunt intellectu cognoscibilia; contingentia verò, inquantum huiusmodi, non nisi deficienter; habetur enim de eis non scientia,sed opinio; vnde & corruptibilium intellectus scientiam habet secundum quod sunt incorruptibilia, inquantum videlicet sunt vniuersalia, oportet igitur intellectum esse incorruptibilem.

Cuius argumenti vis in eo consistit,quod perfectum, & perfectibile sint eiusdem ordinis, quandoquidem perfectiuum comparatur ad suum perfectibile, sicut proprius actus ad propriam potentiam, at proprius actus, & propria potentia sunt eiusdem ordinis; cum igitur id quod recipitur in intellectu, sit corruptibile,qualia sunt vniuersalia, & quæcunque à cōditionibus rerum materialium, atque corruptibilium exuuntur, & abstrahuntur, intellectus etiā incorruptibilis esse debet, præsertim cùm vniuersalia, & incorruptibilia hac conditione non indigeant, siue vt recipiantur, siue vt conseruentur, vt intellectus fit obnoxius corruptioni, & interitui; Quod dictum velim,ne statim concludat Atheus inde sequi corpus humanum incorruptibile, & immortale esse debere;cùm animam, quam immortalem probauimus, tanquam actum proprium, & veram sui perfectionem recipiat: enimuero corpus ab anima perficitur in ordine ad operationes sensitiuas, quarum ope species intelligibiles efficiuntur, quare mixtum esse debuit contrariis,quibus nempe sensus, tactus cōstare debet, qui aliorum sensuum fundamentum esse dicitur. Hinc fit vt humanum corpus ex necessitate materiæ,& velut per accidens corruptioni sit obnoxium.

Aliam etiam rationem c. 79. profert. Vnumquodque recipitur in aliquo secundum modum eius in quo est,sed formæ rerum in intellectu recipiuntur, quatenus sunt actu scibiles, sunt verò scibiles, quatenus sunt vniuersales, & incorruptibiles, igitur intellectus humanus, cùm illarum receptiuus sit,debet à materia indiuiduante abstrahi, & interitus expers esse.

Huic rationem 11. cap. 55. annectamus. Vnumquodque perficitur secundum modum suæ substantiæ, adeout ex modo,quo res aliqua perficitur, modus substantiæ illius possit intelligi, atqui intellectus non perficitur per motum, sed per aliquid, quod extra motum existit, nempe scientia,& prudentia sedatis perturbationibus, & corporalibus animæ passionibus, igitur modus substantiæ intelligentis est, vt sit suprà motum, ac proinde suprà tempus; hinc fit vt substantia intelligens corrumpi nequeat, nihil enim corrumpitur, nisi motui, & tempori subiaceat: nam omnis corruptio, inquit ratione 7, est mutatio quædam quam oportet esse terminum motus, vt in physica probatum supponit, quapropter omne quod corrumpitur, moueri necesse est, quicquid autem mouetur,vt patet ex eadem physica,est corpus, igitur quicquid per se corrumpitur, corpus est, vel aliquid corporeum. Capite 79 ratione 6 pulcherimum addidit argumentum.

Esse intelligibile, est permanentius,quā esse sensibile, at quod se habet in rebus sensibilibus per modum proprium primi recipientis est incorruptibile secundum suam substantiam, scilicet materia prima; igitur potiori iure intellectus possibilis, qui est receptiuus formarum intelligibilium, atque adeo anima humana est incorruptibilis,cū intellectus sit vel idem realiter cum anima, vel modus, vel facultas eius. Idemque demonstrat ratione 7 de intellectu agente, qui cùm obiecta, vel phantasmata actu intelligibilia faciat, hæc verò sint incorruptibilia,ipse incorruptibilis esse debet, nam propter quod vnūquodque tale, & illud magis, vnde dixit Arist. 3. de anima faciens esse honorabilius facto. In quæst. disput. q. de anima art. 14. eamdem immortalitatem ex eo probat, quod recipiens carere debeat natura recepti, quod ex tex. 4. & 6. lib. 3. de anima colligunt, vbi Aristot. infert intellectum immixtum esse, quia intelligit omnia materialia, quibus per consequens denudatus esse debet; quod axioma,qua ratione & de quo recipiente intelligi debeat,an de recipiente realiter siue vniuersaliter, siue particulariter, an verò de recipiente intentionaliter, vel spiritualiter: Rursus de qua natura recepti, an secundum essentiam subiectiuè, an secundum existentiam obiectiuè; denique si de natura recepti secundùm essentiam subiectiuè, an de natura recepti generica, specifica, vel indiuiduali latè, tametsi non admodum clarè tractat Albertinus ad 1. principium Philos. Modus operandi sequitur

modum essendi q. 14. Theol. coroll. 14. in quo animæ immortalitaté ex 4 præsertim motiuis astruit, nempe ex modo perfectè diiudicandi obiectum supra naturam obiecti recepti, & ex modo discurrendi, concluditque intellectum diiudicare terminatiuè, non motiuè, terminatiuè quidem prout eleuatur supra naturam obiecti recepti intentionaliter, vel spiritualiter, quod nulli potentiæ materiali conuenit; non motiuè, quia propter vnionem cum materia tantùm abstractiuè per alienam speciem cognoscit, non autem proprio conceptu, seu quidditatiuè.

Secundò probat ex modo cognoscendi abstractiuo, qui arguit intellectum materiæ immersum non esse, cùm modus cognoscendi illius sit obiectiuè independens à corpore, & per consequens modus essendi independens subiectiuè.

Tertiò ex modo cognoscendi per reflexionem supra suos actus in infinitum, quod arguit eleuationem supra materiam reflexionis impeditiuam, alioquin enim si materia in infinitum reflexiua esset, fieret immaterialis, quia quantum crescit de reflexione, tantùm de materialitate minuitur; & cum duo ita se habent, vt quantum vnum minuitur per partes proportionales, tantum alterum per æquales partes augeatur, compar crescit vsque ad omnem gradum sui, seu in infinitũ, & aliud vsque ad non gradum sui. Denique probat ex modo volendi appetitiuæ potentiæ immaterialis, quia voluntas liberè operatur, ac proinde dicit independentiam à quocúmque agente, & obiecto materiali, quod possit vel necessitare, vel impedire actionem internam voluntatis, vt sic ei sit similis anima, inquit Nissen. disput. de resurr. & anim. qui Dominum non habet. Hinc fit, vt modus essendi animæ, à quo modus operandi dependet nulli actioni corruptiuæ alterius subiaceat, sed Deo soli, à quo tantùm physicè, seu efficienter per qualitatem physicam, vel obiectiuè per visionem beatificam tam in actu exercito, quàm in actu signato necessitari potest; hinc fit, vt cùm omnipotentiæ Dei omnino subiaceat, à qua potest annihilari, à 6. Synod. act. 11. non immortalis per naturam, sed per gratiam esse dicatur. Videatur D. Thom. locis cit. & Scotus cum aliis in 4. d. 43.

OBIECTIO XIII.

Contra Diuinitatem ex causarum naturalium sufficientia, vbi videbis eos omnia in astrorum influxus refundere.

Machiauelli impietas quam si nõ statim in ei' libris deprehendis, eam facilè ex dictis eius elicies. Socrates. August.

NIcolaus Machiauellus Atheorum huius sæculi facilè princeps commentariis ad Titum Liuum, & libro de principe, omnia quæ diuinam prouidentiam, bonitatem & iustitiam valde commendant falsa esse, & à principibus ad incautæ plebeculæ instructionem conficta existimauit, vt quã ratio non posset ad officium, religio saltem duceret; in quem finem licitum esse mentiri docuit etiam Socrates lib. 2. de Repub. & Scæuola apud August. 4. de Ciuit. cap. 9. qui dicere solebat, expedit in religione ciuitates falli, vnde tritũ fertur adagium, Mundus vult decipi, decipiatur ergo.

Põponatius. Lapis Amãdinus. Quiritia. Silenites. Haly Abẽragel. Hæc omnia ab Atheis obiiciuntur. Cõciliator Iunctinus. Cardanus Atheus

Petrus verò Pomponatius opusculo de incantationibus, ne Deum ex oraculorum responsis esse probetur, ea ab anima, & corpore cœli, non autem à Deo, vel dæmone edita fuisse dicit; Adde quòd, si fabulis credimus, Amandinus lapis, ex Alberto 2. mineral. prophetiam gestanti, ac signorum, & ænigmatum interpretationem tribuat, Quiritia sit lapis secretorum proditor, Silenites autem sub 1. luna diuinationi inseruiat, quas virtutes syderum influxibus conceperunt, qui proinde cum sua intelligentia per statuam Idoli eadem facere, & longè plura valebunt; hinc enim Haly Abenragel ex syderum positione prædixit infantem natum statim vaticinaturum, & ita euenit, 24 post ortum horis, nam mortem suam, & finem, ad quem natus erat, vt nimirum patri imminentes familiæ calamitates denuntiaret, teste Abenzagele cap. 7. 5. part. Conciliatore in expositione 27. problem. & Iunctino tract. de defensione astrologorum.

Prophetias Sibyllarum in quas causas Cardanus referat.

Huc referri debent multa Cardani loca in quibus Atheismi fundamenta iecit, nam 14. de rerum varietate cap. 68. Sibyllinas prophetias tribus adscribit causis, quæ in vnam facilè redigantur, vt pote cœlestem influxum, cui omnia propemodum attribuit, maximè verò *prophetiam Veneris influxui cum Sole, & Saturno*, licet in 3. l. de astrorum iudiciis cap. de monstris tex. 20. dicat *Mercurium oraculorum, & somniorum interpretem*; cui lunam adiungit Ptolomæus l. 4. cap. 4. tex. 18. maximè quãdiu versantur ambo *in Tauro, Cancro, & Capricorno, in quibus vates, atque sacrificos per peluim diuinantes; in Sagittario, & Piscibus ex mortuis vaticinantes, & dæmonum prouocatores: In Virgine, & Scorpione magos, astrologos, futurorum consultos, præscita edoctos: in Libra, Ariete, & Leone diuinitus furore correptos, ex somniis coniectantes, coniuros, id est adiuratores efficit*; In quem locum videri potest Cardanus: sicut & tex. 16. vbi nullum ordinem pauperem, perpetuũ esse dicit, quod falsum est; nam religio Christiana, quæ in tanta paupertate fundamenta posuit, adhuc per Dei gratiam durat, cuius paupertatem significatam voluit per sortem desolatam sub terra in finibus Saturni lib. 2. cap. 9. tex. 54. & paulo post ait *naturaliter, seu ex solis astris cognosci nostram religionem esse legem iustitiæ, pietatis, fidei, simplicitatis, charitatis, nullumque habituram finem, nisi post reditum eclipticarum, in quo fiet nouus status vniuersi.* Ptolom. 3. de astrorum iudiciis cap. 16. tex. 83. ait *Veneris stellam morbos efficere diuinitus petitis mitigationibus curabiles, aut petitis curationibus mitigabiles, cum qua, tamen si congrediatur Saturnus, pœna erit ignominiosa, & vulgo nota.* Textu 78. ait, *si malefica in Orientali angulo consistunt, beneficiis ad occasum repulsis, incurabilia, & illustria mala afferunt: epilepticis continuitatem morbi, vociferationes, & mortis terrores, & ad insaniam, ac stuporem adducunt, in domesticos incoërcitam licentiam, denudationem crebrã, & blasphemias, eisque cognata*, & postea. *Solis & Martis loca ad insaniam efficacia imprimis sunt: Iouis & Mercurij ad comitiales. Veneris ad Numinis afflatus*

Ptolomæi astrologi, & Cardani varia mendacia, quibus Athei hanc obiectionem confirmant

Astrologorum vanitates, & mendacia.

Ptolom.

QVO TEMPORE DEFECERIT REGNVM SEV SCEPTRVM DE IVDA.

ARTICVLVS TERTIVS.

RESPONDETVR breuiter, defecisse omnino regnum, seu sceptrũ de Iuda, hoc est Iudaico populo, anno mundi secundũ supputatiotionẽ Genebrardi, 4091. vrbis verò Romæ 715. Herode Ascalonita ab Antonio Triumuiro, Tetrarcha Iudeæ constituto, atq; ab Augusto, & Antonio eodem rege creato. Quod vt faciliùs intelligatur, notandum est ab 11. Sedechiæ anno, quo quidem populus Iudæus durissimo captiuitatis iugo sub Nabuchodonosore superatus est, ad Christi Domini ortum vulgo numerari 520. annos ad Christum verò patiẽtem 553. Si autem demãtur 33. anni qui ab Herode ad Christi ortum fluxerunt ex 520. inuenientur 487. anni, quibus sceptrum Iuda aliquo modo dicendum est durasse sub sacerdotibus hoc modo: A captiuitate ad Iosue filium Iosedech effluxerunt anni 70.
à Iosue filio Iosedech ad Machabæos, 283
à Machabæis ad Christum nascentem, 167.
Qui omnes anni simul positi faciunt 520 annos; è quibus si demas 33 qui fluxerunt ab Herode Rege alienigena, supererunt 487. anni intercepti ab 11 Sedechiæ anno ad Herodem. Vt autem omnium oculis pateant ista, recensebo Chronologiam eorum temporum, quæ à captiuitate Iudaica ad Herodem intercipiuntur, non quidem per Reges, sed per Sacerdotes, eo quod Regum, seu Ducum successio interrupta fuit, vt variè à variis auctoribus referatur.

Tempore captiuitatis Babylonicæ sub Nabuchodonosore:

1. Præfuit Iosedech, annis.	70.
2. Cui successẽre Iesus seu Iosue fili⁹ per annos,	28.
3. Ioachim,	42.
4. Eliaser,	21.
5. Ioiada,	24.
6. Ionathan,	24.
7. Iaddus, qui occurrit Alexandro Magno,	10.
8. Onias priscus Iaddi F.	27.
9. Simon Priscus Iaddi N.	13.
10. Eleazarus Simonis frater,	20.
11. Menasses Eleazari patruus,	17
12. Simon iustus.	28.
13. Onias secundus Simonis iusti F.	30.

Post Oniam turbata est sacerdotum successio, Simon enim eius filius tres reliquit filios turbulentissimos, nempe Oniam Iesum, seu Iasonem, & Ananiam, seu Menelaum, vnde recensentur breui temporis interuallo quatuor Pontifices, scilicet pater cum tribus filiis:

14. Simon filius Oniæ post quem,
15. Onias Simonis postremi filius, qui obtinuit à Ptolomæo Philometore, vt apud Heliopolim construeret templum Hierosolymitano simile, illicque Pontificatu fungeretur.
16. Iesus, qui suum Iasonis nomen transformauit, ab Antiocho Epiphane, Onia deturbato è Sede Pontificia, assumitur ad Sacerdotale munus per annos tres, quibus peractis, ira percitus idem Antiochus, minimum fratrem promouet, & substituit eius loco: is autem est,
17. Menelaüs, qui antea Ananias: hic pecuniâ honorem à Rege coëmit, cuius tempore Alcimus pseudopontifex sedit aliquandiu. Quare numerandus,
18. Alcimus pseudopontifex.
19. Menelai anno 7. Iudas Hasmonæus Sacerdotium, & Remp. cœpit administrare 1. Machab. 2. & 3.

Porro interuallum turbatæ successionis inter Oniam Simonis iusti filium, & Iudam Machabęum fuit annorum circiter 11. quare sub his elapsi numerantur anni plus minus, 11.

Dehinc Sacerdotium deuolutum est ad Machabæos qui ad id iuris habebant aliquid, fueruntque Sacerdotes simul, ac Duces, è quibus,

1. Matathias filius Iohanã duxit populũ annum	1.
2. Iudas Machabæus annos,	4.
3. Ionatham,	18.
4. Simeon,	8.
5. Ioannes Hircanus Simeonis F.	31.
6. Aristobulus primus post captiuitatem Rex,	1.
7. Alexander Iannes crudelis,	27.
8. Alexandra Alexandri vidua,	9.
9. Hircanus Rex, & Pontifex,	34

Quibus successit Herodes Ascalonita Rex alienigena, cuius tempore vere impleta fuit Prophetia Iacobi: Nam omnino defecit sceptrum de Iudaico populo, deq; eius femore, hoc est posteris. Siquidem Sanedrin. i. ordinarios iudices de domo Dauid, quem Senatum 70 nominabant, occidit, vno solo ex ipsis excepto, inque eorum locum alios ex proselytis legisperitos suffecit. Prætereaque Pontificiam dignitatem, quæ secundum generis propinquitatem, & auitam successionem in perpetuum deferri solebat, mutauit. Neque enim Pontificem in perpetuũ, aut in plures annos, sed in annum, aut certè ad breue tempus commisit, sæpissimè erogatis auri talentis plurimis, neque Pontificiis familiis, sed vt plurimum abiectis quibusdã, & alienis hominibus detulit. Quem morem deinde filius eius Archelaüs, & post Archelaũ Romani tenuerunt. Primum autem Pontificem creauit Ananelem Leuitam ignobilem de Babylonia accersitum, etsi nõ esset de genere Sacerdotali, vnde apparet omnino tunc defecisse principatum de tribu Iuda, siue quoad Regiam, siue quoad Pontificiam dignitatem.

Officit tamen huic nostræ sententiæ, quod nonnulli suspicantur, & contendunt Herodem non fuisse alienigenam, inter quos Tornielus post Nicolaum Damascenum, & Scaliger, qui scribit frustrà Eusebium alienigenam Herodem nuncupare, eo quod, inquit, Herodes patre, & auo Idumæis, ac proinde Iudæis prognatus sit, præsertim cum ait Idumęos fuisse dictos Iudęos, & non ampliùs Idumæos ab eo tempore, quo Ioannes Hircanus 5. ex

Machabæis eos subegit, & ad circumcisionem, cęteraque Iudaicæ religionis instituta coëgit. At paucis satisfiet obiectis coniecturis: Nam primò, quòd fermè omnes asserunt, Eusebius frustrà non dicit; Atqui non modò Christianorum, sed & vetustissimorum Iudæorum ea est sententia, vt asserant indubitanter Herodem fuisse alienigenam. Præterea alienigena proculdubio dicendus est, qui non modo non traxit originem à tribu Iuda, sed neque ab vlla totius Iudaicæ gentis familia, vt liquidò constat ex omnium scriptorum communi sententiâ. Porro Herodes patre Ascalonita, matre verò Arabœa, vel secundùm nonnullos, Idumæa oriundus est, quod in causa fuit cur Herodes Idumæus à Scaligero dictus sit. Quod autem inde colligit, & cōcludit, ergo Iudæus est, ineptissima consecutio est. Nam etsi Idumæi Iudæi religione per vim illatam à Ioanne Hircano nō fuerint, non tamen ortu, & gente, quippè quòd breui spatio, hoc est 90 annorum spatio, quod effluxit ab Hircano ad Herodem Ascalonitam, nō potuerint, nec secundum leges Iudaicas debuerint cōmisceri Idumæi ὁμόφυλοι cum Iudæis, quare etsi nomine fuissent Iudæi, non tamen stirpe; quod tamen exigitur ad implendum propheticum Iacobi dictum: *Non auferetur sceptrum de Iuda, neque dux de femore eius*: hoc est stirpe. Denique non ex eo quòd Idumæi Iudaicam religionem amplexati sunt, ideo Idumæorum nomen amiserunt, sicut nec gentes illæ, quæ religionis causa domantur armis Catholicorum, seu Christianorum, vt videre est in Iapponiis, Peruanis, qui ideo nomen Gentis non amittunt, quòd Christianam religionem profiteantur. Ita etiam Britanni, Heluetij aut Bataui propter Caluinianam hæresim, nomen patriæ, aut regni sui haudquaquam abiecerunt.

Denique non est fides adhibenda ei Nicolao Damasceno, qui mendacissimus auctor fuit, quique vt Herodi assentaretur, cui erat in delicijs, plurima contra veritatem impudentissimè scripsit.

Ex his omnibus concludere est, Iacobi vaticinium cœpisse impleri tempore Herodis, sub ea nāque tempestate neq; Sacerdos, neq; Princeps de tribu Iuda, imò verò de tota gente Iudæa visus est. At verò Christo nascente tota planè consummata est Prophetia, et si status totius Iudaici ratio habeatur, eius tempestate Oseę prophetia locum habuerit, qua dicitur Iudæos sine Rege, sine Sacerdotio, sine Theraphim sessuros esse. Osee 3.

Quæ in præsenti sufficere possunt, aliâs enim hæc omnia fusiùs, & accuratiùs agitari poterunt. Interim videatur Brunus noster libro de benedictionibus Patriarcharum, in quo fusè hæc omnia discutit, & non semel Pererium confutat; Casaubonus exercitatione 1 num. 3 ad apparatum annalium Cæsaris Baronij æternâ memoriâ dignissimi non pauca proposuit, quæ ad præsentem difficultatem attinent, verùm de his iudicium ferre non vacat, quocirca ad problemata redeo.

PROBLEMA CCXC.

I. *Versi. 22. hoc, & sequenti problemate discutitur.*

QVID sibi vult dictum illud, Ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem (ô fili mi) asinam suam? Ex multis, quæ hîc dici possent, vnum tantùm adducā, quod ad verbum exarat autor libri Zohar omnium Doctorum Hebræorum antiquissimus, ac celeberrimus. Ait enim, Ligabit, scilicet Iehudas, pullum suum, scilicet Messiam, ad vineam, de qua scriptum est, vineam transtulisti ex Ægypto: de qua etiam ipse Messias ait, Ite & vos in vineam meam. Messias enim pullus, & filius Iehudæ fuit, & ad vitem (de qua Propheta canit, Vxor tua sicut vitis abundans) asinum suum, id est corpus, ligauit, tradens videlicet ipsum in cibū, vt cum vxore colligaretur, & vniretur. Corpus autem asinus dicitur, *quia est de latere sinistro*, & verberibus trahendum est. Genes. 49. Zohar. Psal. 79. Math. 20. Psal. 127.

QVOD expurgatorius Index deleuit, hæc videlicet verba (*quia est de latere sinistro*) delendum fuit; cuius rei sæpiùs attuli rationem: per hunc autem textum, *Ligans ad vineam pullum suum, &c.* putant vbertatem terræ in terra Iudæ tantam describi, vt quis asinam, vel pullum ad vitem vnam alligare possit, & ex ea iumentum onerare, itaut sit metalepsis, vt *ligans* pro onerans, positum sit; & quidem mirum est, vt ex vno palmite, & eius fructu asinus onerari possit; attamen cùm tantam sortis Iudæ fertilitatem præ alijs minimè legamus, ille sensus potius Iudaicus esse videtur, adeout verus sensus de Messia intelligendus sit, qui prædicatione Euangelij Iudaicum populum sibi coniunxit, vel populum Gentilem Ecclesiæ ex Iudæis congregatæ vniuit, & ad se veram vitem traxit; verùm ad examen dictionum nos conferamus.

Sensus Iudaicus excutitur.

VERSICVLVS XXII.

Ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem, fili mi, asinam suam.

אסרי לגפן עירה ולשרקה בני אתנו

δεσμεύων πρὸς ἄμπελον τὸν πῶλον αὐτοῦ, καὶ τῇ ἕλικι τὸν πῶλον τῆς ὄνου αὐτοῦ.

NVLLA est in primo vocabulo difficultas, etenim אסרי *osri* fit à radice אסר *asar*, ligauit, captiuauit; vnde captiuus אסיר *assir* dicitur עירה *hiro*: fluit à radice עור *hor* euigilauit, vnde perpetuò vigilans, & vrbs עיר *hir*, atque Angelus dicitur. Vnde hostem ער *har* nuncupant Hebræi, quòd semper intentus sit, & vigilet, vt noceat. Hinc igitur fit עיר *hair* pullus asini tam feri, quàm domestici; Sequitur *Velarescah*, vbi שרק *sorec* genus vitis optimæ, atque laudatissimæ significat, in cuius vuis acini maximè repetiantur; dicitur & in fœmineo genere שרקה *sorecah*. Septuaginta per τῇ ἕλικι vitem significarunt, cuius loco Ambros. & Augustin. cilicij nomine vtuntur

אסרי עיר שרק

dicia, totúmque hoc quasi animalis vnius corpus existit.

Antequam verò quidquam futurum enuntietur, vult omnia superiora, & inferiora vatem pensitare, cùm sæpius causæ superiores infernis aduersentur, vt in homine pars superior, & inferior, sic enim Rasis non vnicum in physiognominia, signum ait esse spectandum, sed omnia simul conferenda: vt dum contraria hinc inde reperta fuerint, plura simul, & certiora complectamur. Alioqui licet in cœlo venturæ pluuiæ signa videantur, sæpe tamen significatus euentus non contingit, cũ motus alius vehemẽtior euenit, inquit Arist. de sõno & vigilia.

Rasis.

Arist. Porphyrius

Origenes autem cum Porphyrio dicit hanc scientiam ablatam ab homine, concessam verò dæmonibus, non quidem omnibus, inquit Porphyrius de oraculis, sed æthereis; sæpe enim ait Deos mentiri, & futurorum quam habent scientiam, incertam esse; æthereis autem causarum cœlestium theoriam, aqueis causarum à nobis sumptarum, mediis vtrarumque tribuit. Hæc sunt quæ Magi, Astrologi, & Athei pro sua sententia afferũt, quæ propterea discutere libet, ne quis inde aberrandi sumat occasionem, quod nos ad terræ, cœlique creatorem euehere debet; & quidem summis creaturarum abusus esse videtur, vt cœlis hominum cogitationes subijciantur, quæ cœlos omnes, & angelos longissimis interuallis superant.

Aduerte autem nullos astrologos hanc astrorum significationem inuehere, nisi simul insaniæ, vel alicuius dæmonis œstro perciti sint, cùm nulla sit ratio cur id confingant. Omnes verò tam magos, quàm astrologos, imo & dæmones, totúmque infernum prouoco, vt per astra tanquam per signa mihi dicant, quid post annum hoc temporis momento, quo Dominica Quinquagesimæ anni 1622 hæc scribo, cogitaturus, aut facturus sim; imo quam post horam voluntatis operationem eliciturus sim. Sed & alio loco, Deo iuuante, demonstrabo nullum astrologum posse certò præsagire, quale tempus post mensem, an pluuiosum, an nimbosum, an serenum futurum sit nec ne. Quod etiam fortè nequit dæmon ob demõstrationem alibi declarandam. Nunc verò sufficiet, si probem astra non esse signa rerum futurarum; alia enim sæpe multis in locis agitanda recurrent.

Quod astra non sint signa rerum futurarum præsertim à nostra libertate pendentium, vel à solo Deo faciendarum, & quid in hac materia dici possit atque debeat.

Quædam notanda.

I. QVædam supponenda sunt, vt progrediamur. Primò me nulla lege teneri, vt huic obiectioni satisfaciam, cùm minimè sequatur Deum non esse, tametsi concedere velim astra esse signa rerũ omnium, imo & causas secundas, enimuero cum se ipsa non produxerint, semper ad aliquem recurrẽdum est, à quo vim significandi, vel etiam agendi habeant, quem Deũ appellabimus. Nihil est autem cui lege disputationis respondere debeam, nisi cõcludat, & aliquo modo Deum non esse, inferre videatur.

Quia tamen hanc suscepi quæstionem, non vt vincerem, sed vt Athei victores efficerẽtur, vt nimirum seipsos, atque proprias passiones, & errores superantes, ad Deũ redeant, & meritis onusti lauream in cœlo adipiscantur, ea propter huic obiectioni satisfaciam, ne quis scrupulus eos ab æterna salute diuertat.

2. 2. Licet hæc obiectio, & quæ in ea dicuntur, non ita directè concludant non esse Deum, attamen stolidi Athei sui erroris occasionem hinc arripiunt, qui sideribus ideo significationem illam, vel quod maius esse videtur, causalitatem tribuunt, ne in iis, quæ præter solitum in hoc mundo percipiuntur, ad Deum recurrere cogantur; quare sententia hæc nobis discutienda est.

3 3. Diligenter aduertendum est hanc opinionem non ita libertati præiudicare, quin ea stante liberum hominis arbitrium superesse possit; quod fusè probat Origenes in Genesim, quem Eusebius libro sexto de præparat. Euangel. capite nono laudat, & sequitur; & nunc breuiter ostendo: quia non mihi ratio maior esse videtur, cur astra etiamsi rerum omnium futurarum signa, & notæ fuerint, nostram libertatem præripiant, quã diuini numinis præsciẽtia, quæ tamen optimè stat cum libero tam angelorum, quàm hominum arbitrio, sicut & prophetiæ: quid enim magis astra in voluntatem nostram influent? Iam enim incommoda non vrgeo, quæ hanc sententiam sequi videri possint, sed eam ad radicem attingo. Statuamus enim astrorum varias dispositiones omnia significare non tantùm quæ homines, & angeli, sed & quæ Deus ipse facturus est; præterea legat vnusquisque in cœlo, quid vsque ad vitæ finem cogitaturus sit, an ideo cogitationes, an opera illa necessaria erunt? nusquam sanè, vt enim quispiam liberè post horam comesturus, aut hoc vel illud facturus est, tametsi Deus id antea ei reuelet, & ipse Deum asserentem audierit, *tu huic, aut illi cogitationi post horam assensurus es*, quod non minus liberè continget, quã si Deus nõ reuelasset, aut ille homo ignorasset, ita etiam eadem libertate vti poterit, etiam si in astris antea legisset, quod postea facturus est. Quod enim sciam hoc, aut illud me facturum, non minus id postea liberè faciam. Imo ferè semper nos ita gerimus, vt antea sciamus, quid mox facturi simus, dum antea faciendum aliquid decernimus, quod præsertim sapientibus contingit, qui præuident ea, quæ dicturi, facturi, vel cogitaturi sunt. Supponamus autem alicuius hominis prouidentiam certissimam, & penitus infallibilem esse, qui matutinis horis ita decernat: In prandio semel tantùm bibam, pane solo, & nu[illegible] contentus ero, nunquid ille liberè potabit? nunquid liberè à secundo calice, à iusculo, & cæteris, quæ ex hypothesi ad prandium more solito parata fuerant, abstinebit? Idemque de cæteris actionibus tam internis, quàm externis esto iudicium.

Orig. Euseb.

4. Suppono Deum id efficere potuisse, quid enim repugnat? an quia sunt corpora naturalia, inanimata, & necessariò agentia, nequeunt futura libera significare? nunquid in epistola scribis amico, quæ longè postea liberè facturus es? an igitur charta vti poteris, vt tuos conceptus, & futura explices, & Deus omnipotens illa pelle maxima, illo cœlorum libro vti non poterit, vt sua decreta, suam voluntatem, suam præscientiam, quibuscũque voluerit, aperiat? nunquid tuâ linguâ, & diuersis illius motibus quotidie mentem tuam,

R

& futura à te suscipienda familiaribus exponis? quid igitur vetare potest, quominus astris Deus vti possit, vt illis veluti lingua manifestet, quæ futura sunt? licet enim lingua sit pars corporis, in quam voluntatis imperium aliquam libertatis speciem transfundere videatur, attamen Deus non minus coniunctus est sideribus, vel non minus illis præsens adest, quàm voluntas linguæ, tametsi non sint illius partes, quandoquidem non magis pars à toto pendet, vt sit & dicatur pars, quàm sidera, vt existant: igitur Deus ita poterit sideribus vti, quemadmodum homines lingua, motu digitorum, calamo, & epistola vti solent. Nec mihi dixeris nõ esse constellationum, vel aspectuum diuersorum sufficientem numerum, vt Deus omnia futura per sidera repræsentare valeat, enimuero si 22, aut 24 alphabeti literę omnia quęcunque sunt, erunt fueruntue, repræsentare possint, nec plus sint in omnibus libris hactenus editis, vel imposterum edẽdis, quàm 24, aut 27, tametsi numerus librorum sit propemodũ infinitus, cur non stellę quę sunt ad minimũ 1022, vt constat ex globis cęlestibus, nouis quæ cum vario planetarũ occursu non tantùm 24 aspectus diuersos, sed innumeros efficere possunt, prout circulus in partes innumeras diuidi potest: quos occursus, & aspectus ad futura significanda Deum ordinare potuisse, non video cur aliquis in dubium reuocet. Quibus præmissis inquirendum superest, an reuera Deus voluerit, vt sidera quibusdam significarent, quid sit euenturum, vel saltem in eis velut in libro suam præscientiam, aut potiùs ea, quæ præscit, astris impresserit, atque inscripserit, hoc enim opus hic labor est. Itaque.

1. Cõclusio. Astra non esse signa futurorum.

Dico primò Deum reuera noluisse, vt sidera nobis futura illa, quæ ab eo solo, aut à libertate creata profectura sint, repræsentarent, aut vllo modo significarent. Ratio est, quia nihil est, quod nos cogat id asserere; neque id magnam afferret vtilitatem, vel enim homines ea cognoscerent, & in cœlis velut in libro saltem aliqui legere possent, vel soli Angeli, vel solus Deus, atqui videmus nullos mortalium ea futura legere, vt suo loco fusiùs probabitur: Angeli verò nullo corpore indigent, vt aliquid cognoscant, cùm organo non vtantur, sed speciebus tantùm intellectualibus. Denique ridiculum est asserere Deum cœlis indigere, in quibus legat, quæ præscit ab æterno. Quod verò nullus hominum in ijs futura libera cognoscere possit manifestum est ex eo, quòd si propter aliquos ea cœli repræsentent, maximè propter electos, sanctos, & iustos, verùm nullus est ex illis, qui se futura libera in sideribus legisse asserat: enimuero sumantur omnes sancti vtriúsque testamenti, quis illorum ea per coniunctionem astrorum se nouisse dicet? qui potius eos acriter increpauerunt, velut idololatras, ariolos, & superstitiosos, qui timebant à signis cœlorum. At sanctis in præsenti relictis, ad doctissimos quosque prouoco; ostendant Platonem, Aristotelem, Senecam, Tullium, & Hippocratem, Galenum, vel si fas est sanctissimos æquè ac doctissimos laudare, Athanasium, Basilium, Nazianzenum, Chrysostomum, Augustinum, Hieronymum, D. Thomam, & alios viros in omni scientiarum genere eruditissimos aliqua saltem futura vel per vmbram ex cœlorum aspectu, & astrorum aspectibus percepisse, id certè nunquam facient. Sed illos audio mussitantes, hos nempe quos citauimus, doctos quidem fuisse vel in Philosophia, vel in Medicina, vel in Theologia, sed Astrologiam ignorasse. Ergóne Deus illa signa, & scripturam illam tantùm in sideribus ob Astrologos collocauit? cur igitur tam paucos Astrologos esse voluit, aut permisit? nunquid omnibus, aut saltem maiori parti hominum conuenire, atque deseruire debet, quod in omnium vtilitatem, & commodum factum est? Siccine Theologi, & Philosophi, nec non sanctissimi viri à nescio quibus Astrologis sæpenumero vitam impiam agentibus superabuntur? Reuera hæc sententia facilè posset ad Atheismum incautos ducere, qui statim ex errore prauio concluderent non esse Deum, cùm soli Astrologi sæpiùs improbi ea futura cognoscere dicantur.

Quod verò maius incommodum illa significatio quàm commodum esset allatura, constat ex eo, quòd vel plures, vel pauci videlicet Astrologi soli ea vti possent: si omnes, vel plures, supponamus aliquam mulierem, vel idiotam aliquem ex aliqua coniunctione planetarum prænosse, quod aliquem post horam occisurus, vel sibi mortem illaturus sit; vbi id viderit, cogita paupercꝫli istius timorem, tremorem, pauorem, anxietatem, atque desperationem, adeout sit periculum ne demens fiat, & extra se factus, vel mortem sibi inferat, vel alteri, nescit enim desperatus quid faciat: tametsi enim non ideo cogatur aliquem occidere, quotus est, qui signum istud à cœlo demonstratum non existimabit libertati præiudicium inferre, & illud sibi faciendum, quod cœli futurum esse demonstrant? adde quod multis videretur Deum ipsa peccata desiderare, si ea per cœlos futura demonstrasset, & in sideribus, antequam contingant, exarasset.

Rursus in iis quæ Deus facit, admirabilem proportionem agnoscere solemus; sed inter corpora, & spiritualia, inter entia naturalia, & necessariò agentia quænam est proportio? Sanè libera spiritualia, quales sunt actiones nostræ liberè futuræ non debuerunt à re corporea necessariò agente repræsentari, ne speciem aliquam prærogatiuæ corpora præ animis habere dicerentur. Aliorum rationes nunc omitto, quia nihil mihi concludere videntur; falsum est enim quod Picus ait astra non posse esse signa rerum futurarum, nisi simul etiam causæ sint, quandoquidem potuit Deus ita concentum cælorum ordinare, vt pro summa eius potentia, scientia, & voluntate futura significarent, quemadmodum literæ nostræ significant, quę postea facturi sumus, quæ tamen non sunt causæ nostrorum futurorum. Hæc autem conclusio rectè confirmari potest ex omnium astrologorum obseruationibus, qui si semel ad veritatem fortuitò colliment, millies ab ea recedunt, & aberrant, licet omnia pro viribus diligenter obseruent. Sed obsecro quis Astrologis fidem adhibere voluerit, vbi hoc aut illud puero euenturum affirmant, hac aut illa morte obiturum, hoc aut illud periculum subiturum, habiturum inimicos, &c. cùm neque ipsas aëris tempestates, atque mutationes certò prædicere queant, licet ♄ & ♃ coitionem, & eorum cum stellis siue fixis, siue erraticis coniunctionem, luminum loca, solis regressum ad idem punctum, in quo duo illa ponderosa sidera ad vnguem coierunt cum congressibus aut deliquiis, vt cum Minerua loquar; siue solis ingressum in 4 cardines; quod signum Æquatoris, & Zodiaci ascendat; quales sint planetarum, aut stellarum radij, & occursus cum

10. Aut plura enumerantur, quæ necessaria sunt, vt pluuiæ & aliæ mutationes præsagiantur.

cum luminaribus iuxta longitudinem, aut in angulo, quæ sit pars horoscopantis coniunctionis: congressum errantium inter se, & cum luna: solis ingressum in signa 8. sphæræ, lunæ mãsionem: à quibus stellis tam aëris, quàm temporis certæ partes accipiantur: signa humida, qua planetarũ hora luna in certa signa ingrediatur: ventorum qualitates, regionũ varietates, lunæ cardines, solis per 12. vtriúsque solis loca cursus: inerrantium ortus, occasus, & cœli mediationes tam quæ supra, quàm quæ infra terram fiunt. fixarũ naturas, & earum ad solem habitudines, ecclypses tam præteritas, quàm futuras, stellarum habitudines ad singulos horizontes: quibus & cœlorum vniuersale schema, & si duo non sufficiant pro qualibet anni tempestate, nouum quotidie fabrica, vt 365 schemata tibi coram obuersentur: licet inquam hæc omnia Astrologi accuratè obseruarint, non tamen certò pluuiam, grãdinem, cometam, parelium, aut quid simile, hac aut illa hora, imo neque die, ne mense, vel anno dicam, præsagire poterunt: quod satis ex vulgo notis ephemeridibus annuis, quas barbari vocant Almanach, vnicuique patet, adeout iam in commune prouerbium abierit, tantũmodo omnia esse euertenda, & contrarium his omnibus dicendum, quæ astrologi prædixerunt in illis suis ephemeridibus, vt quis ad veritatem si non collimet, saltem non frequentiora mendacia pronuntiet.

Falsa dogmata astrologorum.

Quod sanè non miror, cũ falsis dogmatibus ferè semper innitantur, quale illud est, cum aiunt sequentium 20 annorum talem futuram esse generalem temporis dispositionẽ, qualis fuerit, cum ♄ & ♃ in aliqua parte Zodiaci coëunt; id enim experientia, sicut & ferè omnia quibus nituntur, falsa deprehendes, licet errones, & fixas, cum quibus tunc commiscentur, & loca 2. luminum accuratissimè notaueris: idem esto de cæteris dogmatibus iudicium, de quibus fortassis aliquando, vbi libros Apotelesmaticos Ptolomæi discutiemus, quod hactenus nemo, quòd sciam præstitit, vel etiam ausus est. Hæc verò nunc sufficere arbitror, vel nemo existimet ea, quæ obiiciunt Athei, à cœlis, & sideribus vel fieri, vel significari. Vnicam addo propositionem, vbi notauero Pici, & aliorum rationes tunc valere, vt probent sidera non esse signa rerum liberè præsertim futurarum, quando res cum solis Atheis agitur, enimuero cum isti Deum nullum admittant, nequeunt in eum illam astrorum significationem referre, & ideo si astra significent, ea quæ liberè facturi sumus, debent eorum causę cõstitui, nec enim puto, vllus ausit asserere nostrorũ actuum, vel aliorum futurorum effectus esse sidera: nec possunt ad aliquid cœlo superius recurrere, quod sit causa signorum, seu significationis istius, & signati, seu effectus futuri, cum nihil cœlus maius admittant.

Vtinam seriò contẽplarentur id nusquam à nobis intelligi posse, quomodo sidera significent ea, quæ futura sunt, statim enim faterentur ♈ verbi gratia, sub cuius eadem parte, eodemque temporis momento plures nascuntur, non posse varia significare, quæ ambobus euentura sunt, præsertim si gemelli fuerint, quos nempe ♈, & cætera cœli signa eodem modo respiciebãt. Vnicum eis subterfugium in prædictionibus Astrologorum adest, quomodo enim inquiunt illi potuerunt tot, & tam occulta futura prædicere, nisi ea in astris legerint? At præterquamquod mille mendacia pro vnica veritate reponunt, D. Augustinum legere possunt, qui l. 5. de Ciuit. Dei c. 7. docet id fieri occulto instinctu, & afflatu malorũ spirituum, quo etiam nescientes homines ad diuinandum instigantur, non autẽ horoscopi notati, & inspecti aliqua arte, quæ nulla est, siue pactum expressum, siue duntaxat implicitum cum illis astrologi contraxerint, siue cacodæmon illa futura per bonorum angelorum reuelationem, siue quia ipse ea facturus est, siue ea ex verbis, causis naturalibus, vel aliunde pro magna sagacitate, & subtilitate, qua pollet, conijciat: quæ postea statim in somnis, statim vigilantibus astrologis per verba in aëre formata, epistolam, vel alia signa externa manifestat, videatur D. August. 2. de Gen. ad lit. c. 17. Præterea fieri potest ex occulta numinis diuini prouidentia, vt nonnunquam Astrologi vera præsagiant, & nescientes instar Balaam proferãt, quæ cõsulẽtes vel pro meritis suis, vel ex abysso iudicij diuini audire oporteat; sic enim fatetur D. Aug. 2. de doctr. Christ. c. 12, & 23. Deum permittere, vt dæmones multa vera prænuntient vt nimia curiositate ducti seducantur in præcedẽtium flagitiorũ pœnã. Omitto quòd Astrologi ob animi sagaciã, & longã experientiã, non autẽ ex astrologia quædam præsagire valeant. Denique vbi quædam illi prædixerunt, si ea tristia sint, & plurimum detrimenti afferentia, ingens metus, si iucunda & vtilia, spes vehemẽs concipi solet, quibus effectus prænuntiatus facilè accersiri potest. Verùm de his aliâs; quibus præmissis.

D August.

Quibus modis dæmon vel astrologus eius ope futura prædicere possit.

D. August.

Dico 2 eum non esse statim hæreticum dicendũ, qui arbitratus fuerit in astris, velut in libro Deum omnia futura descripsisse, quandoquidem neque scriptura clarè contrarium asserit neque vlla Concilia hanc opinionem hæresim esse declararunt, neque id libertatem destruit, neque quidquam absurdum, & indignum numine diuino affirmat, cũ non sint defuturæ congruentiæ, cur Deus hanc significationem in sideribus collocarit, si reuera id efficere voluisset, vt fusiùs aliquando demonstrabitur. An verò hæc opinio temeraria, vel erronea, & periculosa, vel etiam scandalosa sit, non est quod hîc discutiamus, nam ad alias obiectiones properandum est. Quapropter nolo iam Alberti, Alliaci, Sirenij, Eusebij, Origenis, & aliorũ textus afferre, & de his autoribus ferre iudicium, qui hanc significationem sideribus tribuerunt; satis enim est, quod omnes fateantur nullum hominum ea legere posse, nisi quædam Deus reuelarit, qui sibi soli cognitionem illam, donec in hoc mũdo degimus, sicut & extremi iudicij diem reseruauit. Quicquid sit, omnino prima sententia, quæ est in omnium confesso, sequẽda est videlicet astra non esse signa rerum futurarum, cui nulla scripturæ loca repugnant, vt suo loco dicemus. D. autem August. non loquitur de cœlis, sed de corporibus hominum in innocentiæ statu consideratorum, vt patet ex ipsa textus lectione c. 21. l. 2. de Gen. contra Manich. Superest puer, quem vi naturæ nego loqui potuisse, tanto minus præsagire; quod si hoc acciderit, illud vel in dæmonis astutiam, vel in Dei prouidentiam referendum, qui iustis de causis licet occultis nonnunquam etiam inter gentiles miracula facit.

2. cõclusio.

Hoc discutiemus ad versic. 14. huiusce capitis.

D. August.

OBIECTIO XIV.

Sumitur ex animæ mortalitate, & dissoluitur.

1 Obiectio soluitur.

VT Athei in Epicureorum referendi gregem omnem de Deo timorem, eiúsque prouidentiam excuterent, satis esse factum existimauerunt, si tollerét animorum nostrorum immortalitatem: in quo dubio procul grauiter errauere, cùm diuinę prouidentiæ veritas non ab immortalitate pendeat animæ, quippequę ad omnes creaturas, etiā fluxas, & caducas extendatur; qui ne psittacorum instar loqui videantur, D. Pauli contextum tanquā fortissimum opponunt clypeum, dū ait non esse Deo curam de bobus; quod nullatenus corū atheismo patrocinatur, cùm id de simili cura sit intelligendū, quam de hominibus habet, eos prædestinando, vocando, iustificādo, atq; glorificando; tanta siquidē est erga nos Dei prouidentia, fauor, & amor, vt huius respectu ferè nulla esse videatur, quæ cætera rationis expertia conseruat: enimuero cùm omnes cōueniant in eam notionem, *propter quod vnūquodque tale, & illud magis*; si Dei prouidentia erga inanimata, plantas, & animalia sit ob prouidentiā, quæ respicit homines, quanto maior erit hæc quā illa? non quod in partes diuini numinis prouidentiā secare velim, cuius vna pars sit alterius causa; illa enim est simplicissimus actus, & ipsissim⁹ Deus, sed quod res diuinas nostrarum instar concipere, & explicare soleamus.

Itaque certissimū est independenter ab immortalitate animæ Deum esse, ac summè prouidentē, quod omnes istius mundi particulæ mirum in modum ostendūt, quæ iuxta suæ naturæ leges tā pulchro ordine, tanto tenore, tanta varietate ad vnionem redacta semper à 6. millibus annorum administrantur, vt nulla possit esse rationis vmbra, cur non inclamemus, *Quam magnificata sunt opera tua Domine virtutū, Deus meus, & rex meus magnificatus es vehementer*, quid si tollamus ad astra mentis acumen, ac singula, quæ radiant ibi miracula penitiori cogitatione perpendamus, vbi nullus adest fulgor siue stellaris, siue solaris, lunaris, aut planetarius, qui non apertè numen æternum astruat à quo tam arctis nexibus omnia præclarè vinciantur, ac ineffabile iustorum animis diapason resonent.

2. Obiectio & eius solutio.

Sed concipimur, nascimur, viuimus, & morimur vt bruta, igitur eiusdem est rationalis anima quā brutorum conditionis, & ordinis, præclarus cauillus, quis tibi concedat antecedens, nisi id de corpore duntaxat intelligas, quod cæterarum animantiū corporibus perquā simile esse sicut nemo denegat, ita nullus sanæ mentis dicere potest animam nostram à brutorum animabus non maximo distare interuallo, non tantùm ex eo, quòd ad vnum determinentur, vt videre est in auibus eadē semper ratione nidum construentibus, nos verò propter diuersas, quas in obiecto percipimus rationes ad hoc aut illud determinemur, prout tulerit voluntas, sed ob alias diuersas rationes, quas nuper ad animæ rationalis immortalitatem asserendam adduximus. At ipsi replicant, quæcunque sunt orta, necessum esse, vt occidant; sed hoc manifestè falsum est, quædam enim Deus fecit, vt angelos, cœlos, & animas hominum, quæ ex natura conseruari postulent in æterna sæcula, licet à Deo cætera per cessationem conseruatiui concursus in nihilū possint redigi, quæ non sunt ipse Deus, à quo tam quoad substantiam, quàm operationem omnia pendere certo certius est.

Obiectio Atheorum soluitur.

3. Obiectio & eius solutio.

Tertiam opponunt rationem quòd nullus vnquā à morte surrexerit, vt Atheos conuinceret, atque doceret; quasi verò mentiū nostrarū immortalitas ab eo, quem velles ad nos redire pendeat, forsitan tuis cæcutientibus oculis incorporeā animæ subtilitatem posses cernere? quid ita insolescis? dic mihi si quæ iam rediret anima, quæ tuorum oculorum obtusæ sese accommodans aciei corpus aliquod ex aëre, aut alia materia cōformaret, in quo verba faceret, ac Deum esse adhibito si lubet sacramento contestaretur, qui fecisset animas immortales beatitudinis, suppliciique æterni capaces, an existimas ei te fidem habiturū? falleris, Athee, falleris, enimuero veritas euangelij Luc. 16. te condemnat, tuiq; similis diues inferno positus, cui si bonis externis, ac fortunæ non es æqualis, eo fortè ditiorem in bonis internis teipsum esse putas, dum aduersus euidentissima naturæ, atque scripturæ sanctæ testimonia consurgens plura cæteris hominibus cōprehēdere & te suprà diuinum numen extollere niteris:

Quomodo homines fiant Athei.

Atheos enim in profundum cadere tunc existimo, cùm plus nimio sibi, suæque cognitioni fidentes, solis ęterni radios, & diuinarum perfectionū abyssum intelligere propria virtute conantur, quibus obcæcati tenebris plusquā cimmeriis inuoluūtur, sed alibi diuersas causas Atheismi attuli, præclarum verò scripturæ locum audiamus, in quo hæc diues in inferno positus ait. *Rogo te pater Abraham, vt mittas eū in domū patris mei, habeo enim quinq; fratres, vt testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum, & ait illi Abraham, habent Moysem, & Prophetas, audiāt illos. At ille, non pater Abrahā, sed si quis ex mortuis ierit, pœnitētiā agēt: ait autē illi, si Moysē, & Prophetas non audiūt, neq; si quis ex mortuis surrexerit, credent.* Cautè verò legēdū est, quod hîc Vaninus addit exercit. 28. ideo nō esse opus, quòd Deus Atheos reprobos non curet, quos ipse diuinus figulus in vas formauit contumeliæ ad Rom. 8, prædestinatos autem sine nouis miraculis animæ immortalitatē credere, enimuero potest fieri, vt qui iam Atheus est, & quoad præsentem iustitiam de libro vitæ deletus, resipiscat, fitque prædestinatus: ac proinde posset quis non credere immortalitatē animæ, qui tamen vbi reuertetur ad cor, etiam si per animæ apparitionem, saluabitur, si in Dei gratia eum decedere contingat.

Lucæ 16.

Ad Rom. I.

4 Obiectio soluitur.

Sed iam ad authoritatem doctorum virorum accedamus, quos cùm alibi retulerim, non est, quòd hîc cathenam Chaldæorum, Ægyptiorum, Indorum, Gallorum, seu Druidarum, Pythagoricorum, ac Platonicorum cum cæteris attexam, cùm tamen pro vno negante mille sint qui immortalitatem animæ astruant; nec certè hominis nomine dignos existimem, qui id pernegant. Ecquis autem Cardano suggessit viros sapientes vitam epicuream ducere, nisi philosophia proficiant? l. 12. de subtil. c. de natura hominis; *qui cùm calidissimi sint*, inquit, *atque natura humidissimi, nisi*

Cardani errores.

nisi philosophia proficiant, pessimi omnium sunt; calore euadunt crudeles, dolosi, inconstantes, & iracũdi: humido verò enerues, delitiarum amatores, gulosi, & libidinosi, adiuuat ad hæc perpetranda industria, quàm ex studiis acquisierunt, & melancholia, quæ resoluto humore pinguiori gignitur ex superfluis studiis, atq; vigiliis. Vbi quid ea, quæ hîc à Vanino respondetur, non video quid prosint, nec enim Leonis respectu loquitur Cardanus de calore hominis, sed facta inter homines comparatione, licet enim leoninum cor, iecur aquilinum, struthij ventriculus, cerebrum asserinum, Pardi neruus, ossa Pantherarum, & tota gallina homine calidior esset, veruex autem humidior, ac piscium cerebrum hominis cerebro humidius, quid tum? cũ de solis hominibus sermo sit. Itaque negandum est sapientes esse calidissimos, & humidissimos, cùm verò sit longè similius eos ad sapientiam aptissimos, in quibus omnes humores perfectiùs, & velut ad iustitiam disponũtur: quòd si gratis prædictam sapientibus temperiem concesserimus, quomodo peruersi erũt cùm thesis destruat hypothesim? nã si sapiẽtes, igitur boni, nec recto rationis dictamine, aut diuina lege deflectunt, cũ ea sit sola stultitia vituperij digna, quę Deum fontem aquarum viuarum creaturæ postponit; seipsum ergo Cardanus verbis suis inuoluit.

An viri sapientes vitam Epicureã ducant.

Intentio Cardani.

Video tamen quid intendat, nempe vt cum Galeno temperaturã corporis constituat vnicã actionum, morumque hominis causam, quod est falsissimum, vt suo loco ostendetur; nec tamen ex hoc posito fundamento bene Cardanus suas cõclusiones eruit nec certũ enim est irã à calore procreari, inquit Cęsar, cùm sit iracundus canis, qui tamen frigidus, itaut frigore citò contremiscat, ac libẽter apricetur; quapropter vbi caloris æstum perferre nequit, citiùs quàm reliqua animalia ad vmbram perfugit, & vbi paulisper refrixit, ad solares radios accedit festinantiùs etiam in ipso solstitio, cui siccitas est in causa, cur citò consenescat, fiat melancholicus, & rabiei facilè obnoxius: In lepore plus caloris inesse vult, quia plus est in eo sanguinis, quàm in crabrone, qui tamen ad iram promptior est, & intensior, sicut & aries, licet lepore frigidior, crudelitas etiam non à calore, sed potius à siccitate proficiscitur, alioquin homo cùm à Cardano ponatur calidissimus, esset Thynne, in fœtus suos desæuiente, eosque laniante crudelior, hippopotamo patrem interficiente, matremque in ortu suo constuprante truculentior; quod si quisque calidissimus crudelitate terreat, an frigidissimus erit placidissimus atque piissimus? itaque ciconiam esse frigidissimam necesse est, quod à veritate alienum esse clamabunt, qui rerum proprietates accuratiùs rimantur, cùm serpentes viuos integros in prolobum demissos concoquat.

Quis sit iracundus?

Canis frigidi, sicciq; temperamentum.

A quo temperamento proficiscatur crudelitas.

Thynnis crudelitas, & hippopotami

Ciconia an frigida?

Quoad dolum attinet potiùs à frigore nascitur, cùm impetu feruor agat, & in fraudulento nescio quid frigoris & dissimulationis residere percipimus, dum cunctatur, captatque occasionem, aut ex insidiis adoriens, aut è specula imminens: Nec est verũ à calore, & humido libidinem venereã, & gulam enasci, vt patet in equis, canibus, passeribusq;, quibus insatiabilis quædã ad ingluuiem inest voracitas, & præceps, ac inflammatus furor; quæ tamen animalia, quis medicorũ calidissima, & humidissima esse censeat? Dubio procul eos præ cæteris minus esurire puto, quibus hoc tẽperamẽtũ adest, cũ neq; calidissimi sit, humidissimũ appetere, siquidẽ hęc tẽperatura sanguinea est omnium optima; at natura bene compacta paucis contenta est. Neque melãcholia sapiẽtum peruersitatẽ auget, quin potiùs, si iam ex calore, & humido adeat, eam remittit, & ad morum, simul & humorum temperiẽ reducit; est enim succus melancholicus frigidus & siccus, alioqui dicendi essent calidissimi, & humidissimi, qui frigidissimi, & siccissimi.

A quo temperamento dolus, & libido venerea.

De melancholia.

Festiuè admodum obiicitur Cardano, quòd à se ipso desumpserit ad cæteros argumentũ, sapiens enim videri, & audire voluit, cũ se omnibus coopertũ sciret flagitiis, vt patet ex eius genitura quæ 8. est in ordine; *Cum Mercurius*, inquit, *in lacteo circulo positus sit, & cùm stellula ex natura propria, & Veneris in signo humano, & retrogradus, ingenium optimum, & profundissimum, tardum tamen, & turbidum præstant, & conuersationem gratam. Radij quoque Trigoni Saturni cum stellis illustribus positi, retrogradique memoriam profundam, stabilem, sed fallacẽ. Venus est loci Lunæ, & Mercurij domina, & Mercurio multum, Saturno mediocriter commixta; facit igitur in diem viuentem, nugacem, religionis contemptorem, iniuria illata memorem, inuidum, tristem, insidiatorem, proditorem, magum, incantatorem, frequentibus calamitatibus obnoxium, suorum osorem, turpi libidini deditum, zelotypum, lasciuum, obscœnum, maledicum, varium, ancipitem, impurum, & dolis mulierum obnoxium, calumniatorem, &c. Rursus, Venus Saturno commiscetur, atque Mercurio Saturnus in Mercurij, & proprijs dignitatibus est. Vnde venereorum assiduam cogitationem præstat, vt nunquam quiescam. Cogitatio venereorum perpetuò me torsit, & quod facto implere non licuit, aut fecisse potentem puduit, cogitatione assidua mentitus sum voluptatem.*

Cardani genitura, atque mores.

Miror sanè quomodo tam perfrictæ frontis fuerit vt se tantis sceleribus inuolutum dicere audeat, ecquis enim imposterum lectionem eorum, quos conscripsit, librorum amabit? ne fortè hominis tã impudentis & impudici sordes, ac impietatem cõtrahat; ô mira hominis cæcitas, vt sic famam suã & æstimationem, qua nihil carius est, prodigat, vt tam fœdum stellarum mancipium sese constituat, vt se ratione, quia libertate, spoliet; vbi eius sapientia quam philosophia matre se peperisse ait? quid insane facis? quid intendis, quid cogitas? quænã est tua ratio? quæ manus? calamus? oculi? tam obduratam frontem quis vnquam inuenit? ergone Deus Opt. Max. stellas in potestatem diei creauit, tuæ vt libertati possent officere? an tu malus esse vis, & omni impietatis genere cõspurcari, quia Deus bonus est, omniumque bonitatum abyssus? quanam hora, quóue momẽto radios Veneris infensos percepisti? qua parte tuam animam sceleribus, corpus rebellione, cæterásque partes nefanda titillatione commaculauit? O virum præclarum, qui suggestiunculis carnis, nedum semel, vt ipse innuere videtur in sua genitura, non quidem non potuit, sed reuera noluit, cùm tenellæ virgines, vtriúsque sexus, omnis ætatis, & conditionis viri non tantùm hisce motiunculis obscœnis, sed & quibuscumque tortoribus, ac tormentis intrepidè restiterunt; ô mẽtem non fœmininam & immasculatam, sed belluinam, quæ neque solo, neque salo digna est. Verùm ad propositũ redeo, ipse enim non est amplius inter viuos, sed mortuos, non modo corpore, sed (non dicam vereor, quia firmissimè credo) inter mortuos ac vita spirituali priuatos, vt tantæ insolentiæ supplicia debita, nunquam terminanda volens nolens persoluat: nisi fortè resipuerit, & seriam egerit de tantis sceleribus pœnitentiam.

Exagitatur Cardani impudentia.

Arguitur Vaninus.

Non est autem prætereundus Cæsar, qui se non ita bene Cæsarem appellari censeret, nisi de theologicis veritatibus non solum iudicaret, sed omnibus scholasticis veluti parum gnaris præripe-ret sententiam, atque victoriam; qui postquam negauit sequi mortalem esse animam, licet effrænata peccandi libidine ferrentur sapientes, addit, tunc errorem semiepicureorum non in intellectu sed in voluntate esse, cùm in vitia prosiliunt, quia, inquit, error est scholasticorum, dicere voluntaté esse cæcam, si enim cæca, qui propositionem intellectus sequi poterit? nec enim potest quicquam videre, cæca cùm sit, & omnino ad videndum impotens; quod quia ad quæstionem de libero arbitrio contra Stoicos reijcit, ibidem eius rationes perpendemus & excutiemus: satis est, si hîc animaduertamus Iulium de intellectu, & voluntate loqui, ac si essent duo supposita, aut res seiunctæ cùm tamen eiusdem sint animæ, cui tam intimæ sunt duæ istæ facultates, vt non desint, qui eas cum anima faciant idem, vt anima qua respicit verum, intellectus, qua bonum, voluntas esse dicatur; sanè rem omni stupore dignam existimo, quî fieri possit, vt tanta sit intellectus, & voluntatis sympathia, & velut identitas, vt facis instar huic ille præeat, quæ tamen eius lucem non sequitur, nisi velit, & prout, vult, diuertit huc, & illuc, etiam contra directionem intellectus, sed de his, vbi suprà remisimus.

Audax Vaninus.

Volũtatem cæcam esse.

Mirabilis connexio voluntatis & intellectus.

Augustinus Niphus.

Anton. Mirandula.

Huc referre nolo stramineas Pomponatij rationes, quibus animæ immortalitalitatem euertere nititur, tum quia id Niphus lib. de immortalitate animæ, & Antonius Mirandula libris plurimis de euersione singularis certaminis à lib. 21. vsque ad 30. fecerunt, tum quia ex professo aduersus eũ agetur, vbi latiùs animæ immortalitas propugnabitur. Licet verò Pomponatistæ, & Athei lapidé omnem moueant nunquam infirmabũt rationes, quas ipsa natura, seu ratio nobis suggerit, vt ostendat animi immortalitatem, quomodo enim ipsa cóciperetur æternitas, & immortalitas, nisi ab immortali potentia? quomodo rerum immortalium cogitatione, atque desiderio teneretur, & aleretur, nisi ipsa foret immortalis? siquidé vnũquodq; sibi conueniens alimentum, sibi quærit. Neque est quod impiè mentiantur Athei hanc immortalitatem, & quæcunque de ea referuntur esse fabulosa, & conficta, & à quibusdam legislatoribus inuenta, enimuero quis illis legislatoribus suggessit immortalitatem? Ad primum te prouoco, vnde hanc habuit de æternitate animi sententiam, vel cogitationem? nunquid ab ipsa animi natura, quæ corporis angustiis ita nequit includi, quin aliquãdo respiret, ac velut ex carcere domina temporis euolet.

Apage sis naturæ monstrum, quod ita potiorem hominis partem deprimis, vt præ belluis nihil habeat. Profectò iustè fecerit, qui Atheos inter pecora retulerit, cùm super ea se nolint erigere: quibuscum si pro summa iustitia Deus ageret, non solũ corpus flammis vrendũ traderetur, sed ipse animus redigeretur in nihilũ: sed quia pessimi illi cuperent illud ne pœnis vllis post obitum afficerentur diuina iustitia eos ignibus æternis reseruari voluit, vt qui noluerunt admittere animi immortalitaté, dũ in hac vita degerent, & omnibus rationibus, atque naturæ, seu Dei instinctibus se surdos præbuerunt, flammarũ æternitate coacti, & ipsam animi sentiant immortalitatem, & eam volentes nolentes fateantur.

Reuera nescio quî fieri possit, vt nonnulli homines ita obrutescant, si pro nouis naturæ portentis noua vocabula fingere licet, & ita belluinum animũ induant, cũ nihil sit in toto mundo, quod eos ad immortalitaté animi non prouocet, & ab eius reuocet immortalitate. Nec arbitror vllum hominem tantilla rationis facula vtentem in hanc erroris abyssum posse cadere. Vbi tamen iusta Dei iudicia summa admiratione suspicio, qui impios illos ob peccata præcedétia cæcitate adeò horribili capi permittit, vt neq; Deũ, neq; animũ, neq; quidquã aliud esse putét. Quos nisi Deus ipse pro summa benignitate, atque misericordia ex illis cimmeriis tenebris eruat, quis illud ausit suscipere, quis perficere valeat? Itaque summis votis Deum Opt. Max. rogo, vt quosdã sui luminis radios tenebrosis illis animis ita accõmodet, vt ad veritatis lucem redeãt, & fœdis agnitis erroribus, quibus obcœcati mancipabãtur, Deo summas reddãt gratias, qui tãta clementia tenebras ex eorum mente depulerit.

OBIECTIO XV.

Sumitur ex eo quòd Deus nec prouideat singularibus, nec ea cognoscat, quæ Peripateticis tribuitur.

Athei rei omnibus, & rationibus vtuntur, vt diuinam naturam pro viribus euertant, hinc fit, vt tam prouidentiam, quàm scientiam destruere nitantur, enimuero, inquiunt, quomodo, vel qua ratione Deũ admittere possumus, nisi rebus omnibus etiam in particulari spectatis prouideat? quomodo prouidebit illis, nisi ea cognoscat, quãdoquidem ipso D. Thoma docente 1. p. q. 22. art. 1. post Boëtium 4. de consol. prosa 6. *prouidentia est ratio ordinis rerum in finem, in Deo existens.* Quod aut eam minimè singularia cognoscat Aristoteles testis esse videtur, dum ait metaph. 12. c. 9. melius esse Deum quædam nõ videre. Adde quod Chalcidius in Timæum Platonis eum ad Epicureismum trahere nitatur, ac si voluerit Aristoteles diuinam prouidentiam sola cœlestia, & non sublunaria curare, adeout ipse Deus non possit in hæc inferiora quidquam agere nisi mediantibus cœlis, vt ex 8 physic. 2. de cœlo, & 2. metaph. elicitur. Hæ sunt argutæ rationes, quibus suas ineptias Athei fulciunt. Vbi duo mihi præstanda sunt. Primò demonstrandum est Deum omnia quantumuis minima sublunaria cognoscere, 2 ijsdem omni momento prouidere, ne vel leuis occasio supersit Atheis, quominus Deum Opt. Max. amplectantur, atque venerentur.

Boëtius.

Aristot.

Chalcidius.

1. Probanda.

Sunt autem qui velint philosophum de primario obiecto locutum fuisse, sicque Deum non cognoscere sublunaria, quia non sunt primarium diuinæ cognitionis obiectum, quo sensu Thomas Argentorat.

Argentorat. Aristot. à contradictione tuetur, & D. Aug. l. 83. quæst. in Gen. locutum fuisse putant, quando dixit nihil extra se Deum intelligere, vel intueri; alioquin enim fatentur Deum sublunaria perfectè cognoscere, prout sunt obiecta secundaria, idque in Verbo, vt loquitur D. August. 6. de Trin. Quam solutionem Vaninus si non omnino repudiat, saltem asserit non satisfacere Aristoteli, quem ait loco cit. velle primam mentem aliqua non cognoscere, vnde existimat ibi philosophū non de Deo, sed de intelligentia primæ sphæræ locutum fuisse, sicque ait aduersariorum argumentum collabascere.

D August.

In quo egregiè falli non dubito, quandoquidem satis constat Aristotelem à c. 6. l. 12 met. vsque ad finem de Deo agere: vnde statim initio c. 6. habet. cùm verò tres sint substantiæ, duæ quidem naturales, μία δὲ ἀκίνητος, περὶ ταύτης λεκτέον, ὅτι ἀνάγκη εἶναι ἀΐδιόν τινα οὐσίαν, ἀκίνητον. i. vna verò immobilis, de hac est dicendū, quod necesse est perpetuam aliquā, & immobilem substantiam esse, quam postea ait cætera mouere, vt summum intelligibile, & summū appetibile. Vt verò ad locum nobis obiectum accedamus, ita habet. ἐπεὶ καὶ μὴ ὁρᾶν ἔνια, κρεῖττον ἢ ὁρᾶν, οὐκ ἂν εἴη τὸ ἄριστον ἡ νόησις. i. etenim non videre quedam, melius quàm videre, alioquin intellectio non erit quod optimum. Vtinam Athei philosophum hîc attentè perlegerent, non enim solùm admitterent illud intelligibile, cuius intellectio, & intelligere est ipsa eius substantia, sed præterea vnicum esse faterentur, cùm enim entia οὐ βούλεται πολιτεύεσθαι κακῶς, non est bonum pluralitas principatuū, vt ex Iliad. 8, duodecimum librum concludit. οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος. Licet non diffitear eum in quibusdam errasse, vt cùm motum localem primi mobilis ab æterno necessarium fuisse ait, deinde necessarias esse totidem intelligentias, quot sunt diuersi motus cœlorum, vel sphœræ cœlestes variæ, ac si tantùm intelligentiæ creatæ fuissent, vt illorum motuum fines, quasi verò Deus illas ad suam maiorem gloriam, & mundi perfectionem, hominumque vtilitatem non produxerit: at mirum non est, si philosophorum oculi ad tantam numinis diuini lucem, velut noctuæ oculi ad solem sese habuerunt, adeout ipsum Deum, necessariò agentem, & ipsam necessitatem dixerint, cùm oculis fidei destituti fuerint.

Aristot.

Homerus.

Aristotelis errores.

Aristoteles verò putauit aliquorum, vt rerum vilium cognitionem Deo denegandam esse, ne forte diuinus intellectus his inficeretur, vel perficeretur. Vbi licet sanctum interpretem audire, quem facilè quispiam Auerroi, Alexandro, Themistio, Simplicio cæterisque anteponet, enimuero tam doctè, tam solidè, tam acutè, & fœliciter D. Thomas textum philosophi interpretatus est, vt iure dubitare possimus, an ipse Aristot. se ita bene explicasset. Hæc igitur loco cit. docet. *Cum igitur ipsum sit nobilissimum, & potentissimum, necesse est, quod intelligat seipsum, & quod in eo sit idem intellectus, & intellectum. Considerandum est autem, quod philosophus intendit ostendere, quod Deus non intelligit aliud, sed seipsum, inquantum intellectum est perfectio intelligentis, & eius quod est intelligere. Manifestum est autem, quod nihil aliud sic potest intelligi à Deo, quod sit perfectio intellectus eius. Nec tamen sequitur, quod omnia alia à se sint ei ignota: Nam intelligendo se, intelligit omnia alia. Quod sic patet. Cum enim ipse sit ipsum suum intelligere, ipsum autem est dignissimum, & potentissimum, Perfectissimè ergo intelligit ipsum. Quanto autem perfectius aliquod principium intelligitur, tanto magis intelligitur in eo effectus eius, nam principiata continentur in virtute principij. Cum igitur à primo principio, quod est Deus, dependeat cœlum, & tota natura, vt dictum est, patet quod Deus cognoscendo seipsum omnia cognoscit: nec vilitas alicuius rei intellectæ derogat dignitati. Non enim intelligere actu aliquod indignissimum est fugiendum, nisi inquātum intellectus in eo sistit: & dum illud actu intelligit, retrahitur à dignioribus intelligendis. Si enim intelligendo aliquod dignissimum etiam vilia intelligantur, vilitas intellectorum intelligentiæ nobilitatem non tollit. Hactenus is, quem solùm ex veteribus commentatoris nomine dignissimum arbitror.*

D. Thomas præstantissimus Aristotelis interpretes.

Quibus addo Deum omnia præsentia, imo & futura, & possibilia perfectissimè cognoscere vi suæ essentiæ infinitæ, quæ cùm sit rerum omnium repræsentatiua idea, exemplar, & productrix, quis inficias ibit? Deum omnia cognoscere.

Quis negabit eum omnia quæcumque sunt clarissimè perspicere, quæ per modum sustentationis internè quasi sustinet, ne in centrum sui nihili recidant; per modum suspensionis, quia ex abysso nihili sursum versus seipsum ad esse, & certam speciem illa trahit, & illuc perducta veluti suspensa tenet, ne recidant in abyssum; per modum influxus, quandoquidem eis esse naturæ continuò subministrat: denique per modum connexionis, & constrictionis, ne si partibus suis non connecterentur, diffluerent. Nemini verò difficile videbitur, quomodo Deus omnia, etiam vilissima quæque cognoscat, si cogitet eum esse in omni genere infinitum, adeout nihil sit, aut esse possit, quod non penetret. Quod vt Athei facilius concipiant, speculum, & centrum affero. An speculum ideo ignobilius efficitur, quod obiecta viliora referat? Opponatur obsecro pulcherrima hominis pulcherrimi facies, sol, aut si quid in orbe toto pulchrius est speculo, num istud præstantius æstimari debeat, quàm si rem totius mundi sordidissimam repræsentaret? nusquam sanè, quia nihil perfectionis aut imperfectionis ab obiecto suscipit: cùm igitur Deus omni speculo sit tersior, & res omnes perfectiùs in infinitum referat, quis vel imperfectionis vmbram ei affinget, ex eo quòd minima quæque cognoscat? Ad centrum aspice & omnia circunferentiæ puncta diligenti intuitu perlustra, nunquid omnibus cētrum vnicum correspondet, nunquid omnes partes circunferentiæ ad illud collimant, & velut ab eo dependent? Ita Deus omnia tam præterita, quàm præsentia, & futura respicit, & omnia ad eum velut ad finem, & exemplar collimant, atque ab eo rerum omniū principio dependent, nec tamen vllatenus mutatur earum cognitione, sicuti nec amore, vel productione.

Deus omnia quadrupliciter conseruat.

Quomodo De' omnia sine mutatione cognoscat.

Quæ omnia vt distinctè pro animi concipias imbecillitate, quædam signa rationis constitui debent, in quorum primo Deus esse concipiatur, in 2 potens producere creaturas, in 3 potens se cognoscere, & reuera se cognoscens, vt causam physicam earum, & per consequens eas in se cognoscens, vt effectus in causa physica: in quarto potens est producere non tantùm vt agens physicum, sed etiam agens per intellectum. Adde si vis 5, in quo dirigitur in earum productione per scientiam, quam habet de ipsis, & 6, in quo eas actu producit.

6 signa rationis in Deo.

Ex quibus satis superque constat Deum ita co-

gnoscere, quicquid est in mundo, quicquid fuit aut futurum scientia visionis intuitiua, vt tamen nusquam inde perficiatur, aut inficiatur. Hîc autem non est quòd inuestigemus per quid formaliter, & in quo attributo tam præsentia, quàm futura videat, hoc enim negotium theologis relinquo, qui aiunt Deum futura contingentia in decreto suo libero de futuris, siue ea solus facturus sit, siue nos eo simus cooperaturi, clarè perspicere.

Deum omnibus prouidere.

Aliud quod dissoluendum habemus, diuinam prouidentiam impugnat, vel ipsam omnipotentiam; volunt enim Deum in his inferioribus posse nihil nisi mediante corpore cœlesti, quasi verò dependeat ab aliquo, vt quicquid voluerit, efficiat. Si produxit intelligentias, quæ cœlos mouere possint, quanto magis eosdem per seipsum ciere poterit? nunquid omnibus intelligentiis virtute præpollet? nunquid propter quod vnumquodque tale, & illud magis? nunquid causa potior effectu? O perfidas atque fatuas hominum cogitationes! Ergo ne putant Athei cum Auerroë Deum necessario produxisse primam intelligentiam, quæ seipsam vt est in potentia cognoscendo cœlestem primi mobilis orbem, se verò prout est in actu intelligendo cœli istius animam, denique ipsum Deum intelligendo secundam intelligentiam, & ita secunda tertia, tertia quartam, & sic deinceps produxerit? Apage huiusceemodi nugas: nec enim Deus vllam intelligentiam, motum aut corpus necessariò creauit; sed omnia liberè, quæ prout voluerit, vel per seipsum immediatè, vel quibusdam creaturis mediantibus: ea regere potest, ita tamen, vt non magis laboret, aut inquinetur, quàm cùm eadem produxit, quàm radij solares tam luto, quàm auro inhærentes, quàm speculum vile quidpiam, aut pretiosissimum referens.

Auerrois error.

Obiectiones Atheorum dissoluuntur.

Vnde nullam vim habent Atheorum obiectiones, qui aiunt Deum in hæc inferiora agere non posse, nisi mutetur, putant enim in effectu nouitatem esse non posse, nisi fuerit in causa, cum idem remanens idem semper faciat idem; quos ignis docere potest, qui cùm sit idem sine vlla sui nouitate, vel mutatione statim aliquid calefacit, mox non calefacit; quid enim noui contingit in igne ex eo quod manum calefaciat, in qua nullum antea calorem producebat? finge tibi cẽtrum, circa quod alicuius circuli sola media circunferentia ducta fuerit, an postea mutabitur, vbi partem aliam nouam respexerit, vbi totus circulus perfectus fuerit? an ideo mutatur speculum, quod noui aliquid repræsentet? Adde quod nullam realem immutationem columnæ patiantur, siue tibi dextræ, siue sinistræ fuerint, semper enim immobiles stant, dum tu moueris, qua ratione Deus est immobilis, & immutabilis licet omnia moueat. Et quidem non concipio, quî fieri possit, vt Athei fateantur Deum produxisse cœlum primum cum sua intelligentia, neque tamen noui quidquam accepisse, nisi similiter admittant horum sublunarium productionem, & conseruationem in Deo nullam mutationem astruere; quid enim aliud in rerum inferiorum regimine fingere possunt, nisi quod Deus antea non illas regebat, quia nondum erant, nunc verò quia sunt, illas regit: quod etiam in orbis primi, primæque intelligentiæ productione, atque regimine contingit, nunquid enim Deus erat, antequam cœlum illud, vel intelligentiam produceret? necdum tamen illam producebat, igitur peræquè mutari debuit, ac si vile quidpiam creauisset, quod quidem falsissimum est, cùm Deus sit prorsus immutabilis; enimuero cùm sit æternus, quoad existentiam incipere, vel desinere nequit: cum sit immensus, & omnipræsens locum mutare non potest; nullum in eo potest esse accidens, quia simplicissimus est; falli nequit, cum omnia certissimè cognoscat: voluntatem, seu decretum suum mutare nequit, cum omnia sapientissimè decreuerit, quæcunque decreuit: nihil quoque de nouo decernit, vult, amat, odit, sed ab æterno singula decreuit, adeout nihil sit futurum, nihil sit permissurum, nihil possit velle, aut non velle, probare, vel improbare, nisi quod iam ab æterno (liberè tamen) futurum voluit, aut non voluit, licet enim Deus à nobis prius concipiatur, vt nõdum determinatus, vel decernẽs hoc & illud, attamen nullum est instans temporis, in quo fuerit indeterminatus, sed illis conceptibus rationis, & vt vocant naturæ signis vtimur, vt aliqua ratione diuini numinis immensitatem, libertatemque concipiamus.

Ex 6 capitibus Deus immutabilis est.

Quæ imaginaria instantia non sufficiunt, vt res in priore sit sub vno contradictorio, in posteriore verò sub alio; Hinc theologi fatentur nos per huiuscemodi instantia tantum concipere ordinem causæ, & effectus, & dependentiam inter ea, quæ Deus ab æterno vult, aut intelligit; nec enim posterius instans prius excludit, sed simul tempore insunt, vt in Deo nullum sit prius in quo, sed tantum à quo: siquidem nullum instans siue in tempore, siue ab æterno in Deo assignari potest, in quo fuerit nondum volens, seu indeterminatus. O ineffabilem diuini numinis voluntatem, quantum nostros conceptus superas? Veruntamen si velit quispiam Dei infinitatem supponere, facilè hanc immutabilitatem intelliget, sicut enim vnico volitionis actu omnia velle, & facere possemus, si volitio nostra omnipotens, & infinita esset, idque sine vlla mutatione, ita de Deo cogitandum est, cum sit omnipotens, & infinitus.

Signa rationis cur inuenta.

Ex dictis constat errores illos Auerrois, Cardani, & aliorum refellendos, qui vel singularium corruptibilium prouidentiam Deo denegarunt, vel solam prouidentiam eorum in vniuersali dũtaxat spectatorum tribuerũt, vt Auerr. 12 met. com. 37. & l. de somno, & vig. Alexandrum, & Themistium secutus, tametsi eandem prouidẽtiam circa hæc inferiora prius agnouisset pluribus locis, in quibus vult idem esse primam formam, primum agẽs, & primũ finẽ, vt 2 phys. com. 73. 12 met. com. 8. 15. 36. 41. 51. & 52. & 2 de gener. com. 51. Cui fauere videtur Cardan. 12 de subtil. c. de hominis necessitate, quia nulla signa, prodigia visuntur in priuatorum hominum interitu, sed in morte regum cometæ apparent, adeout existimet solos reges à superis cognosci, alios vero priuatos minimè, nisi quatenus sub ipsis regibus continentur: quæ in illius sequentibus verbis facilè deprehendes. *At verò per se longèque melius nota esse regna, & populos, tum reges ac sapientes, quàm prauos, & priuatos, ac ignobiles, nunc docere aggredior. Totum humanum genus cognitum est, & tota etiam terra, quæ habitari potest, vtque illius prouincia qualibet pars quædam est certa, vt centesima, ac millesima, ita etiam mortales, qui in ea degunt cogniti sunt, vt totius humani generis certa quædam pars est, at verò reges ipsi, & exercitus, & sapientes causæ sunt horum, & vt prouinciæ vel pereãt, vel diuturna floreant fœlicitate: itaque & causas has non simpliciter quidem, sed vt ad prouincias, regna, ac ciuitates comparantur, notas esse oportet. Quamobrem nota hæc*

Auerroës arguitur.

Cardani errores.

hac sunt, & signa ac prodigia in horum interitu, ac ortu fieri consueuerunt. Vbi de custodientibus intelligentiis, non de Deo loquitur: cuius errores si recensere, & refellere velim, quos in hoc vnico de necessitate hominis capite totum librum 12 explente habet, volumen iustum necessarium erit. Sed nunc sufficiet, si ea discutiamus, quæ ad prouidentiam, & scientiam attinent. De reliquis interim vide Scaligerum ab exercit. 250 vsque ad exercit 269.

Itaque Cardanus grauiter errat, dum existimat regna, aut reges melius cognosci, quàm cæteros homines, quandoquidem sunt ex æquo intelligibiles: scio quidem regem alio modo cognosci, quàm aliquem hominem priuatum, quia ille vt homo, & vt rex cognoscitur, at non minus aliquis bibliopola vel à Deo vel ab intelligentiis, & vt homo, & vt bibliopola cognoscitur, quàm ipse rex. Nec est quod aliquis Auerr. 7 met. com. 35. 1. phys. c. 49. 1 poster. c. 40. 2 de anima c. 60. 3. de anima c. 5. t. 2. nobis obtrudat, qui ne cogeretur intellectum ponere singularem, & incommunicabilem, singularium cognitionem ei denegauit: vanus enim est ille timor, nec enim ideo mutatur intellectus, quod singularia, vel vniuersalia includat, nisi forsitan id peripateticum, *intellectus, & intellectum sunt vnum, & idem,* de essentiali identitate, prout stultus ille Cardanus intellexisse videtur, dum ait l. 14 intellectum esse rem ipsam, quæ intelligitur. *Nunc enim,* inquit, *dum hac scribo, meus intellectus est ea, quæ per scripta hac tu intelligis, dúmque medica pertracto medicina, dum de numeris scriberem, tunc numerus erat: adeo quòd aliis omnibus, qui diuersa scripserunt euenire necesse est, vt dum mea relego scripta, alius nisi fuisse videar ab illo qui nunc sum.* Enimuero non alia ratione intellectus idem est cum re intellecta, nisi quia speciem expressam rei intellectæ in se continet, quæ vicem obiecti cogniti supplere dicitur, vel; quod idem est, est idem cum obiecto intentionaliter, ita tamen, vt semper intellectus in se singularis, immaterialis, & spiritualis sit.

Auerrois error.

Cardani stultitia.

Quomodo intellectus, & res intellecta sint vnum.

Et quidem non est quòd multum laboremus, vt Deum ostendamus singularia cognoscere, cum enim sit vbique præsens, vt ex ipsius immensitate suppono, nec tamen cæcus sit, vt Auerroistarum Deus, sed omniscius, cur non intelliget singularia? nunquid seipsum, nunquid omnes intelligentias cognoscit? ille verò singularis est, & intelligentiæ sunt singulares, non minus, quàm hic lapis, aut hæ arbores.

Ergone Deus erit omnium causa, nec tamen suos effectus cognoscet? esse verò causam omnium quis in dubium reuocabit? cùm & ipse Arist. 2. met. c. 1. docuerit. *id quod maximè verum est, causam esse veritatis aliorum, & quod maximè est, eorum, quæ sunt, causam esse: quoniam vnumquodque principiorum propriè causa est eorum, quæ conueniunt in nomine, et definitione:* & Auerr. *Oportet quod maximè verum sit causa veritatis rerum, quæ sunt post; omnia enim entia non acquirunt esse & veritatem, nisi ab illa causa, quæ est tantùm ens per se, & verum per se, & omnia quæ sunt,* inquit, *cùm esse, tum vera esse per illius esse, & veritatem.* Concludit verò vnumquodque ita secundum esse se habere, quemadmodum secundũ veritatem ὡς ἕκαστον ἔχει τοῦ εἶναι, οὕτω καὶ τῆς ἀληθείας. Auerroës autem. *Quapropter necesse est, vt dispositio cuiuslibet rei in esse sit sua dispositio in rei veritate.* Libro verò 11. c. 7. clarè docet Arist. Deum esse *principium necessarium, quod non aliter contingit se habere,* ἀλλ' ἁπλῶς *sed simpliciter est,* & paulo antea ἐξ ἀνάγκης ἄρα ἐστὶν ὄν· καὶ ᾗ ἀνάγκη, καλῶς *ex necessitate est ens, & hæc necessitas bene, atque pulchrè se habet,* & paulo adhuc superiùs ἀκίνητον ὄν, ἐνεργείᾳ ὄν *ipsum immobile ens, actu existens.* denique ita concludit, ἐκ τοιαύτης ἄρα ἀρχῆς ἤρτηται ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ φύσις, *ex tali igitur principio dependet tam cœlum, quàm natura.*

Deum esse omnium causam, & ens actu atque necessarium ex Aristotele.

Ex quibus luce clarius est Deum totam naturã ac proinde singulas illius partes cognoscere, eisq; prouidere, cùm sit agẽs intellectuale, adeout Themistium dixisse ferant omnia entia nihil aliud esse, quàm Dei scientiam: quod eo sensu verum esse potest, omnia quæcunque sunt propriam in mente diuina ideam habere.

Dictũ Themistij.

Vno verbo rem totam concludo. Deus est ens necessarium, ac proinde infinitũ, cuius intellectio est ipsemet Deus prout omnia intelligibilia respicit, qui eodem actu æterno, quo verbum æternum producit, atq; se cognoscit, eodem penitus quoad essentiam omnia siue tantùm possibilia, siue creanda, siue creata nouit; quo actu cognoscit pro qualibet differentia temporis quid sit futurum, adeout eodem actu cognitionis indiuisibili nunc me scribentem aspiciat, quo me postea non scribentem videbit: cùm enim sit ex omni parte infinitus, & sine vlla mutatione per æternitatem existens, facilè concipimus hunc actum simplicissimum in omni genere infinitum eadem sine vlla mutatione posse, quod nos pluribus actibus. Finge verò vnicum tui intellectus actum omnia posse, quæ omnes cogitationes hominum simul sumptæ, nunquid eodem illo actu omnium veritatem, & falsitatem intelliges? nunquid hac vnica tua cogitatione videbis pro tempore præsenti me scribere, & pro tempore futuro, quod subinde præsens erit, me non scribere? Quod si ex te ipso vim intelligendi, & omnia repræsentandi habeas, nulla rerum specie indigebis. Idem ergo cogita de Deo, tunc enim facilè concedes eum sine vlla sui mutatione omnia intelligere, imo & singulis prouidere, cùm actus diuinæ prouidentiæ non sit minus simplex, & æternus, atque immutabilis, quàm ipsa cognitio; quin potius & prouidentia, & cognitio diuina realiter, & essentialiter sunt vnum, & idem, siquidem Deus est, quicquid in Deo existit. Non est igitur necesse Deum in nos per astra agere, nisi velit, cùm omnia per seipsum immediatè regere possit, & reuera voluntati nostræ solus præsit, in quam nihil astra possunt. Licet enim phantasmatibus vtamur, vt intellectus his excitatus obiectum voluntati proponat, eámque quoad speciem actus mouere dicatur, ipsa tamen quoad exercitiũ se se mouet, in quo præsertim libertas illius sita esse videtur: Adde quod ipsum intellectum quoad exercitium, imo & quoad speciem aliquomodo voluntas prouocet, vt constat, cùm iubet, vt his aut illis cogitationibus diutiùs sese applicet. Omitto rationes, quibus voluntatem spiritualem, & immaterialem, & liberam esse probari solet, in quam proinde cœli, vt pote materiales nihil imprimere valent, vt pergam ad alia.

Actus cognitionis diuinæ vnicus est, simplicissimus, & in omni genere infinitus.

Antequam verò decimam sextam obiectionem afferam aduertendum est obiecta materialia id habere, vt ab intellectu cognosci possint, huius si quidem obiectũ est ens in tota sua latitudine sumptum; quis autem neget materia, & singularia esse entia? sunt igitur vera, ergo intelligibilia, res e-

nim quæpiam tantum habet de veritate, & intelligibilitate quantum de entitate, vt ita loquar, seu tantum cognoscibilis est, quantum est vera, sed de hac cognitione, atque Dei prouidentia iterum sermo recurret.

OBIECTIO XVI.

Sumitur ex monstris, quæ in medium afferunt Athei vt Deum, eiusque prouidentiam tollant.

Alexand. Aphrod. Auerr.

NEgant Atheorum fautores monstra sub diuinam prouidentiam cadere, quod Alexandro l. de fato, & Auerroi 12 met. tribuunt, cùm enim monstra sint imperfectum aliquid, & Deus omnia perfectissimè facere dicatur, quomodo monstra illius prouidentiæ subiicientur? nunquid potiùs in materiæ necessitatem refundi debent? adde quod monstra in nullum finem ordinata sint, igitur non sunt à Deo præuisa, igitur nullus est Deus, qui omnia præuideat, inquiunt Athei.

Deus spectatur 2. modis.

At verò facillimè respondemus non minus diuinæ prouidentiæ monstra subesse, quàm alia quæpiam, alioquin enim non concurreret ad eorum productionem; quippe non minus illa cum causis secundis producit, quàm alia. Deus verò duobus modis spectari potest, primo vt cum omnibus causis naturalibus generaliter ad quoslibet effectus iuxta materiæ dispositionem ad modum naturæ, atque causæ vniuersalis concurrens. 2 prout est omnium causa, creator, & autor omnia ad aliquem certum finem disponens, & ex ipsis malis bona eliciens: primo modo sicut monstra respectu causæ particularis in casum referri potest, quia id non intendebat, sed tantùm sibi simile generare, ita & respectu Dei naturæ, seu causæ naturalis instar agentis, qui suum influxum singulis agentis ita accommodat, vt eadem actione nobiscum in omnibus actionibus concurrat, & agat: sic enim materiæ defectus non supplet, qui sine miraculo suppleri nequeunt. 2 modo monstra non sunt casualia respectu Dei, quippe qui omnia in finem præstitutum ordinat, vt est vniuersalis prouisor, quo sensu intelligendus est Arist. dum 1, & 2 de cœlo ait Deum, & naturam nihil frustra facere; alioquin si monstra non haberent finem nihil essent.

Aristot.

Cur Deus mõstra permittat.

Ratio. 1.

Itaque Deus illa monstra ad suam gloriam refert, sic enim legimus in Euangelio Deum permisisse, vt cæcus puer nasceretur, vt magis atque magis in eius curatione Dei gloria, & omnipotentia, atque summa benignitas Iesu Christi manifestaretur. Quò, si attentè prospexeris, omnia quæ vel sunt, vel fuerunt, vel erunt, collimare fateberis, vt videlicet inexhausti sapientiæ, & scientiæ diuinæ thesauri nobis pro modulo nostro communicentur.

2.

Adde, si vis, vniuersi pulchritudinem, quæ illustrior quodammodo, & seipsa maior esse videtur, dum indiuidua plurima speciei cuiuslibet iustam nacta perfectionem, respectu aliorum, quæ imperfecta sunt, admirabilem concentum, & proportionem, atque gratiam inexplicabilẽ continere iudicamus, vt enim albus color oppositus nigro & quodlibet contrarium suo contrario oppositum clariùs elucere solet, ita & quodlibet perfectum indiuiduum respectu imperfecti, quod monstrum appellant: testis est ille puer, quem 2 sola in toto corpore foramina habuisse ex Haly referunt, vnũ quo cibum caperet, aliud, quo mitteret excremẽta: testis infans Constantini tempore apud Daphnem amœnum Antiochiæ suburbanum natus, qui gemino fuit ore, binos dentes habuit, nec non barbam, & quatuor oculos cum auriculis breuissimis Ammiano Marcellino sequentibus verbis referente. *Is partus ita distortus præmonebat Rempub. in statum verti deformem. Nascuntur huiusmodi sæpe portenta, rerum variarum euentus indicantia, quæ quoniam non expiantur, vt apud veteres, publicè, inaudita prætereunt, & incognita.* Alia plurima reperies apud authores passim, Nicephorum l. 12. c. 37, & 38. Aug. 16 de ciuit. c. 8. Paulum diaconum l. 13 de imperio Theodosij. Hieron. epist. ad Vitalem. Zonaram tom. 3. annal. Cedren. Licosthenem de prodigiis: Niceph. Gregoram: Fasciculum temporum, & Arnaldum Sorbinum egregium Ecclesiastem, qui doctum, & pium opus de monstris scripsit, in quo fusè aliam rationem non sine fructu per totum librum poteris legere, cur Deus monstra permittat, vt futura præsignificet, nam quoties visa sunt mõstra, atque portenta, quidam effectus extraordinarij contigerunt, præsertim verò Rerumpubl. clades, & supplicia, quibus impios Deus afficit: hinc portenta dicta sunt, quia porro dicunt, seu futura prædicunt August. teste 2 de ciuit. c. 8.

Ammian. Marcel. l. 19.

Auctores, qui de mõstris scripserunt.

3 ratio.

D. August.

Hæc igitur, & alia monstra faciunt, vt indiuidua perfecta, quæ ad eãdem speciem pertinere videntur, longe pulchriora appareant, vt quispiam ingenuè fatebitur, qui hominem monstruosum, oculis verbi gratia, & auribus carentem cum alio partes illas præclarè dispositas habente contulerit; hinc fit, vt aliquo modo affirmare possimus omnia monstra nostro saltem respectu ad pulchritudinẽ, & perfectionem vniuersi non parum facere; sunt enim occasio, cur illas creaturas pluris faciamus, & magis admiremur, quæ suis omnibus partibus ornantur, quas tamen ante visa monstra vel contemnebamus, vel tanti minimè faciebamus. Vbi tamẽ aduertendum est tam vniuersalem causam, quale est cœlum, quàm particularem, qualis est homo, non intendere monstra etiam si ratione prædicta mundum perficere videantur, illæ siquidem causæ solùm intendebant perfectum indiuiduum huius aut illius speciei efficere, sicut pictor dum imaginem facit, eam sine vlla imperfectione describere intendit, licet per accidens error aliquis, & defectus in depicta tabella contingat.

Possumus etiam asserere neque particularem, neque vniuersalem causam suo muneri defuisse, etenim cum monstrum genitum est, quicquid poterant iuxta vires sibi à Deo opt. max. concessas præstiterunt,

stiterunt, ipseque Deus more solito per eundem cum causis secundis actu ad mõstri productionem concurrit, quia materiæ quantitas, & aliæ dispositiones, quæ exempli gratia in vtero mulieris erant, non requirebant, vt anima rationalis, sed vt anima canis introduceretur in materiam, si quando mulier canem aliquem produxerit, idemque de capra, vitulo &c. dicito: enimuero Deus iuxta leges, quas toti naturæ præscripsit, & impressit nobiscum iuxta id quod postulat vniuscuiusque materia, his & illis affectionibus disposita concurrit, qua ratione posset aliquis existimare nullum esse monstrum, vel in effectu defectum, quippe qui hæc omnia sortiatur, quæ materia requirebat, ex qua productus est. Quæ tamen omnia non impediunt, quominus possit Deus pro libito, & omnipotentia sua monstrum aliquod efficere, idque vel ex nulla præuia materia, vel ex ea perfectè disposita, vt aliquid nobis præsignificet, est enim perfectus dominus rerum omnium, nec est, qui iure ab eo quærere possit, cur hoc aut illud faciat. An verò hoc modo nonnunquam monstra producat, non est huiusce loci disquirere.

Aristot. Aristot. verò 2. ph. tex. 81 monstrorum causam in materiam reiecit, sicut & 4 de gener. anim. c. 4. vbi de pullis monstriferis ex 2 vitellis nulla membrana interiecta discretis, sed continuis loquitur; quem Vaninus exercit. 38 arguit, quod asserere videatur pullos non ex vitellis, sed ex albumine generari, vitello tantùm ad cibum ordinato, & contendit nec ex vitello, nec ex albumine, sed ex galli semine progigni: præterea reprehendit illum, quod monstra dicat esse præter intentionem naturæ, licet non præter eam, quæ semper, & necessaria est. 3 ex eo quod fœmellam naturæ monstrũ, vel mas occasionatũ 4 de gener. & 2 de gen. anim. c. 3, & l. 4. c. 6. quod an rectè necne faciat, & ex dictis iudicari potest, & vnicuique discutiendum relinquo.

Cardani errores. Supersunt aliqua propter Cardanum aduertenda, qui monstra putat contingere non ex inepta mole, sed quia inferior natura anima cœli destituta est, idque propter nostra scelera, quem l. 12 de subtil. videre poteris, sicut & in Ptolom. de astrorum iudiciis, & 4. de rerum variet. c. 68. in quibus locis, vt & passim in suis libris multos errores proseminat, quos hîc excutere nimis longum foret; Ille siquidem & in rebus medicis, & in physicis, & in astrologicis, sicut & in moralibus à veritate non parum aberrat.

Cardanus Quod vnusquisque fatebitur, qui legerit l. 12 de subtil. in quo ait mutilos omnes improbos esse, omnium verò pessimos gibbos, quod error sit circa cor totius corporis principium: deinde cæcos, & strabos constituit, quod circa cerebrum natura deliquerit: inde mutos, & surdos, deinde claudos sedigitos, & eos, qui iunctis sunt digitis, quia in illis ait naturam in minus necessariis errasse. Quæ omnia falsissima esse frequens experientia comprobat, quot enim gibbos, & cæcos videmus, qui vitam innocentem ducunt, quot impios, quibus tamen ne quidem pilus deest? Quod si cæcitatem probare velim non à cerebri defectu semper accidere, mihi facillimum fuerit: verum ad alia progredior, interim videatur Scaliger exercit. 295. Scaliger.

Ptolom. In rebus astrologicis in crassum errorem impingit, dum l. 3 Ptolom. de astror. iudic. t. 74 ait lunam in nodis gibbos, vel claudos, & corpore læsos significare, strabos verò promptos, & fallaces esse, quod in commistionem lunæ cum maleficis refundit, vnde bene putat dictum fuisse, *caue à signatis à Deo.*

Quod in expositione suæ genituræ confirmat, vbi ait se in ambulando incuruum fuisse, quia nodus erat in ascendente, quam si plurima mendacia legere placuerit, octauam ordine reperies 12, quas suo more discussit. Aliam verò monstrorum causam 4. l. de rerum variet. c. 68 refert, vbi ait ea non ex materiæ impedimento, vel inepta mole contingere, sed ex motu inordinato, qui à causis contrariis peruertitur, quia mõstrum non solum impedimentum facit, sed naturalem processum impedit, vt in fœtibus. Hinc concludit. *Videtur ergo causa Deus aliquis. i. anima cœli dæmone longè nobilior, atque potentior, ministerque altissimi*, &c. quæ insanus homo profert, & sine vlla ratione affirmat; cùm tamen loco proximè citato de subtilitate fateatur cæcitatem, quam vocat rem monstruosam, ab impedimento materiæ oriri, ait enim ex auibus multas cæcas nasci, vt cornices, passeres, picas, columbas &c. ob vitelli paucitatem, aut aqueam, & tenuem illius substantiam, adeout diutiùs in ouo ali non possint, & imperfectæ exitum quærere cogantur. Cardan.

Causæ mõstrorum. Alberti. Multæ verò causæ referri possunt, cur monstra contingant, de quibus Albert. Mag. c. 6. lib. de secretis mulierum agit, vbi clarè docet monstrorum causam esse materiæ abundãtiam, vel defectũ,
1. siue effectus sit monstruosus in quantitate continua, vt cum minus, vel maius quàm par sit, caput habet siue in discreta, vt cum plures, aut pauciores digitos; cui suffragatur Arist. l. 4. de gener. animalium, qui c. 3. & 4 latè de monstris edisserit. 2 causa in ipsum mulieris vasculum refundi potest, quod Arist.
2. vel ineptum est, vel malè semen recipit, quod fit dum matrix lubrica est, aut alio vitio laborat, vt loco cit. notauit Alber. de quo medici latè. Videatur Hucher. de sterilitate. Confirmatur ex Hippocratis exemplo l. de genit. vbi ait cucumerem vasis in quo continetur, figuram, siue recta illa sit, siue distorta, recipere. 3. causa dicitur à Hucherius.
3. quibusdam parentũ similitudo, quia docet Arist. 7 de histor. anim. c. 6. læsos ex læsis, vt claudos ex claudis, & cæcos ex cæcis gigni, sed experiẽtia sæpissime refragatur. Videatur Plutar. 5 de placit. philos. c. 11, & Lucret. 4 rerum natur. hic enim stoicorum, ille Empedoclis, & aliorum philosoph. Hippocr. l. de genit. medicorum sententiam refert. 4 causa est inordinata libido, sic enim refert Hippocr. Plutar. Lucret.
4. Alber. puerum in vno latere curuum, & in pede claudum genitum fuisse, ex eo quod masculus inordinatè, videlicet lateraliter tempore coitus iacuisset. 5 causa est vehemens coëuntium imagi- Alber.
5. natio, ideoque plures in homine, quàm in cæteris omnibus animantibus differentiæ, inquit Plin. l. 7. c. 12. quod confirmat Aristot. 10 sectione probl. 12. & Rhodigin. l. 11. c. 15 ex Hippocrate, vbi refert Æthiopem ob pulcherrimam tabellam in cubiculo positam pulcherrimum filiũ genuisse: qua ratione nonnulli putant viridem equum generari posse, si equi viridis coloris stragulis vestiti coëuntibus repræsententur; at de vi, & effectibus imaginationis latè ad c. 30 Gen. Deo bene iuuante dicturi sumus. Plin. Arist.
6. 6 causam Ptolom. in astra refert 3 apotelesm. c. 8. t. 20. c. 16. t. 57, & 58, & Firmicus l. 7. c. 6, & 8, quæ aliâs, si Deus voluerit accurate discutiam. 7 causa Gen. 30. Ptolom. Firmic. 7.
7. potest in ipsam diuinam prouidentiam refundi,

quæ cùm omnia regat, iustis de causis monstra permittit, vt his vel timore correpti sceleribus vale faciamus, vel diuina iudicia vereamur, vel aliqua mala futura præsignificentur, vel vt parentes puniantur, vel vt diuina gloria illustrior appareat.

OBIECTIO XVII.

Depromitur ex eo quod Deus videatur esse author defectuum, atque peccatorum, & Stoicis tribuitur.

STOici diuinam prouidentiam agnouisse videntur, qui tamen adeo malè de ea, & ex consequenti de Deo sentiunt, vt reuera nullum esse quis inferre possit, quandoquidem eum omnium defectuum, atq; vitiorum, quæ in vniuerso sunt, autorem faciunt, idque primò quia voluntatem humanam Dei purum instrumentum esse putant, vt Deo mala præsertim imputent. Deinde quia non aliter operantur homines, quàm prout à sidereis influxibus disponuntur, ideoque peccata in sidera refundunt. Tertiò quia peccata sunt necessaria, cùm semper sint in mundo, nullum autem contingens semper est, cùm non sit possibile homines non peccare, alioquin id aliquando redigeretur ad actum; addе quòd peccare posse insit homini à natura, ergo & actus peccandi, cùm actus & potentia sint eiusdem ordinis, & posse peccare est opus naturæ, quæ cùm nihil frustra agat, necesse est potentiā illā in actum exire. Denique ad ordinem vniuersi præclaræ virtutes necessariæ sunt, quæ sine peccatis esse non possunt; nam vbi patientia, si nullæ impiorum iniuriæ? vbi gloria martyrum, si desit sæuitia tyrannorum? Hæc sunt Stoicorum iacula, quæ Vaninus ab Orco reuocauit, quibus breuiter satisfacio.

[Margin: 1 ratio Stoicorum. 2. 3. 4. 5.]

Solutio.

OMnino negādum est Deum esse causam peccatorum, nec quidquam Stoicorum argumēta probant, vel enim falsa sunt, vel nihil concludunt: etenim voluntates nostræ non ita sunt instrumentum Dei, vt securis, vel malleus in manu fabri, malleus si quidem necessariò agit, vbi recepit impulsum, cùm tamen voluntas sit adhuc liberrima, vt agat, vel non agat, & illud potiùs, quàm aliud velit, etiamsi diuinum impulsum, seu influxum, & inspirationem acceperit, quod enim est pondus lapidi in centrum currenti, hoc est libertas voluntati, quæ huc illuc pro libito se conuertit, adeout omnibus positis ad agendum requisitis sit adhuc libera, vt agat, vel non agat. Vbi aduerte Dei concursum esse quodammodo necessarium, quo nobiscum ad aliquid volendum, vel non volendum concurrit, quia Deus ad actus nostros voluntarios ex æquo, atque cum causis necessariò agentibus, vt cum lapide in centrum vergente concurrit, idque ex vi pacti, quod cum tota natura pepigisse videtur, vt quoties particulares causæ sese ad agendum determinarent, cum illis concurreret semper tamen saluo, & illibato summo dominio, summaque libertate, qua possit concurrere, vel denegare concursum pro omnipotentia, & prouidentia sua. Hinc fit, vt actio voluntatis humanæ aliqua ratione magis libera esse videatur, quàm ille Dei generalis concursus, quandoquidem voluntatis humanæ liberæ operationes neque absolutè, & in sensu diuiso, neque ex hypothesi alicuius præuiæ determinationis necessariæ sunt. Itaque motu proprio, & libero voluntas agit, ac proinde non est purum Dei instrumentum, saltem eo sensu, quo procedit obiectio, quin potiùs ei sæpe resistit, atque voluntati, & legibus eius opponitur. Vnde fit, vt soli voluntati peccatum imputari debeat, vt pote soli deficienti, soli ad malum collimanti, soli peccatorum capaci, soli malum formaliter perpetranti: Deus enim tantummodo concurrit ad ea, quæ in actione realia sunt, bona, & vera, non autem ad peccatum, quod est mera entis realis, vel bonitatis moralis priuatio, ad quam non est necesse, vt Deus concurrat, quis enim concursus necessarius est, vt nihil fiat? quod nunquam aderit, si nunquam voluntas in operando defecerit.

[Margin: Qualis sit Dei concursus, quo nobiscum agit.]

Audio tamen Atheum, qui vrgeat axioma sequens. Causa causæ est causa causati, igitur cùm Deus sit causa voluntatis peccati causa esse videbitur, quod à voluntate producitur. Quod argumentum est admodum fragile, nec enim peccatum ita causatum dici debet, vt sit aliquid verum, & reale, sed potiùs est non ens: quapropter licet admitteremus Deum esse causam omnium actionū voluntatis, minimè tamen necesse est esse causam peccatorum, quippe quæ non sunt actiones, sed actionum defectus.

[Margin: Obiectio Athei.]

Adde quod Deus non est ita causa actionum voluntatis, ac ipsius voluntatis, vel animæ rationalis, hanc enim creauit nulla causa secunda concurrente, sed nostras volitiones minimè per se solus efficit, nam voluntas vi propria suos actus elicit, quod etiam de causis merè naturalibus, & necessariis verum est: nec enim ita putes ignem esse Dei instrumentum, vt Deus calefacere dicatur, sicut faber secare, nam in igne, vt comburat, & sibi similem ignem producat, & in lapide, vt ad centrum moueatur peculiaris energia, & propria virtus ex principiis essentialibus emanans includitur, qua ignis per se calefacit, & lapis descendit, & vnūquodque ad propriam sui, & totius vniuersi perfectionem tendit, cùm instrumentum nullam ex se propriam facultatem habeat, qua motu proprio agere possit, ideóque se passiuè habet, & quocunque impulerit artifex, mouetur.

In viuentibus autem ratiò peculiaris esse videtur, quæ vitales actus eliciunt: hi enim respectu Dei non sunt vitales; sed & in voluntariis actibus est alia ratio, qui seipsis determinantur, voluntas autem

autem fertur ad opposita, quorum adæquata causa esse dicitur.

2 ratio argumenti Atheorum dissoluitur.

Secunda ratio volat ad astra, frustra tamen, cùm voluntas non eis subiiciatur, nec quidquam in eam possint, tametsi enim D. August. 5 de ciuit. c. 5, & 6, & alibi. D Thom. 3 contra gent. capitibus 84. 92. & 96. 2 sent. d. 15. q. 9. a. 2. & 1. p. q. 9. a. 115. Scot. in 2. d. 14. q. 9. a. 3. & alij plurimi concedant astra nos ad hoc aut illud inclinare, nemo tamen asserit aliquam nobis imponere necessitatem, imo negant apertè: Nec est quod obiiciant doctores nostros res astrologicas ignorare, quandoquidem si ad experientiam prouocare velim, quam vnicè amplectuntur, persuasissimum habeo eos ingenuè concessuros voluntates nostras astris non esse subditas.

Autores qui concedunt astra nos inclinare.

Enimuero cùm se quispiam apud seipsum recipit, & voluntatis suæ motus propemodum inexplicabiles explorat, clarissimè videt se millies idē velle, & non velle eadem hora. Ponamus autem eum ab astris inclinari, vt ambulet, vt mercaturam exerceat, aut quiduis aliud siue bonum, siue malum perficiat, sexcentos actus huic inclinationi contrarios elicere poterit, quotiescumque voluerit; vnde fit, vt necessariò voluntatem nulla ratione cœlis subesse iudicandum sit, sed neque eam ab astris ad hoc, vel illud inclinari ita facilè concessero, quod tamen discutiendum in alium locum reseruo.

Ptolomæus l. 1. de astrorum iudiciis c. 2.

Quod si minimè contenti sint experientia ad ipsum Ptolomæum astrologię principem audacter illos prouocabo, quippe qui fatetur effectus præuisos auerti posse, penitus autem leuiora effici, ad quid enim, inquit, Ægyptij prædictionibus astrologicis medicinæ præcepta adhibuissent, nisi eas auerti posse credidissent? Hinc quinta propofit. centil. ait huiusce artis professorem multos effectus stellarum auertere posse. Facessant igitur Stoici, qui dum nulla se ratione fulciri, & omnino clara experientia conuinci perspiciunt, ad astra stultorum, & ignarorum asylum recurrunt. Nec obstat quod voluntas operari nequeat, nisi ab intellectu proponatur aliquod obiectum, intellectus verò à phantasmate quodammodo dependeat, & phantasma ab obiecto sensibili, quod subest astris, id enim nostræ libertati non præiudicat, & voluntas æquè libera est, etiam si intellectus phantasma respiciat, eoque vtatur, vt sibi species intelligibiles imprimat, quàm si sine phantasmate ageret, quomodo reuera post corporis separationem, & eo resumpto in gloria intelliget: æqualis siquidem indifferentia residet in voluntate. Apage sis Astrologe, qui dispositos ad scelera, vt Mercuriales, Martiales, Saturninos ais iuxta naturam, vel dispositionem sibi congenitam semper agere: nunquid Valer. Max. l. 1. testatur Augustum multa euasisse, quæ præuiderat? sed & quotidie videmus plurimos bene natos, & quibus ipsa virtus naturaliter ingenita videtur, multis sceleribus mancipari, & in omne flagitij genus ruere. Alios etiam videre est, quos licet vitiosos esse putares, attamen virtutes studiosè colunt, qualem referunt fuisse Socratem, quem turpitudini, & iræ deditum Zopirus dixerat. Nolim alios recensere cùm veritatem hanc diurna experientia suggerat. Omitto verò, quæ ex Prolomæo referuntur qui l. 3. de astrorum iudiciis Mercurium rationi, Lunam verò parti sensitiuæ dominari ait, quæ cùm sit nobis propinquior, quàm Mercurius, magis ad vitia, quàm ad virtutem nos propendere asserit, & quod habet Vaninus Saturnum ex Scorpio respicientem Socrati mortem ex veneno denotasse; etenim aliquando, si Deus voluerit, libros omnes Ptolomæi, & Astrologorum dicta discutiemus atque refellemus.

3. Ratio nititur peccatorum necessitatem inducere, sed perperam, siquidem peccatum adeò voluntarium, vt si non fuerit voluntarium, non possit esse peccatum: nec obstat, quòd peccandi potentia sit à natura, & quod mundus nunquam sine peccatis existat, quandoquidem actus illius potentiæ liber est, nec vllum peccare necesse est, quia nullus peccat necessitate, sed voluntate, & electione. Denique vitia non sunt necessaria, vt sint virtutes, quæ præsertim, & radicaliter in animi præparatione consistunt, vt iam antea diximus. Cùm autem nullam in istis Stoicorum siue rigidiorum, qui astra nos cogere vel necessitare, siue leniorum, qui saltem inclinare aiunt, ratiunculis difficultatem inueniam, his in præsenti contentus ero, vt ad alias obiectiones gradum faciam. De peccandi verò potentia in fine sequentis obiectionis dicturus sum.

3 ratio Atheorum.

4 ratio dissoluitur.

OBIECTIO XVIII.

Sumitur ex eo quod Deus peccata fieri permittat.

QVis, inquiunt, Deum vllum velit admittere, qui peccata saltem permissiuè efficiat? enimuero ea permittendo, vel aliquid melius, vel deterius facit, non deterius, id enim minimè Deo congruit; quomodo verò melius? cùm ex ista permissione omnes ferè homines scelerati, atque facinorosi euadant, an igitur expedit pro bono vniuersi, vt tot sint improbi? nunquid absentia nautæ causa est, cur submergatur nauis, maximè cùm naufragium præuidit, nec tamen impediuit; quis igitur negare poterit eos Deū peccati authorem facere, qui dicunt illum peccata permittere? quod si flagitiorum sit author, igitur non est optimus, igitur neque Deus, igitur hæc Catholicorum opinio cum Stoicorum sententia recidere videtur, qui dicebant Deum esse peccatorum authorem.

Respōdeo Stoicos, & Atheos veterno laborare, qui concipere nequeunt, qua ratione Deus peccata permittat, nec tamen eorum autor vllatenus dici possit: enimuero quid facilius est intelligere illum non peccare, qui quidem aliquem peccantem videt, sed nulla lege tenetur, vt illud impediat, in quem proinde nulla culpa refun-

Argumentū Atheorum soluitur.

di potest, quæ nulla est, nisi alicui legi opponatur. Quis autem Deo legem præscripsit, vt peccata omnia impediret, & nulla permitteret? an nauita peccaret, si nullo modo ad nauim seruandam obligaretur, quando eius absentia submersionis causa esse videtur? Quid si nauta faciat, quod ex sua parte necessarium est, vt nauis incolumis sit, & decumanis fluctibus resistat? an submersionis causa dicetur? Minimè gentium. Deus verò quamuis nulla ratione teneatur, vt impediat peccata, ipse tamen facit, quod ex sua parte necessarium est, vt à sceleribus hominem reuocet. Enimuero ne longiùs argumenta petam, tuam Athee conscientiam interrogo, quoties te ad Deum quærendum, & admittendum prouocari percepisti? quoties te multis instinctibus à creaturis, & à Deo vocari animaduertisti? Sed nunquid ad animi tui fores diuina bonitas quotidie pulsat, vt abiectis erroribus resipiscas? vt insani cerebri tui relictis idolis, & pertinacia, cæcitateque depulsa ad ens entium, ad Deum verum, Deum tuum, qui te fecit, te conseruat, omnia tibi subministrat, linguam, qua tot vomis blasphemias, largitur, intellectum, quo tibi nihil fingis, quo rationes ad eius maiestatem pro tuis viribus euertendam in medium producis voluntatem, qua ipsius legibus, & voluntati te ipsum opponis, suggerit, ad Deum inquam Opt. Max. qui te veluti benignissimus pater expectat, redeas.

Deum esse admirabilē in peccati permissione.

Quia verò illa Dei permissio, si non contra vllam legem, saltem cōtra Dei ipsius bonitatem esse nonnullis videri posset, aduertendum est Deum non minus bonum, & admirabilem esse in illa permissione, quàm si omnia peccata impediuisset, siquidem in illa permissione declarat neminem ei
1. nocere posse, neque propterea fieri deteriorem, si peccemus, neque meliorem, si virtuti studeamus, quandoquidem per se est optimus, quod cùm nos
2. docere voluerit, scelerum permissio non parum ad illud contulit, cùm enim impius videt se peccatis suis Deo, sed sibi soli nocere, Deum vt omnipotentem, & nullo indigentem apprehendit, ad quē nullum malū accedere possit. Deinde bonitas Dei relucet in eo, quòd vnumquemq; pro libito, & libertate sinat agere, ne aliquem cogere videatur, & ne quis voluntatis nostræ motus aliquo fato regi putet, si omnes virtuti incumbere videat.

Et quidem Atheum libenter interrogarem num minus voluntates nostras astris subiiceret, si omnes studiosè viuerent, quàm nunc, vbi tanta multitudo scelera perpetrat, imo potiùs illud arbitraretur, & fatum constitueret. Quapropter Deus per-
3. mittendo flagitia omnem occasionem fati constituendi nobis submouisse videtur, & argumenta præbuisse, quibus nos reuera liberos esse iudicaremus.

Adde quod Dei bonitas in eo magis apparere videatur, quàm si peccata minimè permisisset, nam præterquam quod nos ex illa permisione plurima cognoscimus, quæ facilè potuissemus ignorare, dū tot, & tanta Deus efficit, vt expellat peccata, & nos sibi coniungat, æternæque gloriæ faciat hæredes, quis non tantæ bonitatis, & misericordiæ abyssum admirabitur? Audacter asseruero Dei bonitatem in mundi redemptione, & peccatorum venia longè maiorem, quàm in mundi creatione videri; enimuero quid admirabilius excogitari potest, quàm vt ipse Dei filius, Deus de Deo 4.
pro iis redimendis, & ad gloriam æternam promouendis nostram naturam assumpserit, & in ea mortem crudelissimam, & ignominiosam voluntariè passus fuerit. O bonitas!

Quod peccandi potentia non sit frustra, licet nemo peccet.

Non quod volendi, vel peccandi potentia frustra fuisset, si non peccasset homo, cùm libera potentia non requirat, vt aliquando peccet, vt patet in Deo, qui neque peccat, neque peccare potest, tametsi liberrimus est, & in beatis, qui non ampliùs peccare valent, licet summa libertate fruantur, & in iis qui in hoc mundo confirmati fuêre in gratia, vt beata Virgo, quæ nunquam peccauit, & tamen libero arbitrio pollebat, & in ipsis peccatoribus, qui nunquam nisi volentes peccant, & quibus nusquam potentia data est, vt peccent, sed vt potentes malè agere, & non agere, actum odij, & nolitionis circa peccatum, volitionis autem, & amoris circa virtutem exerant. Itaque cauendum est ab isto loquendi modo, data est potentia peccandi, siue ad peccandum, id enim falsum est, si velint Athei ideo nobis concessam esse, vel ad hunc finem vt peccemus, cum potiùs nobis data sit, vt peccatum liberè fugiamus: vnde cùm illud amplectimur, ipsa peccandi facultas frustra tunc esse videtur, quia non illud agit, ad quod facta est, & à fine suo diuertit, tantum abest, vt perficiatur. Sic enim vnamquamque potentiam spectare debemus, vt reuera non sit frustra, quando finem sibi à Deo, vel à natura præstitutum assequitur.

Quinam peccare nō possint, cùm sint liberi.

Quomodo peccatum sit priuatio.

Quod autem voluntas, dum peccat, finem suum minimè assequatur, inde patet, quòd tunc in nihilum, & priuationem tendat, vt ex formali peccati conceptu manifestum est, quod nihil est aliud, quàm aliqua bonitatis, atque rectitudinis carentia, seu priuatio, quæ rectitudo nostris actibus inesse deberet: sicut claudicatio, vel claudicationis ratio formalis, nihil est aliud quàm priuatio rectitudinis tibiæ, & morbus priuatio sanitatis, cæcitas visus, auditus verò surditas.

Etenim sicut hominis ambulantis, bene valentis, videntis, & audientis rectitudo, sanitas, visus, & auditus longè pulchriora videntur, atque maiori delectatione afficiunt, vbi his claudi, infirmi, cæci, atque surdi conferuntur, ita & ipsæ virtutes lōgè gratiores esse iudicātur, dum eis vitia comparantur. At verò tempus est, vt aliò quàm ad Atheorum ratiunculas pedem conferamus, qui si bona seriò contemplentur, quæ Deus ex permissione peccatorum, & defectuum elicit, non dubito, quin eius bonitatem suspiciant, atque venerentur, de qua iam antea multa dixeramus, quæ solutionem istam non parum confirmabunt.

Obiectio 19.

OBIECTIO XIX.

Quòd Deus non sit ex eo quòd non audiat, & exaudiat preces nostras.

ARgumentum istud non ita facile est, quin in eo dissoluendo strenuè laborare debeamus, quandoquidem multi sæpiùs in hæc verba prorumpunt: vbinam est Deus, cùm mihi tantis in laboribus posito, tantis afflictionibus depresso, & in extremâ miseriâ redacto, tametsi precibus frequẽtissimis & ardẽtissimis auxilium ab eo postulẽ, atq; genas, imo stratum meũ lachrymis abluam, & modis omnibus id ab eo contendam, non succurrat? Nunquid certissimum est numinis alicuius diuini signum, si quos ad se recurrentes animaduertat, benignè amplectatur, eosque à miseriis subleuet, & quæ postulant liberè concedat, vt Elias 3 Reg. 18. exemplo suo testatur, vers. 24. *Inuocate nomina deorum vestrorum, & ego inuocabo nomen Domini mei* (inquit ad prophetas Baal 400) *& Deus qui exaudierit per ignem, ipse sit Deus*, quòd adeò verum esse populus omnis confirmauit, vt dixerit. *Optima propositio.* Cùm ergo ferè semper nostræ preces repulsam patiantur, cur, quáue ratione Deum esse cogitabimus, aut fatebimur? Vbi est duplex illud iusiurandum, quo se Deus obstrinxit, Ioan. 16. *Amen amen dico vobis, quicquid petieritis patrẽ in nomine meo dabit vobis?* Qualenam est Iacobi apostoli imperium, qui c. 1 suæ epist. ait, *Postulet in fide nihil hæsitans?* ecquis non hæreat, quis non addubitet, cùm Deus sese nostris clamoribus, ac orationibus ferreum exhibeat? Grauissimæ profectò querelæ; Cæteris quidem Atheorum obiectionibus aliqui commoueri possunt, at quis non hoc ariete concutiatur? cum tam diuites, quàm pauperes; tam iuuenes, quàm senes, tam infirmi, quàm validi, tam docti, quàm ignari, tãm sæculares quàm religiosi sæpius asserant se non ea à Deo impetrare potuisse, quæ precibus sæpe repetitis, etiã votis in eũ finẽ conceptis, verberibus, ieiuniis, & eleemosynis adhibitis enixè postularunt, tametsi non ea rogarent, nisi vt concessis ad maiorẽ Dei gloriam, ac propriam, vel proximi salutem vterentur. Cur igitur Christus nos orationem dominicam docuit; *panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, Si Deus nos exaudire nolit? vbi est Dei bonitas, & misericordia, vbi potentia, & prouidentia, vbi fidelitas?

Margin: 3 Reg. 18. — Atheorum querelæ. — Ioan. 16. — Iacob. c. 1.

Solutio.

HI sunt fluctus, tempestatésque sonoræ, quibus mens hominum impellitur, quibus audacia nostra Deo Optimo Maximo insultat, hi sunt motus violentissimi, qui mentem è suâ sede, atq; centro dimouẽt, atque deiiciunt, quos, vt componamus & imbecillitas nostra fidei, rationisque anchora firmetur, pro viribus ostendendum est verissimas esse diuini numinis promissiones, verissimam scripturam, nosque quod postulamus, si prout oportet, petamus, impetrare. Sunt autem duo genera bonorum, quæ petere solemus, aut enim illa ad æternæ vitæ consecutionem pertinẽt, aut ad miseræ huius, & citò perituræ conseruationem, vt rectè notauit Claudius noster in caput 1. l. 1. Reg. versic. 18. De his posterioribus prius cum eo decernemus, cum prius sit animale, deinde spirituale. Horum igitur, quæ ad præsentis vitæ incolumitatem sartam tectam tuendam pertinent, nunquid aliquando nobis quidquam à Deo denegatum est, quod in nomine dilecti eius Filij rogauerimus? Respondebunt aliqui plurima, quoties enim opes, firmam valetudinem, honores & similia postulaui, quæ negata sunt? tametsi eis ad Dei gloriam vti vellem, atque adeò per me non stet; quapropter non est quod mihi obiiciatur Iacobi 4. versic. 3 *Petitis, & non accipitis, eò quòd malè petatis*, vt in concupiscentiis vestris insumatis; Absit enim à me, neque enim eo animo quicquam vnquam petij, vt iis rebus abuterer, quæ largitori meo debitam reuerentiam imminuerent. At non is solus malè petere credendus est, qui peccato fomitem postulat, verum etiam qui ea rogat, quæ maiori bono impedimentum præstent. Tales sunt diuitiæ, nam illis longè præstantior est paupertas, si æquo animo toleretur, cùm etiam ipse Christus exemplo, & consilio, imo & beatitudinis præmio proposito ad eam hortetur, & inducat. Talis robusta valetudo, qua longè melior est morbus, & corporis infirmitas, si patienter feratur; vnde dicebat apostolus, *cùm infirmor, fortior fio*; siquidem ibi gratia diuina maior, & illustrior apparet, dum quis in infirmitate, cæterisque tribulationibus Deo seruit, eumque debitis laudibus effert, nec enim magnum est aliquid, si dum beneficiis afficimur, Deo laudes rependamus, cum ipsi pagani suis Idolis idem præstent. Tales etiam sæculi pompæ, atque honores, quibus omnino præcellit humilitas, quæ cœlo vim infert, hominemque Deo proximum efficit; vnde Paulus 2. ad Colos. c. 3. hortatur, vt humilitatem induamus, quandoquidem Deus humilitatem præcipuè respicit Gen. 29. *Vidit Deus humilitatem meam.* Deut. 26. *respexit humilitatem nostram*, & Luc 1. *respexit humilitatem ancillæ suæ*, cuius defectu sæpissimè offendimus, vt de seipso regius Psaltes ait psal. 118. *priusquam humiliarer, ego deliqui*; qui statim atque hanc virtutem consecutus est, exaudiuit eum Dominus psal. 114. *humiliatus sum, & liberauit me:* vnde magna spe fretus dicebat Psal. 50. *cor contritum, & humiliatum non despicies?* denique oratio humiliantis se, nubes penetrabit, & donec propinquet, non consolabitur, & non discedet, donec altissimus aspiciat. Propterea igitur quæ optaueras non es adeptus, quoniam malè petebas: Imo si quis rem paulò attentius consideret, ne petiisse quidem comperiet. Nam cùm duabus partibus homo constet,

Margin: Rangolius. — Iacob. 4. — 2 ad Colos. 3. — Gen. 29. — Deut. 26. — Luc. 1. — Psal. 118. — Psal. 114. — Psal 50.

non modò inter se diuersis, verùm etiam repugnantibus, iuxta id D. Pauli, *Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*, orantem Deus sic audit, vt non tam quid lingua proferat, aut caro præter rationem expetat, attendat, quàm quod spiritus optet, carni vtique in omnibus præferendus, vt Iacob Esau.

Quomodo nos semper Deus exaudiat.

Quòd si quis propterea putet Deum, minimè fidem præstare, quod licet spiritus desideria compleat, carnis tamen cupiditatibus non acquiescat, is profectò non modo iudicij inops, verùm etiam sensus expers esse videbitur. Quemadmodū enim si duo legati ab vna ciuitate ad Regem proficiscantur, itaut præcipuus vtilia postulet, & ea quæ maximam Reipublicæ vtilitatem allatura sunt: inferior verò, inhonesta quædam, & turpia, & quæ in priuatum familiæ suæ commodum cedant, efflagitet: Rex autem prioris postulata concedat, posterioris deneget, nemo potest dicere ciuitatem illam repulsam esse passam: Ita nec homo quidem conqueri potest, aut se contra promissi fidem contemptum, & vana spe delusum contendere, cùm Deus licet ad carnis vota obsurdescat, honestissimis tamen animę desideriis semper obsequatur. Quamobrem simul ac quidpiam rogaueris, confestim gratias agendas esse S. Chrysostomus admonet: & Ecclesia suas orationes solemni illa clausula velut coronide, *Deo gratias* cōcludit: sed quia locus apostoli ad Rom. 8. nobis explicandus est, cùm maximè nobis faueat, nouo capite vtemur. ad Rom 8.

Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret spiritus, quia secundum Deum postulat pro sanctis ad Rom. 8. versic. 27.

ὁ δὲ ἐρευνῶν τὰς καρδίας οἶδε τί τὸ φρόνημα τοῦ πνεύματος, ὅτι κατὰ θεὸν ἐντυγχάνει ὑπὲρ ἁγίων.

LOcus hic verti potest, *Scrutans corda scit quid prudentia spiritus, quia secundum Deum interpellat pro sanctis*, vt vertit Arias Montanus, vel iuxta Syriacum, *nouit quæ sit intentio spiritus, qui iuxta placitum Dei deprecatur pro sanctis*. D. August. habet, quis sit sensus Spiritussancti: quæ omnia fere in idem recidunt, ac propterea in integrum omnibus querelis satisfacit. Si quis enim dicat se benè petere, quia non modo cum honestate consentire decreuerit, sed etiam penè ad virtutem necessaria crediderit, quæ à Deo postulauit, tametsi non impetrarit, aduertat locum hunc apostoli, qui docet Deum in orante perscrutari, quid prudentia spiritus postulet. Scrutari autem non opus est, quæ palam, & ob oculos posita sunt, sed quæ abscondita sunt, & recondita, & quæ nisi diligentiam adhibueris, oculorum aciem effugiant. Talis autem est prudentia spiritus tui, quam te quoque perscrutari plurimùm interest. Nam sæpè neglectâ prudentiâ orationem imprudentia deprauat. Vtramque autem Deus cùm exploratam habeat, non quod imprudentia poscit, hoc concedit, sed quod rogat prudentia. Et hæc quidem suo modo, idest inexplicabili Deus scrutatur & videt: vt ergo modum querelis imponas, has rationes accipe. Imprudentia quidem præsentia intuetur, & in diem viuit, at prudentia etiam futura prospicit. Imprudentia temporalis vitæ commodis studet; prudentia æternæ gaudia sectatur: prudentia vltimum finem spectat, media, vt adiaphora, & in vtramque partem incerta, Dei arbitrio relinquit: Imprudentia temerè sibi media decernit, quæ si concedantur, sæpenumero eundem finem præripient. Dicte oro, cùm duo hæc in te vno reperiantur, prudentia quidem latens, vtpote à te neglecta; Imprudentia vero tuo studio manifesta: quid æquius censes facturum eum, qui vtramque nouerit, imprudentiæ tuæ morem gerendo, an potiùs prudentiæ obtemperando? Nemo est arbitror, qui rum, cum imprudens est, audiri velit.

Quid sit prudentia spiritus.

Imprudentiæ atque prudentiæ munia.

Quod Deus prudentem & prudentiam spiritus semper exaudiat.

Nam quæ per imprudentiam fiunt, à tergo sequitur pœnitentia. Prudentem vero exaudiri vtilissimum est. Talem verò Deus à se immunem nunquam dimisit. At mihi, etiam cum terrena postulo, prudens videor. Ea vero imprudentia maxima est, quæ ne te opprimat, Deum veneritus illius potius de te iudicio acquiesce. Non vides quos & quantos diuitiarum grauissima moles oppresserit? quantos honorum, ac magistratuum inextricabiles laquei suffocarint, voluptates iugularint? & adhuc audes ab optimo Deo precari, quod aliis ruinæ occasio fuit? At ego vtar modestius, & ab iisdem periculis summopere cauebo. Futura nosti? vt non nouerim, illa tamen pendent ab arbitrio meo, sic faciam, certus sum nunquam nec latum vnguem ab officio discedam. Prorsus stupenda est humani ingenij temeritas, nam quid acturi simus imposterum, audacter spondemus, cum tamen quid in animo lateat, etiam hoc tempore, ignoremus. Quanta memoriæ tenaciter inhæserunt, quorum tamen hoc tempore non meminimus? quanti in voluntate vitiorum habitus delitescunt, quos extinctos credimus, qui, si daretur occasio, refricato dolore prorumperent? Vualtero Iuetoto absenti Rex Clotarius huius nominis primus pepercerat, quem ecce reducem, & nihil tale opinātem, viri præsentia commotus ante aras ipsas occidit: scilicet Regis iram, quæ dudum sopita videbatur, rediuiuo furore viri conspectus accendit, quam proximè pœnitentia secuta est, & agente summo Pontifice mactati hæreditas in paruulum regnum instituta. Et audemus nos malè sopitis ignibus fomitem quærere. Cum igitur tanta sit, quantam experientia didicimus, humana leuitas, atque inconstantia, tanta in deteriorem partem propensio, rerum autem, atque adeo suipsius ignoratio, Deo nos committamus necesse est, edocti quidem ab ipso, si quæ nobis necessaria sunt, posse deposcere: At si non concedantur non illico inutilem orationem arbitrari debere; sed ea potius, quæ optima essent, nobis ignorantibus sine dubio esse concessa.

Vualterus Iuetotus, & eius historia.

Quapropter quisquis es, dū bona hæc caduca postulas, si in ea petitione te prudenter gesseris, id dubio procul impetrabis, quæ prudentia spiritus suggerit. Est & aliud bonorum genus, quod cum ad æternæ vitæ studium, diuinæque gloriæ splendorem referatur, si quid est, quod oranti tribui debeat, illud certè negari non poterit.

An

An à Deo semper impetremus spiritualia bona, quæ postulamus.

IN hoc genere duas bonorum species habemus, alteram eorum quæ ad ornatum pertinent, aliorumue profectum, qualia sunt linguarum donum, eloquentia, miraculorum gratia, & aliæ complures animorum dotes, quæ parem cum superioribus bonis responsionem sortiuntur, nec noua quæstione indigent; Alteram eorum, quæ non modò mentem excolunt, verùm etiam voluntatem perficiunt, animamque Deo gratam, & acceptam reddunt. Hoc genus virtutes omnes tanquam suo sinu complectitur, patientiam, humilitatem, charitatem, quas nemo negare potest, etiamsi diligentissimè persequetur, cum prudentia spiritus non consentire; vnde nec poterunt oranti non concedi, si quidem promissi seruetur fides. In his enim iam nullus est excusandi locus, nullum deinceps impedimentum, quo minus id, quod pollicitus est, exhibere prohibeatur: quod D. Ioan. testatur
1. Ioh. 1. epist. 1. *Hæc est*, inquit, *fiducia, quam habemus ad Deum, quia quodcumque petierimus secundum voluntatem eius, audit nos.* Hanc autem esse Dei volun-
1 ad Thess. 4. tatem, apostolus testatur 1 ad Thessal. 4. *Hæc est autem voluntas Dei sanctificatio vestra*: Igitur nullo modo fieri poterit, vt, si quid tale petierimus, denegetur: At, inquies, denegatur mihi, nec, cùm toties humilitatem, & charitatem supplex petierim, hactenus tantum beneficium concessum est. Perscrutare igitur num quando petebas, non malè postulaueris.

Nam si humilitatem superbè petas, non postulas, vt decet, cùm animi submissione, atque deiectione petenda sit. Illud verò est quod quæro, nam si habeam, cur petam? Idcircò autem peto, quia nō habeo, alioquin frustra est oratio, si non licet, nisi quod habeas petere. Atqui Christus, qui tantum se orationi concessurum promisit, hæc ha-
Luc. 19. bet. Luc. 19. *Habenti dabitur, à non habente autem, etiam quod habet auferetur.* Non enim superbis gratiam Deus impertitur, sed humilibus; neque eorum, qui gratiæ illius expertes essent, preces se auditurum recepit, sed eorum, qui sunt illius iustitiæ participes. Iam verò nemo est, quem sua gratia complexus sit, cui cum reliquis virtutibus humilitatis quoque pretiosissimum munus non contulerit. Hanc igitur, quam gratis accepit, si quis sedulò exerceat, & ad orationem adhibeat, procul
Eccl. 35. dubio quicquid volet impetrabit, nec discedet, donec altissimus aspiciat Eccli. 35.

At non vno tantùm modo à legitima precandi regula discedimus, sed pluribus: tum vero maximè cùm non tam virtutis amore, aut diuinæ gloriæ studio petimus, quàm propriæ quietis desiderio. Quoniam enim superbia multas sæpè nobis turbas facit, idcirco illius improbitatem exosi, humilitatem appetimus: hoc illius beneficio consequi sperantes, vt deinceps tranquillè, beatéque viuamus. Humilitatis verò ærumnas, contemptum, labores, & si quæ est alia, quæ virtutem comitetur, difficultas, illa non cupimus. Quapropter nec Deus concedit, quia nec petimus, sed clanculum philautiæ studentes, palàm derelinquit.

Obiicies; ego quoque hanc gratiam Deum exoro, vt humilitatis sincerus amator, verúsque precator existam. Respondeo nemo, qui non sit verè humilis, ex pacto cum Deo agere permittitur. His namque legibus Deus cum hominibus pepigit, se quod peteretur, largiturum, si legitimè, atque ordine peteretur. An verò tu legem serues: aut etiam secus orationem offeras, cùm intus illa in pectore peragantur, agnoscere non possum.

Multa tamen videre mihi videor, quæ te, quod optasti, impetrasse coarguant. Illa namque productior oratio tua, gemitus, lachrymæ, cordis contritio, inflexio corporis, pectoris tunsio, præteriti temporis accusatio, odium denique tui, quid nisi humilitatem prædicant? Et tam ingratus es, vt cum Deus orationem tuam tam vbere gratia cumulauerit, te solùm officio fungi, Deum suo deesse arbitreris. At citò imprudens eodem, quo minimè cupio, reuoluor. Tua nimirum culpa est, qui acceptum thesaurum non ea, qua decet, vigilantia custodit. Hanc igitur diligentiam postulo, quæ ad accepti thesauri custodiam necessaria est. Et hanc accipis. Verùm nihil accepisse proderit, nisi vtaris. Igitur vtendi quoque gratiā efflagito. Nec istam, si perseueres, denegabit: Atqui tot annos perseuero pulsans, nec tamen sum consecutus. *Clamo ad* Iob
te, inquiebat Iob, *& non exaudis me: sto, & non respicis me. Mutatus es mihi in crudelem.*

Num igitur res ita se habuit? An non illum Deus, & clementer intuitus est, & ærumnis absolutum maioribus quàm antea bonis cumulauit? Temporum vero momenta, quibus id, quod quæritur, vtilius effici debeat, sola Dei Sapientia nouit, oratio præscribere non potest. Responsio non satisfacit. Tametsi enim plures animaduertam, cùm ad metas peruenerint, aut in morbum lethalem inciderint, siue etiam paucis ante mensibus, aut annis, quàm morituri decumbant, tanquam euomita bile ab ira quiescere: Nonnullos tamen adhuc video in ipsis penè mortis faucibus, vltimo vitæ curriculo, bile feruere, neque tam victores, vt apparet, quàm pœnitentes emori.

Veruntamen cum Deum promissa fallere, ne suspicari quidem absq; religionis metu possimus, nec omnium, quos aliqua tali peste laborantes vidimus, orationibus detrahere pium videatur, cùm tanquam illorum fidei, ac deuotionis testes, lachrymas, gemitus, oris confessionem habeamus; Statuendum esse arbitror tantam illis orantibus à Deo gratiam esse concessam, quanta ad obtinendam de seipsis victoriam sit necessaria, non quanta ad inferioris hominis æstus comprimendos, animique tranquillitatem adipiscendam. Quam tamen ex interuallo sæpius reparare debent, iudicio ac ratione motus illos incompositos irrationalis animæ ab iis, qui à voluntate imperantur, secernentes. Nam si quid ferox illa, & immitis bellua, quæ præcordia nostra, splenem, iecurque occupauit, excusso rationis iugo perperam deliquerit, primùm quidem id citra culpam nostram est, nec meritò cuiquam obiici poterit; deinde etiam voluntatis nostræ motus primarij, quos ab omni labe puros Theologia sacra asserit, nonnunquam, quod erroris caput est, pro magnitudine iactationis, & procellæ, diutiùs perseuerāt, donec tandem discussa perturbationis caligine seipsum

animus despiciat,& motos fluctus componat. Quę si quis sedulo animaduertat, magno se scrupulo liberabit, nec deinceps attributam orationi efficacitatem in dubium reuocabit sed hoc pacto fiet, vt de Deo quidem nullam iustè conquerendi rationem habere videamur, de nobis autem humiliter sentiendi occasionem amplissimam; cùm inde manifestè deprehendamus, quanta sit propriæ virtutis infirmitas, quam ni Deus fulcit, tam miserè, tamque turpiter vilis quædam passio pessundat,& proterit, indigna planè, quæ hominis esse censeatur. Hactenus ergo perfectè satisfactum esse Atheorum querelis existimo, vt ne quidem amplius mutire debeant, aut etiam possint. Veruntamen, vt res tota magis atque magis elucescat, paucis aperire iuuabit, quis in nomine Christi patrem deprecari censeatur, vt ea quilibet in parato habeat, quæ ad orationem necessaria esse videntur, si quid impetrare cupiat.

Locus Ioh. 16. si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis, expenditur.

D. August. D. August tract. 102 in Ioan. explicat in nomine Christi peti, quod non est contra salutem; *Hoc quod ait, siquid, non quodlibet intelligitur, sed aliquid, quod non in beata vita comparatione sit nihil, non autem petitur in nomine saluatoris, quicquid petitur contra rationem salutis, non enim sonum literarum, aut syllabarum, sed quod sono rectè, ac veraciter intelligitur hic accipiendum est, cùm dicit, in nomine meo, vnde qui hoc sentit de Christo, quod non est de vnico Filio Dei sentiendum, non petit in eius nomine. Qui verò quod est de illo sentiendum sentit, ipse in eius nomine petit, & accipit quod petit, si non contra suam salutem sempiternam petit accipit autem quando debet accipere. Quædam enim non negantur, sed vt congruo dentur tempore differuntur.* D. Cyril. ait in nomine meo dictum esse, *vt mediatorem se, & colargitorem ostendat.* Cyrill.

Nam in quantum filius,& Deus est, vnà cum patre nobis bona largitur, inquantum verò mediator est, & pontifex, nostras preces ad patrem adducit. Vbi aduertendum est nomen Saluatoris, quàm creatoris in oratione efficacius esse: Vnde D. Bern. de diligẽdo Deo: *Si totum me debeo pro me facto, quid addā iā pro refecto,& refecto hoc modo? Nec enim tā facilè refectus quàm factus. Nam qui me semel, & tantùm dicendo fecit, in reficiendo profectò, & dixit multa, & gessit multa, & pertulit dura, nec tantū dura, sed indigna: in primo opere mihi dedit, in secūdo se & vbi se dedit me mihi reddidit. Datus ergo,& redditus me pro me debeo & bis debeo. Quid Deo retribuam pro se? Nam etiam si me millies rependere possem, quid sum ego ad Deum?* Non est ergo mirum si dum in Christi seruatoris nomine patrem rogamus, ipse nos exaudiat, quando quidem Saluatoris Iesu nomen omnia refert, quæcumque pertulit, adeout idem esse videatur patrem in nomine Christi deprecari, ac si passionem, totam vitam, labores omnes, omnia denique quæcumque fecit, aut faciet Christus repræsentaremus: quæ cum propter salutem nostram pertulerit, quomodo te impetrare posse censes, quòd ad animæ tuæ profectum minimè vergeret, tametsi concedatur? Vnde nec apostolus exauditus est, cùm ter dominum rogauit, vt ab eo stimulus carnis auferretur, tum quia tentationes ei ad virtutum incrementum proficiebant, tum quia id impediebat ne fortè superbiret, tum etiam quia virtus dum in infirmitate perficitur, maxima gratiæ potentia, atque virtus elucescit: quid enim præ gentibus, imo,& præ belluis Christianus habet, cùm in prosperis Deum diligere videtur, ex eo quòd tanta ab eo beneficia acceperit, nam & gentiles eadem ratione,& bestiæ erga suos benefactores afficiuntur. Bernar. Quid sit orare patrē in nomine Christi.

Itaque certum est id optimè in Christi nomine peti, quod magis ad Dei patris gloriam facit, id verò ad maiorem esse Dei gloriam, in quo magis eius sapientia, potentia,& bonitas elucent: in his ea attributa magis conspici, ob quæ nobis impetrādа Christus Dominus omnia sua merita, omnes dolores, omnia opera patri suo obtulit: Ac proinde si quis nouerit se in tribulatione,& afflictionibus positum, morbo correptum, iniuriis appetitum in actus meliores prorumpere caueat ne à Deo postulet, quod hisce rebus contrarium esse possit, nec enim tunc in nomine Iesu peteret, quia non ad salutis profectum; Quapropter cùm nesciamus, quid postulandum sit, nos in huiuscemodi totos Deo committere debemus, in cuius conspectu non ita standum esse putes, vt in regum præsentia, quibus ij sua præclara facinora manifestare, & singula, quæ tandem aliquando in regis obsequium præstiterunt, obiicere solent, vt laborum suorum præmium aliquod referant: secus enim qui ad Deum accedit instar tabulæ rasæ stare debet nec merita vlla, quin potiùs omnia, quæ perpetrauimus flagitia in medium afferenda sunt, non vt eorum intuitu postulata concedantur, sed vt his abolitis ad ea, quæ petimus, accipienda disponamur; quo nempe profundiorem humilitatem coluerimus, nosque magis despiciemus, eò citiùs exaudiemur; cùm Deus sit instar Oceani infiniti, qui mentem hominis eò copiosius implet, quò profundior efficitur,& suæ pusillitatis conscius sui nihili abysso immergitur ampliùs. Quæ verò sint orationis integræ, atque perfectæ conditiones, non est necesse, vt hìc discutiamus, aliàs enim locus aptior recurret; interim videri possunt interpretes in 7. c. Math. c. 16. Ioh. & Iacobi epist. c. 1. vbi ait, *si quis indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter*; quam meritò regnis omnibus Salomon præponebat. Sap. 7. & 9. postulabat à Deo; *Da mihi domine sedium tuarum assistricē sapientiam*, Inter conditiones præcipuas D. Iacobus fidem non hæsitantem postulat, ne fluctibus maris similes simus: ad quid enim orat, qui absque obtinendi spe, animoque consternato accedit? cùm perperam de Deo sentiat, cuius auxilium implorat, quasi vero Deus, aut nolit, aut non possit ea, quæ postulas, erogare: quod parum à blasphemia distat: firma igitur fidei, fiduciaque anchora innixi credere debemus Deum ea nobis concessurum, quæ ad maiorem eius gloriam, ac propriam salutem profutura sint nec alia vnquam postulanda sunt; sed qui sciam hoc, aut illud ad maiorem Quid petatur in nomine Christi. Math 7. Ioh 16. Iacob. 1. Sap. 7. & 9 Quomodo vnusquisq; & quando præsertim se Deo cōmittere debeat.

rem Dei gloriam vergere? cùm addubitas, te totum ei committe, nec mortem, vitam, corporis robur, diuitias, scientiam, honorem, aut cuiuscumque mali postules exitum, nisi quatenus Deo placuerit, & in quantum illius gloria propagari, salúsque tua inde proficere poterit; cuius rei luculentum in seipso Christus exemplum protulit, dum à morte quidem liberari, sed anteposita in omnibus patris voluntate, postulauit, ipsa morte accepta, si Deo ita placeret. At fusè satis, & exactè huic Atheorum argumento respondimus, cui aliud ex eodem ferè capite desumptum annectemus, vt quæ generis eiusdem fuerint simul dissolui possint.

Aduerte autem rectè probari Deum esse, cùm tanta erga nos prouidentia vtatur vt ea tribuere nolit, quæ saluti aduersantur, ea verò quæ salutem nostram promouent, benignè concedat: in quibus summam patris æterni bonitatem, atque clementiam venerari, atque suspicere debemus, & nos ipsos inuicem excitare, vt tam bono patri toto animo seruiamus.

OBIECTIO XX.

Depromitur ex eo quod Deus nostras preces subitò non exaudiat, imo nunquam, sed omnia fortuitò contingant.

TAmetsi post multas preces Deus exaudire videatur, id tamen potius iuxta vulgi sententiam, quàm rei veritatem dici solet, quandoquidem ex multis, qui vel diuitiis, vel honore, vel integra valetudine summopere indigent, quosdam sine precibus releuari, alios quibuscunque votis, orationibúsque præmissis in eodem miseriæ statu remanere, cæteros emissis precibus, etiam quæ fuerant in votis, partim assequi, nullos tamen, qui semper acceperint omnia, quæ postularent, videas, vt potiùs omnia fortuitò contingere, quam ab vllo Deo regi dicenda sint, siquidem non minus quis ea suo tempore susciperet, si nullas orationes præmitteret; ecquam enim virtutem preces verbis quibusdam sæpe non intellectis expressæ, in quibus mens attendere nequit, habere possunt? Statuamus enim aliquem esse cœcum, & claudum, vel aliquo morbo grauiori detentum, qui diebus singulis pro valetudine recuperanda Deum enixè roget, alium verò qui Deo insultet, imo Deum esse perneget, certè neuter conualescet, vt experientia quotidiana cernitur; quid si blasphemus hic sanus fiat, alter verò grauiùs infirmetur? Adde quod si preces à Deo exaudirentur non ita postulata differret, sed in eorum celerrima largitione se Deum esse probaret, cùm ex opposito contingat, sæpiùs enim postulatis fruimur, cùm his ampliùs non indigemus, imo cùm noceant, quàm prosint, ampliùs, quibus probè concludi videtur nullam esse causam, cur Deum admittere debeamus.

Solutio.

AN omne venenum impia Atheorum cohors euomuit? An os inferni, an linguæ Tartareæ omnimodam impietatem effudêre? cur non etiam addunt paganos ab Idolis, Atheos à fato, temperamento, & astris, æquè ac nos à vero Deo exaudiri? Sed tantam petulantiam, & effrontem audaciam ea qua fieri poterit breuitate retundamus; Sed ipse cuius infinitã bonitatem pro viribus tuemur ipse, inquam, *exurgat Deus, & dissipentur inimici eius & fugiant qui oderunt eum à facie eius*; Initio autem fecerimus operæpretium, si contorti, & confusi argumenti partes distinxerimus; hæc enim est impiorum industria, vt sæpiarum instar obscura caligine se, ne deprehendi possint, inuoluant, & occultent, ideo siquidem multas rationes, aut sophismata miscent, ne vel falsitas appareat, vel faci-
1. Ratio. Atheorum. liùs eorum paralogismi conuellantur.

Illud autem, cui tota vis obiectionis inniti videtur, est, reuera Deum nunquam exaudire, ac proinde vulgus hominum decipi, si secus existimet. Se-
2. cundò in fortunam, seu fatum referendum esse, cũ optatis fruimur, quæ duo confirmari videntur, ex cæteris ibidem propositis; vt quòd æque peruersi, ac pij exaudiantur, imo sæpè peruersi potiùs, quàm
3. probi; denique Deum esse negant, ex eo quòd, si fortè quidquam impetremus, id tardiùs, & minus
4. ad commoditatem contingat, quàm, vt id Deo tribui debeat.

Primum itaque quod supponitur, falsissimum est, vt satis ex præcedenti obiectione, & eius refutatione colligi potest, siquidem ita apud omnes est in confesso Deum nos exaudire, vt non sit opus ad Refellitur. 1. ratio.
vetus, aut nouum testamentum recurrere, vt patriarchas prophetas, reges, iudices, sacerdotes, viros, mulieres, Apostolos, Martyres exauditos fuisse cognoscamus; quandoquidem ipsi gentiles ob impetrata beneficia diis, tametsi falsis, videlicet idolis, donaria, muneraque diuersi generis appendebant; nolo tamen ad propriam conscientiam Atheos prouocare, statim enim atque fatebuntur se quandoque postulatis esse potitos, id minimè Deo, sed æternæ rerum omnium concatenationi, fato, atque casui acceptum ferent; In hoc tamen cum eis conuenimus, vt omnes fateamur non esse pauca, quæ post desiderium, imo, & post spem conceptam assequamur; Ergo supponamus, constituamúsque aliquem Atheum, qui se nonnihil accepisse concedat, quod antea non semel optasset; Christianum item aduocemus, qui se precibus aliquid impetrasse fateatur, neque iam virum hunc Catholicum rogemus, statim enim dubio procul orationis effectum Deo vero acceptum ferat, sed paganum, sed Atheum interrogemus; A quo hunc tui præconcepti desiderij effectum emanare censes? quandoquidem censes. An iste effectus, sit exempli gratia, pristina valetudo tibi restituta, an

igitur valetudo tibi ex se ipsa reddita est? minimè quidem, nec enim intelligi potest qua ratione valetudo, quæ non erat, seipsam produxerit, vt deinceps ad te volaret? quis ergo fecit illam, aut vnde venit? Ipsa se natura iuuit, corporis vires suppetebant, quæ morbi materiam excutere possent, eiusque pertinaciam edomarent; sit ita; sed rogo, vndenam id corporis vires habuerunt? vnde temperies in pristinum statũ se reducere potuit? cur potius hoc, quàm illo tempore, vno potiùs quàm altero momento?

A medicamento dices, quod à noxiis humoribus liberum corpus fecit: At ampliùs vrgeo; medicamentum illud, vires tuæ, temperies, & similia vndenam habent, id quod habent? si à seipsis quomodo tam imbecillia, quomodo finita, atque tam breui coarctata limite? si à seipsis quando inceperunt? an æterna, si verò æterna quomodo desinunt? si dixeris minimè repugnare, vt aliquid à parte post, vt vocant, desinat, tametsi à parte ante fuerit æternum, vt eodem ferè modo finita à parte ante, posse nunquam à parte post finiri, vel desinere, fatemur in angelis, animabus, & cæteris, quæ quidem initium, nullum tamen durationis finem habitura sunt, longè est dispar ratio, enimuerò cũcta, tametsi à parte post, æterna futura sint mero creatoris beneficio, quolibet tamen puncto temporis destrui, & in nihilum redigi possunt; At nec temperies, nec valetudo, nec quidquam aliud desinet vnquam, si ea sint à seipsis, quæ videlicet, sicut à nullo in fieri, ita nec in esse dependerent; & tamẽ ea desinere, vel ipsi Athei morbo correpti fateantur, necesse est; Concedant igitur, quod inde manifestò consequitur, ea nimirum à seipsis non esse, igitur sunt ab aliquo; sint videlicet astra valetudinis causa, quibus omnia tribuat Atheus, quæcunque contingunt.

Nec enim, vt existimo, meliùs ei fauere possumus, quàm si ad vniuersales causas, quas fati productrices, aut ipsum fatum aliquis fortè concipere valeat, confugiamus. Astra igitur tibi per diuersos aspectus valetudinem restituerunt; sit ita, cur non & cæteris simili infirmitate detentis? cur non priùs, aut tardiùs? cur isto momento? An quia eis supplices manus tetenderas? itaut clamores & vota tua perceperint, an verò casu, & necessariò? si quia preces audière, cur non antea similes preces perceperunt, aut non exaudierunt? an quia non ita placuit, aut quia non adeo vtile fuisset? Sed nec illud concedet Atheus, qui omnia in fatum refert, vbi enim ratio adest, fatum exulat, necesse est.

Igitur necessariò tibi vis restitutam esse valetudinem, idque à sideribus, quæ tamen non eam quibuslibet, nec pro quouis tempore reddere possint, sed tantùm, quando hic, aut ille aspectus occurrit. Vnde verò talis aspectus, virtusque syderum? si à seipsa, cur tam paruis terminis circumscripta? cur hos aut illos motus, & non citiores, aut tardiores efficit, cur non sæpiùs illi aspectus recurrunt? cùm igitur astra tam magnitudinis, quàm virtutis suæ limitem eumque breuissimum sibi positũ habeant, dubio procul admittendus est aliquis, qui pro libito hunc potius, quàm alium terminum illis præfixerit, & à quo præsertim omnis valetudo proficiscatur, & in quem omnia reducantur, quem verum esse Deum credimus.

Hic igitur preces nostras exaudit, aut ab illis sese aduertit; hic est, qui tam paganos, quàm Christianos, & cæteros, quicunque liberantur, è morbo, tribulatione, calamitatibusque eruit, omniaque suauissimè, atque fortissimè gubernat, & continet; cui sydera, elementa, omnesq; creaturæ obsequuntur, *qui dum terrã aspicit, facit eam tremere, qui tangit montes, & fumigant:* à quo rectè tum vulgus hominum tum sapientissimi quique preces exaudiri credunt, quæque exaudiuntur, sed inquis nullæ exaudiuntur; Atqui teipsum ex iis quæ concesseras, reuinco; valetudo siquidem sæpiùs optata, tibi restituta est, neque tamen à fato fictitio reddita est, vt confecimus, igitur ab alio, qui tuis desideriis satisfecerit: At nullum rogaui, tametsi enim à morbo liberari cuperem, à nullo valetudinem deprecabar, quam à nullo mihi concedi posse credebam, sed à casu duntaxat expectabam, quæ mihi tametsi hæc sentienti contigit, quam proinde Deus negare debuisset, si me perperam sentientem, & in errore pertinacem vidisset, ne dum incolumitatem redderet, meũ errorem propagaret.

O mira cæcitas, atque peruicacia hominum! quos etiam inuitos Deus Opt. Max. beneficiis afficit; an Deus à bonis operibus, & summè prouidentis munere cessare debuit, quia tu malus es? nõ ab eo petebas; sed num petebas? aspice pauperrimum hominem multis vulneribus affectum & prope confectum; hic in platea nihil petit, nullum rogat, imo neque remedium ab vllo sperat; Illico tamen diues aliquis domum repetens illum videt, iubet in domum suam deferri, chirurgos, atque medicos aduocat, donec pauper integrã valetudinẽ assequatur, atque cicatrices obducantur; valetudo restituta est, nõ sperabat, non credebat. An hominem Deo meliorem dixeris, id tamen homo præstitit, qui cum suã à se bonitatem non habeat, alioquin eo nemo melior existere posset, ab alio bonitatem accepit, cuius sit vnicuique bonitatem impertiri. *Cur Deus etiam non rogantes, aut nolentes sanet.*

Cùm ergo tibi valetudo restituta est, non à temperamento, quod quidem morbo perierat, non à medicamine, quod in se valetudinem non habet, non ab astris, quæ ab alio suscepta nihil habent, necesse est, vt à communi rerum omnium rectore, & patre tibi reddita sit, etiamsi non roganti, non cogitanti, imo nec volenti. Cur non volenti, cur minimè credenti? cur contemnenti? Nunquid vt crederes, nunquid vt sperares, & ad tantæ bonitatis cognitionem peruenires? ferreus eras, pertinax eras; sed te facilem, te mansuetum, & docilem reddere voluit. Quanta igitur Dei bonitas, qui etiam inimicis beneficia largitur; quanta paterni affectus indulgentia, vt filiis quantumcunque ingratis opẽ ferat adeout illa beneficia satis superque sufficere credam, vt quilibet Athei, si ea seriò expenderint, ad mentem redire possint. Igitur exaudiris, cùm aliquando postulata cõcedantur, cùm optatis frueris, nec tamen à fato, casu, aut fortuna; cùm ea nihil sint penitus, quàm intellectus humani fictiones; agnosce ergo, nisi longè talpis cæcior fueris, agnosce, libensque fatere singula beneficia tibi ab authore naturæ, ab ente summo, rerumque omnium rectore prouenire. Nec te illud torqueat, quòd etiam peruersissimis valetudinem restituat, ac plurima beneficia conferat, id enim maximè congruit euangelicæ doctrinæ, quam Christus docuit; hinc enim pauper ille plagis affectus, vixque semiuiuus relictus, à Samaritano susceptus est, donec ei vigor pristinus restitutus esset, tametsi non discerneret, an ille pauper impius, aut probus fuisset. *Cur Deus impios exaudiat.*

Quod

Quod existimo, facilè concipies, si diligentiùs attenderis omnia creatorem effecisse, tum propter suam gloriam, tum propter hominum vtilitatem; inde fit, vt, cùm impij desiderijs satisfacit, in tanta facilitate summam misericordiam elucere, eúmque ad vitæ anteactę mutationem prouocare velit;

Cur impios non exaudiat.

cùm autem impius minimè fruitur optatis, iustitiam exercet, eumque iterum ad pœnitentiam inducit, & allicit: adeout summa Dei prouidentia vtrinque conspicua reddatur.

Cur probis postulata non largitur.

Quid si probi non exaudiantur? nunquid vt maius in patria præmium, nunquid vt in via maiorem gratiam acquirant, & recipiant? sed huc rationes omnes afferri possunt, quas tribulationibus applicauimus: cur videlicet boni tot malis impetantur, impij verò tot bonis affluant. Itaque reliquum est, vt ei parti satisfaciamus, quæ Deum esse diffitetur, ex eo quòd opportuno tempore minimè precibus effectus respondere soleat, quod à nostro Claudio iterum mutuò sumemus. Audiant igitur, quicumque diuinæ prouidentiæ detrahunt, audiant inquam, quomodo Deus in sermonibus suis iustus appareat, & vincat cùm iudicatur, iuxta psalm. 50. Psal. 50.
Vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris.

Quare non statim Deus exaudit homines, cùm ei preces offerunt, & cur tanta mora vtitur.

Tametsi priùs nonnullas causas attulerimus, cur Deus precibus nostris, votísque non obtemperet, imprimis tamen eadem causa sæpiùs occurrit, cur non ita citò nobis satisfaciat, ac quamobrē omnino repulsam patiamur, videlicet, quòd malè postulemus, vnde non abs re fuerit si causam eandem repetamus:

Prima causa cur Deus citò non exaudiat.

Tunc preces exaudiuntur, cùm aliquid petimus à patre in nomine Christi in quo D. Thomas 7 orationis bonæ conditiones adducit, quarum prima est, vt bona spiritualia petamus: quod particula, *si quid*, significatur, quandoquidem res terrenæ, tametsi sint aliquid in se, si tamen cum rebus spiritualibus, atque cœlestibus conferantur, nihil sunt; vnde Sapiens dum sapientiæ, virtutibusque intendit; rectè ait: *Diuitias nihil esse duxi in comparatione illius:* quod in cap. 7. Sapientiæ pulcherrimè deducitur, tametsi res temporales ad cœlestia relatæ aliquid dici possint; vt patet ex eo, quod oratione Dominica postulamus, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*: Vbi 6. modis errare possumus: primò quidem, si temporale bonum animæ nociturum postulamus: si petimus aliqua tentatione, aut tribulatione liberari, quæ nobis prodest ad humilitatem, aut aliam virtutem excolendam, nec enim ideo D. Paulus carnis percitus œstro potuit à Sathana colaphizante liberari. Tertiò si quid ex ambitione petamus, quomodo filij Zebedæi primas in regno Christi petebant. Quartò si zelum imprudentem adhibeamus, vt cùm in Samaritanos Christum respuentes ignem de cœlo mitti cupiebant. Quintò si petatur id, quod vtilius est differri. Sextò si certum aliquid, vt statum hunc, aut alium expetamus, in matrimonio, in religione, in cœlibatu, & sacerdotio viuere præsidis, consulis, procuratoris, aduocati, principis, regis, pontificis officium exercere; cùm nouerit Deus alium statum nobis, nostræque conditioni, atque complexioni magis conuenire, tam vt salutem adipiscamur, quàm, vt abundantiori gloria perfruamur: quapropter Deū enixè rogare debemus, vt ijs medijs nos ducat, atque regat, quibus præuidet nos rectè ad beatitudinem peruenturos, vt cum rege Iosaphat clamemus.

D. Thomas

Septem cōditiones requiruntur in bona oratione, hic autem octo enumerantur.

I.

Sapient. 7.

In oratione, seu petitione sex modi quibus errare possumus afferuntur.

2. Paral. 20. *Domine cùm ignoremus, quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, vt oculos nostros ad te dirigamus* 2. Paral. 20: Sedjam ad conditiones orationis reuertamur.

2. Secunda igitur est perseuerantia, iuxta id Luc. 10. *Oportet se semper orare, & nunquam deficere*; & 1. Thess. 5. *Sine intermissione orate*, quod Apostolus iterum 6 ad Ephesios repetit. *Per omnem orationem, & obsecrationem orantes omni tempore in spiritu, & in ipso vigilantes in omni instantia, & obsecratione*; non quòd necesse sit vt ab omni labore cessemus, vt Euchitæ, seu precatores hæretici nugabantur, teste D. Aug. hær. 57. quandoquidē labor orationi minimè repugnat, sed quia benè semper agere debemus, nam Deo per omnem virtutem coniungimur, quod intendit oratio; id verò præstamus, cùm omnia opera tam ad liberales, quàm mechanicas artes pertinentia ad Dei gloriā referimus, quod vtinam omnes efficerent, vt magnū meritorum numerū, & ingens pondus gloriæ sibi compararent; quanquā non desunt, qui semper orare, statis horis, certísque tēporibus ad orationē destinatis tribuant: Igitur in omni instantia ἐν πάσῃ προσκαρτερήσει Deus orandus est: nec est, quòd Athei conquerantur, aut parum faciant ea scripturæ loca, quibus vtor, cùm apud eos nullam authoritatē habeat: siquidem æquanimiter ferre debent, si eis legitimæ precationis leges eis præscribamus; cum enim contendant minimè preces nostras exaudiri, discant, oportet, quænam rationes esse possint, cur vel illi repulsam patiantur, si quando rogent, vel non ita citò Deus concedat, quæ petuntur.

Luc. 10. 1. Thess. 5. & ad Eph. 6.

August.

Tertia conditio est, vt fiat cum concordia, iuxta id Matth. 18. *Si duo ex vobis consenserint super terrā,* 3 Matth. 18.
inquit ipsa veritas, *de omni re, quamcunque petierint, fiet illis à patre meo, qui in cælis est*; frustra siquidem à Deo quicquam postulas, si quid aduersus aliquem habeas, adeout orationi legem illam Christus pręscripserit, se nobis peccata, seu debita remissurum, prout nostris debitoribus remiserimus ac si posteà per nos cogi posset.

Quarta debet ex amore filiali procedere, sic enim filius erga patrem se gerere debet; Honor enim, & amor patri sicuti domino timor debetur: vnde Seruator noster aiebat, *si vos nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis pater vester, qui est in cœlis, dabit bona petentibus se*, Matth. 7. 4. Matth. 7.

Quinta est, vt cum pietate fiat, seu cum humilitate, siquidem respexit in orationem humilium, & non spreuit preces eorum, psal. 101. vnde factum est, vt Pharisæus superbus non fuerit exauditus, Publicanus autem orationis effectum retulerit. 5. Psal. 101.

Sexta est, vt fiat tempore debito, quandoquidem Deus escam tribuit in tempore opportuno. 6.

Septima, denique, vt pro se petat: nec enim pro aliis semper exaudimur, cum sæpius eorum malitia præpediat: vnde prohibuit Deus Ieremiæ c. 7. 7.
Tu ergo noli orare pro populo isto, quod c. 15. repetit, *si steterint Moyses, & Samuel coram me non est anima mea ad populum istum*: Ier. 7. & 15.
His autem quædam aliæ cōditiones iungi possent, vt esse orandum cum fide 8. Iacob. 1.

impetrandi iuxta id Iacob. 1. *postulet in fide nihil hæsitans*; quod ita debet intelligi, vt non solùm fide credamus, Deum esse omnipotentē, ac fidelissimū in promissis, sed præterea, in nobis ex tali fide magna fiducia oriri debet, qualis est filij ad patrem, nos, quæ petimus impetraturos, si nostræ saluti profecerint, alioquin maius beneficium Deus præstiterit, si deneget.

9. Octauam adde, id nempe fieri debere cum attentione, & in spiritu, ne de nobis dicatur, populus hic labiis me honorat, cor autem longè est à me. Quæ de conditionibus orationis, deque prima causa, cur non ita citò Deus exaudiat, quia nempe non omnes prædictas conditiones obseruamus, dicta sint hactenus.

2 Ratio cur non ita citò impetrem'. Secunda ratio est, ne si extemplò concedat, multa sæpenumero nos accepisse pigeat, quæ vehementer optauimus; plurima enim sæpè rogamus, quæ si tribuātur, perniciem nobis allatura sint, sic enim Tobias mortem beneficij loco sibi dari postulauerat, cùm illum vxor conuitiis lacesseret; at vbi filium suum reducem conspexit, & visu recepto nurum quoque aduenisse, tum à funeris studio mentem reuocare visus est. quòd si mox, vt petiit impetrasset, nulla futura erat præcipitis voti retractatio.

3. Ratio. Tertia ratio est, ne si mox cuncta votis respondeant, humanæ conditionis immemores insolescamus, sic enim Dauid prospero rerum successu elatus, populum numerauit, & in summum discrimen, se, suosque coniecit.

4. Ratio. 4. Quia periculum est, ne si optata celeriter exhibeantur, bene agendi studium remittamus instar Salomonis, qui cùm nihil sibi denegari sentiret, securus imposterum voluptati se dedit, mulierúmque illecebris deprauatus est.

5. Ratio. 5. Ne facilè impetratis, temerè abutamur, nā quę nullo labore comparantur, vsu vilescunt, & nullo numero habentur, vt patet ex cedris, qui cum sycomoris campestribus, sicut & argentum cum lapidibus Hierosolymis cōparata sunt. Ne igitur tanquā vulgaria dona, quibus nullo discrimine fruimur, passim ad luxū, & delitias, & non ad vsus duntaxat necessarios atque laudabiles cœlestia munera cōferremus, operæpretiū fuit aliquanto spatio fructum orationis differri. Nam hoc interim spatio, dum, quemadmodum exoremus, magnopere contendimus frequenter occurrit, non modò vt Deum testemur, sed etiam nobis statuamus, præterquam ad res honestas, & bonas Dei dona non vsurpare. Sic Anna Samuëlis, dum studio suscipiendæ prolis angitur, antè filium Deo consecrauit, quàm illum susciperet.

6. Ratio. 6. Ratio, quia periculum est, ne beneficium tam facilè labatur memoria, quàm sine difficultate obtigit: Nam quæ nos diutiùs fatigarunt, defigi altiùs in animo solent, quæ maturiùs conceduntur, celeriter euanescunt. Sic Iehu, cùm eidem nec opinanti regnum Samarię Deus contulisset, primò quidem scelerum vindex extitit, & sacrilegorum vltor acerrimus; mox tamen eiusdem oblitus est, qui gratis illum tanto honore affecerat, & superiorum regum vestigiis insistens, benefactoris sui leges, & instituta contempsit, Quòd si conseruasset beneficij memoriam, à diuini numinis iniuria abstinuisset, & maiora deinceps munera promeruisset.

7. Ratio. 7. Ne cœlestia dona, quæ gratiæ accepta referenda sunt, naturæ tribuamus; nec enim eorum causas admodum rimamur, quæ sine labore contingunt, sed iis tanquam vulgaribus nullo discrimine abutimur: quod Deum plurimùm offendit, cùm non videamur eius beneficia agnoscere, quādoquidem benefacti agnitio plus vtilitatis habet, quā ipsum beneficiū, tametsi enim temporale est quod cōfertur, fidem tamen, qua illud suscipimus, æterna præmia manent; at contrà temporalibus etiam emolumentis priuātur, qui Deum autorem se nosse dissimulant; sic Pharao, Nabuchodonosor, & Herodes Agrippa, dum non intelligunt diuini muneris esse quod regnant, miserando ca- su è soliis deiecti sunt.

8. Quia habendi studium, quod initio languescit, cūctatione intenditur, quod deinde velut succinum attritum paleas, sic ad se reliquarum virtutum chorum facilè trahit; Animus enim ad orationem excitatur, quàm proximè humilitas sequitur, spes item, & fides, & solito maior diuini nominis reuerentia, quibus præcipuè Deus oblectatur, & sunt alioquin quolibet munere præstantiores. Sic Abrahæ fides, sic spes, sic iustitia, dum sera soboles in vltimam ætatem differtur, longè cumulatior euasit. 8. Ratio.

9. Homini plurimum conducit, ne Deum vsquequáque facilem experiatur, nam quæ prompta, & expedita res esse putatur, ea negligi solet; Hinc fit, vt qui viciniores sunt sacris ædibus, frequenter eò tardiùs commeent. Sic Israëlitæ quod nimium arcæ præsidio confiderent, vitam in melius emendare negligebant, quod eorum posteri imitati sunt, prophetarum minas contemnentes, dum se templi priuilegio tutos fore arbitrantur. Sic enim vtrique sibi persuaserant, tametsi diuinæ legis scita despicerent, Deum tamen, quoties ad eum adire vellent, præsto affuturum. quod tamen longè secus accidit: Nam & arca capta est, & templum incensum, & ipsi quoque hostium crudelitati dediti. 9. Ratio.

10. Est, quia non eo fine bona temporalia conceduntur, vt illis inhæreamus, sed vt per ea ad ipsum boni authorem adducamur. Quod longè certius fit, cum res ab eo differtur, nec ita promptè votis respondet: sic enim frequentius ad eum adire, interpellare, & cum eo conuersari cogimur; vnde quantæ vtilitates in animam redundent, vir desideriorum Daniel suo exemplo comprobat. 10. Ratio.

Vndecima, quia labor ipse, & anxietas, quando sunt cum amore, ac diuini numinis veneratione coniuncta, meritorum vim obtinent, & mercedē aliquando consequentur: hoc enim Iosias respōsum tulit 2. paral. 34. *Colligam te ad patres tuos, nec videbunt oculi tui omne malum; quod ego inducturus sum super locum istum, & super habitatores eius.* 11. Ratio. 2. Paral. 34.

Duodecima, quia dum tantisper spe, & expectatione pendemus, hoc interim spatio veremur in Dei offensam incurrere, & præter consuetudinem religiosiùs ab illicitis abstinemus: sic enim Abia filius Roboam, sic Amasias filius Ioas, reges Iuda fecisse videntur studio potiundæ victoriæ, quam vbi primum consecuti sunt, abdicato summo Deo, peregrinas religiones complexi sunt. 12. Ratio. 3. Reg. 15. 2. Paral. 25.

Decimatertia, quia his rerum leuiorum experimentis indigemus, vt discamus summi boni promissam hæreditatem, quam adire nisi post mortem non possumus, patienter, & æquo animo præstolari. Sic enim Dauid, sic Iudæos Assyriorum captiuos, multis prius incommodis, & diuturna promissæ liberationis regnique expectatione erudiuit 13. Ratio.

uit ad cœlestis regni, perfectæque redemptionis expectationem.

14. Ratio. Decimaquarta est, quia legem, quam naturæ dedit, etiam in gratuitis Deus seruare studet, nisi si fortè aliter quandoque expedire videatur; causæ vero naturales nihil citò proferunt, sed sensim illæ pedetentimque, quod edunt boni, largiuntur, vult igitur etiam moderatè, ac leniter, quod non nunquam extra ordinem confert, effectum dari. Sic enim Deus cùm Ezechiæ periclitanti per Isaiam remedium iussisset adhiberi, in tertium diem perfectam valetudinis curationem distulit. (4 Reg 20.)

15. Ratio. Decimaquinta ratio, quia multa, quæ præter naturæ legem efficit, naturæ tamen instrumentis vult effici; sic enim cùm Patriarchas diuitiis, & opibus cumulare statuisset, serere, atque pascere iussit; his enim artibus Isaac, & Iacob Deo ita disponente, locupletes, & opulenti euaserunt, & Tobias felle piscis admoto visum recepit.

16. Ratio. Decimasexta est, quòd, cùm res aliqua petitur, verbi gratia, morbus aliquis depellatur, adhuc fieri posse naturæ vi confidamus; interposita verò mora, & ipsa in deteriorem statum prolapsa, eò tandem deducatur, vt restitui in integrum posse desperemus; Sic enim fit, vt cùm præter spem, & opinionem optatis fruimur, Dei potentia illustrior appareat, nos verò etiam maiori voluptate perfungamur. Sic enim Marthæ, & Mariæ piis sororibus contigit, vt earumdem fratrem Lazarum cunctando mortem subire permitteret, quo posset eundem insigniori miraculo è tumulo excitare.

17. Ratio. Decimaseptima, quia rationi consentaneum est, vt homo intelligat non tam imperio, aut merito, quàm precibus impetrare, aut obtinere; Nam quæ merito nostro, vel iussu fiunt, ea moram non patiuntur; in precariis verò dantis voluntas expectanda est: sic enim Pharisæi oratio repulsam tulit, dum benefacta commemorando sua, se iure posse putauit orare, quod vellet: Cùmque Dominum seniores Iudæorum pro seruo Centurionis interpellarent, & *Dignus est*, dicerent, *vt hoc illi præstes*, ipse quidem tum ibat cum illis, sed nullum beneficium contulit; at simul vt Centurio ipse se indignum professus est, & seruum verbo curauit, & miratus sequentibus se dixit. *Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israel.* In quibus satis ostenditur Deum, non regum, ac principum nostrorum more sese gerere, quibus dignitas, & merita obtrudenda sunt, si quis ab eis nonnihil impetrare velit cùm tamen ante illius conspectum quibuscumque beneficiis indigni, atque diuinæ bonitati, solique misericordiæ confidentes stare debeamus. (Luc. 7.)

18. Ratio. Decimaoctaua, si cùm rogamus homines, id sæpius & vehementi studio facimus, quantò impensiùs Deum obsecrare debemus, qui beneficiorum magnitudine hominum beneficentiam longè superat; Ideoque cùm Elias Deum supplex oraret, vt imbris copiam sitientibus aruis immitteret, puerũ suum iussit septies montis iugum petere, & toties speculari, an non aliquod vestigium nubis appareret. Nouerat enim vir beatissimus, quod nos quoque scire oportuit, si quid impetrare cupias, Deum constanter, & sæpius esse rogandum: vnde Eliachim sacerdos Domini magnus sic Israëlis filios alloquebatur. *Scitote, quoniam exaudiet Dominus preces vestras, si manentes permanseritis in ieiuniis, & orationibus in conspectu Domini.* (3 Reg. 18.) (Iudith 4.)

19 Ratio. Decimanona est quia cùm Deus certò se responsurum spoponderit, déque eo nos securos esse iubeat, hoc solùm reliqui videatur, vt tẽporis opportunitas eligatur, quo res vtilius fieri debeat; tempus autem actionis opportunum nemo melius explorabit, quã qui tẽpora condidit; Itaque opportunitatis iudiciũ penes se esse voluit, ægrè laturus, si quis in hac sibi parte præscribat; vnde castissima Iudith c. 8. dixit. *Qui estis vos, qui tentatis Dominum? Non est iste sermo, qui misericordiã prouocet, sed potiùs qui iram excitet, & furorem accendat. Posuistis vos tempus miserationis Domini, & in arbitrium vestrum diem constituistis ei.* (Iudith. 8.)

20 Ratio. Vigesima, quia suo iure Deus vtitur, volens, quod neque pretio emere, neque meritis promereri possumus, saltẽ quibus possumus modis ab eo impetremus. Quapropter his verbis pusillanimitatem nostram excutit. *Petite, & accipietis, quærite, & inuenietis; pulsate, & aperietur vobis:* Hac enim ratione Chananæam pro filia deprecantem exercuit, audire dissimulauit, vrgentem grauissimis verbis refutare visus est, donec illum abeuntem sequeretur, & discipulos eius clamore fatigaret, & assiduitate precandi, animi summissione, ac fide digna videretur, quæ voti compos fieret.

21. Ratio. Vigesima prima est, quia tametsi sæpenumerò Deus non moretur, nos tamen cæci, & studio præcipites, quæ postulaueramus, nobis esse collata, maturè non aduertimus: sic enim filium Iacob luget non modò superstitem, sed etiam in vicinia dominantem. Sic Anna Tobiæ mater, filium deflet incolumem quẽ Angelus, eidem comes additus, suo præsidio, ac tutela tuendum susceperat. Sic Saül, primi Reg. 9. v. 4, in quem hæc attulit Rãgolius noster, quærebat asinas, quæ tamen iam inuentæ erant. Sic denique Iudæi adhuc vsque diem præstolantur, quem tamen ante annos mille sexcentos, & quod excurrit, certò venisse constat, vnde patet votis nostris etiam nobis non agnoscentibus præsentem Deum adesse. Quibus non video, quid addi possit; nec vllũ Atheũ esse credo, cui non abundè rationes allatæ satisfaciant, qui non ægrè ferre debeat, si rationes illas scripturæ sacræ authoritate fulcierimus, quæ tametsi paruam authoritatem apud eos obtineat, parem dubio procul saltem habeat, necesse est, quam libri Scriptorum prophanorum, vt Platonis, Aristotelis, Euclidis, Ptolomæi, ac cæterorum obtinent, quãdoquidem illis longè antiquior est, & à pluribus recepta, ac maioribus testimoniis confirmata; adde quòd ea contra nos vtantur impij, nec acutioribus telis, quàm nostris propriis nos impetere videantur. Hactenus igitur, vt credo, confecimus Deum preces nostras exaudire, iustisque de causis earum effectum protelare, nec proinde querelis istiusmodi posse, vel debere commoueri Atheos, vt diuinum numen esse negent, à quo sapientissimè totus orbis terrarum, eiusque singulæ partes regantur, atque conseruentur. (1 Reg. 9. Rangolius.)

lium, his hominum, hominibus naturam angelorum; voluit tamen hunc præclarum, atque concinnum rerum ordinem obseruare, vt aliæ species inferiores essent, superiores aliæ, vt ex his omnibus, velut ex diuersis phtongis, & consonantiis perfectissima melodia resultaret. Mala etiam pœnæ bona sunt, cùm sint effectus iustitiæ diuinæ, idémque de his, ac de præcedentibus asserendum est, quæ id etiam præ defectibus naturæ obtinent, vt malis culpæ veluti reparandis destinentur, quia Deus, vel etiam homines pro sceleribus illa reponunt: Mala culpæ, seu peccata supersunt, quæ nequeunt eo modo expelli, quo verbi gratia frigus ab aqua per ignem eiicitur; nihil enim sunt, nec vlli bonitati opponuntur, nisi per modum priuationis, si quidem honestatis illius sunt priuationes, quæ actiones hominum afficere debuisset; cùm enim quis aliquem actum elicit, qui recta intentione exerendus erat, illum tamen peruersa voluntate facit, & ornamento debito spoliat, in qua spoliatione malum culpæ situm est.

Obiectio. Quare igitur Deus, inquis, cùm sit summè bonus eiusque bonitas vnicuique rei præsentissima sit, non minus quàm anima corpori, imo magis, illam malitiam, imo & cætera mala non expellit? an quia eius bonitas nequit omnem defectum, & quodlibet peccatum expellere? An quia bonitas illa, tametsi omnipotens, non opponitur formaliter vlli peccato? sed quid obstat cum omni malo saltem eminenter contraria sit, quippe quæ continet eminenter omnia, quæ requiruntur, vt omne malum expellatur: nunquid illa oppositio eminentiæ sufficit, vt necessariò peccatum aboleatur. An quia Deus se liberè communicat ad extra, non ideo peccatũ ex necessitate fugit?

Quare Deus cum sit bonum infinitum, nõ expellat omne malum.

Vt ea meliùs intelligantur rem totam altiùs repetendam existimo; nec enim ita negotium arduum omnes capient, nisi ad amussim illud perpendamus. In Deo multa quidem spectare possumus, & in creaturis alia nõnulla supponenda sunt: Ex multis autem quæ Deus includit, duo seligenda, vel ad 2 capita omnia possunt reuocari, quorum prima naturalia sunt, siue necessaria, vt ita in præsenti loquar, secunda verò libera; illis ea concluduntur, quæ sunt in Deo, his verò, quæ spectant ad creaturas, adeout quicquid in Deo est, necessariò sit vel naturale, vel liberum: ea voco naturalia, quæ non sunt ipsi Deo libera, qualis est ipsa Dei essentia, & omnia attributa, adeoque libertas ipsa diuina, quæ in Deo necessaria est, seu quam Deus necessariò possidet; libera verò, cætera, quæ pertinent ad creaturas, vt ipsam creationem, conseruationem, &c.

Per naturalia nihil Deus facit, aut destruit, alioqui fecisset ab æterno, idque necessariò, destruissétque quicquid fecisset, etiam ab æterno, quæ risu digna sunt, neque sub intellectum cadere possunt; per ea verò nihil facit, quia non ordinantur ad aliquid agendum, nullique rei, aut priuationi opponuntur ea oppositione, quæ necessaria est, vt aliquid expellatur; si cui enim opponeretur, maximè non enti, quod summum malum esse videtur, at illa negatio summi, vt ita dicam, non entis, per ipsammet Dei naturam sublata est, cùm sit bonum infinitum, summúue bonitas, ideóque nulla est summa malitia, aut summum non ens, vel summa non entitas: qua ratione sola Dei præsentia, & bonitas necessariò malum

Quare Deus non expellat necessariò omne malum, sed tantùm malum summum.

summum tollunt, adeout ipsius Dei priuatio, vel potiùs negatio sit malum summum: hinc fit, vt nullum animæ maius malum contingere possit, quàm si Deo careat, cùm sine eo minimè esse valeat.

Ex quibus concludo Deum sua natura, & bonitate necessariò summum malum impedire, & veluti complere, quod malum illud exinaniret, & exhauriret, tametsi nil vnquam Deus creasset; hinc fit, vt omnia creabilia non sint supremum bonum, quia licet non sint illa de facto creata, imo tametsi nihil vnquam creatum fuisset, nullum tamen summum malum admittendum esset, cùm Deus summè bonus malum illud tollat, eo modo quo malum tolli potest.

Præterea Dei bonitas, & cætera attributa naturalia suam in se perfectionem habent, quam à rebus externis nullo modo repetunt, neque circa res exteriores necessariò versantur, cùm id solùm habeant, vt Deum omni modo perficiant, & in omni genere infinitum reddant. Quapropter bonitas illa quantumuis sit vbique præsens, nihil ad extra operatur, prout naturalis est, cum se totam via voluntatis in Spiritum sanctum, & veritas per intellectum totam in Filium exerat; hæ siquidem intimæ productiones, atque communicationes appellantur.

Deus immensus est, & omnipotens, antequam aliquid creatum sit, & produxit omnia intra se, quæcunque produci potuerunt, priusquam vlla creatura fieret, aut etiam facienda proponeretur, tametsi ab æterno quæcunque creata sunt, creanda Deus præuiderit: in æternis enim quasdam etiam, non reales, sed rationis prioritates admittimus, vt quod vnico conceptu non intelligimus, pluribus exponamus.

Concedimus igitur Deum necessariò producere, quicquid in ipso Deo producitur, nempè Filium, & Spiritum sanctum, qui per modum naturæ producuntur: cætera verò quæ à Deo exeunt, atque procreantur per modum libertatis fiunt, idque per diuinam potentiam, quæ se in nullum obiectum exerit, nisi se diuina voluntas ad aliquid producendum determinarit. Hinc fit, vt quamuis omnipotentia Dei sit vbique præsens, nihil tamen agat nisi decretum diuinum adsit, quo nihil liberius; vnde cõcludo Deum ex libertate agere, quicquid agit; cum autem malum non expellatur, nisi forma aliqua sibi contraria, vel opposita, vt tenebræ lumine, mors vita, cæcitas visu, &c. mirum non est, si Deus peccatum non expellat ab anima, in qua quidem est, cùm eam conseruet, quia formam peccato contrariam minimè producit, nempe gratiam, quæ peccati culpam abolet: Enimuero nihil est in Deo quod peccato opponatur, illud enim vel esset naturale, vel liberum; non prius, quia bonum naturale non opponitur nisi malo naturæ, peccatum verò est malum moris; non posterius, vel enim esset ipsa determinatio, seu decretum voluntatis diuinæ, vel aliquis eius effectus; non determinatio, cùm minimè decernat impedire peccatum, quod permittit; effectus verò decreti non est in Deo, neque Deus, & tamen præter allata, nihil in Deo nouimus ideóque licet ipse cum sua bonitate, immensitate, libero arbitrio, cæterisque perfectionibus adsit animæ, non expellit ab ea culpam per peccatum contractam, nisi priùs gratiam producat, quæ

Cur Deus non expellat necessariò peccatum.

2.

T

bonum moris restituit; gratia verò pendet à Dei libertate, quæ se tantùm exerit, quantum ei placet. Nec obstat quod Dei præsens bonitas gratiam eminenter contineat, tametsi enim lux solis in se calorem eminenter continere dicatur, non ideo tamen illum produceret, nisi quibus in locis, & subiectis vellet, si liberè ageret. Deum ergo soli conferamus, qui omnem gratiam eminenter in se habet, sicut & cæteras creaturas, quas tamen minimè producit, tametsi posset, si vellet; in qua mirabilis est illa Dei præpotentis infinita libertas, quæ omni ex parte absolutissima est, siue aliquid, siue nihil producatur.

Si quis verò petat, cur Deus liberè versetur circa bonum omne finitum, adeout aliquid faciat, aut non faciat, prout, & quando voluerit, & tamen seipsum necessariò respiciat, ac Filium, & Spiritum sanctum producat, proinde cur non omne malum culpæ expellat, respondendum est ideo non versari necessariò, sed liberè circa creaturas, ac proinde circa mali expulsionem, quod nequit depelli, nisi bono aliquo de nouo posito, quia illæ creaturæ quæ sunt extra Deum sunt finitæ, nec ei adæquantur, nec, vt ita loquar, sunt illo dignæ: eapropter liberrimus est, vt illas vel producat, vel non producat; hinc fit vt maxima sit in eo perfectio libertas illa, qua creat, quæcumque creat.

Neque mihi dixeris eius potentiam eo modo res omnes respicere debere, quo scientia eiusdem eas aspicit, videre autem res possibiles, easque diligere naturaliter, seu necessariò, quandoquidem illud de scientia, & amore respectu possibilium verum est, quia necessariò connectuntur cum diuina potentia, quæ à nobis intelligi nequit sine respectu ad res possibiles: adde quod non eam habitudinem cum illis habet, vt earum possibilitatem producere valeat, est enim illa improducibilis, & æterna, cùm sit ipsa Dei potentia creaturas illas connotans; vt enim Dei scientia creaturas, vt cognoscibiles, seu cognitas respicit, & idea, vt conformabiles, ita etiam potentia, sicut possibiles; qua ratione creaturas in Deo triplex, aut quadruplex esse habere dicimus, vt enim in eius potentia continentur, esse eminens, vt in eius ideis esse ideale, vt in scientia esse cognitum habent, seu intelligibile.

Creaturæ habent in Deo esse triplex.

Ne inquam mihi potentiam Dei cum eius scientia, & amore contuleris, tametsi enim æquè ac scientia, & amor, Dei potentia sit infinita, non eodem modo respicit obiectum suum, quia scientia necessariò, …u naturaliter circa omnia scibilia fertur, imo & …ca omnia facienda, non vt facienda sunt, sed vt …telligibilia; potentia verò liberè, quæ nullum …iectum extra Deum habet, quo ei correspondeat, quicquid enim producitur finitum est, cùm illa sit immensa.

Hæc sciētia est simplicis intelligētiæ

Adde quòd neque scientia, aut volitio Dei circa res producendas necessariò feratur, quandoquidem illa scientia visionis est, & dilectio, seu amor, ac volitio practica, seu approbationis, non autem solùm simplicis complacentiæ, quæ propterea liberum Dei decretum de creaturis producendis supponit, adeout illa scientia, sicut & dilectio libera dici possit. Est ergo maxima Dei perfectio, quod respectu creaturarum sit liber, alioqui futurus imperfectus; ideóque ne miteris, quòd non omne malum expellat, aut plura bona non producat; id enim iustissimè facit, vt antea latè demonstrauimus, quia liberrimè, & eius libertas idem est cum eius iustitia.

Hæc scientia est visionis.

Addimus etiam potentiam diuinam ideo possibilia naturaliter respicere, non tantùm quia sunt necessaria, & æterna, & vt alij loquuntur, res ex se independenter à quacunque causa possibiles sunt, ob necessariam terminorum, qui ad rei cuiuslibet, naturam attinent, connexionem, seu non repugnantiam, non tantùm quia ex possibilium cognitione Filius, & ex eorundem amore Spiritus sanctus procedit, vt aiunt Theologi, sed quia sunt infinita, nec enim tantus creaturarum numerus esse potest, quin adhuc aliæ, & aliæ in infinitū progrediendo sint creabiles; nec vlla tam perfecta, tamque numeris omnibus absoluta est, quin alia possit esse nobilior, & infinities perfectior; quas cùm omnes Deus in sua potentia eminenter contineat, nulla penitus ei accedit perfectio cùm easdem extra se producit, seu cùm illis esse proprium, & formale tribuit, quandoquidem in Dei potētia, ideis, intellectu, & voluntate perfectiùs longè, quam in seipsis, includuntur. Vnde patet Deum circa illa omnia liberrimum esse, quæ in eo tantùm eminenter continentur, vt illa producat, nec ne, sicut ex necessitate fertur ad omnia, quæ formaliter amplectitur, vt pote infinita, æterna, independētia, quæ sunt ipse Deus: Quanta Deus immortalis, & quàm infinita perfectio à nullo dependere, nihil extra se necessariò quærere, vel agere, rerum omnium faciendarum, miniméque producendarum habere perfectissimum dominium.

Quanquam & affirmare possum culpæ malum omne à diuina bonitate propulsari, quatenus illud minis, intentatísque suppliciis, & æterna morte prohibet; enimuero quid maius velles, quàm vt tantis promissis, æternóque proposito gaudio ad virtutes Deus optimus te quotidie, singulísque prope momentis alliceret, tot & tantis terroribus, concionibus, prophetiis, inspirationibus, bonorum, & malorum exemplis, quorum illi præmium accipiunt, hi supplicium, à peccatis auerteret? in quo quidem eius prouidentia mirum in modum elucet, quæ res quascunque pro modulo aptissimis ad id remediis in fines suos perducere nouit, nec enim aliis modis, quàm prædictis ad bonum flecti, & à malo reuocari debuit liber homo; quocirca necesse est, quócunque tandem sese conuertant Athei, summam Dei bonitatem, prouidentiam, potentiam, atque maiestatem suspiciant, atque venerentur, quod faxit Deus Opt. Max.

OBIECTIO

OBIECTIO XXII.

Quæ sumitur ex numeris.

SPecies rerum sunt vt numeri, at in numeris non potest ad supremum deueniri, etenim postquam centum milliones millionum numeraris, vix cœperis: quòd si ciphras centum scribas, in quibus tantus numerus comprehenderetur, vt vix sub intellectum hominis cadere possit, nondum tamen ad numerum supremum propiùs accesseris, quàm qui binarium duntaxat numerarit, quandoquidem non magis à supremo, seu maximo numero binarius distat, quàm numerus centum ciphrarum, seu characterum arithmeticorum; hinc sequitur in rebus, seu essentiis, & entibus nullum ens supremum, nullam rem naturam, aut essentiam maximam assignari posse, quælibet enim infinito interuallo distabit à supremo, sicut quilibet numerus, siue paruus is fuerit, siue magnus, à supremo distat in infinitum, non est igitur vllus Deus, alioquin supremum ens, supremáque natura constitui deberet.

Solutio.

Aristot. ILlud axioma, quo perperam vtuntur Athei 8 metaphy. cap. 3. legimus, vbi philosophus, cuius authoritate fulciuntur, hæc habet. ὥσπερ γὰρ ἀπὸ τοῦ ἀριθμοῦ ἀφαιρεθέντος τινὸς ἢ προστεθέντος, ἐξ ὧν ὁ ἀριθμός ἐστιν, οὐκέτι ὁ αὐτὸς ἀριθμός ἐστιν, ἀλλ' ἕτερος, κἂν τοὐλάχιστον ἀφαιρεθῇ ἢ προστεθῇ, οὕτως οὐδὲ ὁ ὁρισμὸς οὐδὲ τὸ τί ἦν εἶναι, ἔτι ἔσται, ἀφαιρεθέντος τινὸς, ἢ προστεθέντος. Hoc est: *Quemadmodum de numero ablato, aut addito aliquo, ex quibus numerus est, non est ampliùs idem numerus, sed diuersus, etiam si minimum auferatur, aut addatur: ita nec definitio, nec ipsum quid erat esse, erit amplius ablato aliquo, aut addito.* Et paulò inferiùs idem paucioribus verbis innuit. ὥσπερ οὐδ' ὁ ἀριθμὸς ἔχει τὸ μᾶλλον καὶ τὸ ἧττον, οὐδ' ἡ κατὰ τὸ εἶδος οὐσία. *Quemadmodum nec numerus habet magis & minus, ita neque substantia quæ secundum speciem est.*

Iauellus. Rerũ essentiæ sunt numeris similes in 4. Vbi Iauellus aduertit rerum formas, seu quidditates in 4 numeris assimilari, etiam si numeri minimè fuerint; vt enim omnis tandem numerus in

1. indiuisibilia resoluitur, id est in vnitates, ita omnis definitio, quæ est indicatiua quidditatis, resoluitur in indiuisibilia, nempe genus primum, primámque differentiam, alioqui definitionis in infinitum definitio foret assignanda, & de nullo scientia haberetur.

2. Deinde sicut non remanet idem numerus, aliquo etiam minimo detracto, qualis est vnitas, vel etiam addito, sed alia de nouo species exurgit, vt patet in ternario, cui si addas vnitatem fit quaternarius, quam si ab illo detrahas, binarium conficis: ita in definitionibus, quæ rerum essentias ostendunt, & ex genere, atque differentia coalescunt, si addatur, vel subtrahatur differentia, fit alia definitio, nec eadem essentia, seu quidditas remanet: sic enim animalis definitioni non licet addere rationale, ne destruas animal, vt hominem efficias, nec ab animalis definitione, quæ est, substantia animata sensitiua, potest sensitiua detrahi, nisi simul animal perire velis, vt plantam habeas.

3 Tertiò sicuti numerus est vnus, verbi gratia binarius per vltimam vnitatem, & ternarius per tertiam vnitatem, sic etiam natura rei sensibilis, vt hominis, vnitatem à forma sua habet, quandoquidem res ab eodem esse repetit, & vnum esse. 4.

Denique sicuti numerus non recipit magis, vel minus, statque in indiuisibili, omnis siquidem ternarius, in quantum ternarius, æquè ternarius est; ita etiam forma, & quidditas specifica non recipit magis, & minus; nec enim vnus homo magis homo, vel maioris est, quàm alius humanitatis, iuxta naturam specificam acceptæ.

Verùm quid inde sequitur? nihil sanè contra nos, quandoquidem fatemur rerum essentijs nihil addi posse, quod sit eis essentiale, sicut neque numeris, vnde possumus concludere diuinarum idearum perfectionem, quæ rerum omnium essentias referunt, & diuini numinis omnipotentiam, quæ creaturas adeò perfectas produxit, vt eis nihil addi, vel detrahi possit.

Rectè quidem Athei probant nullam vnquam substantiam produci posse, quæ supremæ diuinæ videlicet perfectionem attingat, sed perperam à maximo numero cœperunt, qui potiùs Deum vnitati; quàm infinito numero similem debebant affirmare; nam vera est realis atque indiuisibilis vnitas, à qua omnes numeri quicquid habent, mutuò desumunt, quæ numeros omnes velut animat, & informat, nec tamen ipsa numerus est; à qua eo sensu infinitum est interuallum vsque ad supremum numerum, quo distantiam infinitam inter verum esse alicuius rei, & esse, quod fieri nequit asserimus; etenim vltimus, supremúsque numerus In quo Deus sit vnitati similis. assignari non potest, neque ab vllo intellectu concipi; quod profectò me prouocat, vt in diuinæ potestatis abyssum exurgam, quæ tametsi virtutem in se prorsus infinitam habeat, nulla tamen creatura fieri potest, in quam sese virtus illa totam effundat, sicut neque se totam vnitas numeris communicare potest, non ob vllum vnitatis, aut diuinæ potentiæ defectum, sed ob ipsius supremi numeri non veri, sed chimerici, & infinitæ creaturæ repugnantiam.

Ex quibus vtinam Athei paralellōs ad Dei laudem, & perfectiones illius suspiciendas progredi vellent, non dubito, quin statim relicto Atheismo, totis viribus tantam maiestatem diligerent, suspicerent, atque venerarentur, postquam fuissent admirati cæcitatem illam, in qua priùs captiui detinebantur.

2. Rerum igitur essentias numeris similes esse fateor, quæ nimirum à Deo producuntur, dependent, atque conseruantur, sicut ab vnitate
3. numeri; indiuisibilis est vnitas, & Deus in-
4. diuisibilis; omnipotens illa quodammodo & infinita dici potest, hic verè Deus sine fine, im-
5. mensus, & omnipotens; illa numeros omnes generat; à nullo tamen generatur, Deus est omnium parens, nullius verò filius: quandoquidem de 6.
Deo essentialiter spectato loquor, prout tribus personis æqualiter conuenit, vel potius de illis enuntiatur; denique Deus instar vnitatis numeros omnes eminenter, atque potentia continentis, omnia prorsus complectitur, & summa perfectione, atque eminentia comprehendit, vt reuera dicere possim cum Psalte psal. 9. iisdem la- Psal. 9.
queis, quos nobis parauerant, captos esse Dei, totiúsque mundi hostes infensissimos; sed vtinam ita capiantur, vt Dei captiui fiant, serióque resipiscant, atque diuinis legibus deinceps pareant.

OBIECTIO XXIII.

Atheorum ex eo petita quòd eum cognoscere non possumus.

Ratio 1. NEmo sapiens ea debet asserere, quæ nec intelligit, nec cognoscere potest, at nullus homo Deum vnquam intelligere potuit, quandoquidem, si sit aliquis Deus, prout in articulo primo descriptus est, magis ab intellectu nostro distat, quàm à sensu nostro res spiritualis, qui tamen spiritualia nunquam cognoscere valet, igitur
2. neque Deum intelligere possumus: Deinde omnis cognitio fit per speciem, quæ cognoscentem similem cognito reddit, & ferè eundem cum illo; à Deo autem nulla species effluere, aut abstrahi potest, atque adeo minimè cognoscibilis 3.
est; denique ignotum est quodlibet infinitum, de cuius ratione est, vt sit extra accipientem secundum aliquid sui, Deus autem antea infinitus dictus est, ac proinde sub intellectum hominis cadere nequit, qui videlicet finitus est, quare igitur Deum esse asserimus, cùm nesciamus, quid dicamus, quidue concipiamus.

Respondetur.

LIcet hæc obiectio non ita difficilis videatur, vbi perfunctoriè legitur, neque directè contra Deum fiat; suas tamen difficultates patitur; nec enim statim Atheis satisfactum putes, si dixeris illam inter Deum & intellectum sufficere proportionem, quæ est inter potentiam & obiectum eiusdem ordinis, quamuis enim intellectus sit spiritualis, sicut & Deus, minimè tamen diuinus est, aut infinitus. Scio quidem esse de fide, quòd Deum videre possimus, imo reuera facie ad faciem visuri sumus; id enim personant omnes patres, affirmat scriptura, dictat fides, sperat anima, voluntas desiderat, intellectus credit, & ad illam beatitatem omnes actus viri Christiani collimare debent. Verùm cùm rem aduersus Atheos habeamus, non eodem modo, quo viros Christianos, illos vrgere possumus, quapropter ad rationem accedamus.

Certum est Deum ex se, suáque natura cognosci posse; quis enim neget eum seipsum cognoscere? cùm enim maximè sit in actu, & à materia remotissimus, sitq; totus actus purissimus, totus infinitus, & immensus, totus cognoscibilis est, in infinitum, & immensum cognoscibilis est, cui nulla cognitio perfectè respondere valet, nisi infinita fuerit.

Quapropter licet nonnulli velint à Deo posse alicui creaturæ perfectionem infinitam, exempli gratia cognitionem tribui, demus gratis nullam creaturam huiuscemodi cognitionis infinitæ capacem esse, demus id repugnare, & contradictoria includere, verumtamen necesse est, vt Athei fateantur intellectum creatum, & humanum visionis diuinæ participem esse posse, quod facilè conuinco: Id enim si repugnat, (nam à sola repugnantia possunt arguere) vel ex parte Dei, vel ex parte creatæ mentis repugnat, non primum, cur enim Deus non poterit intellectuali creaturæ cognitionem intellectualem communicare? An quia Deus infinitus est, hominis verò mens finita, infinitum verò cognosci nequit? An quia nulla est sufficiens intellectus nostri ad Deum cognoscendum proportio?

Equidem neutrum dici potest, non primum: vt enim Deus, tametsi immensus est, & sine fine, res finitas producit, quia non agit iuxta conatum vltimum potentiæ suæ, sed prout vult, & quantum placet, ita quando sui visionem communicat, non tantum communicat, quantum illa esse potest, nec vlla creatura, quantumuis excellens tam intimè Deum cognoscit, vel comprehendit, quantum Deus cognoscibilis est, exemplum in cœlis, vel in sole affero.

Supponamus igitur solem infinitæ magnitudinis, non quoad soliditatem, ne contactu suo præpediat oculos, vel potiùs cætera corpora tollat, sed cōcauæ superficiei tenus, nūquid eū videre poterimus? erit enim visibilis, vt nunc, nō tamē secūdū omnē partē illū intuebimur, quia cùm visio nostra, & videndi facultas

facultas finita sit, infinito non potest adæquari; Ideoque licet Deus infinitus sit, non se totum ita videndum tribuit, vt tantum videatur, quantum visibilis est: sed modo finito, quo per lumen gloriæ sine specie vlla beatorum animis sese insinuat, & applicat. Nec vrgeas, quod à beatis videtur, infinitum esse, beatos in Deo infinita videre; etenim non infinito modo vident; facilè est cœlum videre, quod habet hemisphæria duo, sed naturaliter impossibile, vt simul vtrumque videatur; & tamen videtur cœlum, quale est.

Quod autem in rebus corporeis ex quantitate cathegorica vides oriri, cogita ex quantitate virtutis idem proficisci; Dei maiestas, & immensitas clarissimè ab vnoquóque beatorum cernitur, nec in diuinis vllum attributum, vllam processionem, relationem, notionem, aut quidquam aliud esse puto, quod non ab vnoquóque beatorum videatur, tametsi verò beatior eadem tantùm sit visurus, altero tamen perfectiùs, idque pro maioris charitatis, & potiorum meritorum diuersitate. Quod vt meliùs intelligas, concipienda est infinita latitudo graduum perfectionis, quæ in vnoquóque attributo relucet; illa perfectio videtur, sed non ita penetratur, ac penetrabilis est; intellectus illam attingit, & apprehendit; sed quantumcúnque ad cor altum, ad cognitionem eminenté accesserit, magis semper ac magis exaltabitur Deus. Fateor in hac cognitione nescio quid absconditum esse, quod mens humana non capit: illi siquidem gradus perfectionis, quos animi explicandi causa constituo, sunt ipse Deus simplicissimus, qui cũ à beatis clarissimè videatur, qui fieri potest, vt hos omnes gradus nõ aspiciant, atque perfectissimè cognoscant; cognoscant inquies, sed nullum gradum ita perfectè intelligent, ac intelligi potest. Quod vt assequi possimus, in quolibet gradu virtuali, & in qualibet parte gradus infinita perfectio iterum supponi debet, quod meritò de Deo cogitamus, qui immensus est, & vndequáque infinitus infinities; si tamen illas partes solùm admittamus in impartibili, & indiuisibili, vt nostræ mentis iuuetur infirmitas

OBIECTIO ATHEORVM XXIV.

Quòd mundus non sit productus, sed à se existat, ac proinde quòd non sit necesse Deum aliquem admittere.

ARTICVLVS PRIMVS.

SI Deus admittendus esset, mundus ab eo factus esset, cùm à Deistis, seu Deum admittentibus supponatur mundum à Deo conditum esse, adeout ipsi eorum Philosophi concedant Deum non ampliùs Deum futurum, si mundus esset increatus, & ipsi Deo coæternus; At non apparet esse factum, sed potiùs eodem modo semper fuisse, quo iam eum cernimus; alioquin certum eius initium constare posset, si quando cœpisset, de quo tamen ita disceptant inter se homines, vt si eorum omnes sententias aspexeris, nihil incertius esse concludas, & fortè probabilius mundum nunquam cœpisse; quod lib. 8. de variet. rer. cap. 46. Cardanus credidisse videtur, vt patet ex his verbis. *Quæ autem sunt, alia quidem verè, vt cœlum, & intellectus, & elementa, in quibus neque prius, nec posterius, alia velut vmbræ, & potentia quadam, vt elementorum partes, & quæ ex his, animalia, & plantæ.* Cardanus.

Respondetur obiectioni.

MVlta continet obiectio illa, tametsi perbreuis, quæ discutienda sunt ne quis aberret; 1. Quæ hîc certa sint. & quidem primò certum est necessariò Deum admitti debere, si mundus ab eo factus est, vt reuera factus est: 2. deinde certum est Deum etiam necessariò futurum, tametsi creaturæ quædam tempus præcessissent, & mundum hunc, & omnia in eo contenta producere valuissent: hæ nempè dependerent à Deo, qui simul cum illis ad mundi productionem concurrere debuisset, à quo longè magis 3 dependisset, quàm ab illis: certum est tertiò Deum ab illo negari, si non expressè, verbísque conceptis, saltem implicitis, qui mundum increatum esse comminiscitur: 4. certum est quartò pluribus & probabilioribus rationibus confici posse mundum incœpisse, quàm non incœpisse: ac proindè falsum est, probabilius esse, quòd mundus nunquam cœperit, quandoquidem omnia eius ostendunt initium, quod primùm in elementis cernere est, aër enim in ignem, & aquam, & aqua in aërem & ignem mutatur; quod sine tempore minimè perficitur, tempus autem est mensura motus, at vbi motus est, & mensura, æternitas locum non habet. Mare placidum modo stat, modo fluctibus intumescit, modo austrum, modo aquilonem sentit. Probatur mundum incœpisse.

Leuissimus aër interdum per apertos cœli campos discurrit, mox verò vehementi cum impetu à volante Æoli turba impulsus ruit, atq; agitur. Luna modo cornua præferens, modo globosum corpus ostendens; sol mundi oculus orbis sui ambitũ 24. horis conficit, & modo recedẽs ad Capricornũ mo-

do rursus accedens ad Cancrum, deinde stellarum variæ motiones quid aliud præter tempus ostendunt, quo velut instrumento omnia producantur? vbicunque igitur instrumentum est, ibi quoque necesse est esse opificem, qui eo vtatur, spiritum qui inuenerit, & aliqué, qui moderetur, atque gubernet. Nego tamen Deum non ideo futurum, si mundus esset ab æterno, quia tametsi id fieri potuisse complures philosophi concedant, Deum tamen esse fatentur, atque rationibus confirmant, mundus enim tametsi foret æternus, à Deo non minus, quàm nunc penderet. Itaque non est quòd hîc mundum ostendamus æternum non esse, si possit æternitas aliqua creata, atque participata iuxta veram philosophiam, & doctrinam Catholicam possibilis admitti, sed tantùm, vt mundum, & omnia creata à Deo pendere, & facta esse, & conseruari, quod prioribus huiusce quæstionis argumentis abundè præstitimus.

Ea propter pauca solùm annotabo, vt omnes de mundi tempore, quo creatus fuit, opiniones, vel in concordiam redigi possint, vel corrigi, & erroris argui; vel dignoscamus, quænam sententia probabilior sit de tempore, quod ab initio mundi ad nos vsque decurrit; quod tametsi non ita sciamus accuratè, scimus tamen reuera nec 30000. nec 7000. sed annos longè pauciores à rerum conditu fluxisse, vt ex textu scripturæ sacræ verissimæ historiæ colligitur.

Quædam præsupposita vt anni, seu ætates mundi faciliùs supputari valeant, & Chronologi ad concordiam reuocari, vel argui.

3 cycli sunt in nostro anno. Quænam illorum periodi.

SVpponendum est nostro anno 3 cyclos annexos esse solaré, lunarem, & indictionum, quorum vnusquisque suas habet periodos; solaris enim est 28. annorum, lunaris 19, & indictionum 15, quibus in orbé certæ feriæ, neomeniæ, & tributorum rationes reuertuntur; quos cyclos Ecclesia notauit, vt festum Paschatis reperiretur; Enimuero per cyclum solarem, & lunarem præcisè cognoscimus, quando iidem solis & lunæ cycli redituri sint, quales exempli gratia hoc anno Christi 1622 numeramus, in quo cyclus solis est 7, cyclus lunæ, seu numerus aureus 8, indictio verò 5: In quibus aduertendum est similem cyclorum solis, & lunæ concursum non priùs rediturum, quàm 532. anni peracti fuerint, qui etiam pertransierunt ab eo tempore, quo retroactis sæculis illa syndrome contigit, anno videlicet Christi 1090; quam 532 annorum periodum Dionysius Exiguus Abbas Iustiniano coætaneus instituit, à quo periodus Dionysiana vocata est.

Quando iidem cycli huius anni 1622 redituri sint.

Dionysius Exiguus & eius periodus Dionysiana.

Similem concursum solaris cycli, & indictionum tam præteritum, quàm futurum habes 420 annorum spatio; syndromem verò aurei numeri, & indictionum annorum 285. spatio, ante quos, vel post quos idem aurei numeri annus, idemque indictionum, qui hoc anno currit, semel tantùm redibit, vel iam elapsus est.

Duorum quorumlibet cyclorum periodi, & recursus.

Quomodo reperiatur Dionysiana periodus.

Quod vt ab vnoquóque fieri possit, & ad praxim cum opus est, redigi, vt Dionysiana periodus fiat, ac per consequens reperiamus, quonam anno idem cyclus solis, idémque lunæ contigerit, periodus aurei numeri 19 ducenda est in periodum cycli solis 28, numerus enim qui ex multiplicatione 18 per 19 prodibit, similes cyclos offeret, vel præteritos, vel futuros, imo & quoties vel à Christo, vel à rerum conditu similes duorum istorum cyclorum concursus acciderint.

Modus inueniendarũ periodorũ.

Idem de recursu, vel reditu cycli solis & indictionum; dehinc indictionum, & cycli lunæ dicendum est, nam si solis periodum 28, per numerum indictionum 15 vel è contra multiplices, productum annorum 420 dabit annum præteritum quo idem cyclus solis, simul & indictionum antea contigerit, vel futurum annum, quo rediturus est. Denique si cyclum lunæ per cyclum indictionum, videlicet 19 per 15, aut 15 per 19 multiplices, habebis 285 annos pro periodo 2. istorum cyclorum, intra quam semel tantum accidunt, & in se redeunt.

Scaliger.

Verum præter illas periodos nouam aliam procreare facillimum est, quæ tot annis constet, vt etiam mundi systema superet, ad quam proinde reliquas annorum epochas, periodos, syndromesque velut ad Polycleti regulam examinare possumus, quod & iamdudum aduertit Scaliger, & post eum Mulerius in tabulis frisicis pag. 90. & 12. Isagogis in Kalendarium.

Mulerius.

Enimuero possumus duos cyclos, solis & lunæ ductos in se, & periodum Dionysianam annorum 532 efficientes iterum per cyclum indictionum 15 multiplicare, hinc enim periodus magna nascetur annorum 7980, quæ proinde quindecim periodos Dionysianas complectetur; hinc præcedens numerus per 15 diuisus reddet periodum Dionysij 532. Illa vero periodus, tametsi maxima videatur, semel duntaxat trium illorum cyclorum syndromé obtinet, adeout indictio quæ hoc anno 1621 currit, 5, cyclus solis 7, cyclus lunæ 8 nunquam redituri sint, nisi post 7980 annos, neque potuerint contingere nisi ante totidem annos vsque ad hunc annum peractos.

Magna periodˢ 7980 annorum ex 3 cyclis producta.

At non est quod tanti Scaligerum nonnulli scioli faciant, quandoquidem vel vnius mensis arithmeticus eandem syndromem conficere potuit; & longè maiorem periodum efficiemus, si non tantùm per 15, 532, multiplicemus, sed per quindecies quindecim, nempe per 225, vel totam illam epocham 7980 in se ipsam & quadratè, & cubicè, & si vis cubicubicè ducamus, vt quemlibet annorum numerum etiam fictitium producamus, qualis erat, quem Chaldæi quadringenties septuagies mille annorum statuebant, quibus se astrorum cursus obseruasse mentiebantur, cùm tamen Callisthenes expeditionum Alexandri magni socius excussis Babylone secretissimis eorum monumentis didicisse scribatur apud Porphyrium, obseruationes rerum cælestium, quæ omnium erant vetustissimæ, non antiquiores fuisse, quàm 1900 annorum: nec Hipparchus, & Ptolemæus antiquitatem astronomiæ repetunt altiùs, quàm à tempore Nabuchodonosoris Chaldæorum regis, quem circa 39 olympiadem Iudæorum calamitates nobilitarunt, vt notat Merula.

Qua ratione maior periodus inueniri possit.

Chaldæorũ antiquitas fictitia.

Callisthenes

Nabuchedonosor quando vixerit.

Fabulas item Ægyptiorum longè superabimus, qui

qui testibus Diodoro, Pomponio, & Laërtio, quater suos cursus vertisse sidera, bis solem occidisse, vnde nunc oritur; reges partim ex Dijs, partim ex hominibus ad nouissimum regem Ptolemæũ Cleopatræ patrem supra septuaginta annorum millia regnasse in Ægypto; postquam autem rationem siderum comprehenderunt, supra centum annorum millia numerari dicunt; sicut & artem pingendi sex millibus annorum apud se floruisse, priusquam ea transiret in Græciam, teste Plinio l. 35. c. 13. Huc referri possunt, quæ leguntur apud D. August. 12 de ciuit. c. 10, & quæ recitat Sacerdos Soloni apud Timæum Platonis, nempe Athenas nouem millibus annorum ante eius ætatem fuisse conditas, siue annus Ægyptius bimestris fuerit, vt vult Censorinus, siue quadrimestris, siue trimestris, menstruus, aut 13 mensium. Omitto sententiam Indorum, qui apud Plinium l. 6. à Libero patre ad Alexandrum magnum 153 reges per annos 6402, & tres menses regnasse asserunt; & Eudoxi, Aristotelisque figmenta, qui 6. annorum millibus Zoroastrem aiunt Platonis obitum antecessisse, licet Diodorus, Iustinus, & alij Nino regi coæuum fuisse Zoroastrem affirment, idest 1700 annis ante Platonis mortem, aut paulò pluribus.

Plinius. D. August.

Censorinus

Plin.

Indorum, Eudoxi, & Aristotelis figmenta.

Iam verò quantum inter se dissideant, qui se meliùs cæteris sentire existimant, patet ex Cosmographorum, & Chronologorum lectione, adeout non desint, qui putent Deum hunc numerum annorum, qui à conditu rerum ad nos vsque defluxit, suæ cognitioni reseruasse, iuxta id Ecclesiastici. 1. *Arenam maris, pluuiæ guttas, seculi dies, quis dinumerauit.* & *non est vestrum nosse momenta, & tempora, quæ pater posuit in potestate sua.* Actuum. 1.

Eccl. 1.

Act. 1.

Conueniunt autem periodus Dionysij, & eadem quindecies repetita, quia primus annus periodi Dionysianæ recipit vtriúsque cycli solaris, & lunaris principium, qua etiam ratione periodo magnæ ex Dionysiana quindecies repetita profectæ trium cyclorum initia conueniunt, quæ primo illius anno contigerunt, vel potuerunt contingere, si mundus ab eo tempore conditus fuisset; nempe annus primus cycli solaris, annus primus cycli lunæ, & annus primus Indictionis; vltimus autem annus eiusdem periodi continet vltimos annos vtriúsque cycli solis, lunæ, & indictionis, nempe 28, 15, & 19. Vnde secundum eos, qui Christi natalem contigisse putant anno mundi, seu periodi prædictæ 4713, dicendum erit annum futurum Christi Domini 3267 esse vltimum annum huius magnæ periodi 7980; iuxta quem calculum hic annus Christi Domini 1622 esset annus periodi magnæ 6335, & annus futurus Christi 1627, anno periodi magnæ 6340 responderet, annus verò Christi 1700 respondebit anno illius periodi 6413, donec tandem aliquando legis Christianæ contingat annus 3267, qui periodum illam magnã claudet. Cuius vsum breuiter aperio, in eo præsertim, quòd omnes sententiæ de mundi exordio ad eam referri possunt; exempli gratia Dionysius Exiguus mundum fuisse conditum ait anno periodi 764, quem sequitur Scaliger, cùm cyclus solis esset 8, litera Dominicalis E, æquinoctium autumnale 22 Octobris, feria quarta, qua Deus solem creauit.

Quandonã primi & vltimi anni singularum periodorũ recurrant.

Quisnam ann⁹ Christi futurus sit in fine periodi Iulianæ. Annus hic 1622 quotus periodi magnæ. Quo anno periodi Iulianæ mundus conditus fuerit, quo cyclo, & litera Dominicali, quo die Cycli prædicti optimi characteres temporum.

Et quidem cyclos illos tres pro indubitatis temporum characteribus vsurpare possumus, vt sicut interualla locorum vel milliaribus, vel stadiis, vel parasangis, & Schœnis metimur, ita & quælibet tempora ductu cyclorum cognoscere possimus, sicut veteres pueros expositos monumentis, & crepundiis alligatis, quæ vocabant γνωρίσματα, facilè agnoscebant. Cyclus autem solis institutus est, vt litera diei Dominicæ reperiretur, & vt ostenderetur omnem hebdomadum varietatem 28 annis perfici, idest 4 hebdomadibus annorum, quibus in orbem reuertuntur; vt anno præterito 1616 cyclus solis fuit vnus, idemque 1644 redibit, eademque hebdomadis dispositio.

Cyclus lunæ à Metone repertus est, qui docuit lunæ ratiocinia annis 19 cum sole paria facere, idest nouilunia, & plenilunia post 19 annos ad eundem anni solaris diem reuerti, siue illud μετρικῶς solùm, siue etiam ἀκριβῶς verum sit; hunc autem cyclum Christiani circa 285 annum Christi Kalendario Romano adscripserunt, quem quia notarunt auro, numerus aureus dictus est; qui anno 1615 erat 1, & per consequens anno 1635 idem reuertetur, annis 19 integrè peractis.

Meton reperit cyclũ lunæ.

Quàm verò discrepantes sint Chronographorum sententiæ de annis, quibus mundus cœpit, non est vllus, qui non miretur; nullus tamen periodum magnam à mundo condito vsque ad Christum natum superat, si Heracliti, Lini, Orphei, Dionis, atque magorum fabellas excipimus, qui à conditu mundi periodum suam annorum 360000 constituebant.

Hebræi à mundi conditu ad Christum natum 3760, & menses 4 enumerant: Græci, qui sequuntur 72 interpretes 5500; Orosius, & Beda 5199, sicut & Vincentius. Isidorus 5196. Iosephus 4102 menses sex. Astrologi 5328. Eduicon 4320. Bouillus 3984. Rabbi Leui filius Gerschom Danielis vltimo 3753. R. Nachson 3707, vt refert Munsterus in computo Hebręorum; ex quibus aliquas habet Senensis l. 5. biblior. sanctæ annot. 68, vbi multas alias refert, vt vsque ad 26 opiniones varias habeat, quibus si Carionis, Melanchtonis & aliorum neotericorum tam hæreticorum, quàm Catholicorum opiniones addere voluerimus, in maximũ numerum excrescent. Rationes autem cur numerus annorum inuentu sit adeo difficilis, Claudius noster in præfatione ad libros Regum delibat.

Variæ sententiæ de annis elapsis à mũdi creatione.

Munster. Senensis.

Rangolius.

Verum placet illius periodi vsum paucis afferre, antequam ostendamus mundum incœpisse: quod in omnibus opinionibus de numero annorum mundi facilè possem ostendere; sed in Sigeberto sumamus exemplum, qui cùm dicat se chronologiam suam exordiri ab anno Adam 4331 secundum Dionysium, anno verò Domini 381 iuxta eundem Dionysium, constat anno periodi magnæ 5094 suam historiam incœpisse, vt ex eo patet, si annis Christi 381 addantur 4713 anni.

Sigebertus.

Notandum est autem anno periodi illius 764, quo mundum conditum fuisse volunt Dionysius, & Scaliger, cyclum ☉ 8, literam Dominicalem E, Æquinoctium autumnale 22 Octobris, feria quarta, qua sol creatus est: Nouilunium 27 Octobris, feria secunda, primum sabbathum die 25 Octobris contigisse, quo Deus ab opere creationis quieuisse dicitur.

Opinio Dionysij de anno, quo mundus cœpit.

Vt verò ex cyclis cognitis ad annum quemlibet ignotum deducamur, hoc exemplo declaratur; natus sit aliquis cyclo solari 5, Lunæ 7, ex his annum periodi Dionysianæ reperio, nam solis cyclo, 285 anni solis; & cyclo 7, lunæ 140 anni respondent, quorum summa 425 indicat annum periodi quæsitæ, quo ille natus est.

Ex cyclis cognitis deducimur ad annum ignotum.

Maior est autem vsus trium cyclorum simul additorum, vnde si quis ex illis inuestigare velit quoto anno mundi, vel quot annis ante Christum, vel etiam quot annis periodi magnæ, quā Scaliger ad sui nominis commendationem, Iulianam appellauit, prima olympias cœperit, quæ celebrata dicitur cyclo solis 18, lunæ 5, indictione 8, sic eruemus annum periodi Iulianæ. E regione cycli 18, sunt anni solis in sequenti tabella, quæ hocce negotium facilè promouet, 494; & è regione cycli lunæ 5, 252, quorum summa seruanda est, eadem summa diuisa in 15, remanet indictio 11, qua subducta ex Indictione 8, adhibito prius integro cyclo 15, vt fiant 23, relinquitur Indictio 12, cui in subiecta tabella respondet numerus annorum 3192; cui si summa priùs à nobis seruata 746 iungatur, certò demonstrat annum periodi Iulianæ 3938, in quem cadit prima olympias; ac per consequens anno ante Christi natalem 775, anno vero periodi Iulianæ 3938, prima cœpit olympias.

Quo anno magnæ periodi, & quo ante Christum prima olympias celebrata fuerit.

Exitum filiorum Israël ex Ægypto contigisse ferunt cyclo solis 25, lunæ 6 Indictione 7; prior annorum summa est 557, quæ diuisa in 15 relinquit 2 ex Indictione 7 subducendum, vt residua Indictio sit 5, quæ det annos 1660 priori summæ 557 addendos, vt summa vltimò collecta det annos periodi Iulianæ 3117.

Quo anno contigit exitus filiorum Israël.

Quòd si quis reperire velit quoto periodi Iulianæ anno contigerit cyclus solis 9, lunæ 5, & indictio 15; statim in tabella vides annos solis 513, lunæ 252, quorum summa 765 in 15 diuisa nil relinquit, ideóque cyclus integer 15 assumi debet, quo subducto ex indictione data nihil remanet, ideoque annus periodi Iulianæ erit 765. sequitur tabella, qua trium cyclorum anni cognoscuntur, quo beneficio in quélibet annum periodi Iulianæ deuenimus. Priùs tamen præmittendi sunt anni Christi, quibus periodus Dionysiana terminatur, quæ est annorum 532, adeout semper vsque in infinitum progredi possis, si anno 75 Christi 532 addideris, vnde primò 607 resultant, cæterique deinceps numeri.

75	
607	Eodem modo periodum Dionysianam ad annos Christum antecedentes accomodare possumus, cùm enim annus septuagesi-
1139	mus quintus Christi sit in fine periodi istius, necesse est vt annis
1671	ante Christum 457, illa periodus cœperit, quæ ad annum Domini
2203	nostri 75 definit, ideóque ad annum quo mundus conditus fuit, ad
2735	annum primum Iulianæ periodi, & alios infinitos, quos aliquis
3267	præcessisse cogitaret Dionysianæ periodi beneficio recurrere pos-
3799	sumus, donec primum annum Iulianæ periodi attigerimus, hac,
4331	quæ sequitur, ratione, ab anno Christi 75 incipiẽtes, & ad retroacta
4863	

secula numerantes. Annus igitur Christi 75 sit ille, in quo finitur periodus Dionysij: annus ergo ante Christum 457 cœpit, & cæteris, qui sequuntur ordine retrogrado.

Annis ante Christum cœpit Dionysiana periodus.	457	Quòd si quis aliam periodum multo longiorem in-
	989	uenire velit, vt superiùs insinuaui, Iuliana periodus
	1521	quindecies, vel quod eodẽ recidit periodus Dionysiana
	2053	per 225 multiplicanda erit, quod & per alium numerum
	2585	multiplicantem fieri poterit, exempli gratia, eadem
	3117	periodus Dionysiana 532 per se ipsam multiplicari pote-
	3649	rit, vt periodus noua annorum 283024 producatur.
	4181	Aliam efficere possumus, si periodum Iulianam per
	4713	Dionysianā multiplicemus, vel Iulianam per seipsam.

Quod præstare nolim tum vt breuitati studeam, tum quia id puello trium dierum Arithmetico peruium est. Superest vt tabulam subiiciamus, quæ ostendit, quibus annis quilibet cyclus tam solis, quàm lunæ & indictionis correspondeat.

TABELLA

TABELLA OSTENDENS 3 CYCLOS PRO QVOlibet anno.

Cycli	Anni solis	Anni lunæ	Anni Indictionis
1	57	476	6916
2	114	420	5852
3	171	364	4788
4	228	308	3724
5	285	252	2660
6	342	196	1596
7	399	140	532
8	456	84	7748
9	513	28	6384
10	38	504	5320
11	95	448	4256
12	152	392	3192
13	209	336	2128
14	266	280	1064
15	323	224	7980
16	380	168	
17	437	112	
18	494	56	
19	19	532	
20	76		
21	133		
22	190		
23	247		
24	304		
25	361		
26	418		
27	475		
28	532		

Quomodo reperiatur quilibet cyclus in quouis anno proposito Iulianæ periodi.

VT autem inueniri possit quilibet cyclus solis in periodo Iuliana, annus quilibet propositus eius periodi per 28 diuidendus est, numerus enim à diuisione residuus erit cyclus quæsitus pro anno proposito; idemque de cyclo lunæ 19 dicendum est, per quem etiam, sicut & per 15 indictionis, quilibet annus diuidendus est, vt residuum diuisionis vnumquéq; cyclum assignet; quod si nihil superest, cyclus integer pro anno proposito sumendus est; cuius hoc exemplum assignari potest anno 1600, qui concidit cum periodi Iulianæ 6313 anno; diuisione enim facta per 28 reliquus est numerus 13 pro cyclo solis illius anni; facta verò per 19 restat 5. pro aureo numero, & per 15 peracta, Indictio 13 reliqua est.

Quales sint 3 cycli anni 1622.

Similiter anno præsenti Christi 1622 cyclos illos inuenire possumus, cui respondet annus periodi Iulianę 6335, qui per 28 diuisus pro residuo, & pro cyclo solis relinquit 7, diuisus per 19 relinquit 8 pro numero aureo, & pro indictione 5, si per 15 diuiseris.

Quinam fuerint 3 cycli anno quo Christus natus.

Vt verò singulis annis reperias quotus fluat annus magnæ periodi, tantùm iungas annum Christi currentem 4713 annis, nam supponunt vltimo anno exeunte, Christum ineunte anno 4714 periodi natum esse, quo anno vltimo nempè quatermillesimo septingentesimo decimoquarto cyclus solis fuit 10; cyclus lunæ 2. Indictio 4.

Quinā sint quolibet anno Christi.

Hinc in annis ætæ nostræ vulgaris facilè cyclos illos habebimus, si annis Christi in quibus nos esse contigerit, 9 pro cyclo solis, pro cyclo lunæ, 1. pro Indictione verò 3, nam anni Christi diuisi per vnumquemque cyclum residui, erunt cycli istius anni, vt patet in anno 1600 cui 9 additi faciunt 1609, qui per 28 diuisi dant cyclum solis 13, sicut 1601 per 19 diuisi pro cyclo lunæ 5, & 1603 per 15, 13 pro indictione.

Quomodo annus periodi Iulianæ reperiatur, quo cyclus datus contigerit.

Paulo difficilius est inuenire annum periodi Iulianæ, quo vnusquisque cyclus propositus contigerit, quod fit hac ratione, anno Christi 1609 cycli sunt 22, 14, 7, per quos, vt reperiamus annum periodi Iulianæ currentem, aliquis numerus inueniendus est in ipsamet periodo, qui per 28 diuisus relinquat post diuisionem factam 22, post diuisionem per 19, 14: idemque diuisus per 15 residuum 7 progignat; nam in integra periodo, solus ille numerus 6322 reperietur, cum quo proinde annus noster 1609 concurrit, quos si sustuleris ex numero 6322 restabunt 4713, qui ante Christi natalē fluxisse dicuntur; vnde si anno currēti Christi, 4713 addantur, semper habebis annum Iulianæ periodi currentem: & contrà subductis annis 4713 è numero periodi currentis, residuus erit annus Christi. At satis superque de his periodis, iam ad ea propero, quæ probant mundum incœpisse.

Mundum incœpisse probatur.

NOlo hîc ostendere mundum ab æterno minimè fieri potuisse, cùm id inter philosophos, & theologos controuertatur; nec minus Deum esse concludimus siue mundus æternus sit, siue productus, tunc enim non minus à Deo, quàm nunc, dependeret: mundi verò dependentiam argumenta probant, quæ pro vnitate Dei solent adduci, nec non illa, quæ ad Deum asserendum attulimus. Itaque solùm probare contendo mundum non ita pridem factum esse, quod quidem facillimum est, si Mahumetanos, Samaritanos, Iudæos, Christianos, hæreticos, Catholicos oppugnaremus, qui 5 libros Mosis ambabus vlnis excipiunt. At rem cum Atheis habemus, qui vix rationi consentiunt, quos tamen possumus expugnare, si rationes illas repetamus, quæ satis ostendunt historiæ sanctæ veritatem, eique præ cæteris esse credendum iuxta omnes rectæ rationis, atque humanæ prudentiæ regulas, quas tantùm illi sequuntur.

Si præteritorum temporum monumenta euoluamus, comperiemus religionem, & diuini numinis cultum à Caino, & Abele primùm profluxisse, qui Deo religiosè sacra fecisse leguntur, & Enochum primum fuisse, qui modum, ac ritum Dei inuocandi tradiderit, nec vllam antiquioris religionis memoriam extare, quod tamen omnino futurum erat, si mundum non idem cum Adami creatione initium habuisset.

Quinam literas inuenerint.

Si etiam litterarum characteres, & mutua epistolarum commercia hominum societati tam cōmoda, atque fructuosa, à quo primùm inuēta sint, scire quis velit, primam inuentionem antiquissimus scriptor Philo Abrahamo assignat, eisque Chaldæos, Assyrios, & Phœnices vsos scribit, quarum vsum postea Moses Hebræis tradidit, nouas deinde, si D. Hieronymo credimus, Esdras inuenit, & omnes ferè Testamenti veteris libros descripsit, Linus Chalcidensis literas è Phœnicia in Græciā intulit; sed Cadmus Agenoris filius nouas postmodum alio charactere signatas, sexdecim numero commentus est, quibus Troiano bello Palamedes 4 adiecit, & totidem post hūc Simonides Melicus. Nonne legimus Mennona quendam ante litterarum inuentionem Ægyptiis per animalium effigiem scribendi vsum, vt in obeliscis videre fuit, tradidisse? Ex quo apparet mundum tum adhuc quasi nouum fuisse, hominesque postea demum rem tam necessariam longo vsu adinuenisse; quod vsque ad Mercurium durauit, qui, Lactantio teste, quintus fuit, cui in regno Vulcanus Nili filius successit. In Latium verò Nicostratam, quæ Carmenta postea cognominata fuit, Euandri Arcadis matrem eas primùm aduexisse constat.

Strozzius. Modi antiqui scribendi.

Certum est etiam, vt cum Strozzio pergam l. 1. de spiritu & incant. c. 11. in illis veluti nascentium literarum primis incunabulis, antequam charta inuenta esset, homines in palmarum foliis, postea in Libris arborum, vt fraxini, platani, vlmi, ac similium corticibus, siue libris scribere consueuisse, iis scilicet, qui inter lignum, & exteriorem corticē exima subtilitate sunt intermedij: postea tenuissimis ex plumbo foliis, ac linteis etiam certo liquore, qualis pictorum est sandaracha, præparatis vti cœperunt; nec pennis, sed arundinibus, aut calamis (vnde id hodie pennis nomen manet) scribere solebant. Papyri quoque nomen Plinius habet l. 3. c. 12. quæ fiebat ex frutice eius nominis, iuncis, quoad ramos non multum absimili, qui in paludibus Ægypti, & ad Nili, atque Euphratis in Syria ripam nascitur. Antiqui etiam in quadratis tabulis cæra læuigata obductis scribere consueuerunt: postea membranæ, quæ pelles sunt, siue corium pecorum, & à membrorum tectu nomen habent, in vsu esse cœperūt, quas Varro Pergami primùm inuentas esse perhibet, vnde vulgò Pergamena dicuntur, quibus etiamnum vtimur, estque durabilior charta è linteis contusis facta. Plin.

Pergamenum vnde dictum.

Ad victum accedo, quo vno omnium hominum vita sustentatur, itidem inuentū, & non multa ante sæcula ad eam, quam nunc videmus lautitiam à pristina illa asperitate redactum. Arcades enim antea glandibus, Tirinthij, & Argiui piris, ficubus Athenienses, & aliæ gentes aliis fructibus victitasse perhibentur, donec Ceres, & Triptolemus modum conficiendi panem docuerint.

Hinc cecinêre vates tam sacri, quàm prophani sæculi illius aurei laudes, in quo terræ fruges sufficiebant, vt Boëtius 2 de consol. metro. 5.

Fœlix nimium prior ætas,
Contenta fidelibus aruis,
Nec inerti perdita luxu
Facili quæ sera solebat
Ieiunia soluere glande,
Bacchica munera nec norat
Liquido confundere melle.
Vtinam modo nostra redirent
In mores tempora priscos.

Et Ouid. 1. Metamor.

Contentique cibis nullo cogente creatis,
Arbuteos fœtus, montanáque fraga legebant,
Cornáque, & in duris hærentia mora rubetis
Et quæ deciderant patula Iouis arbore glandes.

Addamus etiam, quæ Lucanus habet l. 4.

——— *O prodiga rerum*
Luxuries, nunquam paruo contenta paratis,
Et quæsitorum terra, pelagóque ciborum.
Ambitiosa fames, & lauta gloria mensæ
Discite quàm paruo liceat producere vitam.
Non auro myrrháque bibunt, sed gurgite puro
Vita redit: satis est populis fluuiúsque, Ceréslque.

Omnium quoque artium, & scientiarum certa principia monstrari possunt, cùm etiā ante paucos annos, & quotidiè res pulcherrimæ inueniantur, & inuentæ sint. Eo quidem tempore, quo Orpheus, & Linus vixerunt, tanta hominum ruditas, ac barbaries fuisse legitur, vt per syluas, & solitudines vagarentur, nullis scientiarum, nullis virtutum præsidiis instructi: quos eloquentiæ vi coëgerunt, itaut demum casæ, ac domus ædificari, vrbes condi, ac certis legibus gubernari cœperint, ex quo satis patet tenerum tum adhuc fuisse, & nouum hoc mundi theatrum. Idem è priscorum imperiis, & opibus coniicere licet, quæ primis illis temporibus in pecorum, atque armentorum multitudine consistebant. Vnde illud est, quòd omnes historici mundum in quasdam ætates diuidant, quarum prima fuit ab Adamo vsque ad Noë 1656

6 mundi ætates & quot annos vnaquæque contineat.

1656 annos continens: Secunda ætas ab egressu Noë ex arca vsque ad Abrahami natiuitatem fuit 942 annorum, si Eusebium, & Isidorum sequimur, si Hebræos, 292: Tertia ætas ab Abrahami natiuitate cœpit, & in Dauide desinit, quæ 942 annos continet. Quarta ætas à Dauidis temporibus ad captiuitatem Babylonicam numeratur, & 485 annos complectitur. Quinta ætas à tempore, quo Nabuchodonosor Hierosolymam vi cœpit, & Iudæos captiuos abduxit vsque ad Seruatoris natiuitatem 589 annos comprehendit; à Christo verò vsque ad nostra tempora 1622 numerant.

Mundum incœpisse non minus probant regionum diuisiones, quæ ante diluuium desertæ iacuerunt, sicut & omnium regnorum, & vrbium primordia, quæ antiquis litterarum monimentis prodita sunt. Ferunt enim Hierosolymorum vrbem à Cana, seu Melchisedec extructam fuisse, quæ cùm priùs Solyma diceretur, à Dauide Hierosolymæ nomen Iebusæis & Chananæis eiectis, consecuta est: cuius initium referunt ad annum mundi 1951. Quid si velim omnes vrbes percurrere? nunquid Roma 753 annis ante Christi aduentum à Remo, atque Romulo condita fuit? Nunquid Lutetia celeberrima totius Europæ ciuitas à Paride; Neapolis, seu Parthenope à rege Diomede: Parma à Criso: Ancona à Dolope: Taruisium à Troianis: Rhodus à Telchinis, & Cariacis: Carthago, seu Tunetum à Didone: Lugdunum à Plancio, & vrbes reliquæ ab aliis hominibus suo quæque tempore condita sunt?

Quo mũdi anno condita Ierusalem.

Quo anno Roma condita

Multarum vrbium cõditores.

Quibus profectò satis ostenditur mundum aliquando, idque non ita pridem cœpisse: quod etiam artes ostendunt, siquidem ad Prometheum Grammaticam, Rhetoricam ad Tisiam, & Gorgiam; ad Cleanthem, Chrysippum, & Dionysiodorum; artem memoriæ ad Simonidem: ad Euclidem Geometriam: ad Sapphonem Musicam: Medicinam ad Serapionem; ad Apim Chirurgiam: nauem ad Noam; Lyram ad Mercurium referunt.

Quinam scientias inuenerint.

Tribuitur Astrologia Anaximandro: Cleanthi pictura; Radamantho leges acceptæ feruntur: Chirô herbarum vires; Thales horologium; Æginetæ modum cudendæ monetæ inuenit. Idémque facile reperiemus in omnibus arte factis, si per omnia discurrere velimus: quod vt vnicuiq; peruium libens omitto, vt ad vsum periodi magnæ redeam, & huic obiectioni tandem aliquando finem imponam.

Vsus periodi Iulianæ declarantur.

Primus vsus.

Periodus illa Iuliana duplicem vsum præcipuum habere potest: nempe vel vt annum inuestigemus, in quo nonnullæ historiæ narrantur, nulla anni facta mentione, sed tantùm lunaris eclypsis, vel cycli, siue solaris, siue aurei, vel indictionis, ex quibus simul collatis annus verus eruitur: dum enim aliquid authores euenisse narrant, nec tamen annum producunt, dummodo eorum aliquis cyclum aliquem notet, alius verò vel indictionem, vel eclypsim, horum collatione per artificium prædictum in anni cognitionem deuenimus.

2\. Cur olympiades, & vbi celebratæ.

Alter vsus est, vt in illa periodo assignemus annum, cui vel Olympiadis vel cuiuslibet alterius Epochæ anni singuli correspondeant: quod ostendo primum in Olympiadibus, quas Græci quarto quoque anno in honorem Iouis olympici in Elide Peloponesi regione, tota pene confluente Græcia, celebrabant: hos ludos Iphitus instaurauit, vnde dicti sunt anni Iphithæi: Hæc autem certamina olympica primo mense anni sub plenilunium, seu paulo post Solstitiũ æstiuum celebrabãtur. Itaque prima olympias anno periodi 3938 respondet, & ideo annus primus 2 olympiadis anno periodi 3942, idque huius æstati mediæ congruit, & desinit æstate media anni 3943, quo natum fuisse Romulum aiunt.

Iphitæi anni.

Quo anno periodi olympias 2, & Romulus fuerit.

Notandum est autem omnia certamina olympica incidere in sequentes annos periodi post centenarios.

2.6.10.14.18.22.26.30.34.38.42.46.50.54.58.62.66.70.74.78.82.86.90.94.98.

Annus Christi 1624 cui anno periodi respondeat, & cui olympiadi.

Vnde constat annum Christi 1621 fuisse olympiadicum: qualis & 1624 futurus est, qui anno periodi 6346 respondebit. Quod si velis olympiadum numerum, qui anno Christi 1624 fluet, inuestigare, ab annis 6346 periodi, qui anno Christi præcedẽti respondet, deme 3938 annos, tunc enim vt diximus, primam olympiadem incœpisse putãt; restabunt anni 2408, qui à principio olympiadum ad æstatem anni Christi 1624, & periodi 6346 fluxêre: Annos autem olympiadum 2408 si per 4 diuiseris, numerum illarum produces anno Christi prædicto respondentem 602. Hac ratione iuxta sententiam Eusebij annum elicere possumus, quo Christus passus est, nempe anno 4, seu vltimo olymp. 202, incipiente 203: quæ 202 olympiades per 4 multiplicatæ reddunt annos 808, qui iam ab initio olympiadum fluxerant, quando Dominus noster pro nobis sese obtulit in cruce: quos si annis 3938 periodi iungas, summa 4746 exurget annorum, quo iuxta prædictam sententiam Christus passus est.

Similiter alias Epochas ad dictam periodum reuocare possumus: Inter annos verò, qui celeberrimi fuisse videntur æquabilem Chaldæorum, & Ægyptiorum annum numerant, quem in 12 menses æquales τριακονθημέρους diuiserunt, adiectis post mensis vltimi finem 5 diebus, quem annus noster bissextilis vno die superat. Varias autem Epochas in anno Aegyptiaco notant, quas accipiunt à morte, vel imperio regum, quas tamen ad anni principium. i. Kalendas primi mensis Thoth Mercurij referunt, Thoth enim lingua Aegyptiaca, Græcis Ἑρμῆς appellatur, quia menses suos Ægyptij Deorũ, Heroüm, & veterum regum cognomines fecere.

Anni æquabiles Chaldæorum.

τριακονθημέροι.

Thoth.

Ptolemæus autem diuersas illas regum epochas numerat, ita tamen vt omnes propter calculum astronomicum à neomenia primi mensis Thoth incipiant, tametsi vel in medio, vel in fine illius anni reges, à quibus Epochæ denominantur, vel regni habenas susceperint, vel etiam obierint, & quoniam Hipparchus, aut Ptolomæus nullas obseruationes Nabonassaro antiquiores acceperunt, ea propter Epocham antiquissimam ab eo Ptol. repetit, cuius soli Ptolemæus, & Censorinus meminerunt, quémue nonnulli Babylonium regem fuisse suspicantur. Has igitur Epochas ita Ptolemæus, prout sequuntur, enumerat, quibus annos & dies periodi magnæ respondentes subiungemus.

Sumptæ à regibus ————	*Epochæ.*	*Anni & dies magnæ periodi.*	
Nabonassari cœpit	0	3966	Febru.26.
Mardokempadi regis	27	3993	Febr.20.
Nobopollassari	123	4089	Ianuar.27.
Cambysis	219	4185	Ianuar.3.
Darij primi	227	4193	Ianuar.1.
Alexandri magni obitus	425	4390	Nouemb.12.
Philadelphi	464	4429	Nouemb.2.
Philometoris	5 8	4533	Sep.12.
Augusti Cæsaris	7 9	4684	August.31.
Domitiani Imperatoris	829	4794	August.3.
Traiani	845	4810	Iulij 30.
Adriani	864	4829	Iulij 25.
Antonini	885	4850	Iulij 20.

Celeberrima Astronomorum Epocha quæ

Hinc constat celeberrimā Astronomorū Epocham à Nabonassaro incipere, cuius exordiū respondet anno 3967 periodi magnæ, cyclo solis 19, lunæ 15, quo anno neomenia primi mensis Thoth 26 Februari; congruebat, Hæc autem neomenia propter diem nostrum bissextilem mutabilis est, adeout 1460 nostrorum annorum spatio orbem suum absoluat, & in eandem sedem recurrat: cùm enim anni Ægyptiaci sint æquales, nullo bissextili interposito, 1460 anni nostri respōdēt 1461 annis Aegyptiacis; quia prædicti anni Romani 365 bissexta continent. Ideóque totidem annis Neomenia Thoth Kalendis Ianuarij, & vltimo Decembris inuenitur, quales anni 5 sunt in magna periodo, nempe 1273. 2733. 4193. 5653. 7113, inter quos 1460 anni semper intercedunt.

Quomodo anni Ægyptiorum nostris annis respondeant.

Dies autem quos anno suo iungunt, postquam effluxerunt 12 menses 30 dierum, sunt 5 numero, quos Græci ἡμέρας ἐπαγομένας appellant, vnde apud Ptolemæum πρώτη, δευτέρα, τρίτη, πέμπτη, ἢ ἕκτη τῶν ἐπαγομένων, sicut & singulorum mensium principium, Neomenia appellari consueuit. Ex dictis colligo tres esse prædipui nominis in chronologia, vsúsque frequentioris Epochas; nempe Æram Christianam, Olympiadum, & Nabonassari, quas si inter se connectis, minores aliorum Epochas facilè in ordinem rediges. Hanc Epocharum cōnexionem aiunt Portium Catonem, deinde Terentium Varronem Tullio coæuum aggressum fuisse, qui tempus à mundo condito ἄδηλον propter ignorantiam appellabat.

ἐπαγομέναι.

Varro totū mūdi tempus in 3 partes diuisit.

Secundum à cataclysmo ad primam olympiadem μυθικόν, quòd in eo multa fabulosa narrarentur. Tertium denique ab ista olympiade ad reliqua sæcula historicum, ob historiarum, quæ habentur in eis, veritatem, in quo opere perficiundo Varro Tarrutij Firmiani in Chaldaicis numeris exercitatissimi opera vsus est.

Tarrutius.

Sunt autem characteres nonnulli ad hoc necessarij, quales sunt lunæ, solisque defectiones, planetarum motus, & situs in cœlo, & hi sunt naturales: alij verò ciuiles, nempe Indictiones, solis, & lunæ cyclus, feriæ hebdomadis, dies festi, vt Pascha, Pentecoste &c. bissextus, lunæ ætas ex situ numeri aurei desumpta, ludi certo tempore recurrentes: apud Iudæos annus Sabbaticus, & Iubilæus. Horum igitur beneficio Olympiades cum annis nostris, & historiam græcam cum Romana connectimus; sicut per Æram Nabonassari Chaldæorum, & Persarum annos cum annis Romanis. At de his satis superque dictum est, vt conuincamus ex omnium hominum consensu mundum nec ab æterno, imo nec ante 7000 annos incœpisse, quod, præter rei veritatem, quæ est de fide, quam nimirum scriptura sacra exprimit, Athei æquè saltem credere debent, ac ciuitatem Hierusalem subuersam fuisse, Constantinopolim, Cayrum, Romam, & Venetias esse magnas vrbes, Virgilium aliquando fuisse, & cætera, quæ narrant historici, credunt. Facessant ergo huiuscemodi nebulones, ac si possint, ad sanam mentem redeant, quod faxit Deus Optimus Maximus.

Characteres temporis naturales, & ciuiles qui.

Obiectio 25.

OBIECTIO XXV.

Atheorum, quòd nullus sit effectus, qui Deum esse probet, in qua obiectione robur omne collocant.

CAPUT II.

HAnc obiectionem, & eius solutiones in capita distinguemus, quia cæteris longior est, itaque sic arguunt.

Si quid Deum existere suaderet, effectus, quos hoc in orbe percipimus illud maximè facerent, quod tamen falsum est, omnes enim vel sunt mutabiles, vel mutationis expertes; si primùm quomodo aliquem inde probabis immutabilem esse? si secundum vt patet in cœlis, & elementis, quæ semper eadem remanere videntur, minus adhuc suadent, cùm potiùs inde colligamus à seipsis esse: cætera etiam quæ fiunt in sublunaribus Deum aliquem esse minimè probant, quandoquidem illa omnia vel cœlis, & astris, vel ipsorum motricibus intelligentiis, vel vniusque rei proprietati, & complexioni tribui possunt; sic enim Arabes quidam astrologi, Cardanus & alij regnorum, religionúmque initia, incrementa, mutationes, & cætera, quæ hîc continuò fieri cernimus; in magnas syderum constellationes, diuersósque situs, & aspectus referunt, atque refundunt.

Hinc illud argumentum oritur. Frustra fit per plura, quod per pauciora fieri potest, nec enim quidquam frustra solet facere natura; sed quæcunque videmus à natura fieri possunt, igitur præter illam Deum esse gratis, seu frustra dicimus; quandoquidem nullus effectus, nulla creatura tanta est, quæ nos in Dei cognitionem adducere possit.

Confirmatur ex eo, quòd si quid aliquem esse Deum ostenderet, id de miraculis præsertim asserendum esset, quæ Deum esse testarentur, at neque id dici potest, cùm apud gentiles etiam, æque ac fideles, & admittentes Deum, vnum, verum, omnipotentem miracula facta sint: Enimuero Nauius augur ad postulationem Sexti Tarquinij cotem nouacula scidit: Castor & Pollux bello latino apud lacum Laturnæ, equorum sudorem abluentes visi sunt, cùm ædes eorum, quæ iuncta ponti erat, sua sponte patuisset; iidem bello Macedonico equis albis insidentes; Publio Vatinio Romam venienti sese obtulisse dicuntur, nunciantes eo die regem Macedonum Persen bello superatum, quod paucis post diebus literæ Pauli Consulis verum fuisse, docuerũt.

An miracula Deũ esse probent.

Diuersa gẽtilium miracula.

Dij penates, quos Æneas tanto cum labore, & periculo è patriæ incendio eripuit, Lauinium ab eodem, deinde ab Ascanio Albam transportati, etsi non minus, quàm equus Troianus, qui excidij causa duratei, idest lignei erant, nihilominus tamen velut postliminio ad primam Lauinij stationem redierunt: fugitiuorum absentiam admiratus Ascanius, vbi in Latio eos esse accepit, furto subtractos existimans, Albam reportari iussit. At boni illi penates, ne parum Dij viderentur, secundò ad primum locum reuolarunt, quam ob causam multo deinceps in maiori habiti sunt veneratione. Vt verò manifestiora sint Atheorum argumenta omnia, nobisque ipsis eorum arma obiiciamus, parallellos progredi libet; ne forsitan conquerantur, quod nõ omnes illorum obiectiones diluerimus.

Si quando beatæ Virginis, crucifixi Christi, aut alicuius sancti imago locuta est in religionis Christianæ, aut diuinitatis assertionem, idem apud eos factum est, qui Deum illum, quem verum esse, proindéque vnicum Christiani docent, non admittunt, nam fortunæ muliebris simulachrum locutum est; cùm miles captis Veiis ad Iunonem Monetam accessisset, & petiisset vtrum Romam migrare vellet, se velle respõdit: quod ita referunt Plutarchus, & Liuius.

Imagines locutæ sũt.

Expugnatis Veiis Camillus multos artifices conuocauit; Iunonis simulachro sacrum fecit, eamque precatus est, vt populo Romano propitia sit, secúmque Romam ad inhabitandum concedat, & huius suæ voluntatis signum aliquod tribuere velit. Tum simulachrum non modò Camillum brachiis circumplexus est, verùm etiam his verbis allocutus est: Romam veniam, téque lubens volens sequar.

Apparitiones deorũ.

Pana Athenienses diuinis honoribus coluerunt, quod ipsorum legato Philippidæ in Parthenia Sylua occurrens, in pugna Marathonia Atheniensium res se adiuturum dixisset.

Si apud fideles quandoque Deus per oracula, vel signa quædam, vt per Vrim & Tummim respondisse fertur, nunquid vacca nigra, quæ cum aliis Cyzenicorum armentis in vlteriori maris littore pascebatur, in hostiam prædictæ Proserpinæ destinata monuit diem esse festum Proserpinæ, cùm Mithridates Cyzicum obsideret? quippe quæ relicto grege sola in aduersũ littus enatauit, atque ea ipsa hora, qua Deæ sacrum fieri debebat, commodum se obtulit; quod pro indubitato fausti exitus omine ciues acceperunt, quos neque spes fefellit: Mithridates enim non multò post cum exercitu fame plusquam dimidia parte mutilato, re infecta in Bithyniam reuersus est. Cleomene Spartanorum rege Iunoni sacrificante, ac de futuræ contra Argiuos expeditionis euentu sciscitante, è pectore simulachri flamma emicuisse dicitur, qua haruspicibus interpretibus significabat Cleomenem non voto suo integrè potiturum, sed vrbem tantùm incensurum, & capturum, non arcem, quæ caput erat. Turpino Rhemensi teste saxum in littore maris ad Gades antiquissimũ fuit, subtili opere incisũ, subtus latũ, & quadratum, fastigio verò in pyramidis modum acuminato, cui ærea statua hominis magnitudine superimposita fuit, vultu ad Austrum cõuerso, manúque dextra clauem prægrandem tenẽte, quã

Oracula & responsa Deorum.

Prophetia Mahumeti falsa.

V

Sarraceni dixerunt à Mahumete collocatam, eique custodiæ causa geniorum, siue larium legionem adiunctam, addito vaticinio eo anno clauem ex idoli manibus casuram, quo in Gallia rex natus fuerit, qui totam subiugaturus sit Hispaniam, adeout delapsa claui, humique inuenta Sarraceni defossis in terram thesauris fugam arripuerint: quod idolum apud eos semper exinde fuit in admiratione.

Curationes miraculosæ apud Gentiles.

Audio Mosem, Christum, prophetas, apostolos multa patrasse miracula, inter quæ non vltimum locum obtinent tantæ morborum curationes, quandoquidem vita variis infirmitatibus plena, mors potiùs, quàm vita dicenda est; sic enim omnes Christum cæcis visum restituentem admirabantur: Quid Isidis ab Ægyptiis cultæ simulachrum? Nonne Diodoro Siculo teste, & ægris sanitatem, & cæcis luminis visum restituit? idemque videas apud Pausaniam de Æsculapij Epidaurensis simulachro Romam postea aduecto: quod locupletissimè tabula Romæ in eius templo inuenta comprobat, quæ in Maffæorum ædibus seruatur cum græca inscriptione, quam Mercurialis latinam fecit, & his verbis expressit.

Cæci illuminati.

Hisce diebus Cato cuidam cæco oraculum reddidit, veniret ad sacrum altare, & genua flecteret, à parte dextra veniret ad læuam, & poneret quinque digitos super altare, & eleuaret manum, & poneret super proprios oculos, Et rectè vidit populo præsente, & gratulante, quòd miracula grandia fierent sub Imperatore nostro Antonino.

Sanguinem reuomenti Iuliano desperato ab omnibus hominibus: ex oraculo respondit Deus, veniret, & ex ara sumeret nucleos pini, & comederet vna cum melle per tres dies, & conualuit, & viuens publicè gratias egit præsente populo.

Valerio Afro militi cæco oraculum reddidit Deus, veniret, & acciperet sanguinem ex gallo albo, admiscens mel, & collyrium conficeret, & tribus diebus vteretur supra oculos, & venit, & vidit, & gratias egit publicè Deo.

Lucio affecto lateris dolore, & desperato à cunctis hominibus, oraculum reddidit Deus, veniret, & ex ara tolleret cinerem, & vna cum vnione misceret, & poneret supra latus: & publicè gratias egit Deo, & populus congratulatus est illi.

Mirabilis historia regis cæci persanati. Herodotus

Vis iterum, vt cæco restitutum lumen proferamus in Pherone Sesostris filio, qui, teste Herodoto, iussus ab oraculo, vt Deum placaret Heliopolitanorum, deinde mulierem quæreret, quæ nullum alium virum nouisset, quàm maritum, cuius lotio si oculos abluisset, visum esset recuperaturus, his peractis confestim caligo ab eius oculis depulsa est, adeout rectè rex oculis vsus fuerit; enimuero longè latéque facta per vniuersum Ægypti regnum indagine, diu mulier illibatæ pudicitiæ inuenta est, præter vnam olitoris cuiusdam vxorem, cuius aqua ablutis regis oculis persanatus est.

Adulterij pœna incendium.

At Phero mulierum iratus impudicitiæ omnes pro remedio ante conquisitas, atque hoc experimento adulterij conuictas, in pyram conijci, & comburi iussit, illam verò per quam sanatus est, duxit vxorem. Posthæc Deo Heliopolitano sacrificauit, in eiúsque honorem è saxo viuo duos obeliscos octonûm cubitorum latitudine, & centenûm longitudine extruxit.

Id refert Diodorus Siculus.

Adsunt etiam nobis miracula gentilium, quibus ad cæterorum terrorem ij suppliciis subitis afficerentur, qui sacrificia idolorum contemnerent, si quidem illi apud Leontinos cæcitate, membrorum contractione, aliisque morbis percutiebantur, qui sacrificia Geryoni, & Iolao à pueris fieri solita negligebant, qui tamen sacrificio rite peracto, sani rursus, & validi inde discedebant, vt illud perquamsimile videatur suppliciis, quibus plurimi sanctos irridentes afficiebantur, qui tamen sanabantur, vbi eos pœnituisset: hucque punitio Chore, Datan, Abiron, & Mariæ sororis Aaron reuocari possunt.

Cæcitas illata.

Sæpissimè Deus ad virtutis commendationem, suique nominis gloriam martyres suppliciis eripuit, quos neque flamma, ferrum lædebat, qui nudum corpus bullienti oleo, fusisque metallis impunè mergebant; verùm, Strabone referente, in Castabali templum fuit Dianæ Persicæ, cui dicatæ virgines super prunis ardentibus illæsæ ambulabant, idemque ad radices montis Soractis in oppide Feroniæ ad eiusdem Deæ templum factitatum esse refert.

Varia prodigia in testimonium virtutis.

Strabo.

Mitto nauim, quam Claudia Romana in pudicitiæ testimonium cingulo traxit, tametsi hærentem in vado Tyberini fluminis: cribrum aqua repletum, quod Vestalis de corruptione insimulatæ controuersiam abstulit; Romam Æsculapij Epidauri beneficio à diuturna peste liberatam, & id genus alia sexcenta, vt ad mortuorum suscitationem accedam, quæ miraculorum fastigium obtinere videtur.

Aerus genere Pamphylius, qui decem dies ante prælio occubuerat, integer, incorruptóque corpore repertus, domum delatus, atque in rogum coniectus subitò resumpto spiritu reuixit, & quæ interim viderat retulit, vt Plato 10 de republ. ait; Nõne & Gabienus Cæsaris fortissimus, & clarissim⁹ miles, qui bello ciuili Põpeiano, Põpei iussu incisa ceruice inter occisorum aceruos totum diem iacuerat, emersit, & nuntiis à Sexto Pompeio ad se missis, dixit se, cùm mortuus iaceret, rursus in vitam à Diis reuocatum, vt illi renuntiaret, ne vlla clade terreretur, victoriam enim apud se futuram, quoniam eius causa inferis Diis iustior videretur, inde euentum, quem optaret, futurum, hoc se à Diis immortalibus nuntiare præceptum, argumentúmque fore veritatis, quod peractis mandatis rursus animam poneret, quod statim euenit. Auila quoque vir consularis, in rogum coniectus reuixit, & quoniam subueniri non poterat; præualente flamma viuus combustus est. Varro refert 20 viris agros diuidentibus, Capuæ quendam, qui efferretur feretro, domum remeasse pedibus, quod & Aquini accidisse refert Plinius. C. Ælium Tuberonem à rogo relatum, cùm subitò reuixisset, & Romæ prætura functum.

Resurrectio.

Plato.

Variæ resurrectiones.

Varro.

Sed & Heraclides narrat 7 diebus exanimem fœminam ad vitam rediisse. Minos rex Cretæ iam tumulatus fracto sepulchro surrexisse refertur. Vnde Claudianus de victoria Stiliconis.

Claudian.

Cretáque si verax narratur fabula, vidit
Minoum rupto puerum prodire sepulchro.

Idem

Macrob. Idem Æsopo Phrygiæ fabulatore, de Tindareo, & Hercule, de Palicis Iouis & Thaliæ filiis apud Macrob. 5. Saturn. deque aliis plurimis traditur, vt vix à Christo & apostolis tanto numero suscitatos reperias, quanto apud infideles, qui omnia fato tribuunt. Præsente Domitiano Cæsare ferunt Apollonium mortuam puellam feretro iam in sepulturam sublatam, ad vitam reuocasse; quem etiam dicunt auium, & animalium linguas intellexisse, & omnibus linguis fuisse locutum, adeout illud à natura, non

Euseb. à præceptore habuerit, quod tamen egregiè refellit Eusebius libro in Hieroclem.

Quod si dixeris illa miracula non esse vera, sed ficta, gratis illud affirmatur, quandoquidem id

Preoccupatio. est in quæstione positum, idemque de Christi, sanctorumque miraculis dici poterit, cùm acies oculorum, quæ sola mirabilis illos effectus videt, inter ea miracula discernere non valeat, quæ vel Christiani fecerunt, vel pagani, vt clarum est cuilibet vtrorumque miracula conferenti: Cùm igitur miraculis nihil potentius esse videatur, vt Deum esse probemus, neque tamen possimus ex eis diuinitatem concludere, reliquum est, vt dicamus ipsam naturam sufficere, in quam omnia, quæcumque fiunt, vel antè facta sunt, refundamus.

Quibus vnico verbo possum satisfacere, si dixero miracula omnia, quæ apud gentiles facta

Breuis solutio prædictorum. sunt, si quæ vera fuêre, à Deo peracta fuisse, qui non tantùm Christianorum, sed & gentilium, & omnium Deus est, & Dominus absolutissimus: cui omnia obediunt ad nutum, cuius verbo facta sunt omnia, quæcùnque facta sunt: Quem proinde si virtuti nonnunquam à paganis oppressæ miraculo succurrit, an ideo vis eum è medio tollere?

O miram impietatem, & ingratitudinem! tu post tanta, & insolita beneficia, minimè benefactorem agnoscis; quid ergo facias, si tibi nulla beneficia, si nulla prospera, sed aduersa tantùm immittat?

Certè debent Athei ex eiusmodi prodigiis apud gentiles exhibitis ad alicuius diuini numinis cognitionem exurgere, quod maximam curam de hominibus habeat; Cur enim illæ curationes morborum, & cætera quæ in hominis vergunt commodum, non semper eueniunt? nisi quia summus ille rerum omnium Dominus sua beneficia quando vult, & eo modo, quo placet, & quo ea nō tantùm ad nostram vtilitatem, sed quod præcipuum est, ad suam maiorem gloriam futura videt, liberè dispensat.

Verùm distinctiùs paulo, latiúsque ad præcipua capita respondendum est, vt manifestò constet multa esse in rerum natura, quæ Deum esse probant, à quibus neque apparitiones angelorum, & oracula seu reuelationes, neque morborum curationes, neque resurrectio, & alia miracula reiici debent, quippe suo modo Deum necessariò concedendum esse conuincunt.

Solutio argumenti Atheorum exinde desumpti, quòd nulla creatura Deum esse demonstret.

Plurimæ difficultates articulo præcedenti Atheorum obiectionem exponente comprehenduntur, quas non ita breuiter dissoluere possum, vt id vnico capite peragatur: itaque priùs videndum est, an aliquis effectus Deum esse probet: deinde an angelorum apparitiones; tertiò an diuinationes, & oracula, quartò an morborum curationes, quintò an resurrectio mortuorum, & si quæ his similia occurrant, quæ pluribus capitibus absoluenda sunt, ne si omnia vnico capite concludere velim, in immensum crescat, & res tota minus aperta remaneat.

CAPVT II.

An aliquis effectus naturalis Deum esse conuincat.

Dvo sunt, quæ spectare possumus in creaturis, nempe ipsam earum naturam, & modum, quo factæ sunt; si primum consideremus, dubium non est, quin finitæ sint, certisque limitibus, ac terminis circunscribantur, quod tam in quantitate molis quàm virtutis, atque perfectionis verissimum est, vt omnes etiam Athei concedunt: & ita verum est, vt melioris notæ philosophi communi calculo doceant, atque concludant nullam esse posse creaturam, quæ sine fine, sine limite, sine terminis esse valeat, cùm enim ex hypothesi quælibet producta fuerit, debuit habere finem, sicut & principium, tametsi probè sciam nonnullos huius ætatis philosophos etiam Catholicos in Scholis docere, atque pro focis, & aris tueri creaturam aliquam fieri posse, quæ vel in quantitate, vel qualitate, vel etiam substantia nullo termino definiatur, aduersus quam nolim in præsenti decertare, ne à præstituto fine discedam. Vtut sit ex omnibus effectibus, quos ante conspectum obuersari cernimus, nullus est, qui finitus non sit, siue terram cum cæteris clementis vsque ad lunam diffusis, siue cœlos, & astra, siue ipsos angelos; aut quicquid aliud spectaueris.

Veruntamen si modum illum, quo ex nihilo Deus illas eduxit, accuratiùs inspexerimus, quis in dubium reuocare poterit ex eo concludendum causam efficientem omnino talem esse, quæ vir-

tute infinita polleat, quandoquidem à nihilo ad aliquid nescioquæ distantia intercedit, quam solum agens infinitum vincere possit: si enim, vt ait S. Doctor 1. p. q. 45. a. 5. ad 3. tanto maior virtus

D.Thomas requiritur in agente, quanto potentia est magis remota ab actu, virtus agentis ex nulla præsupposita potentia, quale agens est creans, debet esse infinita, cùm nulla sit proportio nullius potentiæ ad aliquam potentiam, quam præsupponit virtus agentis naturalis, sicut non entis ad ens: vnde concludit nullam creaturam creare posse, quia nulla potentiam, & virtutem, nec essentiam infinitam habet: quibus Atheos expugnatos, atque conuictos existimo, si rem maturius perpenderint, atque rerum omnium creationem admittere voluerint.

Sed illos submurmurantes audio, & cum

Obiectio Atheorum. philosophis garrientes: nihil creatum est, omnia vel à superioribus corporibus, & elementis producta sunt, vel improducta, qualia sunt entia corporis expertia: in quæ facili negotio velut in causas hæc omnia, quæ videmus, referre possis: adde quòd non desint catholici, quos inter Scotus est, qui negent in agente creante necessariò virtutem infinitam esse debere, siquidem maior potentia non requiritur, quàm sit entis creati à nihilo distantia, quod cùm finem habeat quia ipsum ens creatum finitum est, interuallum illud finitum esse necesse est, vt pote quod à termino positiuo reali existente, non autem à non ente sumi debet.

Quod confirmant ea ratione; si ab ente ad non ens infinitum ponis interuallum, igitur Deus non magis à non ente recedit, quàm angelus, quàm homo, musca, lapis, imo quàm materia prima, tametsi prope nihil fuerit, quandoquidem infinitum non suscipit magis vel minus; enimuero licet Deus plus quàm creatura de actu habeat, quippe qui purissimus actus est, attamen, qui distantiam à nihilo ad rem aliquam ex ipso nihilo, & non ex re metiuntur, Deum non abesse magis, quàm creaturam à non ente dicant, necesse est: vnde se confecisse existimant Athei nullatenus Deum, ex omnibus, quæ nostris oculis subiiciuntur, inferri posse.

Fateor quidem nonnullos Scholasticos negare inter ens aliquod creatum, & nihil esse distantiam infinitam, sic enim Scotus in 4. d. 1. q. 1. vult inter contradictoria non esse distantiam, cùm non possis tantisper ab vno recedere, quin sub alio constituaris: sic etiam Durandus in 2. d. 1. q. 4. quia, inquit, effectus nullus arguit infinitam virtutem effectricem, nisi fuerit infinitus, & ens atque nihil non sunt termini creationis, quandoquidem creatio tantùm esse de nihilo dicitur, quia non est de aliquo, nec in ratione subiecti, nec in ratione termini; deinde tametsi ens & nihil distarent, non tamen infinitè, quia non ens, quod implicat contradictionem, plus distat ab ente, quam illud non ens, ex quo fit aliquid per creationem.

Veruntamen si probè, & accuratè rem totam perspexerimus, ac momenta rationum, quibus Theologi cæteri contraria sentientes, fulciuntur, in examen adduxerimus; facilè profectò ipsi concedent Athei, si dictamen rationis sequantur, huiusce modi esse rationes, quibus nullam creaturam creare posse aliam probari solet, vt eis homines assentiri debeant.

Enimuero quis non videat ei minimè conuenire posse, vt agat nullo supposito, nisi primum agens fuerit? quis non fateatur inter ens, & nihil nullam esse proportionem, ac proinde neque inter virtutem, quæ producit ex nihilo, & eam quæ facit ens ex ente? adde quòd nulla creatura se totâ potest agere; cuius cùm actus omnes sint accidentia, quomodo substantiam creabit? Nolim autē hîc inquirere, an agens finitum saltem instrumentaliter ad creationem concurrere valeat, quandoquidem non est id in quæstione positum, sed tantùm an ex rerum omnium, quæ sunt in hoc mundo, productione, ad summum producens, videlicet Deum omnipotentem, quem negāt Athei, peruenire possimus: Et quidem esse rerum; seu gradum entis, vt pote vniuersalissimum ad vniuersalissimum agens reducendum, atque referendum esse, non est qui non videat. Sed demus gratis eas rationes contrasentientis intellectum minimè conuincere, demus prædictos theologos cum aliis iure merito illas dissoluere; profectò in hoc omnes conueniunt, creationem soli Deo conuenire, vt agenti ex se; quamuis enim angelus verbi gratia aliquid diceretur creare, id tamen esset in virtute primi, vt Scotus ibid. concedit, qui probat angelos substantiam creare non posse, quia eorum intellectio, volitio, & potentia, quibus creare deberent, sunt accidentia; at impossibile est accidens esse principium formale producendi quamcūque substantiam, quæ nobilior est quolibet accidente. Durandus etiam fatetur creationem, prout nihil ex parte agentis supponit, quod proinde suæ virtuti inniti debet, soli Deo competere; etenim si cui posset communicari, vt non inniteretur agenti priori, posset etiam illi communicari, vt non esset ab alio tanquam ab efficiente causa; quatenus autem creatio nihil ex parte rei faciendę supponit, licet creans innitatur priori agenti, nondum vlli creaturæ congruere potest, saltem respectu creabilium omnium, nec enim seipsam creare potest, quæ tamē ex hypothesi est de numero creabilium; Adde quòd omnes actiones cuiuslibet creaturæ sunt accidentariæ, ac proinde cùm omnis actus accidentalis in agente supponat potentiam receptiuam in essendo, requirit etiam potentiam receptiuam in agendo, quod impedit ne creandi principium esse possit.

Verùm quid hæc vrgeo? cùm Athei videantur ipsas creaturas sui creatrices facere, nolunt enim ab vllo dependere; quos proinde ad articulum 2 huiusce quæstionis relego, in quo Deum ponendum esse probauimus; sed & sibiipsis contradicunt, & vbi nostras rationes infirmare putant, maximum eis robur addunt; enimuerò si, vt vultis, & verum est, quæcumque videmus, finita sunt, quis ea finiuit? quis terminos illis præscripsit, vt hucusque progrederentur, & non vltra, quis oceani fluctibus limites constituit, ne terram obtegeret, & absorberet? quis impediuit ne luna, sol, & astra ad nos vsque corpora sua extenderent? quis denique rebus singulis numerum, pondus, & mensuram, quis modum, speciem, & ordinem præstituit? quis? quis, inquam, nisi infinitus aliquis, qui Deus sit, quem quærimus, quem dicimus, & affirmamus, quem colimus, & tota mente veneramur, qui præmia fidelibus catholicis, supplicia verò infidelibus Atheis retribuet. Porrò longè citiùs illi negarent esse Deum, si res creatæ infinitæ essent, aut aliqua

aliqua creatura vim infinitam, & illimitatam haberet, tuncque meritò cæteras creaturas finitas in illem infinitam reducerent, vt etiam maximas Deo gratias referre debeamus, qui (si talis creatura non implicet, aut earum immensus numerus fieri possit) finita solùm produxit, ne fortè faciliùs homines Atheismo fauerent. Vt verò magis ac magis Atheos ad agentis summi, rerúmque omnium creatoris agnitionem prouocemus, atque perducamus, oculis iterum præclaram illam creaturarũ omnium œconomiam, suauissimum concentum, & admirabilem ordinem subiicere libet.

Quis ex omni hominum numero, vbi oculos ad cœlum conuerterit, & stellarum tum fixarum tum errantium globos, pulchritudinem, & splendorem contemplatus fuerit, Deum esse negare ausit? Solem mihi quis intueatur; cœli illã faciem inextinguibilem, diei, lucísque dispensatorem, tum noctilucam Lunam argenteo colore diuersas figuras repræsentantem: qui etsi variis, adeoque contrariis motibus cientur, constantissimè tamen vicissitudines conficiunt anniuersarias, & admirabilem seruant ordinem, & concentum.

Cernatur vniuersa terra vestita floribus, herbis, arboribus, bestiarum cicurum, & ferarum plena, locata in mundi media sede, sua grauitate stabilis, suisque in se nutibus conglobata, neque in hanc neque in illam partem vergens. Adde huc impendentium montium altitudines, vallium profunditates, immensitates camporum, syluarum vestitus viridissimos, vastitates littorum, inaccessas rupium asperitates, gelidas perennitates fontium, liquores perlucidos amnium, stagnãtes paludum, & æstuariorum aquas, suauissimum decurrentium riuulorum strepitum, & murmur, quorum commoditatibus res omnes hominum mirum in modum adiuuantur, & venustate spectantium oculi, & animi mirificè afficiuntur. Quis non obstupescat mare intuens, continuis fluctibus, ac ventis agitatum, cuius nec diffluens æstus in aridum se diffundit, nec immensitas terram operit, sed littore, & exiguis arenarum collibus, tanquam obicibus clusum continetur. Cuius mens tam tarda, tamque bruta sit, quæ non statim à tantæ, tamque admirabilis rerum omnium pulchritudinis, atque ordinis aspectu ad diuini alicuius numinis, quod hæc omnia fecit, mouet, regit, & gubernat, cognitionem, & sensum feratur? Quis verò in se ipsum descendens, suámque ipsius fabricam contemplatus, non veluti mundi quoddam videt epitome, atque compendium? Ecce tibi corpus ad omnes motus accommodatum; ecce animum per se omnis motus expertem, solo tamen nutu motus omnes regentem, cuius cùm opera, & effectus sensibus obuij sint, & expositi, natura tamen, & essentia nec mortalibus oculis aspici, nec intellectus vi comprehendi potest. Annon illarum omnium rerum tanta est admirabilitas, tanta tamque excellens præstantia, quæ vel inuitos fateri cogat esse diuinum aliquod, & præpotens numen, quod hæc omnia operetur, & infinita sua sapientia immensam hanc mundi fabricam tueatur, & gubernet? Ideóque Hermes dicere solebat non quidem humanæ intelligentiæ angustiis Deum capi, manibus tamen quodammodo contrectari posse, vt pote cuius apertissima vestigia omnibus in rebus impressa cernantur; hunc contactum omni cognitione certiorem æstimat Iamblichus, vnde ait Auicenna

Ex se ipso potest Atheus Deũ cognoscere.

eum non tantùm ratione, sed etiam sensu carere, qui Deum, aut Numen non agnoscit: Tullius verò 1. de natura Deor. illum vix sanæ mentis existimat; & quidem meritò, nam si rebus inferioribus ad sublimes, à terrenis ad cœlestes, ab vniuersis ad singulares ascendamus, nullam profectò reperiemus rem tam excelso, támque illustri loco positam, quæ non ad designandam nobis diuini numinis præsentiam quodammodo se demittat, nullam tam paruam, tamque abiectam, quæ creatoris sui magnitudinem non ostendat.

Quattuor omnino in hac inferiori mundi parte res enumerantur, è quibus vitæ, sensus, atque rationis ducta videntur principia: terra scilicet, aqua, aër & ignis, è quibus res omnes, quæ sunt, quæque mouentur, & sensu ac ratione prædictæ sunt, constant, & sustentantur: in his ipsis tamen 4 elementis nihil aliud deprehenditur, quàm nuda quædam essentia, omni vita, sensu, & motu destituta, adeout à nihilo, vel priuatione parum absit eorum natura. Arboribus, & plantis vegetanti tantùm est facultas, quam dicta elementa conseruant, alimentum terra, aëre, & aqua humorem suppeditante. Animalia præterquam quòd sunt, & viuunt, sentiunt quoque, & itidem ab elementis vitam sumunt, ab igne calorem, ab aëre spiritum, à terra, aqua & plantis alimenta, quibus vita eorum sustentatur. Sequitur homo vita, sensu, & ratione præditus. Hic vtitur elementis, manducat plantas, dominatur animalibus, & intelligentiæ vi, qua pollet, res abditas, & obscuras, tam in cœlo, quàm in terra percurrit, & rimatur. Quis tam ab omni humanitate est alienus nisi fortè in ipsis terræ cauernis editus, & glande, ac siliquis inter feras educatus, qui non facilè pulcherrimum hunc rerum omnium ordinem peruidere, atque inde pro certo colligere queat, necessariò quemdam esse, qui hæc omnia condiderit, architectum spiritum, cuius nutu omnia gubernentur, dominum, cuius imperio omnia contineantur? Quis enim dixerit, cuius sapientia gradus, quos videmus in rebus omnibus, & res inferiores superioribus sint subiectæ? Illud fortasse dices, res quæ sunt, originem, vitam, sensum, & motum à se ipsis habere.

Sed quid ais? cuius vi quomodo, aut quando factum est istud, quod factum dicis? Hoc saltem consideremus, quantopere res vnaquæque libertatem expetat, & seruitutem auersetur. Cur igitur elementa, quorum tanta vis est, tantáque amplitudo, non primum sibi elegerunt locum? vnde illud est, quod tãtillis stirpibus, & animãtibus subiacent, & vltrò inseruiunt? Quam verò causam dicemus, cur nobis homuncionibus in elementa, plantas, animantia, atque adeò omnia hæc inferiora imperium debeatur? non illud vides, quod vel manibus palpari potest, esse quemdam vniuersi huius rectorem, ordinis magistrum, & velut in magna aliqua familia patrem, rerúmque omnium dispensatorem, cuius iussu elementa seruiãt; animalia his vtantur; omnia verò tam hæc, quàm illa homini ad Dei imaginem, similitudinem facto obedientiam præstent, & vsum præbeant? Et quoniam res ipsa nos in hanc disputationem induxit, velim mihi respondeant impij illi, qui Deum esse negare audent, vtrum priùs fuerit esse, vel non esse, sentire, vel non sentire, ratiocinari, vel non ratiocinari? Certè dubium non est, non esse priùs non

V iij

fuisse, quàm esse; siquidem & nos olim non fuimus,& patres nostri suos quoque progenitores,& aui nostri atauos, ac tritauos suos habuerunt, & sic deinceps. Eodem modo plantarum videmus originem,& finem, animalium iuuentutem,& senectutem,vitam,& mortem;semperque omnibus in rebus finis certissimum est principij signum. Fateri igitur necesse est fuisse aliquando tempus, si modò tempus dici potest, quo nec mundus, nec elementa, nec animalia, nec homines vlli fuerint; quæ cùm omnia iam præsentia cernantur, illud quoque negari non potest à vi quadam externa hæc esse producta: quandoquidem ex nihilo nihil vnquam fieri potest nisi præsupponatur agens, quod ipsum nihil vincat: & inter nihil,& quamcúmque rem etiam minimam, infinitum est interuallum, vt satis innuit D. Thom. Scholasticorum princeps 1. p. q. 45. a. 5. infinitum verò interuallum non nisi ab infinito repleri potest. vnde sequitur harum omnium rerum causam effectricem potentiâ infinitam esse, quæ profectò alia esse non potest,quàm infinitus ille, sempiternus, & rerum omnium præpotens Deus.

Quid?nunquid elementa contrariis inter se qualitatibus pugnant, dum calor frigori, siccitas humiditati aduersatur? Atqui rerum omnium, quarum contrariæ sunt qualitates vna alteram perimit, & corrumpit: non tamen hoc vbique faciunt elementa, nec enim ignis aquam consumit,nec aqua ignem extinguit, sed hæc & alia in vno eodémque corpore conuenienter temperata, incrementa ei largiuntur. Omnino igitur tam admirabilem rerum inter se pugnantium concentum ab excellente aliqua, & diuina manu profectum esse oportet, cùm experientia testetur nec cytharam,neque neruos quantumuis benè accommodatos,& intentos vllum edere sonum, nisi cytharœdi digitis, vel alia ratione moueantur.

Cœlum deinde videamus tot stellis insignitum, tot circulis distinctum,in quibus cùm tot,támque varij,atque etiam aduersi motus deprehendantur, omnes tamen sine vlla offensa, aut perturbatione cursus suos constanti, & perpetuo ordine absoluunt. At forsan hæ sphæræ cœlestes, vt quibusdam placuit, casu aliquo mouentur. O stolidum, & cœcum iudicium! si casu mouentur, etiam aliquando casu consistent, cùm casus, & fortuna nihil sit,quàm perturbatio,& velut exorbitatio quędam naturæ communis: cœli verò neque vnquam constiterunt, neque consistunt, sed cursus suos singuli constantissimè conficiunt: non igitur à casu, sed ab intelligente reguntur. Neque dici potest à seipsis moueri, omnia siquidem mobilia ad vnum mobile reduci debent, motus enim principium quies est,vt patet in horologiis, in quibus radius horam designat: hora ad primam rotam, prima ad secundam, secunda ad tertiam te ducit, (vt bene Strozzius aduertit)donec ad vltimã,& ab hac ad ipsum artificẽ perueniatur,qui, dum mouetur horologium, nullo labore defatigatur,sed suauiter quiescere potest.

Strozzius.

Terram intuemur tanta colorum varietate ornatam, luxuriantem herbis, & plantis, infinitis animalium generibus refertam: mare, & flumina piscibus abundantia videmus: aërem tot volucrum agmina pennis secantia quotidie aspicimus; omnia hæc denique, & singula in suo genere ita perfecta deprehendimus, vt nec ipsius Momi iudicio ad eorum pulchritudinem quidquam vel addi, vel detrahi possit. Vnde verò hæc omnia extiterunt? an ex elementis?

Quî verò fieri potest, vt elementa vitæ, ac sensus expertia, hæc, quibus ipsa carent, alteri communicarint? A sole forsan generata sunt: cur igitur cùm singulis diebus hominum & animalium sedem hanc lumine suo illustret, & calore foueat, nunquam tamen hominem, aut animal procreare videtur?

Ex se ipsis, inquis, nascuntur. Audio, sed antequam nascerentur, aut quando nascuntur, vbi latebant? Vtrum priùs fuit gallina, an ouum? pecudes, an herbæ, hæ sine terra, terra sine cœlo? horum quid vltimum, quid prius fuit in generatione. Sed illos iterum audio dicentes, ecquid causæ est, cur Deum esse credamus, quem nunquam vidimus? ô stolidi, nunquid viso flumine animus vester, & cogitationes ad fontem,& caput quantúmuis longè dissitum rapiuntur? quis est, qui arborem aspiciens non statim radices subterraneas,& semina mente concipiat?

Cur igitur ad eum qui semini vigorem dedit, & flumini cursum non acceditis? fac nouum illum orbem, qui hoc sæculo lustrari cœpit, adhuc in abdito latere, nostros autem homines in talem aliquam insulam inhospitam delatos mapalia,& casas videre, quamuis iuncis, & stramine tectas, annon homines illic habitare omnes vno statim ore pronuntiabunt? certi quippe nec abietis, nec fagi sponte, multo minus bruti alicuius animantis opera tale quid construi posse. Et tamen Athei adeò stulti sunt, vt cùm in hanc lucem nuper editi sint, totque, ac tantas res aspiciant, quæ nec ab animalibus, nec ab hominibus fieri potuerunt, non sublatis ad cœlum manibus, exclament spiritum aliquem præpotentem supra nos esse, qui hoc tam admirabile theatrum, tot pulcherrimis partibus, & humanæ manus artificium longissime superantibus distinctum condiderit. Verùm ne latiùs, quàm par sit in hoc articulo exspatiemur, finis adhibendus est, quandoquidem satis, credo, patet ex dictis non tantùm omnes creaturas simul sumptas, sed & vnáquámque cogere, vt Deum esse fateamur; sume apem, accuratius formicæ vnius, imò & acari singula membra perpende, vbi sit apprehensio, seu phantasia; quà spiritus animales, atque vitales progrediantur; quot sint articuli membrorum totum corpus acari mouentium; quæ venæ, quot nerui, musculi, & arteriæ; dubio procul volens nolens fatearis necesse est eum omnipotentem, & sapientissimum esse, qui hæc fabricarit, aut eam vim causis naturalibus concesserit, vt eiusmodi progignere possent.

CAPVT

CAPVT III.

An Angelorum apparitiones conuincant Deum esse.

CErtum est sæpissimè multos Angelos hominibus apparuisse, quod scriptura testatur de Angelo, qui Iacob apparuit; de Raphaële Tobiæ, de Gabriele Virgini, déque cæteris, qui vel in auxilium hominum veniunt, vel vt eos consolentur, increpent, arguant, doceant, aut etiam suppliciis quibusdam à Deo propter hominum peccata constitutis, afficiant, vt patet in angelis Sodomā, atque Gomorrham subuertentibus, & in angelo Ægyptiorum interfectore; ex quibus manifestum est aliquem esse supremum iudicem, cui peccata nostra displiceant, optimum patrem, qui libentissimè filiis in afflictione positis opem ferat, & excellentissimum magistrum, qui doceat, & arguat, vbi, & quando id necessarium, & vtile iudicauerit, adeout facilè cōcludamus verum esse Deum optimum, & omnipotentem, qui hæc inferiora, homines præcipuè curet; Verum quia cum Atheis rem habemus, rem totam accuratiùs paulo discutiamus. Fabulosæ sunt istæ narratiunculæ, inquiunt, à principibus confictæ, vt rusticanæ plebeculæ timorem incuterent, sic enim Numa Pompilius, & Romulus Deos vidisse apud populum prædicabant, à quibus legum sanctiones accepissent, & Maximini exercitus dux, vt se suósque milites in Aquileiensi pugna ob ignauiam victos, atque fugatos excusaret, vociferabatur à se visum Apollinem pro Aquileiensibus fortissimè dimicantem.

Variæ causæ cur fiant apparitiones.

Causæ fictæ ab Atheis.

Prima refert illud in fabulas.

Cenechus Scotorum rex cùm non valeret Alpini patris in bello à Pictis interfecti vltionem subiectis timore perculsis persuadere, regni proceres in aula regia perhumaniter excepit, & hospitio conuiuioque dignatus est. Sequenti nocte cùm omnia tuta silerent, aulici quidam regi fidelissimi ex illius mandato in hospitum cubicula ingrediuntur, baculum ex putrido ligno, quod veluti fax splendebat in tenebris, dextra tenentes, veste ex non disquamato piscino corio, quæ in noctis vmbra maximè refulgebat, circundati, habentes insuper in sinistra bouillum cornu, atque ita vociferantes; Regi parendum est, Picti daturi sunt scelerum pœnas, Scoti victores erunt, Dei nuntij nos sumus, atque ita res fœliciter cessit. Namque proceres illi summo manè regem conueniunt, eique testantur vidisse Dei angelos, qui ipsos ad bellum aduersus Pictos exhortabantur.

Cenechus fingit apparitionem.

Rex verò pertimescens, ne figmentum hoc detegeretur, idem angelorum spectaculum sibi apparuisse confitetur, eisque interdixit, ne diuinitus arcana monita promulgarent. Qui statim ob confictam fabellam ad bellum inflammantur, & victoriam ab hostibus reportarunt. Cur obsecro, inquiunt, non idem de cruce B. Andreæ dicemus, quæ Hugoni Pictorum regi pro Scotis aduersus Athelotanum Anglorum regem prælianti apparuit, & de vexillo D. Cuthberti, quod Egdaro Scotorum principi aduersus Donaldum dimicanti accidit, sicut & de Iacobæo, atque Constantiniano vexillo cæterisque apparitionibus asseremus?

Deinde multa spectra regulis mathematicis cōpacta, & in aërem librata, vel per specula apparere possunt; vnde Cornelius lib. 1. occult. Phil. ait speculorum quorumdam artificio, quam volumus imaginem in aëre, etiam remotè extra specula nos producere posse, quæ tunc imperiti homines videntes dæmonum, aut animarum vmbras se videre putant, cùm tamen nihil sint aliud, quàm simulachra quædam sibiipsis cognata, ac vitæ omnis expertia. Et notum est si quis in loco obscuro, & omnis luminis experte, nisi quòd per minimum foramen solis radius alicubi ingrediatur, supposita illi papyro alba, aut speculo plano, videri in ea quęcumque foris à sole illustrata mouentur.

1. In Mathematicas

Agrippa.

De speculis

Est & aliud præstigium admirandum, nam si quis nocte serena plenæ lunę radiis aliquam imaginem, aut literas scriptas aliquo artificio opponat, eas legere poterit quispiam rei conscius, idque à quolibet spatio simulachris in aëre multiplicatis, sursumque raptis, & vnà cum lunæ radiis ad terram reflexis: quod nunciandorum secretorum obsessis ciuitatibus vtilissimum artificium olim à Pythagora factitatum est. Quod etiam in auditu fieri potest, ad quem species reflectūtur, vt patet in Echo, adeout possit aliquis etiam remotissimus audire, & intelligere, quid alius susurret in occulto: vnde cōcludit possibile esse naturaliter, & sine superstitione nullo alio spiritu mediante hominem homini ad quamcúmque longissimam, vel etiam incognitam distantiam breuissimo tempore nuntiare mentis suæ conceptum, etsi tempus, in quo fit istud, nō possit præcisè numerari, seu mēsurari, id tamen inter 24. horas fieri necesse est; atque Cornelius se id facere nosse, & fecisse, sicut & Trithemium fecisse satis innuit, atque confirmat D. Sigismundus Abbas monasterij Scon ordinis S. Benedicti in in Binaria apologia Steganographiæ, cuius finis est, vt quisanimi sui voluntatem absentibus per occultam scripturam aperiat, quod in claui Steganographiæ ostendit.

De speculo lunari.

De secretis manifestandis absenti.

Trithemi⁹. Sigismūdus

Sigismundus ille contendit omnia, quæ scripta sunt in tribus libris Steganographiæ, esse naturalia, & ad magiam naturalem pertinentia, tametsi ea non intelligamus ob diuersos characteres, numeros, modosque coniurationis quibus dæmoniacam magiam propagare videtur, tametsi sub illis nominibus arcana naturalia tantùm abscondat; exemplum affert de manifestatione conceptuum nostrorum absentibus, vt per motum, & ipsam operationem, per 24 horas, 24 literas fortè intellexerit, & omnia sensibus quibusdam mysticis, & hieroglificis notis Ægyptiorum instar occultarit: sicque constanter affirmat Trithemium in his libris nihil contra physicas rationes egisse. Ipse ego, inquit, experientia tibi ostendam, quod per artem, quam ex Trithemio hausi, possim indicare amico mensæ meæ assidenti, vel adstanti, quicquid voluerit, idque per 10, 50 vel 100, adeoque certa, & præscripta abs te verba, cui tamen amico, vel quisquis ille sit nec loquar verbum, neque nuntium mittam, & quem si volueris, nec etiam aspiciam, idque physicè, & naturaliter. Quid, quòd noctu facum ostensione animi mei sensa ad integrum etiam milliare, vel ampliùs, quantum quidem visus

Explicatiō Steganographiæ.

ferri potest, significare possum, idque non spatio solùm 24 horarum, sed vnico etiam quadrante? Approbat etiam literarum genus dermaticum, hyphasmaticum, & aleoticum, & bubones philophotos, atque mysophotos de quibus agit Trith. in polygraphia loquens de astrologia, & dactylogia Bedæ, & epist. ad Bostium: in qua declarans Bostio Carmelistæ, quid in Steganographia doceret, ait librum primum plusquam centum modos occultè scribendi continere itaut nequidẽ omnes homines suspicari possint, quid in literis contineatur, præter eum, qui artem nouerit ex eo: secundum verò, modos cõtinere, quibus per ignem cuicumque voluerit, animi sensa manifestet ad quãcumque distantiam, vel etiã si tribus milliaribus sub terra incarceratus sit, idque quotiescúmque voluerit. Tertius liber continet artem, qua idiota solam linguam maternam sciens, duabus horis scribere, legere, & intelligere latinum quãtumcúmque disertè voluerit, ediscat, quod ait se in omni lingua docere posse, licet eam non audierit.

3. in vapores. Verum, missis iis, quæ ad Trithemij steganographiam attinent, illa spectra à quibusdam referuntur, in vapores è terra, vel aqua ascendentes vt si quis fumo apponat imaginem rimarum plenam, recentibusque delineatam coloribus; vapores enim, & fumus dum ascendunt, illius coloratæ figuræ ideam in altum deferunt, & in crassiore aëre aliquandiu permanet: Adde quod Æsopica Aquila nos instruit ipsiusmet pedibus rei alicuius leuem annectere imaginem, nam in altum deferre, & populares oculos stupefactos ad se pertrahere pollicetur: sic Lucianistæ ratiocinantur.

4. in specula. Alij relictis vaporibus accensis Aristotelis, castrorum acies in aëre putant apparuisse, quia in aliqua terræ marisue parte acies illa erat, cuius imago in aëre velut in speculo reflexa est, quare flante Austro, id faciliùs eueniet, tunc enim aër condensatur in tenues nubes, in quibus velut in speculo inferiorum imagines reflectantur: Hinc Apollonium Thianeũ, ex eo quòd cerneret ea, quæ in remotissimis regionibus peragebantur, Necromantistam Cæsar Vaninus dicendum esse negat, quia species suas inferiora hæc in aërem, & ad cœlum vsque diffundunt, vnde reiterantur, ac reuerberantur in hęc inferiora, quemadmodum vnum speculum in alterum.

5. in vaporem corporis. Sunt qui velint corpora nostra pro sua magnitudine emittere vaporem, qui illorum referat effigiem, quæ in denso aëre complicata à ventis in altum eleuari potest, atque ita humanam imaginem oculis nostris subiiciet; Vnde mortuorum figuræ visæ sunt à nonnullis in Ecclesiasticis cœmeteriis, quia à paucis diebus, nec in profundo lectulo, cùm esset sepultum cadauer, vaporem iuxta sui mensuram emisit; idcirco olim quia cremabantur cadauera, nihil tale videbatur. Ita dicunt Athei omnes illas apparitiones, quæ narrantur, siue angelorum, siue animarum esse figmenta à fraterculis sacrificulis excogitata, vt à deuotis mulierculis pecunias corradere possent. Quod etiam ex Cardano l.14. de rerum varietate confirmari posset. c.169. vbi refert ex Mizaldo ignes volitantes quandoque infantis effigiem præbere, qui præter id quod equos terrent, etiam homines perturbant, adeout nonnunquam adducant in præcipitia, fluuios, & paludes, eóque præsertim, quod iuxta cœmeteria, patibula, templáque videri soleant. Quis, qui naturales causas non norit, non admiretur ignem hunc præcedere sequentes, staréque cum stantibus, & quacúnque circumagũtur habere semper hoc ostentum ante oculos, quasi equi ductorem, atque hominis equo insidentis aurigam? præterea dum crepitant ignes illi, parere videntur inconditas voces humanis simillimas. Vnde credulis quibusdam persuasum est animas defunctorum his ignibus circunductas expiari, atque purgari; sed non esse propria humanis corporibus hæc, indicat quod etiam in coquinis, & cloacis vbi sordes animalium occisorum expurgantur, talia videri soleant; imponunt tamen talia multis, & terrent non immeritò pauidos: hactenus Cardanus.

Iterum in fabulas, & mendacia.

Cardanus.

Sed est alia etiam Atheorum opinio, nempe quòd illa spectra in aëre spectentur, quia diuersæ rerum species in phantasia nostra cùm sint, non mirum, vbi tenuis sit cutis, tenuésque spiritus, cerebrum calidum, & imaginatio valida, si aliqua illarum specierum nostris se objicit oculis, à quibus, si visoria facultate præstent, facilè conspici poterit, quod ex suo Cardano probant, qui hæc de seipso asserit lib. 8. c.43. Cùm volo, video quæ volo oculis, non vi mentis, velut imagines illas, de quibus dixi cùm infans essem, me vidisse, sed nunc credo ob occupationes nec diu nec perfectas, nec omnino semper cùm volo, nec tamen nisi velim: mouentur autem perpetuò, quæ videntur imagines: itaque video lucos, animalia, orbes, ac quæcúnque cupio. Credo causam esse vim virtutis imaginatricis, visúsq; subtilitatem: Prima inuenta, quod cum Tyberio commune fuit, nuper experrectus in maximis tenebris omnia lustrabam, ac si dies clara esset; sed breui tamen illa dies mihi substrahebatur. Nunc etiam aliquid video, sed tamen non discerno. 6. in phantasiam.

Causa est cerebri caliditas, spirituum tenuitas, ac substantiæ oculi, & vis calida imaginantis virtutis. Idem de homine illo dicendum est, de quo Aristot 3. Meteor. cap. 4. qui suam semper imaginem ante se velut in speculo videbat, qui si non fingeret illud ostentationis causa, vel lenitate Græca, certè ob solam visus imbecillitatem accidere non potuit, sed accedente ad hanc etiam summa anterioris cerebri caliditate, spiritúsque visiui tenuitate, efflati quoque vaporis crassitie, vt sic tanquam in speculo reflecteretur.

Aliam causam Vaninus astruit, dum à sola imaginatione spectra hæc efformari contendit; si námque mulier in actu venereo, & dum prægnans est, conceptam rei alicuius imaginem fœtui imprimere valet, cur nequibimus vehementissimo desiderio concupitæ rei effigiem in nobis ipsis obsignare? Quapropter vapores, qui à nobis ita affectis exeunt, figurati erunt imagine illa, quæ iam nobis infixa est; Ijdem autem vapores, quam ipsi retinent speciem, effingere in aëre crasso valebunt: similitudo verò illa poterit per aliquod temporis spatium subsistere, si aër sit spissior, vt post imbres, nec non moueri de vno loco ad alium, ventorum nimirum agitatione. 7. in desiderium.

Refert ex Pomponatio causam aliam, visiones has confici à supernis mentibus immaterialibus cœlorum motricibus, homines, quos ipsæ fideliter custodiunt, ita instruendo, dirigendóque, vt futuros eis euentus præostendant: sanè cùm ea apparent, inquit Iulius, cædes semper, vel fames, vel pestis, vel regum, legúmque mutationes subsecutæ sunt; si enim in somnijs intelligentiæ aliquando nos 8. in intelligentias.

nos edocent, vt Auerroes comprobat lib. de diuin. somnior. repræsentantes sensibus nostris imagines non modò ad extra, sed etiam intrinsecus per spiritus transmissas, cur non valebunt & in vigilia eædem orbium temperatrices pro mortalium regimine, quod eis à prima causa demandatum est, figuras aliquas, atque ideas in suis cœlestibus corporibus, quæ sicut pelles extenduntur, depingere, vt in illis futuros euētus perlegamus? si ægroto Æsculapium pro valetudine deprecanti immissa est ab intelligentiis Æsculapij imago salubrem ei herbam præostendens, quid vetat, quominus idē æger intelligentiarum fauore adiutus, consimilis herbæ, & Æsculapij imaginem in aëre conspicere possit? Contemnētur hæ nostræ subtilitates à perditissimis nebulonibus, qui sanctitatem in ore habent, otio, supinitate, aut flagitiosa licentia marcentes, scientias titulo curiositatis despicantur.

Iterum in vapores.

Rarum est quòd post Iulij Cæsaris obitum tergemini soles apparuerint, quod Quinto Minutio, & Q. Martio. CC. Marco Antonio L. Planco, & Claud. Princ. CC. etiam contigisse in historiis proditum est, quod factum esse videtur, quia solares radij tam crassos in aëra vapores sustulerunt, vt in ipsis tanquam in solidiori materia solis imago recepta, conseruatáque fuerit. Vnde sapientissimi vates Reipublicæ imminentes calamitates scitissimè, & veridicè prædixerunt; nam subsecutæ illæ sunt, quia solis lumen densa obsessum caligine, imbecilles caloris suppetias terræ subministrat, quare fructus non maturescunt, hinc sterilitates, & pestilentiæ. Præterea varia illa, densáque vaporum copia in vastissimos imbres resoluitur, idcirco aluei intumescunt, disrumpuntur aggeres, inuia redduntur itinera, & mœstæ segetes computrescunt; quare famem cædis, pestilentiæque auctricem, atque altricem subsequi necesse est.

Ita volunt, vt imperante Carolo Magno sol meridie defecerit, triduo postquam lunæ ecclipsis facta fuisset, quia vapores à sole attracti adeò spissi fuerunt, vt visum interciperent; hincque fieri, vt solis cōspectus die, magis quàm lunæ noctu nubibus adimatur, quia sol attractione condensat aërē, à quo donec eum discusserit, tegitur. Luna verò non attrahit, sed laxat, cum mediocris, & pusillus sit eius calor, ideóque diffusus aër lunæ speciem liberiùs admittit.

Sic etiam illas apparitiones solis crocei, & cometarum post mortem regum soluunt, vt croceum lumen solis appareat in deliquio, quia paucum est, & ob id croceum, vt ait Cardanus 4. de subtil. c. de luce, & lum. quem Iulius refellit, idque in fuscum, & crassum vaporem admixtum reiicit, qui varios auroræ colores efficiat; aitque in ecclipsi solis lumen croceum videri, quod magnum lumē totum aërem subeat, & sese in eum insinuet, atque in suam naturam fulgidam transformet; paruum autem lumen vinci à partibus aëris, qui tametsi pellucidus est, in longiori tamen tractu speciem habet densitatis propter longinquarum partium subitionem in linea visuali: ideóque coloratus videtur, quocirca cùm à paruo lumine non mutetur, vt ab eo splendoris aliquid recipit, ita ei adiungit, & aduehit aliquid densitatis, quo fit, vt croceum lumen videatur.

Cur cometæ ante mortem principum apparent. 1. causa.

Denique cometas paulo ante mortem principum apparere aiunt, non quòd Deus ita disponat, quem non agnoscunt, sed quia cometes vehementer illas regiones excalefacit, quas peragrat, quia siccitate vt plurimum producitur, cùm sit vapor à calido sydere attractus, & illustratus; siccis autem temporibus principes fato concedunt, quia cibis odoratis, vinis præpotentibus, & curis, atque vigiliis conficiuntur. Vel quia cum cometes sit res exilis, vbi conspicitur, aërem tenuissimum esse oportet, quare æstiuali tempore, quàm hyemali frequentiùs visuntur; aër autem tenuis vapores, ex quibus fit pluuia, retinere nequit; quare succedit siccitas, & sterilitas, hinc multos emori necesse est, præcipuè principes, qui senes vt plurimum cum sint, & Veneri indulgentes, vel leuissimæ morborum causæ sint obnoxij; vel inter complures, qui moriuntur, ipsi propter dignitatem magis conspicui sunt, & eorum interitus citiùs animaduertitur, quàm lucernarij philosophi.

2. causa.

Aliam causam referunt in aëris tenuitatem, ob quam humores in bilem conuertuntur; omne enim valde tenue siccum est quare homines concitentur ad seditiones, & bella, quæ vel cruentam regionibus mortem inferunt, vel morbos eis minitantur ob curas, & molestias, quibus ob subditorum rebellionem conficiuntur.

3. causa.

Alij referunt causam in supremas mentes immateriales cœlorum motrices, quæ regum præcipuè curam gerunt, quare vt ab hostilibus insidiis caueant, per cometem fidissimum nuntium eos admonent. Alij denique negant cometas eo tempore apparere, quo reges morti vicini sunt, quandoquidem multi visi sunt in Gallia, quos nulla vnquam subsecuta est regum pernities; è contrà complures principes mortui sunt absque vllo cometes indicio. Sunt tamen, qui addant principes à cometis apparentibus ob commune de ipsorū morte iudicium terreri, & tristi illa cogitatione sibimetipsis mortem accersere. Hæc sunt, quæ de diuersis apparitionibus à politicis, & Lucianistis, Atheisque adduci solent, vt veras angelorum apparitiones, quibus vel ira, vel misericordia Dei, vel aliquid aliud nobis annuntiatur, nec non dæmonum visiones, quas Deus aliquando permittit, vt animarum reditus è medio tollant, & explodant, atque suadeant, quæcunque percipimus, in naturales causas esse referenda, ne tandem Deum esse fateri cogantur.

4. causa.

5. causa.

Quòd apparitiones angelorum Deum esse probent, & ab Atheismo reuocent.

Diligentissimè quæstio præsens discutienda est, cùm hoc sæculo plurimos reperias, quibus nullo modo suadere possis vllos esse spiritus, vel eos apparere: vt in hoc cum Sadducæis conueniant, quod tamen eo breuiùs facturus sum, quò latiùs ostendo spiritus angelicos admittendos esse ad cap. 3. Genesis versic. vlt.

Hoc autem ordine procedam, vt in solidum Athei conuincantur, primò quæremus, an in fabellas vetularum, & pias principum fraudes, vel sacerdotum technas, vt volunt hæretici omnes spirituum apparitiones refundi debeant, vel possint. Secundò an in mathematicas scientias. Tertio an in vapores corporis humani, vel alterius. Quartò

7. Difficultates proponuntur. an in imaginationem, de qua latè dicemus ad caput 30 Genes. versic. 37. Quintò an omnes visiones prodigiorum in cœlestes intelligentias referri debeant. Sextò An in desiderium. Denique an aliquo alio modo possint Athei sua peruersa dogmata tueri, & tergiuersari.

CAPVT IIII.

Quòd in fabulas, & mendacia, omnes apparitiones spirituum reuocari non possint, sed necessariò Deus admittendus sit, cuius ordinatione illæ fiant.

IN duas species possunt omnes spirituum apparitiones diuidi, nempe in Dei, vel bonorum Angelorum ac sanctorum, vel in dæmonum, & damnatorum apparitiones, vbi cum beatis illas animas intelligo, quæ in purgatorio detinentur, quæ statim atque pœnitentiam à Deo constitutam, flagellàque paterna subierint, ad beatorum sedes euolabunt; in quibus omnibus fateor pluribus modis errorem posse deprehendi; primò si quis illas apparitiones fingat, vt aliquos deludat, qualis est illa visio nocturna, quam Maiolus tractatu de caula & aula describit de Polo, qui non procul à Mantua Faunum sacerdotem ita decepit, vt ei fortiter persuaserit noctu circa decimam horam miseræ cuiusdam animæ eiulatum audiri, quò cùm sacerdos perrexisset, Polus illatam anteuertit, & in vepreto absconditus olla fictili adhibita, gemitus illos mirè fingebat, vox enim è cauo reddita lugubriùs quidem sonabat.

Maiolus.

Falsa & ficta dæmonis apparitio.

Postea Polus alia via Fauno recedenti occurrit, qui narrat eiulatum à se auditum; ideoque monet Faunum ille dolosus artifex, vt exorcismum adhibeat, dictum, factum; sacerdos enim noctem insomnem transigit, parat exorcismos, & applicat per viscera B. Mariæ, per ossa B. VVerenfridæ, circúducitur amplus circulus cum varijs crucibus, vbi priùs auditus fuerat eiulatus; adhibetur vas plenum aquæ consecratæ, stola in collo ponitur, vnde pendebat initium Euangelij secundum Ioannem; in loculis ponitur cerula à Pontifice Romano consecrari solita, quæ vulgò dicitur Agnus Dei, ne si esset malus spiritus, impetum faceret in exorcistam. Timens verò Faunus secum vult alium sacerdotem adhiberi; at veritus Polus ne fortè astutior esset, curat vt vicinus parochus adhibeatur, cui totam fabulam aperuit. Pergit igitur Faunus iterum parocho comite, cum interim Polus socium adhibet, vt simul equos nigros cum igne occulto ascendant; vbi ad vepretum accesserũt, ostendunt ignem, quod f. rè malè cessit, equi enim videntes ignem consternati, parum abfuit, quin se, & sessores præcipitarent. Attamen cùm postea Faunum Polus rogaret, ille ait se duos teterrimos cacodæmones vidisse, oculis igneis, ac naribus spirantes ignem, qui tentassent ingredi circulum, sed verbis efficacibus abactos.

Strophæ plurimæ in ista ficta visione.

Redit alio die Faunus, quem rursus terret Polus equo insidens, & fune antea extento per humum tracto sacerdotem vtrúmque cum vase aqua sacra pleno prouoluit in terram, tum Faunus narrat se in magno periculo fuisse positum; attamen redit, cui se gener Poli linteo obuolutus offert; prunam viuam in testa defert, quæ per linteum speciem ignis redderet. Deinde procul inter vepretum ostendit sese ficta anima, miserè suspirans, & ignem ostentans, quam cùm obtestaretur Faunus, vt loqueretur, subitò prosilijt è vepreto Polus ornatu cacodæmonis, fictóque fremitu, dixitque generi. Nihil tibi iuris est in hanc animam, mea est, & procurrit vsque ad horam circuli velut impetum facturus in exorcistam, & veluti exorcismorum virtute, & aqua sacra submotus retrocessit. Habuit igitur colloquium cum anima laruata Faunus ille, quæ ait se esse animam Christiani Fauni nomine, nec ei licere tunc plura respõdere, quia tempus vrgeret, quo à dæmone abire cogeretur, se tamen postridie redituram hora, qua fas esset.

Petit sacerdos ædes Poli fabulæ choragi, vt narraret esse animam Christiani, quæ à dæmone cruciaretur, destinat se rediturum ad animam, vt iterum exorcismos experiretur, sed cùm aquam sacram in fucatum dæmonem, Polum videlicet, inijceret, qui in circulum irrumpere volebat; Polus ait, mei iuris es, rem habuisti cum puella, sacerdos hoc dicto stupefactus, fortè namque fortuna verum dixit Polus, statim exorcista parochum accedit, & nescio quid in aurem immussitauit.

Denique cùm aliàs rogaret exorcista an anima liberari posset, illa ita esse asserit, si pecunia fraude parta restitueretur, quam in aliquo thesauro dum vitam ageret, absconderat: eamque in pios vsus impendi posse: præ cæteris verò desiderare se ait, vt tres peregrinationem susciperent, vnus lumina Petri, alter Iacobum Compostellanum, tertius pectinem Iesu, qui est Treuiris, adiret; deinde magnus numerus psalteriorum, & Missarum perageretur, reliquum verò thesaurum pro libito Faunus dispensaret: Quæ cùm omnia peracta fuissent, rogat Polus Faunum, vt de curiosis artibus, vt ·lchimia, & Magia percontetur ab anima: quæ respondit se plura indicaturam, quando virtute orationum, Missarúmque à dæmone pedagogo liberata esset. Quæ Faunus omnibus annunciabat, tametsi iuberet Abbas, ne qui hactenus prudens habitus fuerat, aduersum de se specimen præberet: sed ita præualuerat imaginatio Fauni, vt animi habitus in faciem transiret, & macie confectus larua esse videretur, adeout minimũ abesset à vera dementia, nisi succursum fuisset hac ratione; Polus & gener finxerunt epistolam raris literis scriptam in chartis, in quibus aurifices bracteas imponunt subrubentes luto, in qua hæc habebantur. Faunus dudum captiuus, nunc liber, Fauno liberatori suo optimo salutem æternam. Non est mi Faune, cur te diutius in hoc negotio maceres: respexit Deus animi tui piam voluntatem, & illius merito me liberauit à supplicijs, ego nunc fœliciter ago inter Angelos. Te manet locus prope D. Augustinum, qui proximus est Apostolorum choro. Vbi veneris ad nos, agam tibi gratias coram. Interim cura, vt viuas suauiter. Datum è cœlo empyreo Idib. Septemb. anno 1498. sub sigillo annuli mei; quam epistolam clam in altari positam sacro peracto reperit, diúq; circumtulit, & ostentauit tanquam è cœlo prolatam

tam ab angelo. Quam apparitionem fictam hîc referre volui, quia omnium aliarum instar esse potest; sic enim multa similia fingi possunt, vt si quis à tergo imaginum absconditus omnes alloqueretur, quod facillimum esset, si imagines cauæ essent, in quibus aliquis includi posset, ita siquidem vel minis assistentes terrere, vel promissis confirmare posset, maximè si in crucifixi positus imagine ea diceret, quæ aliquando Christus ipse dixisse fertur, vt de crucifixo referunt Athei, qui D. Thomam allocutus est. Bene scripsisti de me Thoma, quid ergo vis in præmium? cui respondit sapientissimè, nihil Domine præter teipsum; qua etiam ratione cæteras apparitiones illudunt.

Atheorum incredulitas.

Secundò potest aliquis eas apparitiones fingere, vt homines ab aliquo bono, vel malo deterreat, vel ad bellum accendat; qua ratione nonnulli duces, & principes multa finxisse dicuntur, vt milites ad præmium animarent, vel populum in officio continerent: non iam disputo, an his fraudibus, quæ non paucis videntur vtiles, vti liceat, necne, quale, quantúmue sit peccatum eiusmodi comminisci, & an aliquando, quibus, quóue fine his homines decipere debeamus, vel possimus, maximè cùm de iis in hac quæstione circa finem & ad cap. 17 Geneseos dicturus sim, vbi de fraudibus Iacob, quibus fratrem Esau à iure primogenituræ exclusisse videtur: sed tantùm in præsenti contendo apparitiones omnes, quarum vel scriptura sacra, vel historiæ probatæ meminerunt, nec debere, nec posse in fabellas refundi; vbi aduertendum est in his apparitionibus me includere verba, quæ dicuntur, siue præterita, siue præsentia, siue futura significêt, eáque vel iam cognita, vel occulta, cætera non ago hîc, quandoquidem de miraculis, quæ fiunt, postea dicturi sumus.

Itaque si probauero verissimas fuisse nonnullas apparitiones ex quibusdam circunstantiis, nec in fabellas reiici posse, facilè postea concludam aliquem esse Deum, qui has apparitiones permittat, vel ordinet, vel efficiat. Verissimæ sunt illæ apparitiones, quas refert scriptura sacra omni exceptione maior, quas tot sancti confirmant, qui & ingenio, iudicióque acerrimo pollebant, & virtute cæteris præfulgebant, quasue totus orbis terrarum agnoscit, & prædicat, adeout licet pro simplici tantùm historia scripturam sacram Athei velint admittere, fateri cogantur, esse verissimā: in ea siquidem abundè concurrunt, quę ad stabiliendam alicuius historiæ fidem, veritatem, & authoritatem facere posse videntur, vt iam capite sequenti demonstro.

CAPVT V.

De rationibus, & motiuis, quibus adducimur, vt credamus veras esse apparitiones siue angelorum, siue Dei, siue etiam dæmonum, & animarum, quas scriptura scara, vel etiam Patres sancti, & historiæ Ecclesiasticæ scriptores narrant.

NOn tantùm hic articulus ad caput de apparitionibus asserendum, sed ad cætera, quæ sequuntur proficiet, cùm de cæteris miraculis dubiis illud Athei mouere soleant, vel potiùs afferre responsum, ea nempe in fabulas esse referenda, conficta fuisse à sacrificulis, vt ventrem alienis cibis ad instar sacerdotum Baal, vel marsupium pecuniolis hinc inde à vetulis superstitiosis, & incauto, insipientique vulgo corrasis saburrarent, quod & de morborum curationibus, & ipsa resurrectione mentiuntur; vel esse à ducibus exercituum, principibus, & legislatoribus inuenta, vt milites promptiores essent, & ad prælium, ac victoriam ardentiores: populi libentiùs obsequerentur, & leges amplecterentur, iuxta illud impium axioma; si ius violandum est, regnandi causa violandum est; nam qui ius diripit, facilè quamlibet veritatem mendacio opprimet, quandoquidem homines nihil magis curant, quàm vt ab omni iugo, & obedientia liberi, à cæteris magnifiant, colantur, & si id mundo suadere possint, adorentur, iuxta id serpentis. *Eritis sicut Dij.*

Hinc impij non tantùm cogitatione, non verbo, sed operibus, sed libris integris contendunt homines à veri Dei cultu abducere, adeout nonnulli hoc sæculo librum illum etiam titulo horrẽdum in lucem emisisse dicantur, de tribus maximis impostoribus Mose, Christo, & Mahomete.

Quid obsecro cacodæmones, quid totus infernus cum omnibus damnatis horribilius, quid magis falsum effutire possunt, quàm Christum Dominum omnium redemptorem, qui proprio sanguine nobis gloriam æternam acquisiuit, & omnia peccata deleuit, cum impio Mahomete conferre, quàm affirmare, vel tantisper dubitare, leuitérque opinari Iesum Christum verum Deum nos decipere voluisse, ideoque miracula commentum esse, vt suam legem persuaderet, & ad illius obseruationem Christianos inuitaret? quid nefandum magis, quàm ipsam veritatem, quàm æterni Dei Filiũ impostorem appellare? ô Dei bonitatẽ ineffabilem, qui fit, vt eos non statim atque de tantis blasphemiis cogitarunt, æternis cruciatibus tradas, & Sathanæ permittas?

Verùm ab imprecationibus abstineo, tum quia resipiscere possunt, quod faxit Deus Opt. Max. tũ quia ipse Michaël Archangelus cum diabolo disputans de Moysis corpore, non est ausus iudicium inferre blasphemiæ, tum etiam quia maiorem vtilitatem rationes afferre puto, quæ sunt intellectus humani subsidia, veræque medicinæ: Sequuntur ergo rationes, ob quas miraculorum veritatem, & apparationes veras, & reales amplectimur, nec in fabellas reiici posse contendimus, quæ pariter conuincunt resurrectiones illas, quas scriptura sancta cõmemorat, verissimas esse, nõ emẽtitas, nõ fictas, non fabulosas, idemque de cæteris miraculis esto iudicium, quandoquidem scripturam sacram verissima continere, est vna pars veræ, Christianæque religionis; cuius fides si vera sit, illas etiam apparitiones, curationes morborum, & alia miracula

Epistola Iudæ.

vera esse, sicut & ea, in cuius gratiam illa peracta sunt, necessariò sequitur, quæcumque in illa asseruntur.

Motiua fidei nostræ.

Primum est antiquitas.

Primam rationem suggerit antiquitas, nec enim vlla historia Pentateucho videtur antiquior, nam rerum græcarum scriptores minimè cœperunt, nisi longo tempore post Troianum excidium, cùm igitur omne mendacium sit veritate posterius, vt rectè Tertullianus edisserit libro de præscript. hæret. quandoquidem illud est, quod à veritate recedit, si religio nostra in existentiæ diuinæ testimonium, & apparentium angelorum veritatē astruēdam aliqua refert, sequitur ea falsa esse non posse, nam alia nulla veritas præcessit, à qua deflexerit. Legant ergo Mosis scripta diuina, legant, atque perlegant Athei, in iis enim non tantùm Deum esse reperient, sed varias angelorum apparitiones, morborum diuinas curationes, & alia propemodū infinita, quæ vel ab induratis, & obcæcatis mentibus atheismum euellere possint.

Tertul.

Secundum Prophetiæ.

Succedunt prophetiæ, & oracula diuina, in quibus tria maximè spectari solent, quæ vim argumēti non parum augent; primùm enim res merè contingentes, & magna ex parte à Dei voluntate pendentes viri Dei prædixerunt; secundò multis ante sæculis, quàm euenirent: tertiò non tantùm futura prænuntiata sunt, sed eorum omnes circunstantiæ; quæ certè nemo præsagire nisi diuino numine afflatus, potuit, iuxta illud Ieremiæ. *Annuntiate quæ ventura sunt, & dicemus, quòd dij estis vos:* hæc autem omnia prophetæ annuntiauerunt, quæ in suis causis cognosci non poterant, cùm à Dei voluntate penderent, quam homo naturaliter cognoscere nequit; quæ tametsi penderent ab hominis voluntate, ea cognosci non potuerunt, quia libera est, nec potiùs ad vnum, quàm ad aliud determinatur, antequam agat: illa verò à prophetis esse prænuntiata, quæ longè postea contigerūt, testis est ipse Christus Ioh. 5. *Scrutamini scripturas, quoniam testimonium perhibent de me*: &, *si Moysi crederetis, vtique crederetis, & mihi, ille enim de me scripsit.* D. Paulus ad Roman. 1. ait se esse *Segregatum in illud Euangelium, quod Deus ante promiserat per prophetas.*

Ioh. 5.

ad Rom. 1.

Tertium, miracula. D. August.

Tertium argumentum è miraculis sumitur, quæ sunt veluti sigilla, quibus Deus ea, quæ proponit se rata habere confirmat: his ait D. August. cap. 4. contra epist. fundamenti, se vt vinculis in Ecclesia retineri; in quibus nimirum tot & tanta intercedunt, vt portentum esse videatur, si quis fidem rebus illis non adhibeat, ad quæ astruenda producuntur; aspice quæso illorum magnitudinem, vt suscitationem mortuorum, qui diu postea vixerunt, cæcorum illuminationem, dæmonum eiectionem, & morborum omnis generis curationem; numera, si potes multitudinem eorum, quæ tam à Christo, quàm ab Apostolis, & eorum successoribus facta sunt. Percurre loca omnia, cœlum, terram, mare, & infernum, in quibus facta sunt; contemplare finem nobilissimum illorū miraculorum, nempe vt Dei gloria fieret illustrior, nostra religio confirmaretur, Deum esse præsentem crederemus, & varias vtilitates vel animæ, vel corporis homines acciperent. Denique modus ipse prorsus mirabilis est, sæpius enim illa miracula simplici imperio, personæ iam defunctæ inuocatione, oratione non clanculum, sed coram omnibus emissa, vel per alia, quæ nullam habebant cum miraculis analogiam, vt luto, signo crucis, sanctorum reliquijs facta sunt.

Quarta ratio desumitur ex fidei propagatione, quæ valde mirabilis est, tam propter doctrinam, quàm tempus, quo propagata est; siquidem illa, quæ docet credenda, vel agenda, captum hominis superant, vt Deum esse trinum, & vnum; Christum natū ex Virgine; surrexisse à mortuis: eius corpus, & sanguinem in Eucharistia contineri; crucē sponte assumendam esse; honores contemnendos; paupertatem diuitijs anteponendam: mortem potiùs appetendam, quàm leue peccatum committendum: iniurias remittendas, inimicum diligendum, & cætera, quæ omnimodam admirationem pariūt; & contrà, vel, vt meliùs dicam supra communem omnium æstimationem esse videntur. Tempus verò adeò breue fuit, vt viuentibus etiamnum Apostolis in omnem terram exierit sonus eorum, & in omni loco iam aliqui fideles habitarent: Nec modus minus fuit admirabilis, cùm id sine armis, sciētijs humanis, arte eloquentiæ, sine vllis promissis temporalibus factum fuerit, idque à pauperculis homuncionibus, qui potiùs supplicia, carceres, & cruces, quàm alia, fidelibus obijciebant. O magnum, & omnino stupendum miraculum! Piscatores persuadent sapientibus eorum sapientiam esse stultitiam, philosophis, mysteria sine rationibus vllis; rhetoribus, absque eloquentia, aut vlla sublimitate sermonis, regibus, dicēdo eos esse subditos homini inter latrones cruci affixo: cæteris denique mortalibus religionem Christianam ita suadent, vt iam omnes religiones contrarias auersentur, & pro Christiana mortem oppetant, aut oblatam subire parati sint. Hinc nascitur.

Quartum fidei propagatio.

Quintum argumentum ex constantia, & stabilitate maxima Christianorum in medijs persecutionum fluctibus: quænā obsecro Respublica tantopere agitata fuit? an Assyria, Persica, Lacedæmonica, aut Atheniensis? tametsi iamdudum euanuerint. Ante Christi aduentum varijs religionibus impunè mundus addictus erat, at vbi Euangelium promulgari cœpit, omnia tormētorum genera aduersus Christianos à dæmone excogitata sunt, quibus sola fortiter restitit: Sanè cùm tyrannorū persecutiones meditor, qui ferro, & igne religionem Christianam adolescentem suffocare nitebantur, adeo ut Christiani sarmentitij vocarentur, ex eo quod religati sarmentis appositis cremarētur: Philosophorum, Iudæorum, & hæreticorum cateruas, persecutorū authoritatē, atque potentiam, crudelitatem, multitudinem: martyrum sexum, conditionem, ætatem, & alia quæ Christiani superauerunt, stultissimos constantissimè assero, qui nondum fatentur illum esse Deum verum, qui hanc religionem propagauit, qui tantas vires martyribus tribuit, & de toto mundo celeberrimam victoriam reportauit.

Quintum ex constantia martyrum.

Sanctitas, præstantia, atque perfectio nostræ religionis septimum clypeum porrigit, quo Deum & omnia verissima esse, quæ religio ab eo instituta profert, aduersus Atheos tuebimur: Illam autem ex duobus capitibus colligo, nempe ex doctrina, & personis: enimuero talis est doctrina, vt nunquam falsitatis conuinci potuerit; imo nulla est, quæ genus omne mendacij tantopere detestetur, nihil enim docet, quod legi, vel rationi naturali aduersetur siue de Deo, siue de creaturis loquatur, tametsi multa naturæ vires superantia doceat; Adde quòd ostendit, in quo vera beatitudo collocari debeat, in Deo nimirum, non in creaturis à qua

Sextum ex sanctitate religionis.

qua omnes Philosophi aberrarunt; deinde omnia vitia etiam maxima prohibet, & omnem virtutem imperat. Si verò personas consideres, in qua obsecro religione sanctiores, & perfectiores extiterunt? Vis vt ad alia pergamus.

7 ex mirabili efficacia religionis.

Aspice mirabilem istius nostræ religionis energiã, quomodo dæmones expellat, ad quorum opera destruenda Christus Dominus aduenit; vide subitam morum in melius commutationem, personas, quæ illam amplectuntur, qui licet antea libidinibus omnino dediti essent, omni postea virtutum genere præstiterunt, & mortem pro religionis defensione passi sunt: quod Petrus epist. 1. c. 4. insinuat. *In quo gentes admirantur, non concurrentibus vobis in eandem luxuriæ confusionem*, & Lactant 3. inst. c. 15. *tanta diuinæ sapientiæ vis est, vt in hominis pectus infusa matrem delictorum stultitiam vno semel impetu expellat.*

1. Petr. 4

Lactant.

8 ex infœlici exitu persecutorum.

Sed & nostram religionem confirmant infœlices Romanorum imperatorum exitus, qui nos oppugnarunt, Neronis, qui sibi vim intulit, dicens, *turpiter vixi, turpiùs morior*, Domitiani à domesticis interfecti; Traiani, iuxta Dionem veneno sublati: Adriani sanguinis profluuio, vt qui sanguinem Christianorum crudeliter fuderat, pœnas in suo corpore lueret: Antonini, qui triduo apoplexia mutus iacuit: Seueri, qui podagræ impatiens venenum hausit: Maximini cũ filiolo à militibus discerpti, exclamantibus ex pessimo cane ne catulum quidem esse relinquẽdum: Decij biennio ab imperio adepto à terra absorpti: Valeriani à Sapore Persarum rege capti, & in cauea reclusi ferrea, tandemque excoriati: Diocletiani, qui tabe, & insania correptus est, sibique vim attulit, cuius etiam corpus flamma cœlitus demissa cum eius palatio consumptum est.

9 ex dispersione Synagogæ

Iudæi huc illuc dispersi, & euersio Synagogæ idem luculentissimo testimonio comprobant, ac eorum diuturna calamitas, quã hactenus ob mortem Christi iustissimè patiuntur, cui nunquam vlla similis contigerat; quorum tametsi lex, quam se obseruare contendunt, sit à Deo, iamdudum tamen ex hebdomadibus Danielis, alijsque multis prædictionibus illam cessasse constat; adde quòd vsuram exercent, sibique eius exercitium licitum esse putant, cùm tamen legi naturæ aduersetur, vt Plutarchus, gentilis licet, agnouit, cuius librum de vsura vnumquemque perlegere velim.

10 ex concordia doctorum nostrorum.

Concordia doctorum, qui diuersis sæculis floruerunt, tanta fuit de iis quæ ad fidem pertinent, vt inde concludere possis eodem spiritu scripsisse, qui vbique præsens diuersorum idiomatum, & temporum homines in vnam doctrinam conspirare faciat, vt inde concentus Ecclesiæ suauissimus oriatur, quo Deus, & homines lætitia afficiantur, nosque omnes Christiani cum Dauide rege canamus. *Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum.*

11 ex internis testimoniis.

Possum etiam vrgere testimonia quædam interna, quę etsi ad fidem aliis faciendam non sufficiant, in iis tamen, qui ea experiũtur, magni sunt roboris, qui mutationes instãtaneas in seipsis, illustrationes intellectus, ac voluntatis impetus vehemẽtissimos experiuntur, adeout, quæ antea præstare non poterant, alacriter, & facilè postea, idque magna cum voluptate perficiant, vnde obsecro motus illi, dum nihil minus, imo sæpe contraria cogitamus, vnde inquam nisi à Deo, iuxta cap. 2. Malachiæ, *Conuertimini ad me, & videbitis, quod intersit inter pium, & impium, inter seruientem Deo, & non seruientem.*

2 Malach

12 ratio ex prouidentia Dei.

Claudet huiuscemodi motiua mirabilis diuinæ bonitatis prouidentia, quam vnusquisque diligere, suspicere, & adorare debet, quæ rerum humanarum tantam curam habet maximè in iis quæ ad hominum salutem pertinent, eorúmque præsertim, qui toto corde ei placere appetunt, quales fuère in nostra religione innumerabiles, vt sit alienum ab eo permittere illos in rebus tanti momenti errare, & decipi, quanti sunt angelorum, aut ipsius Dei apparitiones, quas partim Genesis, partim alij scripturæ sanctæ libri, partim historiæ Ecclesiasticæ narrant, quanti etiam sunt resurrectiones, & alia miracula, quæ aduersus impios defendimus. Ex quibus, & aliis multis satis superque constat, quàm certò, atque firmiter iis credere debeamus, quæ ad religionem Christianam pertinent, adeout fides nostra suos habeat oculos, inquit D. Aug. epist. 85. Vt quamuis res ipsas non videat, eas tamen credibiles, & credendas videat; & potest quilibet Christianus cum Richardo à S. Victore 1. de Trin. cap. 2. profiteri se in die iudicij Christo dicturum. *Domine si error est, quod credimus, à te decepti sumus, ista enim in nobis iis signis, & prodigiis confirmata sunt, quæ non nisi à te fieri potuerunt.*

D. Aug.

Vnde Theologi concludunt nullum horum motiuorum hæreticis nostri temporis adesse, adeóque sectam eorum nullam habere credibilitatis euidentiam, sed potius incredibilitatis, si ea velint attentè, & seriò contemplari. Quid ergo dicendum est de nostris Atheis, quos profectò nemo sanæ mentis ferro, & igne extirpandos esse negabit; Sanè meritò quis demirabitur, quòd non omnes religionis Christianæ veritatem amplectantur, cùm sit adeò credibilis; Verùm Catholicus obsecro hîc dæmonis artificium intercedere animaduertat, qui hominum mentes ita fascinat, vt pauci sincerè, & ex animo prædicta motiua perpendant semotis prauis affectibus, & ex studio cognoscendæ veritatis.

Est & aliud quod admiror, nempe diuinam iustitiam, ac prouidentiam, & voluntatis hominum imbecillitatem, quæ tametsi ab intellectu excitetur ad credendum iis, quæ Religio Christiana docet, non potest assensum præbere, firmum præsertim, & indubitatum, nisi Deus ei vires nouas suggerat, hominem excitet, & adiuuet, vt sese motiuis illis considerandis applicet, séque retrahat à prauis affectibus huic assensui contrariis, & ne inconstantiæ naturali, dæmonísque astutia ab huiuscemodi assensu impediatur; In hoc autem maximã humani ingenij tenuitas apparet, quòd tametsi illa euidentia cogere videatur intellectum, viribus tamen naturæ ad eam peruenire non possimus.

CAPVT VI.

Soluuntur gentilium obiectiones.

NOn desunt arma, quæ dæmon aduersus veritatem illis suggerit nos eiuscemodi prophetias, quas scriptura narrat, effinxisse, vt faciliùs nostram religionem in mundum obtruderemus. Verum ipsi nostri hostes coniurati Iudæi respódebunt qui prophetias illas custodiunt, quas multis ante Christum, & veritatem Christianam sæculis scriptas esse fatentur. Deinde cur Aristotelē, Platonem, Plutarchum, Suetonium, Virgilium, & Tullium gentiles credunt fuisse suorum operum authores, & non credunt prophetas suas scripsisse prophetias? præsertim cùm Ptolomæus Rex Ægypti Biblia Hebraica curauerit à 72 interpretibus in linguam Græcam conuerti, multo antè quam Christus ipse nasceretur, adeout nullus meritò possit in dubium reuocare prophetas illos fuisse, suásque prophetias conscripsisse.

Nunquid Athei audebunt obiicere non Dei, sed dæmonum spiritu affectos fuisse? At illud non possunt obiicere, cùm dæmones non admittant; iam enim aliquid super vires naturæ, résque visibiles agnoscerent; eis tamen hanc obiectionem permittamus; sanè nullus dæmon ea reuelare potuit, cùm vel supernaturalia fuerint, vel à sola Dei voluntate pendentia, quæ nulla creatura, nisi præmissa reuelatione, cognoscere potuit.

Vrgent Athei miracula, quæ narramus ficta esse à Christianis; sed ineptè admodum, quandoquidem totus mundus à Christo, & Apostolis conuersus est ad fidem, qui nisi per miracula conuerti potuit. Adde quòd, si ficta sunt, hoc certè maximum sit miraculum, quòd 12 piscatores, pauperes, idiotæ, pannosi, contemptibiles, & mundi peripsemata totum mundum à delitiis ad vitæ asperitatem, à cultu idolorum tam inueterato ad vnius Dei cultum, & à doctrinis tam peregrinis ad doctrinam tam arduam, támque à communi sensu abhorrentem sine vllis miraculis conuerterint, vt optimè docet S. August. 22. de ciuit. c. 5. Denique infensissimi hostes nostræ fidei miracula nostra libenter admittunt; Mahumetes enim in Alcorano asserit Christo data fuisse miracula, sibi verò gladium; nec ipsi Iudæi ausi sunt miracula Christi velut conficta redarguere. Sed non indigemus nouæ legis miraculis, vt Atheos conuincamus: illa sufficiunt, quæ in veteri testamento scribuntur; alia verò militant aduersus hæreticos, quibus etiam faxit Deus Optimus, vt illis motiua præcedentia deseruiant. (D August.)

Verùm nondum penitus exarmatos esse putes Atheos, nam legis antiquæ miracula magicis artibus conficta fuisse volunt; verùm obsecro quis vnquam magus tot, & tanta miracula patrauit, ac Christus, & Apostoli, & ipse Moses, qui Pharaonis magos in tam celebri conflictu superauit? nunquid eius virga magorum serpentes deuorauit? nunquid Helias vicit illos pseudoprophetas Baal, sicut & Petrus Apostolus Simonem magum, quippequi opera, & arte dæmonis vtebantur? Adde quod omnia magi ad quæstum, vel ad ostentationem, aut finem ridiculum referunt, quale nihil vnquam Moses, Christus, vel alij miraculorum verorū patratores sibi proposuerunt.

Sunt etiam magi homines flagitiosissimi, Moses verò, Christus, & Apostoli innocentissimi; illi barbara, & incognita nomina solent assumere, & vt plurimū clanculū, itaut apertè ostendant se lucem reformidare, & pactum habere cum dæmone; hi verò per orationem, vel imperiū in nomine atque virtute Dei omnipotentis miracula faciunt. Accedit etiā quòd illa, quę magica sunt, nō sint, nec esse possint vera miracula; non enim mortuos suscitant, vel cæcos illuminant, aut simile quidpiā faciunt.

Nec enim illa sunt vera miracula, quæ referunt, sed tantùm mira, quæ dæmonis arte per causas naturales, sed occultas fiebant; vt contigit in Vestali virgine cribro aquam hauriente, apud Valer. l. 8. & statuis, atque brutis, quæ locuta fuisse recenset, ita & de cote nouacula scisso dicendum est. Quod ad Vespasianum attinet, quem Suetonius cæcum Alexandriæ illuminasse, & claudum erexisse scribit, (Valerius.) ea non fuerunt vera miracula, quia vel arte medicorum illius temporis morbi illi curabiles erant.

Sic enim apud nos expertissimi non desunt, qui cataractarum ablatione visum cæcis reddere videantur, vel quod faciliùs credidero, fuit illusio dæmonum, itaut illi sani apparerent, vel reuera sanarentur, auferente dæmone morbi causas, quas ipse procurauerat. Lędunt enim primò, inquit Tertul. 22 Apologetici, *Debinc remedia præcipiunt, ad miraculum noua, siue contraria, post quæ desinunt lædere, & curasse creduntur. Quid ergo de cæteris ingeniis, vel etiam viribus fallaciæ spiritalis edisseram? Phantasmata Castorum, & aquam cribro gestatam, & nauem cingulo promotam, & barbam tactu irrufatam; vt numina lapides crederentur, & Deus verus non quæreretur.* (Tertul.)

Quod eò probabiliùs de Vespasiano dicitur, quò maiorem cum Apollonio Tyanæo familiaritatem habebat, teste Philostrato l. 5. Verùm Atheis etiam concedamus aliquid, nempe apud gentiles nōnullas apparitiones, & alia miracula nostris similia visa fuisse, quid tum? An aliqua miracula in antiquis veterum historiarum annalibus scripta viderunt, quæ in confirmationem multitudinis deorum, aut opinionis Atheorum ad hominum inuocationem, & vota patrata sint? Nunquid aliæ religiones à Christiana diuersæ cōfirmatæ fuerunt claudorum sanatione, illuminatione cæcorum, & aliis morborum curationibus? nequaquam. (Philostrat.)

Sint vera, quæcúnque referunt de variis apparitionibus, oraculis, prophetiis, &c. & quæcúnque Artemidorus Ephesius l. de auguriis, & Cicero 1. de diuinatione recensent; Sint vera, quæcúnque variis temporibus, & apud varias gentes earum historiæ accidisse memorant: nulla in illis intercesserit magia, quæ Philostratus 8. libris, & Diocles Alexandrinus de Apollonio narrant: absuerint diabolicæ fraudes, quæ tamen in omnibus ferè, quæ gentium historiæ referunt, intercessēre. Illa omnia contigerint, si ita credere licet, at qua virtute? an voto, & humano imperio? nequaquam, sed in virtutis religionis, quam vtcúmque diuinam prouidentiam conseruare decebat, commendationem, vt nimirum homines in numinis timore contenti, paulatim veræ religioni assuescerent, & ne quod est summum ma- (Artemidor. Tullius.) (Philostr.) (Quomodo miracula inter paganos facta, & cur.)

lum:

lum procaciter dicerent. Non est Deus; vnde corrupti & abominabiles fierent; minus enim à salute abest, qui à vero Deo, falsorum Deorum superstitione recedit, quàm qui numinis penitus exuit notitiam, & quē nulla saltem superstitio coercet.

Sunt & alia prodigia, quæ ad quorundam ostendendam innocentiam, Deus edidit, quale illud de Claudia Romana, quæ cingulo nauim arenę Tyberis hærentem attraxit; aut illud, quod, de altera Vestali refertur, quæ aquam in signum item pudicitiæ ab eodem flumine cribro hausit; interest enim diuinæ prouidentiæ, potissimùm apud eos qui potiùs ignorantia, quàm malitia laborant, & à vera religione recedunt, quales erant illæ fœminæ, innocentiam fouere. Non igitur in illius superstitionis attestationem, quæ tunc apud gentes vigebat, sed tantùm in diuinitatis, & prouidentiæ testimonium miracula facta sunt, nimirum vt scirent gētes esse Deum, cui essent curæ mortalium actiones, quíque sanctos mores, & iustitiam probaret, contra verò pro delictis supplicia rependeret.

Itaque, velint, nolint, Atheos fateri necesse est, omnia quæcunque ex gentilium monumentis afferre possunt vnam diuinitatem intimare, commendare, & astruere, adeout ipsorum inimicorum ore, atque confessione Deum esse conuincamus; quem præsertim astruunt apparitiones, quas scriptura sacra narrat, inter quas nulla est, ex qua non suppetat nobis luculentum diuinitatis testimoniū. Vnicam vrgeo, quando vox illa cælestis in Christi baptismate audita est. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite*: quid verius! Nunquid Christus opera Deo digna in toto vitæ suæ curriculo, in morte, & post mortem, sanando morbo correptos, cogitationes occultas præuidendo, seipsum suscitando, mirabili in cœlos ascensione, singulis denique suis actionibus totidem quasi miraculis peregit? O prodigiosam stupiditatem, si hoc non vides, non fatearis, non prædices, non amplectaris, & adores! Verum hactenus de apparitionibus veris angelorum, & cæteris, quæ Deum esse probant, neque in fabulas, aut hominum figmenta refundi possunt.

CAPVT VII.

Quòd apparitiones angelorum in mathematicas refundi non possint, ac proinde Deum esse probent.

SI angelorum apparitiones in mathematicas referri possunt, vel in arithmeticā, vel in Geometriam, vel in Musicam, vel Astronomiam, & Astrologiam, vel in Opticam, vel denique in mechanicas refundetur. Si in Arithmeticam, vel communem Calculatoriam, vel in Algebram; Sed hoc dici nequit, quid enim angelorum apparitiones habent cum numeris commune? nisi fortè quasdam arithmeticas diuinationes obiicias, quibus homines ea diuinent, quæ tribuuntur angelis; vt quot nummos aliquis in crumena habeat; quis ex tribus hunc, aut illum globulum sumpserit; quem lapillum ex 16 tetigeris; quoto tempore fons, aut dolium plenum exhauriri poterit per 15 canales, quod duobus canalibus per 3 horas exhauriri potest &c. At quicquid algorithmo soluas, nunquam ea præsagire poteris, aut alia efficere, vel reuelare, quæ prædixerunt, fecerunt, vel annunciauerunt angeli.

Euclid. Scio quidem multas algebricas regulas esse mirabiles, quæ ex quibusdam l. 2. elem. Eucl. propositionibus demonstrantur, quibus vix aliquid in disciplinis humanis præstantius inueniri potest, nam teste Clauio in 2. definit. 1. miracula quædam numerorum tam abstrusa eruit algorithmus, vt illa facultas omnem captum humanum superare videatur, tanta nihilominus facilitate, atque voluptate, vt facilius videatur esse nihil. Ita etiam ex aliis propositionibus huius libri eliciuntur demonstrationes, quibus inter se adduntur, subtrahuntur, multiplicantur, atque diuiduntur numeri surdi, seu qui nullo modo exprimi possunt; cuiusmodi sunt radices numerorum non quadratorum, aut non cubicorum, quæ neque per diuinam potentiam in numeris possunt exhiberi, quòd hæc res contradictionem implicet. Quo quid admirabilius? Quis enim credat per demonstrationem sciri posse, quid producatur ex radice quadrata numeri 8 ad radicem quadratam numeri 18 adiecta, cum vtráque radix incognita sit, & nulla ratione exprimi queat, quòd illa paulo minor sit, quam 4, & tamen summa, quę ex vtráque fit, colligitur ex vi propositionis 4. lib. 2.

Illud iam antea retuli ratione 16 qua Deū esse probabam.

In arithmeticam non possunt refundi apparitiones.

Hæc tamen nihil Atheos iuuant, nec enim est vlla tam subtilis Algebræ regula, qua illa cœlestia secreta rimari valeant; quæ hominibus annunciarunt angeli; enimuero per quam regulam, quo theoremate, qua propositione potuit vllus Virgini matri annuntiare eam Dei filium concepturam, atque parituram? quod tamen Gabriel angelus prædixit his verbis, *Ne timeas Maria, ecce concipies, & paries filium & vocabis nomen eius Iesum*, &c. Luc. 1. Luc. 1.

Nec enim Arithmetici vllam aliam virginem numerare, vel addere, aut ex ea colligere poterant aliquid simile huic euenturum, quandoquidem nulla præcesserat, imo nec vlla sequetur, vt non tantùm Arithmetici verùm etiam astrologi, & cæteri mathematici, omnes denique artes, omnis scientia omnis humana mens, ne dicam angelica ob hanc solam Gabrielis annunciationem præ tanta miraculi magnitudine obmutescant, & obstupescant.

Nec in Geometriā.

Vis etiam vt Geometriam percurramus? sed hæc tantùm lineas, longitudinem, atque latitudinem, nec non profunditatem considerat; neque circa futura, sed tantùm circa præsentia, vel abstracta versatur, vt ea longiori discussione non indigeat.

Nec vllum Micometram, Planimetram,

aut Stereometram reperiri posse certissimum est, qui non dico cœli secreta, non angelorum hierarchicā dispositionem, sed ne cœli quidem empyrei magnitudinem, vel altitudinem enarrare possit: Dicat obsecro Trigometra quem angulum conus trianguli efficiat, qui in Empyreo basim habeat 100 leucarum.

At ipsos Geometras pro nobis stantes habemus; ipsi enim quantitatem continuam eámque stabilem, seu immobilem minimè transcendunt, quibus si tam discretam, quàm mobilem concessero, nihil inde sequitur, cùm ipsa mens, & cogitationes animi, à quibus verba procedunt, angelorum nobis apparentium, nulli quantitati subiaceant.

Quod si è Geometriæ terminis recesserimus, quattuor superesse videntur, quæ nobis opponant, Musicam, Opticam, Astrologiam, & mechanicas; Verùm de musica fusè, deque viribus illius ad c. 4. Gen. vers. 21. cuius virtus tanta esse nequit, vt quasdam angelorum apparitiones, vel ipsos apparitionum effectus producat, nisi dixeris ab ea phantasiam tam validè commoueri, vt sibi fingat apparitiones, vel aliquos genios prouocet, & aduocet, at de phantasia, eiúsque operationibus, atque passionibus alibi dicetur; quæ tametsi homines in furorem ageret, non ideo perducere posset illos ad futurorum, quæ sæpius annuntiauerunt angeli, cognitionem, quippequæ nullatenus à rebus corporeis dependeat, qualia sunt quæcúnque vel à Musica, vel à phantasia dependent. (De Musica.)

De Astrologia pluribus etiam in locis non pauca tetigi, nec quidquam in astris est, quod talem ducem atque reducem Tobiæ constituere possit, qualis fuit Raphaël, qui sicut inuisibili cibo vtebatur, ita domini inuisibilis nuntius erat; nec est quòd ad fictitios astrorum spiritus recurrant, quos etiam eliminauimus: cætera, si quæ supersint, alibi confutabimus. Iam nobis Optica, atque mechanicæ supersunt. Itaque nonnulla breuiter ad Opticam pertinentia subiiciemus, nam de nobili parte illius Catoptrica in obiectione de speculis plurima dicturi sumus. (De Astrologia.)

Quod autem ad primam perspectiuæ partem spectat, quæ nomine communi retento dicitur Optica, & ad tertiam quæ Dioptica nuncupatur, neutra talis est, in quam angelorum apparitiones refundi possint. Quid enim obsecro facit, quidue docet Optica, quod ea referre possit, quæ D. Ioanni Euangelistæ reuelauit angelus? vt in integra Apocalypsi videre est. Sed ne tanta vrgeam, quæ sua mole non tantùm Atheos, sed omnium mentes obruant, faciliora obiicio. Si quid est, in quod angelorum apparitiones refundere possis, in Optica, credo nihil inuenies ad quod confugias præterquam ad aspectus fallacias, & errores, qui ex diuersis causis nascuntur, vt omnes decepti fuerint, qui angelos sese vidisse affirmant. Id tamen dici nequit, vel enim ex parte lucis, vel ob distantiam ab oculo, vel ob situm, & oppositionem, vel magnitudinem, opacitatem, medij perspicuitatem, moram, & organi distemperiem hallucinatur oculus, quandoquidem omnes errores ad octo prædicta capita reduci valent: At nullum ex illis causa esse potest, cur angelus omnes Ægyptiorum primogenitos vnica nocte occiderit, vel potiùs, cur Ægyptij decipi potuerint, vt primogenitos suos occisos esse crederent, quasi verò adhuc viuerent; omitto cæteras apparitiones; in quibus semper aliquid adfuit, quod neque in Opticam, neque in vllam Mathematicarum partem refundi possit. (Optica, & Dioptica.) (8. Capita ob quæ decipi possumus in visione.)

Et quidem ex parte lucis oritur, vt acies oculorum hebetetur, quando maxima est; si verò minima, tunc obiecta latentia ad actum non reducit, ideóque parietes impensè nigri in obscuro loco non apparent, & in eos impingimus, cùm transitum præbituri videantur. Similiter distantia maior obiecta minimè traducit ad oculum, minor vero confundit, & dissipat visum nostrum; vt enim rem aliquam optimè conspiciamus, talis distantia intercedere debet, vt partes omnes totius comparatione sensibilem proportionem habeant, alioqui delitescent.

Visus autem præsertim hallucinatur, si visile longiùs distet, aut illud inter & oculum nullum spectabile corpus intercesserit; hinc arbores & columnę anteriorem in partem longo ordine expositæ, quæ longissimè distant coniunctæ videntur; & qui procul ab amne distent, res vlteriores à citerioribus non distinguunt, neque assequuntur; an stellæ magis à nobis, quàm planetæ distent; an cœlum terræ cohæreat in horizontis ambitu, necne. Omitto fallacias propemodum infinitas, quæ ex varia distantia, magnitudine, situ, oppositione, cæterísque capitibus errorum, quæ nuper retuli, oriuntur, de quibus fusè tractant Optici; omnium autem optimè, atque fusissimè Aguilonius l. 4. vnica Raphaëlis apparitio, qui Tobiæ filium ad ciuitatem Medorum duxit, reduxit, & toties cum eo diu, noctúque conuersatus est, abundè probat, atque conuincit nihil esse in Optica, quo possis illam angeli apparitionem eludere, nec aliud ab Atheis in præsenti postulo, quàm vt historiam Tobiæ à cap. 5. vsque ad finem attentè perlegant. (Tobias c. 5.)

Hîc neque maior lux, neque minor, nec maior aut minor distantia, situs, oppositio, obtusior oculorum acies, temporis breuitas, aut aliud quidpiam obiici potest, quandoquidem angelum Tobias vidit diuersis horis diei, eminus, cominus & in diuersis sitibus, nec solùm Tobias iunior, sed & pater, & alij plurimi quorum acies erat optimè disposita: Adde quod ille angelus locutus fuerit, & plurima consilia dederit, quæ in nullam Opticæ, vel Dioptricæ partem vllus referet: de qua non est quòd plurima subiungam, quandoquidem hæc media diuersa supponit, ob quæ siue ad perpendiculum, siue ad cathetum radius Dioptricus refrangitur per quartam decimi Vitell. de qua Dioptrica plura in prolegomenis attuli.

Neque mihi dixeris thronos cælestes à dæmonibus excitari posse, quod illis historiis confirmatur, in quibus legimus Hierarchias cælestes nonnullis oblatas fuisse: & alia plurima similia; id enim ad rem præsentem nihil facit cùm Athei dæmones admittere nolint. Quod si rem cum aliis haberemus, qui negarent apparitiones bonorum angelorum, malorum verò concederent, alio modo procederemus, & afferremus signa, quibus hi ab illis internoscuntur. Itaque siue dæmones multa fingere valeant, quæ aliquam vmbram paradisi ostendant, & incautos sub angeli boni specie fallere, siue non, certum est nullum hominem virtute propria vapores colligere posse, aut condensare aërem, in quo verbi gratia thronū Dei positum esse suadeat; iridē progignat &c. Quæ tametsi facere valeret, non potest aliquod

aliquod efformare phantasma, quod aliquem tandiu in itinere comitetur, ac Raphaël qui Tobiam duxit atque reduxit. Nec alia ratione Dioptrica prodest, quàm vt res vel minores, & maiores, vel in alio loco sitas esse, quàm sint, ostendat: ad quod nulla vera apparitio reuocari potest, nec enim per hanc opticæ partem, quæ solas infractiones per se contemplatur, vlli rei sermo communicatur, & tamen fere semper in apparitionibus aliqui sermones audiuntur.

De Musica

De Musica non est quod laboremus, cùm nulla pars harmoniç, nullũ systema siue Chromaticum, siue Diatonicum, siue Euharmonicum, nulla vox, nulla instrumẽta, nulli rithmi, nihil denique, quod à Musica proficisci possit, Angelorum apparitiones suppleat, aut prouocet.

Nisi fingas aliquem Orpheum, qui testudine mortuos ad vitam reuocet, & ab orco educat, quod & fabulosum est, neque possunt afferre, qui Deum negant, cùm simul & animæ immortalitatem, & dæmones, & cętera, quibus possent facessere negotium, omnino peruegent.

De mechanicis & eius speciebus.

Non est etiam quòd alias partes Mathematicæ referam, cùm apparitio Raphaëlis, & aliorum Angelorum omnes Mathematicorum subtilitates longè transcendant. Hîc autem solas mechanicas obiicere possunt, quibus admiranda fieri solent, hinc θαυματουργικὰ vocantur, quia ventis, igne, & aqua sæpe numero viuentium opera imitari videntur; vt ex Architæ columba, musca Regiomontani, capite Alberti confirmant, vnde nomen τῶν αὐτοματοποιητικῶν sortitæ sunt. Attamen vnicuique facillimè constabit nec Hydrolicam, nec eam, quæ πνευματικὴ, nec Æquiponderantem, & Contraponderantem, nec Centrobaricam, quæ totius mechanicæ secreta produnt, vllius apparitionis causam esse posse, si quamcúnque à scriptura relatam, aut alioqui sanctorum communi calculo, vel omnium sententia confirmatam apparitionem cum iis, quæ per illas mechanicæ species fieri possunt, accuratè conferat.

Tametsi enim πνευματοποιητικὰ per ventos, & aërem, Hydraulica per aquam, Æquiponderans per diuersa pondera mobilia, qualis est Mercurius, quædam efficiant, quæ vitæ similitudinem habere videntur adeout etiam prudentes hallucinari possint; attamen per ea nequeunt explicari quæ in veris apparitionibus contingunt; Tunc verò plurimi decipi possent, si quibusdam rotulis, neruis, & aliis artificiis alicui hominis simulachro vim aliqua verba proferendi simul & motum membrorum communicarent. Motum quidem cum argento viuo vndique pensili non sine admiratione infantuli effigiei collatum vidi, quam ridere, atque manibus pedibúsque gaudio gestire dixisses, sed minimè loquebatur; demus tamen aliqua verba dicere potuisse, nunquid ad interrogata respondere valuit? minimè gentium, sed vbi neruus, aut filum, atque cathenulæ extensæ fuerint, atque rotæ suum cursum peregerint, aër etiam expulsus, aut simile quippiam suo munere functum fuerit, nihil deinceps audietur, & eadem omnino verba resonabunt, si totum artificium reficis.

Adde quod nunquam αὐτόματα visa sunt, quæ simul ambularent, ac loquerentur, siue id fieri valeat necne; vel si tantisper ambularunt, statim quies sequebatur, nec enim hominum industria talis est, quæ rotis quibuscúnque adinuentis, & accommodatis alicui statuæ mechanicæ vim tribuere possit, qua per leucam moueatur. Demus tamen non tantùm per leucam sed per totum mundum ambulare posse; at si te comitetur, fraudem omnino deteges, quia si statim tardiùs, celeriùs aliàs progrediaris, te non assequetur, cùm tamen Raphaël Tobiam comitaretur, siue properaret, siue motum remitteret. Omitto cætera ad hanc & quaspiam alias apparitiones attinentia, quæ si discutiantur, totam mechanicam, & singula eius artificia facilè deprehendes & euinces Angelorum apparitionem in eas referri non posse, vt omnino ad Deum apparitionum authorem recurrere debeas, præsertim cùm in eis futurum aliquid reseratur.

CAPVT VIII.

Apparitiones angelorum in vapores stultè reijciuntur, atque conuincunt Deum esse aduersus Atheos.

Certum est Vaninum fumis pluribus cerebrum oppletum, & oppressum habuisse, cum hanc spectrorum, & apparitionum causam finxit, & fumos pro veritate attulit; quapropter mirum esse non debet, si eius institutum, atque propositum in fumos abiit, qui propter insignẽ malitiam Tholosæ necatus est, dum neque Deum, neque dæmones, aut angelos agnoscere voluit, quippequi vocatus, vt veniam à Deo, Rege, & iustitia supplex posceret, in hæc verba, teste Galtero in noua chronologiæ editione circa finem, prorupit: Regẽ non offendi, Deum nullum agnosco, si verò dæmones aliquos admiseritis, iudices in orcum ferant. Vbi cernere est, quàm malè pereant qui malè vixerunt. Iam verò ad illas exhalationes, atque vapores redeamus.

Varia magiæ naturalis secreta.

Quæcúnque vaporum beneficio admiranda exhiberi possunt, & ob oculos poni solent, vel apud nos candelæ, vel alterius luminis ope fiunt, vel in aëris media, fortè etiam infima, & suprema regione, aut in ipsis cœlis; si apud nos, id angelos exhibere nequit, sæpiúsque nullam affert vtilitatem vt patet ex equarum in lychnis, vel asinorum accẽso spermate, vel corio serpentis, quibus homines equinis, & asininis capitibus, & multi serpẽtes apparere dicuntur: Ita sanguinẽ vpupæ cum centaurea, & melle componunt, vt circunstantes solito maiores videantur, & ipsas stellas discurrere putes; Sepiæ atramento lucernæ infuso faciunt homines Æthiopibus similes: Auripigmento trito, & cum oleo atque sulphure ebulliente homines sine capite, atque manibus ostendunt, & panem saltantẽ in furno videbis, si in eo nucẽ viuo sulphure, sale petræ & hydrargyro plenam inserueris, antequam mittatur in clibanum.

Arsenicum.

Omitto similia ludicra, quæ diuersis puluieribus, oleis, extractis, & aquis varia phãtasmata, & figuras horrẽdas exhibẽt, nec enim in ea prędictę angelorũ apparitiones referri posſũt, quicquid Vueckerˀ l. 3. proponat, vt homines angeli, vel alia forma cõspiciãtur. Legãt obsecro vel vnũ Apoc. caput, quicũque putãt angelorũ apparitionẽ in huiuscemodi

Apocal 7. iudicia refundi posse; in præsenti caput octauum obiicio, in quo 7 Angelis 7 tubæ conceduntur, quorum vnus thuribulum accepit, & impleuit illud de igne altaris,& misit in terram, & facta sunt tonitrua & voces, & fulgura, & terræmotus magnus. Deinde primus ex 7 tuba cecinit, & facta est grando, & ignis &c. quæ per totum caput poteris cum ingenti admiratione legere;quæ eò magis hominum potestatem superant, quo diutiùs prædicta sunt, antequam eueniant, vel quo maiora arcana complectuntur.

Obiectio Atheorum. Nunquid aliquem audio submurmurantem se quibusdam canalibus mille passus longis efficere posse:vt aliquod simulachrum instar hominis loquatur?idque cùm artifex voluerit, & quæcúnque placuerit subitò proferat, adeout quibusdam machinis imaginem promouere, vel ei virtutem ambulandi tribuere,deinde tubis,seu canalibus quantumcúnque longis quæpiam verba insusurrare, qua statua proferre videatur, vbi artifex, vel alius quispiam ora canalis aperuerit; sic enim Baptista l.19. de pneumaticis c. 1. suspicatur verba ab aliquo prolata,quæ per ductum,seu tubum illum excurrunt,in tubo integra remanere posse, quandiu volueris,si statim atque prolata sunt,& excurrunt, vtrúmque canalis extremum obturetur, quæ postea audientur, vbi aliquod extremum aperueris. His adde quod simulachrum referet, quicquid volueris,nempe vel faciem Angeli vel tricipitem hominem, vel caput equi, lupi, asini, aut alterius cuiuspiam animalis, prout varia in flammam candelæ, vel in ipsum oleum inieceris, aut per aërem sparseris. (B Porta.)

Hæc sunt arbitror, quæ de vaporibus circa nos existentibus Athei iactare poterunt; quæ tametsi concederemus, minimè sequeretur Angelorum apparitiones ad vapores referri posse,vt satis constat ex ipsis apparitionum circunstantiis. Sed neque ea vera sunt, licet enim quodpiam ex istis sigillatim acceptis verum esset, omnia tamen simul non ita coniungi possent: At nego id,quod de canali dictum est,licet ad aurem audientis verba etiã submissè prolata fideliter deferat, nisi longior fuerit;Verùm non puto verba quæpiam vsque ad aurem alterius per quamcúnque distantiam ferri, quod vix experiri possumus, quia nulli sunt canales,qui sint lõgitudinis vnius leucæ.Non loquor de canalibus riuulos fontium aliquando per tres, vel etiã plures leucas deferẽtibus,sunt enim ampli nimis,sed de angustis,quæ foramini auris accommodati sint;alioquin in aquæductibus vox statim dissiparetur. In neutris autem conseruari potest ad libitum, sed aliquanto post tempore omnino perit vbi aëris commotio desinit. Sed quid hæc nugamenta fusiùs commemoro?Quis enim tubos parauerat, quibus verba in os Raphaëlis, & aliorum Angelorum immitteret? quis machinulas in capite,vel gutture fabricarat? Sanè vereor ne in tricis huiuscemodi narrandis tempus nimium insumam; Quapropter ad vapores nobis superiores me confero,si fortè superiora magis,quàm inferiora Atheis faueant.

Meteororum species. Notum est ex meteorologia quid vaporum, & exhalationum beneficio fieri valeat; nec de manna, rore, pruina, grandine, glacie, melle, niue, nebula, pluuia, atque nubibus, & aliis meteoris aqueis loqui velim; non de virgis, pareliis, area, voragine,hiatu, fulgure, fulmine,tonitru, & aliis similibus; non de facibus, & flammis, lanceis, syderibus discurrentibus, ignibus perpendicularibus, fatuis, & lambentibus, dracone volante, Castore,Polluce, Helena, trabibus, crinibus, gladiisque ignitis; non de cometis, siue pogonij, & barbati fuerint, siue disci, ensis, cornu, equi,& dolij speciem præ se ferant, & xiphias, discus, ceratias, lampadias, hippus, & pithus appellentur, siue diuersas formas, & variam appellationem habeant. Qui tametsi pestem, proditiones, & sterilitatem dum Saturno propinqui significarent: Ioui autem, legum mutationem, & mortem Pontificum; Marti, bella: Soli, magnam cladem toti mundo; Lunæ, inundationem, & siccitatem: Veneri, nobilium, & principum mortem; Mercurio,mala varia; coronæ, & Tropicis, mortem regum; Serpenti, & Scorpioni, pestem: terræmotum, signis fixis; Gorgonis capiti, & armatis figuris, bella; Andromedæ, & Cassiopeiæ, seruitutes & desolationes; Eridano, & Argo, tempestates atque inundationes, vt vult Cardanus l. 14. de rerum variet. quamuis falsissimè, attamen Angelorum apparitiones in illa meteora refundi non possent; hæc enim nobis ad nutum non parent, neque se accommodant, prout Angeli, qui mittuntur à Deo, qui satis ostendunt se liberè agere, vt manifestum est in Raphaële, qui iuxta Tobiæ patris votum duxit, atque reduxit filium, & patris cæcitatem piscis felle non sine miraculo curauit. (Cardani error.)

Quando 3. soles visi. Nihil verò refert, quod tres soles apparuerint, vt præter eos, qui referuntur in obiectione, contigit anno 1531 die vndecima Aprilis hora secundacum duabus iridibus, quarum vna coronæ figuram, altera semicirculi plano terræ æquidistantis formam habebat, si Cardano fidem habemus l.14.de rerum variet.c. 80. vbi simile quidpiam ex Olao refert.

Obiectio Atheorum. Nunquid Atheum audio dicentem ita vaporem condensari posse vt lux solis, lunæ, vel candelæ figuram, & formam cuiuscúnque hominis in eo efformet? at illud falsum est, nec, si fieret Angelorum apparitiones eluderent; quia hæc phantasmata loqui, & huc illuc ambulare minimè possent. (Cardanus.)

Statim enim atque lux candelæ, vel solis tantisper euariaret, phantasma illud non appareret, cùm tamen Raphaël Tobiæ præfectus semper visus fuerit similis. At quis vapor in Gabrielem transformari potest; quis vapor Virgini matri annuntiare potuit. *Ecce concipies, & paries filium & virginitatis non patieris detrimentum.* Quis vapor Christum in agonia positum cõsolari valuit. Quis vapor omnia Ieremiæ, cæterísque prophetis reuelare potuit,quæ in eorum libris scripta sunt?Facessant huiuscemodi tenebriones,qui fulgorem Angelorum, immo diuini numinis lumen immensum nescio cuius vaporis caligine obducere contendũt.

De cometis etiam dicemus quæst. de soliditate cœlorum. Non est quod de cometis agamus,quippequi nequeunt esse causa apparitionum;ipsi verò sunt quędam meteora, quæ iuxta Peripateticos per exhalationum inflammationem in suprema regione aëris informantur, de quibus breuissimè plura dico. Vix circa quodlibet aliud meteorum tam varię opiniones fuisse videntur;nam plurimi etiam ex schola Aristotelis,authoritate, & obseruationibus doctissimorum huiusce sæculi mathematicorum freti negant eos exhalationibus calidis & siccis constare, quandoquidem luna, Venere, & sole altiores esse aiunt; imo non desunt, qui in firmamento

Variæ sententiæ quid sint, & vbi sint cometæ.

mamento reponant, quòd illud à parallaxibus probetur. Qui rursus tam varij sunt, vt alij in multos planetas simul adunatos, alij in planetam nonnunquam apparentem, qui se postea sub radiis solaribus condat, alij in stellam statim descendentem, alij in densiores partes cœli pro diuerso ad solem situ; alij in ipsos quidem vapores, sed per cœlos ipsos velut per aërem discurrentes, alij in empyrei cœli lumen, quod aliquando vsque ad nos irradiet, cũ certa quædã alia inferiorum cœlorum foramina occurrunt, & liberum aditum illi lumini præbent, alij in ipsum radiorum solarium concursum, qui varius est pro vaporum, vel cœlorum diuersis partibus, in quibus occurrit, cometas referunt.

Eos autem agrorum sterilitatem, & annonæ caritatem, tempestates, terræmotus, pestilentiam, mortem regum, bella, regnorum mutationes significare aiunt, siue id fiat ab exhalationibus, quæ sint prædictorum causa; siue tantùm cometæ signa ex instituto diuino esse dicantur, & ab aliquo angelo præside tandiu moueantur, quandiu Deus præceperit, & tale signum homines aduerterint. Vide 9 cometæ species, quas Albumazar refert tract. de cometis, Saturnalem, Iouialem qui dicitur argentum ob splendorem, & Iouialem Rosæ nomine humanam præ se faciem habentem; Martiales quattuor, Feru, Particam, Tenaculam, & Maturam rubiam; Octaua cometæ species venerea, seu miles appellatur, lunæ instar refulgens. 9 species Mercurialis est, quam Astoriæ dominum vocant astrologi. Verùm de his aliâs, tantùm subiungam astrologicum Schema, quo de cometa anni 1618. qui vsque ad initium mensis durauit, astrologi diuinarunt.

Albumazar.

9 cometæ species.

Dominium cœli Marti tribuunt cum participatione Mercurij. ♂ est in medio cœli, ☿ in ascendente. ♂ est dominus cometæ, & ☿ principatũ tenet, quapropter ex illo planeta, eiusq; situ, positu, & affectu, atq; ad alios cõfiguratione iudicia sua eliciunt. Itaque ♂ in 10 cœli domo bella inter reges, & principes significat inquiunt, & denotat aduentum crudelis hostis Martialis, qui alium è regno suo deturbet. Præterea ♂ 12 & 1 domibus imperat, qui cùm quadrato valde platico lunam in 7 domo existentem aspiciat, bellicos apparat' promittit eo fine, vt matronæ cuidã illustri vis inferatur: Adde pestilentẽ violentiã ♄ cũ Aldebarã stella violenta. ☿ in 12 deplorãdos casus, & proditiones minatur. ♂ verò cùm Horoscopo, & cometæ dominetur, præter seditiones intestinas, tumultus populares, & vrbis excidia, morbos biliosos, acutas, tertianas, sanguinis eruptiones, & plurimos morbos futuros ostendit. ☿ in signo falsitatis videlicet ♏, falsos monetarios promittit ♄ dominus tertiæ domus religiosis personis, & nobilibus multas calamitates prænuntiat: hostili enim radio Iouem, nempe quadrato dextro violento ferit. His verò præsertim minari videtur, super quorum regiones cucurrit, & iis qui tempore suarum natiuitatum, vel reuolutionum habuerunt horoscopum solem, lunam, medium cœli, partem fortunæ, & reliquos 5 planetas in gradu 9 Scorpionis, 21 ♍ &c.

Omitto cætera, quia hæc omnia vana sunt, vt eos irridendos arbitrer, qui tempus in his Schematibus erigendis & iudiciis inde faciendis terunt; Quapropter optimi mathematici fatentur ea indigna esse, quibus bonæ horæ impendantur; Vt autem clariùs ea perspiciantur Molherianum horoscopum appono: sicque huic responsioni finem adhibeo, atque concludo nihil esse ad quod omnes angelorum apparitiones, præterquam ad angelorum creatorem referri possint.



CAPVT IX.

De vaporibus corporis, mendaciis, & intelligentijs. An apparitiones angelorum in ea referri possint.

AD mendacia iamdudum respondimus, nec credo frontis eris adeò perfrictæ, vt Tobiam vtrúmque sacrificulum fuisse dixeris, qui ficta Raphaëlis apparitione vicinorũ pecunias corradere voluerit: & quidem in sacrificulos frustra reiiciunt Athei apparitiones: Quod si quando nonnullas apparitiones finxere, vt de sacerdotibus Bel Daniel 14 scriptura refert, non tamen omnes vel inuenerunt, vel fingere potuerunt; nec vlla fictio in Raphaële deprehendi potest: Itaque ad corporis vapores accedo, quos ab vno cadauere, vel etiam à pluribus ita naturaliter oriri posse nego, vt aliquem hominem referant. Nec obstat, quòd ignes quidam volitantes è cœmeteriis, vel cadaueribus exurgant, & nonnunquam hominum, & equorum capillis adhærescant, quos tametsi concederem ex quorumdam animalium calidi temperamenti sudoribus viscosis, & pinguibus oriri, & motu vel antiperistasi circunstantis frigoris incenderentur; minimè tamen ea faciunt, quæ vel boni, vel mali dæmones, cùm apparent.

Daniel. 14.

Scio quidem ignem fatuum, quem Galli vocant *Feu ardent, ou follet*, dementium more huc illuc discurrere, & fugientes insequi, atque sequentes fugere, quia dum aliquis spatium deserit, vicinus aër sequitur ad illud occupandum, ne detur vacuum; quapropter ignis ille sequitur aërem sibi inuicem succedentem; contrà dum quis ignem sequitur pellendo aërem, ex consequenti longiùs ignem illum repellit: Sed quis vnquam illum loquentem audiuit? crepitat, inquiunt, ac si loqueretur, sed eius verba quædam referenda fuissent; clarior sanè est, quàm vt eludi valeat Raphaëlis apparitio, qui neque fugientem Tobiam sequebatur, neque sequentem fugiebat, sed eum tanquam socius comitabatur, eique comes perpetuus aderat: non viscosam, & pinguem exhalationem, non noctem, non tenebras & cœmeteria frequentabat, sed in medio sole, tota die versabatur, adeout corpus illius assumptum nullo modo dissolueretur. Verùm satis superque angelorum probauimus apparitiones, & ex iis Deum esse conclusimus, quem nulli Athei ita negare possunt, quin aliquando stultitiæ obliti etiam in propriis, quæ aduersus nos habent argumentis, illius meminerint, vt patet in octaua ratione Vanini, in qua fatetur intelligentias mitti à prima causa. Quas autem intelligentias Athei admittant, alibi dicemus.

Loiserne ou feu ardent.

Superest phantasia, atque desiderium, quibus iniquè militant, ac si nihil esset in mundo, quod in imaginationem refundi non posset. At quàm malè dæmonum, vel angelorum apparitiones in phantasiam, atque desiderium referant, ipsæ rerum naturæ palam faciunt: ipsa physica conuincit, & omnes homines, quibus rationis vncia superest, apertè fatentur. Certum est enim phantasiam esse potentiam internam, quæ nullum actum extrinsecum respicit, sed internorum meatuum in cerebro residentium cancellis circunscribitur: tantum igitur abest, vt aliquod phantasma exterius procreare valeat. Sed vulpina Atheorum argumenta audire mihi videor, nihil quidem extra cerebri cellas, sed in iis omnia vi phantasiæ produci, quæ oculis aliquando subiecta fuisse dicuntur. Ea propter illud diligenter excutiendum est, & confutandum.

CAPVT X.

Phantasiam aut desiderium non posse esse causam apparitionum, quas scriptura sacra refert.

DE vi phantasiæ plurima dicturi sumus ad c. 30 Genes. nunc verò pauca præmittenda sunt, vt Atheorum peruicacia retundatur. Clarum est phantasiam esse sensum internum, cuius sedes, vel est cerebrum, vel aliquid in cerebro existens, quæ propterea nihil extra se producere potest, alioquin naturæ vires, & ordinem superaret; nec (credo) volunt Athei phantasiam aliqua phantasmata extra se producere, quæ tangere, audire, & videre possit homo corporeis externis sensibus, quandoquidem manifestò constat ea phantasmata, quibus inter dormiendum non parum turbamur, non esse aliquid corporeum extra cerebrum, & imaginationem, sed huius species vario modo agitatas, quatenus hæc & illa obiecta, tristia, læta, horrenda, & insolita referunt. Totus igitur cardo difficultatis in eo situs esse videtur, vt discutiamus, an quęcunque fieri solent, & deprehensa fuère in apparitionibus angelorum ab imaginatione fieri valeant. Quod constantissimè nego, & facillimè totum Atheorum commentum vnica apparitione euerto, quæ sub Dei nomine Exodi 12. describitur, nam siue Deus, siue angelus magnam illam primogenitorum Ægypti cædem fecerit, nihil in præsentia refert. Factum est igitur in noctis medio, percussit Deus omne primogenitum in terra Ægypti à primogenito Pharaonis, qui in solio eius sedebat, vsque ad primogenitum captiuæ, quæ erat in carcere, & omne primogenitum iumentorum. Surrexitque Pharao nocte, & omnes serui eius, cunctáque Ægyptus: & ortus est clamor magnus in Ægypto: neque enim erat domus, in qua non iaceret mortuus.

Exod. 12.

Quis obsecro vel in imaginationem, vel in desiderium,

derium hanc Dei, vel angeli referre poterit apparitionem, in qua tanta ſtrages edita eſt? Abſit vt homines vel phantaſia, vel deſiderio alios occidere poſſint, alioquin malè cum humano genere ageretur: quandoquidem non deſunt, qui vel omnes homines, vel magnam illorum partem deleri velint. Et quidem nemo hoſtem haberet, ſi phantaſia, vel deſiderio mortem poſſet inferre. Quòd ſi omnes Apocalypſis apparitiones percurramus, dubio procul idem omnino concludendum erit. Nam licet in externa nonnihil viriū haberet imaginatio, vt de faſcinantibus, homine vehementer excandeſcente, ſputo & anhelitu hominis ieiuni, ſerpentum ſibilo, & aliis rebus ferunt, nemo tamen eſt, qui non rideat illorum opinionem, qui putant vim imaginationis remotiores faſcinare, vel ſanare, res loco mouere, fulgura, & pluuias cœlo deducere poſſe, inter quos Auicenna numeratur l. de anima ſect. 4. c. 4. & alij quidam, quorum fundamenta fictitia ſunt, & adeò ridicula, vt refutatione non indigeant; quis enim non irrideat radios Alkindi & Paracelſi l. de imagin. Pōponatij, & Catanæ l. de mirabil. effect. cauſis, ſpiritus, quos vi phantaſiæ dicunt è corpore exire, & mira producere.

Auicenna.

Neque minus explodendi ſunt, qui cùm aliis ſe doctiores, & ſubtiliores arbitrentur, ad imaginationis ſpecies recurrūt, quibus fiūt omnia ſenſibilia, quatenus ſenſus in actu, eſt ſenſibile in actu, ſicut intellectus in actu, intelligibile in actu: Quæ cum ſpeciebus mediantibus aliqua ſenſibilia excepit, illa eadem, (ſi ſtultis credimus) huc illuc pro libito transferre pōteſt, vel vbilibet efficere, & ad extra producere, quæ priùs in ſe concepit. Videat obſecro vnuſquiſque, & imaginationis, atque deſiderij ſui vires expendat, tentet, & omnibus modis exploret, an illud vi phantaſiæ producere valeat, quod imaginatus eſt; an poſſit transferre non mōtes, nō cœlos, nō nubes, ſed vnam ſaltem feſtucam, tametſi non remotam, ſed iacentem ad pedes: At nulla ratione indigemus, vbi ſola experientia clariſſimè peruicaciam ſtultorum conuincit, & fictitiarum rationum pondus eneruat, atque aciem hebetat. Plura verò de imaginatione dicemus alibi.

CAPVT XI.

An apparitiones Angelorum in ſpecula referri poſſint, vel etiam eadem ſpecula cauſa cæterorum miraculorum exiſtimari debeant. De fundamentis quibuſdam ſpeculorum.

CLarè omnia Catoptricæ fundamenta hîc aperio, vt etiam is ea complecti poſſit, qui ne quidem à limine Catoptricam ſalutauit; quod etiam in Atheorum gratiam facio, qui ſæpius in ſumma rerum iſtarum ignoratione poſiti ſunt, & ex eo quòd per ſpecula nonnihil ſpectrō ſimile ſibi viderunt obiici, perperam concludunt apparitiones alias ſimiliter exhibitas fuiſſe, quod nunquam aſſererent, ſi in hac nobiliſſima Opticæ parte vel leuem operam nauaſſent.

Imprimis verò de ſpeculo Sphærico cōcauo dicam, quæ expertus ſum, cuius fabricam, atque proportiones exhibeo, vnde quiſpiam de reliquis Speculis conijcere poterit. Itaque ſpeculum ſphæricum tam concauum, quàm conuexum id habet, vt ſit pars, ſegmentum, vel arcus alicuius circuli, vt patet in hoc Schemate, quo plurima iam explico.

Quid ſit ſpeculum Sphæricum concauum.



Sit ergo circulus iste I. K. G. C. cuius centrum A, & alius minor circulus H. F. E. cuius item centrum A vt isti circuli concentrici sint, ex quibus si speculum conficere velis, certa pars circunferentiæ abscindenda, atque separanda est, exempli gratia arcus B C in maiori circulo, vel D E in minori: quibus positis dico segmentum B. C. speculum esse futurum, quod in sua circunferentia 12 circuli partem obtinebit, id est 30 gradus, qui sunt 12 pars 360 graduum, qui in tota circunferentia continentur, & eam totam absumunt.

Quodnam speculum maius vel minus dici debeat.

Vbi diligenter aduertendum est primò speculum quodlibet sphæricum alio maius, vel minus 2 modis dici posse, vno quidem, si fuerit pars maioris circuli, vel minoris, qua ferè ratione Catoptrici mathematici loqui solent; hinc fit, vt speculum B C maius sit, quàm speculum E F. H. quod fieret ex media parte circuli minoris, eodemque modo speculũ I K, maius sit, quàm speculum E D F, vel E F H, quia licet I K minorẽ habeat longitudinẽ, latitudinẽ, & profunditatem, quàm prædicta specula in minori circulo designata, est tamen pars maioris circuli, & per consequens centrum suum à se lõgiùs distans habet, vt in ipsa figura vides. Hinc fit vt speculum H. F. quod habet 120 gradus i. tertiam partem circuli sui minus sit, quàm speculum I K, quod tantùm 18 gradus sui circuli complectitur. Alio modo speculum altero maius appellatur, quando simpliciter eius latitudo, atque longitudo consideratur, nullo habito ad circulum respectu, cuius est arcus. Qua ratione speculum F E maius erit, quàm speculum I K, cùm I K sit longe breuius: speculum verò E F, & B C erunt æqualia, vt patet in linea recta C B quæ arcum 30 graduum subtendit: quæ æqualis est lineæ rectæ E F arcum 60 graduum circuli minoris subtendenti, cuius speculi speculum G. C. in maiori circulo duplum erit, quia linea recta C G dupla est lineæ rectæ E F; cùm enim lineæ rectæ subtendentes aliquorum arcuum, sese habeant, vt ipsi arcus, & arcus vt circuli, & circuli vt dimetientes, & diameter maioris huius circuli dupla sit diametri minoris, atque diametri eandem inter se proportionem, quam ipsi circuli obseruent, debet linea recta arcui 60 graduũ G. C subtensa, dupla esse lineæ rectæ E F, quia licet arcui 60 graduum subtendatur, attamen minor circulus maioris subduplus est, ac proinde semidiameter A F subdupla est diametri A. G. & tota diameter H E subdupla totius diametri I C, vt satis ex ipsa figura constat.

Hoc nota

Ex quibus concludendum est mathematicè loquendo nullum speculum adeò paruum effici posse, quod in maiori circulo sumatur, quod non sit duplo maius, quàm speculum quodlibet ex minori circulo fabricatum. Deinde omnia specula quantumuis parua speculis quantumuis magnis æqualia esse, si ex eadem circunferentia abscindantur, sic enim speculum I K æquale erit speculo G. C. quia eiusdem circuli partes existunt. Tertiò idem speculum altero maius, & minus, æquale, & inæquale dici posse: sic enim speculũ I K, quod est 18 graduum, maius est speculo E F mathematicè: minus verò communi more loquendo, æquale esse speculo G, C, & inæquale, æquale primo modo, inæquale secundo.

Duplex cẽtrum circuli sphærici.

Est etiam aliud aduertendum, videlicet speculi sphærici centrũ dupliciter considerari, primò vt est pars circuli qua ratione idem cẽtrum habet, ac circulus, cui⁹ pars esse dicitur, vnde centrũ speculi C G, vel speculorũ I K. F E, & omniũ, quæ hîc assignari possunt, est A, quod est cẽtrum mathematicum, quia mathematici omnia ad circulum reuocare solent, & circulo cætera dimetiuntur, cùm sit figura omnium perfectissima: at quod est in quolibet genere omnium optimum, cæterorum, quæ in eodem genere reperiuntur, mensura, regula, ac veluti pondus, & pretium esse debet. Alio verò modo speculi G. C centrum erit B, seu punctum, quod est in medio peripheriæ circuli. Hinc de centri distantia, sicut antea de speculi magnitudine ratiocinari poteris. Diameter autem speculi erit linea G. C.

Tria quæ ad bonitatem speculi concurrunt.

Quòd si quis ad praxim hæc redigere velit, videat quotam circuli partem abscindat, & qua materia vtatur, quóue modo superficiem speculi polire debeat, siquidem ex istis tribus speculi bonitas, & excellentia dependet. Scio Magīnum varia construxisse, sed in quibus non satis accuratè omnia obseruarit.

D. Mydorgius alter quoad specula Proclus, aut Archimedes.

Vbi aduertisse scio nobilem virum D. Mydorgium Fisci gallici apud Ambianos præfectum, huius sæculi prestantissimum Mathematicum, omnia speculorum arcana hactenus inaudita breuî aperturum, mihique amicissimum huiuscemodi speculi diametrum iustâ maiorem fuisse, quippe quæ (inquit) maioris circuli, seu sphæræ speculi arcum 49 graduum, & 54 $\frac{1}{3}$ minutorum subtenderet: quæ circuli, seu sphæræ proportio nequaquam incidentes speculo solares radios si non ad vnũ, idémque punctum omnes, saltem intra exiguum spatium circa quartam diametri partem à vertice speculi cogere apta sit: quinimo potiùs ab eadem quarta diametri parte diuergentes plurimos ad $\frac{5}{6}$ fere vnius digiti (hoc est 9 lineas cum [illegible] vnius lineæ) reflexos distribuere. Hinc fit vt eiusmodi speculum remissiùs, & languidiùs pro sua magnitudine ignem excitet, atque comburat; quem effectum æqua virtute præstabit quodlibet aliud eiusdem, aut æqualis sphæræ speculum, licet magnitudine vel infra subduplam diminutum.

Magini errores arguuntur.

De speculorum debita magnitudine.

Cæteroquin addidit Maginum, vt alia multa circa specula, ita & hoc maximè fugisse, nempe eiusdem magnitudinis speculum, si minoris sphæræ portio fuerit, mirabiles quidem, & nobiles effectus proditurum: at si maioris fuerit sphæræ portio nobiliores multò, & quasi stupendos infinitos exhibiturum. Quapropter iuxta prædictæ sphæræ magnitudinem speculi diametrum 5 digitorũ spatio conclusit: vel, si mauis illã 13 $\frac{1}{2}$ digitorum magnitudinem. seu diametralem speculi longitudinem sphæræ, & circuli portioni à 3 pedum, & 7 digitorum cum $\frac{1}{2}$ ferè, semidiametro subtendi debere notauit.

Et ita conclusit in vtróque casu speculum 20 suæ sphæræ portione constans solares radios ferè intra lineare, seu $\frac{1}{12}$ digiti spatium omnes collectũrum esse, cæteróque nobiliores effectus, magisq; stupendos proditurum. Quibus terminis fabricandum deinceps speculum concauum conscripsit, adeout proposita quælibet diameter, seu fabricandi speculi magnitudo fiat 18 graduum, seu vigesimæ circuli portionis subtensa.

Cui examini subiiciens maiora reliqua Magini specula 80 librarum stupendi ponderis, quæ fuerunt sphæræ segmenta à semidiametro 2 pedum cum $\frac{1}{2}$, sed magnitudinis pedis vnius, & ampliùs paulo quam $\frac{1}{2}$ vnius pedis, eandem magnitudinem speculi eidem semidiametro sphæræ congruam

gruam

Speculum debet eſſe 20 portio circuli, vt perfectè comburat, & idola longiſſimè reflectat.

gruam ad 9 digitos duntaxat cum ⅞ ferè vnius digiti, vel ⁴⁵⁄₅₂ reduxit, atque limitauit; vel ſi mauis, eidem diametro, aut magnitudini ſpeculi, ſphæram, aut circulum à ſemidiametro 5 pedum, & 7 digitorum cum ⅞ ferè vnius digiti aſſignauit? Quibus accuratè obſeruatis, ſi reliqua ſpeculis communia adfuerint, manus dexteritas in opere, materia congrua, ſuperficiei æquabilitas, lænor, & politura, huiuſcemodi ſpecula hac ratione cõpoſita, & elaborata præ cęteris laudem, & pretiũ ab experiẽtia haud dubiè cõſecutura pronũtiauit.

Et quidem admiratione dignum eſt, quòd tam exiguæ circuli portiones non ſolùm id efficiant, quòd maiores & quoad ἀκτίνων συναγωγὴν, & quoad εἰδώλων ἐκβολάς, ſed etiam idola perfectiùs, atque longiùs reflectant, vt iam illa magnitudo ſpeculorum quæ præter 20 partem in ſpeculis reperitur, ſit tantùm impedimento, & pondus augeat, atque ſpecula minus tractabilia reddat; tametſi enim integrum hemiſphærium in ſpeculum expendas, vix ſeſquiunciali in multiplicandis idolis proderit, vt libro ſuo de ſpeculis demonſtrabit.

Optima ſpeculorũ magnitudo, vt comburant.

Sunt autem qui pro ſpeculi peripheria eius concauitatem determinent, ſed illud minimè neceſſarium eſt, quandoquidem abundè ſufficit, vt ſciamus, quænam pars ſphæræ abſcindenda ſit, vt perfectum ſpeculum fabricetur, in quo nihil redundet, aut requiratur, quale erit ſegmentum illud circuli, quod 18 gradus obtinebit, id eſt 20 partem circuli, qualis eſt in præcedenti figura I K, licet 20 gradus, (id eſt 18 pars circuli) ſpeculo concedi poſſint. Quod ſpeculum mathematicè conſideratum idem cum circulo centrum obtinet, cuius ſegmentum eſt. Quæ nunc, quod ad figuram ſphæricam attinet, ſufficient. De materia verò hæc accipe.

Ex qua materia fieri poſſint, vel debeant ſpecula.

Poſſunt fieri ſpecula ex omni materia, quæ reflectere poteſt, vt ex marmore, chalybe, argento, ære, cæteriſque metallis, imo & ex aqua, & fortitan ex aëre, ſi quis illum ita condenſare poſſit, vt aquæ denſitatem imitetur, ſufficit enim dummodo reflectat.

Exod 30. & 38.

Certum eſt apud Hebræos ſpecula ex ære fabricata fuiſſe, labrum ſiquidem æneum, quod iuſſit Deus fieri Exod. 30. vt ſacerdotes altare aſcenſuri pedes, & manus lauarent, confectum fuit ex ſpeculis mulierum, quæ excubabant ante ianuam tabernaculi, vel vt 70 verterunt, ieiunabant;

Hieron.

licet alij, vt D. Hieron. & Oleaſter exiſtiment illa ſpecula labro æneo affixa fuiſſe. Quicquid ſit labrum illud æneum inſtar ſpeculi lucidum, & expolitum erat, adeout ære repercuſſo, & in oculos regeſto rerum obiectarum imagines redderet.

Democritus cur ſpeculo excęcatus, 3 rationes.

Speculi etiam formam clypeus habuiſſe videtur, quo Democritus ſe luminibus oculorum ſua ſponte priuauit, quod exiſtimaret cogitationes, commentationeſque animi ſui in contemplandis naturæ rationibus vegetiores, & exactiores fore, ſi eas videndi illecebris, & oculorum impedimentis liberaſſet, vt Gellius exiſtimat l. 10. c. 17. vel, vt vult

Gellius. Laberius.

Laberius in Mimo, ne malorum ciuium aſpiceret ſucceſſus proſperos, cuius hi ſunt verſus.

Democritus Abderites phyſicus, philoſophus, clypeũ
Conſtituit contra exortum Hyperionis, oculos
Effodere vt poſſet ſplendore æneo, ita radijs
Solis aciem effodit luminis, malis bene
Eſſe ne videret ciuibus: ſic ego
Fulgentis ſplendore pecuniæ volo
Elucificare exitum ætatis meæ
Ne in re bona videam eſſe nequam filium.

Tertul.

Aliam rationem Tertul. c. 46 Apolog. refert; *Quod mulieres ſine concupiſcentia aſpicere non poſſet, & doleret, ſi non eſſet potitus, incontinentiam emendatione profitetur.* Et quidem facillimum eſt cum ſpeculo præſertim concauo aliquem exoculare, cùm vnico momento viſus organum deſtruere poſſit lumen illud, quod in puncto combuſtionis reperitur, ſtatim enim appoſitum obiectum inflammat, atque deſtruit. Quod non ſolùm in ſpeculis chalybeis, vt vocant, ſed in æneis tam ſphæricis, quàm parabolicis animaduerti. Nolim tamen Atheos ad hoc ſpeculis vti, vt ſuos oculos deſtruant, ſed potiùs quemadmodum ſacerdotes Moſaicæ legis, vt oculis in ſpeculum defixis caueant, ne qua labecula faciem dehoneſtet, & videant quantum Atheiſmus hominem dedeceat, quàm altè faciei proportio commenſuſque mirabilis ſummum architectum prædicet. *Inuenta ſunt* enim *ſpecula*, inquit Seneca 1 natur. quæſt. *vt homo ipſe ſe noſceret.*

Seneca. Rationes variæ morales, cur inuenta ſpecula.

Multa ex hoc conſecuta, primò ſui notitia, deinde & ad quædam conſilium: formoſus, vt vitaret infamiam: deformis, vt ſciret redimendum eſſe virtutibus, quidquid corpori deeſſet: iuuenis, vt flore ætatis admoneretur, illud tempus eſſe diſcendi, & fortia audendi: ſenex, vt indecora canis deponeret, & de morte aliquid cogitaret. Ad hoc rerum natura facultatem nobis dedit noſmetipſos videndi. Videat ergo ſeipſum Atheus ſiue iuuenis, ſiue ſenex fuerit ſpecula Deum annuntiare. Addidit Seneca cauſas alias, vt ſolem, quem directè conſpicere non poſſumus, in ſpeculo faciliùs conſideremus, & vt duorum ſiderum occurſum, quo interpolari dies ſolet. Vbi reprehendit hominum luxuriam, qui ſpeculis abutuntur, & aliquos notat, qui eo ſæculo totis paria corporibus ſpecula auro, argentoque cælata, & gemmis adornata faciebant. Sed ad metallicorum ſpeculorum materiam redeamus.

A quibuſdam, vt ab Orontio ad prop. 9. præſcribitur libra æris ritè purgati, dimidia libra ſtanni glacialis, ¼ libræ marcaſſitæ albæ, totidémque ſalis petræ, quæ omnia ſimul fundantur, & fuſis lamina lardi ſuperimponatur, diúque moueatur, & tandem intra paratum typum, ſeu, modulum ſpeculum proiciatur. Parum variat Porta 17 mag. c. 18. qui vult binas tartari libras liquefieri, totidémque arſenici chryſtallini, quæ cum in olla luto incta fumare cœperint, æris antiqui 50 libras inijci præcipit, quod ſexties liqueſcat, vt purgetur, cui 25 libras ſtanni anglici adhibet. Quod ſi materia fragilior inueniatur, æs addit, ſi durior ſtannum, denique 2 vncias boracis inijcit, & vbi in fumum ſolutæ ſunt, in typum proiicit. His verò diutiùs immorari nolo, quandoquidem tot de materia ſint ſenſus, quot capita, nec enim deſunt, qui ſpecula præſertim ex argento viuo, antimonio, & alijs prædictis conficiant: alij verò ſtannum glaciale per antimonium, & quædam alia optimè ad ſpecula parari poſſe credunt. Vtut ſit, ad polituram accedo.

Orontius.

B. Porta.

Pro varijs rebus, ex quibus conflata fuerint ſpecula, diuerſis materiis vti poſſumus, attamen ſiue vitro, ſiue chryſtallo, ſiue metallo quopiam conſtent, ſequentia poſſumus adhibere. Vbi ſpeculum fuſum fuerit, certum eſt nunquam politum exire, tametſi politus foret typus, in quem ſpeculi materia proiiceretur: enimuerò tã metalla, quàm chryſtalli, ſeu vitra cruſtam aliquam in ſuperficie procreant, quæ poſtmodum detergenda eſt. Quod etiam in ipſis vaſis vitreis accidit, quæ ſolo flatu in

Quomodo, & quibus rebus specula polienda sint.

aëre formantur, hæc enim polienda sunt, si ea perfecti speculi rationem habere volueris. Itaque communi silice, quo vici pauiuntur, priùs vti poteris: quem propterea in puluerem rediges, vel cotibus istis vti poteris, quibus in acuendis gladiis vti solemus, vt crassiora detrahas: deinde smiri, seu emerillo lapide, si priùs eum mortarij beneficio, vel alia ratione in puluerem redegeris, & per lineum pannum, vel cetasleum cribraueris, aquæ immiscueris, & hanc commixturam super plumbum madefactum collocaris, hoc enim plumbo poliri poterit speculum. Genus duplex pocheæ producit Orontius ad illud negotium faciens.

Ego verò comprobaui experientia speculares superficies optimè stanno vsto poliri, si tamen illud bene paraueris, idest minutissimè contriueris, in aquam conieceris, & eas solùm partes ad poliendum sumpseris, quæ super aqua velut innatare videbuntur, florem appellare possis; sed nec minus bene tripoli vtêris, quod vbi in minutissimum puluerem mole marmorea præsertim porphyretica, vel cochlearia redegeris, & cum oleo miscueris, pasta rubra prodibit, qua pulcherrimam polituram efficies: postea tamen mica panis, vel subtilissimo linteo lineo superficies est abstergenda. Omitto plurima, quibus idem confici possit, vt carbonem salicis, & alios plurimos carbones in pollinem cum oleo redactos, quos facilis experientia quemlibet docere potest.

Quibus positis nonnulla principia explicanda sunt quibus speculorum effectus vnusquisque non solùm animo, sed etiam ipsis oculis complecti valeat: inter quæ primum occurrit, quod Euclides primo theoremate Catoptr. docet, A speculis videlicet planis, conuexis, & cauis radios ad angulos æquales reflecti, quod hac figura clarissimum efficitur,



Quid sit linea incidentiæ.

in qua si speculum planum E F, & concauum G, H. obiectum A quod per radium, seu lineam A C incidit in speculum, & ideo linea vocatur incidentiæ, quæ ad oculum B reflectitur eodem penitus modo, quo ab obiecto A descenderat, tametsi obiectum sit remotius à speculo, quàm oculus, vt patet, id enim nihil refert: nam licet A distaret per leucam à speculo, & B solùm per pedem, dummodo similis incidentia fieret, videri posset obiectum.

Quid linea reflexionis.

Linea verò, seu radius C B qui à puncto C, in quod ab A ceciderat, in B reflectitur, linea reflexionis appellatur, quæ an sit eadem linea numero, seu continua cum linea incidentiæ A C, iam minimè disputo, quanquam partem affirmantem amplector, nisi ob superficiem speculi, quæ non est aëri continua, sed tantùm contigua; lineas illas etiam contiguas esse dixeris, quatenus linea reflexionis ipsi speculo inhærere videtur.

De angulis in speculo considerandis.

Eadem ratione linea incidentiæ, & reflexionis in speculo conuexo æquales sunt anguli, qui fiunt ab vtraque linea; hinc fit; vt angulus A C H, & A C F sit æqualis angulis B C G, & B C E.

Punctum incidentiæ.

Punctum C dici potest punctum incidentiæ, sicut & reflexionis, quia hæ ambæ lineæ in idem punctum se concurrunt. Quod si duceretur linea perpendicularis super lineam E F, appellaretur diameter puncti incidentiæ,

quippe

quippe quæ tranſit per centrum ſpeculi, & punctum incidentiæ, iuxta quam angulorum menſura ſumitur, vt poſtmodum oſtendemus. Linea B E D explicanda ſupereſt, quod vt fiat, ſupponamus obiectum eſſe in B, & oculum in A, tunc aſſero obiectum B ab oculo A viſum iri non in C, ſed in D, in quo linea reflexionis A C cum catheto B E D concurrit. Hinc decipitur oculus, vt experientia conſtat, cùm putat obiectum eſſe in D; ratio eſt, quia cùm ſit potentia materialis, & corporea, non poteſt cognoſcere reflexionem, ſicut neque ſe ſupra ſeipſam reflectere: qua propter arbitratur lineam, ſeu radium A C B eſſe continuum, & oriri à puncto D, atque per C vſque ad oculum A proficiſci; etenim ſi radius ab oculo per lineam A C flueret, nec ſpeculi ſoliditas aut medium denſius impediret, quominus vltra pergeret, ad punctum D rectà tranſiret.

Vbi videatur imago.

Hoc autem de loco imaginis in concurſu lineæ reflexionis cum catheto, de ſpeculis planis intelli-ge; nam de ſphæricis, & aliis maior eſt difficultas, nec deſunt qui id in dubium reuocent, exiſtimentque locum imaginis in concauis, eſſe in alia linea, quàm in concurſu catheti cum perpendiculari, tametſi Vitellio l. 5. prop. 36, & 37 aſſerat in ſpeculis quibuſcunque, vnumquodque punctorum conſpectorum in catheto ſuæ incidentiæ videri, & locum imaginis rei viſæ in ſpeculis quibuſcunque, in puncto concurſus lineæ reflexionis, cum catheto incidentiæ neceſſariò conſtituendum eſſe. Quod ſimiliter Alhazen l. 5. per 10 primas prop. aſſerit, & Euclid. theor. 17, & 18, vbi ait in cauis ſpeculis, & in conuexis adſpectabilium quodlibet cerni in linea recta ducta ab aſpectabili, ad centrum ſphæræ, cuius portio eſt ipſum ſpeculum.

Qui plura de loco imaginis voluerit, conſulat Keplerum in paralip. ad Vitellion. vel D. Mydorgij doctiſſimas demonſtrationes expectet, &, ſi poteſt, in lucem aduocet. Hæc autem omnia clariora erunt per ſchemata vt in præſenti videre eſt,



in quo ſpeculum F C G exhibetur, cuius centrum, & diameter ſunt eadem cum centro, & diametro circuli, cuius eſt pars, vt conſtat ex dictis. Obiectum ſit A quod irradiet in punctum incidétiæ C, à quo reflectatur linea incidentiæ vſque ad oculum E per lineam C E. Linea perpendicularis quæ per ſpeculi centrum H & per ipſum obiectum A tranſit, eſt linea A H B C, & cathetus, ſeu diameter incidentiæ vocatur. Eſt autē linea perpendicularis, ſeu diameter puncti incidentiæ, quæ à centro ſpeculi ad punctū reflexionis porrigitur, eſtque recta H C. quę hanc nobis profert vtilitatē, vt eius beneficio diſcernamus angulos, qui fiūt à linea incidétiæ & reflexionis, quorū vn⁹ eſt A C H, qui dicitur angulus incidētiæ, alter verò eſt H C E angulus reflexionis, qui ſēper æquales ſunt, vt patet ex dictis.

Quid ſit cathetus ſeu diameter incidentiæ. Diameter puncti incidentiæ.

Non ſolùm autem iſtorum angulorum quantitatem ex prædicta linea puncti incidentiæ cognoſcimus: verùm etiam ex ipſo concauo ſpeculo, in cuius ſuperficiem linea obiecti, ſeu verę formæ incidit, vt in hac figura manifeſtum facio, in qua angulus A C F æqualis eſt angulo E C G, id eſt angulus incidentię angulo reflexionis. Eſt etiam alius modus ſatis frequens, quo prædictos angulos inueſtigamus, ac proinde poſito vbiuis obiecto determinamus, vbi ſtatui debeat oculus, vt illud percipiat, etenim atq; ſtatim lineā reflexionis, vel angulū, qui ab ea faciēdus eſt, repereris, habes intentum. Hîc tamen lineam illam non deſcripſimus, quæ per punctum C ita tranſire deberet, vt vnicus cum circulo contactus in vnico puncto fieret; ſic autem ducenda eſt, linea H C, vel alia quælibet puncti incidentiæ vltra arcum, ſeu ſpeculum F G deſcribatur, deinde perpendicularis alia ſuper eam per C incidentię punctum ducatur: nam cum iſta linea perpendiculari, quæ linea contingentiæ vocari poteſt, illico deprehendis, per quem locum radius obiecti reflecti debeat, adeout nullum punctum in ſpeculo aſſignari poſſit, ſuper quod lineam contingentiæ exarare valeas, perquem ſtatim occurrat quælibet linea reflectionis, quilibet angulus lineæ incidentiæ, tam habito reſpectu ad ipſam lineam contingentiæ, quàm ad ipſum ſpeculum.

Quomodo ſciatur angulorum quantitas.

Quomodo ducatur linea contingentiæ.

Linea hæc contingentiæ tantæ eſt vtilitatis, vt eius beneficio cognoſcamus, quouſque radius quilibet obiecti, ſolis verbi gratia, an vſque ad centrum, ad 4 partem, 5, 6, vel alias diametri partes reflectatur, vt poſtea locus combuſtionis, confuſionis, & inuerſionis obiecti, & ſingularum eius partium determinari poſſit. Quod non ſolùm in ſpeculis ſphæricis concauis, ſed etiam in parabolicis verum eſt, vt infra dicemus.

Cuius ſit vtilitatis linea contingentiæ.

Non eſt autem omittenda linea E H F, quæ linea, & diameter optica, ſeu viſualis appellari debet, quia incipit ab oculo E, & per H ſpeculi centrum tranſit, vt ad partem ſpeculi F excurrat. Quæ omnia breuiter in alio ſchemate explico, vt nequidem vnus ſit, qui hæc non intelligat.

Quid ſit linea viſualis.



Sit ergo speculum C D B A concauum metallicum, in quo velis obiectum E respicere; Dico oculum in aliqua parte lineæ F collocandum esse, alioquin obiectum videri non poterit.

Linea incidentiæ est E D, ac proinde punctum incidentiæ simul, & reflexionis est D, linea reflexionis D F, cathetus, seu linea perpendicularis est G E B H, quæ per centrum speculi, & ipsum obiectum transit, & incidentiæ diameter appellatur. Linea G D est perpendicularis loci, seu puncti incidentiæ, secundum quam angulus incidentiæ E D G, & linea reflexionis F D G æquales esse deprehendũtur; quos etiã angulos æquales esse conspicis respectu ipsius speculi; etenim angulus incidentiæ E D B æqualis est angulo reflexionis F C D quos etiam angulos beneficio lineæ contingentiæ deprehendere possemus, quæ per punctum D transiret, & lineæ G D perpendicularis esset.

Punctum reflexionis.

Quomodo anguli reflexionis, & incidentiæ reperiãtur.

In hac autem figura iuxta fundamentum Opticorũ, qui hactenus de loco imaginis ex professo, scripsisse videntur, idem locus ita determinatur vt superiùs notaui. Obiectum E quod videtur ab oculo F cernitur in H, quia in H concurrit linea reflexionis F D H, si vsque ad H protrahatur cum perpendiculari, seu catheto G E B H, quia si E caderet vltra speculum lineâ rectâ, vt pote omnium compendiosissimâ, atque breuissimâ, caderet in H. Quod fundamentum hîc sequemur, cùm illud omnes, qui hactenus scripserunt, admittant.

Quomodo reperiatur locus imaginis.

Mirabilem verò Dei prouidentiam hoc in loco suspiciamus, qui vim istam rebus singulis impressit, vt quæ alioqui videre non possemus, speculorum beneficio deprehendamus: enimuero si speculo vtaris, hominis faciem aspicies, & cuiuslibet obiecti partem anteriorem, licet recta visione eam minimè cernas, imo neque vlla ratione deprehendas, vt patet, cùm obiectum à tergo situm est; quod, vt se tuis oculis exhibeat, ad speculum veluti currit, per lineam incidentiæ, vt illicò reuertatur, & suam partem anteriorem tibi conspiciendam proponat.

Deus bone si æquali velocitate, atque promptitudine se totum homo in tuum obsequium, & honorem impenderet, quali omnes creaturæ, omnia specula, & obiecta in illius vtilitatem, atque seruitium profundunt, quàm beatus foret orbis terrarum!

CAPVT XII.

De effectibus speculorum, & quòd apparitiones Angelorum in ea minimè referri possint.

Nobilis effectus speculi concaui.

INter varias speculorum proprietates, de quibus in hoc capite dicturi sumus, in eo concaua reliquis antestare videntur, quòd ad solem exposita tantam radiorum multitudinem excipiant, atque reflectant, vt in certo puncto non solùm paleas, aut aliquam huiuscemodi materiam, verùm etiam ligna quæpiam comburant, & inflamment. Quæ si paulo maiora fabricentur, qualia vidi, plũbum, argentum, & aurum resoluunt, & calcinant. Hæc autem concaua specula diuersis figuris efformari possunt: communis verò, & facillima figura sphærica est, quia torno faciliùs elaboratur, cùm sit vniformis. Adde quod alia specula concaua vix inuenire possis: existimo tamen multas esse figuras præter sphæricam, quæ comburere valeant.

Veruntamen de 1 solùm hîc agam, vt pote ad id omnium aptissimis. Itaque sphæricum concauum, eo modo, quo in prima figura diximus, elaborandum est. Hîc autem schema nonum affero, quo



quo plurima, eáque pulchra, quæ ad vtendum in sphærico concauo concurrunt, intelligas. Sit igitur arcus A C B circuli cuius centrum est O, qui sit graduum 47, 3'0, idest pars circuli paulo maior, quàm vna pars septima.

Arcus ille supponatur esse speculum, cuius semidiameter seu axis sit O C, centrum O: radij verò solares tam inter se inuicem, quàm axi paralleli in speculum incidentes sint H B, G E, F D ex vna parte semidiametri, ex alia verò S I, T K, & V A. puncta incidentiæ simul & reflexionis sint A. K. I. C. D. E B.

Pulchra hic, & necessaria explicantur.

Vbi obserua inter solis radios vnum esse perpendiculariter incidentem, videlicet Z O Y C, qui concidit cum axe, vel diametro speculi, qui proinde reflectitur in seipsum, quandoquidem, vt superiùs dictum est, eodem angulo radius quispiam reflectitur, quo incidit; ille verò radius cum perpẽdiculariter incidat, debet etiã ad angulos rectos reflecti, quod fieri nequit, nisi in seipsum redeat. Reliqui radij obliquè cadũt, & ideo fiunt debiliores, atque eodem, quo ceciderunt angulo, reflectuntur. Quapropter V A O, & A O Y, itemque T K O & O K Y, S I O, & O I Y, & alij similiter ex alia parte anguli incidentiæ, reflexionis angulis sunt æquales, vt in hac figura constat.

Linea R Q, P N, M L sunt lineæ contingentiæ, quarum beneficio quantitas angulorum deprehenditur, & anguli reflexionis, angulis incidentiæ describuntur æquales; suntque istæ lineæ diametris perpendiculares, quæ à centro O ad puncta incidentiæ pertingunt, vt constat in linea O A quæ à centro O ducitur ad punctum A, in quod radius V A cadit; linea verò perpendicularis, seu contingentiæ est R Q, quæ ad rectos angulos tangit, vel si vis, secat diametrum O A, & speculum sphæricum, seu arcum B C A in solo puncto A contingere supponitur.

Diligenter autem notandum est radium eò maiorem reflexionem pati, ac proinde maiorem fieri reflexionum in axe concursus differentiam, quò magis incidens radius distat ab axe; vel, quod idem est, quò magis distat punctum incidentiæ à puncto C, quod est in axe, eò magis reflexionũ puncta seu termini linearũ reflexarũ à pũcto Y recedunt, & ad punctũ C propiùs accedunt; sicut è contrario, quò propinquiora sunt puncta incidentiæ puncto C, eò magis punctum Y superant, & vlteriùs circa centrum O, lineæ reflexæ ex his punctis puncto C vicinioribus excurrunt. Quod hic patet, nam linea H B, quæ radium vltimum refert, habet suę incidentiæ punctum à puncto C remotius, quàm radius F D, & ideo linea reflexionis B Y facit angulum obtusiorem, & puncto C viciniorem, quàm linea reflexa D Y, quæ centro O vicinior efficitur.

Quæ hic docentur, maximè notanda sunt.

Quod si quis radiorum omnium reflexionem in toto dimidio, vel etiam integro circulo reperire velit, eo, quo nos in præsenti schemate, modo procedere potest. A quo priusquam discedam, aduertas velim eos omnino decipi, qui focum, seu locum combustionis sphærici speculi in centro collocant, in quo vix calorem vllum sentias; sed neque Maginus, aut Hector veritatem attigisse videntur, adeout non malè quis iudicare possit neutrum intellexisse, quæ ad specula pertinent, vt ex professo demonstrabit Catoptricorum princeps D. Mydorgius, cùm omnium errores, qui hucusque de speculis egerunt, clarè demonstrabit, & meliora statuet omni admiratione dignissima.

De foco speculi.

D. Mydorgius.

Circa focum Y notandum est lumen illud, à quo producitur ignis, non esse, neque apparere in vnico puncto, quia omnes radij in varia puncta reflectuntur pro incidentium linearum diuersitate: omnium enim radiorum in vnicum punctum reflexio solius parabolici speculi proprium est, vt postmodum ostendemus.

Ex hac figura constat focum, & maiorem radio-

Y ij

rum multitudinem non reperiri in quarta parte diametri, sed potiùs in 5, aut inter 4, & 5; quod si præcisè cognoscere cupis, tantummodo ducendi sunt, quotquot fieri poterit, radij in speculum, nam quo videris plures reflecti, ibi veriorem combustionis locum inuenies, idque in axe, seu perpendiculari O C. Maginus grauiter hallucinatur, dum existimat radios omnes solis in speculum ex 6 parte circuli fabricatum incidentes ad 4 partem diametri concurrere, cùm neque ex septima parte ad illud punctum coëant; quin potiùs eò magis ab ista 4 parte circa speculi superficiem retrahuntur, quò magis distant à speculi medio, & axe radij incidentes; nec sunt vlli radij, qui ad illam 4 partem magis accedant, quàm ij, qui sunt axi speculi propinquiores, vt antea demonstratum est.

Maginus reprehenditur.

Nec est, quòd Baptistam Portam 2 de refraction. laudet, quippe qui multa proposuit, quæ parum intellexisse videtur. Verùm ne in aliis reprehendendis perdam operá, præter illam combustionem, quam speculum ad solem expositum efficit, sciendum est illud etiam in locis vmbrosis ignem posse producere, quod sæpe expertus sum: & quilibet apud se probabit, si priùs speculo plano lucem solarem in locum aliquem transmittat, in quem alioquin peruenire non posset, vt in angulum cubiculi, in cellam vinariam, aut aliquam cauernam profundissimam. Quod fortè non solùm vnica, sed multiplici per plana specula reflexione fieri posset, vbi semper in vltima reflexione speculum vstorium adhibendum erit: sed reuera nunquam post secundam, minus autem post 3, aut 4 reflexionem comburere poterit, nisi plana specula lucem ingentem reflectant, cùm etiam vix ad primam reflexionem plani concauum vrat. Sed neque id præcisè verum est de loco tenebroso, quandoquidem non ampliùs tenebris, aut vmbris obsidetur, cùm ad eum ipsa primaria lux transferatur.

Porta.

Quomodo ignis speculo generetur, vbi sol lucere nequit.

Non est autem quod ollis, vel catinis aqua feruenti plenis, vel puluere vtamur, vt conum lucis radiosum, qui circa 5 partem diametri speculi contingit, percipiamus, cùm id solo oris halitu, seu respiratione vehementi dignoscamus, quod præsertim in speculis parabolicis in foco videre gratissimum est, quia conus perfectissimus est, & spiritus emissus aliam veluti pyramidem cono radioso oppositam efficit. Nego tamen, quòd per speculorum variam combustionem varia solis loca in Zodiaco deprehendere valeamus vt contendebat Maginus, quandoquidem expertus sum vel paulo, vel nihil minus hyeme circa Tropicum ♑, quàm æstate circa tropicum ♋ specula comburere, & vtrobique parem esse in vrendo celeritatem: licet fatear ante meridiem, præsertim horis matutinis longè minus, quàm circa meridiem, aut vespertinas horas comburere: hora verò, quæ mihi videtur aptior, in qua celeriùs, & vehementiùs inflamment, est 1, & 2 post meridiem.

Quomodo conus lucis radiosus in speculis inueniatur.

Obseruandum est autem nescio quid sibi proprium ignem illum habere, qui à speculis gignitur, etenim longè subtilior esse videtur, & vehementiùs penetrans, atque permeans, quàm noster ignis communis: hinc fit, vt ligna sulphurata comburat, & sulphur in extremis ligneolis positum liquefaciat, & ebullire faciat, non tamen inflammet. Vitrum autem frangit, non vrit, nisi fortè diutiùs ad focum vitri frustra collocarentur, tunc enim fortè vitrum liquefieret. Hanc verò subtilitatem ignis partim in causam cælestem refundendam existimo, siquidem olli est cœlestis origo. Maginus refert modum aliquem, sed valde crassum, quo conceptus tuos amico alicui possis aperire, si litteras, quæ mentem significent, in speculi superficie, maiusculis characteribus inuersis scribas, & speculum opponas soli, vt istæ literæ in locum animo destinatum reflexione proiiciantur: sed caue, ne id cera præstiteris, nisi multum laborem in ea postmodum abstergenda volueris insumere, aut tuum speculum inutile reddere.

Noua speculi proprietas.

Omitto speculum lunare, quo plurimi existimant litteras peculiari ratione, atque materia in communi speculo descriptas ad nos vsque reflecti posse; quod si non omnino, saltem hominum industria impossibile esse iudico, vt alio loco Deo bene iuuante clarè demonstrabo, quando videlicet probaturus sum aduersus Atheos rerum occultarum cognitionem numen diuinum astruere, vel cùm ex professò de Dioptricis agam, an istis obiecta adeò propinqua efficere possimus, vt quasdam literas in luna, vel etiam stellis scriptas in terris positi legere valeamus, quod iam assero nusquam fieri posse, quandoquidem semper angulus minor erit, cuius basis litteræ lunares, vel stellares constituentur, quàm vt sub eo visio fieri valeat.

Hæc sunt, quæ de speculi effectibus luce primaria, seu directa interueniente, fieri posse autumant; sed in ea quis obsecro apparitionem angelorum reiiciet? nemo, credo: nisi fortè quis ita stultus fuerit, vt mediantibus vstoriis speculis Pentapolim arsisse, & extremi iudicij ignem, vel alium, quem scripturæ commemorant, produci posse mentiatur, quod suo quoque loco discutiendum erit, nunc enim præsertim de apparitionibus agere est animus; de vi comburendi plura referenda erunt, vbi de Sodomorum igne.

Hîc tamen nonnulla de perfectissimo speculo vstorio profero, quod etiam optimè totũ obiectum refert, cui propterea caput sequẽs libenter assigno.

CAPVT XIII.

De speculo vstorio omnium perfectissimo, nempe Parabolico.

DE hoc speculo nequidem verbum Maginus, neque quispiam alius pro dignitate locutus est, ac si Archimedes, & Proclus hanc cognitionem secum vnâ sepelissent, donec alter in speculis Archimedes, qui bellè omnium, qui nos antecesserunt, Alhazeni, Vitellionis, Perspectiuæ communis, Bacconis, Portæ, Magini, Kepleri &c. crassos errores ridet, & arguit; nondum edita, nondum ab alio quopiam inuenta in totius Reip. bonum, & omnium vtilitatem inuestigauit

inuestigauit, quæ mox in lucem emittat Claudius Mydorgius mathematicus insignis. De hoc speculi genere pauca interim accipe.

Certum est omnes radios solis, qui in superficiem concauam parabolicam metallicam πυραμιδὰς incidunt, in idem punctum reflecti, quod in foco parabolæ situm est, si illa perfectè facta sit; dixi metallicam, nam si vitrea fuerit, ob aliquam refractionem, quæ in radiis in vitri densitatē ingredientibus, & egredientibus continget, omnes radij ad illud punctum minimè reflectentur. Vbi aduerte tam sphærici, quàm parabolici speculi axem solis axi respōdere, & veluti continuum esse debere, si cupis, vt vim omnem in vrendo specula exerant.

Sequenti verò schemate aperio, quicquid in parabola considerare possumus;



igitur ipsa linea parabolæ est B A C, cuius axis est I A ζ, latus rectum A ξ; quarta pars lateris recti A ω, in cuius fine situs est focus ω. Lineæ D γ. E β. F α. κ z, &c. itemque O P. N Q. M R. L T &c. sunt radij solis inuicem paralleli: S ρ est ordinatim ducta. S ω radius θ ς ab ς puncto incidentiæ reflexus in ω communem focum, sub angulo reflexionis π ς ω, qui æqualis est angulo incidentiæ ω ς θ. A. A P æqualis. π ς ι est linea contingens sectionem in puncto incidentiæ ς radij θ ς. π ζ est axis productus ad inueniendas reliquas contingentes.

θ ς. κ Z sunt duo radij æquidistantes axi, qui cum contingentibus angulos æquales faciunt. Quod si fiat, vt A ρ ad ρ ς, ita ρ ς ad aliud, quartus terminus erit æqualis A ξ. ω ς φ ambæ simul sumptæ lineæ æquales sunt z ω, & duplæ ω A simul sumptis. Bapt. Porta l. 17 magiæ capit. 15, & 17 de speculo parabolico nonnulla habet, quæ lectione non sunt indigna, ibi siquidem modum construendæ parabolæ aperit; verùm se ridiculum exhibet, dum fingit se parabolicam sectionem proponere, quæ in infinitum cōburat 17. nec quis timere debet, ne luna hocce lumine comburatur; aut eius secreta in illa scribātur, hæc enim absurda sunt, & omni scientiæ humanæ impossibilia. Adde quod in eo capite tam ænigmaticè, & obscurè loquutur, vt satis ostenderit se non intellexisse quid diceret, vel timuisse, ne si clarè locutus fuisset, ista mendacia statim explosa fuissent.

Iam verò omitto, quod Anthemius apud Vitell. l. 5. Theor. 65. asserat speculis planis ignem accendi posse, quod & de cylindricis verum est, sed vtrorūque partes plurimæ coniungendæ erunt, & ignis ille erit admodum languidus. Nolim autem præterire, quod habet l. 1. Theor. 98 nempe parabolicam sectionem de qua hîc agimus, quam alij rectangulam appellant, ab Arabibus mukefi vocari: qui similiter hyperbolicam, seu amblygoniam, mukefi additam, & oxygoniam, seu eclipsim, mukefi diminutam nuncupant.

Sequentem verò lineam, & speculum parabolicum accuratè descriptum habes in sequenti figura.



in qua A B C est parabole, focus est in D, ad quod omnes radij reflexi concurrunt.

Quod si velis sectionem maiorem, & speculum, quod ad maius spatium vrere possit, sequentem parabolem tibi exhibeo, cuius axis est D B, focus autem D.



Possem varios modos in lucem proferre, quibus parabole describi potest. Verũ hi apud Gethaldum l. de parabola, Durer. in geomet. Clauium in Gnomon. Maurolycum tract. de lineis horariis, Baptist. Port. vbi supra; Orontium de speculo vstorio, & alios plerosque videri possunt, quandiu supra 20 modos expectamus, quibus eam D. Mydorg. in catoptrica sua describet.

Cæterum de telescopiis, dioptris, perspiciliis, & reliquis ad Dioptricam attinentibus, hîc nihil afferemus, tum quia iam in prolegomenis multa de iis præclara dicta sunt, tum quia loca alia recurrere poterunt, in quibus plura exhibere poterimus.

CAPVT XIV.

De reliquis speculorum effectibus, præsertim de ijs, quæ à secundaria luce dependent, & de egressu idoli ex speculo.

LVmen reflexum, quod vocant secundarium, causa est, seu conditio necessaria, vt specula varios effectus prodant, & varia diuersis modis appareant, quæ omnia Maginus ad 7 capita reuocat

Octo narrantur, quæ speculorum beneficio cum luce secundaria fiunt.

cat: dicitur autem lumen secundarium illud omne, quod vel à sole, vel à candela tantùm indirectè producitur, quale est illud, quod diu nos illuminat, tametsi nubes solem oculis nostris eripiant, vel illud, quod in angulis cubiculi producitur, dum sol fenestram tantùm illuminat. Itaque primò speculorum beneficio res distitas vidimus, licet propinquæ, & nobis oppositæ nusquam deprehendantur. 2. nonnunquam imagines in speculi superficie, aliâs intra, imo & citra conspiciuntur, idque tribus modis, vel enim sunt inter speculum, & obiectum, vel ipsi obiecto iunguntur, ac in eodem loco existunt, vel etiã vltra obiectum è speculo egrediuntur.

Notauit D. Mydorgius fieri non posse, vt 4 sed ad summum vt 3. appareant, licet 4 in parabolico videantur.

Tertiò statim vnica vnius obiecti imago, statim etiam plures cernuntur. 4. ingens est in simulachri magnitudine varietas, quandoquidem imago longè maior, vel minor vel æqualis videri potest. Quintò videtur imago tantùm à speculi abesse superficie, quantum obiectum, aliquando verò magis vel minus. Sextò, nonnunquam imago instar obiecti recta videtur, adeout pars superior supremum, infimum vero locum inferior occupet; alias tamen inuersa cernitur, adeóque pars superior fit inferior; sic etiam pars dextra, sinistra, & sinistra dextra est, vel contrà. Septimò simulachrum aliquando simile fit obiecto, aliquando dissimile, obliquum, & monstruosum, atque ex aliqua parte mutilum; aliâs etiam imago vnius partis rei obiectę tantummodo cernitur, aliâs integra. Denique motus accuratè spectandi sunt quos imago patitur in speculis.

De quibus omnibus, vbi pauca dixerimus, clarè demonstrabitur Angelorum apparitiones in specula refundi non posse. Certum est autem illa obiecta quantumcumque specula propinqua non videri, nisi sis in debito loco, & situ, cùm satis ex dictis constet nihil nisi per lineam reflexionis videri posse, quia per hanc vnicã viam linea incidentiæ regreditur. Vnde fit, vt cum obiectũ ex vna parte sitũ est, ex alia videatur, & diameter incidẽtiæ lineam reflexionis, & incidentiæ in æquales partes diuidat, siue speculi partes inæquales, siue æquales remaneant.

Hinc etiam oritur, vt ex neutra speculi parte videri possit obiectum, cùm in axe collocatur, sed tantùm in ipsa linea reflexionis, quæ tunc eadem est cum incidentiæ linea. An verò sit præcisè verum, quod Euclid. ait prop. 24. oculum in centro speculi positum se tantùm videre, quam 23 Dasyposidius collocat. [illegible], & confirmat Vitellio l.8. Theor. 24. 18, qui supra, nihil Apollonio Pergæo inferior, accuratè discutiet, vbi de loco imaginis, confusionis, & inuersionis dicturus est.

Euclid.

Dasypodius

Quod autem magis ad rem nostram facit, aggredior, quomodo videlicet imago ex speculo exiliat, id enim est, quod præsertim Athei sibi fauere putant, vt angelorum veras apparitiones in spectra speculorum reiicere valeant. Quod vt explicetur, nunc commune fundamentum affero, quo hucusque omnes Catoptrici velut irrefragabili vsi fuêre. Sit igitur locus imaginis in concursu perpendicularis, seu diametri incidentiæ cum radio reflexo, quem vltra speculum rectà per incidentiæ punctum ad perpendicularem vsque progredi concipimus, dico rei cuiuspiam obiectæ spectrum in speculo concauo, de quo loquimur in illo concursu visum iri, quod præsenti figura

De loco imaginis vide Vitell. l. 5 prop. 37.

clarum facio, in qua F I G est speculum, B obiectum: cuius radius in punctum C cadit, & in oculum E per lineam C E reflectitur; linea perpendicularis, seu diameter incidentiæ est H L, quippe quæ per centrum speculi H, & obiectum B vsque ad lineam reflexionis E L transit, cui in puncto L occurrit, quapropter aio obiectum B ab oculo E in puncto L videri.

Quod si statuatur obiectum in A, & suæ radium incidentiæ in C emittat, atque in oculum E reflectatur, tunc perpendicularis incidentiæ erit H. A. M, quæ lineæ reflexionis M L C E occurret in M, atque adeo cernetur obiectum A ab oculo E ac si esset in M. De quibus pauca hæc sufficere poterunt. Satis est enim in præsenti quod sciamus obiectum in illis speculis visum vltra speculi superficiem videri posse vt Athei, contendant (quantumuis perperam) per specula cylindrica, tam concaua, quàm conuexa spectra nonnulla instar Angelorum siue bonorum, siue malorum apparere posse, de quibus nos statim.

Iam verò mirabilẽ ipsius imaginis è speculis exitũ discutiamus, id enim est quod magis nostris nugiuendulis fauere videtur; nec desunt qui putent Rogerium Bacconem hac ratione sese conspiciendum dedisse, & ab vnius turris, vel ædificij parte in aliam magno interuallo dissitam eius imaginem speculorum beneficio velut ambulasse, seu transpositam fuisse, quanquam nihil in sua perspectiua, neque tract. de speculis Rogerius habet, quod scientiam adeò reconditam sapere videatur. Sed antequam hæc examinemus, videndum est, quî fieri possit, vt imago extra speculum egrediatur, adeo vt statim intra obiectum, & speculum, aliâs in ipso loco obiecti, vel etiam citra illud appareat. Quæ omnia hac vnica figura explico.



De exitu idoli ex speculo.

in qua sit speculum C B A cuiuslibet magnitudinis, obiectum sit E, quod lineam incidentiæ mittat, in B, & inde reflectatur ad oculum L, itaut respectu diametri D B linea incidentiæ, & reflexionis æquales angulos efficiant E B D, & D B L: perpendicularis incidentiæ ducatur ab obiecto E per centrum D, donec occurrat lineæ reflexionis B L, sic enim imago è speculo videbitur exilire, vsque ad N, vt ostendit diameter incidentiæ E D N, & si imago N videbitur intra superficiem speculi C B A & obiectum E.

Quo verò magis obiectum E ad speculum accedet, magis ac magis imago discedet à speculo, vt hic videre est, vbi enim digitum in I statueris non ampliùs in N, sed in M, conspicietur, quo si posueris oculum, gladius acutus in I statuatur conuerso ad speculum acumine, ad oculum perueniet, ac veluti feriet illum, quod experientia manifesta comprobat: quod etiam in candela noctu perspicies, quam vbi paulatim versus speculum promoueris, & oculum in debito collocaueris situ, flamma perstringet oculorum aciem, ac si ei coniungeretur, licet vera flamma plurimùm distet ab oculo. Denique si obiectum E vsque ad K per eandem incidentiæ lineam E B moueatur, statim atque fuerit in K apparebit imago in L, & oculum ibi positũ feriet, qui licet vltra situs sit, videbit tamen imaginem, ac si esset in L, vt diameter incidentiæ K D L occurrens lineæ reflexionis in L demonstrat.

Quod nulla ratione specula possint esse causæ, cur angeli dicantur nobis apparere.

Verumtamen quidquid de proiectione imaginis concludi, atque demonstrari possit, ostendo clarissimè nequaquam Angelorum apparitiones, quales scriptura sacra refert, in has αὐτῶν ἐκβολὰς reijci posse.

Quod vt efficiam, vnicam Raphaëlis apparitionem obijcio, quam nullus Atheus, imo neque cacodæmon Atheorum parens per specula possit explicare, siue ea conuexa, siue concaua, siue plana, siue cylindrica, siue cuiusquam alterius figuræ fuerint, quandoquidem neque ipsa factæ apparitiones, qualis est, quam supra ex Maiolo retulimus, nullo speculo excusari, vel saluari possunt.

Quomodo enim loquetur imago exiliens? quomodo ex omni loco, & in quocunque situ fueris, semper eodem modo videbitur? Sed neque quidquam habes, si concessero idolum è speculo prodiens instar veri, & solidi obiecti in medio cubiculo, vel in aëre volitans, & pendulum, vel diuersis motibus agitatum, & secundùm omnem sui partem oculis percipi posse, tum quia id fieri nequit, nisi plurima industria adhibita, quam prudẽs illico deprehendet, adeout nullus imagine veri delusus ita decipi possit, quin stropham aduertat; tum quia id in aëre libero, dum ambulas per agros, minimè Catoptricus vllus exhibere potest, tum quia nunquam simulachrum illud è speculo manãs vel vnicum verbum proferet, aut etiam tenuem sibilum emittet, tum quia si manu volueris illud attrectare: tenues abit in auras, neq; solidi quidpiã tactui licet obtusissimo, vel, si mauis, acutissimo palpandũ occurrit: tum denique quia idolum istud nõ ita comedere potest, vt reuera de cibis mensæ tuæ tam diu, quàm noctu illud tecum comedere credas, te manu prehendat, & ad multas leucas tecũ confabulans ambulet, tuisque rebus sapientissimè consulat; quod tamen Raphaël erga Tobiam effecit, vt iam eum omnino rationis expertem esse oporteat, qui visionem istã in vlla specula, quamuis omnia, quæcunque fuerunt, aut erunt imposterum simul apponantur, & omni industria præparentur, reijci posse contenderit.

Adde quòd Catoptricus non possit maiorem imaginem è speculo exilientem referre, quàm iuxta propriam speculi referentis magnitudinẽ, cùm tamen nullus sit, qui concauum speculum eiusdem cum angelis, qui videntur, quantitatis habeat, nam maxima, quæ hoc sæculo videmus, ea sunt, quæ Maginus fabricauit, nec maiora vnquam fuisse legimus, quæ concaua, & ad imaginem proijciendam apta fuerint: quanquam fieri possunt tantæ magnitudinis, vt hominis staturam longè superẽt; quid enim vetat, quominus aliquod cylindraceum fabricetur, quod sit 100 pedum latitudinis, & longitudinis

Etiamsi concedatur quod nunquam fuit, vel erit, apparitiones Angelorũ per specula explicari non posse.

gitudinis 100? nec enim id extra hominum potestatem esse arbitror, quamuis sit factu difficillimũ: idémque de sphærico, & parabolico assero. Quod igitur fieri potest, iam iam perfectum esse supponamus, idque in Atheorum gratiam, ne quis erroris scrupulus, & excusationis vmbra illis superesse possit, licet tanta specula neque vnquam facta, neque factum iri facillimè credam.

Speculum igitur aliquod tantum sit, vt imaginem ad vnius leucæ distantiam eijciat, plura gratis concedo, speculum istud siue consideratum singillatim, siue cum aliis quibuscúnque coniunctum aliquod obiectum formam habens angeli quouis situ, & omni forma, atque figura repræsẽtet; immo, si vis, non vnum angelum, sed integram legionem referat, varia prodat ædificia mille columnis marmoreis, & aureis, & variis tapetibus ornata cuilibet in speculum ex quacúnque parte respicienti ostendat, variásque hominum, angelorum, belluarum choreas, & tot flammas, quot sunt in firmamento stellæ, omnia denique, quæ voluerit Atheus exhibeat; quid inde obsecro concludere poteris contra nostrum Raphaëlem, & plurimos alios angelos, quos scriptura sancta ab hominibus visos fuisse asserit? nunquid lumen ingrediens, nunquid solis, vel lunæ radij spectaculum omne destruent? vt etiam Porta l. 17 magiæ c. 8 notauit. Quapropter debent cauere, qui huiusce modi exhibẽt, ne quid in rimula fenestræ vel alibi deficiat, ne statim omnia euanescant. Sed noster Raphaël strophas illas satis confutat, qui per medios solis radios visibilis, & quod maius est, palpabilis ambulabat.

Porta.

Quocirca nihil est, quod homines in cubiculo suspensos pedibus, & enses è speculo prodeuntes obijciant, cùm ea statim euanescant, vbi liberum lumen siue solis, siue candelæ admissum fuerit. Neque magis ad rem faciunt illa specula, quæ cùm plana videantur, à tergo tamen nonnullas concauitates, aut eminentias habent plumbo, & mercurio veluti sufflamine terminatas, vel aliquam figuram insculptam, quæ respicientibus extra speculum esse videatur, cùm neque verba, neque simile quidpiam deprehendatur. Quòd si dixeris aliquem ponè speculum latere posse, qui loco imaginis loquatur, aio imaginem speculo vitreo insculptam ne quidem labia mouere, idcóque stropha detegetur. Si vrges aliquem è speculo longè dissitum labia mouere posse, vt phantasma speculi sese mouere, & loqui videatur, dico id non sine magno apparatu fieri posse, quapropter statim quispiam in suspicionem fraudis, & ementitæ visionis adducetur. Adde quod videbit speculum quod vix ita potest occultari, vt aliquis nulla ratione speculum deprehendat, sed obiectum duntaxat. Denique cùm huiuscemodi contingunt apparitiones, id ferè semper in locis efficitur, in quibus nullus Catoptricus adest, nullum speculum, nullus homo præter eum, cui fit apparitio. Igitur licet aliquis per specula pro aliquo momento fingere posset alicuius angeli

Hîc de speculo vitreo loquimur.

Quicquid per specula fiat, id apparitionem angelorum saluare non posse.

manifestationem, quoties videntur angeli, certum est id specularis artis beneficio minimè contingere.

Facessat igitur Atheorum peruicacia, nec speculis ad suam impietatem abutentes, vllis deinceps idiotis illudant; scimus enim ignaris per Catoptricam fucum posse fieri, cùm speculum planum ita collocari possit, vt cum in illud respexerint, non suam, sed alterius non visi deprehendant imaginem, vt Ptolom. notauit theor. 9. l. 2. Catoptr. vt in illo speculo videant, quæ in aliena domo, & vicis, atque plateis fiunt, & aliud ex diuersis planis componi posse, in quo tuam imaginem ita multiplicatam percipias, ac si magna hominum caterua præsens adesset, quod 6, & 7 theor. demonstrauit, adeout ipsam imaginem, quæ te refert, volantem sis aspecturus, vt ex Ptol. docet Vitellio theor. 59. l. 5. Verùm hisce decipulis vir sagax & in Catoptricis probè versatus nunquam capietur, siue 2 plana specula tali situ ponas, vt intuens in vno suam imaginem venientem, in altero recedentem videat, vt lib. cit. theor. 4 Ptol. habet; siue imago vltra speculum, citra visum, in centro visus; in superficie speculi, aut inter visum, & speculum ei appareat, quod euenit, dum communis sectio superficiei, reflexionis, & speculi columnaris, vel pyramidalis concaui oxigonia existit, vt ostendit Vitell. 10. theor. l. 9. post Arabem lib. 5. num. 90. siue denique quamcúnque excogitaueris stropham, in medium afferas.

Quomodo idiotæ per Catoptricã decipi valeant.

Ptolom.

Vitellio.

Catoptricũ sagacem nõ posse decipi.

Vitellio.

At vereor, ne perdamus operam, quod negotium istud tam accuratè perficiamus, cùm Athei sæpius bonarum artium ignari sint, & potiùs suam peruicaciã, quàm scientiam, pro sui erroris clypeo ingerant; verùm quod perditis hominibus minus proderit, viros pios virtuti incumbentes, & diuini numinis gloriam in omni suo opere, siue legant atque studeant, siue orent, aut aliud quidpiam peragant, quærentes iuuabit, atque mirum in modum recreabit; cùm viderint ex omnibus scientiis, præsertim ex Catoptrica, non inualida arma depromi, quibus Atheorum detestanda propugnacula funditus euertantur.

Enimuero quicúnque vel bonos, vel malos angelos, vel etiam animas vidisse feruntur, non solùm aliquam imaginem, idolum, aut spectrum aspexerunt, sed verba quædam audierunt, aliquid contrectarunt, arcana futura didicerunt, vel cordis sui occulta sibi reuelari perceperunt, quæ nullus hominum scire poterat, & consilia susceperunt, quæ faustum exitum habuerunt. Is splendor, illa flamma, odores illi, vel si malus erat spiritus, tetri vapores, vehementes tentationes; & alia plurima contingunt in visionibus, & apparitionibus veris, quæ nemo sanus in specula refundere velit, cogitet, aut possit, vt iam nemo sit, qui non omnes Atheos irridere debeat, quòd argumentis tam absurdis, & à veritate tantùm abhorrentibus vtantur.

Euidenter probatur angelorum apparitionem in specula referri non posse.

CAPVT XV.

De aliis speculorum effectibus, in quos Angelorum apparitiones nemo, iure reijciat.

Plurima supersunt, quæ de speculis inquiri possunt, vt quousque imago exire, quot in eis imagines, & quàm variis sitibus, quàm magnæ, vel paruæ, curuæ, vel cauæ apparere, quantum lumen, & quousque reflectere, quantum echo reddere, quibus demum vsibus nobis esse valeant. Quæ omnia breuissimè, ac veluti raptim percurro, vt si nolint Athei resipiscere, saltem Theodidactis suggeramus, quod eorum animos recreet, atque prouocet, vt numen diuinum magis ac magis venerentur, atque diligant, qui nobis hæc arma Catoptrica dedit, quibus Atheismum expugnaremus.

Quænam de speculis inquiri possint.

Inter alia verò, quæ quidem pulcherrima sunt, aliquantulum tamen negotium facessere videntur, summam imaginis è speculo proiectionem affero, quæ longiùs exilire nequit, quàm dum cathetus, seu perpendicularis incidentiæ fit parallela lineæ reflexionis, quod hacce figura demonstratur.

Quousque imago possit è speculo exilire.



in qua speculum est F B E cuius centrum D, diameter visualis, id est linea per centrum speculi, & oculum transiens D A F, obiectum sit C cadens in B, radius reflexus B A, cathetus verò per centrum & obiectum ductus sit D C E, dico imaginem exilientem euanescere, nec deinceps egredientem videri posse; tunc enim omnino confunditur in speculo, quod Maginus c. 12 dixit in sua superficie tūc imaginem repræsentare, quando nimirum perpendicularis incidentiæ fit lineæ reflexionis parallela; Vitellio autem 8. l. theor. 11 ait tunc locum imaginis à sphætico concauo reflexæ, esse in ipso puncto reflexionis.

Maginus.

Vitellio.

Sanè vt iam de terminis non disputem; satis mirabile videtur, quod obiectum eodem semper modo cernatur, quantumcúnque discesseris à speculo, dummodo in eadem reflexionis linea moueatis, & in ea semper oculus collocetur. Hinc fit vt à quocúnque spatio assignato speculum in meram flammam veluti conuersum appareat, vbi candelam ad illud punctum promoueris, in quo perfecta confusio contingere solet, id est in puncto, in quo perpendicularis nequit reflexionis lineæ coniungi, quod nunquam euenit, nisi cùm euadunt parallelæ; alioquin enim si ducantur in infinitum, tandem aliquando concurrent.

Mirabilis effectus speculi concaui.

Magna difficultas proponitur.

Quam verò inter se proportionem obseruent imaginum proiectiones, an eam, quæ est inter diametrorum quadrata, adeout si speculum, quod est pars circuli 2 in diametro pedes continentis, idolū ad 10 pedes eijciat, speculum aliquod duplo maius eandem imaginem longiùs quadruplo proiectum sit, nec ne, viderint, quibus vacat. Iam enim cursim pergo ad alia. Si tamen priùs dixero me tam diu, quam noctu experientia frequenti comprobasse; tunc imaginem è speculis deinceps non exilire, quando candela, vel aliud obiectum ad illud punctum peruenit, in quo fieri solet incendium, vel ad aliud punctum speculo tantisper vicinius. Hoc autem in nostra figura notari potest, in qua si focus non magis distet à superficie speculi, quā C à superficie F B E, statim atque ad A accesserit obiectum, imago terminabit egressum. Adde quod illud punctum est, in quo obiecta candelæ quantumcúnque paruæ flamma totam speculi superficiem ita occupat, vt si in infinitum per lineam reflexionis moueatis, tantæ semper magnitudinis flammam visurus sis, quanta videretur speculi superficies, quæ si foret 10 pedum latitudinis, flammā profectò stupendam, & ingens velut incendiū, cerneres, quod integro prælio pauorē incutere possit. Sūt autē qui suspicētur imaginē ferè in infinitū è quolibet sphærico exilire posse, ex eo quod perpendicularis incidentiæ non fiat lineæ reflexionis parallela, vel saltem fieri possit, vt ei non sit æquidistans, nisi post ingens spatium. Quod minimè verum

rum existimo, si quidem nulla experientia ostendit mihi imaginem longiùs egredi posse quàm vsque in illum locū, ad quem peruenit; quando obiectum circa confusionis punctum collocatur, quod spatium non adeò longum est, vnde solet imago è speculo sesquipedalem ferè semidiametrum continente per 10 pedes, seu decempedam circumcirca egredi. Notant alij reuera exilire non idolum, sed oculum hallucinari, ex eo quod obiectum paulatim maius effici videatur, vel potiùs eius imago sumat incrementum continuum, donec ad punctum inuersionis obiectum perueniat, à quo si ad superficiem magis accedit, paulatim eodem modo minuatur, quo antea creuerat; eapropter autem nos decipi, & egressum imaginari: quia quò aliquid maius est, eo nobis propinquius esse censetur, si solo oculorum iudicio stemus, nec ratione vtamur. Quæ omnia geometricè discutienda nobili Catoptrico D. Mydorgio relinquo.

Magna difficultas de egressu imaginis.

Hic plurima dubia soluuntur.

Placet tamen sequenti Schematismo declarare, cur imago videatur maior obiecto, cùm ab eo habeat, quicquid est; possetque similiter inquiri, cur in conuexis minor? in planis autem æqualis suo obiecto appareat: hanc pro planis æqualem reddentibus afferunt rationem, quod perpendiculares incidentiæ ab obiecto cadentes perpendiculariter super ipsum speculum semper æquales sint; in conuexis verò, quamdiu versus centrum progrediuntur, minores fiant, atque contrahantur, adeò vt imago sit semper obiecto minor; in concauo denique triplici modo videri potest, maior videlicet, minor, & æqualis formæ, à qua manat, quia perpendiculares diuersis mutationibus sunt obnoxiæ; enimuero sibi nōnunquā parallelæ fiunt, aliâs ad se inuicem accedunt, vel à se recedunt. Hinc fit, vt posito oculo inter centrum concaui speculi, & eius superficiem imago semper appareat, donec ad illud punctum perueneris, in quo confusio accidit, & imago inuertitur; quod si pedetentim discesseris à speculo, priùs imaginem recenter inuersam obiecto maiorem deprehendes: donec paulatim ita minuatur, vt fiat æqualis, deinde minor obiecto, sed caput inferius, & pedes superius vergere putabis. Quæ vt clariùs intelligantur, sit

Triplici modo videtur imago in concauo, maior minor & æqualis, & quando.

speculum concauum λ D E φ, latitudo faciei hominis sese conspicientis A B, cuius medium C sit centrum visus, ad quod imago faciei extremæ B per lineam reflexionis E C pertingit, sicut & ex-

trema pars A per lineam D C. Poſtea verò duæ perpendiculares incidentiæ duorum punctorum A & B ducantur, videlicet L A K, & L B H, quæ concurrent cum 2 lineis reflexionis C K, & C H in punctis K, & H, quæ vbi per lineam K H iunxeris, videbis faciem tuam in ſpeculo eiuſdem eſſe cum linea K I H latitudinis, quæ veram faciei latitudinem A B longè ſuperat, quæ Vitellio theor. 46 & ſequent. latè demonſtrat

Sanè caput hominis adeo magnũ apparet in ſpeculis concauis, vt ſit illud prorſus ſtupendum, atque non deſint, qui terrore corripiantur, vbi monſtruoſam illam magnitudinem aſpiciunt. Stupenda verò magis hominum improbitas quæ hucuſq; proceſſit impudicitiæ, vt ad turpes actus augendos concauis ſpeculis nonnulli vſi fuerint; quod diſertè Seneca 1. natur. quæſt. teſtatur, licet id ſub fabella narret, de Hoſtio, cuius obſcœnitas vſque in ſcœnam producta fuerit. *Fecit ſpecula* (inquit) *eius notæ, cuius modo retuli, imagines longè maiores reddentia, in quibus digitus brachij menſuram & longitudine, & craſſitudine excederet. Hæc autem ita diſponebat, vt cùm virum ipſe pateretur, auerſus omnes admiſſarij ſui motus in ſpeculo videret, ac deinde falſa magnitudine ipſius membri tanquam vera gauderet,* &c. *Fœda dictu ſunt, quæ portentum illud lacerandum ore ſuo dixerit, feceritque, cùm illi ſpecula ab omni parte opponerentur, vt ipſe flagitiorum ſuorum ſpectator eſſet, & quæ ſecreta quoque conſcientia premuntur, & quæ accuſatus quiſque feciſſe ſe negat, non in os tantùm, ſed in oculos ſuos ingereret*, & poſt pauca. *Nonnunquam inter marem, & fœminam diſtributus, & toto corpore patientiæ expoſitus, ſpectabat nefanda,* denique *omnia membra ſtupris occupabantur, & hæc, fœdiſſimum illud inaudita libidinis proſtibulum,* hæc, inquam, *dicebat. Simul virum & fœminam patior, nihilominus illa quoque ſuperuacua mihi parte, alicuius contumelia marem exerceo.* &c. *Etiam ea quæ ab aſpectu corporis noſtri poſitio ſubmouit, arte viſantur, ne quis me putet neſcire quid faciam.* &c. *Id genus ſpeculorum circumponam mihi, quod incredibilem imaginum magnitudinem reddat. Si liceret mihi, ad verum iſta perducerem, quia non licet, mendacio paſcar. Obſcœnitas mea plus quàm capit, videat, & patientiam ſuam ipſa miretur.* At monſtrum illud obſecro, & totius impudicitiæ mancipium relinquamus: nobiſque ſufficiat, ſi ex hoc loco collegerimus Senecæ tempore ſpecula concaua frequentia fuiſſe, qui in fine l. deplorat abuſum ſpeculorum. *Iam enim inquit ſpeculum ornatus tantùm cauſa adhibitum, nulli non vitio neceſſarium factum eſt.*

Stupenda impudicitia.
Seneca.

Hanc hiſtoriam referre volui, vt videat vnuſquiſque qualis ſit Atheorũ genus, & quòd abominabiles facti ſint in ſtudiis ſuis, adeout ipſã impudicitiam eructent iſta vetris propudioſa portenta.

Specula concaua tempore Senecæ.

Eſt autem admirabile, quod obiectum quantumcúnque exiguum totam ſpeculi concaui quantumuis magni capacitatem atque ſuperficiem impleat, etiamſi vnicus capillus, aut acarus fuerit, ſi hunc in puncto inuerſionis conſtituas.

Antequam verò huic capiti finem imponamus; prætium erit opus animaduertere, hoc inter plana, & concaua ſpecula diſcrimen eſſe, quòd imago in illis ſemper à ſuperficie ſpeculi tantum diſtare videatur, quantum obiectum; in his verò ſæpe imago à ſpeculo tam vltra quàm citra longiùs, quàm obiectum abeſſe deprehenditur; vltra quidem, quã do obiectum reperitur inter ſuperficiem, & centrum ſpeculi, vt patet ex Vitell. theor. 44. l. 8. & ſequenti figura declaro.

Quando imago longiùs diſtet à ſpeculo, quàm obiectum.

Vitell.

in quâ F C G ſpeculi vice fungitur, oculus eſt E, obiectum B, quod cadat in C, vt reflectatur in E per lineam reflexionis C E, quam deſcribere lubet vltra C vſque ad M, huic enim diameter incidentiæ loci imaginis demonſtratiua occurret in L imaginis loco, qui longiùs à ſpeculo diſtabit, quàm obiectum B, vt figura docet; idémque continget, ſi obiectum ſit A, quod ad eundem oculum E beneficio lineæ reflexionis perueniet, cui protractæ cathetus H A M in puncto, ſeu loco imaginis M occurret. Secus autem imago minus diſtabit à ſpeculo, quàm obiectum, ſi obiectum ita collocetur, vt imago citra obiectum è ſpeculo exiliat, quod peculiari Schemate præcedenti cap. demonſtratum eſt, vt iam hic non ſit opus repetere. Si quis rem totam latiùs poſtulet, l. cit. theo. 45 Vitell. conſulat.

Quando minus diſtet imago.

Hoc autem proprium habet ſpeculum concauum, vt τὰ ὕψη καὶ τὰ βάθη altitudines, & profunditates licet euerſæ appareant, quandiu ſunt intra concurſum radiorum, quemadmodum in planis ſpeculis, attamen quæ ſunt ἐκτὸς τῆς συμπτώσεως extra concurſum, apparent, vt reipſa ſe habent, vt bene Euclid. theo. 11 catoptr.

Quando & cur res inuerſę vel rectæ appareant.
Euclid.

Imaginem

Imaginē primo modo euerti probat figura sequēs, in qua speculū est F C G iacens, super quo pendet obiectum A B ad angulos rectos, altitudo obiecti A cadit in C, & per C E reflectitur ad oculum E: pars verò inferior, hominis, exempli causa, pedes sint B, quod in D cadit, & per D ad eundem oculum reflectitur. Dico partem superiorem in hac figura videri superiorem in speculo, & inferiorem apparere inferiorem, vt docet cathetus, qui à centro speculi per obiectum descendit, & est H A M, quæ lineis reflexis E C L, & F M occurrit, vt partem A ostendat in L loco superiori, & B in M inferiori; idque similiter contingit, quoties radij ab obiecti parte suprema, & infima cadentes in puncta incidentiæ se se intersecant, quomodo hîc aspicere est radium B D secari à radio B D; vbi linea reflexionis, per quam A cernitur, est C E, linea verò per quam B videtur, est D E, illa producta terminatur in L, vt caput A superius videatur in L superiori, & basis B infima in M infimo.

Cathetus semper locum imaginis determinat.

Quod si lineæ incidentiæ partis superioris, & inferioris sese non intersecent, contrarium eueniet id est suprema pars obiecti videbitur inferior, infima verò superior, vt hîc constat,



vbi obiectum A cadit in C, & in E reflectitur; reflexionis linea est E C L, cui occurrit in L diameter incidentiæ H A L, igitur A videbitur in L, & B quod cadit in D, & reflectitur in E, apparebit in M, quia illic cathetus H L cum linea reflexionis E M concurrit.

Vin tu, de numero imaginum in speculo concauo apparentium nonnihil attingamus? ne quid nos reticuisse dicant Athei, aut vllam excusationis vmbram habere possint. Audi. Volunt Catoptrici 2, 3, imo & 4 imagines in speculo videri posse, quod aiunt contingere, cùm obiectum oculi respectu ita situm est, vt ex 4 speculi locis, punctis, seu partibus linea reflexionis ad oculum pertingit, tunc enim totidem apparebunt imagines, quot huiuscemodi lineæ fuerint: quod in Perspect. communi, & à Vitell. probari videtur; illa prop. 46, 47, & 48, hic theor. 25, 26, 40, & 41. l. 8 ad hunc finem producunt: Sic enim habet 26 theor. Vitell. *Si angulum ad 2 diametros magni circuli speculi sphærici cōcaui contentum diuidat tertia diameter per æqualia, & à puncto sectionis circumferentiæ, & diametri medio ducantur perpēdiculares super alias duas diametros, quilibet punctus vnius diametrorū sectarū interiacens inter perpendiculares, & circumferentiam, reflectitur ad punctum alterius diametri æqualiter ei condistans à centro, à 4 tantum circumferentiæ punctis, & secundum hæc loca imaginum numerantur.* Idem de 4 imaginibus prop. 40, & 41 docet. Cui Maginus c. 13 suffragatur, asseritque aliquem in extremitate speculi in plano iacentis positum in alia speculi parte opposita, cùm linea reflexionis inuenta est, obiecti duplicem, imo & nonnunquam quadruplicem apparere, adeout hominem ibi situm veluti 2 habentem capita, candelam duplicatam, & eius imagines ad se inuicem inclinari videas, & ille similiter bicipitem aspiciat. Sed hanc imaginum multitudinem nolim ad examen reuocare, tum quia huic solutioni finem imponere est animus, tum quia Spartam hanc nobili Mathematico, quem antea laudaui, decurrendam relinquo, qui negat 4, sed ad summum 3 imagines in speculo, de quo nunc loquimur, apparere posse.

Quot vnius obiecti imagines in cauo speculo videri possint.

Ioannes Pisanus Cameracensis Episcopus auto perspectiuæ communis.

Vitell.

Maginus.

Nonnulla tamen hîc apponam, quæ experientia curiosiùs exploraui in 2 speculis concauis variæ magnitudinis, in quibus nunquam præter 2 eiusdem obiecti idola videre potui, tametsi 3 in magis concauo ferè viderentur. Dico ferè, quia parua flammæ particula, propè speculi extremitatem apparebat, quod in maiori, minus tamen concauo, minimè vidi, idq; me in suspicionem adduxit, num maior pars circuli, seu maius sphæræ segmentum causa foret, cur plura idola rei eiusdem appareant.

Duas verò imagines ita videbis, siue speculum super pedem suum, seu planum perpendiculariter erigatur, siue in ipso plano iaceat, vt quò magis recesseris à speculo, magis ad se accedant? quò magis accesseris, recedant magis, adeout hîc, vbi propinquior fuerit oculus, euanescant ambæ, vel saltem vnica supersit, illic verò in vnam coalescat. Sed præ omnibus gratum est, quod in concauis candela ita appareat, ac si esset stella radios infinitos circum circa versus superficiem projiciens, itaut ipsos radios deprehendas, licet candela nondum appareat. Quæ omnia cùm nihil in gratiam apparitionum conferant, non est quod illis diutius inhæreamus. Iucundum est etiam visu præ manibus lanceam tenere, sicut & aliud quodlibet obiectum, etenim duæ pyramides admirabilis magnitudinis vidêtur; quarum vna suâ basim versus aspiciētem porrigit, alia verò conum basi alterius veluti continuum, quod fit, vbi lancea speculum tangit, vel propinqua est, & oculus est in alio lanceæ extremo; tunc enim basis prioris in profundum speculum in infinitum extendi videtur, & basis posterioris in partem auersam.

De variis situbus quibus imago cernitur.

CAPVT XVI.

Quòd effectus reliqui, qui speculis concauis, vel etiam planis tribuuntur, siue fiant in tenebris, siue in lumine Angelorum apparitiones, siue veras, siue fictas explicare non possint.

IAm varios situs, atque figuras omitto, quibus imago cernitur, de quibus latè Vitellio lib. 8. theor. 13 vsque ad 12, & alibi: nec non varios motus, quos subit iuxta varias obiecti commutationes, vt statim tibi fiat obuiam, cùm ad speculum accedis; te recedente recedat, te ad dextram ambulante, ad sinistram moueatur. Vbi verò non ampliùs locus imaginis à catheto determinatur, quod solùm euenit, dum perpendicularis incidentiæ fit parallela reflexionis lineæ, censet Maginis imaginem semper in ipsa superficie speculi videri, itaut tunc alibi, quantumcúnque distes à speculo, non appareat; de qua re in aliqua superiùs monuimus, interim legi poterit Vitellio theor. 65, 66 & alijs 8. l. donec vir in Catoptricis peritissimus Claudius Mydorgius arcana speculorum libro doctissimo, pandat.

Quandónam imago in speculi superficie videatur.

Sed est, quod Athei obijciant, vt quod in cubiculo clauso, & tenebricoso, ea quæ foris sunt, legi possint, quòd beneficio candelæ, vel alterius lucis ea, quæ maximè distant, detegantur, quod literæ etiam in obscuro positæ legi valeant, quod specula referant; quicquid in toto horizonte contingit, &c. quibus angelorum apparitiones fingi posse, & omnia quæ in ijs fiunt, explicari contendunt.

Variæ speculorum proprietates.

Quod ad ea attinet, quæ cum foris sint, leguntur, obseruandum est, ne quid apertum in cubiculo, vt ne quidem per rimulam illuminetur, præterquam per foramen exiguum, per quod rerum extra cubiculum sitarum species, & color ad speculum concauum in ipso cubiculo situm perueniant; tunc enim res, vt sunt in se, videbuntur, si speculum magis à foramine, quàm ipsius speculi centrum absit, alioquin deprehendes inuersam imaginem. In foramine verò vitrum apponẽdum est, per quod rerum videndarum species penetrent, quod si fuerit conuexum anaclasticum, erit optimum. Poteris autem loco speculi ad species excipiendas & exhibendas parati papyrum apponere, in qua percipias, quæcúnque per foramen ingredientur, idque directè & inuerso modo, si papyrus vna sit perpendicularis horizonti, alia verò præcedenti continua, eidem ad rectos angulos supra collocetur, sitque parallela horizonti.

Quomodo ea, quæ foris sunt, possint in cubiculo clauso videri.

Idem concauum speculum candelæ beneficio præstat, vt legere possimus literas, licet à speculo media nocte per multum spatium distemus, quòd eò meliùs contingit, quò speculum maius, atque magis tersum, & leuigatum fuerit. Vnde si speculum concauum in laterna accommodes, quod idem cum ea centrum obtineat, longissimè proijcies lumen ante te; quod etiam fieri poterit, si chrystallum conuexam ibidem posueris, quam si debita proportione accommodes, poterunt ad illius lumen plurimi ad magnum spatium legere atque scribere. Adde litteras, quas in tenebris præ manibus habes, te posse legere beneficio speculi concaui, licet candela maximè distet, quod & ad lunæ & fortè ☿, atque ♃ lumina, nescio si ad agarici, quercus putridæ, squamarum piscium luculas fieri posset. Nam cùm à speculo manum, aut scripturam vsque ad focum remoues, luminis punctum ibidem generatur, cuius beneficio literæ dignoscuntur, si super eas paulatim irradiet.

De luminis proiectione.

His præmissis, ne quid nos omisisse dicant Athei, quod pro eorum dogmate facere videretur, affero quæcúnque sibi concedi postulant, aut postulare possent. Sit ergo quispiam exempli gratia nouus legislator, aut alius, qui aliquid noui suadere velit: sit Iulius ille Atheus, qui alteri Catoptricæ penitus experto dicat: falleris amice, quòd hanc aut illam legem hucúsque amplexus fueris, quam Deus improbat, ea tibi deinceps sequenda est, quam annuntio; cui vt adhæreas, eam miraculis cõfirmabo, ipséque Deus sua præsentia legem hanc sibi gratam esse demonstrabit, ísque si lubet angelorum choris stipatus apparebit, & te pro sua benignitate docebit, quæ deinceps tibi facienda fuerint.

Affertur quicquid fieri potest aut etiam gratis concedi, vt omnes Athei redeant ad Deum Opt. Max cùm viderint se nulla ratione fulciri, imo nec vlla probabili coniectura niti.

Quæ iam efficiat, itaut idiota fraudem non detegat: Quòd hac tantùm ratione per specula, & dioptras facere poterit. Sit cubiculũ perfectè clausum, in quo speculum columnare, seu cylindricum vel pyramidale, aut quodlibet aliud concauum ita collocatum, vt per foramen ad id paratum, & chrystallo lenticulari occlusum species, & imago alicuius ingrediatur, qui eo modo vestitus sit, quo Deum patrem solent depingere; quæ imago ita perfectè lineamenta, & colores ad speculum intus paratum, vel ad papyrum, aut quidpiam aliud ad id aptum deferat, vt idiota, qui hoc idolum ita suspensum viderit, verum obiectum, verum Deum esse putet.

Speculum verò non videat, sed potiùs multos angelos cernere existimet, quia nimirum possunt, qui stropham hanc ederint, curare, vt plurimi habitu angelico foris stent ad foramen, & quoscúnque voluerint motus efficiant, quod in prædicto speculo, vel in aliquo alio ad id parato repræsentabo. Deinde loquatur is Dei vice, qui foris est, vel potiùs ne conijciat idiota vocem non ab imagine, sed ex alia parte procedere, loquatur aliquis ponè speculũ, ita tamen vt qui foris est, Deum simulans os suum commoueat, ac si loqueretur, ne si quis post speculum latitans loquatur, & imago visa, os contineat, statim idiota fraudem cõijciat. Sic enim eo, qui foris est, linguam, & os mouente, & qui à tergo speculi latet verba faciente, dum imago labia mouere videbitur, & ex eadem imaginis parte, velut ex eius ore verba audire credet, faciliùs decipi poterit. Itaque hîc idiota Deum esse cogitabit, qui eum alloquitur, atque adeo se totum ei facilè credet, & eius documẽta sequetur. Quid tũ, dices. Audi iã Atheorũ detestandam impietatem. Omnes apparitiones

Stropha insignis describitur.

Dei

Dei, angelorúmque cum bonorum, tum malorum hac, vel simili ratione peractæ sunt, vt ij, qui huiuscemodi comminiscebantur, hominum laudem, atque cultum venarentur, & præ reliquis in magno prætio, veluti Dij haberentur.

Horribilis Atheorum impudẽtia, & audacia plusquam tartarea.

Sed neque horribilis Atheorum impudentia hic quiescit; thesim enim, & hypothesim eadem impudentia pronuntiant, omnes videlicet legislatores, qui apparitionibus vsi fuere ad suas leges stabiliendas, hac ratione vel simili progressos fuisse, adeout neque Mosem, & Christum impostores appellare vereantur, inquorum præsertim legibus miracula facta, & angeli sæpenumero homines allocuti sunt. Adde librum illum impium, quem à nescio quo Atheo de tribus impostoribus scriptum aiunt, in quo tam horrenda continentur, vt vir doctus me certiorem fecerit, se, cùm titulum vidisset, horrore correptum fuisse, & librum statim proiecisse. Nec ab re fuerit, si similis impietatis meminerimus, de qua loquitur Mattheus Paris in Henrico 3 in fine anni 1238, pagina 645, vbi hæc habet. *Fertur Fredericum imperatorem dixisse, licet non sit recitabile, tres præstigiatores callidè, & versutè, vt dominarentur in mundo, totius populi sibi contemporanei vniuersitatem seduxisse, videlicet Mosem, Iesum, & Makometum*, & paulo post. *Dictum etiam fuit ab æmulis suis ipsum Fredericum imperatorem plus consensisse, & credidisse in legem Mahometi, quàm Iesu Christi.* Idemque ferè refert Pistorius in compilatione sua pagina 74?, ad annum 1146. *Audiente* (inquit) *Henrico Langrauio Fredericus dicebat. Tres seduxerunt omnem mundum, videlicet Moyses Hebræos, Christus Christianos, Mahometus Barbaros. Quamobem si principes imperij institutioni meæ assentirent, ego vtique meliorem modum credendi, & viuendi cunctis nationibus ordinare vellem.*

Mattheus Paris.

Frederici impietas.

Pistorius.

Cardanus.

Quo non meliorem Cardanum dixero, cùm 11 de subtilit. de hominis necessitate, leges 4 referat, nempe Idolorum, Iudæorum, Christianorum, & Mahumetanorum, pro quibus omnibus cùm nonnulla argumenta retulit, ijs palmam concedere videtur, qui præualuerint armis, sic enim totum negotium concludit. *Verum res ad arma traducta est, quibus plerumque maior pars vincit meliorem. Igitur his arbitrio victoriæ relictis, ad prouinciarum discrimina transeamus.*

Scaliger.

Vbi iure Scaliger exercit. 258 illum reprehendit. *Tibi verò* (inquit) *quis cuiusque modi, sectæque animus sit vel præs, vel manceps, perfacilè verbis illis ostentasti*, &c.

Quæ omnia hîc retuli, ne credant Athei nos eorum insultus timere, licet eos meritò detestemur vt pote ab orco oriundos: quos satis fuerit, si stultos, & insanos iudices, atque omni responsione indignos. Ne tamen aliqua ratione veritati præualere videatur impietas, nonnulla subiungemus, quæ blasphema detestandorum ora perstringant, & his apparitionibus coronidem imponant.

Dico igitur fictitiam illam, & ementitam apparitionem prædicta ratione fieri non posse, quin etiam idiota stropham detegat ob multa, quæ ibi intercedunt. Verùm ne minùs, quàm voluerint, aut quàm possibile est, eis concessisse videamur, ne quædam similia rarissimo artificio exhibita nobis obtrudant, aut eorum nugeculas, ac si ponderis alicuius essent argumenta, quas ad suam impietatem stabiliendam afferunt, nos timere existiment, gratis illa omnia fieri posse concedo, adeout noctu imago pendula, vel diu in cubiculo loqui videatur, & alicui suggerere, vt religionem, atque legem suam mutet, prout suprà narratum est. Imo ne se ridiculos nimis exhibeant in illis fabellis, & imaginarijs artificijs exhibeant, illos iuuabo deceptione Monachi Mesopotameni, qui in illa prouincia perpaucis inimitabilem exhibens continentiam, quam per multos annos singulariter in cella reuersus exegerat; ita est ad extremum diabolicis reuelationibus, somnijsque delusus, vt post tantos labores atque virtutes, quibus omnes Monschos ibidem residentes excesserat, ad Iudaismum, & concisionem carnis lapsu miserabili fuerit deuolutus, inquit Cassian. collat. 2. cap. 8. Nam cùm volens eum consuetudine visionum ad credulitatem futuræ deceptionis illicere, verissima quæque multo tempore diabolus velut veritatis nuntius reuelasset, ad extremum ostendit Christianum populum vnà cum principibus religionis ac fidei nostræ, Apostolis scilicet, atque martyribus tenebrosum, ac tetrum omnique macie tabidum, atque deformem: è contra Iudæorum plebem vnà cum Mose, Patriarchis, atque Prophetis summa tripudiantem lętitia, & splendidissimo lumine coruscantem, suadens vt si mallet meriti, ac beatitudinis illorum particeps fieri, circuncisionem quoque suscipere festinaret. Horum itaque profectò nullus tam lugubriter fuisset illusus (inquit Cassianus) si rationem discretionis huius assequi laborasset. Quamobrem inquantum perniciosum sit discretionis gratiam non habere, multorum casus, & experimenta declarant.

Referuntur heremitæ qui à dæmone decepti sunt.

Cassianus.

Omitto alios plurimos, vt Heronem senem, qui se in puteum præcipitem dedit, vt idem Cassia. cap. 5. refert, & alium, qui cap. 7. filium instar Abrahæ, ni fugisset, offerre volebat, quos diabolus decepit, tum quia hîc non agimus de discretione spirituum bonorum à malis, nec discutere lubet, quibus signis illi ab istis dignosci possint, id enim alium locum postulat, tum quia nullum spiritum siue bonum, siue malum Athei concedunt.

Quorum strophis, & artificiosis speculorũ deceptionibus iã iam respondeo; quod enim spectat ad fabulas, in quas apparitiones reijciũt, suprà egimus c. 4. 5. & 6. Possem idiotam meritò recusare, & ab eis postulare, vt virum sagacem suis objiciant speculis, qui statim fraudem deteger, sed cùm filij tenebrarum vereatur, ne qui pollet ratione, & intelligendi acumine præditus est, eorũ tenebras discutiat, & impostores irrideat, ad aliquem idiotam recurrunt, qui vix sit rationis cõpos, qui nihil vnquã præter focum proprium, & casam viderit, sit ita. Igitur ad idiotam prouoco, non cui suadere conetis hunc, aut illum cultum non esse legitimum, Christianæ religioni Iudaicam, aut Mahumeticam, vel nouam, quam intrudere velis, præferendam esse: nõ enim hîc de cultu Dei, qualis esse debeat, & quinã vero cultu maiestatem eius venerētur, inquirimus, quandoquidem id alio loco aduersus politicos vel Deistas discutiendum erit, & multi iam de veritate religionis egerunt, sed de ipsius Dei veritate, & existentia, quam negant Athei, quos proinde nego vlli idiotæ suadere posse per specula, aut quasuis apparitiones, nullum esse Deum.

Quod autem illi vrgere videntur, idiotis videlicet Catoptricæ beneficio persuasum numen aliquod admittendum esse, risu dignissimum est, & omnino falsum; proferant enim, si possunt, vel

ex omni antiquitate, vel ex nostro sæculo idiotam, qui Deum esse crediderit ob aliquam apparitionem sibi exhibitam. Sanè nulla apparitio necessaria est, vt id credamus, cùm tam alta voce creaturæ omnes Deum esse prædicent, & omnibus modis ostendant, vt neque surdus, neque cæcus hanc veritatem ignorare possit. Itaque prædictæ strophæ, quas objiciunt, sunt penitus extra rem. Ne tamen aliquid produxisse, & quoddam venenum sparsisse videamur, cui nullum, aut minus aptum alexipharmacum opposuerimus.

Dico non esse quidem impossibile, vt aliquis speculorum beneficio decipiatur, licet illud vix contingere posse credam, nec fortassis vnquam euenerit: ideóque supponere velim maioris claritatis gratia monachum illum Mesopotamenum non à dæmone, sed à Catoptrico deceptum fuisse vel potiùs à dæmone specula ad deceptionem adhibente, alioquin enim, quis vnquam in istis montibus, & desertis in quibus Anachoretæ degebant, Catoptricos vidit. Verùm sola naturali prudentia stropham illam speculorum, quando præsertim ab homine paratur non solùm ille monachus, sed & quispiam alius detegere poterat.

Cùm enim sit res insolita, & miraculi cuiusdam speciem præ se ferre videatur, ratio docet accuratè rem totam perspiciendam esse & omni modo explorandam, antequam ei credas. Quod fiet, si ei qui stropham exhibet, tenebras objicis, quibus cubiculum, vel aulam obsidet; neque enim opus est ab eo petas, vt mutet domum, tuam vel alienam adeat, vel ad agrum aliquem aëri libero vndique expositum illum prouoces, vt eadem exhibeat, statim enim contra niteretur, & aliquam excusationem prætendere posset, sed abundè sufficit, vt aliquam cubiculi ianuam, vel fenestram aperiat, vel si noctu spectra sua tibi ostendat, tibi præ manibus candelam tribuat, qua lustrare possis cubiculum, vel qua propius ad imaginem exhibitam accedas, enimuero vbi radius solis, vel lunæ, aut candelæ flamma cubiculum lustrauerit, ementiti angeli, vel formæ quæpiam aliæ ad seductionem efflctæ, euanescent; Vel si cautius agere vis, & ipsum impostorem irridere, atque decipere, vt sibi mentiatur iniquitas, ad imaginem extende manum, quam prorsus nullam esse, præter ipsam intentionalem obiecti cuiusdam absconditi repræsentationem inuenies, nisi loco imaginis panurgus aliquis imagini similis sese palpandum efferret, & verba præcedentibus similia, vel etiam eadem proferret. qui si pro quodam angelo sese exhibeat, acicula, vel gladio manum, aut vultum illius punge fortiter, sanè rem iucundam, & non stropham exhibueris; sanguis enim illico probabit impostorem illum non esse angelum, quippequi sanguine, sensúque caret, etiam si corpus aëreum, aqueum, aut terrenum sibi fabricet, in quo Dei voluntatem quibusdam annuntiet.

Modus quo omnes strophæ, & ementitæ apparitiones deteguntur.

Omitto mille modos, quibus vel idiota fraudem aperire potest, vt viros Theodidactos moneam non statim cuilibet apparitioni credendum esse, sed tantùm cùm omnia in hocce negotio necessaria diligenter explorauerint, & viderint nihil esse his contrarium, quæ vel scriptura sacra, vel Ecclesia Catholica docet, alioquin enim respuenda sunt, quæcunque dicuntur, iuxta id Pauli ad Galat. 1. *Sed licet nos, aut angelus de cœlo euangeli Zet vobis, præterquā quod euangelizanimus vobis, anathema sit. Sicut prædiximus, & nunc iterum dico: si quis vobis euangeli Zaueris præter id quod accepistis, anathema sit.* Quæ si monachus considerasset, nunquam à diabolo seductus fuisset. Adde quod in veris apparitionibus, quæ fiunt ex parte Dei, aliquid percipiatur interius in animo, quo possis apparitionem, & spiritum bonum à falso discernere.

Ad Gal. 1.

Cùm tamen in fictis ab homine strophis nihil simile sentias. Sed hæc, & alia plurima solis Catholicis vtilia, vel accommoda in alium locum reijcienda puta. Nec est opus vt pro gentilibus alia præscribamus, quippe qui Deum esse fatentur, vel si negant Athei sunt, & priùs instruendi, quàm vt eos doceamus, quid sint veræ vel falsæ apparitiones, quæ Deum esse supponunt. Hic autem, obsecro, Atheorum insaniam, & insolitam vecordiam contemplare, qui non vident se necessariò veras apparitiones astruere, cum falsas objiciunt; enimuero si falsę, & fictitiæ fuerint, igitur quędam veræ fuerunt, cùm fictæ veras imitentur, sine quibus esse, vel exhiberi non possent, sicut neque mendacium, nisi veritas præcessisset.

Denique nulla recensetur in tota scriptura Angelorum apparitio, quæ fictitias Atheorum fraudes, & impia propugnacula non euertat, quod iam è nostra Genesi manifestum est, in qua Angeli exhibentur, qui Loth ab incendio Sodomæ liberarunt, & omnes eius domum obsidentes, & iam iam ingredientes cæcitate percusserunt, manum eius, & manum vxoris, ac duarum filiarum eius acceperunt, eo quòd ei parceret Deus, &c. cuius apparitionis circunstantias expenderis, absque dubio Atheorum insaniam, & incomparabilem cæcitatem demiraberis, qui tam leues suę impietatis coniecturas obtrudunt, vt ne vel contritæ stipulæ conferri valeant. Sed iā tēpus est, vt receptui canamus, & post quietem exiguam, ad alias obiectiones clarè dissoluendas pergamus: nam quæ de imaginatione, atque phantasia, & aliquorum stulto, læsóque cerebro, qui plurima etiam impossibilia sibi vera esse fingunt, fusè proprio loco, vbi de vi imaginationis, dicendum erit. Sequitur verò miraculorum argumentum in morborum præsertim curatione factorum, quod diuersis modis eludere nituntur, quod iam discutio, vt impiorum ora blasphema æternùm conticescant.

Genes. 19.

Quod si reuelationes angelorum afferam, tuet omnis phantastica tam Agrippæ, quàm aliorum Catoptrica, quamuis enim beneficio speculorum aliquis in luna repræsentare posset literas in speculo positas, hisque sui cordis intima, aut quæ ibi geruntur, vbi manet, amico per 100 vel 1000 leucas distanti manifestare posset, quod impossibile est, cùm luna non sit leuigata, & posita vt speculum iuxta multorum sententiam, qui in ea constituunt anfractus, vel si posita sit, non possit obiecta maiora reddere, quin potius minora, cùm speculorum conuexorum naturam imitetur, est quippe rotunda; hinc fit, vt literæ in ea nullo modo legi possint, etiamsi earum idola in luna tanquam in speculo reciperentur, alioqui singulæ literæ 10 leucas superare deberent; nec enim terra 10 pedes in solidum continens posita in eadem altitudine cum luna videri posset, at quamuis id fieret inquā, & lunam concaui speculi instar literas satis magnas referre, & si vis earum idola ex se longissimè, & vsque ad aspicientem projcere, vel quarundam diopttrarum, & lentium chrystallinarum ope literarū, maximas imagines in luna, vel in aëre deprehendi posse

posse diceres, id non impedit, quominus angelorum apparitiones Deum esse conuincant, quandoquidem nulla præter præsentia in corpore lunæ repræsentari poterunt, vel ad summum futura, quæ is qui literas inscribit, nouit esse futura.

Angeli verò sæpiùs ea futura reuelarunt, quæ nemo scire poterat, vt patet ex reuelatione 72 hebdomadarum facta Danieli ex reuelatione Gabrielis beatæ Virgini dicentis, *Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei*, & alijs plurimis, in quibus futura longè antequam fierent, prænuntiata fuêre, quæ neque ab hominibus sciri poterant, nec ab eis dependebant, vt passim scriptura sacra docet.

Itaque concludamus ex Catoptrica Deum esse, qui omnia specula superet, & quem esse fateantur Athei necesse est, si rationis lumen sequi voluerint; quod faxit Deus Optimus Maximus; in cuius lumine videbimus lumen, & vt nunc videmus per speculum, & in ænigmate, ita facie ad faciem videbimus, atque contemplabimur, quando ad patriam peruenerimus. Alia plurima in aliis locis Geneseōs, de Angelorum apparitionibus dicturi sumus, vt abundè suppletura sint, quæ hîc ab aliquo requiri possent.

CAPVT XVII.

An miracula vera, quæ fiunt in morborum præsertim curatione, Deum esse aduersus Atheos euincant. Hîc afferuntur obiectiones atque asyla Atheorum.

VEl illa miracula, quibus aliquis ad Deum agnoscendum, & asserendum posset adduci, visa sunt in cœlo, vel in terra, cæterisque elementis, vel in mixtis; vel in morborum curatione, aut illatione, vel in rebus quibusdam cum stupore, & tremore repræsentatis; vel in subita vindicta, aut etiam præmio de cœlo misso, vel in mortuorum suscitatione, vel in quibusdam eiusmodi. De apparitionibus antea dictum est, quæ vel ab angelis bonis & malis, vel à Deo fieri possunt. Iam de valetudinum curatione, cæterisque miraculis dicendum est. Imprimis verò Suetonius cap. 7. de vita Vespasiani, miracula ab eo facta narrat, nam quidam è plebe luminibus orbatus, item alius debili crure, sedentem pro tribunali pariter adierunt, orantes opem valetudinis demonstratam à Serapide per quietem; restiturum oculos, si inspuisset; confirmaturum crus, si dignaretur calce contingere. Cùm vix fides esset rem vllo modo successuram, ideòque ne experiri quidem auderet; extremò hortantibus amicis, palam pro concione vtrumque tentauit, nec euentus defuit. Pyrrhi digitus nunquam comburi potuit; & Marsi, seu Psilli homines serpentum morsibus, verbis duntaxat, mederi solent; nec est quòd ea referas in dæmones, cùm nihil operari possint, nisi applicando actiua passiuis, & sapientes dæmones appellantur; adde quòd non videantur illi dæmones, nec vlla pharmaca in istiusmodi curationibus, quæ tamen videri possent, si applicarentur: sunt enim corpora visibilia, nec satisfacis, si dixeris ægrum à dæmone fascinari, quia fascinatio inducitur, inquit Cæsar Atheorum, alterando sensus qui non immutantur nisi à re materiali, quare vtrumque ægro innotesceret, quod falsum est, nec dæmones illa remedia possunt illico ab oriente transferre in occidentem, alioquin munere Pharmacopœorum, aut Chirurgorum perfungi debent, qui semper pixides varijs emplastris, ac vnguentis repletas secum deferant. Hinc fit, vt in herbis, mineralibus, ac lapidibus varias virtutes inesse credendum sit, quæ vel immediatè per manifestas qualitates corpus afficiant: quæ calida sunt, excalefaciant; quæ frigida frigefaciant, vel mediatè, quando in vapores resoluuntur, quæ deinde in nos agunt, vt radix Pontica, vbi per natiuum calorem in vapores conuersa fuerit melancholiam expurgat; vel per proprietates occultas operantur, vt Magnes ferrum attrahit, Adamas resistit, Sapphyrus fugat anthraces, & fouet oculos, similes mistorum virtutes occultas Plinius, Albertus, Ficinus, & alij referunt: Inde natum est, vt Philosophi medicamentorum, quæ tertio modo operantur, cognitionem habentes insensibili fere modo valetudinem ægris conferant, quare rustici dæmonis familiaris hæc esse opera suspicantur. Quis plebeius, si à pisciculo Remora nauim secūdis velis incedentem illicò detineri, & remorari conspiceret, dæmonum legionem ibi absconditam esse non assereret? si obstupescere eum qui arundinem à torpedine contractam digito attigerit, rusticanus aspexerit, nonne statim ob dæmonum timorem dominico signaculo se præmuniret.

Quæ sint causæ miraculorum. Suetonius. 1. Miracula Vespasiani.

Miraculum Pyrrhi.

Prima causa refert miracula in occultas proprietates herbarū, lapidū, & animaliū

Sanè Galenus cùm ex medicinæ scientia multa huiuscemodi perficeret, dæmoniacus creditus est, quamuis nullos esse dæmones existimarit. Vt autem superiùs ostensum est in herbis, lapidibus, & animalibus, varias inesse proprietates ad morbos profligandos; ita & vni ex hominibus eadem competere possunt, homo namque inter cœlestia, & terrena medius est, idcirco de vtrisque participat; vnde aliqui dicuntur Iouiales, Saturnini, Mercuriales, prout proprietatibus correspondent planetarum: aliqui leonibus, nonnulli vulpibus, aut lupis comparantur. Ideòque docuit Albertus homines gerere naturam illius animalis, cui similia membra retinent; inde homo dictus est Microcosmos, quoniam tota natura tam superiorum quàm inferiorum, in humana comprehensa est.

2 Causa in hominis natura, & idiosyncrasia constituitur.

Albert.

Qui igitur herbarum, lapidum, & animalium proprietates aliquas occultas cognouerit,

morbos discutiet, atque ita Deus à plebecula proclamabitur.

Ars Paulina.

Confirmatur ex iis, qui Paulina gratia se communitos gloriãtur, qui demorsos à serpentibus facilè curant, quę facultas à natura omnium gentium parente illis indita est; & Iulius testatur sub lingua eorum paruulam serpentis effigiem ab ipsa natura impressam se aliquãdo vidisse; vbi asserit varias hominibus inesse proprietates occultas à cœlo inditas, ob quas Albertus narrat in Germania duos pueros natos esse, quibus ex dono sydereo ostia licet clausa, dum appropinquarent, vltrò statim aperirentur.

Albertus puerorum miraculum.

Strumarum curatio per Regem Galliæ.

Sic à Christianissimis Galliæ regibus sola manuum impositione strumosos curari pro confesso omnes accipiunt, quod si digito Pyrrhi virtus adfuit, vt non cederet flammis, toti alterius corpori potest hæc inesse potestas, quem si à flammis intactum vulgus conspiceret in diuorum albo adscriberet, nec immeritò quidem, cùm nonnisi iustissimis viris hæc à cœlo tribui dona, æquitatis ratio persuadeat.

3 causa refertur in animam, & speciem imaginationis.

Aliam causam afferunt, nempe sensitiuam animam, quæ cùm omnium rerum species sensibiles in se recipiat, est quodammodo omnia sensibilia, quemadmodum intellectus omnia intelligibilia; quare cùm omne ens sit vel sensibile, vel intelligibile, anima nostra vtrúmque comprehendens, erit omnia: nec solum spiritualiter rerum species in intellectu est, sed species illa realiter rem producet in subiecto apprimè disposito; sic enim amasiæ species, quæ intus est, ea quæ tacenda sunt, attollit; gallinæ vbi vicerint, marium more coitum tentant, cristam, & caudam erigunt, & veluti gallis calcaria illis tunc suboriuntur: prægnantis mulieris auiditas tenerum fœtum inficit rei exoptatæ notis: imaginatio demorsi à cane rabido, canis imaginem in vrinam imprimit. Gulosi vbi ferculum aliquod auidè appetierint, saliuam simili sapore inficiunt. Neque solùm intra hos admirabiles effectus operabitur species, quæ in anima est, sed etiam extrinsecus, scilicet in alienis corporibus. Fieri námque potest, vt æquè hæc disposita sint ad illas affectiones recipiendas; vt enim Petrus ad aliquem morbum paratus est, ita potest esse & Caius, cúmque à Petri corpore morbi obnoxio egrediantur vapores interno morbo affecti, eosdem in Caio extra, sicut in Petro intra effectus operabuntur, ita qui peste laborat, vapores emittit, qui alios infestant.

Plurimæ obiectiones Vanini.

Quòd si regulus spiritus aliquos eiaculatur, qui homines occidunt, si ieiuni hominis anhelitus nobis obest, mulieres menstruatæ speculum conspurcant; vetulæ per spirituum emissionem pueros fascinant, quid vetat, quin optimæ à natura complexionis homo possit vapores diffundere qui valetudinem alicui communicent? Nunquid homines lætabantur, & vigorem quendam imbibebant, qui ad Alexandrum accedebant, ex eo quòd eius corpus optimè redoleret? nunquid Galenus affirmat pulchri adolescentuli anhelitum optimam esse medecinam? Igitur concludendum est vehementem imaginationem, cui spiritus & sanguis obediunt, rem mente conceptam realiter efficere, non solùm intra, sed etiam extra; poterit ergo præpotens animæ de valetudine cogitatio sanitatis aliquid ægroto impertire, sicut & ægritudinis meditatio ægritudinem aliis inuehit, vt patet in fascinantibus.

Alexander.

Galenus.

4 causa in spiritus qui exhalantur.

Ea vero magis explicantur; imaginatiuæ facultati spiritus, & sanguis exancillãtur; idcirco læta imaginatio, qualis est sanitatis amico conferendæ, hilarem generat sanguinem, hilarésque spiritus, qui per afflatum è corpore expulsi, & ad infirmum ibi propinquum delati, valetudinem illi afferre poterunt; cùm enim optimi sint spiritus, vt rei qualitas ostendit, & præpotentes, vt vehemens imaginationis vis declarat, tetros, atque obscuros spiritus expellent, atque ita viuificabunt, & sanitatem inducent; nec mirum si hæc ab homine fieri possunt, cùm & aliqua brutorum cadauera, & herbæ illud efficere possint, quanto magis anima humana, quę in his inferioribus principem locum obtinet.

Si per syrupos, & cataplasmata potest æger conualescere, quantò faciliùs per vapores ab anima, cui omnia terrena inseruiunt, sanandi virtute imbutos, & ad ægrum transmissos? Spiritus immediata sunt, & proxima naturæ instrumenta, alia medicamenta mediante calore tantùm operantur, & in actum reducuntur; nec ita facilè ad partes interiores accedunt, quàm spiritus per se agentes, qui materiæ magis expertes sunt.

Adde quòd medica pharmaca, vt materiæ magis participantia, sensum violentiùs perturbent, ideóque multoties ægro dolorem inferunt, illi verò minimè: quapropter qui à pestifero inficiuntur, vix discernere queunt, à quibus contagionem attraxerint; quo fit vt celeriùs, & ordinatè magis in spiritibus, quàm in syrupis, & emplastris natura procedat. Ideo non est mirum, si Empyrici, imo litterarum omnino ignari plures ægrotos sanent, quàm scientissimi medici, nam præpotentis imaginationis effectus vt plurimum sunt in plebeis, & infimæ conditionis hominibus, vt pote magis credulis.

Occurrunt Athei obiectioni.

Obiicies Aristotelem, qui cùm in problematibus quæsiuisset, cur à morbis inficiantur, qui ægrotis appropinquant, cùm tamen à sanis nemo sanari possit; Respondet id fieri, vel quia morbus motio est, sanitas verò quies; vel quia vnum voluntariè accidit, aliud inuoluntariè; vel quia bona corporis animo non possumus immutare, licet animi bona possimus, nam exemplo melioris possumus assuescere, modò lætari, modò contristari, sanioris autem, vel pulchrioris exemplo, non possumus saniores, aut pulchriores effici. Sed contrà, nam animi accidentia sanitati, & ægritudini maximè conferunt, teste Galeno cæterisque medicis; quibus addit Conciliator propitium esse ægro cum bene habentibus immorari, vnde Prouerbium natum esse videtur; leprosi affectant cum sanis conuersari; confirmatur, quia ab homine siue sano, siue ægro continuò expirant, & exhalant vapores. Possunt igitur ab homine sano vapores propitij exire, sicut ab ægro spiritus nocui reuera procedunt, & euaporant; sic enim à pueris benè temperatis flatus aliquos redolentes sentimus, quibus non minus, quàm suauibus odoribus recreamur, qua ratione ferunt animalia Pantheræ odore mirum in modum oblectari.

Aristotelis quæstio.

Prouerbiũ.

Refellunt Aristotelẽ.

Nec obstat quod Aristot. in morbo motum pro causa communicatæ contagionis afferat, alioqui quando maior est motus, magis inficeret, quod falsum est: nam morbi calidi, quales sunt febres, quæ tanto motu nos concutiunt, vt aliquando vinculis

ægrotum

ægrotum detinere cogamur, præ cæteris astantes inficerent.

5 Causa in motrices intelligentias refertur.

Est & alia causa, in quam illas curas morborum Athei referunt nempe in intelligentias motrices, quæ hæc inferiora curant, maximè verò reges: quare vt ab omnibus deuenerentur, vel maiestatem in vultu, vel miram cooperandi facultatem eis partiuntur, vnde ranis perstrepentibus Augustus silentium indixit, atque illico conticuêre; sic & diuinitùs concessa est Galliæ regibus potestas, vt strumas è corpore propellant. Denique ea referunt in astra, quæ membra omnia effingunt, & eis diuersas virtutes impertiunt. Hæc sunt, quibus miracula, quæ præsertim in morborum fiunt curationibus, Athei elidere, ac proinde Deum extinguere conantur.

6 causa refertur in astra.

CAPVT XVIII.

Quòd miracula quæ fiunt in morbis curandis Deum esse probent, cum solutione rationum, quibus vtuntur Athei.

RESurrectio mortuorum in caput peculiare reijciendum est, quapropter hîc præsertim de miraculis cæteris agendum est, quæ in morborum curationibus & huiusmodi rebus fieri solent. Id verò præstitisse credidero, si probem illa miracula nec à proprietatibus occultis herbarum, lapidum, & animalium, nec ab humanæ naturæ proprietatibus fieri, nec in animam sensitiuam, aut eius phantasmata, atque species, nec in spiritus, & vapores à corpore exhalatos, nec in motrices intelligentias, nec in astra, neque in vllam aliam causam naturalem referri posse: hæc enim sunt, quæ tantùm obiiciuntur, quapropter si nihil ex istis miraculorum causa esse possit, quæ vel in morborum curationibus miraculosis, vel in aliis rebus contingunt, necesse est asserere, vel aliquam esse causam supra totam naturam altissimè collocatam, à qua tales effectus procedant, vel plurimos effectus esse sine causa efficiente, quod manifestam repugnantiam inuoluit; quæ vt conuenientiùs peragantur, imprimis de lapidum, herbarum, & animalium virtute dicemus, deinde vires animæ, eiusque phantasmatum, atque specierum perscrutabimur. Tertiò de vaporibus illis, & de spiritibus agemus, qui à corporibus euaporantur. Quartò de motricibus intelligentiis, earumque virtutibus. Quintò de virtute sydèrum in miraculis efficiendis. Sextò denique de cæteris causis naturalibus, ad quas Athei recurrere possent.

Sex enumerantur quę discutienda sunt.

Miracula non posse refundi in virtutem lapidum, herbarum, aut animalium.

CErtum est Deum multiplices virtutes tam lapidibus, quàm plantis, & animalibus indidisse, vt experientia quotidiana constat, vbi medici lapidum, & herbarum aquam, cinerem, & alia virtute ignis expressa infirmis suggerunt, alioqui medicina rueret: certum est tamen multas virtutes illis omnibus tam à Plinio, quàm à cæteris scriptoribus assignari, quæ fictæ sunt, & nullæ, non quòd non plurimas virtutes habeant, quas ignoramus experientiæ defectu, sed quia nos docet experientia non pauca falsa esse ex iis, quæ referunt, vt in herbis, & lapidibus facilè deprehendes, in quibus nequidem virtutum, atque proprietatum vmbram deprehendes, quas illis rei naturalis scriptores tribuunt.

Id obsecro semel, & iterum experire: volunt symphytum maius ita consolidare, vt hepar alicuius animalis in mille partes scissum in integrum restituat, si cum hepate bulliat; adamantem adeò durum affirmant, vt eum super incude positum nullis malleorum ictibus frangere valeas, quibus nescio quid magis falsum afferri possit. Omitto cætera, quæ per te in Plinio, Dioscoride, Dalechampio, & aliis falsa deprehendere poteris.

Ratio verò quam à priori vocare possumus, cur illæ curationes in istiusmodi causas referri non possint, est, quia modus quo curationes istæ fiunt, naturalium causarum vires excedit, quæ non possunt in instanti sanitatem restituere, tametsi morbus sit eiusmodi, qui sanari possit: cùm enim tantùm per qualitates suas siue primas, siue secundas, siue manifestas, siue occultas operentur, necessaria est alteratio præuia, vt morbi causam ex infirmo corpore expellant; tametsi enim quædam in herbis, & lapidibus virtutes reperiantur, quas formæ proprietates appellare possumus, quæ vt agant in aliud, nec alterationem, nec tempus requirere videantur, vt patet in magnete subitò ferrum ad se trahente; attamen non inde sequitur ad morbos curandos aliquas causas naturales dari posse, quæ in momento depellant infirmitates; enimuero discrimen illud est, quod in illis magneticis, atque id genus actionibus non sit necessarium, vt primæ qualitates, & rei agentis, vel patientis temperies immutentur; quod tamen omnino in morbis persanandis contingere debet, quandoquidem morbi contingere solent ex humorum perturbatione, & alteratione, vel superfluitate nimia, ideóque vel ad pristinam crasin, atque iustitiam reducendi sunt, vel superflui eijciendi; quod profectò eò difficilius est, quò magis omnes corporis particulas humores illi penetrant, adeout necesse videatur, vt medicinæ infirmo exhibitæ illas omnes partes, & earum recessus quamuis angustos peruadant, & sanitatis aduersarios intus reconditos euocent, & eijciant.

Quod experientia quotidiana probat: nam singuli, non tantùm affecti morbo, sed qui medicina vtuntur, vt futuros morbos caueant, satis periculo suo persentiscunt, quæ bella, atque prælia inter medicinam, & humores committantur: quod non tantùm methodicis, atque dogmaticis medicis, sed

& empiricis, & alchimia vtentibus cõtingit, quorum remedia ſæpiùs morbo correptos in eum ſtatum redigit, vt nullo deinceps remedio vti valeant. Fabulas igitur te audire exiſtimes, cùm aliquæ curationes ſubitæ in has, aut illas plantas, in lapides, aut animalia referuntur.

Sed neque cedimus Atheis, ſi quæ darentur, quę iſtiuſmodi curationes efficerent, quippequæ virtutem ſuam ab aliquo alio hauriant, à Deo nimirum, qui ſingulis herbis, lapidibus, & cæteris creaturis peculiares proprietates indidit, quibus in ſe diuinæ bonitatis veſtigium oſtenderent; hinc omnia certum in ſe diuinitatis teſtimonium, atque bonitatis æternæ characterẽ præferunt, ſuóque modo clamant, *Ipſe fecit nos, & non ipſi nos*; ab eo ſumus, & habemus, quicquid ſumus, & habemus.

Verùm illud minimè concedendum eſt, quandoquidem herba nulla, imo nec vlla creatura verum miraculum efficere poteſt; nam omnis creatura naturalis eſt, quæ proinde viribus ſuis nihil peragit, quod naturæ ſuæ vires tranſcendat. Quapropter quoties contingit miraculum, etiam ſi lapis, aut planta vulneri perſanando applicetur, quod nonnulli ſancti feciſſe leguntur, vt ſuam ſanctitatem abſconderẽt, & ne quid vanæ gloriæ ſubreperet, non ideo tamen lapidi, vel herbæ miraculum tribui debet, ſed Deo vt agenti præcipuo, qui ſæpe tamen ſanctis quibuſdam vel eorum reliquiis vtitur, vt miracula varia efficiat, quos adeo diligit, vt aliquo modo ſuæ participes omnipotentiæ efficiat; ſic enim honorabitur, quem rex honorari iuſſerit.

Profectò non parum demiror Atheos, qui ne Deum eſſe fateantur, in abrupta præcipites abeũt, & ipſa miracula in plantas, lapides, & animalia referunt, quos ſatiùs fuerit, lapides, aut plantas eſſe, quàm homines, vt miracula tunc poſſint edere, quæ tollunt, atque deſtruunt, quandiu ſunt homines.

Dic mihi, quiſquis es, ſi tantam virtutem habeãt plantæ, cur illis non vteris? cur non hydrophoniam, lethargum, epilepſiam, febrim quartanam vna ſaltem herba morbis illis applicata, cur alias hominum infirmitates non curas, non perſanas, non diminuis?

Itaque falſum eſt omnino vllas plantas, vel etiam alia mixta eſſe in rerum natura, quæ miraculum vllum facere, aut morbum à tota natura deſperatum expellere valeant; illa ſiquidem omnia, quæ totus orbis terræ ſinu ſuo complectitur, vires ipſius naturæ minimè ſuperare poſſunt, quandoquidem ipſius naturæ partes ſunt integrantes. Hinc neceſſariò concludendum eſt, quamlibet ſubitam morbi deſperati curationem, vel etiam morbi non adeò periculoſi depulſionem, ſed quæ promptiùs contingat, quàm vt illud à vi medica plantarum, aut mixtorum quorumlibet interuentu fieri poſſit, in miraculum eſſe referendam; quod cum à ſolo Deo fieri poſſit, reuera quælibet miraculoſa valetudo Deum eſſe conuincit.

Nec obſtant exempla, quæ ſumuntur ex Magnete, Sapphyro, Rheubarbaro &c. tametſi enim Magnes ferrum in inſtanti trahere videatur, ſicut & Succinum, atq; purgatiſſima Chryſtallus paleam; attamen ſi Sapphyrus anthraces ſanat, id neque momento præſtare poteſt, neque alia naturalia remedia deſunt, quibus expelli poſſit: eſt verò conſpicuum, quantum tempus Rheubarbarum inſumat in melancholia deturbanda, quod & Athei fatentur; nam conuincit experientia, cui ſolùm innituntur, illud in vapores à calore ſtomachi priùs eſſe conuertendum, quàm vt agat; & fieri poteſt, vt minimè proficiat corpori nimis cacochymo.

Magis vrgere videtur, quod de rebus per occultas proprietates agentibus afferunt, vt de Remora, Torpedine, & ſimilibus, quorũ inſtar exiſtimant, vel potiùs fingunt herbas, & alia mixta morbos momento fugare poſſe. Verùm id quibuſdam ſaltẽ exemplis, & veris hiſtoriis comprobandũ fuiſſet, quod nunquam facient; quis enim vnquam morbum aliquem ſolo plantæ, vel mixti alicuius contactu depelli vidit? Nunquid humores noxij tollendi ſunt, nunquid vitales, & animales ſpiritus reſarciendi, ſanguiniſque, & aliorum humorum ſolita quantitas priſtinę valetudini neceſſaria priùs reſtituenda eſt?

Quæ profectò non paruum temporis interſtitium poſtulant, vt experientia quotidiana cernimus, & apud omnes in confeſſo eſt. Faceſſant ergo nebulones iſti cum ſuis proprietatibus occultis, quas ſicut in permultis reb⁹, immo, ſi placet, in omnibus creaturis admittimus; ita negamus vllam eſſe plantam, aut ſimile quidpiam in rerum natura, quo morbi illi depelli poſſint, quos miraculo ſolo curari poſſe contendimus, vel ſi remedio quodam naturali tolli poſſent, minimè tamen puncto temporis.

Sed neque illis proderit, ſi natura plantas huiuſcemodi ſuggerat, quia ſemper ad illarũ authorẽ recurrendum eſt, quoniam à ſe ipſis eſſe nequeunt, ſicut neque terra, vel aqua, è quibus oriuntur, neque cœli, quorum virtute producuntur: deinde nullæ plantæ ſæpius adhibentur, neque vllæ aliæ cauſæ naturales, vbi diuina virtute morbi pelluntur, ſed vel ſolæ preces, quibus à Deo ſalutem, atque valetudinem infirmi poſtulamus, & impetramus, vel aliquod votum, quod nos omnipotenti, & clementiſſimo Domino libenter obſtringimus, ſi hunc aut illum morbum, hoc aut illud periculum à nobis depellere, aut nos ex vrgenti tribulatione eripere voluerit. Quapropter etiam ſi proprietates occultas in mixtis aſſereremus, non ſolùm quibus morbi expelli, ſed quibus vita mortuis reſtitui poſſet, id nihil Atheos iuuaret, quandoquidem non applicantur, dum ipſe Deus valetudinem reſtituit; & illæ nos ad Deum adducerent, à quibus omnes creaturæ virtutes ſuas accipiunt. Iam verò ad ſecundum caput accedo, ad quod Athei gratis recurrunt, vbi pauca ſubiunxero de Magnete, & Remora.

De

De Magnete & Remorâ, quibus vtuntur Athei in suis paralogismis, dum contendunt morborum curationes, quas miraculosas appellamus, vires naturæ non excedere.

Galenus.
Plato.
Plin.
Theodorus.
Prosper.
Ruffin.
Isid.
Nicephor.
Augustin.
Suidas.

CVm Magnetem toties in exemplum atque cõfirmationem suorum argumentorum Athei proferant, operæ pretium est vt de virtute, atque proprietatibus illius nonnulla referamus, in eo siquidem plurimæ δυνάμεις, seu ἄῤῥητοι ἰδιότητες, i. occultæ vires agnoscuntur. Hunc autem lapidem antiqui cognouerunt, vt patet ex Galen. l. 6. de facult. simplic. medic. Platone in Ione, & Timæo. Plinio l. 36. c. 16. & aliis pluribus, qui multa de eo referunt, præsertim verò, quòd ferrum ad se pelliciat, adeout Ioan. Israël, & Ioan. Theodor. l. de origine, & increm. regni Turcici referant sepulchrum Mahometis in templo Mechæ vi magnetis in tecto collocati in aëre suspendi: cui quidpiam simile refert B. Prosper 3. p. lib. de prædest. in templo Serapidis apud Alexandriam contigisse, in quo quadriga ferrea in aëre penderet ope magnetis cameræ affixi, qui dum semotus est, quadriga cecidit, & confracta est, videatur Ruffin. 2. hist. Eccles. c. 23. Isid. 16. Orig. c. 4. Idem ferè quod Prosper habet Nicephor. 15. hist. Eccl. c. 8. & D. Aug. 21. de ciuit. Dei c. 4. Plinius verò refert 34. l. c. 14. Dinocratem architectum Alexandriæ Arsinoës templum concamerasse, vt simulachrum eius in aëre penderet. vide Suidam in verbo Μαγνῆτις.

Vnde Magnes ita vocetur.
Varia eius nomina.

Magnes autem dictus est vel ab inuentore, quem Plinius bubulcum ex Nicandro refert, cuius crepidarum claui, & baculi cuspis hæserint in area magnetica, dum armenta pasceret; vel à Magnesia regione Macedoniæ magnetum feraci; aut Magnesia vrbe Asiæ minoris in Ionia; Vocant etiam Heracleum, & Herculeum ab vrbe Heraclea, vel Hercule, quia in ferrũ rerũ omniũ domitorem potestatem suam exerit. Dicitur Syderitis, seu Ferrarius à ferro; quem apud Sinas egregium esse, & ab Ægyptus nomine ossis, *ori* vocatum aiunt: orum enim appellant vim solis conuersiuam, quam græci dicunt Apollinem.

Species Magnetis quot.

Quinque magnetis species ex Sotaco, Plin. refert, vnde prisci ex colore distinxerunt, nam in Magnesia, & Macedonia russos, & nigros; in Bœotia magis russos; in Troade nigros sine viribus, in Magnesia Asiæ candidos sine viribus pumici similes: in Orientali India, China, & Bengala ferreos, fuscos, & calore sanguineo, vel rocineris progigni dixerunt, inter quos hi vltimi magni sunt, & præstantissimi, vt patet ex eo, quod dum vnius libræ pondus habet ferri libram, vel semilibram, aut 4 saltem vncias in sublime trahat.

Quod ad duritiem attinet alij sunt friabiles, alij in optimum ferrum funduntur; alij densi, & duri, vt smyris, alij molles, & rari, vt pumex; alij mollescunt instar argillæ; Denique pro varia regione & soli natura, ac humorum mixtura dissimili varij magnetes reperiuntur, adeout vix sit vlla regio in qua Magnetes non reperiantur, si quis altè foderit:

Gilbertus.

Notat Gilbert. l. 1. c. 2. de magnete, alium esse lapidem argento, vel amianto similem, qui Magnes appelletur. Ipse verò Magnetem vult instrumento versatili, quo crystallus rotundatur, sphæricum reddi, vt sit terræ similis, & μικρὸγῆ seu terella veluti magnæ terræ homogenea, eiusque soboles appelletur.

Quo artificio per ferreum filum, vel acum, aut per versorium, in quo sit ferrum magnete tactum, in magnete duos polos, septentrionalem, & australem deprehendit, quia ferrum illud magnete excitum, ad diuersa loca traductum semper circulum meridianum describit, donec in ipso polo ad perpendiculum excitetur. Antequam verò Magnetis proprietates referam, breuiter excutio, an virtus Magnetis, qua nauticas acus ad Septentrionem conuertit, ab antiquis cognita fuerit, necne.

Quãdo virtus ad polũ se conuertens cognita fuerit.
Ioseph A costa.
Turneb.

Acum magneticã, siue nauticam recentem esse, nec priscis temporibus inuentam plurimi asserunt, & apud Melphitanos à Ioanne Goia anno 1300 repertam; huius sententiæ sunt Ioseph. A costa. 1. hist. Indic. c. 16. Mariana 1. de reb. Hisp. c. 22. Maluedaz. de Antichristo c. 24. Gomara tomo. 1. Indic. hist. c. 10. Turnebus 20 Aduersar. c. 20. Guido Pancirola in suis nouis repertis tit. 11. Philander l. 10. in Vitruu. c. 14. Lil. Giral. l. 1. de nauig. c. 1. Gilber. 1. de Magn. c. 1.

Leuinus.
Eccl. 1.
Plautus.
Isidor.
Cameos.
Laërtius.

Attamen non desunt, qui contrariam sententiam tueantur, vt Leuin. Lemn. l. 3. de occult. natur. mir. c. 4. Cœlius Calcagn. in sua supellectile nautica, vt verum sit, quod habet Eccles. c. 1. *Nihil sub sole nouum, iam enim præcessit in seculis, quæ fuerunt ante nos:* quod ex Plauto in Mercatore cõfirmant, qui de acu versoria meminisse videtur, dum Eutychus ita loquitur. Cape modo versoriam, hic Fauonius serenus est &c. ita sentit eius interpres Ioan. Baptista Pius; quam tamen versoriam contum, vel trudem intelligunt aliqui, quibus nauis in hanc, aut illam partem verteretur: alij propedem malunt intelligere, quo pes veli tenditur, de quo Isidor. l. 19. c. 4. alij denique interpretantur de reditu, vt cape versoriam sit idem, ac reuertere, & aliam viam arripe. Pineda verò à Salomone nauticam istam cognitam fuisse arbitratur l. 4. de rebus Salomon. c. 15. Vbi refert ex nauigatione Aloysij Cadamusti c. 55. ad insulas Calecur naues sine ferro confici ob ingentem magnetis copiam: videatur Ioannes Cameos in Solini commentar. c. 65. Qui verò negant pyxidem in vsu fuisse, aiunt aspectu stellarum vrsæ minoris in altum nauigasse, quod Laërtius in Thalete Phœnicibus tribuit; Arrianus verò in Periplo ventorum ductu nauigasse refert Hippalum: Cùm autẽ nauigatur in Taprobanam, volucres duces esse dicuntur, tunc enim non videtur Septentrio; vide Plin. l. 6. c. 22. & Martian Capell. l. 6.

Iam verò ad Magnetis proprietates accedamus, quarum.

Prima proprietas Magnetis.

Prima est, quòd ferrum attrahat: siquidem omnes, quotquot de Magnete locuti sunt, vim illam ei inesse dixerunt, vbi aduertendum est, lapidis istius virtutem exaltari posse: vt si ex hypothesi libram, vel vnciam ferri in altum leuare possit, vbi medicina roborans adhibita fuerit, in decuplum fortior euadat, quod licet Gilbertus Paracelsi vocet imposturam, fatetur tamen eius virtutem au-

geri poſſe, niſi antea ſummè perfectus eſſet.
Quinque modis fortior reddi poteſt magnes. Modus autem eſt quintuplex, quo id fiat, primo
ſi magnetem igne carbonum, vel cineribus calidis
ſemicandefacias,& ſtatim in oleo croci Martis ex
optima Carynthia acie facto, vel in quouis Martis
croco extinguas, tunc enim crocum illum imbi-
1. bet, adeout clauum è pariete extrahere valeat;
2. caue tamen ne in oleo extinguas, ne virium inſita-
rum iacturam faciat.

Secundus modus eſt, vt acie poliatur, & emen-
3. detur: hinc enim fit, vt in ferri, vel chalybis ſcobe
obrutus vires conſeruet.

Tertius eſt, ſi aduerſa parte ſupra polum alte-
rius, fortioris præſertim confrices, hinc enim vir-
tutem concipit; vel etiam imbecilliorem fortiori
iungas, qui fortior magis allicit validum, quàm im-
4. potentem.

Quartus modus eſt, ſi caſſide, ſeu glande ferrea
magnes armetur, tunc enim 12 vncias, imo & 20
trahere poterit, cùm antea ſolùm 4 eleuaret. Vbi
videbis 2 armatos naſis ferreis, conuenientibus
polis, attrahere ſeſe mutuò: ferrum etiam, quod
ab armato trahitur, firmiùs ei inhæret, quàm iner-
mi, niſi charta interpoſita fuerit, vel aliud inter-
medium, tunc enim magnes armatus non plus at-
tollit, quàm inermis.

Præterea ferramentum in pari diſtantia moue-
tur ab inermi: nec armatus ferrum maiori vigore,
5. ſiue vt aliud ferrum trahat, ſiue vt ad polos con-
uertatur, quàm inermis afficit.

Quintus modus eſt ſi ferreo malleo tandiu ma-
gnetem minuamus, donec lineam meridionalem,
ſiue ſeptentrionalem repererimus, quæ vbi in-
uenta fuerit, tantæ virtutis eſt, & tantùm exaltari
poteſt, vt non ſolùm vigecuplo, ſed centuplo, ne
millecuplo dicam, eius virtus multiplicari poſſit,
non tantùm vt ferrum trahat maioris ponderis,
quàm antea, ſed etiam vt illum à maiori diſtantia
commoueat.

Et quidem mihi Nauarcha quidam aſſeruit ſe à
Arcanum mirabile. 500 ſaltem paſſibus acum pixidis, magnete prædi-
cta ratione parato, mouiſſe.

Quapropter contendebat vim illam in tantùm
exaltari poſſe, vt acus magnete excitas à 100, vel
1000 leucis mouere poſſit: qua induſtria poſſent
amici de totius mundi rebus ſe temporis momen-
to certos facere: nam vbi quis alium vellet alloqui,
deberet tantum aliquo indice, vel rota vti, in qua
literæ in circulum diſponerentur, per quas Ma-
gnetem ſuum duceret, quem ſuper literis firmaret
is, qui ſecreta ſua amico reuelare vellet; vbi enim
amicus abſens acum ſuæ rotæ, vel horologij alteri
ſimilis titubare deprehenderet, tantùm literæ ani-
maduertendæ eſſent, ſuper quibus acus ferrea fir-
maretur, quaſi chartæ inſcriberet, verba forma-
ret, quibus tunc amicus ſignificat ea, quæ fiunt in
illo terræ tractu, in quo verſatur. Magnum reuera
ſecretum, ſi verum, ſed illud omnino fabuloſum
eſſe credidero.

2 Proprietas. Secunda proprietas eſt, quòd magnes non tan-
tùm ferrum, ſed etiam alium magnetem ex vna
parte trahit, fugat ex alia: nam ſi polum meridio-
nalem vnius alterius polo ſeptentrionali applices,
illum attrahet: ſi verò ſeptentrionalem ſeptentrio-
nali ſeſe fugabunt; vnde patet contrarios po-
los ſeſe allicere: hinc fit, vt ſi polum ſeptentrio-
nalem tropico Capricorni, vel cuiuis puncto inter
Æquatorem, & polum meridionalem alterius ap-
plices, ſtatim polus meridionalis conuertitur, & ſe-
ptentrionali polo alterius firmiter cohæret, atque
combinatur: è contrario verò, ſi tropico Cancri
applices: quæ vt deprehendantur, natantem vnum
in aqua collocare debes, & alium præ manibus ha-
bere. Quod ſi magnetem ſecaueris in duas partes,
pars extrema, in qua prius fuerat polus ſeptentrio-
nalis, erit polus auſtrinus, & qui prius erat auſtra-
lis, aquilonaris fiet, atque adeò duæ illæ partes ſe
inuicem per illas partes allicient, in quibus facta
diuiſio, ac ſi lapis ſeipſum redintegrare vellet.

Huc referri debet, quòd venam ferri, ſi diues eſt,
attrahat, non tamen, ſi ferax non eſt, allicit, niſi
præparetur illa vena, ſeu materia ferri. Alias pro-
prietates breuiſſimè contraho, vt pote minus re-
ceptas.

Tertia proprietas albo magneti ſolummodo
congruit, quo ſi gladij acies excita fuerit, tametſi 3.
brachio, vel manui, vel alteri parti tui, vel alterius
corporis inferas, ſanguis non emittetur, ſed aufu-
giet; quod aliquis vir pius, & peritus ſe expertum
fuiſſe mihi affirmauit, nolim tamen id experiri.

Quarta, capiti fœminæ adulteræ dormientis ſub- 4.
ditus eam è lecto deturbat, quod falſum aſſero.

Quinta, ſuo fumo furibus vſui eſſe aiunt, quia
ſeras aperit, quod dum expertus fueris, credito. 5.

Sexta, ferrum à magnete tractum, nihil ei pon-
deris affert, adeout ſi 10 libras pendet, eique libra 6.
ferri addatur, non magis, quàm antea grauitet: vi-
deatur Ioan. Tzezes chiliad. 6. hiſtor. c. 66. vbi 4 Tzezes.
proprietatem refert, additque rogatam adulteram
ſua peccata exponere, quæ ſi fuerit immunis à
peccato, te complectatur: quam etiam vim ranis,
& anſeribus tribuũt, vt dormientes homines pec-
cata ſua detegant, quod falſum eſt, & ſuperſtitioſũ.

Septima proprietas eſt, quam multi veram af- 7.
firmant, nempe quod allio, vel cæpis, aut hirci
ſanguine linitus; vel adamanti proximus, ferrum
non attrahat: quæ negat Gilbert. de Theamede, Theamedes.
quæ ferrum omne abigit, vide Plin. l. 36. c. 16. & l. 2. Plin.
c. 96. de Parebo ligno, cuius vel digiti longitudo Parebus.
omnia ſibi vicina trahat, lapides, aurum, æs, &c.
longitudo cubitalis oues, boues, & aues, & alia ani-
malia ad ſe pelliciat, & de Pantarba gemma ſigil- Pantarba.
lari ſigillares 77 gemmas, & lapides pretioſos in
flumen coniectos ſibi mutuò connexos, ac ſi vim
primo indidiſſet ad trahendum ſecundum, ſecun-
do ad tertium, & ſic deinceps, attrahente, vide Photius.
Photij Bibliothec. in Cteſia, & Heliod. in Æthiop.
ac Philoſtr. 3. de vita Apollonij.

In octaua proprietate magnetem album pro a- 8.
moris philtro collocant: qui ſi teneatur in manu, Hali.
inquit Hali, dolores pedum, & ſpaſmum curabit:
gratum etiam principibus facit, & eloquentem, ſi
Pictorio credimus.

Nona, magnes liberatur per ſanguinem hirci ab 9.
adamantis veneficio.

Decima, liberat fœminas à veneficio, dæmonéſ-
que fugat, ſi ſuperſtitioni fidem adhibere liceat, & 10.
Arnoldus de Villa Noua non mentiatur.

Vndecima, Marbodæus Gallus ait magnetem 11.
poſſe maritos vxoribus conciliare, & reuocare, ſed
præcentorem vanitatum iure illum Gilbertus ap-
pellat, & illud falſiſſimum experientia deprehendi
poteſt.

Duodecima, magnes in echeneidis ſale aſſerua-
tus aurum quod in altiſſimos puteos deciderit, ex- 12.
trahit, ſi Cælius Calcagninus verum aſſerit.

De

De Decimatertia proprietate Magnetis, quæ est vt ad polum septentrionalem se, ac ferrum excitum dirigat, & quænam sit istius rei causa, cúrue ferrum attrahat, déque cæteris proprietatibus vsque ad trigesimamprimam.

13. DEcimatertia proprietas æquè fuit incognita veteribus, ac prima cognita: Itaque polus septentrionalis lapidis vergit ad polum meridionalem cœli,& terræ; & polus meridionalis ad polum septentrionalem, siue poli in aliquo vase fluitante ad planum horizontis disponátur,siue supra planum horizontis octoginta gradibus eleuétur: certa id experientia constat, verùm ratio difficillima est, quam dum aliqui inuestigarunt, ad quasdam septentrionales insulas ex magnetibus constitutas retulerunt, ad quas aspiret, vt lapis ad centrum, & aquæ ad mare; alij referunt ad vltimam stellæ vrsæ maioris,alij ad stellam polarem; sed minus benè sentire videntur, aut saltem non exhauriuntur omnes difficultates: nam si trahatur magnes à stella polari, cur aliquando declinat ferrum excitum à septentrione per 12, aut 22 gradus? si à stella vrsæ, quæ est in cauda,cur non mouetur, vt illa stella, quæ quotidie suum cursum peragit? Hinc fit, vt nulla ex istis causis sufficiens esse videatur. Aliam rationem Gilbertus assignat, cui non parum fauet Campanella l.1.de magia,id nempe ab ipsa terra procedere, quæ sit instar ingentis magnetis,supponit enim illam moueri,de quo nos alibi diximus. Vult enim ad telluris normam, positionem, habitudinem,verticitatem,polos,æquatorem, horizontes,meridianos,centrum,peripheriam, dimetientem, & totius interioris substantiæ formam omnes motiones magneticas discuti.

Et quidem non displicet, quòd aliorum opiniones relinquat, qui ad punctum attractiuum vltra cælos constitutum recurrunt, vt Martinus Cortesius: vel ad cœlestium polorum directionem, vt Petrus Peregrinus: vel ad stellam caudæ vrsæ maioris, vt Cardanus: vel ad polum Zodiaci, vt Bessardus Gallus: & causas propinquas peregrinis,& remotis anteponat, licet eius sententia non careat difficultatibus;ad quam reuocatur illorum opinio, qui Magnetem arbitrantur circa terræ polos conuerti, quia hanc in minera sua dispositionem habuit, adeout in quouis Magnete, cuiuscúnque magnitudinis, & figuræ fuerit, linea meridionalis statuenda sit,& reuera deprehendatur in illis partibus, iuxta quas, cùm adhuc sub terra lateret, ad polos dirigebatur.

Maior autem difficultas apparet, curnam magnes,aut ferrum excitum statim à polo septentrionali versus Eurum, statim versus occidentem deflectat,cùm illi montes magnetici, quos nonnulli, vt Frocastorius in illis Euri, vel occidétis partibus constituunt, fabulosi videantur: Ideóque recurrunt alij ad inæqualitatem eminentium terræ partium,itaut cùm aliquis nauigat in oceano,si ex parte Euri sit maxima terræ pars,& eminentior,quàm in occidente, polus septentrionalis magnetis tenui filo suspensi, vel ferri exciti versatilis, ad Eurum conuertatur, & à meridiana linea demet alicubi per dimidiam aut quartam rumbi partem, alibi verò per rumbum integrum: In Anglia Londini variat vndecim gradibus ⅓; sed non possunt regulæ certæ pro toto mundo præscribi; quia partes maritimæ inæquales sunt, & pro diuersis promontoriis,sinubus,& montosis regionibus inæquales variationes contingunt.

Verùm insignis nauta mihi sæpius contrarium expertum fuisse dixit, in mari præsertim Mediterraneo, in quo statim à polo gradus 7, statim 12,statim 22 deuiaret, nec in locis Libano propinquioribus ad eum montem altissimum acus magnetica vergeret; quocirca multis opus esset experientiis, vt vera ratio reperiri posset, cur acus illa statim in vnam partem, statim in aliam vergens, his, vel illis gradibus à polo variet.

Notandum est autem in diuerso mari variè deflectere magnetem, nam superato freto Magellanico in littore Peruuiæ ad Euronotium. i. à meridie versus ortum deuiat, vsque ad æquatorem: in littore Australis Americæ declinat à meridie versus occidentem, idque magis, quo magis ab æquatore recedit, In mari Siculo vsque ad meridianum Peloponnesi versus orientem græcizat. i. à polo versus Boream tendit: in littore Peloponnesiaco verum polum respicit; vlteriùs cùm progreditur aliquis, Eurum versus maiestrat i. à polo in ventum Corum inclinat. In orientali oceano cùm Lusitani ad Brandaonem insulam peruenerunt, versorium 22 gradibus in Zephyroboream diuertere aiunt; quos tamen Gilbertus erroris arguit.

Præter illam variationem declinat acus ab horizonte,quæ sicut est librilis, seu in æquilibrio, dum est in æquatore telluris,vel terellæ,& perpendicularis in ipsis polis, ita quo magis ab æquatore recedit, eo minus horizonti parallela est, & magis obliqua: ex quibus alias proprietates elicimus, vt iam decimaquarta numero esse possit, quòd à polis variet. 14.

Ex ea variatione 15 proprietatem inferrem, si verum est, quod habet Cardanus l. 5. de proportionibus,nempe variationem ferri magnetici semper esse 9 graduum à vero septentrione in Eurum; hinc enim concluderemus distare gradus 9 centrum mundi à terræ centro. 15.

Decimamsextam etiam concluderem cum B. Porta c.38. l.7.de magia,videlicet terrestrem longitudinem ex variatione notari posse, si ferrũ magneticum tanto magis versus orientem deuiaret, quanto propinquius fieret orienti, & tanto magis ad occidentem, quò magis ad occidenté pergeret, sed id falsum esse contendit Gilbert. aduersus Liuium Sanutum. 16.

Decimaseptima proprietas est, illa declinatio ab horizontis parallelismo, seu ferri magnetici circa terræ,vel terellæ centrum veluti reflexio, atque recuruatio; ex qua 18. proprietatem habemus, nempe terrestrem latitudinem, & eleuationem poli, quam ex illa declinatione reperiri posse Gilb. contendit,& l.5.se demonstrare putat. 17. 18.

19 proprietas erit, variatio declinationis, quæ tamen longè minor est, quàm variatio directionis; quarum alterutra sine alia contingere potest. 19.

20. est, quod magnes actum suum formalem sphæricè effundat, quod Gilbert. 5. de magnete. l. c. 20.

21. per figuram explicat; quique Thaleti, Heraclito, Anaxagoræ, Archelao, Pythagoræ, Empedocli, atque Platoni subscribens, qui vniuersa viuere dixerunt, magneti tribuit animam, ne ab Hermete, Zoroastro, & Orpheo dissentire videatur, qui vniuersalem agnoscebant animam: quod si verum esset, id pro 21 proprietate numeraremus, sed huius animæ refutatio ad alterum locum pertinet.

22. 22. proprietas est, vt dum ignis calore magnes extinctus est, si quid virtutis in eo residuum sit, aspersione olei magnetici vires suas pristinas resumat.

23. 23. aliqui subiungunt, quòd nimirum suspensus filo tenui spatio 24 horarum totus conuertatur, ac si alicuius cœli instar cursum perageret. Alias etiam proprietates ex medicis afferre possumus, inter quos Galenus similem Æmatitæ vim obtinere scribit. Dioscorides verò crassos humores elicere, si trium obolorum pōdere cum aqua mulsa detur: ita 24, & 25 proprietatem habebis. 26. mentem turbat, melancholicos efficit, & sæpius interimit, vt quidam affirmant, licet Garcias ab Horto neget esse deleterium; imo refert ex Indiæ orientalis incolis magnetem pauca quantitate sumptum adolescentiam conseruare, adeout Zeilam rex patinas ex magnete confici iusserit, vt in illis cibus eius coqueretur: hæc igitur sit 27. proprietas. 28 aluum subducit, & fluentem sistit, attamen ventriculum corrodit, quamuis alij putrescentia viscera ab eo corrigi putant. 29. conuenit rupturis firmandis, non autem ferro ex vulnere extrahendo, nisi magnes sit integer, alioqui comminutus spicula potiùs in vulnere confirmat. 30, quidam ad capitis dolores conferre, & hydropicis prodesse aiunt, quod negat. Gilb. Denique emplastrum Nicolai diuinum; Augustanorum emplastrum nigrum ad recentia vulnera, & puncturas vtiliter, & Paracelsi fodicationum emplastrum ingreditur.

Galen. Dioscorid. 24, 25. 26. Garcias. 27. 28. 29. 30. 31.

Superest, vt aliqua dicamus, cur magnes ferrum attrahat; quod etiam de electro paleas attrahente quæri posset: sunt & alia, quæ vel argentum, vel ignem, vel lignum attrahant; naphta enim alba ignem allicit; & magnetes affert Frocastor. & Card. qui argentum, & carnem alliciant, quod refellit Gilber. tametsi Cardanus ex eo magnete, quem putat argentum trahere, virgulam ferream fabricari posse dicat, quæ, cùm versitalis erit, ad argentū sepultum conuertetur, vt quispiam thesauros absconditos eruere possit. Sunt alia multa, quibus aliquid trahi dicunt, quæ quia ferè incerta sunt, omitto; sic enim à Catochite carnem attrahi, & manus retineri aiunt Plin. & Solin. à Sagdo lignū allici: ab Amphitanae, aurum, ab argento viuo cætera metalla trahi Fallopius existimat: vbi notandum est plurimos circulatores cum argento viuo fallere: nam cùm ramenta quædam auri ad se traxit, in eo veluti absorbentur, nec percipi possunt: quapropter facillimum est, vt decipiant incautos, & vbi hydrargyrum in fumum abiit, ramenta illa in auri massam conflata pro auro arte confecto iactent.

Quomodo thesauri inueniantur ex Cardano. Fallop.

Igitur ratio cur magnes ferrum attrahat, à quibusdam assignatur similitudo, quæ est inter ferrum, & magnetem: sed illud minimè satisfacit, quia ferrum est similius ferro, quàm magneti, nec tamen illud attrahit; alij recurrunt ad vrsam cœlestem, à cuius virtute tam magnes, quàm ferrum

Variæ rationes cur magnes ferrum attrahat. 1.

regantur, ita tamen vt magnes primum ordinem obtineat, at illud diuinare est. 2.

3. dicunt spiritus quosdam emitti à ferro, & magnete, qui in aëre ita sibi coniungantur, vt ferrum amore magnetis allectū ad eum pergat, ac si sciret in vnione ista suam inesse fœlicitatem, atque conseruationem, adeout velint ferrum ad magnetem, velut ad matricem, aut vt puerum ad mammas accedere. 4 volunt magnetem non attrahere ferrum, sed aërem ab eo, & à ferro propelli, atque adeo lapidem, & ferrum ad se inuicem accedere, ne detur vacuum, quod Platoni tribuunt in Tim. 5 qui putant animatum esse magnetem, aiunt, vitam suam ferro communicare, quam statim atque in se ferrum diffundi percipit, ad magnetem tanti doni authorem recurrit, ac si ei gratias ageret, seque in obsequium traderet. 3. 4. 5.

Sanè licet certam huiusce attractionis rationem assignare non possimus, certum est tamen magnetem non solùm ferrum trahere, sed etiam ei vim aliquam permanentem communicare, & vim suam magneticam in illud transfundere, vt constat ex ferro accito, quod alia ferramenta ad se, cathenæ instar, allicit, vt experientia quotidiana conuincit, & D. Aug. meminit, & exhorruit l. 21. c. 4. vbi, arbitratur adamantem impedimento esse magneti, ne ferrum attrahat: & Viues refert adamantes, qui fœrificent, & alios pariant: quod non est ita rarum, quin apud Plin. l. 10, c. 3, & alibi Theoph, &c. Æmatitem, Gasidanem, & quosdam alios lapides parere legamus, quatenus liquor, vel sudor aliquis ex illis erumpit, qui postea concrescat in lapidem.

D. August. Viues. Plin.

Sunt qui referant magnetis vim attractiuam, quam ferro communicat, in sympathiam, quàm habet cum Mercurio cœlesti, qui nunquam vltra 28 gradus à sole recedit, & cum Mercurio terrestri, quandoquidem vbi vires amisit, eas recuperat, si calefactus, & in aqua positus fuerit, in qua ferrum, & chalybs extincta sunt: deinde retrahatur, & in vase pleno hydrargyro collocetur. 6.

At hæ sympathiæ mihi parum arrident; de quibus videri potest Arlensis Hierosolymit. presbyt. l. de sympathia 7 metallorum, & 7 selectorum lapidum ad planetas. Arlensis.

An verò vis illa attractiua, & conuersiua sit proprietas ipsius formæ, an à primis qualitatibus certa ratione temperatis oriatur, in dubium reuoco, quia proprietates specificæ minimè perire videntur, quantumcúnque res senescat, donec ipsa pereat, cùm tamē magnes senio vires illas deperdat.

Quicquid sit, certum est illam virtutem paulatim acquirere, dum in terra formatur, per quam ferrum tanquam alimentum suum, vel vt masculus fœminam allicere videtur, licet nonnulli putent ipsū magnetē à ferro trahi. Nolim autē omittere, quod se Cardanus expertum affirmat magnete fabæ magnitudinem non excedente acum tetigisse, quod membra corporis vsque ad ossa sine dolore penetraret, itaut neque sanguis exiret; quod acu seuo illita etiam absque magno dolore fieri putat.

Cardani experientia mira, si vera.

Omitto cætera, quæ hîc de magnete commemorari possent, si dixero acum, seu ferrum vim accipere, qua se vertat ad polum, si infigas illud in cornu pedis dextri asini, vt in rebus marinis vir peritus mihi narrauit; Vim autem præcipuam magneti Aethiopico tribuunt, qui cùm sit vnius vnciæ,

Arcanum, si verum. Vbi meliores magnetes.

vnciæ, 2 libras ferri trahere valeat. Secundum fortè locum Italico quis dare poterit, quem in Alba Hetruriæ insula colore subrufo reperiunt.

Cardanus. Quod si quis Cardano, Peregrino, & Taisnero credere velit, poterit per magnetis attractionem perpetui motus instrumētum fabricare, vt Cardanus l. 9. de varietate refert ex Antonio de Fatis. Quę omnia licet vera forent, inde tamen Athei nihil cōcludere possunt: quia nullam curationē miraculosam magnes, sicut nec vllus alius lapis efficit.

Quid sit Remora. Plin. Ælian. Plutar. Iam verò de Remora pauca subiungamus, quam alioqui Echeneidem appellare solent; à qua credere non possum sisti nauigia, quicquid dicat Plin. l. 32. c. 1. Ælian. l. 2. de hist. anim. c. 17. Plutar. in Sympos. & alij postea: non quod non occultas virtutes negare velim, sed quia tam paruus piscis vires tantas habere nequit, quibus tantum impetum remorari, & tantæ virtuti reniti valeat: nec verum est, Fracastor. quod Fracastor. c. 8. de sympathia, & antip. ait, id in metum vacui reijciendum esse, vt bene Conimbric. aduerterunt: quapropter si quando id contigerit, vt nauigia sisterentur, mallem ad quosdam montes magneticos refugere, à quibus tamen si nullæ aliæ naues retentæ sunt, quæ per eadem loca Scaliger. transierint, eâque de causa montes illos cum Scaligero exercit. 118 aduersus Cardanum reijcias, non verebor ad Dei voluntatē recurrere, quæ naues illas sisti voluit certis, licet occultis de causis, siue id per se, siue per angelum fecerit.

Vbi aduertas velim nullum esse periculum, si, quoties ratio probabilis arguit effectum à causa naturali manare non posse, omnibus ritè, & accuratè perspectis, ad diuinam prouidentiam te conferas, cuius est totum mundū, & singulas partes illius regere, & ad destinatum finem perducere: imo id sapit animum religiosum, & humilitatis actum insignem includit, dum liberè fatemur primā omniū causam summè prouidentem longè plura facere posse, quàm vel quæ possimus intelligere, vel quæ hactenus producta sunt: quod sæpe necesse est: hac enim ratione populus Israël Dei præsentiā agnoscebat, dum aliquis apparebat effectus vel misericordiæ, vel iustitiæ, qui fieri nequibat à causis naturalibus: quod ipsi magi Pharaonis volentes nolentes confessi sunt, quando dixerūt, *Dei digitus est hic*: quia cimphes suis incātationibus educere nō potuerunt, quibus Moses extentione virgæ superficiē terræ repleuerat. Exod. 8. vt ipsi magi, immo & diaboli ita cogant Atheos, & conuincant, vt Deū esse negare minimè possint; enimuero dæmonum opera magi Pharaonis sua præstigia exhibebāt, qui, cùm Deus obsistit, nihil omnino possunt. Exod. 8.

Ex curationibus igitur miraculosis rectè Deum esse concludimus, quandoquidem nullus est lapis, nullum animal, arbor, aut planta nulla, nec aliud mixtum, quo possis infirmo salutem momento restituere; quis obsecro trigintaocto annorum paralyticum, quis cœcum, quis surdum, mutos, fluxum sanguinis, & alios morbos deploratos solo verbo, vel oratione curauit? prodeat, & eum Dei filium appellabimus, quandoquidem id soli Deo conuenit, qui hæc etiam non rarò per seruos suos exequitur, vt certissimæ historiæ referūt, & etiamnum experiētia comprobat in pluribus viris iustis, quos, licet adhuc peregrini sint, beatos existimam⁹. Quod si velim omnes morbos percurrere, quos miraculo Scriptura sancta curatos esse docet, eosq; iuxta medicorum dogmata, & naturæ regulas discussero, procul dubio medici, & physiologi omnes libertimè fatebuntur id naturæ solius vi fieri non potuisse, præsertim cùm sæpius momento fieret, neque vlla causa naturalis applicaretur: sed in ijs tempus nolim terere, ne finis vllus huic quæstioni ponatur. Interim legi poterit Guillelmus Ader Ader. de morbis scripturæ sacræ, cuius lectione non parum proficies, dum 2. responsionem Atheorum aggredior.

CAPVT XIX.

Quòd in homine non sit virtus, qua morbos omnes curare possit, atque adeo non possint in idiosyncrasiam hominis miraculosæ morborum curationes reijci.

HOminis Idiosyncrasia, & natura particularis à duobus capitibus præsertim sumi potest: vel quod in præsenti recidit in idem, virtus hominis in duas causas refundenda est, vel in astra, vel in proprium temperamentum: quod si mauis, 4 sunt, ob quæ morbos omnes curare posse virtute propria quispiam dici potest, nempe ob animam rationalem, quæ vim illam sibi inditam habeat, siue illam corpori communicet, siue non; ob astra, sub quibus natus est, vel conceptus; ob peculiare temperamentum, aut qualitatem aliquam occultam specificam, aut potiùs indiuiduam: quæ hanc potiùs, quàm aliam naturam sequatur.

Quibus excussis, nil credo superfuerit, ad quod Athei confugiant; tametsi enim catholici curationum donum à Deo quibusdam infundi credant, & ad vniuscuiusque custodem angelum recurrere valeant, id minimè licet Atheis, qui tam angelos, quā ipsum Deum è medio tollunt. Itaque eorum fundamenta susque déque vertamus, nec Hermetem, Bochum, vel Aron, non Orpheum, nō Theophrastum, non Thebith, non Zenothemim, non Zoroastrum, nō Euacem, non Dioscoridem, non Isaac Iudæum, non Zachariam Babylonium, non Albertum, non Arnoldum, non Agrippam, non aliquem hominem, sed ipsam Atheorum mentem consulamus.

Quidnam igitur illud est, quod tantopere iactatis? Nunquid astra, quæ reperiuntur in horoscopo, hanc mirabilem & occultam morbos omnes curandi virtutem homini tribuunt? Sed cur potiùs huic, quàm alteri? nunquid igitur omnes reges Galliæ, quos vestræ causæ veluti patronos asseritis, dum strumas curant, sub eodem horoscopo nati sunt? an eodem temperamento gaudent?

Optimo sanè consilio Deus fecit, vt in laqueum ipsum à vobis paratum caderetis, & ijsdem telis, quibus veritatem impetitis, confligeremini: ad strumas à nostris regibus curari solitas cucurristis, ad eosdem, velut ad Cæsares appello: Consulamus eos, & rogemus, vnde vim illam habeant, prorsus sanè responsuri sunt se donum illud curationum à solo Deo habere, nec illius causam in astra, vel temperamentum refundi posse. Facessant igitur Athei, & liberè propria conuicti mente, & ipsissima, quam proferunt experiētia, fateantur esse Deum, qui morbos alioquin insanabiles curat, vel sanabiles bre- De strumis quas rex Galliæ curat.

uiori tẽpore pellit, quàm vi naturæ curari possent.

De septimo, & nono masculo strumas curante.

Sed de strumarum curatione peculiari capite forsitan agendum erit postea, quandoquidem alios cõmemorat, masculos nempe septenarios, vel nouenarios, qui sibiinuicem, nulla fœmina interposita, successerunt, & immediatè geniti sunt, quibus etiã strumarum cura tribuitur, quod ibidem discutiendum erit.

Hîc verò plura minimè subiũgam de astris, quia de his in vltima difficultate superest agendum: sicut de anima ad 3 causam: ideoq; præsens difficultas ea, quę pertinent ad hominis temperiem, attinget, sicut & qualitatem occultam, quam in homine nonnulli constituunt.

Si quæ virtus faciendi miracula hominibus inesse posset, itaut ad Deum recurrere non cogeremur, id præsertim in illorum temperamentum refundi deberet, ex quo θαυματουργία proficisci videtur: sed illud nusquam affirmari potest, enimuero quodcunque ex temperamẽtis eligas, ad ea conferre nequit, quæ miraculis fieri dicuntur. Elige quæso quodcúnque volueris ex nouem, quæ numerari solent; sunt enim simplicia 4, calidum, frigidũ, & humidum, & siccum, totidẽq; cõposita calidũ humidũ, calidũ & siccum, frigidum, & humidum, frigidum & siccum; quæ à qualitatum prædominio nuncupantur: denique temperamentum illud, quod regula cæterorum est, εὔκρατον appellant, quod vel est temperatum simpliciter, seu ad pondus vel ad iustitiam.

9 esse temperamenta.

Quid sit εὔκρατον temperamentum.

De primis 8 temperamentis, vtpote minus perfectis, Athei minime loquuntur, εὔκρατον duntaxat eligunt: quapropter illud aggrediemur. Temperamentum ad pondus idem mihi sonare videtur, ac temperamentum in arithmetica proportione situm; ad iustitiam verò, quod in geometrica versatur. Est autem Arithmetica proportio, seu medietas, quando tres, vel plures numeri per eandem differentiam progrediuntur, vel, quod idem est, illa medietas habet terminorum differẽtias æquales, adeout si mente constituas hominem quoad pondus temperatum, æqua elementorum proportio esse debeat, nempe tantũdem ignis, quàm aëris, aquæ, & terræ vt σύμμετρον corpus inde nascatur.

Quid sit tẽperamentũ ad pondus, in qua proportionalitate sitũ sit.

Verùm fieri nequit, vt huiuscemodi temperiem vllus homo nanciscatur, statim enim ab igne consumeretur, nec vnus est, qui tẽperiem illam admittat. Quapropter vnica superest geometrica medietate gaudens, quam ad iustitiam appellant, intellige distributiuam, quæ ponderis, numeri, atque mensuræ oblita, vnicuique quod suum est tribuit, maiora dignioribus, cæteris verò pauciora, nam differentias terminorum inæquales habet. Hæc autem corporis temperies tanti facienda est, vt è rebus corporeis nihil ei anteponi debeat, quãdoquidẽ ex eo actiones optimæ, hominisque functiones oriũtur.

In qua proportione sit temperamentum ad iustitiam.

Quod ita verum est, vt quo magis ad illud temperamentum accedit aliquis, eo meliùs proprias functiones cæteris paribus obeat, hinc fit, vt frigidus & siccus, i. melancholicus, sit frigido & humido, seu phlegmatico deterior, quibus anteponendi sunt calidi & sicci, seu cholerici; at calidi & humidi cæteris antestant, cùm vtrámque qualitatem vitæ amicam habeant, quales non pauci reperiuntur, quibus cùm nemo donum miraculorum tribuat, discutiamus an homo ad iustitiam perfectissimam temperatus ea facere valeat, quæ per miracula efficiuntur.

Quodnam nobilius temperamentum.

Scio quidem esse difficillimum, vt eiuscemodi corpus inueniatur, vt enim in circulo infinita puncta obuia sunt, centrum verò difficile reperitur, quia vnicum est, ita hominum temperies infinitas mutationes, atque varietates patitur, vt vix vnicum reperias, qui iustitiã humorum, seu humores eo modo commixtos habeat, quo perfectissima hominis natura postulat. Demus tamen aliquem esse, qualem Adamum, & Christum fuisse multi putant? Imo concedamus esse plurimos, qui tam fœlici temperamento fruantur: an illi miranda patrabunt? nunquid cæteris corporibus minus bene temperatis præerunt? adeout eis, non tantùm imperent, sed ea morbo correpta ad antiquam eucrasiam reducant? An quis reperiri potest audaciæ tam perditæ, vt illa temperamenti bonitate claudos erigi, cæcos illuminari, leprosos mundari, & alia perfici posse miracula dicat, quæ passim in Euãgelio narrãtur? Ita sanè, nec enim desunt, qui præter illa miracula, tantam perfectè temperatis virtutem tribuant, vt non solùm hominibus cæteris, sed & omnibus animalibus, imo & elementis, atq; mixtis omnibus naturali quadam potestate, energia, atque dominio imperent, & illa statim obediant.

Hinc eos asserunt corpore ad iustitiam temperato fuisse, qui super aquas ambularunt, in aëre steterunt, & igne rapti sunt, quia tale corpus, cùm proximè accedat ad temperamentum, quod vocãt ad pondus, in omnibus elementis, inquiunt, stare potest, adeout neque mergatur aquis, neque igne comburatur: quam hæresim. Gentili Fulginati Petrus Aponensis, qui vulgò Conciliator appellatur, tribuit: Contrarietates enim elementorum sopitæ sunt in corpore, in quo elementa proportionata sunt.

Quæ omnia falsissima esse constat, nam, vt dixi, fingamus aliquem illo temperamento constare, vt tantumdem sanguinis, pituitæ, bilis, & melancholiæ habeat, quantum ad perfectissimam hominis naturam necessarium est: vnde poterit huiuscemodi miracula facere? Imprimis verò notum est eum aquis submergendum, nam terra semper hominis corpori prædominatur, nec in homine quidquam inueniri potest, si conspicitur oculis, quod non sit aëre grauius, vt patet in ipsa bile, quæ separata non in aëre stat, sed deorsum vergit; quod & fieret, licet totum hominis corpus biliosum esset. Adde quod prædictum temperamentum non ita conducat adiactiones animi, neque mentis opera promoueat; vnde nonnulli Christo tribuendum esse negant.

Cùm enim in homine duplex portio sita sit, duplex etiam temperamenti bonitas excogitari potest: vna quæ vires animæ vegetantis, atque sentientis, alia quæ rationalis adiuuet: illas calidum & humidum temperamentum fouet: has verò calidum, & siccum, quia vitalis, & animalis spiritus in calido & sicco multo subtilior, quibus si quid melancholici humoris adiungatur, vt sit tenacior memoria, optimum ad sapientiam habes temperamentum. Huc facit, quod Galenus commentario in libellum Hippocratis de humana natura docet, acrimoniam animi, ac prudentiam ex bilioso humore, constantiam & firmitatem ex melancholico, simplicitatem & stoliditatem ex sanguine proficisci, pituitam verò ad mores efformandos inutilem esse.

Quale sapiẽtis temperamentum.

Galen.

Quod si temperamẽtum sanguineum ita ad prudentiam ineptum est, & tamen ad illud temperamentum

Quod temperamentũ ad prudentiã ineptũ.

mentum ad pondus, cui tot & tanta concedunt Athei, proximè accedit, an hoc Christo Domino tribues, in quo tanta prudentia reluxit? Sed illa temperies, quæ naturalibus actionibus conuenit, impedit animales: Hinc qui magis à temperamento ad iustitiam composito recedunt, perfectiùs animales functiones, seu opera sensitiuæ partis obire videntur; hinc canis inter animantes siccissimus, olfactu præualet vt stultitia arguẽdus sit, qui temperamentum *ad iustitiam omnibus alijs anteposuerit*, si id de omnibus corporis partibus intelligat, cùm omnes cogantur in diuersis organis, & sensibus varias qualitates, atque distinctam temperiem assignare: visus enim in humidiori complexione, olfactus in sicciori, auditus in calido, & humido seruatur.

Quamobrẽ bene mihi sentire vidẽtur, qui Christo tẽperamentum illud tribuunt, quod sapiẽtibus conuenit: non quod negare velim eũ pulcherrimũ fuisse, prout illud negat Medina l. 2. de recta in Deũ fide c. 7. Cyrillus Alex. in Psal. 45. Versic. *Accingere gladio tuo super femur tuũ, potens specie, & pulchritudine tua:* Deus enim ita potuit filij sui temperamentum ad sapientiam efformare, vt tamen summa pulchritudo non deesset.

Medina. Cyril. Alex.

Multis ea prosequitur Medina loco cit. quæ ad temperamenta pertinẽt, quibus contendit Christũ non ideo fecisse miracula, quod optimo tẽperamẽto siue ad põdus, siue ad iustitiã fuerit: tũ quia neutrum temperamentum admittit, tum quia potiùs in adolescentia debuerit illa miracula efficere, quia tunc calidum, & humidum in æquilibrio esse videntur, quæ temperamentum optimum efficiũt, quod tamen falsum est: siquidem tantùm circa annum ætatis 30 sese manifestauit.

Adde etiam temperamentum corporis non tantùm pro varia ætate, sed & varijs locis, exercitiis, cibis, & anni tẽporibus immutari. Iã verò, inquit, quo nihil absurdi, istis, qui se penitiore quadã naturæ sapiẽtia præditos existimãt, non concedamus, esto ita Christũ, & iustitiale certũ temperamentũ à natura sortitũ, & idipsum per vniuersã ætatẽ conseruasse; an ex hoc sequitur potuisse aliorũ discrasias, & intẽperies ad eucrasiã, & temperiẽ reducere? Profectò optimi tẽperamenti potestatẽ non in alios, sed in ipsũ eundẽ, qui habet, à medicinæ consultioribus extendi, percepimus, in optimas inquã tantùmmodò virium naturalium functiones, & exercitia, per quæ rectè easdẽ vires habere dignoscim⁹.

Optimè temperatus, inquit Aëtius, homo est, cùm corpore apparet exactè medius inter omnia extremè disposita corpora in gracilitate, ac crassitudine, mollitie, ac duritie, caliditate, & humiditate, siccitate, atque frigiditate, & vt in summa dicã, si animales, ac naturales actiones inculpabiles habuerit, medio itẽ modo sese habuerit inter hirsuta corpora, ac glabra, inter nigra colore, & alba. Vides & signa, & effectus temperatæ naturæ non ex iis, quæ extra, sed in his, quę in se ipsa producit, aduertis. Tum profectò oculum rectè habere existimamus, non cùm alterius oculum ad temperiem, aut habitum temperatum reducit, sed cùm optimã habet visionem; idemque de cæteris sensibus esto iudicium. Eodem ergo pacto corporis humani rectus habitus, ac temperatio cognoscitur, non cùm in extrinsecum corpus operatur, sed cùm in se ipsum rectas operationes naturales exercet.

Deinde Christi corpus quocũnque temperamẽto constaret, corpus erat physicum, & modo agendi naturali subiectum, ergo cum res naturales, nisi cum patiente coniunctæ, non agant, nullo pacto Christus absẽtium corpora sanare potuisset, quod ex historia Euangelica falsum conuincitur, cum & multos longè dissitos curauerit. Quod si duplicem obiiciãt contactum, alterum mathematicũ, alterũ virtualem; primũ cum agentis, & patientis superficies iunguntur; secundũ, cum per mediũ dispositũ agentis virtus in medium extenditur, attendãt virtuali cõtactu non à quouis spatio fieri actionẽ, sed à certo, ac determinato; nec enim rerũ naturaliũ virtus est infinita, sed certum in agendo spatium requirit. Christus autẽ non solum tangendo, aut languidis præsens, sed longissimo spatio sanitates impertiebat; cuius exempla sunto filius Reguli, & puer Centurionis, quos à longè curauit.

Deinde si virtualem in agendo contactum Christo daremus, ergo cum virtus naturalis, qualis illa esse deberet, ad patientis præsentiã nõ possit nõ agere, nullus æger Christo potuisset esse præsens, quin, vel Christo inuito, corporis sanitatẽ exciperet; quia virtus naturalis agit non quantum, vel quando vult, sed ad patientis præsentiam, quãtum potest, sibi patiens assimilare nititur. Videmus autem Christum non ad solam præsentiam, sed pro voluntatis arbitrio etiam à languidis præsentibus languores amouisse; leprosus enim Christo præsente apud Marcum non statim lepram exuit, sed postquam idem Christus dixit, *volo*: quod & in aliis miraculis euangelicis licet aduertere.

Neque enim statim ad Christi præsẽtiam corpora ægra in antiquam temperiem redibant, sed cum aut adstantiũ precibus, aut ægri misericordia pulsatus, in languorẽ voluntatis imperium exercebat. Non ergo virtualis ille contactus naturalis erat. i. à Christi tẽperata natura proficiscens, sed intentionalis. i. voluntatis, & intellectus, qui nihil habet cũ temperamento cõmune. Neq; aliam suspicari debemus illam virtutem, quam testatur Euangeliũ à Christo Dño exiisse, Luc. 6. *virtus de illo exibat, & sanabat omnes*, & Luc. 5. *virtus Domini erat ad sanandum eos*: & Marc. 5. *Statim Iesus sciens virtutem, quæ exierat ab illo &c.* Non inquam illa virtus physica erat quæ à tẽperamento flueret, sed intentionalis à voluntate, & intellectu procedens, temporis seruata cõditione, quo Dei gloriam cõmendare decebat. Hinc fit vt ipse Christ⁹ illorũ fidẽ desideraret, quos sanaturus erat, vt ea ratione paterna gloria, & euãgelica lex, quã docebat, cũ auditorũ vtilitate propagaretur, vt patet ex eo, quòd pauca miracula in propria patria fecerit ob eorũ incredulitatẽ Marc. 6

Virt⁹ Christi in miraculis.

Luc. 5. & 6. Marc. 5.

Marc. 6.

Vnde etiam magis constat illa miracula ex temperamento manare non potuisse, alioquin cùm patria, in qua nati sumus, temperiem conseruet, ibi potius agere debuisset. Addit verò postea. Agedum concedamus Christum tẽperamenti ratione, & eucrasia miracula edidisse, quid dicẽt de Apostolis, & Christi discipulis, qui solo verborum imperio, etiã adhuc Christo nobiscũ agente, reuersi sũt cũ gaudio dicentes, *Domine etiam dæmonia subijciuntur nobis in nomine tuo*: quid de Petro, qui claudum omnibus notissimum, solo verbo erexit, Æneam Liddiũ sanauit, & Thabitam Iopæam post mortem ad vitã reduxit? An tanta corpus eius constabat temperie, vt sola eius vmbra expositos ægros sanitate donaret? Quid de Paulo, qui apud Lystros ex vtero matris claudũ, intuit⁹ eũ, & vidẽs, quod fidẽ haberet, solo præcepto sanauit adeò apertè, vt publicè diuinos honores oblatis sacrificiis, nisi simul cũ Bar-

D. Petri miracula.

naba obſtitiſſet, accepturus fuiſſet?

Potuitne idem dæmonem Pythoniſſa incluſum per temperamentum excludere? aut cur hi ante Chriſti fidem, & religionem ſuſceptam hæc prodigia non ediderunt? Sed vt apoſtolos, qui homines fuêre, eadem temperamenti virtute, qua Chriſtum viguiſſe donemus, quid? anne eadē quoq; Apoſtolorum baculi, ſemicinctia, & ſudaria vigebant, vt ægris appoſita, dæmones & morbos expellerent?

Prioris teſtamenti miracula taceo, maris diuiſionem, mannæ pluuiam, veſtimentorum & calceamentorum per quadraginta annos integritatē, nubis per diem, & ignis per noctem ductricem columnam, varios plerúnque ſine ſanguinis effuſione triumphos, & ante hæc omnia virgas in colubros verſas, cinifes, muſcas, ranas, veſicas, occiſa primogenita, & cætera, quæ nemo dicet à Moſis temperamento prodiiſſe, aut in aliorum ducum idioſyncraſiam referri poſſe. Ad noſtra peruenio.

Nunquid cūcti, qui in Euangelij promulgatione fecerunt miracula, eadem eucraſia, qua Chriſtus, conſtare potuerunt? Nunquid eadem fuerunt humorū, & qualitatum menſura? ſed cur non & apud Græcos, Romanos, & cæteras orbis Reſpublicas, ante aduentum religionis Chriſtianæ aliquando huiuſmodi temperatiſſima corpora prouenissent? An non erat eadem ſoli vbertas? an non eadem cœli clementia? An verò ex naturæ condicto omnia corpora temperata conuenerunt, vt tantùm ſub religione Chriſtiana naſcerentur? an illud forſan credibilius, quòd carnis maceratione, ærumnis, vigiliis multis, fame & ſiti, ieiuniis multis, frigore & nuditate, virgarum flagellis, lapidatione, naufragiis, equuleis, exiliis, catenis, lampadibus, & denique cruce, humana natura ad eucraſiam, & temperatiſſimam illam complexionem, ex qua miracula deriuentur, reducitur.

Quod ſi ſit verum, neque falſum erit oſſibus, & millenariæ pelli, aut carni quorundam temperatorum, illam eandem eucraſiam adhæſiſſe, & in tanto temporum ſpatio non fuiſſe corruptam; nam in ſacra, & Eccleſiaſtica hiſtoria frequentiſſimè ad iſtorum quoque contactum ſcimus ægros ſanatos, ſed & cur non dicemus eorundem veſtibus, quarum fruſta per tot annos à Chriſtianis populis adoranda ſeruantur, eandem temperaturam adhæſiſſe? Quin ne ſimus parci in tanta prodigalitate naturæ, demus & hanc temperamenti virtutem ſepulchris, catenis, neruis, cuſtodiis, quibus Imperatorum præcepto ſunt mancipati, demus & templis, vbi nunquam fuerunt, in quibus grauiſſimi auctores, & minimè ſuperſtitioſi eximia miracula, ad Sanctorum, quibus fuerant dicata, inuocationē facta fuiſſe recenſent; immo demus eandem temperamenti rationem & tempori, quoniam his diebus, quibus Chriſti aut ſanctorum memoria recolitur multa ſunt edita prodigia.

Quibus miraculoſum temperamentum ſatis exploſum arbitror, vt nullus mentis compos eſſe poſſit, qui ſtultitiam Atheorum non irrideat, quandoquidem omnes medici fatentur occultas corporis humani proprietates nullas eſſe, quibus vnus homo alterum curare valeat; alioquin eandem corpus ægrum cum ſano qualitatem occultam, vel aptitudinem ad eam recipiendam habere deberet, & temperamento conuenirent atomo, quod longè difficilius eſt, quàm vt duo inter ſe vultu ſint omnino ſimiles. Iuuat autem paucis aperire, vnde hominis vniuſcuiuſque idioſyncraſia oriatur; hinc enim argumenta potentiſſima eruentur, quibus ineptiæ Atheorum conuincantur.

Quid ſit vniuſcuiuſque ἰδιοσυγκρασία *& vnde oriatur.*

ARchimagus characterem diuinum homini impreſſum eſſe 3. de occult. phil. c. 40 aſſerit, vi cuius cū omnia animalia ſuperiorem agnoſcāt, timeant, atque reuereantur; hunc autem ab idea diuina פחד phahad productum aiunt Cabaliſtæ, i. ſiniſtra, & gladio Dei: Alium etiam characterem admittit, quò diligatur homo, cuius idea dicatur in diuinis חסד Heſed. i. dextra, clementia, & ſceptrum Dei, adeout à Sephiroth, ſeu numerationibus diuinis, per intelligentias & ſtellas omnibus characteres imprimi putet iuxta vniuſcuiuſq; capacitatem, atq; puritatem; quæ ſigna, quoſue characteres protoplaſtos in omni plenitudine habuiſſe ſubiungit: à quibus pro ſe, & poſteris ſuis ita decidit, vt iam ob illius peccatū rarò quis longiùs à diuinis illis characteribus recedat, quantò grauiùs peccat, & iam in aliorum ſeruitutem veniat, atque homines, imo & belluas, & dæmones timeat, quibus imperare potuiſſet. Hinc fit, vt nonnulli, qui velut innocētes vixerunt, illa poteſtate vſi fuerint, vt Dauid, Sanſon, & Daniel in leones, Heliſæus in vrſas, Paulus in viperam, & alij plurimi heremicolæ, qui quanto magis ſe à vitiis repurgabant, tanto magis character ille diuinus in eis elucebat.

Agrippa.

Phahad.

Heſed.

Character iſte fictitius eſt, atq; ridiculus, de quo fuſiùs alibi.

In quo charactere ſi quis ἰδιοσυγκρασίαν conſtituere velit non leuiùs, quàm Henricus errabit, quādoquidem ille fictus eſt: nec enim ab homine ablatū eſt ob originale peccatum, donū aliquod naturale, ſed tantùm gratuitum, naturæ hominis gratis ſuperadditum. Falſum eſt etiam aliquos characteres nobis à Deo mediantibus Sephiroth cōmunicari: nec ſi concederentur, in illis ἰδιότης vniuſcuiuſque ſita eſſe poteſt: enimuero illa omnia priùs homini adeſſe debent, quæ ei conueniunt ἰδιαιτέρως, quàm vt Deus aliqua beneficia largiatur, nam illa beneficia de nouo tribuuntur, vt meliùs, atq; faciliùs operari, vel maiora aggredi poſſimus, ac proinde nos eſſe, atque ſubſiſtere neceſſe eſt, cùm infunduntur. Omiſſis autem illis Cabaliſtarum inuentis, expendamus quid ſit illud, quod ita vnicuique proprium eſt, vt alteri nuſquam conuenire poſſit. Nunquid illud eſt omnium qualitatum primarum, quæ reperiuntur in corpore, certa complexio? nūquid ipſa ratio formalis Indiuidui, qua quiſpiā eſt duntaxat hic homo, & non alius, Petrus non Paulus.

Quid ſit ἰδιοσυγκρασία.

Certum eſt autem vel hanc eſſe indiuiduationē, vel aliquid ab ea promanans: nec enim illud peculiare ad principia ſpeciei reuocari poteſt, quippe quæ communia ſunt, non autem ſingularia; ſi ſit aliquid diſtinctum fluens ab illa, neſcio quid aliud præter formæ, totiuſque ſubſtantiæ proprietatem eſſe poſſit, quæ quanquam accidens eſt, à forma tamen nūquam ſeiungi ſeparariue poteſt; eſt enim illius ingenita, & indiuidua vis, cuius ope quæcunque ſua ſunt, omnia efficit: plerumque tamen imminuitur integra, illæſaq; formæ ſubſtantia: ſic enim ſcāmonij vis, qua bilem extrahit, & magnetis virtus adeò remittuntur, vt exhauſtæ videantur.

Ne verò quis admiretur, ſi plura hîc de illa tam occulta idioſyncraſia minimè ſubiūgam; enimuero nō me pudet cum omnibus medicis fateri iſtius perfectam

perfectam cognitionem me subterfugere, non quòd ideo me vel alterum, Deum existimare velim, si accuratè illa sciatur, vt nonnulli medici loquuntur, nec enim illud sequitur; sed quia perfectissimè cognosci deberent, quæ non sunt præsenti viatorum cognitioni congrua, vel possibilia: quis enim animam vnius hominis perfectè nouit? quis illius propriam, & intrinsecam differentiam, qua indiuidualiter ab alia seiungitur; Scio quidem nos aliquid à proprietatibus vniuscuiúsque colligere, atque concludere, non ita tamen vt ex cortice medelam perfectè cognoscere possimus.

Non minus difficilis est quæstio, vndenam oriatur, licet enim alij ad semen paternum, alij maternum, vel vtrunque simul, alij ad astra recurrant, illi causas duntaxat vniuersales, vel remotas venâtur, non peculiares, & proximas; nam positis seminibus, & astrorum influxu, nondum illa nascitur, quamuis fœtus partes ad illam recipiendam illis præparari, disponique fatear.

Et quidem non in dubium reuoco, an ab anima compleatur, sed cùm Deus iuxta materiæ, seu embrionis dispositionem, animam infundat, certum est idiosyncrasiam in illo fœtu, antequam anima infunderetur, sumpsisse initium. Quapropter arbitror illam non esse indiuisibile aliquid, cùm in informi corpore cæperit, sed esse totum corpus, prout certas partes ex hoc vel illo semine, & sanguine, cæterisq; alimẽtis constâtes amplectitur, & ab hac & illa astrorum coniunctione, atque radiis, & reliquis causis tam propriis, quàm externis producitur; vel, quod ferè recidit, esse proprietates illas è toto corpore, & anima fluentes, quæ nulli præterquã vni cõueniunt; quas qui perfectiùs nouit, ille magis ad idiosyncrasiæ cognitionẽ accedit.

Sunt qui ad formã mixti referunt idiosyncrasiã, sed non definiunt, quid illa sit, quid enim est forma mixti? an corpus humanum aliquid in se continet præter illa temperamenta, quæ parti cuilibet conueniunt? an illa forma mixti præcessit animæ infusionem? Sanè non meliùs intelligi potest, quid sit illa forma, quàm quid sint ipsorum elementorum formæ: quandoquidem nulla rei cuiuspiam intrinseca forma potest à nobis conspici, nisi beneficio quorundã accidentiũ, & nonnullarũ proprietatum, quæ oculis subiiciũtur, adeout nihil de forma certum, nihil perspicuũ referre possimus, sed tantùm eam esse principiũ, causam, atq; radicem eorũ, quæ sẽsibus experimur. Quocirca medicos, & philosophos, & Atheos omnes prouoco, vt mihi explicẽt, quid sit forma mixti, quid idiosyncrasia, per quid præcisè Petrus à Paulo distinguatur: qualis esse debeat mixti forma, vt aliquis hanc, aut illã proprietatem habeat. Nisi fortè ad ipsa elementa se conferant, & asserant eum contemplationi aptum esse, atque adeo formam eius aliqua ratione contẽplatricem vocari posse, qui maiorẽ in se ignis, & aëris quantitatem sortitus fuerit: illum ingeniosum, in quo ignis, & bilis, vel terra, & melancholia præualuerit. Sed in ipso sanguine post venæ sectionem exiliente, vel in ipsa membrorum dissectione contraria temperamenta sępissime reperiemus, adeout nullus sit medicus, qui in iis non facile decipiatur.

At verò licet Atheis vires illas nonnullis corporibus insitas esse, & Christo, atque cæteris, qui miracula fecerũt, idiosyncrasiam ab astris, vel parentibus ortam tribueremus, nihil prorsus concludere possẽt: nec enim inde sequitur nullum esse Deũ, quin potius aliqua causa cõcedenda est, cur astra huic, quã illi potiùs miraculorũ virtutẽ cõferant, nec enim alia præter Deũ esse poterit. Adde quod illius idiosyncrasiæ ignorantia, qua omnes homines laborãt, Deum esse necessariò conuincit; cùm enim illa reuera existat, nec à seipsa orta sit, debuit ab aliqua causa produci, quæ cognosceret futuram mixti formam, quaue ratione illa formæ proprietas, & essentia constituenda erat. Id verò nemo hominum scire potest, vt mecum etiam Athei libentissimè fatebuntur, igitur aliquis admittendus est, qui sit inuisibilis, & tamen omnia videat, quique omnia regat, atque disponat. Quæ si seriò Atheus considerarit, illicò Deum esse affirmabit.

Alia verò plurima de hominis proprietatibus, humoribus, complexionibus, atque temperamentis alibi dicemus.

CAPVT XX.

In vim imaginationis vel animæ miracula reiici non posse neque in spiritus, qui ab homine exhalent.

NVllos adeò facilè, atque Atheos hac in parte confutare possumus, quippe qui fatentur ea nullam in se hypostasim, atque veritatem habere, quæ vi phantasiæ concipiuntur. Hinc fit, vt existiment illa omnia, quæ de religione Christiana dicuntur esse imaginaria, non vera, non realia. Sanè miror, quomodo phantasiam admittant, cùm sensibus externis solùm credere videantur.

Quid sensibus? nunquid eis fidem denegant, vt nulli penitus rei fidem habeant. Non homines illos, sed maxima totius mundi portenta dixero, qui plura sensibus, quàm rationi tribuunt.

Sensus maximè fallaces, & scientiarum hostes.

Quid enim magis errori obnoxium esse potest, quid scientiis ita cõtrarium, atque externi, imo & interni sensus? Enimuero baculum tripedalem oculus pedalem iudicabit lõge remotus, cùm proximiora maiora, remotiora verò minora cernantur, vt inter alia patet in parallelis in plano sitis, quæ concurrere videntur, id enim iudicat oculus, & imaginatio, licet nunquam concurrere valeant. Ita etiam æqualium altitudinum supra oculum positarum, quæ propinquiora fuerint altiora videbuntur: sicut è contrario remotiores sub oculo positæ sublimiores apparebunt.

Pulchra exempla, ex opticis hausta.

Omitto cætera in quibus falluntur oculi, siue id ex pupillæ dilatatione fiat, ob quam omnia seipsis maiora videntur, siue ex diuerso situ tam obiecti, quàm oculi, vt cùm turres procumbere videntur, dum summitatem intuemur; vertex recedere, cùm imum cernimus; medium surgere, & extrema resupinari, si medium ipsum aspicimus. Ita etiam linea recta conuexa perspicitur, quando eius medium centrica ferit: concaua verò, recta, vt Baptista Porta l. 5. de refractionibus, & alij in opticis ostendunt.

Baptista Porta l. 5. refraction,

Veruntamen non ita summo iure, & argumento ad hominẽ aduersus illa mõstra agamus. Demus

Impietas, & inconstãtia Atheorum.

aliquid humanitati; possint nostris etiam fundamentis,& vera vti philosophia, quando aduersus numen diuinum,aut eius miracula pugnare videntur; & sicut ipsius rationis dictamina pernegant, dum illa suis erroribus opponi vident, iam axiomata ab omnibus admissa resumant, si fortè istis, velut ignitis iaculis ipsi veritati vulnus inferre valeant. Magna est vis, magna virtus phantasiæ! sit ita: verùm non sequitur eius ope miraculum vllum effici posse.

Quod clarè demonstrabimus,si priùs inania,atque futilia illorum argumenta referamus, atque refellamus. Arabes aduocant, inter quos Auicen. quarta Sexti natur. c.6. ait animam humanam forti imaginatione,vel intenso affectu tam proprium, quàm alienum corpus afficere,atque realiter transmutare, itaut fortis imaginatio Petri sanum Pauli corpus quolibet languore conficere possit, vel eidem Paulo sanitatem restituere.

Auicenna.

Hac etiam imaginatione pluuias, grandines, ventos,& cætera meteora è cœlo posse deduci, aut cohiberi, pestes induci, & iam grassantes sedari credit.

Vbi aduerte Atheos imaginationem, animã, & intellectum pro eodem sumere; hinc concludas,si possis,illos esse insignes philosophos: si philosophi dicendi sunt,qui facultatem spiritualem, & incorruptibilem à corporea, atque corruptioni obnoxia, radicem à riuo distingui nesciunt.

Quòd autem illa, quæ imaginationi tribuunt, falsa sint,satis ipsa experientia conuincit, ad quam velut ad rerum omnium reginam semper ferè prouocant.

Quoties ô quoties parentes filios,mariti vxores, & amici amicos in pristinam sanitatem restituissent, hostis verò hostem interfecisset, aut lãguore confecisset; si vel imaginatione, vel affectu, desideriòue id efficere potuisset; tunc futurus non esset liuor,tabificum malis, sed bonis venenum.

Quotus est in toto orbe,qui fateatur se, non niues, & fulgura è cœlo deduxisse, non cohibuisse pluuias,non hostem læsisse, non patrem,non coniugem, non filium persanasse desiderio,aut cogitatione,id enim fieri nequit, sed corpus suum proprium vel à febri quartana, vel ab elephantiasi,vel ab hydrope liberasse?

Reos, credo, confitentes habemus, si tantùm nitantur experientiis; at fortè rationibus fulciuntur: videamus. Animæ, inquiunt, tametsi eiusdem speciei,& æquales sint essentia, non tamen quantum spectat ad virtutes naturales, quas in sui generatione à cœlestium astrorum virtute concipiũt, quibus longè cæteris antestant, sicut eleuationis super materiam defectu,nonnullæ rebus corporeis immersæ hebetes,ac veluti brutæ videntur.

Intelligo quid velint, nempe quasdam animas angelis, seu intelligentiis cœlestibus congeneas esse,vt suapte natura toti mundo corporeo dominentur, & cuncta ex sententia disponant. Sic enim imaginantur Socratis animam in corpus transfusam fuisse sub Iouis dominio,cùm fortunatissimus existeret, & alius quispiã planeta fœlici aspectu concurreret, vt optimas virtutes, & qualitates à Ioue receperit, & velut imago Iouis virtutem operandi habuerit. Vnde concludunt illam animam idem omnino,ac Iouis intelligentiam operari, easdem materias transmutare,easdémque formas in materiam inducere posse: & apud antiquos aiunt nonnullos Ioues, Martes, & Saturnos

Stulta opinio Atheorum.

appellatos esse, quod ♃, ♄, & ♂ proprietates habuerint. Vno verbo cœlos, & astra quibusdam vim tantam infundere aiunt, vt qui sub certa constellatione nati sunt, hos & illos morbos curare, vel inducere possint, nec non ea perficere, quæ ad miracula pertinent.

Nolim iam multos effectus referre, quos phantasia in proprium, vel in corpus in vtero sibi coniunctum effundit,illud enim integra quæstione facturus sum alibi: neque de imperio tam despotico,& herili, quàm ciuili verba facere, quod in humanũ corpus voluntas, & intellectus exercent; sed tantũ de vi,quam habet imaginatio,vel animus hominis in externa corpora: quam profectò nullã agnosco. Quid enim facultas in externa corpora producet, cuius actiones immanentes sunt? An mentis adeò stupidæ censendi sunt Athei, vt nesciant duplices esse potentias,quarum aliæ suum opus subiiciant oculis, aliæ verò apud se in alto silentio retineant. Quod si nolint admittere, ostẽdant obsecro vnicam intellectus,aut voluntatis actionem, quæ extra facultates istas eruperit, quæque se ad aliquid extraneum transtulerit. Si enim desiderium,cogitatio, siue imaginatio aliquid extra se producat, necesse est, vt vel contactu mathematico,vel contactu virtutis illud attingant, in quod agunt, cùm nulla actio fieri possit in rem dissitam. Quod statim concedet,quicúnque philosophiæ studuerit.

Quod phãtasia nihil in corpora externa producere valeat.

Nec obstat,si rationalem animam intelligentiis cœlestibus æqualem faciant,licet illud falsissimum sit, nam illarum potentiæ sunt immanẽtes, quæ in effectus exteriores prodire nequeunt. Quid si dixerint in animabus hominum, sicut & in intelligentiis,præter intentionales potentias,esse facultatem executricem,quæ ad opus externum respiciat, per quam imaginatio, seu anima morbos curet, tempestatésque prouocet, quæq; formas ipsas efficiat? Verùm vt illa potentia opus aliquod perficiat,alicui materiæ coniungi debet: nec enim ipsi angeli in nos quidquam operari valent, donec nobis cõiungantur,adeout priùs necessarium sit, vt se præsentes constituant, quàm vt agere possint, quandoquidem prius est esse alicubi, siue circunscriptiuè,siue definitiuè, vbi de creaturis, seu causis finitis sermo est, quàm ibidem operari. Cùm igitur anima rationalis, aut intellectus, vel imaginatio non sit alibi, quàm in corpore proprio, nequit alibi operari. Quapropter ridendi sunt illi, qui virtutem aliquam phantasiæ tribuũt, qua aliena corpora, tametsi longiùs à se dissita, quocúnque modo afficiant.

Occurritur Atheorum obiectioni.

Nec est quòd antiquorum philosophorum, vel magorum potiùs opiniones ab orco reuocent,qui vt hominibus persuaderent, se non industria dæmonum in illis prodigiis vti, quæ ad miraculũ exhibebant, sed vi propria animi, cui astra maximè fauerent,peragere, finxerunt animam ea libertate frui, vt huc illuc transmigrare posset. Præclarum sanè commentum, nisi per se rueret; anima siquidem,cùm sit humani corporis forma, illud nunquam ante mortem relinquere potest, alioqui vel mortuum erit, vel per aliam, quàm animæ vitam, illa absente, viuet; si per aliam, vel rationalem,vel rationis expertem; si primum, dum antiqua anima redire voluerit, non poterit, quia corpus aliena forma perficietur: nisi dixeris priorem animam ob ætatem prouectiorem facilè iuniorem debellaturam, & ex corpore velut ex propria ciuitate deiecturam, quæ omnia ridicula sunt, nec

Insania quorũdam philosophorum reiicitur.

nec vnicam sanæ mentis, aut philosophiæ vnciam continent.

Non secundum, alioqui homo non erit, sed truncus, cadauer, planta, aut bellua. Fabellas omnes omitto, quibus omnem philosophiam, & totum conditionis humanæ statum Athei súsque déque vertunt: statim enim animam diuidunt in partem informantem, & separatam, vt hæc pro libito euolet, & per cœlos, ac elementa oberret illa veluti miles stationarius, & custos remaneat: statim alias chimeras fabricant, vt veram religionem, atque verum diuini numinis cultum à se procul excutiant, ne si diuinam prouidentiam semel admiserint, continuò scelerum suorum verbere torqueantur, atque de libertate sua, qua effrænium equorum instar fruebantur, nonnihil remittere cogantur.

Virtus quā astris tribuunt, c[...]fellitur.

Ex dictis constat animam, vel imaginationem nihil extra corpus proprium operari valere, siue aliquam vim ab astris excipiat, siue non, quandoquidem imaginatio ita corpori adhærescit, vt nec vnguem transuersum progredi valeat. Quamuis autē concederemus quosdam homines vim aliquā à peculiaribus astris accipere, non possent vim illam in aliena corpora exercere, tum quia vis illa solummodo propria est homini, & eius corpori congrua, qui illam accepit: tum quia corpus aliud, in quod transfundenda esset, sub eadē constellatione nasci debuisset; tunc verò qualitatem, seu virtutem eandē, aut æqualem hausisset, atque adeò hominis illius virtute non indigeret. Vnde fit, vt virtus illa phantastica in corpus aliquod illapsa nulla ratione transferri, vel alteri communicari valeat; nam si corpus externum virtutem illam ab ijsdem astris hauserit, ea non amplius indiget; si non hauserit, maximè quia ad eam suscipiendam ineptum erat, si ineptum, quomodo suscipiet illam? Enimuero si sydus ipsum, quod virtutem prædictā originaliter continebat, corpori alicui, vt potè inepto cōmunicare non potuit, quando virtutē illā tribuet homo, in quo longè minor est virtus, quàm in ipsis astris? Verum astris omissis, quia statim illa peculiari capite recurrent, ad spiritus è corpore missos accedamus, ad quos velut ad noua perfidiæ castra Athei confugiunt, vt illis eliminatis stulti tandem aliquando obmutescant.

Refelluntur Athei & exhalationes corporis.

Fingant Athei, quantumcúnque voluerint, spiritus & sanguinem imaginatiuæ facultati exancillari, adeout amicum sanari posse credant, si phantasiæ spiritus hilares procreet qui per afflatum è corpore expellantur, & ad amicum infirmum ibi propinquum deferantur, eique valetudinem afferant, nunquam illis concessurus sum; nam licet sint optimi spiritus, atque præpotentes in amico sano, sitque vehemens imaginatio, nunquam illi sanitatem in alienum corpus inducent, imo neque tetros & obscuros spiritus è corpore ægroto vi propria expellent.

Etenim nihil in alieno corpore generare possunt cùm ad proprij corporis vsum, atque commodum tantummodo destinati sint. Adde quod nunquam è corpore spiritus illi exeant, nam siue naturales, siue vitales aut etiam animales fuerint, vasculis quibusdam continentur, è quibus erumpere nequeunt, nisi dispereant, & ipsa vasa reserentur, atque diuellantur. Non enim existimandum est illas exhalationes, quas per sudorem, & euaporationem, atque expirationem emittimus, morbis depellendis inseruire posse, cùm sint tantùm corporis excrementa, quæ vi naturæ, seu facultatis expultricis à nobis reijcimus, ne his inficiamur, vt omnes medici communi calculo asserunt, & experientia Atheorum Dea quotidie docet.

Fateor quidem nonnullos esse morbos, quorum dolores leniuntur ex alterius humani corporis contactu, vt constat in neruorum contusionibus, & alijs ægritudinibus ex causa frigida contractis, quibus vicinia corporum calidorum, tam puerorum, quàm etiam catulorum, non parum prodest, quia ille calor è corpore viuo procedit, & membris illis morbo correptis congruit.

At corporis partem ægram tangere debet, alioquin enim nihil proficiet; sicut neque Syrupi, vel cataplasmata prosunt, nisi ægrotum attingant, quicquid Crollius in Basilica de suo vnguento sympathetico asserat; & alij de diuino; tametsi enim vnguentum ex se nonnullos vapores emittere possit, ii tamen facilè dissipantur, antequam corpus tantisper semotum attigerint. Nec obstat, Crollius.

quòd Atheus respondeat spiritus corporis humani materiæ expertes esse, si quidem non ideo faciliùs extra proprium corpus feruntur: quod si de tribus spiritibus intelligit, de quibus actum est, cùm illi sint tenuè corporis alimentum, vel instrumenta mobilia organis, atque potentiis hominis deseruientia, falsum est eos esse expertes materiæ; sunt enim corpora tametsi subtilia, nam quicquid venis, arteriis, cæterisque canalibus continetur, cùm illis vasculis circumscribatur, corpus esse necessarium est.

Si verò per spiritus ipsam animam intelligit, aut eius facultates, sunt quidem illæ spirituales licet ex suis sensibilibus principijs spirituale nihil admittat. Verùm extra corpus minimè ferri possunt; éstque præter animæ vires, ne dicam contra naturam illius, vt prçter informationem, per quam proprio corpori vitam tribuit, aliquid aliud efficiat. Ratio est, quia hæc est cuiuscúnque formę natura, vt statim atque subiectum aliquod aptum, & perfectè dispositum occurrit, ei det quicquid habet, totam nempe seipsam, omnésque suas facultates, atque proprietates; adeout sese totam exhauriat, nec aliud quidpiam efficere possit: Ita enim vnaquæque potentia actui proprio, & materia formæ correspondet, vt non sit maior vis actiua vnius, quàm passiua alterius, & vnius latitudo alterius capacitati correspondeat: imo potentiæ, atque materiæ vis passiua latior esse videtur, quàm actiua formæ, quandoquidem vna materia plures formas successiuè recipere potest, non autem vna forma plures materias informare. In quo Deus ignobilitatem materiæ compensasse videatur, vt quæ minori actu essentiæ careret, gauderet vtique maiori capacitate recipiendi.

CAPVT XXI.

Quomodo miracula in intelligentias motrices referri possint.

TAmetsi intelligentiæ, seu angeli magna virtute, atque scientia prædíti sunt, neque vllus effectus naturalis eos prætersugit, minimè tamen cōcessero miracula ab illis effici posse, cùm ea vim agentium omnium naturalium vel quoad ipsius miraculi substantiam, vel quoad modum aliquem superent: sic enim oculi videntis restitutio, quoad substantiam naturalis est, at secundùm modum, quo restituitur supernaturalis; quod satis est, vt quibuscúnque angelis illud denegemus. Verùm quorsum de angelis loquimur, vbi rē cum Atheis habemus, qui neque Deum, neque Angelos admittunt? Qui si concedere velint intelligentias cœlorum motrices, facili negotio probabimus Deum esse, à quo illæ intelligentiæ dependent. Constituamus igitur nonnullas esse, vel etiam plurimas intelligentias, quæ non tantum planetis, sed & cunctis stellis, & vnicuique parti hominis præsideant, virtute quarum homines aliqua miracula efficere possint. Sed non omnes intelligentiæ in vnum hominem vim suam influent, etenim qui Ioue propitium habuerit, sæpe ♂ vel ♄, aut ♀ aduersarios habet; igitur qui passim in omni materia, & quouis tempore miracula faciet, ab alio vim illam, quam ab istis intelligentiis habebit.

Supponamus verò aliquem in sua natiuitate omnium intelligentiarum fauorem consecutum fuisse, atque adeò in omni genere miraculosa opera, cùm libet, agere: supponamus aliquem instar microsmi virtutes omnes mundi totius in se recludere, sanè vel omnia, quæcunque voluerit, etiam cōtra totius mundi naturam, atque voluntatem, si in toto mundo voluntatem aliquam agnoscant Athei, facere poterit, vel nihil, quod vnicuique parti mundi repugnet; si primum, quod fieri potest factum esse supponamus, hinc enim nihil absurdi sequitur, ergo ille totum mundum destruere poterit, igitur nullas amplius intelligentias præsides habebit, quippe quæ ad aliquam mundi partem referuntur. Quæ profectò admodum ridicula sunt: nam si terram ille destrueret, quò figeret gressum? quomodo subsisteret? vnde viueret? Nec est vllus qui ad huiuscemodi absurda recurrat. At sicut totam nequit euertere terram, ita neque aliquam terræ partem ita in altum tollere, vt non ad centrum sublatis impedimentis reuertatur, nec enim vel imaginatione, vel desiderio impedire valet, quominus aliquis lapis ad centrum redeat, vbi in altum proiectus, est nec ad illud intelligentia iuuare potest, alioquin contra vniuersi regimen faceret, cui gubernando præficitur.

Sed cùm de intelligentijs loquamur, quæ molem terrestrem in loco sublimi sustinere possunt, & in æternum impedire, ne recidat, aquas cogere, ne in alueis fluant, pluuias, fulgura & alia meteora excitare, cometas inducere, cœlestes etiam orbes tanta rapiditate reuolutos sistere, & terram ipsam reuoluere, si vires illarum intelligentiarum spectemus, quas eis multi catholici tribuunt; Atheis ex hypothesibus illis respondeamus; forsitan enim fatebuntur Christo Domino, Mosi, & cæteris, qui se à Deo missos asseruerunt, idque miraculis comprobarunt, angelos, seu intelligentias ita fauisse, vel adstitisse, vt ea miracula patrauerint, quæ scriptura sancta commemorat. Demus illud gratis, quid inde sequitur?

Nunquid aliquem esse Deum, qui viros illos suscitauerit, vt leges conderent? Et quidem ex intelligentijs concessis Deum asserendum esse clarissimū est. Etenim cùm earum vires limitatæ sint, nec vna possit agere quod alia; vna Iouialibus, altera Martialibus, vna terræ, altera aëri præsit, ab aliquo alio limitari debuerunt; alioquin nulla est, quæ totius mundi regimen sibi non arrogasset, quandoquidem multis, quàm paucis, omnibus, quàm multis imperare nobilius est. Quis autem non eligat id, quod nobilius est? At non omnibus rebus præsunt, vt illi cōcedunt. Quicúnque enim ab intelligentijs omnia nos habere contendunt, vnicuique munus propriū assignant, siue macrocosmum, siue microcosmum cōsideres. Nam à ♄ sublimem cōtemplationem, profundam intelligentiam, grauitatem iudicij, firmam speculationem, propositum immobile, & similia: a ♃ prudentiam inconcussam, temperantiam, benignitatem, pietatem, modestiam, iustitiam, fidem, gratiam, religionem, æquitatem, clementiam, & regalitatem. A ♂ veritatem imperterritam, robur constans, animositatis ardorē, agendi vim practicā, & incōuertibilem animi vehementiā. A sole nobilitatem animi, maginandi perspicuitatem, sciendi & opinandi naturam, maturitatem, consilium, zelum iustitiæ, rationem & iudicium, quò rectà ab iniquis; lucem, qua veritas à tenebris erroris discernatur, imo & charitatē virtutum omnium reginam. A ♀ feruentem amorem, spem suauissimam, desiderij motum, ordinem, concupiscentiam, pulchritudinem, suauitatem, incrementi desiderium, & suimet propagationem. A ☿ fidem penetrantem, interpretandi, & pronuntiandi vigorem, grauitatem eloquij, ingenij acumen, sensúumque velocem mobilitatem, A luna pacificam consonantiam, fœcunditatem, generandi vim, moderatam temperantiam.

Quid magi nos à planetis habere asserant.

Quæ omnia non quidem à solis planetis, sed ab eorum intelligentiis deriuari aiunt, adeout animam ad prædictas virtutes disponant; planetæ verò illam corporis complexionem afferant, quæ ad animam huiuscemodi virtutibus ornatam suscipiendam præire debet, vt sint velut instrumenta intelligentiarum. Quibus suppositis, & ad eliciendam veritatem concessis, alioquin enim falsissima sunt.

Quæro à quo habeat vel ♃ vel eius intelligentia, vt benignitatem, non autem animositatis ardorem conferat, qui ei munus illud potiùs, quam aliud assignauit? Vnde fit, vt eius potentia his, & illis finibus circunscribatur? Quis Michaëlem primæ horæ diei, secundæ Anaelem, Raphaëlem tertiæ, quartæ Gabrielem, quintæ Cassielem: sextæ Sachielem, Samaëlem, & Michaëlem septimæ & octauæ, & sic de cæteris, quis inquam illas fictas intelligentias huic potiùs horæ quàm alteri præfecit?

Fictitię magorum intelligentiæ.

præfecit? Debuit sanè aliquis à nemine limitatus, nullique parti mundi potiùs, quàm alteri addictus illas omnes intelligentias, de quibus Agrippa de Abano, Robertus Flud, & alij istius generis Atheismi fautores plurima comminiscuntur, his & illis diebus, horis, & operibus destinare, atque munera illorum distinguere. Quid si Martis intelligentia Iouis duci bellum inferat, quis pacem conciliabit? Dices illas intelligentias summa pace frui, nec vllum esse inter eas dissidium. Sed contra, ♂ enim multa ♃ contraria efficit, vt videre est apud Cardan. tract. de 7 stellis erraticis. Iunctin. & alios; vnus enim planeta hominem imbellem facit inquiunt, bellicosum alter, vnus infœlicem, alius fortunatum. Nec mihi dixeris illas contrarietates, non in intelligentijs aut planetis, sed in nobis duntaxat, inueniri. Nam antequam in effectibus reperiantur, in causis præfuêre, si non formaliter, saltem eminenter, aut virtute. Igitur in illis antea virtute fuerint; quis hanc virtutem illis distribuit, vt vna maiorem, minorem alia, vna belli ciendi, alia pacem faciendi, vna diuitias congregandi, alia dissipandi virtutem habeat? Nunquid omnis diuersitas, distinctio, inæqualitas, & dissimilitudo ab identitate, vnitate, & vno procedit? quomodo virtutes illę distinguentur, nisi quis eas distinxerit; Nihil inæquale est, nulla virtus maior aut minor nisi quid æquale, vel idem, vel vnica virtus admittatur, respectu cuius hæc aut illa virtus inæqualis, aut minor atque maior dicatur, vt enim lux tenebras, virtus peccatum, & priuatio habitum præcessit, ita vnitas diuersitatem, atque multitudinem, & sicut repugnat binarium, ternarium, aut alium quempiam numerum existere, nisi ab vnitate dependeat, quæ numeros omnes antecedit, ita fieri nequit, vt plures sint intelligentiæ, nisi ab vnica productæ sint. Est igitur aliqua prima intelligentia cæteris præfigens terminos, quæ omnia regit, & in suos fines suauiter ordinat, atque dirigit, quam nos Deum Opt. Maximum appellamus: quos si mundo præfecit, vt illum gubernarent, minimè tamen illum destruere possunt.

Cardan.

Quamuis igitur concederemus illas intelligentias miracula quædam efficere posse, minimè tamen Dei prouidentia, aut existentia neganda esset, quandoquidem illa iuuante Deo facient, quæ cùm præter naturæ vim communem esse meritò censeantur, & illius ordinem longè transcendant, non est quòd illa in intelligentias reijciamus, cum intra naturæ fines constitutæ sint, sibique Deus eos effectus supernaturales reseruarit. Non est quòd de Dei omnipotentia hac in parte disputemus, cùm rem aduersus Atheos habeamus, qui neque Deum neque vllam omnipotentiam admittunt. Addam tamen in Theophilorum gratiam Deum angelorum ministerio vti posse, vt miracula faciat; immo pluribus creaturis mediantibus vt Angelis inferioribus vtitur ad supernaturales, & per consequẽs ad miraculosos effectus vt patet in sacramentis, nã in Baptismo per aquam: in Cõfirmatione per oleũ, in Ordine, Pœnitentia, Matrimonio, Eucharistia, & Extrema-vnctione per verba gratiã in anima, spem, & charitatẽ in voluntate, fidem, & alias virtutes in intellectu producit & peccata delet. Quod maximè verùm est in illorum sententia, qui contendũt tam materiam, quàm formam cuiuslibet sacramenti, vt causas Physicas instrumentales potentiæ obedientialis ope velut supra se factas in animam eiusque facultates agere.

At non est, quòd hic fusiùs de intelligentijs disseramus, cùm in eis difficultatis cardo minimè situs sit, & pauci admodum Athei, vel fortè nulli ad eas prouocare audeant, ne dum multitudinẽ spirituum concedunt, ad vnum adducantur, eumque admittere cogantur, quem tanto studio fugiunt, sed in omni loco recurrit, vbique est, siue ad inferos descendas, siue conscendas cœlos, siue ad Austrum pergas, aut Aquilonem. Posset hic aliquis interrogare, an ex miraculis, quæ Moses, Prophetæ, Christus, vel sancti fecerunt, aliqua potuerint Angeli producere: in quibus multa discutienda essent, etenim quodlibet ferè miraculum nonnihil peculiare ab alio distinctum habet; aliud enim ad physicam, aliud ad medicinam, aliud ad diuersas artes, & scientias attinet. Credidero multa miracula virtute Angelorum perfecta fuisse, vt cùm aquæ Iordanicæ retro commearunt, propheta Abacuc, Enoch, & Elias translati sunt, & alia peracta, quæ tantùm in motu locali sita esse videntur.

Vbi verò subitæ alterationes, vel generationes factæ sunt, quæ natura sua diuturnum tempus desiderabant, illud ab Angelis fieri non potuit, cùm nihil præter localem motum agant, nisi actiua exteriora passiuis applicent. Omitto miracula, in quibus aliqua creatio intercedit, ad quam Angeli nequidem vt instrumenta concurrere possunt, si D. Thomæ sententiam amplectamur, qui id asserit 1. p. q. 45. a. 5. aduersus Auicen. & Magistrum Sent. quia nihil conferre possunt neque motum, neque aliud quidpiam, vbi nihil est.

Aduertendum est autem illos potiùs Magos, quàm Atheos dicendos esse, qui miracula in illos spiritus reijciunt, quique certas constellationes eligunt, sub quibus proprios, cerebróque proprio, vel dæmonis arte confictos characteres præparant, vt admiranda quædam opera siue bona, siue mala perficiant; qui num Atheis peiores, vel meliores sint, quis obsecro concludet? Illi Deum omnino negant, hi dæmones colunt, illi omnia in naturã, hi in diabolum reijciunt; illi tradendi sunt igni, hi verò quibus cruciatibus subijciendi? Denique vtrique seipsos Deo præferre, seque magis diligere, & omnia in se retorquere mihi videntur; hæc enim est summa inordinati amoris impietas, vt quæ priora sunt, posteriora faciat, & posteriora prioribus anteponat; quapropter rectè D. August. illum diaboli, mundique ciuitatem ædificare asseruit, de cuius malitia fusè ad c. 3. Gen. ver. 6. integra quæstione egimus.

Vt verò ex ipsa Magorum, vel Atheorum impia falsaque persuasione, vel opinione proficiamus; ostendo ex ipsis miraculis, quæ Christus fecit, hũc esse, cui meritò credere debemus, & quẽ tutò, atque meritò sequi possumus, etiamsi vim illam faciendi miracula ab intelligentiis astrorum, vel astris habeat. Enimuero cùm non tantùm in vno genere, sed in quacunque materia, in aquis, in terra, in pane, vino, piscibus, cœlis, inferis, morbis quibuscũque, & in personis diuersæ conditionis, atque complexionis miracula faceret, debuerunt omnes cœlestes influentiæ in eum confluere, omnésque intelligentiæ beare tantum legislatorem, qui propterea cæteris hominibus melior iudicandus est, cùm sit excellentior; qui cùm tot prærogatiuas à cœlo, ciuibusque cœlestibus hauserit, vt volunt, veracissimus esse debet, si quid in toto mundo verum est, nec enim ea virtute carere po-

tuit, si quæ veritas à cœlis manare potest, quandoquidem omnes virtutes cælorum ad eum fœlicitandum, & omni virtute proficiendum ex Magorum, Astrologorum Iudiciariorum, & Atheorum confesso conspirarunt, adeout si quando Deum aliquem visibilis forma conspicuum agnoscere potuerunt homines, illum maximè diuinis honoribus afficere debuerint. Nec enim vllum Deum totus omnium retroactorum sæculorum paganismus commemorare potest, in quo omnia ita concurrerint, quæ aliquem esse Deum nobis persuadere possent, ac in Christo Domino, cuius vita continuum miraculum fuisse videtur; Numerent obsecro Athei morbos omnes, quos persanauit, qui benefaciendo sanabàt omnes.

Prodeat aliquis gentilium Deus, qui sic omnia ad alterius honorem, & gloriam peregerit, ac ipse Christus, qui non suam sed patris gloriam in omnibus quærebat, quique omnium salutem tam ardenter expetebat, vt pro omnibus millies vitam suam exponere paratus fuerit, & reuera totũ sanguinem in eum finem profuderit. Videant ergo Athei, quanto iure legem illam amplectamur, cæterisque legibus præferamus, quem Christus instituit, adeout nulla gens esse possit, quæ verissima esse non fateatur, quæ tantus vir nobis enunciauit, vt cum illis loquar, eorumque falsæ sententiæ quodammodo faueam, vt tandem aliquando quocúnque se vertàt Deum verum esse fateantur, quem Christus nobis annuntiauit.

CAPVT XXII.

Astra non esse causas miraculorum, quæ fiunt in morborum curationibus.

MVltas fabellas Astrologi commenti sunt, vt omnium præcipuè verò principum amicitiam sibi conciliarent, & eos in sui adducerent admirationem: hinc fit, vt vix vlla res in toto mundo possit inueniri, quam non alicui peculiari asterismo, vel planetæ, vel decano subiecerint.

Quæ iam omitto, vt ostendam astra miraculorũ causas esse non posse, licet Atheis concessero, quicquid de vi siderum Astrologi cõminiscuntur, apud quos nullam domum reperias, quæ miraculosam morborum curationem vlli polliceatur. Vt verò technas omnes aperiamus, audi, quæ afferant. Totam hominis cuiuslibet vitam à cœlo dependere aiunt, itaut membra omnia in zona signifera statuant, adeout totum corpus capite, & pedibus, sicut zodiacus ♈, & ♓ contineatur: quos statim is refellet, qui sine pedibus natus fuerit. In homine reperiri 5 sensus, inter quos oculi sunt veluti luminaria, sicut in cœlis 5 errores: humores hominum eodem modo, quo elementa affici, itaut pro diuersis cœlorum, stellarum, planetarúmque sitibus, atque configurationibus isti humores varios effectus procreent, atque diuersas temperies efficiant. In corpore bilem atram omnium motuum semina continere, adeout illa præsertim diuersorum ingeniorum mater esse videatur, sicut terra diuersarum herbarum. Temperamentum sæpius ob vnicum stellæ situm variari, ad eum ferè modum, quo dictiones variantur litteræ vnius additione, vel detractione, prout in hac dictione *Onus*, contingit, cui si literam, r, addideris, durior erit, *ornus*, adde etiam, h, durior adhuc euadet dictio, *hornus*, atque adeò innumera esse temperamenta, sicut & dictiones.

De variis humoribus.

Quæ libens ab Astrologiæ concessa proceribus accipio. Sit igitur tanta in temperie, & ingeniis hominum varietas, quanta est plantarum è terra nascentium diuersitas. ♄ naturalem ♀ iucunditatem irradiationibus suis tristibus inficiat, & sorde fœdet elegantiam.

Quomodo signa Zodiaci corporis partibus dominentur.

Zodiaci caput ♈ capiti dominetur, & illud efformet, ♉ ceruicem, & iugulum: ♊ humeros, lacertos, & manus regant: pectori, atque costis præsit ♋; diaphragmati, stomacho, & ventri ♌: ♍, præcordiis, & hypochondriis, renibus, vertebris, atque natibus ♎: ♏ iliis: femoribus ♐; genibus, & poplitibus ♑; suris & talis ♒; denique pedibus vltimis ♓. Rursum gratis demus illa signa quodlibet humani corporis membrum in se continere, & motus omnes corporis eo modo à signiferi motibus dependere, quo motus plectri, vel securis, & asciæ pendet à manu cytharœdi, vel fabri, adeout nullum motum exercere possimus, nisi simul motum suũ zodiaci signa nobis accommodent, atque nostrum promoueant. Deum insuper parum, vel nihil animam in letheo fluuio immersam fuisse, neque materiæ syluam induisse, cùm ad ♌ accessit, sed è ♋ puram descendisse. Supponamus eam in ♄ λογιστικὸν θεωρητικὸν, in ♃ πρακτικὸν, in ♂ θυμικὸν, in ☉ αἰσθητικὸν, καὶ φανταστικὸν, in ♀ ἐπιθυμητικὸν, in ☿ ἑρμηνευτικὸν, in ☽ denique φυτικὸν sibi comparasse, an ideo miraculorum effectrix esse poterit?

Pythagorica philosophia.

Sanè nihil video, etiam si hæc omnia licet falsissima concessero, quod vllam miraculi patrandi vim animæ, vel homini tribuat.

Scio quidem ab astrologis stellas membris nostris præfici, adeout velint humana signa, qualia ♍, ♊, Andromedam, & Cassiopeiam constituunt, artus ad humanorum similitudinem efformare, signa verò bruta mẽbra concinnare, in quibus præcipuum robur inest. Leo, inquiunt, vires amplificat; ♍ confert ad pulchritudinem, idemq; præstat ♐ qua parte est homo; qua vero equus, robur adiungit. Cum verò ♋, ♓, & ♈ sint deformia signa robur, & pulchritudinem adimunt. Alias nugas, quas astrologi proferunt, omitto, vtpote indignas, quibus tempus aliquod impendamus.

Signa humana, & bruta.

Et quidem omnes Astrologos, ipsosque dæmones prouoco, vt sidera, eorumque coniunctiones designent, quæ vim miraculorum tribuat in subita morborũ desperatorũ cura contingentium, quãdo numini diuino ita placet. Dirigant quantumcunq; voluerint horoscopum ad planetarum terminos, & illum per profectiones, & transitus, si minus bene cesserit, corrigant, non omittant annuos progressus, non quantitatem effectuum directionis, non modos dirigendi significatores extra 4 angulos versantes, aut in aliquo angulo constitutos; promissores inuestigent. Denique voluantur, atque reuoluantur omnes dignitates tam essentiales, quã accidentales planetarum, neque, si fieri potest, vel vnica

vnica stella sextæ magnitudinis omittatur, quam Astrologi non perspiciant, & natiuitati hominis illius accommodent, cui vim miracula faciendi à syderibus datam esse volunt.

Nunquam sanè poterunt inuenire sidus, quod vim illam influat. Quomodo enim virtutē influeret, quam non habet? nunquid eo solùm fine cœli, & astra creata sunt, vt ad rerum inferiorum naturales mutationes, atque generationes concurrant? nunquid per motum localem operantur? quæ omnia successionem postulant, cùm tamen in instanti miraculosæ curationes sæpe contingant.

Nomina & significationes 12 domorum.

Verùm non est, quòd vllis argumentis vtamur, cùm neque Astrologi domum vllam miraculorum agnoscant, quandoquidem prima, quæ dicitur horoscopus, & cardo Orientis ad summum designat quodnam sit infantis temperamentum, & ingenium, ἀναφορὰ domus est lucri, vel diuitiarum, & paupertatis. Tertia fratres, & affines considerat, cui nemo miracula tribuit, licet Dea nuncupetur. Quarta patrem, & hæreditatem spectat, quam ὑπόγειον appellant. Sit quinta ἀγαθὴ τύχη, quid tum? num aliquid præter prolem, & delectationem, atque honores significat? Sextam non attingo, cùm sit astrologis κακὴ τύχη cum suo succo melancholico, & omnium malorum lerna. Fœminas verò tantummodo, & quæ ad eas pertinent, septima respicit, neque minora mala portendit octaua, quàm sexta. Hem meos noua lux subit oculos, quæ profectò ab Atheorum natiuitate abfuisse videtur, si iuxta regulas Astrologorum conijcere licet; hæc enim cum θεὸς sit, in religione constantiam designat, qua destituuntur Athei, sed verbum audi; eorundem inconstantiam significare potest, quapropter ♃ in eorum horoscopo consignificator esse potuit.

Vin tu promam 10, in qua culmen honorum, & gloriam, atque famam collocant? Ergóne hac in domo miracula statuent? at priùs videat quodnam sydus, vel quis decanus in ea reperiri debeat, vt vim miraculorum nato promittat, enimuero nullam cœli, siderisue partem inuenire poterunt, quæ maiorem ad miracula vim, quam festuca habeant. Amicos vndecima, carcerem denique κακὸς δαίμων, seu duodecima significat. Ex quibus non video vbi miraculorum præsagia, vel causas deprehendant, vt iam fateri debeant se nequidem astrologica ratione fulciri, dum miraculosas morborum curationes in astra refundunt.

Quibus morbis planetæ præsint.

Hinc facillimum fuit Iunctino cæterisque nugiendulis, qui stulto Materno, atque pagano Ptolomæo manus, fidemque dederunt, omnes morbos ad singulos planetas, & signa Zodiaci referre, & decernere tunc cæcitatem futuram, cum ♄ in 12 domo fuerit, & ☉, ☽ & ♂ trigonicæ radiationi iunctos respiciet: surditatem verò, ♄ in 6 domo fuerit, & versus cœli medium reliquis planetis altior quadrato ♂ affligatur.

Omitto linguæ vitia ex ☿ debili in signis mutis ♉, ♋, ♏, & ♓ posito iuxta stultorum Astrologorum sententiam oriunda; dentium dolores ex ♄ combusto à ☉, & signū aqueum peragrante; morbum comitialem ex ☽ cum ☉, & ♂; paralysim ex ☉, & ♄ se hostiliter respicientibus in 6, & 12 domo: morpheam ex ☽ cum planetis maleficis in signo aqueo; elephantiam ex ☽ in ♉, & ♄ in ♍; ictericiam ex ♂ sub terra combusto: ex ♄ cum ☿ in 8 domo calculum: cardiacum ex ♂, qui ☿ tetragonicè respiciat: ventris tormina ob ♄ cum ☿ in 6 domo, & alios morbos propemodum infinitos, quos infinita Iudiciariorum stultitia à syderibus repetit, quos facilè reperias apud Pontanum l. 10, 11, 12, & 13. Iunctinum in 3 Ptol. c. 11. & alios.

At vix vllum leges, qui miraculosas morborum curationes in planetas, signa, vel alias cœli partes referat. Video solùm, quod ex Ptolem. c. 11. vel secundum alios 12, aut 16 Athei possint objicere, nempe ♀ stellā diuinis occasionibus, vel prophetijs infirmitates quoquomodo lenire, & eas medicaminibus diuina occasione prouenientibus cessare facere: sic enim habet Ptolomæus, ὁ δὲ τῆς ♀, διὰ προφάσεως θεῶν καὶ χρησμῶν, τὰ μὲν εἶναι, ὥστε τινὰ εὔμορφα καὶ ἐπιχαρῆ κατασκευάσαι. τὰ δὲ πάθη, ταῖς ἀπὸ θεῶν ἰατρείαις εὐπαρηγόρητα.

Ptolomæus refellitur.

Quod adeò obscurum est, vt vix scias, quid hic astrologus velit; quid enim est vitia diuinitus petitis curationibus mediante ☿ fieri mitigabilia? an quia Venus quidpiam in se diuinitatis habet? an quia suis precibus morborum istorū curationem à Deo impetrat. Ergone ratione pollet, qua vota pro nobis concipiat? num eam esse putant diuinæ particulam auræ, quæ aliquid in nos influere possit, quod morbos tollat? Apage mihi nebulones istos, qui tot fabellas sine vlla ratione effutiunt; scimus ♀ esse planetam, qui paulo maior & candidior sit, quàm ♃: sed negamus eam ad morborum, seu vitiorum desperatorum curam aliquid conferre posse. Ecquis obsecro cœcum ob beneficum non solùm ♀, sed & totius militiæ cælestis aspectum illuminatum fuisse notauit?

Nunquid priùs morbi materiam pedetentim tollere debent astra, quàm valetudinem pristinam restituant? quod sanè longum tempus requirit, vbi tamen morbi subitò per miracula tolluntur.

Quid si gratis cōcessero morbos à syderibus persanari, num ideo concludes nullum esse numen? à quo igitur sidera vim illam habent? numquid ab aliquo, qui sit astris maior, enimuero si quicquid habēt astra, à se ipsis habent, cur adeo imperfecta sunt? cur tam parua? cur ita mouentur? cur non magis, aut minus distant à nobis: cur vim adeò breuem habent, vt tam pauca vitia curare possint?

Verùm hæc omnia, vt pote risu dignissima relinquo, nec enim vllum tam expertem rationis esse arbitror, qui huic opinioni fauere velit, idcóque ad nouum caput accedo, quod mortuorum resurrectionem latè discutit, & ex ea clarè Deum esse conuincit, sicut reuera subitæ morborum curationes, eorum præsertim, quos medicina tollere nescit, diuinum numen astruunt.

CAPVT XXIII.

An reſurrectio mortuorum Deum eſſe aduerſus Atheos conuincat.

SVppono eos hiſtorias admittere ſiue profanas, ſiue ſacras, ſi non omnes, aliquas ſaltem; vt enim antea probaui, omnis prouidentia humana dictat illis hiſtoriis, maximè quæ in ſcriptura ſancta habentur, credendum eſſe, vel nulli rei credendum, cùm omni fide, & authoritate cæteris hiſtoriis anteſtent, ijsque fidem adhibendam eſſe omnia fidei motiua concludant, quæ in gentilibus conuertendis proponi ſolent, iuxta Pſal. 92. *Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis.* Quapropter de hiſtoriarum veritate, quæ à Scriptura ſacra, vel authoribus ſacris, vel etiam profanis de reſurrectione mortuorum afferuntur, non hìc diſceptamus, ſed totus cardo difficultatis in eo ſitus eſſe videtur, vt inueſtigemus, an illa omnia miracula in cauſas naturales, & creatas refundi poſſint, adeout non ſit neceſſe agens vllum admitti, quod ſupra totam naturam poſitum, ei præſit, adeout omnis creatura in omnibus ei pareat, ipſum verò præter illius vires, & ſupra id omne, quod creatum eſt, operetur.

Pſal. 92.

Iam verò quæſtionem aggrediamur; opponunt Athei paganos, apud quos mortuorum quorumdam reſurrectio celebratur; nam Alceſtim Peliæ filiam, & Admeti Phæreorum regis coniugem Hercules ad vitã reduxiſſe dicitur. Erichto Theſſalica maleficа ad vitam reuocauit militem recenter occiſum, qui Pharſalici belli euentum Sexto Pompeio prædixit. Apollonius Thyaneus emortuam puellam vitæ reſtituit. Zacla Ægyptius ſacrificulus mortuũ cadauer ſuſcitauit; nonne Plinius atteſtatur Auiolam virum conſularem, L. Lauiam, Cœlium Tuberonem, Corfidium, Gabienum, & pleróſque alios defunctos reſurrexiſſe? Similiter Æſopum fabulatorem, Tyndareum, Herculem, atque Palicos Iouis, & Taliæ filios demortuos, iterum reuixiſſe legimus. Quid immoror? inquit Cæſar Atheorum; In Phygalia Arcadiæ vrbe complures erant ſacerdotes, animarum, quæ vita functæ eſſent, euocatores; nonne diuinus Plato refert Phæreum Pamphylium inter eos, qui acie ceciderant, decem diebus iacuiſſe, biduóque poſtquam ſublatus eſſet, rogo impoſitum ſuperuixiſſe? Horum autem miraculorum cauſam in agentia naturalia referunt Athei, ne cogantur Deum admittere.

Diuerſi qui mortui reuixerunt.

Cauſæ cur al quis reuiuiſcat.

Primam ergo miraculorum cauſam aliqui dæmones faciunt, quibus minimè vult ſubſcribere Vaninus, niſi prius ei probaueris naturali ratione dæmones admittendos eſſe. Alij referunt mortuorum reſurrectionem in Necromantiam; animæ enim poſt mortem adhuc relicta corpora diligunt, maximè quæ debita ſepultura carent, & quæ ſuum corpus violenta morte dereliquerunt, & adhuc in turbido illo, humidóque ſpiritu circa cadauera oberrant, tanquam circa cognatum aliquod eas alliciens.

Prima refertur in dæmones.

2 In Necromantiã naturalem.

Hinc Philoſophi cognoſcentes ex defuncti moribus, illius animæ effectus, & proprietates, per conſimiles vapores, liquores, nidoréſque facilè ad vitam euocare poterunt: vnde apud Homerum Circes docet Slyſſem, ouis, lacte, melle, oleo, vino, aqua, farina, &c. animas ad corpora inuitari.

Tertiò referunt in nouos legiſlatores, quibus à ſyderibus facultas concedi poſſit, vt mortuos viuificent; ita Pomponatius apud diſcipulum; Huc refero ſententiam Philoſophorum Arabum, qui volunt homines aliquos ita ſe ſupra corporis vires eleuare poſſe, vt cœli, & intelligentiarum perfectione adepta, diuinum vigorem, & ſupra inferiores animas principatum acquirant, itaut defunctorum animæ, vt minus perfectæ, illis obtemperare cogantur, ac propterea ad illarum mandatum, cadaueris domicilium non recuſabunt.

Tertia in fauorem nouorum legiſlatorũ.

Quarta cauſa refertur in quaſdã herbas, quarum virtute putant à priuatione ad habitum regreſſum eſſe poſſe; ſic enim teſte Xanto apud Plin. l. 25. c. 2. occiſus draconis catulus reuocatus eſt ad vitam ab herba Bali; qua etiam ſaluti reſtitutum eſſe Tillonem, quem draco occiderat, ait, & Iuba recitat hominem in Arabia reuocatum ad vitam vi herbæ alicuius.

4. In herbarũ virtutem Plinius.

Quinta cauſa eſt, quia cùm omnis anima ſit in ſanguine, teſte Scriptura ſacra, nonniſi à ſanguinis abſentia, vel vitio mors accerſitur, cui occurrere poſſumus, venas aperiendo, atque eis, marcido liquore expreſſo, calidum, & viuificum ſanguinem infundendo.

5. In ſanguinem.

Sextò putant viuentium afflatu mortuos poſſe reuiuiſcere, non ſecus ac muſtella interempta ſpiritu & voce parentis in vitam reuocatur, & leones inanimem partum inhalando viuificant.

6. In viuentiũ afflatũ.

Septimò, alij reſurrectionem illam minimè veram credunt, ſed eos qui reuiuiſcere viſi ſunt, ectaſi, lethargo, caſu ab alto loco, ſyncope, vteri ſtrangulatione, apoplexia, epilepſia, vel ſimili morbo correptos fuiſſe, aſſerunt.

7 In apoplexiæ & aliorũ morborum curationem.

Octauò, volunt à calore vitam reuocari poſſe, idque beneficio putredinis, ita Paracelſus ſequentibus verbis ab Eraſto 3 parte relatis. Per putredinem inquit, & in putredine viuificatur omnis materia ſeu phlegma mucilaginoſum, quicquid tãdem ex eo naſcatur, quod ouorũ exẽpla docent, in quibus mucilaginoſa latet humiditas, quę à quauis caliditate conſtante putreſcens tranſmutatur in pullum. Non enim à ſolo gallinaceo calore, ſed à quolibet alio eiuſdem gradus tranſmutari poſſunt in viuentes aues, oua omnia in vitro, & cineribus poſita. Hac ratione ſub alis excludere pullum ex ouo vnuſquiſque nouit. Sed maius aliquid hic eſt ſcitu dignum, quòd huiuſmodi auis in lutata cucurbita tertio ignis gradu in puluerem, cineréſque combuſta, & deinde in ventre equino per ſummam putrefactionem in phlegma mucilaginoſum redacta, phlegma hoc ſecundò poteſt in auem tranſmutari, vt renouata, iterumque inſtaurata ſit auis.

8. In calorẽ cum putredine mixtũ

Phlegmatum prædictorum in ſua putamina reductio, eſt mortuorum reſuſcitatio, regeneratio, & clarificatio, magnum miraculum. Hac via poſſunt viuentes aues omnes occidi, iterúmque in vitam

Erastus.

tam reuocari, renouari, instaurari; quod miraculorum à Deo mortalibus manifestatorum summum, maximumque est inquit Erastus. Nec tantùm id de auibus, sed & de omnibus affirmat Paracelsus. Non est credendum sophistis, inquit, negantibus mortua posse ab homine (sed natura docente) reuocari ad vitam; quod exemplis leonum à rugitu parentum vitam accipientium, muscarum in aqua suffocatarum, serpentis occisi, & chemiæ beneficio per putrefactionem in multos eiusdem speciei serpentes conuersi, probat; & ait Hermetem, & Virgilium opera Necromantiæ seipsos isto modo resuscitare voluisse, at malè propter imperitiam eis cessisse conatum. Ita verò sententiam limitat, vt illa sola reuocari arte dicat, quæ à nobis occisa sunt, non autem quæ naturali decursu absoluto mortua sunt, quæ fatetur ad vitam redire non posse.

Paracelsus

Hermes, & Virgilius an suscitati?

Hæc sunt quæ ad suum impium errorem tuendum Athei producunt, vel vt resurrectionem pernegent, vel eam in causas merè naturales reducant, ne ex hoc ingenti miraculo Deum aliquem inferamus, quibus omnibus ita satisfaciendum est, vt nullus deinceps hisce dogmatibus locus esse possit, & diuinitas, quam omnes adorare debemus, inde magis elucescat.

Quanquam resurrectiones à Christo potiùs factæ sint, vt gloriam paternam propagaret, quàm vt esse Deum probaret; Iudæi siquidem Deum esse, eumque vnicum facilè credebant; sed Christum esse Dei filium, verúmque Messiam nolebant credere, ideóque ne possent vllam excusationem prætendere, multa signa, prodigia, atque miracula Christus peragebat, vt illi ad veritatis lumen accederent, ac legis antiquæ detersis tenebris, filij lucis efficerentur. Verùm licet non ideo facta fuerint miracula, vt Deum esse probaretur, attamen ad illud comprobandum & assumi possent, & reuera Deum esse cōcludunt, quandoquidem solus Deus verum potest efficere miraculum, licet non semper rationem assignare possimus, quare vel angelus, vel homo idem præstare nequeat; sed nec illud requiritur, cùm nobis sufficiat, si rationes dissoluerimus, quæ vel aduersus diuinitatis existentiam, vel miraculorum, aut aliorum mysteriorum veritatem ab Atheis opponi solent. Nec enim rerum essentiam apertè cognoscimus, nec mysteriorum fidei veritatem clarè nouimus, quandiu peregrinamur in hoc corruptibili corpore, sed ea in futurum reseruantur, quando no tantùm, sed & ipsam diuinitatem apertissimè cognoscemus, sicut & cogniti sumus.

CAPVT XXIV.

Quòd resurrectio mortuorum non possit in dæmones referri, sed Deo soli conueniat, ac proinde Deus, concessa resurrectione, sit etiam admittendus.

Nodus difficultatis.

CErtum est magnam esse dæmonum potestatem, id enim non tantùm historiæ produnt, Scriptura sacra confirmat, Theologi probant, sed est in confesso apud omnes bene sentientes, certum est eos nihil posse, quod sit supra totius naturæ vires, cùm mediis solummodo causis naturalibus operentur. Verùm an mortuorum resurrectio sit supra totius naturæ vires, hoc opus hic labor est, vbi notandum est imprimis Deum etiam admittendum esse, licet id potentiæ dæmonum, vel angelorum subiici posset, enimuero vnde hanc potestatem habebunt? numquid à summo spiritu, qui Deus est: quod vsque adeò verum, vt semper Deus necessariò admittendus sit, licet homines seipsos viuificare possent, imo licet alios mundos huic similes crearent, nec enim hanc à se, sed à Deo virtutem haberent. Quibus in præsenti omissis, non desunt qui concludere se posse credant à malis angelis hominem viuificari posse; quibus non satisfacis, si dixeris resurrectiones illas non fuisse veras, sed spectra & phantasmata, iuxta id Virgilij de Anchise filio loquentis, qui post mortem patris appareret:

Infœlix simulachrum, atque ipsius vmbra Creüsæ.

Plutarch. Tacit.

Negant enim in visionibus illis deceptionem vllam fuisse, sed veras credunt, quæ Dionysio Syracusano, Plutarcho teste in eius vita apparuerunt; quæ Curtio Rufino, ex Tacit. 11. annal. Pertinaci Imperatori, apud Capitolinum; Tacito, apud Vopiscum, Constantino, & Iuliano apud Ammianum l. 21. & 25. Castori & Polluci ad lacum Iuturnæ, vt Symmach. 1. epist. 29. refert, Faunorum, Satyrorum, Syluanorum, Laruarum, Geniorum, Penatium, Harpiarum, Syrenum, Nympharum, Dryadum, Hamadryadum, Nereadum, Ægypanum fabulas pro veris rebus assumunt, de quibus nos alibi.

Capitol. Symmach. Variæ apparitiones & resurrectiones.

Rident eos, qui dicunt dæmones ex elementis corpora formare, vel cadauera furto sublata mouere, ac si viua essent, prout abstulit corpus Romuli teste Liuio lib. 1. ab vrbe condita, & Plutarch. in Romulo; & alios ad tempus sustulit pro Glauco, Pio, Thyndaræo, Ero &c. quos à morte reuocatos veteres crediderunt, apud Alexand. ab Alex. lib. 2. cap. 9. & lib. 5. cap. 23. Negant præterea suscitatos ab Apollonio, de quibus agit Philostr. lib. 6. vel à Simeone Mago apud Clem. in itinet. & Egesippum 3. de excidio Hierosol. cap. 2. ab Æsculapio, & Armeno, apud Platon. 10. de Repub. fabulosos esse, aut in eorum apparenti resurrectione homines à dæmone deceptos fuisse.

Liuius.

Alex. ab Alex. Philostrat. Egesipp.

Plato.

Lappos apud Olaum lib. 3. cap. 18. resurgentes, Aristeam Plinij lib. 7. cap. 52 à morte reuocatam, & Clazomaniam Orig. 3. contra Celsum; Enarchum Eusebij l. 11. c. 18. Tondalum Dion. Charthusiani cap. 49. & 50. de quatuor nouissimis, vt veras historias, veras resurrectiones ope tamen

Olaus Plin. Origen. Euseb. Dion. Charthus.

dæmonum, vel alio modo naturali perfectas amplectuntur, tametsi longissimè à veritate aberrent.

Illis verò negationibus, & affirmationibus minimè contenti, nostrorum vtuntur argumentis. Delrio, inquiunt, fatetur animalia, quæ nascuntur ex putredine, posse cùm vitam amiserint, naturalibus remediis à dæmone viuificare, licet idem de perfectioribus animalibus non ausus sit asserere, timore potiùs, ne libri, quos edebat, censura ferirentur, quàm rei veritate conuictus, nunquid enim par est ratio, vt quemadmodum vna anima reuocatur ad corpus emortuum, ita cæteræ reuocari possint? Quod eo faciliùs de rationali dici potest, quominus corruptioni fuerit obnoxia; pauciora nanque requiruntur, vt corpori restituatur, quæ per se subsistit, quàm insectorum vel brutorum animæ, quæ perierunt. Hæc sunt, quæ referunt, & quibus fulciuntur Athei.

CAPVT XXV.

Ex quibus capitibus oriatur, vt Dæmon non possit mortuum hominem viuificare.

Prima ratio

PRima ratio est, quia solius Dei imperio subdita est anima separata, sine quo neque huc, neque illuc mouere se potest, nec proinde ad corpus redire; statim enim atque nouum essendi modum acquirit, simul ordinem mutat, ac velut in nouam Rempublicam admissa domino spirituum subijcitur, bona beatâque vt præmijs, improba verò supplicijs afficiatur; Iam enim suppono, quod antea probatum est, videlicet animam immortalem esse; vt clarum est ex appetitu innato, quem, dum in corpore versatur, ad immortalitatem in se persentiscit; ex intellectu, qui de rebus æternis tam altè philosophatur, ex voluntate, quæ belluino appetitui tam irascibili, quàm concupiscibili dominatur, & eorum propensiones corrigit, atque refrænat; ex mente, quæ se supra se, suásque operationes millies reflectit, & ex ipsa Scriptura sacra, quæ omni ratione certior est, & cæteris anteponenda.

Hunc autem ordinem, quo post mortem animæ disponuntur, luculentissimè docet fides Catholica, Scripturæ sanctæ interpretes, & Theologi, quē nunc referre minimè necesse est; rem enim cum Atheis habemus.

2. Ratio.

Secunda ratio cur dæmon suscitare nequeat, est quia rationalis anima, nō eam habet aptitudinem, vt quouis modo, atque medio cum suo corpore iungatur, sed tantùm per vnionem substantialem, quæ vi præcedentis generationis, à semine attingitur siue paterno, siue materno, siue vtrisque simul, adeout à nullo alio semine eadem vnio eandem coniungens animam, quàm ab illo, à quo priùs effecta est, attingi possit, Deus enim pro diuersis dispositionib⁹, & embryone variè disposito, varijsque organis affecto diuersas animas infundit: eædem verò dispositiones ab eodem patris fortè iam mortui semine dependet, quando filius suscitatur, quod cùm dæmon restituere nequeat, nec non potest in eundem vterum eodem penitus modo dispositum eiaculare, vel transferre, vllum vitæ restituere, quia tametsi pater, ac mater adhuc viuerent, suas dispositiones, & temperies immutarunt.

Obiectio & eius solutio.

Quapropter idem numero semen ab eis detrahi, vel emitti nequit, nec proinde corporis eiusdem cum eadem anima vnio restaurari potest; Quod si urgeas in alio semine eadem reperiri posse, quæ in præcedenti, maximè si dæmon curet, vt vel idem homo, qui genuerat, huiuscemodi cibis vtatur, & exercitijs, quæ maioris ætatis defectum compensent; vel distinctus homo in eadem ætate ijsdē vtatur edulijs, vel ipse dæmon, qui partes omnes corporis, & ingestum cibū, & potū aduertere potest, ita quibusdam appositis, omnes internas, ac principes partes attemperet, vt eiusdem tēperiei semen efficiatur, quod proinde simillem puerum generare possit ei, qui mortuus est, vt idem reuiuiscere videatur, nihil obstat. Nam vt hæc demus, nihil sequitur, quod ad resurrectionem pertineat, quandoquidem similis productio non est mortui ad vitam reuocatio, licet neque illud concedi debeat: nam cùm homines liberi sint, & multis exercitijs sese applicent, multísque cibis onerent, & alia quamplurima faciant; quæ dæmon præuidere nequit, ideóque minimè præstare potest, vt hoc aut illud semē in indiuiduo, seu atomo producatur. Imo tametsi phantasiæ, vel alterius facultatis, & organi corruptione, & alteratione faceret, vt quis non valeret opera rationis, ac libertatis exercere, & belluarum more viueret, nequit ita semen aptare, quia non ei ad nutum parent animales facultates, nec partes seminificatiuæ, vt medici loquuntur, sed proprios, & connaturales motus habent, quos si tantisper diabolus immutauerit, eorum crasis necessaria statim peritura sit; in quibus profectò summa Dei prouidentia relucet, qui tametsi syderibus, & angelis mundum hunc sublunarem commisisse videatur, penes se rerum omniū regimen, & vltimā dispositionem retinet. Quò fit, vt credam nescio quid in quibuscunque creaturis singulare positum esse, in quod Deus solus dominium suum exerceat, non tātùm prout ab eo in nihilum redigi, sicut & creari, vel quibusdā perfectionibus nouis tam naturalibus, quàm supernaturalibus ornari, vel quibusdam dotibus spoliari, vt figura, quantitate, colore, cæterísque debitis accidentibus, vel alio quouis modo possunt immutari, sed etiam prout ipsæ suos propriōs motus obeunt, quos iuuat & promouet, ac cum eis tam immediatione suppositi, quàm virtutis operatur. Esse aliquid in creatura, quod solius diuinæ potestati subsit.

Adde quod angelus nequeat species intentionales à corporibus detrahere, & aliò transferre, sicut nec lumen à sole, imo neque efficere, vt paries

ries albus exempli gratia longiùs, quàm assolet, vel vmbram, vel suorum colorum, & quantitatis speciem proijciat; idémque dicito de cæteris actionibus quas neque per se remittere valet, nec intendere, nec perficere, vel minuere, nisi quibusdam causis naturalibus adhibitis, quibus eas impedire potest. Mitto cætera, vt clariùs ostendam ab eo nullum resuscitari posse. Id enim nequit facere nisi beneficio eiusdem seminis, quod est causa naturalis penitus necessaria, cur hic infans progignatur, quod cùm restitui nequeat, Athei valeant necesse est.

Quibusdã causis naturalibus adhibitis.

Tametsi verò semen aliquod ita possent ad temperiem reducere, vt non tantum alteri simile, sed & idem esset cum eo, nondum hominem à morte reuocare possent. Nec enim illud per totum corpus diffundere possunt, vt in singulis corporis partibus animæ producat vnionem, quod vt fieret, magnum corpus hominis mortui ad eandem magnitudinem reduci deberet, cuius erat, quando corpus ab anima fuit informatum, quod à dæmone fieri nequit; nisi fortè velis, vt idem faciat, ac herus ille, quem ferunt seruo suo præcepisse, vt eum occideret; quod cùm partim minis, partim promissis à seruo impetrasset, iussit, vt in partes minutas eam dissecaret, & in olla inclusas, & obturatas in fimo profundiùs sepeliret, fore namque post 9 menses, vt reuiuisceret: quod cùm seruus præstitisset, à magistratibus vrbis post menses circiter quattuor rogatur, quò herus perrexisset, qui cum trepidasset, & vultu post vrgentes interrogationes concidisset, metu suppliciorum adigitur ad rei veritatem aperiendam, ac rem prout transacta fuerat, confessus est; pergunt ad ollam vrbis magistratus, quam cum eruissent, iam illas partes coagmentari, & ebullire deprehenderunt; vnde quidam intulerunt hominem illum post 9 menses, aut tempus constitutum in vitam reuocandum fuisse.

Mira historia domini à seruo occisi, vt resurgeret.

Quæ tamen ridicula sunt; quamuis enim illæ partes ebulliant, & fimi calore, ac humiditate innata coagulari possent, nunquam tamẽ inde quidpiam resultabit, quod idem ac antea homo dici possit, cum ea minimè concurrant, quæ tamen omnino necessaria esse iudicandum est. Vbi enim vterus maternus cum suis officiis, quæ alibi descripsimus? vbi semen illud, quod prius embryonem circa diem 7 maioris formicæ magnitudine delineet? Vbi matris alimentum, quod 9 mensium spatio fœtui communicetur? An his omissis cætera dæmon supplere potest? Nugæ profectò, cum nihil nisi per motum, & applicationem actiuorum cum passiuis efficiat: actiua verò quæ hic præsertim exquiruntur sunt semen patris, atque matris; vteri viua, debitáque conformatio; alimentum prius ore materno sumptum, & alia plurima, quæ nullatenus à dæmone suppleri possunt.

Rogabit autem aliquis, an dæmon potestate, & scientia careat, qua semen ab aliquo desumptum, & à se in corpore, prout voluerit, præparatum tandiu in proprio calore, & cum innatis spiritibus conseruet, vel ei calorem paulo maiorem, vel minorem, & copiosiores spiritus imprimat, & ingeneret, quàm sint illi spiritus ab eo deprompti, cuius illud est semen, quod postea succubi, vel incubi more ad alicuius generationem transferat, qui vel idem sit cum mortuo, vel illum ita imitetur, vt eundem esse indices, ac proinde resurrexisse credas.

Quæstiuncula de potestate & scientia dæmonis.

Respondeo id non posse dæmonem; enimuerò calor, & spiritus semini inhærentes ita pendent ab vteri conseruatione, vt statim pereant, nisi mox vbi semen à patre detractũ est, illud ad se trahat vterus, ac velut exsugat, adeout fateantur medici pluribus de causis generationẽ impediri; quia tam facilè spiritus illi euanescunt, vt si pars hominis generationi destinata tãtisper lõgior, frigidior, aut languidior sit, quàm par est, vel minus erecta, vel longa, semen immissum nihil omnino proficiat; vnde si momento tardius eiaculetur, quàm naturæ tempus indiuiduum postulat, tabescit, & eijcitur. Quam ob causam nonnulli negant, neque id sine ratione, vllos succubos, vel incubos esse posse. Sed de his fusius alibi dicemus.

Responsio.

Placet autem hîc fundamenta quædam astruere verissima, de quibus fusius agam in Exodo, ex quibus vnusquisque concludere valeat, quid dæmones facere, quidue minimè præstare possint. Nequeunt ordinem naturæ, aut vniuersi leges inuertere, quas Deus ad orbis gubernationem statuit; ratio est quia dæmones sunt pars respectu mundi, at pars nec appetit, nec potest subuertere totum, est enim pars propter totum; hinc fit, vt nec cœlorum cursum sistere, nec retroagere, nec accelerare valeant, quicquid poëtæ magos asserant sydera de cœlo posse deducere, vt patet ex Hyppolito, qui apud Senecam lunæ benè precatur his versibus.

Quid non possint dæmones.

Sic te lucidi vultus ferant,
Et nube rupta cornibus puris eas.
Sic te regentem fræna nocturni atheris
Detrahere nunquam Thessali cantus queant.

Refert populos quosdam sui temporis Viues in cap. 16. lib. 10. de ciuitate Dei, qui lunam ab asino epotam crediderint; nam cum asinus biberet de fluuio, qui lunæ speciem reddebat, illáque obtectu nubis subitò se condidisset, eum in carcerem, coniecerunt, & post legitimam quæstionem sectus est, vt lunam mundo redderet.

Historia ridicula. Viues.

Adde quod dæmones non possint elementum aliquod integrum de suo loco tollere, nec tantillum vacuum efficere, nec quicquam aliud præstare, quod aduersus ordinem naturæ militet; non creare, non annihilare, non facere, vt corpus à loco ad locum in instanti producatur, vel simul in eodem loco cum alio contineatur; non in momento quidquam generare etiam causis naturalibus additis, donec adsint necessariæ dispositiones; denique multa sunt, quæ præstare non possunt; de quibus alibi sæpe dicturi sumus.

Pauca subiungo de resurrectione quam dæmon efficere nequit, tametsi Deus ei semen idem restitueret, ex quo resurrecturus formatus fuerat; quomodo enim per omnes corporis partes semen illud introduceret, itaut eandem virtutem retineat quam prius in omnibus partibus corporis embryonis habuit?

Quod dæmon nequeat hominem suscitare.

Nunquid eosdem spiritus retineret ita, dæmonis vi diffusum? nunquid eandem virtutem contineret, quæ rationalis animæ vnionem cum corpore, velut generantis instrumentum physicum separatum antea produxerat? Id profectò dæmonibus, & angelis vi sola naturali agentibus impossibile est; nec alio modo semen tametsi

crearetur, vel reproduceretur à Deo, poſſet eundem infantem progignere, niſi ſimul omnia eadem numero reſtituerentur, quæ in præcedenti generatione fuerant, nec tamen infans reſuſcitaretur, niſi prius tot menſes decurriſſent, quot in generatione naturali tranſiguntur; vnde hic modus, tametſi dæmonibus concederetur, nihil ad rem faceret, cum reſurrectio, de qua hîc agimus, momento fiat.

Non eſt autem, quòd modos omnes diſcutiam, quibus aliqui putant homines ope diaboli ad vitam reuocari poſſe, cum id in omnium modorum ſolutione præſtituri ſimus, quos ſuperius obiecerunt Athei. Quòd ſi non adeò claré probatum eſt angelis impoſſibilem eſſe reſurrectionem, vt nullus ſit ſubterfugiēdi locus, id neque fuit neceſſarium, cum hîc probabiles rationes ſatis eſſe videantur, aduerſus quas nullæ potiores militant, & quas facile quilibet prudens admittat.

Adde quòd non ita eſt in promptu, vt in qualibet re, quæ fieri nequit, repugnantiam deprehendere poſſimus; nec etiam inde quis elicere poteſt non eſſe Deum, etiamſi reſurrectionem à dæmone fieri poſſe concederemus; tum quia ſunt alia opera, quæ ſatis ſupérque Deum eſſe conuincunt, vt creatio mundi, cœlorum, imo & ipſorum angelorum productio; tum quia dæmonibus admiſſis aliquis admittendus eſt, à quo ſuam habeant poteſtatem; tū quia reſurrectio, aut alia miracula in eum finem patrari non ſolent, vt inde Deum eſſe probemus, ſed vt aliquod eius attributum eluceat, vel vt veritati Deus faueat, eamque tueatur, ac hominum iniuſtè oppreſſorum iuſtitiam, atque probitatem declaret, eoſque ab impoſitis criminibus vindicet. Verum ſatis hîc de angelorum virtute dictum ſit, cum de illis ſæpius ſermo recurrere debeat: reſurrectiones autem, quas à dijs gentium, vel ab ipſis hominibus factas eſſe retulimus, in ſequentibus diſſoluentur.

Nouum autem caput addo, ob quod nequeat dæmon aliquem viuificare, quia nequit homini vita conferri, niſi ea præſto ſint, quæ ad ſperma conficiendum neceſſaria ſunt, quæ numero ſeptenario concluduntur, nempe cor, cerebrum, iecur, lien, renes, teſtes, & penis; cor enim ſemini ſpiritus vnà cum naturali calore largitur, cerebrum humorū tanquam materiam: iecur ipſum ſemen parte ſanguinis puriori collata ſuauiter concoquit, & elaborat; lien illud à fœcibus repurgat, & craſſum, glutinoſum, & ventoſum efficit; renes vehementer concoquunt, & bile è cyſta fellis attracta reddunt feruentius; teſtes denique manum vltimam adhibent, & ei neſcio quid diuinum tribuere videntur, ac velut animatum, ſeu vitale ſemen efficiunt, quæ omnia non habet dæmon, nec ſi haberet, ita citò poſſet applicare, ac reſurrectio fieri ſolet. Has autem 7 generationis partes 7 planetis terram imprægnantibus Leo Hebræus 2. dialogo de amore, ſicut, & 7 planetas 7 capitis partibus; & 7 membra generationi deſtinata 7 membris cognitioni neceſſariis accommodat. Sed ad caput aliud, ad quod reſurrectio refertur ab Atheis; nempe ad Necromantiam accedo, vbi nouæ rationes adducentur, quæ hoc caput confirmare poſſint.

Tertia ratio cur non poſſit ab homine quis ad vitam reuocari.

CAPVT. XXVI.

Quòd reſurrectio mortuorum in Necromantiam referri non poſſit, atque adeo diuinitatem aliquam euincat.

PAuca hîc in communi de magia dicenda ſunt, vt ſciamus, quodnam principium Necromantia habuerit; vbi ſupponendum eſt dæmonem ad inferos è paradiſo eiectum, magnum odium aduerſus Deum concepiſſe, quem cum de throno deijcere nequeat, eius imaginem, quæ licet in homine, pro viribus delere nititur, ideoque multiplici calliditate, atque verſutia ſuas impoſturas inuehit, & obtrudit; & quidem primò autoritatem verbi Dei minuit, & abſtulit, quando Euæ fructus guſtū perſuaſit, mox idem obſcurauit, nouis inde proſeminatis erroribus; tandem eo quantum potuit, abolito, partim ad creaturas, partim ad ſeſe mille modis hominum animos conuertit, quos variè nouatis rationibus, oraculis inſtauratis, & inſtitutis horum ſimilibus deliniuit, & in ſuos vſus dementauit, vt nouitate captos in officio peruerſo retineret.

Dæmonis nequa prudentia, & vulpina calliditas.

At inter diaboli ludibria primum locum μαγεία, & γοητεία ſibi vendicare poteſt; tametſi enim antiquitus apud Perſas magi ſapientes philoſophi dicerentur, qui interfecto fratre Cambyſis rapuerunt regnum, attamen illa ſapientia, quæ diuinæ non erat coniuncta facilè ad errores deflexit, quibus ſe dæmon immiſcuit, vt patet ex Prophetis, & aliis Scripturæ partibus, quæ magos tam frequenter reprehendunt; hinc inter plurimas falſas opiniones fuit Ethnicis perſuaſum, cuilibet homini quamprimum natus eſſet, ſorte decerni, atque adiungi duos genios, quos δαίμονας vocabant, qui homini adeſſent toto vitæ curſu, & corpore extincto animam ad orcum deducerent, ita tamen vt bonus genius omnia bona procuraret, ac promoueret, & arceret omnia pericula, ad honeſta hortaretur, & impelleret, & alteri aduerſaretur; quapropter bonum hunc comitem ἀποπομπαῖον, ἀποτρόπαιον, ἀλεξίκακον, λύσιον, φύξιον, & δαίμονα λύοντα τὰς ἀρὰς appellarunt; malum verò ἀλιτήριον, προστρόπαιον, παλαμναῖον, & δαίμονα κυροῦντα τὰς ἀρὰς, quòd res bonas interuerteret, & elideret, calamitates, & incommoda afferret, vel impendentes maturaret, cogeret in capita noſtra, ad ſcelera, & flagitia propelleret, denique in ſubitum exitium præcipitaret.

γοητεία

Duo hominum genij, & eorum nomina.

Hinc factum eſt, vt tot ſpectra viſa ſint; ſic enim Brutum terruit ſpectrum in bello ciuili. Conſtantinus, Magni Conſtantini filius narrauit

narrauit se speciem, cùm ægrotaret, mœstam, & lugenti similem vidisse, quam in rebus secundis sæpe lætam aspexerat. Omitto quod hæc ad bonos, & malos angelos referri posse videntur; de his enim aliàs, vt properem ad necromantiam.

Magiæ diuisio. Magiam igitur ob hosce genios à Goëtia distinxerunt; illam ἐπίκλησιν δαιμόνων ἀγαθοποιῶν πρὸς ἀγαθοῦ τινὸς σύστασιν appellarunt, hanc verò γοητείαν, seu παράστασιν ἐπικλήσει δαιμόνων κακοποιῶν. Goëtiam autem denominatam fuisse putant ἀπὸ τῶν γόων ϗ θρήνων περὶ τοὺς τάφους. Est igitur Magia traditum à diabolo artificium, quo dæmones moniti, aut, euocati à confœderatis suis, quibus certis sese sponsionibus obstrinxerunt, post eorum deditionem, aut alia promissa suscepta, illis aliqua specie circundati, vel non apparentes præstant, quæ requirunt eousque, quo vel condixerunt operam confœderatis, vel placet stare promissis, vel Deum indulsurum præuident; tametsi plerunque ante constitutum tempus violato, ac finito societatis iure socios illos vel ancipitibus falsisue præstigiis deceptos perdunt, cùm eos per edita mendacia produnt, & iudicibus vinciendos, necandósque tradunt, vel tragico aliquo, tristique supplicio interemptos abripiunt in æternos cruciatus. Mitto diuersos modos, quibus homines pactum ineunt cum dæmone, quem vel vt spiritum familiarem ergastulis, vel annulis quibusdam inclusum, vel alio modò circunferunt, & πάρεδρον vocant.

Goëtia à flentibus circa sepulchra, dicitur.

Quid sit νεκυομάντεια. Vt quid sit νεκυομάντεια tandem aperiamus, quæ manibus ex orco accitis extractisque futura sciscitatur. Vnde vates ipsi, qui sacrificiis solemni ritu institutis, & peractis, & execrationibus ab inferis manes educebant, cúmque exiissent, ac comparuissent, percontabantur νεκυομάντεις, ψυχαγωγοί, & ψυχοπομποὶ dicebantur, & opus ipsum ἐπίκλησις τῶν ἀνθρωπίνων ψυχῶν appellabatur.

Hinc animas redire credebant, cùm euanidis, & vmbratilibus earum imaginibus dæmones induti prosilirent: loca ex quibus prorumpebant appellabantur νεκυομαντεῖα, & ψυχοπομπεῖα, quòd transitum animabus præberent.

ψυχοπομπεῖα.

Hanc verò sententiam, qua crediderunt Ethnici animas per Necromantiam redire; dæmones oraculis confirmarunt, ideóque sæpiùs mortuorum specie in domibus oberrarunt, & circa sepulchra discurrerunt. Ita Lacædemonijs placaturis ex iussu oraculi manes Pausaniæ, quem in templo Palladis fame necarant εἴδωλον eius per ψυχαγωγοὺς allectum, conspiciendum se exhibuit.

Quòd si dæmones illi fingentes se esse animas, expressis mortuorum corporibus apparerent, νεκυομάντεια; si tenues solùm sibi circunfunderent vmbras σκιομάντεια dicebantur.

νεκυομάντεια.

Ritus necromantici. His autem ritibus vtebantur, aras, quæ plerúnque geminæ, & pares erant, nigris ornabant vittis, aut cæruleis, & cupresso; cumque pecudes confodissent, spirantem cruorem in effusam spargebant terram, vinúmque, lac, & mel miscebant: postea cæsæ victimæ viscera ter circum aras gestabant igne accenso, quo ritu commoueri ex imo putabant animas, producique arbitrabantur; cúmque manes placarent, pocula libabant, rogúmque & sepulchrum vino, sed inuersa manu conspergebant, & nigras immolabant victimas, quorum viscera oleo rigata conijciebât in ignem, incensis lignis sterilibus, quæ è sepulchris eruta esse oportebat; sacra verò noctu peragebant, vel in meridie, vel die decrescente, quia manè aduentantem solem manes fugere credebantur.

Horatius. Diuersę historiæ necromanticorum. At non est quod hanc Magiæ speciem accuratiùs describam, cùm id Horatius Sat. 8. abundè fecerit, cùm de Canidia loquitur, Seneca in Oedipo de Tiresia, Statius multis versibus, quos refert Delrio l. 4. disquisit. magic. Lucanus l. 6. cùm agit de Erichto defuncti militis Romani animam excitante, vbi 32 obseruantias magicas aduertere poteris.

Lucanus.

Glycas. Glycas annalium parte 2 χαλδεία vult esse Geniorum attractionem à χαλῶ, seu καλῶ euoco, qui etiam parte 4 refert historiam Santabareni Pseudomonachi, qui fefellit Basilium Imperatorem, dum ei filium vita functum, ac si viuus fuisset, in sylua quadam ostendit; at illum non pro sancto, sed venefico Leo Philosophus iunior Basilij filius habuit. Tullius 1. Tuscul. & Plin. l. 30. cap. 2. referunt Apionem grammaticum ea arte Homeri vmbram suscitasse; hac etiam vsus est Empedocles apud Laërtium, & Plin. Videatur Picus l. 4. de prænot. cap. 9. Xiphilinus de Heliogabalo, Forcatulus Iurisc. & alij.

Tullius. Plin. Picus. Xiphilin. Forcatul.

Resurrectionem in Necromantiâ reijci non posse, & cur. Veram igitur resurrectionem in Necromantiam reijci non posse constat ex eo, quòd quicquid in ea fit, dæmonum virtute contingat, qui cùm hominem in vitam reuocare nequeant, imo neque perfectum animal, quale est leo, bos, canis, &c. vt meliùs in philosophia sentientes arbitrantur, reliquum est, vt resurrectio hac magiæ specie, sicut neque cæteris, procurari non possit; quod eò manifestius est, quò verius est omnes illas vmbras, quæ reuocatæ feruntur, vel statim euanuisse, quia solùm ex aëre corpus dæmon efformabat, vel paulo post ista corpora quæ dæmon mouebat, cadauera visa esse, quæ aliúde desumpserat, quæque in fumum, & exhalationes odoris teterrimi abire, aut alio modo desinere solent.

Adde quòd ea, quæ Necromantici adhibent, nullam habeant cum resurrectione conuenientiam, cuius beneficio vel eædem dispositiones in cadauer introducerentur, vel etiam anima iterum vniretur. Frustra igitur per artê Grymoriæ mortuorum animas, vel ad corpus reuocare conantur, vel etiam ab illis occulta perquirunt; quasi verò statim atque solutæ sunt animæ à corpore, huc illuc, quocunque voluerint, discurrant.

Non possunt etiam animæ solæ reuocari, nam beatæ sunt in manu Dei, damnatæ verò perpetuis Dei carceribus mancipantur, à quibus ne momento quidem exire possunt, nisi Deus illud iusserit, & adiuuet; neq enim vllus damnatus tantillum se mouere potest, vel quidquam cogitare, nisi Deus simul cooperetur. Et quidem diligenter hîc aduertendum est cacodæmonis odium modis omnibus religionis catholicæ veritatem, & Christi Domini gloriam, & honorem euertere conari.

Cùm enim fingit corpora, vel recenter mortua ingreditur, vt animæ defunctorum apparuisse credantur, id efficit, vt quod dicturus est, faciliùs ab inquirentibus credatur, qui dum parentes, vel amicos defunctos sese audire existimant, maiorem fidem illis adhibent quam dum inter viuos essent, putant enim tunc nolle fallere; hinc multos errores diabolus proseminat,

& persuadere nititur vel animas defunctas ingredi alia corpora, vel non ita torqueri, aut supplicijs æternis detineri, ac Christianis persuasum est, adeout gradatim totam fidem nostram labefactare conetur, & Verbi diuini authoritatem penitus eludere, vt homines postmodum in maiores errores abripiat, nempe fabulosam esse Christianorum fidem, omnia in fatum, & fortunam referenda, non esse Deum vnum, sed plures, vel etiam nullum. Ecce quantos errores dæmonis consortium, & vanæ curiositates inuehant; ecce quomodo requirunt homines *pro viuis à mortuis*, teste Isaia cap. 8. vers. 19. hæc sunt Canidiæ opera apud Horat. Sat. 8 Circes in Odyssea, Erichti 6. belli Pharsal. Orphei Æneid. 6. Thyresiæ apud Senecam in Oedipo.

Isai 8.

Seneca.

Vates amictu corpus, & frontem quatit,
Lugubris imos palla perfundit pedes:
Squalore vultu mæstos ingreditur senex:
Mortifera canam, taxus astrinxit comam,
Nigro videntes vellere, atque atra boues
Retrahuntur, flamma prædatur dapes,
Viuumque trepidat igne ferale pecus.

Scopus dæmonis, vt perdat necromantes. 1. Reg. 28. Historiæ multæ.

Sed neque dæmon in illis quiescit erroribus, donec lymphati, ceriti, imaginosi, magi, & necromantici malè pereant, vt de Saüle 1. Reg. cap. 28. Zoroastro apud Plin. lib. 30. c. 11. & lib. 11. cap. 42. Numa Pompilio apud Plutar. in Numa; Tullo Hostilio apud Liuium anno 1. ab vrbe cond. Valeriano apud Niceph. l. 10. c. 19. Heliogabalo, apud Xiphilin. in ei⁹ vita, Orpheo, Mopso, Amphiareo, apud Ouid. Senec. & Stat. de Pythagora apud Laërtium: de rege quodam, apud Nicol. Remig. 2. dæmon. cap. 3. legimus; quod scripturæ sacræ conforme est, quæ morti adiudicat eos, in quibus spiritus pythonicus fuerit; *quorum pars est in stagno ardenti igne, & sulphure.* Apocalyp. 21. Omitto Ariolos cum suis sacrificijs, de quibus Leuit. 19 dicendum est; interim Grilland. quæst. 3. de sortil. & Farinac. quæst. 10. consulendi sunt, vt ad alios modos accedam, quibus Athei resurrectionem tribuunt, si priùs ex hoc capite conclusero Deum necessariò admittendum esse, qui solus hominem ad vitam reuocare potest.

Remig.

Apoc. 21. Leuit. 19. Grillan. Farinac.

Rationes cur resurrectio sit naturaliter impossibilis.

Ratio verò naturalis impossibilitatis ex eo sumitur, quòd idem numero re produci non possit, vel quia ad idem re producendum requiritur diuinus concursus, quem Deus negat, cùm nolit bis idem numero fieri, ne quæ confusio suboriatur; vnde fit, vt cùm actiones nostræ sint ex se indeterminatæ, vt hunc vel illum effectum producant, à Deo determinentur, vt hunc numero producamus effectum, & non alium; & ideo nonnulli concludunt quemlibet hominem soli Deo debere, quòd sit talis homo, verbi gratia Petrus, & non Paulus; patri verò quòd sit homo, adeout velint philosophi causam quoad speciem actus à sua actione determinari, sicut à Deo quoad indiuiduum: Ex quibus alij rationem aliam eliciunt, nempe agentia naturalia, tametsi ex se virtutem generalem, & indifferentem ad plura indiuidua habeant, ipso tamen vsu, & exercitio suæ virtutis determinari ad semper producendum indiuidua eiusdem quidem speciei, sed numero distincta, vnde inferunt, quod semel corruptum est, seruato naturali ordine non posse idem numero redire. Alij impossibilitatis illius, cur resurrectio naturaliter fieri nequeat, causam nobis occultam esse liberè fatentur.

Prima.

2. Ratio.

3. Ratio.

Alij, quòd non solùm eadem numero materia requiratur, quæ erat antea, sed eadem actio numero, quæ cùm redire nequeat naturæ viribus, conclusionis veritas elucescit, dæmones, aut Angelos non posse hominem ad vitam reuocare, cùm idem agens, eandem actionem, & eadem omnia reuocare nequeant, à quibus prima vice effectus aliquis productus est.

Iuxta quæ dicendũ est effectum quẽlibet, statim atque prodijt in lucem, & è virtute, ac potestate naturalis agentis eductus est, non ampliùs esse in illius potentia; in quo manifestatur omnipotentia diuina, cui nihil penitus decedit, quòd hoc, aut illud efficiat, quandoquidem semper in se continet virtute, & eminenter, quicquid ad extra produxit, nec effectus actualitas Deum aliqua virtuali possibilitate spoliat, vt reuera naturalis effectus extra suas causas positus suam causam omni virtute naturali quoad eandem effectus eiusdem productionẽ destituit; illam autem ineptitudinem quam habet effectus, ne iterum ex eadem causa possit oriri, dicitur à philosophis nihil nihilitate priuatiua. Hinc concludunt ens quod nunquam fuit, vt crastinam orationem, esse minus nihil, quàm ens quod fuit, sed iam desijt, quia hoc non est ampliùs in potentia naturali suæ causæ, sed tantùm in obedientiali, prout quælibet creatura Dei potestati volens nolens subijcitur; illud autem & in obedientiali est & in naturali, à qua produci potest. Quod ex Aristotele sumpsisse videntur, qui 2 de gener. c. vlt. negat admittendum esse circulum secundum identitatem numericam, quia natura semper in rectum progreditur, gaudet enim compendio, ne vlla via breuior esse potest quàm recta, ideóque eam omnes causæ sequuntur, inquantum possunt.

Pulchra subtilisque doctrina.

Aristot.

Facessant ergo Platonici cum sua palingenesia, & metempsychosi, qui teste D. Aug. 12. de Ciuit. cap. 13. non solùm idem numero corruptum naturæ viribus redire posse dicebant, sed, peracta magni anni periodo, omnia non semel, verùm infinities eadem omnino reditura, nec enim mundo finem durationis imponebant, licet Ficinus 11. theolog. Platon. neget eam opinionem fuisse Platonis: In eundem errorem Empedocles incidit, qui mundum per circulum ad eadem redire putauit, vt Arist. 1. Physic. t. 31. insinuare videtur At hunc annum fabulosum esse quis non videt, cùm motus cœlorum nullam inter se proportionem, & harmoniam habere videantur, secundum quam in idem punctum redire valeant. Plato tamen de illo anno locutus est in Phædro, vbi annorum 10000 meminit in Timæo, & lib. de regno. Astrologi verò hũc annum, vel secundum motum propriũ octauæ sphæræ, vel nonæ determinauerũt esse 49000, vel 36000 annorũ, vt singulis centum annis vnum gradum decurreret. Macrobius verò refert aliam sententiam, quæ vertentem, seu mundanũ annũ 15000, vel vt Franciscus Cataneus habet epist. de anno magno. 12000 annorum facit. Plato statuit annum magnum animarum esse 12 millium, ex tribus autem annis animæ, vnum annum mundi produci, in quo constitutiones cœli eædem, ijdemque redeant effectus, vt vult Albumazar: Hæc autem omnia vana esse demonstrat Haly, vbi primum librum apotelesm. Ptolem. exponit, & Nicolaus Orem tract. de proportionibus proportionum

D. August.

Error Platonis & Empedoclis.

Ficinus.

De anno magno.

Albumazar

Haly. Orem.

Pythagorici arguuntur. proportionum, siquidem cœlorum cursus sunt inter se incommensurabiles, vnde Pythagorici, cæterique ridendi sunt, qui certam harmoniam inter cœlos, eorumque motus constituendam esse censebant, non minus quàm ij, qui inter diametrum, & latus quadrati mensuram vnam quæreret, vel assignari posse crederet, qua vnum alteri commensurabile fieret; aut qui contenderet figuram aliquã angularem reperiri posse, quę circulo isoperimetra sit ei æqualis in area. Harmonia cœli.

Est autem operæ pretium, vt latiùs paulo Necromantiæ impietatem, & vanitatem ostendamus, quod fortè poterit vtiliùs fieri ex eorum testimonio, qui huic arti dederunt operam, vt ex confessione ipsorum magorum veritatem extorqueamus.

Quàm ridicula, stulta, & falsa sit Necromantia.

Honesto Theurgiæ nomine Magi, atque Malefici, Necromantes, & Goëtici, cæterique transfugæ, & apostatæ sua cum dæmonibus commercia contegunt, de quibus hi versus feruntur.

Gens inuisa Deis maculandi callida cœli
Quas genuit natura, mali qui sydera mundi
Iuráque fixarum possunt peruertere rerum,
Nam nunc stare polos, & fulmina mittere norunt,
Æthera sub terras adigunt, montésque reuellunt.

Defunctorum inclamant animas, & illi, quos antiqui dicebant Epodos, excantant pueros, & in eloquium oraculi eliciunt, dæmones paredros circumferunt, vt de Socrate legimus: spiritus pascunt in vitro, per quos se prophetare mentiuntur; quorum alij dæmones malos virtute quadam maximè diuinorum nominum adiuratos euocare, & cogere student, quasi verò nominibus, quæ sunt discreta quantitas, & accidentia corporea, spiritus cogi possent. Alij nefandissimi detestando, & omnibus ignibus plectendo scelere se dæmonibus submittentes, illis sacrificant, & eos adorant idololatriæ, & vilissimæ deiectionis rei effecti, quibus etsi nonnulli non ita pactum exprimant, ac verbis conceptis, expressisque ineant, se tamen manifestis periculis exponunt, Dæmones enim etiam coacti semper inuigilant, quo errantes nos decipiãt. Ex horũ verò Goëticorum anagyri profluxerunt omnes isti tenebratũ libri, quos improbatæ lectionis Vlpianus, appellat, protinúsque cõburendos esse statuit. Cuiusmodi primus excogitasse dicitur Zabulus quidam illicitis artibus deditus, deinde Barnabas quidam Cyprius, & circunferuntur adhuc libri confictis titulis Adæ, Abelis, Enoch, Abrahæ, Salomonis, Pauli, Honorij, Cypriani, Alberti, Thomæ, Hieronymi, & Eboracensis cuiusdam, quorum nugas stultè secuti sunt Alphonsus rex Castellæ, Robertus Anglicus, Bacon, & Apponus, & plerique alij deplorati ingenij homines.

(Epodi qui sint. — Vlpianus. — Libri necromantię.)

Præterea non homines modò, & Sanctos, & Patriarchas, & Angelos Dei tam execrabilium dogmatum fecerunt autores, sed & libros à Raziele, & Raphaële, Adami, & Tobiæ angelis traditos ostentant: qui libri suorum præceptorum canonem, rituum consuetudinem, verborum, & characterum genus, extructionis ordinem, insulsam phrasim inspicienti sese produnt apertissimè, non nisi meras nugas, ac imposturas continere, ac posterioribus temporibus ab omnis antiquæ magiæ ignaris perditissimis perditionum artificibus esse conflatos, ex profanis quibusdam obseruationibus, quas sanctissimis nostræ religionis mysterijs, atque cæremoniis immiscent, inseruntque multa nomina ignota, & signacula, vt perterreant rudes, & simplices, & stupori sint insensatis, & his, qui nesciunt litteras.

Cur autem Goëtici solis malis vtantur dæmonibus, non tantùm quia difficilè comparẽt boni, qui Dei iussum expectant, aut quia cum solis mundis corde, & vita sanctis hominibus congrediuntur, sed quia rebus istiusmodi vanis, & friuolis nolunt intendere, qui potiùs omnia præstant, quæ diuinæ gloriæ, nostræque saluti conueniunt, vbi cacodæmones diuinitatem mentiuntur, suntque præsto, vt astu suo nos decipiant, & ad sui venerationem, & adorationem, Dei verò contemptum, horrorem, & odium alliciant, & inducant.

Quia verò mulieres secretorum auidiores sunt, ac minus cautæ, atque in superstitionem procliues, faciliúsque illuduntur, ideo illis se prębent faciliores: ita enim Pythonissa mulier, quæ erat in Endor, euocauit animam Samuëlis prophetæ, quam aliqui à maligno spiritu repręsentatam fuisse putant; licet Hebræorum magistri, & D. Aug. ad Simplic. fateantur esse potuisse spiritum Samuëlis, quem ante completum annum à discessu ex corpore reuocari potuisse Goëtici existimant; quæ ferè ad verbum paucis vel omissis, vel immutatis, vel additis, Cornelius habet c. 45. de vanitate scientiarum.

Verùm de hoc viuificandi modo satis hactenus dictum est, nam vires, quas quidam tribuunt suffumigationibus, herbis, characteribus, lapidibus &c. vel iam discussimus, vel alibi postea de ijsdem agemus, vbi vanitas Necromantiæ magis, ac magis agnoscetur. Agrippa.

Omitto nunc Theurgiam, in qua dæmones se postulare corporis, & animi munditiam, vestes, vasa, oblationes, & sacrificia munda simulant, vt homines decipiant sub nomine religionis, quibus Porphyrius ait animam hominis ad susceptionem spirituum idoneam reddi posse, sicut & ad deos videndos, quæ omnia blasphema sunt, & impietatis, atque vanitatis plena. Ad hanc verò scholam pertinent Almadel, ars notoria, & Paulina ars reuelationum, & cætera huiusmodi, in quibus legendis eò maius periculum est, quo plura ex scripturis sacris Magi deprompserunt, quibus idiotis fucum facerent.

CAPVT XXVII.

Quòd reſurrectio mortuorum non poßit in nouos legiſlatores refundi, niſi fortè iſti legiſlatores à Deo vt Moſes, & Dominus noſter Ieſus Chriſtus mitterentur, tunc verò maximè Deum eſſe probarent.

NVnquid omnes legiſlatores Deos ſibi ſubditos habuerunt, vt cùm vellent, Ianus ianuam ſemini pararet, Liber emitteret, quod iam Saturnus produxiſſet in hominibus, Ceres verò in mulieribus? An eis ad nutum Iuno cum Mena morem gerebant? An ad iuſſum Vitumnus vitam puero, Sentinus ſenſum conferebat? O acutos homines, quibus Deum Catium præficere poſſis: ô Pomponatiſtas ingenioſos, qui tam facilem viam ad reſurrectionem parant, vt tantùm ſit aliquis legiſlator excitandus, à quo reproducantur homines. Apage ſis Lucina, quid præes parturientibus? cur naſcentes Opi commendabantur, Deo Vaticano vagientes, Deæ Cuninæ iacentes, & Ruminæ ſugentes, ſi tam facilè legiſlatores hominem efficere poterant? nam qui reproducit homines, illos ſanè producere potuit: quapropter ſi quis legiſlator aliquem mortuum ad vitam reuocare potuit, eundem antea producere valebat, quod ita à ratione alienum eſt, vt neque id ſtultiſſimus credere poſſit.

Dij qui præerant embryonis generationi.

Verùm ad rem propiùs accedamus. Ipſi Athei volunt Thyaneum puellam ad vitam reuocaſſe, qui tamen ſyderibus inuiſus fuit, cuius nempe lex, inquit Iulius, vix exorta interijt; at reſpondebunt non omnibus legiſlatoribus hunc ineſſe fauorem, excipiendos eos eſſe, qui paupertatem excolunt, qualem aiunt Apollonium, qui dicebat poſt ingentem auri copiam in mari proiectam, peſſundo diuitias, ne peſſundar ab illis, quod & diſcipulis cōmendauit; rationem ſumunt ex aſtrologis, qui volunt nullum ordinem eſſe perpetuum, vbi paupertas adeſt, & contemptus; omnes autem eò diuturniores eſſe, quo potentiores, vt Cardanus habet in 4. Ptol. de aſtrorum iudiciis.

De Thyanæo.

Cardan.

At de Legiſlatoribus agamus. Quis obſecro mortuos in vitam reuocauit? Enumera ſi potes Athee, & penitiùs intuere, an Ægidius Fontana Patauinus, qui primus ciuitati Venetorum leges dediſſe legitur apud Bernar. Scandareonē l. 3. hiſtor. Patauinæ claſſe 13. aliquem à morte ſuſcitarit; cuius ſanctiones etiamnum Ægidianæ vocantur. Quem ſuſcitauit Edoardus 3 Anglorum rex poſt leges communes promulgatas? Quem Danuallo Molmicius Britannorum rex poſt leges Molmicinas conditas vitæ reſtituit? Rotharis Longobardorum rex, & legiſlator reuocauitne quempiam ad vitam? id profectò minimè refert Saccus in ſua Ticinenſi hiſtoria, nec Bonfinius in decadibus: Non quæro an peculiaris fauor Tzinciſcano fuerit Scytharum legiſlatori, cùm Deus illa dona minimè tribuat ijs, qui plures vxores habendas, & aliena rapienda decernunt, qualem illum fuiſſe teſtis eſt Pachymerius.

Legiſlatores diuerſi.

Scandareō

Sanctiones Ægidianæ.

Leges Molmicinæ.

Saccus. Bonfinius.

Pachymerius.

Legiſtin' in l. 1. Chalcondylæ Omar Turcarum legiſlatorem, aut Terbellium Bulgarorum ducem apud Bonfinium ſuprà, aliquem à mortuis ſuſcitaſſe?

Chalcōdyl.

Et vt nominatiſſimos afferamus, quis talia de Carolo Magno retulit, cui neque ſapientia, neque diuitiæ, neque virtus bellica, neque religio defuêre: An Æmilius, aut quiſquam alius rerum Gallicarum ſcriptor: An Auentinus? qui neque ſimile quidpiam de ſecūdo Boiorum duce Theodone retulit, neque Cedrenus de Iuſtiniano, neque de Adriano Athenienſium legiſlatore Platina, neque de Lucullo Plutarchus. Nolo percurrere Ius Papyrianum, leges 12 tabularum, Ius flauianum, & Ælianum, plebiſcita, ſenatuſconſulta, principales conſtitutiones, & cætera, quæ pertinent ad Romanos. Omitto etiam Demonacem Cyrenæorum, Androdamum Chalcidenſium, Thuriorum Charondam, Megalopolitanorum Pritanidem, Samiorum Meliſſum, Philolaum Corinthiorum, Cumēſium Pheidonem, Locrenſium Zaleucum, Hyelæ Parmenidem, & Zenonem, Syracuſiorum Dioclē, Moloſſorum Pyrrhum, & Ariſbam, Mantinēſium Nicodorum, aut Diagoram Melium, Mitylenæorum Pittacum, Athenienſium Draconem, Solonem, Hyppiam, Periclem, & Cliſthenem legiſlatores, quorum nullus homines mortuos ad vitam reuocare potuit.

Æmil.

Auentin.

Cedren.

An fortè Lycurgum illum Lacædemonum tantum legiſlatorem ſicut & cæteros excludemus? meritò quidem, licet Rhetras ſuas, quaſi Deorum oracula vocarit, & cineribus corporis ſui in mare proiectis leges ſuas immortales reddere voluerit, vt Xenophon refert de Laconum Repub. Plutar. in eius vita, & Sabell. l. 1. Enead. 2. Nec minus illa ſuſcitandi poteſtas Tuiſconi Sarmatarum primo regi, ſicut & Zamolxi deneganda eſt, licet Getis, & Thracibus perſuadere voluerit, ſe poſt quadriennium ab inferis rediſſe, de quo Herodot. l. 4. Suidas, Bonfinius. l. 1. decad. 1. Ioan. Magnus in Gothorum hiſtoria. Non eſt quòd Tegeatum Arcadum Antiphanem, & alios legiſlatores commemorem, de quibus Pauſanias in Arcadic. vel Arianorum Zotuaſtem, Ægyptiorum Cecropem, Zoroaſtrum Bactrianorum, Phoroneum Argiuorum, Minoëm Cretenſium, Ægyptiorum Amaſim, Vecchorim, Seſoſtrem, Saſochim, Menā, & Mercurium, & Cerem legiferam, & Iſidem & cæteros legiſlatores, legiferaſque reliquas, quandoquidem nullum miraculum patrare valebant: imo quod ampliùs eſt, Moſes ipſe legiſlator ſanctiſſimus, à Deo omnipotenti miſſus, qui tot miracula vnius virgæ beneficio, vel potiùs Dei auxilio fauente, & operante fecit, vt in Exodo legimus, nullum mortuum ad vitam reuocauit, id ſaltem minimè ſcriptura docet, in quo maxima Dei prouidentia elucet, qui id ſummo legiſlatori Chriſto filio ſuo reſeruatum voluit; licet enim Elias, & Eliſæus, quoſdam vitæ reſtituerint, non vt legiſlatores id effecerunt: ſed vbi generis humani reſtaurator ad cœlos aſcendit tantam virtutem apoſtolis, & aliis ſanctis infudit, vt pro libito, quos vellent, ſuſcitare potuerint.

Xenoph. Sabell.

Herod.

Magnus.

Pauſan.

S. Frãciscus de Paula. potuerint. Inter alia verò singulare illud in B. Francisci de Paula vitæ historia aduerti, cum aliquem fabrum in conuentu laborantem bis suscitasse, quem iure Platus affirmauit miracula in manibus habuisse; hinc fit vt ille faber ter mortuus fuerit.

Ioh. 13. Et quidem id Christus promiserat hisce verbis, *maiora facietis*; enimuero post admirabilem Ascensionem Christi, multi sancti plurima miracula fecerunt, quæ ipse minimè patrauit, licet omnia fecerit, quatenus in virtute eius omnes sancti operantur.

Sed rationem Atheorum discutiamus, & post mendacium explosum, illorum insaniam producamus; à syderibus, inquiunt, hæc illis facultas tribuitur; vel, vt Arabes volunt, eleuant se supra corporis vires, vt cœli, & intelligentiarum adepta perfectione, diuinum vigorem, & supra inferiores animas principatum obtineant, quæ vt minus perfectæ illis obtemperare coguntur, & ad nutum ad corpus redibunt, vt illud iterum informent. Itaq; recurrunt ad astra, & intelligentias, quapropter vtrumque breuiter, & solidè refellendum est.

Quòd astra nequeant vlli legislatori, vel alteri homini hanc conferre potestatem, vt aliquem à morte reuocare valeat.

FAcillimum est multa comminisci, nec est vllus tam hebes, qui plura asserere non possit vnico verbo, quàm vllus integro volumine refellere, nisi vnica negatione dissoluere velit omnia, quæ vnica affirmatione alter proposuerit: Mihi negare sufficeret id ab astris tribui non posse. Sed vt Atheorum, vel infirmitati subueniamus, & ignorantiam adiuuemus, vel vt eorum perfringamus audaciam, & temerarias, falsas, impias, & hæreticas assertiones conuellamus, rationis istius vim nullam esse ostendo.

Si possint astra vim istam indere, eam in se habēt vel formaliter, vel eminenter, & virtute: si formaliter, igitur viuunt, idque vita rationali, & humana, quod enim aliquid in se formaliter continet, debet esse eiusdem speciei cum contento, in eo saltē, quod commune habet cum re, quam amplectitur, hinc enim fit, vt sit vniuoca causa; at falsum est viuere sydera vita nobiscum communi, vt alibi ostēdendum est, alioquin essent homines, quod ridiculum, & à nemine, quòd sciam, hactenus affirmatum est. Si verò eminenter, & virtute, tunc erunt causa æquiuoca, seu nobilior suo effectu, qualis est homo respectu eorum, quæ facit, dum aliquod artificium in lucem edit, & Deus respectu creaturarum, quas producit, cœlos autem homine nobiliores, quis hominum vel angelorum asserat?

Cui vnquam obsecro dæmon quantumcúmque mendax persuasit cœlos nobis excellentiores esse? nunquid ad nostram vtilitatem facti sunt? nunquid merè corporei? nunquid à nobis intelliguntur, neque tamen nos intelligunt. Quasi verò cacodæmon tandiu dormitasset, nec ad sydera præ hominibus facienda nos prouocasset, si id nobis persuaderi posse credidisset, quamuis non defuerint, qui ob ingenij defectum, vel malitia excæcati, solem, lunam, Iouem, & alia quædam sydera coluerint. At illud factum est, dum vigeret paganismus, vel in locis, in quibus Euangelij lux nondum effulserat.

De planetis, qui Iudæorum, Christianorũ, & aliorũ religioni præsident. At rogemus Atheos, & Astromantes à quonam sydere, à qua stella, quóue planeta legislatores tãtum fauorem habeant. Nunquid ♄ Iudæos significat, cui ☿ coniungitur, vt magis loquaces, & industrij meliùs pecunias corradant: sed vnde vim suscitandi mortuos accipit, vt eis infundat? an ex signis aëreis huic sectæ conuenientibus, quæ Saturnum temperãt? at quod gaudium, & quam virtutem Saturno tribuunt ♊, ♎, & ♒: profectò Saturnus tristior est, frigidior, ac proinde imbecillior, quàm vt miracula edat, nec ideo Iudæi colunt Sabbathum, quod eis ♄ præsit, sed quia præcepit illud Deus legislator legislatorum, rex regum, & creator syderum. Non est quod de ♃ loquamur, quem cum Sole, religioni Christianæ, ac proinde Christo Domino præficiunt sicut & trigonum igneum ♈, ♌, & ♐: scimus enim nihil in ijs esse, quod ad mortuorum resurrectionem valere possit; Christum autem id potuisse, quis in dubium reuocet? non quia id ei contulerint astra, quorum Dominus est, sed quia à Deo cum omnimoda potestate missus est, sed quia ipse Deus est omnipotens. Facessant ergo qui Turcarum, Tartarorumque legislatoribus vim illam inditam fuisse putant, nec enim ideo laboriosi sunt, & lunam in suis vexillis ferunt, aut etiam libidini addicti sunt, quod ♂, ♀, aut ☽ eos significet, habeantque trigonum aqueum ♋, ♏, & ♓; aut quia sub ♏, initium habuit lex Mahumeti, teste Card. 1. aphor. 68. sed quia nolunt suis peruersis inclinationibus frœnum adhibere, sed equorum, mulorumque instar, quibus non est intellectus, in passiones suas volentes abripiuntur, & in reprobum sensum dati sunt. Æthiopes omitto, cęterósque idololatras, quos à ♀ iuncta cum ☽ significari existimant; quibus etiã tribuunt trigonum terreum ♉, ♍, & ♑, quæ omnia indigna sunt, in quibus tempus vllum insumatur. Adde quod plurima de his attulerimus ad Versic. 14 huiusce capitis, vt discuteremus, qua ratione astra sint in signa, dies & annos. Cardan.

Ex quibus concludendum est vim illam ab astris communicari non posse, qua quis non tantùm hominem, sed ne plantam quidem, aut muscam, seu vermem vitæ restituat, vt patet ex rationibus, quibus probatum est superiùs idem numero naturaliter restitui non posse. Omitto, quòd astra nullam qualitatem spiritualem homini possint impertire, quæ tamen necessaria videtur, vt quis mortuum in vitam reuocet; animæ siquidem à corpore diuulsæ debet imperare, vel illam cogere, vt ad corpus redeat, nihil autem corporeum præest animæ: Licet verò cœli quidpiam in se corporeum haberent, ad quod illa resurrectio referri posset, id nũquam cõtingeret, cùm nunquam reproducant, quod alias factum est, quamuis enim in orbem conuertantur, minimè tamen res in circulo peragunt, sed ad modum cæterorum agentium per rectam lineam, vtpote breuissimam omnium, & facillimam, statimq; obuiam operantur; & quidem nunquam vllus vidit effectum iterum reproduci, quod maximum est argumentum, nihil quidpiam vi naturæ fieri posse, excipio vera miracula virtute Dei peracta, & falsa de quibus postea dicemus.

CAPVT XXVIII.

Perperam in intelligentias, & eleuationem alicuius animæ super alias resurrectionem ab Atheis refundi.

CErtum est per mortem ab habitu ad priuationem mutationem fieri, antea enim vita habebatur, post mortem ea priuatur corpus: certum est etiam in Aristotelis philosophia, eáque vera, à priuatione ad habitum mutationem fieri non posse, vt docet c.10 categoriarum quod est de oppositis. ἐπὶ δέ γε τῆς στερήσεως καὶ τῆς ἕξεως ἀδύνατον εἰς ἄλληλα μεταβολὴν γενέσθαι. ἀπὸ μὲν γὰρ τῆς ἕξεως ἐπὶ τὴν στέρησιν γίνεται μεταβολή. ἀπὸ δὲ τῆς στερήσεως ἐπὶ τὴν ἕξιν, ἀδύνατον. οὔτε γὰρ τυφλὸς γενόμενός τις, πάλιν ἀνέβλεψεν. οὔτε φαλακρὸς ὤν, πάλιν κομήτης ἐγένετο. οὔτε νωδὸς ὢν πάλιν ὀδόντας ἔφυσεν. Hoc est. In priuatione verò, & habitu mutatio inter se vicissim fieri nequit; nam etsi ab habitu ad priuationem mutatio fit, tamen à priuatione ad habitum fieri non potest; neque enim qui cæcus est factus, rursus aspexit, neque caluus comam recepit, nec edentulus dentes emisit. Vnde non est quod aliud addamus, si velint Athei philosophicis vti rationibus; sed aliò diuertunt, nec illis armis nobiscum audent confligere, ne statim atque prodierint, miserè succumbant. Aristot.

Itaque non concedunt resurrectionem, qualem nos credimus, cùm neque animæ post excessum è corpore fateantur immortalitatem: Veruntamen cùm iamdudum animam immortalem esse demõstrauerimus, eámque saltem in hac sua obiectione immortalem supponere videantur; imprimis ostẽdendum est nullas creatas intelligentias posse animam rationalem ad cadauer informandum, atque viuificandum reuocare, deinde fictam esse, quam objiciunt, animarum quarundam super alias eleuationem; si priùs tamen aduerteris ex illo textu philosophi illa omnia conuelli, atque confutari, quæ Athei de miraculis, verbi gratia lumine cæcis reddito, vita restituta, & id genus objiciunt: enimuero nullum agnouit Aristoteles, quando libris acroamaticis seriò loquitur, cui visus, capillitium, dentes, ac per consequens cætera restituta sint, quorum priuatio antecesserit; quod idem est, ac si diceret quæcunque à poëtis, vel historicis prophanis de miraculis huiuscemodi referuntur, ad fabulas pertinere. Sed ad rem. Suppono resurrectionem, prout futura est, ita cunctis intelligẽtiis creatis impossibilem esse, vt nequidem vnus id in dubiũ reuocet: excedit enim naturæ vires tã ex parte modi, quàm ex parte termini: ex parte modi, cùm in instanti futura sit sine dispositionibus, & transmutationibus præuijs in materia secundum naturæ legem necessarijs; ex parte termini, quia homo tam corpore, quàm anima beatus, gloriosusque resurget, *Seminatur enim in corruptione, surget* ἐν ἀφθαρσίᾳ *incorruptione*, σπείρεται ἐν ἀτιμίᾳ, ἐγείρεται ἐν δυνάμει. σπείρεται σῶμα ψυχικόν, ἐγείρεται σῶμα πνευματικόν. *Seminatur in ignobilitate: in infirmitate*, & misoria, verùm *Surget in virtute*, in fortitudine, *in gloria, seminatur corpus animale*, quod *spirituale resurget*, vt latè differit apostolus 1 ad Corin.15. quapropter vocat resurrectionem mysterium: verè mysterium magnum est, atque secretum, quod philosophi penetrare non potuerunt; mysterium etiam, quia tametsi simus omnes resurrecturi, *non omnes immutabimur*. 1. ad Cor. 15.

Sed nec angeli, quos vocant intelligentias, eundem hominem quocúnque tandem modo restituere possunt, quia necessariò iuxta naturæ leges (quas prætergredi, vel euertere nequeunt, vt melius operentur) eadem materia cum omnibus dispositionibus, quæ ad hominis restituendi primam generationem concurrerũt, priùs reducenda esset; enimuero non est alia ratio, cur Deus hanc potiùs animam in indiuiduo, quàm aliam numero distinctam infundat, quàm quia dispositiones certæ, & determinatæ reperiuntur in hoc embryone, quæ non in alio: siquidem eodem modo iudicandum est de hac infusione; ac de cæterarum animarum productione, quæ ex sinu materiæ educuntur, quoad ea, quæ ad rei indiuiduationem pertinent; hæc enim leonis, aut psittaci anima potiùs educitur, quàm alia, quia materia varias dispositiones sortita est.

Non est quòd inquiram, an eadem materia cum omnibus dispositionibus ijsdem numero restitutis, & à Deo reproductis, anima corpori proxima naturaliter ei vitam reddere posset, cùm aduersus homines agamus, qui Deum fugiunt, & pernegãt, tametsi breuissimè dici possit id in controuersia positum esse; nam quosdam enim habemus ita affirmantes Henric. quod l.11.4.14. Scot. in 4. d.43. q.3. a.3 Ouandum ibid. Varronem, & alios; at probabilius est ne tunc quidem futuram resurrectionem, quia cùm anima sit causa formalis respectu hominis restituendi, nequit esse causa efficiẽs, sed præter eam necessarium est agens, quod illam corpori vniat; quod fortè nequit eadem virtus præteriti seminis tametsi miraculo reproducta, quia non amplius eandem actionem exercere potest, vt pote præteritam, ad quam nulla est potentia naturalis. Adde quòd neque Deus instar agentis naturalis ad eandem animæ vnitionem concurrere teneretur. Itaque paupercula anima membris omnibus corporis præsens esse posset, quod tamen non valeret informare, sed volens nolens ad corruptionem redire pateretur. At hæc aliâs, si quando cogamur ostendere, quomodo diuinæ potentiæ resurrectio, atque reproductio eorundem hominum, cæterorúmque indiuiduorum facillima sit. Henric. Scot. Ouand.

Supponebat pars secunda quæstionis animas quasdam, vt heroũm, & aliorum magnatum cæteris eminere, adeout his imperare, easque pro libito cogere possent. At quàm illud fictitium sit, quis non videat? nisi quandam animarum Rempublicam fingat aliquis, in qua aliæ sint imperatrices, aliæ reginæ, ductrices, comites, nobiles, ignobiles, & subditæ, quod inauditum est. Nec fieri potest, vt vlla Respublica inter solas formas admittatur, quæ nunquam existunt donec materiæ coniungantur; cùm enim ad aliquod substantiale compositum efficiendum

ficiendum ordinentur, atque creentur, illud priùs exequi debent, quàm vt vllam aliam operationem ex ijs præsertim, quæ vocantur ad extra, seu exteriora in lucem edere possint: quandoquidem prius est aliquid esse, quàm operari, & perfectè esse, quā perfectè operari; nec quidquam elicit vllas actiones, donec esse suppositi completum habeat; esse verò suppositi non habet anima, nisi corpus animet.

Horum autem omnium rationem à priori describo: talis est ordo inter operationes rerum creatarum, imo & inter actiones diuinas, vt quæ maiorem habent cum essentia, vel natura rei connexionem, priùs vel tempore, vel natura, vel ratione elici censeantur, adeout quædam necessariò fluāt, nec vlla libertate gaudere possint: quæ verò minus arctè coniunguntur, & minus rei naturam efficiūt, sed ab ea magis distare videntur, posteriùs eliciuntur, & sæpe libertatem sibi vendicant, dum ab agēte libero proficiscuntur. Hinc fit, vt aliquæ sint in Deo productiones, quæ necessariæ sunt, nec vllā possunt induere libertatem ob summam cōnexionem, vel potiùs identitatem, & vnitatem, qua ipsi naturæ diuinæ arctissimo vinculo coniunguntur, quales sunt Verbi generatio, productio Spiritussācti, intellectio, & volitio, qua se pater æternꝰ vult, & intelligit, qua etiam creaturas omnes possibiles intelligit, & illas quandiu sunt, amat, quas nisi diligeret, hoc ipso desinerēt, & in nihilum abirent; licet illa intellectio, & amor quatenus ad creaturas existentes ferri concipiuntur, summam libertatem asciscant, nam liber fuit amor iste, & intellectio libera, dum cœpit; libera est, dum nobis desinere videtur, nempe quando creaturarū existentia desinit: libera etiam tam intellectio, quàm dilectio, quatenus ab his Deus, cùm liber, cessare potest, ita tamen vt nullam mutationem, nec vicissitudinis obumbrationem subeat, sed tota mutatio ex parte creaturarum pro libito diuino incipientium, vel desinentium cogitanda sit.

Eodem igitur modo de operationibus animæ dicendum est, quæ inter plurimos actus priùs & immediatiùs actum informandi respicit, quem ita sibi connexum habet, vt neque vllum alium elicere, vel imperare possit, quin prius illum exercuerit, atque adeo corpus informauerit, nam ex suæ naturæ principiis habet, vt informare possit; est enim informatio actus, siue actio substantialis, quæ cęteras accidentales antecedit, & qua homo suum esse cōsequitur. Falsum est igitur animarum aliquam esse Rempublicam, quippe quæ supponit ciues suos substantia, atque natura perfectos esse, atque completè subsistere, deinde post mortem omnia humana officia desinunt, emptio, venditio, iniuria, meritum, demeritum, & id genus alia; ad quid igitur Republicam constitui velles, nisi fortè ad eam ciuium cœlestium ineffabilem Oeconomiam animum applicare velis, ad eam cœlestem Hierusalem, & cœlestem Rempub. mente, atque meditatione conscendas, in qua sūmus imperator Deus, comites, duces, & principes nouena turba spirituum angelicorum, milites martyres, & confessores. Vtinam Athee illuc vel semel in die conscenderes, nec enim vllis rationibus tuam peruicaciam emollire necesse duceremus.

Sed obsecro qualem vis esse illam animarum super alias eleuationem, qualem principatum, quodnam ius, aut imperium? Vndenam illud colligis? an ex tuis fabellis, quæ resurrectionem ementiuntur? an ex aliqua reuelatione? An potiùs te dæmon in eo detinet errore, vt eius voluntati morem gerens in fine vitæ ad illud imperium tuam animā euehat? Ecquibus te speras imperaturum? an ijs qui tecum omnem diuinitatem eiurarunt? verùm ius idem in te habere debent, cùm eandem Atheismi cathegoriam constituerint. An ijs qui Deum admiserunt, eúmque debito cultu prosecuti sunt; sed malè Respublica ex aduersarijs coalescit, nec diu perdurare valet. Adde quòd is, qui suscitat, est ordinis diuersi, & alium statum obtinet; dum inter viuos conuersatur, ab eo, qui iam excessit; vnus enim non amplius indiget phantasmate, alius sine eo nihil comprehendit; vnus corpore includitur, quo tamen caret alius: nec vnius animam separatam videt, neque nouit, vbi sit; quî ergo fiet, vt eam reuocet? quasnam plateas, syluas, domos, sepulchra, cauernas percurret, vt eam inueniat? quibus tubis, quò clangore, qua voce, quo boatu, quibus instrumentis eam aduocabit?

Verùm ad memet redeo, ne plus nimio his figmētis inhærens, alias obiectiones omittam, quas percurrendas suscepi, vt magis, atque magis diuinitatis summa maiestas elucescat.

Ex ijs verò concludendum est à nullo alio mortuos ad vitam, præterquam à Deo reuocari posse, siue id immediatè, siue quibusdam sanctis, vel reliquiis sacris mediantibus, efficiat.

CAPVT XXIX

An resurrectio mortuorum in vim herbarum, aut sanguinem refusum referatur.

NE quis miretur, si id in quæstionem adducam, id enim Athei non solùm animo reuoluunt, sed & ore, scriptisque asserunt, tametsi nemo rationis compos nesciat id falsum esse; idemq: de lapidibus effutire potuerunt; nec non de metallis, auro præcipuè, quod ita potabile fieri credunt, vt guttula illius epota vicibus certo temporis curriculo repetitis iuuentam restituere, & quātum volueris, vitam prolongare valeat, ne dicam immortalem reddere, quod tametsi fieret, quod falsum est, non illico resurrectionem eadem virtute faciendam habes, quādoquidem non ita difficile videtur, vt quibusdam succis, & liquoribus calor naturalis, vel humidum radicale, seu natiuum conseruetur, ad instar elychni, quod oleo, vel seuo semper effuso non extinguitur, quàm vt corruptum reuocetur; hic enim necessarius est à perfecta priuatione ad habitum regressus, non illic.

Eadem autem argumenta, quibus probatum est ab intelligentijs hominem non posse ad vitam re-

uocari, probant etiam id herbarum succo, vel, sanguine refuso minimè posse fieri. Præterea omnium herbarum vis supponit natiuum calorem, cuius suscitatione iuuetur, vt morbi materiam, nempe superfluos humores expellat, alioquin nihil omnino proderit; hinc enim cadaueri nulla medicina præbetur, nec enim prodesset, quia calor abest. igitur cùm resurrectio supponat cadauer, quomodo herbæ illud ad vitam reuocabunt? cætera, quæ de herbis addi possent, dicta sunt alibi. Iam verò sanguinem refusum non posse vitam reddere patet ex eo, quòd ipse vita careat, atque adeo nequit illud, quod non habet afferre, qui tamétsi contineret animam, eàque, dum infunditur in corpore, informaretur, quod falsum est, eam deperderet, cùm exit à corpore, vel dum in eo remanet, quando mortuum est. Nec mihi obijcias animam aliquam imperfectam in sanguine remanere, quæ per sanguinis fusionem, & liquefactionem, vel calefactionem ad actum perfectum reduci valeat; id enim absurdum est, & ἄτοπον, quod nec Transmigrationis autor admittat. Supponunt tamen Athei sanguinem illum refusum habere vitam, & illam corpori mortuo restituere, alioqui nihil concludunt, quod cùm falsissimum sit, ruant omnia, quæ concludunt, omnino necesse est: Adde quòd mortem potiùs sanguis refusus alicui corpori etiam viuenti, quàm vitam allaturus sit ob difficilem digestionem, quam illi deprehendunt, qui porcorum, vel alterius animalis sanguine cocto nutriuntur. Verùm aliquid etiam gratis, licet non postulantibus, concedamus, nempe sanguinem effusum tanto à medicis artificio conseruari, vel ad pristinam temperiem ita reuocari posse, vt in idem corpus, à quo manauit, infundere possint: Videant, obsecro, corpus mortuum, qua via refundent, an per os? sed quis ex ore in stomachum, quis ad hepar, quis ad omnia membra traijciet? sanè per poros illum infundere non possunt, qui nunquam ita fuêre peruij, vt per illos auditum potuerit inuenire, nec enim post obitum pori aperiuntur, sed potiùs, maximè constringuntur, atque contrahuntur.

Occurritur obiectioni.

An ergo Athei supremo in loco cadauer collocabunt, & sub eo sanguinem, & sub sanguine fornacem, aut balneum Mariæ, vt certo calore sanguis paulatim exurgat, volitet, & in tenuissimos vapores redactus per quaslibet corporis superioris partes sese insinuet, & illud animet? Verum huc illuc vapores discurrent, neque cadauer ingredi poterunt, sicut neque lapidem, aut lignum, neque si ingrederentur, quidquam prodessent, nisi vt magis, atque magis cadauer illud corrumperent.

An isti cadauer in mille partes dissecabunt, vt sanguinem illis partibus infundant, & totam illam massam fermentent? Sed quicquid egerint ad vitam illud, imo neq; ad cadaueris formam, & integritatem nunquã reducent; quis enim hominum neruos, venas, fibras, ossa, arterias, membranas, & alias partes abscissas in vnum compinget, adeout in antiquã formam, atq; figuram coalescant? nugæ sunt illa omnia, & quæcunque similia excogitari possunt; nec si refusione calidi sanguinis vita cadaueri adhuc calido reddi posset, id possibile foret, hominibus, qui, prout est necessariũ, sanguinẽ distribuere nequeunt. Illi autem Athei non debent ad angelos, vel cacodæmones recurrere, quos scilicet non admittunt; nec si recurrant, quidquam obtinebunt; quia dæmon, vt operetur, rerum naturas supponit, nec vllum vitæ gradum etiam muscæ tribuere potest: ita nempe causis secundis adstringitur, vt eas necessariò debeat applicare, si quã alterationẽ efficit; At in rerum natura nihil est, quod ad vitam hominibus reddendam, ordinetur: quid enim vitam restituere potest, nisi ipsa vita superius, vel ad minimum ei æquale sit, non tantùm quoad naturæ præstantiam, sed etiam quoad efficientiam? Apage sis impie qui opus soli Deo proprium herbulis, aut humori crasso tribuis; sed ad hominis afflatum accedamus.

CAPVT XXX.

Resurrectionem in hominis afflatum minimè posse referri.

MEmini me aliquando mulierculas nonnullas vidisse, quæ afflatu suo sacrum ignẽ, & herpetes, ac similes morbos, qui cutanei sunt, 7, aut 9. dierum spatio curare se crederent, quod apud Anciacum Cenomanensium vicum me vidisse memini, in quo pueri morbis istis afflictati ad eiusmodi mulierculas manè per nouem dies à parentibus dirigebantur, quæ bis, aut ter in morbum exsufflarent, post cruces singulas, & aliquoties orationem Dominicam repeterent. In quibus superstitiosum esse puto, quod certis vicibus sufflent, & omnia ex condicto certis numeris comprehendant: adde quòd ea ratione donum curationum sibi arrogare videntur. At neminem adeò stolidum vidi, qui per afflatum crederet hominem à mortuis reuocari posse. Nec existimes catulum leonis à patre per halitum, aut mustellam parentis spiritu, & voce viuificari; id enim falsissimum est, viuunt enim, & solùm à parentibus à somno, vel sopore reuocantur, aut aliquomodo membra adhuc tenuia, atque debilia perficiuntur, iuuantur, fouentur, & roborantur. Vt autem Atheos penitus exarmemus, expendamus obsecro, quî fieri potuit, vt tantum opus causæ tam fragili tribuerint.

Nunquid homo, qui alium suscitaturus est, eiusdem cum mortuo temperamenti esse debet? vt saltem in illius cadauer quidpiam vitæ simile insufflare possit? Verùm vbi gentium 2 homines eiusdem omnino temperamenti reperies? esto tamen, & quod nunquã fuit, aut etiam futurum est, gratis concedamus; fuerit eiusdem omnino temperiei, & quod consequens esse videtur, anima defuncti perfectionem eandem habuerit, imo plura concedentes, adeout impossibiles hypotheses minimè vereamur, defuncti, atque viuentis defunctum suscitaturi anima sit eadem numero: nondum viuens mortuum restituere poterit, licet enim eadem anima, quæ erat in homine, antequam moreretur, labijs cadaueris inhæreret, illud nunquam informare posset, vt satis superq; diximus, quia dispositiones quæ sunt omnino necessariæ, desũt, quas reproduci oporteret, quod cũ naturæ vires lõgè prætergrediatur,

grediatur, quonam helleboro curari poterũt, quos resurrectionem in afflatum reijcere minimè pudet? Quidnam est ille flatus, nisi aëris expulsio, quæ in excremẽtis numerari potest, vel in rebus superfluis reponi? nam vbi inspiratus aër ad pulmones, vel etiam ad cor refrigerandum accessit, statim atque plus nimio calefactus est, reijcitur, & expiratur, vt nouus rursum inspiretur, & attrahatur: an aër ille reiectitius animam producere in cadauere, an eandem, quæ priùs fuerat, reducere, an dispositiones præteritas, aut alioquin necessarias efficere potest? nullus, credo, animæ producendæ, aut reducendæ virtutem vlli vapori tribuet: sed neque cadauer ad animam suscipiendam vllus disponere potest, sufflet enim, & insufflet, adeout si volueris, totum corpus flatu repleat; nunquid ille flatus cor reddet calidum, & omnia viscera vegeta? nunquid motum, aut sensum afferet? qui statim atque ex ore sufflantis excessit, frigidus efficitur, & ineptus vitæ.

Non est quòd stultis quorundam inuentis occurram, qui ipsam animã tenuis particulam auræ putant, quia dum quis mortuus est, expirasse dicitur; enimuero verbum istud ab effectu sumpsit originem, quia videmus mortui vltimum actum esse, cùm expirat: at cùm id fiat per aëris intus attracti expulsionem, & ipsa expulsio motum includat, ille motus à quodam principio manare debet, quod aliud præter animam esse nequit. Afflatus ergo nequit esse causa resurrectionis, imo nec vllus calor, etiam si fingas dæmonẽ omni artificio vti, vt cadaueri calorem antiquum restituat, quod efficere non potest, quia calor ille ab animæ præsentia dependebat, & in sententia doctissimorum Theologorum D. Thomæ, & aliorum, ab ipsa forma producebatur, quod etiam docet vera philosophia.

CAPVT XXXI.

Quòd resurrectio vera non sit illa excitatio, siue reditus ab ecstasi, lethargo, apoplexia, & cæteris morbis similibus.

Quid, sit ecstasis.

AB ecstasi sumemus exordium, quam nonnullis viris, vt peculiare donum à Deo liberè concedi fatemur; fit enim ex sublimi rerum diuinarum contemplatione, quæ à sensibilibus, & à corporis penso animum seuocat, & profundissima mentis intentione incorporeæ sapientiæ coniungit; qui verò peruenit ad illum gradum perfectionis contemplatiuæ supremum, rapitur ab omnibus speciebus creatis, & intelligit eo modo, quem scit, & vult Deus, quod nescire possumus; est enim manna absconditum, quod nemo scit, nisi gustauerit, imo neque forsitan agnoscunt ipsi Sancti, qui in ecstasim rapiuntur, quibus modis illa fiat, an per species acquisitas, an verò per infusas de nouo videat illa mirabilia, quæ Deus ostendere solet in raptu, an per inspectionem ad ideas, in quarum lumine omnia agnoscat. Verùm ad Atheos propero, qui volunt ecstasim esse morbum, & vt ait Galenus, insaniam non tamen diu perseuerãtem: esse priuationem officiorum animæ sentientis, mouentis, & intelligentis; vnde immoti manent ecstatici, rigent, & transfixi non sentiunt; sic enim Sacerdos ille Calamẽsis, cuius meminit D. August. l. de ciuit. iacebat simillimus mortuo sine anhelitu, & cùm vreretur, & secaretur, non sentiebat, quod & alijs multis contigit, qui diuina passi sunt: adde quod id commune sit apud Turcas, vt refert Cardanus. c. 43. de rerum varietate lib. 8. vbi 4 mirabilia de se narrat, quorum primum est, quòd extra sensum, quasi in ecstasim transiret, quoties vellet, licet in ea diutiùs permanere non posset; sentiebat autem quandam iuxta cor separationem, quasi abscederet anima, quod toti corpori communicabatur, ac si ostiolum quoddam aperiretur.

Quid sit morbus ecstaticus.

Turcæ, Cardanus, & alij ecstatici.

Quomodo Cardanus in ecstasim raperetur.

4 Proprietates Cardani.

Initium huius, inquit, *est à capite, maximè cerebello, diffunditurque per totam dorsi spinam: hocque tantùm sentio, quod sum extra me ipsum, magnáque quadam vi paululum me contineo.* Quibus alia plura sibi propria subiungit, inter alia verò, quòd videret, quæ vellet, non oculis, sed mente, idque, vt pùtat, ob vim imaginationis, & sensuum subtilitatem: quòd omnium sibi futurorum in somno videret imagines: denique quòd eorum, quæ sibi ventura essent, vestigia in vnguibus apparerent: nigra enim, & liuida nota in medio digito mala portendebat: alba fœlicem euentum in honoribus futurum, si in pollice: si in indice, in diuitiis: si in studiis, & rebus maioris momenti, in annulari: in minimo verò, si in exiguis inuentionibus, *Quæ, si quis obseruet, vt naturalia*, inquit, *nec fallitur, nec Deum offendit, imo gratias illi reddere videtur, nisi apud superstitiosos, & imperitos. Si vt à dæmonibus immissa, idololatriam apertè committit, atque insanus est, & vanus.* Quibus verbis se suo satis prodit indicio sotex ille, qui dum satagit non malè apud homines audire, persuadere nititur illa præsagia, diuinationes, ecstasim, & alia, quæ narrat non à dæmone, sed à causis naturalibus oriri, quem si vrgeamus, ad astra sine dubio recurret, vèl ad temperiem, & idiosyncrasiam, vel quidpiã simile, ne sine ratione loqui videatur.

An ille Cardanus magus fuerit, collige.

Verùm de his aliàs, iam ad ecstasim regrediamur. In ecstasim collabi nihil aliud esse Cardanus ex Auicenna refert, quàm fieri paralyticum, qualis fiebat, quem Auicenna ait non fuisse læsum ex morsibus serpentũ, imo serpentes periisse, quoties enim volebat absq; sensu, & motu, veluti mortuus iacebat; quod ait Cardanus multis id posse contingere, si aduerterent. Leuiùs tamen id accidisse sibi, quia natura esset valde sensibili, ideóque nequibat adeò exquisitè transire in contrarium; quia huic non assuefecerat à iuuẽtute, sed à 10 annis tantùm, quod ei priùs casu venit; quia memoria, vis audiendi, & cæteræ potentiæ sunt minores in quibusdam; denique quod eam vim naturæ contrariam multum intendere non ausus fuerit, ne quid mali pateretur. Quæ omnia, vt probè intelligi possint, & subtiliùs discutiantur, paucis inuestigandum est, an ecstasis naturaliter fieri possit, quid sit, & num in illam resurrectio reduci valeat.

CAPVT XXXII.

DE ECSTASI.

Quid sit, & an naturaliter fieri possit, vel in eam mortuorum suscitatio referri.

ECstasis variè sumi potest: nam vel est animæ de suo statu dimotio, vt cùm diuino instinctu motus homo à corpore abstrahitur; sumitur etiam pro animi perculsione, & stupore: actiuè verò ἐκστατικὸς pro eo, qui est, ὁ ἐξιστὰς in furorem agens, vel qui seipsum à se discedere facit: passiuè pro eo, qui est ὁ ἐξεστηκὼς, pro eo qui furibundus est, & facilè præceps in cæcos ruit impetus; vnde ἐξίστασθαι græci dicunt, à se discedere, à mente alienari; & ἐξίσταμαι, sententiam muto, quasi quis seipsum relinquat, cum priorem sententiam mutat; Platonici enim animum, cuius est opinari, hominem esse dicebant, cuius partem corpus esse negabant. Hinc qui ira, vel animi perturbatione quapiam à sede rationis dimouetur, ecstaticus appellari potest.

ἐκστατικός.

ἐξίστας.

Ecstatica, & Systatica quid.

Dicuntur autem ecstatica, quæ rem è statu suo dimouent, qualia respectu naturæ humanæ nonnulli omnipræsentiam, & immensitatem existimant, quas Deus ei communicare nec debuit, nec potuit, quibus Systatica opponuntur, quæ rem constituunt: sic corporis quanti Systatica dicentur tres dimensiones: Peristatica, quæ rem circunstant, vt locus; nolo hîc in Goclenio refellendo bonas horas perdere, nec enim hæreticos hîc aggredior: sufficiat aduertisse hoc sensu alicui corpori Deum omnipræsentiam comunicare posse, si in omnibus locis mundi reproduxerit illud, suæque quantitati permiserit, quod à Deo fieri posse quis in dubium reuocare potest?

Tribus modis sumitur ecstasis.

Ecstasis igitur primò sumi potest pro qualibet animi perturbatione, quæ hominem velut extra se facere videtur. 2. pro omni morbo, quo quis vitæ priuatur actionibus, & sensibus non vtitur, quod vel naturaliter contingit, vt in somno, vel externa vi, vt dæmonis ope, vel interna per aliquem humorem, qui sensuum tubos obturet, & impediat. 3. pro vera ecstasi, quæ cum raptu coincidit, qui fit ab eo, quod est secundum naturam, in id, quod est supra naturam, vi superioris naturæ eleuantis, vt loquitur sanctus Doctor, qui 2. 2. q. 15. 175. a. 1. tripliciter eũ posse fieri docet, seu illius triplicem esse causam; prima est corporea, vt patet in his, qui ob morbum aliquem alienationem patiuntur: 2. sunt dæmones, vt constat in arreptitijs: 3. Deus, vt patet in multis sanctis, qui ad supernaturalia cum abstractione à sensibus eleuantur, vt de Ezechiele legimus c. 8. *Spiritus eleuauit me inter cœlum, & terram, & adduxit me in Hierusalem in visione Dei*: quibus tertiam causam addit artic. 2. nempe affectum, quo quis appetit aliquid, adeò vehementem, vt ab omnibus alijs homo alienetur: tres primæ sunt extrinsecæ causæ, hæc autem intrinseca.

D. Thomas

Tres causæ ecstasis.

Ezech. 8.

De ecstasi, quæ fit per morbum, qua Socratem laborasse ferunt, parùm curant Theologi, quia non eleuat ad superiora, sed ad ima deprimit, nec in præsenti habeo quidpiam de ea proponendum, præter ea, quæ de morbis quibusdam paulo post allaturus sum.

Igitur de sanctorum ecstasi quædam affero, priusquam inquiramus, quomodo dæmon eam possit efficere. Certum est imprimis auxilio diuino posse nos ad tantam contemplationem eleuari, vt nihil sentiamus, nec vllus actus animæ exerceatur: imo Deus pro quolibet tempore animam à corpore ita separare valet, vt in eo dispositiones remaneant, & postea iterum informari possit, quod reuera dæmon efficere nequit: vnde sententia Caballistarum, & Platonicorum explodenda est, qui censebant in illis raptibus, quos nonnulli ex gentilibus patiebantur, animam espatiari, & foris separatam versari; ad quod suadendum plurima dæmon confinxit: corpora nempe formabat ex aëre, quod Proconnesio simile erat, dum multoties defunctus reuixisse videbatur, vt Plin. l. 7. c. 52. & Plutar. in vita Romuli; præterea cùm anima cerui effigie ex illius ore videbatur egredi: & mustella alba ex ore militis dormientis, quæ per gladium riuulo impositum commeabat, vt refert Helinandus l. 13. chronic. & Paradin. in symbolis, id in dæmonis spectra, atque præstigias referendum est, vt errorem de animæ migratione propagaret. Idemq; de cæteris est dicendũ, vt de Philappis, & Finnis, & Hermotimo Clazomenio, de quibus Lucian. in encomio muscę, Plutar. de dæmonio Socratis, & alij.

Ecstasis sanctorum.

Quid possit Deus.

Proconnesij resurrectio Plin. Plutar.

Helinand. Paradin.

Lucian.

Simile quid refert Olaüs de magis Lappijs l. 3. c. 18. qui reuelabant inquirentibus, intra 24 horarum spatium, de rebus peregrinis, vel si trecentis milliaribus abessent. Vbi enim incantator vsitatis cæremonijs Deos suos compellauit, subitò collabitur, & exanimatur, ac si excederet anima, cùm neque sensus neq; motus in eo percipiatur; adsint oportet, qui proiectum corpus custodiant, alioqui dæmones id arripiunt.

Olaüs. Lappij magi.

Cùm autem spiritus redit cum gemitu velut è profundo somno corpus expergiscitur, & incantator ad interrogata respondet, quod vt credat is, qui percontatus fuerat, quidpiam ex ijs, quæ in ædibus suis, aut cognatorum peraguntur, enarrat.

Hic est dæmoniacus raptus, in quo reuera non discedit anima, de quo postea; & quem, tametsi fortè nescius, Plato lib. 10 de Repub. tetigisse videtur, dum ait Fren Armenium genere Pamphylium, cùm inter cadauera cæsorum in prælio decem diebus iacuisset mortuus, domum

Plato.

Fren Armeni. suscitatio.

domum relatum secundo post die, cùm autem rogo imponendus esset, reuixisse, & prodigiosa quædam narrasse, quæ illo tempore apud inferos vidisset, cui simile est, quod Origen. 3. contr. Cels. de Clazomenio refert, quæ omnia vel fabulosa sunt, vel dæmonis artificio efficta, vt nihil reliqui fidelibus catholicis esse videatur, quo Deum esse firmissimè sibi persuadeant, vel Atheos conuincant, dum omnia Dei opera etiam miraculosa pater mendacij prestigijs suis imitatur.

Origen.

Nemo potest rapi in ecstasim virtute naturali, itaut speciebus non indigeat.

Aristot.

Certum est secundò neminem ita posse virtute propria rapi ad contemplationem, siue Dei, siue alterius rei, vt nulla ampliùs imagine indigeat, aut specie acquisita in intelligendo non vtatur; enimuero tanta est intellectus, & phantasiæ connexio, vt ille nequeat operari, nisi hæc phantasmata suggerat, quæ intelligens speculetur, iuxta id Aristotelis 3. de anima. c. 7. 30 τῇ δὲ διανοητικῇ ψυχῇ τὰ φαντάσματα οἷον αἰσθήματα ὑπάρχει. ὅταν δ' ἀγαθὸν ἢ κακὸν φήσῃ ἢ ἀποφήσῃ, φεύγει ἢ διώκει. Διὸ οὐδέ ποτε νοεῖ ἄνευ φαντάσματος quod ita reddi potest. *Anima verò dianoitica ipsa phantasmata, sicut sensibilia subijciuntur: quando autem bonum, vel malum affirmat, aut negat, fugit, vel persequitur. Ideoque ipsa anima nunquam intelligit sine phantasmate.* Quod hunc habet sensum intellectus contemplatiuus phantasmatibus vtitur, sicut externis sensibilibus sensus, ita tamen vt intellectus practicus aliter eisdem vtatur, prout nimirum ex eius affirmatione, vel negatione, seu iudicio practico mala declinamus, vel bonum amplectimur.

Idem c. & text. 39 non minus apertè repetit. ὅταν δὲ θεωρῇ, ἀνάγκη ἅμα φάντασμά τι θεωρεῖν *Quando quis contemplatur, seu intelligit, necesse est simul aliquod phantasma contemplari.*

Quid Deus possit in ecstaticis.

Deus quidem potest contemplanti nouas species infundere, quibus eleuatus, & raptus intellectus sine phansmatis concursu, vel præsentia concipiat, & intelligat, quæcúnque Deus voluerit, imo posset ita iuuare intellectum, vt sine vlla specie contempletur, vt theologi de beatis existimant, qui non ampliùs vlla specie indigebunt, quia speciei vices abunde supplebit essentia ipsa diuina intellectui beato non solùm præsentissima, id enim omnibus creaturis commune est ob immensam diuinitatis omnipræsentiam, sed etiam instar speciei simul & obiecti. At hæc aliâs, nec ante porcos margaritæ proijciendæ sunt; satis enim est, vt aduersus Atheos ex philosophiæ principijs agamus.

Quid non possit Dæmon.

Ex quibus infero Dæmonem nulli posse species intelligibiles imprimere, nec enim quidquam facere potest, nisi mediis causis naturalibus, idque iuxta rerum ordinem omnibus creaturis à Deo præscriptum; nec enim angeli naturæ, vel mundi domini, sed tantùm ministri constituti sunt, & ad eorum immissi salutem, qui æternæ, diuinæque hæreditatis futuri sunt participes, iuxta apostolum ad Hebr. c. 1. *Nonne omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capient salutis.* Vnde rectè concludi potest eos non posse rerum naturam inuertere, cùm solis viribus proprijs agunt. Quòd si velint aliquem illuminare, debent vti medijs ex rerum natura depromptis; quapropter vbi cogitationem aliquam immittere cupiunt, debent aliquod phantasma imaginationi objicere, ad cuius præsentiam intellectus agens possibilem intellectum in actum reducat, ei speciem intelligibilem imprimendo, quæ idem, quod phantasma, perfectiùs tamen, referat.

ad Hebr. 1.

Et quidem difficilius esse minimè iudico, vt angelus aliquem vsque ad cælum transferat non pertranseundo aërem, quàm vt ei cogitationem immittat sine phantasmate præcedente, atque præsente, quia vtrumque supra naturæ vires esse videtur, solique Deo reseruatur, qui eatenus in animam solus illabi, seséque insinuare posse dicitur, quatenus ei species quaslibet infundere potest, quibus absque concursu phantasmatis intelligat, & his cognitionibus medijs, in voluntate quoslibet motus, & affectus producere, & in hac contemplatione, & affectibus voluntatis animam, quandiu voluerit detinere, corpore, licet adhuc corruptibili, absque corruptione remanente.

Nazianzenus. Species viatori necessarias esse.

Legi potest D. Nazian. qui orat. 2 de Theologia nobis ita fauet, vt idem, quod superiùs diximus, egregiè doceat. *Quemadmodum, inquit, nulla ratione fieri potest, vt quispiam, quemlibet gressum vrgeat, vmbram suam prætereat, quantum enim eam assequeris, tantum etiam semper anteuertit, aut oculus rebus in aspectum cadentibus citra intermediam lucem, & aërem coniungatur, aut naturalia animantia extra vndas labatur, ita etiam impossibile est ijs, qui corporibus inclusi sunt, sine corporearum, ac sensibilium rerum adminiculo rebus ijs, quæ animo ac ratione intelliguntur, omnino coniungi: semper enim obiter sensibile aliquid incidit, quantumuis maximè nostra mens à rerum aspectabilium contagione separata, atque in seipsam collecta, cum rebus cognatis, oculorúmque aciem fugientibus commercium habere conetur.*

Quam doctrinam experientia confirmat, statim enim atque sensus aliquis internus morbo læsus est, aut animi pathematibus turbatus, vel somno ligatus, mens actionibus suis liberè, rectéque fungi nequit: adde quòd in nobis aliquod idolum, seu phantasma percipimus efformari, cùm ad aliquam intellectionem quantumuis sublimem animum appellimus; cuius ratio à priori est, quòd operatio formam, & modum essendi formæ sequatur, sicut posse operari supponit existentiam; cùm igitur anima corpus informet, modum essendi corporis informatiuum habet, ac proinde intellectualis eius operatio, seu intellectio ministerium corporeum requirit, quod est phantasiæ, & phantasiuatum concursus, atque præsentia.

Operatio sequitur modum essendi.

Nec obstat quòd aliqui naturaliter in ecstasim rapti fuisse videantur, qui phantasmatibus minimè vsi fuerint, vt Restitutus ille Calamensis Ecclesiæ presbyter apud D. August. 14 de ciuit. c. 24. Plato lib. de diuina sapientia Ægyptiorum c. 1. qui ait se relicto corpore contemplando sibiipsi visum esse summo bono perfrui. Trismegistus initio Pymandri de se refert idem: & Socrates ab Alcibiade in conuiuio dicitur aliquando nocte, diéque in medio exercitu cogitabundum vno gradu stetisse.

Restitutus, Socrates, & Plato in ecstasim acti.

Trismegistus.

Hæc enim, aut similia non inferunt intellectum absque phantasmate operatum fuisse, sed tantùm à quibusdam sensibus, vt auditu, atq; visu fuisse abstractũ; imo presbyter Calamensis voces velut à lõgè audiebat: alij verò non omni phantasmate carebãt, quod etiã insensibiliter obrepit: nihil enim in

An sine phantasmate intellexerint.

intellectu, quin prius, vel etiam simul sensu existat; in illo intelligibiliter, in hoc autem sensibiliter.

Difficultas proponitur.

Nolim autem hîc disquirere, an sit difficilius, vt quis mentem ita seuocet, & rebus diuinis, aut alijs etiam intentus sit, ad hoc, vt nihil sentiat, etiam si pungatur, vel vratur, quàm vt nihil etiam oculis apertis videat, vel audiat, ne diutiùs, quàm par est, hisce rebus immorari cogar, id alibi fiet.

Fateor tamen homini naturaliter posse contingere, vt alicui rei sit adeo intentus, nihil vt videat, quod ante oculos transierit, nec etiam audiat saltem distinctè, quæ dicuntur, nam quò magis intellectus ad aliquam rem præcipuè separatam à rebus corporeis attendit, sensus eò minus rebus sensibilibus intenti sunt, vnde vulgatum illud: *pluribus intentus minor est ad singula sensus*, quod tam intellectu, quàm sensu verum est; cùm enim potentiæ nostræ cognoscentes, sicut & appetitiuæ finitæ sint, quò plura fuerint obiecta, quæ speculantur, aut appetunt, eò minus intelligunt, vel amant, adeout illas facultates cum lumine conferre possimus, quod eò magis decrescit, ac debilitatur, quò longiùs atque latiùs diffunditur.

Dæmon sensuum operationem impedit.

Certum est tertiò Dæmonem sensus tam interiores, quàm exteriores, ac per consequens intellectum sopire posse, itaut illæ facultates aliquo tempore nihil agant; imo & sensus exteriores ita ligare, vt nihil percipiant; cùm enim id ex pluribus morbis contingere possit, vt infrà dicetur, quos morborum causis corpori adhibitis excitare valet, id ei facillimum est, imo medici, qui venena, & symptomata inde futura nouerunt, aliquid nobis propinare possunt, quòd sensus & intellectum obtundat; quod vtinam pharmacopæi incauti nimis, nunquam vel errore, vel malitia facerent, qui sæpè vitam adimunt, cùm valetudinem restituere debuissent. Quanto verò tempore dæmon possit sensus nostros ita sopire, vt cùm nihil sentiamus, nondum tamen mortui simus, id à nemine mortalium absque reuelatione dici potest; tametsi enim ab hominibus id supra tres, aut 4 dies factum me legisse non meminerim, attamen per plures dies id à dæmone fieri posse crediderim, qui narcotica longè plura cognoscit, & subtiliùs applicare valet, quàm vllus medicus.

An vegetatiuas operationes impedire possit.

An verò præter sensitiuas facultates, etiam vitales, seu vegetatiuas, & naturales impedire possit, non ita certum est, saltem existimo eum impedire posse, ne facultatum illarum operationes à nobis percipiantur, quod eum in illis ecstasibus præstitisse certum est, & quotidie præstare, ex quibus magi, & sagæ ad se redeuntes de absentibus, aut etiam de futuris, quæ dæmon virtute naturali scire potest, quæque eis reuelauit, iuxta interrogata respondent; de ijs verò, quæ cacodæmon nescit, prout ab eo docti sunt, amphibologicè respondent, quale illud est, *Dico te Æacida Romanos vincere posse*, & id genus sexcenta, ne eius ignorantia appareat, ac proinde cultus, quo homines eum prosequuntur, deficiat, & euanescat.

Maxima difficultas.

Maior est autem difficultas, quomodo possit dæmon animæ magi, cuius sensus feriantur, & omnino sopiti sunt, ea palam facere, quæ postea magus ad se rediens narrat, præcipuè cùm eorum, quæ docet, nullæ sæpiùs in phantasia magi species præfuerint: scio quidem eadem phantasmata varijs modis componi, diuidi, & immutari posse, vt ferè omnes philosophi cõcedunt, sed nullus, quod sciam, explicat, siue nullus difficultatem percipiat, siue dissimulet: quomodo id fieri possit.

Tria certa de imaginatione.

Quod ostendo breuissimè. Certum est phantasiam, vel imaginationem animalibus nobiscum communem, esse corpoream, & extensam per partes extra partes, nisi eam in aliquo puncto statuamus. Certum est etiam rerum imaginibus informari debere, vt quidpiam imaginemur; quæ quidem sunt accidentia, nempe species intentionales, non eædem, quæ priùs in externo sensu, vt in oculo, receptæ sunt, sed nouæ pro nouo sensu.

Quomodo phantasma imprimatur.

Certum est tertiò phantasiam sibiipsi speciem imprimere non posse, nisi præsens obiectum adfuerit, & cognoscendum proponatur, vt cum aliquis de rebus à se visis, vel auditis edisserit, verborum illius tam auris, quàm sensus communis imaginem efformat: quod ita fieri puto, vt, phantasia spirituum quorumdam beneficio per neruos, & cerebri substantiam transcurrentium excitetur, atque ad aliquam speciem in se ipsa producẽdam exstimuletur, quæ præsens obiectum, etiam cum aberit, probè referat. Ad quod fortè ipsum externum obiectum velut instrumentaliter concurrit, remotè tamen, sicut & species in oculo genita, vel potius ab eo expressa, vel ipsa visio: quod nullus, meo quidem iudicio, valet exprimere, ne dicam intelligere.

Veruntamen sit illud, nec est, qui id in dubium reuocet: At quomodo potest dæmon nouas species indere, & imprimere phantasiæ, postquam sagas medicamentis quibusdam, & vnguentis in grauissimum soporem coniecit?

Quid non possit dæmon circa species intentionales.

Certè nequit ipse à rebus corporeis, quas manifestare desiderat, species vllas abstrahere; cum enim sint accidentia, cui subiecto inhærerent, quandiu à dæmone transferrentur in imaginationem hominis consopiti? imo nec illas transferre posset, quamuis eas abstraheret, quia naturaliter impossibile est accidentis vllius de subiecto in subiectum transmigrationem fieri, nequit ergo species, quæ vel est in pariete, vel aëre, vel oculo, in imaginationem transitum facere.

Imo neque ob eandem rationem vna species ex vna parte imaginationis in aliam migrare potest, vt quod erat in altiori parte phantasiæ, non potest ad imam deprimi, nisi & ipsa superior pars deturbetur è suo loco, & ad infimum descendat.

Diuersi modi proponuntur, quibus aliqui dubitare possint, an dæmon illis vti queat.

Quomodo igitur Dæmon sagis repræsentare potest, quæcunque postea narrant? An quia rapit animam è corpore, itaut nec amplius informet, nec indigeat phantasmate, quod sensus ei ministrent, vt ipsa per se res cognoscat, vel ei dæmon intelligibiliter loquatur? 1. An ipsam animam ita potest illuminare, tametsi corpus etiamnum informet, vt interrogata concipiat? 2. An phantasmata, quæ à sagis prius acquisita fuerant beneficio sensuum, & obiectorum, illustrat, 3. adeout plura, quàm antea referant? An ipsa obiecta intra caput ipsum insinuat, & offert interno 4. sensui?

An

An verò format aliquid corporeum, & in com-
5. pendium reducit ita tenue, atque ſubtile, vt
phantaſiæ offerri, coniungique poſſit, vt ſuppleat
expreſſam oculi ſpeciem, & extraneum obiectum?
An per aliquam illuſtrationem efficit, vt ſpecies
6. impreſſa phantaſiæ, quæ ex natura ſua ſolum mõ-
tem referebat, thronum aureum referre poſſit?
7. Nunquid cùm ſit angelus, & ſpiritus, rerum natu-
ralium ſpecies à conditione ſua à Deo ſibi conceſ-
ſas habet, quæ phantaſmata noſtra virtute, & emi-
nenter continent, quibus proinde ſenſus internos,
imo & externos, ſi vult, excitare, & de potentia in
8. actum reducere poſſit? Sed nunquid cum ſit intel-
lectualis ipſe per ſuam potẽtiam naturalem poteſt
ad actum reducere, & velut ſopitam excitare vim
imaginatricem, quæ motum, & deſiderium illius
ſpiritus aſſiſtentis, & adiuuantis ſequatur, ſicut ter-
ra ſolis, & aliorum aſtrorum excitantium motus,
radios, & influxus quotidiè ſequitur, ac ſi probè
intelligeret, quid velint aſtra, cùm diuerſos radios
in terrena iaculantur, vt ſicut inferiora coniungũ-
tur, & velut obſequuntur lationibus ſuperio-
ribus, à quibus reguntur, ita etiam phantaſti-
cus ſenſus intelligentijs ſuperioribus ſubdatur, à
quibus variè poſſit illuminari, atque guber-
nari?
An indita ſunt aliqua ſemina; rerum corporea-
9. rum agnoſcendarum vniuſcuiuſque phantaſiæ,
ſtatim atque Deus animam rationalem infun-
dit, quæ ab ea virtutis ſuæ radios in totum cor-
pus effundente producantur? vt ſicut aduentu ſuo
concedit hepati vim efficiendi ſanguinem, hæma-
toſim; cordi vim producendi ſpiritus vitales; cere-
bro vim, qua producat animales; ventriculo; chy-
loſim: facultatẽ ſeminis producẽdi, teſticulis: cyſtæ
fellis, vt bilem, ſpleni meconium, venis meſente-
ricis, vt chylum; renibus, & veſicæ, vt ſeroſum hu-
morem, & ſingulis corporis humani particulis, vt
id ad ſe trahant, quod vtile eſt, & nociua reſ-
puant, & expellant, ita phantaſiæ tribuat vim
producendorum phantaſmatum, quando ab ali-
qua cauſa excitabitur, ſiue exteriori, vt cum
obiecta exteriora ſenſus exteriores feriunt, & ad
imaginationem vſque perducuntur, ſiue interio-
ri, vt cum in ſomnijs animus phantaſiam extimu-
lat, vt pro qualitate humorum, & ſpirituum cere-
brum circunſtantium, vel ſpecierum antea per ex-
teriores ſenſuum canales exceptarum, hæc aut illa
noua phantaſmata ſenſus imaginationis efformet,
& exprimat.
An ipſe dæmon aliquas ſpecies habet, quæ vir-
10. tute corporeæ ſint, quas phantaſiæ, aut intellectui
communicare poſſit? An ſola voluntate ſua,
11. quod ipſe nouit, animæ declarare poteſt: cum ita
fieri videatur communicatio ſpirituum, vt ſolo
conſenſu ſuas cogitationes ſibiinuicem referant,
& intra vim & capacitatem alterius intelligen-
tis, ſiue angeli, ſiue animæ conſtituant, quæ
alioqui extra ſphæram intelligentis longè poſitæ
erant.
An Deus ipſe ſpecies aliquas phantaſiæ im-
12. primit iuxta placitum angelorum, cum ab illis
imprimi non poſſe videt? itaut ex primæ con-
ditionis pacto cum angelis adinſtar cauſæ natu-
ralis id ſupplere debeat, quoties angeli noſtram
phantaſiam ad aliquid apprehendendum moue-
re, vel excitare cupiunt: ſicut reuera Deus ip-
ſe formam hominis producit, quotieſcunque
materia ritè diſpoſita eſt: imo & iuxta non-
nullos philoſophos cæterorum animalium, &
plantarum ex corruptione naſcentium animas:
quandoquidem author naturæ defectum cauſa-
rum ſecundarum pro ſua ingenita bonitate, at-
que prouidentia ſupplet, quoties præuiæ diſ-
poſitiones adfuerint, ne quid in rerum vniuerſi-
tate fruſtra fieri videatur.
An quia rerum omnium corporearum ſpe-
cies vbique per aërem, & cætera corpora per- 13.
meabilia diffuſæ ſunt, adeout tantùm neceſſe ſit
ad eas phantaſiam aduertere, quod facit cum ab
angelo cietur. Quæ poterit aliquis ex Medicorũ
principe l. 16. περὶ τῆς ἱερῆς νόσου confirmare? vbi poſt-
quam aſſeruit venas plurimas ex vniuerſo cor-
pore ad cerebrum ferri, maximè verò craſſas duas
à iecore, & alteram à liena, quibuſdam interie-
ctis, venas plurimum ſpiritum adducere, & eas
corporis noſtri ἀναπνοάς, & ſpiracula eſſe docet,
cùm aërem ad ſe trahant, & in reliquum cor-
pus deducant, ac per venulas refrigerent, rur-
ſúſque emittant; quid enim vetat, quominus illæ
venæ aërem rerum viſibilium ſpeciebus affectum,
ad cerebrum, & phantaſiam deferant?
An quia ſicut dæmon obiectorum formas e-
mentitas ſenſibus exterioribus obijcit, ita etiam, 14.
ſeruata quadam analogia, neſcio quid commini-
ſci poteſt, quod interiori ſenſui obiectum vi-
cem exterioris obiecti, & ſenſationis externæ
ſuppleat? An verò lucem aliquam ſubtilem 15.
imaginationi præfert, quæ ſpecies iam aliunde ſuſ-
ceptas huius, aut illius rei repræſentatiuas efficiat?
ad eum ferè modum, quo lumen coloribus ſuper-
ueniens eos actu viſibiles facit, & pro diuerſis aſ-
pectibus varios oſtendit.
An ipſe dæmon in ſagis, magis, & ecſtaticis dæ- 16.
moniacis ad interrogata poſtulantis reſpondet
magorum linguam commouendo, vt ipſi per ſe
loqui videantur, & homines credant eſſe modum
aliquem, quo ad ſcientiam occultorum, & futu-
rorum naturaliter peruenire poſſint, ideóque ſibi
licere hunc experiri modum.
An cùm aliquos ſopitos eſſe credimus, & ve-
luti mortuos iacere, qui tamen poſtmodum mira- 17.
bilia narrant, decipimur, & aliquid aliud, verbi
gratia corpus ex aëre formatum cernimus dæmo-
nis arte ſuppoſitum? cùm interea dæmon eos
rapiat, vt oculis cernant vel res ipſas, vel ea-
rum idola, quæ vbi præſtigiæ ceſſarunt, aſſi-
ſtentibus enarrent? An horum omnium nihil
efficit dæmon, ſed illos alloquitur, eóſque do- 18.
cet omnia, quæ reſpondenda ſunt, ac ſi ea ipſiſ-
ſimis oculis aſpexiſſent? An illa ſenſuum obſeſ- 19.
ſio nihil eſt aliud, quàm aliquis ſuccus vel lapi-
dum, vel plantarum, vel quorundam anima-
lium, aut aliorum mixtorum, quem dæmon
cautè vel ventriculo, vel hepati, vel ipſi cere-
bro, vel ſpiritibus animalibus applicat, qui ea
referat, & conſignet in phantaſia quæ dæmon
intendit ad eum ferè modum, quo in ſomno di-
uerſa nos excogitaſſe fatemur, pro diuerſis eduliis
quibus antea vſi ſumus.
An quia magus tam efficaciter apprehendit ea, 20.
de quibus interrogatur, vt cùm rapitur extra ſe,
phantaſia veluti in ſua phantaſmata, & præceden-
tes apprehenſiones reflexa, ſtatim dubij ſolutio-
nem inueniat, maximè cùm eam propterea dæmõ
ab omni ſenſuum influxu, & exteriorum obſtacu-

lo liberrimam efficere videatur.

An quia magi, & ecstatici, narrāt ea, quæ in aëre reflexa viderunt, dæmone eos transferente, & aliqua obiecta proponente, quæ alicubi posita, suam figuram in aëre, velut in speculo repræsentent: sic

21\. enim alicui contigisse refert Aristot. l. 3. meteor. c. 4. quem l. de memoria & reminisc. c. 1. Vocat Antipherontem Oreitam, de quo velut de cæteris ἐξισταμένους ibidem loquitur, qui postquam excessu

Aristot. mentis tentati fuerant, veluti facta, & gesta narrabant, quæ fuerant imaginati, ac si meminissent; quod fit, dum quis id, quod non est imago, speculatur vt imaginem, vt Vatablus vertit, cùm tamen in textu græco nulla adsit negatio, qui sic habet. ὅταν τὶς τὴν εἰκόνα ὡς εἰκόνα θεωρῇ: Dum ergo ambulabat, semper ei simulachrum aduersa fronte præcedere videbatur, quod illi contingebat, quoniam visio ad ipsum reflectebatur; præ languore siquidem adeò tenuis, & imbecilla erat videndi facultas, vt & propinquus aër speculi vicem illi, perinde, vt qui remotus densúsque esset, præstaret; & ab illa repelli nequiret. Vnde philosophus infert omnia maiora videri, cùm Eurus spirat, sicut & quæ in caligine posita sunt, vt Sol, & astra, dum oriuntur, & occidunt ἀνίσχοντα ϗ δύνοντα μᾶλλον ἢ μεσουρανοῦντα, quā cum cœli medium obtinent. Denique ἀπὸ δ' ὕδατος μάλιστα ἀνακλῶνται, inquit, ab aqua verò maximè refranguntur, obiectorum videlicet species, siue radij.

CAPVT XXXIII.

Quid tandem de modo, quo dæmones ecstaticis plurima declarare solent, sentiendum sit, & quacunque ratione fiat, an miraculum resurrectionis in reuocationem ab ecstasi refundi possit, aut debeat.

QVædam precedenti capite vt certa supposuimus, aliā verò sub dubio veluti sepulta sunt, illud præsertim, quomodo dæmones tot mirabilia quibusdam hominibus ostendere possint: de thesi enim historiæ nos certissimos faciunt: vt statim ostensuri sumus, si priùs illos omnes modos, vel falsos esse, & commentitios, vel non sufficere, vt probè res intelligatur, ostenderimus.

Primus modus refellitur. Itaque primus modus supponit dæmonem posse animam à corpore separare, quod quidem verū est, si mortem præcedere velint; enimuero, si Deus ei permitteret, quot existimas singulis horis interficeret? nunquid omnes, quos in lethali peccato deprehenderet, cùm iam aliquo modo flammis æternis destinati, in dæmonis potestatem, transeant. Verùm cùm Athei supponant illam separationem fieri sine corruptione organorum, & natiui caloris extinctione, vt cùm reuocanda erit, iterum corpori perfectè disposito vitam restituat, illud falsum est, & impossibile, vt fusè superiùs ostensum est.

Secundus modus probabilis. Probabilior secundus modus, sicut tertius, quem Delrio sequi videtur, cum ait dęmonē posse scientias, & artes docere, si id illi Deus permiserit, idque per locutionem, & manifestationem sui conceptus, interna locutione, & suggestione, intellectu hominis illustrato; quod exemplis confirmari potest: in vita S. Northberti, idiota quidam sacræ

Mirabiles historiæ. Scripturæ peritissimus subitò euasisse refertur: quod & hodie contingit Anabaptistis, qui cibi, vel potus sumptione magnam Scripturæ partem, eam videlicet, quam ad suos errores propagandos adhibent, ediscunt: modum quo Lamiæ initiantur, ex vnius confessione descriptum habes apud Ni-

Niderius. derium l. 5. formicarij, quo patet eas infantibus nondum baptizatis, vel etiam baptizatis, crucis signo, vel orationibus non munitis insidiari, quos vel in cunabulis positos, vel ad latera parentum constitutos suis ceremonijs interficiunt, & è fossa subripiunt, vt eorum caro in caldario cocta, & ab

Horribilis Lamiarum impietas. ossibus separata sorbilis, atque potabilis euadat: ex qua plurima vnguenta suis transmutationibus, & artibus accommodata conficiunt, quæ verò superfuerint liquidiora in vtrem mittunt, de quo qui potatus fuerit, paucis additis ceremonijs, sectæ eorum fit conscius: Aliam viri confessionem à præcedenti mulieris confessione distinctam habes, qui ait die Dominica, ante lustralis aquæ consecrationem, Ecclesiam ingrediendam esse, Christum, baptisma, & vniuersalem Ecclesiam, cæteráq; id genus abneganda, magisterulo dæmoni præstandum homagium, de vtre prædicto bibendum, vt quis in interioribus suis imaginem artis diabolicæ sese insinuantem persentiscat, & quæ ad ritus illius sectæ pertinent, addiscat. Quod tametsi nouarum specierum impressione fieri neget Delrio, ad suggestionem internam recurrit, quæ successiuè, breui licet tempore, fiat.

Dæmon nō potest illustrare phātasmata. Et quidem hi modi faciles sunt, si qua ratione dæmonem vel phantasmata, vel animam illuminare posset, exponeretur: tametsi enim intellectus agens phantasiæ formas illustrare dicatur, non statim id angelo concedendum est, cui phantasmata, non ita, ac intellectui agenti subordinantur: nec lumen angeli spirituale eiusdem est speciei cum lumine agentis intellectus: quod tamen non impediret, quominus illo lumine, quamuis specie diuerso, dæmon species illustraret, si vel istud lumen agentis intellectus lucem virtute contineret, vel ex alio capite non repugnaret: adde quòd non ita species intellectus agens illustrat, ac vides papyrum, aut parietem à candela, vel aërem, & aquam à sole illuminari, sed quatenus ad eorum præsentiam in actu exercito positam ipse sibiipsi, velut intellectui possibili, seu patienti formas intelligibiles imprimit, quas quidem imprimendo producit, ac producendo imprimit.

Sanè

Sanè fateor necessariũ videri, vt vel species imaginationis angelus pro libito componere possit, vel immediatè animam rationalem, vel potiùs facultatem eius intellectiuam illustret, si exempla, quæ passim leguntur, vera fuerint. Alioquin quomodo tanta claritas in B. Ignatij Loiolæ animum influebat, cùm Grammaticæ daret operam, teste illius historiographo Ribaden. l. 1. c. 14. quod ille in hostis dolos, & astutiam referebat, cùm in alijs sanctis operibus ea minimè contingeret, & hæ illuminationes eum impedirent, quominus literas pietati coniungeret.

Eunapius. Historia de Chrysanthio mago.

Eunapius ait Chrysanthiũ, postquam Pergami magnum illum Ædesium audiuit, tantopere subleuari, attollique cœpisse ab animi πληρώματος perfectione, ὥστε καὶ τὴν εἶδος αὐτῷ πάσης παιδείας εἰς ἄκρον ὑπαρχὴν καὶ πᾶσαν κατορθῶσαι πρόγνωσιν; quod profectò super omnem fidem esse puto, vt quælibet species illum ad omnigenam eruditionem perduxerit, omnisque compotem redderet prænotionis, adeout eum meliùs futura cernere, quàm prædicere nonnulli dicerent, quasi παρόν τι καὶ συνὼν τοῖς θεοῖς, vel potiùs cum dæmonibus, & spiritu aliquo familiari præsens commercium, & pactum habuisset.

Ædesius Chrysanthij filius magus.

Simile quid de eius filio refert, quem humanis affectionibus tanto superiorem fuisse scribit, quanto parum aberat, quin totus animæ naturam induisset. Vereor tamen ne magus insignis fuerit hic Ædesius iunior; si ei corpus in motu ita fuerit agile, vt fidem omnem superaret, planéque iuxta poëtas in sublime raptum efferretur, quod eò faciliùs credo, quòd tanta ei fuerit cum numine affinitas, & cognatio, idque prompta, atque obuia, vt capiti laurea imposita opus non esset, sed oracula vera, & ad genuinam afflari numine spiritus speciem conformata, solem tantùm aspectans funderet; quanquam nec versuum legem sciret, necdum grammatices præcepta calleret, ita Deus, inquit Eunapius, omnia in illo agitabat.

Fraus dæmonis.

Ita diuinitatis simia dæmon θεοδαίτης efficere nititur, ne lux Euangelij, & scripturarum sacrarum veritas hominum mentem altiùs penetret, quàm vt eam possit euellere: dum apostolos, & prophetas, aliósque sanctos plurimos Spiritu sancto inhabitante futura prædicere, occulta, & obscura declarare, infinita prope miracula patrare cernimus. Huc ille Ramires spectat, qui circa annum 1600. combustus fuit in Hispania, quòd pactum iniisset cum dæmone post Mahometismi ceremonias adhibitas, vt ab eo peritiam sanandi multas secretas ægritudines edisceret; qui præterea dæmonis ope tanta memoria pollebat, vt historias omnes, quas nunquam legerat, perinde recitaret, ac si coram in libro legisset, sicut & occulta, & absentia, quæ fuisse narrantur à Martino.

Ramires magus cõbustus.

Inter hæc autem notandum est semel, cùm domo abiret, dixisse venturum peregrinum quendam, qui eum quæreret, vt accederet liberaturus filiam eius ab obsidente dæmone, quare, vt se statim vocarent; abijt, venit alter, vocatur Romam Ramires, qui se gerit in morbo sanando, prout dixerat; vnde infertur optimè ipsius magi arte, & maleficio dæmonẽ in ægram ante immissum fuisse, vt constat ex processu, quem ex Hispano vertit Martinus; ex quo satis superque constat dæmones, & magos, vt sibi famam, nomen & honorem, imo, si possent, diuinitatem concilient, arte sua malefica multos diuersis modis, & sæpius horrendis torquere, vt eosdem postea liberent, & ita gloriam miraculorum, soli Deo propriam, subita morborum insanabilium curatione ementita rapiant, vel extinguant: Verùm antequam rem ex propria sententia declaremus, ad cæteros modos discutiendos accedendum est.

Versutia dæmonis.

Tertius modus probabilis.

Tertius modus videtur etiam probabilis; quod quidem variè fieri potest; vel enim phantasmata eò plura obiecta referunt, quò magis defæcata sunt, & ab omni vitioso humore, vel densioribus spiritibus repurgata, & quò minus impeditur organum; Deinde potest diabolus aliquas corporis motiones excitare, humores perturbare, spiritus excalefacere & velut inflammare, qui phantasiam perturbent, & ad ea, quæ intendit, illam moueant; eaque putent homines oculis ipsis conspexisse, vt contingit in phreneticis; nec rarò tam imaginationis sensum, quàm appetitum sensitiuum perturbat, vt etiam hinc multæ cogitationes pessimæ, & ad peccatum inducentes oriantur, adeout appetitus hic volens nolens in malos actus prorumpere possit, quia libertate caret, ideóque in illis actibus nullum erit peccatum, imo materia perampla meriti, si voluntas pro suo libito resistat. Verùm ita commoueri posse sensitiuum appetitum, & phantasiam à dæmone cieri existimo, vt homo præceps in ea volens nolens feratur, ad quæ ab istis fortissimis passionibus commouetur, & impellitur; quod tunc solummodo contingere potest, cùm rationis libertatísque vsus intercipitur, & velut aliqua nebula interposita, tantam patitur eclipsim phantasia, & appetitus inferior, vt in ea nullum lumen, nullos radios, intellectus, aut voluntas immittere valeant; quod etiã naturaliter euenit, cum aliquis se totum violentis perturbationibus committit, vel aliquo morbo de statu rationis deijcitur, tunc enim instar belluæ, non hominis operatur.

Appetitus sensitiuus potest cogi à dæmone.

Quomodo dæmones illuminent phantasmata.

His igitur, & similibus modis, spiritus à dæmone agitati eatenus phantasmata illuminare dicentur, quatenus sunt causa, licet remota, cur noua repræsentent; non quòd eadem species, quæ antea solum montem referebat, possit etiam ingens aliquod templum, vt Salomonicum repræsentare, aut ad alia sese extendere, tùm neque id speciebus intellect⁹ cõcedatur, tametsi magis vniuersalibus, alioquin sphæram suæ actiuitatis repræsentatiuã immutarent, quę tam arctè cum earũ accidentali natura coniungitur, vt vna sine alia vel conseruari, vel perire minimè posse videatur; sed quia phantasia ita perturbata, & humoribus agitata ex antiquis specieb⁹ nouas educit, quæ hęc vel illa referunt pro diuersa agitatione, hinc existimo tot insomnia nocturna oriri, quæ possit aliquis maiori ex parte referre in alimentum, & potum, quibus antea vsus est; enimuero si flatus multos genuerit cibus, qui spiritibus iuncti huc illuc errent, & secum vel bilem, vel melancholicum succum aduehant, & in cerebrum vsque trãsferant, absque dubio multa fient insomnia, nisi tam copiosus humor fuerit, vt ipsa sensus organa obtundat.

4. Modus reijcitur.

Quartus modus non est legitimus, nec enim exempli gratia potest dæmon ad tam paruam quãtitatem, collem aliquem redigere, vt ad imaginationem traducatur, nec, si posset ad punctum reuocare, phantasia illud perciperet, cùm modo extenso esse debeat, & modo sibi connaturali priùs in oculo, dehinc in sensu communi, denique in

phantasia formam, & imaginem sui repræsentatiuam producere.

Quintus modus quomodo verisimilis. Quintus modus fortè posset nonnullis verisimilior apparere, sæpius enim non tantùm dæmones, sed & homines res maximas in paruum epitome reducunt, vt patet in artificibus, maximè verò in ijs, qui toreumate vtũtur, qui opificia vel lignea, vel eburnea tam affabrè tornant, & tam parua conficiunt, vt id supra vim humanæ facultatis esse videatur, cum etiam ferè nostros obtutus effugiant.

Sed nemini hac in parte sculptores, vel pictores cedunt, qui magnas vrbes, regna, & totum mundum ad acari magnitudinem redigere possunt; omitto naues, quas musca possit alis operire, & id genus infinita. Verumtamen id angelicæ potentiæ minimè subest, vt aliquod rerum apperiendarũ compendium ad imaginationem traducat, quod ab ea percipiatur; tametsi enim illud epitome ad humorum, atque spirituum tenuitatem accederet, & per nares, vel per alios interiores canales, vt pote venas, arterias, vel neruos hanc imaginem vsque ad imaginationem traducere posset; illa tamen, cùm sit corporea substantia, nequit organum sensitiuum informare, sed illud potiùs impediet, quia obiectum positum supra sensum, sensationem impedit.

Improbabilis modus 5.

Species impressa & expressa. Et sola accidentia possunt organi substantiam afficere, eique inhærere vt phantasia cum sua specie iuncta, sit agens integrum; quod postea species alias exprimat obiecti actu repræsentatiuas, quę dicantur expressæ; sine quibus fieri non potest naturæ vi, vt quis sensus operationẽ suam exerat, quandoquidem species impressa tam in sensibus internis, quàm externis non potest sensui obiectum referre, cui solùm tribuitur, vt cum eo ad sensationem eliciendam concurrat: vel si imaginem defert obiecti, tantummodo materialis est, cùm expressa formalis fit.

Sextus modus falsus. Sextus modus ferè iam discussus fuit cum de specierũ illustratione sermo factus est; & quidem vnica species à monte producta nequit aureum obijcere, neque iuuare phantasiam præcisè spectatã, vt montem aureum efformet: possunt tamen duæ species montis vna, alia verò metalli aurei; prædicta nempe spirituum agitatione sibi perspecta, dæmon ad hanc cognitionem poterit phantasiam commouere.

7 modus falsus. Septimus modus verus esse posset, si vel dæmonis species essent corporeæ, & ad idem referendũ concessæ fuissent, quod homini declarandum est; vel cum sint spirituales, si non essent alterius ordinis, fortè possent intellectui nostro deseruire.

Dixi fortè, quia tametsi dæmon aliquam speciem hoc aut illud referentem speciei Petri similem haberet in intellectu suo Angelico, qua idem, quod Petrus, aut etiam plura intelligeret, non statim cõcludi debet eandem speciem Paulo, mihi, aut alteri, vel idem, vel quid aliud repræsentare; tum quia, vt vim repræsentatiuam habeat, intelligentis mẽti debet inhærere; tum quia species illa non potest migrare de intellectu dæmonis in humanum; tum etiam quia, tametsi migraret, noua mentis actio necessaria superest, qua species impressa, vel potius ipsum obiectum exprimendum est, adeout conceptioni quidem, speciei receptio, & impressio quodammodo similis dici possit: partui verò expressio, & actualis obiecti repræsentatio.

Doctrina subtilis.

Octauus modus falsus. Octauus modus egregiam similitudinem continet; quemadmodum enim Deus omnibus spiritibus præest, sic aliqua ratione spiritus cœlis præsident, cœli verò rebus sublunaribus; quo fit, vt tantam potentiam in res corporeas, & in facultates humani corporis angelicæ virtutes habeant. Verùm sicut angeli non operantur in hæc inferiora nisi mediantibus cœlis, vel alijs corporibus, vt ordo positus à patre, & authore spirituum illibatus semper obseruetur, ita nequeunt dæmones in imaginationem nostram agere, nisi quibusdã medijs corporeis, quales sunt humores, vt priùs dictũ est, nisi fortè illam per se ad modum humorum cõmouerent: nec enim dubium, quin per motiuam potentiam omnia organa turbare possint.

9 modus partim falsus partim verus. Nonus modus ex parte probabilis est, nempe quatenus ait commotionem humorum esse causam, cur noua phantasmata producantur: At ex alia parte non est probabilis, cùm enim intellectus ipse sit velut tabula rasa, quando nascitur infans, nullas species phantasiæ imprimet, nec vlla specierum futurarum semina diffundet, nisi ipsam vim phantasiæ, & potentiam per semina velis intelligere.

Quomodo autem intellectus possit phantasiam extimulare, vel eam iuuare, vt hæc, aut illa de nouo percipere possit, vix intelligo; nec enim vsque adeò certum est, an intellectus sese ex potentia ad actum reducere possit, cùm aliquas species impressas habet, an exempli gratia, postquã ei species domus impressa est, quam antea nouit, possit absque imaginationis opera, cum voluerit, eiusdem domus recordari, aut etiam nouam ad instar istius effingere; nec enim fortè necessaria est phantasmatum præsentia, nisi cùm intellectus nondum rei alicuius speciem excepit, aut aliquid ei simile cognouit, sed hoc aliâs.

10 modus. Decimus modus fatetur species angeli virtute, vel eminenter esse corporeas, quod vno quidem sensu verum esse puto, falsum tamen in alio; non solùm, quia idem angelo referunt, quod nobis corporeæ, quodue referrent ipsis angelis, si corporeis vterentur verum etiam, quatenus sunt excellentiores corporeis; vnde infero, istius propositionis (*Vnum aliud eminenter, & virtute continere potest*) sensum esse varium, vel enim significat aliquid in eo contineri, itaut ab eo produci possit; sic enim causa quælibet vniuoca continet effectum, vel vnum altero nobilius esse, tametsi nequeat istud ignobilius producere, prout dæmones hominibus nobiliores, leonibus homines, leones formicis, formica mixtis inanimatis, mixta hæc elementis nobiliora sunt, & ea continent eminenter; vel virtute contineri & non eminenter, prout à quibusdam cæli quolibet animante ignobiliores esse dicuntur, cum ne vermem quidem eminenter in se complectantur, si reuera inanimati sint, & gradum essentiæ inferiorem habeant; qui tamen iuxta plurimos philosophos animalia virtute continent, quatenus ea producere possunt, quod & de terra respectu plantarum, & animalium ex corruptione nascentium dici potest; quanquam materiæ potius, quàm formæ vices obire censeatur, vt cœli paterno munere defungantur; sic igitur cœli virtute continent mixta, vt metalla, & animantia, adeout non pauci velint eos in genere causæ nobiliores esse, quàm animalia; ignobiliores verò in genere entis; quod existimo ἀπορον & rationi contrarium, cum operari sequatur esse, & qualis est essendi modus, talis

Quomodo vnum contineat aliud eminenter, & virtute tribus modis.

Cœli tam in genere causæ, quã entis he. bis igeobiliores.

lis, & non potior modus operandi sequatur.

Hîc de causa præcipua, non instrumentali loquor, siquidem nemini dubium est, quin cœli, Dei mirabilia instrumenta generent ea, quæ videmus, vnde vulgatum illud. Sol, & homo generant hominem. Itaque concludendum existimo dæmonem ecstaticis species suas minimè communicare posse, vel alias producere; quæ homini possint opitulari.

CAPVT XXXIV.

Cæteri modi superiùs allati discutiuntur ab vndecimo vsque ad 21.

Multæ difficultates proponũtur

11 modus illegitimus reijcitur.

DE modo quo angeli sese alloquantur nec tempus, nec animus differendi, sicut neque de modo quo animæ inter se colloquuntur post separationem à corpore, & an beati post resurrectionem poterunt suos conceptus alteri sancto manifestare sine phantasmate, & specie immissa; vel qua ratione poterunt ipsi angeli beatis illis hominibus, quicquid voluerint, explicare: siquidem in præsenti satis est, vt ostendam solo consensu dæmonem minimè posse conceptus suos, scientias, & artes alicui homini manifestare, licet enim anima à corporibus ecstaticorum separata videatur, dum non ita suo sentiendi, nutriendique munere perfungitur, verè tamen informat, & phãtasmati alligatur, quæ quantumcunque feriet ab operatione sensus, & motus; non ita tamen abstrahit ab istis, quin tota vnicuique facultati præsto sit, ac velut inhæreat informando. Necdum ordinem & intelligendi naturalem, & corpoream nebulã excessit, quapropter etiamsi dæmon consentiat, anima nequit apprehendere, quæ dæmon offert, sicut neque cæcus colores, aut surdus obiectos sonos; hinc fit, vt modus vndecimus minus veritatis in se continere videatur.

Duodecimus modus fictitius.

Duodecimus modus supponit diuinũ pactum, quo certè posito, difficultates omnes tolli possent; at gratis confingitur, nec vllus philosophus, aut theologus illum admittit, quem legere potuerim: deinde tantum abest, vt cum dæmonibus pactum Deus inierit de his, aut illis speciebus imprimendis, quarum ope diuinam gloriam obscurent; quin potius non rarò impedit, quominus tot, & tantis præstigiis nobis illudant; at verò non est paruum diuinæ prouidentiæ miraculum, & infinitæ bonitatis argumentum, quod ab hostibus suis, creaturis suis, imaginis suæ charactere distinctis, tam indigna fieri patiatur, cum omnes dæmones statim in nihilum redigere possit.

Bonitatis argumentũ.

Modus decimus tertius reijcitur.

13 Modus explicatione indiget, etenim duobus modis species diffundi per aërem intelligere possumus, vel ita, vt diffusæ solum oculum, & alios sensus exteriores attingant, vel vsque ad phãtasiam penetrent; primo modo diffunduntur, non alio, desinunt enim in crystallino humore, donec oculus conatu suo cognitionem sensitiuam eliciat, quo operante, simul etiam, & non autem, sensus communis, & imaginatio speciem impressam excipiunt, siue ad eam producendam expressa species oculi, & ipsa visio, siue obiectum, aut quidpiã aliud concurrat; tametsi ergo species colorum, rerũmque visibilium non impeditæ huc illuc errent, & per aërem diffundantur, ac si prouocarent homines, & suis radijs, velut funiculis, ad Deum in creaturarum pulchritudine suspiciendum allicerent, quemadmodum serui præclaris vestibus induti spectantium oculos, ad eum laudandum prouocant, cui obsequuntur, nequeunt tamen vsque ad phantasiam perduci, tum quia ab humore chrystallino vsque ad imaginationis sedem nulla est recta linea, per quam suo more species impressæ valeant progredi, & rectà ferire sensum communem; tum quia minus elaboratæ sunt, quàm vt sensui tam excellenti, & propead intellectum accedenti conueniant; tum etiam quia sunt inferioris ordinis, & ex natura sua materiæ nimis immerguntur; quapropter extra hunc ordinem non possunt eleuari, quantumcumque conatum, & industriam dæmones adhibeant; adde quòd solas res præsentes illæ species referant, cùm phantasticæ repræsentent ea, quæ longissimè absunt, imo & quæ nunquam erunt, aut fuerunt, adeout nullum speculum, nullum telescopium, lentem nullam hîc Athei possint obiicere.

Creaturæ nos prouocãt ad Deũ laudandum

14 Modus maximam difficultatem proponit, quæ nec forte ab vllo solui possit; dicam tamen quod sentio, nihil penitus ab angelo posse formari, quod phantasiæ, vel etiam intellectui aliquod obiectum pro libito referat; illud enim si fuerit substantia corporea, ineptum est ad repræsentationem; si spiritualis, phantasiæ corporeæ deseruire non potest; si fuerit qualitas, cui inhærebit? non angelo, qui spiritualis est; nõ phantasiæ, quæ priùs à sensu moueri debet, nec vllam speciem habere potest, præter eam, quam recipit, dum sensus communis actu aliquid apprehendit, vel ex antiquis ipsam ad nouas species producendas, & recipiendas promouet. 14 modus falsus.

15 Non video quónam lumine dæmon phantasmata nostra illuminet, ac splendidiora faciat, adeout ad plura obiecta sese extendant, præterquã humores ab omni fæce repurgando, ex quo tantùm oritur, vt eadem obiecta, clariùs, & accuratiùs videantur, quàm si nebulosi, & crassiores essent, ad eum ferè modum, quæ nubibus discussis astra illustriora esse videntur, vel quò perspicaciùs oculi, caligine remota, res sibi obiectas intuentur. Mitto quòd nullum aliud lumen naturæ viribus produci potest, quod illa phãtasmata, vt par est, illustret, præter illud, quod mirabiliter, atque modo nobis ineffabili, in capite humano positum tantum speciebus lumen affert, vt obiecta spiritualiter, & intelligibiliter repræsentare videantur; tanta siquidem est inter actus intellectus, & imaginationis similitudo, vt vix inter eos discernere valeas. 15 Modus falsus.

16 Modus mihi fieri posse videtur à dæmone vi linguam commouendo, si solius linguæ motus necessarius esset ad loquendum: verùm an hominem nullatenus perturbatum, sed rationis perfectè compotem ad ea dicenda, vel potiùs illius lin- 16 Modus approbatur

Dæmō linguam hominis pro libito mouere potest. guam mouere possit ad coactè proferendum quæcumque dæmon voluerit, non ita facilè concessero, quandoquidem libertas id postulare videtur, vt spiritum sermoni necessarium homo cohibere possit: attamen cum illa, omnia corporea sint, & alioquin homines energumenos, tametsi libertate gaudeant, multa effutire videamus, quæ non possunt ab alio, quàm à dæmone proficisci, non ausim illud angelicæ potentiæ denegare, præsertim cum id humanæ libertati non officiat, quippe quæ in actibus internis voluntatis sita est, cuius etiam vsum organorum perturbatione dæmon tollere valet.

Quæstio ardua. Possem hîc celebrem quæstionem agitare, an dæmon ita possit aliquod cadauer, vel corpus ex elementis fabricatū regere, vt nos per totā vitam decipiat, nobiscum viuendo, & comestionē imitando: adeout tanti artificis fraudem, ne semel quidem in nostræ vitæ curriculo, tametsi per 60 annos porrecto, deprehendere possimus: quod quidem nunquam à Deo permissum iri crediderim, sed an Deo permittente, dæmon id efficere possit, maximè dubito, cum in quibusdam corporibus cum per biennium remansisse nonnulli affirment: at neque id facit ad rem nostram, quapropter.

17 Modus probatur. 17 Modus examine tentandus est: fateor illis præstigiis vti posse, sic enim aliqui conuersionem illam virgarum in serpentes, vel bestiarum productionem à Pharaonis magis factam exponunt: ita sensibus illudit, & fascino sensus detinere dicitur; nec in dubium reuoco à dæmone sagas, & maleficos rapi, non tamen semper, vt multis exemplis confirmare possem.

18 Modus nonnullam etiam verisimilitudinem præfert, nam cum magi consuluntur, solent aliquod temporis interstitium postulare, procul dubio non ob aliam causam, quàm vt magisterulum, vel de re furto rapta restituenda, vel de cæteris interrogent, & ab eo discant, quidnam respondendum sit: quod cum didicêre, quid facilius, quàm meconio, tabaco, vel aliquo alio narcotico sopire sensus, ecstasim fingere, & si vis raptum vsque ad tertium cælum, à quo vix respirantes delapsi, & velut oraculo diuino afflati multa inaudita, aut quæ minus sperabantur, eructant. Veruntamen actus occultos præteritos nostræ voluntatis, vel futura à nostro, vel diuino arbitrio dependentia neque magi, neque dæmones reuelare possunt.

19 Modus supponit quædam ingesta corpori, quæ profectò pro sua temperie diuersis modis humores, & spiritus agitare valent, ac proinde diuersa phantasmata producere, phantasiam lancinando, & diuersis velut aculeis vellicãdo, ac pungendo; veruntamen non puto hisce modis dæmonem posse scientiam aliquam, & artem alicui infundere, cùm nullæ huiuscemodi species, ad instar earum quæ fiunt in somno productæ, ad scientiæ, vel artis inducendam cognitionem aptæ esse videantur. 19 Modus reijcitur.

20 Modus non potest esse verus, nisi quatenus illa interrogatio species fortissimas in mente, vel phantasia magi produxit, iuxta quas meliùs recordari potest interrogationis, quàm si debiliores imagines, & tenuiores formæ repræsentatiuæ productæ fuissent, sed nec imaginatio suis viribus, nec intellectus ea reperire potest, quę verè fuerint respondenda, si ea vel occulta sint, vt cogitationes hominis; vel ita remota, vt de iis nihil sciri possit, vel futura, de quibus vi rationis, & scientiæ, qua præditus est, nihil cognoscit; cætera, quę de vi phantasiæ dici possent, alibi referemus. 20 Modus reijcitur.

21 Modus non ita difficilis videtur, quin à dæmone redigi possit ad actum; scit enim quàm densus aër esse debeat, vel quales nubes præparandæ sint, vt speculi vices obeant, quanta distantia inter oculum, nubem, & obiectum seruãda sit, quomodo lumen temperandum; sed cùm id lõgiorem moram postulet, & plura longè requirãtur, quàm si ipsas res effictas sine speculo referat, hoc vti modo, cùm id contingit, duco probabilius. Hactenus longum iter, stationésque varias emensi sumus, ideóque placet, vt ad portum appellamus, & rei veritatem, quantum Deus dederit aperiamus, si priùs aduertas manifestum esse ex his omnibus, quę de ecstasi diximus, in eam, resurrectionē veram non posse refundi, cùm hîc vera, & realis separatio animę à corpore fiat, non autem in ecstasi. Ex quibus duo sunt inferenda; Primum in nulla ecstasi dęmonem posse animam vel momento diuidere à corpore; quod tametsi neque Deus in raptu facere soleat, id tamen quandiu voluerit facillimè potest. Secundum animam separatam à solo Deo reuocari, atque iterum vniri posse, atque adeò Deum admittendum esse, cum resurrectio fiat, cum illius nullam præter Deum causam legitimam assignare possimus.

CAPVT XXXV.

Quomodo dæmon ecstaticis ea reuelare, vel aperire possit, quæ vulgò feruntur, & quomodo tam breui hora, verbi causa linguam Hebraicam, vel scientias idiotam docere possit.

VERA SENTENTIA.

Hic quędā supponũtur. CVm ex dictis constet nihil in intellectum ingredi posse nisi priùs per sensum, & nihil in sensum internum priusquam in externum ingrediatur: certum est dæmonem non posse species alicuius intellectui, vel phantasiæ imprimere, nisi et qui sensum habuerit externum, quo obiectum percipi valeat; quapropter cæci nati phantasiæ colorum speciem, & surdo sonum immittere nequit: nam cùm non possit sensui interno, vel intellectui quidquam imprimere nisi per applicationem

nem actiuorum cum passiuis, quæ hic non est alia, quàm sufficiens potentiæ, & obiecti coniunctio, vbi deest potentia, nihil prodest obiectum.

At verò non minus requiritur externi sensus operatio præuia, vt obiecti externi species transeat ad sensum internum, quàm ipsius obiecti præsentia, vt sui speciem imprimat in externo sensu; quandoquidem in vtroque necessaria connexio, & velut essentialis dependẽtia includitur, quam solus ille supplere potest, qui rebus ipsis, obiecto, & potentiæ contulit essentiam.

Sequentes igitur modi superesse videntur, quibus ecstatici sciant, & enarrent, quæ antea minimè sciebant, quorum.

Primus modus quo dæmõ magos instruere potest.

Primus est, vt eos cacodæmon in vigilia per obiectorum præsentiam doceat, quæ postea narrant ecstatici, quorum species ante soporem celerrimè, ac velut ictu oculi receptas in somnis iuuet, aut à vaporibus, & excrementis cerebrum obsidentibus repurget, quem modum iam antea me tetigisse memini, qui tamen nonnullam patitur difficultatem, præsertim vbi linguis loquuntur, aut eructant scientias, quas nunquam didicerant, & quas non video, quomodo tam breui discere potuerint, licet omnium dæmonum industria intercesserit, alioquin parum differre videretur illa scientia infusa, quam Deus alicui concedit, ab illa scientia, quam dæmon hominem vnico temporis puncto, idque imperceptibiliter, doceret.

Fateor quidem posse dẽmonem breuissimo tempore docere secretum aliquod, in quo pauca cognoscenda sunt, vt si cui diceret, quid sit adhibendum vitro, vt malleorum ictibus auri, argentique instar extendi posset; quomodo Alchimistarum puluis proiectitius, & aurum potabile cõfici, quomodo aurum in aliam naturam conuerti possit, & id genus plurima. Sed cùm linguarum cognitio, vel aliqua scientia ex multis cognitionibus, & speciebus plurimum inter se distinctis oriatur, non video, quî fieri possit vt eam simul dæmon vno momento, vel breuissima temporis morula doceat, adeout aliquis disertè loquatur, vel disserat, ac si labore proprio linguam illam, aut scientiam didicisset. Eapropter ad alium modum propero.

2 Modus.

Secundus itaque modus est, dæmonem ipsum in ecstaticis, energumenis, engastrymitis & id genus hominibus loqui, & eorum vti lingua, palato, aspera arteria, pulmone, cæterisque vocis instrumentis: qui modus facilior & minoribus, ac paucioribus difficultatibus obnoxius esse videtur: nam minimè necessarium est, vt illam scientiam, & discursum qualibet lingua concinnatum in hominem reijciamus, imo contrarium necessarium est, vt patet ex dictis, vt iam nulla difficultas supersit, præterquam ex parte dæmonis, qui cùm omnia illa humanæ vocis instrumenta pro libito mouere possit, quæcunque verba pronuntiabit, quanquam vix intellectu possum assequi, quomodo homine non cooperante, nec suopte nutu concurrente, dæmon accomodatè ad sermonem, linguam, pulmones, & cætera commouere possit, vt quæpiam exprimat, ac si corpus hominis informaret, quandoquidem sermo rationis opus est.

Verùm difficultas cessat, si psittacum ratione carentem, linguam Græcam, Hebraicam, aut aliam discere posse consideras; qui licet minimè ratiocinetur, ea tamen profert, quę homo rationis compos loqueretur. Quòd si vrgeas verba psittaci saltem esse viua, quia proficiscuntur à coniuncto vitæ principio, facilè tibi satisfiet, si fateamur illa verba quæ dæmon mediante hominis lingua profert, non esse viua, sed mortua, si ita loqui fas est, quia licet homo concurrat materialiter, nõ tamen in genere vitæ, nec prout compos est rationis: & tamẽ eadem intelligimus, ac si ipse homo propriè, atque formaliter, propriòque marte loqueretur. Posset etiam dæmon verba in aëre formare.

Tertium fortè modum excogitabit aliquis, tũc ecstaticum in aliquo libro sibi à dæmone oblato legere, quæ rogatus, & à sopore excitatus refert, ita tamen vt solus librum illum videat, cæteris fascino affectis; sic enim plurimi dicunt se nihil vidisse, vbi tamen reperiuntur, qui se nonnulla phãtasmata videre, audire, & tangere asserunt, quod satis ostendunt metu, atque tremore, quo pœne deficiunt.

Historia nostri temporis.

Quod experientia probatissima certum facio. Cùm ancilla dominæ alicui admodum piæ famularetur, aliquando contigit, vt domina iuberet ancillam ad templum proficisci, vt ibi religionis obiret officia, quæ cum renueret, nisi comitem ei adiungeret, rogat domina cur sola proficisci recusaret, & vrget, donec ipsa fateretur sibi patrem à quibusdam annis mortuum aliquoties apparuisse, ac si solam partem anteriorem haberet, & valde timere, ne si sola relinquatur, rursus sibi appareat.

Sapiens domina iubet illam se diuinis sacramẽtis armare, & tutam expectare, si fortè redeat pater, à quo petat, quid velit; quod illa exequitur; itaque venit pater, sed ait filiæ se nolle loqui, nisi omnes è cubiculo abierint, quæ tamen verba à nemine præterquam à filia percipiebantur; exeunt igitur, qui cum ad fores exteriores starent, vt vocem phantasmatis audirent, oleum perdebant, ideoque iussit phantasma paternum mediante filia eo longiùs recedere. Quibus peractis pater filiæ iussit, vt quædam pia munera pro eius anima perfici curaret, vt à quibusdam pœnis liberaretur, quibus hactenus detenta fuerat.

Verumtamen modus iste non caret suis difficultatibus, nec ita facile videtur, vt quis in nostra pręsentia librum aliquem perlegat, quin illum percipiamus: quandoquidem necessariũ est, vt caput, & oculorum aciem, visualisque pyramidis axem ad singulas lineas conuertat, nisi velis omnium astãtium oculos fascinari, vt neque librum, neque legentis oculos deprehendant.

Deinde idem contingere potest illis, qui nunquam legere didicerunt, nec si legere sciant lingua vulgari, Hebraicos agnoscunt, græcosue characteres: Adde quòd, si quis roget, vt legant, vel loquantur energumeni, non possint ampliùs, vbi dæmon cessat, vel abest; quod est manifestum signum non hominem, sed dæmonem legisse, vel potius verba efformasse.

Quartus modus est dæmonem humorum, & spirituum agitatione varia multa dormienti, vel sopito repræsentare posse, quę nunquam viderant, adeout futura ipsa, quæ cacodæmon naturali sagacitate nouit, homo quispiam excitatus à somno prænuntiare valeat, etiamsi nihil vnquam simile viderit. Quæ vt intelligantur, supponamus aliquẽ idiotam, qui preter elementa, plantas, & sydera nihil vnquã aspexerit, ei dẽmon thronos, & choros angelorum, atque tres personas beatissimæ Trinitatis reprę̃sentare poterit ea, quę sequitur, ratione. 4. Modus.

Ille idiota vidit terram, aquam, plantas, stellas, & solem, ac proinde species illorum impressas habet, quibus non solùm illa referri possunt, sed & alia multa, prout variè applicabuntur, ad eum ferè modum, quo speculum in diuersis locis positum, vel ex pluribus locis spectatum varia manifestat: nam si solis speciem ex parte tantùm applices vel interturbes, & integrè non concurrat, solem minimè referet, sed fulgidum aliquid, adeout thronum lucidum referre possit; qua specie plurimos angelos per species plantarum, vel stellarum repręsentatos dæmon poterit lucidos efficere. Enimuero si speciem, quæ montem, vel domum refert, intercipias, vt solùm illas montis partes referat, quæ si ab aliis abscinderentur, archangelum referrent, illa species ostendet archangelum, & sic de cæteris. Vbi aduerte dæmonem tunc per se minimè repręsentare, sed per speciem, non quam producat, sed impressam supponat; quam spirituum beneficio præparat, & commouet. Vt enim in dormientibus sola spirituũ, & humorum commotione species eadẽ diuersa repręsentat, vt ex somnijs patet, quorũ sæpe meminimus, in quibus aliquando mira, sed absurda, sed falsa, & humeris annumeranda vidimus, ita dæmonis arte contingere potest, qui quidem non diuidit speciem, sed ex parte offundit, ne totum obiectum, à quo desumpta est, referat.

CAPVT XXVI.

Noua quorundam philosophia circa dæmonis operationem in ecstaticis arguitur, & exagitatur.

NOn defuerunt, qui hoc sæculo per abrupta deuiantes à vera philosophia, sensus in corpore vagos esse, non autem alicui certæ parti adhærere, & ipsam animam esse spiritum tenuem, calidum mobilem, aptum pati dixerint, qui per solem in humido corpore genitus sit, ex quo cùm egredi nequeat, illud ad vsus vitæ communis efformat; quapropter os fabricat, vt cibos degluttiat; dentes, vt conterat; ventrem, vt coquat, venas, vt transferat: iecur, vt absoluat, perficiat, atque distribuat; arterias, vt viuificet: cor, vt in spiritum attenuet; pulmonem, vt ventilet, & purget: caput, vt in eo imperet; ossa, vt machinam sustineat, articulos, vt membra flectat, neruos, in quos excurrat: pedes, quibus se ad necessaria conferat, & ab inimicis fugiat; carnem, ne machina gelu, vel æstu, aut rebus occursantibus lædatur, & sic de cæteris membris, quæ ad varios vsus efformat.

Quibus positis spiritum illum lucidum, & calidum, atque corporeum, sentientem, & intelligentem volunt omnibus speciebus rerum in aëre receptis exponi, adeout omnia cognoscere possit, etiam si quis dormiat, quia spiritus ille foribus aurium, & oculorũ adest, vt species intentionales in aëre productas, & vbique diffusas excipiat. Hinc fit, vt dæmones possint quascũque, voluerint species adducere, vel obiecta producere, aut offerre illi spiritui. Alij licet spiritũ illum non admittant, quia reuera nullus est huiusce modi, sed anima sola, quæ in hominibus immortalis, & indiuisibilis est, omnia membra commouet, & omnes sensuum operationes diuersis organis efficit, attamen arbitrantur illas species vbique per aërem diffusas, saltem ope dæmonis ad animam ecstatici, vel dormientis posse deferri, quibus ea cognoscat, quæ dæmon optauerat, vel quæ ab ecstatico rogauerat.

Potest igitur, inquiunt, dæmon quæcũnque obiecta repræsentare, & thronos cœlestes, eorúmque species inuisibiliter ad mentem, vel phãtasiam dormientis traducere, vt ab ecstasi rediens homo mira narret. Verùm hi modi satis antea explosi videntur; nec enim ita spiritus decurrit, sed quiescit in dormiente, saltem quoad externorum sensuum operationes, sine quibus nihil vi dæmonis in sensum internum ingredi potest, quandoquidem non minus subordinatur sensus externus interno, quàm sensus internus, aut voluntas intellectui, vel ipsi voluntati sensitiuus appetitus; vnde contendo dæmonem non posse efficere, vt species obiecti sensibilis ad imaginationem perueniat, nisi prius in externis sensibus non tantùm recepta fuerit, sed ad expressam cõcurrerit, qua sensus externus sentiens in actu secundo redditur.

Idcirco negaui suprà quidquam in phantasiam irrepere, quin antea per sensum externum transierit: enimuero tametsi speciem obiecti, quæ nondum ad sensum externum accessit, ad phantasiam traduceretur, ei ad cognitionem inseruire nõ posset, quia non esset ei proportionata; sicut nec decrepiti specilla iuueni conueniunt, nec lusciosi per communia inspicere, nec qui eminus prospiciunt, & oculis valent, per specilla, quibus lusciosi vtuntur, videre possunt.

Nolim hìc fusè disputare an dæmones possint intellectum illuminare productione alicuius luminis, vel speciei intelligibilis, quia redire poterit locus, in quo hæc peragantur: & satis iam insinuaui id minimè fieri posse, & Theologi tract. de angelis de hac materia agere solent. Quapropter cõcludo nullum esse probabiliorem modum, quo dæmon huiusmodi ecstaticis mira reuelare videatur, quàm vt speciebus iamdudum exceptis vtatur, idque humores cõmouendo, vel aliqua pharmaca præbendo, quæ id efficiant, vt quodcunque voluerit, repræsentet. Nouit enim experientia longissima, quomodo hæ, & illæ species referant, quando his vel illis humoribus interturbentur: Quomodo excitari debeat species solis, vel ignis, vel lucis, vt thronum regium deauratum referat, &c. vt non indigeat illas diuidere, aut in hanc vel illam phantasiæ partem transferre.

Sanè fateor hanc difficultatem eò maiorem euadere, quò minus cognoscimus, an pars, in qua residet imaginatio, firma sit, & immobilis, atque adeò pars ipsius cerebri, vel potiùs tota eius capacitas, an verò fluida, eáque vel ex quibusdam

dam innatis spiritibus conflata, qui non mutentur, neque latum vnguem è statione discedant: vel ex spiritibus affluentibus, qui quotidiano cibo reficiuntur, recreantúrque.

Ex his spiritibus minimè constitui videtur organum phantasiæ, alioquin perpetuæ mutationi obnoxium esset, & statim maius, minus aliâs; nec intelligo, quî fieri posset, vt eædem species remanerent mutato tam sæpe organo, nisi transmigratio fieret de subiecto in subiectum, nempe de spiritibus antiquis in nouos. Arbitror igitur imaginationi sedem fixam atque firmam assignãdam esse, cui species internæ inhæreant. Alibi verò fusiùs aduersus neotericorum illorum opiniones Deo bene iuuante dicturi sumus.

CAPVT XXXVII.

An lethargus, spasmus, & similes morbi tales sint, ad quos resurrectio mortuorum referri possit.

OPINIO ATHEORVM.

Definitur lethargus, & eius causæ asseruntur.

LEthargum esse volunt inexpugnabilem penè somni necessitatem, quam frigida cerebri temperies efficit, quæ fit ex humoris frigidi, pituitosique copia, quam putredo inuadens, febrem accersit, & lethargus excitatur: adeout lethargo correpti mortuis similes esse videantur. In hunc igitur affectum Athei resurrectionem audacter refundunt; sic enim puerum æstu, & itinere defessum 57 annos dormiuisse referunt ex Plinio; quot & Epimenides Gnosius in spelunca quadam obdormiuit, vnde somnolentis hoc adagium obijci solet. *Plus Epimenide dormis*: sed & 7. dormientes per 196 annos historiæ testantur: & in Noruegia 7. viri diuturno somno oppressi diutissimè iacuerunt in antro littoris eminentissimi, Paulo diacono, & Methodio martyre testibus. Narrat etiam Damascenus suo tempore in Germania rusticum quendam labore defatigatum sub fœneo tumulo per totum autumnum, & in sequentem hyemem continuò dormiisse; donec æstate, colliculo paulatim à colonis demolito, experrectus, tanquam semimortuus inuentus est. Illud autem omnes fatentur, vrsos, glires, crocodilos, & plerósque serpentes per totam hyemem obdormire adeò profundè, vt Agrippa lib. 1. de occult. phil. cap. 58. à quo ferè sua omnia Vaninus accepit, se glirem vidisse testetur, qui tametsi dissectus immobilis erat, donec coqueretur; atq; tunc primum in bullienti aqua dissecta membra vitam demonstrasse.

Epimenides 57 annos dormiuit.

7 dormientes.

Damascen.

De gliris somno.

Agrippa.

Rationem verò cur tamdiu sine alimento viuere possint, hanc afferunt, quia perpusillus est eis calor, maximè in hyeme, & ingens pinguis humidi copia; quare silens tunc temporis caloris vis, crassum illud, & glutinosum humidum, quod propterea resolutioni resistit, lentè carpit, ideo non est opus supplemento: nam cùm tenuitate, & crassitie oppleti, ac obstructi sint meatus, illicrassæ substantiæ denegatur effluxus, nec per insensilem transpirationem in auras abire valet; Animalia verò pinguescere dicuntur, non quod verè nutriantur, sed quia illorum partes crassiores attenuantur à calore naturali, qui per id tempus est modicus; ideóque non resoluere, sed potiùs dissoluere potest; propterea illarum partium mutatio contingit in aqueum aëreum, atque illa dilatatione turget.

Sõno quomodo pinguescunt animalia.

Quod attinet ad casum ex alto, videmus aliquos, postquam ex alta fenestra ceciderunt, per diem integrum, vel per plures aliquando cessare ab omnibus sensuum facultatibus, nec apertis oculis videre, nec ferreos medicorum ictus persentire, quia perculsis spiritibus ac in intimos cordis sinus receptis, animam à suis functionibus absistere necessum est; quod si deprimatur calua, meningesque, ventriculos, & meatus cerebri premat, qui cecidit, sensus, & sermonis expers obmutescit, vt de Gregorio Spinola Carmelita refert Iulius; qui addit vteri strangulationem fieri à vaporibus ex vteri lacuna exhalantibus, qui ad cerebrum deferuntur, à quo cùm animales facultates dependeant, mirum non est, si ipso à venenatis vaporibus oppleto, reliquæ facultates consopitæ maneant.

Casus ex alto, & eius symptomata.

Strangulatio vteri.

Syncope verò est præceps virium lapsus, in quo vel nullus, vel paruus est pulsus arteriarum, vel etiam extremè rarus, & obscurus, corporis summa frigent, tempora, ceruix, & thorax frigido sudore madent, facies pallet, totumque corpus quasi eneruatum iacet, mens, omnisque sensus deficit: hunc autem lapsum sæua animi pathemata faciunt, vt timor grauis, voluptas maxima, mœstitia fortis, dolor atrox, labor, inedia, vacuatio immodica, & quæcunque calorem natiuum, spiritusque dissoluunt, atque diripiunt, quales sunt causi, febres magnæ, ardentes, & malignæ; grauis etiam offensa in ventriculi, quod est eximij sensus, & cordi vicinum, imprimisque consentiens; Idem præstat inflammatio, erysipelas, & à bile compunctio, & venenatus humor, qui sit vel in crure, vel in bubone, vel in quouis viscere conclusus, qui tetrum vaporem in ipsum os ventriculi, & in cor eructet, exhaletque.

Quid sit syncope, & eius causæ.

Apoplexia est repentina motus, & sensus, omnisque animalis functionis priuatio, cuius causa est crassior frigidiorque pituita in cerebro, quæ dum omnes cerebri ventriculos affatim, & vniuersim implet, aut dum minimum quiddam retis admirabilis, arterias repente obstruit, vel coarctat, per quas spiritus ex corde in cerebri sinus influit, spiritus animalis deest, qui ad membra mouenda deferri possit; sinus enim influente spiritu destituti nihil deinceps suppeditant neruis motorijs, atque sensum deferentibus, quapropter necesse est, vt animal collabatur.

Quid sit apoplexia, & eius causa.

De epilepsia, & eius causis.

Epilepsia subitò miseros conuellit, & prosternit, adeout astantes, Hippocrate reluctante, morbum hunc comitialem seu Herculeum in peculiares diuos retulerint, quod & apud Christianissimum populum, inquit Cæsar, inualuit; tota namque Gallia diuo Ioanni Christi præconi hunc morbum assignat, eapropter dicitur *le mal sainct Iean*; quam temerariam opinionem ex eorum animis eximi cupit, ne spretis medicorum præscriptis miser æger affligatur, & sæpe deuotionis ergo sepulchro destinetur, antequam anima in auras prorsus euanuerit, dum plebecula vidēs epilepsiacum in terra prostratum, os rabidum, ac distortum, genas inflatas, buccas humore, spumaque turgidas habentem, & ab iratis Dijs calamitatem hanc inferri existimans, immutabilem illorum voluntatem superstitiosis preculis immutare credit; cùm tamen aliquod leuamen, medelamque doloris allatura esset, si morbum hunc in causas naturales referendum esse intelligeret.

Quid sentiat Hippocrates de istis morbis

De hoc autem morbo Hippocrates libellum scripsit, in quo verba hæc habentur sect. 7. Quo verò modo, & ex qua causa fiat morbus sacer, ego manifestè docebo. Cerebrum hominis duplex est, quemadmodum etiam omnibus alijs animalibus: Medium autem ipsius diuidit membrana tenuis. Quapropter non semper eandem capitis partem dolet, sed particulatim vtramuis, aliquando verò totum. Sed & venæ in ipsum tendunt ex vniuerso corpore multæ, & tenues; duæ verò crassæ, altera ab hepate, altera de liene. Et quæ quidem ab hepate venit, hoc modo se habet. Altera quidem venæ pars deorsum tendit, per partes ad dextram, iuxta ipsum renem, ac lumbum, ad internam femoris partem, & descendit in pedem, & vocatur vena caua. Altera verò sursum tendit per venas dextras, ac pulmonem. Finditur autem & in cor, & in brachium dextrum.

Distributio venarum ab hepate.

Reliquum verò sursum fertur per clauiculam in dextram ceruicis partem, ad ipsam cutem, vt conspicua fiat. Iuxta autem verò occultatur, atque hîc finditur. Et crassissima quidem, ac maxima, & cauissima ipsius pars in cerebrum desinit, alia verò pars in aurem dextram, quæ sanè venula tenuis est; alia autē in oculum dextrum, alia in ipsum nasum. Atque sic quidem venæ ab hepate habent. Tendit autem & à liene vena in sinistra sursum, ac deorsum, velut ab hepate, verùm tenuior, & imbecillior. Cæterum in has venas etiam spiritus copiam inducimus. Hæ enim corporis nostri respirationes sunt, aërem in seipsas trahentes, & in reliquum corpus, ac venulas deriuantes, refrigerántque, ac rursus dimittunt.

Distributio venæ à liene.

De spiritu. De fœtu in vtero existente.

Non enim possibile est spiritum stare, sed procedit sursum, ac deorsum. Si enim alicubi constiterit, ac interceptus fuerit, impotens redditur illa pars vbi constiterit. Cuius rei signum hoc est; cùm enim desidenti, aut decumbenti venulæ compressæ fuerint, vt spiritus à vena non discurrat, statim torpor occupat. Et de venis quidem reliquis sic habet. At verò morbus ipse fit in pituitosis, in biliosis verò non. Incipit autem fieri in fœtu adhuc in vtero existente. Purgatur enim, & florescit cerebrum, velut etiam aliæ partes, priusquam gignantur. In hac autem purgatione, siquidem probè, ac moderatè purgatum fuerit, & neque plus, neque minus, quàm oportet, defluxerit, hic fœtus sanissimum caput habebit.

Si autem amplior colliquatio à toto cerebro facta fuerit, morbosum caput augescens fœtus habebit, & sonitu plenum, & neque solem, neque frigus tolerabit. Si verò ab vna aliqua parte colliquatio contigerit, aut ab oculo, aut ab ore, aut vena aliqua simul gracilis facta fuerit, ille sic afficitur, qualiter sanè colliquatio contigerit. Si verò purgatio non contingat, sed in cerebro spissetur, ac cogatur, sic necesse est fœtus pituitosos esse.

Et quibuscúnque quidem pueris existentibus erumpunt vlcera in caput, & in aures, ac in reliquum corpus, & qui saliuosi fiunt, ac mucosi, hi ipsi progressu ætatis facillimè degunt; hic enim abit, ac purgatur pituita, quam in vtero purgari oportebat, & qui sic purgati fuerint, comitiali siue sacro morbo ferè non apprehenduntur. Qui verò mundi sunt, & neque vlcus vllum, neque mucus, neque saliua vlla prodit, neque in vteris purgationem fecerunt, talibus periculum imminet, vt ab hoc morbo corripiantur.

Quibus pueris sacer morbus cōtingat, nec ne.

Si porro ad cor progressum fecerit defluxus, palpitatio apprehendit, & anhelationes, & pectora corrumpuntur, aliqui etiam incurui fiunt. Cùm enim descenderit pituita frigida ad pulmonem, aut ad cor perfrigeratur sanguis. Venę autem violenter perfrigeratæ ad pulmonem, & cor assiliunt, & cor palpitat, vt præ hac necessitate anhelationes incidant, & spiratio ceruice erecta. Non enim spiritum suscipere potest, donec id quod influxit, à sanguine fuerit separatum, & calefactum in venas fuerit diffusum. Deinde & palpitatio, & anhelatio sedatur, sedatur autem prout copia eius fuerit. Si enim ampliùs influxerit, tardiùs: sin minus, citiùs. Et siquidem densiores, ac crebriores fuerint defluxus, crebriùs comitiali morbo corripitur, sin minus, rariùs. Hęc itaque perpetitur homo, si ad pulmonem, ac cor fluxus processerit. Si verò in ventrem, profluuia alui apprehendunt.

Si verò ab his vijs exclusus fuerit, & in venas, quas dixi, defluxum fecerit, mutus fit, & suffocatur, & spuma ex ore effluit, & dentes constringuntur, & manus conuelluntur, & oculi distorquentur, & nihil sapiunt, aliquibus etiam stercus infernè secedit. Atque hæc fiunt aliquando in sinistra, aliquando in dextra, aliquando vtrinque. Quomodo verò singula hæc perpetiatur, ego narrabo.

Varia symptomata eius qui morbo comitiali laborat, & eorum causæ.

Mutus quidem est, cùm pituita de repente in venas delapsa, aërem excluserit, & non admiserit, neque in cerebrum, neque in venas cauas, neque in ventriculos, sed occuparit respirationem. Cùm enim accepit homo per os, & nares spiritum, primùm quidem ad cerebrum venit, deinde verò in ventriculum magna ex parte, pars etiam ad pulmonem, & pars ad venas. Ex his verò ad reliquas partes, in venas dispergitur, & quantum quidem eius ad ventriculum venit, perfrigerat, & nihil aliud confert. Idem præstat & qui ad pulmonem venit. Qui verò ad venas peruenit aër, confert ad ventriculos ingressus, & ad cerebrum. Atque sic sapientiam, & motum membris exhibet. Quare vbi fuerit exclusus à venis aër præ pituita, cúmque non susceperint, mutum ac desipientem hominem reddunt.

At

At verò manus impotentes fiunt, ac conuelluntur, sanguine quiescente, & dum non diffunditur, velut solebat. Oculi quoque distorquentur aëre à venis excluso, & cōmouentur. Spuma verò ex ore prodit ex pulmone. Cùm enim spiritus non ingrediatur in ipsum, spumescit, & ebullit, veluti moriens. Stercus verò subit dum violenter suffocatur; suffocatur autē hepate, & ventre sursum ad septū transuersum irruentibus, & stomacho vētris cōcluso. Irruunt autem cùm tantùm spiritus in os non ingreditur, quantum solebat. Calcitrat autem pedibus, cùm aër in membris conclusus fuerit, & foras penetrare non poterit præ pituita, verùm exiliens per sanguinem sursum, ac deorsum conuulsionem, ac dolorem inducit, & propterea sanè calcitrat.

Porro omnia hæc perpetitur, cùm pituita frigida defluxerit in sanguinem calidum existentem; perfrigerat enim, & sistit sanguinem. Et si quidem fluxus multus fuerit, ac crassus, statim occidit (dominatur enim sanguini per frigus, ipsúmque congelat) si verò paucior fuerit, in præsens quidem dominatur, obturans respirationem: Deinde temporis progressu, cùm dispersus fuerit per venas, & cōmixtus sanguini multo existenti, ac calido, si sic superatus fuerit, venæ aërem suscipiunt, atque ita ægri resipiscunt. Quem librum tametsi Galenus Hippocrati non adscribat, cùm illius ingenij acumen hîc non elucescat, fatetur tamen esse docti viri.

De epilepsia. Vt autem nihil omittamus ex ijs quæ proferunt Athei, addamus Epilepsiam esse totius corporis distentionem crebram; seu conuulsionem non perpetuam, qua subitò homo concidit; sensuum omnium, atque mentis functionibus interceptis, vt nec audiat, nec videat, nec expeditus præteritorum meminerit; concussione ex ore spumæ mouentur, & solutis musculis interdum vel vrina, vel stercus, vel genitura præter voluntatem exit, & obscura vox elidit.

Huius verò morbi causa est ingens humoris pituitosi, aut melancholici copia, quæ repentè cerebri ventriculos, meatúsque inficiens, efficit vt æger cohibito animali spiritu corruat. Non tamen penitus, & affatim spirituum ductus obturat, sed nonnihil illius humoris pituitosi præterfluit, quo cerebrum concussione adnititur, quicquid noxium est, excutere. Attamen sola noxij humoris copia non infligit epilepsiam, nam in sopore eius copia inest citra cōuulsionem; præterea cùm subitò desinit epilepsia, ei quemadmodum & apoplexiæ, excusso in neruos humore, necessariò succederet paralysis, quod tamen nusquam obseruatum est.

Apoplexiæ causa duplex. Itaque duplex apoplexiæ causa statui potest, prima humoris viscosi redundantia, qua oppleto cerebro, oppresśoque diaphragmate, atque occlusis respirādi fistulis æger obmutescit, nequit enim spiritus inoffensè commeare. Altera est venenata, & cerebri substantię grauiter infensa qualitas, quę quoties exagitatur, ac in cerebrum prorepit, atque ea feriente, cerebro contrapugnante, quasi colluctatione quadam fit epilepsia; Cuius fomes modò in cerebro, modò in ore ventriculi, nonnunquam & in aliis distantioribus sedibus delitęscit, e quibus furtim per cæcos ductus in cerebrum serpit, & progreditur.

Quando sint symptomata vehementiora. Eius autem symptomata efficiuntur sæuiora, cùm vel luna impleri, vel inchoari incipit: Forsitan lunę dæmon Asmodeus, inquit Cæsar, hanc calamitatem cladémque infert; cui quidem humida corpora, cibóque, & cœlo vtentes humido sunt magis opportuni; hinc videmus impuberes, & mulieres potissimum infestari, quos derelinquere solet circa annum quintum, & vigesimum, quia tunc augescit calor natiuus, qui siccius temperamentum inducit. Quare non mirum, si horum symptomata grauiùs inualescant, vbi luna impletur, vel inchoatur, tunc enim humores maximè redundare constat: quapropter Dei filius, & Deus ipse, ne perfidi Hebræi calumniari possent, Lazarum non verè mortuum fuisse, sed Herculeo morbo correptum, illum quatriduanum in vitam postliminio reuocauit: siquidem expleto 70. horarum curriculo humores sisti contingit, quòd luna eo temporis spatio vnum Zodiaci signum peregerit; cuius vi humorum decursus in corporibus perficitur;

CAPVT XXXVIII.

Quòd resurrectio in illos morbos neque reijci debeat, neque possit.

IMprimis aduertendum est nullò modo sequi veram resurrectionem ad illos morbos referendam, tametsi hæc omnia, quæ præcedenti capite dicta sunt, concesserimus, imo contrarium sequitur, cùm satis in morborum illorum definitione ostendant animam à corpore separatam non esse, quod ad resurrectionem necessum est.

Deinde nil illa omnia contra nos facere, nisi quatenus omnem resurrectionem emētitam fuisse dixerint, & exempli causa Lazarum aliquo ex istis morbis correptum fuisse, sicut & cæteros, qui suscitari referuntur, gratis, & falsò affirmabunt: quod non tantùm multitudine testium, sed & omnibus motiuis facile confutabimus, quibus religionem catholicam, quæ his resurrectionibus credit, veram esse, atque legitimam probare solemus, quæ supra retulimus, vt apparitiones confirmaremus: quæ si huc reuoces, quis sanæ mentis resurrectionem Lazari, & alias à Christo Domino peractas arguere poterit: pagani fefellerint, at illud quis de Christo suspicabitur? quem neque Iudæi ob tanta miracula perpetrata calumniari potuerunt, nisi falsa crimina finxissent: quibus Seruatorem nostrum summâ iniuriâ insimulabant.

De insigni Lazari suscitatione. Quod autem Lazari mors in nullum ex morbis prædictis referri possit, ex eo constat, quod iam sororis testimonio fœteret, erat enim quatriduanus; at in illis morbis quis aliquando

fœtentem olfecit? Sanè talis est ista resurrectio, vt nihil aliud respondere sit opus, vt illam Atheis opponamus, de qua D. Ioannes c. 11. & 12. quem ideo Christus suscitauit, vt appareret Dei gloria: quapropter eleuatis oculis dixit, cùm alij lapidem è sepulchro tollerent. *Pater gratias ago tibi quoniam audisti me, ego autem sciebam, quia semper me audis, sed propter populum, qui circumstat, dixi, vt credant, quia tu me misisti. Hæc cùm dixisset, voce magna clamauit, Lazare veni foras. Et statim prodijt, qui fuerat mortuus, ligatus pedes, & manus institis, & facies illius sudario erat ligata. Dixit eis Iesus: soluite eum, & sinite abire.*

Ioh. 11. & 12

Cur pagani nihil de nostris miraculis scripserint.

Quibus peractis, videamus quid fecerint, dixerintue aduersarij Christi filij Belial; *Multi,* inquit D. Ioan. *ex Iudæis, qui venerant ad Mariam, & Martham, & viderant, quæ fecit Iesus, crediderunt in eum. Alij vero postquam retulerunt Pharisæis, quæ fecerat, illico concilium fecerunt, dicentes. Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?* Cætera lege per totum caput. Rursus in 12. cap. habes Iudæorum turbam quæ venit in Bethaniam, vt videret non tantùm Iesum, sed vt Lazarum aspiceret, quem suscitauit à mortuis. Postmodum verò cogitauerunt de nece Lazaro inferenda, quia multi ex Iudæis ob illud resurrectionis miraculum abibant, & credebant in Iesum.

Quis iam Atheorum tantum illud miraculum vel negabit, vel in morbos illos antea declaratos, aut vllam aliam causam naturalem reuocabit? Vis & alia subiungamus? quæ si non petimus è libris paganorum, seu gentilium, ne mireris; Illi enim Christianæ religionis hostes nihil de nostris miraculis scripsêre, vel id agente diabolo, vt futuris sæculis nobis scrupulos injiceret, vel quia noluerunt nostra fundamenta scriptis mandare, ne tantorum operum fulgore, cætera, quæ ad eos pertinebant, offuscarentur, & pro nihilo ducerentur.

Adde quod non auderent illi quidquã de præclaris Christianorum facinoribus scribere, quos vt sacrilegos, & impios vltimo supplicio damnari videbant, adeout nullus illa miracula scriptis mandare fuerit ausus, nisi decreuisset apud se, vel in suspicionem Christianæ religionis, seu Christiani venire, vel vltimo mortis discrimini caput objicere.

Ea propter qui hæc audebant, iam erant Christiani; Cæteri illos effectus in magiam referebant, cui putabant Christianos nimis addictos; vel inueterato Christianorum odio nolebant illa miracula aduertere, vel ea tanti minimè faciebant, vt in historiam referenda putarent.

Tertul.

At illi, qui Christo nomen dederunt, ea narrauerunt præsentis vitæ timore posposito, vt patet ex antiquo Tertulliano, qui scribens ad Scapulam Carthaginis præfectum Christianis vltima minitantem, ni Christum eiurarent, post quorundam præfectorum, qui cum Christianis humanè egerant, exempla producta; *Hæc omnia,* inquit, *tibi de officio suggeri possunt, & ab eisdem aduocatis, qui & ipsi beneficia habent Christianorum, licet acclament, quæ volunt: nam cuiusdam notarius, cùm à dæmone præcipitaretur, liberatus est, & quorundam propinquus, & puerulus: & quanti honesti viri (de vulgaribus enim non dicimus) aut à dæmonibus, aut à valetudinibus remediati sunt? Et subinde Marcus quoque Aurelius in Germanica expeditione Christianorum militum orationibus ad Deum factis, imbres in siti illa impetrauit. Quando non geniculationibus, & ieiunationibus nostris etiam siccitates sunt depulsæ?* & libro contra Gentes, cùm in earum superstitionem, & falsa miracula debacchat⁹ fuisset. *Hactenus,* inquit, *verba, iam hîc demonstratio rei ipsius, qua ostendimus vnam esse vtriusque nominis qualitatem: edatur hic aliquis sub tribunalibus vestris, quem dæmone agi constet, iussus à quolibet Christiano loqui spiritus ille, iam se dæmonem confitebitur de vero, quàm alibi de falso. Æquè producatur aliquis eorum, qui de Deo pati existimantur, qui à veris maleficum numen de nidore concipiunt, qui ructando curantur, anhelando profantur, ista ipsa vox cœlestis pluuiarum pollicitatrix: iste ipse Æsculapius medicinarum demonstrator, aliæ de morituris Socordia & Donatio, & Asclepiodoto subministratur, nisi se dæmones confessi fuerint, Christiano mentiri non audentes, ibidem illius Christiani procacissimi sanguinem fundite. Quid isto opere manifestius? quid hac probatione fidelius? simplicitas veritatis in medio est, virtus illi sua assistit, nihil suspicari licebit magia aut alia huiusmodi fallacia fieri, dictis non stetis, si oculi vestri & aures permiserint vobis. Quid autem immitti potest aduersus id, quod ostenditur nuda synceritate? Si altera parte veri Dei sunt, cur se dæmonia mentiuntur? an vt vobis obsequantur? atqui omnis hæc nostra in illos dominatio, & potestas dominatione Christi valet & de comminatione eorum, quæ sibi Deo per arbitrum Christum imminentia expectant. Christum timentes in Deo, & Deum in Christo, subijciuntur seruis Dei, & Christi, ita de contactu, deque afflatu nostro, contemplatione, & repræsentatione ignis illius correpti, etiam de corporibus nostro imperio excedunt inuiti, & dolentes, & nobis præsentibus, & erubescentibus.*

D. August.

Verùm placet magnum Augustinum subiungere, qui aduersus negantes miracula nostra hæc habet partim 22. de Ciuit. Dei c. 5. partim alibi. *Aut per Apostolos Christi, vt eis crederetur, resurrectionem atque ascensionem prædicantibus Christi, etiam ista miracula facta esse non creditis, aut ita se habere nobiscum non itis inficias, si posterius, quid oberit, cur non nobiscum quoque credatis? si prius, hoc nobis vnum grande miraculum sufficit, quod ea terrarum orbis sine vllis miraculis credidit. An non est multo maius miraculum paucos quosdam ineruditos liberalibus disciplinis, & omnino, quantum ad genium disciplinas attinebat impolitos, non peritos grammatica, non armatos dialectica, non rethorica fultos, sed piscatores abiectos cum retibus fidei ad mare huius mundi missos, ex omni genere tam multos pisces, & tanto mirabiliores, quanto rariores, etiam ipsos philosophos, euangelicæ prædicationis, quæ mundo erat stultitia, gentibus verò scandalum, hamo cœpisse? maius profectò apud omnem philosophiam habetur hominis arbitrium, & voluntatem sine sufficienti ratiocinio pellicere, quàm claudum, aut aridum reddito vigore restaurare: nam sicut in hoc lex, & ordo naturæ peruertitur; ita & in illo est voluntatis natura, non quocunque pacto, sed post efficax ratiocinium, assensum præbere, sicut est febris natura, non imperio, sed medicina recedere. Quemadmodum verò languoris natura peruertitur, dum simplici oratione, aut imperio fugatur, quod tantum subiacet diuinæ potentiæ, ita natura voluntatis, & genuinus ordo confunditur, dum sine consueto, & naturali medio, quod est ratiocinium, his quæ mundus stulta iudicat, præbet assensum. Et quemadmodum illud ideo miraculum est, quod viribus naturæ fieri nequeat, ita hoc, quia solus Deus cor nostrum in testimonia sua inclinare potest.*

Sed

Sed aliquid etiam ex aduersarijs referre libet. Iosephus sacerdos olim, post captam verò Hierusalē historiæ Iudaicæ scriptor insignis lib. 18. antiq. Iudaic. cùm tempora Pontij Pilati Romani præsidis describeret, de Christo Domino hæc habet. c. 4 γίνεται δὲ κατὰ τοῦτον τὸν χρόνον Ἰησοῦς σοφὸς ἀνήρ, εἴγε αὐτὸν ἄνδρα λέγειν χρή, ἦν γὰρ παραδόξων ἔργων ποιητής, διδάσκαλος ἀνθρώπων τῶν ἡδονῇ τἀληθῆ δεχομένων. καὶ πολλοὺς μὲν Ἰουδαίους, πολλοὺς δὲ καὶ ἑλληνικοὺς ἐπηγάγετο, ὁ Χριστὸς οὗτος ἦν. καὶ αὐτὸν ἐνδείξει τῶν πρώτων ἀνδρῶν παρ' ἡμῖν σταυρῷ ἐπιτετιμηκότος Πιλάτου, οὐκ ἐπαύσαντο οἵ γε πρῶτον ἀγαπήσαντες, ἐφάνη γὰρ αὐτοῖς τρίτην ἔχων ἡμέραν πάλιν ζῶν, τῶν θείων προφητῶν ταῦτά τε καὶ ἄλλα μυρία θαυμάσια περὶ αὐτοῦ εἰρηκότων. εἰς ἔτι τε νῦν τῶν Χριστιανῶν ἀπὸ τοῦδε ὠνομασμένων οὐκ ἐπέλιπε τὸ φῦλον

Iosephus de Christo Domino.

.i. *Eodem tēpore fuit Iesus vir Sapiens, si tamen virum fas sit eum appellare. Erat enim mirabilium operum patrator: & doctor eorum, qui libenter vera suscipiunt; plurimósque tam de Iudeis, quàm de gentibus sectatores habuit. Christus hic erat, quem accusatum à nostræ gentis principibus, Pilatus cùm adduxisset cruci, nihilominus non destiterunt eum diligere, qui ab initio cœperant. Apparuit enim eis tertia die viuus, itaut diuinitus de eo vates hoc & alia multa miranda prædixerunt, & vsque in hodiernum diem Christianorum genus ab hoc denominatum, non deficiat.*

Quo luculentissimo testimonio, cum Iudæi se vrgeri viderent, in conuersione græci in hebræum id tacuerunt, & ex quibusdam exemplaribus Græcis expunxerunt. Nolo hîc referre Sybillarum oracula nobis fauentia, sicut nec alia Gentilium testimonia, quæ partim apud Eugubinum libris de perenni philosophia, partim leges alibi. Nec opus est alio teste, quam ipso Cæsare Marco Aurelio Antonino, qui è Germania scribens ad Senatum fatetur totum prælium salutem, atque victoriam consecutum fuisse Christianorum precibus. *Notos vobis facio conatus meos & successus belli Germanici, quantisque laborauerim difficultatibus, circumuentus à draconibus 74 intra nonum milliarium, eos in propinquo esse indicarunt exploratores, & Pompeianus magister militum conspectos esse mihi significauit. Itaque sensi me cum legionibus Prima, Decima, Gemina, Euphratensique pœnè oppressum ab immensa colluuie, in qua numerabantur armatorum 975 millia, cùmque non haberem copias conferendas numero barbarorum hostium, precabundus confugi ad opem patriorum numinum, à quibus neglectus & in arctum reductus ab hoste, accini quos Christianos vocamus. Ii perquisiti bene, multi reperti sunt; infremui in eos, quod non debueram, vt postea cognoui ex mirifica eorum potentia, qui mox rem aggressi sunt absque telis, armis, tubisque, nimirum abhorrentes ab istiusmodi apparatu, & contenti Deo, quem circumferunt secum in conscientia. Credibile est igitur, licet impios existimemus, Deum pro munimento habere in pectore, prostrati enim humi, non solùm pro me deprecati sunt, sed & pro præsenti exercitu, petentes opem contra vrgentem sitim, & inediam. Quintus enim dies erat, ex quo aqua carere cœperamus, eramus quippe in hostili solo, in ipso meditullio Germaniæ. Confestim autem, vt procubuerunt in facies, & preces fuderunt ad ignotum mihi Deum, descenderunt de cœlo in nos quidam frigidissimus imber; in nostros verò hostes grando mista fulminibus, vt sine mora sentiremus presto esse inuictam opem Dei potentissimi. Iam nunc igitur permittimus esse Christianos huiusmodi hominibus, ne fortè contra nos tale quodpiam telum postulando impetrent; & auctorē me interpono, ne cuiquam religio Christiana vertatur crimini. Quod si quis Christianum detulerit, hoc solo nomine, quòd Christianus sit, volo, vt delatus Christianum se impunè fateatur, modò, nihil ei obijciatur præter religionem diuersam; delator verò eius viuus comburatur. Confessum autem, compertúmque Christianum nolo ad mutandam religionem induci à prouinciæ preside, suo relinquendum arbitrio. Et hoc meum decretum Senatusconsultoratum fieri volo, iubeóque proponi publicè legendum in Traiani foro, vt inde porrò transmittatur in prouincias cura Verasij Pollionis vrbis Præfecti. Huius quoque edicti transcribendi, vtendique copiam permitto omnibus desumentibus ex nostro exemplari publicè in foro proposito.*

Marci Aurelij Imperatoris edictum in gratiam Christianorum.

Quo testimonio mirum in modum Christianorum religio commendatur; Nec obstat, quod aliqui Christianis inuidentes, illud miraculum in quendam Iulianum Chaldæum, qui copijs siti laborantibus nubes prouocarit, vt darent imbres; vel in Arnuphin philosophum Ægyptum inuocato Mercurio, vt vult Dion Cassius, aut in artem magicam, vel Imperatoris probitatem retulerint, nec enim illi vel poterant, aut volebant confiteri veritatem, ne in aliqua re Christianis fauerent; sed vni Imperatori, magis, quàm cæteris credidero. videatur Tertullianus 5. Apologetici. Tertul.

Ne verò scrupulus vllus superesse possit, an fortè illi, quos Christus, vel alij sancti suscitarunt, apoplexia vel aliquo simili morbo tantùm correpti fuerint, nondum verò mortui, placet nouum caput afferre de signis, quibus sine vlla deceptionis suspicione aliquem esse reuera mortuum deprehendere possumus.

CAPVT XXXIX.

Quomodo scire possumus, an aliquis reuera mortuus, aut apoplexia tantum, vel aliquo alio morbo correptus sit.

Solemnis est quæstio hæc, & à nullis, quod sciam, dignè pertractata, quibus signis ita deprehēdere possimus aliquem vita functum fuisse, vt nulla ratione decipiamur. Et quidem in more positum fuit apud nonnullas nationes, vt mortuos aliquo tempore seruarēt insepultos: etenim Nasamones Lybiæ populi diebus septem, Græci septemdecim seruabant, quibus fortè contendant Atheorum aliqui hominem non esse censendum mortuum, donec multis diebus seruatus fuerit, ne fortè morbo solùm laboret. Sunt qui trium dierum spatium exigant, vt certum obitum deprehendant.

Quod tamen non est semper necessarium, tametsi quis apoplecticus fuerit, aut etiam hysterica mulier, vel simili morbo perierit, licet id

nonnunquam contingere possit, vt aliqui viuentes ita sepeliantur, præsertim si imbecilli natura fuerint, frigidóque temperamento, quod in fœminis frequentiùs euenire potest.

Auicenna.

Testatur Auicenna l. 3. tract. 5. cap. 12. accidere, vt homo apoplexiam incurrat, itaut non sit differentia inter ipsum, & mortuum, nec appareat in ipso anhelitus, cuius tamē pulsus nō integrè cadit; deinde reuiuiscere videtur, dum sanatur. At quibus id contingit, eorum innatus calor vel parum, vel nihil indiget euentilatione, & expulsione vaporis; propterea ne fortè viui sepeliantur, 72. horis sepulturam tardari volunt. Refert Gentilis se apoplecticum vidisse, qui inter parentum eiulatus quasi ab inferis redierit; & Plinius lib. 7. cap. 52. multa illorum exempla commemorat, qui elati reuixerunt, atque fœminarum sexum huic malo maximè opportunum esse conuersione vuluæ, quę si corrigatur, spiritus restituitur, mirumque narrat de fœmina, quæ 7. diebus exanimis ad vitam reuocata fuit. De quibus reuiuiscentibus, quid sit sentiendum postea dicemus.

Gentilis.

Plin.

Qualemortis indiciū sit certissimum.

Galen.

Respirationis autem priuatio certissimum est mortis indicium, nam viuere quempiam intercepta respiratione nequaquam posse, & nos quotidie experimur, & demonstratum est à Galeno l. de locis affect. 4. cap. 7. quamuis interdum homo viuere possit, tametsi nulla in eo respiratio appareat; fœminas enim, quibus vteri strangulatio contingit, apnææ, seu spiritus interceptiones apprehendunt, adeout tam exiliter, & tenuiter respirent, vt hoc ipsum pleròsque lateat, ideóque extinctæ omnino creduntur.

Varij modi quibus experimur nū aliquis sit mortuus.

Quamobrem nonnulli, vt de re ipsa certiores fiant, accensam candelam naribus admouent, cuius flamma si non rectà ascendere, sed inæquali motu agitari, ac tremula esse videatur, superesse adhuc hominem affirmant. Alij supino ac bene firmato homine ne in vllam partem nutet, vitreum poculum aquæ plenum sub osse pectoris locant, ac si nusquam ille dimoueatur, mortuum putant, sin verò, planè viuere; nec id immeritò; nam tametsi in paruis respirationibus, intercostalium musculorū actione opus nō est, sed solo diaphragmate ad id opus satis idoneo; attamen quia ad diaphragmatis motum imas costas vnà moueri oportet, ideo siue intercostabilibus aliis musculis, seu solo diaphragmate opus sit, semper sub osse pectoris, quod sternum vocant, atque imas costas moueri thoracem in viuente animali necesse est.

Peritè alij speculum probè abstersum naribus admouent, in quo si afflatum quempiam, aut maculas inspiciant, iam respirat animal, atque viuit. Alij cùm de vita ambigunt, medijs acrioribus sternutatorijs adhibitis deprehendunt; quod remedij genus torpentes sopitósque in cerebri ventriculis spiritus lacessit, & excitat, nec diutiùs sinit in hæsitatione versari.

Est etiam probatum remedium, si medicum vulgaris aquæ vitæ sæpius distillatæ ori immittatur, hæc enim tam tenuis, tam vaporabilis substantiæ est, vt ad internas quascúnque venas citissimè pertingens calefaciat, excitétque, si sopitus tantùm, nedum extinctus sit calor: quod etiam aqua Imperatoria, quam à Candala repertam aiūt, factitari potest, vt ipse vidi in muliere, quæ paulo post vteri strangulatione è viuis excessit, & cæteris aquis, quæ similem tenuitatem, & acrimoniam habent.

Ne verò rigorem, aut frigus corporis semper interitū arguere credas, sunt enim, qui recēs extincti, membra nullo rigore obtenta gerant, quod de ijs asserunt, qui veneno periēre; alij etiam tactu calidi, aut certè non frigidi deprehenduntur, vt propterea viuos illos putes. Hinc fit, vt hoc indicium fallax existimetur, sæpius enim calor in mortuorū stomacho remanet, & sæpe deprehensi sunt mortui, quorum liberè artus extēdi poterant; quod facilè potest explicari ob calorem, qui diu circa cor superesse potest, nam ad eum locum omnis spiritus, & calor corporis vniuersi in vitæ extremis conueniunt, ac retrahuntur.

Quòd autem de respiratione dictum est, idem intellige de arteriarum pulsu, æqua enim vtriusq; necessitas, ac neutrū ipsorum in totum perire possibile est, vt docet Galen. 1. de different. respir. cap. 8. donec animal viuit, licet ob paruitatem perijsse videatur. Hæc sunt, quæ in medicorum scholis decantari solent. Verùm ista difficultas paulo subtiliùs discutienda est.

Galen.

Nam quomodo medici respondebunt Atheis, qui contendunt homines absque respiratione viuere posse, quæ saltem arte medica deprehendi valeat. Quod forsitan de Enarcho dici posset, qui teste Plutarcho lib. de anima, pro mortuo à medicis habitus, & relictus, multo post ad vitam reuersus est, quem verè surrexisse crediderunt, quia ad testandam resurrectionem suam, Plutarcho, qui tunc laborabat, breuì eum incolumem fore prædixit, atque ita contigit, vt refert Fulgos. lib. 1. cap. 6.

Plutarc.

De reuiuiscentibus.

Fulgos.

Refert Valer. Max. lib. 1. cap. 8. Lamiam virum prætorium, vita functum rogo impositum, & flammis circundatum, exclamasse, se nō esse mortuum, tametsi resistentibus flammis fato subtrahi non potuit. Stupore dignum, si verum sit, quod Sabellicus refert lib. 10. cap. 8. de Asclepiade, qui hominem elatum ad funus restituit, & cum fortuna spōsionem fecit, ne medicus crederetur, si vnquam ægrotaret. Omitto interfectum à Titanibus, & ad vitam ab Iside patre reuocatum Orum filium, referente Diodoro Siculo; Glaucum mellito pharmaco, vel herba Draconitide, seu polyide præter omnium expectationem reualuisse, vnde natum prouerbium γλαῦκος πιὼν μέλι ἀνέστη; hæc inquam, & alia multa relinquo, vt ad difficultatis nodum accedam; an videlicet certum sit signum, quo nemo falli possit, & quo mortuum aliquem sine vlla deceptionis vmbra deprehēdere valeamus, adeout ne quidem Athei in aduersum mutire debeant, vel etiam possint, quod præsertim de mortuis intelligendum est, qui morbo apoplectico, vel simili detinebantur; nec enim mors ex alia infirmitate orta, ita in dubium reuocari solet.

Valer. Max.

Sabellicus.

Diodorus.

CAPVT XL.

CAPVT XL.

An detur in rerum natura ſignum infallibile, quo deprehendere poſſimus aliquem eſſe mortuum.

DVobus modis in hac quæſtione procedere poſſumus, vel tantùm phyſicæ principia vſurpantes, vel etiam metaphyſicis, ſeu tranſnaturalibus vtentes; naturalibus principiis abundè poſſumus Atheis ſatisfacere; ſed Catholicis, qui Deum & Angelos eſſe optimè, atque veriſſimè credunt, minimè, quandoquidem dicere poteſt Catholicus omnia mortis ſigna adeſſe poſſe, ſi Deus, vel angelus vitam in corpore ſeruare velit, quod à Deo fieri poſſe dubium non eſt, qui poſſet ſine præuijs, aut concomitantibus, vel etiam ſubſequentibus diſpoſitionibus animam in corpus infundere, & ei vnire. De Angelis verò non ita clarum eſt, qui in rebus corporeis poſſunt nihil, niſi priùs actiua paſſiuis applicent.

Quod tam de malis, quàm de bonis intelligas velim, dum ex ſola virtute naturali à Deo ſibi indita operantur, nec enim hîc agimus de virtute ſupernaturali, quam Deus bonis confert, aut vtriſque communicare poteſt. Itaque in Catholicorum gratiam de Angelis pauca ſubiungemus iuxta naturales facultates ſpectatis.

Cùm inter mortis ſigna certiſſima reſpirationis priuationem, aut pulſus arterialis abſentiam iuxta medicorum decreta conſtituerimus, idque optimè, cum vita ipſa in inſpiratione, atque reſpiratione poſita eſſe videatur, conſequens eſt, vt angeli, ſiue boni ſiue mali ſignum quodlibet vitæ impedire poſſint, ſi reſpirationis illius ſenſum ita ſupprimere valeant, vt neque prædictis medicorum probationibus, nec vllis alijs homini cognitis de vita cõſtet; nam quoties nullum vitæ ſignum in homine deprehendi poteſt, quid ſupereſt, quàm vt eum vita functum aſſeramus?

Sanè id angelicæ virtuti minimè repugnare videtur, vt impediat, quominus reſpiratio, quæ ſuam originem habet in præcordiis, vſque ad os, guttur, aut arterias prope brachij cutem, vel ſtomachi, aut alterius partis ſuperficiem perueniat, & tactus experientis ſenſum attingat. Quod ſola arteriarum cordi vicinarum obligatione, vel obturatione ſola fieri poterit: vt enim membra omnia motu atque ſenſu deſtituuntur, quando nerui à cerebro, atque ſpina medullari proficiſcentes aliquo humore craſſo nimis, & viſcoſo obturantur, quod eheu ſæpenimis contingit, ita reſpiratio impedietur, ſi arteriam obliges capitis initio, vel ea ſanguine, vel alio craſſiori humore oppleatur, & obturetur, adeout cordis influxus ad os, nares, brachium, ſtomachum, & alia membra peruenire nequeat.

Angelos poſſe impedire omnia ſigna vitæ.

Angeli verò arterias quibuſcunque humoribus infarcire, vel quibuſcunque vinculis, ea quæ voluerint parte, venas, neruos, arteriaſque obſtringere, calorem etiam ſpiritus anguſtiori ſpatio concluſi frigidiorem efficere, & per occultas partes corporis, vel per inſolitos meatus, atque poros euentilare, ne cor ipſum ſuffocetur, cuius etiam ſyſtolem, & diaſtolem vel minuere, vel forſitan impedire poterunt. Quibus peractis, quid obſecro reſiduum, quæue vitæ particula coget nos, vt eum hominem viuum eſſe credamus, ne dum mortuum?

Quo modo mihi certum eſt eueniſſe, quoties apud paganos aliquis à mortuis excitatus fuiſſe dicitur, tunc enim cacodæmon Dei veri ſimia maledictus omnia vitæ ſigna ſuſtulit, vita radicaliter in ſolo pœnè corde remanẽte, vt poſtea homines deciperet, & eos ad ſui cultum, honorem, & timorem pertraheret. Cuiuſmodi ſunt illæ ſuſcitationes, quas nuper ex prophanis autoribus retulimus, niſi potiùs exiſtimes illa omnia fabuloſa eſſe, quæ de reuiuiſcentibus paganis afferuntur; ſic enim ad fabulam referendum eſt, quod de Glauco ſuprà retulimus, de quo Clearchus l. 7. vitarum hæc habet. Cùm murem inſequeretur, in dolium mellis cecidit, atque ibi ſuffocatus eſt; quem vbi nuſpiã pater Minos inueniret, accepit reſponſum, hominem illum ſignificaturum, & filium in vitam reſtituturum, qui dixiſſet, cui rei ſimilis eſſet bos tricolor Minois, qui in agro paſcebatur. Polyidus fructui rubi ſimilem eſſe dixit. Minos ergo illum iuſſit ſibi filium indicare. At Polyidus ex arte diuinandi ſuffocatum eſſe inquit in dolio mellis. Clearchus.

Glauci ficta ſuſcitatio.

Cùm mortuus inuentus fuiſſet Glaucus, Polyidus cum illo in domum quandam includitur, vt illum vitæ reſtituat. Qui cùm ſerpentem ad cadauer properantem vidiſſet, volens illum irritare, vt ipſe ab eo necaretur, ſerpentem interfecit. Tum alius Draco ad mortuum ſerpentem accedens, herbam quandam attulit, qua tacta ſerpens reuixit. Hanc herbam captam Polyidus Glauco impoſuit, & ita in vitam reuocauit. Coëgit poſtea Minos Polyidũ artem quoque vaticinandi Glaucum docere, antequam in patriam Argos liberum dimitteret. Pulchra ſanè fabella, quæ digna eſt, quam ſtulti ad miraculum referant, de qua videri poteſt Natalis Comes 8 mythol. c. 5. Nat. Comes.

Simili modo Herculem viuæ coturnicis incenſæ nidore in vitam reſtitutum ait Athen. lib. 9. c. 15. Vnde natum Græcis prouerbium ὄρτυξ ἔσωσε Ἡρακλῆ ἀν κάρτερον i. Coturnix ſeruauit Herculem ſtrenuum; In qua fabella, vide amabo dæmonis induſtriam, qui hac ratione nouum Idololatriæ, & ſacrificij genus induxit, nam inde Phœnices Herculi coturnicem ſacrificarunt. Athen. Hercules an ſuſcitatus.

Omitto Alceſtem ab Hercule in vitam reuocatam, de qua Natalis l. 7. c. 1. Hippolytum ab Æſculapio ſuſcitatum, de quo Pauſanias in Corinthiacis. Vbi vide malitiam, & inuidiam Iouis præcipui Gentilium numinis, qui repertorem artis, qua homines in vitam reuocari poſſent, fulmine confecit, ſi Euripidi credamus in Alceſte. Quid de vetuſtiſſimo Marin homine, qui ter mortuus, ter reuixiſſe, & annos 124 vixiſſe dicitur? Quid de Thylone, & alio vi cuiuſdam herbæ reſtituto, quem Plin. l. 25. c. 2. commemorat; Quid de Palicis apud Macrob. l. 5. de Æſopo apud Cœlium Rodig. l. 15. An Alceſte. An Æſculapius. Marin. Plin. Macrob. Rodig.

c.26. de Aristea, quem animam, quoties voluit, resumere potuisse refert Plin. l.7. c. 51. quid denique de cæteris à morte reuocatis dicam, quos historiæ plurimæ, vel potiùs fabellæ referunt? nunquid esse fabellas, & crassa mendacia, quæ partim cacodæmonum illusiones, partim antiqui scientias physicas, & morales sub fabularum inuolucris, atque symbolis occultantes pepererunt, vt nullam fidem illis adhibere debeamus, vel possimus.

Facessant ergo huiuscemodi nugiuenduli, qui mendacia, vel hominum parœmias, & inuenta pro rebus veris, atque miraculis obtrudunt, sciantque dæmones ea ludicra reperisse, atque finxisse, ne quis ab eorum cultu sese substraheret, atque Deo, eiusque filio, & veritati palmam tribueret. Iam superest, vt Atheis satisfaciamus, qui neq; Deum, neque angelos, sed naturam solam agnoscunt, vel si eorum aliqui genios, seu dæmones admittunt, saltem Deum esse negant.

CAPVT XLI.

An aduersus Atheos probare possimus aliquem, exempli causa Lazarum, verè mortuum, & non tantùm aliquo morbo sopitum, & oppressum fuisse.

ATheos in duplici genere constituere possumus, vel enim genios quosdam inuisibiles admittunt, vel in solo naturæ ordine consistũt. De primis si quis agat, eos facilè conuincet, si dæmones asserant; ad quos nempe tantùm recurrũt, quia minimè possunt explicare omnia, quæ fiunt in rerum natura: Vel enim aliquem inter dæmones ordinem constituent, & aliquam vnius ab altero dependentiam, vel nullam: si quem ordinem fateantur, consequens est, vt aliquem admittant, qui dæmones inter se ordinauerit, & hunc primum, illum secundum esse voluerit, huic vnum officium, aliud alteri commiserit; quos si malos esse dixerint, bonos necessariò debent admittere, nam priùs res quælibet bona est, quam mala, quandoquidem malum aliud nihil est, quàm boni priùs habiti priuatio; Quòd si bonos angelos esse fateantur, ab aliquo esse debent, qui sit optimus, quem nos meritò Deum appellamus, quippequi dat omnia, & cui nihil deest, iuxta id Psaltis. *Dixi Domino Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.*

Qua ratione Deum esse conuincemus, qui solus inter mortuos liber homines suscitare potest: si nullum inter eos ordinem agnoscunt, sed eos omnes confundant, vt rem Atheis omnino confusis dignam facient, ita facilè conuincentur, nam vbi ἀταξία deprehenditur, & res confusæ sunt, priùs ordo erat, cùm confusio sit rerum antea pulchrè ordinatarum inordinatus concursus. Verùm vt ad propositam difficultatem propiùs accedamus, nec iam Deum esse aduersus Atheos conuincamus, quod iam toties factitatum est.

1. Conclusio. Dico primò vix probari posse aliquem esse mortuum aduersus eum, qui contenderit ex aduerso minimè mortuum esse, & aliquem angelum vitę signa impedire, nisi fortè corpus iam corrumperetur: Cuius rei possumus ex dictis rationem intelligere, quia nõ video ex quo capite repugnet, quominus id angelus exequatur, si Deus permiserit. Dixi, nisi fortè corrumperetur; tunc enim signum certissimum esse videtur, hominem, etiam faciente, quicquid potest, angelo, mortuum esse; licet quis non immeritò possit id in dubiũ reuocare, an corpus fœtere, & putrescere atque vermes ex omni parte cutis progignere valeat, etiam si virtute Angelica tenuis aurę vitalis particula in corde, vel alijs principibus partibus residua sit; Enimuero constat experientia non rarò crus, brachium, vel aliam partem corporis vlcere, gangrena, cãcro, & simili morbo infectam putrescere, fœtere, corrodi, depasci, & emori, quamuis anima in reliquis partibus supersit.

Quod autem fieri solet vi morbi naturalis, si dæmonis industria accedat, augeri poterit, & quod naturaliter in vno membro contingit, eius ope in toto corpore fieri poterit, quod etiam in multis euenisse legimus, qui vel morbo pediculari, vel simili periere. Ita iustus Iob se habebat, nec enim à planta pedis ad verticem erat in eo sanitas. Simile de Herode, atque Pilato referunt. Itaque fateor totum corpus, tametsi viuum, fœtere, & vlceribus onustũ ex omni parte corrodi, atq; corrũpi posse, cuius respirationem, sensum, & motum, ac proinde membrorum calorem, & colorem oculis aspicientium obuium, si potest angelus impedire, homines etiam sagacissimos decipere poterit.

An verò possit angelus illud efficere, & si valet, quãto tempore, neminem scire credo præter eum, qui animæ, vitæ, & omnium, quæ ad eius conseruationem absolutè requiruntur, sicut & angelicæ potestatis cognitionem perfectam assecutus est. Hinc fit, vt nulla ratio, nullus modus, nullum signum naturale nobis superesse videatur, quo demonstrare possimus, & sine vlla deceptionis vmbra cognoscere, vtrum aliquis mortuus sit, necne, si Deus angelicæ virtuti liberrimas habenas permiserit.

Dico secundò nullum omnino subesse deceptionis periculum in Lazari, & aliorum morte, quos 2. Conclusio.
vel Christus, vel apostoli, vel alij sancti à morte reuocarunt, & in vitam restituerunt; quia summa veritas eorum mortem asserit, vel historia tam certa, tantáque nubes testium, vt nullus, cui mica rationis insit, illud in dubium reuocare debeat. Adde quod illæ suscitationes in alicuius veritatis, virtutis, atque veræ religionis testimonium, vel ad maiorem Dei gloriam factæ sunt, de quibus neq; hostes infensissimi dubitare potuerunt, vt ex Euangelio constat; quapropter sicut religio vera est, sicut honor diuinus asserendus est, ita mortes illæ veræ esse debuerunt. Secus verò in fictitijs gentilium, vel hæreticorum suscitationibus, quibus vel nemo, vel pauci fidem adhibuerunt, permulti verò crediderunt esse fabulas.

Dico tertiò Deum Opt. Max. nunquam permis- 3.
surum, vt dæmon homines decipiat circa mortem alicuius,

alicuius, quem postea suscitare fingat ad eos à vera religione auertendos, vel in alicuius falsitatis testimonium: nisi fortè priùs isti homines dæmoni sese vouerint, Dei veri cultum, honorem, & gloriam contempserint, & abiecerint, & iusto Dei iudicio obcæcati, & indurati fuerint. Nam illud ad diuini numinis bonitatem, atque prouidentiam spectat, vt nihil dæmoni permittat, quo iusti, & qui fideles sunt, in errorem volentes nolentes abducantur: qui licet nullum vitæ signum antea deprehendissent in viuo, vbi tamen cacodæmon fallere voluerit, Deus fraudem aperiet; vel fideles diuina freti gratia satis conijcient ex motiuo, vel fine, & effectu resurrectionis apparentis, illic fraudem adesse, & dæmonis technas eò cautiùs esse cauendas, quò magis occultæ fuerint.

4. Dico 4 non peccare, qui hominem viuum sepelierint, vbi in eo omnia signa mortis iuxta prudentiam humanam deprehenderint, etenim hæc est actionum humanarum regula, vt is rectè fecisse dicatur, qui prudentiæ regulas secutus est, & in arte quapiam peritis credidit, alioquin certi vix esse possemus, dubioque semper angeremur, an bene, vel malè fecissemus, & perpetuo scrupulo, atque synderesi pulsaremur: Attamen morbi genus spectandum est, quo quis obierit, nec omnes statim mandandi sepulturæ, licet nulla sit regula nobis præscripta, nec vllum tempus certum assignatum, quod à morte expectare debeamus, ne fortè residuum quidpiam vitæ corpori superfit, quod vbi medicamentis quibusdam, aut aliquo tractu temporis excitatū fuerit, homo, qui censebatur mortuus, reuiuiscere videatur. Ratio est quia neque tenemur, neque possumus cognoscere, an dæmon arte sua vitam in corpore foueat, impediendo interim, ne respiratio deprehendatur; quòd si quando factum est, vt fortè contingit in suscitatis, quos historiæ prophanæ referunt, id tamen rarò contingit, nec ideo nostra iudicia, nostrasque actiones abrumpere debemus, quandoquidem non iussit Deus, vt illam dæmonum fraudem, aut angelorum operationem attenderemus, nec eam deprehendere possumus, neque recta ratio dictat, vt ex hac parte timeamus. Verùm hæc aduersus Atheos dicta sint, qui Angelos admitterent, quos facilè ad Dei confessionem adduceremus, vt patet ex dictis: & quicquid Angeli fecerint, id faciunt à Deo adiuti, à quo vim, & naturam acceperunt. Superest vt de Atheis agamus, qui præter hunc visibilem mundum nihil agnoscunt, quibus iam antea satisfecimus, & nunc addimus, quæ sequuntur.

5. Dico quintò certissimam esse mortem vbi nullus motus, nullus sensus, nulla respiratio percipi potest, etiam si applicueris, quæ priùs diximus: sic enim sentiunt non imperiti tantùm, sed etiam omnes medici: tametsi enim quibusdam narcoticis omnem sensum, & fortè respirationem aliquo tēpore adimere possimus, quod in Virgine quadam amasia contigisse legimus, quæ triduo sopita, & veluti mortua sepulturæ demandata est, quæ cùm ad se redijsset, & amasium, qui sibi, ob illius mortem violentas manus attulerat, mortuum vidisset, seipsam proci gladio interfecit: attamen cùm facilè animaduertere possimus, an quis istiusmodi narcoticis vsus fuerit, necne, & illud nequeamus suspicere in ijs, qui morbo laborant, qui nullo narcotico antea vsi fuère, inde fit, vt de eorum morte certiores fieri neque debeamus neque possimus, quàm si nullam in eis respirationem percipiamus, eosque expirasse viderimus.

Signum autem manifestius est, si iam fœtet cadauer prout iam Lazarus fœtebat, Euangelio teste, adeout nullus in dubium reuocare potuerit illum mortuum fuisse. Quod & de alijs dicendum est, quos vel Christus, vel apostoli suscitarunt: quos si tantū sopitos, & nōdū mortuos vidissēt, neq; reuera suscitassent, neq; à somno excitassēt: nō suscitassent, quia reuera non fuissent mortui, sed viui: non excitassent à torpore, & grauissimo sopore morti simili, ne risui postea fides, & Euangelium pateret, diceréque populus eos arcano quodam naturæ è somno grauissimo sopitos homines reuocasse, ad religionem suadendam quam annuntiabant.

Quod minimè satis fuisset, quandoquidem signa, quibus noua religio inducenda est aduersus antiquam idololatriam, aut hæresim, ea esse debere videntur, si vera sit religio, & fides, quæ annuntiatur, vt nemo similia facere posit vi naturæ, ne fortè contrariam religionem similibus signis persuadeat, & Deus sibi ipsi contrarius esse videatur.

Itaque vera resurrectio esse debuit, qua vel Lazarus, vel quilibet alius in veræ fidei testimonium in vitam restitutus est, ne quam vel fraudem, vel subreptionem pagani nobis obijciant, & omnino sint inexcusabiles, si fortè diuinis miraculorum signis credere noluerint. Hæc sunt, quæ de certitudine mortis in præsentia afferri possunt, & quæ ad mortuorum suscitationem spectare videntur. Dubium autem aliquod hinc nasci videtur, an viro Catholico liceat aliquo naturæ arcano quidpiam facere ad fidem suadendam, atque propagandam, quod eis miraculum videatur, quibus veritatem suadere conatur, vbi alioquin nō crederent, ideoque sequenti capite illud disquiremus, ne quem in rebus tanti momenti aberrare contingat, idque in gratiam Catholicorum, nec enim id Athei, sed solum aqualiculum curant.

CAPVT XLII.

An quis aliquod arcanum naturale per magiam naturalem ingerere possit, vt veram fidem propagare, & aliquos ad veram religionem adducere valeat.

Hypothesis rarissima affertur. VT hæc difficultas faciliùs percipiatur, hypothesim affero. Sint pagani, vel hæretici, quos ad religionem Catholicam adducere velis, vel impij Christiani, quos ad pietatem reuocare satagas, qui polliceantur se fidem, & pietatem amplexuros, si posis, quod eis de fide narras, aliquo miraculo comprobare, quæritur an arte magica naturali, qua polles, mirabile quodpiam efficere possis, vt eos conuertas; exempli causa magnetis animam, vt vocant, inueneris, adeout iam pyxidis

Has magnetis proprietates arbitror fictitias

nauticæ acum à mille passibus mouere possis, & illos longè absentes ea ratione alloqui, quod fiet, si literas in limbo pyxidis scriptas habeant, per quas tuo lapide moueas acum, & verba efformes, quæ illi percipiant. Vel gladium magnete candido tetigeris, quo vel tuam, vel alterius carnem sine vlla sanguinis emissione discindas, vel ne longiùs à suscepta materia recedamus, narcoticũ habeas, quo hominem veluti mortuum efficere possis, cuius virtus soporifera biduo, vel triduo plus minus vigeat, adeout si placet, fingere possis te eum suscitasse.

De narcoticis.

Quartimus an hominem ad eum statum redigere, vel iam antea redactum ab alio, casu, vel industria, ficta resurrectione ad vitam reuocare liceat, vt prædictos homines ad pietatem adducas. Id enim fieri potest, sunt enim pharmaca soporifera, quibus hominem ad tempus aliquod omni motu, atque sensu perceptibili priuare possis, quibus etiã ad tempus condictum sensum, atque motum restituere poteris, si hominis, & pharmaci virtutem agnoueris: quod si vel alicuius orationis, vel signi crucis applicatione facias, videntibus facilè suadebis id esse miraculum, & illos ab ipso Deo prouocari, vt suam impietatem, & infidelitatem deserant.

Sanè quæstio non est adeò facilis, enimuero cùm illud arcanum è sinu naturæ sit erutum, & omnia entia naturalia sint Dei creaturæ, cur non ad gloriam, & honorem Dei cooperabuntur, maximè cùm ad vtilitaté hominis omnia creata sint? Quòd si quis arcanum naturæ, quod nouit, promere tenetur, vt homini in extremis posito succurrat, & vitæ illius corporeç prouideat, quantomagis cùm vitæ spirituali succurrere possumus? Veruntamen cùm fides, quæ rebus omnibus creatis merè naturalibus antestare videtur, imo & honor diuinus inde lædi, minuique videatur, quatenus nullis ampliùs miraculis fides adhibebitur, vbi semel fraus deprehensa fuerit, & inde Gentiles concludere poterunt, tametsi perperam, fidem Catholicã non esse per se dignam, cui credi debeat, cùm ad eius conseruationem, vel propagationem mendacia, doliue afferantur, & falsa miracula fingantur, hinc fit vt illud minimè licitum esse concludi posse videatur. Quæ tribus conclusionibus soluenda sunt.

1. Conclusio.

Prima conclusio: quoties manifestum, aut dubium periculum inest, ne Dei honor, & gloria calumniæ subsit, & lædatur, vel minuatur, minimè licet arcanis naturæ pro miraculis vti, etiamsi plurimi inde conuertendi sunt, & ad pietatem, vel fidem adducẽdi, quia nihil est, cui diuina gloria præferri non debeat, & cætera contemptui habenda, vbi de gloria diuini numinis agitur: quapropter si conijcis illud arcanum posse detegi, & hinc miracula vera, quibus Christus, & apostoli fidem Catholicam suaserunt, contemnenda fore, illud arcanum relinquendum est: Ea propter viro Catholico in secretis naturalibus apprimè erudito, qui cũ gentilibus orientalium, vel occidentalium Indorum conuersaretur, non liceret arcanum pro miraculo ingerere, vt eos ab Idolorum erroribus, & prophana religione reuocaret, si hinc postea veris miraculis fidem abrogandam, vel diuinum honorem contemptui habitum iri præuideret: non enim bona facienda sunt, vt veniant mala, neq; mala facienda, aut bona malè peragenda, vt eueniant bona.

Grauis difficultas.

Grauior est difficultas, vbi nullum subest fidei periculum, & alioquin potes eam propagare, atq; ad veram religionem infideles adducere, sed alicui scrupulus tolli posse fortassis videbitur, si non asseras, quod per artem occultam facis, esse miraculum, nec enim necesse videtur, vt id dicas miraculum, quamuis etiam illud quodammodo sine mẽdacio posset affirmari, quatenus non minus illud admirantur, quàm si Deus solus id per se faceret, & miraculi nomen ad aliquod mirabile significandum sæpe traducitur, cuius populus causam ignorat, maximè quando res est insolita, & communem hominum vsum, atque scientiam superat: exempli gratia si quis vitreum cyathum ad terram allideret, & in mille partes fractum postea redintegraret; quod fortè naturali quodam arcano fieri potest: nec desunt, qui puro mastiche cum aqua vitæ, vel oui albugine, & calce permixto illud fœliciter tentent; attamen non eo sensu miraculum erit, quo Theologi loquũtur, quia non erit supra vires naturæ.

Hæc & similia naturæ miracula dicuntur.

Adde quòd illos instruere poteris, vbi veritati firmiùs adhæserint, te non illa miranda perfecisse, ac si fides diuina illis inniteretur, quæ etiã sine vllis signis, & portentis verissima est, & quam vnusquisque debet amplecti, vt pote diuini numinis infallibili authoritate firmatam, sed hinc solùm ansam arripuisse, vt ad ea illos adduceres, sine quibus æternæ morti destinati erant.

2. Conclusio.

Secunda conclusio. Probabile videri potest licere Catholico, vt mirabile quoddam exhibeat ad infideles ad fidem adducendos, si neque tunc, neq; postea vllum inde detrimẽtum inferatur proximo, neque subsit vllum periculum, vt diuinus honor, vel fides contemptui habeatur. Quid enim, inquiet aliquis repugnat? cùm nullum hîc intercedat mendacium, nulla fraus, dolus nullus, nisi bonus & pius qui non dolus, sed actus erit prudentiæ, & charitatis. Quod non tantùm de rebus mirabilibus faciendis, sed & futurorum prædictione intellige, prout illi primi nautæ, qui terram nouam detexerunt, infideles terrore prostrauerunt per eclipsis futuræ prædictionem, dicentes Deum illis infensum esse, nisi comitatum suum exciperent, eclipsi futura teste.

Quapropter si quis in terris fidelium degat, fas erit, si potest, de futuris cometis per Cometologiã, de varijs hominum inclinationibus, aut morbis futuris, vel vitæ longitudine, per Metoposcopiam, & Chyromantiam, aut Astrologiam iudiciariam nõnulla vera, si quæ vera nouerit, prædicere, si hinc fidem propagari posse iudicet, dummodo non alia præsagiat, quàm quæ hinc prædici posse Theologi fatentur. At hæc rarò contingere possunt, nec vnquam fortè, quis per istas naturales diuinationes proficere valebit: & satius est vti rationibus, quas Ecclesiæ partes aduersus infideles afferunt, inter quos D. Thomas in summa contra Gentiles rex esto.

Caue tamen ne cui potum exhibeas, aut narcoticum, vt eum sopitũ postea suscites, vel potiùs excites, ne cùm rediuiuum facere cogitas, mortuũ inuenias: vbi etiam tunc fides irrideretur: imo licet nulli contemptui pateret, nihil cum proximi detrimento tentare fas est: nec enim malum vllum faciendum est, vt eueniat bonum: Quamobrem id ad summum liceret in eo, qui iam merito, vel iniuriâ simile quidpiam exhibitum fuisset, vt in hysterica muliere, apoplectico, vel morbo quopiam simili

mili correpto, si eos aliqua arte posses curare, atq;
sensuum operationes restituere. Dixi in 2 conclu-
sione probabile videri posse, siquidem non desunt
Ratio rationes, quibus id probabile fieri posse videatur,
1. inter quas hæc principem locum obtinere videtur,
quòd omnibus creaturis pro viribus ad maiorem
Dei gloriam, & proximi vtilitatem, fideique Chri-
2. stianæ propagationem, & ad impios errores auer-
runcandos vti debemus, vel possumus, quòd in
3. hac hypothesi nullum omnino subsit fidei, vel ho-
noris diuini periculum; quòd illud sine mendacio,
& vllius damno fieri possit, quod omnes creaturæ,
4. & omnia artefacta Deum esse probent, ac proinde
ita fauere veritati, atque veracem esse, vt neq; de-
cipi, neque decipere valeat, & per consequens ali-
qua ratione probare poterunt religionem nostram
5. esse veram, cùm Deus ipse illam probauerit, & in-
stituerit, qui mentiri nequit. Quòd omnia diuinæ
incarnationis mysterio, & gloriæ Christi Domini
6. propagandæ seruire debeant, cùm omnia propter
7. eum facta esse videantur &c. quòd ipsæ cõciones,
rationes & verba, licet naturalia ad eum finem af-
ferantur: quòd illud nulla lege prohibeatur. Verũ-
tamen cùm non desint insignes Theologi, qui con-
trariam sententiam amplecti malint, & nisi ratio
grauis præsto sit.

3. Dicendum esse arbitror nulli vnquam licere mi-
Conclusio raculis huiuscemodi naturalibus vti, vt fidem Ca-
tholicam amplificet, & erroris tenebras ex impio-
rum mente discutiat.

I. Ratio est, quia Deus nullis arcanis, aut subtilita-
Ratio. tibus indiget, vt fides propagetur, quæ cùm sit om-
nino tam quoad substantiam, quàm modum super-
naturalis, illius maiorem curam habet, adeout mi-
nimè tentare debeas modos illos naturalium mi-
raculorum extraordinarios, cùm Deus nunquam
illos in eum finem instituerit, aut aliunde probarit.

2. Deinde cùm fides totius naturæ vim longissimè
superet, eiusdem ordinis medijs propagari debet,
qualia non sunt illa miranda, quæ magia naturalis
exhibet. Omitto periculum, ne quis postea depre-
3. hendat se deceptum fuisse, atque adeò totam reli-
gionem fucatam, & eiusdem cum illis fictitijs mi-
raculis rationis esse putet, & eam expuat. Denique
4. tametsi Catholicus minimè significaret arcanum
illud naturale esse miraculum, sed tantùm pagano
diceret: Vis nostram hanc fidem amplecti, si hoc &
illud facere possim, vel si Deus, quem tibi annun-
tio, hoc, & illud fecerit; attamen cum rem suadere
velit, quæ vires naturæ prætergreditur, hoc ipso,
quod medijs illis vtetur, Atheus, vel paganus, vel
impius censere poterit illa arcana, quæ miraculi
speciem exhibent, eiusdem esse rationis cum ipsa
fide, quod falsum est & ita decipietur.

His ergo nunquam vtendum est, vt fidem amplifices, sed vbi hæc occurrunt, & quidam ad fidẽ rationibus adduci nequeunt, quas in eum finem Deus afferri voluit, tunc totum negotium prouidentiæ diuinæ committendum, & ad preces, ieiunia, cæteràque bona opera recurrendum est, vt ipse Deus lumine fidei, suisque diuinis inspirationibus paganæ, & impiæ mentis caliginem detergat, & cimmerias infidelitatis tenebras expellat. Nec enim alio modo fidem propagare teneris. Minimè tamen vetò, quominus arcanis prædictis, vt mechanicorum horologiorum exhibitione, cæterisque huiusmodi te in Atheorum familiaritatem insinues, & paganos paulo reddas humaniores, sic enim paulatim eos ad diuini numinis cognitionem atque venerationem adduces, eosque tandem Euangelij rete comprehendere poteris. Aduertendum est autem moraliter loquendo, vix periculum abesse posse, ne fides irrideatur, si quando mirabile quodpiam instar veri miraculi in religionis testimonium exhibeas: enimuero quamlibet impietatem agyrtæ, & magi ea ratione propagare valerent. Supponamus enim aliquem Magellanicum per aliquod mirabile ex magia naturali ad fidem Catholicam adductum fuisse, ad quem aliquo postea tempore Turca, vel hæreticus, vel Iudæus accedat qui in impietatis suæ castra illũ per alicuius mirabilis primo similis, vel per aliud quodpiam adducere velit, profectò Magellanus ille concludere poterit vtrosque tam Catholicum, quàm Iudæum, vel Turcam impostores esse, nec vllis fidem habendam arbitrabitur, & fortè Deum ipsum esse negabit, dum existimabit cultum omnem diuini numinis præstigijs quibusdam inniti, vnde concludet omnia, quæ de Deo feruntur, pro fabellis habenda, prout iam Athei præ omnibus detestãdi effutiunt. Eapropter mors quæpiam obeunda potiùs, quàm vt arcanis tuis fidem, & religionem Catholicam, vel Dei gloriam, & honorem in vllum discrimen adducas.

Nec rationes ab ijs allatæ, qui secundæ conclusioni faueant, tanti sunt ponderis, atque momenti, vt vllum negotium nobis facessere possint, quandoquidem omnes collabascunt, vbi videmus Christum Dominum nunquam, sicut neque apostolos, & alios sanctos id genus arcanis ad fidem propagandam, vel extirpanda vitia vsos fuisse, neque ea probasse. Tametsi verò creaturis omnibus ad maiorem Dei gloriam vti possimus, nusquam tamen, nisi ordine seruato, quem Deus ipse constituit, & rebus ipsis indidit: sic enim ipsas conciones, atque adeò verba, & morum exempla ad gentilium conuersionem aptauit, non autem arcana. Adde quod vix à mendacio illa actio vindicari possit, qua Catholicus per arcanum, seu miraculum naturale, vel mirabile religionem nostram probaret; licet enim per illud arcanum nõ intelligeret miraculum propriè dictum, paganus tamen eo modo illud intelligeret, alioquin enim illam religionem amplecti nollet. Denique hic non ita propriè fidelis appellari posset, quippequi non inniteretur fidei ob reuelationem diuinam, sed ob arcanum naturale, cuius causam vbi deprehenderet, tunc illius respectu non ampliùs arcanum, neque mirabile, vel miraculum esset, atque adeò pereunte fidei fundamento illa periret.

At de arcanis illis hactenus, ex quibus plura facilè concludas. Superest, vt paucula de prædictorum morborum facili curatione subiungamus.

Placet autem facile remedium præscribere, quo prædictos morbos expellere possis, qui ex crassis humoribus neruos, & cellulas cerebri obsidentibus, vel ex vuluæ strangulatione tetros spiritus ad caput emittente sæpius oriri solent, & quo iam ferè mortuos reuocare possis ad vitam. Vbi nullum ampliùs motum, vel sensum adesse conspicis, rade caput infirmi, eiusque vertici, aut toti capiti columbam, gallinam, aut catellum sequenti ratione applica: viuum animal per medium in longum abscinde, & vbi calore feruet, infirmi capiti admoue, illudque linteo calido, vel panno obuoluas, vt animalis calor diutiùs seruetur, atque clauem, vel aliquid aliud inter dentes illius colloca, ne iungatur, cumque ita colloca in strato, vt firmius stet, neque

Facilia remedia quibus hystericæ, mulieres, & conuulsione pœnè mortuæ reuocari possunt.

nutet; sæpius enim spasmo, vel conuulsione, vel vteri suffocatione hac ratione liberabis infirmos, tametsi eos medici deseruerint, & de vita desperarint, apertéque desperatam conclamarint, & iam infirmi trium dierum spatio sensu destituti fuerint.

Quod si viuum animal subitò reperire nequeas, poteris vti sinapi & vino, vel aqua ardenti simul permixtis, vel etiam aceto, quod vi sua attenuante sinapis calorem iuuare poterit: nescio si aqua forti, seu separationis quis vti posset, quæ citiùs crassos humores, attenuare, & resoluere, vel calorem excitare queat, at non sine periculo; nec ita fortè naturali calori hominis amica est, ac ardens, vt vinum. Verùm medici viderint, quid de his rebus sentiendum sit, & an in illis infirmitatibus plumbum, aurum, aut metallum liquefactum capitis vertici infundi posset. Nec enim in præsenti hæc omnia discutienda suscepi.

Tantùm monebo prædicta pharmaca, vel potiùs idiotarum remedia non statim effectum sortiri, sed plures horas 6, vel 10, vel 12 plus minus expectandas esse. Sunt qui nudum corpus illis morbis obsitum linteo circundent, & in aëre vehementer exagitent, vt spiritus pene deletos, & suffocatos reuocent.

Ex dictis hactenus constat, quando quis mortem cum vita commutarit, nec de morte dubiū est in alijs, qui febre, pleuritide, peripnemonia, & infinitis prope morbis obsiti, vel senectute, aut gladio confecti, mortui sunt; & vix inter mortuorum milliones centum vnum deprehendes, qui te decipiat, & adhuc viuus sit, vbi mortuus existimatur, si prædicta signa admoueris, & arteriam pulsatilem, vel locum cordi vicinum tetigeris, quod semper diastolem atque systolem exercet, quandiu viuum est. Nullū verò legimus, qui se corpus aliquod hominis pro mortuo habitum, & iam sepulturæ mādatum, atq; fœtens vidisse referat, quod tamen reuera nondum mortuum fuerit, vt iam Lazari resurrectio extra omnem Atheorum calumniam longissimè posita sit, tum quia iam fœtebat, tum quia quatriduanus erat.

Omitto plurimos à sanctis suscitatos non tantùm post triduum, & quatriduum, sed post menses & annos, vt verissimum sit, quod Christus promiserat Ioan. 14. v. 12. *Amen, Amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet.* Cùm autem adeo fusè de signis, quib' aliquis mortuusne sit, an viuus dignoscitur, hucusque disseruerimus, placet nonnulla subiungere de narcoticis, seu soporiferis, quæ nobis tantum aliquando soporem conciliant, vt mortuis similes esse videamur. Ioan. 14.

CAPVT XLIII.

De Narcoticis, quibus sopor altissimus morti similis inducitur.

SÆpe medici vtuntur opio, cùm aliquem somnum phreneticis, vel soporem conciliare volūt: fatentur tamen se non ita soporiferum vnguētum, aut potum temperare posse, vt per tres dies vel à somno non excitentur, vel mortuis similes iaceāt; quorum aliqui negant soporem vltra 40 horas induci posse, nisi cum euidēti mortis periculo, quod auertere nequeunt: hinc fit, vt ad 40 horarum soporem opij drachmam dimidiam: ad 4 horarum somnum 3, vel 4 grana præbenda statuant. Ex quibus facile concluditur, quot grana ad 12, 20, plures, paucioresue horas necessaria sint. Nec obstat quòd mulieres hystericæ diuturniore sopore laborent, quo durante more animalium αζεῶν per ἄδηλον διαπνοήν. i. insensilem transpirationem viuunt, quod tamen pulsu, languido quidem, non tamen extincto, sopito, & profundo, non mortuo percipitur: etenim multa vi naturæ, & membrorum internorum commotione, alteratione, atque deprauatione fiunt, quæ medici non possunt pharmacis quibuscunque ad id comparatis imitari. Quis enim polliceatur se narcoticum aliquod præbiturum, quo aliquis sopore quatriduano, vel octiduano detineatur? cùm tamen illud aliquando per aliquem morbum contingere possit.

De narcoticis. Papauer autem, hyoscyamum, methellam nucem, mandragoram & cætera, quæ tertio, magis verò quarto refrigerant, vt cicutam, inducere soporem non est, qui negare possit, quod tamen à frigore solo promanare non videtur, etenim semperuiuum maius licet alterco frigidius, minimè tamē

Fernel. partem vllam admotum stupefacit. Oleum narcoticum illud reddi Fernel. l. 6. methodi medendi c. 5. refert, in quo viua torpedo extincta fuerit, & maiores vires opio tribuit, cùm ei papauer album, & nigrum, imo & meconium postponat. Quod propterea tantùm admouēdum ait in ardore summo, & intolerabili cruciatu cum exquisito sensu; quodue nisi moderatum, & correctum fuerit, periculi plenum existit, deuoratum enim mortiferum est: oculis admotum caliginem, & rugas inducit, surdastrásque reddit aures, & partes omnes ad motum sensúmque torpidiores factas excrementis tandem opprimit.

In narcoticis autem compositionibus philonium Romanum, pillulas è cynoglosso, oleum hyoscyami, papaueris, & mandragoræ, in quibus etiam opij nonnihil diluatur, præferunt; qui si necessitate coacti præbent opium, castorio, myrrha, & croco illud corrigunt: vide Trochiscos à Fern. compositos. Baptista Porta 2. magiæ natur. anno 1560 Antuerpiæ excussæ c. 20. 4 medicamenta somnum conciliantia refert. Capite verò 26. ait se in lamia expertum fuisse, quod sequitur. *Incidit mihi in manus vetula quadam ex earum numero, quas striges à strigis auis nocturnæ similitudine nuncupant, quæq; noctu puerulorum sanguinem è cunis absorbent, quæ sponte pollicita est de breuis mihi temporis spatio allaturam responsa. Iubet omnes foras egredi, qui mecum erant acciti testes: spolijs nudata totam se vnguento quodam valde perfricuit, nobis è porta rimulis conspicua: sic soporiferorum vi succorum cecidit, profundóque occubuit somno: fores ipsi patefacimus, multum vapulat, tantáque vis soporis fuit, vt sensum eriperet; ad locum foras redimus: iam medela vires fatiscunt, flaccescuntque à somno seuocata, multa incipit fari deliria, se maria, montésque* Bapt. Porta.

montésque transmeasse, falsáque deprehens responsa, negamus: instat, liuorem ostendimus, pertinaciter resistit magis.

Horribile lagarum vnguẽtum. Vbi horribile refert vnguentum, quod à lamijs accepit, quod ex puerorum pinguedine in aheneo vase decocto & eleoselino, aconito, fuligine, & populneis frondibus: vel ex sio, acoro, pentaphyllo, sanguine vespertilionis, solano somnifero, & oleo conficiunt. Vuierus autem lib. 3. de lamijs cap. 17. proponit oleum, quo profundus, atque longus somnus induci possit, ex semine lolij, hyoscіami, cicutæ, papaueris rubei, & nigri, lactucæ, portulacæ ana part. 4. baccarum solani somnifici part. 1, quibus miscendum arbitratur vnum opij Thebaici scrupulum: cuius postea si scrupulum vnum, vel vnum cum dimidio sumpseris, duorum dierum somnus consequetur.

Vuierus.

Narcoticũ insigne.

Iactat verò liquorem, cuius guttæ quot fuerint, tot horas somnij conciliaturæ sint, sed illum reticet: succum autem ex hyosciami radicibus extractum laudat, sicut & lolium, fabam inuersam, solanum furiosum somnificum, & nympheam: narratque trituratores quosdam ob panem confectum ex secali, & lolio, quo alebantur in amentiã tametsi leuem, atque postea in vertiginem omnes, & in profundum longúmque, somnum incidisse: puerum autem profundo somno per 24 horarum spatium sopitum fuisse ob baccas solani maioris decerptas, atque deuoratas. Omitto Turcas opio, solano furioso gelotophyllide, heiranluc, & theangelide vtentes, aliáque plurima, tum quia nonnullæ de his ad versic. 21. capit. 1. dicentur, tum quia aliàs sermo de iisdem recurrere poterit. Quæ tamen minimè faciunt, vt à nostra sententia discedamus, nempe vi medicamentorum non posse tantum soporem induci, vt id nemo deprehendere valeat, viuus sit an mortuus, qui somno, vel sopore, quantumcúmq; profundo opprimitur. Enimuero si pulsum accuratiùs contrectarit, vel ad locum cordis manum applicet, aut signis antea relatis quispiam vti voluerit, vel calorem, vel motum, vel respirationem aliquam deprehendet.

Quibus narcoticis Turcę vtã-tur.

Quare De⁹ miracula faciat. Cum autem plurima de miraculis hactenus attulerimus, placet hîc pauca subiungere, quæ doceant ob quam rationem miracula fiant. Primò
1. quidem Deus miracula facit, vt suam præsentiam, atque prouidentiam mortalibus aperiat, ne ipsa consuetudine oculorum quodammodo occæcati inducant in animum Deo non esse opus, sed omnia naturæ quodam impulsu fieri: licet enim tanti cælorum motus, & astrorum fulgores, licet totus mundus Deum esse prædicet, illa tamen pauci considerant, & consuetudine vilescunt, idéoque fuit opus, vt per opera quædam naturæ vires, & ordinem superantia Deus suam præsentiam declararet, vt his insuetis homines excitati numen diuinum colerent. Secundò vt in aliis fidei capitibus 2.
confirmemur nec omni vento doctrinæ feramur, sed omni dubitatione penitus absterfa illis cum debita reuerentia vtamur: eapropter mediante Eucharistia, Baptismo, & aliis Sacramentis miracula plurima facta certissimæ historiæ docent, vt intelligamus, qua reuerentia res fidei habendæ sint.
Tertiò vt eorum vitam, & opera commendent, 3.
per quos huiuscemodi miracula perficit, & ea ratione sanctos honoret, qui propterea maximo ab omnibus honore afficiuntur, & tanquam filij Dei charissimi diliguntur. Quartò vt per beneficia cor- 4.
poralia, quæ speramus obtinere, ad pœnitentiam, & vitæ sanctitatem excitemur, plurimi siquidem post visa miracula vitam emendant, & salutem æternam consequuntur, qui alioquin perituri erãt. Quintò per miracula omnes ad laudem numinis diuini, ad gratiarum actionem, gaudium spiritua- 5.
le, & reuerentiam excitantur, & spem ad futuri auxilij in afflictione concipiunt. Ex quibus reliqua bona possunt elici, quæ ex miraculis contingere solent.

Plurima hîc miracula referre possem tam quæ in scripturis sacris, quàm quæ in authoribus probatissimis sacris, & profanis habentur, vt diuinum numen esse probaremus, verùm ea palam sunt omnibus, & vix sacrum codicem aperire possis, quin miraculum aliquod obiiciatur. Deinde totum mundum maximũ esse miraculum arbitror, quippe qui à se ipso fieri non potuit, sed productus est ex nihilo, vt iam nullo alio argumento, vel ratione vllus Atheus indigeat, si crassissimum errorem abstergere velit, statim enim atq; necessitatem creationis accuratiùs perspexerit, numen diuinum esse fatebitur, quod faxit Deus Opt. Max. Iam verò ad vltimum huiusce 25 obiectionis caput accedamus, & impietatem Paracelsicam retundamus.

CAPVT XLIV.

Calor putredine mixtus, aut quodlibet aliud præter Deum causa resurrectionis esse nequit aduersus Paracelsum.

Paracelsus contendit nõn esse difficilius, vt quis suscitetur, quam vt ex limo virtute solis vermis, culex, rana, aut quidpiam simile nascatur, cùm ex calore putredini mixto aliquem reuiuiscere posse existimat; Miror tamen hominis impudentiam, & eorum facilitatem, qui peruersam illius doctrinam secuti sunt, cùm ne micam quidem veritatis habeat, vt constat ex eius nutantibus fundamentis; In Paramiro enim, & alibi sæpe tres partes in homine collocat, elementalem, cœlestem, & diuinam, quarum duæ primæ nunquam in paradisum venturæ sint, quas ex Mercurio, sale, & sulphure conflatas ait: vltimam partem vult ad Deum redire à quo discessit, quæ neque ex limbo procedat, neq; medico subiecta sit. Alia multa blasphema tradit, quę beatissimam Virginem: ipsúmque Christum eius filium spectant, quæ nunc omitto, quia parum, vel nihil ad rem faciunt.

Totum autẽ negotiũ accuratiùs expendamus, vt

ne quidem vmbra veritatis in Paracelsi doctrina inesse videatur. Prophanus ille nebulo artem se tenere sceleratè mentitur, qua veros homines absq; opera maris, & fœminæ, creet ministerio industrij artificis Chimici: ipsã belluã sua verba grunnientem audiamus. *Dubitatum fuit à philosophis*, (inquit) *num fieri posset, vt extra vterum muliebrem homo nasceretur, ad quod ego respondeo, arti Chemiæ, ac naturæ id non repugnare, sed perfacile esse. Dampra in cucurbitula conclusa, vel lutata in equino ventre per dies 50 putrefactione summa putrefiat, dum moueatur, quod facile est cernere. Post id temporis similis quodammodo fiet Onechstnemu: attamen citra corpus pellucida. Hanc deinceps si humano sanguine quotidie prudenter cibes, seu alas, & in æquabili ventris equini calore conserues, ac foueas, membris omnibus ornata in star infantis ex muliere nati apparebit, minor tamen quantitate. Hanc nos rem homunculum appellamus, qui postmodum tanquam verus puer, seu infans accurata solicitudine, ac diligentia educari debet, dum adoleuerit. Hoc ex summis miraculis vnum est, adeóque arcanorum omnium secretum maximum, quod tamen Pygmæis & gigantibus item olim cognitum fuit, vt qui originem hinc acceperint.* Addit eos qui ita nati sunt omnia arcana & abscondita intelligere, quæ alios homines scire impossibile est, *quia arte vitam, corpus, carnem, & ossa acquisierunt, idcirco ipsis artes, & scientiæ connascuntur, nec aliunde discere opus habent.* Hactenus Germani monstri verba.

Dampra.

Onechstnemu.

Hunc Paracelsi homunculum eundẽ esse existimo, cum diabolis, qui se ad instar infãtium ali curant, quos aliqui *Mens de Giorre* vocant.

Quid obsecro huic tenebrioni reponemus? verbera sanè potius, si præsens adesset, quàm verba; proh Deum immortalem, vnde fit vt humana mens tot, & tanta portenta concipiat? ergóne putas, mage, ventrem equinum omnes scientias comprehendere, cùm ita formatus homo omnia nouerit; quàm igitur malè nobiscum egit Deus, cùm nos ex viro, & fœmina nasci voluit, vt ignari, & vecordes nasceremur: nunquid tu forsitan ex equino ventre natus es? sed nunquid pro patre Diabolum agnoscis? enimuero verba tartarea profers, quæ ab orco reuocasse videris. Verùm cum eo rationibus agamus, si tamen non est expers rationis.

Non quæro quid sit tua barbara, & efficta Dampra, quid Onechstnemu, sed ostendo clarè nullam esse in toto mundo materiam, quæ sine patre, atque matre in hominem conuerti valeat, non tantùm quia anima rationalis seu humana immortalis est, quæ à Deo solo pendet, sed etiam quia corpus hominis tale est, vt alia via formari nequeat.

Vt enim ex semine leonis nunquam asinus, bos, ouis, aut aliud animal nasci potest, ita homo ex nulla alia materia, præterquam ex semine paterno nasci valet; Dices fortè Paracelsum per Damprã semen patris intelligere, per Onechstnemu embryonem, qui formetur in lagena: Sic enim refert Tostatus ad paradoxum illud, *Vas mirabile*, ænigmate. 1. §. 5. Arnaldum de Villanoua suscepto semine masculino in vase affabrè facto conseruasse illud per aliquot dies adiunctis quibusdam speciebus transmutatiuis ad virtutem formatiuam in semine decisam confortandam, & factis subinde successu plurium dierum variis transformationibus corpus humanum ita formatum apparuisse, non tamen perfectè organicum, non enim est ausus diutiùs rei euentum præstolari, sed fracto vase abiecit corpusculum, ne Deum tentare videretur, considerans nimirum vtrum Deus corpori sic formato animam rationalem infunderet.

Tostat.

Arnaldi experimentũ.

Verùm quicquid sit de Arnaldi experientia, quam meritò suspectam habere possumus, cùm plurima suis in operibus sparserit, quæ omnino ridicula sunt, certum est mihi semen humanum nulla ratione posse in aliquod vas transferri, quin statim vim suam generandi deperdat, præterquam in vas generandæ proli destinatum: virtus enim illa tam citò deperit, vt multi liberos procreare nequeant, vel quia neruum breuiorem habent, adeout semen ad matricis fundum eiaculari non possit, antequam seminales spiritus effluant, vel longiorem, vt in ipso canali semen calorem necessarium, & virtutem prolificam amittat: quæ duo sterilitatis causam ex parte viri afferunt.

Video tamen aliquos, qui mihi non paruum negotium facessant obiectione dæmonum, quos fere omnes succubos, & incubos esse, ac prolem mediante semine aliunde translato generare posse asserunt; quibus iure meo respondere possem eos ad dæmones recurrere non debere, quia nullos admittunt Athei, contra quos agimus. Deinde id cacodæmonum virtuti denegare possem, cùm non desint Theologi, qui illud abnuant. Denique tametsi concederem alio modo, quàm viri & mulieris coniunctione hominem gigni posse, tantum abest, vt resurrectionem via naturali fieri posse concedam, enimuero solius est potentiæ diuinæ, vt superiùs ostensum est, mortuos vitæ restituere: vnde rationes poteris repetere, quas hîc applices.

De succubis, & incubis.

Tametsi verò quis à dæmonibus modum aliquem didicisset, quo vtrem aliquem, vel lagenam hoc & illo calore foueret, vt ibi semen conseruaretur cum sua vi prolifica, nihil tamen progigneret, quia neque viri, neque fœminæ semen ad fœtum efformandum sufficit, est enim minimum quid respectu machinæ corporeæ efformandæ. At respondebis dæmonem posse maternum sanguinem ad lagenam, vel vtrem transferre, quo fœtus efformetur, atque crescat: esto: nihil tamen proderit: quandoquidem existimo non posse dæmones vlli vasi externo proprium calorem conciliare, qui ad semen, & sanguinem debitè calefaciendum requiritur, enimuero debet oriri ab aliquo principio vitæ continuo, vel contiguo: eapropter nego dæmones ex semine humano extra vas muliebre posito hominem generare posse, nec enim dæmon succubæ mulieris vices supplere potest, quamuis fortè succubi viri partes explere valeat, si tamen alicuius viri semen ad mulierem absentem transferre possit fœcundis spiritibus seruatis; quod alibi disquiremus. Ex quibus omnibus manifestè patet resurrectionem in illam Paracelsicam mucilaginem, atque putredinem minimè referri posse.

Cum igitur nulla sit causa naturalis, imo neque supernaturalis, (si solos angelos naturali virtute operantes intelligas nomine causæ supernaturalis) in quam vera hominis resurrectio referri possit, certum est & clarissimum ex ea Deum probari. Quod si verissimas historias negare velint, ad earum veritatem concedẽdam iisdem vtere rationibus, quibus probatum est veras esse angelorum apparitiones.

Nolim

Nolim hîc ire per omnia opera Magiæ, vt exploremus, an aliquid possit in mortuos, nam satis illud ex eo constat, quòd neque Magiæ authores vllum hominem mortuum, imo neque muscam in vitam pristinam restituere valeant.

Aduerte autē fortè Paracelsum prædictis resurrectionis terminis, & miraculosis, vt ita loquar, verbis vsum fuisse, vt Alchymiæ opera, & arcana occultaret, id enim huiuscemodi nebulonibus frequentissimum est, vt ijsdem verbis in suis arcanis inter se referandis vtantur, quæ in rebus sacris, atque diuinis mysterijs vsurpare solemus, ac si cacodæmonem in omnibus imitari, atque referre vellent, qui rebus quibusque sanctissimis abutitur, vt diuinos honores sibi arrogare, & cultum diuinum, quo Deum veneramur, in se transferre possit. Verùm quicquid sit de Paracelsi sensu, & intentione, satis fuit, vt eum iuxta illius verba reprehenderemus, cùm Athei in eum sensum, quem confutauimus, illius textum referant.

Impietas Alchymistarum.

Illi verò grauissimo supplicio affici debent, qui mysteriorum diuinorum verbis vtuntur, imo abutuntur, vt illa chymiæ artificia, vel alia quædam arcana, licet sæpius arcana non sint, sed omnibus peruia, illa inquam suo saltem iudicio arcana occultent. Enimuero cui bono illa verba portentosa? si nolint arcanum reserare, cur de eo quidpiam scribunt? nunquid vt sint causa, cur plurimi in ijs verbis perscrutandis tempus frustra terant? qui alioquin suam operam in Reipub. bonum impenderent, vbi penitus fucorum instar sunt inutiles, & fruges consumere nati. Nunquid vt mysteria diuina ridicula, atque fabulosa, vel tantùm allegorico sensu intelligenda paulatim insinuent, atque persuadeant?

Væ nebulonibus istis, quorum collo vtinam mola suspéderetur, & in Oceani profundum mergerentur, ne tantarum impietatum proseminatores plurimos homines ab antiqua Ecclesiæ fide, atque sanctitate reuocarent. Quid obsecro magis impium esse potest, quàm vt omnia mysterij Incarnationis verba chymicis operibus explicandis inseruiant, & tanta sacramenta ad res profanas transferantur? Viderint reges, principes, duces, & regnorum proceres, quibus impietatem è ditionibus suis tollere incumbit, ne supplicijs æternis addicantur, qui tantum venenum in suis regnis ita liberè serpere vident, neque tamen istius hydræ caput vllum abscindunt, quos rex regum virga ferrea confringet, & ipsis regnis tametsi florentissimis spoliabit; nisi pro viribus tantæ impietati occurrerint, seque fortiter opposuerint. Nunquid enim facilè perspiciūt ciniflones illos chymistas nō esse contentos, quòd omnia bona sua sufflauerint, & aurum in fumum conuerterint, nisi postea cultum ipsum diuinum pro viribus exsufflauerint, & omnia, quæcunque ad fidem diuinam attinent, ad instar pulueris sui proiectitij, lapidis philosophici, & auri potabilis in sola quorundam hominum, vtpote Christianorum imaginatione subsistere suadeant. Vtinam id seriò perspiciant, qui regum, & principum aulas frequentant, eisque consilia ex officio suggerere solent, atque debent, præsertim verò qui de eorum æterna salute satagunt. Enimuero si Deus reges Israël tantis pœnis affecit, quod idola non destruerent, nec è regno pellerent idolomaniam, cùm nunc sit idem iustissimus Deus, eodem modo reges puniet, quos si nullis supplicijs hîc afficiat, æternis breuî cruciabit.

Reges, & principes carpuntur.

Aduersus eos qui artium arcana perpetuo silentio sepeliūt.

Est etiam quod me vehementer commoueat, & nescio quibus ingenijs, melancholica dicam, an superba, vel stulta, & insana nescio, me reddat infensissimum, qui cùm arcana quædam ad aliquam artem pertinentia nouerint, nulla ratione ea reserare volunt, sed cum ijs sepeliuntur, ne vel tantillum Reip. prosint, quos sanè Respublicæ veluti monstra, & membra putrida exscindere deberent. Ad quid enim tibi Deus vires ingenij administrauit, vt plurima quotidie magna solertia inuestigares, nisi vt inuenta cęteris communicares, & Rempub. in qua degis, iuuares? nisi vt iis ad maiorem Dei gloriam vtereris? Qua ratione scientiæ, & artes, quę potiùs in dies obliterantur, & dispereunt, quàm vt illustrentur, breuî progredi, & ad colophonem perduci possent. Profectò diuinum numen demiror, quod istiusmodi tenebriones non spoliet omni cognitione, cùm illos adeo malè his artibus vti videt, quas eis communicauit; verùm eos ignibus æternis reseruat, nisi resipiscant, quos propterea moneo, ne diutiùs sibi tantum arrogent, néue verbis sacris ita abutantur, & suis nugis accommodent. At de his forsitan alibi fusiùs, tempus enim est, vt coronidem huic obiectioni affingamus.

Hactenus igitur de resurrectione dictum est. Neque verbum huic aduersus Atheos quæstioni censerem adhibendum, nisi eis omni ex parte satisfacere cuperem, eosque ad veritatis iter, & ad numen diuinum reuocare desiderarem; ideoque sequentem obiectionem affero, quæ fusissimæ quæstioni finem imponat, in qua non pauca includuntur, quæ malitiam, ignorantiam, & hæresim sapere videntur, licet Atheismum in stultorum imaginatione generare possint.

OBIECTIO XXVI, eáque vltima.

Sumitur ex multis capitibus falsis, impijs, stultis, & hæreticis.

CVm dubiolis sequentibus nonnullorum animos concuti deprehenderim, adeout ob erroneas, quas de rebus fidei opiniones habent, Atheorum se catalogo adscribi velint, illis præsens remedium afferre operæ pretium duxi. His igitur dubiis, vel ratiunculis ad scopulos infidelitatis alliduntur, qui societates peruersorum hominum frequentant, quorum exemplo fidem, atque mores suos euertunt.

Cum Deus omnia nouerit, & ab æterno sciat, quis salutem consecuturus, quisue tartareis ignibus addicendus sit, ille nequit ab æterna salute decidere, neque hic ad cœlestem Ithacam pertingere, faceret enim vteruis contra infallibilem numinis diuini scientiam. Deinde si hæc Catholicorum doctrina de Dei scientia vera 1.
2.

fit, & tamen contendas vnumquemque salutis, vel
perditionis capacem esse, quomodo is, quem Deus
æternis supplicijs afficiendum nouit, se gerere de-
bet, vt gloriæ fiat particeps, quóue quis ingenio
pollere debet, vt duo hæc non implicare intelli-
3. gat. Est & aliud, quod me torquet, inquit Atheus,
qua nempe ratione D. Athanasij symbolum intel-
ligendum sit, quod ait esse credendum in Trinita-
te tres personas ita inter se distinctas esse realiter,
vt tamen cum essentia diuina penitus identificen-
4. tur, sintque simul distinctæ, & vnum, & idem. Ad-
dunt esse facillimum, vt quis mysteria fingat, quæ
neque explicari, neque concipi possint, quod fiet, si
multa coniungantur, quæ omnino repugnent, vt
quod nix sit alba, & nigra simul, ignis sit calidus si-
mul & frigidus, & sexcenta id genus: quibus con-
cessis nemo reperiri valeat, qui hæc vel intelligat,
vel explicet, quemadmodum de Trinitate Theo-
logi asserunt.
Quintò abs re putant, quod asserunt Catholici,
5. videlicet vnumquemque sub pœna damni rebus
illis fidem adhibere debere, quæ manifestam re-
pugnantiam implicare videntur, qualia fidei Ca-
tholicæ mysteria esse arbitrantur.
6. Sextò non possunt intelligere, qua ratione ho-
mines diuinæ possint resistere voluntati, vel ei con-
tradicere, cùm Deus sit omnipotens. Septimum
7. illorum dubium est, an quidpiam pro libito minui,
8. vel augeri possit. 8. quomodo credere valeamus,
9. vnum corpus esse in duobus locis. 9. turbantur,
quod tot, & tantos abusus circa mortuorum ho-
10. minum statuas, quos vulgò sanctos appellari aiũt,
Ecclesia permittat. Decimò quærunt, an quicquid
initium habuit, finem quoque sit habiturum.
11. 11 an omne corpus, quòd ex se mouetur, animam
12. habeat. 12 an diuidi possit anima. 13 an venialium
peccatorum numerus lethale peccatum efficere
13. valeat. 14 an Deus offendi possit. 15 an peccatum
14. lethale contrahat, qui corpus suum ita malè exci-
pit, atque verberat, vt sciens morbum contrahat.
15. 16 an denarium furari, sit peccatum lethale. 17 an
16. Deus sit bonus, vel ipsa bonitas. 18 an aliquam
possint in Deo bonitatem apprehendere, qui dam-
17. nati sunt, cùm non esse maluissent, quàm adeò
18.
miseros esse, vt ob solas flammas æternas, à quibus
sine fine torquentur, deinceps esse videantur.
19 dubitatio est, cur non ita Dei, ac Iesu nomen 19.
reuereamur. 20. putant esse blasphemum, cùm 20.
dicitur aliquos à Deo probari, vt sciat, an hoc aut
illud facturi sint, neque de Deo ita loqui fas esse
putant. 21 petunt, cur ij, qui aspera sui castigatio- 21.
ne diuini numinis clementiam se promereri cre-
dunt, eoque magis crescere meritum, quo se ma-
iori dolore affecerint, non permittant se fame, vel
alio modo propter Deum necari, vt citiùs æterna
gloria perfruantur. 22 quærunt, an aliquid illæ de- 22.
uotæ mereantur, quæ Deo tantùm seruiunt, ne
supplicijs æternis afficiantur, seque tantum pias
exhibent, dum commorantur in Ecclesia, vbi verò
res domesticas tractant, dæmonum instar vocife-
rantur, vt omnia contentione resonare videantur.
23 petũt, cur parrochi diebus Dominicis in exhor- 23.
tatione populari omnes, ac proinde Reges ex-
communicatione feriant, qui comœdijs, & eius-
modi spectaculis adfuerint. 24 nesciunt, quid 24.
illæ oblationes significent, quæ dantur Sacer-
dotibus, in quorum vsum, atque commodum
cedunt.
25 difficultas, qua laborant, est, cur Ecclesia- 25.
stici viri paupertatis voto sese obstringant, cùm
tamen nemo sit ex eis, qui diuitias negligat, quin
potius omnes quocumque artificio quærunt, imo
per fas, atque nefas pro viribus acquirunt, à qua
labe ne quidem vnum religiosum immunem esse 26.
putant. 26 dolent, quòd non vnicuique passim,
sed tantum diuitibus, atque proceribus ius sepul-
turæ in Ecclesia concedatur, adeout pauperes re-
linquantur, eisque vix vnus sacerdos adsit, cùm
turba frequens, & sæpe nimis importuna cada-
ueri diuitum, vulturum instar, inhiet.

Hinc concludunt omnia, quæ de numinis diuini cultu, & existentia referuntur, vana, ridicula, & fictitia esse, & quæ ob diuinum cultum proferuntur, longè maiora esse, quàm ea, quæ accipiuntur; hæc sunt, quæ nonnulli eorum palam asserunt, alij vero eadem mente reuoluunt, & ante solos Atheos fidissimos tenebrarum socios declarant.

Solutio obiectionis vltimæ.

Prouer. 16.

1. ad Hebr.

Hic ego vel in transcursu satisfacturus, substiti aliquantisper pendulus apud me responderem necne, tum quia hæc argumenta, vel dubiola potius hæreticorum, atque libertinorum politicorum, quàm Atheorum artificio in medium proferri videntur, tum quia Sapiens ait Prouerb. 26. *noli respondere stulto iuxta stultitiam suam, ne efficiaris illi similis*, tum quia displicent huiuscemodi dubia, & obiectiones, nullo siquidem inter se ordine, nulla serie cohærent, sed confusè consarcinantur, atque temerè congeruntur. Veruntamen quia subiungitur, *responde stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur*: & D. Paulus ad Hebr. 1. se debitorem agnoscit sapientibus, & insipientibus, quem in ijs, quæ ad proximi salutem attinent imitari debemus, idcirco operæpretium esse duxi, si non omnino id genus argumenta contemnerem, aut intacta relinquerem, ne quis deinceps scrupulus, ne quod dubium, aut paralogismus Atheos in errore detineat, & penitus coram omnipotenti Deo, ad cuius tribunal illos prouoco, nullam excusationis vmbram proferre valeant.

Primæ difficultati respondetur.

De prædestinatione.

Ad primum itaque dico, & assero numen diuinum omnia scire perfectissimè, atque adeo ex eminentissima præscientiæ suæ specula certissimè, & infallibiliter prospicere, quinam saluandi, quique damnandi sint: nego tamen simpliciter, & absolutè loquendo illos necessariò saluari, hos verò damnari; enimuero cùm diuina præscientia per se præcisè spectata penitus extrinseca sit, nihilque in his, aut illis ponat, sitque vitalis, & immanens actus intellectus diuini, in quo solùm esse potest, clarum est hominis libertati nullo modo præiudicare, nec illius voluntatem realiter immutare.

Licet autem supposita de perituro aliquo diuina præcognitione damnatio necessariò subsecutura videatur, attamen cùm illa necessitas sit tantùm hypothetica, nihil omnino libertati officit, quandoquidem

doquidem hic effectus præuisus non proficiscitur ex aliqua præscientiæ diuinæ efficacia, vel ex aliquo reali influxu, quem in voluntatem exerceat, siue illam physicè, siue moraliter prædeterminando, sed ad summū necessariò, & infallibiliter cum illo euentu connectitur, quia fieri nequit, vt infinita præscientia, qualis est diuina, non sit conformis obiectio, seu effectui præuiso, licet is effectus ab homine liberrimè proditurus sit.

Adde quòd tantum abest, vt illa præscientia voluntatem determinet, quin potiùs è conuerso à voluntate quodammodo quoad terminationem pendere videtur, cùm non ideo futura sit alicuius damnatio, quod Deus illam præsciat, sed illam præscit, quia futura est; quæ tamen dependentia cùm sit tantum in ratione termini extrinseci, & non causæ, vel termini intrinseci, potiùs aliqua connexio, atque necessitudo præscientiæ cum euentu præscito dicenda est.

Nec illud exemplum extra propositum est, quod afferunt ij, qui mysterium istud præscientiæ diuinæ stans cum perfecta nostra libertate faciliùs explicare contendunt, dum aiunt certò, atque necessariò futuram esse lunæ eclipsim tali anno, hac, & illa certa diei hora, quæ tamen non ideo futura est, quod eam futuram esse nouerimus, sed eam præscimus, & prædicimus, quia futura est.

Et quidem fatebuntur Athei 4 eclipses solis duas, & lunæ totidem anno 1613, licet vnica in nostro horizonte videri debeat; quinque item anno 1614 futuras, non ideo futuras, quia præuiderunt astronomi illas esse futuras, sed ideo illas præsciuisse, quia reuera futuræ erant. Vtinam Athei seriò lunares, atque solares eclipses considerarent, sanè viderent, atque concluderent 4 eclipses anno 1650 futuras, quarum duæ solis à nobis obseruari non poterunt, sed prima die 30 Aprilis in Perüana, secunda verò 25 Octobris in Armenia, Persia, India tam extra, quàm intra Gangem, & China conspicietur, duæ verò lunares nobis apparebunt, prima 15 Maij, secunda 7 Nouembris; eas inquam futuras concluderent, quia reuera futuræ sunt; adeout ipsius Dei præscientia non sit causa, cur illæ eclipses futuræ sint, etiamsi eas liberè contingere supposueris.

De futuris eclipsibus.

Quæ magis adhuc elucescent ex ijs, quæ iam in sequentis dubij solutione dicturi sumus: itaque

Ad 2 Respondeo hominem huiuscemodi eniti debere, vt bonis operibus salutem suam promereatur, quandoquidem nunquam damnari poterit, si fidelis in diuini numinis amore permanserit. Nec enim Deus scit aliquem damnatum iri, nisi is sit malè victurus, neque malè victurus est, nisi velit. Vrgebis fortè, quid tandem fiet, si ei fiat reuelatio de futura sua damnatione, quam hypothesim aliqui nolunt admittere, inter quos est D. Bonau. in 1. dist. 48 circa literam: vltrò tamen illam concedentes respondemus istam reuelationem ordinario modo factam, & absque speciali euidentia in attestante non tam in sensu absoluto, quàm comminatorio, & conditionato sumendam esse, maximè cum huiuscemodi reuelationes, quæ in sacris literis habentur, sensum illum patiantur, qualis est illa de subuersione Niniuitarū, nisi conuertantur ad meliorem frugem; qui suaui sensus prouidentiæ diuinæ magis consentaneus esse videtur.

2 obiectioni satisfit.

De reuelatione alicui facta, quòd damnatus sit.

Quod si me rogaueris, num manifesta reuelatio fieri valeat, adeout dubitari non possit Deum esse, qui reuelat absolutè damnationem futuram, & quid in eo casu facere debeat, cui talis reuelatio facta est, audi. Ille tunc si non positiuè, saltem negatiuè desperare poterit, id est poterit non sperare salutem, immo non amplius eam sperare valebit, cùm nullus appetitus, siue sensitiuus, siue rationalis fuerit, qui per spé in aliquid ferri queat, nisi sub ratione boni, & conuenientis apprehensum, quam rationem non habet id, quod omnino impossibile iudicatur; talis est autem æterna salus respectu eius, qui certa fide tenet, ac tenere debet se damnatum iri: quamuis enim simpliciter loquendo, & in sensu diuiso possibile sit tam ex parte obiecti secundum se spectati, quàm ex parte voluntatis minimè determinatæ, saluti nauare operam, & eam assequi; ex hypothesi tamen, & supposita contraria Dei scientia, quæ per reuelationem innotescit, implicat salutem esse possibilem, hinc fit, vt, cùm ista quæstione supponatur hac præscientia diuina, eiusque reuelatio euidens, absoluta, & infallibilis de futura damnatione, salus neque sperari debeat, neque possit.

Verùm hæc omnia nullius mentem pulsare, aut concutere debent, quandoquidem nemini Deus perditionem æternam absolutè reuelat, imo si reuelaret, non ideo quis damnaretur, quia reuelatio nihil in damnationem influit, sed tantùm explicat quod iam ante omnem reuelationem futurum erat. Adde quod Deus ita præscientiam suam cum libertate nostra attemperat, vt illa nullatenus nostro arbitrio noceat. Quid si dixero Deum eodem penitus actu scientiæ scire aliquem saluandum, & eundem damnandum? Saluandum, si moriatur in præsenti gratia, in qua stat pro aliqua differentia temporis, Damnandum pro alia in qua à gratia excidit; si tunc obierit. Quid si dixero Deum nullius damnationem absolutè præscire, sed tantum ex hypothesi, quod aliquis pessimam vitam ducere velit? licet ob infinitatem scientiæ, quid reuera futurum sit, clarè perspiciat. Nunquid mihi licebit crassa similitudine hocce mysterium in Atheorum gratiam explicare? Dei præscientia, sicut & attributa cætera, omnimodam infallibilitatem, & immutabilitatem habet, eo ferè modo, quo palus in alueo profundissimè fixus, qui nullam mutationem subit, licet huc illuc supra, infra, & ad latera fluctus moueantur, & vndæ meent; atque remeent, ita tamen vt sit verissimum, palum istum statim vndis illis inferiorem, vel superiorem, statim dextrum, vel sinistrum fieri, quamuis immobilis stet: ita quodammodo præscientia Dei, vel cognitio immobilis est, & omnis mutationis expers, licet varijs motibus obnoxij simus, ob quos statim Deus nos ad salutem, statim ad damnationem peruenturos præscire dici potest, prout nos sub diuersis rationibus perspicit, adeout ei veluti dextri simus, cùm salutem nostram operamur, sinistri verò, cum perperam viuimus, vt aliqua ratione in nostra potestate situm esse videatur, vt Deus præsciat, vel non præsciat: neque tamen mutabitur, si præscierit, aut non præscierit, quandoquidem eodem penitus actu præscit aliquem damnatum iri, quo præsciret eundem non iri damnatum, si reuera nunquam à salute excideret; neque enim quidquam noui Deo contingit, quod sciat, vel nesciat hoc aut illud futurum, vel non fu-

turum, sed tota mutatio se tenet ex parte obiecti mutabilis. Itaque perditionem tuam, Athee, tibi soli imputa, cùm ad eam nemo præter te cooperetur, aut in eam intrinsecè influat: nec curiosius inquiras, quomodo Deus facturus sit, si ex hypothesi, quòd in Atheismo moriturus sis, te damnatum iri præsciat, tibi nihilominus salutem impertiri velit, vel quî te gerere debeas vt salutem consequaris, nouit enim præscientiam suam sine vlla vicissitudinis obumbratione accommodare, si sententiam, & mores pristinos in vitæ sanctitatem mutaueris. Iam verò ad 3 dubiolum accedamus, præsertim cùm ad 10 obiectionem plurima iam de nostra libertate dicta sint.

Ad 3 igitur dico 5 Athanasij symbolum intelligendum esse, prout sensus verborum literalis sonat; porrò sensus est, in diuinis vsque adeò eminentem, ac perfectam entitatem reperiri, vt in ea duæ illæ rationes maximè oppositæ, videlicet entis relatiui, & absoluti, eiusdem, & distincti, vnius, atque plurimum, pro diuersa tamen consideratione, varióque respectu, mirabiliter, & ineffabili modo consentiant: quod nusquam impossibile videri debet, cùm etiam id in rebus naturalibus vtcunque deprehendi possit, idque tam in relatiuis, seu relationibus ipsis, quàm in absolutis; ipsa siquidem cathegorica relatio, v. g. paternitas, qua parte subiectum inhæsionis, videlicet hominem patrem respicit, rationem entis absoluti induit, quandoquidem est tantùm respectus ad subiectum secundum dici, seu transcendentalis, simul tamen alium respectum comparatiuè habet ad filium, & sic est ens relatiuum, vel ipsa relatio.

3 dubium soluitur.

Item in absolutis quantitas bipedalis, exẽpli causa, est aliquid absolutum; & tamẽ quis inficias ibit eandem esse relatiuam, si cum alia eiusdem magnitudinis quantitate conferatur? illæ siquidem inter se æquales, & correlatiuæ erunt. Neque est, quod obijcias inde minimè deduci posse similitudinem idoneam, quòd illa quantitas bipedalis sit quidem relatiua, sed non per se, & ex se ipsa, verùm alterius entitatis, nempe resultantis relationis, sibi superadditæ beneficio, enimuero si relationis entitas ab entitate fundamenti diuersa esset, sequeretur illam à Deo per substractionem concursus posse destrui, vtraque fundamenti entitate sartâ tectâ remanente: quod si detur, iam postulo, num illæ duæ qualitates inter se sint æquales, necne, non postremum, quia ambæ sunt æquales ex hypothesi, igitur primum, ergo relatiuæ sunt, non tamen per entitatem adiunctam, illam enim per negationem diuini cõcursus explosimus; superest igitur, vt illæ quantitates per seipsas, atq; propriam entitatem tales existãt. Hac ergo ratione essentia diuina res vna est absoluta, & simplicissima sub essentiæ ratione spectata, atque tribus personis communicabilis: eadem tamen entitas est relatiua, triplexque relatio, quatenus respectu ad terminum habito consideratur, & prout iuxta rationes determinatas, secundũ quas est in singulis personis, concipitur. Hinc

Ad 4 obiectionem respondendum est hocce beatissimæ Trinitatis mysterium, vel cętera, quę fides amplectitur, esse quidem incomprehensibilia, nobisq; perfecta cognitione imperuia, minimè tamẽ impossibilia apprehendi quin potius à Theologis negatiuè saltẽ probãtur, & quibusdam similitudinibus ab ipsa natura depromptis illustrantur, in quibus illorum vestigia quædam ab oculatioribus perspiciuntur. Longè verò diuersa est ratio, atque conditio eorum, quæ temerè, ac præter rationem à nobis comminiscuntur, qualis est fictio circuli absque omni figura, & quantitate. Vbi tamen Atheos aduertere velim nõ ita repugnare, vt quod album, vel frigidum est, nulla ratione simul nigrum, & calidum esse possit: cùm enim non implicet duo contraria etiam summè intensa esse simul, Deus id efficere potest, sit enim ignis v. g. summè calidus, potest virtute diuina esse summè, seu vt 8 frigidus, quid enim repugnat? an quia simul calidus esset, & non calidus? at hoc falsum est, etenim de eo dici non posset, ignis non est calidus, vel paries nõ est albus, qui simul albedinem, & nigredinem haberet, sed ad summum simul calidus, & frigidus, albus, & niger est. Neque magis repugnat eandem entitatem simul absolutam esse, & relatiuam, 3 personas inter se distinctas esse, & tamen esse eandem entitatem diuinam. Ex quibus manifestum est, quidnam

4 obiectioni satisfit.

Ad 5 respondendum sit, videlicet nulla fidei nostræ mysteria repugnantiam inuoluere, aut impossibilia iudicari debere, siue in particulari singula, siue in communi vniuersa conspicias, & explores; enimuero maxima credibilitatis motiua, & argumenta suppetunt, quę sufficiunt abundè, vt illis firmissimum assensum præbeamus. Itaque si quæras, quónam animo pollere debeant, qui mysteria prædestinationis, & Trinitatis, possibilia esse concipere desiderant, respondeo nullo alio, quàm rationali pollere debere, siquidem vbi nostræ fidei motiua quispiam diligentiùs perspexerit, vel eam amplectetur, aut saltem possibilia iudicabit, quæ docet, vel inter bruta, atque pecora illum reponendum esse concludam. Et quidem crassa admodum imaginatione laborat is, qui nostram libertatem cum Dei præscientia componere nequit, aut componi posse diffitetur, sicut & is, qui certã hypothesim cum re absoluta coniungit, & tamen ista coniunctione saluâ rem absolutè considerari cupit, qualis est, qui aliquem damnandum esse supponit, & tamen quærit illa suppositione remanente, quî saluus fieri possit, quod idem est, ac si vellet, vt aliquis simul curreret, & quiesceret. Hæ sunt obiectiones, hæ difficultates Atheorum omninò rationis expertes, sed quantum voluerint, obrutescant; sufficit enim, quòd veritatis lumen eis præferamus, cuius fulgore mentis suæ tenebras expellere valeant. Quod vt omnibus modis fieri possit

Respondetur 5 obiectioni, & ostenditur nullum mysterium repugnare.

Ad sextum aio voluntati diuinæ antecedenti, & inefficaci resisti posse, minimè verò consequenti, & efficaci, hinc fit, vt quotidie plurima contra Dei voluntatem antecedentem peccata fiant, quæ quidem fieri permittit, tum vt inde maiora bona eruat, tum vt illæsum, inuiolatúmque perseueret creaturæ rationalis arbitrium; alias rationes, cur Deus peccata permittat, sicut & alia mala, superiùs obiect. 5, & 8 attulimus, vt non sit opus hîc plura repetere. Quòd si fusius Athei cognoscere velint, quid sit voluntas Dei antecedens, quid consequens, consulat Theologos, vel obiectionem 6, sequitur.

6 respondetur de volũtate Dei.

Dubium 7, & 8, quod circa realẽ corporis Christi præsentiam, & modum existendi in Eucharistia versari videtur; & quidem hæ difficultates alicuius momenti videri possent ijs, qui rerum superficie contenti, soli sensuum externorum experientiæ

7, & 8 de Christi corpore.

riæ addicti sunt, at qui acutiori mentis acie quantitatis naturam penitiùs inspexerit, comprehenderitque, non in externa, & locali explicatione partium sitam esse, rémque totam ad absolutam Dei potentiam (cui omne verbum, quod manifestam non implicat contradictionem, possibile est) retulerit, non erit profectò, cur tantopere laboret in conciliandis istis dubiolis, nempe quod aliquod corpus extensum sit in seipso, in ordine tamen ad locum in indiuisibili, & atomo cõstitutum. Adde quòd non desint philosophi, qui asserant quodlibet corpus per rarefactionem in immensum crescere, & per condensationem in immensum diminui posse; eo ferè modo, quo nonnulli mathematici aiunt peripheriæ cuiuspiam minimæ conuersione maximam quamlibet lineam, & peripheriæ maximæ cõuersione lineam quamlibet minimam effici posse, cùm minimus circulus eandem lineam suo circuitu describat, quam maximus, si minimus in axe maximi feratur, & versa vice maximus minimam, cùm minimi axe vertitur, vt Aristoteles quæstione 24. Mechanicorum aduertit.

Nona difficultas discutitur.

Ad nonũ Resp. abusus illos, si qui circa sanctorũ imagines cõmittantur, præter Ecclesiæ præceptũ, aut permissionẽ contingere, quæ nihil præter verum Dei, atque Sanctorum cultum probat, & procul respuit, quidquid superstitionem, idololatriam, aut impietatis speciẽ aliquam sapere potest. At verò cultus ille duliæ, vel hyperduliæ abusus minimè dicendus est, quem imaginibus merito prototyporum exhibemus, cum etiã regum atque procerum statuis nonnullum cultum debeamus, sed his ciuilem tantum, illis verò religiosum.

10. Dubiũm solutur.

In 10 dubio sub folijs latentem colubrum attende lector, eò enim collimat interrogatio, vt animæ mortalitatẽ astruat; itaque falsum est, quod quicquid initium habuit, finem quoque sit habiturum; quod vel in ipsa anima rationali manifestum apparet, quæ cùm omnis materiæ sit expers, merèque spiritualis sit, nullũ in seipsa corruptionis principium admittit: est autem illa forma spiritualis, cuius actus spiritualis est, actus autem ille spiritualis est, quo spiritualia obiecta, vniuersalia, & ab omni materiã semotissima saltem secundùm indifferentiam attinguntur. Alia plurima referre possem, quæ tametsi cœperint, nunquam tamẽ desinent, sed in æternum conseruabũtur, licet materia constent, qualia puto huiusce mundi elementa, atque cœlos, quamuis secundum qualitates suas post extremi iudicij diem in melius commutanda, ac veluti renouanda sint, vt sanctissima Scriptura luculenter asserit.

Difficultas vndecima discutitur.

In vndecimo quoque dubio caue muscipulam; enimuero vnũ est ex Atheorum dogmatibus, quibus omnẽ aditum occludant, ne quis Deum esse credat, est, cœlũ esse primam rerum omnium materialium, quas solas admittunt, causam, deinde illud esse à se negatiuè; quapropter ne his incommodis vrgeantur, quòd nimirum nisi cœlum animatum esset, non foret causa producendis viuentibus idonea, cùm effectus sua causa potior esse nequeat, nec intelligi posset habere esse à seipso independenter ab alio, quod absolutissimam perfectionem essentialem indicat, ex eius motu vitam in eo arguere conantur.

Igitur subdolè propositione simplici, eáque varijs distinctionibus obnoxia rogant, num omnę corpus quod ex se mouetur, animam habeat. Quibus respondere possem hanc obiectionem nihil ad rem facere, quam moliuntur, negandum est enim cum Aristotele cœlos à propria forma moueri: sed esto, concedamus vltrò, quod illi postulant, perperam tamen inde nullum esse Deum inferent, imo neque concludere poterunt cœlos animatos esse, tametsi à propria forma mouerentur, nec enim illud omne viuens est, quod ab intrinseco mouetur, alioquin ipsa elementa, lapides, metalla, &c. animata essent; mouẽtur enim ad centrum mundi per formam sibi intrinsecam, & à principio coniuncto, sed non à principio vitæ: vnde motus eorũ naturalis non tam ipsis mobilibus, quàm generanti tribui debet. In hoc autem vitalis motus à non vitali distinguitur, quòd vitalis sit ab ipso mobili, tendátque ad terminum, & ad formam terminetur, quæ naturali conditioni, atque constitutioni ipsius non intelligatur deberi pro primo quóque instanti generationis suę, non vitalis autem tendat ad illam, sítque veluti mobilis existentis complementum, & appendix, vnde sicut ipsum existerę mobilis illius, ita etiam motus ad illum naturalem statum in generans refunditur, à quo moueri dicitur, non verò à se, aut ex se. Hinc apparet obiectioni respondendum esse illud quod ex se, & à se mouetur, animam reuera habere, non tamen omne, quod mouetur à forma, vel principio sibi intrinseco, à se, & ex se moueri, nec consequenter animatum esse, quale est cœlum, cuius motus etiãsi à propria forma esset, non est tamen argumentum vitæ, quandoquidem est à generante, & tendit ad statum, atque dispositionem cœlo naturaliter debitam, vnde nunquam quiescit, nisi violenter.

Quomodo discernẽdũ sit an aliquid vitalẽ actionem exerat.

Quid si responderit quispiam non cœlos, sed terram moueri? quid si dixerit, & verè dixerit alius nullo modo sequi, quod Athei volunt, etiãsi non tantum cœli, verum etiam elementa, & omnia quæ sunt in mundo animata essent? à quo enim animam haberent, à quo vitam, à quo motum, nisi ab eo, qui viuit ab æterno, & immobilis cuncta regit, atque commouet?

Ad 12. Resp. animam insectorum, & plantarum diuidi posse, quod plurimi Philosophi de anima perfectorum animalium negant, nullus verò rationis cõpos de anima rationali concedit, quæ cùm spiritualis sit, per consequens est indiuisibilis. Hinc fit, vt quorundam Neotericorum hæreses ablegandæ sint, inter quos Charon Gallus, Campanella, & alij quidam numerari posse videntur, qui nescio quas animas materiales fabricant, de quibus alio loco dicemus. Iam verò probauimus antea rationalem animam immaterialem, ac proinde indiuisibilem esse, & fortassis aliquando fusiùs idem aduersus Pomponatium agemus; Interim præter iam citatos, qui de animæ immortalitate egerunt, Zacharias Bouerius demonstratione 2 Symboli contra Atheistas a. 4 legi poterit, vbi 19 rationibus bellè probat animam non esse corpoream, sed immaterialem. Itaque ratum sit, atque fixum animam rationalem in partes entitatiuas, quantitatiuas, & integrantes indiuisibilem esse. Plura ad obiectionem 12. & 14. dicta sunt.

12 Difficultas discutitur.

Bouerius.

Ad 13. dico peccata venialia quidem ad peccatũ lethale disponere, eóque magis, quò plura perpetrantur, nullum tamen venialium numerum adeo magnũ dari posse, qui vel mortali æquiualeat, vel in illud transferatur. Verùm ad quid Athei peccatorum venialium meminerunt, qui neque lethalia curant, vel agnoscunt?

Dubium 13. solutur.

14 Dubium Ad 14 aio Deum peccatis nostris offendi, non physicè, quasi reipsa aliquid de eius attributis, virtutibus, aut substantia detrahi possit, cùm sit simplicissimus, immortalis, & impassibilis, sed moraliter, quatenus ei displicent impius & impietas eius, quia quantum attinet ad peruersam hominis voluntatem, summi boni, atque finis vltimi rationem Deo detrahit, vt eam in creaturam transferat, ad quam dum inordinatè se conuertit, eámque diuino numini anteponit, lethaliter peccat.

15 obiectio 15 obiectio iterum in 21 recurret, & ideo eam ibidem soluemus, quapropter ad sequentem progredior.

16 Dubium Ad 16 dico non esse peccatum lethale, nō quòd ex genere suo tale non sit, cùm sit contra legem Dei tam naturalem, quàm scriptam, sed ex leuitate obiecti, & materiæ, quæ inuito, & inscio domino subducitur, tantummodò veniale censetur. Vbi iam non loquor de furis intentione peruersa, aut incommodo, vel scandalo, quod ex illo leuiori furto oriri posset, sed de sola furti materia, alioquin enim alia plurima discutienda essent.

17 Dubium Ad 17 aio certissimum esse Deum esse summam bonitatē, qua maior cōcipi nequit, vt, ad obiectionem 11 diximus, vbi ostensum est, qua ratione malum aliquod esse possit in mundo cum infinita bonitate Dei: quædam etiam in 5 ratione habes, qua Deum esse probauimus, quæ ad hoc negotium pertinent. Iam verò cùm sequens dubium nos ad damnatos transferat, quorum catalogo breui nisi suam impietatem abiecerint, Athei omnes adscribentur, illuc pergo, itaque

18 Difficultas soluitur. Ad 18 assero damnatos istos Deum procul dubio bonum iudicaturos esse, si rerum æqui forent æstimatores, idque vel ob eam rationem, ob quā illum oderunt, enimuero iusta peccatis supplicia inferre, & pœnas expetere studiosus est actus, & munus perfectissimæ virtutis, iustitiæ videlicet, tametsi peruersa voluntatis inclinatio, & impius affectus non finit lucidum ab intellectu iudicium fieri, nam, teste Philosopho, prout quisque affectus est, ita de rebus iudicat.

Cæterùm quod ad curiosam interrogationem attinet, sitne melius esse vel miserrimè (sublata tamen culpa) quàm omnino non esse negat D. Hieron. in 26. Math. D. tamen August. l. 3. de lib. arb. c. 7. & 8. affirmat, cuius sententiam libentiùs his rationibus persuasus amplector.

Hieron. August.

Prima est, id præ alio eligendum est, quod melius fuerit, melius autem quod verius, & rationē entis magis includit, atque participat, ens enim, verum, & bonum cōuertuntur, & quod est, etiamsi miserrimè, absolutè est, non est autem quod omnimoda ratione entis caret, ergo melius est esse vel miserrimè, quàm omnino non esse. Secunda ratio est, quia prudens rerum æstimator non tantùm res ipsas, de quibus iudicium ferendum est, in seipsis attendit, sed etiam illarum circunstātias, variasque appendices explorare conuenit, at qui eligeret omnino non esse, gehennæ pœnas detrectans, non attenderet, quantum ad diuinę prouidētiæ, iustitiæ, cæterorúmque diuini numinis attributorum commendationem, totiusque vniuersi decorem, & ornatum impiorum ad pœnas æternas damnatio conferat, à qua cōsideratione damnati alienissimi sunt, quippequi tota in sua pœna defixi, ac velut absorpti sunt. Hinc patet non modò secundum physicam rationem, sed etiam moralem æstimationem pluris faciendum ipsum esse quodcumque, quàm simpliciter non esse.

Ad 19 aio persuasionem hanc ineptissimam esse, atque meram calumniam, quòd magis nomen *Iesu*, quàm *Dei* reuereamur, cùm omnibus Christianis compertissimum sit, quicquid reuerentiæ cultusue latriæ dignum est in *Iesu*, haberi ex *Deo*, quamuis igitur audito nomine *Iesu* videamur externo corporis cultu, & habitu maiorem præferre honoris, atque reuerentiæ speciem, quàm *Dei* voce personante, haud dispar tamē est interior vtriusque æstimatio, atque sensus. 19 Dubio satisfit.

Quòd si interroges de externo reuerentiæ signo (quod in omni cultu est tantùm pars materialis) cur scilicet illud diuersum esse soleat, tecum explorare, & inuestigare velim. Quare nomen Iesu maiori cultu externo, quàm Dei nomē prosequamur.

Rationes 1. & 2. An igitur ideo consuetudo ista apud Christianos inualuit, quia cupit Apostolus ad Ephes. 2. vt in nomine *Iesu* omne genu flectatur? An quia Angeli hoc aliquando docuerunt homines, & ex istorum facto ad illos sic faciendi imitatio, & exemplum translatum est? si enim B. Bernardino credimus in expositione verborum prædictorum ad Philipp. 2. cùm Apostolus in raptu suo ad 3 cœlum (id est empyreum iuxta Nicolai glossam) peruenisset, illicque ad patris dexteram residētem Christum radijs circumquáque micantibus coruscantem prospexisset, fertur præ admiratione in hanc vocem erupisse, ô mi *Iesu*, quo audito nomine, quotquot assistebant Angeli, totoque cœlo diffusæ erant beatorum animæ conquexêre humiles, ac veluti genibus prouolutæ sunt.

An etiam accidit ad maiorem grati animi significationem erga eum, qui licet vt *Deus* nos crearit, at vt *Iesus* à peccatis redemit, ac velut recreauit, & gratia sua sanctificauit, atque morte viuificauit? 3.

An quia hoc exigit fides nostra, vt scilicet diuinam in eo maiestatem prædicemus, in quo nihil, nisi humanum oculi, sensúsque nostri deprehendunt, vt quem naturâ hominem, personâ tamen Deum esse profiteamur, sicque planè contingit, vt cultu hoc nostro tantùm efferatur *Iesus*, quantum externa species illum deprimit, minoremque mentibus hominum (quam de eo sentire par est) æstimationem ingerit. 4.

An denique quia hoc maiori cultu profitemur nos ducem nostrum Iesum sequi, cùm nomē istud ad humanitatem potiùs spectare videatur, iuxta quam humiliauit semetipsum formam serui accipiens, & habitu inuentus est, vt homo, vt dum nomen humilitatem domini, & Imperatoris nostri significans audimus, vel pronuntiamus, externo cultu, capitis apertione, vel inclinatione testemur nos illius humilitatis imitatores esse, & per eam nos à dæmonis superba, & iniqua potestate ereptos, & sub eodem capite militare, atque eiusdem corporis partes esse, cuius Christus caput est. 5.

Ad 20 dico non esse censura dignum, nec blasphemiæ arguendum, quòd asseramus Deum aliquos tentare, cùm verbis conceptissimis expressum habeatur Gen. 22. Abraham à Deo tentatum fuisse; idque tentat Deus sanctissimos quosque viros, non, vt cognoscat, quæ facturi sint, cùm omnium ab æterno præscius sit, sed vt ipsi se norint, ac suarum virium periculum faciant, habeantque ex tentatione superata prouentum, suóque exemplo alios instruant. Rationes alias legere poteris ad obiectionem 3, in cuius solutione multas rationes attuli, ob quas Deus bonos affligit, aut torqueri permittit. 20 Dubium Gen. 22.

Ad

21 Difficultas soluitur. Ad 21. Respondeo, & per consequens ad 15, in quo idem fere habetur, nos non vsque adeò teneri, ad vitam nostram fouendam, atque conseruandam, vt ad illam diutius protrahendam melioribus vti medijs obligemur, cum virtutis honestas vitæ longioris particulæ præferenda sit, atque bonum pœnitentiæ anteponendum; at verò non licet eam austeritate nimia extinguere, vel in apertum discrimen adducere, non enim esset obsequiũ nostrum rationabile, vt præcipit Apostolus, sed potius de rapina holocaustum offerre, vt verbis vtar Hieronymi, vita enim non est nobis data, aut proprietario iure concessa, sed credita, atque deposita.

22 Dubium discutitur. In 22. responsione non est quòd immoremur, siquidem fatuum est, quod asserunt Athei, quapropter ridere magis libet, quàm quidquam respondendo loqui; & aliunde satis probè nouerunt nullam aliam ab Ecclesia, vel Catholicis deuotionem probari, quàm amorem, quo Deum super omnia, & proximum nostrum sicut nosmetipsos, prosequimur, & omnia quæ Deus vel præcipit, vel consulit amplectimur, & quæ odit, ac prohibet cane magis, & angue refugimus.

23 Obiectio dissoluta. 23 Difficultas manifestam imposturam includit, vt ex ipsa parrochialium exhortationum formula typis excussa, quam parrochi dieb⁹ Dominicis præsertim explicant, vel recitant, manifestum est. Quod si tunc nonnullas excommunicationes recitent, vt cum anathemate sortilegos, magos, & id genus portẽta malefica ferire videntur, solùmodo quod habetur in Ecclesiasticis canonibus aperiũt, vel cõminãtur. Deniq; falsum est, quòd reges anathematizent, etiamsi spectaculis quibuspiã adfuerint, imo reges Galliæ non solum à parrochorum potestate, qui nullum excommunicatione ferire possunt, nisi prius delegati sint ab Episcopo, vel ab eo potestatem acceperint vt in declaratione Congreg. Cardin. sess. 25 Trid. cap. 3. videre est, sed etiam ab ipsorum Episcoporum potestate exempti sunt in ordine ad excommunicationem, vt iam apertum sit hoc dubium meram ignorantiam, aut imposturam supponere.

Ne verò me gratis id asserere putes, lege Ioh. Ferrault in priuileg. l. lior. & Ioinuilleum, vbi ait S. Ludouicum omnium primum cum Episcopis altercatum fuisse circa iudicium suorum iurisdictionem. Hæc autem habet Ferrault in sexto priuilegio. Rex Franciæ à nullo sui regni antistite potest excommunicari, nec excommunicatus declarari! quod priuilegium extendi ait ad Regis officiarios, idque pro actu exercitij iurisdictionis temporalis, quandoquidẽ idem priuilegiũ habet familia, quod dominus 11. q. 2. c. Ecclesia plurima subiungit arresta in curia Parlamenti registrata, tã anno Dom. 1372. contra Rothomag. Archiep. quàm aduersus Remens. Offic. anno 1399. & Archiep. Turon. Accepi autem ex registris tabellæ Parisiẽsis regiorum ratiociniorum plurima concessa, & renouata fuisse priuilegia Galliæ regibus à summo Pontifice anno Domini 1318. cum Philippus Longus Galliæ, atque Nauarræ Rex imperaret, inter quæ hæc habentur in registro hac nota ✠ insignito.

Varia priuilegia regũ Galliæ à summo Põtifice illis meritò cõcessa. Nullus in personas Domini Regis, vxorum, & filiorum suorum excommunicationis sententiam promulgare valeat, aut eisdem ingressum Ecclesiæ interdicere.

Nullus possit interdicere capellas Domini Regis, quod & de regina subiungitur.

Literæ Domini Regis, & dominæ Reginæ excõmunicari, vel interdici non possint.

Dominus Rex pro participatione cum excommunicatis non incurrat sententiam, quod de regina, & eius familia postea confirmatur.

Dominus Rex nulla sentẽtia generali ligari possit. Deinde de eodem rege, & illis, qui de illius mandato circa ea paruerint, pro quibus sententiæ latæ sunt, aut ferentur, idem à summo Pontifice conceditur. Ex ijs verò, quæ postea subscribuntur, facilè concludi potest huiuscemodi priuilegia iamdudum Galliæ concessa regibus, illa siquidem subscriptio hæc est.

Partes priuilegiorum impetratorum, seu renouatorum per dominum summum Pontificem pro Rege, Regina, liberis, & clericis eorumdem, &c. Vbi dictio, renouatorum, satis arguit illa priuilegia iam ante concessa fuisse, quod ad tempora S. Ludouici ab omnibus referri video. Donchellus in Bibliotheca iuris Gallici, & l. 2 de Decretis Ecclesiæ Gallicanæ videri potest, vbi de his fusè agit. Denique fasum est, quòd ij feriantur vllo etiã cõminatorio anathemate, qui choreis, aut comœdiis adfuerint. Vbi Atheos monitos velim, ne quid denique fictitium nobis obiciant, nec abusus quorundam in suæ perfidiæ confirmationem adducant. Sanè dummodo velint doceri, & seipsos de qualibet re certos faciant, antequam ita leuiter cuilibet rumori, libellis, pasquillis, & nonnullorum peruersorum hominum susurris fidem adhibeant, atque seriò perpendant à veris Dei cultoribus, & Ecclesiæ Catholicæ iustis alumnis nullos abusus, nulla vitia, nullum errorem approbari, sed maximè reijci, & impios, licet Ecclesiæ catalogo adscriptos, veluti monstra odio haberi, & argui, non ita à diuini numinis cultu abducentur, sed illud esse, & quæcunque de eo fideles asserunt, verissima esse nobiscum vltrò fatebuntur. Nec enim de religione, vel vlla re secundum id, quod in ea minus, aut iuxta abusus, qui per impios sæpius irrepunt, sed iuxta id, quod melius, & sincerius fuerit, iudicandum est. Faxit Deus opt. Max. vt Athei sese ita gerere velint, tunc enim quouis pignore certabo eos religioni Catholicæ manus daturos esse, nisi per summam malitiam aduersus rectæ rationis dictamen, quod in seipsis persentiscent, pro viribus militauerint. Id obiecto experiantur, certo enim certius me scopum attigisse fatebuntur, nullum reuera Atheum esse posse, si quispiam proprio, atque præpostero iudicio seposito, rationis regulam sequi voluerit, eique superbam elationem animi subiecerit. Quod & de hæreticis ausim affirmare, atque polliceri.

Ad 24 Resp. oblationes illas quandam in largientibus eas erga sacerdotes obligationẽ arguere, æquum est enim, vt qui altari deseruit, de altari viuat, & eorum eleemosynis sustentetur, in quorum obsequia bonas horas insumit, operásque collocat. 24 Dubium aperitur, & soluitur.

Ad 25 dico ex maleuolẽtia, & inuidia intortum esse hoc iaculum: si tamen verum esset, quod in obiectione supponitur, nimirum Ecclesiasticos viros, eósque præsertim, qui paupertatis voto obstricti sunt, nimia amplificandæ rei exæstuante libidine pecunias auidiùs exquirere, & importuniùs à sanis, & moribundis, vt loquuntur, extor- 25 Obiectio dissoluitur.

quere, certè non esset vnde tales à calumnia vindicari mererentur, vtróque æquissimis querimonijs subscriberem, insuper asseuerans indignissimos esse huiusmodi, quibus fides adhibeatur de contemptu mundi, dignitatum abdicatione, & colenda paupertate euangelica pro concione dicẽtibus.

At vix crediderim id vel pro comperto haberi, vel etiam communi sermone iactari, & vsurpari solitum ab alijs, quàm à nimis tenacibus, quibus semper illud Christi displicuit, *Beatius est magis dare, quàm accipere.* Hominibus enim istis sic affectis animo, & omnia charitatis officia auersantibus, supplex stipis petitio violẽtior extorsio conclamatur, quos similes dicere possumus ijs, qui chiragra, vel podagra laborant, quos si vel leuiter attigeris, grauissimè percussisse vociferentur.

Cæterùm non est contra votum paupertatis emissum conseruandæ, vel augendæ rei familiaris moderata sollicitudo, maximè verò vbi qui quærit, non sibi, sed toti communitati acquirit, immò verò contra votum esset nimiâ incuriâ præterire, ac prætermittere, quæ licitis, honestísque medijs communi totius familiæ bono adiungi possent, atque comparari. At mendicantibus quis honestior habendi modus, quod medium comparandæ stipis conuenientius paupertatem professo, quàm si opportunè à liberali petat, importunè à parco, miniméque tenaci?

Equidem fœlicioribus illis prioribus sæculis minus id decuisset, quando vt daretur, non expectabantur qui peterent, sed conueniebãtur, qui vltrò Monasterijs oblata acciperent; at vbi sæculum obduruit, & multorum charitas remitti, vel extingui cœpit, mutandæ fuêre rerum priorum vices, & retrò acto ordine communibus necessitatibus prospiciendum fuit. Itaque rogatos velim studiosos omnes, vt si quando viderint, qui eleemosynas requirendo tantillùm excedant modum, bono animo ferant, æqui boníque consulant, nec tam auiditati illorum nimiæ, quàm extremæ forsitan egestati tribuant, & adscribant.

Mitto quòd non sit, cur nonnulli sæculares auaritiæ carpant religiosos, & nimiæ alieni appetentiæ sugillent, à quibus noscuntur propria pro Christo fastidijsse, nec illa quidem exigua, sed perampla interdum patrimonia alendo etiam famulitio percommoda, nisi fortè minus laudis habet spontanea hæc bonorum abdicatio. Facessant igitur, qui dicterijs suis voluntariam paupertatem, & humilem stipis inquisitionem dicterijs suis lacessunt, inter quos videas, quibus pessimè consultum fuisset, nisi quidam sæculo nuntium remisissent, quorum exuuijs onusti, iam alienis phaleris gloriantes, insolescunt, quas si liceret repetere, mouerent istæ cornicula risum: abusum quidem pauperum minimè probo, sed inuidiam odi. Sed iam postremum hydræ caput truncare festinemus; itaque.

Ad 26 Respondeo nullam idcirco pauperibus iniuriam irrogari, quòd aliqua loci, & sepulturæ prærogatiua potentes, atque diuites afficiantur, quandoquidem non est hoc virtutis honorarium, meriti præmium, aut amplioris in cœlo perceptæ beatitudinis argumentum, sed potiùs mundanæ dignitatis, & tenuissimæ cuiusdam vanitatis corollarium, quod quidem vel in perditissima, omniúmque post homines natos nequissima muliere, Iesabel factitatum, aut saltem fieri iussum est à Iehu principe 4. Reg. 9. qui postquam illam ex editissima palatij fenestra præcipitem agi iussisset, memor tamen illius regiæ dignitatis, *Ite*, inquit ministris, *& maledictam istam sepelite* (regali vtique apparatu. Huc etiam referri potest illa pompa funebris, qua pijssimus Dauid reprobum Saülem prosecutus est. Itaque non est, quod exequias adeò celebres pauper aliquis expetat, nec enim ideò minori præmio afficietur, si minor, vel nulla campana in eius funere, quàm si maxima audiatur. Vnde stultum est illud obijcere. Hæc sunt, quæ plurimi ad euertendam fidem Catholicam, & Ecclesiasticorum virorum bonam æstimationem extinguendam afferunt; quos statim videas ab Ecclesia deficere, quòd fortè semel non ita citò, eorum Confessionem sacramentalem sacerdos exceperit, atque volebant; quòd aliquis princeps, vel præses, vel alta dignitate conspicuus eis antepositus fuerit, & cùm illi priùs accessissent, magnates tamen priùs auditi fuerint: statim quia sacerdotem aliquem non ita modestùm, sapientem, sobrium, atque castum deprehenderunt; statim quia per iudicem ad decimarum solutionem coacti sunt. — 26 Dubium dissoluitur. — 4. Reg. 9.

Quod nihil à sacerdotibus corporeum sibi conferri, vel pro datis oblationibus, ac decimis retribui videant. Omitto id genus propemodum infinita, quibus malè feriati homines seipsos erroris, hæreseos, schismatis, & atheismi laqueis inuoluũt, & tenebris obcæcant, & alios à verò, ac legitimo Dei cultu auertunt. Hæc sunt detestanda iacula, quæ passim intorquent Athei, vt paulatim ipsius numinis diuini velut innatum sensum, & inscriptam mentibus omnium opinionem deleant. Ergóne tenebriones isti naturæ totius autori tam audacter insultabunt? Colligimus, inquiunt ex omnibus, quæ apud homines fiunt, & de cultu diuino narrantur, esse fictitia, atque fabulosa. Vin' tu lector charissime maiorem impietatem? Fierine potest, vt Deus omnipotens hosce maledictos diutiùs viuere patiatur? O summa Dei misericordia, atque bonitas, quæ rebelles istos ad pœnitentiam expectas, atque prouocas! eos obsecro diuinis tuæ lucis radijs illumina, vt abiectis erroribus, & densissimis Atheismi depulsis tenebris, fide credant tuo verbo aptata esse sæcula, & tandem in lumine tuo glorioso lumen videant, à quo lumen omne dependet.

PRIMÆ

PRIMÆ QVÆSTIONIS ADVERSVS Atheos Colophon.

Deistarum impietas, & errores aperiuntur, atque refelluntur; vbi de recta ratione, casu, & fato.

HActenus paralogismos Atheorum discussos habes, ex quibus plurimi tam Deistis, quàm hæreticis tribui possunt; enimuero tria ista hominum portenta in multis conueniunt, neque defuerunt hoc sæculo Catholici, qui Caluinistarum, & aliorum hæreticorum Atheismos arguerint. Superest tamen, vt nonnihil afferamus de isto tenebrionum genere, qui se Deistas esse profitentur, vt quispiam ab ista peste sibi diligentissimè caueat: nonnulla etiam dicenda sunt, quæ minus tetigisse videmur, vt viri Catholici, & Theologi hasce impietates, quæ in hac sæculorum fœce grassari cœperunt, omni ex parte conuellant. Itaque hoc imprimis Deistæ fateri videntur, vnicum esse Deum, cui tamen denegãt nostrarum rerũ prouidentiam: ac si Deus in supremo cœlo constitutus, omnia quidem cerneret, imo & condidisset, verùm cuncta deinceps naturæ permitteret, adeout nullo numinis auxilio indigerent. Sed neque istiusmodi homines inter se conueniunt, quandoquidem negat vnus, quod alter concesserit, vnus omnipotentiam; alter verò prouidentiam, iustitiam vnus, alter vnicam in tribus personis essentiam renuit. Denique ad hanc omnes impietatem collineant, vt tollatur omnis cultus diuinus, & vera religio facessãt. Quapropter ea omnia fabularum instar habenda suadere nituntur. Vtrique verò rectam rationem veluti ducem amplecti se, & ab ea nusquam recedere velle profitentur, vt faciliùs traducant ad impietatem incautos homines; & vt viris Christianis, atque religiosis inuidiam conflent, quos negant seriò diuino cultui mancipatos.

Scopus Deismi.

At vbi paulo perspexeris accuratiùs, en latet anguis in herba; hi nempe diuini numinis contemptores rationis dictamen prætendunt, vt significent ad homines coërcendos cultum diuinitatis inuentum esse, quem euanescere cupiant. Quos vt reuincas ad omnia ferè, quæ superiùs allata sunt, prouocare potes, maximè verò ad miracula, quæ in Christianæ religionis testimonium omnibus à Christo sæculis peracta sunt, quæ neque refundi queant in causas naturales, aut in hominum rationem. Accedunt apparitiones Angelorum tam in veteri, quàm in nouo testamento, quæ palam, & vbiq; testãtur cultum illum, quem Scripturę sacræ nobis præscribunt, à Deo probari, atq; iuberi. Sed & ipsa ratio, quam tantopere prædicãt, Christianam religionem maximè confirmat, quippequæ nihil docet, aut agit, quod à rationis tramite discrepet; imo quæcunque præcipit, non possunt, quin maximè consentiant cum vero, & recto rationis dictamine, quod promouent, atque perficiunt. Et quidem istos homines ad ipsam rationem, ad ipsum naturæ lumen prouoco, quod signatum est super nos, cùm rationem suæ perfidiæ, & impietatis arbitram elegerint. Prodeat igitur in lucem ratio illa, qua niti videntur, & iudicet inter veros Christianos & Deistas. Ergóne

Quomodo Deistæ impugnandi.

pro nefarijs hominibus quidpiam præter infinita supplicia decernes? num tu, quæ Dei filia es, infensissimos hostes cultus Diuini probare poteris? Rationis præscriptum sequendum est, inquis, igitur Deus colendus est; igitur inter modos omnes, quibus mortales numen aliquod agnoscere videntur, cultus ille, quo Deum Catholici venerantur, eligendus est; igitur Scripturis sanctis credendum est, hæc enim omnia se inuicem consequuntur; nam cùm à Deo in esse, & in fieri pendeamus, vt cum Philosophis loquar, nec quidquam nisi ab eo boni nobis contingere possit, quis adeò insipiens, vt ei maximas gratias habendas inficietur? Nunquid eum summa dilectione, atque veneratione prosequi debemus? Nihil autem præcipuum Scripturæ sacræ, & tota religio Christiana inculcare videtur, quàm vt omnes ad Numinis agnitionem, amorem, & adorationem excitet; neque fuit vnquam vlla religio, quæ Dei essentiam, potentiam, bonitatem, prouidentiam, & alias infinitas eiusdem perfectiones tam altè prædicaret. Veterum obsecro monumenta reuoluantur, consule Pythagoræorum, Ægyptiorum, & Chaldæorum oracula, dogmata, & cunctam doctrinam, quam longissimè poteris in lucem reuoca, nihil omnino reperies, quod ita Dei maiestatem ex omni parte commendet, ac sanctissima doctrina, quam ipse rerum omnium Conditor nobis reuelauit, & sacris voluminibus conseruari voluit.

Religio Catholica defenditur à Deistarum impietate.

Verùm quid tempus impendo in ijs probandis quæ omni ætate tot firmamentis comprobata sunt, vt quispiam de lumine solis potiùs, deque seipso dubitet, num sit, quam vt in dubitationem reuocet, num cultus ille, quem Scriptura sacra docet, atque præcipit, sit verus, & legitimus, quo Deus colendus sit. Eo quippe nihil sanctius, rectæ rationi nihil congruentius, Deo nihil gratius: qui nec hominum paralogismos, & impietatem, neque cacodæmonis insidias reformidat. En homines illos fatuos, qui post tam varium sæculorum omnium examen, & tanta Paganorum, Atheistarum, & Hæreticorum prælia, quæ Scriptura sacra fortiter sustinuit, illam rursus blasphemis linguis impetunt: frustra tamen, illa siquidem de reliquo paganismo fabricata spicula, quæ vomuit Tartarus, vnico verbo, vnâ cogitatione retundentur: neque stupidi, atque rationes expertes homines vili suadebunt cultum Dei verum inter fabulas reponendum, quin potiùs Diuinam bonitatem æterna laude dignam suspiciemus & supplices venerabimur, quæ legem æternam docuit homines, vt debito cultu ei exhibito sempiterna fœlicitate perfrueremur. Iuuat autem nonnulla, & ni fallor præcipua capita commemorare, quibus cerebri debilioris homines ad Deismum adduci videntur, quæ tametsi antea tetigerim, profuerit, si repetantur, vt singuli Deistarum agnoscant insipientiam, &

nutantia huius impietatis fundamenta penitus euertant.

Causas illas, ob quas aliqui sectantur Atheismum, art. 3 huiusce quæstionis attulimus, quas Deistis accommodare possis; ex quibus non vltima venit, quod in Oriente, & Occidente, ad Austrum vel Aquilonem viderint, dum peregrinarentur, omnes affirmare se cultu vero Diuinitatem prosequi, Mahumetanos, Iudæos, & omnes hæreticos pro sectis suis veluti pro focis, & aris, æquè ac Christianos dimicare; verùm non aduocant in examen, num illæ sectæ falsum, & ridiculum quidpiam contineant, num virtutem, & sanctitatem, vt religio Christiana, sectentur, & prædicent, num ab omni scelere, & vitio abhorreant: num habeant vera miracula, & prophetias, quibus innitantur, quæ omnia verus Dei cultus, & sincera religio sola obtinet. Repetant Deistæ sectarum omnium originem, & seriò perpendant, qua ratione, quibus medijs, quibus personis hæreses, Mahometismus, Atheismus, Deismus, & alij errores in mundo cœperint, fatebũtur illicò hæc omnia opinionum monstra, & portenta à perditissimis hominibus oriunda, qui cum nefandis sceleribus premerentur, lumen synderesis pro viribus extinxerunt, vt liberiùs deinceps se vitiorum colluuie absque numinis timore conspurcarent.

Cur Deistæ religiosum cultum repudient. 1. Causa.

Certissimus sum, si Deistas omnes rogauero, & verè responderint, eos libenter fassuros esse non aliam ob causam se huic nefariæ impietati dedisse manus, quàm vt liberiores habenas suis concupiscentijs, & omnimodæ voluptati relaxarent. Quibus propterea neque helleboro succurras, nisi se ad meliorem frugem receperint, quandoquidem impius error voluntati potiùs, quàm intellectui tribuendus est.

2. Causa.

Præterea casum, aut fatum objiciunt, adeout omnia fortuitò, vel necessariò fieri existiment; eapropter de vtroque pauca affero, & assero casum, seu fortunam nihil esse; quid enim est casus, Deista? an substantia, vel accidens, non substantia, cùm nihil constans, & fixum habeat: non accidens, alioquin nouas nobis cathegorias fabrica; nec vllum fortunæ subiectum inuenire potes, cui vt accidens inhæreat, & quidem casus, atque fortuna sunt nomina inania, quæ ex vnica Dei ignoratione fluxerunt, adeout errorem, & cæcitatem, & ignorationem rerum, atque causarum naturæ, ac fortunæ nomen induxisse Tullius optimè docuerit: tolle ignorantiam, fortunam sustuleris.

3. Causa.

Casus, & fortuna refellitur.

O ingratum homuncionem, qui cùm omnia beneficia, quæ singulis momentis percipit, in Dei prouidentiam refundere, & ingentes ei de perceptis gratias reddere deberet, ea tamen refert in casum, atque fortunam: *Nihil* enim *fit visibiliter, & sensibiliter*, vt bene S. August. *quod non de interiori, inuisibilique, atque intelligibili aula summi Imperatoris aut iubeatur, aut permittatur, secundùm ineffabilem iustitiam præmiorum, atque pœnarum, gratiarum, & retributionum in ista totius creaturæ amplissima quadam, immensaque Republica. Caue*, igitur, dicas, vt cum D. Basilio loquar, *temerè factum est hoc, & sponte hoc prouenit; nihil enim inordinatum, nihil non præfinitum, nihil accidit frustra, nihil temerè fertur: nec malum vllum euentum, aut malam dixeris horam, hæ namque ineruditorum, ac disciplinam Christianam ignorantium voces sunt: nonne duo passeres asse veneunt, & vnus ex eis absque Dei voluntate non cadit? Quot capilli capitis? & vnus ex eis non est apud Deum obliuioni. Vides igitur diuinum oculum, quomodo neque minutissimarum rerum quidquam considerationem ipsius effugiat.* Si tribulationes objicis, quibus iusti percelluntur, & impiorum honores te remorentur, vide quid huic obiectionis responderimus: si miraris, cur plurimæ terræ partes nullos incolas habeant, cur Oceanus tot fluctibus agitetur, totque absorbeat nauigia, cur tot morborum genera hominem excrucient, cur mors nulli parcat, templa fulminibus prosternantur, res sacræ ab impijs conculcentur, & eiusmodi sexcenta, quæ passim occurrunt, caue ne id Claudiani vsurpes.

3. de Trin.

In Psal 32.

Math. 10.

Plurimæ Deistarum obiectiones refutantur.

Sæpe mihi dubiam traxit sententia mentem
Curarent superi terras, an nullus inesset
Rector, & incerto fluerent mortalia casu?

Claudian.

Sed hæc omnia in illam supremam causam referas, à qua pendent omnia: sine qua singulæ creaturæ abirent in nihilum: cogita fortunam nihil esse, & solùm respectu nostri causam aliquã eorum videri, quæ fortuitò cõtingere dicũtur: Hæc enim omnia Deus Opt. Max. pro voluntate disponit, licet ratio nobis sit incognita: quemadmodum puero fortuitum esse, & ei fortunam arrisisse videtur, cùm pater aureum in aliquem locum proiecit, vt filij genium exploraret: ita hostibus fortuna arridere dicitur, cùm literas aduersarij Ducis intercipiunt, licet hic arte id effecerit, & consilio explorandi hostium animi confictas epistolas miserit: mitto id genus alia, quibus manifestissimum est omnem effectum fortuitum à certa causa pendere, cuius intuitu nullus effectus casu contingit. Sed & fortunâ concessâ Dei prouidentiam aduersus Deistas, & Numinis Diuini existentiam contra Atheos rectè probamus, siquidem casus, & fortuna causam per se supponunt quæ non temerè, sed cum ratione agat, vt etiam Arist. 2 physic. c. 7 agnouit, ideoque concludit nihil eorum, quæ sunt per accidens, prius esse his, quæ sunt per se, & ex consequenti causam per accidens antecedere causam per se, cùm fortuna, & casus mente, & natura sint posteriores: denique concludit mentem, & naturam esse huius vniuersi causam, si casus cœli causa fuerit. οὐδὲν δὲ κατὰ συμβεβηκὸς ἐστὶ πρότερον τῶν καθ' αὑτό. δῆλον ὅτι οὐδὲ τὸ κατὰ συμβεβηκὸς αἴτιον πρότερον τοῦ καθ' ἑαυτό. ὕστερον ἄρα τὸ αὐτόματον καὶ ἡ τύχη, καὶ νοῦ καὶ φύσεως. ὥστ' εἰ ὅτι μάλιστα τοῦ οὐρανοῦ αἴτιον τὸ αὐτόματον, ἀνάγκη πρότερον νοῦν αἴτιον καὶ φύσιν εἶναι καὶ ἄλλων πολλῶν, καὶ τοῦδε τοῦ παντός.

Ex casu Deum esse probatur ex Aristotele.

Faxit Deus Opt. Max. vt Deistæ se ad Ecclesiam Catholicam recipiant, & depulsis ignorantiæ tenebris nobiscum vno ore fateantur omnes cuncta ab æterna Dei prouidentia sapientissimè disponi, cuius ordinem nihil subterfugere potest: & ille vulgaris loquendi modus ore Christianorum indignus facessat, quem omnes ferè vsurpant: toto quippe mundo, & locis omnibus, omnibusque horis hominum vocibus fortuna inuocatur, & vna nominatur, vna accusatur, vna agitur rea, vna cogitatur, sola laudatur, sola arguitur, & cum conuitijs colitur, volubilisque, à plerisq; verò & cæca etiam existimatur, vaga, inconstans, incerta, varia, indignorumque fautrix, vt etiamnum multi paganismum redolere videantur. Itaque Christiani credere debent nihil Deo fortuitum esse, quippe scit omnia, antequam fiant, ab æterno, attingit

attingit a fine vsque ad finem fortiter, & suauiter cuncta disponit.

Superest vt paucis de alio Deistarum errore dicamus, qui etiam Atheis, & partim hæreticis communis est: illi ergo fatum, seu æternam causarum seriem, ac complicationem astruere nituntur, à quibus omnia necessariò pendeant, quam necessitatem non pauci ad astra referunt. At hoc ridiculum est, vt patet ex ipsis Atheis, qui suos filios ad virtutem hortantur, & supplicijs afficiunt seruos, si quid peccauerint, & obedientiam detrectauerint. Neque Deistæ negant hominis libertatem, qui religionis ideo cogitationem opprimunt, vt maiori libertate in omnia vitiorum genera prorumpant: concessâ verò libertate fatum corruit, quod præter fatuos nullus admittit.

Fatum exagitatur.

Quemadmodum verò fortunæ nomen ex Dei ignoratione, sic etiam fatum oriundum assero: statim enim atque viderint præcipuas mundi partes eundem ordinem semper obseruare, & continuò motus proprios peragere, vt solito cursu cœlum quotidie Phœbus peterret, elementa commutentur inuicem: 4 anni tempestates perpetuâ serie sibi succedant, & anni circulum perficiant, &c. perperam concludunt illa fato committi, & Adrastiâ regi, cùm ex illo perpetuo tenore Diuini numinis potentiam, prouidentiam, & immutabilitatem inferre potuissent, illudque debuissent supremo cultu venerari. Fatum igitur nihil est, nisi fortè Dei prouidentiâ intelligas, quatenus omnia in suos fines ordinat, ita tamen vt causas liberas liberè, & contingentes contingenter suos motus peragere sinat. Hinc fit, vt illud axioma sit tantummodo verum in materia necessaria, & impossibili, non autem in contingenti, vel possibili, dum tempus futurum exprimitur: *Duarũ propositionum sibi contradicentium vna de necessitate vera est, altera falsa:* cùm enim dicimus Petrum cursurum, vel non cursurum, connectimus duas propositiones de futuro, quarũ neutra necessariò vera est, aut falsa, quia cùm pendeant à causa libera, non sunt determinatè veræ, aut falsæ. Qui plura de fato volet, legat Arist. in physic. & eos, qui Stoicos, & Astrologos confutarunt: neque enim diutiùs in hisce nugis immoror, & libertas satis illud destruit, sicut & motus proprius cuiuslibet animalis, & plantæ, qui à natura, vel appetitu, non autem à fato profluit. Nec ad aliud quàm ad ipsam rationem Deistas, & Atheos prouocare velim, quæ illis ita arridere videtur, nullam vt prouidentiam necessariam esse putent. Ratio, inquiunt, sufficit, vt ea quæ geruntur ab hominibus, siue monasticè, & œconomicè, siue politicè viuant, eo modo peragantur, quo reuera fiunt: Itáne Deista fateris? ergo nullum est fatum, nam consultò agis, & præuiâ deliberatione Deismum, credo, sectaris: igitur nullâ cogeris Adrastiâ, nullo fato, nullâue necessitate: igitur necesse est, vt tuâ confessione fatum exulet. Neque verum est, quod profers in excusationem, te videlicet cupere fidem, te paratum esse, vt fidei Catholicæ adhæreas, sed id minimè fieri posse: vt enim libens Deisticam impietatem, seu palliatum Atheismum amplexus es, vt omni voluptatum, atque libidinum genere saltem priuatos inter parietes fruereris, & horrendum, atque detestandum illud scelus perficeres, quod vix ob immanitatem nominare ausim, quodque Deistis, & Atheis familiare dicitur, ne si minori libidine se contaminarent, testaretur effectus, & eos legibus coërcendos subijceret. Harum enim vnico metu constringuntur, alioquin totum mundum confusâ vitiorum colluuie labefactarent. Vt, inquam, impietatem amplexus es, ita & verum Dei cultum eligere poteris, quippe qui maximam habet cum rectâ ratione consensionem, quam ex omni parte cohonestat. Itaque stolida fati necessitas abeat, & deinceps Numinis æterni prouidentiam agnosce, suspice, venerare, quæ totidem stimulis te ad verum Dei cultum, & fidem Catholicam prouocat, quot ea de re cogitationes habes. Faxit Deus Opt. Max. omnes Athei, Deistæ, hæretici, & politici ad frugem se recipiant, & illâ beatitate potiantur, quam illis maximè peropto, ad quod in tota quæstione, & in reliquo volumine me collineare nouerint. Hactenus de Dei existentia, & essentia, satis contra Atheos, deque illius prouidentia, & cæteris attributis aduersus Deistas: ad alias quæstiones progrediamur, quæ breuiores erunt. Sit igitur quæstio secunda in Genesim, quæ primam scripturæ sacræ vocem אלהים iterum in lucem proferat, & expendat.

Axioma dialecticũ explicatur.

Deistarum error.

QVÆSTIO SECVNDA IN GENESIM.

ברא אלהים

An Trinitatis sacræ mysterium ex his verbis probari, aut illustrari poßit.



VT quęstionem hanc accuratè perpendamus, hæ dictiones in examen adducendæ sunt; vt igitur ab Elohim incipiamus, est pluralis numeri, deductum à singulari אלוה, quod quidem Hebræi pluraliter efferri dicunt honoris causa, vt humano more loquamur, quo vel magnates, & principes plurali numero compellantur, vel ob singularem dignitatem de seipsis verba faciunt; sic enim Gen.42. fratres Ioseph vocant eum *Adonai*, quod est ibi pluralis numeri. At Aben-Ezra putat Deum Elohim dici propter Angelos, qui eo nomine vocantur in scriptura, quòd eorum ministerio opera sua exequatur, prout & labium vocari ait verba, & animam cor, non quòd labia sint verba, aut anima cor, sed quia nos labijs vtimur, vt instrumentis ad efformandos sermones, & corde tanquam præcipuo vehiculo anima suis in officijs vtitur. Aduerterunt autem Rabini dictionem הטבע, id est naturam, tantumdem valere, quantum Elohim. R. verò S. Iarchi ait nomen hoc Elohim esse iustitiæ, sicut אדוני Adonai misericordiæ, itaut in toto 1. Genes. cap. nomen misericordiæ non habeatur, quia Deus iuxta iudiciorum suorum mẽsuram creare decreuerat hoc vniuersum, quòd cùm ea ratione conseruari non posse vidisset, alioquin enim ob peccata, & scelera fuisset absorbẽdum, iudicia sua misericordiæ temperauit oleo, quapropter cap. 2. vers. 4. scriptum est; *Hæ sunt generationes cœli, & terræ, &c. in die qua fecit Iehoua Elohim cœlum, & terram.* Prisci verò Thalmudistæ in concione psalm. dicta Medrastilim dicunt nomina hæc psalm.51. אל אלהים יהוה *Deus deorum Dominus locutus est, & vocauit terram,* ideo reperi, quia per hæc tria Deus vniuersum creauit; quæ in Deuter. iterum repetuntur, *Audi Israel Deus, Deus noster, Deus vnus est*, vbi R. Simeon libro splendoris, seu Zohar tria hæc nomina Trinitati adaptat, eaque benedictionum codice Thalmudistæ iubent ab vnoquoque Iudæo per singulos dies manè, & vesperè summa reuerentia, & animi puritate, viuâ voce exprimi, quandoquidem in horũ meditatione beatitudinis vim totam inesse credunt, vt patet ex matutinis precibus, in quibus cõcinunt, *Beati nos, quàm bona, quã iucunda sors, & decora hæreditas nostra: Beati nos, qui singulis diebus, manè, & vesperè dicimus. Audi Israel Deus Deus noster, Deus vnus est.* Eodem modo, & tempore pronuntiant id Isa. 6. *Sanctus, Sanctus, Sanctus, &c.* Vt autem ad Elohim reuertamur, R. Ioseph Castiliẽsis in porta lucis, inter omnia, quæ de eo nomine refert, ait cuilibet quadrare, siue Angelo, siue homini, qui iudicium explet, atque tetragrãmati characteribus exarari: cuius mensurã dici vult גבורה Geboura, id est fortitudinẽ, & zechus, id est merita, zafon Septentrionem, seu reconditum, & pahad, id est timorem, fortè quia iudex non debet carere fortitudine, qua improbos coërceat, quos timore afficere debet, ac vniuscuiusque merita diligenter expendere; sed quamcumque explicationem hisce dictis attulerimus, librum hunc non lucis, sed tenebrarum librum meritò vocabimus, quod Iudæis frequens est, quorum pertinacia veritati caliginem obducit.

Genes.42. Aben Ezra. R Iarchi. Vide librũ portę lucis. Genes. 2. Psalm.51. R.Simeon. Isai.6. R Ioseph.

Geboura & zechus quid

Notat autem Archangelus de dogmatibus Cabalistarum, non tantùm nomen Elohim esse nomen iudicij, sed & אדני Adonai, quod est totum iudicij, gratiæ nihil continens, nisi prout gratificatur à nomine Eheie, quod in prima Sephirah, sicut Adonai in vltima, constituatur: Inter quæ 2. ponitur tetragrammaton, quod vtriusque extremi sit particeps, adeout tam clementiam, quàm iudicium significet, sed tunc יהוה punctis Elohim notatur, cùm iudicium significat, vt legi debeat Iehoi, non Iehoua, tametsi semper clementiæ, quàm iudicij nonnihil amplius contineat, cùm vltra condignum præmiet, citra verò demerita puniat: hinc manifestum esse vult, quoties in actu iudicij nomẽ hoc interseritur, significari Deum cum magna clementia iudicium inferre, itaut puniens doleat, vnde ait, *Heu consolabor super inimicis meis: & nolo mortem peccatoris, &c.* Hoc autem nominis tetragrammaton litteras habet, quarum singulæ numerum circularem designant; Iod enim valet 10, ה, 5, ו sex, præter quos nullus numerus circularis est: quod innuit Deum esse sphæram in omni progressu sphærico ordine procedentem, omnia siquidem in se reducit, prout ab eo processerant: Vnde in Isaia dicit: *Ego sum primus, & nouissimus, manus mea fundauerunt omnia*; Quandoquidem omnes lineæ circuli à centro ad circunferentiam eductæ, & ab ea in centrum redeuntes denotant omnes creaturas emanantes à centro supremæ sphæræ in eiusdem circunferentiam, tanquam in earum finem, tendere. Vbi tamen passim cauendum est, ne cum Cabalistis eam virtutem, quibusdam nominibus, vt אל שדי El sadai, & יהוה tribuamus, & eorum virtute miracula fieri posse credamus, sic enim Mosem in Ægypto nominis istius pronuntiatione miracula patrasse fingunt, in quorum errores Archangelus impegisse videtur: Ipse namque Deus aderat Mosi, faciebatque miracula, non quòd nesciam Deum nominibus quibusdam vim aliquam indere, vt ad plurimos effectus, velut instrumenta quædam, concurrant, vt fusiùs dicemus, vbi de vi nominum agetur, sed quia illud fundamento caret, nisi fortè per nomina, varia diuini numinis attributa velis intelligi.

Archãgelus autor improbatæ lectionis.

At

De dictione bara.

At de nomine Elohim in præsentia satis. Quòd autem ad dictionem ברא bara pertinet, quæ præmisimus sufficiunt, si tamen addas creatorem vocari בורא bore, creaturã verò בריאה, vnde & Rabini creaturas Birioth appellant: nouum autem, eximium, pinguem, corpulentum, & robustum בריא baria sonat. ברוית berouia significat opinionem, quasi rem fictam. Denique ברא bere significat expurgauit, destruxit, & בריא sanum, sicut בריאות sanitatem.

Age verò scrutemur, an Genesis initio Trinitatis mysterium inueniri possit; vbi non quæro, an inde necessariò concludi debeat: nec reprehendo Pererij iudicium, qui rectè in Catharinum animaduertit, quòd Caietanum, vt minus catholicè de Trinitate sentientem carpsisset, quãdoquidem ex eo loco fides Trinitatis non dependet: Sed quid vel ex Cabalistis aduersus Iudæos, vel probabiliter, nostræque fidei consonum ex ista dictione concludere possumus.

Hebræi præter scripturam sacram suos duorum generum interpretes habuêre, siquidem à Mose vsque ad Christum viri celeberrimi cõstituebantur, quos συνέδριον סנהדרין sanedrin vocabant, quasi assessores, quòd in senatum conuenirent, quoties de summo rerum agendum esset, quorum sententia legis, & iudicati loco erat.

Vnde dicitur Cabala, & Thalmudistæ.

Inter quos, & prophetas quædam mysteriorum communicatio, quam literis prodere nefas iudicabant, intererat, quámque successoribus, vel ad id munus iuxta merita vocatis explicabant, vnde קבלה Cabala dicebatur, sensuísque anagogico persimilis esse videbatur: Alia erat interpretatio doctis communis, quæ allegoriam referebat, scriptísque mandabatur, hinc Cabalistæ dicti sunt Anagogici, Allegorici verò Thalmudistæ; at Christo veniente defecit legislator, & doctor in Israël, quando rex alienigena rerum potitus est; tuncque Iudæorum reliquiæ in vnum corpus traditiones, & increpationes redegisse feruntur, quod משנה תורה Misnah torah, seu legem secundam appellarunt, qui cùm viderent aliorum nouorum doctorum opiniones, ex Misne, & illis Thalmud, coactis vndique Hierosolymam Iudæis, circa annum salutis 300 compilarunt, vocarúntque Thalmud Hierosolymitanum: Aliis præterea subortis opinionibus post 70 annos aliud in Babylone, dictum Babylonicum, compegerunt, quo nunc vtuntur.

Misna tora quid.

Thalmud Hierosolymit. & Babylonicum.

G. Postellus

Notat autem Postellus l. 1. de concordia orbis c. 3. sectione 14. tricesies quinquies Deum plurali nomine vocari, vsque ad eum locum, *Istæ sunt generationes cœli, & terræ*, vnde mysterium Trinitatis infert; cur enim in singulari dictum non est אלוה vel אל, inquit? quod multis in locis est vsitatissimum; cur postea posuit אלהים יהוה dij dominus? nisi quia personarum pluralitatem cum vnitate essentiæ declarauit Moses? deinde illa terna nominis קדוש Kados repetitio vacátne mysterio? cùm nec vnicam literam in scriptura sine mysterio positam esse velint Cabalistæ; id quidem si dicis, Ionatham Vzielis filium oppono, quem sanctũ credidis, ô perfidi Iudæi, ille verò in paraphrasi sua Chaldaica sic habet.

Isai. 6.

R. Ionathas author paraphrasis Chaldaicæ.

קדוש אבא קדוש ברא קדוש רוח

Kados aba, Kados bara, Kados Rouah, idest, *sanctus Pater, sanctus Filius, sanctus spiritus Sanctus*: sed illam paraphrasim Iudæis Rabini non permittunt, & Ancelo, seu Onkelo vtuntur, ne pertinax error appareat sed frustra, cũ Symeõ Ben Iohai dicat ib.

R. Iohai.

קדוש זה אב קדוש זה בן קדוש זה רוח הקדוש

Kados ze ab, Kados ze ben, Kados ze Rouah hacados. *sanctus*, id est, *Pater, sanctus*, id est, *Filius, sanctus* id est, *Spiritus sanctus*. Ionathas autem cuius paraphrasim occultant, 42 annis ante Christum cum Symeone iusto condiscipulo traduxisse fertur, quẽ Rabini lacerarunt, vt ei vel Iosephum cæcum, vel Akilam, & Ancelum, aut alium supponerent. Idem ex Psal. 51. iam antea citato concludi potest: *Deus Deorum Dominus*, vbi indicatur tribus illis nominibus creatorem benedictum mundi authorem ob 3 proprietates, in quibus vniuersa creauit, laudandum esse; primo siquidem in rerum omniũ conditione sapientia diuina plurimùm enituit, deinde scientia, & prudentia, vel potentia, sapientia, & bonitas. Adde quod R. Mose Hadarsan dicat Elohim Genesis initio scriptum esse ob tres מדות id est proprietates. Præterea Rabi Hacades, qui Christi tempora præcessisse dicitur, seu R. Iehudah, hunc enim ob vitæ sanctitatem Iudæi Magistrum sanctum vocant, in libro reuelatore secretorum de Trinitate verba facit, testatúrque R. Nehumias Hacanæ filius in epistola secretorum Antonium consulem Romanum à R. Hacados multa mysteria didicisse, qui hæc inter alia multa scribit.

Quo tempore scripta Chaldaica paraphrasis

R. Hadarsã

R. Hacados.

Nomen, inquit, יהוה ipsum Deum generãtem significat; cùm autem generans absque generato esse nequeat, necessariò amor à generante in generatum, & vice versa procedere debet quoniã alioqui non generaret. Si etiam amor non procederet à generato in generantem, differrétque generatus à generante, duæ substantiæ essent. Propterea nos volumus generantem, & generatum vnam esse substantiam, vnde necesse est ex vtraque procedere mutuum amorem. Ideoque ex יהוה nomen 12 literarum אב בן רוח הקדוש deriuatur *Ab ben Rouach hacados*, idest, Pater, Filius, & Spiritus sanctus quoniam autem nihil in Deo reperitur, quod non sit Deus, ex nomine 12 litterarum oritur nomen 42 literarum hoc modo. אב אלהים בן אלהים רוח אלהים הקדש שלשה באחד ואחד בשלשה id est, *Pater Deus, Filius Deus, Spiritussanctus Deus, tria in vno, & vnum in tribus.* Quæ sunt 42 literæ, quæ celare cõuenit, quoad venerit Messias iustus, iustus noster, ea aperui, ea cela. Hactenus R. Hakados, Moses l. More, prima parte c. 60. & 61. confirmat: Id verò patet etiam ex antiquis Rabinis qui nomẽ 4 literarum numero hoc ternario ׳׳׳ exprimebant; Samaritani verò hic notant 3 ׳ 3 sine circulo.

R. Mosei.

Denique ipsæ radices Hebraicæ, quæ 3 duntaxat literis constantur, Trinitatem designant, radices enim, quæ 4. 5. aut 6. literas habent, vel duplicatæ sunt, vel peregrinæ. Quæ sufficere credo, vt Iudæi ad Trinitatis sanctæ fidem adducantur, nec enim iam in votis est aliis rationibus, aut similitudinibus Trinitatis mysterium gentilibus persuadere, quibus antea probandus esset vnicus Deus, minus autem Atheis, qui necdum existentiæ diuini numinis subscribunt, quibus quæstionẽ 1. obtulimus; ne quis dubitare possit Deum esse, quem omnes colere debeant: Interim videatur Postellus vbi supra qui 12. rationes affert, quibus Trinitatis mysterium persuaderi possit. Aduerte tamen melius ex Rabbinis suis Iudæos conuinci posse, quàm ex isto loco, vel ex illa dictione Elohim, cùm alibi pro diis gentium, iudicibus, viris principibus, angelis, & pro vno Deo sumatur. Quæ omnia facilè probari possunt, enimuero R. Salomo

Exod. 14. vers. 19. ait nomen Elohim significare דין, id est, iudicem, & Exod. 20. 21. non est Elohim nisi iudex. Deos item falsos significat Exod. 22. vers. 20. tunc tamen אלהים ab אל, & אים id est, non Dij componi volunt; angelos denotat psal. 98. v. 7. & psal. 8. v. 6. Hebræi Iob. 38. v. 7. de astris exponunt, vbi legimus *filij Dei*.

Præterea viros pios, atque sanctos denotat, sicut & potẽtes, atque magnates, licet R. Kimhi velit tunc esse nomen Thoar, siue appellatiuum, non autem proprium. Aben Ezra verò hoc nomine compellari putat angelos, quia quæcunque vult Deus, eorum ministerio exequitur, eodem modo, quo sermo labium, anima verò cor appellatur.

Sumitur etiam Elohim pro Deo, vel angelo in singulari, vt Iud. 13. 22. & pro vitulo Exod. 32. 31. pro Dagone idolo Iud. 16. 17. pro Chamo Moabitarum Deo 3. Reg. 11. 33. & vt quidam autumant Ruth. 1. 16. Item de vno homine, vt cum Moses dicitur Pharaonis אלהי, Arcam verò 1. Reg. 4. 7. Sunt autem tria nomina, vt notant Hebræi, quæ sub terminatione plurali sensum singularem continent, videlicet Elohim, Adonim, & Baalim: sic legimus Isa. 19. 4. אדנים קשה domini duri. Ex quibus cõcludo nullum ex eo nomine Elohim solidum argumentum desumi posse, vt Trinitatis mysterium probetur, quicquid Magister senten. in 1. dist. 2. notauerit, tum quia Hebræi numero multitudinis vtuntur, licet numerum singularem verba retineant, dum loquuntur de personis illustribus, tum quia idem fit, cũ est sermo de hominibus, aut dijs falsis, vt Exod. 20. non erũt tibi dij alieni & Gen. 24. super femur Abraham dominorum suorum Hebraicè, vbi legimus *domini sui*: & Exod. 21. *si dederit dominus eius vxorem illi*, Hebraicè domini eius.

Consulatur Bellar. 2. controu. gener. de Christo l. 1. c. 6. & Caiet. ad hæc nostra verba Genesis. Aduerte autem Chaldæos interpretes pro nomine אלהים scribere tria Iod hac ratione ײ, vel duo cum scheua, & camets ײָ, quo etiam nomen tetragrammaton denotant. Quãdo verò Elohim nomen est proprium Dei, mutant he in Daleth, aut in coph, scribũntque אלדים vel אלקים, sicut & aliquando יהוד vel ידוה pro יהוה alterutro he in daleth commutato, adde, & שי 15 pro יה. Nolim autem prætermittere Samaritanos, seu Chutsæos legere pro creauit Deus ברא אשימא .i. creauit nomen, vbi [illegible] pro nomine Dei vsurpant; sic enim sermo, & præceptum absolutè posita pro Dei verbo, atque præcepto reperies. Hinc caueat Theologus, ne aliquo scripturæ loco nostræ fidei mysteria aduersus Iudæos, hæreticos, vel paganos probet, vel confirmet, nisi priùs locum illum accuratè discusserit, & seriò viderit, an ex eo mysterium probari valeat, necne, ne postea fides irrideatur, dum quis locum allatum nil probare deprehenderit.

Si quis plura voluerit, legat appendicem Domini *de Muis* in hebraica lingua regij professoris celeberrimi, quam ad caput 4. Grammaticę Bellarmini de isto nomine אלהים addidit, in qua pulcherrima, & eruditissima reperies, vbi clarè probat nihil de mysterio Trinitatis solidũ aduersus Iudæos ex illo nomine probari posse, sed aduersus eos vel aliis scripturæ locis, quæ abundè suppetunt, vel ipsa Rabbinorum authoritate, vt antea monui, dimicandum esse.

Inter alia verò loca, quibus personarum Trinitas aduersus Iudæos etiam ex ipsorum Rabinorum confessio ita probatur, vt nihil respondere valeant, hæc sunt. Primum ex psalmo קי 110 sumitur vers. 1 נאם יהוה לאדני שב לימיני — Filius probatur aduersus Iudæos.

1. *Dixit Dominus, seu Jehoua Domino meo, sede à dextris meis*, quibus verbis manifestò probatur Deum Patrem habere filium, de quo enim Dauid canere posset Domino meo, nisi fortè velis patrem seipsum alloqui, ac si diceret Dauid Deus sibipsi locutus est, nec enim mihi dubiũ est, quin Iudæi in suæ cæcitatis patrocinium omnia aduocent, & paraphrasim Chaldæam, quam facilè reijciunt, vbi eam suis erroribus contrariam esse deprehenderint, hîc adsciscant, quippe quæ legit אמר יי במימרה id est, *dixit Iehoua, seu dominus in verbo suo*; Quod licet reuera nobis fauere videatur, ac si diceret verbum, quod filium dicimus, attamen, illi dicent esse hebraismum, ac si quis ita loqueretur, dixit in verbo. i. est locutus est verbo, sicut vulgò dicimus, vidit oculis. Ea propter alium locum ex c. 30. Prouer. v. 4. affero, qui nullum subterfugium pati valeat, in quo postquam sapiens hæc locutus est. *Quis ascendit in cœlum, atque descendit? quis continuit spiritum in manibus suis? quis colligauit aquas, quasi in vestimento? quis suscitauit omnes terminos terræ?* subiungit *Mah semo vmasem beno qui tedaa.* מה - שמו ומה - שם - בנו כי תדע *quod nomen est eius, & quod nomen filij eius si nosti.* Idem legit paraphrastes Chaldæus.

Psal. 109.

Chaldæus.

Prou. 30.

Alius est locus Isai. 48. v. 16. quo Spiritus sanctus secunda Trinitatis persona probatur. *Accedite ad me, & audite hæc. Non à principio in abscondito locutus sum. Ex tempore antequam fierent ibi eam, & nunc dominus Deus misit me*, ורוחו *veruchò & spiritus eius*, licet paraphrasis idem nomẽ habeat, ac Prou. 30. suprà ומימרה *vmemreh, & filius eius.* Alia loca non vrgeo, neque rationes affero, quibus maximam beatissimæ Trinitatis congruentiam insinuemus; id enim locum alium postulat, & D. Thomas præ manibus est, quem consulere, & maxima cum delectatione, atque vtilitate legere possis.

Isa. 48. Spiritus sanctus probatur.

PROBLEMA VIII.

Cœlum & terram.

1. QVid intelligitur per cœlum & terram? An omnia corpora admiratione digna? cùm שמים samaim deducatur à שמם mirari, & obstupescere, vt notat Lusitanus.

2. An corpora vasta & ampla, quę omnia circumdent? An corpora desolata, quia nondum suam vltimam perfectionem sortita erant, cùm vtrumque samaim significet? An corpora nominatissima, & famosissima? si samaim, à שם sem, quod est nomen, deriuetur, maximè cùm Hebræi viros laude dignos, viros nominis appellent; qua etiam phrasi nos vtimur, dum viros doctos nuncupamus 3.

ctos nuncupamus, atque magni nominis homines
esse dicimus; quod confirmari videtur, ex ה litera
notificatiua, quæ rem, de qua est sermo, reddit insi-
gnem, vt cùm Nabi præponitur; Hanabi enim, te-
ste Lusitano, Prophetam excellentem ostendit;
quæ litera præponitur etiam nomini ארץ ares. id
est terra.

An quia Moses omnia velut in parua tabella con-
cludens, totius vniuersi natiuitatem enarrat? ac si
4. quis diceret; hæc est domus, hæc vrbs, quam ille
artifex produxit, antequam ad partium enumera-
tionem accederet, vt D. August. 2. de Gen. contr.
Manich. cap. 3. & D. Th. 1. p. q. 68. art. 3. edisserunt.

An quia creaturas omnes vno veluti compen-
August. D Thom. dio oculis subiecit? eo modo quo nos initio nostri
symboli, quæcunque credimus hoc articulò com-
prehendere videmur. *Credo in Deum patrem omni-*
5. *potentem*; qua ratione possunt in aduentu librum
Genesis, (ex quo ille ductus est articulus) cùm arti-
culis fidei concionatores non inutiliter coniunge-
re; rectè verò duobus extremis cœlo, atque terra
totum vniuersum comprehenditur.

6. An per cœlum, & terram, horum ideas signifi-
cari dicendum est, quas velut præexistentes Plato
videtur admittere; quòd fortè caput 25. & 26.
Exodi legisset; tametsi deceptus fuerit; cùm enim
Mosi Deus imperasset, vt omnia, quæ ad taberna-
culum pertinerent, secundum exemplar, quod ei
ostenderat in monte, perficeret, malè postea con-
clusit Plato præexistere quasdam ideas, à quibus
res istæ penderent; à quo non procul abesse Phi-
lo videtur l. de mundi opificio; nec mireris si Pla-
to scripturam sacram non intellexit, cùm id sine
sancti Spiritus auxilio fieri nequeat, Eunucho te-
ste, qui rogauit Philippum, vt ei verum sensum a-
periret. Quid si Plato diuinus habitus sacros co-
dices intelligere non potuit? an hæreticorum sar-
tores eos explicare poterunt? Nullæ igitur ideæ,
præter eas quæ sunt in mente Dei, imo Deus ipse
sunt, admitti debent, hinc fit vt hanc expositio-
nem minimè probem.

7 An per cœlum inuisibilia, per terram visui sub-
iecta intelligenda sunt? quo sensu hominis anima
Eccl. 10. Eccl. 10 dicitur, quæ visibilium amore tumescit, &
D. August. extollitur; quid superbis terra, & cinis. ita D. Aug.
de Gen. ad lit. l. 1. c. 1. quod Petrus Riga sic expli-
cauit, citatúrque ab Ascanio

Accipe cum cœlo, cœlestia quæque creari.
Æthereas species, angelicúmque decus:
Materiam de qua terrestria singula surgunt,
Terra tulit sicum, quando creata fuit.

8 An quia priùs Moyses ostendere voluit materiã
informẽ, quæ virtute, radicaliter, & velut in semi-
ne cœlum, & terram in omnẽ speciem postmodum
distribuenda contineret? non quòd priùs tempore
sola informis materia præcesserit, sed quia prior
cùm sit origine, tempore etiam priùs ostendi de-
August. buit vt D. Aug. 1. de Gen. ad lit. c. 14. habet; tametsi
non ita probabile videatur, Mosen populo rudi
de materia, quæ tam difficilè concipitur, si tamen
9 concipitur, locutum fuisse. An per cœlum an-
gelos, per terram chaos 4 elementa continens in-
tellexit? vt Magister sent. 2. sent. d. 12.

10. An cœlo beatorum sedes, seu domicilium em-
pyreum, terrã verò chaos intelligitur? quod adhuc
literale videtur, idque à D. Petro se accepisse af-
Clem. firmat Clemens 1. & 2. recogn. An per cœlos ele-
11. menta superna, videlicet aqua, aër, & ignis intelli-
Hugo. gi possunt? vt Hugo Victor. l. 1. de Sacram. 1. p. c.
6. innuit, sed ea continentur in terra, omnia siqui-
dem permixta esse videntur, quandoquidem ex
ferro, & silice, quæ suam originẽm è terra ducũt,
ignis exilit, qui tametsi lateret inclusus, si foras
erumpit, ipsa corpora, ex quibus genitus est, ab-
sumit; videatur D. Basil. hom. 1. hexam. & D. Am- Basil.
brò. An quia corpore simplici circulariter mo- Ambros.
bili posito, centrum eius, nempe terra, simul assi-
gnari debuit? An quia cœli, quicquid est supra 12.
nos, ostendunt, terra verò quicquid est subter? 13.
ita Stenchus, & Vielmius.

An, (vt mysticos sensus eruamus) per cœlum, 14.
& terram diuinitas, & humanitas Christi designa-
tur? adeout constituendo cœlum, & terram, simul
etiam mysterium Incarnationis contexuerit, vt no-
tat Anastasius Synaita 1. hexam. etenim Christus
omnia continet, atque in eo restaurantur omnia
D. Paulo teste.

An Ecclesiam triumphantem, & militantem il-
lis verbis conceptã habemus, quas Deus in Chri- 15
sto fundauit, velut in basi? de qua 1. ad Cor. 3.
fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id, quod 1. ad Cor. 3.
positum est, Christus, qui fuit lapis angularis, psal. Psal. 117.
117. qui 2. parietes coniunxit, & quidẽ rectè trium-
phans Ecclesia cœlis, militans verò terræ compa-
rari potest; quod præstitit Ascanius. An designa-
tur Iudaismus, & gentilitas? adeout in Iudaismo 16
velut in cœlo Moses, & lex instar Lunæ; Prophe-
tæ verò ad modum stellarum, Christus denique, &
Euangelium veluti sol resplenduerint; in gentilis-
mo autem Christus, lumen, & calorem produxe-
rit, quando illuminauit eos, qui in tenebris, &
vmbra mortis sedebant; cùm tamen & lumine, &
calore Iudæi destituti sint, quia lucem non refle-
xerunt, & velut incassum eis refulsit?

An insinuatur nouum atque vetus testamẽtum,
cùm illud cœlestia, hoc verò terrena promittat, vt 17
notat Hugo Carens. quod, & epistolæ D. Pauli te-
stantur; eodémque modo scripturam de diuinita-
te, atque humanitate Christi, vel sensum spiritua-
lem, & literalem intelligere possumus, sicut ani-
mam, & corpus, vel spiritum, & carnẽ; quid enim
faciliùs est, quàm animam cœlis, corpus verò terræ
comparare? quod fecit Ascanius, sicut & de men-
te, & sensu; potẽtia sensibili, & intelligibili, quod
facilè quis præstiturus est, vbi legerit nostras ana-
logias microcosmi cum megalocosmo.

An cœlestes, terrenique homines intelligendi 18.
sunt, qui in vno principio, Christo videlicet, per
Baptismum radicati sunt; sed qui terrenis inhiant,
sunt terræ similes; cœlis verò qui rebus diuinis in-
cumbunt, de quibus optimè Ascanius. An ideo 19
priùs cœlum, deinde terra ponitur, vt sciamus
cœlestia præcipuè curãda: Math. 6. *Quærite primùm*
regnum Dei: &, *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo*; Math. 6.
neque enim terra facta est nisi propter cœlum; ec-
quid obsecro causa est, cur mundus conseruetur,
nonne iusti? nonne Christus omnium iustorum
exemplar?

An angeli, & homines intelliguntur? ex quibus
Ecclesia triumphans, & militans componitur: vi- 20
deatur Martinengus, qui rectè mulierem vnam ex
decem dragmis quærentem, & totã domum euer-
rentem, de sapientia, seu verbo exprimit, qui cùm
ex 10 drachmis, vt pote 10 naturis vnam perdi-
disset, videlicet humanam; relictis 9 ordinibus
angelorum, cœlum, & terram componere visus
est, vt homines recuperaret, & in pristinam liber-
tatem assereret.

PROBLEMA IX.

הַשָּׁמַיִם *Cælos.*

CVr potiùs hoc nomine Samaim Moyses vtitur, quàm גַּלְגַּל *, vel alijs sequentibus* עָרִב *,* רָקִיעַ
שְׁחָקִים עֲרִיפִים *; cùm hæc omnia Cœlum apud Hebræos si-*
1 *gnificent?* An quia Galgal rotã significans, cœli volubilitatem significat, cùm tamen cœli nondum mouerentur? An quia sphæram ostendit, cùm ta-
2 men vix sciamus, an tunc in eam figuram redacti
3 essent, aut postea redigendi? An quia hereb, cœli pulchritudinem ostendit, quæ nondum cœlis erat
4 indita? An quia primum mobile designat, à quo cæteri moueantur, cùm tamen nondum distinctio
5 cœlorum tangatur? An quia Hariphim cœlos denotat, prout in nos pluuiam, rores, cæterósque influxus emittunt, quod tunc minimè fiebat?

An quia Rakia firmamentum stellis ornatum in-
6. nuit, quæ nondum creatæ fuerant? An quia signi-
7. ficat expansionem, cùm tamen omnia velut in angusto materiæ sinu implicata viderentur? An quia
8. sechakim nubes transeuntes, & fluidas designat, tunc verò neque nubes essent, neque cœli nubium instar mouerentur? An quia Samaim iuxta canti-
9. cum trium puerorum in fornace decantatum si-
10. gnificat ibi fuisse aquas, vt sic chrystallinũ cœlum insinuaretur? An quia præter aquã nihil erat, quæ super terram in nubes densissimas resoluta sic illam ambiret, vt ex aqua deinceps cætera creaturæ iussu diuino prodirent? iuxta nostrum hymnum; *qui ex aquis ortum genus, partim remittis gurgiti, par-*
11. *tim leuas in aëra.* An quia Samaim est in numero duali, vt duo potissimè cœli stellatum, & empy- 1. Esdr. 6.
reum ostendantur iuxta 2. Esdræ cap. 6, *Tu ipse Domine solus, tu fecisti cœlum, & cœlũ cœlorum, & omnem exercitũ eorũ*, &c? An quia, cum Samaim potius à
שָׁמַם samam, admirari, & obtupescere, quàm à 12.
שָׁם מַיִם sam maim, ibi aquæ, Moses docuit initia diuinorũ operum admiratione dignissima. An qui 13
iuxta R. Salomonẽ Samaim dicitur ab אֵשׁ & מַיִם, idest, ignis, & aqua, vt in omnibus operibus Dei viuam in operando efficaciam, & ignem amoris adesse perciperemus & eodem modo in actibus nostris procederemus? An quia dicitur à 14.
Maim, & שאה saah obstupuit? quia valde stupendum est, quòd illic aquæ pendeant, & super cœlos stare possint.

variæ origines Samaim.

An quia est dictio simplex, quæ à שם descendat, 15.
teste R. Dauide l. radicum, vt simpliciter vnicum cœlum, aut ad summũ duo creata fuisse sciremus? tametsi R. Natan Mardochæus à ficta radice
שמם alij à שמה descendere velint. An denique Sa- 16.
maim positum est, quia idem significat, quòd ὁρανὸς contemplandi vox, ab ὁρῶ; vel quia visui peruium est, quod ὁρατὸς significat; vel quod sursum vndique cœlum spectari possit, vt ab ἄνω ὁρᾶν deriuetur, vel quòd sit ὅρος τῶν ἄνω terminus superiorum omnium; at de cœli nomine, quo Dei mirabilia cœlantur, vel potiùs cui insculpta, cœlatáque sunt, sequenti quæstione nonnulla subiungemus.

QVÆSTIO III.

De diuersis modis, quibus cœlum in Scriptura sumi solet.

INter omnia, quibus ad intelligendos Scripturæ sacræ libros aditus aperiri potest, plurimum iuuat, si agnoscamus, diuersas significationes, quas ipsæ dictiones habent, sæpiùs alioquin erraturi; quod exemplo manifestare facillimum est; Creatio enim, & creandi verbum, tametsi productionem ex nihilo iam apud nos vsu recepto significet, attamen alias præterea significationes habet, siquidem significare potest æternam generationem, vt cùm sapientia loquitur, *Ab initio creata sum.* Deinde significat interiorẽ hominis reformationem & conuersionem psal. 101. *Populus, qui creabitur, laudabit te*: & psal. 50. *Cor mundum crea in me Deus.* & psal. 103. *Emitte spiritum tuum, & creabuntur.* ad Ephes. 2. *creati in Christo Iesu*; & c. 4. *qui secundum Deum creatus est.* Denique significat quãlibet productionem; quapropter in intelligendis scripturis cautè procedendum est, vt iam ingenti pudore suffundi debeant hæretici, qui mulierculãrum cerdonum, eiusdemque farinæ hominum manibus Scripturam sacram tractari permittũt, atque iubent; tametsi neque verbum latinum, aut græcum, neque vllius dictionis varias acceptiones, vnquam didicerint.

Variæ significationes verbi, creo.

Eccl. 24.

Psal. 101. Psal. 50, & 103. Ad Ephes. 2 & 4.

Cœlum igitur primò totam regionem æthream corruptionis expertem significare potest, quomodo nonnulli petitionem orationis Dominicæ explicant: *fiat voluntas tua, sicut in cœlo, & in terra*, vt sicut omnia perpetuo ordine iuxta Dei iussum, & beneplacitum progrediuntur, ita, & in nobis fiat; tametsi potiùs hîc intelligendum sit cœlum, pro cœlo empyreo, in quo perfectè Dei voluntatem angeli exequuntur: sed in alijs locis pro regione ætherea, quæ à nostro aëre vsque ad firmamentum protenditur, clarè sumitur, vt Psal. 18. *Cœli enarrant gloriam Dei!* Secundò, regionem hanc aëris terræ vicinam significat, vt cùm *volucres cœli* dicuntur; *& aquæ, quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini.* Tertio significat eos, qui sunt in cœlo, vt angelos, vel etiam doctores, qui sunt in Ecclesia, velut stellæ in firmamento, quo sensu Ecclesia vocatur cœleste regnum, cœlestisque Ierusalem sumitur pro ipso Deo: vnde Math. 23. *qui iurat in cœlo, iurat in throno Dei, & in eo qui sedet super eum*, & Luc. 15. *pater peccaui in cœlum.* Quintò significat ipsum firmamentum, & si quid aliud supra 2. Par. 7. *si cœli cœlorum dum capere non possunt.* & Psal. 67. *qui ascendis super cœlum cœli ad orientem.*

Vndecim significatus dictionis cœli. I.

Psal. 18. 2.

3.

4. *Math. 23.*

5. *Luc. 15. 2. Paral. 7.*

6. *tem.* Sextò Dei habitationem infinitam significat, Esai.66. vt Esai. 66 cœlum mihi sedes est: & Ierem. 33 ait se Ierem.33. implere cœlum, & terram quo modo spatium omne cœli nomine vocari potest, cùm Deus per immensitatem vbique sit; quod Theologi per essentiam, præsentiam, & potentiam explicant, vnde barbarus versiculus.

Enter, præsenter Deus est, & vbique potenter.

7. Septimò spiritualem hominem significat 1 Cor. 1.Cor 15. 15. *Primus homo de terra terrenus, secundus de cœlo cœlestis*, qua ratione regnum cœli intra nos esse dicitur, cùm in nostra potestate situm sit, vt Deus in nobis inhabitet per gratiam, quæ cœlestē animam 8. reddit. Octauò sumitur pro magno quodam effectu, & velut immenso, vt cùm dicitur *vsque ad cœlos misericordia tua*, Psal. 35. vnde rei cuiuslibet præ Psal.35. stantia cœli nomine conuenienter explicatur: vt *manna cœli.* Nonò significat gloriam æternam 9. 2 Petr. 3. *cœlos nouos, & terram nouam expectamus.* 2.Petri.3. 10. 10. nobis ordinationē diuinam insinuant, vt cùm Luc.10 quęritur, an baptismus Ioannis esset de cœ Luc.10. lo: & aliud de cœlo esse dicitur, cū illud à Deo pro 11. ficisci credimus. Deniq; cœlum sumere possumus pro re qualibet siue corporea, siue spirituali, in qua aliquam cum cœlis analogiam reperire possumus; Quo verò modo diuersis in locis sumi debeat, ex antecedentibus, & consequentibus, vel à persona, quæ loquitur, vel ab effectu, qui proponitur, vel ab alijs circunstantijs, vel etiam ex Patrum interpretatione colligendum est, nisi fortè de vero sensu iam Ecclesia Catholica decreuisset, à qua ne quidem latum vnguem discedere fas est. Quod autem de cœli vocabulo diximus, id intelligi volo de cæteris Scripturæ vocabulis, quæ diuersos sensus pati possunt etiā contrarios; nec profectò dictiones paruipendēdæ sunt, cùm alioquin vnica dictio totum orbem aliquando incendere visa sit, dum totus mundus ad Arianismum vergere videretur ob dictionem *ὁμόυσιος*; idque tam in græcis, quàm in latinis, & hebraicis vocabulis solemne est, vt sæpiùs quo sensu progrediendum sit, ignoremus; quod tamen non parum proficit, dum tantæ difficultates sunt in causa, cur non ita genio indulgeamus, & otio torpescamus: nobisque suggerunt diuersos scripturæ sensus, quibus statim ad tropologiam, mox ad anagogiam, aut allegoriam progrediamur.

PROBLEMA X.

CVr *in primo isto versiculo Genesis bis posita est dictio* את, *semel ante Samaim, & semel ante terram?* An illud ad maiorem emphasim factum est, vt quanta essent opera Dei seriò contemplaremur? An, vt crederemus non tantùm à Deo figuram creaturis inditam, sed cœlum, & terram, & omnia quoad substantiam è nihilo producta fuisse? nec enim vocula את est simplex casuum nota, sed etiā ipsissimam rei substantiam designat, teste R. A- R. Ben Ezra. brahamo Ben Ezra, qui ait opus operatum signifi- R. Kimhi. care, cui R. D. Kimhi in radicib. suffragatur: את au- R. Nachmanni. tem à אתה, idest veniendo, teste R. Nachmanni, deducunt; Imo propter adiectam particulam hāc, omnes cœlestes, ac terrestres creaturas per cœlum, & terram adumbrari contendūt; adde quòd ה Samaim, & Areta præpositum emphaticum sit, & demonstratiuum, quod vocant He Haiedia, idest notificationis: ad quid enim opera Dei nobis exhibita sunt, nisi vt eius omnipotentia, maiestas, sapientia, atque bonitas apparerent, & laudibus debitis ab vnoquóque nostrûm efferrentur?

An iste articulus additus est, quia primam, & vltimam alphabeti literam continet? vt omnia à cœlo, & terra cōtineri sciremus, quæ omnibus alphabeti literis explicari possunt, vel potiùs extrema mundi per extrema designarentur alphabeti? An per duplex את duo paradisi subintelligendi sunt cœlestis, & terrestris? ille pro cælestibus hominibus, hic verò pro terrenis; & cùm in illo Deus clarè videatur, in Cabala, & in Thalmud speculatio illuminans dicitur, apud nos cognitio Dei intuitiua; at hæ duæ vltimæ rationes Cabalisticæ sunt, ac proindè cautiùs legendæ: vt & sequentes, nec enim iam vllus terrestris paradisus homines peregrinos capiet.

An quia ante creaturarum externam productio- Arguitur Archangelus. nem natura intellectualis, & animalis in esse ideali creata sunt? sed perperam id Archangelus attulit, tametsi enim in ideis diuinis ab æterno fuerint cœlum, & terra, sicut & reliquæ creaturæ, minimè tamen quidquam in Deo creatum esse potest, alioquin in eo de nouo aliquid admitti posset, quod antea non habuisset: creatio enim nouitatem essendi significat, & entis ex nihilo productionem infert; nec per diuersas creationis acceptiones Archangelum excusare possumus, quandoquidē ideæ cùm sint tribus personis communes, nequidem productionis origine Deo posteriores esse dicantur, nisi fortè easdem, prout sunt in filio, spectaremus, vt sicut essentiam suam filius habet à patre, ita & ideas, & omnia: vnde Christus aiebat. *Omnia mea tua sunt*, idest eadem essentia, & ipsæmet ideæ, quas habeo, sunt ipsissimæ, quas ô habes pater, & ea omnia à te accepi: vel nisi quis nostro concipiendi modo priùs Dei consideratit essentiam, quā ideæ rationis ordine posteriores esse dicantur: sed neque hic concipiendi modus verbo creationis exprimi debet. Ex quibus patet Cabalistas duplicem mundum constituisse visibilem, corporeum, atque sensibilem, & inuisibilem, mentalem, seu idealē; quapropter Genesim per ב, quod à significat, incipere asserunt, vt postea in nomine Beresit aduertemus: volunt autem Cabalistæ mundū sensibilem in intelligibili contineri, vt Ezechielis rotā in rota, vt vitellum oui in testaceo tegumento, & albore, vt ait R. Saadias libr. Amunoth, idest cre- R. Saadias. dulitatum: vt ita vinculis concordiæ constringantur. In sensibili mundo putant à Metattron assiduè cœli empyrei præfecto sphæras 9 moueri, sicut à Deo immobili 9 choros angelorum in mundo intelligibili, vt Reuchlinus lib. 1 Cabalæ, & Ar- Reuchlinus. changelus in dogm. Cabal. referunt: hunc ab illo crediderim accepisse.

Quibus Reuchlinus ex horto nucis addit Cabalistas duplicem gehennam ex prædictis inferre dictionibus, vnam, in qua per aliquod tempus corpora, aliam, in quā perpetuis doloribus animæ crucientur: loca hæc vocant ארקא arKa nomine

tum, matrem; turpe, atque syluam appellarunt; quam Megalocosmi rudimentum, & basim, omniúmque passionum, & actionum receptaculum nuncupare possumus; quam, si chimici rogentur,
8. caput corui vocitandam affirmabunt. An potiùs statuendum est nos hac de re certi nihil scire posse præter ea, quæ clarè Moyses expressit? cætera verò in patriam reseruanda sunt? at de his iterum sermo redibit, cum de liquiditate cœlorum agemus.

PROBLEMA XIII.

Deus creauit cœlum, & terram.

1. Q*Vam ex his 4 vocabulis vtilitatem desumere possumus*? An Genesis initio fugantur Athei? cum regis magni nomen præ Scripturæ sacræ foribus inscribatur; quod quidem non ita absimile esse videtur ab Apollinis templo, in cuius fronte legebatur γνῶθι σαυτὸν, ac si dixisset Apollo, vide qui sis, qui templum istud ingrederis, cognosce teipsum; cui respondebat, σὺ εἶ, tu es: ecquid obsecro creaturæ nobis aliud intonant, quàm Deum
2. esse, à quo factæ sunt. An Dei audito nomine philosophorum antiquorum errores euanescunt? facessant ergo Xenophanes, Parmenides, & Melissus, qui omnia faciebant vnum ens immobile, vt omne principium de medio tollerent, de quibus Plato in Theæteto, & Sophista: & Arist. 1 phys. & de gener. 3 de cœlo, & 1 metaph. Plutarch. 1 de placitis Phil. Clem Alex. Euseb. Theod. D. August. & alij: Redeant ad mentem Thales Milesius, qui pro rerum primordijs aquam, Anaximenes, & Diogenes aërem: Heraclitus, & Hypassus, ignem: Empedocles litem, & amicitiam: Stoici, Peripatetici, Tullius 3 de nat. Deorum, & Hermogenes materiam æternam increatam ponebant. Conticescant Parmenides, qui 2 rerum principia, ignem, & terram, vel lucem, & tenebras, vel frigidum, & calidum; Plato, qui vnum, vt formam: & magnum, atque paruum, vt materiam: Pythagoræi denarium suum principiorum bonorum, & denarium malorum constituebant, vnde Manichæi 2 principia bonum vnum; malum aliud haurire potuerunt; denarius verò bonus continebat, finitum, impar, vnum, dextrum, marem, quietem, rectum, lumen, bonum, & quadratum, at in malorum denario, infinitum, par, multiplex, sinistrum, fœmina, motus, curuum, tenebræ, malum, & altera parte longius claudebantur. Valeat Anaxagoræ πανσπερμία, Democritique ὁμοιομερεία; Sileant Leucippus, Epicurus, & Democritus, qui rerum principia, plenum, & vacuum, seu ens, & atomos, non ens, & inane profitebantur, quandoquidem hasce tenebras æternæ veritatis fulgore Dei nomen, atque præsentia iamdiu de mentibus nostris expulit.

Plato. Aristot. Plutar.

Antiquorũ opiniones de rerũ principijs referuntur, & irridentur.

3. Nunquid Simon Magus erroris conuincitur, qui creatores angelos asserebat? quos tamen sibi subiectos esse mentiebatur; quem Cerinthus, Carpocrates, & Archontici cum alijs secuti sunt, vt apud D. August. & Epiph. in hæres. videre est: nec enim scriptum est, crearunt Elohim, sed creauit, qua propter reprehendẽdi sunt Gnostici, Marcionistæ, Cerdoniani, atq; Manichæi, qui duo principia bonum vnum, aliud malum admiserunt; quibus non cedit Valentinianorum impietas, qui tametsi Deum mundi creatorem esse concederent, hunc tamen Deum, quem Δημιουργὸν dicebant, non esse Christi patrem, sed superiorem affirmabant.

Error Simonis magi.

Hæreses circa rerũ principiũ.

An illi pariter refelluntur, qui solum patrem mundi creatorem dicebant; cùm tamen opus crea- 4.
tionis æqualiter tribus personis cõueniat, & quæcunq; Pater facit, faciat & Filius: Ioh. 5. est enim cum Patre, & Spiritusancto αὐτουργὸς, ὁμοιουργὸς, & ἰσουργὸς; tametsi per aliquam attributionem, seu appropriationem opus creationis, vt pote diuinam omnipotentiam connotans, peculiari modo patri conueniat; quo sensu D. Basilius intelligendus est, dum ait Patrem esse αἰτίαν προκαταρκτικὴν τῶν γινομένων causam, & fontem rerum creatarum; Filium verò δημιουργικὴν operatricem; denique Spiritumsanctum τελειωτικὴν perfectricem; Cauendus est autem Arianorum error: hi siquidem ex 11 ad Rom. *ex ipso, per ipsum, & in ipso sunt omnia*, personarum inæqualitatem, & filium patris instrumentum esse contendebant.

Ioh. 5.

D. Basilius illustratur.

Arriana hæresis.

Ad Rom. 11.

Nunquid hoc vnico versiculo philosophis om- 5.
nibus paganis longè doctiores reddimur, cùm vix à longè creationis mysterium suspicati fuerint, cuius si quoddam vestigium subodorati fuerint, in infinitos tamen errores fœdè prolapsi sunt: gaudeant igitur Christiani, quorum nullus est, qui diuina opera, si non ὅτι ἐστι, saltem τί ἐστι non cognoscat, vt iam non ampliùs ἄφρονες sint; quandoquidem in promptu cœleste Mosis ὕμνιον adest, quod audire, canere, & intelligere possumus: *fide* nempe *intelligimus aptata esse sæcula*, seu mundum perfectum *verbo Dei* ad Hebr. 11, quod omni philosophico dogmate certius est, cùm sit diuinæ fidei, cui falsum subesse nequit, articulus.

Ad Heb 11.

Nunquid etiam ex his 4 verbis concludimus, 6.
mundum à Deo non necessitate naturali, verùm liberrimo placito factum esse, vt differit S. Basil. hom. 1. hex. vnde Psal. 148 *ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit & creata sunt*: alioquin non teneremur Deo gratias agere propter opera creationis: nec enim ei gratum ferimus, quòd Filium suum, & Spiritumsanctum produxerit, quandoquidem illos naturaliter, atque necessariò produxit, vnde & sicut Pater, infiniti sunt; imo tres simul sunt infinita diuinitas: adde quòd mundus esset infinitus, si prout à sole radij proficiscuntur, ita à Deo manaret, si tamen mũdus infinitatis capax esse posset. Itaque Deus Optimus Maximus cœlum, & terram creauit, estque solus rerũ omnium principiũ: hæc est prima litera Christiani alphabeti: quandoquidem *accedentem ad Deum credere oportet, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* ad Hebr. 11. Quantum igitur beneficium nobis liber ille Genesis præstitit, vt vno momento certissimè discamus, quod vix, ac ne vix quidem toto vitæ spatio summi philosophi inuestigare potuerunt. At quandònam Deus hisce creaturis initium dedit? Idem versiculus edocet sequenti dictione.

D. Basil. Psal. 148.

Ad Heb. 11.

PROBLEMA XIV.

ἐν ἀρχῇ בְּרֵאשִׁית *in principio*

CVr hoc nomine, potiùs quam alio Moses vtitur,
1. *nunquid aliud præsto aderat?* An quia גִּלְגָּלֶת,
quod etiam principium, vel caput significare po-
test, venit à גָּלַל galal, quod voluere significat
cùm nihil adhuc volueretur: Beresit verò à ראש
deducitur, quod cacumen, verticem, principium,
præcipuum, ducem, & caput significat, vt ex ipso
primo verbo Genesis (siue penes Grammaticorum
legem, *Elohim*, vt supra, primum verbum con-
stituamus, siue iuxta loci situm, *bereschit*) ad sum-
mi ducis, & cœli, sicut & terræ imperatoris noti-
tiam perueniamus: qui cùm de Genesis initio lo-
queretur, inquit Beda, dixit: *In capite libri scriptum*
2. *est de me.* An hoc nomine vsus est, quia cœlum, &
terra diuinorum operum fuerunt initium? vt ad-
uertit Oleaster. An vt sciremus totum mundum
3. priùs in compendio productum fuisse? vt D. Basil.
Ambr. & Nyssenus innuunt, vnde vertit Aquila ἐν
4. κεφαλαίῳ. An quia Dei filius initio operum ad extra
poni debuit, quorum Dominus esse debebat non
tantùm secundùm diuinitatem, qua patri æqualis
est, verùm etiam secundùm humanitatem, quæ
per vnionem cum verbo dominium in omnes
creaturas acquisiuit, iuxta id, *Data est mihi omnis po-
testas in cœlo, & in terra.*

An quia omnia Dei opera sapientissimè facta
5. fuisse Moses docere volebat? cum vertant Chal-
dæi, *Cadmim*, iuxta id, *omnia in sapientia fecisti*;
quod Trismegistus legisse videtur, cùm dixit,
Benedictus es, qui verbo vniuersa condidisti, vt refert
Steuchus.

6. An quia nos prouocare voluit, vt de principiis
disseramus? cùm nullius rei perfectam cognitio-
nem assequamur, donec ad immediata rei princi-
pia deuenerimus: mundi verò, quem Moses de-
scribit, principium Deus est pater per suam omni-
potentiam, Filius per sapientiam, Spiritussanctus
7. per bonitatem. An potius in principio dictum est,
quàm in verbo, vt describeretur creatura, prout
imperfecta, necdum per vnionem Incarnationis
cum Deo coniuncta, per quod reformata creatori
inhærebit? vt acutè D. Aug. 1 de Gen. ad lit. c. 4, &
post eum D. Thom. 1. p. q. 74. a. 3. An dictum est
8. in principio, quia in principatu, & potestate, se
potentissimum regem Deus in prima rerum con-
ditione exhibuit? vnde ἀρχὴ, vt Gazæus notat,
9. regiam potestatem ostendit. An principium su-
mitur pro tempore, quo creaturæ esse cœperunt?
non enim Deo coæternæ sunt, sed initium accepe-
runt, vt docet D. Aug. contra aduer. legis, & pro-
phet. An pro momento sumi debet? vt habet D. 10.
Basil. quia summatim, atque celerrimè, sine mora
Deus mundum creauit? An quia cœlum, & terra 11.
sunt caput operum Dei? cùm cæteris mundi parti-
bus, vt caput partibus corporis anteponi debeant?
sic enim D. Ambr. l. 1. cap. 4. An verò in principio 12.
facta dicuntur, quia sunt bases, & principia totius
mundi? cœlum, vt pater influens, terra velut mater
& nutrix influxus recipiens, quibus grauida facta
suos fœtus in lucem edat? Prouer. 8. *Quando po-* Prouerb. 8.
*nebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta compo-
nens*; ô præclarum architectum. An principium, 13.
vt vult D. Bon. in 2. d. 1. significat ordinem, mensu- Bonau.
ram, & habitudinem causæ? itaut cum ordinem si-
gnificat, designet ante omnia, cùm mensuram,
exordium temporum: cùm habitudinem causæ, in
filio: vnde 3 errores reijciuntur inquit D. Thom.
primus est, mundum æternum esse, quia princi-
pium significat temporis exordium. 2, prout signi-
ficat in filio, reijcit eorum hæresim, qui 2 principia
bonum, & malum constituebant: denique prout
ante omnia significat, euincit angelos non creasse
mundum: ita D. Thom. 1. p. q. 46. a. 3. D. Thom.

An narrationis principium significat: ac si Mo-
ses dixisset: primum eorum, quæ scripturus sum, 14.
illud est: *Deus creauit cœlum, & terram*, vt sit pro-
positio hæc breuissima, quæ cætera postmodum
fusiùs enarranda virtute contineat. An principium
hîc sumendum est, pro temporis initio? non prout 15.
temporis principium est mensura mutationis, vel
motus primi mobilis, sed prout est mensura rei
exeuntis de non esse ad esse, quod ita D. Bonau. ex- Bonau.
plicat, *Si cœpit cum primo mobili: & illud cœpit in 2
die, non ergo in principio temporis, sed ante,* cui sic res-
pondet. *Dicendum, quòd tempus tripliciter dicitur:
communissimè, communiter, & propriè. Communissimè
dicitur mensura exitus de non esse, ad esse, communiter,
mensura cuiuslibet mutationis, præcipuè verò illius, quæ
fuit ante primũ mobile: propriè dicitur primi mobilis
mensura: atque hîc priori modo debet intelligi:* An di- 16.
ctum est in principio, ne curiosiùs inuestigare-
mus, cur non antea Deus faceret, vel quid antea
faceret? cum ante principium nullum sit antea:
vnde non possumus affirmare tempus aliquod
fuisse, quando nondum Deus quidquam produ- August.
xerat inquit D. August. 1 de Gen. contr. Mani-
ch. cap. 2.

PROBLEMA XV.

QVid significat præpositio In, quæ posita est hîc,
1. *& quot modis sumi potest?* An significat, *cum*,
Bonau. vt præclare D. Bonau. in 2 d. 2 narrat; *Dicendum,*
inquit, *quòd differt dicere, (secundum August.) ali-
quid fieri ex tempore, in tempore, & cum tempore: Ex,
enim importat ordinẽ, In, continentiam, Cum, simulta-
tem: & ideo nihil factum est in tempore, neque ex tem-
pore, nisi quod exceditur à tempore: quia igitur tempus,
& ea quæ in primordio temporis creata sunt, à tempore
non exceduntur, ideo ea cum tempore creata esse dicit,
non in tempore, neque ex tempore*, vt etiam D. Th. Thom.
habet q. 46. a. 3. Nunquid, *in*, significat instru-
mentum,

mentum, vel potiùs ostendit verbum sequens sese
instar causæ instrumentalis haberi? vt cùm dicitur
percutere in gladio, idest cum gladio.
3. An etiam significat *per*? vt cum Psal.62. *qui in-*
Psal.62. & 88. *rant in eo*, id est per eum, & Psal.88. *Juraui in san-*
ctomeo. An etiam denotat causam rei præcipuam:
4. vt cùm legimus Psal.17. *In te eripiar à tentatione, in*
Psal 17. *Deo meo transgrediar murum*, id est per Deú, & vir-
tute Dei. & Act. 17 *in ipso viuimus*, &c. An etiá su-
5. mitur pro his præpositionibus, *ad*, vel, *vt*. vt Psal.
Psal. 135. 135. *fecit solem in potestatem diei*, idest, vt illumina-
ret, vel ad illuminandum diem: & lunam ad discu-
6. tiendas noctis tenebras. An significat, *propter*, &
Psal.30. *pro*, vt Psal.30. *In iustitia tua libera me*, idest, pro-
Osee 5, & 11. pter iustitiam: & Osee 5. *Ruent in iniquitate sua*,
idest propter iniquitatem. & c. 12 *seruiuit Iacob in*
Psal. 43. *vxorem*, idest pro vxore. An aliquando sumitur
7. pro *contra*, vt Psal.43 *In nomine tuo spernemus insur-*
8. *gentes in nobis.* Sed & sumitur pro esse loco, seu
vice alterius: vt Psal.30. *Esto mihi in Deum protecto-*
rem, idest tanquam protector, & 2. Reg. 7. *ego ero* 2.Reg. 7.
illi in patrem. Sumitur pro præpositione, *apud*, vt 9.
1 Petri 5. *Pascite qui in vobis est gregem Dei*, idest, 1 Petri 5.
qui est apud vos, vel curæ vestræ commissum. Si- 10.
gnificat etiam *coram*, vel *ante*, vt ad Philip. 2. *in no-* Ad Philip. 2
mine Iesu omne genu flectatur, id est ante: Adde quòd 11.
sumatur pro *sub*: vt Psal.90. *Qui habitat in adiuto-* Psal 90.
rio altissimi, idest sub. Alij sunt, qui dicant *in* sumi
pro *secundùm, de, postquam*: vt cum dicitur *in multis*
diebus, idest post multos dies: cætera si quæ sint,
per te obseruare poteris.

Multa mihi per problemata discutienda forent, quæ ad dictionem Beresit בראשית attinēt: sed quia paulò difficiliora sunt, eáque multorum, quæ postea dicemus, futura fundamenta, de his quæstionem peculiarem instituere duximus operæpretium, maximè cum locum satis aptum me nactum esse credam, vt de diuersis Scripturæ sacræ interpretationibus, & illustrationibus paulò fusius ad omnium commodum agam.

QVÆSTIO QVARTA.

Quot modis בראשית *Bereschit, sicut & aliæ Scripturæ partes explicari possint.*

NEmini dubium est, quin præter literæ sensum alios Scriptura sacra contineat, quos non rarò maxima voluptate, & vtilitate tam interpretes, quàm concionatores eruunt; de quibus breuissimè pauca mihi dicenda sunt, vt hac vnica quæstione mirum in modum proficere possimus; quod ita peracturus sum, vt omnes explicationes, quantum fieri poterit huic dictioni בראשית de qua præcipuè sermonem institui, accommodaturus sim; tametsi nonnulla alia loca ex ijs, quæ subijcientur, aut explicata remaneant, aut facillimo negotio intelligi possint.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quot sint, & quales sensus, quos Scriptura sacra pati potest.

OMnes igitur Scripturæ sacræ sensus ad 2 re-
uocari possunt, literalem videlicet, & spiri-
tualem, qui Ezech.2 comprehendi videntur, cum
Ezech. 2. malus angelus librum expandisse dicitur, qui
scriptus erat intus, & foris: quid enim aliud erat
liber iste; nisi scriptura sacra, quæ dicitur foris
Gregor. scripta per historiam, intus per allegoriam: fo-
Hieron. ris per literalem sensum, intus per spiritualem
Ad Galat 4. intellectum, vt notat diuus Gregor. hom. 9 in
Ezech. & ante eum D. Hieron. in 2 Ezech. quod
ex D. Paulo confirmatur qui ad Galat. 4. docet al-
legoricè accipiendum esse, quod de Abraham legi-
Gen.21. mus Gen. 21 habuisse 2 filios: vnum de ancilla, a-
lium de libera, nimirum ad significandum vtrúm-
que testamentum veteris, ac nouæ legis. Imo
Ioh 6.&19. Christus ipse Ioh.6. transfert manna vetus Iudæo-
rum ad Eucharistiam significandam; & c. 19 illa
verba: *os non comminuetis ex eo*, quæ ad literam de
agno Paschali intelliguntur, ad seruatoris nostri
passionem accommodantur.

Adde quòd omnes patres veteris testamenti *sub*
1.adCor.10 *nube fuerunt*, apostolo teste 1 Cor.10 & *omnia in fi-*
guris illis contigerunt: idque per velamen signifi-
catum est, quod Moses super faciem suam posuit
2 ad Cor.3. 2 ad Cor.3. Et quidem hi duo sensus, non tantùm
in veteri, sed etiam in nouo testamento locum ha-
bent, quandoquidem multa sunt in Euangelio, &
Apostolorum epistolis, quæ sensum Spiritualē pa-
tiantur, sic enim Luc. 5. ingens piscium multitudo
capta, quæ retia propemodum frangebat, prædica- Luc. 5.
tionem futuram inter gentes significabat teste D. D. August.
August. tract. 22 super Ioan. Christus enim subiun-
xit: *Ex hoc iam eris homines capiens*: & alibi vocat
Apostolos *piscatores hominum.* Item baptismus,
quem Christus suscepit, fuit typus futuri inter nos
Sacramenti; sicut Transfiguratio symbolum æter-
næ beatitudinis in cœlo, & cæcorum illuminatio-
nes effectus prædicationis apostolicæ, & successo- Euseb.
rum: vnde Porphyrij hæresis refellitur, qui solum
sensum literalem admittebat teste Euseb. l. 6 hist.
cap.15.

Itaque literalis sensus is est, qui verba, & voces per se exhibet: spiritualis verò, qui non proximè per voces exprimitur, sed mediate, vtpote per res ipsas verbis significatas, itaut prior in verbis sensus, posterior in rebus, in factis, & in actionibus per ipsa verba declaratis consistat, dummodo vterque sit ab Ecclesia approbatus, & rectę rationi cōsentaneus: ratio est, quia cum Deus sit supremus omnium rerum dominus, potest vti qualibet re ad

Quid sit sensus literalis, quid spiritualis. Sensus literæ dicitur à quibusdam proprius, vt cùm vulpes legitur, propriè significat ipsum animal.

7. Notariaca ex quibusdam notis, & characteribus sensus latentes eruit.

8. Paraphrasis paulo latiùs, & clariùs scripturam exprimit, quam metaphrasim vocare possis.

9. Lexice siue particularis, siue vniuersalis vocabulorum significationem declarat.

10. Annotatio quibusdam Scholijs, atque glossis scripturam illustrat.

11. Commentatio seu ὑπομνηματικὴ est annotatio scholastica methodo paulò copiosior.

12. Sciographica per figuras, & imagines rem præ oculis collocat.

13. Tabellaria rem per columnas, atque tabellas ordinatissimè coaptat.

14. Enarratio declamationem, & homilias suggerit, vt præparatoriâ, didacticâ, & adhortatoriâ cōcionatores populum instruant, quibus ritè iungi poterit doxologia.

15. Collatio quibusdam colloquijs siue continuis, siue interruptis eloquia diuina explicat.

16. Meditatio ex intimo affectu, & ardenti contemplatione in explicationem Scripturæ erumpit.

17. Poëma carmine, vel prosocarmineo volumina sacra pandit.

18. Epistola ad consulentes loca difficilia Scripturæ exposita transmittit.

19. Inquisitio tam problematibus, quàm quęstionibus, atque disputationibus loca difficilia discutit.

20. Coaceruatio sensus, & testimonia scripturæ accumulat.

21. Thematica Scripturæ partes ad alicuius peculiaris argumenti tractationem applicat.

22. Collectanea per rapsodiam, syllegmai, & abbreuiationem ex quibuscunque scriptis expositionem concinnat.

23. Scholastica concordantias, dictionaria, historias, postillas, compendia, metrica, &c. ad Scripturæ intelligentiam suggerit.

24. Pandesiaca omnes vel præcipuos exponendi modos ambitu suo complectitur.

De translatione. Itaque prima methodus primo verbo Scripturæ sacræ sic applicabitur, sicut, & quibuslibet alijs, cùm omnium ratio par esse videatur. *In principio*; textus hebraicus habet בראשית B.resit: translatio 70. ἐν ἀρχῇ Chaldaica paraphrasis בקדמין Becadmin in principio, vel in sapientia: nolim autem huiusce dictionis originem, & radices hîc inuestigare, id enim in alijs methodis facturus sum.

De stigmatica. Secunda methodus Stigmaticè procedens dicitur ab Hebræis פירוש הנקודות Perrus Hanequdoth, idest punctorum interpretatio: quia ex eo sumpsit originem, quòd sine vocalibus Hebræi legerent, quarum defectu facilè poterant à vero Scripturæ sensu aberrare, quandoquidem vna vocalis totum sensum sæpius euariat, & euertit, vt in eo verbo constat, cuius pronuntiatione Saülem errasse ferunt; nam cùm Exod. 17. Deus Mosi dixisset. *Delebo enim memoriam Amalec sub cælo*: Saül non deleuit omnia, sed pulchra reseruauit, vt c. 15 regum habemus, quia inquiunt Iudæi, deceptus est in dictione זכר, quæ tam masculum, quam memoriam significat, cùm enim dictio hæc cum duobus punctis longis, seu vocalibus lecta זָכָר Zachar masculum denotet, alio verò modo cum Tsere, & Segol pronūntiata Zecher זֵכֶר memoriam significet, primo modo legit, non secundo: & ideo, solis masculis deletis, cætera reseruauit. זכר quid

Quapropter puncta collocarunt, ne quis ampliùs deciperetur: quæ inuenta fuisse anno 436 post vltimam Ierosolymę destructionem, idque ab Hebræis, seu Iudæis cultoribus vrbis Tyberiadis. R. Elias Germanus præfatione libri Masoreth Hamasoreth existimauit, tametsi eà posita fuisse post Constantini tempora Iacobus Episcopus Christopolitanus censuerit præfat. in psalm. idque à Iudæis Babylonis, seu Cayri, opera, & industria R. Hammay, & R. Asse Thalmudicæ doctrinæ authorum; nec enim eiusmodi puncta D. Hieronymi, & S. Epiphanij sæculo fuère. Ex quibus facilè conijcias Rabbinos istos multas pronuntiationes mutare potuisse in odium Christianæ fidei, & religionis, vt iam suspicari debeamus, vel possimus, quoties ex punctis, & vocalibus de nouo repertis sequitur varius sensus ab eo, quem nostra editio vulgata habet, nō ita legi, prout antea legi solebat, vel aliquas literas transpositas, aut deletas, vel etiā additas fuisse: Quapropter frustra cum Iudæis hæretici dicunt, veritas hebraica, veritas hebraica, vt ex Apologetico Castrij ad problema 189. Veneti monui. R. Elias de inuentione punctorū. R. Hammay & Asse.

Hic autem explicandi modus aliquam cum Græcorum Prosodica cognationem habere videtur, quæ consistit in tonorum, Spirituum, accentuum, punctorum, & hypostigmaton appositione, quæ tametsi nunc in nostris codicibus græcis adsint, antiquitus tamen sine accentibus conscripti erant, teste Epiphanio Salaminæ Episcopo lib. de partib. diuinæ Scripturæ, & Francisco Ximenio in editione noui testamenti; nec dubium est in textu græco multos decipi posse, nisi accentus, puncta, virgulæ, & cætera coniungantur, quod & in ipso latino, gallico cæterisque idiomatibus facilè contingeret punctis ablatis: In græcis exemplum afferunt in hoc textu Luc. 6, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. ἐπὶ γῆς εἰρήνη ἀνθρώποις εὐδοκία, in quo demptis punctis, nullâque distinctione interposita nescias, an sensus sit, hominibus datam fuisse pacē ob bonam eorum voluntatem, an verò cum ipsa pace bona voluntas data fuerit: quam controuersiam sustulit Origenes posito punctulo sub vltima litera dictionis vltimæ, vt εὐδοκίας cum affixo legatur, sitque datiui casus, vt sensum hunc textus efficiat hominibus bona voluntate præditis. Prosodica. Luc. 6. Origen.

Huius methodi manifestum exemplum dare possumus in Beresit, cuius radix est ראש, quæ pro punctorum, seu vocalium diuersitate legi potest ros, res, ris, ras.

Eoden modo ראשית potest legi rosit, resit &c. iuxta diuersa puncta: licet enim hæc dictio non alio modo, quàm resit legatur, sicut nec ros: attamen multæ sunt aliæ dictiones, quæ pro diuersis vocalibus, non tantùm variè sonant, verùm etiam diuersa significant: vnde factum est meo quidem, imo & aliorum iudicio, vt tantopere varient diuersæ codicis sacri versiones Aquilæ, Symmachi, Theodotionis, S. Hieronymi, & si quæ sint aliæ, quia easdem literas cum diuersis vocalibus legendas esse censuerunt, vt Leo Castrius in apologetico, & commentario in Esaiam ostendit, & Bellarminus, dum psalmos interpretatur: & ad problema Veneti 189 diximus. Beresit explicatur. Castrius.

Reliquas methodos omitto, vtpote quas fusè Senensis persequitur, qualue quispiam pluribus

Scripturæ locis applicare potest. Elementarem duntaxat explicandi modum in dictione Berescit discutiam, vt percipias quàm futilia sint Rabbinorum ingenia, qui in huiuscemodi rebus tempus insumunt.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quot modis Bereschit בְּרֵאשִׁית *explicari possit.*

OMissis vt dixi omnibus illis explicandi modis, quos Senensis refert, eos tantùm persequor, qui ad literarum commutationem, vel considerationem, atque syllabarum seorsim sumptarum significationẽ pertinere videntur, vbi secreta Rabbinorum accuratiùs perpendere poteris, atque videre, quàm inania sint eorum fundamenta; Putant igitur illi vnamquamque literam mysterium aliquod significare, quandoquidem ipse Christus testatur nequidem vnum legis apicem, seu Iota esse in scripturis, qui adimpleri non debeat. Hinc Bereschit ita possumus exponere, quatenus omnes literæ proprias significationes sibi vendicant, ב enim significat domum, seu penetrale; ר caput, ducem, & paupertatem: א principem, & doctrinam: ש dẽtem, ebur, & scopulum; י manum, & laudẽ: ת crucem, signum, & terminum; ex quibus si quis more Rabbinico philosophari velit, in primo scripturæ limine ב significabit sacrum hunc, atque diuinum codicem esse debere nostram domum, quã pro templo sanctissimo Deus optimus nobis ædificauit, qua ab omni frigore, niue, atque tempestatibus annuis protegeremur, quæque longissimè à nobis diaboli flatus, fluctus, atque tentationes arceret, hæc enim est regium illud penetrale, ad quod liberum habemus accessum, si fortè nos aduersarij nostri mundus, caro, dæmon persequantur, vt nostros paruulos ad illius altare, atque lapides allidẽtes, cõcupiscentiæ nunquam cedamus; hoc est penetrale, siue secretum, quod nobis proponitur, vt illud penetremus, quod tamen prophanis aperiendum non est; vnde & litera ב ex vnica tantùm parte nobis est obuia, quia soli fideles sancta mysteria in scripturæ penetralibus contenta reserare possunt.

Elementari explicatione Berefit illustratur

Significatio literæ ר

ר Resch idem significat, ac totum nomen Bereschit, cuius radix esse videtur, sed & paupertatem designat, nunquid vt nobis ostenderetur eum, qui caput nostrum est, esse totius scripturæ sacræ, & omnis veritatis fontem, & originem? eum inquam propter nos pauperem factum iri, quod in Galilęa, & in Bethleem apparuit, nec enim poterat reperire, vbi caput reclinaret, de quo psaltes, *pauper factus sum a iuuentute mea*; nunquid, & is, qui Christo capiti inhæret saltem affectu debet paupertatem diligere? cùm ipse dicat, exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis; & quidem tantopere fecit paupertatem, vt ei beatitudinem peculiarem assignarit; beati pauperes spiritu, cætera per te ex litera Resch erue.

א

Quomodo Christus, siue Deus sit scriptus liber intus & foris.

Tertia litera est א, qua docemur verum alphabetum Christiani Genesim esse, cuius litera prima Deus est, à quo procedunt, & in quem velut in omnium bonorum oceanum omnia refluunt: hæc ergo litera doctrinam significat; ecquæ Christianorum doctrina nisi vita, scriptáque foris, & intus, nisi verbum æternum, cuius internæ literæ sunt ideæ rerum omnium exemplares; externæ verò labores, & dolores, quos in proprio corpore libenter ob peccata nostra sustulit: internæ, decreta diuina, quibus nos ad æternam gloriam prædestinauit, si ei conformes fuerimus; externæ, media, quæ nobis ad eum finem suggerit, atque præparat, & diuinæ erga nos prouidentiæ executio: Internæ, diuinæ inspirationes, quas per se, vel per angelum nos illustrantem sæpe infundit, pulsatque fortiter, vt ei cor nostrum aperiamus, externę, ipsa Scriptura sacra, superiorum exhortationes, æqualium exempla, conciones, & omnes creaturæ, quæ Dei gloriam enarrant: Rursus א mille denotat, si vnum, aut alterum punctum ei superimponatur, non tantùm ex eo, quòd princeps mille sit custodibus circunseptus, sed quia Deus nobis est præ millibus, & millionibus custodum, imo & principum, in quibus minimè confidendum est, quia non est in eis salus Psalm. 117. Verùm si quis Deo confidat, & Christi Domini vestigia sequatur, etiamsi exurgat prælium, non timebit, & ab eius latere læuo mille cadent, & à dextris decem millia, quem ex millibus sagittis per aëra volitantibus ne quidem vna tanget. Psal. 117.

ש

Quarta littera ש non tantùm facit, vt aduersarijs præualeamus, sed & magnam voluptatem, qua perfruamur, indicat, Schin enim ebur significat, licet & dentem, & scopulum, atque lapidem, è quo velut è saxo durissimo manabit oleum: verùm ad domus eburneas animum conuertamus, quibus delectantur filiæ regum. Nunquid & Schin cum scopulis suis difficultatem ostendit, quæ in scripturæ lectione reperitur? quapropter hæretici perperam affirmant ab omnibus legi debere. Cæteris permitto, vt ש cum suo triplici cornu beatissimæ Trinitati applicent.

י Quid significet Iod.

Quinta littera י laudem, atque manum designat, idque peropportunè, cùm laus omnis Deo debeatur, cuius filius per manum denotatur, vt enim omnia per manum damus, & oblata excipimus, ita pater æternus nobis omnia per filium suum communicauit, ac vicissim mediante filio, quicquid offerimus, accipit, & approbat. Præterea ex י omnes literæ proficisci videntur, atque ex eo componi, sicut ex vnitate numeri, quæ si non componitur, neque ipsum Iod ex alijs conflatur; creaturas igitur cæteris alphabeti literis conferre possumus, Deum autem soli Iod.

ת

Sexta denique nostri Bereschit litera est vltima alphabeti ת, de quo iustum volumen quis scribere possit, cùm signum, terminum, atque crucem significet; sanè congruum erat, vt in prima dictione scripturæ legeretur is, quo cœli firmati sunt, in quo pater fecit omnia, atque crucis vexillum ostenderetur, sub qua strenuè militaremus; Igitur qui dixit in Apocalyp. *ego sum* α, *&* ω, iure posset asserere, ego sum א, & ת, principium, atque

atque terminus rerum omnium. Simili ratione quiuis verba singula Scripturæ expendere poterit, & ipse D. Hieron. aliquando literarum omnium significationes ad vnam orationem, vnumque sensum reuocauit.

ARTICVLVS TERTIVS.

In quo declaratur secunda explicatio elementaris Bereschit Caballistica.

CAballistæ in singulis ferè literis, aut versiculis nonnulla mysteria se detegere existimant, à quibus Mirandula in heptaplo non abhorrere videtur, nam omnes literas diuersa ratione cōponit, ac diuidit, adeout in hac sola dictione Beresit ea reperiat, quæ sequuntur. *Pater in filio, & per filium, principium & finem, siue quietem creauit, caput, ignem, & fundamentum magni hominis, fœdere bono:* Vbi ne minus fœliciter processisse videretur, explicat magnum hominem esse totum mundum, ac si vellet in homine tres mundos contineri intellectualem, cœlestem, & corruptibilem, est enim in capite cerebrum fons cognitionis; in pectore, cor fons vitæ, & caloris, in inferiori parte genitalia sunt principiū, seu fōs generationis, & corruptionis. Deinde nomine capitis, mundi supremum, medium igne, fundamēto denotat infimum, quas partes fœdere bono, amoreque mutuo inter se connecti certum est, quod fœdus bonum est, quia ad Deum totius bonitatis fontem dirigitur, vt quemadmodum totus mundus vnus est, ita & cum suo authore sit vnum: ex quibus rectè monet, vt mundani fœderis imitatione, charitate inuicem coniungamur, vt per veram dilectionem vnum cum Deo fœliciter euadamus. Verùm hic explicandi modus parū arridet, maximè quia Rabbinorum Ghematriam, & Notariacum imitatur, à quibus multa profecta sunt, quæ Magi frequenter vsurpant. Attamen regulas assignare velim, quibus aliquis, si lubet, sese in hoc explicandi genere exercere valeat, saltem vt eos refellat, qui hocce modo quosdam errores astruūt, decet enim eos, qui versantur in scripturis omni scientiarum, & artium encyclopædia instructos esse, vel vt Catholicos instruant, atque confirment in fide, vel vt Atheos, paganos, hæreticos, Iudæos, Schismaticos, & reliquos fidei hostes modis omnibus conuincant, & ad veritatem adducant, atque reducant.

De Pici explicatione.

Vt ergo mutationes omnes reperias, quæ in aliqua dictione Scripturæ fieri poterunt, imprimis literarum numerus aduertendus est: vt in hac dictione בראשית 6 habemus: deinde numeri totidem constituendi sunt facto ab vnitate initio, & ab ea per duplam proportionem ascendendo, donec numeri sint literis æquales: Tertiò illi numeri sibimuicem addendi sunt: 4. ex numero illo per omnium additionem conflato literarum numerus auferendus est, numerus enim residuus ostendet, quot mutationibus diuersis literæ transponi valeant. 5. vt summam omnium numerorum sibi iunctorum vnico deprehendas intuitu, numerum vltimum duplica, & ex summa resultante tollas vnitatem, residuum enim dabit numerum quæsitum: quorum omnium exemplum in dictione latina, DEVS, assigno, in qua sunt literæ 4, quibus totidē numeri in proportione dupla sese vincentes 1. 2. 4. 8. respondent, quorum summulam habes, si octonarium duplicaueris, nempe 16, & demas vnitatem, vt supersint 15. Verùm vt mutationes quælibet varientur, à prædicto numero numerus literarum nempe quaternarius auferendus est, vt mutationes vndecim reliquę sint, quas in illo nomine vides, *Deus, eus, dus. des, de, ds, du, en, ens, es, vs.* qua ratione progredi possumus in reliquis dictionibus.

Est & alia commutatio, in qua semper idem literarum numerus apparet, per quam omnia rimamur, quæ sunt in aliquo nomine, quocúnque modo sursū déque vertatur, dummodo literæ omnes semper in qualibet mutatione remaneant: in quo hac ratione procedes in dictione nostra, *Deus*: Primo literarum numerus habendus est, vt suprà: Deinde totidem numeri serie naturali disponendi sunt incipiendo ab vno. 3 multiplicandi sunt inter se, nam productus inde numerus dabit quæsitum. Igitur pro 4 literis dictionis istius *Deus* sume hos 4 numeros 1. 2. 3. 4. quos omnes si in se inuicē duxeris, summula 24 resultabit, ideóque cōcludes nomen *Deus*, & alia quadrilatera nomina vigesies & quater, seu modis 24 posse variari, itaut in illis 24 commutationibus literæ diuersum ordinem seruare cogantur, vt in exemplo nostro patet. *1. Deus. 2. Desu. 3. Duse. 4. Dues. 5. Dseu. 6. Dsue. 7. Edus. 8. Euds. 9. Eusd. 10. Edsu. 11. Esdu. 12. Vdes. 13. Veds. 14. Vsde. 15. Vdse. 16. Vesd. 17. Vsed. 18. Sude. 19. Sdue. 20. Seud. 21. Sued. 22. Sdeu, 23. Sedu. 24. Esud.*

Modus hic anagrāmatismus dici potest, quo omnia possibilia anagrammata certissimè reperias.

Habes ergo in vna dictione 24 commutationes; & dictiones, siue illæ significent, siue non, præter quas impossibile est nouas alias in dictione *Deus*, reperire, quibus si præcedentes 11 adiungas, vel potius 10, quia Deus in vtroque modo reperitur, in vna 4 literarum dictione 34 mutationes diuersas, imo & dictiones habebis, tametsi non omnes significent.

Aliarum dictionum commutationes facilè quis ex dictis inuestigabit: tantummodo id in gratiam nostri Beresit sex literarum demonstrabo, alia subiuncturus, vbi de vi nominū postea aduersus Caballistas agam. Numerus ergo literarum est 6, cui numeri 1. 2. 3. 4. 5. 6. respondent, quos si inter se duxerimus, summa 720 producetur, atque adeo in Beresit dictiones siue vtiles, siue inutiles septingētæ, & viginti continentur, quas eruere poterit, cui otium suppetet: quibus si 56 alias commutationes, in quibus non omnes literæ reponuntur, addideris 776 dictiones in בראשית reperies, quod sanè stupendum est. Cogita verò quantus commutationum numerus ex toto alphabeto 22, aut 24 literarum oriretur, si quis inuestigaret, quot dictiones ex eo confici possint, quod in prædicta quæstione contra Cabalam ostendemus.

In dictionē Beresit 776 dictiones reperiri possūt nulla litera de nouo addita.

Ad hunc modum referri potest, quod alicuius literæ valorem arithmeticum ad aliquod mysterium referunt, vt in Beresit, beth valet 2, quo duplicem in Christo naturam significant; vel legem scriptam, & naturæ, vel aliquid aliud, quod binarium includit, idemque de cæteris esto iudicium: ב etiam pro vita, atque sole vsurpant; ר pro Ioue, & progenie; & potiùs incœpisse volunt Mosem à ב.

quàm ab א, quia ב eſt litera benedictionis, א verò maledictionis: per ב denotant præſens, & futurum ſæculum, per ב, & ר thronum honoris, quia eleuandi ſunt oculi ad Deum, vt apud Bahal Hathurim videre potes. i. Magiſtrum ordinum, qui per א primum diem menſis intelligit, & ex Bereſit per commutationem literarum ablato א facit bethirſi, i. in Septembri, quo mundus creatus eſt; Addit bara ſete. i. creauit duas leges: & iare Sabath honorandum ſabbathum, quod propter illum Deus mundum creauerit.

Verùm quæ בעל הטורים baal haturim, ſeu Patronus ordinum habet, parum ſolida ſunt, vt enim ait legem à litera ב, non autem ab א incipere, quia hæc litera ob dictionem ארר arar, quæ idem eſt, ac maledixit execratus eſt, maledictionem ſignificat, & ב ob ברך barac. i. benedixit, deſignat benedictionem, ſic etiam poſſet aliquis dicere legem à ב incipere, quia בעט bahat calcitrare ſignificat, non autem ab א. quia אבה velle, & acquieſcere denotat, vel quod omnino benedictioni repugnat à ב incipere legem, quia בגד ſignificat, præuaricatus eſt, non autem ab א quia אשר idem ſonat, ac fœlix fuit. Nec melius eſt, quòd præſens ſæculum & futurum per ב ſignificari vult, quod ב valeat 2, id enim æque poterit ad 2 peccata referri, quæ populus Dei feciſſe dicitur.

Eiuſdem rationis eſt, quod per anagrammatiſmum בראשית reddit בית ראש bet roſc. i. domus capitis, ſeu principis, in quam primùm omnium intendere debemus, iuxta cap. 17. Ierem. verſic. 2. Ita de ברא שתי creauit duo, ירא שבת honorabile ſabbathum ברית אש pactum ignis, quo circuncitionem à gehenna liberantem intelligunt, dicendum eſt. Nec magis arridet, quod per Ghematriã, & adæquationem numerorum aiunt RR. בראשית quod 1116 valet, reddere בראש השנה נברא bros haſſana niura. i. in principio anni creatus fuit, mundus ſcilicet, quoſt eſt eiuidem valoris, nempe 1116. Quo etiam modo בראשית aiunt idem valere, ſeu eundem numerum conficere, ac בתורה יצר batora iathar, nimirum 913, quod eſt, in lege formauit: vel שש סדרים ſceſe ſedarim. i. ſex ordines, in quos Thalmud diuiditur: vbi tamen in numeris Baal hallucinatur, nam hæ 2 dictiones 914 efficiũt.

Addunt ab his literis ישראל בחר בעמים Iſraël bachar baamim numerum eundem 913 effici. i. elegit Iſraël præ populis.

Rurſus Bereſcit tantundem aiunt valere, quantũ בראשית רקיע ארץ שמים ים תהומות, *bereſcit rakia ereth ſamaim iam tehumot*. i. in principio firmamentum, terra, cœli, mare, abyſſi. Denique in bereſcit inueniunt, in principio vidit Deus, quòd recepturus eſſet Iſraël legem בראשונה ראה אלהים שיקבלו ישראל תורא Bariſona raah Elohim ſcicabelu Iſraël tora. Hæc ſunt, quæ Cabaliſtæ comminiſcuntur aſſumendo quamlibet dictionis alicuius literam, vt ſingulæ literæ dictionem integram efficiant: Sanè demiror eorum ſolertiam, qui ex qualibet dictione æque poſſunt inſurgere, vt aduerſus Scripturam ſacram, & legem diuinam quæcunque dicant, ac vt pro ea dimicent: Eapropter friuolas iſtas explicandi rationes omitto, vt pergam ad alias.

Sæpiùs etiam Rabbini primam literam alicuius libri cum vltima eiuſdẽ coniungentes, noua myſteria eliciunt, ſic enim primam, & vltimam literam Pentateuchi iungunt, vt fiat לב .i. cor, ac ſi Deus ſignificare voluerit quæcunq; in Pentateucho habentur, ex toto corde obſeruanda eſſe, vel pretioſa cordis inſtar habenda, vel ab eis vitam animæ, vt à corde corporis vitam dependere. Quibus ſimilia plurima vi præcedentium regularum fingere poſſumus, ſed cum ea vel nutent, vel nullum fundamentum habeant, ea in medio relinquo.

ARTICVLVS QVARTVS.

De reliquis expoſitionibus.

FRequens eſt ille modus, quo numeros omnium literarum propoſitæ dictionis ad aliquod Dei nomen referunt; deinde poteſt explicari bereſit per phyſicam relationem ad vniuerſum, tertiò propheticè, quibus modis definitiuam explicandi partem concludunt. Inuentionem, quæ vel eſt Tropica, vel Topica, Chronica, phyſica, mathematica, & ethica, ſicut & diſpoſitiuam, quæ eſt tranſlatio, vel ſtigmatica, ſyllabica, partitio, epitome egloge, notariaca, paraphraſis, lexice, Annotatio, commentatio, ſciographica, tabellaria, enarratio, collatio, meditatio, poëma, epiſtola, inquiſitio, coaceruatio, thematica, collectanea, ſcholaſtica, & pandeſiaca, vide apud Sixtum l. 3.

Primus modus explicandi Scripturam ex Rabbinis. Gen. 4.

Supereſt vt illos 13 modos breuiter inſinuem, quibus in Talmud vtuntur Rabbini, quos R. Iſmaël compilauit: Primum vocat Kal vahomer, leue & graue, quod idem eſt, ac locus à comparatione minorũ, vel maiorũ; à maiori ad minus habes c. 4 Gen. v. 24. cùm Lamech ait vindictã de ſe ſeptuagies ſepties ſumendã; quod ſic explicãt, ſi Cain qui ſumma malitia fratrem occidit, nonniſi poſt 7 generationes pœnas dedit; ego, qui Cain occidi, ſed nihil tale cogitans, non luam pœnas niſi poſt 77 generationes à minori verò ad maius: id Num. 12. v. 14 explicant: *Si pater eius ſpuiſſet in faciem illius, nonne debuerat ſaltem 7 diebus rubore ſuffundi? Separetur 7 diebus extra caſtra*: i. ſi Maria à patre reprehenſa patris aſpectum 7 diebus fugere deberet, quanto magis à me, inquit Deus, obiurgata? cùm meam maieſtatem ſub ſpecie nubis in caſtris apparentem extimeſcere debeat? eijciatur ergo 7 diebus extra caſtra. Hos autem modos duplices aiunt Metaphoras, ſeu dilucidũ, quando ſenſus clarus eſt, & euidens, vt Ierem. 12. v. 5. *Si cum pedibus currens laboraſti, quomodo contendere poteris cum equis?* & Satum. i. obſcurum. Numer. 12. Ierem. 12.

Secundus modus.

Secundus modus eſt Gezera Scaua, decretum æquale, vel Halaca lemoſe miſinai. i. Traditio Moſis è monte Sinai; nos à pari vocamus: quando dictiones eædẽ in duobus Scripturæ locis repetũtur, quæ tamen ad ſententiã nihil facere videntur, tunc poteſt hic latere argumentũ à pari, vt Exod. 22 v. 7. hæc verba ſuperflua aiunt; *Si non miſit manum ſuã in op⁹ ſocij ſui*, & v. 10. *Si nõ miſerit manũ ſuã in opus proximi ſui*, quę verba ſi tollãtur, integer ſẽſus remanet; Exod. 22.

imo

imo malè cohæreret oratio, inquiunt, sibique repugnaret, nisi superfluæ essent, quia sequeretur vnam, & eandem rem à fure nescio quo, & ab eo, apud quem deposita fuerat ablatam dici: Hinc itaque desumunt argumētum à pari; quemadmodum boum, asinorum, &c. custos tenebatur iurare eiusmodi animalia vel mortua, vel abacta fuisse, vt lex expressis verbis iubet; ita depositarius, etsi lex verbis expressis non præcipiat, eadem iusiurandi pœna, sine religione tenetur. Quam rationem à pari neminem aiunt refellere posse, si in vtróque loco dictiones superfluæ sunt, si in vno tantùm, posse refutari, vt Leuit. 7.18. *Iniquitatem suam portabit*, necessarium esse volunt; c. verò 19. v. 7. superfluum: vnde inferunt à pari, mortis pœnam æquè intelligendam esse in priori textu, vbi nō est expressa, ac in posteriore, vbi expressa est, quod tamen refelli possit: Quod si in vtróque loco dictiones necessariæ sunt, nil inde colligunt. Sed hoc argumentum non agnoscunt, nisi cùm de eadem materia agitur: nec in foro iudiciali permittunt aliam rationem à pari excogitare, præter eam, quæ à Mose per manus ad nos peruenit. Verùm hic explicādi modus mihi videtur parum solidus, quo minimè debemus vti, nisi cætera congruant, ac vero sensui faueant.

Leuit 7. & 19.

Tertium vocāt Binian ab micatub echad, id est, ædificium patris ex vno Scripturæ textu, quando multa loca ex vnius intelligētia dependent, adeout ad illum velut ad patrem, vel potius clauem atque finem reducantur: ita ex Leuit. 4. v. 17. colligunt die, non nocte comburenda esse ea omnia, quæ Moses comburi iussit, tametsi non explicet alibi tempus, nisi loco cit. *Et residuum de carne sacrificij in die tertio igne comburetur*: Hic ergo text⁹ parat ædificium, éstque pater aliorum textuum, in quibus circunstantia temporis reticetur. Hinc concludunt Scripturam non vti repetitione, sed vt plurimum breuitate gaudere, adeout cùm multi loci sunt affines, vnus contineat, quod omnibus inseruire debet.

3, 4, 5, & 6. modus.

Leuit. 4.

Reliquos modos breuiter enumero, quos apud Aquinum latiùs expositos videre potes. Quartus igitur Chelal vperat. i. generale, & particulare dicitur: Dialectici genus appellant, quando genus, vt animal ad species sequentes restringitur, ita Leuit. 1. v. 2. *bos & pecus* restringunt animal. Quintus prædicto contrarius species ad genus extendit, vt asinum ad animal Exod. 22. v. 9. diciturque miperat velal. i. particulare, & generale. Sextus est Celal vperat velal cata dan ela ceen hapetar. i. generale, & particulare, & generale; qui locum habet, cùm generale declaratur per particulare, & istud particulare rursus per aliud generale explicatur: exemplum habes Deut. 14. v. 26. vbi leguntur duo generalia, *Omni, & omnibus*, inter quæ particularia ponuntur, *bos & pecus, vinum & sicera*: ex quibus colligunt nihil addendum esse, nisi sit eadem proprietate affectum, qua ista particularia; itaque hæc particularia sunt *filij filiorum terræ*. i. res natæ de rebus in terra natis; nam vel sunt, vel esse possunt taurus, & vacca, ex quibus bos ille natus est, vel saltem est eius species in rerum natura: ita & vites existunt, aut existere possunt, vnde vinum collectum est, & arbores, ex quibus sicera expressa: potes ergo, inquiunt Rabbini, alterius animalis carnem vt ceruinam comedere: sic etiam cerasa, nuces, oliuas &c. quæ sunt filij filiorum terræ;

Leuit 1.

Exod. 22.

Deut 14.

non autem cucumeres, pepones, legumina &c. quę non ita sunt filij filiorum, quia radices, & plantæ, vnde nascuntur, non in multos annos durant, sed statim pereunt.

Septimum modum vocant à generali præcepto, quod eget particulari, & à particulari, quod eget generali: ita c. 13. Exod. & 15. Deuter. explicant, nam primo loco dicitur, *sanctifica mihi omne primogenitum*, & posteriore, *masculinum* legimus; ideóque per particulare exponimus generale de masculo non quolibet, sed primogenito per generale, vbi de apertione vuluæ sermo fuit.

Modus 7, 8, 9, & 10. 13 Exod. Deut. 15.

Octauus sic exprimitur: Omnis res, quæ est in generali, & exiuit è generali ad docēdum, non ad docendum super seipsam exiuit, sed ad docendum super generale tota ea exiuit; vel quod eodem recidit, quod dicitur de vna specie, dicitur de omnibus, quorum exemplum habes Exod. 22. vers. 18. *præstigiatricem non sines viuere*, vbi per præstigiatricem, seù maleficos, omnes species Genethliacorum, Diuinorū, & Magorum intellige, quos interfici lex iubet. ita & Leu. 20. v. 27. cùm obrui iubet Deus *pythonem vel diuinum*, in omnes fert lapidationis legem, atque pœnam, qui magicas artes exercuerint.

Exod. 22.

Leuit. 20.

Huc referunt id Exod. 35. v. 2. vbi iubetur sabbatho nullum opus fieri: & v. 3 prohibet Deus, ne sabbatho faciant ignem in habitaculis; ex quibus concludunt alicubi, nempe in templo licitum fuisse, vt ignis fieret, Leuit. 6. sic enim ex eo, quòd particulare præceptum seorsim à generali exprimitur, aliquid pro generali, & aliquid pro particulari concludunt; pro particulari igitur concludunt fuisse licitum ignem in templo facere, pro generali nihil præter ignem.

Exod 35.

Leuit. 6.

Nonus est, cùm res aliqua, quæ speciei naturam induit sub genere contenta, ab eo separatim exprimitur, vt quidpiam statuat, quod sit eiusdem subiecti cū suo illo genere: exprimitur ad minuendum, non ad augendum: exemplum afferunt, ex 13. Leuit. vbi נגע plaga, est nomen generale, quod continet omnes species lepræ: nempe Schin שחין, & Mehia, atque Micna: qui enim S. hin. i. adustione affectus erat, 7 diebus includebatur: nec pluribus includi poterat Micna tactus, qui tamē immundus pronuntiari poterat, si Mehia accederet: vide c. 13. v. 2. 10. 4. 5. 11. & 18.

13 Leuit.

3 species lepræ.

Decimus sic exprimitur: si res illa separatim exprimitur ad statuendum aliquid aliud, quod non sit eiusdem rationis cum suo genere, ea propter exprimitur, vt pro se aliquid & minuat, & augeat: quod eod. c. Leuit. ostendūt, vbi ex tumore carnis, & pilo albo in plaga cuiuscúnque partis cutis, Sacerdos immundum aliquem iudicare posse videbatur iuxta præceptum generale; verùm per particulare caput, & barba excipiuntur, debet enim in ijs partibus esse pilus rufus, vt quis immundus ex plaga harum partium iudicetur, vt legitur. v. 29.

Vndecimus modus hic est. Particulare præceptū, quod cōtinetur in generali, & separatim exprimitur, vt de noua re iudicet, non potest reuocari ad generale, donec illud Scriptura sacra clarè, & apertè reuocarit; quod ex Leuit. 7. probant, vbi agitur de præcepto Aasam i. delicto, & c. 14. de sanguine Aasan, quem licet Sacerdos auri, pollicique leprosi affricuisset, eodem modo spargere debebat, ac antea, quia Scriptura hoc particulare, ad generale reducit. v. 13.

Modus 11, 12, & 13.

Leuit. 7. & 14.

Duodecimus est, cùm res te docet, quidnam de ea sentire debeas è materia, de qua in Scriptura tractatur, & quæ idem docet ex fine, seu verbis vltimis sui tractatus: ita iudicant Exod. 20. v. 14. *non furaberis*, de fure גנב goneb intelligendum, cuius tamen vltimo supplicio punitur, quia ibi de criminibus capitalibus agitur, tametsi aliàs dicatur etiam de eo, qui pecunia mulctatur, vide Gen. 22. v. 1. & Deut. 24. v. 7.

Exod. 20.

Genes. 22
Deut. 24

Per 13. modum duo loci Scripturæ inter se contrarij videntur, donec accedat versus tertius, qui inter eos excitatam litem veluti dirimat: nefas enim putant existimare locum aliquem esse in Scriptura, qui alteri repugnet, vt Num. 7. v. vltimo legitur. *Cùm veniret Moses in tabernaculum conuentus*; & c. 40. v. 34. *non potuit ingredi Moses ad tabernaculum conuentus*, qui loci viderentur contrarij, nisi Scriptura adderet, *quia habitauit super illud nubes*. i. non fuit ingressus, cùm nubes occupauit illud, alioqui potuit. Sanè similes modos expositorios excogitare possemus, eósque longè plures, si per omnia loca dialectica, atque rhetorica, eiusque figuras progredi vellemus; At cùm hæc minus solida videantur, de his satis superque dictum est.

Numer. 7.

ARTICVLVS QVINTVS.

De nouis rationibus, quibus mundi primordia nonnulli explicant, an sint legitimæ.

Stulta quorumdã opinio.

SVnt qui rerum omnium creationem ita exponant, vt priùs locum factum esse dicant, qui sit prima substantia, incorporea, immobilis, apta ad omne corpus recipiendum, quam initium habuisse non possimus ratione demõstrare, sed fide sola credamus; qui nullas contrarietates patitur, neq; sursum, vel deorsum admittit, quem extra mundum in infinitum extendi ad modum spatiorum imaginariorum concipiunt, de quibus Philosophi atque Theologi loquuntur.

Impossibile est talem esse substãtiam præter Deum, quẽ aliqui hoc fortè sensu locũ rerum omnium appellarũt.

In istius spatij medio vacuo Deum posuisse materiam. i. corpus inconstructum, aptum tamen ad constructionem recipiendam aiunt, eique duas causas agentes apposuisse calorem, & frigus, quæ in illam materiam agentes duo prima mundi corpora effecerint; calor enim cœlum ex materia deuicta, & attenuata; frigus verò terram ex portione concreta, & condensata produxit, inquiunt, & sic exponũt. Calor robustior citò portionem suam attenuauit, qui vndequáque prosiliens in superficiem, vbi sursum collocamus, accessit, & frigus inimicum fugiens in gyrũ actus, cœlos expãdit. Deinde stellæ factæ sunt in illis partibus, in quibus sese magis vniuit, atque condensauit, túncque refulsit, idque in extremo cœli, vbi ab inimico frigore terræ non poterat impediri, illicque stellarum multitudo facta est.

Quomodo omnia facta sint ex sententia Campanellæ.

Luna verò, quia terrę vicina est, ex partibus minus puris constituta est, ex se non lucentibus; at sol calorem magis vnitum habuit, vt lucem haberet, qua continuò terram oppugnaret. Vbi frigus percepit calorem ita in gyrum abire, molem suam constipauit, & vndequáque fugare volens inimicum, circularem fecit, vt se meliùs tueretur, adeout immota persistat in medio, quia semper ab inimico calore oppugnaretur, quocunque ferretur. Præterea materiam asserunt esse corpus, cuius formæ sint ipsæ figuræ, & extremitates, sed quę minimè videantur, nisi coloris beneficio, qui ex tenebra materiæ, & luce solis componatur, quæ lux est albedo viua, sicut albedo nostra mortua lux. Lucem verò colorem vocant caloris, seu speciem, faciem, & apparentiam, adeout calor prout oculis obijcitur, vocetur lux, vt tactui, calor: sicut & frigoris, atque materiæ faciem, nigredinem appellant, quę rebus immobilibus conuenit, vt terræ, sicut motus, calor, color, atque lux cœlo.

Noua de luce & calore philosophia.

Hinc fit, vt duo tantùm in mundo rerum principia constituant, frigus, & calorem, quorum facies sint lux, & tenebræ; operationes, motus, & quies, rarum & densum, humidum, & siccum; quæ omnia fiant in materia, voluntq; Parmenidem per priuationẽ, frigus, per habitum calorem intellexisse. Calorem autem, & frigus accidentia nolũt appellare, quia non fiunt per accidẽs, sed intenta sunt à natura, sine quibus mũdus nihil est; nec substãtias, quia non subijciuntur, sicut corpus, & locus, sed causas agentes, vt principes, quia omnia faciunt, nec fiunt ab alijs, quandoquidem motus non facit, sed excitat calorem. Hæc igitur principia statuunt in quolibet corpore, & aiunt esse substantias; calor enim producit ignem, at ignis est substãtia, igitur & causa producens, nempe calor: ignem autem negant esse siccum, & humidum arbitrantur, quia terminis alienis facilè circunscribitur, & densitatẽ à frigore genitam in tenuitatem deducit, postquam illam ad lentorem, mollitiem, viscositatem, lubricitatem, fluorem, & vapores adduxit, quod in cera possumus experiri; tenuitas verò est explicatio materiæ, densitas constrictio.

Calor, & frigus rerũ omnium principia Campanellistica.

Vt verò probent ignem humidum esse, negant ab eo siccitatem produci, sed tantùm latẽtem manifestari, dum ex partibus dissimilaribus tenues & humidas educit, vt potè sibi conuenientes, idque ex eo patet, quòd non exsiccet humida, vt aquam, nec alia, quæ partibus homogeneis cõstant, vt aurum, sed in liquorem, & vapores conuertit, vbi verò traxit humidas partes ex luto, siccæ remanent, nec latent ampliùs. Negãt autem aërem, & aquam esse elementa, quia sibi similia non generant, sed aërem portionem cœli à frigore oppugnatam, & solis calore refectam aiunt.

Alij materiam tenebrarum instar creatam esse fatentur, quam nomine corui nigri nonnunquam Chymici significant: sed in ea quæcunque postea vidimus, inclusa fuisse: quæ sol calore suo potentissimo eduxerit: quod vt explicent, quibusdam exemplis vtuntur, & existimãt cessante solis calore omnia in pristinum statum reditura: ex ijs autem aliqui putant lucem illam, quam Deus fecit, cœlum empyreum constituisse, deinde rebus omnibus, soli præsertim sese communicasse; alij putant lucem in illa materia collocatam, quæ postea nostrũ ignem produxerit, vi cuius elementa distincta fuerint

Aliorum sententia.

runt; igneum ergo spiritum formarum originem appellant, & lucis viuacissimæ effectum.

De operatione ignis

Ignis ille res densas vsque ad centrum penetrat, & eas aperit, dilatat, resoluit, attenuat, volatilésque facit, vt sursum eleuentur: homogenea congregat, digerit, maturat, fixat, atque perficit, heterogenea incidit, disgregat, pellit, & reuerberat, quem à Spiritu sancto productum aiunt; vnde Chaldæorum oracula Spiritum sanctum amorem igneum, Deū ignis, & numen spiritus, spiritum intellectualem, & igneum non habentem formam, sed in quamcúnque voluerit sese transformātem, & se vniuersis coæquantem appellasse contendunt; & Zoroaster, atque Heraclitus omnia ab vnico igne genita dixerunt.

Democritus verò, & Orpheus, alijq; Pythagorici omnia dijs plena esse arbitrati sunt, quos tamen ad vnum Iouem referebant, quia diuinæ illius naturæ virtutem omnibus creaturis inferioribus secundum plus, & minus inesse percipiebant.

Tres dies aiunt spirituales.

Tres autem conditionis mundi primos dies spirituales vocitant, quia, inquiunt, ipse Spiritus sanctus ad modum solis tribus diebus totam massam circuiuit, ita vt primo die partem supremam illuminarit, quæ empyreum dicta est; secundo partem cœlestem, 3 hanc elementarem, quo totus mundus, quoad has tres regiones diuersas completus fuit, sicut mundi decor alio dierum ternario virtute solis perfectus est; sed ille primus ternarius beatam Trinitatem referens megalocosmo, secundus verò microcosmo manum vltimam adhibuit.

Productionis mundi explicatio per exempla chymica.

Elementorum, & mundi sublunaris productionem exemplo chymico explicant; Nam spiritum è vino extrahunt, deinde oleum, quod spiritui innatet, tertio phlegma, post quod fœces remanent, quas mortuum caput appellant; quæ cum in vitro rotundo hermeticè sigillato incluserunt, vase per integram noctem quiescente, quinque regiones apparent, quarum inferior nigra est, & obscuritate velata, super qua portio phlegmatis residet; quam oleum ex fœcibus extractum operit; sequitur vini spiritus, ex quo oleum extractum ordinem quintū obtinet; qua ratione volunt ex cœlo empyreo crassiores spiritus tenebrarum exturbari, quibus elementum ignis constitueretur; qui cum è media regione, siue æthere deijcerentur, in aëris substantiam conuersi sunt; denique pulsi ex infima regione produxerunt elementum aquæ; horum autem omnium sterquilinium, & caput mortuum terra statuenda est; cuius immunditiem aqua velut infima pars aëris sequitur, tum aër, ignis, & quinta essentia, quæ vini subtilissimæ parti respondet: aqua ardens, quæ 3 veluti partes essentiæ quintæ, & vnicam phlegmatis continet, ignem; pars illa quæ dicitur aqua vitæ communis duas habens vini partes, & aquæ totidem, aëré: denique pars phlegmatica spiritus ferè nihil continens, aquam, caput mortuum in cucurbitæ fundo residens, terram refert.

Explicatio creationis mundi per musicam.

Vnde constat terrā esse fœcem spirituum cuiuslibet cœli, & tenebrarū coaceruationem; aquā esse crassiorem spiritum tenebrarum infimi cœli luce ferè vacuum, qui pro maiori, vel minori lucis participatione in varia metalla conuertatur. Totum verò mundum monochordo Harmonico comparant, in quo mundi spiritus, vel anima, vel potiùs ipse Deus extra monochordum positus omnes cōsonātias edat, & voces acutiores efficiat in creaturis, quæ sibi propinquiores sunt, sicut is qui fistula canit, voces acutiores per foramina, quæ eius ori propinquiora, grauiorem per remotiora producit: vt vox grauissima, & ignobilissima, magis ad silentium, & tenebras, atque horrorem materiæ accedens ob nimiam aëris densitatem, & spiritus adsistentiam terram referre possit. Volunt enim lucem in mundi materiam eo modo agere, quo hominis spiritus in aërem; chordam aiunt esse mundi materiam, instrumentum verò monochordum Macrocosmum; in quo scala interuallorum musicorum disponatur, quorum primum sit Γ deinde A, &c. vt in scala musicæ habetur; monochordum à summitate cœli empyrei extendunt vsque ad basim terræ, cuius dimidia pars si prematur, Diapason edatur.

De varijs tonis, & consonātijs in elementorum, atq; cœlorum magnitudine spectatis

In terra collocant frigiditatem, crassitiem, & pondus, quæ se habeāt ad frigus, & materiam infimæ regionis vsque ad lunam protensæ, vt quatuor ad tria, quæ est proportio sesquitertia, quia in hac regione vnica tantùm quarta lucis, & caloris inest, vt ex aqua, aëre, & igne fiat Diatessarō, in quo terra sit instar Γ in Musica, vnitas in Arithmetica, & punctum in Geometria; est enim basis pyramidis materialis, quam ad Empyreum vsque pertingere volunt, quemadmodum aliam formalem lucis pyramidem ab empyreo ad terræ centrum imaginantur, quæ sit veluti diuinæ lucis reflexio, atque repræsentatio; hinc fit, vt aqua locum vnius toni, sicut & aër, ignis verò, vt aëris summitas semitonij duntaxat locum obtineat; Sequuntur 4 interualla vsq; ad Solem, nempe interuallum Lunæ, Mercurij, Veneris, & mediæ partis cœli solaris semitonio gaudentis, quod cum tonis ☽, ☿, & ♀ facit Diapente, ex quo, & prædicto Diatessaron nascitur Diapason, quod in media solis sphæra desinit, quæ propterea sphæra dicitur æqualitatis, quia duæ pyramides ibi sese intersecant, & materiæ, formæque nexus illic efficitur.

Diapason spirituale concipiunt ab ipso solis medio sursum versus, primò longè nobilius, cuius fundamentum sit perfecta consonantia Diapente, sicut elementaris imperfecta Diatessarō: Vbi pro semitonio reliquam Solis partem statuunt, adeout inferior pars Solis constituat semitonium minus, quo Diapēte octauæ inferioris perficiundum erat; superior verò semitonium minus, quo superioris octauæ Diapēte incipit, quę duo semitonia minora cùm minimè tonum efficiant, duæ quæ supersunt commata, sphæræ æqualitatis, atque Soli tribuunt æquilibrium; sphæræ autem Martis, Iouis, & Saturni tonos complectuntur, quibus Diapente nouum constat, cui Diatessaron spirituale superimponunt ex infima cœli empyrei parte conflatum, quę tonū efficit, vt & media, suprema verò semitonio respondet. Manus autem, seu potestas diuini numinis illius monochordi fides laxat, aut intendit pro voluntatis arbitrio, eóque mirabiles consonantias edit, atque suauissimam harmoniam componit quæ tam cœlestes incolæ, beatorúmque mentes, quàm mortales facilè rapi valeant; cuius figuram Robertus Flud exhibet tract. 1. l. 3. de Musica mundana. Flud.

ARTICVLVS VI.

Quid sit de prædictis opinionibus sentiendum.

PLurimi neoterici, qui partim Platonicos sequi, partim magiam stabilire volunt, in antiquorum opiniones relabuntur, quos iamdudum Aristoteles, & alij Philosophi, atq; Theologi refutarunt: Sic enim apud Aristotelem lib. 2. c. 1. quidã arbitrabantur mare genitum esse ex sudore terræ, idque per Solis calefactionem, vnde volebant salsedinẽ contraxisse, quia sudor salsus, est quomodo aërem, & cœlos productos fuisse recentiores isti Anaxagorici putant, vt Deus primò creauerit terram, & lucem, quæ per 6 dies creationis radijs suis omnia separauerit à chao, & vnumquódque suum in locum attraxerit.

Aristot.

Opinio antiquorũ de maris generatione.

Mundus totus arbori comparatur.

Constituunt illi totum mundum arboris instar, cuius radices sit terra, truncus aqua, & aër, planetę, & stellæ flores, & fructus, sol verò rerum omnium semina contineat, vt patet cùm hic omnia producit; alij terram aiunt esse cineres arboris combustæ, reliquę verò partes esse subtiliores; alij terram vt cadauer esse volunt, in qua quicquid producitur eo modo per corruptionem fiat, quo vermes ex cadauere progignuntur. Verùm præterquam quod hæc omnia ridicula videntur, multos errores continent, quorum alij ad Philosophiã, alij ad Theologiam spectant: sicut & opinio Paracelsi, qui omnia per naturalem segregationem facta esse lib. ad Athenienses protulit, in quo teste Erasto parte 1. suarum disput. in Paracel. scripsit plurima monstrosè; *Nihil*, inquit, *tam præposterè, tam inconditè, tam monstrosè, tam impiè, tam sacrilegè scriptum excogitari potest, quàm sunt, quæ in hunc librum ex spurcissima mente expuit. Sic inter se pugnãtia eructauit ebrius Sannio, vt non mirari, sed planè stupere cogat attentum lectorem.*

Erastus.

Paracelsi portentosa opinio de mundi productione.

Igitur Paracelsus ex mysterio magno, id est, materia res omnes nõ per creationẽ, sed per secretionẽ emersisse affirmat, quã materiã veluti matrem rerum increatam ait, & limbum magnum vocat. l. de podagra cœlos ait sicut & aërem, terram, & aquã ex angelis facta esse, angelos autem ipsos ex prædicto limbo prodijsse: vno verbo res omnes in materia contentas fuisse ait, eo modo, quo in composito pharmaco discrepantes vires continentur; in vrina 4 elementa, in trunco Mercurius; in lacte serum, caseus, & butyrum; in gleba vna metalla; in massâ sanguineâ phlegma, & vtráque bilis. Ex hac materia, tanquam è magno mysterio, per magiam (diuinam vocet, an naturalem, ignorat) omnia segregatione perfecta narrat; præsertim verò ignem veluti matricem firmamenti; aërem vacuũ receptaculum visibilium, & fatalium creaturarum; aquam cubile nympharum; terram denique coagalatum hospitium nescio quorum spectrorum; hæc sunt, quæ de prima segregatione commentus est, de secunda verò hæc habet.

Varijs exẽplis explicat omnia in materia inclusa fuisse.

Ex igne cœlum, & astra prodierunt, quæ in eo præcesserant, sicut folia, flores, & fructus in arbore; ex aëre genita sunt facta, impressiones, incantationes, superstitiones, veneficia, visiones, sortilegia, diuinationes, Melesinæ, Diemeæ, Drudales, Neusareni, spiritus, &c. itaut Diemeæ in lapidibus, Drudales in arboribus, Neusareni in poris terræ, spiritus in ipso aëre habitent, Ex aqua nati sunt pisces, sales, metalla, coralli, trina, citrones, monstra aquatica, nymphæ, Syrenes, Drames, Lorintes, Nesderi, & aliæ creaturæ rationis participes, quarum aliæ perpetua fruantur vita; aliæ intermoriantur, aliæ nasciturę adhuc sint, quia separatio nondum perfecta est in hoc elemento: E terrâ denique sensibilia, & insensibilia orta asserit, mortaliáque, & immortalia, gnomos, homines, feros, lamias, gigantes &c. vt quodlibet elementum tam ratione prædita, quàm eius expertia contineat.

Impiæ, stultæ, & fictitiæ Paracelsi opiniones.

At impium illum nebulonem relinquamus cum suis Deunculis, quos putat esse subsidiarios fabricatores, qui cùm artem Vulcaniã minus calleant, & diuersis malleis in hominum fabrica vtantur, inde homines inter se tam varios cernimus, & plures stultos, ac malè formatos; alioquin si omnes illius nugas referre velim, & Cholcodæam illã barbaram cum Auicennæ intelligentia, atque Platonicis minorum gentium creatoribus, infinitísque numero dæmonibus Paracelsicis in horas singulas morientibus, & orientibus conferre, simul & refellere, numquam fecero, vel in Epiphanium alterum conuertar, qui totus est in fabulis, & erroribus impiorum hæreticorum enarrandis, quandoquidem dæmon, vt Erastus aduertit, magna cum voluptate Deum, & omnes creaturas per Sanionem istum ridere voluisse videtur.

Erastus.

Nec alia refutatione indiget, quàm ea, quã Simõ Magus mundum à Deo creatum esse negans, Menandet, Saturninus, Basilides, Carpocrates, Cerinthus, Marcion, Cerdo, Manes, & Valentini doctissimè à patribus confutati sunt. Hinc autem non parum proficere possumus, vbi tenebrionem illum tot erroribus imbutum videmus, id enim iusto Dei iudicio contigit, vt qui per abrupta, & insolitam philosophandi viam, atque inauditas fabellas rem clarissimam obscurare voluit, nempe mundi creationem, in errores fœdissimos impegerit. Tametsi verò nonnulli contẽdant eum ita explicari posse, vt eius dicta cum vera fide conueniant, attamen non est, quod eius dicta, velut è tripode orta veneremur, & in bonum sensum explicare nitamur, præsertim cùm tot antea videret de rerum creatione verbis clarissimis, atque elegantissimis locutos fuisse, quapropter sumantur prout sonent, nec vllus Paracelsista conqueratur, si in illius assequenda mente verborum portenta accuratiùs expendere, & explicare nolimus.

Antiqui hęretici.

Clarum est cœlum, & terram initio à Deo creata fuisse, & singulis quibúsque senarij diebus, quos Moses describit, nouum aliquod opus à Deo productum esse, siue productionem cuiuslibet diei vocaueris creationem, siue quocũq; alio modo, parũ refert. Hîc autem minimè in dubium reuoco potueritne Deus vi lucis alicuius, aut solis initio conditi omnia ex terra, & chao formare, & in sua loca

Quis Deus potuerit.

loca statuere; enimuero iamdiu apud me statutum est Deum quæcumque, medijs quibuscunque causis voluerit, posse peragere, iuxta Theologorũ decreta, quæ illius omnipotentiâ nituntur: an verò mediante sole, vel illa primaria tridui luce aquam, aërem, cœlos, & eorum ornamenta paulatim vi caloris ex illo chao in sua loca traduxerit, aliud est; nec in ea parte quidquam debemus comminisci, quod ad Mosis historiam sacram, quæ sunt Dei verba, tanquam ad Lydium lapidem non expenderimus.

Qua ratio ne aliquid ex præcedentibus opinionibus admitti possit.

Itaque si prædictæ opiniones, quæ volunt lucem tridui se postmodum in solem contulisse, vel empyreum conflauisse, vel in singulis creaturis, in vnaquàque pro suo modulo, & aptitudine diffusam fuisse, & vi solis aquam à terra, aërem & cœlos ab vtrisque secretos esse, textui sacro possint accommodari, illas non ita reijcio, quin aliqua ratione admittam; Scio enim Deum tantam vim Soli conferre potuisse, vt omnia corporea, quæ 5 diebus referuntur, è materiæ sinu educere potuerit, si hominem excipis, cuius anima immortalis cùm sit, & spiritualis, à solo Deo creatur. Verùm id dici nec debet, nec potest, quia textus sacer sensum illum pati nequit; cùm vnoquoque die hoc, & illud Deus produxisse, vel si mauis creasse dicatur; nec vnum saltem verbum legimus, quòd in illa prima rerum omnium productione vi Solis vsus fuerit.

Cur illæ opiniones reijci debeant.

Modus facilis explicãdæ creationis rerũ

Hac autem ratione totum opus creationis optimè explicari mihi videtur, si primò concipiamus Deum creasse cœlum, & terram, vbi per cœlum nihil vetat, quominus cœlum empyreum, & aërẽ intelligamus, seu totam expansionem, quæ est ab empyreo cœlo vsque ad terram, cuius nomine velim intelligi totam aquæ, ac terræ massam, super qua tenebræ ferebantur, id est priuatio, vel negatio lucis aderat. Per spiritum Dei, qui ferebatur super aquas, non pauci ventos intelligunt, qui à Deo excitarentur, & huc illuc aquas commouerent, quibus terra obtegebatur, dum tenebris densissimis obduceretur: Quod si per cœlos lux aliqua possit intelligi, per tenebras nubes exponi poterunt, iuxta id Iob. 38. *Vbi eras, cum ponerem nubem vestimentum eius.* Per spiritum etiam alij Solem intelligunt, qui spiritum illis rebus tribuit, quas terra progignit; sic enim Eccles. 7. dicitur *lustrans vniuersa in circuitu, pergit spiritus*, hinc primo die solem factum esse putant aliqui, vt Alba refert, vt sit sensus, cùm terra nebulis obduceretur, Deus fecit solem, vt diuideret diem, ac noctem, quod ex c. 14. Eccles. confirmari videtur, *ego feci in cælis, vt oriretur lumen indeficiens, & sicut nebula texi omnem terram*; quod etiam Dionys. Areop. c. 4. de diuin. nomin. insinuat.

Iob. 38.

Eccles. 7. Alba.

24. Eccles. Dion. Areop.

Quibus tamen obstare videtur, quòd die quarto sol factus fuisse dicitur, nisi dixeris per repetitionem, & maioris explicationis gratia, quod primo die breuiter narratum fuerat, clariùs inculcatum fuisse. Licet verò lucem solis die primo statueremus, minimè tamen concedendum est illius virtute aquam à terrâ, & aërem ab aquâ separata fuisse, etenim experientia constat solem vix 8 dierum spatio cloacam aliquam mediâ licet æstate siccare posse, quomodo igitur totam terram, quam detectam videmus, vno aut altero die exsiccauit? nisi fingas eum longè, quàm nunc fuisse terræ viciniorem. De reliquis ad creationem attinentibus in explicatione textus diximus.

Si quis tamen roget, an sine fidei præiudicio affirmari possit Deum omnia corporea simul in aliqua massa, quam vocamus chaos, produxisse, præsertim elementa omnia, vel etiam omnia sydera, quæ postea vi solaris caloris excitata, separata, & in suum quæque locum redacta fuerint, & an sol herbas, plantas, animalia, piscésque virtute sibi à Deo inditâ produxerit. Respondebo id quidem non inuoluere repugnantiam, nec ita contra fidem pugnare, quin in concordiam redigi valeant; nam sufficere videtur, si verba Scripturæ sacræ suam veritatem saluam, & incolumem retineant; Deus enim non minus omnia diebus singulis produxisse dicetur, etiam si lux, & calor ad ea producenda concurrissent, non tantùm quia luci, calori, & soli vim omnem, quàm habent indidit, sed quia eam conseruat, aut continuò producit, & cum ijs ad omnẽ operationem concurrit, ijsque velut instrumentis summus artifex non pro necessitate, sed pro voluntate vtitur.

De consonantijs Fludi, & sensu Campanellæ non est, quòd hîc plura subiungamus, quia non ita faciunt ad rem, & deinceps, vbi res ita tulerit, de ijsdem edisseremus. Obiter verò quoslibet moneo, caueant à nouis opinionibus, quas in dies male feriata hominum capita generant, quæ ad veræ philosophiæ subuersionem sub aliquarum ratiunculatum vmbra ducunt, & Atheismum inuehunt, quas si accuratiùs expendas, suam infirmitatem manifestabunt, & protinus ab infirmo cerebro prodijsse iudicabis, vt suis locis infrà demonstrabo.

At de primo versiculo hactenus, nec enim plurimas quæstiones hîc affero, vt num ostendi possit, & ratione conuinci mundum creatum fuisse; num creandi potentia alicui angelo, vel alteri creaturæ communicari potuerit, an creatio Deum esse concludat. An per Elohim angeli possint intelligi. Quid sit creatio, an aliquid in Deo, vel in creaturâ ponat, & quî à cæteris productionibus differat.

Enimuero satis superque Theologi, atque Philosophi hæc omnia ventilarunt, nósque aduersus Atheos nonnulla diximus, quæ manifestò Deum esse conuincant, nam cuicumque opinioni, imo quibuscumque nugis Paracelsistarum, Campanellistarũ, Fludarum, & aliorum suffragaueris, semper ad aliquem recurrendum erit, qui ad minimum chaos illud megalocosmi produxerit, & alicui agenti siue soli, siue calori, vel luci vim illam tribuerit, quâ ex massa primaria, tametsi omnia virtute continente ex hypothesi, cætera visibilia eduxerit, & in lucem velut attraxerit, adeout neque vlla veritas, neque ipsæ fabellæ Atheis faueant. Neque enim chaos illud à se fieri potuit, nec illud æternum appellare potes, quod ante formarum eductionem per totam æternitatem extiterit, cùm non sit maior ratio, cur hæc, aut illa, hoc vel illo tempore in lucem prodierint, quàm ab æterno, nisi fortè dixeris chaos illud prius ex seipso formas illas, & mundi partes magis distinctas noluisse emittere, sed illud in tempora r[illegible]uasse, sic enim chaos illud voluntarium, & inte[illegible]ens, ac proinde Deum, hominem, vel angelum volens nolens cõstituere videreris; at nullũ ex istis instar chaos obijcere poteris, non Deum corporis videlicet expertem, neque eandem ob causam angelum, non hominem, qui sine organis debitè formatis esse nequit, quibus chaos omnino caret. Hinc fit, vt

chao voluntas, aut intellectus tribui nequeat.

Alias plurimas rationes omitto, quibus fictitiū illud chaos ratione pollens confutare poſſem, vt vnumquémque moneam, vnde plurimi circa Deum, vel mundi creationem errores manaſſe mihi videntur. Cum prima veritas, & primum ens veritates omnes ſecundarias, & alia entia præcedat, atque complectatur, eaque ſit infinita, & in omnia quacunque ſunt diffundatur, omniáque conſeruet, ac veluti manu teneat, ne in ſuum nihilum reuertantur, inde fit, vt mens hominum veritatis illius facta particeps non poſſit illam penitus ignorare, quippequæ momentis ſingulis in animum ſeſe inſinuat, at cum illam veritatem, & eſſentiam infinitam noſtra mens capere non valeat, ad tanti ſplendoris radios, & tantæ veritatis fulgorem non minus, quàm oculus noctuæ ad ſolis lumen caligat, retunditur, ac velut obcæcatur, ita tamen, vt confuſum aliquid vaſtum, & immane concipiat.

Vnde tot errores circa Deū, atque mundi originem pullularint.

Iam verò vbi mens hominis ex illis tenebris pro viribus erumpere nititur, & aliquid peculiare de illa veritate ſibi intima concludit, in varios errores paſſim abrumpitur, quia primum illud ens non intellexit, prout reuera ſe habet, vnde maxima falſarum opinionum ſylua conſequitur, quandoquidem minimus error in principio fit in fine maximus, ſicut punctum licet impartibile ductu ſuo maximam lineam producit. Hinc tot de creatione mundi ridiculas opiniones manaſſe arbitror, quapropter ne periculum illud ſubeamus, firmiter aſſentiri debemus ijs, quæ numinis diuini, ac veritatis, eſſentiæque infinitæ præco Moſes nobis enarrat, vt ſint nobis impoſterum ſolis inſtar, in cuius lumine per huius mundi tenebras cautè, atque tutò ambulare, & infinita ſanctarum literarum arcana reſerare poſſimus.

Quicumque verò ab hoc tramite deuiarint, & propriam imaginationem diuinæ reuelationi anteposuerint, ſuo damno. Faxit Deus, vt illi Libertini, impij, & Athei, qui Scripturas ſacras hactenus deriſerunt, illas deinceps venerentur, ac pro veriſſimis voluntatis diuinæ oraculis habeant. Nec eſt, quòd ingeniorum ſuorum acumen Scripturæ præferant ſimplicitati, ac ſi hæc acutis mentibus indigna foret; enimuero nihil eſt, aut eſſe poteſt in toto mundo ſubtilius, atque profundius, quàm id quod Geneſis initium continet, & nobis credendum objicit, neque forſitan vllis Atheis ingenio cedimus, quòd ſi Auicennæ, Auerrois, Pythagoræ, Caballiſtarū, Democriti, Anaxagoræ, Platonis, Ariſtotelis, & aliorum Arabum, Græcorum, vel Latinorum philoſophorum placitis, & opinionibus animum ſuum vel à tenellis vnguiculis imbuerunt & addixerunt, illas opiniones non ignoramus, & facilè veras à falſis ſeponere poſſumus.

Cauſa Atheiſmi ſuperbia.

Verùm probè ſcio, vnde miſelli Athei tantum ſibi arrogent, ſéque Moſe acutiores, & ſapientiores exiſtiment, id enim ex ingenti eorum ſuperbia proficiſcitur, qua eorum iudicium omnino peruertitur, ſtatim enim atque omnium ſe criticos exhibuerunt, & ingenij viribus tribuerunt nimium, nihil eſt in toto mundo, de quo iudicium ferre non appetant, adeout nihil probè dictum, vel factum eſſe putent, præter id, quod eis placuerit. At de cauſis Atheiſmi fusè quæſtione prima dictum eſt. Tantummodo hîc aduertendum eſt neminem vnquam à Scripturæ ſanctæ vero ſenſu diſceſſiſſe, aut eam contempſiſſe, quem poſtea non pœnituerit, vel qui non miſerè perierit, & in multos poſtmodum errores impegerit. Maximas verò gratias Deo rependere debemus, quod nos tantæ veritatis face illuſtrarit, ſine qua quid obſecro de myſterijs diuinis cognouiſſemus? Idcirco quiſpiam fidelis ſummopere gaudere debet, dum ſe præ tot millibus vnum ad fidem electum, & euectum eſſe videt, & cum pſalte canere. *Non fecit taliter omni nationi, & iudicia ſua non manifeſtauit eis.*

Antequam verò huic quæſtioni finem imponam, nonnulla circa ea, quæ de בראשית Robertus Flud habet tomo 2. de præternaturali vtriúſque mundi hiſtoria in præludio aduertenda ſunt, vbi per rationem Caballiſticam ait ordinem totius creationis mundi ex diligenti characterum illius dictionis obſeruatione inueſtigari poſſe, quia ר denotat inane, vacuum, & tenebras, cùm ſit paupertatis, & inopiæ ſymbolum, ש arguit illud vacuum Iehouæ lucida præſentia, vel ſpiritu igneo aquas illuminante repletum, א eſt medium, & principium, quo terræ vacua paupertas ſqualida ipſius ר, ſeu abyſſi caliginoſi tollitur, ait enim Deum fuiſſe א tenebroſum reſpectu noſtri, cum in ſeipſum ardorem reflecteret, א verò manifeſtum, cum velut ex ר erumpere, & ſe patefacere voluit, quapropter poſt בראשית ſequitur אלהים ac ſi א è tenebroſa nube appareret: Alia plurima ſubiungit, quoúſque ſe in hoc libro Portionis tripartitæ dicturum proponat de 3 principijs primarijs; atque metaphyſicis increatis, quæ vocat elementa archetypa, ſuperſubſtantialia, & characteres myſticos ſoli nomini Tetragrammato appropriatos, ſuntque י, ה, ו, i. lux, ſpiritus, & ignis. Tria principia ſecundaria phyſica ad exemplar characterum רוח ſubiungit, denique 3 principia Microcoſmica ingerit, corpus, ſpiritum, & animam.

Proponuntur explicationes Caballiſticæ Fludi.

De quibus omnibus hoc iudicium fero, ne quis in Robertinis ſpeculationibus decipiatur, aut tempus fruſtra terat. Quæ de Cabala habet in hoc præludio, & toto libro, vel tantùm continent, quod vulgò Theologi, & Philoſophi docent, & ſinguli Catholici nouerunt, vel falſa proponit: Si primum, non eſt, quod eius lectione detinearis, quia Theologi, & quiſpiam ſimplex in Geneſim commentarius clarè atque diſtinctè aperit, quæ characteribus Caballiſticis obſcurè, & confusè proponit, ne dicam inficit, & peruertit; quos characteres non intelligit, vel ſaltem abſque ſufficienti fundamento conſtituit, & explicat. Adde quod nulli ſint huiuſcemodi characteres, prout illos objicit, vt ſatis alibi dictum eſt, cùm Iudaicam Cabalam à fundamentis euertimus. Eapropter non eſt, quod glorietur de friuolis iſtis inuentis, quibus ſi quis applaudat, malè feriatum, & Caballiſticis nugis nimis addictum iudicare minimè verebor; Vtinam Flud ille, & huiuſcemodi homines in quibuſdam artibus, & ſcientijs vel illuſtrandis, vel reſtituendis induſtriam collocarent, non autem in tituillitijs perderent, totius profectò Reipublicæ Chriſtianæ gratiam ſibi demererentur, vbi riſum, vel lacrymas commouent. Si verò ſecundum, i. ſi falſa ſunt, non legenda, ſed reſpuenda.

Iudicium de Fludo.

Fruſtra verò dicet nos characterum iſtorum ignaros eſſe, nec intelligere, quid exempli gratia per dæmones Olympicos, & proprium vniuſcuiuſque genium, cuius inuentionem in Microcoſmi

Stultitia, & errores Roberti.

cosmi historia lib. 3. port. 4. sect. 2. tractat. 1. à pag. 85. ad 116 docet, ipse velit; Satis enim constat ex quo parente has nugas magicas hauserit, videlicet ex Agrippa, Albano, vel similibus portentis, siue ille Magus sit, nec ne, non enim de hominis intimo iudico, Deus est, qui probat renes, & corda: Verum ad aliorum exemplum, & Christianorum ædificationem non minori supplicio, quàm magus afficiendus esset, ad quid enim nobis in Christi schola educatis spirituum illorum fictitia nomina, & ridiculam, ac falsam Genij inuentionem obtrudit? Si vult errare, sibi soli suos errores retineat, nemini verò propinet. At de illius erroribus iterum alibi dicemus.



VERSICVLVS SECVNDVS

Terra autem erat inanis, & vacua, seu inuisibilis, & incomposita.

והארץ היתה תהו ובהו

ἡ δὲ γῆς ἦν ἀόρατος καὶ ἀκατασκεύαστος.



NON *defuerunt, qui principium Scripturæ sacræ, sic intelligant, vt coniuncta diuidat ellipsi, Hebræis familiari, conficta.* Initio, quando creabat Deus mundum, terra erat inanis, *alij sic,* In principio creationis creauit Deus cœlum, & terram, *Sed de his alibi, itaque ad problemata nostra reuertamur, in quibus non ampliùs discutiendum est terræ vocabulum, de ea enim satis antea dictum est; nec particulam* haieta, erat, *agitabimus cùm nihil in ea difficultatis esse credam.*

PROBLEMA XVI.

תהו *inanis* ἀόρατος.

1. Hamer. QVorsum dicitur terram fuisse tohou. An quia Moses voluit ostendere materiam primam omni forma denudatam, tanquam inane Chaos? vt vult Hamerus, vnde vox ista dicitur à תהה, id est expanescere, & obstupescere, quia dum cognitionem materiæ assequi conamur, ita conceptu difficilis est, ita prope nihil, ita deformis, vt propemodum de ea cogitare horreat animus, & velut extra se factus ob tam paruæ entitatis cõceptum stupore percellatur, vnde factum est, vt laborarint in ea exprimẽda interpretes; alij enim *inanem*; 70. Interpretes ἀόρατον *inuisibilem*, Chaldaica paraphrasis *desertam*, Aquila *vanitatẽ*, Symmachus *otiosum*; Theodotio *inane*. Ionathas *vacuã hominibus, & iumentis*: Rabbini *informem*, Pagninus *desolatam* verterunt.

2. An verò *tohou* dicitur à radice תהום *tehom*, id est *abyssus, vorago, profunditas*, vt initio rerum omnia velet ingentem aquarum copiam fuisse sciamus; vt innuat R. Haggion. 3. R. Haggiõ. Philo. An verò per terram intelligi debet idæa terræ, quæ erat inuisibilis in mũdo intelligibili; vt vult Philo de opificio mundi, sed minimè probandum, vt nec per tenebras ideã aëris, nec per abyssum, & spiritum, ideam vacui, & spiritus intelligere debemus. 4. An terram, & cœlum priùs iam producta voluit ostendere suo fine frustrata, quia nondum ornata, & multigenis speciebus repleta erant. 5. An fortè, vt præsignificaretur, quàm multi homines inanes essent, ac fine suo carerent? quia multi licet vocati, pauci tamen electi, itaut de reprobis id dici possit, *Melius esset illis, si nati non fuissent, vt de Iuda* Matth. 26. dictum Matth. 26. est, cùm homo apostata, Prouer. 6. dicatur inutilis, Prou. 6. & tohou, quia frustra natus; Impius ergo est *tohou*, de quo dicitur, *homo vanitati similis factus est*, quid enim homine superbia elato, & ad vtris instar inflato inanius? ideoque psal. 1. impij sunt *tanquam puluis, quem proijcit ventus à facie terræ.*

An quia Moses explicare voluit statum hominum ante Christi aduentum, dum adhuc tenebris erroris immersi non videbant Saluatoris gratiam, aut faciem, & à principe tenebrarum obcæcati peccatorum aquis obruebantur? vt notat Anastasius Synaita lib. 1. in Genes. 6. An prius informem fuisse terram per *tohou* docemur, ne si suis fuisset efformata speciebus, sine principio crederetur? 7. Synaita. nam si, cùm tam deformis fuerit, æternitatis tamẽ honore donata est à philosophis, quid dicerent, si ab initio eius pulchritudo vernasset? inquit Ambros. 1. Hex. c. 7. Ambros.

An dicitur *tohou*, inuisibilis, quia nondum verbo Dei visitabatur, quæ nondum habebat hominem, propter quem Deus in terram respiceret? 8. iuxta psal. 13. *Dominus respexit super filios hominum*, iuxta Ambr. An quia secundum Chrysost. hac Chrysost.

deformitate nos Deus monere voluit, ne fortè, cùm tot bona pro victu, vestitu, & delectatione à terra susciperemus, eam vt Deum veneraremur, nec omnia ei accepta ferremus, qui illam ex nihilo, vt esset, creauit?

9. Nunquid vt hominis insania corriperetur, qui tam deformi terræ ita adheret, vt eius bonis, vacuis & immortali animo indignis, amore incredibili rapiatur, vt ex 1. Ioan. cap. 2. constat; *quicquid est in mundo, aut est concupiscentia oculorum, aut concupiscentia carnis, aut superbia vitæ*; & ideo terra dicitur vacua, & inanis, atque deformis, vt quæcúnque producuntur ab ea, futilia respectu bonorum spiritualium existimaremus; vnde quid mirum si bonis terrenis nunquam exsatietur homo, cùm ea sint fames, & sitis & inanitas; vnde inquit August. serm. 15 de diuersis, *omnis terrena possessio supplicium est cupiditatis, vt in ipsis bonis crucietur animus*, cui voluit, qui tanta largitur.

1 Ioan 2.

Augustini dictum aureum.

10. An fortè vt ea bona, quæ tunc etiam à Deo recipimus, veluti nulla sint respectu bonorum æternorum, quæ nobis seruat, cùm misericordia, quæ in præsenti sæculo tribuitur, ad comparationem æternæ misericordiæ mendacium fit, inquit Hieron. in quæst. Hebraic. dum verba Reg. 2. *retribuet vobis Dominus misericordiam, & veritatem*, expendit: gaudeamus igitur duntaxat in bonis æternis cum Psalte 39. psal. *beatus vir cuius est nomen Domini spes eius, & non respexit in vanitates, & insanias falsas*.

Dictum D. Hier. nota

11. An dicitur *tohou*, vt irrideremus poëtas, & antiquos philosophos, qui cùm de veteri chao loquuntur, velut ebrij nutant, nescientes quid garriant; sanè magnum est miraculum, quod Christianus diei vnius plura certissimè nouerit, quàm philosophus paganus sexagenarius; ô quantum est præ naturali luce diuini numinis lumen! quanto magis res theologicas, quàm philosophicas æstimare debemus.

12. An terra dicta est inanis, quòd ita indigesta esset, vt videri digna non esset, nam quod suis proprietatibus, & accidentibus caret, indignum est quod aspiciatur; quid ergo de homine gratia vacuo, quid de reprobo dicemus? quomodo videri sine stomacho poterit, qui ita deformis est, vt eum Deus agnoscere nolit, *Amen dico vobis, nescio vos*; nec enim bonitas diligit malitiam.

13 An dicta est inuisibilis, quia non tantùm calore carebat, sed & luce, sine qua nihil, quantumuis coloratum videri potest? quæ nondum erat exorta; quid est peccatum nisi tenebræ; *eratis tenebræ*, inquit D. Paulus, *nunc autem lux in Domino*; & Psaltes, *quia tenebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur*; & alibi, *lux orta est iusto*; *lumen ad reuelationem gentium, quod signatum est super nos*, vbi sacra lympha tincti fuimus.

An quia tegebatur aquis terra, ne videri posset, idémque chaos terra, & aqua, cum cæteris elementis esse videbantur, cùm Deus nondum ea distinxisset, & in suum quodlibet locum reposuisset, nec ob aquas adhuc terra germinare posset, vt Basil. censet in hexam. hom. 2. & D. Thom. 1. p. q. 66. a. 1. censent. 14.

Basil. Thom.

An quia Deus nos docere voluit, vt priùs faceremus opera nostra, sed ea postmodum perficeremus, ac vltimam apponeremus manum, ne dum simul vtrúmque adorimur, neutrum possimus adimplere, nam quo pluribus fuerit intentus, minor fit ad singula sensus, inquit Ambros. 1. hexam. hom. 7. 15.

Ambros.

An tantùm de terra, *tohou* dicitur, quia cœlum absolutum, & perfectum est, ne fortè Deum in opificio suo suspicaremur infirmum iuxta Chrys. hom. 2. in Genes. qui neque maior in magnis, neque minor in paruis apparet. 16.

Chrysost.

An quia macrocosmum esse voluit microcosmi prototypum, vt sicut priùs terra fuit informis, quàm floribus, arboribus, & potentia operandi dotaretur, ita homo formandus expectaretur, vt corporis productio, velut indigesta, vacua, & inanis moles præcederet, quam deinceps omni pulchritudine afficeret anima. 17

An quia creationem animæ designauit, quam veluti tabulam rasam infundit corpori, vt postquã multis fuerit picturis & imaginibus informata, non à se scientias, & virtutes se habere existimet, sed Dei præpotentis memor, omnia in eum referat, cúmque libentissimè colat, & adoret: hîc autem ex R. D. Kimhi notandum radicalem huius verbi *tohu* excidisse nam pro ה, posita est litera ו in fine. 18.

Nunquid etiam per hanc inanitatem, & vacuitatem peccatoris, & pœnitentis statum denotare possumus, in quo solo pœnarum terrore, ac synderesi ad peccatorum detestationem impellitur, itaut peccare cesset formidine pœnæ, nondum virtutis amore, quod ad gratiam impetrandam non sufficit, sed crassæ tenebræ adhuc animum inuoluunt, nondum enim diuini lux amoris hominem irradiat. 19

PROBLEMA XVII.

בהו Vacua ἀκατασκεύαστος.

1 BOhu, *significat ne idem, ac Tohu?* Nunquid *tohu* significat pulchritudinem externam mũdi, bohu vero internam? an potius idem ambo significant, duo tamen ad idem exprimendum ob emphasim posita sunt, vt hebræi, & alij solent.

2. An hoc nouo vocabulo vsus est Moses, vt denotaret philosophos præsentes aut futuros nihil de primordiis rerum per suum chaos venari posse, quam quòd ex Scriptura sacra, aut Hebræorum traditione venari, & expiscari potuerant, itaut χάος dicatur veluti *Chohos*, vnde veteres latini mundum appellabant Chohum, vnde fit verbum inchoo, quia χάος fuit principium rerũ omnium; licet Philo lib. de mundo à χύσει deducat illud, id est fundi, quod chaos esset materia liquida, & fluida, nam terra cænosa, ac limosa erat, quod etiam Græci per ὕλη significabant, id est, massam confusam, quam Ouidius his versibus expressit.

Mundus dictus Chohus, hinc verbum inchoo. Philo.

Unus erat toto naturæ vultus in orbe
Quem dixêre chaos: rudis indigestáque moles,
Nec quicquã nisi pondus iners, cõgestáque eodem,
Non bene iunctarum concordia semina rerum. Ouid.

Ex quibus

Eugubin. Ex quibus apertum est, quod Eugubinus in Genesim annotat, omnes philosophos suas de chao sententias ex codice sacro multis tamen immixtis erroribus desumpsisse, vnde & Trismegistus proximus Mosis sæculo idem ferè dixit: In hoc autem errarunt, quòd ab æterno, antequam Deus hæc omnia ordinaret, præcessisse chaos, velut materiã existimarent; eo nimirum sensu verum est tenebras æternas, & ἀβύσσοι præcessisse, quatenus ante mundum conditum nihil erat, notat etiam mensuram, saccum, & rachamare, sicut & chaos deriuari Aristot. iuxta Aristot. ἀπὸ τὸ χάειν, ac si chaos rerum omnium receptaculum fuisset.

An his verbis incipit Genesis, vt ante creationem mundi nihil præter Deum fuisse significetur, itaut hisce omnibus nominibus *tohu*, *bohu*, tenebræ, abyssi &c. illud tantum nihilum significetur, quod ante mundum erat? Aquila enim habet *κένωμα, καὶ οὐθὲν vanitas & nihil*, Symmachus *ἀργὸν, καὶ ἀδιάκριτον, otiosum, & indigestum*. Chaldaica editio וארעא הות צדיא וריקניא vearcha haiath tsaria verecania, id est, *terra erat deformata & inanis*. An *tohu* ad materiam ita referri debet, vt eius designet priuationem, *bohu* verò desiderium, & aptitudinem ad formas, quod tamen Peripateticum magis, quã Mosaicum esse vult Steuchus; Hebræi enim ad placita Aristot. & Auerrois Scripturam sacram accommodarunt, nam apud eos iam transiuit hęceitas, quidditas, relatio &c. hyle verò fuisse philosophorum inuentum. An post *tohu* additum est *bohu*, ne mundi rudimentum per inanitatem significatum malum esse, & à malo Deo profectum cum Manichæis crederemus? nam *tohu* viginti duntaxat vicibus in Genesi legitur, & semper in malam partem accipitur, vt 1. Reg. 12. pro idolis & vanitate; *bohu* verò saltem aliquando significat formam, quæ dat esse rei; ter verò tantum in Scriptura legitur, & semper adiunctum nomini *tohu*. Steuchus.

Terra igitur erat inanis & vacua.

Error Hermogenis. Hermogenes apud Tertullianum ab æterno terram, licet incompositam, fuisse dicebat propter verbum, *erat*, sed perperam, non enim Moses posuit, *fuit*, ne fortè quis excogitaret mundum à Deo factum non ampliùs durare, nec verbum *fuit* meliùs explicasset terram non esse ab æterno, quàm *erat*; duplicem verò terram faciebat, vnam, quam in principio Deus fecit, alteram, materiam, ex qua fecit, de qua dictum est, terra erat inuisibilis, & rudis, contra quem cap. 25 sic insurgit Tertul. *Si nomen proprium materiæ illius fuit terra, hæc, quæ non est materia, aliud scilicet facta, terræ quoque non cœpit nomen alienum, & statu suo extraneum. Sed materia facta, id est terra habuit cum sua origine consortium nominis, sicut & generis. Non audio. Nam & testam, licet ex argilla confectam, iam non argillam vocabo, sed testam, & electrum licet ex auro, & argento fœderatum, nec argentum tamen, nec aurum appellabo, sed electrũ: à cuius habitu, quod diuertit, pariter & à vocatu eius recedit appellationis, sicut & conditionis proprietate. Quam autem transierit de statu terræ illius, id est, materia ista terra, vel eo palã est, quod hæc apud Genesim testimonium boni accipit. Et vidit Deus, quia bonum: illa autem apud Hermogenem in originem, & causam malorum deputatur. Postremò si ideo hæc terra, quia & illa, cur non & materia hæc quoque, quia & illa? Immo iam & cœlum, & omnia, si ex materia constant, & terræ, & materia vocari debuerunt.* Quem 27. capite magis vrget his verbis. *Erat, inquis, quasi semper fuerit, scilicet innata & infecta, & idcirco materia credenda. At ego sine vllo lenocinio pronuntiationis, simpliciter respondebo, de omni re posse dici, erat, etiam de ea facta, quæ nata sit, quæ aliquando non fuerit, & quæ materia non sit. Omne enim quod habet esse vnde habeat, siue per initium, siue sine initio, hoc ipso quod est, etiam erat, dicetur: Cui competit prima verbi positio in definitionem, eiusdem etiam declinatio verbi decurret in relationem. Est definitionis caput, erat relationem facit.* Tertul.

Dicebant ergo philosophi hylem etiam secundũ Scripturam non habuisse initium, at eis respondendum est inquit D. Ambros. 1. hexam. c. 7. *etiam dici, erat autem Cain operarius terræ, & tamen productus fuit, & cæteri de quibus in Scriptura dicitur erat, erat ergo ex quo facta est, dum in principio creauit Deus cœlum, & terram*; quod egregiè persequitur D. August. contra Manichæos de Genesi l. 1. cap. 3. Ambros. August.

Non abs re fuerit hic aduertere, quod Ioannes Isaac lib. 2. aduersus Lindanum habet, videlicet Iudæos adeo religiosos esse in ijs, quæ ad sacram Scripturam pertinent iuxta id quod Deuter. 4 habetur, vt multis legibus sanciuerint eum, qui aliquid in Biblijs mutat, peccatum inexpiabile committere; imo si quis ex ignorantia, malitia vel impietate vnum vocabulũ mutet, ne totus propterea mundus pereat, & in תוהו ובוהו vertatur, periculum esse, quia, inquiunt propter Scripturam, quam (Pentateuchum præsertim) velut vnicum verbum existimant, Deus mundum hunc creauit. Ioh Isaac. Mundum in nihilum reuersurũ, inquiunt Iudæi, si Scripturæ verbũ quis eorum mutauerit.

PROBLEMA XVIII.

1. **V**Acuum philosophicum erátne in terra statim atque eam Deus creauit? An debet aliquis excogitare vastũ, & inane spatiũ, quo terra à cœlo discriminaretur, in quo neq; aër esset, neque ignis, nec aqua? sed quæ tamen illo spatio concludi possint, sic enim vacuum accipitur pro loco in quo nullum est corpus, sed tamen esse potest, at tota natura refugit vacuum, & proinde naturaliter dari nequit.

2. An forte Deus initio mundi nouum fecit miraculum, quo vacuum efficeret, sed ita fingere miraculum sine necessitate quid opus? cùm satis superque alio modo terræ vacuitatem explicuerimus; nec si spatium inter nos, & cœlum interceptum esset, terra ideo vacua, sed potius cœli dicerentur, qui spatium illud continent, vacui.

3. An habito ad Dei potentiam respectu vacuum dari potest? cui dubium illud? nam siue locum aptum repleri corpore, siue nihil significet, id Deus præstare potest, prout reuera spatium à cœlis inclusum vacuum foret, si terram, ac cætera elementa, & quæcunque inibi existentes creaturas denegato concursu annihilaret, tunc enim esset nihil intra cœlum, intra quod eadem reproduci possent.

Et tenebræ erant ſuper faciem abyſſi.

וְחֹשֶׁךְ עַל־פְּנֵי תְהוֹם

καὶ σκότος ἐπάνω τῆς ἀβύσσου.

SAtis conſtat ex præcedenti verſu terram eſſe deſolatam, quod hîc magis adhuc explicatur, quia tota terræ,& aquæ moles indigeſta, & vacua lumine dēſis tenebris obſita fuit,donec lux irradiarit,hæ verò tenebrę potiùs negatio,quàm priuatio lucis fuerunt, quia nondum lux præceſſerat: per abyſſum idem, quod per inanitatem dicitur; eſt enim abyſſus profunditas impenetrabilis.

PROBLEMA XIX. חשך

1 AD quid חשך *choſec.* 1. *obſcuritas hic ponitur*?
Nunquid vt idæam aëris ſignificet? iuxta
Philonem, ſed hic platonizat, nec eſt ſequendus,
non enim ſunt ideç,cum ſint rerum omnium cau-
2 ſæ exemplares. An id oſtendit naturam angelicam
nondum conuerſam ad Deum, quæ nondum illu-
minabatur,donec ad incommutabile bonum con-
uerteretur,à quo lumen ſapientiæ manat? vt habet
Auguſt. D. Auguſt. 1 de Geneſ.ad lit.c.1. Nunquid vt mate-
3 riem adhuc informem eſſe ſcitemus iuxta eundem
12. Confeſ. cap. 3. An rerum indiſtinctio in chao
4. vniuerſali deſignatur, vt eſt apud Nyſſenum? An
potiùs caligo obruens, ne lux corpora diaphana
illuſtraret? vt vult Theophilus lib. 2. ad Autoly- 5.
cum. An carentia lucis in empyreo deſignatur?
iuxta Guiliel. Pariſien. p. 1. cap. 40. vniuerſi. An 6.
4 elementorum confuſio, & indiſtinctio nobis o- 7
ſtēditur? iuxta Hugonem Victorinum 1 de ſacram.
p. 1. An per tenebras aliqua mala natura intelligen- 8
da eſt? minimè quidem, in quo Manichæi grauiter
errarunt, in quos Patres inuehunt. An dæmones
per tenebras intelligi poſſunt? nequidem hi ſigni- 9
cantur. An tenebræ præcedentes lucem oſtendunt
imperfecta præponi perfectioribus?
10.

PROBLEMA XX.

CVr non eſt vſus alio nomine Moſes, cùm ſint
1. *8 Synonyma idem ſignificantia*? Nunquid אפל
ophel (quod tantùm nouies in Scriptura legitur)
ſignificat denſiores tenebras, vel tenebras priuati-
uè ſumptas,quando iam præceſſit lux, quales fue-
runt Ægyptiæ? An quia Dei nomen אל per א inci-
2. pit, noluit Moſes eo vti, ne quis vnum eſſe Deũ
tenebras, alium lucē exiſtimaret, néue Manichæis
vllũ adeſſet fundamentũ ponentibus vnũ malorũ
omnium principium Deo coæuum? ſed hæc ratio
3. militat etiam pro cæteris nominibus ab aliqua pri-
ma litera nominis Dei incipientibus. An noluit
vti אישון, quia ſignificat tenebras non quaſcum-
que, ſed oculi, & pupillam? at nondum erat ocu-
4 lus neque homo à cuius nomine deriuaretur. Nun-
quid reiectum eſt נֶשֶׁף neſeph, quia tenebras illas
deſignat, quę ſunt ante ſolis ortum circa auroram,
& poſt occaſum circa veſperam, cùm tamen ſol
nondum peregiſſet, aut perageret diem vllum.
Cur verò non eſt ſcriptum עֵיפָה hepha, an quia 5.
obſcuritas,quam epha ſignificat,ea eſt quæ præce-
dit aurorā,vel potiùs, quæ eſt in oculis poſt laſſitu-
dinē, qualis fortè in oculis aderat Ionathæ, quādo
radio mellis deguſtato illuminati ſunt oculi eius.
Rurſus עלטה ſignificat tenebras crepuſculi veſ- 6
pertini,ac 4. duntaxat in Biblijs legitur. At non eſt 7
vſus עֲרָפֶל, quia ſignificat nubem denſiſſimam, &
lucidiſſimam, ſempérque ferè de Deo dicitur, qui
ita lucidus eſt, vt aſpici non poſſit,nam *ſicut tenebræ
eius, ita & lumen eius*: & eſt reſpectu noſtri caligo,
videmus enim in ænigmate donec clara theſauro-
rum diuinorum manifeſtatio nobis appareat. Nec 8
eſt vſus nomine *tſalmauet* צַלְמָוֶת, quia propriè te-
nebras mortis,quæ nondum fuerat,oſtēdit. Super-
eſt vnum nomen,quod eſt קדרות *cadrout*, ſed & lu-
cem pręfuiſſe ſupponit, vnde quis per ſe cōcludere 9.
poteſt, optimè Moſem vſum eſſe nomine cheſed.

PROBLEMA XXI.

1 QVid in ceteris vocabulis huiuſce particula verſi-
culi 2. notandum eſt: An includit difficultatem
aliquā *bal pene*,quod faciē, vel ſuperficiem ſignifi-
cat;vel ſaltem *tehom*, quod abyſſum oſtendit? certè
neſcio,cur nō ſit vſus nomine אף *aph*,ſed potius *pe-
ne*,quàm *aph*,vel *anaph*, niſi fortè quia *aph* ſignifi-
cat etiā naſum,& furorē deinde cùm פני ſuperficiē
2 ſignificet,ſicut & עין *hen*, cur his non eſt vſus? Du-
bio procul vel difficile admodum, vel omnino im-
poſſibile eſt, vt ſolidam huiuſce rei rationem affe-
ramus,niſi fortè,quòd frequentiùs hæc omnia vo-
cabula de viuentibus dicātur,cũ tamē nondũ quid-
quā viueret,at illud dici nequit cũ panim de furore,
indignatione,& facie etiā hominũ dicatur,vt patet
ex locis Scripturę,quę Marinus in hoc verbo enar-
rat. Et quidē,vt libenter fatear,nō exiſtimo Moïſē,
nec vllũ aliũ ſacrũ Scriptorē ita ſibi leges præſcri-
pſiſſe, vt ſemper ſingulis in locis hoc poti' quā illo
nomine, aut dicēdi modo vſus ſit; nō quod ita Spi-
ritus ſancti inſpirationem adigere poſſim, aut ve-
lim, vt non potuerit facillimè hoc potiùs,quàm illo
vocabulo ſingulis in locis vti; ſed quia prout ſe res
habent contrarium videmus, idem enim vocabu-
lum ſæpius in bonam,& in malam partem diuerſis
in locis ſumitur, tam in Græca, & Latina, quàm
in Hebræa, cæteriſque linguis: vnde fit vt hac ra-
tione nolim ampliùs vocabula examinare, *tehom*
itaque poſitum eſt pro abyſſo, & velut profunda
voragine

voragine; quod etiam significat ærumnas, afflictionem, damnum, & iacturam, quod nomen deducunt à הום, id est fremitu, & turbatione: significat etiam abyssum צולה *tsoula*.

PROBLEMA XXII.

QVid erant illæ tenebræ, & vnde? An significant
1 ideam aëris, & vacui, vt vult Philo platonizans lib. de opificio mundi? An per eas intelligendum cùm D. Aug. de Gen. ad lit. l. 1. c. 1. naturam
2 angelicam nondum conuersam ad Deum, quæ creata fuerit initio, cùm dictum est, *In principio*
3 *creauit Deus cœlum?* An potius cum eodem de Gen. ad liter. imperf. cap. 4. per tenebras intelligenda venit materiæ primæ confusio, aut profunditas luce carens? quam informitatem sine vlla specie 12 Confess. cap. 3. nuncupauit; cùm nihil adhuc esset certa specie cõstans, atque distinctum, inquit, Catharinus, quia sicut lux facit cognitionem in rebus, ita forma distinguit, & dat cognosci, quæ autem informia sunt, cognosci non valent, inquit Tostatus. An caligo quædam densa ita obruebat om-
4 nia, vt licet iam sol esset in actu signato, non tamẽ in actu exercito, cùm non posset ob incapacitatem materiæ mundum caligine repletum illuminare, vt iuxta Theophilum Antiochenum l. 2. ad Adolycũ Vielmus lect. 10. asserit. An fortè dixit Moses, *te-*
5 *nebræ erant*; quod nulla adhuc lux esset in cœlo empyreo, vt notat Guil. Paris. part. 1. de vniuers. cap. 40. At omnium meliùs dixerit, qui simplicem
6 lucis destitutioné per tenebras intelliget, vt enim silentium est, cùm sonus abest, ita tenebræ præsto sunt, si non adsit lux illuminans vt egregiè docent, & explicant D. Basil. 2. hom. hex. Ambros. lib. 1. cap. 8. D. August. 1 de Genes. contra Manich. c. 4. vbi notandum est ex D. Bonau. in 2. d. 12. tenebras hîc accipi simpliciter pro lucis absentia, quæ formaliter nihil est, non autem pro lucis priuatione, cum positione illuminationis alibi, quo modo tenebræ sunt, & dicuntur vmbra, quæ non est pura priuatio, & sic nomine noctis significatur, consequitur lucem, & ad creatorem laudandum inuitat. Sed *vndenam illæ tenebræ?* An ex opacitate supremi orbis fulgorem empyrei secludentis exortæ sunt? 7
vt referunt ex Clemente, ita ut fulgor empyrei obuium habens corpus cœleste his in inferioribus tenebras, & vmbram produxerit, eo fere modo, quo dum sol est in puncto meridianæ lucis tabernaculo opposito nobis vmbram, & tenebras producimus, quibus includamur? inquit Basil. hom. 2. Sed illud refellitur à D. Thoma 1. p. quæst. 66. art. 3. ad 4, & à Pererio hîc, contra quos tamen Ascanius disputat.

An tenebræ fuerunt natura aliqua, seu poten-
tia mala princeps, bono contraria; vt Manichæi 8
volebant? nusquam, id enim refellunt Basil. hom. 2. Ambros. lib. 1 hex. cap. 8. August. de Gen. contra eos lib. 1. cap. 4. tenebræ verò lucem præcesserunt, cùm imperfecta præcedant perfecta, & rationis expertia rationalia; quæ vt notat August. c. 3. lib. primi de Genesi contra Manich. erant quidem super faciem abyssi, & non tantùm in abyssi profundo, sed non erant apud Deum, in quo tenebræ non sunt vllæ. Basil. August.

PROBLEMA XXIII.

1 QVid est hæc abyssus? An idem significat, ac antea tenebræ, vt ijdẽ authores volunt, nempe ideã vacui, angelicam naturam informem, aut profunditatem imperceptibilem materiæ informis, quæ à centro terræ vsque ad cælum empyreum extenderetur nondum qualitatibus inter se distinctis, aut suum ordinem seruantibus; vel saltem vsque ad sphæram lunæ, cùm aqua nondum condensata suos vapores hucusque mitteret; omniaque elementa confunderentur in vnum chaos, vt sic corpore in vno frigida pugnarent calidis, humentia siccis, sicut in musto fæx cum vino permiscetur, donec paulatim resideat, inquit Hugo Carensis in
2 postillis. An terræ concauitates significat abyssus, quæ futuræ erant aquarum receptacula? vt vult Richard. 2. exceptionum cap. 7.
3 An significat res nondum existentes, quasi æter-
4 na nocte sepultas, vt Steuchus habet. An fortè designat infernum, in quem ne mitterentur, Christum orabant, Luc. 8. vt vult Origen. homil. 1. in Genesim, & Hieronym. cap. 2. in Ionam, qui vel infernum, vel dæmones per abyssum intelligit.

An omnium meliùs loquuntur Basil. Eucher.
Ambros. Hamerus, Chrysost. & alij, dũ per abys- 5
sum copiosam aquam intelligunt, quæ totam terram contegat iuxta id psalmi 103. *abyssus vestimentum & amictus eius*; adeout Guil. Paris. existimarit aquam fuisse vsque ad empyreum cœlum, in quod recidit Caietani, & Vielmi sententia, qui per abyssum intelligi volunt omnia corpora diaphana nõdum illustrata; quod fauere videtur his, qui volunt aërẽ nil aliud esse, quàm subtiliorem aquam, imo cœlos omnes præsertim mobiles, cùm eos liquidos, & aëreos ponant, affirmant ex consequenti ex aqua productos esse, nisi ipse fuerint aqua tametsi subtilissima, sed de his posteà agendum erit.

PROBLEMA XXIV.

TEnebræ igitur erant super faciem abyssi, cùm nulla lux corporea præsens, & actu illuminans adesset; dicebaturque tota aquarum congeries terram omnino contegens, abyssus, cuius facies admodum horribilis erat; si tamen visa fuisset, erat enim lucis defectu inuisibilis, imo licet visu fuisset perceptibilis, nondum erat, qui eam cerneret. Non est dubium, quin multi sensus mystici possint hîc assignari, morales præsertim; quanta enim est abyssus cor hominis, quam profundis, ac impenetralibus latebris sinuosum, quot anfractibus, & cuniculis oppletum sit, quis præter Deum explicare potest, quia *sicut tenebræ eius ita & lumen eius*; enimuero quæ fuerint abscondita videt æquè, ac ea, quæ sunt in propatulo, *scrutatur enim corda, & renes Deus.* Quot fuerint luces, tot inuenio tenebras, cũ enim tenebræ sint priuatio, vel absentia lucis, ex vnius notitia in aliud facilè deuenimus, habemus in Scriptura crassas tenebras Ægypti: tenebras Passionis Domini, tenebras noctis, tenebras mentis multigenas; nam priuatio fidei tenebræ sunt; quan-

Explicationes plurimæ morales de abysso insinuantur.

to maiores esse putas illas tenebras, quas ex Christi absentia patimur, dum ablatione suæ gratiæ, nos vt perfidos, & ingratos abijcit. Itaque dum lucem habemus, seriò ad montem Horeb pergamus, ne fortè nos tenebræ comprehendant: Sunt & tenebræ exteriores, in quas reprobi deijcientur, sunt interiores, quas statim in vigilijs, statim in somnijs dæmon immittit; sunt tenebræ, quæ oriuntur à melancholia; quantas enim existimamus illos tenebras pati, quos lycanthropia, cæterique morbi exagitant, quos producit succus melancholicus excedens; Denique quot disciplinis, scientijs, & artibus quispiam caret, tot tenebris inuoluitur, quarum maximæ sunt, ac pro viribus expellendæ, quæ nos à lumine illo separant, in quo videbimus lumen; quæ omnes tenebræ sunt super faciem microcosmi profundissimæ abyssi, suntque peccata quibus si fuerit oculus tenebrosus, totum corpus tenebrosum erit.

Et Spiritus Dei ferebatur super aquas.

וְרוּחַ אֱלֹהִים מְרַחֶפֶת עַל־פְּנֵי הַמָּיִם

καὶ πνεῦμα θεοῦ ἐπεφέρετο ἐπάνω τοῦ ὕδατος.

NOn ita certum est hîc, quid per spiritum intelligatur, an ventus, an Spiritus sanctus; Interpretes enim vtrúmque afferunt, & verbum græcum æquè ac hebræum, imo & latinum ad vtrumque est indifferens; imo verò solum *spiritus* nomen non est tertiæ diuinæ personæ proprium, nisi, *sanctus*, adiungatur; at cùm id potiùs ad thesauros multos è Scriptura eruendos faciat, dum ex verbo ambiguo, seu multa significante diuersis modis Ecclesiam ædificamus, eiusque filijs proficimus, quàm è contrario; non est quod Mosi, aut Spiritui sancto succenseamus, quòd huiuscemodi dictionibus sacri Codicis initio vsus sit.

PROBLEMA XXV.

Spiritus רוח *πνεῦμα.*

1. QVid per spiritum, seu Ruah voluit author Genesis significare? An verè Spiritum sanctum nobis
præsignat, cui hoc externum opus tribuatur? nam
licet opera Trinitatis ad extra sint indiuisa, seruatur tamen cuiusque personę in agendo proprietas,
Pater ergo, & Filius concurrebant; vt quid autem?
an Pater vt causa προκαταρκτικὴ, & impellens; Filius
vt δημιουργικὴ operatrix; Spiritus sanctus vt τελειωτικὴ
perficiens, in quo nimirum terminus omnium
actionum existit; vt sic completam commemora-
D. Aug. tionem Trinitatis agnoscamus, inquit D. August.
1 de Genes. ad lit. c. 6. & hic sensus præfertur cæteris, cùm ex eo Hieron. Basil. Theodor. Athan. &
alij Patres diuinitatem Spiritus sancti probarint.
2. An significat vitalem spiritum mundi, qui superferetur super materiam rerum visibilium? vt ha-
August. bet D. August. c. 4. l. imperfecti de Genesi; quem
Gentiles dixerunt esse spiritum intellectualem, &
igneum non habentem formam; sed in quamcúmque voluerit se transformantem, & se vniuersis
coæquantem; à quo omnia genita esse volebant
Zoroaster, & Heraclitus; quem Orpheus ardentem spiritum, & pyripnon, seu igneum spiraculum
appellauit; Platonici dixerunt animam mundi, ob
quam Pythagorici omnia dijs esse plena censebant,
quos ad vnum Iouem referebant. At nisi Spiritum
sanctum intellexerint, hæc omnia erronea, vt ostendemus postea, vbi de anima mundi agetur. An
3. angelus, vel angeli multi significantur, iuxta id *qui
facis Angelos tuos spiritus*, qui cœperint mouere cœlos, eóque motu, qui est velut cœlorum vita, suum
in locum omnia distribuerint? sic enim eos in superficie cœlorũ versus Æquinoctialem, Caietanus
4. in Genesim eos constituit, vt ex ijs, & cœlis veluti
Vielm fiat vnũ corpus animatũ, vt insinuat Vielm. lect. 8.
Theophilus An per spiritum rectè Theophilus l. 2. ad Autolycũ
intellexit naturã quandam viuificatricem, tenuẽ,
lucidã, ac inter cœlos, & terrã mediam? sed quęnã
illa posset esse. An significat vim quandã vitalem, &
veluti seminariã, quam Deus aquis impresserit, vt 5.
ad pisciũ & auium productionem disponeretur, vt
insinuant D. Chrys. hom. 3. in Gen. & Aug. serm. Chrysost.
134 de tempore, vt aqua vim, & efficaciam omnia August.
producendi reciperet, quæ Deus iussit illã producere, enimuero infinita est Dei bonitas, quia antequã aliquid à creatura petat, ei priùs confert, vnde
retribuat. An fortè debemus explicare spiritum de
vẽto iuxta Thargũ Onkelicum, licet Thargũ Hie- 6.
rosolymitanũ de spiritu miserationum, seu Spiritu
sancto explicet, vt Ionathas, misericordiarum, siue
gratiæ: Vatablus ex Chaldęo paraphraste *ventũ* ha-
bet, iuxta id psal. 147 *Flabit spiritus eius, & fluent aquæ*: quẽ *ventũ Dei* volunt Hebræi significare ma- Psal. 147.
gnũ, nã quando magnũ aliquid ostẽdunt, Dei nomẽ
addere solent, vt psal. 36. *iustitia tua sicut montes Dei*.
Quibus consentiunt D. Basil. suprà, Anastasius Sy- Psal. 36.
naita 1 hex. Theod. q. 8. in Gen. Athanas. q. 81 veteris testamenti. Procop. Tostat. Lusitan. qui omnes
per spiritũ volunt aërẽ aut ventũ intelligi, quod cũ
Strabo refellit Ascanius, vbi cõtra Tostati rationes
agit, illam autem opinionem Rupertus 1 in Genes. Ascan.
cap. 8. Platoni tribuit.
An tantùm significatur bona, ac propensa Dei voluntas, qua Deus super aquas, sicut artifex super 7
opus perficiendũ ferebatur, vt insinuat D. Aug. 1
de Gen. ad lit. c. 5. & glossa interlinearis. An æterna D. Aug.
Dei sapiẽtia, vel Filius intelligi debet iuxta Steuchũ Steuch.
in Cosmopœia: At licet hæ omnes interpretationes suis nõ careãt authoribus, prima tamẽ retinẽda 8
est, vt in mundi opificio sãcta Trinitas nobis innotescat, iuxta id quod alibi dicitur in Scripturã,
nam Iob. 26 *Spiritus Domini ornauit cœlos*, & ps. 103. Iob. 26.
Emittes

Psal 103. *Emittes spiritum tuum, & creabuntur*, quod ab Ecclesia in benedictione fontium vsurpatur, *Deus, cuius spiritus super aquas intra ipsa mundi primordia ferebatur*, in quo excellunt Catholici, vt cũ ex verbo ambiguo multa significante nesciant vtrã debeant sequi significationem, rei veritatẽ determinet sancta mater Ecclesia, vt patet in hoc nomine Rouah, quod spiritus quoslibet designat, nempe spiritum hominis, & Dei; angelum, animã quamlibet, mentem, voluntatem, ventum, aërem, halitum &c. Ecclesiæ vtilitas.

PROBLEMA XXVI.

מר חפת *ferebatur* ἐπεφέρετο

D.Thom. 1. *CVr ferebatur?* An vt quod iam erat, permaneret, vt D.Tho. cum D. Aug. censet 1. p. q. 74. a. 3. quid enim mundo profuisset, nisi in esse recepto
2. confirmaretur? An vt foueret aquas ad similitudinem auiculæ incubantis, vt nouas creaturas animaret ad vitam, vt ex aliquo Syro refert Basil. homil. 2. ad eum ferè modum, quo sol super terram quotidiè fertur, vt eam veluti fœcundet, vel potiùs artificis instar, qui rebus operandis superfertur, vt Iunilius in Hexameron explicat; vt creatura formata suo creatori coniungeretur, inquit Ruper. suprà. An Deus sese nostro captui accommodans
3. vult ostẽdere se consilium adhibere, & decernere quid ex aëre sit producendum, quid ex aquis, quid in hac parte, quid in alia: cùm enim Deus sit intelligibile supremum excedens valde intellectus nostri cõditionem, inquit Tostat. in postilla in 2 exposit. nunquam eum intelligemus, nisi modũ rerũ inferiorum assumat; nam mensuræ, & potentiæ visiuæ coæquari debet mensuratum, & visibile. An
4. fortè nobis ostenditur Spiritum sanctum 4 elementa distinxisse, eaque proportione composuisse, vt sese destruere non possent, vt præclarè docet Absalon Abbas serm. 35. in quo triplicem Spiritus sancti flatum insinuat, in creatione mundi; in incarnatione Verbi; in renouatione hominis. Absalon Abbas.
An motitabat aquas, & concutiebat, vt virtus, 5.
quæ torpebat, ac in profundo delitescebat, ad eum ferè modum excitaretur; quo res potestate calidæ fiunt actu calidæ per concussionem, & contritionem, & motum, vt constat in grano sinapis, & piperis; nam vbi Hierem. cap. 23. habetur *concussa sunt omnia ossa mea*, hoc verbum legitur, quod est participium à רחף *rachaph*. An possumus dicere 6.
Spiritum sanctum eatenus se mouisse, quatenus decreuit ab æterno quæcúmque producenda erant, viuificare, ac mundum omnibus speciebus replere, vt meritò canat Ecclesia *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum*, ac proinde per hoc verbum, opus ad extra Spiritus sancti innotescere; quippequi nihil ad intra producit, seu nullam personam generat, aut spirat, ac proinde nulla est actio eius notionalis, cùm ab alijs personis ex sua parte non distinguatur processione actiua, sed passiua.

Basil. — Iunilius.

PROBLEMA XXVII.

מים *Aquas* ὕδατος

1 *QVid per aquas, super quas Dei spiritus ferebatur, intelligere possumus?* An aliquam incor-
Philo. poream aquæ essentiam cum Philone, vel potiùs
Caiet. primum mobile cum Caietano, aut cum Ægidio
2 prima parte hex. cap. 18. cœlos omnes, & ele-
Nyssen. menta? An cum Nysseno cœtum earum virtutum dicemus, quæ mente, ac ratione noscuntur, seu angelorum, qui adhuc veluti fluitabant, cùm nondum essent beati? vt insinuat interlinearis glossa. Sed quid si materiam primam informem
3 per aquas intelligo, quæ per eas designetur? vt credamus omnem materiam facilè cedere, & huc illuc conuerti, prout summo opifici placuerit; quod per aquas, quarum est pati, meliùs exprimitur, quàm per aërem, aut ignem, quorum est agere, vt præclarè docet August. cap. 4. de Genesi imperfect. itaut priùs sit insinuatus finis materiæ nempe cœlum, & terra; deinde ipsa informitas; Tertiò subiectio sub artifice, quàm Albertus 1. part. summæ de 4 coæuis quæst. 12. art. 11. vocauit receptibilitatem. An ipsum chaos intelligitur, 4
quod supra fuerit dictum terra propter crassitiem, & obscuritatem; aqua ob incompactionem; abyssus ob vastitatem, vt aduertit Catharinus, in quem Cathar.
sensum recidunt, qui de congerie elementorum explicant. An omnium melius explicant de a- 5
quis, quas vltra terræ superficiem, & vltra firmamentum peruenisse existimat Iunilius; & Ascanius saltem maiori distantia fuisse super terram Iunil. Ascan.
eleuatas, non tantùm, quàm in diluuio, sed quàm distet terræ superficies ab eius centro, putatque rectè per aquas, tria veluti commista elementa, nempe aquam, aërem, & ignem intelligi. At nunquid ideo ferebatur super aquas, vt denotaret aquas baptismales, quibus tantam virtutem tribuit, vt nos regenerent: vel aquas lachrymarum, quas ipse pro nobis fundit gemitibus inenarrabilibus, Spiritus sanctus. Vbi verò spiritus Domini aquas veluti obumbrasset, ac fœcundasset, audi quid sequatur.

August. — Albertus.

VERSICVLVS SECVNDVS

Dixitque Deus; fiat lux, & facta est lux.

וַיֹּאמֶר אֱלֹהִים יְהִי־אוֹר וַיְהִי־אוֹר

Καὶ εἶπεν ὁ θεός, γενηθήτω φῶς, καὶ ἐγένετο φῶς.

LAus infinita omnipotenti Deo, qui iam nos è tenebris, & abyssis eruit, vt lucem illam nouam, & admirabilem contemplemur, eiúsque auxilio cætera detegamus; faxit ipse, vt qui, cum luce corporea incipimus, labor noster, & intentio in luce diuina terminetur, súumque colophonem accipiat; morem igitur assuetum in explicando prosequamur.

PROBLEMA XXVIII.

εἶπεν *Dixítque* ויאמר

QVomodo Deus dicere potuit, cùm non loquatur, & quibus, cùm nondum vllus esset? An, *dixit*,
1. hìc est pro voluit, decreuit, iussit accipiendum, vt
Rabi Moses apud Hamerum cum multis alijs existimat? An colloquebatur cum suo filio Pater æternus, seu cum sua ratione, & sapientia, quæ pro-
2. uer. 8. dicit, *cum eo eram cuncta componens*, vt dis-
Prouer. 8. serit Athanasius contra idola, vnde δημιουργὸν τοῦ θεοῦ
Trismegistus; & Sybilla σύμβουλον appellat Dei filiũ? An Deus cum angelis loquebatur, quos iam creauerat Iob 38. *vbi eras cùm me laudarent astra matuti-*
3. *na* vt illis præsentibus omnia crearet, séque ab eo
Iob. 38. creatos esse cognoscerent? sic enim habet Procopius Gazeus cap. 1. in Gen. & Theodoretus q. 9. eam insinuarat.

An Deus aliquod humanum corpus assumpsit,
4. vt voce humana loqueretur? vt apud Lusitanum
Basil. habes, & Basil. hom. 21 in aliquos Scripturæ locos non negat, imo dicit hominem Dei manibus formatum esse, cætera solo Dei verbo facta, quod dæmon inuidit; quis enim dubitat, quin Deus illud potuerit?

An illud, *dixit*, explicat verbum diuinum, quo
5. Pater omnia condidit, nam 1 Ioan. *In principio erat*
Ioan. 1. *Verbum*, quod D. August. insinuat, licet potiùs inquirendo, quàm asserendo cap. 5. de Genesi imperf. quod ita possumus explicare, vt vi generationis æternæ, qua Pater Verbum produxit, aliquomodo respiciente creaturas in tempore producendas, verè mundus sit productus, si non illa generatione formaliter sumpta, saltem identicè, non enim alio Deus actu mundum produxit, quàm æterno, ac diuino, qui cùm sit ipse Deus, necesse est cum actu generationis æternæ perfectissimè identificari: quo sensu id intelligi debet, quod 1 de Gen. ad lit. cap. 1. D. August. affert.

D. August. An *dixit* idem est, ac creauit, vt facilitas, vel
6. celeritas operis Dei demonstraretur, vt habet Alcuin. 31. q. in Gen. enimuerò dicere in Deo tripliciter sumitur: Interdum significat intelligere, & sic est essentiale; aliquando generare, tunc autem notionale est, aliàs verò creare connotans respectum ad creaturam, & est essentiale inquit D.
Thom. 1. sent. d. 27. q. 2. a. 2. D. Thomas

An Moses hìc vti voluit tropo humano, vt se
auditorum imbecillitati accommodaret? vt innuit 7
D. Chrysost. hom. 3. in 1. cap. Gen. & Tertul. l. de Chrysost. Tertul.
Trinit. cap. 6. qui locus præclarè demonstrat, quomodo Scripturæ loca intelligenda sint, quæ membra Deo assignare videntur.

An *dixit* idem est, ac in sapientia fecit, iuxta id 8
psal. 103. *omnia in sapientia fecisti*, vt ostenderetur, Psal. 103.
quod ea, quæ spectatur in rebus creatis sapientia, oratio sit, etiam si non sit articulata; qua ratione cœli gloriam Dei enarrant; cùm videlicet id, quod in ipsis apparet artificiosum spectaculum per concinnam, ratam, constantem, & aptam conuersio-
nem loco sermonis peritis existat, ita Nyssenus in Nyssen.
hexamero, vnde Clem. 5. Strom. ait, *Pythagoras, Socrates, & Plato, dicentes se audire vocem Dei, considerantes vniuersorum constructionem, quæ à Deo accuratè, & perfectè facta est, & ab eo perpetuò continetur, audierunt Mosen dicentem, dixit, & facta sunt*
describentem verbum Dei esse opus. An hoc verbo 9
vsus est, vt ostenderet se esse auctorem, artem, & August.
causam rerum, vt disertè habet D. August. 11. de
c. cap. 21. Aut vt denotaretur imperium, potentia, 10.
& benignitas Dei opificis, vt ipse disserit 5. cap. de Gen. imperfect. in quo non deest, quod ampliùs miremur, quàm Cæsaris dictum, *veni, vidi, vici*, hoc enim suo asyntheto Iulius suam in prostrandis hostibus celeritatem; illo verò dialyto non tantùm celeritatem, & fœlicitatem, sed potentiam quoque, sapientiam, & bonitatem suam in huius admirandæ machinæ productione Deus ostendit; & quidem Iulio modestior Carolus 5. post victoriam à fidei hostibus reportatam dicebat *veni, vidi, sed Christus vicit*. Iam verò Dei potentiam suspiciamus, ac veneremur, qui solo verbo condidit omnia, qui dixit ab æterno, quod futurum erat in principio temporis, vt nobis persona filij manifesta fieret.

PROBLEMA

PROBLEMA XXIX.

Γενηθήτω φῶς *Fiat lux.* יְהִי־אוֹר

QVare Deus incœpit à luce? An quia lux cunctas res dignitate præcellit? quam eleganter
1. Ascan. admodum Ascanius extollit, & citatus ab eo Dracontius 1 l. de opere 6 dierum, & Laurent. Iustin. c.22 de humilitate. Nunquid Deus, qui est lux beatissima, lucem primò debuit producere, cùm lumé
2. Nazianz. foret decus, ac specimen vniuersi, vt præclarè Nazian. orat. 43. & poëmate de laude virginitatis, ecquæ enim gratia diuinis operibus adfuisset, si luce caruissent? Nunquid primum corpus ante terram
3. D.Thom. exornandum erat, cùm lux sit primi corporis qualitas, aut potiùs quia lux est superioribus, & inferioribus communis, vt ab vniuersalioribus initium duceretur, vt S. Thom. explicat q. 67. prim. part. a.
4. 4. An quia Deus ab initio incipere voluerit, quod imposterum facturus erat; vt nihil in mundo produceret, nisi simul concurrente causa cœlesti, & particulari, adeò vt iam in prouerbium assumatur,
Prouerb. *Deus, sol, & homo generant hominem*, vbi sol pro luce cœlestem virtutem ad nos deferente sumi potest; est enim instrumentum causarum cœlestium, vt Steuchus, & Vielmius lect. nona dixerunt.

Nunquid cætera inuisibilia erant, nisi lux pro-
5. Ambros. ducta fuisset; frustra enim esset ornatus mundi, nisi videretur inquit 1 hex. Ambr. imo vix sine luce
6. quidpiam est, quod ornamentum dici valeat. An ex hypothesi, quòd mundi creationem per dies voluerit creator omnium distinguere, necesse fuit omnino, vt lux primò fieret, nec enim in tenebris, aut in nocte placet operari, dies verò sine luce esse non potest; *Omnis* enim *qui malè agit, odit lucem*, Ioan. 3. *& non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius, quia mala sunt. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, vt manifestentur opera sua, quia in Deo facta sunt*, per hoc igitur docuit nos Deus vt opera nostra in luce perageremus. Ioan 3.

An quia velut præstantissimus architectus primùm explorat, vnde luminis aditus ædificio pateat, 7.
idem quoque à sapientissimo mundi opifice Deo in huius mundi ædificio seruatum est, vt statim à luce totus orbis commendaretur? Sed hoc problema cum Ambrosio concludamus. *Vox, dixit Deus, plena est luminis, quia non dispositionis apparatum significat, sed operationis resplendet effectu. Nos lucem loquimur, sed non efficimus. At natura opifex locutus est, & creauit. Quia sermo Dei, eius voluntas est, operatio Dei, eius natura est. Non ideo dixit, vt sequeretur operatio, sed dicto absoluit negotium. Vnde pulchrè Dauidicum illud extat huic Mosaico conforme, dixit, & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt*: Quod autem in hebræo ponatur hîc futurum *erit*, pro *fit*, ad idiotismum Hebræorum referendum est.

PROBLEMA XXX.

QVid est illa lux, quam Deus dicto citiùs produxit? An per illam lucem Angeli significan-
1. D. August. tur ad Deum conuersi, vt apud D. Aug. c. 5. de Gen. imperf. & c. 28 disertissimè explicatur, cui suffragantur Rabbini permulti, qui hic mundum ..., seu Angelos עולם המאלכים indigitandos arbitrati sunt; at per se nequeunt Angeli noctem à die separare, & Moses non de spirituali, sed de corporali mundo hîc edisserit; sed pro sententia præcedenti multos Patres apud Ascanium habes; vbi eorum
2. textus ad longum refert. An igitur lux ostendit ignem emicantem, qui cùm antea cum cæteris elementis misceretur, postmodum ab eis seiunctus ad superas partes prosilierit, ac in globum conflatus, tres primos dies effecerit, vt teste Cyrillo l. 2. con-
Hermes. Nyssen. tra Iulian. c. 2. Hermes in libris Diexodicon voluit, & disertè Gregor. Nyssen. lib. de historia 6 dierum explicat; adeout ex isto igne facta fuerint astra, quę propterea Platonici ignea censuêre, vt in quæstionibus dicendum erit. An fuit nubes aliqua lucida,
3. vel aliud corpus lucés, quod solis futuri vices præstaret, & suo modico calore, & lumine terrarum orbem præpararet ad maiorem solis fulgorem ex-
D. August. cipiendum, quod corpus à D. Aug. cap. 10. l. 1. de Gen. ad liter. insinuat, & post eũ Magister Sent. l. 2. d. 13 cum multis aliis Scholasticis, qui nubem lucidam vel in solem conuersam, vel in eodem loco remăsisse autumant, quos D. Thom. 1. p. q. 67. a. 4. ad
D. Thom. Ascan. 2 refellit; sed Ascanius omnia discutit, & ostendit hanc sententiam probabilem. An lux illa fuit ipse sol nondum habens tantã lucem, & virtutẽ, quam 4.
nunc habet? vt ait Dionys. Areopag. c. 4. de diuin. Dion Areop. Thom.
nom. vt notauit D. Thom. suprà, & q. 70. a. 1. ad 2: quod à minori globi densitate procedere vult Æ- Ægid.
gid. 2. part. hexam. c. 5. itaut tantùm materia fuerit magis condensata, quando dixit Deus, *fiat lux*, magisque adhuc, cùm fecit solem. Vnde Catharinus in Cathar.
suis enarration. in 1 caput Gen. solem ipsum asserit his tribus diebus illuminasse, quem Moses per recapitulationem die 4 commemorarit: quem tres dies æquales effecisse, nec adhuc sua magnitudine, figura, & pulchritudine coruscasse, Pererius existimat. Sed audaciùs progreditur Steuchus in Cos- Perer. Steuch.
mopœia, vbi existimat non tantùm solem, & stellas initio facta esse, cùm cœlum, & terram creauit Deus, sed & solem longè ampliori quàm nunc fulgore illustrasse terrarum orbem, & eum calefecisse, adeout primus dies ardentissimus fuerit, vt elemẽta vehementer concalefacta, & confota, postmodum animalia, plantásque producerent, & partes, in quas rectiùs suos radios vibraret, plures bestias generarent.

An per lucem rectè cœli empyrei splendorem 5.
intellexerunt Bruno Chartusianorum Patriarcha de Nouis c. 1, & Guiliel. Paris. parte 1 de vniuer. c. Guil. Paris.
40, quem sequitur Halensis 2. p. q. 45. m. 1. An lux 6.
ipsa solis tunc sine suo globo creata fuit, vt vult D. Basil.
Basil. hom. 2. hexam. cui si dixeris qualitatem esse

non posse sine subiecto, respondet id non esse nobis possibile, sed Deo, qui reipsa seiungere valeat, quod nos cogitatione separare possumus, quod facit contra hæreticos, qui vt corpus Christi in Eucharistia positum faciliùs impugnent, negant, Aristoteli nimis addicti, quem perperam intelligunt, accidentia sine subiecto esse posse: hinc Nazianz.
Nazian. orat. 43 formam solis, seu lucem sine materia fuisse putat, vt magnum aliquod miraculum ederet, in-
Nicet. quit Nicet. ibid.; horum ergo Patrum, & aliorum ab Ascanio laudatorum mens est, vt 4 die receptaculum istius lucis creatum fuerit, quod solem dici-
Procop. mus; hinc etiam Procop. Gazæus 1. l. in Gen. ait ignis lucē in die iudicij ab eo separandam pro iustis, & pro impijs vim illam, quæ vrit, reseruandā; & Anastasius Synaita 4 in hex. lucem horum trium Anast. dierum fuisse obscuram propter Adæ peccatum, at die 4 lucidam ob vnionem in Deo per hypostasim, quæ mystica sunt.

An ista lux tanta fuit, vt abundè sufficeret ad solem, lunam, & astra omnia postmodum illustranda, 7. quibus per partes à Deo distribueretur, vt insinuat D. Athan. q. 83 in Gen. alioqui tantum splen- Athan. dorem sustinere non potuissent animalia, nisi per distributionem imminuta fuisset.

Deus ergo lucem produxit antequam sol diem efficeret, ne fortè solem paganorum instar pro Deo coleremus, atque veneraremur.

ויהי אור *Et facta est lux* καὶ ἐγένετο φῶς.

1. QVomodo *facta est lux*? An Deus illam ex nihilo condidit, eamq; ad extra posuit, quæ erat
Comest. in præscientia Dei, vt Comestor insinuat in cap. 3.
2. Gen.? An potiùs ex materia, & ex chao educta est, vt in posterum omnia ex materia præiacente fieri,
Hugo. quæcumq; sequentibus diebus producūtur, existi-
3. mandum est? inquit Hugo l. 1. de sacram. part. 1. c. 7. & 9. An fortè lux illa cum aqua terra, & igne cō-
4. miscebatur, vt solùm Deus illam secreuerit, & in globum coëgerit? An illa lux fuit pars aliqua cœli, quam Deus in viam lacteam, seu galaxiam post solem productum immutarit, vt illa sit non tantùm residuū [illegible] illius φωτὸς, sed lux ipsa, quæ iam nostris cometis materiam suggerat, eosque illuminet, maximè cum circa galaxiam cometæ vt plurimum ab initio conspiciantur, in cuius margine na-
Brahe. tam esse stellam illam insignem anni 1572 testatur
Plin. Braheus l. 1 progymnasm. idque de cometis testa-
5. tum reliquit Plin. l. 2. c. 25. Superest vt pauca de no-
De nomine אור mine אור annotemus: significat ergo lucem, claritatem, & splendorem, quo, etiam omnia bona possumus intelligere, sicut eius anthitero חֹשֶׁךְ, omne genus mali; estque tam verbum, *illuxit*, & *resplenduit* significans, quàm nomen, cuius synonyma, quando est verbum, sunt, קָרַן, הוֹפִיעַ, הִזְהִיר, נָגַהּ sicut eiusdem, vt nominis synonyma sunt קֶרֶן בְּהִירָה luciditas, & illustratio, & זֹהַר; at cum designatur corpus lumine refertum, scribitur מָאוֹר. Quid si 6. mysticos, & allegoricos sensus vsurpare velim? nūquid lex Dei, & lex Euangelica erit lux? quid de fide, lumine gloriæ, Christo, Apostolis dicam, de quibus iure dicere possumus, *vos estis lux mundi*, sed hæc persequemur in diuisione lucis, & tenebrarum. An illa lux intelligi posset de *Verbi* incarna- 7. tione, quando *caro factum est, & habitauit in nobis*, vt sit idem, *facta est lux*; ac *lux orta est iusto: illuminare his qui in tenebris* peccati, & in vmbra mortis *sedent*; quid est illa lux, nisi *veritas*, quæ *de terra orta est*? de qua Propheta regius, *benedixisti terram tuam*.

VERSICVLVS TERTIVS.

Et vidit Deus lucem, quòd esset bona.

וַיַּרְא אֱלֹהִים אֶת־הָאוֹר טוֹב

Καὶ εἶδεν ὁ θεὸς τὸ φῶς, ὅτι καλόν.

NOn est mirum si Deus viderit lucem esse bonam, cùm nihil facere possit, quod non sit bonum, vel vt meliùs loquamur, nihil esse potest, quod aliquod diuinæ bonitatis vestigium in se non habeat, vnde enim res quæpiam bona esse potest, nisi ab eo, qui solus summè bonus est? de quo Psalmista. *Quàm bonus Israël Deus his qui recto sunt corde.*

Vidit.

1. QVomodo *Deus lucem videre potuit, cùm non habeat oculos*? An per hunc loquendi modum intelligitur, quòd videre fecerit Angelos? sed cum ipsi etiam careant oculis, par difficultas esse videtur; licet fatendum sit sæpius in Scriptura videre Dei hoc sensu accipi debere, sic enim Deuter. 13.
19. mor. c. 5. Hieron. *vt sciat*, sumitur, pro, vt scire faciat, teste Greg. & Hieron. epist. 15 de ijs quæ Deo attribuuntur, explicat videre Dei quatenus ea, quæ fecerat, intelligentibus esse bona demonstrauit. An Deus vidisse, quòd esset bona lux, dicitur, vt infantiæ nostræ 2. blandiatur, atque humanæ infirmitati sese accommodet? vt præclarè disserit Chrysost. vt eatenus nos Hom. 3. in Gen. ad lucis pulchritudinem contemplandam, ac suspiciendam prouocet, patris instar, qui filio donum aliquod præparans ait, aspice fili, & cōsidera, quàm illud pulchrum sit, quod tibi daturus sum. An illud Dei videre fuit ipsum facere, vt nihil aliud sit 3.
vidit,

vidit, quàm fecit: at iam antea lux facta esse dicitur: & scientia visionis diuinæ rem existentem, vel saltem futuram præsupponit, de qua scientia hîc est sermo, cum scientia speculatiua, siue simplicis intelligentiæ præcisè spectata versetur tantùm circa res, vt possibiles.
4. An potius illa visio intelligenda est de actione, vel actu diuino intelligendi, quo Deus omnia nouit scientia approbationis, cum lucis bonitatem prædicet, in spiritualibus enim idem est intelligere, ac in corporeis videre. An simul videndo, prouidit luci, cum ראה rah significet intueri, intelligere, & prouidere, imo & prophetari, vnde dicitur propheta non solum choze חוזה, & ראה roeh. Vidit ergo Deus lucem, id est intellexit. 5. ראה

PROBLEMA XXXIII.

Quod esset bona.

1. CVr potiùs vidit, quòd esset bona, quàm vna, vera, aut pulchra? An vidit hæc omnia, cum vnico actu simplicissimo singulas creaturarum perfectiones, quas ab eo participant, clarissimè videat?
2. Cur igitur non scripsit Moses quod esset vera, aut pulchra? An vt Spiritussancti persona nobis innotesceret? vt D. Aug. insinuat, & D. Thomas disertè explicat q. 32. a. 1. ad 3 & q. 74. a. 3. In creatione, inquit, persona Patris per Deum creatorem: persona Filij per principium, in quo creauit: Spiritussancti, qui superfertur aquis: & hoc in opere creationis; in formatione verò persona Patris in Deo dicente; persona Filij in verbo, quo dicitur: persona Spiritussancti in complacentia, qua vidit Deus esse bonum, quod fecerat.
3. An potius de bonitate locutus est, quia propter suam bonitatē omnia Deus creauit, vt non solum ad intra communicaretur, sed etiam ad extra? ô bonitas! in cuius contemplatione vir iustus totam suam vitam transigere valeat.

De Gen. ad lit. l. 1. c. 6. & de ciuit. l. 11. c. 24. D. Thom.

An eatenus bonam vidit, quatenus eam laude dignam declarauit, vt in ijs creaturis laudandis vacaremus, quæ melius nobis Deum repræsentant, qualis est lux, & ne contemneremus illud, quod Deus ipse bonum esse pronuntiauit? 4.

An vt eius beneuolentia nobis appareret, & benignitas innotesceret? rectè quidem Augustinus, *Dixit, factum est, placuit, itaut in eo quod dixit, imperium eius intelligatur; in eo quod factū est, potētia: in eo quod placuit benignitas.* At nunquid טוב tof quod hîc ponitur significat bonum, pulchrum & gratum, imo iucundum, & gloriosum? ecquid obsecro luce pulchrius, quidue iucundius? quænam creatura diuinæ gloriæ splendorem accuratius nostris oculis referre valet? quapropter de luce quæstionem sequentem instituemus. 5. De Gen. Imperf c. 5. טוב 6.

QVÆSTIO IV. PHYSICA, ET MORALIS. DE LVCE.

ARTICVLVS PRIMVS.

DE NATVRA LVCIS.

MVlta sunt, quibus ad lucem penitius intuendam prouocer, imprimis verò, quòd illam Deus bonam esse viderit, cuius testimonio cum verius nihil esse possit, eius contemplationem libētius aggredior: at quod stupore dignum est, eius cognitio abstrusior, ac difficilior esse videtur, quàm vt ab hominibus inueniri possit, adeout eius splendor quaquauersum emicans, singulorúmque perstringens oculos, cum ea, quam in eius substantia, vel essentia, & natura declaranda patimur difficultate, pari gressu decertare videatur. Hæc est prima velut analogia, quam lux cum lucis authore Deo Opt. Max. habet? quid enim in vtroq; hemisphærio pulchrius, quid melius? quid, inquam in inuisibili sphæra Deo præstantius, quid in visibili mūdo luce gratius esse potest, cum tamen nihil in mūdo supercœlesti sit obscurius, nihil ita mentem effugiat, quàm Dei splendor ineffabilis; vbique videtur per creaturas in quibus adest, & tamen nullibi, sicut est, comprehenditur: ô lux, splendórque diuinitatis immensus.

Analogia lucis cum Deo prima.

At non ideò lucis naturam inuestigare desinam, quòd inuentu difficilis sit, imò laboris id eo libentius suscepturus sum quò difficilior esse videtur, & quò fructus vberiores inde profecturos esse spero, cùm in toto mūdo nihil sub aspectum cadat, quòd animum ad cœlestia, rerumq; omniū originem, ac Dei gloriam promouēdam ita valeat. Scio quidem in luce plurima spectari posse, lucem, vt fontem, radium & lumen, vt effectus: his tribus luce, radio splendore, Patrem, Filium & Spiritumsanctum, ac diuinas processiones aliquo modo indigetant & declarant.

Tria in luce considerātur.

1. Triplex ab alijs ipsa lux distinguitur, quædam enim est infundens, & non infusa, vt in sole; quædam infundens, & infusa, vt in luna, quædam non infundēs, sed infusa, vt in aëre, vt notat Goclenius ex Antonio Rempegolo de ianua in Dictionario pauperum cap. 61, idque in Lexico philosophico. Lumen verò apud eundem specie distingui voluit à luce Barthol. Anglicus de propriet. mundi c. 42. est autem triplex lumen directum, reflexum, & refractum. Directum est, quod ita liberè per medium trāsit, vt non repellatur, cùm subiectum, per quod transit, penitus obediat; reflexum, quod à speculari corpore reijcitur: refractum verò non tenet rectū incessum, sed ab eo deflectit, suumque motum obliquat, quæ tria sunt trium Opticæ partium velut obiecta; rectum enim radium Optica (communi scientiæ nomine retento) considerat, Catoptri-

Lux triplex. Goclen.

Triplex lumen tres scientias constituit. Bar. Anglic.

ca reflexum; fractum denique Dioptrica.

3. Quantos obſecro theſauros ibidem reconditos quiſpiam inueniet, cùm triplicem illam facultatem ei, quam de Deo habemus, cognitioni, conferet? qui à beatis directiſſimo radio; à fidelibus reflexo per creaturas, & aliquatenus recto per fidem; ab infidelibus ſaltem refracto cõſpicitur, vt eum omnes videant, nec vlli ſit locus excuſationi; Quid ſi reperiantur, quos altiùs paulo contemplari delectet? nunquid in liquefactione, vnione, ac diuino amplexu, raptum, ac velut per tranſennam diuinæ bonitatis radium, ſeu lumen rectà diligentium, ſimul ac dilectorum animos verberare fatebuntur, ac ſi priuilegio quodam Dei viſione iamiam abſorberentur, ſed de hoc lumine inter viatores, & patriæ incolas veluti medio cùm anima Dei ſponſa deſcendit; quantæ lachrymæ: quantum tædium: quantus horror omnium creaturarum, quæ viſionis præteritæ reſpectu immundæ, ſordidæ, hominiſque intuitu indignæ eſſe videntur, quandoquidem omnia tanquam nihilum ſint ante diuinum conſpectum.

Triplex cognitio Dei triplici lumini collata.

4\. Cõtemplatio quid afferat.

Cogitur anima deinceps per cancellos proſpicere, quæ Dei poſteriora tantummodo videt, dum non amplius recto, ſed reflexo per effectus, & creaturas radio diuinam pulchritudinem aſpicit, ſed quàm longiùs abeſt à ſponſi caſtiſſimis amplexibus, dum varijs erroribus obnoxia vix inter Dei, aut Angeli veras illuſtrationes, & influxus, ac dæmonis præſtigias diſcernit.

At nobis vlteriùs progredi ſi licet, placet admodum. Nec amplius lucis effectus tangere velim, quæ eſt ſummè, vt ita loquar, mobilis, & penetrãs, tametſi minimè reſiſtens, diſparia, & contraria generans, atque concilians, ſummè iucunda, & communicabilis; infundens, & non infuſa in Deo: infundens, & infuſa in Concionatoribus, cæteriſque doctoribus: infuſa, & non infundens in plebe; nolim, inquam, de eius effectibus loqui, donec, quid

5\. φῶς.

ſit lux ediſſeruero. Et quidem φάος, ſeu φῶς à græcis dicitur, quod eſt tam luci, quàm lumini commune, vnde feſtum Purificationis dicitur ἑορτὴ φωταγωγίας, quod in eo lumina Chriſtiani præ manibus habeant: ſunt tamen, qui lumen, & ſplendorem, ſeu illuſtrationem φωτισμὸν appellent, ſeu φῶς accenſum, quod in ſole φῶς accendens nuncupetur.

Lux triplex

Quid ſit lux

Lux ergo, quam aliqui incorpoream, & immaterialem eſſe dixerunt, quid eſt? an aliqua quinta eſſentia, quæ nobiſcum commune nihil habeat, cùm neque ſordibus inficiatur, nec vllis coloribus proficiat? An ita ſolis corpus penetrat, vt eius ſit forma ſubſtantialis, informans, & pluſquam intima, qualem in noſtris ignibus, & luminoſis calorem, & lucem eſſe putamus? quid enim obſtat, quominus ſol à luce totus penetretur, ſiue craſſa materie, ſiue diaphana, & ætherea conſtet? An is loquendi modus, quo libro primo Panaugiæ Franciſcus Patricius loquitur, tolerandus eſt, dum lucem inter corporea, & incorporea mediam eſſe pronuntiat, nec non vtrorúmque dicit imaginem? Eccur non dicemus in luce, velut in aliquo ſpeculo, lucem diuinam nobis innoteſcere, à qua noſtra lux corporea perenni quadam deriuatione dependet; cum diuinitatis inſtar quaquauerſum portendi ſolarem lucem, & velut ad infinita ſpatia ſeſe diffundere videamus? non quòd ſimpliciter, ſed iuxta ſenſus noſtros infinita ſint illa ſpatia; quid ſi forent infinita, nunquid omnia Phœbus illuſtraret, tametſi determinatæ virtutis fuerit? Equidem lux ſolis ad infinitum abſolutè ſumptum ſeſe extẽdere non valet, id enim infinitam in eo vim argueret, cùm ſolus Deus infinitus eſſe poſſit in omni genere, & vndequáque immenſus, quo ſenſu ſolus habet immortalitatem. Veruntamen cum in tantam ſuæ actiuitatis ſphæram in momento ſeſe diffundat, non eſt, quo diuinam potentiam efficacius repræſentemus.

1\. Opinio

2\.

3\. Franciſc. Patric.

6\.

Quid non ſit lux.

Lux verò neq; corpus eſt, neque ſubſtantia, neque ſpiritualis, & incorporea; quomodo enim corpus ſit, quis intelligat? cum tam celeriter omnia corpora, quãtumuis ſolida, dũmodo diaphana fuerint, trãſmeet, & veluti penetret: nec tamẽ vlla corpora toti⁹ naturæ vi ſimul eſſe poſſũt, nec alia quã omnipotenti Dei virtute corporũ licet ſubtiliſſimorũ, aut rariſſimorũ penetratio dari poteſt; Quomodo ſubſtantiam dicis, quod ſtatim adeſt ſubiecto, ſtatim ab eodẽ recedit ſine vlla eiuſdem ſubiecti corruptione? quod tametſi non ita in luce, ac in lumine demonſtrare poſſimus, cum ſolem, vel flammam nunquam ſine luce viderimus; plus tamen ſatis effectum eſſe credo, vt ab ea ſententia Patricius cum cæteris libentiſſimè diſcedat, ſi mecum apud ſe ſtatuat nullam ſubſtantiam corporeis oculis videri poſſe; quis enim tanta ignoratione detinetur, vt neſciat ſolius intellectus obiectum eſſe non tantùm ſpirituales, verum etiam corporeas, ſeu materiales ſubſtãtias, quæ non immeritò ſubſtantiæ dicuntur, & quòd per ſe ſubſiſtere valeant, & quòd accidentibus ſubſternantur, eáque ſuſtineant, atque per ſimplicem emanationem illa producant. Faceſſant igitur, qui nobis ſubſtantiam accidentis loco pertinaciùs intrudunt.

Lux non eſt ſubſtantia.

Refellitur Patricius.

Lux igitur cum ſit accidens, quod inquit Damaſcenus propriam ὑπόστασιν non habet, qualenam exiſtimabimus accidens, an incorporeum? ſed quomodo videtur, ſi corpori non communicat, quis vnquam facultatis corporeæ incorporeum obiectum conſtitui poſſe iudicauit?

Lux eſt accidens.

Nec mihi dixeris alia eſſe corpora ſui natura lucida, opaca alia, alia quę nec lucẽ, nec opacitatem habeant, quæ tranſpicua, ſeu diaphana vocare poſſis, adeout ex natura ſua lucida ſint tenebris imperuia; opaca ſuis tenebris plena, licet alieno lumini peruia non ſint; diaphana verò ſicut vtriſque carentia, ita & peruia. Enimuerò cum aliqua corpora lucem ſibi innatam, & propriam habere dicantur, non eſt hic ſenſus, vt ſubſtantialem corporum formam lucem exiſtimemus, ſed vt lucem, corporum lucidorum, ſolis, & ignis proprietatem ab ipſa forma ſubſtantiali fluentem ſignificemus.

Fateor quidem non poſſe viribus naturæ lucem à ſuo corpore, cui connaturalis eſt, ſeparari poſſe, ſed quid mirum? quid ex eo ſequitur? an lucem eſſe formam, ſeu partẽ eſſentialẽ totius lucidi corporis præcipuã? Abſit; aliâs enim quantitas, de hominis eſſet eſſentia, non tantũ iuxta partes internas ſed & externas ſpectata, quod erroneũ eſt, cum in ſancto Miſſæ ſacrificio nobis Chriſti corpus ſine quãtitate illa, vt ad ordinem loci protenſa, non ſine miraculis ingentibus exhibeatur: Vnde Franciſcus cautè libro primo de luce legendus eſt, cuius rationes ſi fucum habent, nullam profectò veritatis vmbram mihi habere videntur.

Patricius.

At fortè Patricium fefellit, quòd eſſentia qualitatis lucis excellentiæ detrahere videretur, ſed tantum abeſt, cùm omnia propè, quę nobis hic degentibus eueniunt, qualitatibus accepta ferre debeamus: quid enim ſi Muſicus ſis, aliud percipis, quam

Lucem non ideo ignobiliorẽ eſſe quod ſit accidens.

ſonoras

sonoras illas consonantias, ex quibus systemata genere triplici disposita proficiscuntur; si grammaticus, rethoricus, & logicus; verba, oratio, sermo, quid sunt aliud, nisi qualitas, si gustus sapit, si palpat tactus, si percipit odoratus, si auris audit, si vident oculi, si phantasmata producit imaginatio, si perpendit æstimatiua, denique si cogitat intellectus, si voluntas decernit, per quid obsecro hæc omnia fiunt? dubio procul per qualitates; est enim frigidum, & calidum, durum & molle qualitas; odor, sonus, sapor, color, phantasma, verbum mentis est qualitas: Quod si quis anogocico gradu superiùs ascendere velit, quid obsecro sunt aliud omnia Dei dona, quæ in animam infundit? vt enim à lumine naturali, quod signatum est super nos, facultatibus, & habitibus liberè discedamus, quibuscũ nascimur, vel quibus acquirendis insudamus: quid est fides, quid spes, quid charitas, quid virtutes cardinales, quid infulæ morales, quid dona Spiritus sancti, quid denique ipsum gloriæ lumẽ, in quo lumen immensum videbimus? nunquid in qualitatum ordinem reuocanda sunt?

Excellentia qualitatũ.

Lux ergo cùm sit qualitas lucidis corporibus ita propria, vt sine ea nunquam de lege naturæ esse possint, reliquum est, vt paucis, quænam sit qualitas, quoue qualitates inter ordine ponenda sit, inuestigemus: Scio diuersis modis nos posse in qualitatum diuisione progredi, quarum aliæ sunt occultæ, eæque vel propriæ rei alicuius per ἰδιοσυγκρασίας, vel patheticæ, siue concordes fuerint συμπάθεια, vel ἀντιπάθεια discordes: aliæ sunt spirituales, aliæ corporeæ; quædam aduentitiæ, quædam primæ; aliæ secundæ, imo & tertiæ, refractæ, integræ, actuales, virtuales, & aliæ permultæ, quas omnes discutere nolim, vt in suo ordine lucẽ constituam: nec enim tanto examine opus est, sed abundè sufficit, si lucem in aliqua ex 4 qualitatum speciebus collocem, quas Theologi cũ Philosophis communi calculo approbant: Est autem sita cum multis alijs qualitatibus ex priùs enumeratis in tertia specie, quæ passibiles qualitates amplectitur, estque vera, & realis qualitas non tantùm in fonte, sed in medio, quæ sensibus externis passionem infert, & quam ita philosophi finiunt, aut describunt.

Varij qualitatum ordines, variæque species.

Lux est qualitas visibilis, quæ est actus vltimus perspicui informatiuus; illud enim ex imperfectione, atque impotentia reducit ad actum, & perfectionis colophonem addit, nec enim illa chrystalli perspicuitas vllo modo prodesset, nisi lux eam nostros ad oculos promoueret. Sed fortè latiùs, quàm in commentario par esset, de lucis natura hactenus, verùm quæ multis non parum valeant proficere. Imposterum ergo de lucis proprietatibus agamus.

ARTICVLVS II.

DE LVCIS PROPRIETATIBVS, VT IN ORIGINE, seu fonte consideratur.

HActenus de natura lucis egimus, quæ multis parasangis cæteras corporeas creaturas superat; Pauca verò de eius nominibus præmittenda sunt ראה *vidit* & נר *lucerna*, nomini אור affinia esse videntur ex quo vocabula consequentia, tam inter Grecos, quàm latinos vsurpata proficiscũtur; ὡραΐζω, namque, idem est quod niteo; ὡραῖος verò pulchrum, atque matutinum significat: οὐρανός, lucidum cœlum, ὄρθρος diluculum, ὀρθρίζω, mane surgo; aura, aurora, orior, oriens, orion astrum fulgentissimum; sol etiam dicitur ὧρος, cuius ancillæ sint ὧραι; ὁρᾶν videre significat, ὄρος vel οὖρος mons, qui cum luci sit expositus, facilè conspici potest; & ipsa rei cuiuslibet extremitas dicitur ora, per quam apparet. Denique cauerna, & antrum Meurah dicitur propter foramen, per quod lux ingreditur: Græci verò μαῖραν à μαίρειν *lucere*, nuncupauêre lunam; adeóque possemus omnia, prout aliquid de lucis excellentia obtinuerint, à luce denominare; ea præcipuè, quæ quandam lucem præ se ferre videntur, qualia sunt Σμάραγδος, & cæteri lapides lucis aliquid ex suo sinu profundentes, & si quid in plantis, fungis, piscibus, aut cæteris id genus simile fuerit. Ipsum verò græcorum φῶς à τὸ *phas*, idest auro, seu quocunq; lucido, & aspectu decoro nominis originem duxit. In quo Dei bonitatem ineffabilem mihi contemplari videor, qui suum nomen quantumuis sanctum creaturis communicat, *ego dixi, dij estis*: nec est vllum nomen, cui aliqua subsit hypostasis, quod non ab aliquo Dei nomine profluat, etenim si quis potens nuncupetur, ideo sic vocantur, quod Deus sit omnipotens; cur obsecro sancti boni sunt, nisi quia Deus est optimus, quod & in cæteris, quibus omnes insigniuntur, nominibus reperire est. At in nomen Dei bonitas nõ terminatur, qui rebus ipsis illud impertit, quod nominis velamine concluditur, vt patet ex Apostolo, *vt filij Dei nominemur, & simus*: nec etiam psaltes ait, *dij* vocamini, sed *estis*.

De dictionibus ad lucem pertinentibus.

Omnia nomina creaturarum à Dei nominibus quodammodo proficisci.

Age verò lucis proprietates expendamus: à qua si veteres cœpissent, non illud chaos fictitium, non homœomerias, aut atomos constituissent. Hîc autem perampla significatione lucem accipiemus, prout, lumen, radium, ac splendorem amplectitur, vt ex omni parte lux ad Dei gloriam, nostramque salutem promouẽdam inseruiat. Scio quidem nos posse multifariam de luce loqui, vel prout imperfecta est, vel perfecta, prout est in sole, luna, stellis, candela, squammis piscium &c. at cùm de solari luce proprio loco rursus agendum sit, quantum fieri poterit, ab omni luce singulari nunc abstraham. Vt tamen aliquem ordinẽ inter proprietates istas vitandæ confusionis, maiorisque voluptatis, vtilitatisque gratia seruare possimus, operęprecium est, lucem, prout est in corpore lucido, priùs, deinde prout ab eo proficiscitur, mox prout in medio recipitur, quartò vt in passo, seu vltimo obiecto terminante spectare: Est & alius modus, quo lucis perfectionem inuestigare possit aliquis, si sũpserit causam illius efficientem, formalem, materialem, finalem, & exemplarem. Vt ergo lucis opus aggrediamur, postquam à tenebris, quæ erant su-

per faciem abyssi, ab illis incipiendum est, quæ luci, prout est in corpore lucido, congruunt. Itaque lucis

Variæ proprietates lucis. Prima proprietas est, sit tam intima corpori lucido, vt ei nihil coniunctius esse possit, cùm sit de eius essentia, & illius forma, quod nullatenus ijs,
1. quæ superiori dicta sunt articulo, repugnat, in quo, dum lucem esse Solis, aut alterius corporis formam rectè negauimus, id de forma substantiali intellige; cùm tamen hîc de forma accidentali loquar.

Scio quidem non paucis accidentibus proprium illud esse, vt suis subiectis non minus intima sint, quàm lux, vt patet in calore ignis, quem non existimo minorem cum suo igne connexionem habere, quàm lux habeat cum suo lucido: illud tamen abundè sufficit, vt ad Deum è luce progrediamur, quæ si corporibus lucidis intrinseca sit, quid de luce æterna cogitandum est, quæ non solùm intima Deo, sed ipse Deus est, quænam obsecro lux, quis splendor, quis radius in Deo reperiri valet? nunquid illa lucerna paradisi, quam Apocalypsis commemorat? quæ lunæ, solis, astrorumque splendorem in illa beata patria supplebit; nunquid est splendor paternæ gloriæ, lumen de lumine, Deus verus de Deo vero: ecce anima mea, quàm Deus tuus lucidus est, vt ipsa lux sit ipse Deus, vnde psaltes: *Dominus illuminatio mea, & salus mea*: ergo lux Dei est eius intellectus, quo videt, quæcunque videt, per cuius actum, cùm verbum æternum veluti radius infinitus procedat, cur non filium Dei, totius deitatis splendorem esse fatebimur.

Tropologia.

Ille est splendor à quo mentibus nostris fidei lumen infunditur, quo refulget intellectus, ei siquidem fides est intima, qua cœtui Christianorum adscribimur; at quis potest varias luces effari, quibus illustramur? Verumtamen eas quispiam apud se cogitet, ad alia enim propero.

2 Proprietas. 2 Proprietas: lux subiectum cui inhæret, gratum, pulchrum, vtile, commendatione, immo & admiratione dignissimum efficit, sine qua | quàm horrida forent tam solare corpus, quàm cætera luce destituta subiecta, quis non videt? quod in extincta lampade fumum adhuc spirante clarissimum apparet, cuius fœtor tanto naribus ingratior est, quanto lux antea iucundior erat. Iam verò si mentem hominis fidei luce destitutam, imo si beatum gloriæ lumine priuatum intueris, nulla verba suppetunt, quibus eorum tenebras, & horrendas fœditates describere possim, quapropter summopere cauendum est, ne crimen hæreseos, quo fides amittitur, incurramus, & si quod est aliud, quo tanto beneficio, tantoque lumine priuari valeamus; Secus autem intellectus diuina fide illustratus maxima dignus est commendatione, qui solis instar in Microcosmo refulget, cui si totius mundi pulchritudinem comparaueris, in nihilum abitura sit; per quid enim Deo, & hominibus facti sumus spectaculum, nisi per fidem viuam, per quam cœlestem illam Hierusalem quotidiè struimus.

Tropologia.

3 Proprietas. 3. Lux corpus, in quo sedem fixit, tanta virtute instruit, vt cætera illuminare possit, quod in candela diu noctùque perspicis: iamque fit, vt quod inutile, perpetuóque squalore erat obsitum, copiosissimè suos radios in orbem sine delectu per vniuersa diffundat: quod ostendit, atque docet homines cum in finem lumine fidei, cæterorumque donorum ornatos esse, vt ad cæteros lucem refundant, nam per fidem potens factus est homo, vt proximos illustret: quanta, Deus bone, potentia! vt qui priùs in densissimis tenebris versabatur, iam tanto lumine præditus sit, vt velut effluens alios illustrare possit! nunc dicere possumus, *Dextera Domini fecit virtutem*. Quàm admirabile productum fuerit à paterno lumine Verbum æternum, quanta luce perfusus Filius, quanto splendore radians, quis explicare valeat? vt iam in illuminando Patri sit æqualis, cui ab æterno consubstantialis, & coæqualis fuit. Hæc est lux genita à luce ingenita procedens; quæ à Mercurio dicitur Verbum lucens: à Platone primus lucis supernæ filius; à D. Paulo splendor, & gloria patris, qui cùm inter homines degeret, de se meritò illud asseruit, *ego sum lux mundi*, imo vera lux paradisi, *lucerna enim eius, est agnus*.

Tropologia.

4. Lux calefaciendi virtutem corpori luminoso impertit, licet enim nonnulla lucere videamus, quorum calorem non percipimus, attamen calorem aliquantulum generant: quid si lucem ingenitam, quæ est in Patre, & quæ est ipse Pater, spectemus? nunquid Filio, Pater verò, & Filius Spiritui-sancto infinitam calefaciendi vim ab æterno communicant? sed & anima beata luce beatorum omnino perfusa quantas flammas, quos amoris ardores euomere potest, nunquid totum mundum inflammare posset? ô quam potens flamma, cuius vnica scintilla omnem perfidiæ, & infidelitatis glaciem liquefacere valeat; qua virtute non omnino fidelis caret, qui summopere niti debet, vt homines quoscumque, fidei maximè domesticos ad amorem Dei prouocet, & calefaciendi virtutem eis vel exhortatione, vel exemplo communicet. 4 Propr. Tropol.

5. Est omnium qualitatum corporalium purissima, vt nec vlla medij turpitudine, vllóue fœtore, nec luto, aut alia quauis ratione infici possit, quod mihi diuinam bonitatem, Deique splendorem ob oculos ponit, qui nullis peccatis, nullisque tenebris offundi potest, *Nō enim, Deus meus, accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo, qui lucem habitas inaccessibilem*, Impij quidem in perpetuis tenebris conticescent, at in te neque sunt, nec esse possunt vllæ tenebræ; *Beati qui habitant in domo tua Domine*, siue iam in tabernaculo triumphante tibi suas corollas offerant, siue in militanti per singula momenta tibi benedicant, ac iubilent, quia *tenebræ* eorum *non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur*: beati, quorum corpora luce purissima perfundentur, vt solem ipsum in nitore, ac puritate magnis interuallis excedant: At quandiu hîc degimus, puritatem fidei, qua fidelium corda purificantur, assequi, atque conseruare studeamus. 5 Propr. Tropol.

6. Est omnium diues, nulliusque indiga, cùm omnes colores, odores, sapores, imo & 4 primas qualitates virtute contineat: in quo certè non possum, quin demirer illam Dei bonitatem, à qua tam bona lux non vni aut alteri, sed omnibus concessa est: quis enim est, qui lucis beneficio non fruatur, licet in profundissimis carceris ergastulis reclusus fuerit? tantæ sunt, tamque profusæ lucis diuitiæ! ô lux æterna, in qua thesauri Sapientiæ Dei absconditi sunt, quàm diues es, & nullius indiges, vt psaltes cecinit. *Dixi Domino Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges*; lux quæ non tantùm omnes qualitates corporeas, & spirituales, verùm etiā omnia creata, creanda, & creabilia eminentissimo modo 6 Propr. Tropol.

modo continet: Imo & beatus, cùm Deo perfruatur, ac proinde cœlestibus thesauris potiatur, est omnium diues, cui bonum omne adest, & à quo omne malum abest; quàm diues, qui videntem omnia videt, & omnia continentem possidet. Nec ab illis diuitijs tantùm abest iustus, vt eo lucis priuilegio non gaudeat, non eo solùm titulo, quòd iam sit in spe beatus, sed quòd minimus fidei gradus toti mundo longè sit anteponendus, cuius radio fideles illustrantur.

Si verò in solis naturalibus perstare volueris, virum in omni scientiarum genere eruditissimum, & omni virtute morali præditum lucem appellare poterimus: ille enim mundi diuitijs, aut hominum fauore non indiget; omnia siquidem sua esse putat; pompas, & triumphos irridet, seque ipso contentus veluti beatus viuit. Ei sufficit, quod omnia in mente habeat, in qua modo spirituali resident; Adde quòd respectu cæterorum hominum lux dici possit, quos Socratis instar scientia, & virtutibus propositis illuminat, adeout eorum tenebras expellat. Et quidem lux illa tametsi naturalis cœlestem originem à patre luminum Deo Opt. Max. habeat, à quo videlicet nō minus pendet esse naturæ, quàm esse gratiæ, & gloriæ. Deus bone, quàm admirabilis erit illa naturæ, scientiarum, atque virtutum lux, si luci fidei, & postea luci gloriæ coniungatur!

7 Propr. 7 *Est inuincibilis*, & vt Patricius loquitur, *indomita*; nec enim tanta est caligo, quam non dissipet, nec est tanta distantia, quin per totam diffundatur,
Tropol. eámque superet; nec est vllum agens creatum, à quo destrui possit: nunquid Deus est lux omnipotens, qui si velit, omnes cuiuscumque mentis tenebras vnico radio dissipare, ipsósque sempiterni carceris horrores discutere valeat; ille est radius, qui D. Pauli tenebras expulit, & omnium peccatorum mentes caligine circumfusas illustrat, *Illuminat*, enim *omnem hominem venientem in hunc mundū*. Et quidem si non in omnibus Catholicis fides inuincibilis sit, saltem in Martyribus huiuscemodi apparuit, *qui per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, obturauerunt ora leonum; extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladij, conualuerunt de infirmitatibus suis, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum*, vt 11 ad Heb. Ad Heb. 11.
docet Apostolus, in quo totus est, vt fidei virtutē, & velut omnipotentiam laudibus extollat. Faxit Deus omnipotens, vt ea fidei vis sese nostris in cordibus exerat, & illius radijs omnes tentationes, dæmonisque suggestiones, quibus sæpè veluti tenebris fidelium mentes obducuntur, tam è nostris, quàm ex alienis cordibus excutere possimus, sicut ipsa fidei lux per se paganorum, & hæreticorum errores ostendit, atque refellit.

8 *Lux non habet contrarium propriè sumptum, quapropter facillimè quaquauersum diaphanis quibuslibet dominatur, ac veluti per totius mundi partes suum imperium extendit, atque propagat*: Ecquid est Deo contrarium, cuius voluntati nemo resistere potest? 8 Propr.
quis æternæ prouidentiæ limites ponere, quis obsistere, quominus super bonos, atque malos pluat, Tropologia.
quis eum à rerum omnium conseruatione, quis à decretis æternis, dimouere valet? cui, tametsi velis, & totis viribus per omnia peccata nocere coneris, ei nullatenus, sed tibi duntaxat mirum in modum officias: multa alia possem addere, vt quòd lux suscipiat crementum, & diminutionem, quod nos, & alia corpora lucidis corporibus similia reddat, sed in hoc octonario, velut in suaui diapason quiescere libet.

ARTICVLVS III.

DE PROPRIETATIBVS LVCIS PROVT effunditur ad extra.

PRius est rem in se, quàm in ordine ad alia considerare, iam ex parte lucem in suo fonte spectatam relinquentes, ad eius actiones gradus faciendus est, idque tanto libentiùs, quantò magis ex ea proficere possumus; non est autem, quo meus ad pietatem meliùs promoueatur, quàm si per lucem ad lucis authorem ascendat, quid enim ita graphicè nobis diuinam bonitatem referre potest?
Dion Areo vnde D. Dion. ait Διὸ καὶ φωτωνυμικῶς ὑμνεῖται τἀγαθὸν, ὡς ἐν εἰκόνι τὸ ἀρχέτυπον ἐκφαινόμενον. id est, *Itaque lucis nomine ipsum bonum celebratur, quasi in imagine primūs exemplar expressum*. Et Berengosius Ab-
Berēgosius. bas tract. de mysterio ligni Domini, & luce visibili, docet tantùm ad mores nostros instituendos prodesse lucem, vt lucem inuisibilem nullatenus
De vtilitate lucis. videre possimus, quam non corporalibus, sed spiritualibus oculis quandoque videre debemus, nisi ab hac luce visibili priùs erudiamur in terris, quæ vel qualis sit illa, quæ nobis reseruatur in cœlis. Itaque supposita præcedentium attributorum, seu proprietatum enumeratione:

9 Proprietas. 9 *Est lucem seipsam sine vlla sui diminutione communicare*: quod optimè Dei bonitatem immen-
Tropologia. 1. sam refert, quæ tametsi continuò diffundatur in homines præsertim ex animo moram ei gerentes, iuxta Psal. 181 *Bonitatē fecisti cū seruo tuo Domine, secundum verbum tuum*, imo & in omnes creaturas Psal. 181.
licet æternis ignibus adiudicatas, neque minuitur, neque fatigatur; quod & fides charitate formata, quantum fas est, imitatur, quæ *omnia suffert, non quærit quæ sua sunt, & omnia sustinet*; dicamne bonis eleemosynæ pauperibus erogatę operibus nihil de indulgentis diuitijs deperire, aut decrescere, cui etiam sæpè maior copia succrescat: & quidem opera sancta meritò lux dici possunt, cum ipse Saluator dixerit, *vt luceant opera vestra bona*; nec desunt exempla ex vitis Sanctorum depromēda, quibus ob liberalius concessas pauperibus eleemosynas, opum incrementum confirmare possimus; sed istius rei luculentum est in vidua Sarephtana exemplum, cuius hydria farinę non defecit, & lecythus olei nō est imminut', quòd Eliæ prophetæ Domini subcineritium panē de farinula dedisset; quin & eius filium Elias suscitauit, quod non centuplam, nec millecuplam, sed propemodum infinitam eleemosynæ compensam dixero, nec solùm operis tanti præmium retribui solet, verùm ipsa data eleemosyna quandoque suscipit incrementum, Trop 1. 3. Reg. 7.

& miraculo locum tribuit, vt in 5 panibus, ac 2 piscibus apostolicis constat, quos cùm turbæ largiri Christus Dominus iussisset, ex tam paucis edulijs 5 cophini reliqui fuêre, vbi singuli tantæ turbæ homines refecti sunt: nec abs re fuerit illustre illud Prati spiritualis exemplum paucis commemorare. Christiana mulier in ciuitate

Mira historia in fauorem eleemosynæ ex c. 18 Prati spirit.

Niseræ virũ gentilem habebat, cũ qui 50 numismata fœneratori dare vellet, vt aliquod solatium ex eis caperent, monet vxor, ac suadet, vt det illa sub fœnore Deo Christianorum, qui capitale duplum redditurus sit, modum quo fœnerari possit, aperit, ducit eum in Ecclesiam; asserit pauperes ibidem positos esse, vt per eos Deus Christianorum accipiat numismata; tradit ipse continuò; qui cum esuriret post tres menses, & ambo necessitate sumptuum angustarentur, monet iterum mulier, vt repetat ecclesiam, sed cùm ei numismata non redderentur, inuento circa pauimentum numismate redit, moxque cùm ad refectionem vxoris suasione piscem empsitasset, in exanterato pisce mulier lapidem omnino mirabilem reperit, quem accipiens vir ipse petit Trapezitam, à quo pro lapide 300 numismata accepit, quæ cùm vxor vidisset, exclamauit, *Ecce De⁹ Christianorũ qualis est, quã bon⁹, quàm gratus, quàm diues!* vides quia non solùm 50 numismata tibi reddidit, quæ tu illi mutuasti sed paucis diebus ipsa tibi sexduplicata restituit. Agnosce igitur, quia non est Deus alius, neque in terra, neque in cœlo, nisi ipse solus. Ille verò miraculo admonitus, cùm experimento didicisset & ipse veritatem, effectus est repentè Christianus, & glorificauit Deum, & Saluatorem nostrum Christum cum Patre, & Spirituisancto. Vnde patet lucidorum operum distributionem non inopiam, ac familiæ detrimentum, sed argumentum, atque copiam afferre: faxit ergo Deus vt luceant opera nostra bona, *& glorificent patrem nostrum, qui in cælis est.*

10 Proprietas lucis.

Decima lucis proprietas est, vt suos omnes radios in momento diffundat; vbi notandum est id omne lumen producere per vnum instans, quod vnquam producere volet: in quo mira est lucis in agendo velocitas, si tamen nullum obstaculum adsit; nec

Tropologia subtilis.

1.

certè errabit is, imò verissimè loquetur, qui dixerit lucem ingenitam Patrem æternum simul ad intra, quicquid volet, producere, à quo multum per omnem modum lux nostra corporea dissita est, etenim productiones diuinæ, quibus se Pater vera lux improducta in Filium velut effundit, & Pater, ac Filius sese Spirituisancto communicant, momen-

Diuinæ productiones.

tum omne superant, cùm enim instans, temporis sit aliquid, non potest non præcedere moram instantaneam, qui tempus antecedit; sed nimia luce perfusi ne penitus cæcitate afficiamur, ex tam alto olympo descendamus. An fortè gratiam animæ

2.

lucem dicere fas est? at sit lux, sit calor, sit feruor animi, nunquid in momento sese in totam animã, eiusque facultates effundit? Scio quidem illa rerum visibilium simulachra, quibus ad oculos colores deferuntur, in instanti spatium omne decurrere, sed quî fieri potest, vt meritò luci comparentur, cùm ab eis medium perfici nequeat, vt à luce, cuius præsentia tantum proficit, vt medij non illuminati, & illustrati discrepantia vix sit minor, quàm entis, & non entis, vel saltem tenebrarum,

Conuersio peccatoris ad Deum.

& lucis. At quàm bene peccatoris ad Deum conuersio, & à peccatis resipiscentia momentaneæ lucis operationi conferatur, non est qui non videat; 3.
etenim statim atque seria pœnitentia ductus ingemuerit, peccatorum, tametsi infinita forent, non ampliùs recordatur diuina misericordia: quàm velox est inspiratio cœlestis, qua mentis cæcitas abstergitur, quàm citò tenebras discutit lux illa, quã D. Paulus cædis Christianorum auidus in via percepit; qua Magdalenæ, Matthæi, cæterorumq; peccatorum cæcitas euanuit: adeout diuinas illustrationes vento conferre possim, cui non ita citò fenestrã aperis, quin totam domum ingrediatur; stat enim ad ianuã, & pulsat, tantùm ei libenter aperias, vt cum psalte 138 canere possis. *Et nox illuminatio mea in delicijs meis*; Denique sicut lucis actio naturalis est, & necessaria, ita & diuinæ productiones. Psal. 138.

Vndecima, lux per rectum radium, & non tortuosum, vel sinuosum sese communicat; in quo maxima commendatione res naturaliter agentes dignæ videntur, quæ per lineam rectam suas operationes exerunt, quia breuissimo compendio delectantur; Inter lineas autem rectam omnium breuissimam esse testatur Euclides; quid enim est aliud 4 definitio.

11 Proprietas lucis.

Euclid.

Εὐθεῖα γραμμή ἐστιν, ἥτις ἐξ ἴσου τοῖς ἐφ' ἑαυτῆς σημείοις κεῖται seu recta linea est, quæ ex æquo sua interiacet puncta; quam lineam esse ab vno puncto ad aliud protractionem breuissimam, vt Campano placuit? quæ fieri concipitur per fluxum puncti non titubando, sed æqualiter vsque ad quietem procedendo, vnde lineam breuiorem dari penitus impossibile est.

Recta linea quid.

Campanus.

Quæ est illa lux intellectualis, quæ rectâ suos radios porrigit? nunquid illa, quæ orta est iusto, & quæ fuit rectis corde lætitia? nunquid illa, quæ totam suam virtutem æterno Verbo communicauit? nunquid illa, quæ quotidie super bonos, & malos solem oriri facit? ô lux indeficiens, sine qua cunctæ creaturæ perpetua caligine tenebrescunt! Sed aliam lucem in microcosmo reconditam videre mihi videor, quæ rectâ fertur in Deum; An fides est charitati iuncta, per quam, *semita iusti recta est, rectũsque callus iusti ad ambulandum.* Isai. 26. c. Nam obsecro, qui sunt illi, qui solum Deum eiusque gloriam expetunt, ac propagare nituntur? nunquid fideles? sed nunquid illi, qui dum cœlestia meditãtur, à creaturis recto cursu ad Deum pergunt? quẽ animi motum c. 4 de diuin. nomin. tetigit D. Dionysius, qui recta linea dicit animum moueri, *cùm ad se non ingreditur, & vnico mentis motu cietur, sed ea, quæ circum eum sunt, prodit, & ab ijs, quæ extrinsecus incidunt, quasi à signis quibusdam multis, ac varijs, ad ea, quæ simplicia, coniunctáque sunt cognoscenda deducitur*: hunc autem motum, & 2 alios circularem videlicet, & obliquum post multa sic explicat D. Thomas in fine lectionis 7 in c. hoc 4. *Anima vel à sui vniformitate progreditur in superiora magis vniformia, & hic est motus circularis ipsius totus vniformis, vel ex influentia vniformis illuminationis accipit cognitionem variam, & multiformem, & sic est motus obliquus eius, vel è conuerso ex multiformibus, & varijs in simplicem cognitionem proficit, & sic est motus eius rectus*, ita diuus Antonius Abbas ex omni creaturarum varietate rectâ surgebat ad Deum; ita potuerunt philosophi Deum cognoscere; ita quilibet Christianus in amorem, & admirationem perfectionum diuinarum assurgere debet: Id enim omnes creaturæ docent, cùm terra, seu lapis in altum proiectus, in suum centrum recidat, idque

Tropologia varia.

Isai. 26.

Rectus motus animi. Diony. Areop.

D. Thom.

Triplex motus animi explicatur.

idque per lineam rectam, per quam & ignis ascendit, & omnia perpendicula diriguntur, & omnia artefacta fabricantur, & cæteræ lineæ, omnesque figuræ, & corpora probantur, sed de lineæ rectæ præconijs, & vtilitate plura quandoque dici poterunt, adde per eam cum grauitatis, tum magnitudinis centrum inueniri.

12 Proprietas lucis. 12 *Quantò descendit inferiùs, tantò plures emittit radios*, cùm ingentem pyramidem producat, cuius conus sit in ipsa luce, velut in fonte, basis autem in medio, vel obiecto illustrato, adeout quaquauersum lucis radij diffundantur, sicut punctum, seu centrum circuli in totam circunferentiam quotlibet lineas effundit. Quod mihi prima fronte potentiam diuinam repræsentat, quæ mox atque creaturas producit, vt centrum lineas, vt lux radios (nam quantò longiùs à Deo creaturæ recedunt, tantò plures esse videntur, quia materiæ viciniores, sine qua fieri nequit indiuiduorum multiplicatio) mihi solis instar esse videtur, qui licet per totam actiuitatis suæ peripheriam radios effundat, si nihil obstet, pauciores tamen in partes vicinas, quàm in remotas immittit: Dixi, *si nihil obstet*, vt enim externum impedimentum, solaris lucis propagationem impedit, sic in Deo considerare possumus internum obstaculum, quominus totam suæ actiuitatis sphæram creaturis impleat: quid est illud impedimentum, nisi quia non vult? adeout sit sola pro ratione iustissima Dei voluntas.

Tropol 1.

D. Thomæ opinio.

2. Quod si homines mundi lux & dici possint, & verè sint, iuxta verbum Christi, *vos estis lux mundi*, nunquid eò plures radios effundent, quò pluribus bonis operibus intenderint, quò plures ad salutem instruxerint, quò plurium fuerint? exemplo D. Pauli, qui omnibus omnia factus est, vt omnes lucrifaceret, omnes illustraret, omnesque Deo subiiceret.

3. Sed, & lux hominis intellectualis in plures radios dispergitur, quo circa plures creaturas versatur, qui fit eò multiplicior, & magis ab vnitate recedit, quò pluribus inhæret, vnde Christus sollicitę Marthæ respondit: *Porro vnum est necessarium*, vnum in quo facti vnanimes, Deus bone, quanta voluptate perfusi præclarum illum Dauidis psalmum concinemus, *Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum*; cùm 12 tribus Israel suas coronas agno submittentes, regi oleo diuinitatis vncto clamabunt: *os tuum, & caro tua, nos omnes sumus*.

13 Proprietas. 13 *Lucis radius per angustum foramem in locum tenebrosum incidens repræsentat in obiectâ papyro quæcunque forinsecus rectâ affluunt.* Quod vnusquisque facilè videre potest, & expertus sum in illa domo pontis noui Parisiensis, in qua Samaritanæ statua conspicitur: in ea siquidem omnes pertranseuntes satis exactè conspiciuntur, idque bis, semel in parte superiori, & semel in parte inferiori ad perpendiculum cadente; quod si quis animi gratia efficere velit, debet vndequaque claudi cubiculum, excepto angusto foramine, per quod radius solaris, aut saltem aliqua lux rerum exteriorum simulachra vehat. Huiusce vero proprietatis assignare causam non ita facile videtur: quam vt inuestigemus, supponendum est visibilem speciem per foramen propagatam, totam in quolibet medij puncto terminari: lucem vero eò latiorem esse, quò longior à foramine discesserit. Cum igitur species rei visibilis mediante lumine solis, vel facularum, ad papyrum terminentur, necessariò quæcunque foris sunt, in papyro cernuntur euerso tamen situ: quò verò paries à foramine magis distabit, rerum pictura faciliùs distinguetur, tametsi colores extenuentur, visumque imbecilliùs moueant, vt Keplerus prop. 7. cap. 21 notat; additque picturam omnium clarissimam futuram, si sol res repræsentandas illustrauerit directè: videatur Baptista Porta, quem huiusce rei primum authorem facit, l. 17 magiæ. Keplerus in Optica astron. Bap. Porta.

Res autem euersæ videntur, ob radiorum in foramine extensionem, quam permutatio situs partium rei visibilis necessariò consequitur. Negat verò Ramus 1 Optic. prop. 19 diuersos illius rei colores apparere, sed visibile tanquam monogrammum videri, quod expertus sum, nec contrarium esse verum existimo, quicquid secus, vbi supra, Keplerus sentire videatur, sed nec rationem, quam Ramus habet, admitto; nempe rem monogrammam, & subnigrã ideo videri, quod colores à radio per foramen aduecti, vmbrisque permisti colorem vniusmodi nobis offerant, nec enim rerum visibilium colores à radio deferri puto, sed solas eorum species, alioqui colores in aëre intermedio recipi deberent, quod à veritate alienum esse videntur. Ramus.

Hac autem ratione defectus solaris magnitudo, quantitas, augmentum, initium, medium, & finis sine vllo oculorum incommodo deprehendi potest, vt Petzanus 5 prop. 1. meminit: Maurolycus in dialogis Cosmograph. Reinholdus in theoricis planet. & Frisius in radio astronomico. Petzanus.

Quo etiam modo picturæ rudis, & imperitus corpora quælibet suis monochromatis in plano absque labore delineabit, & depinget, augebit, & minuet, & chorographicas, atque topographicas descriptiones accuratissimè perficiet. Quæ vt expeditiùs fieri possint, domuncula è lignis leuioribus, basique multangula fabricanda est, in cuius laterum quolibet fiat foramen conoides, basi extrinsecus, vertice intrinsecus spectante, quo visibilium speciebus, vndequàque liberrimè incurrendi, & affluendi sit facultas: Alij talco ante oculos posito picturas, & tabellas imitantur. Sed de proprietatis istius expositione satis.

Tropol: Vt dicamus diuinæ lucis radium nobis ea manifestare, dum mysteria diuina contemplamur, quæ tamen à nobis remotissima sunt, quot enim sanctos, quot puellas videre est, quæ mentis intuitu in ecstasi positæ, contemplationis virtute plura cognoscunt, quàm omnes totius mundi doctores, vt non sine stupore eas audiamus, dum post mentis excessum, tametsi scientiarum omnium ignaræ, doctissimè de altissimis nostræ fidei mysterijs disserunt: Sed quomodo id fieri potest? nunquid in solito maiori lumine, inter fidei, gloriæque lumen veluti medio viderunt lumen, quod nec oculus vidit, nec in cor hominis ascendit? An D. Pauli instar vsque ad tertium cœlum rapiuntur? An ipsam essentiam diuinam sibi præsentissimam conspiciunt, vt in hoc momento beatis similes esse videantur? An transeunti lumine gloriæ afficiuntur, vt faciali visione perfruantur? An ipsa vis imaginationis (quæ est meditationis ianua, atque necessarium, vtilissimumque intellectus instrumentum) nobile aliquod Dei, beatissimæ Trinitatis, cœlorum, mysteriorúmque phantasmata fabri- Quomodo fiat ecstasis, inquiritur. 4 opiniones istæ nõ in solidum mihi satisfaciunt.

care poteſt, ex quo poſtea intellectus eorundem arcanorum ſpeciem ſpiritualem, & intelligibilem in intellectu patiente imprimat, vt tandem aliquando contemplationis actus perficiatur? Deus bone quanta myſteria, quantam cognitionem animæ Deus vnico lucis radio manifeſtare poteſt.

Nunquid etiam per oculos tãquam per feneſtras omnes creaturæ viſibiles, nunquid per omnes ſenſus tanquam per foramina radios immittunt, quibus infinita Dei attributa,& immenſę proprietates referuntur: nunquid mundus vnicus Deum vnicum, nunquid tanta creaturarum multitudo illius omnipotentiam, atque bonitatem luculenter oſtendit? Et quidem vnicus fidei radius plura nobis manifeſtat, quàm omnes artes,& ſcientiæ: Vtinam ô Chriſtiane poſſes aliquando perſpicere, quot imaginibus, quot arcanis memoriam tuam fidei penicillus depinxerit; vtinam ſemel in die ſpeciem tuam viſitares, quam tam viuis depictam coloribus cerneres, tantáq; pulchritudine decoram, vt cætera omnia facilè deſpiceres, iuxta id Iob. 5. *Et ſcies, quòd pacem habet tabernaculum tuum, & viſitans ſpeciem tuam non peccabis.*

Iob 5.

Hic eſt veri ſolis radius, cuius auxilio veram paradiſi topographiã deſcribere poſſimus; hæc eſt facula, cuius beneficio videmus omnia, quæ ſingulis diebus in beatorum ſede patiantur; hæc ipſa lux eſt, qua fulgente non tantùm præſentia, ſed præterita, futuráque proſpicimus. O radium æterna laude digniſſimum! ô lucem admirandam, cuius intuitu lumen ſolare tenebratum inſtar eſſe videatur! ô beatos Catholicos, quibus tanta lucis iſtius copia, tam multiplicibus radijs affulget, dum tot gentiles,& hæretici tam grata, tam neceſſaria, tam decora luce deſtituuntur: Omnes itaque Chriſtianos ad veram lucem, ad cœleſtem Opticã, ad Catoptricam diuinam, ad Perſpectiuam inenarrabilem prouoco, vt omnes aliquando cœleſti beatitate perfruantur.

Memini D. Benedicti, qui totum mundum in vnico diuinę lucis radio vidiſſe dicitur, teſte D. Gregorio li. 2. dial. cap. 35. etenim cùm ad feneſtram veſpere oraſſet, tantam lucem vidit, vt diem vinceret, omneſque tenebras fugaret, in qua luce omnis mundus velut ſub vno ſolis radio collectus, ante oculos eius adductus eſt, viditque Germani Capuani Epiſcopi animam in ſphæra ignea ab Angelis in cœlum ferri. Sed quomodo totum mundum in radio videre potuit? an quia animæ videnti Deum omnis creatura anguſta eſt, eo quòd per lumen diuinum mentis intimæ ſinus laxetur, tantúmque expendatur in Deo, vt ſuperior exiſtat mundo, & ſemetipſa, vt diuus Gregorius explicat?

D. Gregor

Quomodo S. Benedictus totum mundũ viderit, 4 opiniones.

An quia Deus totius mundi compendium ſancti Benedicti oculis obiecit? An quia phantaſmata, vel ſpecies totius orbis eius menti infudit? an quia ei oſtendit aliquid, in quo totus mundus eminenter contineretur? An quia rerum omnium ſimulachra in oculis illius impreſſit? ſed quid de modo tantopere quærimus, cùm rem ipſam habeamus.

14 Proprietas lucis.

14 *Proprietas velut alteri neceſſariò coniuncta eſt, tantò debiliores fieri radios, quantò plures:* illud autem inde proficiſcitur, quòd ſimul atque multiplicantur, magis à lucis fonte diſcedant, & vt ita loquar, ſui principij obſcuriorem imaginem referant, illud enim vnum eſt, hi plures, illud in ſeipſo vniſſimum, hi diſperſi, atque diffuſi; ac proinde illud fortiſſimum, hi debiles admodum, itaut tandem propriæ imbecillitatis nihilo fatiſcant,& penitus euaneſcant.

Tropologia.

Tametſi verò nulla creatura propriè dici poſſit à Deo, quàm alia diſtare magis, cùm omnes infinito ſpatio diſtent, nullamque cum eo poſſint habere proportionem, attamen ſi rerum creatarum perfectiones, vt diuinarum imitatrices ſpectauerimus, eas Deo viciniores non immeritò dicemus, quæ meliori penicillo diuinum exemplar referent, quales ſunt angeli, & animæ rationales viuam Dei præſe ferentes imaginem, quæ tantò ſplendidiùs in angelis relucet, quantò naturâ ſuâ, & intellectus præſtantiâ nobis anteſtant: quod ſi diuinæ bonitatis radios, vt in animalia diffuſos intuearis iam veluti debiliores factos eſſe reperies, ſenſimque minui videbis, prout fuerint inferiores creaturæ, quæ potentiæ diuinæ ſigillo notantur, adeout non amphùs imago diuina, ſed tantùm illius veſtigium aliquod ſatis obſcurum in eis relucere videatur, quod etiam vix in materia prima colliges, varietas ergo, ſeu multitudo vires eximit, quas inſtruit vnitas, & ſummopere intendit; quapropter ſi cum Propheta regio canere vis; *fortitudinem meam ad te cuſtodiam*, te pro viribus Deo coniungas, vt dicere poſſis, *Mihi adhærere Deo bonum eſt.* Alioqui quò pluribus intentus fueris, & minor fies ad ſingula, & eris ineptus, qui Deo iungaris. Hinc fortè Sancti, qui cùm doctiſſimi eſſent, varijs ſcientijs attendebant, ac ſeſe veluti exhauriebant, quia pluribus diſtrahebantur, non adeò frequenter ab angelis viſitari, vel in ecſtaſim rapti ſunt, ac ij, qui ſoli numinis diuini bonitati contemplandæ vacabant.

15 Proprietas.

15 *Lux illuminat vniformiter difformiter*; quod quia paulò difficilius eſt, quàm vt primo intuitu poſſit intelligi, clariùs illud exponendum eſſe videtur, ſic enim faciliùs ad gloriam Dei manifeſtandam, aut noſtram vtilitatem promouendam aſſumi poterit.

De vniformi, & difformi illuminatione.

Vniformis illuminatio, prout nunc à nobis ſumitur, eſt certa habitudo decrementi vel incrementi facti in vna parte ſpatij illuminati ad decrementum vel incrementum in alia parte æquali factum, vt ſi per 4 paſſus à corpore luminoſo decreuerit lumen per vnum gradum, in 8 diſtantiæ paſſibus per 2 gradus decreſcat, idémque de crementо dicendum eſt, ſi quis ad fontem lucis redeat: At verò cùm id omnibus qualitatibus iuxta cuiuſque rei naturam applicari poſſit, operæpretium eſt, vt ſemel aduertamus latitudinem qualitatis intenſibilis eſſe duplicem, quarum vna in extenſione, altera in intenſione ſita eſt: illa partes extra partes, hæc partes intra partes conſtituit; quæ duplex eſt: vna vniformiter difformis, quando in difformitate proportio arithmetica ſeruatur, vt cum in prima ſubiecti parte ſunt 8 gradus, in ſecunda 7, in tertia 6,& ſic deinceps; altera difformiter difformis, quando difformitas excludit proportionem arithmeticam; quæ rurſus duplex eſt, vna vniformiter difformiter difformis, quando ſeruatur proportio geometrica, vt cum in prima parte ſubiecti ſunt 8 gradus, in ſecunda 4 & ſic de reliquis: alia difformiter difformiter difformis, quando neque arithmetica, neque geometrica proportio ſeruatur, vt ſi in prima parte ſint gradus ſex, in ſecunda 4, in tertia tres, in quarta vnus.

Intenſio gradualis vniformiter difformis.

Difformiter difformis.

Vniformiter difformiter difformis.

Difformiter difformiter difformis.

Poſſumus

Possumus tamen decrementum illud vniformiter difforme vocare, quoties diminutio [illegible]duum, quæ fit in vno spatio, aliquam habet continuam rationum, seu habitudinum analogiam (quam Geometræ proportionalitatem appellant, iuxta 4 definit. 5 Euclid. ἀναλογία ἐστι τῶν λόγων ὁμοιότης.) cum decremento facto in alio simili, & æquali spatio; quo sensu nostra hæc 15 proprietas intelligitur. Dixi quando continuam habet rationum habitudinem, vt excluderem harmonicam proportionem, quæ non seruat illam, in hoc enim sita est, vt tantumdem medius terminus à tertio superetur, quantum primus à medio, quod facio manifestum in his tribus numeris 4. 6. 8 in quibus 6 ab 8 per binarium superatur, sicut 4 à 6 per eundem binariũ; scio plura alia in proportione hac, sicut & in præcedẽtibus spectari posse, sed quæ non sint huius loci: idcirco in alium locum reijcienda sunt, vbi de virtutibus fidei, spei, charitatis, cæterarumque virtutum incremento, aut (si fieri potest, aut solet) decremento de luce tantùm hîc agemus, quæ profectò in suis progressibus mirabilis esse videtur; quod enim non seruet arithmeticam proportionem, ex eo cõstare existimo, quòd pro rata spatij adaucti proportione, non sit certa luminis diminuti pars spatio proportione respondens, sed minus luminis decrementum esse videatur, quàm magnitudo spatij; quod tamen nondum ita mihi certò constat, vixq; sciri posse hac in vita credidero, an nimirum, si lumen vno gradu diminuatur in spatio 6 pedum, sit etiam futurum, vt in 12 pedum spatio per duos gradus decrescat, an verò per partes proportionales, medietatesque medietatum illud contingat, siquidem id experientia vix, ac ne vix quidem deprehendi potest; at quicquid sit, saltem probabile est lucem in suorum radiorum augmento, & decremento vniformiter difformiter produci, quod abundè sufficit, vt iam ad profectum animæ festinemus.

Euclid.

Proportionalitas quid.

Tropolog. I.

In Ecclesia diuinum splendorem, tanquam iubar matutinum videre mihi videor, qui se lucis instar difformiter vniformiter copiosè diffundat, nam 1. ad Corin. 12. *Diuisiones gratiarum sunt*, ecce difformitas, vt assistat Ecclesia à dextris Dei *in vestitu deaurato, circundata varietate*; *Idem autem spiritus*; ecce vniformitas; *& diuisiones ministrationum sunt*, ecce diuersitas: *idem autem Dominus*, ecce identitas: *& diuisiones operationum sunt*, ecce multitudo, *idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus*, ecce vnitas; ô Hierusalem, quæ ædificaris, vt ciuitas, cuius lapides pretiosi viuunt, & ita viuunt, vt vnicuique detur manifestatio spiritus ad vtilitatem; quid est manifestatio spiritus? nunquid lumen? cùm omnis manifestatio à luce procedat, nam omnia, quæ arguuntur, à lumine manifestantur, *omne enim quod manifestatur, lumen est* ad Eph. 5. quod antequam videri posset, quid aliud præter tenebras existimasses? *Alij ergo sapientiæ sermo: alij sermo scientiæ per eundem spiritum &c. sed hæc omnia operatur vnus, idemque Spiritussanctus, diuidens singulis prout vult.*

1 ad Cor. 12

Ad Ephes. 5

Et sic in vno spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati sumus: nunc autem multa quidem membra, vnum autem corpus: at cùm Ecclesiæ membra sint Apostoli, Doctores, & cæteri habentes virtutes, & gratias curationum, opitulationes &c. quæ potiùs gratis data esse, quàm gratum hominem facientia videntur, nunquid cum Apostolo charismata meliora æmulari debemus? sed quænam meliora sunt? prorsus *illa charitas, quæ nunquam excidit, siue prophetiæ euacuentur, siue linguæ cessent, siue scientia destruatur*: quare non cessat? an quia Deus est charitas? an quia dum incidit in via, postmodum in patria perficitur? an quia tam hîc, quam illic prorsus est necessaria, & est vestis illa nuptialis, sine qua nullus ad mensam Regis æterni accedere possit? 1 Cor. 14.

At quónammodo charitas vniformitatem cum difformitate subit? nunquid omnes beatos efficit hîc in spe, illic in re? nunquid omnes Deum super omnia diligũt, & eodem perfruuntur? Omnes quidem Deum Deorum in vera Sione vident, omnes quidem sunt astra lucidissima, præcipuè verò qui ad iustitiam erudiunt multos, qui *fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates*, veruntamen *sicut stella stella differt in claritate, sic & erit resurrectio mortuorum*; est ergo charitas vniformis, cùm omnes ad eãdem beatitatem proueh at, difformis autem, cùm nonnullos Arcturi, & stellæ regiæ, alios spicæ Virginis, Castoris & Pollucis instar, alios vt stellas primæ magnitudinis, alios vt secundæ, tertiæ &c. illustres atque splendidos efficiat; vnicus autem est sol, vnica luna, Christus Dominus, & Virgo Mater. At eandem vniformem difformitatem in diuersis animæ nostræ profectibus aduertere quàm facillimum est. 2.

Daniel. 12.

1 Cor. 15.

Pauca verò subiungenda sunt, vt singuli proprietatem istam probè intelligant. Idcirco notandum est spatium quodpiam, per quod lux propagatur, & in quo vel augetur, vel minuitur, multipliciter diuidi posse, primò quidem in partes æquales siue Arithmeticas, quod fit, dũ prima pars secundã non superat, neque secunda tertiam, & sic deinceps. Secundò in partes proportionales, seu geometricas, quæ licet aliquam proportionem inter se obseruent, minimè tamen æquales sunt; qua ratione procedimus, dum priùs spatij pedalem partem, deinde semipedalem, tertiò dimidium semipedis, & dimidium istius dimidij, & sic deinceps assignamus. Alia ratione Geometricum spatium per numeros explico: detur spatium mille pedum, per quod lux diffundatur, quod sit ita diuisum, vt prima pars duos pedes, secunda quatuor, tertia octo, quarta sexdecim, quinta 32, sexta 64, septima 128, contineat, & sic deinceps; illud spatium diuisum erit in partes Geometricas, vel in partes geometricam proportionem obseruantes, nam qualis est proportio primæ diuisionis ad secundam, talis est secundæ ad tertiam, & penultimæ ad vltimam, & qualis est primæ ad tertiam, talis est tertiæ ad quintam, & antepenultimæ ad vltimam. Omitto alias diuisiones, vt harmonicam &c. quia naturales actiones, præsertim verò lucis incrementũ, vel decrementum illis solùm modis fieri videntur. Quibus suppositis, dico lucem 4 tantùm modis augeri, vel minui posse. Vel enim per æqualia spatia æqualiter augetur, vel inæqualiter, proportionaliter tamen, vel per spatia proportionalia crescit proportionaliter, aut æqualiter.

Partes æquales & Arithmeticæ idem significant.

Partes geometricæ, & proportionales idem.

Lucem 4 tãtùm modis propagari posse.

Quisnam verò ex istis modis lucis decremento conueniat, satis ex dictis colligitur, & experientia quotidiana docet illius diminutionem non esse vniformem, aut arithmeticè procedentem.

Quæ proportio seruetur in lucis propagatione.

Enimuero si candelam in cubiculo accendas, & ab ea primùm per 4 passus discedas, decrementum illud, quod in fine 4 passus factum est, non erit æquale decremento, quod in fine octaui passus

continget, verùm hoc modo decrescet. Sit candelæ lux vt 12, cuius actiuitatis sphæra, per quam lumen communicare nata est 4 leucarum spatium complectatur: si in prima leuca lux dimidiam virtutis suæ partem exhauriat, non statim reliquam medietatem in 2 leuca consumet, sed vbi per 6 gradus in prima leuca lumen diminutum fuerit, in secunda per tres duntaxat minuetur, vt in fine secundæ leucę; adhuc lucis gradus, vel virtus illuminandi vt tria, vel quarta propriæ virtutis pars corpori lucido supersit, quod deniq; per eandem proportionem in tertia, & quarta leuca vim totam exhauriet.

Solis accessus, & recessus difformiter vniformis est. Hac igitur proportione lux sensim elanguet, & penitus interit; neque sola lux hanc vniformem difformitatem, seu decrementa, & incrementa inæqualia in partibus æqualibus obseruat, sed & alia multa idem patitur, vt patet in solis ab Æquatore ad Tropicos accessu, & eiusdẽ à Tropicis recessu, atque regressu ad æquidialem, à quo dum recedit, æquis temporibus minora semper spatia conficit, quemadmodum in accessu maiora, adeout circa solstitia, seu Tropicos 15 dierum spatio nobis sol perstare videatur, ac si dies in eodem statu permaneret, licet enim dies semper augeantur, vel minuantur, illa tamen incrementa, vel decrementa adeò parua sunt circa solstitia, vt vix percipiantur; secus verò circa puncta æquinoctialia. Cætera, quæ similem proportionem obseruare videntur, vt partes circuli, & variorum planorum, atque corporum homologorum in lineis rectis instrumenti partium mechanicè designatas omitto, vt huic difficultati finem imponam, quæ ne latiùs protrahatur, in alium locum demonstrationes reijcio, quibus ostendi possit lucem in decremento vel incremento non arithmeticam, sed geometricam proportionem obseruare.

16. *Proprietas, lux non est facta in numero, pondere, & mensura* teste D. Ambrosio 1 hexam. c. 9. quod quidem directè contra Scripturam Sap. 11 vers. 21. dicentem, *omnia in mensura, & numero, & pondere disposuisti* pugnare videtur, quapropter id sine debita explicatione præteriri non debet; quid est ergo mensura, quid pondus, quidue numerus ille, quem omnes creaturæ continent? quomodo proprias mensuras, proprios numeros, proprium pondus habent omnia; nunquid mensura cuiuslibet rei modus est, quo vel principia materialia, aut efficientia commensurantur; numerus verò ipsa rei forma, seu species, cùm per formam res in specie constituatur, & species sint sicut numeri? si verò numeris quibuscumque vnitatem addis, numeri speciem mutas, ac si differentiam nouam adderes: pondus autem est illa inclinatio ad finem, seu finis appetitus, quo res quælibet in id tendit, quod sibi iuxta suam formam congruit, vt ea ratione cuiuslibet rei perfectio consistat in modo, specie, & ordine? vt præclarè S. Doctor 1. p. q. 5. a. 5. declarat. An mensura, numerus, & pondus ea sunt, de quibus habetur Esdræ 4. c. 4 *Quoniam in statera ponderauit sæculum, & mensura mensurauit tempora, & numero numerauit tempora*: An per mensuram Spiritussancti clementia conseruans omnia, per numerum Filij ordinantis sapientia, per pondus potentia Patris operantis intelligenda est? vt vult Bonauentura.

Locus Sapient. 11. explicatur decem modis.

1.

2.

Esdr. 4

3.

Bonauent.

4. An potius mensura Patri tribuitur, numerus Filio, pondus autem Spiritui sancto, qui est amor? An vt vult D. Bernar. serm. 51 ex paruis, pondus in rebus creatis dignitatem, mensura locum, tempus, aut definitionem, seu limitationem essentiæ, numerus verò compositionem, varietatem, & mutabilitatem partium? An vt vult Hugo Cardinalis Deus ita disposuit omnia in mensura, id est in se omnia mensurante, seu cuilibet rei modum præfigente, in numero, id est in se omnia numerante, seu cuilibet rei propriam speciem largiente, & in pondere, idest omnia ponderante, seu proprium, & certum ordinem assignante? An vt Rabanus ait, omnia fecit Deus in mensura, idest in veritate, seu vero esse, non phantastico; in numero, idest distinctè, sine confusione: & in pondere, seu iustè, tribuens vnicuique secundum propriam capacitatem?

Bernard.

5.

6.

Hugo Car.

7.

An, vt vult idem Rabanus, in mensura qualitas, in numero quantitas, in pondere ratio intelligenda est. An, vt Holcot in c. 11 Sap. lect. 142 disserit, per mensuram intelligi debet limitata perfectio in essentia, & in potentia; per numerum certa à Deo distantia, quomodo numeri ab vnitate distant: denique per pondus, appetitus naturalis ad id, in quo natura perficitur? An locus hic intelligendus est de pœnarum mensura, qua Deus erga peccatores vtitur, iuxta id Apoc. 18. *quantum fuit in delitijs, tantum date illis tormentum, & luctum*, cuius mensuræ Esaias c. 27. meminit, *in mensura contra mensuram cùm abiecta fuerit iudicabis eam*. de numero in Apocal. *duplicate duplicia secundum opera eius*, & Esai. 40. *Suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis*: denique pondus Esai. 6. ostenditur *ponam iudicium* in pondere, & iustitiam in mensura: adeout puniat Deus in mensura, cum plus non exigit, quàm culpæ meruit quantitas; in numero, quàm multiplicitas; in pondere, non plus quàm peccantis conditio, & qualitas. An etiam reperire possumus in toto mundo simul sumpto mensuram, pondus & numerum, vt sic omnia Dei opera sint ex omni parte stupore dignissima, vel potiùs cum ea denotare non possimus, solus Deus rerum omnium mensuram, pondus, & numerum cognoscit, ecquis enim cœlorũ astrorumve magnitudinem, quis à terra distãtiam, quis crassitiem mensus est? quis obsecro stellas, quis arenam maris, pratorum herbas, aues cœli, pisces maris, terræque quadrupedes, sed quis angelicas cohortes numerauit, quis? Nunquid ille, *qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat, quique palmo metitur aquas*? Quis denique ponderauit ignem & aerem? nunquid is, qui *librabat fontes aquarum*.

Holcot.

8.

9.

Apoc. 18.

Esai. 40. & 60.

10.

Hactenus quidem intelligere possumus, vel omnia, vel multa saltem in numero, pondere & mensura, modo, specie, & ordine facta fuisse, quod tametsi nondum appareret, non immeritò cuiuslibet rei numerum in essentia, & vnitate, mensuram in veritate, pondus verò in bonitate constitueremus. At quod ad rem, atque proprietatem nostrã spectat, quomodo lux numero, pondere & mensura caret? an propterea illud verum est, quoniam lux his omnibus caret respectu corporum ad quæ sese extendit, cùm omnes eorum numeros, & mẽsuras superet? at cùm sit vnum quid, & specie propria discernatur ab alijs, neq; rerum ordinem excedat, nunquid habet modum, speciem & ordinem? modum quo causam efficientem; speciem, quo formalem, ordinem deniq;, quo finalẽ respiciat, vnde teste

Alensis. teste D. August. lib. 83. quæst. apud Alensem parte 1. quæst. 7. m. 4. *vniuersa creatura habet, quo cõstat, quo discernitur, quo congruit, ac proinde trina est eius causa, qua sit, qua hæc sit, qua sibi amica sit*; adeout inde Trinitatis existentiam concludat ibidem, & de natura boni, ac de vera rel. ex quo Alexander vbi suprà, membro 7. sic ait. *Mensura, numerus & pondus sumuntur primò in re creata, prout existit; deinde modus species, & ordo pro re secundum quod est à principio, tert... hæ rationes, quo constat*, quo discernitur, quo congruit secundum quod res à principio in esse reguntur: denique, essentia, virtus, & operatio secundum quod habent rationem efficiendi à principio, Deo nimirum, in quantum in eis operatur.

Explicatur locus difficilis Ambrosij. At ne rem diutius protrahamus, nobis explicare liceat, quandoquidem Ambrosius illud asserit, lucem ab omni pondere, numero & mensura eximi; siquidem nullos limites habere videatur, etenim congrega in vnum omne colorum genus, inquit Ficinus lib. de lumine, quid erit hoc vniuersum, nisi lux quædam omnicolor, siue lumen ob materiæ soliditatem, atque obscuritatem iam opacatum; cùm ergo lux sit omnicolor, qui sub qualitatum, mensuram, numerum, aut ordinem cadere potest? quonammodo numerum, pondus, & mensuram, quæ propriè duntaxat in corporibus reperiuntur, esse possent in lumine, quod omnia corpora permeat, & vt ita loquar, continet? Vt enim anima corpus magis, quàm è conuerso corpus animam, sic lux omnia corpora, illáque propemodum infinita aëris, cœlorumque spatia complectitur, si quod maius est minus ambiat; eatenus igitur lux sine mensura, pondere & numero dicenda est non tãtùm quatenus cæteris q... [illegible]tatibus corporeis, vt rex omni populo, sol quibuslibet astris, ignis cæteris elementis antestat, sed quia corpora omnia transcendit, & etiam in spatia, quæ vocant imaginaria, dummodo illius capacia fuerint, longè latéque diffundi potest.

Ficinus.

Tropologia. O lux æterna, quæ nullum pondus, nullum numerum, aut mensuram subire potes, tametsi omnia ponderes, metiaris, & numeres; in cuius conspectu lux nostra perpetuæ, meræque tenebræ dicendæ sunt, cùm omnia sint tanquam nihilum, & tanquam non essent ante te, tuæ lucis radios ad nostras tenebras discutiendas emitte. Sed habemus lumen ad reuelationem gentium Christum Dominum, in quo lux sine mensura, sine numero, & pondere refulget; cui non est data gratia sicut cæteris ad mensurã, sed tota plenitudo diuinitatis in eo habitat, à quo quicquid lucis habemus, accepimus omnes; quid si fidem sine mensura lumen infusum esse dixerimus? at nunquid Apostolus contrarium asserit ad Rom. 12. *Vnicuique sicut Deus diuisit mensuram fidei*? sed cum innumera, & immensa bona veritatémque infinitam fides ostẽdat, cur non obiectiuè dicemus illam sine numero, sine mensura, imo & sine pondere consistere, cùm etiam montes grauissimos facilè transferat? Sed & dilectio Dei sine mensura est, non solùm quia sine mensura Deum diligimus, sed quia lucis instar, vel potiùs ignis ardentissimi omnia permeet, omnes virtutes amplectatur, omnibus præceptis satisfaciat, nam *plenitudo legis dilectio* ad Rom. 13. sitque virtutum omnium forma, vel virtus omnis, sicut lux est colorum omnium velut ὑπαρχία, & omnicolor, cui cætera charitatis, & gratiæ diuinæ encomia conferre possit. Sed de secundo proprietatum lucis diapason hactenus.

Ad Rom. 12.

Ad Rom. 13.

ARTICVLVS IV.

DE PROPRIETATIBVS LVCIS PROVT recipitur in medio.

POstquam in articulo secundo de lucis attributis, prout in ipso corpore lucido fulgent, & articulo tertio, prout ab eo proficiscuntur egimus, tempus est, vt de lumine, prout in medio recipitur, disseramus; quo si proprietatum disdiapason in quolibet harmoniæ genere sufficere videatur, fortè tamen ingratum non fuerit, si trisdiapason constituamus, cùm id etiam nostra tempestate in spinetis factitari soleat; itaque.

17. Proprietas lucis. 17 *Proprietas lucis est, vt omnes medij particulas illustret, ac velut informet, & animet*; cùm enim aërem sine lumine spectamus, quid est præter horridum & emortuum corpus, cui cum lux restituitur, mirum est quàm gratus sit, quàm vtilis, quàm pulcher. Cùm spiritus Domini, seu aër ferretur super aquas, omnia confusa, vacua, imo & nihil esse videbantur, at cùm lux facta est, nunquid omnia bona fuisse visum est?

Tropologia subtilis.

1 An aliqua ratione dicere possumus lucem diuinam, seu ipsam diuinitatem ipsas diuinas personas, notiones, & attributa penetrare, vel potiùs informare, & animare? quid balbutio? penetrare! sunt ne corpora in diuinis, quæ se penetrent? informare, & animare! quænam in beata Trinitate compositio reperiri potest? in qua simplicissima essentiæ vnitas, & identitas? dicamus igitur diuinitatem identificari cum personis, cum attributis tam potentiæ quã bonitatis & sapientiæ, cúmque diuino intellectu, voluntate, scientia, & decretis; sed audacter asseramus ideas diuinas creaturarum repræsentatiuas ita diuinitate repleri, vt sint ipsa diuinitas, quę sicut nostro cõcipiendi modo differt ab ideis, ita, per eandem fictionem intellectus, est veluti forma, & anima idearum, quæ sunt media quædam diuina, quibus lux infinita creaturas omnes illuminat, cùm per ideas producantur, tanquã per causas exemplares, non enim immediatè diuinitas ad extra producit, sed ipse Deus lux æterna mediante intellectu, ideis, voluntate, decreto, & potentia infinita.

An concionatores sunt media quædam diaphana cœlorum instar, quibus ad nos vsque lumen Euangelicæ fidei deferatur? iuxta psalm. 18. *Cœli enarrant gloriam Dei*; & Isai. 45. *Qui sunt isti, qui vt nubes volant*? vt enim aspectibus nostris Iridem varijs coloribus depictam nubes exponunt, quam eis sol impressit, ita Gentilibus, & Iudæis tam Prophetæ, & Patriarchæ, quã Apostoli, nunc verò san- 2 Psal 18. Isai. 45.

ctæ matris Ecclesiæ Prælati, cæterique Verbi diuini præcones, omnibus Iridem diuinę misericordię spectandam afferunt, vt purpurei, cærulei, viridisque coloris pulchritudine, aut præclara colorum omnium harmonia pellecti ad diuinam bonitatem recurrant, eámque sibi concilient; hæ sunt nubes, in quibus latibulum suum Deus constituit, cùm à labiis sacerdotum scientiam, rerúmque diuinarũ secreta populus accipere debeat; in quibus omnipotens *ligat aquas suas*, vt fluenta diuina per totum orbem diuidant; hæ sunt nubes, *quæ spargunt lumen* Iob. 37. ad quas vsque veritas diuina pertingit. psal. 17. *veritas tua vsque ad nubes*; ne cæteri legẽdo Scripturam sacram in ea proprio marte veritatem ad salutem necessariam se inuenire posse præsumant, vt iam nouatores, & sectarij nostri opinantur, quorum latomi, fabri, chirurgi, sartores, plebisque totius fæces in intelligendo sacri Codicis sensu se nostris doctoribus pares, ne dixerim superiores esse existimant. O sæculum lachrymarum torrente deplorandum! ô tempora, ô mores; Audiamus ergo nubes, in quibus diuina virtus tantopere refulget, *vocem enim dederunt nubes* psalm. 67; taceo quod Sacerdotes sint inter Deum, & populum mediatores; taceo quòd Concionatores priùs diuina luce tam studio quàm meditatione frequenti, bonisque operibus illucescere debeant, antequam ad alios lucis diuinæ radios transmittãt, Christus enim fecit, & docuit: *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis*, adeout nullæ partes in Sacerdote, aut Concionatore esse debeant, quæ bonum odorem non spirent, ac splendorem emittant. Quid si nos ad verum Dei, & hominum mediatorem conuertamus, nunquid totus luce perfunditur? quid si ad nubem, in qua gloria Dei apparuit 16. Exod. ad nubem leuem, super quam Dominus ascendit, cùm Verbum naturam humanam assumpsit, Isai. 18. nubem, qua Deus solem obduxit; nubem, quæ populo Israëlitico fuit columna ignis per noctem: nunquid inuenerimus medium, per quod necessariò lux diuina transire debeat, vt eius participes effecti abijciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis.

Iob 37. Psal. 17. Psal 67. Exod. 16. Isai. 18.

18 *Proprietas, lumen occursu medij densioris frangitur ad perpendiculum:* Tametsi verò difficillimum videatur, vt hac proprietate profectus aliquis spiritualis educatur, attamẽ si quis probè rem intellexerit, plures sensus tropologicè eruere poterit: quid enim obstat, quominus mediũ densius homines plus nimio reb⁹ terrenis deditos referat, qui dum lucis diuinæ radium, inspirationesque suscipiunt, non eis liberum aditum tribuunt, caliginę terrena tantum lumen obscurante; quapropter radius ille, & diuina ad bonum, ad pœnitentiam, ad virtutem instigatio deflectit ab istis hominibus incrassatis, & dilatatis, impinguatis, & dilatatis, vt Deuteron. cap. 32. legimus. *Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit, incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo salutari suo*; quid enim aliud est ita te diuinis exhortationibus opponere, vt à te deflectant, tibique te ipsum Deus permittat, quàm radium lucis occursu medij densioris ad perpẽdiculum refrangi? quodnam est perpendiculum, nisi Deus ipse, qui est vera regula, verúmque exemplar archetypum, ad quod omnia dirigenda sunt? qui gratiam suã, cęteráq; beneficia sæpius ab hominibus retrahit, quoties nimia rerum caducarum voluptate perfunduntur, quales erant ij, qui ad nuptias filij regis, licet inuitati venire noluerunt, quia in villas suas, & ad negotiationes abire maluerunt, ideóque iussit rex alios vocari Matth. 22. illi siquidem illustrationes Dei contempserunt, quibus ad fidem, ad salutem vocabantur; quos in magno numero fuisse docet Euangelista; multi enim sunt vocati; at qui non fregerunt diuinum radium, sed liberrimũ ei tribuerunt aditum, quot sunt? pauci verò electi. Idemque dici potest de ijs, qui talenta sibi concessa nullatenus auxerunt, Matth. 25. à quibus ablata sunt paucula talenta, quæ habebant, & in tenebras exteriores eiecti sunt, in quibus erit fletus, & stridor dentium: cæteros sensus eliciendos vnicuique permitto.

Tropologia. Deut. 32. Matth 22. Matth. 25.

19 *Proprietas, radius lucis (sicut & coloris, qui est velut diminutum lumen, seu lux opacata) occursu subtilioris, seu rarioris medij à perpendiculo diuertit, & recedit:* Si proprietas antecedens nobis ostendat hominem, qui diuinas illustrationes ita suscipiat, vt ijs ad maiorem Dei gloriam vtatur, faciátque, vt illi radij ad fontem lucis, à quo manarunt, redeant, est enim refractio quædam velut imperfecta; ij verò omnia in Dei honorem, & gloriam reflectere dicuntur, qui ad eum se suáque referunt, iuxta Apostolum 3. ad Colossenses. *omne quodcunque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Iesu Christi, vt in omnibus honorificetur Deus per Iesum Christum* 1. Petri 4. & quidem omnia ad diuinam gloriam referenda non est dubium; *omne enim datum optimum, & omne donũ perfectum desursum est, descendens à patre luminum* c. 1. Iacobi. Pari iure dici poterit medium, quod frangit, & auertit radium à perpendiculo, improbos repręsentare, quippequi Verbi diuini semen auribus recipiunt, sed in corde non retinent, illud enim volucres cœli comedunt, vel ardore solis arescit, vel spinis suffocatur Matth. 13. quo verò minus consistentiæ, & soliditatis medium habuerit, quóue fuerit rarius, eo magis à perpendiculo radius deflectet.

19. Proprietas lucis. Tropologia. 1. Petri 4. Iacob. 1. Matth 13.

20 *Proprietas, Radius lucis primaria, sicut & coloris in rectum semper porrigitur*, dummodo nullam medij varietatem inueniat, ita tamen vt sese diffundat; vnde si aër, & aqua pari raritate fruerentur, nullam penitus refractionem radius vllus pateretur, quia liber aditus pateret: quis sapiens, & intelliget hæc? nunquid in homine diuersa media videre est, à quibus lucis diuinę fulgor impediatur? quoties obsecro diuinam gratiam concupiscentia, quoties illustrationem supernaturalem phantasmata vitiorum, quoties impietas diuinam misericordiam expellunt? At duo sunt præcipua media, quorum occursu sæpius beneficia Dei minora fiãt, cùm in vnoquoque vase diuinus gratiæ liquor iuxta vasis capacitatem excipiatur; tanto verò maius cordis nostri vasculum euadit, quò maiori desiderio charitatis inardescit; quî verò fieri potest, vt illa duo media (quæ partem inferiorem hominis, atque superiorem dixero,) vniformi raritate gaudeant? nunquid corpus in spiritum, aut in massam corpoream spiritus conuerti potest? Dubio procul quoties in vnicum diuini numinis amorem appetitus illi duo rationalis, & animalis conuertuntur, vt dicat iustus, *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum*, tunc lux æterna liberrimum inueniens aditum sine fractione, aut diminutione medium vtrúmque perfundit. ô beatos viros, quos in hac vita contingit omnia ad puram, solámque Dei gloriam referre! ô viros omni laude

10. Proprietas lucis. Tropologia.

de superiores, qui sese totos diuinæ voluntati committunt, qui siue bibant, aut manducent, omnia in nomine Domini faciunt! ô viros æterna beatitate donandos, qui licet hac aura corruptibili vtantur, per spem beatitudine perfruuntur.

21. Proprietas lucis. Alhazen. Tropologia.

21 *Proprietas. Quoties radius est perpendicularis, quantumcunque media, seu diaphana in densitate, & raritate varient, semper irrefractus permeat*, vt patet ex Alhazen lib. 7. proposit. 5. Id verò mihi lumen diuinæ gloriæ repræsentat, quod omnes beatos radio perpendiculari illuminat, nec enim deinceps ibi corporis infirmitas, aut deformitas, nec grauitas, aut ad penetrationem inepta densitas, aut opacitas inimica luci regnabit; nec erit ampliùs luctus, neque dolor, neque clamor erit vltra, quandoquidem in æterno lumine videbimus lumen, ô beatos, *Qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te*, ibi enim *videbitur Deus deorum in Sion*: Sed ex dictis facillimè colligitur radium illum eo minus refringi, quo minus obliquitatis habuerit, quo verò fuerit obliquior, minusque perpendicularis, eò maiorem fractionem patietur. Quę omnia sequenti schematismo explicabuntur, sicut & antecedentes propositiones; quas vnico sequenti diagrammate explico, ne fortè quis eas intelligere nequeat;



Sit obiectum A B, & A B L M sit aqua, L M, & N O aër, dico lumen, seu obiectum A B visum iri ab oculo D in I K, ratio est, quia lumen veniens à medio densiori, frangitur statim atque superficiem eius attingit, itaut fugiat perpendiculum, seu lineam perpendicularem; hic autẽ E G, & F H sunt lineæ perpendiculares, quia ad rectos angelos super F, & E puncta refractionis cadunt, ideóque ab ijs diuertunt radij refracti F D, & E D, qui sunt in causa, cur lumen, vel aliud obiectũ A B in aquæ fundo positum propinquius appareat, vt patet in radio D E, quod non potest rectà ad A progredi neque radius D F ad B, sed in I K terminantur. Hinc 19 lucis proprietas intelligitur. 20. verò proprietas constabit, si supponas lucem A B esse in cœlo A B L M, & eiusdem densitatis, vel raritatis esse nostrum aërem L M N O cum cœlis, tunc enim lux A B, vel quidpiam aliud sine vlla fractione ad oculum C per radios A C, & B C pertinget. 21. clara est in radio P D C qui cum sit tam aquæ, quàm aëri perpendicularis, semper rectà sine vlla fractione progredietur, sic enim luna, sol, & cæteri planetæ, nec non stellæ vbi ad Zenith cuiuspiam peruenerint, nullam ampliùs refractionem pati possunt, etiam si per mille media in densitate, vel raritate difformia viderentur, atque suos radios vibrarent.

Superest 18 proprietas, quæ asserebat lumen

occursu medij densioris frangi ad perpendiculum: quod eodem diagrammate percipe. Supponamus I K esse lucem in cœlis positam, qui sint aëre nostro rariores, id enim postea discutiemus; aërem verò L M N O esse medium densius, tunc radius I frangetur in E, & cùm rectà ad D progredi deberet, si media vniformia essent, cùm autem sint difformia, & aër sit ex hypothesi cœlis densior, propterea radius I D frangitur in puncto refractionis E, & non fugit à perpendiculo, sed ad illud, nempe ad E G accedit, & ad oculum C pergit, sicut & radius K D, quapropter lux I K videbitur in A B, vt patet ex radijs C A, C B. omnis enim forma rei visæ per refractionem comprehenditur, ac si res illius formæ sit in loco imaginis constituta, vt post Alhazen Vitellio docet l. 10. prop. 18. Nota verò per hanc figuram maximam Dioptricæ partem intelligi posse, quæ pro suo subiecto visionem refractam amplectitur. Idcirco terminos illi proprios breuiter explico, vt schema præsens multis vsibus esse valeat. Linea incidentiæ, qua lux diffunditur per medium vnius diaphani est A E, vel B F, quam lineam extensionis formæ vocare possumus; refractio est incuruatio eiusdem radij, vt faciat angulum, qualis est angulus I E C, vel K F C. Punctum refractionis, est punctum corporis diaphani, à quo fit lineæ incidentiæ refractio ad visum, quale est E, vel F aquæ, vel cœlorũ superficies, quæ causa est refractionis; linea refractionis est E C, quæ à puncto refractionis progreditur ad centrum oculi. Linea perpendicularis est, quæ à puncto refractionis perpẽdiculariter super corporis superficiem, à qua fit refractio, ducitur, quæ est Q E G, vel R. F. H. Cathetus incidentiæ est linea, quę ducitur à puncto rei visæ super corporis superficiem, in quo est res visa, & à qua fit refractio, ita vt perpendiculariter producatur, qualis est A L N vel B M O. Superficies refractionis est L E F M; quæ lineas incidentiæ, & refractionis continet. Angulus incidentiæ dicitur minor angulus, quem facit linea incidentiæ cũ linea perpendiculari, qualis est A E Q. Angulus verò refractus est angulus minor, quem linea refracta cum perpendiculari iuncta complectitur, qualis C E G. Angulus refractionis est, quẽ linea refractionis cum linea incidentiæ facit, quando hæc linea trans corpus diaphanum in continuũ porrigitur, à cuius superficie fit refractio, vt C E D. Quod si A B sine refractione ad visum pertingit, directè, si refractè, obliquè videri dicitur, & tunc rei visæ, vel lucis radius ad oculum refractè perueniens, imago refracta nuncupatur. Denique locus imaginis refractæ, locus est, in quo imago refracta visui occurrit, vt I K iuxta præcedentes hypotheses ab oculo C in A B percipitur.

Vitell.

Hic tota Dioptrica aperitur.

Ex quibus poteris varias experientias soluere, atque ratione cõprobare; vt cũ baculus in aqua perpendiculariter erectus veluti fractus, & incuruatus existimatur, specie baculi, cùm ad aquæ superficiẽ peruenit, à perpendiculo diuertente, cùm aër, in quo situs est, visus, sit aquâ rarior quomodo denarius in fundo vasis positus imposito liquore cernitur, qui aliâs videri non potuisset. Præterea varias apparentias intelliges, quæ ob perspicilia, seu dioptras, atque tubos illos, seu telescopia nobis apparent, nec non quantitates angulorum refractionis, quæ fiunt ex aëre ad aquam, ex aëre, vel aqua ad vitrum planum, conuexum, vel concauum, & vice versa, quos angulos Vitellio, ad 8 decimi, & Kepl. in Optica explicant. Quod facile est, cùm locus imaginis refractæ cuiuslibet puncti rei per refractionem visæ sit in communi sectione lineæ refractionis, per quam species ad oculum pertingunt, & catheti incidentiæ. Hinc concludunt Dioptrici locum imaginis rei visæ in medio secundi diaphani densioris visui propinquiorem fieri, in rariore magis distare.

Vitel. Vbi sit locus imaginis.

Visus quãdo decipiatur.

Eapropter visus semper decipitur in situ obiecti, quando per media variæ diaphaneitatis videt, res enim existimatur esse, vbi locus imaginis constituitur: quicquid autẽ in aqua cernitur, maius esse apparet, quã reuera sit. Omitto varias lucis proprietates, quas hinc colligere possis, vt radios lucis ita per refractionẽ aggregari posse, vt cõburãt, quod maximè fit in linea anaclastica, quæ per refractionem idem, quod parabola per reflexionem efficit. Collige si potes, quandonam nubes roridæ, vel aliæ istius lineæ vices præstare valeant, & an radij solares per illam nubem transeuntes ita congregari possint, vt nos, vel terram comburant.

Lucis noua proprietas.

Notãdum.

Aduerte autem ad faciliorem harum demonstrationum intelligentiam, lineam E C, & E D, ac proinde F C, & F vno sensu lineas refractas dici, quamuis alio non sint fractæ: etenim cùm obiectum K I per lineam K D, & I K cernitur, tunc lineæ istæ F D, & E D non infringuntur, franguntur verò cum per easdẽ B A in K I cernitur, quemadmodum lineæ F C, & E C, cùm per eas obiectum I K deprehenditur, ac si esset in loco A B. Verùm de his proprietatibus, earumque explicatione satis superque diximus, idcirco ad 22 progrediamur.

22 *Proprietas. Radij lucis diuersæ, seu luminosorum distinctorum impermixtè medium illustrant;* cuius sensus est, tantam esse in radijs distinctionem, quos diuersæ luces, seu corpora lucida producunt, vt quamuis in medio confundi videantur, & in idem lumen conflari, suas tamen essentias impermixtas, & inconfusas retineant, quod certè magna admiratione dignum est, maximè si, vt concludunt philosophi, lumina prædicta, seu radij inter se continentur, ac proinde vnum numero lumen efficiant.

22 Proprietas lucis.

A luce diuina certum est nos diuersa beneficia suscipere, quæ sint radiorum instar à patre luminum prodeuntia, quæ licet charitati iuncta, eâque velut informata esse videantur, vt patet in ijs, qui toto voluntatis impetu feruntur in Deum viuum, vt omnia quæcunque dicunt, faciunt, vel etiam cogitant, vnicum charitatis actum esse diceres, in illis tamen radijs, beneficia Dei, virtutes, & earum actus impermixti remanent, & animam velut aliquod diaphanum illustrant. Itaque *omne donum desursum est, descendens à patre luminum,* quod multiplex esse constat ex eo, quòd *alij datur sapientia, alteri scientia, alijs verò donum discretionis,* & tamẽ sunt vnum quid, cùm omnia ad Dei gloriam referantur: porrò vnum est necessarium: Veritas autem huius proprietatis ex diuersarum vmbrarum proiectione elicitur, nam radij multi simul positi diuersas vmbras non efficerent, nisi priùs impermixtè radij medium afficerent.

Tropologia.

23 *Lux fit eiusdem coloris cum medio, per quod transmittitur:* vt in lumine solis vitra colorata penetrante conspicitur; nam si rubra, viridia, cærulea, aut coloris alterius fuerit vitrum, chrystallus, aut quodlibet aliud diaphanum, in pauimento lumen viride, cæruleum, aut rubrum apparebit. An ausim dicere diuinas inspirationes, & supernaturales

23 Lucis attributum.

Tropol.

tales afflatus tales effici, quales nos reperiunt? nunquid potiùs nos immutant, vt patet in Saulo, qui cùm Iesum, eiusque discipulos adeò vehementer persequeretur, à diuino lucis æternæ radio perterrefactus, & illustratus corruit, statimque in alium virum immutatus est? Verumtamen certissimum est influxus diuinos à nostra voluntate determinari; quis enim nescit alios cum simili præueniente gratia sese fortiùs ad opera virtutis accingere, meliúsque diuinæ gratiæ cooperari? adeout cum simili, penitusque æquali gratia, quantum est ex parte Dei, possit aliquis suam salutem operari; dum tamen alius æquali gratiâ contemptâ æterno exitio tradetur? Deus bone si omnibus diuinis auxilijs, & interioribus susurris, quibus tam sæpè Deus corda nostra pulsat, cooperari vellemus, quantas coronas demereremur, quanta nos manerent præmia, quanto lumine gloriæ donaremur!

24 Proprietas. 24 *Lux non potest videri sine specie impressa, quâ veluti fœcunda reddatur facultas visiua, vt actum visionis parere, aut elicere possit*, vt melioris notæ philosophi docent, cùm lux per se non concurrat cum oculo, vt visionis actum exerceat, quin potius ei plurimum abest, adeout non rarò lumine paulò maiori videndi facultas lædatur, aut etiam pereat. Quid si dixero Deum sine specie non videri, dum corporis sarcina deprimimur? nunquid cum Apostolo loquar? *videmus nunc per speculum, & in ænigmate*; an illa species fides est; at cùm species lucis cæterorúmque visibilium claram, & intuitiuam visionem non excludat, sicut fides visionem beatam excludit, aliud pro tropologio sensu quærendum esse videtur; an ergo gloriæ lumen pro specie ad lucem æternam æternùm intuendam necessariâ sumere possumus, cùm ex parte potentiæ, sicut & species impressa, sese teneat? Quid si ipsam essentiam diuinam cuiuslibet impressæ, imo & secundũ aliquos B. Thomę discipulos expressę vices supplentem, duos respectus habere asseruero, vnum prout speciem illam supplet, alium, vt est verum nostræ beatitatis obiectum? sed cuilibet viam tropologicam, & anagogicam aperuisse sufficiat. Tropologia.

ARTICVLVS V.

DE PROPRIETATIBVS LVCIS PROVT *in vltimo suo termino, siue obiecto spectari debet.*

TRes proprietatum octonarij nobis ostenderunt lucem tripliciter cõsideratam in corpore luminoso à corpore luminoso, & in medio lumine perfuso, reliquum est, vt de cæteris proprietatibus, ob quas præsertim, lumen factum esse videtur, breuiter edisseramus, vt lux à Deo creata magis magisque nobis illucescat.

25 Proprietas lucis. 25 *Proprietas lucis est, vt corpora, quantumuis opaca, aut etiã ex parte diaphana, visibilia, ac perspicua reddat, ac velut informet.* Iam nolim de lumine futuro loqui, quo post vniuersalem omnium resurrectionem non tantùm secundum animam, verùm etiam secundum corpus *fulgebunt iusti sicut sol in conspectu Dei*, tametsi corpora ex se opaca sint, adeout nonnulli existimẽt beatorum corpora diaphana fore, vt non solùm cortex, & pellis, sed & omnia interiora cerebrum, cor, pulmo, iecur, cæteráque, quæ ad propagandam Dei gloriam inseruierunt, ab omnibus videri possint: Nolim inquã anagogicè illuc vsque ascendere, cùm mihi sufficiat, si diuinæ lucis radium inspiciamus, quo singulis propemodum horis, immo & quibusuis punctis temporis nostros animos terrenis sordibus infectos, & opacatos, sæpiusque diuinæ maiestati inuisos, iuxta id; *Amen amen dico vobis, nescio vos*, visibiles, & conspicuos efficit; statim enim atque peccatores ad Dei misericordiam recurrerint, atque in eius amicitiam restituti fuerint, iusti sunt, de quibus psal. 1. *nouit Dominus viam iustorum.* & alibi, *cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ.* Tropologia.

26 Proprietas. 26 *Tenebras, atque caliginem discutit, atque à solito tenebrarum horrore liberat:* quàm fœlices Israëlitæ, quibus, dum Ægyptij densissimis tenebris inuoluebantur, lux aderat! quàm fœlices Catholici, quibus vera fides illucescit, cùm tot gentiles Iudęi, apostatæ, hæretici, cæterique fidei desertores in cõtinuis inscitiæ, & pertinaciæ tenebris detineantur, è quibus in tenebras exteriores eijcientur, & omni suppliciorum genere cruciabuntur; sunt etiam iusti, quos tamen varijs tentationibus impugnatos videas, vt in meris tenebris esse videantur; adeout se Christianos, baptizatos, ne dicam natos esse vix apprehendant, quibus etiam turpissima de Sanctis, de Matre Dei, déque ipso Deo obijciantur, vt vix aliud imaginari possint; vix Deum esse concipiant, vix seipsos à Deo distinguant, eumque sibi præponant, quin & sibi postponere videantur: ô quantas, quàm horrẽdas, quã densas tenebras; sed bono & constanti animo vir Christiane, quantũcunque impugneris, caue ne expugneris; si moram diuina lux fecerit, expecta eam, si quidem abundè morulam insolita illustratione compensabit, quæ forsitan non ita grata fuerit, ni quibusdam tenebris interrupta sit: Interea cum psalte apud te repetas; *Et dixi, forsitan tenebræ cõculcabunt me, & nox mea in delicijs meis*: si fides tua periculum subire videatur, audi Prophetam; *constantes estote, & mane videbitis gloriam Dei*; si desperatio nimis vrgeat, illud psal. 26. occinas; *Credo videre bona Domini in terra viuentium. Expectans expectaui Dominum & intendit mihi* psal. 39. Trop. Horrendæ tentationes, quibus piorum animi nonnũquam percelluntur. Psal. 138.

27 Proprietas. Trop. 27 *Lux omnes colores manifestat*; sunt enim sine luce penitus inuisibiles, si de actu exercito loquamur; etenim si quis te in aula tabellis exquisitissimis, varijs tapetibus, floribusque ornatissima incluserit, cui nulla lux affulgeat, quid obsecro conspicies? nunquid, si quis domesticus adsit, qui hęc omnia laudibus efferat, hisque te verbis prouocet, vide obsecro, quàm mirabilis est illa Polycleti statua, quàm affabrè sit efformatum illud Zeuxidis opificium, quàm subtiliter elaborata hæc & illa Michaëlis Angeli tabella, quàm gratæ sint illæ Vierxij, Malleriique imagines, quàm Deus tot in floribus sit admirabilis, quàm ad viuum flores, animalia, bella, historiæ ab istis peristromatibus referantur; nunquid inquam, ei continuò succenseas,

nunquid infensus respondeas; quid mihi tot pulchritudinis species ingeris, vbi sunt illa, quæ tantopere celebras? cum nihil penitus videam. Quod in rebus corporeis apprehendis, id obsecro in rebus spiritualibus intellige, enimuerò si clarè cerneres, quid sit fides, omnia, quęcunque sentiunt pagani cōmendatione digna, omnes eorum scientias, omnesque virtutes acquisitas tenebris obsitas, ac omni decore exutas videres, ac si nihil essent. At relictis paganis, si quis propiùs suum animum inuestigarit, ac discusserit actiones, verba, cogitationes, quas continuò reuoluit, vbi deest diuinæ gloriæ zelus, vbi sancta intentio abest, quid sunt omnia? nunquid meræ tenebræ? *Si enim oculus tuus*, ait Seruator noster, *nequam*, Matth. 6. *fuerit*, id est intentio peruersa, *totum corpus tuum tenebrosum erit*, id est, quicquid feceris, dixeris, aut cogitaueris pro nihilo reputabitur. Adde quod omnes virtutes sine charitate pulchritudine sua destituantur, ac proinde sint veluti colores sine luce actiones hominum, nisi in charitate, vel ob Dei gloriam, & amorem fiant.

Math. 6.

28. Proprietas.

28 *Lux non tantùm colores rerum, sed & earũ magnitudinem, figuram, numerum, motum, quietẽ, vnitatem, asperitatem, lenitatẽ, acumẽ, obtusos angulos, æqualitatem, inæqualitatẽ, similitudinem, dissimilitudinem, maiorem, minorémque extensionem, propinquitatem, distãtiam, situm, diuisionem, pulchritudinem, turpitudinem, opacitatem & diaphaneitatem, tempus, actionẽ & passionem ostendit*: adeò mirabilis est oculus, vt illa omnia contempletur, adeò excellens lux, vt hæc omnia 27 communia sensibilia nobis tam perfectè exhibeat; O lux, quæ illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, quis ante tuum aduentum perceperat scelerum magnitudinem, & deformitatem; quis Dei Incarnati figuram, & pulchritudinem, ac nobiscum Emanuelis similitudinem? quis non vitæ asperitatem fugiebat? quis non pacis internæ quietem amiserat? quis Euangelij lęuitatem conceperat? ob quam dicebat Christus, *Jugum enim meum suaue est, & onus leue*. Sed anima Christiana discute somnũ oculorum, mentisque tenebras depelle quanta te post huius vitæ certamen præmia maneant, quàm pulchra, quàm Deo similia; quàm ab huius sæculi præmijs dissimilia, tibi verò cætera sensibilia in profectum animi transferenda committo, vt ad

Tropol.

29. Proprietas.

29 *Lucis proprietatem ascendamus, quæ aliquid in oculo imprimitur, quod iam de specie impressa constitit, sed præterea nescio quid in oculis relinquere videtur; quo postquam è lumine discessimus, simile quidpiam rebus antea visis nobis apparere videatur.* Dubio procul lux diuina mentibus nostris aliquid imprimit; Dei enim illustrationes efficacissimæ sunt, qui præter fidem, radium nescio quem lucis æternæ quibusdã in contemplatione, raptu, aut ecstasi nonnunquam immittit, vt gustent, & videant, quàm suauis est Dominus; Illi verò dum è sponsi thalamo, è profunda diuinę bonitatis meditatione, ex ineffabilis gloriæ contemplatione ad seipsos, ac creaturas redeunt, quidpiam adhuc eis ex præcedenti visione menti obuersari videtur, quod tametsi nec oculus vidit nec auris audiuit, se tamen vidisse meminerunt. Sed & hæreticis, aut apostatis summa benignitate Deus lucis aliquid reliquit, vt si velint, resipiscant; si quidẽ fides mysteriorum, quam (supposito fidei infusæ fundamento) ratiocinatione, apprehensione, lectione, & auditu conceperant, in illis remanet, sed penitus informis, quia fundamento fidei supernaturalis destituta est.

Trop.

30 *Lux variat colores pro diuersis aspectibus, vt in iride, columbæ collo, pauonis cauda, triangulis chrystallinis, & cæteris id genus apparet, de quibus plura suo loco; adeout vera colorum apparentium origo in varios lucis aspectus refundenda sit.* Qualis est diuinus aspectus, talis est homo; nam statim atque Deus impium respicit, suâ impietate relictâ velut heliotropium ad verum solem conuertitur. Vnde obsecro munera Abel Deo grata fuêre, Caini verò inuisa, nisi quia Deus ad Abelem, & non ad Cain respexit? Gen. 4. quapropter toties ita vates regius Deum inuocat, *Respice, & exaudi me* psal. 12 *Domine quando respicies* psalm. 34 *respice de cœlo*, psalm. 79. quis obsecro Petri lachrymas prouocauit, nunquid Dominus? qui Lucæ 22 conuersus respexit eum; ô quàm admirabiles oculi, qui statim humilitatis colorem, statim spei viriditatem, statim igneum martyrij desiderium in animis iustorum imprimunt.

Proprietas 30.

Trop.

Gen 4.

Psal. 12, 34, & 79.

Luc. 22.

Sunt autem diuersi modi, quibus Deus respicere dicitur, quos Hugo Cardin. refert in psalm. 34. Primò siquidem videt, seu respicit prædestinando, vt Ioh. 1 *cum esses sub ficu, vidi te.* Secundò cuncta cognoscendo, Eccles. 23, *omnia videt oculus eius*, & prouerb. 15. *In omni loco oculi Domini contemplantur.* Tertiò discernendo bonos à malis, Hiere. 12. *tu Domine vidisti me.* Quartò miserendo, Daniel. 9, *aperi oculos tuos, & vide desolationem nostram.* Quintò approbando, Genes. 1 *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*, & Abac. 1 *mundi sunt oculi tui, ne videant malum.* Sextò admirando, Thren. 1 *Vide Domine quoniam tribulor.* Septimò remunerando, psal. 24. *Vide humilitatem meam, & laborem meum.* Octauò gratiam infundendo Luc. 22. *Respexit Dominus Petrum.* Nonò gaudendo. 10. impetrando. 11 iudicando. 12. puniendo, Esai. 21. *Visio dura nunciata est mihi* 13. damnando æternaliter, Luc. 10. *Videbam sathanam, quasi fulgur cadentem de cœlo.* Hæc Cardinalis; quibus alij modi plurimi possunt addi pro diuersis beneficijs, quæ Deus confert hominibus, quæ sunt variorum colorum instar non tantùm apparentium, sed reuera existentium pro vario diuinæ lucis aspectu.

13. Modi quibus nos Deus respicit ex Hugone.

Ioh. 1.

Eccl. 23.

Prou. 15.

Hier. 12.

Dan. 9.

Gen. & Abac 1.

Thren 1.

Psal. 24.

Luc. 22.

Esai. 21.

Luc. 10.

31 *Omnes radij pyramidis lucidæ, seu radiosæ in indiuisibili concurrunt; ita tamen in vno puncto, seu cono pyramidis vnius terminantur, vt quodlibet punctum luminosi radios mittat in quodlibet punctum obiecti illuminati; & quodlibet punctum huius obiecti nouam pyramidem radiosam terminet*; quod omni stupore dignum esse videtur, vt nimirum sphæra cuiuslibet lucis, quæ finita est, infinitas pyramides continere, aut saltem perficere videatur. In quo vides optimè tres hîc in vna proprietates includi, quod faciendum esse duxi, ne in infinitum numerum, aut saltem nimium abiremus: Quid est pyramis radiosa in Deo? nunquid infinita bonitas, prout ad extra creaturis communicatur? cuius basis sit in Deo, conus autem in qualibet parte, imo & in quolibet puncto creaturæ? nec enim quidquam subsistere, atque conseruari posset, nisi ad illud quodammodo Deus suam actionem terminet; sed & quælibet creaturæ perfectio nouam, & distinctam actionem Dei postulare videtur, si iuxta nostrum concipiendi modum loquamur, adeout creaturæ bonitas à bonitatis diuinæ actione, iustitia à diuina iustitia, & sic deinceps cæteræ creaturarum perfectiones à cæteris Dei perfectionibus dependeant, ac nouas pyramides radiosas, seu nouos

31. Proprietas.

Tropol. 1.

Dixi iuxta nostrũ concipiẽdi modum, quia reuera Deus omnia vnico actu voluntatis facit.

nos influxus terminent, ſi tamē actiones Dei ad ex-
tra, diuinarúmque perfectionum diminutæ parti-
cipationes pyramides lucis radiantis appellari poſ-
2. ſint. Quid ſi meditationem, contemplationē, imo
& quodlibet meritoriū opus dixero pyramidē ra-
dioſam, cuius baſis habeat quattuor latera, vnū in
intellectu, aliud in voluntate, quæ duæ facultates
ad opus meritorium cōcurrere debent) tertium in
imaginatione, 4 in appetitu inferiori? hę ſiquidem
facultates tametſi corporeę, ſuo modo ad bona o-
pera concurrunt, cùm intelligentem phantaſmata
ſpeculari oporteat, & cōcupiſcibilis, aut iraſcibilis
appetitus pro virtutū diuerſo genere volūtatis co-
natum promouere, inflammare, ac velut intendere
debeat; ad quid enim appetitus ille datus eſt, niſi vt
ad virtutem perpetuus ſtimulus eſſe poſſet? conus
verò huius Chriſtianæ pyramidis in Deo termina-
bitur, hic enim eſt verus, & vnicus ſcopus, ad quē
omnes hominis actiones collimare debent; ad quē
verè collimāt omnes actus intellectus, volūtatis, &
aliarū potētiarū, ſi ad maiorē Dei gloriā dirigātur.

32. Proprietas.
32 *Lux efficacius recipitur in obiecto concauo, vt pa-
tet in vallibus, & ſpeculis concauis, quàm in plano, aut
rotūdo:* quod patet in humili, qui diuinū radium eò
Trop.
copioſiorem, fortiorē, & efficaciorē ſuſcipit, quāto
magis ſeſe demittit, adeout aſſerere poſſimus eum
maximam omnium gratiā ſuſcepiſſe, qui maximè
humilitatis virtutem amplexus eſt, quod patet in
Chriſto, cuius humilitas omnium abyſſorum pro-
funditatem ſuperauit, poſt quem Virgo ſuccedit,
quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ; ideóque in me-
dio conuallium pertranſibunt aquę, inquit Pſaltes:
ſed encomia humilitatis quis dicere poteſt.

33 Proprietas.
33 *Lux requiritur tam ex parte medij, quàm obie-
cti, & potentiæ viſiuæ, licet minor ex parte potentiæ, &
medij, & quā ex parte potētiæ ſufficere videatur,* adeout
non deſint qui lucē ex parte medij, & potentię non
eſſe neceſſariam arbitrētur, quia in puteo profun-
diori poſitus de die ſtellas inſpicere poteſt, dūmo-
do potentia non illuſtretur, vnde ſequitur lucē po-
tiùs officere, quàm prodeſſe oculis, nam meliùs in
tenebris poſiti obiecta illuſtrata percipere vide-
mur: vnde & diu in cubiculo clariori poſiti, vt exa-
ctiùs conſpicere valeamus, feneſtras ex parte clau-
dimus; quæ tamen meo quidem iudicio non euin-
cunt lumen ex parte potentiæ non requiri, ſed dū-
taxat longè minus in oculo, & medio, quàm in ob-
iecto illuſtrato neceſſarium eſſe; lumen quippe ſe-
cundarium ſemel, bis, aut ter reflexum oculo, non
Trop. 1. tamē obiecto, ſufficere videtur. An fortaſſis audeā
ex hac neceſſitate creatæ lucis ad increatam aſcen-
dere, quę beatis eſt neceſſaria ex illo triplici capite,
vt ſancti perpetua beatitudinis voluptate perfruā-
tur: & quidem ex parte intellectus lumen diuinum
omnino neceſſarium eſſe communi calculo Theo-
logi cum D. Thoma Scholaſticorum principe con-
cludunt; ex parte obiecti certū eſt, quomodo enim
Lumē hoc Dei, vel lux diuina eſt ipſemet Deus.
Deus videri poſſet, niſi lucidus, imo niſi lux eſſet?
vnde Pſaltes, *in lumine tuo videbimus lumē;* ſed quale
medium? nunquid ipſum lumen glorię? quod etiam
in ipſo vocabulo lucē oſtendit? quid ſi ad opera me-
ritoria deſcendamus, quæ vera ſunt ad beatitudi-
2. nem media, nunquid luce fidei indigent, ſi meri-
torum catalogo adſcribi debeant?

34 Proprietas.
34 *Iuxta proportionem lucis ſupra rem viſam, mediū,
& viſum Orientis res proportionaliter conſpicitur:* quod
vnuſquiſque in lumine candelæ, atque ſolis ſtatim
matutini, poſtea meridiani deprehendere poteris:
Tropol. 1 Dubio procul quo maius gloriæ lumen intellectui
beatorū infunditur, quóue ſplēdidiùs lumē æternū
eis affulget, eò clariùs diuina ſecreta rimantur, ac
eſſentiæ diuinæ theſaurus cōtēplantur, adeout pro
varia luminis glorię intenſione, & maiori diuinita-
tis manifeſtatione gloria maior, & intēſior dicēda
ſit. Sed & creaturas, dona Dei, virtutes, gloriā cœle- 2
ſtē hoc in mundo conſtituti diuerſis aſpectibus pro
varijs lucis gradibus, ad quos euehuntur homines
aſpiciūt; nā qui naturæ ſolius lumē inſequitur, alio
modo creaturas æſtimat, quā qui iuxta fidei lumen
vitā traducit; & quò magis quiſpiā ad Deū cogno-
ſcendū, & amandum inſurgit, eò magis ei creaturæ
abiectæ eſſe videntur, donec cum Apoſtolo diuina
luce perfuſus, ac ſponſi cœleſtis vino ebrius excla-
met, *omnia arbitratus ſum, vt ſtercora, vt Chriſtū lu-* Ad Phil. 3.
crifaciam. ad Phil. 3. vnde & ad Gal. 6. dicebat, *mihi* Ad Gal. 6.
mundus crucifixus eſt, & ego mundo: ita Salomon Sap. Sap. 7.
7. diuitias videbat; *Diuitias nihil eſſe duxi:* eius verò
pater pſal. 38. *ſubſtantia mea tanquam nihilum ante te.*

35 Proprietas.
35 *Lux ignea in materia flammea radians maior
nocte, quàm die apparet, lōgè, quā propè.* Quid eſt cha-
ritas, niſi lux ignea? quæ in tribulationū nocte ma-
gis conſpicuā ſeſe exhibet, quā dū ſecundis rebus
afficitur, & fortior, ac limpidior, eſſe videtur, atque Tropol.
amplioribus radijs emicat, dū circa inimicos ob ſo-
lius Dei voluntatē, & gloriā, quā dum circa amicos
verſatur; vide obſecro, quanto fulgore omniū ocu-
los martyres obſtrinxerūt, tametſi antea nequidem
apparuiſſent; quid ſi dixero veros Dei amicos tunc
maiori dilectione ferri debere in eum, dū aliquan-
tiſper ab eis ſeſe ſubſtrahere videtur, quàm dum
præſentior adeſſe videtur, vt ea ratione nos ſibi
fideliores inueniat, qui tempore tentationis eius
cultum minimè obijcimus.

Conſtantia exhibenda, vbi De⁹ nos omni conſolatione deſtituere videtur.

Proprietas 36. tria cōtinet.
36 *Lux fortis plurima manifeſtat, quæ debilis oc-
cultat, & è contrario debilis quædam oſtendit,* quæ ne
videantur, lux maior impedit; *lux enim magna ſu-* Perſp. cōm.
*per viſum, & medium oriens, quædam viſibiliū occul-
tat,* vt l. 1. Perſpectiuæ communis propoſitionibus
8. 9. & 10. videre eſt. In hac proprietate tres diſtin-
gui poſſent; & quidem prima pars conſtat ex eo,
quod ſolis lumen multa nobis oſtendit, quæ per
candelæ lucem videre non poteramus, imo &
candelæ flamma maior plura manifeſtare poteſt,
quæ priùs conſpici non poterant. Lux fidei ma- Tropol. 1.
ior eſt naturæ lumine, quid ergo mirum, ſi
plura manifeſtat? quod adeò verum eſt, vt nunc
vetula quæpiam Chriſtiana plura ſciat, quàm
Ariſtoteles: at neque fides diuina myſteria clarè
patefacit, ſed potiùs in abſcondito poſita eſſe te-
ſtatur, quæ poſtea gloriæ lumen apertiſſimè re-
uelat; *nunc* enim, inquit Apoſtolus, *videmus in
ſpeculo, & ænigmate, tunc autem facie ad faciem* 1. ad
Corinth. 13. *Nunc cognoſco ex parte, tunc autem co-* 1 ad Cor. 13
gnoſcam, ſicut & cognitus ſum. Secunda pars ex eo
patet, quòd orto ſole non ampliùs ſtellæ viden-
tur, quia totam videndi facultatem occupat, a-
deout nullus ſit reliquus locus in oculo, vt ſtella-
rum radij ſuſcipi poſſint; qua ratione tactus vio-
lentiores, ſonorum maiorum, odorum grauiorum,
atque ſaporum perceptiones, obiectorum paulò
debiliorum ſenſum oblitterant, & impediunt; hinc
fit, vt quæ de nocte conſtituuntur poſt flammam
ingentem, videri non poſſint; quod ſæpiùs in ijs ex-
perimur, qui dum lucernā accenſam manu præfe-
runt, vidēt, neq; videntur. Vbi lux orta eſt iuſto, & Trop. 2.
rectis corde lętitia, lux, & lętitia Iudaica obſcurata
eſt, lumē enim maius minus obūbrat, & occupat,
nec enim candelæ lumen, in meridie videtur, aut

saltem vix apparet, dum à radijs solaribus velut absorbetur: Iamque sapientia philosophorum
3 facta est stultitia apud Deum. Quamdiu hîc versamur, iustos aliquam sui æstimationem retinere, & creaturarum perfectiones demitari cernimus, at vbi sempiterna voluptate perfundentur, atque diuina visione perfruentur, hæc omnia euanescent, quandoquidem totum intellectum visio, totam
4. voluntatem amor diuinus occupabit. An concio de virtutibus est lumen debile, nisi simul opere prædicator exhortetur? exempla verò, quæ plus
5 mouent, iure maius lumen appellari possunt. An omnes scientiæ sunt parua lux; ampla verò Theologia? an phantasiæ cognitio respectu cognitionis intellectualis; an rationalis respectu angelicæ parua lux dicenda est?

37. Proprietas. 37 *Lux directa fortior est, quàm obliqua*, nam quò directior, eò magis ad lineam rectam vergit, per quam optimè natura operari solet. Nunquid amor
Tropologia. ille fortior est, quo rectà pergimus in Deum, quã dum creaturis priùs vtimur, vt in Deum assurgamus? nunquid fidei lumen naturali præferendum est? quæ nos sine creaturarum consideratione ad Deum euehat.

38 Proprietas. 38 *Radius in se reflexus directo fortior est*; nec enim in speculo concauo sine reflexione generaretur ignis, nec aëris regio media ita frigida esset, si reflexio luminis illuc vsq; pertingere posset. Scio Trismegistum dixisse Deum esse ardorem in se reflexũ, qui monodem genuerit, at Deus Pater, prout solus
Trop. 1. consideratur, nõ est minus fortis, quàm dum intelligitur, vt in se reflexus, se intelligens, & amans, ac proinde Filium generans: quid ergo dicemus? An diuinæ gratiæ radius mentibus nostris illapsus in se reflectitur, dum coagimus, & cooperamur? adeout radius ille fortior euadat, vbi consentimus, sed &
2 ipse consensus est gratia Dei. An ipse Christus dici potest reflexus radius? cũ enim in antiqua lege timor viguisse dicatur, quia radius diuinæ lucis non ita vehemens apparebat, iam fortior effectus iure reflexus dici posse videtur, quando Christus sola charitate homo factus, amoris diuini ignem accendit, & è Virginis vtero in quam recta descendit, ad nos vsque reflexus palam locutus est, *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi vt accendatur*?
3 An vero lucis reflexio facta est, dum in monte Thabor facies eius sicut sol resplenduit? An cùm iusti meditati sunt, in media contemplatione ver-
4 bum bonum cum Sponsa, & cum Psalte regio ex abundantia cordis eructant, reflexio tam fortis euadit, vt quispiam hæc expertus accinere possit. *In meditatione mea exardescet ignis?*

39 Proprietas. 39 *Radius incidens in speculum facit angulos incidentiæ, & resilientiæ penitus æquales*; quod fortassis per pilam ad terram allisam, & ab ea resiliẽtem meliùs explicari potest, cuius ratio est impetus, quo proijcitur, hæc autem proprietas, sicut & sequens facilè poterit intelligi ex schemate, quo Catoptrica pagina 503. explicauimus.

Tropologia. Non à vero aberrabimus, si dixerimus tanto impetu ad extra creaturas prosilire, quanto diuinæ potentiæ influxus descenderit; tantò præstantiorẽ esse hominis vitã, quanto maior diuini fauoris radius eidem affulserit; eũ amplitudinis angulũ charitatem obtinere, quem gratia Dei nobis infusa requirit; Dei amorem correspondere non tantùm in nobis, verùm etiam in beatis, lumini gloriæ, quibus multa similia præsto sunt.

40 Propr. 40 *Lucis radius ad perpendiculum incidens nullum angulum efficit, sed in se reflectitur*: Quando Pater æternus seipsum intelligit, nũquid est actio perpendicularis, si tamen actio dici possit, quæ nullũ angulum efficit, adeout quò creaturæ imperfectiores fuerint, eò maiorem angulum efficiant, nullũ autem angulũ producit dum seipsum intelligit, quia nihil à se natura diuersum generat, aut producit. Nunquid lucis æternæ radius in animos beatorum perpẽdiculariter incidens in vnicam Dei gloriam, ad illam lucem infinitam reflectitur, vt flumina ad mare, vnde fluxerunt, continuò redeant. Tropologia.

41 *Radij lucis per angularia foramina transeuntes in obiectis corporibus à foramine distantibus in orbem efformantur*, vt experientiá comprobat; quo docemur omnia, quantum fieri potest, summam perfectionem circulari figura significatam desiderare, & quidem eò perfectior esse censetur figura quæpiã, quò magis ad orbicularem accedit, vt pote nullis angulis coarctatam, tametsi angulos omnes amplectatur, atque contineat. Quo minus animæ iustorum charitatis ardore dilatantur, eò pluribus angulis ad seipsos inflectuntur, per quas tamen cùm radij lucis diuinæ transeunt, in orbem exeũt, vt suæ originis speciem retineant; quomodo in orbẽ rotundantur? an quia actiones, quæ vi lucis illius, influxusque cœlestis prodeunt, tametsi humanæ sint ratione subiecti, sunt tamen supernaturales, & diuinæ ratione auxilij supernaturalis, & cùm in Deum referuntur, ratione obiecti; sic enim radius ille diuinæ gratiæ non stat in creatura, sed à Deo procedit, & in eundem redit, vt sit α, & ω, principium, & finis rerum omnium Deus Opt. Max. 41 Proprietas. Trop.

42 *Lux ostendit obiectum speculo mediante visum in concursu radij cum catheto*, vt 20 secundi perspectiuæ communis de speculis planis, & in sphæricis prop. 30 habetur: quod tametsi difficile sit explicare, si nudo sermone duntaxat vtamur, id tamẽ prædicto schemate clarissimum esse poterit. Quoties Deus bone te velut à nobis remotum cernimus, & existimamus, cùm tamen neque sis, nec esse possis longè ab vnoquoque nostrûm, cùm in te viuamus, moueamur, & sumus, inquit Apostolus, nam iuxta creaturarum perpendiculum fallacissimum iudicamus, atque de Deo iuxta sensum humanum loquimur, cùm tamen sensum omnem, & intellectum superet. An fides diuina manifestat ea, quæ illius beneficio cernimus, in concursu fidei ipsius cum diuinæ voluntatis, & æternæ sapientiæ catheto, vt quicquid boni fiat, à Deo fieri, eiusque prouidentiæ subijci credamus? 42 Proprietas. Tropol.

43 *Lux omnia ad se conuertit*, ita D. Dion. c. 4. de diuin. nomin. eleganter admodũ τὸ φῶς συνάγει, καὶ ἐπιστρέφει πρὸς ἑαυτὸ πάντα τὰ ὄντα, τὰ ὁρώμενα, τὰ κινούμενα, τὰ φωτιζόμενα, τὰ θερμαινόμενα, τὰ ὅλως ὑπὸ τῶν αὐτοῦ μαρμαρυγῶν συνεχόμενα. i. *Lux colligit, conuertitque ad se omnia, quæ videntur, quæ mouentur, quæ illustrantur, quæ calescunt, & vno nomine ea, quæ ab eius splendore cõtinẽtur.* Nunquid Deus omnia colligit, & continet? nunquid omnia momento dissoluerẽtur, & in nihilum abirẽt, nisi Deus potẽtissima manu firmaret omnia, atq; prouidẽtiæ lege cõnecteret; Omnia verò Deus ad se conuertit, alioquin qua ratione cuncta in eũ ordinarentur? nisi omnia propter seipsum fecisset; at S. Doctorem in prædictum D. Dionysij locum audire lubet. *Res*, inquit, *sunt quasi dispersa, & segregata, secundum quod ad diuersos fines proprios ordinantur: sed inquantum communicant in ordine ad vltimum finem, sic congregantur.* D. etiam Maximus Scholijs in capite tertio ait diuinam beatitatem 43 Proprietas. Dion. Areo. Tropol. pulcherrima. D. Thomas S. Maximus

beatitatem sursum ducendo mentem illustrare, ac si solis instar Deus homines ad se traheret, vt vapores diuersis luminibus perficiendos ᾗ θεία μακαριότης φωτίζει, ἀνάγει.

Itaque omnia ad Deum conuertuntur, quia omnia ad se conuertit, iuxta id Ierem. 31 *Conuerte me, & conuertar*; omnia siquidem ad eum conuertuntur, quia eum desiderant, idque triplici ratione, vt pulchrè D. Thomas explicat: *nam Deum desideramus, vt principium, quia ex eo nobis prouenit bonum, vt conseruans, quia ex eo nobis conseruatur bonum, & vt finem, quem adipisci intendimus, vt enim arbores conseruantur, quod in terra plantatæ sint, ita omnia conseruantur, quatenus in omnipotenti Dei virtute firmata sunt: soli tamen homines, & angeli desiderant eum per cognitionem, sensibilia verò, quatenus bonum aliquod sensibile desiderant, quod est similitudo summi boni, plãtæ bonum diuinum naturali motu vitalis desiderij, quatenus per opera vitæ in aliquam summi boni similitudinem tendunt, denique corpora inanimata Deum desiderant per aptitudinem* ad participandum à Deo esse subsistens, vt aptitudo earum intelligatur esse desiderium.

Ierem. 31

S. Thomas

Omnia ergo ad Deum conuertuntur, qui lux est immensa quælibet ad se rapiens, vt statim illustrētur, statim calefiant, nunquid enim ad se infideles attrahit, dum ignorantiæ tenebras discutit, fideique diuinæ radio menti affulget, eosque à perdita vita reuocat? alios vero charitatis ardore inflammat, iuxta Psaltem; *emittet verbum suum, & liquefaciet ea, flabit spiritus eius, & fluent aquæ*: Siquidem omnia gelu constringuntur & ad instar chrystalli durescunt, si tantillum diuina lux abesse videatur; Dicamus igitur Domine Deus meus illumina tenebras meas, quænam sunt tenebræ? inimici Dei; qui sunt inimici eius? an illi, de quibus Lyricen: *Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius*, verè inimici eius, quia in eo tenebræ non sunt vllæ, verè inimici eius, quæ enim comparatio lucis ad tenebras?

DE PROPRIETATIBVS LVCIS.

44 Proprietas. *Lux per quamcunque rimulam immissa, circuli formam seruat, dum in planum obiectum cadit.* Cuius rei mirando ducti veteres causis inuestigandis incubuerunt; vnde

Vitell. Vitellio 39 problemate libri secundi ait: *Omne lumen per foramina angularia incidens rotundatur.* Sed istius rei rationem, quam radiorum æquidistantiam asseruerat, vt insufficien-

Kepl. tem & inualidam Keplerus Paralipom. in Vitellionem reijcit, hanc etiam propositionem habet lib. 1.

Pisanus autor Perspectiuæ communis. numero quinto Ioannes Pisanus Cameracensis Episcopus his verbis; *Incidentia radiosa per angularia foramina transeuntes mediocris magnitudinis, in obiectis corporibus à foraminibus remotis rotundãtur, semperque fiunt meliores, quò remotiores*: adeout cùm ad eam distantiam peruenerint, qua sol ex alia parte distabat ab eodem foramine, ad quantitatem solis extendantur, nam, per 15 primi, duæ rectæ lineæ, & quæcũque aliæ se mutuò secantes angulos ad verticem æquales inter se efficiunt, quem tamen verã huiusce rei causam reiecisse ait Keplerus, quod falsum esse video: ait enim Pisanus id oriri ob ra-

Euclid. tionem, quam insinuat Euclid. 15. 1. ἐὰν δύο εὐθεῖαι τέμνωσιν ἀλλήλας, τὰς κατὰ κορυφὴν γωνίας, ἴσας ἀλλήλαις ποιοῦσιν. Quibus adde solis rotunditatem, cui lumen, si nihil obsisterit, conformatur. Eandem quæ-

Arist. stionem Philosophus attigit sectione 15 problem. probl. 5, & 10, vbi causam refert in visionem, quæ fiat exeunte cono radioso ex oculo, cuius basis sit circulus: Keplerus verò causam refert in solis rotunditatem, quia, inquit, expertus est per αὐτοψίας id per radiorum occursum non fieri; librum enim in sublimi locauit, qui esset lucentis corporis loco, inter quem, & pauimentum constituit tabellã foramine multangulo: deinde filum ex vno libri angulo per foramen in pauimẽtum demisit, quod ita incederet, vt terminos foraminis raderet, cuius vestigia creta imitabatur, túncque figura foramini similis efformabatur, idémque fiebat annexo filo in quolibet angulo, atque adeò ex infinitis marginum punctis: Denique infinitarum in pauimento foraminis figurarum exilium series magnam, & quadrãgulam libri figuram adumbrabat. Sed qui tam facilè alios, præcipuè verò Pisanum reiecit, eius rationibus respondere debuit.

Trop. 1. At quicquid sit, ad profectum animi accedamus.

An Verbum æternum est diuinus radius, Patrisque splendor, qui dum carni nostræ coniunctus est, ob subiecti angustiam, perfectissimam diuinitatis figuram occultasse visus est, at cùm resurrexit, & ad cœlos ascendit, radij à corporeo foramine, nempe à corruptione magis remoti; rotundari incipiunt, & veluti pristinam diuinitatem repetere, tametsi eam nunquã dimisisset. An diuinæ lucis radij quodammodo cogi videntur, nec æterno lumini respondent, cùm in homine fideli præcisè spectato cernuntur? at cùm vsque ad proximũ diffunduntur per exhortationem, aut exemplum, lucis diuinæ formam, à qua discesserunt, imitantur. Sed & charitas dilatabitur, & sphæricã perfectionem acquiret, si non quærit, quæ sua sunt, sed quæ Christi, si omnia speret, omnia sufferat, atque sustineat. 2.

45 *Lux obiectum minus, & propinquius, plus illuminat, quàm maius, aut remotius.* Ita Ramus prop. 24. l. 1. Opticæ, quæ sic habet, *luminosum sphæricum sphærici minoris, & propinquioris plus illuminat, quàm remotioris*; cui fauet 17, *lux fortius illuminat obiectum propinquius*; immo, & 16. *Lux congregata fortior est dispersa*; & 23. *Luminosum sphæricum illuminat sphærici æqualis dimidium, minoris plus dimidio, maioris minus*, quæ omnia sine figura facillimè possunt intelligi. Idem ferè habet Pisanus prop. 22 primi nec non Vitellio Sarmata, seu Polonus, qui circa annũ Christi 1270 floruit, vt testatur Risnerus epistola Vitellionis Opticæ præfixa, in qua ait se Vitellionis geomantiam Arnolpho nepoti dicatam manuscriptam, 8 sectionibus collectam, legisse, quæ confirmantur ex Guilielmo Morbeta Summi Pontificis Pœnitentiario tunc viuente, cui libros Opticæ dicauit: Illius ergo propositiones 21, 22, 23, 24, & cæteræ propositiones libri secũdi vsque ad 29 huic nostræ proprietati subseruiunt. Ex quibus concludere possumus plusquam mediam terræ partem illuminari à sole, cùm sit ea maior; lunam nunquam minus illuminari, quàm dum nobis plena est, quia tunc maximè distat à sole, & alia plurima similia, quæ impræsentia omitto, vt ad mystica progrediar.

45. Proprietas. Ramus.

Pisanus. Vitellionis ætas.

Nota hoc.

Tropol. Nunquid anima nostra sphæra est, lucis diuinæ sphærã in infinitũ minor? sed nunquid totus homo mundus paruulus à mundo archetypo plusquam

dimidius illustratur, cùm super nos signatim sit lumen vultus tui Domine, quod cùm animam illuminet, quæ est hominis pars præcipua, verè luminosum maius plusquam dimidiam opacitatis nostræ partem illustrat. ô lumen æternum, quòd sibi propinquiores, magisque dilectos ampliùs illuminas, quando tibi in gloria coniungemur, vt nihil in nobis opacum appareat? vt ipsum corpus diaphanum sit; quando iusti, quos hic laborare vides, multisque aduersitatibus deprimi finis, fulgebunt sicut sol? Sed & ij maiori fidei lumine perfunduntur, qui sæpius ad contionem, Sacramenta, cæteráque Christianorum officia libenter accedunt, maiori denique lumine gloriæ, maiorique beatitate perfruentur, quorum merita potiora fuerint.

46 Proprietas. Quare atomi in radio solis appareant. 1 Coniectura. 46 *Lux atomos ostendit in cubiculo quantumuis expurgato*, quod eò maiori admiratione mihi dignum esse videtur, quò minus cõsideratur, quoue minus istius phenomeni rationem afferre possumus, vnde enim tot particulæ per radium solarẽ volitare cernuntur? an oculus hallucinatur, itaut nihil præter radium videat? an oculorum cilia sunt in causa, cur nescio quæ titiuillitia in luce per aliquas rimas pertranseunte videantur?
2 An virtus lucis ex cubiculi pauimento quantumuis purgato quasdam sordes,
3. aut vapores sordibus immixtos eleuat? quod in omnibus nostris pauimentis, & asseribus verũ esse potest, quis enim ita cubiculum purgauit, vt neque puluer is minima particula inter pauimenta terrenis fęcibus etiam post quascunque scopas repleta, vel inter asserum fissuras remanserit? sed quid si pauimentum marmoreũ sit, politissimum sit, sine fissuris, sine compage?
4. An istius generis sordes in radio conspicientur? quòd si non ampliùs videri possint, in propatulo causam habemus: si verò non minus, quàm antea cernantur, vnde proficiscũtur?
5. An deforis adueniunt, vt radij ex toto mundo vapores minutissimis particulis compositos educant, & in quæcunq; cubicula per rimulas inferãt?
6. An tanta est virtus lucis, vt ex toto cubiculo, & ex hominibus inibi existentibus quædam corpuscula resoluat, & in sublime ducat?
7. An radius collectus ipsum aërem, ex aqueis, aut terrenis, vel quibusdã
8. particulis nobis incognitis conflatum ostendit? An
Tropol. sol per radiũ nobis huiuscemodi corpuscula è cœlesti sphæra detracta cõmunicat? An quia iuxta Democritum, & Anaxagorã omnia corporea ex atomis, seu minutissimis particulis componuntur, ex quibus aër præsertim confletur? de quibus videatur Scipio erudito tractatu de puncto à c. 11. vsque ad 15. Quicquid sit, certum est neminem ita iustum esse, dum in hoc carcere pugnantes includimur, quin aliquibus peccatorum sordibus inquinetur; *si enim dixerimus quia peccatum non habemus*, inquit
Ioan. 1 c. 1. D. Ioan. epist. 1. c. 1. *ipsi nos seducimus* siquidem septies in die iustus cadit.

Vnusquisque, obsecro, seriò de præsenti vitæ suæ statu cogitet, diuinæq; lucis radio perfusus videat, an consciẽtiã ab omni peccato liberã habeat, an aliquod veniale supersit, ad quod afficiatur, an omnes actiones, & verba, an omnes omissiones sinistra intentione careant, an omnia, quę sibi fieri vellet, alteri faciat, quot, Deus bone, quot sordibus, quot vitijs, quot imperfectionibus se implicatum esse fatebitur? vt vnicuique nostrũ cum psalte dicẽdum sit, *Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur*; quis Dei liber? an ille, quem suprà radium diximus? nunquid in filio Dei scripti sunt omnes, pro quibus mortem subijt? vnde ait; *Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores*, quid fabricauerunt? nunquid peccata?

47 *Omnis illustrationis in pariete quantitas maior est spatio fenestræ, per quã lumen intromittitur*: quia tãtò longius digrediuntur, & inter se separãtur radij in origine sua concurrentes, quò longiùs progrediuntur, ac proinde in pariete remotiori, quàm in fenestra propinquiori latiores esse debẽt: lux enim effluit, & eiaculatur à sua origine in locum distantem, imo & quodlibet luminosi corporis punctum infinitis numero lineis effluit, adeout Keplerus prop. 3 paralipomenõ in Vitellionẽ existimarit lucem seipsa in infinitum aptam esse progredi, sed considerare debuisset eam, vt & cætera creata, finitam esse, non enim progressum infinitũ intrusisset. 47 Proprietas.
Kepler.

Sanè si lux in pariete maior est, quàm in fenestra, vt idẽ Keplerus c. 2. Paral. prop. 4 notat, nosque fenestrarum instar esse cõstituamus id, per quod diuina gratia nobis communicatur, siue Verbi diuini auditionem, lectionem, & meditationem, siue Sacramẽta illud dixerimus; affirmare non verebor diuinæ gratiæ lumen maius esse debere, quando in interiora animæ peruadit, non quòd ab origine magis abeat, sed quòd gratiæ diuinæ cooperari debeamus, vt talenta nobis concessa multiplicentur, sic enim gratia crescit, dum quæ præueniens erat, solumque antecedentis nomẽ sibi vendicabat, iam dicitur auxilians, vel concomitans. Lapidis parui Daniel 2. memini, qui Dei Filium repræsentat, qui percussa statua, quam Nabuchodonosor viderat, creuit in montem magnum, & impleuit vniuersam terram; hic est enim lapis, *quem reprobauerũt ædificantes*, abscissus de monte Virgineo sine manibus, hic est fons, quem Mardochæus in somnijs viderat, *qui creuit in fluuium, & in lucem, solémque cõuersus est, & in aquas plurimas redũdauit*, hic inquam lapis, & fons paruus, de cuius aquis, immo de cuius fontibus beati haurient; hic est ipsa lux, quæ dũ in vterũ virgineum descendit, vt per Deiparam, tanquã per fenestrã nobis illucesceret, coarctari videbatur, sed Deus bone, quãtam postea 33 annorum spatio per exemplũ prædicationem, & miracula, quantã, inquam, lucem emisit, sed ad peculiarem vniuscuiusque profectum propiùs acedamus. Trop. 1.
Daniel 2.
2.

Cùm igitur à nobis diuini splendoris, & gratiæ dilatatio pendeat, quippequi proprijs actibus eam augere possumus, superest, vt statim atque diuinos influxus percipimus, statimq; fides intellectũ, spes, & charitas voluntatẽ, cęterę; virtutes infusę totũ hominẽ perficiunt, & illustrãt, nos viuis fidei, spei, & charitatis actibus lucem illud diuinũ nobis infusum longè latèque propagemus. Quid si Sacramẽta, exempli gratia, Pœnitentia, Eucharistia, Baptismus immo & ipsæ cõciones sint fenestræ gratiæ, in quibus veluti fauores diuini restringuntur? nunquid sumus istarũ fenestrarũ templa, nunquid dispositione propria magis, ac magis gratia Sacramentorum dilatatur? adeout eò maiorem gratiam ille recipiat, qui meliùs ad eam sese disposuerit? An diuinum lumẽ oleo cõferã, quod initio, minus latè patet, sed vbi effusum est, sẽper crescit, donec guttula spatiũ amplissimũ impleuerit? Et quidẽ initio non ita fides, non ita spes, & charitas diffunduntur, vt multùm appareant, vt patet in baptizatis, & de nouo conuersis ad fidem, sed vbi multos virtutis actus exercuère, charitatis spatia dilatantur. Nunquid illud ipsum Christus iussit his verbis. *Sic luceat lux vestra corã hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrũ, qui in cælis est.* 3.
4
5

48 *Lux*

48 Proprietas. 48 *Lux secundaria, & non primaria vmbram manifestat*, quod ex Ramo colligitur, cùm ait lib. 2. Opt. prop. 23. *Vmbram videri priuatione primæ lucis, secunda tamen præsente*; siquidem vmbra est primæ lucis priuatio, illuminante tamen secunda luce vmbrosum locum, quæ etiam multiplicatam vmbram ex priuatione lucium diuersarum ostendit; tametsi tenebræ comprehendantur vniuersa priuatione lucis, quæ nullo termino lucido finiri videatur. Tropologia. 1 An lux fidei supernaturalis respectu naturaliū scientiarum primaria dici potest? quæ nullam vmbram facit, aut manifestat, cùm veritatem sine vllo erroris periculo suggerat, quam tot hallucinationibus scientiæ implicat, vt vix quidquam sine controuersia verum appareat? 2 An potius illæ scientiæ veritatis vmbram aperiunt, quamdiu sola fides veritatem amplectitur? 3 An ipsa fides rerum supernaturalium vmbram complectitur, cùm in ænigmate duntaxat, & in speculo videat, lumen verò gloriæ primarium omnem vmbram excutit, tunc enim facie ad faciem reuelata secreta contemplabimur, quando videbimus Deum Deorum in Sion. 4 An solùm in lege Mosis lux secunda fulgebat, quę bonorum futurorum vmbram ostenderet, secunda inquam, cùm Deus in solis effectibus cerneretur; nunc autem in lege noua ipsam lucē primariam Christum Dominum morientem, resurgentem, ascendentē aspeximus? 5. An fides est lux secundaria, quæ tertiam velut vmbram, videlicet scientias & artes ostendit, quæ sunt velut vmbræ respectu eorum, quæ fides docet, lumen verò gloriæ lux primaria dici potest.

49 Proprietas. 49 *Lucis proprium est calor:* quod præclarè probari posset ex eo quod vita in calore consistere videatur, cui fouendæ lux destinata est, quæq; proinde calefacere debuit; & quidem omnem lucem calori coniunctam esse certum est pro claritatis modulo, tametsi calor siderum respectu caloris solaris minor sit, quàm vt ab homine comprehendi possit, nisi per effectus; siquidem sidera, & planetæ vapores cient, extenuant, attrahunt, & sublimant; sed minùs calor cicindularum, lignorum putrescentium, carbunculi, cæterarúmque gemmarum percipitur, quantumuis calori admodum tamen remisso, & tenui coniungantur, idque pro lucularum proportione, qua relucent. Cor est lampas corporis. Vide pulchra hic. Cor igitur animalis latebrosa lampas dici potest, quæ sanguine instar olei ex venæ cauæ caudice in cor traducto viuat, & conseruetur; vnde ex arterijs in totum corpus calor propagatur, ac propterea corpus arterijs interclusis continuò frigescit; ipsę sunt fumaria, quibus huiusce cordis igniculus fumis excrementitijs liberetur, ne tandem lucula vitalis opprimatur; cui Deus pulmonum folles præparauit, qui aërem possint afflare, ne vita defectu aëris intercludatur, ita ergo calor animalis à luce pendere videtur, vt existimat Keplerus, qui lucis calorem immateriatum vocat, qui in materia tempore excitetur, rēque destruat, & adurat, vt fiant omnia lux; ex materiæ destructione sequitur, vt rerum Lux dealbat colores. colores lux dealbet; albedo siquidē luci cognatior est, quia tenebrarum, & densitatis minus est particeps. Lux rē nigram faciliùs inflammat, quàm albam, & cur. Ideò autem lux nigra faciliùs, quàm alba inflammare dicitur, quia radij minus à rebus nigris reuibrantur, plus enim in illis lux consumitur, plúsque de suo opere in nigris collocat, quod in destruendo, & inflammando consistit, vnde natum Axioma. est Axioma, *nigris cogi radios, albis dissipari.*

Quantam mihi materiā proprietas ista suggerat, vt animus ad diuina contēplanda insurgat, vix explicare valeo, siquidem in illa beatissima Trinitate Tropologia. lucem inaccessibilē, & inenarrabilē vt videre mihi videor, quæ cum patre omnium, totiúsque diuinitatis fonte perenni flammā illam diuinam, calorē 1 æternum, nempe Spiritum sanctum producat; de quo lux pronuntiat; *Ignem veni mittere in terram*; quandoquidem splendor paternæ gloriæ, filius æternus, lux vera dicendus est, *Lux quæ illuminat omnem hominem*, quę de seipsa luculentissimum testimoniū affert: *ego sum lux mundi*: ergo lux producit ignitum calorē, vnde Spiritum sanctum ignis nomine significamus, *Veni creator spiritus, fons viuus, ignis, charitas, infunde amorem cordibus.* Sed ne tantus nos ignis consumat, ad inferiorem calorem accedamus: 2 Ad quid obsecro lux illa mentibus nostris altiùs impressa est, qua Deum esse, eumque bonorum remuneratorem cognoscimus (quod ad Deū accedenti necesse est,) nisi vt eius amore incalescamus? Ad quid nobis fides infunditur, nisi, vt charitatis feruore in eū exardescamus? Nōne quælibet inspiratio diuina menti suboritur, vt ad diuinā dilectionē 3 prouocet? nunquid lux solis, & stellarum, nunquid ignis noster, nunquid omnia visibilia, & inuisibilia calorē amoris afferunt? ad quid enim luces illæ calorem ex se profundunt, nisi vt nos feruentis amoris artē edoceant? An alio fine concionatores Euāgelij lucē præferunt? an alia de causa Sacerdotes, & Clerici in templis cōcinunt, diuinásq; laudes personant? an ob aliam rationē Sacramenta Christus Dominus instituit? an alia intentionę acerbissimā mortem pro nobis pertulit, quā vt Patri reconciliemur, diuinū amorem creaturarū dilectioni præferamus, & ardentissimis charitatis actibus in Deū prorumpamus, eique funiculis æternis vniamur, & tādē omnimoda voluptate perfruamur? ergo fides, ergo scientiæ omnes, omnis cognitio, ipsumque gloriæ lumen, quanta lux esse, quantū in nobis calorem, quantos ignes generare debeāt? Ad charitatē igitur properemus, vt fruitione diuina perfundamur. Iam vnicuique perpēdendū relinquo, qua ratione lux mediantibus speculis præsertim concauis, mediante lagena aqua plena, cæterisque id genus instrumentis res sibi oppositas vrat, vnde Plinius l. 2. c. 107. exclamat. *Excedit profectò omnia miracula vllū diem fuisse, quo non cuncta flagrarent, cùm specula quoque cōcauā aduersa Solis radijs, faciliùs etiā accedant, quàm vllus alius ignis*: id autem non solùm de concauis, sed etiā de planis, conuexis, obliquis, conicis, & parabolicis, quæ vehemētissimè omniū solares radios aggregāt, verū est, vt in l. 3. prop. 81. quæ est vltima, Ramus annotauit, ex 44. Theorem. l. 6. Vitellionis: vnde & exustæ sunt ab Archimede hostium triremes, teste Galeno de temperamento, & Anthemio græco Opticæ artis autore; idemque postea Proclus Constantinopolitanus præstitit teste Zonara 3 tomo suæ historiæ, quæ omnia iam aduersus Atheos retulimus.

Quod autem ex concauis speculis, & quomodo ignis accedatur, latissimè Rogerius Bacconius tract. de speculis demonstrauit. Bacconi. Vitell. Libris autem 5, 6, 7, 8, & 9 de speculis omnibus Vitellio multa tam ex Euclide, Ptolemæo, & Alhazen, quàm proprio marte docet; quæ omnia creaturarum speculis cōferre possis, ex quibus ad Deum reflectamur.

50 *Lux timorē depellit, spē affert, hilaritate perfundit, & peregrinis viam ostendit*; in quibus quàm multa 50 Proprietas. comprehendantur, vix iusto volumine dixero; nec est opus alio modo, quàm experientia proprietatē

hanc demonstrare; siquidem vbi non semel huiusce rei periculum feceris, & te ex tenebris ad lucẽ hyeme præsertim receperis, tanto gaudio corpus, & animum perfundi deprehendes, vt in toto mundo simile quidpiam esse facile neges. Vtinam seriò Christiani perpenderent, vellentque experiri, quanta voluptate mens, omnésque facultates animi perfundantur, quando iustus è terrenarum nebularum tenebris ad lucis diuinæ contemplationem se recipit; ibi pro viatoris modulo gustatur, quàm dulcia sint faucibus eloquia Domini; quàm mirabilis harmonia diuinarum perfectionũ, quantum beatorum omnium melos ineffabile; ibi clamat anima iusti, ibi suspirat, & in hunc sermonem erumpit: *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiscit, & deficit anima mea in atria tua*; ibi perpetuo concentu beati simul intonant; *Quã bonus Israel Deus his, qui recto sunt corde*; nunquid illic versabatur D. Thomas Apostolus, dum aiebat: *Dominus meus, & Deus meus*; illic D. Petrus, dum eructabat; *bonum est nos hic esse*, ibi S. Franciscus à Paula Ordinis nostri princeps, *ô charitas!* Ibi S. Franciscus minorum Coryphæus dicebat; *Deus meus, & omnia*, ibi S. Bruno Chartusianorum dux *ô bonitas*. Exi ergo peccatrix anima, & è peccatorum tenebris erumpens, accede ad veram lucem, & illuminaberis, idque quod assero, persentisces. Ecquid sine lumine peregrini facient? nunquid si velint ambulare, id palpando cæcorum instar, eos præstare necesse est. Quale spectaculum oculatos homines cernere, quibus oculi, nihil prodesse valeant?

Tropologia.

Contemplare obsecro, quanta voluptate non tantùm homines, sed & auiculæ, cæteráque animalia (noctilucis forsitan exceptis) imo & plantę, atque arbores perfundãtur, quando aurora matutinúsque solis exortus illucescit, postquam tota nocte homines, cæteraque omnia tenebris obuoluta fuēre, & frigus vitæ inimicum contraxerunt. Sanè quidpiam simile de peccatoribus existimandum est, quibus propria conscientia vitiorum tenebris obsita suppliciũ perpetuũ erat, antequã gratia diuina eis affulgeret, his enim mentis oculi ad salutem nihil proderãt, de quibus proinde psaltis illud iure dici poterat. *nescierunt, neque intellexerunt, qui in tenebris ambulant*; qui dum ad portum beatitudinis imaginarium accederent, quatenus à terrenarum voluptatum esca, sub bono generatim sumpto cõprehensarum mouebantur, & alliciebantur, tantò magis à vera beatitate recedebant, quia lucis diuinæ fulgor eis minus illucebat. Quàm beatos iustos, quibus viam planam, & regiam ad cœlum diuina lux aperit! ô vera lux, quæ tam altè personas; *ego sum via, veritas, & vita*; ô vera lux, quæ nos ad te prouocas dicens: *Ego sum lux mundi*; ô vera lux, *quæ orta est iusto*, quando lucernam nostram illuminabis? *ostende nobis faciem tuam*, quæ lampas est ardentissima, *& salui erimus*.

Ergo primaria omnium die eáque præclarissima soli dicata, quæ iam Dominica nuncupatur, lux ista facta est, vt omnium creaturarum primigenia die primo fieret; ergo lucem enascentem auicularum more, quæ roscidam, rutilantémque Auroram garrulo cantu excipiunt, & læto concentu salutãt, ad eius præconia celebranda Genesis initio permoti sumus, nec coruscantibus illius radijs opprimi reformidauimus; cur etenim illud timeamus, quo nihil oculis hominum iucundius, nil exhilarandis mentibus efficacius, nil humanis vsibus, atque negotijs aptius, nil denique in toto orbis opificio præstantius inueniri potest? Nunquid ipsa luce colores alioquin inuisibiles albescunt, rubescunt, virescunt, pallescunt, nigrescunt, & omni varietate respersi conspiciuntur? nunquid lucis beneficio rerum simulachra deteguntur, emicant sydera, claret luna, fulget sol, venustatur cœlum, rubescunt nubes, candescit aër; nitescit aqua, totúsque terrarum orbis decoratur? nunquid eius afflatu germina pullulant, plantę florescunt, exurgunt rami, dilatantur flores, fructus producuntur, virescunt colles, & campi, omnia metallorum genera procreantur, ipsique lapides, & Chrystallus conglutinantur, atque congelantur? adeout tanto præstantiorem, eminentiorémque dignitatem singula quæque nanciscantur, quanto maiori lucis nitore pollere conspiciuntur. Ideo siquidem empyreum inter cœlos excellẽtius esse censetur, quoniam perenni luce præfulget, inter astra sol præstat, quia cùm sit fons luminis, non tantùm ea suo fulgore obruit, sed continuò splendorem illis impertitur, ipsæque stellæ quanto clariori luce perfundantur, tanto cæteras antecellunt, ideóque lucifer cæteris præstantior tanquam mirifico lumine fulgens suspicitur. Et vt cum Ascanio pergamus; quid luna iucundius, quando plena est, cùm autem à sole auertitur, quid amplius pulchri, quid decori, quidue iucundi in ipsa residet, adeout optimè peccatorem cum luna eclipsim patiente, iustum verò cum luna plena comparare possimus. Inter elementa quoque ea digniora existimantur, quæ splẽdidiora sunt, itaut ignis omnium maximè lucens cæteris antestet, quem aër sequitur, qui si nitidus est, magnam nobis affert iucunditatem, si nubibus, & caligine vndique perfusus, mœrorem incutit. Vsque adeò lux amabilis est, vt illę blandiloquę voces inde natæ sint, lux præclara, lux rosea, lux chara; quàm verò grata sit aqua, quamdiu limpida candescit; si verò turbida, cœnosaque sit quàm horrens, quis negabit.

Lucis præstantia.

Nunquid ex cunctis lapidibus illi gemmarum nomen sortiti sunt, qui nitidiores emicant? vt tantò pretiosiores, quantò splendidiores existimẽtur. Sic & inter metalla argentum, & aurum, inter sensus oculi locum illustriorem sibi vendicant, quod maiorem lucem præ se ferre videantur.

At hæc omnia parua sunt, cùm tantopere lucis dignitas conualuerit, vt angeli, animæ, & quod summum est, Deus ipse Optimus Maximus non aptiùs, quàm lucis symbolo nobis exprimantur, sic enim Eccles. 43. *Sol tripliciter exurens montes*, diuina sapientia nuncupatur; sic lucis nomine D. August. angelos intelligit; sic animam psaltes *lumen signatum super nos*; sic ipsam gloriam, psal. 42. lux perpetua dicitur, *emitte lucem tuam, & veritatem tuam*.

Variæ lucis acceptiones.

Eccl. 43.

Psal. 4. & 42.

Lux ergo ferè omnia metaphoricè refert; sic enim notitiam rerum præsertim diuinarum, rem quamlibet valde vtilem, lætam, & iucundam, iustam & sanctam significat; Doctor etiam lux dicitur, vt Isai. 9. *populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: & magna lux orta est eis*, Christus nimirum, qui dicitur sol iustitiæ; significat etiam vitam, vt Iob. 3. quare dedit afflicto lucem? vnde & Catullus.

Isai 9.

Iob 3.

Nobis cùm semel occidit breuis lux,
Nox est perpetua vna dormienda.

Catullus.

Lux etiã pro vera religione sumitur, vt cùm Luc. 16. filij sæculi, lucis filijs prudẽtiores esse dicuntur, sed

Luc. 16.

sed multa satis, vt existimo, de luce hactenus; tantùm obiter aduertam pessimè fecisse Illyricum; dum in claui sua scripturæ Papistas reprehendit, quod hunc psaltis versum; *signatum est super nos lumen vultus tui Domine*, de quibusdam diuinæ cognitionis seminibus nobis innatis, seu de principijs, & lumine naturę, quo Deum vnum esse etiam gentiles cognoscere potuerunt, explicant; quos D. Paulus cap. 1, & 2 ad Romanos (quem perperam verbo, *Lex*, explicat) Deum cognouisse asserit; sed obsecro blasphemi hominis blasphema verba percipite. *Quare & Lutherus, inquit, inculcat hominem natura non plus de Deo scire, quàm brutum, quod nulla habet principia de Deo.* O horrendum Epicureismum, ab hominum mentibus auerruncandum, ô ventris saburrati portenta! sed nec iam porcorum illorum malè sanos grunnitus refellere vacat, & aliunde per se satis produntur. Eos iam ad fusissimam quæstionem, quam aduersus Atheos de Deo feci, amando, relego, vbi artic. 16 eius rationes in examen adduxi, atque confutaui.

Si quis autem hunc quinquagenarium proprietatum numerum augere velit, id facili negotio perficiet, si quasdam accipiat, & minutiùs diuidat, in quibus nempe multæ simul inuolutæ comprehenduntur; exempli gratia in 18 proprietate, 17 communia sensibilia, quæ quodammodo visibilia sunt, seu quæ lux manifestat, afferuntur, quorum singula pro singulis proprietatibus assumere possis. Sunt & aliæ proprietates, vt quòd lumen lumini non obsistat; quòd minus præsentiâ maioris in speciem tantùm, non reipsa obscuretur; quòd impeditum ab extensione se conuertat ad intensionem; quod secundarium respectu primarij, sicut & tertium respectu secundi sit vmbra; quòd longiùs prouehatur, quò intensius fuerit; quod se habeat ad species, sicut quãtitas ad corporeas qualitates; quod diu spectatum visum hebetet; quod à lucido corpore colorem trahat, sitque imago lucidi, quòd sit colorum intentionalium hypostasis; quòd in exquisito diaphano non appareat; quòd eius profusio in minimum naturale terminetur; quòd luminis perexigui amplissima sit actiuitatis sphæra; quòd se spirituum instar in eodem medio lumina penetrent; quòd coloribus discrepẽt; quòd ampli luminaris, si in angustiorẽ molem compingatur, tantum luminis augeatur intensio, quantum corporis minuitur extensio: quòd à puncto sphærę luminosæ medius duntaxat virtutis orbis illustretur: quòd res propinquior minus aliquando, quàm remotior illuminetur. &c.

Hic alię 17. proprietates luminis enumerantur.

VERSICVLVS IIII.

Et diuisit lucem à tenebris.

ויבדל אלהים בין האור ובין החשך

ϰὶ διεχώρισεν ὁ θεὸς ἀναμέσον τοῦ φωτὸς, ϰὶ ἀναμέσον τοῦ σκότους.

OnKel. ONkelus de verbo ad verbum mihi vertisse videtur textum, dum ait; & distinxit Dominus inter lucem, & inter tenebras, quomodo græcus sonat: Oleaster, diuidere fecit eam à tenebris, aut obscuritate, ergo lux & tenebræ simul esse videbantur. Oleast.

PROBLEMA XXXIIII.

1. QVis diuisit, & quónam modo? An rectè sentit Tostatus dum existimat lucem ipsam motu nubeculæ diuisisse inter lucem, & tenebras, non
2. autem Deum? An potiùs Deus ipse naturam lucis, & tenebrarum impermixtam fecit, ac veluti positiuam, & priuatiuam distinxit. An censendus est ea-
3. tenus lucem, & tenebras separasse, quatenus nubi lucidæ dedit motum, quo vni statim hemisphærio, statim alteri illucescens, in vna mundi parte suâ præsentiâ lucem, in alia verò suâ absentiâ tenebras
4. efficeret. An præterquam Deus lucem separauit à tenebris, terminos in medijs spatijs posuit, quibus vtrumque arceatur ab extremitatibus alterius, ne propter vicinitatem inducerent confusionem contentionibus de principatu mutuis, néue pertinaci ambitione luctam appeterent, nisi præfixi in
Philo. medio termini ad pugnam gestientia dirimerent,
5. vt vult Philo l. de opificio mundi. An ita diuisit, vt per angelos id effecerit, si illi iam creati erant, vt multi creatos fuisse sentiunt, dum *in principio* crea-
6. uit Deus cœlum. An diuisit, quatenus luci tantam vim contulit, vt solis instar matutinas nubeculas dissipantis, & superatis, caliginosum aërem vaporibus obductum sibi subiecerit, totúmq; permeauerit. An per lucem angeli possunt intelligi, 7.
qui Dei mandatis, & voluntati motem gerentes in æterna sede beatorum positi sunt; per tenebras verò mali, qui in tenebras exteriores deiecti sunt, vt præclare disserit S. August. lib. de Gen. ad lit. & 11 de ciuit. cap. 10. vt ea ratione simul angeli à dæmonibus, gratia à peccato, gloria à pœna, cœlum ab inferis diuideretur, & quod agebatur in modo sensibili esset imago illorum, quæ fiebant in mundo intelligibili teste Hugone 1 de sacram. p. 1. c. 10. An per lucem fideles, per tenebras infideles rectè sumuntur, iuxta id Pauli ad Eph. 5. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*; quod Israëlitæ significabant Exod. 10. qui in luce erant, dum Ægyptij profundissimis tenebris obruerentur: nunquid adhuc Iudæi sunt in tenebris, quibus non lucet splendor paternæ gloriæ Christus Iesus? nunquid Manichæi, qui humanitatem instar solis in monte Thabor fulgentem, nunc autem in gloria triumphantem denegant?

August. Hugo. Ad Ephes. 5. Exod. 10.

Kk iiij

nunquid Arriani qui Seruatoris diuinitati detre-
ctant; nunquid Sabelliani, qui lumen ineffabile
diuinitatis, prout in tribus personis refulget, pro
viribus tollunt; denique nunquid omnes hæretici
tenebræ sunt? soli verò Catholici in die honestè
Ascan. ambulant, vt præclarè disseruit Ascanius.

An lux referre potest hominem suscipientem
9. effectum Baptismi, nox verò, seu tenebra eos, qui
defectu dispositionis Sacramentum, non tamen
10. rem & effectum Sacramenti suscipiunt? An lux illa
dici potest liber vitæ, in quo iuxta præscientiam
suam Deus prædestinatos à reprobis separauit, vt
Eucher. innuit Eucherius in Genes. l. 1. illos ad gloriam pro
sua immensa benignitate, eligendo, ac reprobos
propter insignem eorum malitiam reijciendo. De
Psal. 68. quibus dicitur in Psalmo 68 *Deleantur de libro vi-
uentium, & cum iustis non scribantur:* de libro, qui
Apoc. 7. Apoc. 7. *Scriptus est intus, & foris, & 7 sigillis signat*,
cuius pagina sit Verbum æternum, vera, viuáque
Dei imago; manus scribens Filius, calamus diuinū
decrementum; atramentum sanguis Christi; no-
mina, electorum prædestinatio: scriptus intus, vbi
sunt prædestinati, foris verò præsciti damnandi.
11. An his verbis vsus est Moses, vt exemplo Dei ma-
lum à bono, lucem à tenebris, Belial à Christo di-
stingueremus, nec malum bonum, tenebrasque lu-
D. Hieron. cem esse mentiremur: vt innuit D. Hieron. 2 com-
2 Cor. 6. ment. in Esaiam: *quæ enim societas lucis ad tenebras?*
2 Cor. 6.

An vt seiungeremus animam à peccatis, quæ est
12. Psal. 4. lumen vultus Dei signatum super nos Psal. 4. cùm
enim anima sit spiritualis, imaginem Dei ferens,
nunquid est lumen, quod à tenebris peccatorum
13. nitidum, & purum seruare debemus? An quia
Deus gratiā, peccato lethali cōtrariam fecit: cùm
gratia non minus expellat peccatum, quàm lux so-
Step. Cantuar. laris noctem, vt præclarè Stephanus Cantuariensis
habet lib. allegoriarum.

14. An legem Mosis, legem rigoris, & timoris à le-
ge Euangelica Christi, vera lege amoris separan-
dam præuiderat Moses, vel per eum id nobis Spi-
ritus sanctus præsignificabat? Quid si per tenebras
15. appetitum inferiorē intellexerimus, cuius actiones
ita mentibus nostris officiunt, vt sæpius tenebris
afficiantur, per lucem verò partem superiorem, seu
rationalem luce superiori fulgentem, & quidem
sensitiua cognitio respectu cognitionis intelle-
16. ctualis tenebrarum instar esse videtur. An per lu-
cem vita contemplatiua similis angelicæ vitæ, per
tenebras actiua belluinæ vitæ simia quodammodo
potest intelligi?
17. August. An cum B. Augustino l. imperf. de Gen. ad lit. c.

5. concludendum est, Deum in hoc mundo producendo velut præclarum lyræ harmonicæ concentum induxisse, vt D. Athanasius orat. contra idola edisserit; (Athan.) cuius Coryphæus omnia cantus dulcedine pertrahens sit Verbum æternum, verúsque Dei Filius, qui lyram mundanam chordis 7 instruxerit, 7 nempe generibus creaturarum, angelica, humana, sensibili, vegetabili mixta inanimata, elementi, & materia prima, quæ omnes præclarum melos efficiunt, cùm munus sibi à Deo iniunctum perfectè obeunt, cùm tamen sola rationalis creatura sæpiùs in consonantias imperfectas, imo & in dissonantias abeat, quas ad consonantiam redigit per contritionem, vt peccatores abiectis peccatis, qui secundas in vnisonum, cæterásque dissonantias in diapente, aut diapason conuertunt, idest, ad iustitiam redeunt: vt autem Musicus silentiorum intercapedines, seu pausas admittit, quibus cæteræ partes clariùs audiantur, & totum Melos elegantius appareat, ita Deus aliquorum lapsus permittit, vt iustorum virtutes magis enitescant, dulciùs enim resonare videntur proborum consonantiæ, virtitutúmque concentus inter silentia peccatorum: Cur hoc? nisi vt animæ nostræ cytharam ad Dei exemplum moderemur? cuius chordas passiones dixero, manum prudentiam: ratio verò dirigere debet omnia, vt passionibus temperantiæ virtute cohibitis, & ad Dei legem, ac voluntatem accommodatis vitæ sanctæ nouum canticum Deo nostro canamus. Sed tertia ratio præ cæteris sensum literalem exprimere videtur. Nomen autem Hebræum *Iabdel*, significat *diuisit*, & à radice בדל *badal* fluit: (בדל) vbi notandum est stannum, ex eo quod in fornace ab auro separetur, dici בדיל *bedil*, Rabbini verò candelam vocant הבדלה *habdala*, quod accensa distinguat sabbathum à septimana noua; & ipsa distinctio הבדל *hebdel* dicitur. Idem verbum quandoque significat cōmutare vt Psal. 106. v. 20 & (Psal. 106.) *marcuit, tabuit, migrauit*, immo & Syriacè בדל *badel, perperā egit*, significat. בין *ben* verò, quod non expressit editio vulgata, significat *inter*, (בין) reperiturque in בנה, seu בן *ban*, intellexit; valetque idem, ac תוך *tauec*, medium, cùm ei vel אל vel מ, vel ב præponitur: (Benoni vnde dict.) vnde & Grammatici participium præsens vocarunt בינוני benoni, quia est medium inter præteritum, & futurum tempus: qua etiam radice Arabes & Alcoranum vtuntur, pro declarauit, patefecit, legibilis fuit, mediatores, testes &c. Cætera vocabula iam antea declarata fuêre, propterea ad alium versiculum gradus faciendus est.

VERSICVLVS V.

Appellauitque lucem diem, & tenebras noctem.

וַיִּקְרָא אֱלֹהִים לָאוֹר יוֹם וְלַחֹשֶׁךְ קָרָא לָיְלָה

καὶ ἐκάλεσεν ὁ θεὸς τὸ φῶς ἡμέραν, καὶ τὸ σκότος ἐκάλεσε νύκτα.

Licet interpretes sensum literalem esse fateantur, vt Deus non quidem propria voce lucem illam diem vocarit, sed illud dicatur κατ᾽ ἀνθρωπο-παθείαν, quatenus voluit hæc nomina rebus ab Adamo imponi, quibus vterentur posteri, vt notat D. Aug. 1. de Gen. contra Manich. c. 9. & 10, attamen (Augustin.)

more solito sensus alios, si qui sint, in sequenti problemate discutiemus, vt ex vna litera, velut ex radice plurimi sensus mystici ramorum, atque fructuum instar exeant.

PROBLEMA XXXV.

QVare igitur ita lucem, & tenebras appella-
1. uit? An quia non potuissent homines per se
nomina reperire, quæ res istas ita propriè exprime-
2. rent? An Deus humana effigie vsus est, plectroq;
Lusitan. linguæ nomina hæc protulit? vt censet Lusitanus,
tametsi nolit Deum semper ea ratione effigiatum
fuisse, vt Anthropomorphitę, seu Vadiani putabāt.
Tostat. Tostatus verò 5 à Deo nominata fuisse ait, diem
nempe, noctem, terram, mare & hominem; cæte-
3. ra ab Adamo nomen accepisse. An Deus æternæ
Augustin. rationis verbo, non autem externo Deus vsus est,
4. vt S. Aug. ait 1. de Gen. ad lit. c. 10. An propterea
vocasse dicitur, quatenus ita disposuit, vt congruē
vocari possent, vt sit sensus, vocari fecit? vt ipse-
met 1 de Gen. cōtra Manic. c. 9. docet. An, quod ferè
5. in idē recidit, cognouit, & instituit, vt hæc eius-
modi nomina apud omnes homines sortirentur?
6. vt explicat Diony. Chartusi. nec tantùm instituit,
sed & illa nomina postmodum imponenda docuit
Adamum, vt Vielmus 11 lectione edisserit, & a-
pertiùs Steuchus in Cosmopæia. An ita vocauit,
7. vt ostenderet non omnem lucem esse diem, neque
tenebras quaslibet noctem esse: sed hanc & illas,
August. quas tunc discreuerat? vt præclarè D. August. c. 6.
de Gen. imperf. vnde ait nomen appellatum esse,
quasi notamen, quia rem notat, idest distinguit, &
8. doctitanter ad discrepandum adiuuat. An, vt di-
D.Thomas. stingueret diem artificialem à naturali? vt insinua-
re videtur D. Thomas 1. p. q. 69. a. 1. ad 5 ex R.
Mose. An, vt vult Caietanus, vocauit, vt se non
non tantùm rerum, sed & nominum authorem es- 9.
se patefaceret?
An omnium congruentiùs loquitur S. Chrysost. 10.
hom. 2. in Gen. qui prophetæ linguam à Spiritu- Chrysost.
sancto motam fuisse docet pro auditorum imbe-
cillitate; eodémque sensu dictum esse, *vocauit*, quo
quieuit; cui Martinengus assentitur. Vt autem ad
sensum mysticum transeamus. An lucem, fœlici-
tatem in angelis, tenebras verò, damnationem in 11.
dæmonibus insinuauit Deus, vt Rupertus 1. lib. in Rupert.
Gen. c. 19 edisserit. An ipsa spatia horarum etiam 12.
sine discrimine fulgoris, & vmbræ iam ita vocari
potuerunt, licet enim sol nobis non adesset, spatia
diebus, noctibusq; nostris æqualia discernere pos-
semus, vt ex ijs, qui diu in cauernis delitescunt, ap-
paret, & D. Aug. 1. de Gen. contra Manich. cap. 14.
insinuat. An vt ipse ait de Gen. imperf. cap. 6. per D. August.
diem rei perfectionem, vel ipsam rem formatam; 13.
per noctem eius mutabilitatem, hoc est deficiendi
possibilitatem intelligere debemus. An vt habet 2
de Gen. ad lit. cap. 14. mox informitatem materiæ, 14.
dies ipsam formam denotat. An non rectè vocari
potest tempus peccati nox, & tempus gratiæ dies; 15.
qui enim dormiunt somnum peccati, in noctis te-
nebris dormiunt, inquit Anastasius Synaita in he- Synaita.
xam. Sed & præcedentes lucis, & tenebrarum
explicationes huc facilè transferri possent.

PROBLEMA XXXVI.

1. AN Deus rectè vocauit יום *iom*, & noctem
לַיְלָה *laiela?* & quænam istius nomencla-
turæ ratio esse potuit? Dubio procul cùm omnia
Deus rectissimè faciat, atque vocet, non desunt ra-
tiones, cur his nominibus vsus fuerit. An ergo
Iom rectè dictus est dies, quia radix illius est *Ham*,
Steuch. quod strepere, consonare significat, inquit Steu-
chus in Cosmop. quòd in die cuncta fremant, &
perstrepant, noctu verò cuncta sileant, plenáque
Iom. horroris omnia: *Iom* autem formatur in futuro ex
verbo *Ham*, sicut à *Zachak* verbo, nomen & futu-
rum *Zachak*: sic etiam noctem vocauit *Hiela* for-
Hiela. sitam à *laba* defatigari, quia fessa diurnâ vigiliâ re-
parantur. Dicitur autem paragogicè לַיְלָה *laielah:*
nam ה paragogicum est, dicitur autem nox, quia
tunc vlulant bestiæ: vnde dum 3 vigilias noctis cō-
Quomodo vocentur 4 vigiliæ Arabum stituunt Arabes, quarum singulæ 4 horas conti-
neant, hoc nomine אל ליל *alleil* semper vtuntur;
nam initium noctis dicitur אויל *aiul alleil*: est-
que prima vigilia; secunda, seu medium noctis
נצף *Nazf alleil*: tertia denique תלות *thuluth alleil*,
quæ & שַׁחַר *Sachar*, idest Aurora dicitur: ex hoc
autem nomine fluit לִילִית *Lilith*, idest infaustum
quoddam nocturnum monstrum puerperis infe-
stum, quod lamiam, strigem, & tenebrionem vo-
camus, vel dæmonissam occidentem infantes. Vn-
de Iudæi in 4 cameræ partibus, vbi puerpera de-
cumbit, scribunt אָדָם חַוָּה חוּץ לִילִית *Adam, Eua,* Iudæorum
foras Demonissa; Habemus autem *Lilith* Esai. 34. v. stultitia.
14. Sed quid significat קרא *quara*; nunquid præter Esai. 34.
vocare, significat etiam *inuocare, conuocare, inuitare,*
concionari, & cantare? nunquid etiam aliquando si- קרא.
gnificat *existere*, tametsi per metonymiam? Vnde
& קָרוּא significat hospitem, seu inuitatum: &
קְרוּאִים *Keriim*, celebres, nobiles, & inclytos, ac
consiliarij præcipuos מִקְרָא i. conuocatio, קְרִיאָה
prædicatio, & quia clamat perdix קֹרֵא dicitur: Cę-
tera relinquo, eáq; plurima, quæ ab isto verbo di-
cuntur. vt *Micra*, biblia lectu digna. *Karai* li-
teralis, seu biblicus, aut in biblijs probè versatus,
Alcoran, idest confessio. Hæc de vocabulorum e-
tymo satis superque dicta sint. Nam de dierum, &
noctium varietate postea.

VERSICVLI V. PARS SECVNDA.

Factumque est vespere, & mane, dies vnus.

וַיְהִי־עֶרֶב וַיְהִי בֹקֶר יוֹם אֶחָד

καὶ ἐγένετο ἑσπέρα, καὶ ἐγένετο πρωΐ, ἡμέρα μία.

ERgo fuit vespere, & fuit mane dies vnus iuxta Paraphrastem, & Vatabli versionem; seu vespere, & mane diei primæ: vt vnus pro primo ponatur, cardinalis numerus pro ordinali; vna enim Sabbathi, significat primam Sabbathi apud Hebræos tropo eis familiari, quæ apud Martinum Cantapetrensem l. 6 hipotyp. c. 4 videri possunt: ergo postquam vespere præcessit, quod refert tempus, in quo quæcunque præmisimus, facta sunt, siue id per 6 horarum spatium factum fuerit, siue per plures, mane sequitur, vt dies naturalis 24 horarũ compleatur: ergo vespere fuit tempus, in quo nondum lux apparuit, vel ita delitescebat, vt velut crepusculum lucem adeò tenuem iudicasses: quod si fuit à sexta hora matutina vsque ad meridiem, vt lux in tenebris dissipandis tantum tempus impẽderit, quod etiam sæpius apud nos in Autumno contingit, lucem circa meridiem cœpisse, & totum hemisphærium illustrasse dicendum est.

PROBLEMA XXXVII.

1. עֶרֶב quid. QVomodo vespere, & mane fuit vnus dies? An dictum est vespere עֶרֶב ab *Harab* quod est ligare, & obligare, & commiscere, & subtegmen stamini mixtum: vnde & *herabem*, idest pignus, & arrabo, quo vtimur: quia vespera ligat diem cum nocte, vt aduertit Oleaster, & Lusitanus, vel quia lux, & tenebræ simul miscerentur; vnde & Exod. 12 Iudæi paschalem agnum vespertino tempore immolabant, id est tempore, quod est inter solis occasum, & noctem. An vespere sumi debet
Oleaster. Exod. 12.
2. pro toto tempore, quod est à vespere vsque ad mane, nempe pro 12 horis, & mane pro tota die, vt sic dies integer naturalis resultet, vt nox ab initio sui denominetur, quod est vespere, & dies à suo principio, quod est mane: vnde & nos Galli dicimus pro tota sequenti die, *demain*; idest crastina luce: vnde & Hebræi suos festos dies à vespera in vesperam celebrabant, seu à crepusculo diei vnius ad
3. בֹקֶר quid. alterius vsque crepusculum. An mane בֹּקֶר *boker* dicitur à *bacar*, idest inquirere, & discernere, quia nondum ita res bene discernitur tempore matutino, donec maior dies illuxerit? adde quòd accipiatur pro die crastina Exod. 16. v. 7; significat etiam lucem Iob. 38. vers. 7, & dilucula vocant בְּקָרִים *bekarim*; Syri verò gregem armentorum *bekar* appellant, quia magna inspectione, & curâ pastoris indigent.
Exod. 16. Iob. 38.
4. August. An per vesperam consummati operis terminus, per mane initium alterius condendæ potest intelligi? vt vult D. Aug. 1. de Gen. ad lit. c. 17. An re-
5. Rupert. ctè disserit Rupertus, dum 1 Gen. c. 30. vespere, idest in occulta, & æterna Dei sapientia, & mane, idest in propria natura, quando res per creationem ad extra positæ sunt, explicat? An quod est factum
6. vno momento, in gratiam imperitorum factum fuisse temporis decursu Moses enarrauit, vt habet
August. S. Aug. c. 7. de Gen. imperf. An rectè per Vespe-
7. Ægid. ram Ægidius 2 parte hexam. cap. 2 censuit tempus esse, quod à meridie sequitur, cùm tunc solis descẽsus incipiat, & ad occasum vergat? qua ratione, vt Steuchus habet in Cosmop. primus dies nec aurorã, nec matutinũ habuit, vt ea ratione dies hic astronomico Vmbrorũ, & Atheniensiũ diei similis fuerit, diem enim à meridie, cùm sol, velut in arce sua validior consistit, Astronomi incipiunt: tunc autem 6 horæ, quæ præcesserunt meridiem, constituendæ sunt pro toto tempore, in quo tenebrarum horror, & spiritus in aquis operatio præcessẽre, quę cum 6 horis diei, & tota nocte sequenti, vel cum nocte sequenti, & 6 horis sequentibus matutinis diem naturalem conficiunt. An per vespere 8.
Steuch.
tempus 12 horarum significatur, quod ante lucem fluxerit, cùm omnia tenebris obducerentur, vt tempus illud nox, mane verò sequens dies intelligatur? vt Abulensi placet? An vespere, & mane 9.
Abulens.
velut duæ præcipuæ diei partes positæ sunt, itaut nox non exprimatur, verùm subintelligatur; sic enim sæpiùs in Scriptura dies solùm, non verò noctes enumerantur, licet ex consequenti subaudiantur, vt patet 89 Psalmo, *Dies annorum nostrorũ, sic enim à potiori scriptura appellationem deputat*, vt disserit S. Ambros. l. 1 hex. c. 10 post D. Basilium. Hinc fit, vt Procopius diem nocte seniorem existimet, quia vespere illud diem integrum denotare putat, mane verò diei sequentis initium, vel noctis finem; nec enim tempus in quo omnia Chaos erant, nox propriè dici potest, vnde nec primus dies vllum mane, seu auroram habuit, neque noctem antecedentem: licet Thales Milesius noctem priorem fuisse responderit, sed ad tenebrosum chaos respexit, quo mundus obruebatur, antequam iucundissima luce perfunderetur. An ita factum est vespere, & mane, vt inter creationem mundi, & 10.
Psal. 89. Ambros. Procop. Thales.
productionem lucis non longior mora fuerit, quã inter creationem bonorum angelorum, & eorum illuminationem, vel quàm inter diaboli creationẽ, & eius casum? vt notat Ægid. parte 2 hexam. c. 2. quę adeò parua fuit, vt hic à principio mendax esse dicatur. An omnium verissima sententia existimãda est, quæ asserit diem ea ratione cœpisse, qua nũc 11.
apud

apud nos dum sol oritur, cuius vices tribus primis diebus suppleuit lux illa, de qua priùs dictum est, adeout lux in puncto seu gradu primo Arietis ab
Ascan. horizonte ad meridiem ascendere cœperit vsque ad vesperam huius primi diei finem, quam sententiam eleganter explicat, & amplectitur Ascanius.
12. An vt ad allegoriam ascendamus, vespere denotat vespertinam Angelorum cognitionem, qua res in propria ipsarum natura vident; mane verò matutinam, inquantum eas contemplantur in verbo, vt
August. D. August. 4 de Gen. ad lit. c. 22. censuit. An vespere
13. significat scientias naturales, quæ mentem humanam exornant, in eâque refulgent, vt stellæ in firmamento, mane verò scientiam reuelatam, quæ est velut initium, seu mane visionis diuinæ?
14. An lapsus rationalis creaturæ vespera, eiusdem verò per Christum reparatio matutino tēpore desi-
Beda. gnatur? vt innuit Beda in Genesim. An rectè lo-
15. quitur Stephanus Cantuariensis lib. allegoriarum,
Cantuar. dum vesperam existimat significare casum hominis in peccatum, mane verò resurrectionem per pœnitentiam? vbi maxima admiratione bonitas diuina relucet; nam cùm iustus est aliquis, tametsi cadat, dummodo resurgat, Deus ex vespere, & mane vnum diem reputat, non noctem mortalis cul-
Ezech. 18. pæ computat, iuxta promissionem suam, Ezech. 18. *Quacunque hora ingemuerit peccator, iniquitatum eius non amplius recordabor.* An vt habet idem, per
16. vespere boni operis consummationem, per mane alterius sequētis initium intelligere debemus, *cum*
Hier 3. enim *consummauerit homo, tunc incipiet*, Hierem. 3.
17. An per vespere actio externa, cui Martha vacabat, per mane contemplatio interna, cui Magdalena impensiùs incumbebat, sumi potest? vnde Moyses repetit per 6 dies, *factum est vespere, & mane*, quia necesse est, vt per 6 ætates mundi omnes homines, vel per 6 ætates microcosmi quilibet homo has vicissitudines patiatur, donec septima illucescente,
Radulph. nulla amplius vespera subsequatur, inquit Radulphus in allegorijs Godefridi Tilmanni. *In vespere facultas sentiens, in mane intelligens esse censetur: illa dum operatur facit opera tenebrarum*, cui rectè possit attribui illud Psalmi 103 *Posuisti tenebras, & facta* Psal. 103.
est nox, in ipsa pertransibūt omnes bestiæ syluæ, nā relicta meditatione huc illuc passiones animi vagātur bestijs similes; at vbi facultas intelligens muneri proprio incumbit, tunc tunc contemplationis *Sol ortus est, & congregati sunt, & in cubilibus suis collocabuntur* motus effrænes animi, quandiu *exibit homo ad opus suum, & ad operationem suam*, quæ est contemplatio, *vsque ad vesperam* actionum parti animali destinatarum, donec micantissimæ lucis diuinitas adueniat, quæ omnem vesperam excutiat.

An per vesperam tentationis vmbra innuitur? 18.
vt vult Gregor. Magn. l. 8 in Iob. c. 6. *per mane iu-* Gregor.
stitia, quàm sæpè tentatio in corde electorum abscondit, sed non interimit, & quasi ad pallorem trepidationis pertrahit, sed illius lucem non funditus extinguit; vt autem maiores montes vmbras longiùs protendunt, ita virtute clariores maioribus tentationibus obnoxij esse videntur.

An prius est vespere aduersitatis, quàm ma- 19.
ne prosperitatis? vt Hamerus notat ex S. Gregorio: vnde & Romani duas diuas colebant Angeroniā ab angoribus dictam, cuius Pontifices in sacello Volupiæ sacrum faciunt, quod dolores, & voluptates inuicem mixtæ sint, quapropter in huius Volupiæ templo Angeroniæ simulachrum collocabant: idemque Prouer. 14 insinuatur. *Risus dolore misce-* Prouer. 14.
bitur, & extrema gaudij luctus occupat. & Psalm. 29. Psalm 29.
ad vesperam demorabitur fletus & ad matutinum lætitia; & quidem mundus prospera primùm, deinde aduersa: Deus verò aduersa primùm, post præmia suis elargitur. An per vesperam intelligere 20.
possumus cum Anastasio Synaita primo commēt. in hexam. Ecclesiam ante Christi aduentum, quæ tantùm habuit stellas, & lunam; per mane eandem Ecclesiam luce veritatis illustratam, quandoquidem vera *lux orta est iusto & rectis corde lætitia* Christus Dominus. An vespere significat tempus, quo 21.
anima gloriâ potitur sine corpore: mane verò tempus, quo cum glorioso corpore in æternum viuet? vt habet Synaita. Synaita.

PROBLEMA XXXVIII.

Qvare scribitur dies vnus, potiùs quàm pri-
mus? An idem est apud Hebræos *Echad*, seu
1. vnus, quod *Risson*, seu primus? vt Steuchus cum
Steuch. Rabbinis sentit, quod tamen negat Constantius Rusconus manuscriptus in Genesim. An idem est
2. dies vnus, ac diei vnius, vt annotarunt Professores Lutetiæ sub Francisco Gallorum rege comment. in Genesim? teste Ascanio. An, vt vnico die mundus
3. conditus esse censeretur, vt insinuat D. Aug. cap. 7
Augustin de Gene. imperf.
4. An æternus ille generationis æternæ dies, quo
Psal. 2. Pater Filium produxit, Psal. 2. *ego hodie genui te*,
Ruper. præsignatur? sic enim Rupert. 1. lib. in Gen. cap. 20. An vt sciremus vnicam Angelorum naturam hac
5. die manasse, vt voluit Eucherius? An debuit vnus
Eucher. diei dies, quia non poterat iuxta rationem partium
6. temporis, quod nondum extiterat, denominari, & ideò non habebat alium diem, cui compararetur,
Orig. vt in Gen. hom. 1. Orig. insinuat? An, vt vult post
Ambros. D. Basil. Ambros. lib. 1. hex. cap. 10 per vnum diem Moses diem hunc 24 horis constare denotauit? vnde per hoc, quod dicitur *vnus*, præfigitur mensura diei naturalis inquit D. Thoma, p. q. 74. a. 3.
ad 7. qui ἡμερονύκτιον appellari potest, inquit Ha- D. Thom.
merus; vt ostenderet circuitum solis ab vno puncto ad idem punctum completum fuisse. An vt 7.
ostenderet hebdomadam, annos, sæcula, cunctáque tempora vnicum esse tempus? quid enim est aliud hebdomas, quàm vnus dies septies in se recurrens? quid annus, quàm hebdomas vna bis & quinquagesies plus, aut minus in se recurrens? quid totum tempus per mille repræsentatum? at *mille anni ante oculos Dei, tanquam dies hesterna, quæ præterijt?* immo, Deus meus, *melior est dies vna in atrijs tuis super millia*; An ergo vt illam diem æternam 8.
beatitudinis immensæ præsignaret, cuius hic vnus sit imago? futuri enim sæculi dies illa imago est, inquiunt post Basil. & Ambros. quorum sunt duæ extremæ explicationes. Hugo Etherianus lib. de Ether.
regressu animarum ab inferis cap. 14, & Procop. in Procop.
Genesim.

An dictus est vnus per antonomasiam, quia in 9.

eo res productæ ſunt, quæ antea non fuerant; in cæteris verò diebus quæ facta ſunt, ex ijs, quæ præceſſerunt in prima die producta ſunt, vt idem
10. Procopius annotat. An dictus eſt vnus, quod ſingularibus priuilegijs in diem dominicum euehendus eſſet in die reſurrectionis? quo ſenſu Marcus
Marci 16. Euangeliſta dixit c. 16. *Valde mane veniunt ad monumentum vnâ ſabbatorum*, vt habet Vuiel. lect. 12.
Vuiel. hic enim fuit primus mundi dies, in quo lux facta eſt; deinde ſiccis veſtigijs Hebræi mare rubrum hac die pertranſierunt. 3 primùm hac die manna pluit. 4 huius diei principio Christum natum eſſe nonnulli volunt. 5 baptizatus eſt in Iordane. 6 primum miraculum fecit in nuptijs aquam in vinum conuertendo. 7 multiplicatis 5 panibus, & duobus piſcibus 5 hominum millia ſatiata ſunt. 8 Dominus noſter reſurrexit à mortuis. 9 ianuis clauſis ingreditur ad Diſcipulos, eiſque Spiritumſanctum, ac poteſtatem remittendi peccata tribuit. 10 mandauit Apoſtolis, vt Euangelium toto orbe prædicarent, & baptiſarent. 11 Spirituſſanctus die Pentecoſtes in linguis igneis deſcendit. 12 D. Ioan. in Apocalypſi c. 1. reuelationes illas admirandas habuit. 13 futura creditur hac die noſtrorum corporum reſurrectio, noſtræ fœlicitatis conſummatio, & totius mundi renouatio, vt ex 80 D. Leonis ad Dioſcorum epiſt. ſerm. 154. D. Aug. de tempore: epiſt. Bedæ de celebr. Paſchatis Pererius refert.

13 Prærogatiuæ Dominicæ diei, de qua vide Aſcanium tom. 2 in hæc verba dies vnus.

D. Leo. August.

An dies vnus ponitur, vt vnitatis myſteria, eiuſque ſuper numeros excellentiam intelligeremus? 11.
quæ non eſt numerus, ſed omnium numerorum origo, de qua poſtmodum latè in huius vnitatis, ſeu diei vnius gratiam diſſeremus, ita Hamerus in Hamer.
Gen. An vnus eſt dies, quia vnica eſt lux, quæ facit omnes dies: lucem enim appellauit diem; dies 12.
ergo ipſe lux eſt, & cùm nulla noua lux creata ſit, ſed eadem perſeueret, non poteſt dici dies vllus, præter vnum, effectus eſſe, inquit Ruſconus ſuprà, & Albertus primæ part. ſummæ de 4 coæquis q. 12. 13.
a. 11, eundem eſſe diem in omnibus diebus ait, ſecundum ſubſtantiam, & non ſecundum eſſe; ſi verò Albert.
primus fuiſſet poſitus ordinem dixiſſet ad diuerſos dies tam ſecundum eſſentiam, quàm ſecundum eſſe, ſeu exiſtentiam, quam ab eſſentia realiter Thomiſtæ diſtinguunt.

An dies vnus angelicum diem oſtendit, cùm de ſola generatione Verbi dies primus dici debeat? 14.
vt Rupert. habet loco iam cit. An hic dies primus Rupert.
concipi debet, quod angeli hoc die tam ſe, quàm 15.
cœlum, & terram cognouerunt? vt vult D. Auguſt. Auguſtin.
11. de ciuit. c. 7. ita vt diei huius nox ſit eorum veſpertina cognitio, quæ fuit obſcurior, pars verò lucens, quæ propriè dies appellatur, cognitio matutina perfectior, quod eſt myſticum, itaque literalis, & genuinus ſenſus eſt, hunc eſſe diem primum totius conditionis rerum.

PROBLEMA XXXIX.

Eſtne aliquid in vocabulorum etymo, quòd aduerti debeat præter ea, quæ priùs dicta fuere? Nunquid dies ἡμέρα dicitur, quod manſuetu-
1. dinem inferat, vt c. 1. comment. in Geneſ. Procop.
ἡμέρα cur ſic dicta. animaduertit, vnde quicquid feſtum eſt, & hilare ἥμερον, ſeu placidum, & manſuetum appellant: & manſuetudinem ἡμερότητα dicimus, & cicura atque pacata ἡμέρα.

2. Nunquid græci vetuſtiſſimi eam vocarunt ἱμέραν, & ἱμέραν, id eſt deſiderium, quia deſiderant homines, vt cùm adſunt tenebræ, lux, & dies inibi producatur, vt Hamerus ex Platone refert. Nun-
3. quid antiqui, teſte Varrone 5 linguæ latinæ, diem à Deo deriuarunt? cùm cœlum dicerent Deum cuius motu dies cõficitur. An iuxta feſtum, dies dicitur,
4. quia eſt diuina res, quam à Ioue, qui græcè dicitur Διὸς, proficiſci arbitrabantur, vnde cùm aliquid eſt in aperto, ſub cœlo, ſub dio, quaſi ſub diuo eſſe dicitur. An vt vult Iſid. 5. etym. c. 30 dies à dijs
5. Iſid. dicitur, quia Romani Deorum nomina ſyderibus quibuſdam, & deinceps ipſis hebdomadæ partibus
6. ipſa ſyderum nomina tribuerunt. An dies à diuidendo dictus eſt, quod lucem à tenebris diuidat? vt habet Beda de ratione computi. An vt vult Comeſtor c. 3 in Gen. dies à dyan græco dicitur, Beda.
quod eſt claritas? ſicut lux dicitur quia luit, ideſt 7.
purgat tenebras; quæ dicuntur nox, quòd oculis noceant, ne videre poſſint, tenent enim illos, ne videant, quod & habet Hugo Carenſis in poſtillis: Carenſis.
cùm tamen ipſæ diei partes obſcuriores ab omine boni nominis ſuam denominationem aſſumant; mane enim à manu dicitur, teſte Iſidoro, manum Mane vnde dictum.
enim antiqui bonum dicebant, vel ab aëre qui manus, ideſt rarus vocabatur, vel etiam à manibus, ideſt inferioribus locis, à quibus emergit. Multa de die dicenda forent, vt quomodo pro diuerſis poli eleuationibus, aut depreſſionibus varietur, at illum diem expecto, in quo non lux incerta, ſed ſolis appareat; veruntamen operæpretium videtur ad multa Scripturæ loca, quæ paſſim occurrunt intelligenda breuiter ediſſerere, quot modis dies ſumi ſoleat; ſi quæ verò hic omiſerimus, alibi dicentur.

QVÆSTIO V.

QVOT MODIS DIES SVMI SOLEAT AVT poſsit, & quot partes habeat.

Octo ſignificationes nominis diei. VT aliquid perfectiſſimè cognoſcatur, omnino neceſſarium eſſe videtur, vt modos omnes, quibus res aliqua ſumi poſſit, inueſtigemus, quapropter, cùm infra ſæpius de die acturi ſimus, obſeruandum eſt, quot nam modis accipiatur: & quidem primò tempus oſtendit, quo ſol eſt ſupra horizontem, eſtque dies artificialis dictus; 2 pro tempore, quo ſol totum orbem terrenum ambit, eſtque

estque dies naturalis, qualis est dies prima mundi, luce sumpta pro sole, si dies naturalis non à nocte, sed à die cœpit, vt aliqui superiùs arbitrati sunt, qua ratione multi numerant suos dies naturales à solis exortu, vt Chaldæi, & Babylonij. 3 sumitur pro anno integro, vel etiã longiori quolibet tempore. 4 pro tempore quantumcũq; breui: exẽplum primi patet cũ dicitur, *in dieb⁹ illis*, vel *in diebus regũ Iuda*: exemplum secundi, *quacunque die comederis, morte morieris*: idest, quocunque momento. 5. pro rebus gestis, & scriptis in aliquo tempore, vt Deutu. 4. *Interroga de diebus antiquis, qui fuerunt ante te*, id est

Ioh. 9. de rebus gestis in illo tempore. 6. dies commodum tempus, & opportunam occasionem significat, vt cùm Christus dicebat Ioan. 9. *me oportet operari, donec dies est*, quo ferè sensu id Ioh. 12 sumi potest,

Ioh. 12. *Ambulate dum lucem habetis*. 7 pro cognitione

Ad Rom. 13 Dei, & tempore gratiæ ad Rom. 13. *nox præcessit, dies autem appropinquauit*. 8 dies varia significat pro diuersis nominibus adiunctis, vt tempus æternum cum cælo iungitur

Psal 89. Psalm. 89 *thronum eius sicut dies cæli*: sic etiam *antiquus dierum* sumitur Daniel.

Daniel 7

Ad Rom. 2. 7. iræ verò dies significat pœnam, ad Rom. 2. dies iudicij, seu dies Domini denotat extremum iudicium Actor. 2. & 1. Cor. 5. Isai. 13 *propè est dies Domini*: tempus autem ab aduentu Christi vsque ad sæculi consummationem *dies salutis* dicitur.

Quænam sint variæ partes diei

Iam verò de partibus diei agendum est, qui pro diuersis tẽporib⁹ varias partitiones habuit, nã teste Censorino in duas tantũ partes diuidebatur, ante meridiẽ, & post meridiẽ: alij in 4 vigilias distinxerũt; Alij 6 diei partes fecerũt, totidẽque noctis, vt æquali numero partes diei cum mensibus, & signis Zodiaci procederẽt; Diuisio in 4 partes Iudæis tribuitur, qui 4 vigilias *aschmourah* vocabant, quarũ

Diuisio diei apud Iudæos.

prima à solis occasu ad mediam vsque noctem: 2 à noctis medio ad ortum solis: 3 vsque ad meridiem, 4 denique à meridie vsque ad solis occasum durabat. Alij verò plura diei naturalis tempora, seu plures partes constituerunt, quarum prima erat media nox, secunda huius inclinatio; 3 gallicinium: 4 conticinium: 5 diluculum: 6 mane, quod ab oriẽte dies manet inquit Varro. 7 tempus ante meri-

16 Partes diei.

dianum, quod Græci πληθούσης ἀγορᾶς dixerunt, quia tunc in comitium viri conuenirent. 8 meridies. 9 tempus pomeridianum: 10 solis occasus, quem Decemuiri supremam tempestatem appellauêre, sicut solem ἐσχάτην ὥραν: 11 vespera, quam græci ἑσπέραν dixerunt: 12 crepusculũ, res enim incertæ creperę dicuntur, incertum enim tunc est, an sit dies, vel nox: 13, prima fax, tunc enim lumina accendebantur. 14 concubia nox, quia cubitum iretur, 15 intempesta nox seu multa; 16 inclinatio ad mediam noctem. At verò iam passim in 24 horas dies secatur, quæ sunt æquinoctiales, quia vnaquæque hora reuolutioni 15 graduum Æquatoris correspõdet: hic enim decimus quintus numerus vicies quater repetit⁹ 360 gradus æquinoctialis exoluit, quos

De horis.

suo cursu quotidie peragit: Hora verò græcè dicitur ὥρα ἀπὸ τοῦ ὁρίζειν, quia temporis spatia definit, vel ab Horo, qui Ægyptijs est sol, vel ab ὁρέω, custodire, quod ὧραι secundum Homerum cœli portis, nubilo, atque sereno præsint; quas Plato in Cratylo censet ὥρας, & non ὅρας appellandas. Nõnulli putant horas non fuisse in vsu antequam horologium Achaz visum fuisset 2. Reg. 20 & Isai. 38.

מעלות vbi horæ dicuntur מעלות *Mahaloth*, idest ascensiones ob solis, & vmbræ ascensum, cuius nominis singulare est מעלה *Mahale*, idest eleuatio, ascensio, gradus, cochlea, dignitas, & eminentia: Idemque vocabulum ponitur pro horologio Achaz: ac si cochleam cõstruxisset, in qua lineæ quædam notatæ essent, quibus horæ diei discernerentur, adeout cùm sol retractus fuit per decem gradus, seu lineas, & horas, id 150 cœlestibus gradibus, seu 5 signis correspondenit, venitque à radice עלה, idest ascẽdit, ingressus est: à quo & עולה *hola*, holocaustum dicitur, quæ erat hostia, quam penitus detractis extis, & pelle, comburebant, quia vel aræ imponebatur, vel eius fumus ascendebat, & עלי *heli* pistillum, quòd in contundendo post depressionẽ attollatur: & עליה *halia* cœnaculum, vel contignatio, aut cõclaue super domo, quod ὑπερῷον græci dixêre, denique תעלה tehala, significat aquæductum, per quem ascendit aqua, vel in quam descendit: erat enim fouea vicina ברכה *beracha*, seu piscinæ: eodem verò nomine, quo hîc riuum, seu canalem significari volumus, Ieremias c. 30. v. 13 em-

Ierem 30. plastrum dixit.

שעה Chaldęi verò horam dicunt שעה à radice eadem, quæ significat, aspexit cum delectatione. Horæ autem æquales, de quibus hactenus, dictæ sunt à græcis ἰσημέριναι, sicut inæquales seu temporariæ καιρικαί: Cur illæ dicantur æquales superiùs dictum fuit, cur verò inæquales appellentur, ratio à circulo ecliptico repetenda est, qui cùm non æqualiter super horizontem ascendat, sed vna pars alterâ citiùs, aut tardiùs, hinc fit, vt pro diuersa velocitate, aut mora, quam æqualis Zodiaci pars in ascendendo, descendendóue consumit, statim minor, aliâs maior hora inæqualis seu temporaria euadat: quapropter æstatis tempore horæ diurnæ longè maiores sunt, quàm nocturnæ, quia 6 Zodiaci, seu eclipticæ partes, vel signa, quæ de die surgunt, maius in ascensione tempus, quàm aliæ 6 partes in hyeme impendunt. At hæc faciliùs ex dicendis intelligentur, vbi, quantum opus fuerit ad scripturam illustrandam, de circulis cœlestibus egero.

Habemus igitur diem, quam Iudæi in primam, tertiam, sextam, & nonam diuidebant, in suas partes diff. ctũ, quæ sunt 24 horæ, siue fuerint æquales, siue inæquales: æquales tamẽ dies in particulas longè plures, & minores partiri non est difficile, illis præsertim, qui vel à limine astronomiam salutarunt, etenim cùm hora quælibet 60 particulis constet, quæ minuta dicuntur, si vicies quater 60 numeres, vel quod idem est, 24 in 60 duxeris, statim in vno die naturali 24 horarum 1440 minuta comprehendi percipies, idest quater trecenties sexagesies: nam cùm in æquinoctiali circulo sint partes, seu gradus 360, & vniuscuiusque gradus ascensioni 4 temporis, seu horæ minuta præcisè respondeant, si trecentos sexaginta gradus quadruplicaueris, prædictus minutorum pro toto die numerus exurget. At de die ampliùs fortè, quàm oportet, hactenus.

DIES VNVS.

אחד יום

QVÆSTIO VI.

QVANTÆ SINT VNIVS, vnitatiſque laudes.

QVandoquidem Scriptura, Patres, Theologi, Philoſophi, Mathematici, omnéſque homines tanti numeros faciũt, eorum originem in præſentia diſcutiendam aggredior, vt quod poſtea de riuis, & effectibus dicetur, fonte viſo clariùs intelligantur: & quidem memini Deum ab Aſſyrijs *Adad*, vel potiùs *Achad* dictum eſſe, vt refert

Macrob.

Macrobius 1. Saturn. c. 23, cuius interpretatio ſignificat vnum; volunt autem *daleth* quod eſt vltimum in אֶחָד ſignificare Deum 4 mundi plagis dominari, quod tametſi de vero Dei dominio verum ſit, non ideo tamen quod ד illud ſignificet, id enim fictitiũ eſt. Vt autem quæſtio hęc vtilior eſſe poſſit, ſingulis vnitatis proprietatibus ſenſum aliquem myſticum, cùm occurret, attexam; אחד *achad* verò ſignificat non tantùm vnum, ſed vnitum, coniunctum, & copulatũ, atque ſolitarium, & in pauſa; ſumiturque pro quodam, altero, primo, ſigillatim;

R. Iarchi.

R. verò Iarchi in *Bereſchit* cenſet אחד vnum, & non primum hîc eſſe poſitum, quia Deus benedicendus vnicus erat in mundo ſuo, quippe nondum creati erant Angeli vſque ad diem ſecundum, ita expoſitum eſt, inquit, in bereſchit Rabba; ſed Angelos prima die creatos fuiſſe probabilius eſt; vt ergo ad vnitatem accedamus. Nouit quilibet etiam in arithmetica nouitius vnitatem omnis multitudinis, diuiſionis, & numeri expertem eſſe; quid obſecro magis vnum, quæ tanta vnitas, ac ipſe Deus, in quo quæcunque diuerſis conſiderationibus attingimus, idem eſt cum eius eſſentia: Secundò numeros omnes vnitas penetrat, atq; producit: nunquid Deus, & corpora, & mentis latibula, quantumcumque abſtruſa penetrat? ſine quo nequidem momento vllæ creaturæ ſubſiſtere poſſunt, cum omnia producat, & conſeruet tam in eſſe, vt loquuntur, quàm in fieri. 3. vnitas eſt immutabilis, ſiquidem in ſe ducta, atque reducta nil maius aut minus ſeipſa generat, eadem enim penitus eſt, & ſimpliciſſima vnitas, in quo viuam Dei imaginem mihi referre videtur, cum in eo nulla ſit viciſſitudo, nulla compoſitio, nulla multiplicatio: 4 nulla vnitas eſt maior, aut minor alia, nec enim habet partes extenſionis, aut intenſionis, quapropter eam vocarunt concordiam, pietatem, & amicitiam, quam Martianus cupidinem appellat; ab

Martianus.

omnibus ſiquidem ſe quæri poſtulat: nunquid Deus optimus eſt totius pacis, & concordiæ parens, & vnicum principium? 5 nihil vnitate prius, aut poſterius; Deus autem omnia vincit, & æternitate ſua velut abſorbet, & amplectitur. 6 præter vnitatem nihil eſt, & quæcunque ſunt, eam appetunt: *quis ſapiens, & intelliget hæc*; an vides Chriſtiane quomodo in nihilum abeas, quando ab vnitate recedis? quid obſecro? nonne ab vno proceſſiſti? vt ergo ad vnum redeas depone multitudinem, indue vnitatem: curre ad vnitatem: vnus enim eſt Deus, vna fides, Baptiſmus vnus, vnus vnius Dei mundus: vnius mundi ſol vnus, rex auium Phœnix, rex apibus, gregibuſque dux vnus: iure igitur omnes vnitatem venerari debent. Ipſi Alchimiſtæ vnum animale, vegetale, atque minerale vbique in cœlis, & in terra ſitum, nempe lapidem philoſophicum, omnis, inquiunt miraculi, ſubiectum prædicant, ſine quo nec ars chymica, nec magia naturalis finem ſuum aſſequi poſſit. Vnus hominum omnium primus, atque principium Adamus: vnus ſeruator Chriſtus, vnum primum viuens, & vltimum moriens cor in microcoſmo, in mundo archetypo vnica diuina eſſentia; In mundo cœleſti, ſol vnus: in infernali, vnus tenebrarum princeps Lucifer; non tamen in intellectuali mundo ponenda eſt vna mundi anima, nec in mundo elementali lapis vnus philoſophicus, adeout illa anima ſit prima creaturarum, ſuprema intelligentia fonſque vitarum, vt Archimagus loquitur; hic verò lapis ſit omnium virtutum naturalium, & tranſnaturalium ſubiectum, & inſtrumentum, id enim vel magicum eſt, & impium, vel ſaltem fictitium, & ſtultum. Vna eſt vnitas tranſcendentalis, vna formalis, vna indiuidualis, vna numerorum princeps, vna præciſionis, ſeu vniuerſalis, vna analoga, vna cathegorica, denique omnia vnitatem ſuſpiciunt, venerantur, & amplectuntur: quare? niſi qui *vnus eſt altiſſimus creator omnium.* Eccleſi. 1 *multitudinis credẽtium*, Actuum 4. *erat vna anima:* Ioh. 10. *ego, & pater vnum ſumus*: denique nihil adeò commendari video, quàm vnitatem, vnde 1 ad Cor. 6. *qui adhæret Deo, vnus eſt ſpiritus cum eo*: de quo rectè Tobias c. 10. *omnia in te vno habentes, non debuimus te dimittere, ſed conſeruare.* 2. Reg. 17. *Virum vnum tu quæris, & omnia erunt in pace*: ſi conſilium capeſcis, *conſiliarius ſit tibi vnus ex mille* Eccl. 6. ſi currant multi, *vnus accipit brauium*, 1 Cor. 9: ſi quæris neceſſaria, *vnum eſt neceſſarium*, Luc. 10. ſi beatitudinem, *vnam petij à Domino, hanc requiram*, & *adhuc tibi deeſt vnum, vade, vende omnia.* Si auibus delectaris: *vna eſt columba mea*, Cant. 6. ſi corpus robuſtum placeat: *vnum corpus ſumus in Chriſto*, ad Rom. 12: ſi ciuitatem expetis: *ciuitas ſolis vocabitur vna*, Iſai. 19: ſi gaudium: *ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum*, de quibus Ezech. 11. *Dabo eis cor vnum, & ſpiritum vnum.* ô præclara vnitas!

Eccl. 1. Act. 4. Ioh. 10. 1 ad Cor. 6. Tob. 10. 2 Reg. 17. Eccl. 6. 1. Cor. 9. Luc. 10. Ad Rom. 12. Iſai. 19. Ezech. 11.

Euclid.

Quid eſt vnitas, nunquid Euclide teſte definitione prima ſeptimi eſt ſecundum quam entium quodlibet vnum dicitur. μονάς ἐστι, καθ᾽ ἣν ἕκαστον τῶν ὄντων ἓν λέγεται. Quod ſi res eatenus vera, & bona fuerit, quatenus vna, igitur omnia

ſunt

sunt ab vnitate vera, & bona. An diuum Bernardum audire placet sermone 44. inter parua, qui cùm laudes vnitatis accinere vellet, primò carnalis meminit, de qua Gen. 2. *erũt duo in carne vna*; naturalis deinde inter corpus & animam; virtualis, qua homo se sibi per introuersionem coniungit; moralis, de qua Psalm. 67. *qui habitare facit vnius moris in domo*; spiritualis, de qua 1 ad Cor. 6. *qui adhæret Deo, vnus est spiritus cum eo*; socialis, quæ est inter Angelos, qui idem volunt, & nolunt; personalis in Christo, principalis & substantialis in Trinitate: vnde D. Bernardum 7 vnitatum species posuisse constat, qui 2 sermone de S. Michaële hæc habet. *Qui ab vnitate diuiditur, ne dubites, quin ab eo recesserit spiritus vita.*

Bernard. Gen. 2. 15 Species vnitatis ex D. Bernardo.

Alias vnitates addidit 5 de considerat. Ad Eugenium c. 8 *est vnitas collectiua, constitutiua, coniugatiua, natiua, potestatiua, consentanea, votiua, dignatiua, sed inter omnes arcem tenet vnitas Trinitatis consubstantialis, qua tres personæ sunt vna substantia, amplectamur ergo vnitatem: nisi enim in ea opus tuum feceris*, inquit serm. 5 de Assumpt. Virginis, *Deo, qui vnus est, profectò acceptum non erit*: omnis enim creatura suum principium imitari debet, at nostrum principium *Deus vnus est* Deuteur. 6. qui omnia in vnitate facit.

9 Species vnitatis. Deut. 6.

Hinc patet omnia pro nihilo ducenda esse nisi sint vnum, vnde Boëtius 3 de consol. prosa 11 quoties, inquit, quędam discrepant minimè bona sunt, cùm verò vnum esse cœperint, bona fiunt, & quod est, tandiu manet, ac subsistit quandiu est vnum, & dissoluitur, ac interit pariter, ac vnum esse desistit, ideóque omnia conspirant in vnum; omnia elementa in mixtum inanime; omne mixtum eiusmodi, & omnia animantia in vnum hominem, omnes homines in vnum Deum; tolle vnitatem, pereunt omnia, tantóque magis quispiam à vita distat, quanto magis ab vnitate separatus fuerit; nec aliam ob causam dantur inferi, nisi quia sunt, quos vnitati multitudinem præposuisse certum est: hæc est vnitas, ob quam vis vnita fortior est seipsa dispersa: quod autem miraculum omne superare videtur, quicquid Deus efficit, id ad vnitatis commendationem facere videtur, vt in concordi elementorum discordia videre est, quæ ad vnius mundi conseruationem respiciunt, & cœli perenni motu sua munera obeunt, ne tandem elemẽta, mixtáque omnia corrumpantur; omnia elemẽta, & mixta in vnum hominem confluunt; quare obsecro? nisi vt homo, postquam omnium tantam in vnum inclinationem considerarit, omnia secum ad illam vnitatem diuinam reducat, vt omnes creaturæ fluminum instar ad perennem diuinitatis oceanum, à quo profectæ sunt, redeant, atque, microcosmo mediante, suprema beatitudine perfruãtur: ad quid enim singulis diebus homo mixta, & elementa sumpto cibo in se conuertit, nisi vt omnia ad illam beatam vnitatem euehat? aduersus quem iustè militabunt, & in die iudicij aduersus impium armabuntur, si eius culpa, & abusu æterna vnitate priuentur, & cum eo supplicijs æternis crucientur. Sed has vnitatis laudes placet cum D. August. c. 18. lib. 2 de ordine concludere. *Quid autem discernendum est, nisi quod aut vnum putatur, & non est, aut certè non tam vnum est, quàm putatur? Item cur quid connectendum est, nisi vt vnum fiat, quantum potest? Ergo & in discernendo, & in connectendo, vnum volo, & vnum amo. Sed cùm discerno, purgatum, cùm connecto, integrum volo. In illa parte vitantur aliena, in hac, propria copulantur, vt vnum aliquid perfectũ fiat. Lapis, vt esset lapis, omnes eius partes, omnisq; natura in vnum solidata est. Quid arbor? Nonne arbor non esset, si vna non esset? Quid membra cuiuslibet animantis, ac viscera, & quicquid est eorum, ex quibus constat? Certè si vnitatis patiantur diuortium, non erit animal. Amici quid aliud, quàm vnum esse conantur? Et quantò magis vnum, tantò magis amici sunt. Populus vna ciuitas est, cui est periculosa dissensio. Quid est autem dissentire, nisi non vnum sentire? Ex multis militibus fit vnus exercitus. Nonne quauis multitudo eo minus vincitur, quò magis in vnum erit? vnde ipsa coitio in vnum cuneus nominatus est, quasi couneus. Quid amor omnis? Nonne vnum vult fieri cum eo, quod amat? Et si ei contingat vnum cum eo fit. Voluptas ipsa non ob aliud delectat vehementiùs, nisi quod amantia sese corpora in vnum coguntur. Dolor vnde perniciosus est? quia id quod vnum erat, discindere nititur, Ergo molestum, & pernitiosum est cum eo vnum fieri, quod separari potest.* Hactenus S. Augustinus.

S. August.

Cætera, quæ de vnitate referri possent, apud Bongum de mysterio numerorum videri possunt; habet & plurima eleganter pro more Rangolius noster in versiculum 1. lib. 1. Reg. quæ non parum viris religiosis conferant per 7 integra capita, in quorum 1. de contemplatione disserit, in 2. an homo vnus dici possit, in 3. quomodo sit multiplex, in 4 quomodo Elcana, & iustus sit vnus, in 5. de triplici ratione vnitatis cum Deo, in 6. quomodo cum alijs, & nobiscum vni esse possimus. 7. denique id Eccli. 44 explicat, *Non est inuentus similis illi.*

C. Rangolius. Eccl. 44.

VERSICVLVS VI.

Dixit quoque Deus: fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis.

וַיֹּאמֶר אֱלֹהִים יְהִי רָקִיעַ בְּתוֹךְ הַמָּיִם וִיהִי
מַבְדִּיל בֵּין מַיִם לָמָיִם

Καὶ εἶπεν ὁ θεός, γενηθήτω στερέωμα ἐν μέσῳ τοῦ ὕδατος. καὶ ἔστω διαχωρίζον ἀναμέσον ὕδατος καὶ ὕδατος.

QVàm mirabilis est diuinus progressus, quo dum voluit Deus totum mundum ad perfectionis fastigiũ perducere, priùs tenebras expulit, vt liberrimè suos radios vndequaq; lux emitteret, nunc verò non patitur, vt quaquauersum aquæ dominentur, atque vaporibus nouæ luci officiant, quapropter locum aptissimum luci præparat, nempe firmamentum, quod inferiores aquas à superioribus diuidat, atque in earum medio collocetur, sed quale dicemus esse firmamentum illud? quod medium? quas aquas? quam diuisionem? in problematibus dicetur.

PROBLEMA XL.

1. QValenam illud est firmamentum, quod Deus
hac die fieri iubet? An illud est corpus ali-
quod non graue, & mole crassum, sed tenue, rarũ,
& percolatum, eatenus tamen solidum, & firmum
Basil. quatenus aquas coërceret? vt censet D. Basil. hom. 3,
2. & Ruper. l. 11. Gen. c. 22. An propterea dicitur fir-
mamentum, non quòd stet, sed quòd sit intrans-
gressibilis terminus aquarum, vt vult S. August. 2.
3. de Gen. ad lit. c. 10. An sic appellatur, quod sit in-
August. generabile, & incorruptibile? vt habet Albertus
4. Magnus 1 part. summ. de 4 coæuis q. 4. a. 19. An
Albert. hoc vocabulo, quo 70 vsi sunt, nempe στερέωμα,
significare voluerunt cœlum esse durum, & soli-
Steuch. dum; vt notat Steuchus. An designatur infima
5. regio aëris, quæ diuidit aquas maris, & fluuiorum
ab aquis meteorologicis, vt ex aliquorum senten-
D. August. tia refert D. August. supra c. 4. quod tamen Tosta-
tus ex Aben Ezra referens confutat, sed illud non
D. Thom. improbat D. Thom. 1. p. q. 68. a. 1, quin & Steuch⁹
6. in Cosmop. validis rationibus astruit. An octaua
Cathar. sphæra, quam firmamentum appellamus, hîc in-
telligenda est, vt vult Catharinus, cum cæteris or-
7. bibus planetarum? An tantùm aliqua qualitas ad-
dita est cœlis iam antea productis? vt innuit Lyran.
R. Samuel. quam R. Samuel soliditatem asserit, sunt enim cœ-
li solidissimi, quasi ære fusi Iob. 37: alij verò virtutẽ
Iob 37. arbitrãtur, qua cœli in elementa influant ad eorũ
conseruationẽ, & gubernationẽ: nã ab Arist. 1. me-
Arist. teor. mundus hic cœlesti cõtiguus ponitur, vt om-
nis ipsius virtus inde gubernetur. An nihil est aliud
8. ipsa firmamẽti productio, quàm eius à primo mo-
bili distinctio, & motus ab occidente ad orientem,
Ægid. qui hodie cœpit? vt Ægidius part. 2. hexam. c. 17.
9. edisserit. An rectè loquitur Caietanus, cùm firma-
Caiet. menti nomine omnia simplicia corpora intelligit
ab aqua, & terra vsq; ad supremũ orbẽ, vt hæc om-
nia vnico vocabulo *Rakia*, seu extensione signifi-
10. cata sint. An aliqua soliditas in corporibus inter
aquam, & primum mobile interstitis intelligi de-
bet, præsertim in aëre vt aquas ferat? sic enim
Vuielmus lect. 14. à quo non multum recedit Pe- Vuiel.
terius, qui duas partes istius expansionis magnæ,
vnam superiorem, quam cœli, & astra tenent, aliam
inferiorem pro aëre, & igne statuit, qua ratione
cœli sumuntur, dum aues cœli Scriptura vocat, qui
vult aërem hoc die factum esse locum naturalẽ, in
qua generarẽtur aquæ sublimes. An verò vt ad al- 11.
legoriam gradum faciamus, per firmamentum
Christi caro intelligenda est, quæ sit inter aquas
animæ beatæ, & diuinitatis infinitæ? vt latè dis-
seruit Anastasius Synaita l. 1. hexam. vt sicut fir-
mamentum in aquarum medio positum est, ita & Synaita.
caro Christi sit in medio sinus virginei, Psalm. 73. Psalm. 73.
operatus est salutem in medio terræ; si firmamentum
Dei virtute concretum est, conceptus est Christus
Spiritussancti obumbratione: si consolidatum fue-
rit ex summitate puriori aquæ, Christi caro forma-
ta est ex purissimo Virginis sanguine: Si cœli facti Christus
sunt, vt in eis sol, luna & stellæ cuncta illustrarent; firmamẽto
Christus factus est vt ex eius ore ad nos lumen do- comparatur.
ctrinæ cœlestis à scientia beatifica manans proue-
niret, vt à sole rutilante, ab acquisita, vt à luna vi-
cissitudines subeunte, ab infusa, vt à stellis scintil-
lantibus. denique Christus cum firmamento præ-
clarè conferri potest.

An firmamentum denotat confirmationem an-
gelorum, ne ampliùs decidere possint, cùm tamen 12.
antea aquæ fluentis instar huc illuc ad bonum, vel
malum ferri possent, vt vult D. Gregor. 27. in Iob. D. Gregor.
cap. 24 cœli antea erant, nunc verò firmamen-
tum, vt ait Patherius lib. 1. in Genes. & in Eze- Patherius.
chiel. An firmamentum fidem inconcussam in- 13.
ter varia doctrinarum genera, fidem in baptis-
mate acceptam, fidem, quam martyres in medio
tribulationum retinent, quæ sæpius per aquas in-
telligi solent, significat? vt egregiè prosequitur
Anastasius

Anaſtas. Anaſtaſius Synaita 2 hexam. An firmamentum
14. eſt cognitio principiorum, quæ ſcientiam huma-
Lyra. nam à diuina ſeparat? Vt Lyranus habet, & Aſca-
15. nius amplificat. An auctoritas ſcripturæ deſigna-
tur, quæ diuidit angelos ab ominibus, quia nõ in-
digent Angeli Scriptura ſacra, ſicut homines, cùm
Eucher. ſemper videant, & diligant. ita Eucherius lib. 1. in
Gen. c. 3. ſunt ergo veluti ſuper ſcripturam Angeli,
16. dum ſub ea militamus. An Eccleſia eſt firmamen-
tum veritatis, vt loquitur Apoſtolus, & explicat
D. Auguſt. D. Aug. in Pſal. 47, quæ eſt inter duas leges, vt in-
ter duas aquas, vel inter doctrinam ſacram, & hæ-
reſim, inquit Beda in Geneſ. An, vt Aſcanius ha-
17. bet, prælati per firmamentum intelliguntur, qui
ſpirituales à terrenis diſcernunt, qui annuntiant o-
pera, atque gloriam Dei, qui ſalutares ſanæ doctri-
næ pluuias, & ſacramentorum influxus populo
18. communicant? An anima rationalis ſpirituales de-
Orig. litias à corporeis voluptatibus diuidens firmamẽ-
tum dici poteſt? vt vult Origen. & Hugo Caren-
Facultates animæ cœlis omnibus, & elementis bellè conferũtur. ſis, adeout in microcoſmo mens ipſa ſit firmamen-
tum, ſeu primum mobile cæteros cœlos rapiens,
vel potius voluntas, cui omnia morem gerunt, or-
bis primus conſtituatur; cœlum ſydereum, memo-
ria ſcientiarum habitibus, vt ſtellis totidem illu-
ſtrata; ſol verò ſit intellectus qui phantaſmata il-
luſtrat; Saturnum phantaſia, Iouem iudicandi fa-
cultas, Martem iraſcibilis, Venerem concupiſcibi-
lis, Mercurium ingenij vis; ſenſus autem externi
Lunam referant: ignis ſit cor: pulmo ſpiritum at-
trahens: aër, hepar cum ſuis alueis ſanguine reple-
tis, aqua; oſſa verò, & caro, terra, vt eleganter Aſ-
canius explicat, & tres animæ facultates *Nephes*,
ſeu ſentientem facultatem, Ruah, ſpiritualem, &
Neſſamah, ſeu lumen, *quod ſignatum eſt ſuper nos*,
cum tribus Gorgonibus Phorci filijs comparat: de-
bet ergo mens cauere, ne aquarum inferiorum va-
pores vſq; ad firmamentum aſcendant, & allidere
Pſal 136. paruulos ad petram, Pſal. 136.
19. An ipſe Chriſtus diuiſit delectationes terrenas à
cœleſtibus, dum illis contemptis ad has verbo, &
Caren. exemplo prouocauit? vt innuit in poſtillis Hugo
20. Carenſis. An rectè Beda meminit prudẽtiæ, quæ ſit
firmamentum, quo diſcernamus inter agibilia, &
21.
ſpeculabilia, inter praxim, & theoriam; An ſpes in
medio aduerſitates à Deo illatas, vt excitet, probet,
& erudiat, & à mundo immiſſas, vt deterreat, atq; 22.
proſternat, nomine firmamẽti vocãda eſt? An for-
titudo Chriſtiana inter calamitates intelligi poteſt,
q; diſcernit inter tribulationes immiſſas ad augẽdã
merita, & inter illatas ad delenda peccata? qua-
les fuère B. Virginis, & D. Pauli tribulationes, ſicut
& reliquorum Sanctorum, qui theſaurũ Eccleſiæ
amplificarunt, vnde Paulus ad Coloſſ. 1. *Adimpleo
ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti in corpore meo, pro cor-
pore eius, quod eſt Eccleſia.* ita Aſcanius.
An vt vult R. Iarchi, propterea dictum eſt, *fiat
firmamentũ*, quia tametſi cœli die primo creati fue- 23.
rint, adhuc tamen recentes erant, qui die ſecundo R. Iarchi.
induruerunt ab increpatione Dei benedicendi, in
cuius voce factum eſt firmamentum, vel potiùs in-
duratum, quoniam primo die factum fuerat; & hac
ratione intelligi vult, qua ratione columnæ cœli
contremuerint in primo die, in quo nondum ſtabi-
litæ fuerant; in ſecundo verò Dei ſteterint incre-
patione ad inſtar hominis alicuius, qui dum à ſu-
periori vehementer corripitur, valido timore per-
culſus ſtat immotus. Vult autem verbum יהי *Iehi* Pſal. 103.
ſignificare, pellis hæc extendatur, & concreſcat, at-
que firmetur, iuxta id, *qui extendit cœlum ſicut pel-
lem*, vel in modum metalli, inquit Luſitanus & ad
modum laminæ malleis deductæ, vel in modum
explicatæ cortinæ, vt Caiet. & Steuchus notarunt.
Dixit ergo Deus, ſeu voluit, cùm ſancta eius vo-
luntas, & primaria appetitio, ſiue inſtitutio motio-
nis illius ſpiritualis, inquit S. Baſil. hom. 3. ſit Dei Baſil.
verbum; dixit ergo, vt indicaret Filium ſuum vni-
genitum, *hæc enim dictio*, inquit Auguſt. 2 de Gen. Auguſtin.
ad lit. c. 6. *verbum eſt Patris; in quo fiunt omnia, quæ
creantur, etiam antequam creentur, & quicquid in illo
eſt, vita eſt, & vita vtique creaturæ, quia quicquid per
eum factum eſt, in ipſo vita eſt, & vita vtique creatrix*;
quod eleganter perſequitur: Dixit ergo fiat, vt di-
uinum imperium denotaretur, *quod eſt iubentis, &
non æſtimantis*, inquit D. Ambroſ. l. 2 hexam. c. 2. Ambroſ.
*Imperat naturæ, non poſſibilitati obtemperat, non men-
ſuras colligit, non pondus examinat, voluntas eius men-
ſura rerum eſt*, videatur locus integer.

PROBLEMA XLI.

אמר

EStne aliquid in vocabulis dixit, & fiat, אמר, &
1. יהי notatione dignum? Nunquid אמר *amar*
præter *dixit*, ſignificat etiam, *cum altero locutus eſt,
edixit, præcepit, & imperauit, licentiã dedit:* in quibus
ſignificandis verbum hoc Arabes præſertim vſur-
2. pant. An præterea ſumi poteſt, pro, *cogitauit, de-
creuit & voluit?* Nunquid אמר ſæpius in Targum
pro nomine יהוה, & אלהים ſumitur denotans Meſ-
ſiam, & Verbũ æternum, quo Deus omnia cõdidit,
Ioh. 1. & conſeruat? vnde & Ioh. 1 λόγος dicitur, & vbi ha-
Eſai 1. bemus Eſaiæ 1. *feſta veſtra odit anima mea, Naphſi*,
Pſal 110. targũ habet *Memeri*, verbũ meũ. & Pſ. 110. vbi ha-
bet hebræus *dixit* יְהוָה לַאדֹנִי *Domin' Domino meo*,
Targum habet יְיָ לְמֵימְרֵה *Dominus ad verbum ſuũ*,
Vnde & אָמִיר dicitur ramus excelſus, & ficus ex ar-
bore, velut cogitatio ex corde proueniẽs, vel vt vult
Marinus. Marinus in arca, quòd metaphoricè quodãmodo
loquatur, quando ſæpiùs ob teneritudinem à ven-
to dimouetur. Eſt & aliud ſimile, quod loqui ſigni-
ficat, nempe דבב quod tantùm ſemel in Biblijs le-
gitur. c. 7. Cantic. v. 10. vnde & nomen fœmininũ דבב 7 Cantic.
דִבָּה quod nouies in ſcriptura habemus, ſed in ma-
lam partem ſemper.
At cùm iſtud vocabulum; & בטא, vel בטה
batah ſignificet etiam loqui, cur non vſus eſt his
verbis Moſes potiùs, quam *amar*: An dereliquit 3.
verbũ *dabbah*, quia ſignificat potiùs *murmurauit,
muſſitauit, ſonuit, & meditatus eſt*, quàm *locutus eſt?*
vnde vocarunt Vrſum Chaldæi דב *dob*, Arabes
דבא *dubba*, quia tam latitans, & pedes ſugens, quã
famelicus, & iratus murmurat, & circungemit; &
Vrſam Maiorẽ cœleſtẽ דב אלאכבר *Dubb alachbar*
& Minorem *dub Alaſgar* appellarunt; adde
quòd דבה inde proueniens non tantùm murmur,

Sed etiam conuicium, oblocutionem, contumeliã, turpem sermonem, infamiam & detractionem, inimicitiam & odium significat, quæ cùm omnia Deus maximè fugiat, cur non etiam verbum illud initio conditionis auersabitur?

Similiter non ita benè verbum *bata* positum
4. fuisset, cùm etiam sumatur pro oblocutus fuit, multum garriuit, locutus est sine consideratione, & intellectu; & Arabibus *bata* pauperem significat, quæ omnia creatori non conueniunt.

Sunt & alia verba quibus Moses vsus non fuit,
5. vt הגה, vel הגא, sed nec mirum est, cùm significẽt gemere, disputare, interpretari, discere, garrire, & mussitare, ac proinde par est, ac de cæteris ratio. Sunt & alia synonyma, quæ loqui significent, vt הסיף. הפיח. הריח. חשה. הביע. הוה. & cætera, quæ videas in arca, in verbo דבר.

Pauca verò notanda sunt in יהי *iehi*, fiat, esto, sit; nam à radice הָיָה descendit, quæ idem est, ac fuit, fact[9] est, euenit, quod participijs additum perseuerantiam significat: Rabbini vocant essentiam הויה; Auicenna formam, & figuram per הויה intelligit: Istius autem verbi neutri substantiui loco sæpiùs vtimur pronominibus אנכי, ego אתה tu, הוא ille &c. Est autem obseruandum tertiam futuri, & præteriti singularem sæpiùs eleganter poni Hebraism.
cum plurali nomine, vt Gen. 1 vers. 14 fit luminaria: ponuntur etiam cum fœminino, vt Gen. 24 v. 14 וְהָיָה & erit puella; eius deriuatiua, & composita Noë arca suggeret.

Nomen autem *Rakia*. i. firmamentum, tunc in examen adducemus, vbi controuersia de soliditate cœlorum agitabitur.

PROBLEMA XLII.

בתוך המים

hamaim *betoc*

In medio aquarum.

1. QVænam sunt illæ duplices aquæ? An aquæ superiores Angeli dicendi sunt, inferiores
Basil. verò cacodæmones? Sed illud homil. 3. hexam. vehementi oratione D. Basilius reijcit, & cum eo
Epiph. Epiphanius epist. ad Ioannem Episcopum Hierosolymitanum, & Procopius 1 c. in Genesim tanquã nugas, & aniles fabulas, quas etiam Rupertus l. 1. c. 23 explodit. An quidem per superiores, angeli,
2. Nyssen. per inferiores, rerum corporearum materia intelligenda est, vt voluit Greg. Nyssenus lib. de historia 6 dierum. Sed illud dixit, quòd existimaret aquas
August. super cœlos stare posse, quos igneos constituit: à quo parum abest D. August. qui c. 8. de Gen. imper. superioribus aquis res inuisibiles, inferioribus autem visibiles explicauit, sicut & 1. de Gen. contra Manich. cap. 11. An vt fusè Guilielmus Parisiensis 1
3. parte de vniuerso c. 34, & 38 differit, aquæ supernę regiam beatorum sedem designant, quæ sita sit inter empyreum, & firmamentum, quæ vt post iudicium in pulcherrimum corpus vertentur, vel iam versæ sunt; Infernæ verò res sensibiles? An aquæ
4. superiores sũt chrystallinum cœlum, quod est nonum: Inferiores, orbis Saturni, qui aquarum nomine censetur? vnde Lucanus l. 10. Pharsal.

Frigida Saturno glacies, & Zona niualis
Cessit.

D Thom. Et hoc cœlũ de natura quintæ essẽtię D. Thomas esse statuit, quod cum aquis nostris diaphaneitatem communem habeat; idque tam in quæst. disp. q. 4. ad 5, quàm in 2. d. 14. q. 1. sed per inferiores no-
Bonau. stras elementares aquas intelligit, cum quo D. Bonau. Tostat. Caiet. Cathar. Ægidi[9], ac multi Scholastici consentiunt, qui cœlum chrystallinum formaliter diaphanum, tametsi frigidum, & humidũ virtute duntaxat faciant, quatenus in aquam ele-
5. mentarem frigus, & humidum influit, quod Vuielmus l. 13, & 14 & Peterius validis rationib[9] cõfutat. An igitur superiores aquæ nihil sunt aliud, quàm aëreæ impressiones? infernæ verò labentes illæ;
quas in oceano, fluminibus, atque fontibus cernere est? vt vult Aug. 2 de Gen. ad lit. c. 4. Beda l. 2. de August.
elementis philosophiæ, Steuchus in Cosmopœia, & Peterius, quos omnes Ascanius refellit, sicut & sententiam Hameri, qui superiores aquas, elementorum summitatem super mediam aëris regionẽ, in qua essent pura elementa: inferiores autem hæc
impura elementa, quæ videmus, esse voluit. An 6.
omnium meliùs censuit Martinengus, qui per duplicem aquam naturalem duntaxat intellexit, & ex Iosepho 1. antiq. c. 1. ex libro qui dicitur, Testamentum 12 Patriarcharum, quem è græco in latinum vertit Robertus Linconiensis Episcopus: ex Clemente l. 1. recognit. Iustino, Tertul. Hilario, Basil. Ambr. Epiphanio, Chrysost. Hippolyto Portuensi Episcopo, Cyrillo. August. Seueriano, Eucherio, Theodoreto, Damasceno, Chlichtouæo, Prospero, Anastasio, Iunilio, Glossa ordinaria, & interlineari, Procopio, Beda, Brideferto Ramesiensi apud Bedã, Cassiodoro, Haymone, Remigio, Euthymio, Richardo, Brunone, Ruperto, Anselmo, Hugone, Richardo, Absalone, Magistro Sententiarũ, Magistro Historiæ Scholasticæ, Claudio Mario, Dracontio, Drepanio, Hugone Carensi, Oleastro, & Vielmo probat: Hinc vides Ascanium
multis authoribus suam sententiam fulcire. 7.

At quænam istæ aquæ superiores, seu cœlestes?
An glacie concretæ sunt? vt insinuat D. Aug. 2. de 8.
Gen. ad lit. l. 2. c. 5. cum alijs ab Ascanio citatis; An etiam possunt esse aquæ in tam paruas guttas diuisæ, vt ibidem stare possint, vt idem innuit. c. 4, cui fauent Eucherius, Anselmus vterque, & Magister vterque: volunt enim supercœlestes aquas ad te-
nuissimorum similitudinem vaporum albescere. 9.
An vt vult D. Basil. & Ambros. illæ aquæ fluidæ Ambros.
sunt, at cœlum non est exteriùs rotundum, sed potiùs planum, profundum, & quadratum, vt aquas continere valeat?

Notandum

Notandum est autem בתוך *betoc*, in medio, à radice חָוֶךְ, id est medium prouenire, cuius litera ו quiescit in regimine, semperque ferè præfixam habet à capite literam seruilem מ, aut ב, vt hoc loco manifestum est.

PROBLEMA XLIII.

Et diuidat aquas ab aquis, vel ex Hebræo, sitque diuidens inter aquas ad aquas.

QVasnam aquas diuisit firmamentum, & quam ob causam? Nunquid istæ sunt eędem aquæ, de quibus paulo antea diximus? Sed cur aquæ su-
1 per cœlos euectæ sunt? An vt cœlum ab ardore
2. astrorum præseruarent? An vt inconcussum cœ-
Iustin. lum à ventorum procellis firmarent? Primum asserunt Iustinus quæst. 93. Orthodoxorum, Theodoret. quæst. 11. in Genes. Procop. Damasc. cap. 9. lib. 2. Orthod. fid. & Beda cap. 8. de natura rerum. Secundum verò idem Iustin. volunt enim firmamentum esse velut glacie concretum, quod ne à luminarium calore dissoluatur, aquas supe-
3 riores frigore suo impedire existimant. An vt radios astrorum, qui ex natura sua ad superna feruntur, deorsum in vniuersi gratiam impellerent?
4 vt habet Procopius. An vt ipsius empyrei ardorem retunderent? vt Hilarius asserit in psalm. 135; Beda supra cap. 7. & Cabalistæ, teste Vielmo le-
5. ctio.14. An vt ignitam virtutem, quæ diffusa est in astra, sphæram, & mixta temperaret vsque ad consummationem mundi, ne ante præstitutum tempus igne omnia absumente mundus desine-
Basil. ret? vt præclarè D Basilius homil. 3. explicat; Ambros. lib. 2. cap. 3. Procop. & Beda. ex quibus colligi posse videtur mundum tunc consumptum iri, quando non ampliùs aqua poterit igni resistere, vnde memini quorundam, qui solem nobis quotidie fieri propinquioré arbitrarentur, donec ita ad terram accedat, vt omnia flammis deuoret; sed de his alibi fusè dicendum erit, id enim quæstionem hanc inuoluere videtur, an naturaliter mundus finiturus sit, & ignis extremi iudicij venturus sit: ne verò ante præfixum tempus solis, aut ignis ardor non solùm terram, sed & aquas absumat, ingentes fluuios productos esse Basilius commemorat in Asia, Indum, Bactrum, Choaspem, & Araxem, Tanaimque in Meotidem Paludem fluentem, qui Asiam ab Europa seiungit: Celeberrimi fluuij.
In Europa verò, Germania quidem Tartesum, Isterum in Hispania; in Italia Eridanum; in Africa Agonem, Nysem, & Nilum, quibus sanctus Ambros. Rhenum addit, quo iuxta Prolom. Gallia secatur à Germania, & Rodanum per Galliam fluentem; taceo Ligerim, Sequanam, cæterósque nobilissimos fluuios, quos passim errare videas.

An vt Saturni stellam frigidissimam reddentes, 6
influxus frigidos in mundo fouerent, vt suprà Iu-
stinus, & D. Aug. de Genes. ad liter. lib. 2. cap. 5, D. Aug.
& de Genes. imperfect. cap. 8. habet. An illic
copiosissimæ aquæ reseruari debuerunt, vt apertis 7
cœli catarractis diluuium facerent? Vnde Lusitanus in cap. 7 Genes. eos arguit, qui sacram Scripturam Philosophiæ regulis subdere volunt;
huius autem interpretationis Epiphan. epist. ad Epiph.
Ioan. Episcop. Hierosol. contra errores Origenis meminit.

An sunt aquæ ipsæ, quæ nobis quotidie de-
fluunt? Vt censuit Ioseph. 1 antiq. cap. 1. Cyril. Ioseph.
Hierosol. Catech. 9. Richard. Pampolit. Haymo, & Cassiod. in psalm. 148. An potiùs rationem ignoramus, cur Deus super cœlos aquas posuerit? vt Ascanius insinuat, postquam omnes allatas Patrum opiniones examinauit, & ostendit, quomodo Patres aduersus Peripateticos defendi possint.

Vbi verò legimus diuidat, hebraica phrasis sonat, *sit diuidens* בדל *badal*, est radix, vnde Hiphil הבדיל *hibdil*, id est separauit, discreuit, aut distinxit.

VERSICVLVS VII.

Et fecit Deus firmamentum, diuiſitque aquas ab aquis, quæ erant ſub firmamento, ab his, quæ erant ſuper firmamentum, & factum eſt ita.

וַיַּעַשׂ אֱלֹהִים אֶת־הָרָקִיעַ וַיַּבְדֵּל בֵּין הַמַּיִם אֲשֶׁר מִתַּחַת לָרָקִיעַ וּבֵין הַמַּיִם אֲשֶׁר מֵעַל לָרָקִיעַ וַיְהִי־כֵן

Καὶ ἐποίησεν ὁ θεὸς τὸ στερέωμα. καὶ διεχώρισεν ὁ θεὸς ἀναμέσον τοῦ ὕδατος, ὃ ἦν ὑποκάτω τοῦ στερεώματος, καὶ ἀναμέσον τοῦ ὕδατος, τοῦ ἐπάνω τοῦ στερεώματος.

Epilogus a dicti. ERgo Deus hac ſecunda die firmamentum produxit, inter aquas, & aquas, quia ibi ſunt aquæ, quia ex aquis productum eſt, quia deſuper aquæ ſitæ ſunt, quia inſtar aquæ diaphanum eſt; ergo Deus ſuper firmamentum poſuit aquam, ſicut phlegma in cerebro ſuper cor, ne cor caloris officina, velut paruum firmamentum partes cæteras microcoſmi nimio calore conſumeret; ergo Deus has aquas ſupra firmamentum collocauit, vt cœlos ex eis creatos eſſe pateret: ad ornatum vniuerſi; ad voluptatem Sanctorum exiſtentium in cœlo empyreo, vt aquis his chryſtallinis, & variegatis oculos eorum recrearet, cùm aquæ ſint omnis formæ, decoris, coloris, & ornatus capaciſſimę, iuxta id Apocalyp. 7. *Deducet eos ad vitæ fontes aquarum*, & cap. 22. *oſtendit mihi fluuium aquæ viuæ ſplendidum tanquam chryſtallum*; denique vt ſuus eſſet aër, & ſua aqua, cœlo empyreo omni rerum ſpecie ornatiſſimo, vt beati nulla voluptate careant; Ergo diuiſæ ſunt aquæ ab aquis, ne forſitan confunderentur; quæ, ſi credimus Hebræis, ita ſe habent, vt quæ ſupra firmamentum poſitæ ſunt, ab eo tantum diſtent, quantum hæ noſtræ inferiores, adeout non tangant firmamentum, ſed in ſublimi, non ſine ingenti miraculo, pendulæ ſint: ſiquidem habetur hic מעל *mehal*, deſuper, vel ſupra; & non

Variæ rationes cur ibi ſint aquæ.

Variæ difficultates de aquis iſtis, & firmamento.

מעל R. Salomō.

על *hal*, id eſt ſuper, vt obſeruauit R. Salomon, qui proinde ſentire videtur *hal* ſignificare quidem loci cum locato contiguitatem; *Mehal* verò diſtantiam, vt Fagius in exegeſi dictionum Hebraicarum literali notauit. Ergo ita diuiſæ ſunt aquæ, vt natura differant, ſi quod Abē Ezra refert, verum eſt, nempe voculam *ben* בין, quando ſequitur in, vt hîc, vel quando duo *ben* ſeinuicem conſequuntur, diſcrimen rerum natura differentium inferre, vt cùm dicitur, inter nos, & inter Deum veſtrum. Ergo factum eſt ita, nempe firmum, & ſolidum, perpetuæque durationis, כן *Ken* enim à verbo כון, vel כוּן *Coun deſcēdit*, id eſt diſpoſuit, direxit, firmauit, ſtatuit, rectū, & ſtabile fecit; כֵּן verò ſignificat rectū, rectè, ſic, ita, baſim; vnde & אָכֵן, eſt particula affirmatiua, firmè, certè &c. Vnde Hebræi dicunt ea quæ primùm condita ſunt quibus hæc particula, *Et factum eſt ita*, iungitur, ad conſummationem vſque ſæculi duratura, vt ait Nachmanni; vnde poſt lucem factam non fuit addita particula hæc, quia circa eam facta eſt alteratio, putant enim per firmamenti expanſionem mundum iterum obſcuratum fuiſſe, adeout neceſſe fuerit in firmamento ſolem, lunam, & ſtellas collocare, per quæ lux illa prima radios ſuos ad inferiora illuſtranda diffunderet.

Fagius. בין כן Nachmāni.

PROBLEMA XLIV.

Fiat, fecit, factum eſt.

1. CVm antea dictum eſſet, *fiat firmamentum*, cur additur, *fecit firmamentum*, cur idem ter repeti videtur, cùm etiam in fine verſiculi ponatur, *& factum eſt ita*? An vt denotaretur Spiritus ſanctus inclamans, ſignificānſque Patrem per, *fiat*, & Filium per, *fecit*? legatur D. Baſil. homil. 3. Procop. cap. 1 in Geneſ. Hilar. 4. de Trinit. D. Ambr. 2. hex. cap. 3. quam tamen explicationem D. Aug. 2. de Geneſ. ad lit. cap. 6. & 7. reprehendit. An hęc verba ſignificant id, quod factū eſt, non exceſſiſſe præſcriptos à verbo Dei terminos? vt ipſe habet, ſicq; per *fiat* intelligamus eſſe in verbo, vt fieret? An antea tantùm per verbum *dixit* conceptus deſignabatur, per *fecit* verò iam executio monſtratur, vt vult Caietanus, atque vt oſtenderetur Deum hæc omnia per ſe, non per angelos effeciſſe. An

Baſil. D. Aug. 2. 3. Caiet. 4

potiùs dictum eſt de firmamento, quod *factum ſit ita*, quàm de luce, quia angeli tantùm duplex eſſe habuerunt, vnum in Dei præſcientia, aliud in natura ſua, firmamentum verò triplex eſſe ſortitum eſt, in Deo, in angelo, & in propria natura, vt ſatis innuit D. Auguſt. cap. 8. de Geneſ. imperfect. fusè admodum; vel, quod ferè idem eſt, per *fiat*, factio firmamenti in præſcientia Dei, per *fecit*, factio eiuſdem in materia, per *factum eſt*, factio eiuſdem in perfecta eſſentia ſignificatur? vt Comeſtor, & Hugo Carenſis habent. An per hæc tria voluntas, ſeu inclinatio opificis ad opus, eiuſque imperium, ipſa factio, ſeu executio & propenſio rei effectæ, vel potius obedientia rei operatæ oſtenſa in eſſe deſignantur? vt vult Albertus 1. part. ſum. de 4. coæu. quæſt. 12. art. 11. An quòd eodem recidit, demonſtrat,

Auguſt. Hugo. 5 Albert. 6.

strat, rerum esse, in Deo, vt in principio; in suo esse, vt in proprio genere, & ad Deum, vt ad finem, vt
Alensis. Thom. existimat Alensis part.2.quæst.50.membr.6.art.2. vbi sententiam D. August. redarguit. An vt ostenderetur, quòd Dei sint imperiũ, absolutio, & modus? vt S. Doctor 1.part.quæst.74.art.3.ad 5, expli-
7 cat? An vt vult Glossa, in luce angelos significante
Glossa. verba pauciora dicta sunt, plura verò in rerum
8 corporearum effectione, quia hæ à creatore magis distant, minusque obediunt? An hæc verba sese alio modo habent, quàm antea, vt textus sermonis in fastidiũ non veniret? vt suprà cap. 9. D. August. habet. An verò dicitur, factum est ita, vt tam ele-
9 mentorum, rerumque omnium obedientia, excellensque virtus opificis ostẽdatur, vt vult D. Chrys.
10. hom. 4. An linguæ Hebraicæ inopia fecit, vt sæpiùs Moses easdem voces repetat? An in firma-
11. mento septem essendi genera distingui possunt, quæ per, *fiat, fecit, & factum est* significentur? vt
12. Ascanius ex Ægidio 1. part.hex.cap.24.refert, quo-
Ægid. rum primum, omniúmque nobilissimum, sit ideale, quod habeat in Deo quælibet creatura, quod
13 le, quod habeat in Deo quælibet creatura, quod
August. S. August. vocat rationes rerum, quibus filius Dei, vt ars Patris repletus est, iuxta id Ioan.1. *quod factũ*
Ioh.1. *est in ipso vita erat:* secundum est intellectuale in
14. angelo, 3 rationale in homine: quartum sensibile, quod quadrifariam spectari debet, nempe vel vt est in principijs supernaturalibus, nempe in Dei potentia; vel in naturalibus, vt in semine; vel vt est in suo proprio esse specifico, vel denique, vt est in esse suo indiuiduali, adeout priora essendi genera semper nobiliora sint.

Cùm ergo Deus fecerit firmamentum, diuiserit- Aliæ plurimæ mysticæ firmamẽti, & aquarum explicationes.
que aquas ab aquis, siue per firmamentum, Christum mysticè dicas, per aquas vtrasque reprobos, & electos, vt Anastas. Synaita; siue mysteria nobis inscrutabilia, & reuelata, siue prelatos, & subditos, siue cœlestem vitam, & terrenam, siue verum firmamentum, in quo iam stellas micantes aspicimus, siue mediam aëris regionẽ, siue aliud quidpiã, quod ita factum est, vt omnium creator intellexit, & voluit; magna certè fuit illa extensio, atque ingens opificis admiratio nobis inde nata est, sicut, & ex ceteris deinceps operibus enascetur: Maximè verò huiusce diei opus illa firmamenti stabilitas, ac soliditas commendat, quam illa verba, *factum est*, ita significant, ac si teste Fagio, diceremus. Et factum est firmum, solidum, stabile, & perpetuò sic durabile; quia Hebræi sentiunt ea omnia semper corruptionis expertia futura, quibus illa verba addita fuêre; vnde quia luci subiuncta non sunt in primo die; mundum iterum obscuratum fuisse dicunt, quapropter solem, lunam, & astra firmamento collocanda fuêre.

VERSICVLVS. VIII.

Vocauitque Deus firmamentum, cœlum; & factum est vespere, & mane, dies secundus.

וַיִּקְרָא אֱלֹהִים לָרָקִיעַ שָׁמָיִם וַיְהִי־עֶרֶב וַיְהִי־בֹקֶר יוֹם שֵׁנִי

Καὶ ἐκάλεσεν ὁ θεὸς τὸ στερέωμα οὐρανόν. καὶ εἶδεν ὁ θεὸς, ὅτι καλόν. καὶ ἐγένετο ἑσπέρα, καὶ ἐγένετο πρωΐ, ἡμέρα δευτέρα.

Die prima dixit, *fiat lux*, & postquam produ-
Chrysost. cta fuit, tunc subiecit, inquit D. Chrysostom. hom. 4. in Genes. *fit distinguens inter lucem, & inter tenebras*, & sic *lucem*, diem vocauit heri; hodie verò dixit, *fiat firmamentum in medio aquæ.* Dein sicut de luce, ita & hîc docuit nos vsum firmamenti, *vt diuidat*, ait, *inter aquam, & aquam.* Et postquam hunc eius vsum declarauit, tunc sicut luci nomen dedit, ita & firmamentum suum nomen imposuit. Et *vocauit*, ait *Deus firmamentum cœlum* hoc quod videtur, vt autem dubia, quæ hîc occurrunt solui possint, videamus.

PROBLEMA XLV.

Ad quid Deus firmamentum, cœlum vocauit, & quando. An tantùm vocauit, quando
1. creatus fuit Adam? vt Steuchus censuit in Cosm.
Steuch. vel cùm Patriarchas alloqueretur, Noë præsertim,
Rupert. & Abraham? illi enim dixit: *ponam arcum meum in*
2 *nubibus cœli*; huic verò, *suspice cœlum*, vt Rupert. cap. 28. comment. in Genesim edisserit. An eatenus vocauit, quatenus ita compegit, vt sic vocari posset? vt Carensis innuit. An iuxta Rupertum,
3 vt perẽnia, & immutabilia proprio nomine vocaret Deus immutabilis, mutabilia verò ab Adamo vocanda reseruaret? An vt hoc firmamentum
4. ab ijs distingueret, quæ tametsi firmamẽta fuerint,
Aug. cœli non sunt? vt D. August. 9. de Genes. imperf. innuit. An vt ostenderetur initio mundi cœlum 5
genericè sumptum fuisse, vt 2.hex.c.4. innuit D.
Ambros. nunc autem peculiariter sumi pro cœ- Ambr.
lo solido, quod ex aquis solidatis factum est. An vt 6
ait R. Moses, nomina rerum præcipuarum minus R. Moses.
principalibus propter vsum tribuit Deus, prout hîc nomen cœlorum, quod omnibus cœlestibus sphæris congruit, firmamento tribuit? An quia fir-
mamẽti nomen relatiuum erat, absoluto cœli no- 7
mine vocari debuit? sic enim Rupert. habet cap. Rupert.
29. An vt ait Caiet. ideo vocauit, vt se peritissimũ 8
artificem nobis ostenderet, qui rerum intima pe- Caiet.
netrat, cùm tamen agentia creata sæpiùs ignorent,
quomodo sua opificia nuncupare debeant. An 9

שמים שמים Samaim dictum eſt, quod aquas contineat, &
generet? vt notat Steuchus, vel potiùs, quòd ex il-
οὐρανός. lis compactum fuerit? An οὐρανὸς vocatur à viuen-
10. do, cùm terminus ſit eorum, quæ videntur? vnde
dicta eſt Vrania, id eſt ſurſum aſpiciens, ὁρῶσα
τὰ ἄνω iuxta Platon. in Cratylo, & Ariſtot. lib. de
mundo; vel ab Vranon, id eſt palatium, vt vult Co-
11. meſtor cap. 4. hiſt. ſchol. An cœlum dictum eſt,
quod ſuſpicienda ſtellarum facie, tanquam emble-
matis quibuſdam inſculptum ſit, & cælatum? vel
quod ſuperna celet, vel tanquam κοῖλον, id eſt ca-
uum, tanquam nimis durum, vel quaſi domus ſo-
Cantuar. lis, ſeu caſa helios? vt aduertit Anſelmus Cantuar.
12. lib. 1 de imagine mundi cap. 15. An, (vt ad ſenſus
Virgo Maria firmamento cõparatur. allegoricos accedamus) Virgo beata illud eſt fir-
mamentum, quod Deus vocauit cœlum? nunquid
enim firmamentum eſt, quæ in vtero matris in
gratia firmata eſt, & ſolidata? nunquid cœlum di-
cenda, quæ concepit eum, quem cœli capere non
poterant? nunquid illa verum eſt cœlũ, in qua crea-
tor cœlorum habitat, in qua beata anima, proto-
typus animarum iuſtarum, beata, inquam, anima
Chriſti delicias accipit? nunquid illa cœlum eſt à
qua nobis lux orta eſt, quæque tam benignis aſ-
pectibus, & influentijs nos reſpicit, & fœcundat?
13. An firmamenti nomine cœleſtes poteſtates intelli-
guntur, quæ poſtquam in gratiæ confirmatæ ſunt,
Greg. cœlum nuncupari potuerint vt D. Gregor. lib. 1. in
Iſai. 66. Ezech. hom. 8. explicat: de quo Iſrael 66. *cœlum
mihi ſedes eſt*, & quidem facile eſt oſtendere per par-
tes, qua ratione cœlum angeli dici poſſint, ſunt
enim 9. ordines angelorum, vt cœlorum, qui pro
ſole, & luna cognitionem matutinam, & veſper-
tinam habent. An Scriptura ſacra communi Ec- 14.
cleſiæ calculo approbata cœlum eſt? vt D. Auguſt. Aug.
in pſal. 11. fatetur; *habet enim ſpiritum vitæ, qui eſt* Ezechiel. 1.
in rotis, Ezech. 1. nempe in ſenſibus Scriptu-
rarum, quorum allegoricus ſolem, literalis lu-
nam, moralis ſtellas referat. An Eccleſia ſo- 15
lidata in Chriſto, tam firma, vt portæ inferi aduer-
ſus eam præualere non poſſint, cœlum eſt? in quo
ſunt 9. orbes ſub vno primo mobili; nimirum Ar-
chiepiſcopi, Epiſcopi, Sacerdotes, Diaconi, Sub-
diaconi, Acolythi, Exorciſtæ, Lectores, & Oſtia-
rij ſub ſummo Pontifice? facilè verò quæcunque
ſunt in cœlo, imo & in meteoris, Eccleſiæ tribuere
potes. An ipſi Eccleſiæ Prælati, & Sacerdotes cœ-
lum eſſe debent, in quo perpetuò 7 dona Spiritus 16.
ſancti 7. planetarum inſtar curſus ſuos efficiant?
An homo interior in gratia firmatus cœli nomine 17
vocandus eſt? vt innuit Beda in Gen. de quo etiam Beda.
id Iſ. 66. *cœlum mihi ſedes eſt*, intelligi debet, *ad eum* Iſai 66.
enim veniemus, inquit Chriſtus, & manſionem
apud eum faciemus; de quo Martinengus firma-
mentum Ezechiel. 1. explicet. An firmamenti no-
men immutandum fuit, quia ipſum in meliorem 18.
naturam commutatum eſſe videtur? vt Luſitanus
inſinuat: ſic enim Abræ, Saræ, Iacob, &c. nomina
immutata fuēre.

QVÆSTIO VII.

An firmamentum ſit cœlum ſolidum, & durum æris, & adamantis inſtar; an (ſicut aër) fluidum cedens, mobile, & veluti molle, ac tenuiſſimum.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quæ ſint rationes tam affirmatiuæ, quàm negatiuæ partis.

GRauiſſimam ſine dubio, atque hoc ſæculo multum exagitatam quæſtionem aggredior, vt omnia Scripturæ loca, quæ de cœlis ſermonem inſtituunt, meliùs intelligi poſſint, & vt fidei aduerſarijs oſtendamus, nos minimè aſſerere aliquid eſſe de fide, quod Eccleſia non determinauit, nec quibuſdam opinionibus eiuſdem fidei articulos inniti, ſed ſoli veritati primæ, & æternæ; quam vt vnicam veramque Cynoſuram reſpicit, ſuſpicit, & adorat; hoc autem ordine procedemus, vt priori loco rationes illas apponamus, quæ non tantùm vnicum cœlum, verùm, & ſingulos, præcipuè verò planetarios fluidos, & aëris inſtar facilè cedentes aſtruunt.

Quòd cœli non ſint ſolidi. Ratio 1. Pena. Prima ratio ducitur ab Optica, quam latè Pena præfatione Optices ad Carolum Lotharingium Cardinalem deducit: ſi cœlum ſit diuerſum ab aëre corpus, habeátq; tot partes inter ſe cõtiguas, quot errantes ſyderum globos, ſitque ſolidum, & durum, multa ſequuntur abſurda; nam ſtellæ fixæ, & aliæ per tot media tam latè fuſæ, tot ſuperficiebus diſtincta, viſæ alibi quàm in horizontis polo, nunquam ſuo loco cernentur, & quæ remotiſſimæ ſunt, proximæ, & quaſi contiguæ apparebũt, quædam etiam, quæ vno, aut altero gradu diſtant, coniunctæ conſpicientur: frangentur enim à perpendiculo propter mediorum varietatem, rurſúmque cùm horizontis polum attigerint, quæ iungi alibi videbantur, diuelli, ac ſatis procul diſtare apparebunt, quantum reipſa diſtant à ſeſe, propterea quod omnibus illis medijs ad perpendiculum inſiſtent. Quæ ſi fiant, valeat Aſtronomia; valeant Hipparchi obſeruationes, lacerentur Ptolomæi, Machometi, Copernici, & excellentium Aſtronomorum libri; quid enim certum erit in Aſtronomia? ſed certiſſima ſunt ſyderum phænomena, nec tale quidquam tot ſæculis, tot viris clariſſimis aſſiduè ſydera obſeruantibus vnquam apparuit; quibus accuratè examinatis concludit ars optica ſpatium illud, quod eſt inter lunam, & fixa ſydera, ab aëre nihil diſtingui.

2. Ratio ſumitur tam ex parte cometarum, quàm ſtellarum de nouo apparentium; qui enim fieri poteſt, vt cometæ huc illuc per cœli ſpatia diſcurrant, & vſque ad Veneris altitudinem, aut etiam maiorem euehantur, niſi cœli aëris inſtar fluidi conſtituantur 2. Ratio.

Distantia cometarū à terra.

tuantur; at eousque cometas exurgere testantur Astronomi de cometa anni 1577, quem initio sui ortus 210 terræ semidiametris ab oculo spectantium, tametsi tunc vicinissimus esset, distare iudicarunt, id est miliaribus Germanicis, (quorum singula 4000 passus contineant) 180600: vnde sequitur cometam illum orbe lunari triplo altiorem fuisse, siquidem iuxta Copernici sententiam lunæ fornix à centro terræ 52 tantùm terræ diametris dissidet, seu miliaribus Germanicis 44720, quòd si Ptolemaicam mensurā sequamur, quæ lunæ distātiam à centro terræ 33 duntaxat semidiametrorum admittit, cometa sexies luna altior constituendus erit, & tertia vnius semidiametri parte, pauloque amplius, nec demissiorem fuisse nouissimum anni 1618 cometam Fromondus tract. de ipso cometa cap. 7. arbitratus est, imò si iuxta Tychonem maxima solis distantia sit semidiametrorum 1179 dūtaxat, certè cometa ille solis altitudinem superare debuit, sicut & distantiam, quam Clauius in 1. cap. sphæræ conuexo solaris orbis tradit, vel potiùs ex Maurolyco repetit, quæ est semidiametrorum terræ 1216 cum duodecima vnius semidiametri parte: Adde planetas, qui statim nobis propinquiores fiunt, dum sunt in perigeo, statim magis distant, vt cùm sunt in Apogæo.

Copernic. Lunæ distātia à terra. Ptolom. Fromond. Tycho. Solis distātia à terra. Maurol.

3. Ratio.

3 Ratio sumitur ex Physica, siquidem eò res nobiliores esse videntur, quò minùs densæ, solidæue fuerint, quóue tenuiores, & subtiliores, vt ab enumeratione partium totius vniuersi constat, quandoquidem elementorum omnium veluti fœx terra, non alia de causa cæteris postponi videtur, quàm quia densa, solida, grauis, & opaca est, quam eadem ratione aqua in ignobilitate, sicut & in dēsitate, atque duritie sequitur, aër verò quia liquidior atque melior est, ac facile cedit, ideo terræ, & aquæ præponitur, sicut & his tribus elementum ignis, quod cæteris superferri videtur, sicut oleum, aut aqua vitæ cæteris liquoribus, igitur cœli, vtpote superiores, ignem tenuitate, atque subtilitate vincere debent, quod inde confirmari posse videtur, quòd ea magis ad naturam intellectualem accedant, quæ subtiliora sunt: hinc spiritus vitalis, & animalis vix ac ne vix quidem videri possunt: hinc omnium rerum essentiæ, plantarum, & animalium animæ sunt inuisibiles ob summam tenuitatem, tametsi corporeæ sint: Adde quod res eò magis ad tenebras accedere videātur, quo magis solidæ duræque sunt, ad lumen verò, quò magis attenuātur; quò verò lucidiores fuerint, eò perfectiores indicabuntur: vnde concludit Tycho Brahe cœli substantiam ipso aëre liquidiorem, puriorem, & subtiliorem, atque adeo diaphanum ætheris diaphano aëris perfectius, puriusque esse; vt habet epist. ad Rothmannum.

Cōfirmatio. Tycho.

4. Ratio. רקיע R. Abē Ezra שמים

4. Ratio petitur ab ipsis nominibus hebraicis, quæ significant cœlum aëris, aut aquæ instar fluidum esse, nam רקיע *Rakiah* venit רקק, quod attenuare significat; vnde רקה tenuis dicitur; & R. Aben Ezra ait cœlum esse rem extensam subtiliter, sicut & D. Basil. [illegible] tenuem, vt fumū: Deinde שמים samaim significat ibi esse aquas, שם sam enim significat ibi; Maim verò aquas: igitur cœli vel aquei sunt, vel aquarum instar, præsertim cùm Deus nomina rebus dare potuerit, quæ earum naturam perfectè denotarent.

5. Ratio.

5. Ratio sumitur ab authoritate multorum Ecclesiæ Patrum, qui cùm asserunt stellas non esse affixas cœlo, sed proprijs motibus moueri, satis significant cœlos esse liquidos, & aëris instar peruios: Ita Iustinus Martyr respondens ad 90. quæstionem Orthodoxorum, Origen. 5. contra Celsum, & 1. Periarchon cap. 7. vbi stellas in cœlis, vt in terris animantia, pisces in aqua, volucres in aëre moueri ait. ita etiam Diodor. Tharsen. in cap. 1. Genes. Chrysost. hom. 6. & 13. Rupertus 1 de Trin. cap. 22. dixit firmamentum non solidum quid, aut durum, vt vulgo putatur, sed aërem esse extensum quod ex Scriptura confirmatur, quæ vbique motū non cœlis, sed astris adscribit; sic enim Eccles. 1. *Oritur sol, & occidit, iterumque ad locum suum reuertitur.* 10. Iosue, *sol, & luna steterunt* &c. Isai. verò 51. *fumo* cœli comparantur; *cœli sicut fumus liquescent.* Quibus omnibus adde si lubet plurimos huius sæculi præstantissimos Astronomos, & Philosophos huius sententiæ patronos, vt iam cœlorū soliditas in scholis rideri cœperit, siquidem lōgè facilius est ex fluidorum cœlorum hypothesi omnia cœlestia phænomena explicare, quā dum solidi supponuntur, quandoquidem si fluidi sunt, & velut aërei, tot epicyclis, & eccentricis non indigemus: quid enim facilius, sed quid simul verosimilius esse potest, quàm vnicuique stellæ præfixum fuisse angelum à Deo, statim atque creatæ fuerunt, qui eas ad imperium Dei vsque ad mundi finem moueant.

Iustin. Orig. Tharsen. Chrysost. Rupert. Eccl. 1. Iosue 10. Isai. 51.

Verumtamen non desunt, qui cœli soliditatem pro viribus astruant; imo hæc est opinio trita; quā ferè omnes, tam Mathematici, quā Philosophi, & Theologi secuti sunt, pro quibus rationes quædam sequuntur tam à ratione, quàm ex Scriptura petitæ; Ab ijs autem quæ pertinent ad Scripturam exordium sumamus, vt plura loca explicari possint. Cœlos esse solidos.

Ratio prima, quod extenditur, debet esse solidum, vt patet in auro, argento, ferro, ære, cæterisque metallis ductilibus, quę extendūtur; at quoties Scriptura disertè asserit cœlos extendi, vt Isai. 42. vers. 5 dicitur Deus expandisse terram. Ratio prima. Isai 42.

2. Quod aperitur, & clauditur, debet esse durum, & solidum, at cœli cataractæ aperiuntur, Gen. 7. Isai. 78, & Matth. 3. clauditur verò cœlum Deut 11. Adde quod ferreum, & æneum vocetur Leuit. 26, & Deuter. 28. 3. Ratio sumitur ex cap. 28 Iob. in quo *cœli solidi dicuntur, & velut ære fusi.* 2. Gen. 7. Deuter. 11. Leuit. 26. 3

4. Quod corpora solida continet, & sustinet, nunquid solidum esse necesse est, at astra, quæ sunt in cœlis, nulli dubium quin solida sint: adde quòd firmamentum super se positas aquas habeat. 4

5. Ratio, si cœli fluidi essent, vnicum constituendum esset, sufficeret enim, vt in eo stellæ moueri possent, vt pisces in aqua, aut aues in aëre, at tres cœlos Apostolus asseruit 2. Corinth. 12. ac proinde solidi constituēdi sunt, quod ex cap. 4. ad Hebræos confirmatur, in quo legitur. 5. 2. Cor. 12.

Habentes ergo pontificem magnum, qui penetrauit cœlos, Iesum filium Dei: Vnde contra hæreticos argumentum desumimus ad astruendam penetrationis dimensionum possibilitatem, quam tam in Resurrectione, cùm è sepulchro egressus est, & ianuis clausis Christus ingressus est, quàm dum cœlos penetrauit, in actum redegit, quod profectò nobis eripere velle hæretici videntur, dum cœlos fluidos esse contendunt, quapropter non solùm hîc pro philosophia, sed & pro religione pugnandum esse videtur: hæc autem ratio ex eo confirmari potest quod cœlum beatorum in Apocalypsi, vitro mundo, & chrystallo, lapidibusq; pretiosis Ad Hebr. 4. Confirmatio.

comparetur, quæ omnia ſolida ſunt, tametſi diaphana.

6 6. Ratio ſumitur à galaxia, quam facilè videmus, quæque proinde craſſa, denſa, atque ſolida eſſe debet, alioquin non videretur, at eiuſdem rationis cæteræ cœli partes conſtituendæ videntur, quanquam paulo tenuiores.

7 7. Sumitur ex communi phyſicorum axiomate, qui tot cœlos conſtituunt, quot aſtra fuerint, quæ diuerſis motibus agitentur, quippe quæ cœlis ad modum nodoſi ligni infixa ſint, quæque ſemper eundem motum obſeruent: quod maximè patet in ſtellis, quæ eandem inter ſe diſtantiam ab initio ſuæ productionis retinuêre, quod fit primo mobili firmamentum rapiente.

8 8. Si cœli liquidi eſſent, deberent per ſe moueri ſtellę, at id fieri nequit, alioquin id efficiatur vel κυλίσει. volutatione, vel δίνῃ, id eſt circungyratione neceſſe eſt, ſiquidem omne corpus globoſum alterutro horum duorũ motuum neceſſario cietur, nec enim tertius datur; igitur ſtellæ alicui orbi inhærentes neceſſariò moueri debent, ſiquidẽ partes, quas nobis inuertunt, nunquam immutant, quod fieret ſi alterutro motuum prædictorum agitarentur.

9. 9. Si ſydera abſque orbibus mouerentur, vacuum in ſpatio, per quod tranſeunt remaneret, quod abſurdum eſt, à vacuo enim natura abhorret.

10. Non poſſent ſtellæ diuerſis motibus circũferri, niſi ratione cœlorum diuerſorum, qui proinde ſolidi eſſe debent, aliàs aſtrorum denſiſſima corpora rapere non poſſent. 11. motu cœli circunducitur aër, & cætera, quæ cœlo ſubſunt, excepta terra, vt patet ex motu Cometarum in aëre; cœlũ etiam aquam commouet, adeout maria ab ortu in occaſum perpetuò ferantur. 10. 11.

Denique vix, ac ne vix quidem omnia rectè explicari, intelligi, & ſaluari poterunt, (ſi cœlos liquidos eſſe admittimus,) quæ per diuerſos cœlos, tam concentricos, quàm eccentricos, epicyclos, apogæum, perigæum, idque generis alia, hactenus in ſcholis explicata ſunt, iuxta quæ omnia inſtrumenta noſtra, ſphæræ, globi, armillæ, planiſphæria, &c. fabricata ſunt, adeout omnia mutari, ſuſque déque inuerti debeant, ſi ſemel eam cœlorum tenuitatem, ſubtilitatem, & liquiditatem admiſerimus, à quibus tanto magis abſtinendum eſſe videtur, quanto meliùs ſcientiarum fundamenta maiores noſtros poſuiſſe credimus, à quibus non eſt recedendum, niſi ratio nos ad id volentes nolentes impellat. Quibus addere poſſumus cœlum empyreum ſolidum eſſe debere, vt ſit æterna beatorum ſedes, cur ergo cæteri cœli non erunt ſolidi? ſaltem vt impediant, quominus aër, aut ignis vlterius aſcendere poſſint. 12. Confirmatur.

ARTICVLVS II.

IN QVO DISSOLVVNTVR ARGVMENTA, QVÆ cœlos eſſe liquidos aëris, aut aquæ inſtar oſtendere videntur, præcipue illud quod ex Optica ſumitur.

NOn parum feciſſe videbimur, ſi rationes nouas Aſtronomorum recentiorum diſſoluerimus, quibus ita negotium nobis faceſſere credunt, vt nullatenus eis reſpondere valeamus.

Prima ratio diſſoluitur, quæ cœlos eſſe liquidos confi cere videbatur.

Itaque prima ratio deſumpta ex Optica, non vſqueadeo firma eſt, quin futilis oſtendi poſſit, ſiquidem non ſtatim ſequitur ex eo, quòd cœli ſolidi ſint, ſtellas alibi, quàm in proprio loco viſum iri, quandoquidem cæleſtia corpora, eorúmque denſitas, aut raritas non eodem pede, quo terrena, ac ſublunaria metiri debemus; tametſi enim radius è denſiori medio ad oculum per rarius ſpatium pertranſiens à perpendico frangi ſoleat, non ita tamen in cœlis fieri facilè conceſſero, ſiquidem multorum accidẽtium expertes ſunt, quibus inferiora afficiuntur: ſed quoniam aliqua ſunt, quæ in illa prima ratione ſupponuntur, in examen ea mihi adducenda videntur, ne quid confuſum, & indiſtinctum ſuperſit.

Itaque primò ſupponit ſtellas, & planetas, nunquam in alio, quàm in proprio loco videri: Secundò nunquam propinquiores, aut remotiores, quàm reuera ſint. Tertiò nunquam in horizontis polo magis inter ſe diſſitas, aut coniunctas, quàm propè ipſum horizontem conſpici, vno verbo negat eas per refractionem videri; vnde cœlos non eſſe diuerſos ab aëre ſecundum denſitatem, ac proinde liquidos eſſe concludit, quapropter de ſyderum refractionibus breuiter agendum eſt, vt huiuſce rationis robur, aut imbecillitas appareat.

Tria ſupponit illa ratio

DE REFRACTIONIBVS SYDERVM.

INter Opticorum axiomata conſtitutum eſt, res illas refractè conſpici, quæ per diuerſa diaphana videntur; quod etiam de ſtellis concedunt, cócluduntque tam Alhazen prop. 15. 7. quàm Vitellio eius ſimia lib. 10. prop. 49. quia inquiunt cælum rarius eſt aëre, & igne, ſiue, quod idem eſt, diaphaneitas corporis cæleſtis rarior eſt aëris, & ignis diaphaneitate; quòd autem refractè videantur ex eo conſtat, quod dum ſtellæ prope horizontem fuerint, aliam à polo diſtantiam habeant, quàm dũ apparent in vertice, aut in meridie, ſiquidem in meridie, ſeu in vertice capitis magis à polo remouentur, vt aduertit Alhazen, quàm dum horizonti viciniores fuerint; quod non fieret, niſi per formã, aut ſpeciem, ſeu radium refractum ſtellæ viderentur, alioquin ſemper eas per aſtrolabium, aut aliud inſtrumentũ in proprio loco videremus, ac proinde à polo ſemper æquidiſtantes eadem præſertim nocte,

Alhaz. Vitellio.

nocte, cùm stellæ fixæ moueantur in circulo æquatori æquidistante, à quo nunquam exeunt, itaut appareat, nisi longissimo tempore. Ex quibus satis Pena conuincitur, qui hasce refractiones negabat, cui non tantùm antiquos, sed & recentiores obijcio: Tametsi enim Tycho Brahe non tantam refractionem stellis attribuat, aliquam tamen libens, vique demonstrationis coactus admittit, quæ eò minor fiat, quo magis ab horizonte recesserint, propiúsque ad meridianum circulum accesserint, adeout cùm ad quadrantis medietatem, tam stellæ, quàm planetæ peruenerint, refractio vix, ac ne vix quidem percipi valeat.

Est autem eligenda auræ serenissimæ, defœcatissimæ, atque limpidissimæ constitutio, vt refractio minor appareat. Hic autem duas tabellas apponam vtpote breues, & faciles, quibus solis, & stellarum refractiones vnico intuitu percipi valeant, vt sciat vnusquisque solem, & stellas à nobis posse videri, licet vel sub horizontem depressæ sint post occasum, vel antequam oriatur, primus ordo tabellæ gradus illos designabit, quibus sol, aut stellæ ad meridianum locum ascendunt: Secūdus minuta, atque secunda ostendet, per quæ radij refranguntur, vel quod idem est docebit quot minutorum, atque secundorum in hac aut illa altitudine refractio futura sit.

Altitudo solis

Alt. ☉	Refr.	
G	34	0''
0	26	0
1	20	0
2	17	0
3	15	30
4	14	30
5	13	30
6	12	45
7	11	15
8		
9	10	30
10	10	0
11	9	30
12	9	0
13	8	30
14	8	0

Alt.	Refract.	
G		
15	7	30''
16	7	0
17	6	30
18	5	0
19	5	30
20	4	0
21	4	0
22	3	30
23	3	10
24	2	50
25	2	30
26	2	15
27	2	0
28	1	45
29	1	35
30	1	25
31	1	15

A ☉	Refr.	
G		
32	1	5''
33	0	55
34	0	45
35	0	35
36	0	30
37	0	25
38	0	20
39	0	15
40	0	10
41	0	9
42	0	8
43	0	7
44	0	6
45	0	5

Altitudo stellarum.

Alt.	Refr.	
G		
0	30'	0''
1	21	30
2	15	30
3	12	30
4	11	0
5	10	0
6	9	0
7	8	15
8	6	45
9	6	0
10	5	30
11	5	0
12	4	30
13	4	0
14	3	30
15	3	0
16	2	30
17	2	0

Al.	R	
G		
18	1'	15''
19	0	30
20	0	0

Quibus de refractione suppositis, & à Tychone, Keplero, cæterisq; demonstratis, patet quid primæ rationi respondere valeamus; nēpe tantùm abest, vt absurdum dicendum sit stellas alio, quàm proprio loco videri, quod tamē non ita percipi potest, nisi quædam instrumenta ad id parata habeantur, quādoquidem refractio tam paucorum minutorū est, vt nunquam ad vnum gradum perueniat, vt ex præcedentibus tabulis apparet, proindeque non ita propinquæ, & velut contiguæ videbūtur, quæ remotissimæ fuerint; imo nec illæ stellæ quæ, vnico gradu disiunctæ sunt, coniunctæ videbuntur, quia si eiusdem fuerint altitudinis, quantùm vnius radius, tantum & alterius frangetur, ac proinde in eadem distantia inter se videri poterunt in quolibet cœli gradu, in qua videntur in vertice; Licet ergo frangantur stellarum simulachra, non ea omnia, quæ Pena inferebat, consequuntur, quia non est tanta refractio, quātam ipse præsupponit; nec ideo veterum Astronomorū ars deficiet, cùm neque ipsi ad tantum fastigium Astronomiam sese adduxisse credant, vt nusquam errauerint, aut omnia ad amussim examinarint; nec mihi dubiū, quin in hac sciētia semper aliquid supersit, quod homines nescire possint, ideóque mirum non est, quod ætate aliquid detegamus, quod antiquis incognitum fuerit; non igitur opticum argumentum ita cœlorum naturam aëream, ac proinde liquiditatem euincit, vt Pena dixerat, quin potius ea esse distincta concludit, cùm ex diaphanorum distinctione corporum naturam diuersam si non necessariò, probabiliter saltem inferre possimus.

At non parua difficultas restat an necessarium fuerit has stellarum, solisque refractiones in maiorem, aut minorem cœli, quàm aëris raritatem, aut densitatem referre cum tam raritas, quàm densitas maior, refractionis causa esse possit; Et quidem primò refractiones illæ in vapores, & denfio-

rem aërem referri possunt, vt partim Brahe refert, partim etiam in cœlos, quos aëre puriores, & liquidiores existimat. Rothmanus verò epist. ad Braheum refractiones istas in solũ vaporosũ, & crassũ aërem refert, & probat ex eo, quod varijs locis diuersæ sint, adeout stellam in altitudine graduum 18 positam, quã Braheus per 2 minuta refrangi in patria sua reperit, Rothmannus in sua, vno tantùm minuto refrangi conspexerit; itaut in altitudine 23 graduum stellæ vix quarta minuti parte frangantur; sol vero, inquit, cœlo clarissimo, & radio forti, cùm à visibili horizonte nondum vnico gradu recessisset, vix 9½ minutorum refractionem habebat, vel (addita parallaxi (minutorum 12½; licet eandem refractionem Braheus 28 minutorum inuenisset: In hyeme verò propter densas caligines solem 15 gradus altum per 7 minuta refrangi Rothmannus idem testatur, habita parallaxium ratione: vnde patet hos inter se conuenire, vt refractiones ob terrenos vapores aëri mixtos fieri existiment, quos sextuplo prope horizontem densiores, quàm in altitudine 30 graduum existimat Tycho. deinde cœlum nostro aëre subtilius, & liquidius esse volunt, quod impræsentia inquirimus. Itaque quamuis ea quæ de refractione diximus, sufficiant, vt obiectio, seu ratio prima soluatur, tota tamen difficultas integra videtur, an cœli solidi sint, necne, imo cùm in solos vapores plurimi refractiones prædictas reijciant, volunt cœlum eiusdem cum aëre diaphaneitatis esse, vt loquuntur, ac proinde liquidos, peruios, atque permeabiles esse, imo sequitur ex ijs, quæ dicunt, cœlos aliud esse nihil, quàm aërem defœcatissimũ, & limpidissimũ vt ibi cœlum incipiat, vbi vapores, & exhalationes desinunt: quod satis insinuat Rothmannus epist. ad Tychonem, idque probant ex eo, quòd refractiones eo minores fiant, quò vapores minores fuerint, quos proinde si sustulerimus, nulla ampliùs refractio futura sit, vnde cœlorum, & aëris identitas omnino concludi videbitur.

Brahe
Rothman.

Duæ sententię de refractione radiorum, quibus sol, & stellæ videntur.

Verumtamen non existimo rectè concludi cœlorum, & aëris identitatem, aut saltem æqualem raritatem, & liquiditatem ex istis refractionibus, siquidem certum non est, an cùm radius occursu aquæ, chrystalli, aut alicuius alterius medij densioris refrangitur, id tam absolutè fiat, vt non tantùm in sublunaribus, verùm etiam in cœlestibus tanto interuallo dissitis fieri necesse sit: ac proinde fieri potest, vt radij per cœlum, & aërem transeuntes parum aut nihil refrangantur, tametsi cœli longè densiores fuerint, maximè cùm videamus chrystallum, quò purius est, eo meliùs rerum species transmittere, quamuis alio impuriori densius, aut saltem par in densitate fuerit.

Deinde in ijs quæ tantum à nobis distant, hallucinari facillimum, vnde quicquid per refractiones apparet, non vsque adeo certum est, vt dubitatione careat. Denique tam paruæ refractiones esse possunt ob summam diaphaneitatem, quæ densitatem cœlorum compensare potest (si tamen illa diaphaneitas eadem densitate existente refractionem minuere potest) vt vix percipiantur, & quod in aëreos vapores aliqui reijciũt, in cœlorum densitatem referri potest, maximè si radij solares, & stellarum à perpendiculari frangantur. Quid si cum Keplero in paralip. ad Vitel. dixerimus lucem non impediri soliditate corporum, quatenus solidorum, quominus per ea transire possit? an soliditas cœlorum refractionis causa esse poterit? At dices eum recurrere ad superficies ipsas densorum corporum, quibus lux afficitur adeout impeditius transeat; Dubio procul nisi ad alia, quæ maioris momenti esse videntur, properarem, non essent pauca quæ in Keplero reprehendenda venirent; tantum hîc monebo fieri posse, vt cœlorum densitas, eiusque densitatis superficies alio modo sese habeat, quàm aquæ, aëris, vitri &c. soliditatem; cum enim satis probabile sit cœlos à sublunaribus materiam specie diuersam habere, nunquid eodem iure quis affirmare potest densitatem, cæteráque cœlorum accidentia diuersas omnino conditiones, & proprietates à nostris sortiri? Satis vero patet, quàm dubius fuerit Keplerus in refractionibus, præsertim vbi causas quantitatis earum inuestigat, vnde fit, vt non statim ob vnicam ratiunculã Opticam tam dubiam soliditatem cœlestem reijcere debeamus: sed de refractionibus cœlestibus hactenus, quæ profectò nullatenus probant cœlos esse liquidos, vt ex dictis constat. Qui plura de refractionibus voluerit consulatur c. 4. in quo docet lucem eo maiori angulo refrangi, quo obliquiùs inciderit, fit enim maior resistentia à medio, quàm dum rectiùs incidit, licet refractionum anguli maioribus rationum incremẽtis, quàm incidentiæ obliquitas crescant, idque præcipitatis circa horizõtem incremẽtorum proportionibus. Octaua prop. venatur refractiones ex cognita inclinationis refractione composita &c.

c. 1. prop. 10.

ARTICVLVS TERTIVS.

IN QVO SOLVITVR ARGVMENTVM PETITVM ex parte cometarum pro liquiditate cælorum.

IN secunda ratione multa sunt, quæ, si vim aliquam habet, supponantur; & quidem primò cometas altiùs luna conscendere, adeout Veneris altitudinem aliquando superare videantur. Secundò nouas stellas apparere. Tertiò cometas ab exhalatione terrena fieri, qui vsque ad Venerem aut saltem supra lunam eleuentur, quæ mihi discutienda videntur, vt quantum robur hoc argumentum habeat, intueamur, quod validissimum omnium primæ sententiæ authores existimant: & quidem non desunt, qui stellam nouam anni 1572. in Cassiopeia constitutã fuisse putent, inter quos fuit Theodorus Graminæus, qui statim illam inter cometas Plinianos retulit, qui Chrysoi, siue aurei dicuntur. Albumazar verò fatetur cometam visum fuisse supra Venerem. Proclus supra Iouem cometam aduertit. Tycho fatetur cometas intra omniũ planetarum oras etiam altissimi Saturni, mansiones suas habere posse: qui ex professo c. 6. de cometa multis argumentis contendit cometam anni 1577 non in elementari mundo, sed in ipso altissimo æthere extitisse, & quidem illud primò ex du-

Stella noua Cassiopeiæ.

Graminæus
Albumazar
Proclus.
Tycho.
Esse cometas luna altiores probatur.

ctu

1 ctu circuli, quem motu proprio designauit, probare nititur. Secundò ex distantijs cometæ à quibusdam fixis syderibus eius viæ vicinis sub diuersa altitudine notatis. Tertiò ex eiusdem cometæ distantijs, quas à stellis pro locorum diuersitate habet. Quartò ex altitudinibus cometæ in diuersis Azimuthis, interlapso aliquo temporis interuallo, habita ratione interea mutatæ declinationis; vbi parallaxim adeò paruam huius cometæ fuisse asserit, vt longè supra lunam extare debuerit.

(Margin numbers beside this paragraph: 2. 3 4.)

Profectò si Tychonicas obseruationes supponamus, non video qua ratione negari possit cometas luna superiores fuisse, siquidem cometæ motus diurnus non tantus fuit, vt lunæ cursum diurnum vel tardissimum adæquarit; nam cùm lentissima est plus denis gradibus vno die absoluit; cometa verò etiam cùm velocissimus appareret, non multum vltra quinos gradus intra vnicam primi mobilis reuolutionem progredi deprehensus est: vnde sequitur luna superiorem fuisse; Quò enim sydera remotiora fuerint à terra, & octauæ sphæræ viciniora, eò tardiores motus proprios obtinere nobis apparent, & è contra, quò propiora fuerint terræ, eò celeriùs agitantur, aut potiùs agitari videntur: non ergo longè à ♀, & ☿ orbibus cometa ille abfuit, maximè cùm circulum exquisitè maximum sphæram in duo æqualia diuidentem descripserit, & angulus inclinationis circuli cometæ ad Eclipticam eiusdem quantitatis permanserit, videlicet partium 29 $\frac{1}{4}$. Hinc etiam iuxta Peripateticos Syllogismus efformari potest; omne phænomenon quod velociùs motu primi mobilis circumagitur, quàm luna, id supra illã esse necesse est; quidam cometæ velociùs circumaguntur motu diurno, quàm luna, ac proinde ea debét altiores esse, ac proinde cęlestes, siue ętherei, quod probat Tycho per parallaxim, seu diuersitatem aspectus adeò paruam, vt cometa situs fuerit in remotione trecentorũ circiter semidiametrorum terræ, ac per consequens intra sphæram solis, & lunæ: Imo tam exigua parallaxis fuit, vt terræ semidiameter ad cometæ distantiam, non habuerit proportionem in sensus incurrentem. Enimuero pro differẽtia altitudinum in diuersis Azimuthis non sensibiliter plus variabat consideranti cometam ex superficie terræ, quàm si ex centro eiusdem obseruatio facta fuisset.

Altitudo cometæ, & eius motus qualis fuerit.

Syllogism' astronomicus.

Arguitur ex parallaxibus.

Secundum quod supponitur, est, stellas nouas in cœlo formari, quod amplissimè demonstrauit Braheus de stella, quæ apparuit in Cassiopeia anno 1572, quod cœlorum liquiditatem non minùs probare videtur, quàm cometarum apparitio, vel saltem eorum corruptibilitatẽ conuincit; quomodo enim noua stella firmamento inhærere potuit? nisi pars quædam in stellam mutata sit, siue illa mutatio substantialis, siue accidentaria fuerit, quę sufficit, vt cœlos corruptioni obnoxios esse concludamus.

An nouæ stellæ formentur in cœlo.

Tertium denique supponitur illos cometas produci ex terrenis exhalationibus viscosis, resinosis, & pinguibus, vnde cõtinuò cœlos aëris instar fluidos, molles, faciléque peruios esse concludatur. Quibus omnibus Respondeo me non ita parallaxibus credere, cæterisque id generis mathematicis obseruationibus, vt non iudicem eas multis erroribus obnoxias, atq; fallaces esse; quandoquidem est tanta inter nos, & stellas quæ in dimetiendis parallaxibus deseruiunt, distantia, vt in huiusmodi demonstrationibus vix aliquid certi esse videatur; quod maximè confirmatur ex eo, quod Geometræ præstantissimi, à quibus necessariò dimetiendi modos Astronomi sumere debent, vix vnquam ad amussim vllum terrenum interuallum, si præsertim longiusculum fuerit, quotcumque instrumentis, obseruationibus, & experientijs vtantur, deprehenderint, quos tamen sępiùs videas omni iuramento sese obstringere, séque omnibus fortunis, ipsaque vita velle priuari, ni spatium assignatum exactissimè repererint, tametsi non solis lineis, aut digitis, sed & pedibus, & passibus, & perticis, ne quid ampliùs dicam, aberrent.

Solutio parallaxeos.

Geometrarum error.

Quid si decempedæ error in 100 passuum spatio reperiatur, quantus error in 33, aut 52 terræ semidiametrorum distantia continget? Quod si quis nostro hoc sæculo fuerit, qui se doctiorem cæteris existimet, adeout nequidem linea à proposito scopo aberret, prodeat, vt sit nobis vnicus in toto orbe Phœnix, qui tametsi non erraret in modico interuallo, nondum tamen se in immensis cœli spatijs non aberrare obtinuerit, siquidem Deus certam cœli scientiam sibi reseruasse videtur.

Quid si refractiones cometarum incognitæ fefellerint? vt quos Astronomus maximè distantes existimabat, multo propinquiores sint? quid si tam imbecillus radius, & visus fuerit, vt stellarum, cometarumue proprium locum non manifestet? Sed quis omnes causas aperire posset, ob quas in visione hallucinamur? Adde quòd Valesius stellam illam in Cassiopeia visam nouam fuisse pernegat, quandoquidem *perfecti sunt cœli, & terra, & omnis ornatus eorum, compleuitque Deus die sexta opus suum*: quibus verbis facilè refelli potest sententia quorundam Astrologorũ, qui stellam illã, quæ superiori anno, qui erat septuagesimus tertius supra millesimum, & quingentesimum, inquit, apparere cœpit in genu Cassiopeiæ, durauitque per magnam præsentis anni partem, affirmarunt esse nouam, creatámque denuò; non minus quàm deceptus est Hipparchus, nouam stellã suo æuo se putans deprehendisse, quod narrat Plin. l. 2. c. 1. nondum enim fuisset perfectus omnis ornatus cœlorum, si hac stella in hoc vsque sæculum caruisset mundus, essetque iam mutilus nunc, ex quo desijt apparere. Concedenda foret etiam annihilatio, sicut & creatio, cùm tamen scriptum sit 3. Eccles. *Didici quod omnia opera Dei perseuerent in æternum*, durasset vero illa stella minus anno. Qui vt aliquam viam tentaret, qua phænomenon huiuscemodi non fuisse de nouo productum ostenderetur, addit.

Valesius.

Plin.

Eccles 3.

Cùm enim nullam stellam primæ magnitudinis, qualis ea esse videbatur, ibi vnquam extitisse scirent, videretur verò quicquid id esset, quod appareret, supra solem esse, quod nullam haberet parallaxim; alij stellam quidem esse, eamque nouam affirmabant, alij (facilius hoc rati) cometam esse genitum infra cœlum, atque inde agnosci, cœlum non esse alterationis incapax, vt censetur; sed hoc mihi durissimum videtur, illud prorsus falsum censeo, stellam illam à mundi principio ibidem extitisse, ac nunc extare, exiguam adeò, vt videri nisi debiliter non possit, tuncque visam esse increscere vsque ad primam magnitudinem ob aliquam medij mu-

Opinio Valesij.

tationem, quæ tandiu durauit; cùm enim cœli partes non sint æquè crassæ, vt via lactea, & lunæ maculæ, & ipsa astra indicant, fieri potuit, vt ea stella per proprium stelliferi motum inciderit in partem aliquam proximam cœli densiorem reliquis, per quam densatum lumen maioris stellæ speciem exhiberet, deinceps verò inde decedens, videretur esse minor, vt nunc quidem, aliquando videtur exigua, aliquando nulla, vt aër habet.

Quæ tametsi conferre videantur, vt cœlorum corpora omnis corruptionis, & interitus expertia esse videantur, nihilominus tamen non adeò firma sunt, vt cœlorum soliditatem astruere, vel eorum liquiditatem destruere possint: Imo Braheus his Valesij dictis in examen adductis ea nihil concludere, ipsumque Valesium in multis tam ad Astronomiam, quàm Opticam spectantibus non parum errare contendit, & clarè satis ostendit.

Brahe refutat Valesiũ.

Itaque demus stellas nouas in cœlo apparuisse, demus cometas vel semper, vel sæpè in ipsis cœlis motus suos peragere, quandoquidem Braheanæ demonstrationes, cæterorúmque obseruationes id euincere videntur: An ideo cœlorum liquidam naturam admittere cogemur? Minimè quidem, tametsi enim intra cœlos, etiam supra solis orbem aliqui cometæ siti esse videantur, vt cælos aëris instar peruios esse concederemus, priùs ostendendum esset, cometas ex terrenis exhalationibus effici ac solis virtute supra Lunæ, Venerisque cælos attrahi; alioquin enim si cælesti materia concreti sint, & statim nostrum aspectum effugiant, statim in eundem incurrant ob diuersa cælorum interstitia densa, rara, milléque modis tametsi nobis incognitis euariata, non ita facilè conuinces cælos esse permeabiles, vt exhalationes hinc ascendentes aëris instar admittant: paucis igitur de materia cometarum agendum est, vt cælorum soliditatem tueamur.

An cœlum sit liquidũ.

ARTICVLVS IV.

AN COMETÆ LIQVIDITATEM cælorum euincant, déque eorum materia.

NOn est quod de stella noua pluribus hîc agamus, siquidem nihil, aut parum ad stabiliendam cælorum fluidam naturam facere videatur: nec deest locus, in quo de ea, sicut & de stellis omnibus agere possimus; quapropter stylum ad cometarum naturam conuertamus, qui si ex terrenis exhalationibus concrescant, ac supra Venereum orbem ascendant, necesse est nouas cælorum hypotheses ab Aristotelicis astruere. Omnes autem opiniones, quantumcúmque diuersas ad duo capita reuocabo, vel enim cometæ cælestes sunt, eiusdemque cum cælis materiæ, vel eandem cum terra cognitionem, qualem terreni vapores habent.

Quid sint cometæ.

Et quidem cæleste corpus esse, imo cæli sydus aliquod Pythagorici, Hippocrates Chius, Æschylus, & Apollonius Myndius existimarunt, licet inter se differrent; alij siquidem volebant cometas esse lucem, quæ ex planetarum concursu in longum protraheretur, vt Anaxagoras, & Democritus, alij globum cælestem, qui aliquando solis illuminatione fiat visibilis, vt Cardanus 1 de variet. c. 7.

Variæ sententiæ.

Cardan.

Qui verò terrenæ naturæ cometas arbitrati sunt, exhalationem calidam, fumidam, & pinguem constituunt, quæ in suprema aëris regione flammam concipiat, vel eandem exhalationem lumine phebæo perfundi censent, vt Scaliger exercit. 79. in Cardan. Sed præ manibus Plutarch. 3. de placit. Philos. cap. 2. Aristot. 1. Meteor. cap. 6, & 7. Senecam 7. natur. quæst. & alios habemus, qui diuersas opiniones recitent. Hîc tantummodo discutiendum est; an sint exhalationes, necne.

Scalig. Plutar. Aristot.

Cometas igitur inter exhalationes ponendos esse, præterquam quòd Xenophanes, Epigenes, Aristoteles, Alexander, Albertus, Auerroës, D. Thomas, Niphus, Regiomontanus agens de cometa anni 1475, quem infra lunam fuisse contendebat, Voghelinus de cometa anni 1532 censuerunt, hæ rationes conficere videntur.

Cometas esse exhalationes probatur.

Primò si essent corpus cœleste, qualenam? an distinctum à natura stellarum, an stella? si stella; an fixa, vel erratica; non quidem fixa, quia cometæ huc illuc mouentur, non erronea, cùm 7 duntaxat astrui soleant; adde quòd per Zodiacum planetæ ferantur, cometæ verò mouentur in omnem situm; sic enim ab Austro in Septentrionem cometa anni 1618 perrexit. Sed minus vrget hæc ratio, siquidem meritò concludi non possit cometas non esse eiusdem cum cœlo materiæ ex eo quòd, quid illi sint, ignoremus, quandoquidem multa sunt, quæ tametsi certissimum sit existere, nemo tamen quid illa sint, inuestigare valet: nec aliud præter coniecturas de rebus cœlestibus assequimur, si pauca, quæ ad lunæ, solis, cæterorúmque siderum motus, & coniunctiones attinent, exceperis: neque profectò scimus, an Deus cometas siderum instar de nouo erect in terrorem hominum, & maiestatis suæ declarationem; an verò naturaliter, per interualla temporum, ex materia, & efficiente nobis incognitis generentur: an sint ipsæ stellæ, quæ certis de causis è sua sede deijciantur, donec iterum, vel proprium, vel alienum locum repetant: quis scit, an cometæ nouum aliquod planetarum genus efficiant, qui per altissima cœli loca circulo nobis excentrico delati non videantur, cùm autem prope nos descendunt, oculis subijciantur? quos tunc extingui, cùm in altum redeunt, arbitremur, sic enim Apollonius Myndius ex Chaldæorum 1

Seneca.

Chaldæorum doctrina, teste Seneca, sentiebat: quibus noua planetarum inuentio fauere videtur, quos dioptræ beneficio perpetuò circa Iouem decurrentes Galilæus deprehendit; Etenim sicut 3 vidit, alius dioptræ excellentioris ope 5, 7, 100, & alium quempiam numerum tam stellarum, quàm planetarum inuenire poterit.

Dices tamen ex eo planetas excludi, quòd cometarum motus statim celerrimus, mox verò tardior euadat, quod initio maiores, deinceps minores appareant, cùm tamen in fine maiores futuri essent, si planetæ cùm fuerint, descenderent, at multas ob causas fieri potest, vt initio eos esse maiores animaduertamus, fortè siquidem initio radijs solaribus, vel nebulis tegebantur, vel nondum supra nostrum horizontem ascenderant, vel de die solùm ascenderant, adeo vt prius videri non potuerint, quàm omne incrementum suæ magnitudinis accepissent. Ita enim Seneca 7. natur. cap. 15. cometam, qui regnante Attalo in Macedonia conspectus fuit, initio modicum fuisse scribit, tametsi paulo post tam latè diffusus sit, vt tota via lactea compleretur, qua ratione 50 graduum spatium cometes occupauit, quem se vidisse Iouianus Pontanus super Centiloquio Ptolomæi testatur.

Seneca.

Iouian. Pontan.

2. Probatur. Secunda ratio, qua cometas exhalationes esse contendunt, ita se habet; si sint in cœlo, eiusdem cum stellis materiæ, vel semper in cœlo fuerunt, vel nunc primùm generantur, cùm apparent, at quomodo non eas vidimus si semper in cœlo fuerint? si verò recenter producti sint, ergo cœli non minùs, quàm terra, corruptioni obnoxij erunt, contra Philosophum 1. de cælo cap. 3. tex. 20. vbi ait cælum esse ἀγένητον, ἢ ἄφθαρτον ingenerabile, & incorruptibile, ἢ ἀναυξές, ἢ ἀναλλοίωτον, quod nec augeri, vel minui, nec alterari potest. At neque id vrget, siquidem incorruptibilitas cæli nulla valida ratione demonstrari potest, nec id fide certum est, quapropter id negare possumus, tametsi enim in cœlis non ita, sicut in terris corruptionem animaduertamus; minimè tamen inde sequitur, vt nullas mutationes in cœlis admittere possimus, quandoquidem ingens distantia, visusque debilitas impediunt, quominus in cœlo quotidianas vicissitudines (si quæ sint) deprehendamus; quas ferè concludunt illæ de nouo perceptæ tam ab Hipparcho, teste Plinio lib. 11. cap. 11, quàm ab Haly in 2 quadripar. Ptolem. cap. 9, qui in 15 gradu ♏ suprà Veneris orbem, stellam percepit.

Arist.

Plin. Ptolom.

3. Probatur. Tertia ratio est, cometas minui, & augeri, caudatos esse, longos esse, motu irregulari ferri, esse pellucidos, vt per eos stellæ videri possint, cœlum esse liquidum, per quod cometæ, imo planetæ ferrentur, vt pisces in mari, aut aues in aëre, quæ omnia risu digna esse videntur. Quibus paucis respondeo, cometas tametsi rotundos, longos tamen, & caudatos apparere posse, non per substantiam, aut οὐσίαν, sed per ἔμφασιν, quandoquidem nihil aliud est cauda, quàm splendor luminis solaris per cometam diffusi, teste Seneca lib. 7. cap. 26, quod ostenditur radijs per fenestram cubiculum subintrantibus: vnde in cometa anni 1618 memini me in cauda percepisse veluti distinctos radios, quorum aliqui cæteris longiores, & luminosiores apparerent: quod & in prædictis radijs cubiculum ingredientibus discerni potest, vnde & in capite lumen angustius erat, prout lumen solis, aut candelæ in foramine, per quod transit, arctatur; quanto verò magis ab eo recedit, eò dilatatur ampliùs, tametsi paulatim in progressu magis magisque minuatur, & in nihilum abeat: quæ omnia confirmantur ex eo, quòd cauda semper soli sit auersa, quod & Cardanus 4. de subtil. Appianus, & Gemma fusius animaduerterunt, & nuper in nostro vidimus; cùm enim sol in Oriente versaretur, cauda versus Occidentem, cùm sol esset in Occidente, cauda versus Orientem situm suum dirigebat, ac prout sol motu suo gyrabat, ita quoque caudam suam in alium, atque alium mundi situm porrigebat.

Seneca.

De obseruationibus cometæ anni 1618.

Cardan. Appia. Gemma.

Hinc fit, vt cometæ alium modum habeant, quàm stellæ, siquidem ita raræ sint, & simul densæ, vt & lumen recipere, & illud transmittere queant; quòd autem aliquando criniti appareant, verisimile est tum solùm eos fieri, quando sol directè cometæ est oppositus, tunc enim cauda eius in altum spargitur, & caput in medio caudæ cernitur, ex quo crinitus apparet. Superest illa rationis particula, quæ cœlum esse liquidum pro absurdo reputat, quod nos infrà dissoluemus: Tantùm hîc dicendum est minus sequi cœlos esse liquidos ex eo, quòd cometæ cœlestes esse supponantur, quàm si ex terrenis exhalationibus producti sint, quandoquidem si terreni sunt, & tamen supra Venerem ascendant, cœli liquidi necessariò constitui debent; minimè verò si cœlestes, poterunt enim aliquo circulo circunferri, motusque suos efficere, tametsi nulla in cœlis fluiditas admittatur; nec enim multo difficilius esse videtur, quibusdam circulis cometarum cursus, quàm planetarum tueri; tametsi longiùs statim magis ad nosmet accedant, quod antiqui Astronomi licet non ignorarint, non ideo tamen cœlorum materiam fluidam, & aëream, sed eorum soliditatem admiserunt, atque retinuerunt. Hinc vides etiam nouis cometarum obseruationibus admissis cœlos esse posse solidos, cùm planetarum motus, etiamsi admodum diuersi, sphæris firmis, duris, & solidis hactenus explicati sint. Non ergo terreni vapores, aut exhalationes cœlos penetrant, aut transcendunt, quod magis, ac magis ex articulo sequenti constabit, in quo probatur cometas esse cœlestes.

Quomodo cometa crinitus fiat.

ARTICVLVS QVINTVS.

AN PROBARI POSSIT COMETAS ESSE *materiæ cælestis, & an hoc supposito, cælorum fluxa, mollisque natura necessariò concedenda sit.*

NOn desunt ex antiquis, qui cometas materia cœlesti constare dixerint, vt ex auctoribus articulo superiori laudatis constat, præter quos Messahala, Haly in 2. quadrip. & Albumazar (qui anno 844. supra Venerem animaduertit cometam) idem censuêre; quibus Braheus, Cornelius Gemma, Michaël Mœstlinus de cometa anni 1580, Cardanus 4 de subtil. Marcellus Squarcialupus, & Hagecius cum multis alijs qui hoc nostro sæculo florent, addi possunt, sicut & Fienus, & Fromondus. His autem rationibus cometas cœlestes fuisse persuaderi potest.

Messahala Haly. Album.

Fienus.

Cometas cœlestes esse probatur.

I. Non possunt exhalationes tam altè assurgere, quandoquidem nubes, & vapores non vltra 13 milliaria Germanica ascendunt, vt ex vaporum in crepusculis eleuatione, & colorum duratione post solis occasum apparet. nec in vllum sydus, aut planetam illa in cœlos vsque vaporum vel exhalationum attractio referri potest, cùm minimè sydus vllum, aut planetam, nec eius motum cometæ sequantur, vt satis insinuatum est, & in postremo cometa comprobatum, rectà siquidem ad polum vsque stellas omnes percurrit.

2 Deinde cùm 45. gradus in cœlo prædictus cometa occupauerit, plus quàm 100000 milliariorum esse debuit, cui proinde terra pabulum tanto tépore suggerere non potuit, tametsi tota in exhalationes conuersa fuisset; adde quòd exhalationes, aut vapores non appareant prope cometam, quin potiùs cœlo vndequáq; sereno cometa perspicuus cernitur, cui nequidem nubecula, vllusue næuus officit.

Confirmatur.

3. Ratio. Tertiò probatur, si cometæ essent inter exhalationes reponendæ, quomodo tanta motus diuturni pernicitate, quo 24. horarum spatio circa terram vertuntur, non dissiparentur? quomodo seruarent eandem figuram? quomodo tam diu in eodem loco consisterent? cùm tam citò meteora ignita flammis conceptis absumantur? vt in fulmine, trabibus, virgis, stellis cadentibus, cæterisque manifestò cõprobatur, cùm tamen cometæ 7 aut 8. ad minimum diebus, Aristotele teste, perdurent, alioquin enim anno dimidio, vel etiam integro durare possunt; sic enim Iosephus 7 de bello Iudaico refert, quomodo non scintillaret, si esset flamma ignis? quomodo non moueretur rectà, sed in orbem, adeo vt 6 mensium spatio cœli medietatem cometa Senecæ lib. 7. natur. quæst. cap. 23. noster vero quadrantem decurrerit; qui si fuisset meteoron in suprema aëris regione, quibus exhalationibus tot diebus ali potuisset; sed vnde nasci potuissent, cùm per tot prouinciarum vertices, in quibus hyems, æstas, autumnus, tempestas, tranquillitas simul essent, progrederetur? à quibus exhalationes pabulo cometæ destinati ascendere non potuerunt; nec fieri potest, vt à primo mobili circa terram diebus singulis exhalatio rapiatur, quin potiùs eam super eodem ferè loco perciperemus, si inter exhalationes in suprema aëris regione constitueretur.

Duratio cometarum Arist.

Ioseph.

Seneca.

Quartò nulla parallaxis in cometa nostro discerni potuit, siue prope horizontem, siue longè esset ab eo; qui si in aëre, aut loco terræ propinquo constitutus fuisset, vtique manifestam parallaxim, & aspectus ad alias stellas differentiam ostendisset, quandoquidem non est in terræ centro visus noster, sed in eius circunferentia, quod est omnium parallaxium causa: nam tanto maior est parallaxis, quam phænomenon æthereum producit, quanto semidiameter terræ respectu distantiæ à phænomeno magis sensibilis existit, quapropter nullam amplius parallaxim percipimus, quando terræ magnitudo ad phænomeni distantiam instar puncti, aut penè insensibilis est, prout se respectu stellarum habet. 4. Ratio.

Quænã sit causa parallaxis.

Videatur Vvillebror. de paralaxi cometę anni 1618. c. 4.

Superest iam vt scrutemur, an cometæ, cœlestes cùm sint, aut supponantur, cœlorum liquiditatem inferant, necne: In quibus tam distantia, quàm eorum magnitudo, figura, incrementum, aut decrementum, & motus spectari debent: Quæ omnia si cum cœlorum soliditate, & ænea duritie intelligere possumus, salua res est. nec, prout Astronomi recentiores credunt, fluida cœlorum materia illicò statuenda est. Et quidem minimè cœlorum fluiditatem distantia cometarum euincere potest, nisi priùs eos è terrenis exhalationibus compingi supponamus, quod maximè alienum esse debet ab eorum mente, qui cœlestes illos constituunt, quandoquidem cœlestis non est res vlla, nisi ex eadem cum cœlis materia confletur.

Nec quicquam obest, si quandóque Mercurio, imo Venere, & si placet, Ioue superiores fuerint, cùm aliquæ partes cœlorum certis annis ita solaribus radijs, aut aliorum planetarum aspectui possint opponi, vt in se lumen aliquod ad nos postea transmittendum suscipiant. Quid si cœlum vltimum ita crassum constituamus, vt lucis alicuius super omnes cœlos constitutæ radios ad nos vsque pertingere minimè permittat, donec aliqua foramina luci peruia occurrerint, quibus radios quosdam constituto tempore percipiamus?

Varij modi quibus cometas produci posse aliquis excogitare poterit.

Quid si planetæ, aut cometæ nonnulli cœlorum singulorum densitati sic immergantur, vt latus lucis particeps ad nos conuertant nunquam, donec tempus isti conuersioni dicatum eueniat? Quid si cœlos integros, eosque solidos pro phænomenis huiuscemodi constituamus, cum omnibus eccentricis, concentricis, epicyclis, cæterisque circulis, qui ad diuersos cursus, & apparentias cometarum explicandas attinent? quis mutire audeat? quis arguat? cùm hac ætate diuersas hypotheses astronomicis

Inconstantia hypotheseon. Apollonius Myndius circulos istos admittit & inter stellas er-

rantes à Chaldæis reponi. Videatur Seneca. Vvilleb

micis constituere solemne sit, adeout idem astronomus sibiipsi laqueos inijciens, eiusdem rei diuersas regulas, & distincta axiomata ponat.

Vvillebrordus Anaxagoræ subscribens opinioni, qui solē μύδρον διάπυρον massam candentem esse dicebat, vult cometas esse solis per suos crateras eructantis exhalationes, quales in terris ab Ætna, Hecla, Atlante, & Vesuuo monte prodeunt, vt cometa anni 1618 nihil aliud fuerit, quàm ἀναθυμίασις solis. Ideoque ait cometas sæpe non videri, quia radijs solaribus obscurantur, & eius vicinia, priusquam emergant, consumuntur.

Magnitudo caudæ cometarum.

Nec mirum videri debere ait, quod tanta coma è tantillo capite diffundatur, cùm pyrij pulueris granulum vix 200 pedis Romani partem implens, accensum ex se flammam in orbem spargat, cuius diameter quadrantem eiusdem pedis exæquet, vt sit diameter corporis ad diametrum flammæ subquinquagecupla, & globulus ille ignitus ad suum fomitem eam habeat rationem, quàm 125000 ad 1, atque adeò flamma tot millies maior sit ipso fomite. Huius caudæ longitudinem 20000 milliaria germanica superasse, & maiorem fuisse, quàm ipsius cometæ à centro terræ distantia Keplerus epicheremate 2 concludit, licet cometam hunc anni videlicet 1618 tricies luna faciat altiorem, & 2 solùm parallaxeos minuta notet.

Nota.

Distantia cometæ à centro terræ. Kepler.

Quibus pro libito constitutis, quàm facile sit omnia, quæcunque de cometis dicta sunt hactenus, sine cœlestis soliditatis præiudicio, explicare, non est, qui non videat. Hic, autem diuersas hypotheses ad examen adducere nolim, ex quibus plurima de cometis, atque duritie cœli differere possemus; quales sunt, an terra moueatur, cœlo immoto: an sol sit centrum immobile vniuersi: sit totius orbis anima; an eius radij terram, cæteráque sublunaria verberantes, sint vitales spiritus, atque cœlestes ἐκλάμψεις, quibus totú mundum animet, recreet, atq; peruadat; de quibus nonnulla, si Deo placuerit, postmodum enarrabimus, cùm de sole, luna, atque stellis sermo redibit. Patet igitur non deesse modos plurimos, quibus solidam esse cœlorum naturam tueri possimus, tametsi concedatur

Hæ sunt Kepleri cognitiones.

cometas eiusdem esse materiæ cum corporibus cœlestibus, adeout mihi difficilius esse videatur eam soliditatem retinere, si cometæ terrenis exhalationibus constent, quàm si materiæ cœlestis participes fuerint. Multa verò de cometis discutienda forent, quæ relinquimus, cùm de ijs non ex professo, sed tantùm ob solidam cœlorum naturam disseruerimus.

Iuuabit tamen cometarum species adiungere, quas tract. de Cometis attulit Albumazar. Prior Saturnalis dicitur, quæ colore cæruleo, nigro vel cinereo, obscuróue apparet. Iouialis, quæ Argentum vocatur, quique visu suo oculos perstringit, post se pulcherrimum radium habens, purissimi argenti, & lucidissimi instar. 3 dicitur etiam Iouialis, quæ Rosæ nomen habet, magna admodum, nitidéq; refulgens humanam præ se ferens faciem, cuius color est argenteus aureo mixto. Sequentes species Martiales sunt: *Feru* horribilis est aspectu, suumque cursum prope solem efficit. 9 Species Cometarũ ex Albumazare. Feru.

Partica grande corpus habet; quibus *Tenacula, & Matura* rubea iunguntur, quæ 4 species in eo conueniunt, quod sint sanguinolentæ eosdemque motus propemodum efficiant. Octaua est Venerea, quæ *Miles* dicitur, & instar lunæ visa longos crines, seu radios retrorsum emittit, atque terræ circuitum velociter percurrit. Partica. Tenaculá. Miles.

9 Species est Mercurialis, diciturque ab Astrologis Arabibus *Dominus Astoria*, paruus est, coloréq; cæruleo caudam satis longam emittens: De cometis iam multos præmanibus habes præter Astrologos Iudiciarios, qui multa suggerant: Tichonem Braheum integro volumine: Vigenerium, & alios, qui de cometa anni 1618 scripserunt, nec non philosophos tractatu de meteoris; de quorum prædictione, & effectibus nonnihil fortè dicemus, vbi aduersus Iudiciarios, & Genethliacos disceptabimus; Iam verò rationes cæteræ discutiendæ sunt, quibus cœlorum soliditas impugnabatur, duas enim rationes tantùm examinauimus, quæ videlicet ex Optica, & cometarum natura petebantur. Dominus Astoriæ.

ARTICVLVS SEXTVS.

IN QVO DISSOLVVNTVR TRIA RELIQVA ARGVMENTA, quæ soliditatem cœlorum destruere nitebantur.

Tertium argumentum physicum est; quod eò nobiliora esse corpora contendit, quò subtiliora, faciliusque permeabilia fuerint, quod suprà fuit inductione comprobatum. Veruntamen non est, quòd à communi sententia ob rationem tam parui momenti discedamus; quandoquidem præter elementa id minimè verum esse videtur: tametsi enim terra simul crassior, durior, solidiorue, & ignobilior esse censeatur: aqua deinceps, postea verò aër, & ignis sibi inuicem cum soliditate, & crassitie, tum nobilitate succedant, id tamen in cæteris mixtis non obseruatur, quin potiùs modo contrario in illis procedendum est; Adamas enim cæteris gemmis antestans, omnes soliditate vincit, adeout nullis malleis, & incudibus conteri posse veteres existimarint, tametsi quotidiana experientia, omniumque communi calculo id falsum esse constet: Idemque, credo, facilè, si per omnes gemmas, metalla, cæteráq; corpora discurramus, euincemus; paucis admodum exceptis, vt Mercurio & huiusmodi: Etenim cui dubium esse potest, aurum solidius, ac proinde cæteris metallis excellentius esse? plumbum verò, quia fragilius, minúsque durum, ignobilius ab omnibus existimari? Omitto quòd non omnino sit extra controuersiam, an terra sit aqua, hæc verò aëre ignobilior: si enim rei præstantiam ab effectu metiri licet, prorsus euincam elementa cætera postponenda esse terræ, nam ex ea tam quadrupedia, quàm aues, imo & humana corpora produci solent, quæ cæteris creaturis corporeis anteponenda sunt, tametsi ad ea generanda aqua, ignis, & aër suo modo conferãt. Nihil

autem ex spiritibus vitalibus, & animalibus, cæterisque partibus concluditur, cùm illæ partes sint veluti solidarum partium fumi, vapores, & excrementa, vel si vis, alimenta carnis nutritioni dicata, aut instrumenta, quibus solidæ partes suo munere perfunguntur. Quæ verò de formis corporeis adducuntur, quæ visui subiacere nequeunt, nihil ad rem; sunt enim formæ rerum ignobilissimarum tam inuisibiles, quàm rerum præstantissimarum.

Denique contrarium potiùs illa ratio conuincere videtur, si in aduersarios retorqueamus; quid enim aliud sunt stellæ, planetæ, ipseque syderum omnium princeps sol, quàm densiores, atque solidiores cœli partes? Nunquid optimè quis iudicare censebitur, qui corpora illa cæteris anteponenda contendet, quæ ad maius lumen suscipiendum aptiora fuerint? at densiora sunt huiuscemodi. Nunquid ea corpora cæteris anteferri debent, quæ magis durauerint? at eò pluribus annis incorrupta seruari solent, quæ duriora, atque densiora; siquidem fortiora cùm sint, meliùs, & diutiùs omni temporum iniuriæ resistunt, vt in nostris ædificijs clarum est, quæ eò meliora sunt, quò pluribus sæculis integra steterint: quæ dubio procul eò diutiùs permanebunt, quò solidiori, firmiorique materia constiterint; Non ergo cœlorum tollenda est soliditas, vt eorum nobilitas maior appareat, quandoquidem chrystallus solidissima lõgè maiori pretio habetur, quàm si fragilis, atque mollis, & liquida foret, nec tamen id impedit, quominus cœli radios syderum ad nos transmittant, cùm omnis soliditas non inferat opacitatem, quæ sola impedire videtur, ne lux ex aduerso posita videri possit.

Quarta ratio quę cœlorũ liquiditatẽ probare videbatur, dissoluitur.

Quarta ratio petebatur ex nominibus Hebraicis *Rachia, & Samaim*, quibus cœli denominantur: *Rachia* enim rem extensam, & attenuatam, & instar fumi subtilem ostendere videtur: *Samaim* verò ibi aquas esse, vel cœlos instar aquæ fluidos, & molles significat; quæ omnia breuiter euoluenda sunt: & primo quidem רקיע significat extensionem, sed quæ rerum tenuium, liquidarum, simul & solidarum expansionem denotet: quapropter ęquè possumus ex illa dictione conijcere cœlos instar laminæ aureæ, vel argenteæ, vel etiam ęreæ fuisse protensos, atque diffusos, quàm alio modo. שמים *Samaim* verò componitur ex ש, & מים, vt vult R. Nachmanni: vel ex שא, & מים, idest sustine aquas; vel ex שם אש, quòd ibi sit ignis, & מים aqua, quasi Deus ex igne, & aqua simul commixtis cœlos efformarit. Aben Ezra notauit Samaim ex lingua Ismaëlitica significare altum, & supra: cætera quæ circa dictiones istas annotauimus, huc conferre possunt, ideoque vide Problema 8, & 9. Ex quibus efficaciter inferri nequit cœlos esse liquidos, imo potiùs solidos dixero: quandoquidem in modum cortinæ quæ solida est, sicut & pellis extendi dicuntur. Nec obstat, quod Deus nomina rem exprimentia possit imponere; cùm enim id præstat, sufficit ei, si per ea proprietates illæ denotentur, quæ sensibus hominum obnoxiæ fuerint: at sensu nemo percipere valet, an cœli solidi sint, necne, adde quod non Deus, sed Moses hæc nomina vsu cõmuni apud eos, quibus historiam scripsit, recepta, diuinis operibus imposuit, alia dubio procul impositurus, si rem cum ali o populo, vel alterius linguæ hominibus habuisset. Inde factum existimo, vt hisce nominibus, in cœlis describendis vsus fuerit, quòd Israëlitæ non alia haberent, quibus singulas extensiones exprimerent: notum enim est Hebræos paucissimas habere dictiones, fortè quia Deus tam lingua, & sermone, quàm operibus, & vita illos simplices esse volebat: vel quia potiùs intendere solebant rebus, quàm verbis; vixque verborũ duo millia diuersa apud ipsos reperies, quod eos cogebat, vt vnico verbo multa significarent: vnde iam nobis magnæ difficultates in vero sacri codicis sensu eruendo suboriuntur: cum enim animalia, lapides, arbores, & similia commemorant, nescias de quibus loquantur, quia dictio vnica vel omnibus speciebus, vel multis saltem accommodari potest.

R. Nachm

A. Ezra.

Cur his nominib' Moses vsus sit.

Nota.

Vltima ratio ab authoritate desumpta superest, quam alia contraria authoritate facillimè diluere possumus, cùm multos habeamus tam Patres, quã Philosophos, qui cœlos solidos esse supposuerint, adeout hactenus in scholis inauditum esse videatur cœlos esse aëris instar fluidos; hinc enim factũ est, vt Ptolomæus, & qui postea scripserunt, cœlos solidissimos esse crediderint, ad quid enim eccentricos, & epicyclos constituissent: nec obstat quod Patres quidam contrarium sensisse videantur, quandoquidem illi pauci sunt, multóque plures, qui soliditatem admiserunt. Scriptura verò sacra rectè motum solis astris tribuere solet; cùm enim sese nostro captui, quantum fieri potest, aut satis est, accomodet, quid mirum, si rebus, quas videmus, tantummodò tribuat, quod tamen alijs etiam pręcipuè conuenit: tametsi ergo cœlorum ope sidera moueantur, quibus vt nodi ligno, stellæ, atque planetæ continuæ sunt, his, & non illis motum concedit, vt faciliùs concipiamus, quod alioquin nisi ægrè intelligere non potuissemus. Denique quamuis nouos Astronomos opponas, non ideo tamen antiquis præferendi sunt, à quibus Astronomiæ initia didicerunt: nec ideo soliditas statim auferenda est, quòd grauiores difficultates in explicandis cœlestibus phænomenis patiamur, alioqui multa in cæteris scientijs, tametsi omnium comprobata calculo mutanda, neganda, atque delenda essent; Igitur cùm omnia, quæcumque hactenus in cœlis apparuerunt, retenta cœlorum soliditate intelligi, & explicari posse videantur, non est quòd illam tam facilè relinquamus.

At verò operæpretium est, vt alterius sententię soliditatem astruentis, & retinentis argumenta diligenter expendamus, tum vt quilibet videat, quomodo loca Scripturæ sacræ intelligenda sint, quæ vel infirmare, vel astruere cœlorum soliditatem videri possent, tum etiam, vt sciamus, quæ principia in rebus astronomicis, siue clariùs intelligendis, siue fortius stabiliendis ponenda sint, atque retinenda: denique ne sententijs astronomicis Scripturæ veritati præiudicare videamur: neque enim leuiter sententia humanarum artium locis Scripturæ fulcienda est, ne si quando illa sententia minus vera esse deprehendatur, error diuinæ Scripturæ immeritò tribuatur.

ARTICVLVS

ARTICVLVS SEPTIMVS.

IN QVO LOCA SCRIPTVRÆ SACRÆ EXPLICANTVR; quæ cælorum soliditatem inferre videntur, & an reuera illam euincant, necne.

Cœlos esse solidos pro batur. 1.

PRima ratio, quæ soliditati fauet ex Scriptura sumebatur, quæ multa docet, vnde hæc inferri videbatur; & quidem primò cœlos extensos esse, sicut pellem; deinde aperiri, claudi, & complicari: 3 ferreos, & æneos; quartò denique solidos esse, & velut ære fusos affirmat, vt constat ex locis in ratione citatis. Veruntamen vbi fuerint explicata, satis ni fallor, constabit ex illis efficaciter cœlorum soliditatem inferri non posse. Igitur Scripturæ loca, quæ cœlos, sicut pellem, cortinam, conopeum, aulæum, vel speculum fusum extensos esse dicunt, tantùm euincere videntur, verè quidem in magnam latitudinem, & altitudinem expãsos fuisse; quandoquidem aër hac ratione protensus est, tametsi neque durus sit neque solidus; neque enim hîc cælorum natura cum pelle, speculo, & cæteris comparatur, prout solida sunt, sed quatenus in orbem, aut latitudinem explicantur: adde quòd Psal. 103 v. 2 dicitur instar pellis extensum, de aëre intelligi debeat, super quem aquas Deus Genesis initio posuisse dicitur, vt paulò post ostendam: deinde D. Hieron. vertit, *qui extendit velati nihili cœlos.* Isai. 40, qui tamen addit: *& expandit eos velut tabernaculum ad habitandum:* 70 habẽt, qui statuit quasi cameram cœlum; pro pelle seu nihilo קדק cadoq. ὡς καμάραν Vatablus: qui *extendit velut telam cœlos*, vt & Pagninus. Nomen Hebraicum דק doq significat puluerem tenuissimũ, qui teste D. Hier. vento raptante sæpè in oculos mittitur, & tam tenuis est, vt non videatur, tametsi sentiatur. καμάρα vero à καμαρόω, id est φιλοτεχνῶ summa arte laboro: quia cœlos arte summa Deus excussit, elaborauit, atque rotundauit, idemque verbum Hebraicum דקק daqak significare potest, videlicet contundere, & extendere, & extenuare. Ex quibus inferri debet Deum faciliùs cœlos, quàm opilionem pellem extendisse; ita tamen, vt extensio sit rebus solidis, ac liquidis communis: sic enim terræ Isaias c. 42 extensionem tribuit. Hinc vides locum hũc nõ necessariò soliditatẽ cœlorum inferre; cum daqah tem quamlibet tenuem, & quamlibet subtilitatem significet: vnde דקיקה daquiqua sumitur ab Astrologis pro momento, seu puncto, & minuto temporis.

Psal 103. — Hiero n. Isai. 40. LXX. — Vatab. — דק — Isai. 42.

Obiectio.

Dices firmamentum, quod æstimatur solidum, cùm ei stellę inhęreant nomine extensionis significari, quia *Rakia* רקיע expansionem significat, ac proinde cæteros cęlos solidos esse debere, quòd autẽ firmamentum sit solidum ex eo constat, quod super se aquas contineat, quibus, vt respõderi possit, inquirendum est, quid nomine *Raquia*, seu firmamenti, quod 70 verterunt στερέωμα intelligendũ sit, quidue per aquas, quæ sunt supra firmamentum, his enim excussis res illustrior apparebit.

Quid per aquas quæ super cælos esse dicuntur, quidue per firmamentum Raquia *intelligendum sit.*

מרקיע discutitur.

TAmetsi non desint, qui cœlum stellatum per firmamentum intelligant, de quo iam non pauca in problematibus dicta sunt, attamen longè probabilius esse videtur regionem aëris intelligendam esse; siue cœli eiusd. cum eo naturæ, siue distinctæ fuerint; vnde sunt, qui animaduertant רקיע semper aërem significare, quoties additur ה demonstratiuum; quo ferè modo Philosophus lib. 1. de cœlo distinguit inter οὐρανόν, καὶ τὸν δὲ τὸν οὐρανόν; Lucretius etiam ostendit aërem, cœlum ab antiquis vocatum esse.

Arist. — Lucret.

Sunt etiam, quæ sponte sua gignuntur, & ipsa
Constituuntur in hoc cœlo, qui dicitur aër.

Sic igitur Moses dixit de aquis hocce die tertio. *Congregentur aquæ, quæ sunt sub cœlo, seu aëre:* de quo dixerat, *diuisit aquas ab aquis:* vnde vbi Psal. 18 legimus: *& opera manuum eius annuntiat firmamentum:* Chaldæus Interpres habet. *Qui contemplantur cœlos, enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius demonstrant, qui rimantur aëra,* vbi הרקיע per אוירא exponitur; & R. Aben Ezra ait. Ecce השמים denotat reuolutiones stellarum, at הרקיע aerem indigitat; qui inter cœlum, & terram, (Genebrardus addit) latissimè expansus est: in quo mirabilia meteora cernuntur, quæ & ipsa docent, & prædicant Dei opera, atque effectus admirandos.

Psalm. 18. — Chaldaic. paraph. — R. Ezra. — Genebr.

Sic etiam Ezech. 1. ter legitur הרקיע cum ה hajedia, vbi pro aëre sumitur; quandoquidem nubes, à qua prodierunt animalia 4, in hac aëris regione fuit: pro qua sumitur etiam in locis illis in quibus cœlum claudi, & aperiri, æneúmque esse, ac ferreum dicitur, vt Deut. 28. Simili modo sumitur Samaim, vt cùm dicitur, *& aquæ omnes, quæ super cælos sunt laudent nomen Domini.* idest super expansionem hanc aëream, vt R. Dauid explicat, in qua nubes versantur; quòd confirmatur, ex eo, quòd vbi dicitur, *Laudate eum cæli cælorum*, habeatur שמי השמים ac proinde debet esse aliquid diuersum à cœlis, de quibus in eodem versiculo Propheta loquitur; quod etiam legimus Deut. 10. & 3 Reg. 8; *si enim cælum, & cæli cælorum te capere non possunt.* Eodem sensu accipiendum est, quod habetur Daniel. 12 *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti* הרקיע *harakia*; hic enim propheta duplicis splendoris meminit, stellarum, & firmamenti; quasi loqueretur de splendore loci, seu spatij illius, in quo stellæ mouentur, id apprehendere non possemus, quandoquidem nulla luce, quæ

Ezech. 1. — Deut. 28. — R. Dauid. — Deut. 10. 3 Reg. 8. Daniel. 12.

à nobis videri possit, ille locus ob summam essentiæ tenuitatem, atque subtilitatem imbuitur; splẽdor autem aeris dicitur, qui cùm variè solaribus radiis illustratur, colore diuerso tingitur; purior quidem pars, quæ supra meteoricam regionem sita est, & ad cœlum vsque sese extendit, nullo colore afficitur, cum sit eiusdem cum cœlo tenuitatis, & diaphaneitatis: At impurior pars, seu meteorica exhalationibus obnoxia, quæ 3 in partes dispescitur, nigricantem, albicantem, & cæruleam, coloribus imbuitur; nigrior enim fit circa horizontem, vbi crassior, pluribusque vaporibus obsitus est: Albicat autem idem aër ob tenuiores exhalationes, vt patet in crepusculis, in quibus lucido colore tingitur. 3 denique pars est cærulea: Non est tamen negandum, quin aliquando *Raquia* pro vero cœlo sidereo sumatur, maximè cùm adiungitur שמים, vt cum versu 15 huiusce capitis dicuntur luminaria lucere *in firmamento cœli*. His adde Thargum Hierosolym. teste Elia in obseruation. ad Lexicon Kimxi, in quo הרקיע per אוירא רשמיא aërem expansi explicatur, cui R. Aben Ezra suffragatur: & R. Salomon aduertit non esse dictum aquas esse super firmamentum, sed מעל desuper; sunt enim velut in aëre suspẽsæ; sic etiam firmamentũ de cœlo R. Kimhi in Psal. 76 & 147 explicat: & Iosephus de cœlo humido, ac pluuio interpretatur.

Pars aëris meteorica triplex

Tharg. Hierosl. Elias.

R. Ezra. R. Salom.

R. Kimi. Ioseph.

Idem verò probari potest ex Patribus, vt D. August. 2. de Gen. ad lit. c. 4, qui aërem intelligit non solùm cùm sermone communi cœlum serenum, & nubilum dicimus, sed etiam consuetudine scripturarum, vt cùm dicuntur volatilia cœli, quæ manifestum est in hoc aëre volare: & Dominus cùm de nubibus loqueretur: *faciem*, inquit, *cœli potestis probare*, cætera quæ D. August. habet, quia clara sunt, addere liber.

August.

Nubes autem etiam per proximum terris aërem conglobari sæpe cernimus, cùm per decliuia iugorum ita recumbunt, vt plerunque excedantur etiam cacuminibus montium. Cùm ergo probasset & hunc aërem cœlum dici, nulla alia causa firmamentum appellatum voluit existimari, nisi quia interuallum eius diuidit inter quosdam vapores aquarum, & istas aquas, quæ corpulentiùs in terris fluitant. Et nubes quippe, sicut experti sunt, qui inter eas in montibus ambulauerunt, congregatione, & conglobatione minutissimarum guttarum talem speciem reddunt; quæ si spissantur ampliùs, vt coniungantur in vnam grandem plures guttæ minimæ, non eam patitur aer apud se teneri, sed eius ponderi ad ima dat locum, & hæc est pluuia. Ergo ex aere, qui est inter vapores humidos, vnde superiùs nubila conglobantur, & maria subterfusa, ostendere ille voluit esse cœlum inter aquam, & aquam: quod ita D. August. probat, vt eum laudet, qui talem explicationem inuenit: *Quod enim*, inquit, *ille dixit, neque contra fidem est, & in promptu posito documento credi potest.*

Idemque sentiunt D. Basil. hom. 3 hexam. & D. Ambr. l. 2. c. 4. sic etiam non pauci recentiores sentiunt, præcipuè verò Pererius, qui Catharinum acriter confutat: & extensionem, quam *Raquia* significat, 4 modis explicat: primò cùm fit per dilatationem, qua verbi gratia quælibet auri massa in tenuissimas laminas dilatatur, & extenditur. 2 per rarefactionem, vt aqua subiecto igne feruescens, quæ in ampliorem molem extenditur. 3 accretione naturali, prout infans secundum omnes dimensiones adolescit, & in maiorem magnitudinem extenditur. 4 denique per explicationem, quomodo cortinæ, & tabernacula solent explicari. Fateturq;

Basil. Ambros.

Extẽsio firmamenti quadruplex.

Mosem aliquando pro hac infima aëris parte, aliquando pro suprema, in qua sunt luminaria, atque stellæ, firmamentum sumere; & ex consequenti post diffusum sermonem cõcludit aquas illas quæ super cœlos sunt, & super firmamentum, nihil esse aliud, quam aquas, quæ in media aëris regione formantur, quæ postea vel in pluuias, vel in alia meteora conuertuntur.

Aslacus refert 6 rationes, quibus aliquis contendebat probare firmamentum, de quo hîc est sermo, & super quod aquæ dicuntur esse, non aërẽ, sed cœlum stellatum significare; qui primò statuebat id disertis, & perspicuis verbis à Scriptura sacra astrui: deinde supponebat רקיע continere stellas errantes, & stellas ex Mosis sententia, nec vnquam pro aëre sumi *Raquia*; quæ omnia probanda essent, antequam assererentur, nec tamen reprehendendi sunt 70, quod στερέωμα firmamentũ, & nõ ἔλασμα expansionem posuerint, quandoquidem aër eo sensu στερέωμα firmum, & firmamentum dici potest, quòd æquè discriminet aquas ab aquis, ac si æneum esset; vel quod suo frigore vapores, & exhalationes firmet, induret, & sæpius in lapides, & grandinem conuertat: vel denique firmiter in suo loco remaneat, nec cum hac inferiori regione commisceatur.

Aslac.

70 defenduntur.

Loca verò cætera quæ claudi, & aperiri cœlos aiunt, vel ferreos affirmant, facillimè de nubibus, & aëre intelligi, & explicari possunt, cùm in illis locis de annona, de fœcunditate, ac sterilitate terræ sermo fiat: sic Gen. 7. *cataractæ cœli apertæ sunt*, vt diluuio montes tegerentur; sic etiam Gen. 8. *Fontes abyssi clausi sunt*; ideóque nubes vocantur vtres cæli: eodem modo explicandæ sunt visiones, quæ in cælo factæ esse dicuntur, vt Act. 10 cùm D. Petrus vidit linteum, seu vas quoddam descendere, quod animalia munda, & immunda contineret: Sic etiam clauduntur cæli, cùm tempore suo pluuias non emittunt, quod Deus minatur Deut. 11: hinc autem æneum, & ferreum Leuit. 26, & Deut. 28 dicitur: cùm enim ita nubes constringuntur, vt non pluat, claudi, & ęneum fieri, cùm verò resoluuntur in pluuias, cælum aperiri dicitur. Vnicus Iobi locus reliquus esse videtur, qui nobis negotium facessere possit, in quo proinde discutiendo non impigrè laborandum est.

Gen. 7. Gen. 8.

Act. 10.

Deut. 11. Leuit. 26. Deut. 28.

Itaque versum istum 18 capitis 37. libri Iob. *Tu forsitan cum eo fabricatus es cœlos, qui solidissimi, quasi ære fusi sunt*, non tantùm de cælis illis intelligunt Interpretes, in quibus astra reponuntur, sed de aerea regione, adeo vt Pineda sensum hunc tanquam bene cohærentem amplectatur, cùm paraphrasis Chaldaica in Tygurina, & Regia, legat æthera: Caietanus vero, *ad calos*, vel *vsque ad calos* propter articulum ל, itaut locum hunc de aeris expãsione à terra vsque ad lunam intelligat. Adde quod verbum hebraicum sit indifferens ad denotandos cælestes orbes, aut nubes, vel aerem, vt patet ex Psal. 17 *Tenebrosa aqua in nubibus aeris*: Iob igitur, inquit Pineda, post absolutissimam tempestatis, & rerum meteorarum descriptionem, proponit nunc immensam istam aeris regionem longè, latéque extensam, quæ sit velut theatrum, in quo tot mutationes natura exhibet. Vt autem non est opus firmamentum concidere durum, vt lapidem, ita neque cælos, qui diuinam potentiam in eo prædicant, quod tametsi fluxę sint, labilisque naturæ, eorum tamen duratio non sit minus perpetua, quàm si firmissimi essent, & velut ære fusi: prętererea aer, dici

Iobi locus c. 37 fusè discussus.

Psal. 17.

dici potest firmissimus, quia fortissimus, & violentissimus: vnde Seneca de aere, quem spiritum nuncupat, ita loquitur l. 4 natur. quæst.

Seneca.

Hoc quid aliud nisi intentio spiritus, sine qua nihil validum, contra quam nihil validum est? Quid est autem quod magis credatur ex semetipso habere intensionem, quàm spiritus? hunc intendi quis negabit, cùm viderit iactari terram cum montibus, tecta, murósque plures & magnas cum populis vrbes, cùm toties maria litoribus? ostendit intensionem spiritus velocitas eius, & deductio. Cùm igitur textum hunc de aere explicare possimus, nihil contra primam sententiam, aut parum facere videtur.

Ad cuius explicationem, & illustrationem versiones afferamus, si tamen priùs aduertas nonnullos perperam verba istius loci explicare, vt ab eo argumento, sese expediant: dicunt enim non esse legendum *ære*, sed *aere*, quod omnino ridiculum est, & falsum: meliùs alij solidissimum pro æterno explicant, quia sicut res solida diu durat, ita & cœli, qui eatenus solidissimi dicuntur, quatenus sunt incorruptibiles: Quo ferè modo corpus, aut corporeum de Angelis, imo & de Deo aliquando dictum fuisse reperias, quia nonnulli per rem corpoream, & solidam, rem veram, non chimericam, & fictitiam intelligunt, inter quos primas obtinent, qui præter corpora nihil verum esse censebant. Septuaginta legunt, στερεώσεις μετ' αὐτοῦ εἰς παλαιώματα, ἰσχυροὶ ὡς ὅρασις ἐκχύσεως i. *firmabit cum eo antiquitates, fortes, vt inspectiones infusionis.* Hebraicus textus habet תַּרְקִיעַ עִמּוֹ לִשְׁחָקִים חֲזָקִים כִּרְאִי מוּצָק: *Tarquiah himmo lischaquim chazaquim Kiri moutsaq.* quod Vatablus vertit, Num extendisti cum eo cælos, qui sunt fortes sicut speculum fusum; & in annotationibus ait esse dicendum ad verbum, velut aspectus rei fusæ, idest, qui sunt perspicui, vt vitrũ perspicuum est; Imo longè magis cœli perspicui sunt, quàm vlla chrystallus, aut vitrum vllum, quãdo densius est, ad nos rerum externarũ simulachra transmittit, tametsi maxima cælorum, & aeris densitas nullatenus illas species impediat, vt constat ex eo, quòd 2 luminaria, planetas, & stellas clarissimè cernimus.

LXX Inter.

Vatabl.

Placet autem, vt nihil in hac materia supersit, afferre, quæ Rabini hac in parte sentiunt: Primò, R. Simeon Iarchi, quem Rabini hisce tribus literis רשי *Raschi* scribunt, hanc dictionẽ חֲזָקִים *chazaquim*, quã vulgata vertit, *solidissimi*, per הרקיעים *harequiim* id est expansi, seu deducti interpretatur. Aben Esra notat שְׁחָקִים *Schechaquim* idem esse, ac supra nubes, cælos autem sic appellari, quòd sint אויר דק *auer dac* idest, aer tenuis, iuxta illud Deut. 30 v. 36 וְשָׁחַקְתָּ מִמֶּנָּה הָדֵק Et comminuus eum in tenuem puluerem (loquitur de thymiamate: est enim à radice שָׁחַק *Saquac* idest, conterere, & comminuere: quibus subiungit, vocantur רק & רקיע *Rach*, & *Raquiah*, & sunt infra sphæras, indigentque Deo, qui sustentet ipsam expansionem cœlorum, vt reddat eos חֲזָקִים *chazaquim* firmos, & validos, à radice חזק *chazaq* inualuit, fortis fuit, roboratus, & confirmatus fuit: sunt autem, inquit כראי מוצק *chiri Mouthac*, sicut visio fusionis, quia ex eis videtur lumen. Vnde R. Leui Ben Gersom interpretatur sicut visio fusionis, quæ est, vt visio vitri, seu gemmæ nitidissimæ, nimirum sapphiri, atque ideo חזקים dicuntur, quia verè sunt sapphiri: Hic notat Massora parua semel duntaxat in tota Scriptura, idque hoc in loco vocẽ hanc כְּרְאִי haberi: quæ speculum significat, vt sit sensus nubes esse instar speculi ob claritatem: & quidem vocare possumus cælos, quos hic vertit Pagninus æthera fortia, specula speculorum, quibus nostra siue vitrea fuerint, siue chrystallina comparari nequeũt; quandoquidem opaca sunt, maximè vero chalybea: radix est רָאָה *raah* vidit, vnde ראי *rei* speculum.

R. Iarhi.

Ab Esra.

Deut. 30.

R. Leui.

Massora parua.

Pagnin.

Vbi obseruandum est eandem dictionem significare stercus, & visu abominabile, vt videre est c. 3 Nahum versic. 6. vbi propheta Deum loquentem inducit, & vrbi Niniue pœnas minitantem: *ponam te vt stercus* כראי quæ est eadem dictio, quam Massora negauerat alibi reperiri, nisi quod aliam habet vocalem, siue punctum aliud, cùm tamen sint eædem omnino literæ.

Nahum 3.

Locum hunc Vatablus sanctæ Inquisitionis iussu correctus, & Salmanticæ editus anno 1584 sic reddit; *An cum ipso extendebas æthera ita solidam, vt videatur res fusilis?* Pro quibus Aquila legit αὐτὸς ἐστερέωσε τὸν οὐρανὸν ἐν ἰσχυροῖς, ὡς ὅρασις συγχύσεως; *ipse firmauit cælum in confusionibus: valida, velut aspectus fusionis*, adest, vt Nobilius Flaminius aduertit: *ipse ab antiquo firmamentum fecit validum, & firmum ex fluxili, & fusili natura aquarũ, suntque cum eo congelationes, & quasi κρυσταλλώσεις, mutationes in chrystallum: attamen aspectus eius est, sicut aspectus fusionis, idest aquea, & fusæ substantiæ.* S. August. vocem στερεώσεις accipit pro secunda persona futuri, vt idem aduertit, fortasse propiùs ad hebræum, sed ita hunc locum affert coniunctè cũ superioribus, *quiescente terra ab Austro, firmabis cum eo cælos, qui æqualiter ad videndum fusi sunt.* Septuaginta iussu Sixti 5 editi Romæ 1588 sic habent: *firmationes cum eo in antiquitates, validæ, vt visio effusionis.* Paraphrasis Chaldaica: *Extendisti cum eo æthera valida, quorum aspectus sicut speculum fusile.*

Vatabl. correctus.

Aquila.

Nob. flam.

August.

LXX Romæ editi.

Quibus præmissis, quid ex eo loco possit inferri, breuiter edisseo: Imprimis autem non ita cælorũ soliditati, ac duritiei fauere puto, quin eorum liquiditatem, ac fluidam naturam admittere possimus, vt satis ex ijs, quæ nuper attulimus, constat, quandoquidem verus istius loci sensus, atque scopus est, vt diuinæ maiestatis infinitam potentiã suspiciamus, atque veneremur, quæ in eo maximè perspicitur, quòd natura fluxilis, qualis est aerea, ætherea, & aquea, tam firmiter in suo situ persistat, ac si ex fortissima chrystallo, aut alia quapiam durissima materia conflaretur. Quòd ex eo magis, ac magis confirmo, quod translationes diuersæ, imo textus Hebraicus, & vulgata spectare videantur illam pulchritudinem, quæ per cælos luminis beneficio dispersa est, cùm cælos speculo conferant: at dubio procul non videntur cæli partes supremæ, imo neque infimæ, si per eas cæli principium à luna sumamus: non quod oculi potentia illucusque ferri non possit, aut species intentionales à loco tam dissito hucúsque pertingere non valeant, sed quia partes cæli ob raritatem, summamq; diaphaneitatem aciem oculorum terminare nequeunt, vt aliquot experientiis confirmari potest, nam cùm ob oculos vitrum aliquod tersum, & maximè diaphanum statuis, vix illud percipis, ex eo quòd visum vix terminet opacitatis defectu; idemque cõtingit in aqua limpidissima, & in nostro aere quã maximè, nec enim cùm opacitatis, tum coloris, & lucis defectu cerni potest, non quod lumen non suscipiat, sed quia non terminat. Quod autem velut cæruleum discernimus, oculis in altum sublatis,

Quod cæli non videantur, nec videri possint.

vbi ſerenum adeſt, quid aliud eſſe putas præter aërem, quem confuſo intuitu percipimus? hæc enim eſt vniuſcuiuſque diaphani natura, vt, ſi videtur, veluti cæruleum, aut ſubnigricans appareat, vt cernere eſt, dum in montis vertice poſiti 8, aut decem leucas oculo metimur.

Nec dubio procul aſtra videremus, ſi æquè rara eſſent, atque cæli: vnde vix quaſdam lunæ partes, vt pote plus nimio raras aſpicimus, nec quid ſint illæ maculæ iudicare poſſumus: nec quid ſit via lactea ſtellarum inſtar fulgida quia rarior.

Verùm ad alias rationes progrediamur, ſi tamē priùs aduertas ex illo Iobi loco nihil inferri, quia Iob vel Deus non loquitur, ſed Eliu, qui à cap. 35 vſque ad 38 ſemper loquitur, cuius dicta omnia tanquam vera probare non tenemur.

ARTICVLVS VIII.

IN QVO DISSOLVVNTVR RATIONES, quæ cælorum naturam ſolidam, & duram inferre videntur.

1 Ratio diſſoluitur. PRima ratio fuit cœlos ſolidos eſſe debere, cùm ſolida corpora contineant, ſtellas videlicet: ſed quæ debilis eſt admodum, nedicam ridicula, quandoquidem aer terram vndequâque complectitur, & aqua ſæpè magna nauigia, imo & inſulas natantes, tametſi, nec aqua, nec aer, ſolida ſint: ſed vereor ne putes ſtellas graues eſſe, quæ ſuo pondere, atque nutu deorſum ruere poſſint, niſi ab æthereа regione fulciantur, cùm tamen hiſce terrenis qualitatibus cæli exuti ſint: quid obſecro facilius, ſed quid Scripturæ ſacræ conuenientius, quàm, vt concipiamus Dei mandato ſtellas ſuis in ſedibus repoſitas eſſe, quas illis Deus ita præſcripſit, vt extra digredi nequeant, cùm initio dixit: *fiant luminaria in firmamento*, ſiue in expanſo, vt textus Hebraicus ſonat, quibus etiam hanc virtutem indidit, vt ſeſe moueant per eos circuitus eo modo, quo Deus ſtatuit. Adde quòd nullum ſit periculum, vt ſtellæ decidant, cùm nullum habeant inſitum appetitum, aut innatam inclinationem ad terram, quæ fortè neque eſt mundi centrum, vt hactenus ab omnibus ferè creditum eſt, neque eo modo ſita, quo concipimus, ſed de his poſtea latiùs.

2 Ratio diſcutitur. 2. Cor 12. Secunda ratio vult vnicum cælum aſſerendum eſſe, ſi ſemel cælos eſſe fluidos admittamus, cùm tamen D. Paulus 2 Cor. 12. 3 conſtituat: Cui ſatisfiet, ſi conceſſerimus vnicum eſſe cœlum æthereum, in quo ſtellæ atque planetæ moueantur, nec enim vllum incommodum inde ſequi puto, quandoquidem æther tantam denſitatem, quamuis aëris inſtar facilè cedentem obtinet, vt ſtellæ in ſuprema parte, ſuóque deinceps ordine planetæ in inferioribus partibus collocati ſint, nec enim quidquam derogatur aſtrorum inter ſe diſtantiæ, neque motibus, vt alibi ex profeſſo demonſtrabitur.

Quod ad Apoſtoli loca pertinet, in quibus 3 cęlos affirmare, eorumque penetrationem inſinuare videtur, non vna eſt omnium ſententia: Etenim D. Thom. D. Thomas 22. q. 175. a. 3. ad 4 de viſionibus explicat, idque tripliciter, cuius verba ſequuntur. *Alio modo per tertium cælum poteſt intelligi aliqua viſio ſupramundana, quæ poteſt dici tertium cælum triplici modo: 1. ſecundum ordinem potentiarum cognoſcitiuarum, vt primum cælum dicatur viſio ſupramundana corporalis, quæ fit per ſenſum, ſicut viſa eſt manus ſcribentis in pariete Daniel. 5: Secundum cælum ſit viſio imaginaria, quam vidit Iſaias, & Ioan. in Apocal. Tertium verò cælum dicatur viſio intellectualis, vt Auguſt. exponit. 12. ſuper Gen. ad liter.*

(Margin: De triplici cælo D. Pauli. — Daniel. 5. — Auguſtin.)

Secundò, tertium cælum dici poteſt ſecundum ordinem cognoſcibilium, vt primum cælum dicatur cognitio cæleſtium corporum: 2 cognitio cæleſtium ſpirituum. 3. ipſius Dei cognitio. 3 modo cælum 3 dicitur ipſius Dei contemplatio ſecundum diuerſos gradus cognitionis, qua Deus videtur, quorum 1 pertinet ad Angelos infimæ Hierarchiæ. 2 ad Angelos mediæ. 3 ad Angelos ſupremæ, cum quibus D. Paulus Dei maieſtatem contemplatus illum ignem charitatis conceperit, quo totum orbem inflammauit.

Alij numerum ternarium pro multis ſumunt, cùm ſæpiùs pro omnibus vſurpetur, vt Amos 1. *ſuper tribus ſceleribus Damaſci*, ideſt omnibus: & 2 ad Cor. 12 *ter Dominum rogaui*, hoc eſt, ſæpiùs. Alij dicūt aerem eſſe primum cælum, iuxta id volucres cæli. 2 ſydereum. 3 empyreum, ita Damaſc. 2 de fide orthod. c. 6. vnde nihil prorſus cōtra cœlorum fluiditatem ſequitur. Nec proficis, ſi penetrationem vrgeas ex c. 4 ad Hebræos; nec enim exiſtimo loqui D. Paulum de penetratione philoſophica, qua in eodem loco 2 corpora ſimul per dimenſionum penetrationem eſſe poſſunt, verùm de penetratione, quam vulgus vſurpat, dum ſpatium aliquod celebriter quis pertranſit, ac ſi volaret; Tametſi verò de penetratione phyſica intelligendus eſſet, non illicò concedendum eſt cælos eſſe ſolidos, quandoquidem res fluxæ, atque labiles, aqua, aër, æther & ſi quid ſubtilius eſt, penetrari, ſeque inuicem penetrare poſſunt, cùm dimenſionem partium quantitatiuam habeant, quod ſolummodo in penetratione requiritur: Neque profectò timendum eſt, ne fides noſtra cadat, ſi locum hunc ad myſteriorum noſtrorum confirmationem non afferamus, non tantùm, quia nobis alia ſuppetunt, ex quibus penetratio Deo poſſibilis, & iam exhibita demonſtretur, verùm etiam quia fides noſtra non vltimò in hunc, aut illum Scripturæ locum, imo neque in totam Scripturam, cōtra Caluinum, & Lutherum, ſicut neque in internam, & immediatam reuelationem, ſeu teſtimonium internum Spiritusſancti, contra Suencfellium, & alios Libertinos, ſed in Eccleſiam, quæ eſt fidei regula, ſiue in Scripturam ab Eccleſia explicatā reſoluitur, quod locum Theologi docent 2. 2. initio. D. Thomas *penetrauit* ita explicat, *penitus intrauit*, quo ſenſu domum aliquam penetrare dicimur, quando non ſolùm limen ianuæ, ſed ipſa interiora domus ingredimur.

(Margin: Amos 1. 2. ad Cor. 12. — Damaſcen. — Ad Hebr. 4. — Quam penetrationē diuina virtute intelligere fine qua æque impoſſibile eſt 2 partes æris, ac 2 partes ferri ſeſe penetrare. — In quid ſit analyſis fidei.)

Quid ſit Galaxia. Sequitur Galaxia, ex qua vix pro cælorum ſoliditate rationē ducere poſſis, nec enim cōſtat inter Philoſophos, quid illa fuerit, quandoquidem alij viam

viam illam lacteam in aëre, alij in cœlo collocant; Pythagoræi dicunt esse reliquias incendij, cùm sidus aliquod è suo loco decidit, & spatiũ, per quod transierit, inflammat, Metrodorus solem illac latum; Alij solis radiorum reflexionem, Parmenides densi, rarique mistionem, Anaxagoras siderũ quorundam lucem, Plutarchus vinarum stellarum collustrationem, alij circulum in aëre extensum, Aristoteles continuatæ exhalationis incensionem, alij denique densiores firmamenti partes galaxiam existimarunt, quæ nunquam à Cassiopeia, Cygno, Aquila, Sagittarij telo, Scorpij cauda, Cẽtauro, Argo, Geminorum pedibus, Heniocho, & Perseo recedit. Equidem omnium probabiliorem sententiam eorum credidero, qui viam lacteam paulo densiores firmamenti, seu cœli partes esse putant, at quicquid sit, cœlorum duritiem, & soliditatem minimè conuincit: sæpius enim aquam alia densiorem videmus, quæ tamen nec dura, nec solida est, sic maris vnda, fontanis aquis, & aqua frigida bulliente densior est, tametsi minimè solida. De Galaxia videri potest Franciscus Patricius 16 Pancosmiæ, & Goclenius qui putat cometarum materiam in Galaxiam absumi, sed perperam, cùm sint cometæ corruptioni obnoxiæ, galaxia verò eiusdem expers; rectè tamen opinionem Theophrasti reijcit, qui vestigium coalitus duorum hemisphæriorum galaxiam arbitratus est, cùm illa non φύσει, sed θέσει sint; hanc verò stellis non esse inferiorem probant, quia lunæ, & planetarum aspectus cum galaxia comparatarum παράλλαξιν afferunt: Non desunt qui lacteam viam asserant plurimas stellas esse, quæ lumen debilius ex se fundant, colori magis, & fumo albicanti, quàm lumini simile. Quod autem attinet ad cœlum beatorum quod vitro, atque chrystallo comparatur, non est, cur inquiramus; id enim parum, aut nihil ad quæstionem propositam facit, loquimur enim de cœlis, in quibus sidera nostris oculis obiecta curriculum peragunt.

Pythag. Metrod. Parmen. Anax.

Per quas constellationes Galaxia transeat.

Nouo telescopio stellas plurimas in Galaxia reperierunt.

F. Patric. Gocl.

Theophrastus.

Cætera magis astrologica videntur, etenim orbes solidi tantùm constituti sunt, vt stellarum, planetarumque globos circumferrent, quod minimè necessarium est: imo potiùs incommodum videbitur, si pro planeta tam paruo tantus orbis admittatur: nec enim difficilius est, vt sidus per æthera sese moueat, aut moueatur, quàm vt orbis ipse gyros suos perficiat, itaq; facilè negamus tot esse ponendos orbes cœlestes, quot astra fuerint, quæ sine orbibus illis fictitiis, si non κύκλῳ, vel δίνῃ volutatione, aut circumgyratione, saltem φορᾷ seu progressu, vel processu cieri poterunt: sic enim sphæræ metallicæ displosis tormẽtis bellicis virtute pulueris pyrij ad obiectã metam simplici, & citatissimo gressu trãsuolant sine volutatione, aut circumgyratione; quæ rapidissimam illam motionem acerrimos oculorum sensus fugientem præpedirent, atque retardarent.

Explicatur quo modo astra moueri possint in cœlis liquidis.

At, inquiunt, si rapida illa motionis pernicitate sidera moueantur, cœlum findant, secent æthera, camposque cœlestes diuidant omnino necesse est. Quid inde? nunquid ipsæ nubes, aues, & quicquid proijcitur, aut apud nos mouetur, aërem scindit? cur pari modo non secabitur æther, qui post transitum astri celerrimè coëat, nec enim vllum est vacui periculum, sicut nec in aëre, neque tamen propterea cœli corruptionem, aut vllum detrimentum patientur, quid enim obsecro nocet aquæ, si pisces illã diuidãt, si nauigia sulcẽt, si quolibet gressu secetur aër? an ideo minus durabit? an corrũpitur? an minuitur? An quia stellæ, vel saltem planetæ duplicẽ motũ simul habere nequeunt, nisi a orbes vnũ propriũm, alterum externum habeant? Sed nunquid is, à quo orbes moueri dicunt, ipsa sidera motu diurno rapere poterit, quæ interim motu proprio in aliam partem vergant? Verùm alio postea loco de motu siderum agendum erit, nec enim ita certum est stellas, & planetas motibus contrariis cieri, quin contrarium defendi possit.

De motu siderum cõtrario.

Quæ verò subiungũt de motu aëris, incerta sunt; imo probabilius est aërem, sicut & aquam minimè circa terram cœli motu circumagi, quandoquidem neque id percipimus, neque Physica, aut astronomica cogunt, vt illud asseramus: maris æstum alio loco discutiemus. Denique nullum est Phænomenon, quod non longè faciliùs, data cœli tenuitate, seu liquiditate, concipi, saluari, & explicari possit, quàm si duros, & adamantinos esse cœlestes orbes supponamus.

Commodũ liquiditatis cœlorum.

ARTICVLVS IX.

VLTIMAM AVCTORIS RESOLVTIONEM CONTINENS.

CVm in omnem partem celebrem illam de cœlorum soliditate, controuersiam versauerimus, tandem quid inter tot ambages probabilius sit, dicendum est. Nec enim cogit fides, vt alterutram amplectamur, nec Scriptura sacra huic, aut illi parti adeò fauere videtur, quin vnaquæque difficultatis particula Scripturam pro se aduocare, aut sibi contrariam dissoluere, atque interpretari valeat: vt iam arbitrio rationis committendum esse videatur, quid sentiendum sit: frœnum igitur liberrimum rationis iudicio laxemus. Ea sunt de cœlis constituenda, in eisque Phænomena tantùm admitti necesse est, ad quæ nos astrorum motus inuitant, coguntque, vel quæ ratio suadet: Scio quidem omnes fermè nostrorum Astrologorũ libros, qui à Ptolemæo vsque ad Copernicum, & vlteriùs editi fuêre, non tantùm cælos diuersos, siue 8, siue 9, vel etiam 10, aut 11 admisisse, quos omnes ob variam planetarum, stellarúmque motionem, alterius consilij inopes, cõstituerunt, verùm etiã in eodem cœlo plures sphæras concepisse, itaut cœlum idem ex diuersis sphæris, & orbibus cum eccentricis, tum concentricis compaginarentur; statueruntque concentricos, & eccentricos secundum quid, & simpliciter; cùm enim tantam varietatem in suis motibus planetæ obtineant, vt ipse sol, quamuis aliorum rex, in signis Zodiaci percurrendis nullam, aut minus æquam regulam obseruare videatur, quandoquidem in sex borealibus signis pertranseundis, plus temporis impendit, quàm dum per australia mouetur, in illis enim 187 ab ♈ vsque ad ♎, à ♎ verò in ♈, dum per ♑ transit, solos 178 dies consumit, vt facilè conspicies, dum à Martij 21 vsque ad

Septembris 24, in quibus ferè cadunt æquinoctia vernum, & autumnale, dies 187 enumerabis: 24 Septembris vsque ad 21 Martij 178: Inde factum est, vt peculiarem sphærã inuenerint, quæ ad terrã magis penes vnam partem, quam secundum aliam accederet, adeout partem orbis terræ propinquiorem, Augis oppositum, partem verò remotissimam, Augem appellarint, cuius pars à sole tardiùs conficitur; vnde ver & æstas hyeme & autumno diuturniora sunt; & hyeme sol nobis propinquior est, quã æstate, quapropter maior videtur, sicut & planetæ cæteri, qui duplo maiores videri possunt, dum in opposito versantur Augis, quàm si fuerint in Apogæo; quod etiam est in causa, cur eclypses tametsi fiant in iisdem gradibus, maiores, minoresue sint, adeout totus sol anno 1559, & 1567 à luna obscuratus fuerit.

Aux. & Perigæum.

Sol, & planetæ vbi maiores appareant.

Eclypses cur minores, vel maiores.

Hæc igitur sunt, ob quæ tot orbes Astrologi proposuerunt, rati eos esse solidos, qui cùm aliquando planetas velociores, & tardiores perspicerent, ad retrogradationes, progressiones, stationesque constituendas quosdam epicyclos prædictis orbibus inclusos, mobiles tamen, quibus astra affigerentur, vt claui rotæ, posuerunt, vt tunc planeta velocior esset cùm in eandem partem, in quam eccentricus deferens epicyclum, tardior, cùm in aduersam progrederetur; nec enim illud explicari posse videbatur absque epicyclis: sicut nec intelligere potuerunt, qua ratione planeta nunc magis, aliâs minus à nobis distaret, quamuis in eodem signi, & Augis gradu versaretur: quomodo eclypses solis, & lunæ tametsi in iisdem punctis capitis, vel caudæ draconis existerent, statim plus, statim minus durarent; quomodo luna in eodem Apogæi puncto 12, statim verò 11 gradus cursu suo diurno conficiat; quomodo in eodem signi gradu ♃, vel ☽ maiorem arcum veri, visique loci, seu diuersam parallaxim habeat.

Cur epicycli & alij circuli inuenti.

Cœli diuersi planetarũ qui sint.

Hinc solis 3 orbes finxerunt, duo videlicet augem eccentrici deferentes, atque ipsum eccentricum solare corpus deferens: Lunæ verò 5 tribuerunt: 3 quidem præcedentibus similes, quibus epicyclum cum deferente caput Draconis adiunxerunt, Idemque fermè de ♄, ♃, ♂, & ♀ censuerunt, quibus tamen loco deferentis ☋, & ☊, circulum æquantem concessere. Denique Mercurij cœlum ex 8 orbibus composuerunt, velut in omnem partem versatilis; adeout 2 orbes augem æquantis, totidemque augem eccentrici deferentes, circulum æquantem, circulum paruum, & epicyclum inuenerint: vnde colligas pro 7 planetis 36 orbes cœlestes ab Astrologis esse constitutos: nec profectò mihi dubium est, quin longè plures imposterum comminiscantur, vbi diuersa Phænomena spectauerint: quos si contingat aduertere cometas suos motus in cœlis peragere, eorumque nihilominus duritiem, atque soliditatem tueri velint, quot obsecro cœlos nouos, quot orbes, quot epicyclos, quot eccentricos ipsi de nouo constituent? Vt iam Basilides Alexandrinus vix hæreseos insimulandus sit, qui 365 cœlos singulis diebus pares apud Iren. lib. 1. c. 23. constituebat.

36 Cœli pro planetis.

Basilides 365 cœlos posuit. Iren.

Quibus omnibus seriò perspectis sit. Prima cõclusio: cœlos omnes in quibus astra moueri videntur, aëris instar liquidos esse mihi non improbabile videtur, quorum partes statim coalescant, vbi sidera de loco in locum proprio motu transuolarint: quandoquidem hæc sententia tot incommodis, quot aduersa non vrgetur, estque omnium facillima, vt quoslibet astrorum motus, distantias, aspectus, cometarum agitationes, & altitudines, nouarúmque stellarum, & omnium Phænomenon productiones, & apparentias explicare possimus.

Cœlos esse liquidos.

Enimuerò cùm ipsi Peripatetici cœlorum intelligentias motrices admittant, à quibus nec Philosophi, nec Theologi Catholici abhorrent, quorsum obsecro nosipsos tot eccentricorum, & epicyclorũ funiculis cõstringimus, quibus ita mens alligatur, vt vix illa figmẽta percipere possit, quæcũq; tandem in illorũ circulorũ intelligentiã assequendam figuras, quæcumque schemata, quoscumque circulos, & polos circino descripseris, vel ligno, charta, & ære fabricaueris, vel etiam Archimedis instar, vitro concluseris: Nunquid Angelis munus id commissum est, vt stellas, & errones globos huc illuc deferant, hac, & illa pernicitate rapiant, quibus illos quotidie circumagi perspicimus? An ipsis industria, an sapientia, an vires deficiunt, quibus hasce motiones exequi valeant? Illud ergo demus Angelis, si cœlos ab ipsis moueri concesserimus, ne contra Philosophorum decretum entia sine vlla necessitate multiplicemus.

Quomodo astra sine cœlis moueri possint.

Vel si neges eos cœlis adesse, vt ex propria virtute sibi primitus à Deo concessa cœlestes orbes seipsos moueant, idem sideribus tribue, stellæ námque similem virtutem à Deo, quam cœlis infusam affirmas, habere possunt, qua statim nobis viciniores, mox verò tardiores, aut velociores pro Dei voluntate, & imperio fiant; licet enim lapidi proiecto vim illam indere non possimus, vt statim tardiùs, statim velociùs, idque per multa sæcula progrediatur, id tamen Deo facillimum est, cùm infinita virtute, atque sapientia polleat.

Neque profectò Phænomenis aptiùs consuli potest, quàm vt cœlos ætheræ naturæ constituamus, sic enim in illis facillimo negotio stellę, atque cometæ cursus omnes peragere valebunt, quod vt asseramus, Opticorum, & Astronomorum demonstrationes nos etiam inuitos cogunt, vt apud eos videri potest, qui de stellis nouis, atque nouissimis cometis egerunt.

Attamen non ideo sphæræ nostræ, armillæ, planisphæria, quadrantes, instrumenta partium, globi cœlestes, sphærarum Zodiaci, æquinoctiales tropici, Azimuthi, atq; Almicantharici circuli vel tolli, vel immutari debent, etenim hæc omnia tantùm ab Astronomis efficta sunt, vt cursus astrorum oculis quodammodo subiicerent, quandoquidem omnes liberrimè fatentur huiusmodi circulos non esse in cœlis, sed tantùm suis denotare quantitatibus motuum varietatem, quos astra diebus singulis conficiunt, vt pro nouis Phænomenis noui circuli constituendi sint. Verùm etiam si sphæræ, & alia instrumenta nouanda essent, num propterea veritas deserenda erit?

Non est igitur, quod aliquis conqueratur, si cœlorum soliditas auferatur, aut etiam numerus, cùm satis superque sufficiat, si regio ætherea tam profunda liberum aditum faciat, vt hac, & illac sol, luna, & stellæ, prout Deus ab initio cõstituit, exspatientur, siue ab Angelis, siue propria virtute sibi à creatione concessa motiones suas peragant. Imo longè facilius est eos cursus intelligere dempta soliditate, cùm epicyclorum, & eccentricorum tanta multitudo minimè necessaria sit.

Potest etiam faciliùs explicari quomodo stellæ nouę in cœlis apparere valeant, quales fuère nouę, quarum vna circiter annos 125 ante Christi natale ab

Stellæ nouæ quæ apparuerint.

ab Hyparcho deprehensa est; 2 tempore Adriani Imperatoris; 3 Othonis ætate primi Imperatoris in Cassiopeia, teste Cypriano Leouitio apud Baranzanum. Quarta circa eandem Cassiopeiam anno 1264. Quinta in eodem sidere in 7 gradu ♃ anno 1542. Sexta anno 1577, quæ per 10 septimanas apparuit. Septima anno 1600 in pectore Oloris in 17 gradu Aquarij. Octaua in 18 gradu ♐, & constellatione Serpentarij anno 1604. Alia etiam ante excidium Troiæ, nempe septima Pleiadum cæteris lucidior apparuisse dicitur. Quę cùm in eadem cum cæteris stellis altitudine visæ sint, plura longè confingenda sunt, vt illa noua sidera, eorumque cursus explicentur, si cœli solidi fuerint, quàm si aëris instar facilè peruij, tametsi minimè dubitem creatorem cœli vtrumque, si voluerit, facere potuisse.

Et quidem eius sapientiam in soliditate cœlorum eo maiorem illi dicere poterunt, qui soliditati fauent, quò difficilius videtur, vt omnia phænomena per eam intelligere possimus, sic enim admirabilis est scientia, atque virtus diuina, vt ea facere possit, quæ nequidem apprehendere valemus.

Mira hominum ignorantia. Profectò me recreat hæc animi cogitatio beatos omnes aliquando clarissimè visuros, an reuera cœli fluidi sint, an verò solidi, an diuersæ ab elementis materiæ, an parallaxim, & refractionem efficiant, atque patiantur, quibus motibus creantur, quantum inter se, & à terra distent, & alia, quæ impræsentia scire non possumus, sed tantùm aliqua conijcimus, quæ tametsi iam nobis probabiliora, vel omnino vera esse videantur, quando videbitur Deus Deorum in Sion, sicuti est, fortè falsissima deprehendentur. Exurgat vnusquisque Catholicus, & hæc seriò meditetur, atque illuc bonis operibus progredi festinet, vbi diuina lux omnia clarissimè demonstrabit, & ipsa mentis abscondita reuelabit.

2 Cōclusio. Secunda conclusio. Probabilius esse videtur cœlum octauum, in quo stellæ resident, esse solidum, nec absurdum est, si reliquorum cœlorum planetariorum soliditatem retineamus. De firmamento probatur, quia Scriptura testatur illud factum esse, vt disterminet aquas ab aquis, quæ vt sustineantur, solidum corpus requirunt, ideoque 70. verterunt per στερέωμα: enimuero Rakia significat extendere cum soliditate, itaut ipsa extensio rem solidet, licet antea flueret; adde quod pellus, cortina, & tabernaculum solida sint, quibus cœli Psal. 103. & Isai. 40 comparantur: hinc Iob. c. 14 cœlo tribuit attritionem, quæ propriè solidis corporibus conuenit: & Isai. 51 cœli liquescent, igitur nūc non sunt liquidi, qui Psalm. 32 verbo Domini firmati sunt, & Prouerb. 3 prudentia stabiliti; quos ad Hebr. 4 Christus penetrauit, quod tantùm de corporibus solidis propriè dicitur, teste D. Thom. 3. p. q. 57. a. 4. ad 3. Deniq; firmissimum Dei habitaculum 2 paral. 6 cœlum vocatur.

1. Pars probatur.

Plura non addam de hac dictione Rakia, cùm Reuerendus pater Iacobus Bolducus doctissimus Iobi interpres ad c. 37. v. 18 multa de eadem accuratissimè dixerit, vt Rekiagh initio Genesis, vbi dicitur, *fiat Rekiagh in medio aquarum*, &c. pro aëre sumendum esse: cùm verò ter ponatur, *& fecit Deus Rekiagh, diuisitque aquas, quæ erant sub firmamento ab ijs, quæ erant super firmamentum*: secundo loco de orbe cœlesti; tertio denique de aëre intelligendum esse aduertit, de quibus nos suo loco. Tunc verò maximè pro cœlo sumi, cùm post *firmamentum* additur *cœli*: nomen autem *Rekiagh* à verbo רקע *Rikeagh*, quod est Piel verbi *Rakagh* significare cudendo, & contundendo aliquid extendere. Apud Iobum verò eiusdem verbi Hiphel esse idem, quod extendere facere. Cætera vide apud eundem, vbi fuse de his habet, quæ cœlorum soliditatem non parum confirment, hunc autem sensum eruit. Tu qui æstus tam impatiens es, vt in æstate meridiano tempore vel leuissimas vestes tuas abijcias, nunquid cùm Deus orbium cœlestium faber, & malleator laminam ex qua facti sunt è fornace eductam cum tanto labore, & sudore cudendo extendebat, vnus ex illis fuisti, qui cum eo vel candens metallum forcipe apprehendebas, vel sub eius moderamine malleum super incudem agitabas, &c.

Quod verò Rakia soliditatem inferre possit, ex eo constat, quod Hebræi Mathematici hac dictione cubum, seu corpus stereometricum exprimant: Cōfirmatur ex Philosophis, & Patribus, quos Tānerus q. 6. pro 4 sententia recitat. Et quidem phænomena recenter visa non ita liquiditatem firmamenti vrgent, cum Saturnus eo inferior vix parallaxim vllam patiatur, quapropter quicquid liquiditati cœli stellati fauere videretur, sub isto cœlo circa Saturnum contingere dici posset. Itaque ad aliam conclusionis partem accedo, quæ longè difficilior esse videtur ob phænomena, quæ iam affero, de quibus plurima iam antea diximus. Hanc autem partem ex ipsa Scriptura suadere possumus, quia v. 16 huiusce capitis cœlum istud firmamenti nomine vocatur, in quo posita sunt luminaria: & cœli indefinitè solidi dicuntur apud Iob. loco cit. quæ tametsi dixerit Eliu, nusquam tamen id reprehenditur. Nec obstat quod nonnulli Patres dixerint stellas non cœlum moueri, quandoquidem Alberto teste 1. p. q. 4. a. 19. & Bonau. in 2. d. 14. p. 2. a. 1. q. 2. quidam antiqui dixerunt eccentricos, & stellas ita per corpus transire, quod est inter sphæras, vt ipsum non diuidant ob illorum corporum formalitatem, ac si lumen per aërem transiret.

Tanner. 2 Pars probatur. Albert. Bonau.

Recentia Phænomena. Superest vt ipsa Phænomena dissoluamus, & explicemus, quæ soliditatem cœlorum præsertim planetariorum euertere videntur. Lunam igitur corniculatam, inæqualem, asperam, lacunis, & vallibus vndique obsitam per tubum Batauicum objiciunt, quam Xenophanes apud Tull. 4. quæst. Acad. habitari, & esse terram multarum vrbium, & montium arbitratus est. Deinde cometas luna superiores, quos omnes sublunares fuisse Ticho negat. l. 2. de recent. Phæn. mundi ætherei. c. 10. m. 1. pag. 246 qui epist. ad Rothm. anni 1595. Ian. 14 pro stupidis, & insulsis habendos ait, qui cometas sublunares esse imposterum asseruerint. Tertiò maculas solares afferunt, quæ etiam in medio solis disco sępe disparent, vel de nouo conspiciuntur, quibus faculas addunt, quæ variè occidant, & oriantur. Quartò ☿, & ♀ corniculatæ, & plenæ cernūtur, atque circa solem veluti centrum circuitus suos peragunt, & ipse ♂ cœlum ☉ magno spatio intersecat. Quintò 4 planetæ Iouiales ♃ motu proprio circumeuntes, & duo comites Saturni eū satellitum instar circumstipātes de nouo visi sunt: quæ omnia putant Astrologi recentiores explicari non posse, nisi cœlos cum liquidos, tum mutationi, generationi, atque corruptioni obnoxios esse statuerimus. Quibus omnibus ita responderi posse, non pauci existimant.

1 Xenophan. 2. Ticho. 3 4. 5.

Solutio prima.

Primò non statim quibuslibet Astronomorum obseruationibus esse credendum, tum quia sæpius inter se pugnãt non solùm diuersorũ, sed etiã vnius eiusdemque mathematici obseruationes, adeout alij locum cometarum infra lunam, alij supra solem, vel etiam firmamentum ex suis obseruationibus concludant, qui etiam retractare solent, quæ antea concluserant, vt constat ex Thaddæo Hagecio apud Tich. l. cit. p. 366. Confirmatur ex ipso Tichone qui cæterorum, vt Ioan. Vogelini obseruationes reprehendit, vt suas astruat, vt p. 250, p. 318, & 376, in qua ait Sculteturn hallucinatum fuisse, quod rem non satis accuratè perpenderit, vel stellam vnam pro alia sumpserit. Quibus adde non bene computati temporis inter obseruandum errorem, de quo p. 418. Adde defectum iustorum instrumentorum, ratiocinationem ex datis obseruationibus, & ipsas obseruationes minimè sibi constantes, perpendiculum quadrantis ad obseruandum adhibiti non bene directum, & cętera, quibus Braheus aliorum obseruationes demolitur, vt iam reuera meritò iudicium suspendere possimus, donec res exploratior euadat, neque enim fides statim Astronomis adhibenda est, præsertim vbi inter se dissentiunt.

Causæ deceptionis in obseruat.

Bonau. — Fracastor. — 3 Sectæ Astronom. — De Luna. — De cometis — Ioseph. — G. Phranza. — Vitell. Cardan. Scultet. Ticho.

Secundò quis poterit admissis etiam prædictis obseruationibus, & phœnomenis hypotheses illorum respuere; sic enim D. Bon. in 2. d. 14. p. 2. a. 1. q. 2. ait sine epicyclis, & eccentricis planetarum circuitus explicari posse, quos Fracastorius homocentricis substitutis reiecit. Adde quod 3 Astronomorum sectę Ptolemistę, Copernicani, & Braheani in effectu ad vnguem æquipolleant, teste Keplero in introductione ♂, licet maximè in hypothesibus dissentiant. Quibus positis. Dicendum est quicquid in luna cernitur asperum per maiorem densitatem, atque raritatem saluari posse, quę tametsi figuræ irregularis esset, non ideo corruptioni obnoxia erit, nec enim incorruptibili corpori vlla figura repugnat. De cometis patet Astronomos nondũ inter se conuenire, fierique potest, vt paucorum minutorum differentia, quę ex parallaxibus oritur sit causa magnæ deceptionis. Quod autem aliqui cometæ lunã fuerint inferiores constat ex eo, qui teste Ioseph. l. 7. de bello Iud. c. 44. Hierosolymæ per annum integrum impendit, qui non fuit visus in alijs prouincijs remotioribus; & ex eo, qui lunæ faciebat eclypsim anno Christi 1450 teste Georg. Phranza lib. 5. hist. c. 11. quibus adde si vis stellam, quæ in Christi natalibus apparuit. Ita igitur cæteri cometæ sublunares esse potuerunt, maximè cùm non sit improbabile terrenas exhalationes non solùm vsque ad 17 milliaria Germanica, vt putauit Vitellio, l. 10 theor. 60, non solùm quintuplo altiùs, vt Cardanus 4 subtil. voluit, sicut & Scultetus apud Tich. p. 411, vbi ad 193 mill. Germ. ascendere posse ait, sed etiam vsque ad ☽ euolare.

Rothman.

Ad hoc etiam facit, quod in crepusculorum, atq; refractionum negotio non parũ inter se dissideant; etenim Ticho mensuram crepusculi vespertini in circulo verticali 17 graduum tantùm reperit, Rothm. verò 24, adeout per 7 gradus inter se dissideant.

Iosue 12. 4. Reg. 20. — Augustin. — Philastr. Damascen. Tannerus.

Quid si dixerimus Deum ad aliquid significandũ, & mortales à peccato reuocandos de nouo cometas illos producere, & pro voluntate præter cõmunem naturæ ordinem aliquid physicæ mutationis in cœlos tametsi incorruptibiles inducere? nũquid Iosue 12 & 4 Reg. 20 aliquid extraordinarium in sole contigit? nunquid contra naturæ cursum luna Math. 27 solem in ipso plenilunio obscurauit? quod etiam centum circiter annis postea factum fuisse Tertull. c. 3 ad Scapul. innuit. Hanc solutionem August. 21 de ciuit. c. 8. confirmat ex ♀, quæ colorem, magnitudinem figuram, & cursum mutauit, quem de cœlesti chaumate loquentem videre potes tom. 9, vbi de Constantinopolitano excidio circa annum 396 verba facit. Ita de terræmotu Philastr. philosophatur, & Damasc. l. 2. c. 7. videatur Tannerus p. 145 l. cit. qui 3 crucifixorum in Boëmia nuper visorum meminit, ex quo hæc desumpta sunt.

Mæstlin. — Kepler. — Seneca.

Ipse Tycho c. 10. m. 1 fatētur Mæstlinum piè, & sobriè sentire, quòd omnipotentiæ diuinæ has miraculosas generationes immediatè adscribat, & in naturæ secretis reponat. Deo etiam facile est, vt ista phasmata cœlos quantumuis solidos penetrent. Possumus etiam epicyclos quibusdam stellis assignare, quæ videantur, vbi ad perigæum peruenerint, à cõspectu verò subducantur, cùm ad apogæum reuertuntur. Quid si plurimæ particulæ densæ huc illuc dispersæ, quæ ob tenuitatem solitariæ videri nequeunt, simul adunatæ conspiciantur? quæ rursus à se inuicem disiunctę euanescant; quibus etiam modis spica ♍ maior aliquando quã nunc sit, apparere potuit. Quod si nihil horum placeat, sicut epicycli illi minimè Keplero placent c. 21 de stella serpentarij, non erit absurdum, si cum Seneca 7 nat. q. c. 1 fateamur plurima dari, quæ concedimus, quę tamen, & qualia sint, ignoramus.

De solarib' maculis, & faculis.

Ad solares maculas accedo, quæ proprijs epicyclis insitæ circa solem moueri possunt; & ex plurium corpusculorum opacorum quasi fortuitò glomeratorum id oriri potest: faculæ item ex reflexo, vel refracto solis lumine apparere poterunt, vel ex varia solis figura, quę nos variè respiciat, nec enim certum est an solare corpus, qua nos respicit, politum sit, necne, in quo dioptris partes aliquas alijs splendidiores videre mihi videor.

De motu Merc. Ven. & Mart.

Ad motum ☿, ♀, & ♂ explicandum nunquid epicyli proprij sufficiunt? quibus ☿, & ♀ circa ☉ moueantur. De ♂ non est quòd laboremus, cùm alij Astronomi, vt Rothmann' apud Brah. p. 128, & 129, & Kepl. in suo ♂ Tychonianum systema reijciant, quorum de motu terræ sententiam si sequi vellemus, facillimo negotio soliditatem cœlorum tueremur.

Mag. epist. ad Tichon. — Eccentricitas solis quanta.

Verùm de illa postmodum fusè dicturi sumus. Satis est, quòd hypotheses Tichonis non ita passim recipiantur, qui fatetur l. 1. epist ad Lectorem se per 5, vel 6 minuta ab obseruatione longitudinũ Landgrauianarum ferè semper distare. Nec obstat quod Maginus omnino admittendam dicat intersecationem solis ☉ à ♂, supponit enim ♂ acronychũ terrę propiùs accedere, quàm solem, quod nondum solidè probatum videtur, cum Ticho fateatur se etiam in suis obseruat. deceptum fuisse: vide appendicem tomi 1, vbi ait se solis eccentricitatem esse partium 3600, seu terræ semidiametrorum 41 deprehendisse, cùm tamen antea partium duntaxat 1800, seu semid. terrę 20 eandem reperisse dicatur.

Vide etiam additionem ad c. 1. l. 2. de cometa anni 1577, vbi fatetur refractiones non bene cognitas, horologium licet in secunda scrupula diuisum, altitudinem poli, longitudinem, & latitudinem fixarum,

xarum,

Causæ erroris in obseruationibus.

xatum, & quadrantem ex orichalcho, licet bicubitalem in causa fuisse, cur in altitudine cometa statuenda aberratum fuerit.

Itaque cùm nullus id de ♂ obseruarit præter Tichonem, vt statim sit sole inferior, statim etiam ♃, & ♄ superior, & ille per famulos sæpius obseruauerit, quæ refert in suis libris, atque omnia ei causa erroris, atque deceptionis esse potuerunt, quæ cæteris, non est quod nos in fidem suam abripiat, donec à pluribus idem confirmatum, & experientia comprobatum fuerit. Cùm enim sit eruditi eatenus exactam in vnoquoque genere explicationem requirere, quatenus pati rei ipsius natura potest, & mathematicum suasionibus vtentem approbare, & ab oratore demonstrationes exigere simile vitium esse videatur, inquit Arist. 1. mor. c. 3. inde fit, vt astronomis minimè fidem adhibere debeamus, nisi demonstratione totum negotium conficiant. Arist.

Nec est quod Pena, & reliqui futuram admirabilem refractionum numerum obijciant, quandoquidem omnes illi epicycli, & eccentrici cùm sint eiusdem materiæ, non facient maiorem refractionem, quàm lentes vitreæ planoconuexæ, & planoconcauæ eiusdem curuitatis sibiinuicem inseruntur, tunc enim non alia fractio sensibilis cõtingit, quàm quæ in vitro vndique plano fieri solet. Pena. De refractione.

PROBLEMA XLVI.

Qvomodo factum est vespere, & mane dies secundus? 1. An quia secundi diei tempus serotinũ, 2. & matutinum factum est? An vespere Dei Sapientiam occultam, in qua iam erat dies secundus, manè verò eandem prout in actum visibilem exeuntem significat? vt Rupert. habet 1 comment. in Rupert. 3. Gen. c. 30. An vespere significat diei 2 consummationem, mane vero tertiæ diei inchoationem? vt August. vult August. de Gen. contra Manich. l. 2. c. 14. 4. An verus sensus literalis est, quem D. Chrysost. habet Chrysost. hom. 4, vt per *vespere*, diem artificialem intelligamus, cuius vespera finis est, & per *mane*, noctem, cui manè terminum præbet? 5. An, vt allegoricè loquamur cum Anastasio 2 l. in Gen. dies hic secundus denotat Seruatoris aduentum, vt pro secundo Anastas. homine dies secundus nobis illucesceret? 6. An rectè loquitur Origenes, dum ait diem secundum tanquam pueritiam à Noë incipere, & vsque ad Abraham protendi? quas duas explicationes latiùs discutit Ascanius, sed & quæ ad eadem primi diei verba diximus de mane, & vespere, consuli possunt.

PROBLEMA XLVII.

1. Cvr Deus huic secundo diei non benedixit, *id est non dixit, quòd esset bonum*? An quia numerus binarius bonus non existimatur, quandoquidem infamis est, primus siquidem ab vnitate recidit, & ab vnione diuidit, vt D. Hieron. habet 1. contra D. Hier. Iouin. apolog. ad Pammachum. 2. An quia tametsi dies iste bonus esset, erat tamen figura secundi diei mali, seu secundorum operum à dæmone, & homine faciendorum, vt Hugo à S. Victore de Sacram. lib. 1. part. 1. c. 10 explicat, vnde & immunda Hugo Vict. animalia bina duntaxat arcam ingressa sunt, sed cùm ternarius, & cæteri numeri ab vnitate magis recedant, & binarius laude non careat, non satisfaciunt hæ rationes. 3. An igitur ea verba posita non sunt, quia nondum aquarum distinctio completa erat, tertio nempe die complenda? vt R. Salomon habet; & D. Thom. 1. p. q. 74. a. 3, atque D. Bon. explicant, & 3 diei benedictionem ad hunc vsque diem extendunt. Vnde bis ponitur כי טוב *Ki tof* die tertio, semel pro 2. die, & semel pro tertio, vt notat R. Simeon Iarxi. 4. An quia distinctio eorum, quæ hoc die ponuntur, non sunt manifesta populo? 5. An quia per *firmamentum* intelligitur aër nebulosus, qui non est de partibus permanentibus, & præcipuis mundi, vt D. Thom. explicat, vbi supra ad 3. An vt Ægid. habet 2 p. hex. c. 22, quia firmamenti Zodiacus hoc die productus causa est defectiua bonorum, nempe generationis, & corruptionis? D. Thom. Ægid. 6. An quia nondum suis stellis ornatum erat? inquit Catharinus. 7. Cathar. An quia (vt volunt Hebræi) hac die gehenna producta est. 8. An quia hoc die ceciderũt Angeli? vnde Hebræi in laudem Angelorum stantium Missam canunt Angelorum feria secunda, teste Comestore, quod tamen Abulensis refellit. An ea verba tempore LXX. Interpretum in Hebræo legebantur? cùm id apposuerint, εἶδεν ὁ θεὸς, ὅτι καλόν (quod S. Basil. Ambros. & August. supponunt) 9. an potiùs instinctu Spiritus sancti ea verba adiunxerunt? vt ostenderent Patrem approbare, & laudare, quod fecit Filius, inquit S. Ambr. 2 hex. c. 5; vel iuxta D. Chrysost. vt nos Deus suspicere doceat, quod ipse fecit, & probauit. Ambros. Chrys. Ergo dies secundus expletus est; ergo diuisæ sunt aquæ ab aquis: tempus est, vt binarij laudes aggrediamur, vt nullus mundi dies sua laude careat.

QVÆSTIO VIII.

DE DVALITATE, SEV BINARIO.

In eo primam binarij laudem sitã esse existimo, quod duplicẽ vnitatẽ cõtineat, eãq; multiplicet: deinde 1 est omnium numerus, primaq; multitudo, quæ à nullo præterquã ab vno mẽsurari valeat; tertiò

rectè ostendit primam rerum omnium productionem, quatenus exit ab vno, à quo tamen velut includitur, Verbũ etiã diuinum referre potest; cùm sit secunda persona Trinitatis; est prima forma paritatis, æqualitatis, & iustitiæ: est charitatis, nuptiarum, societatisque numerus; testatur Ecclesiasticus duo se mutuò fouere: est principium distinctionis, & diuisionis; habetque magna mysteria in Scriptura, in qua 2 sunt tabulæ in monte Sina, 2 Cherubin in arca; 2 oliuæ Zachariæ stillantes oleũ: 2 naturæ in Christo: 2 testamenta, & præcepta charitatis; 2 creaturæ intellectuales Angelus, & homo: 2 genera Angelorum, boni, & mali: 2 luminaria magna, Solstitia, æquinoctia, elementa producẽtia terra, & aqua; duo poli: 2 pũcta verticalia, Zenith, & Nadir. 2 qualitates in quolibet elemento; 2 præcipuæ sedes animæ cor, & cerebrum: 2 principes Dæmonum Behemoth, & Leuiathan; 2 nomina Dei bonas literas habentia אל, יה: binarium etiam præcipua hominis membra celebrant; sunt enim 2 oculi, aures, nares, manus, pedes: Præterea duæ sũt præcipuæ potestates, Sacerdotis, & Regis: 2 primi populi Hebræus, & Gentilis; Plato in Protagora binos ait expeditiores esse ad omne opus, sermonem, & cogitationem. In Philebo; 2 esse præclara in vita, omnia nosse, & vt quis seipsum non lateat; 1 de legibus 2 rerũ fontes admittit; nempe dolores, & voluptates: in Menone ait 2 præire in rebus humanis, opinionem, & scientiam. Lactant. c. 8 de opificio Dei, nullum ait esse perfectiorem numerũ, quàm duorum. Lucianus in encomio Demosthenis ait duplicem esse amorem, vnum mari ortum ferocem, Venerem nimirum in mentibus iuuenũ, alium è cœlo demissum aurea cathena, qui bonum furorem immittat mentibus, quæ Dijs cognatæ sũt. Gellius l. 16. c. 15 refert ex Theophrasto perdices in Paphlagonia bina corda habere, & ex Theopõpo in Bisaltia lepores bina iecora; ipse Sapiẽs Eccl. 4 dualitatem cõmendat *si dormierint duo* & c. vnde prouerbium, ne Hercules contra duos, Arist. 4 Physic. c. 5 ait dualitatẽ esse simpliciter numerũ; & 2 de cælo circulum esse secundum vnitatẽ, triangulum verò secundum dualitatem; Omnis linea 2 punctis clauditur, & 2 transuersæ lineæ superficiem faciunt. Ælianus 1 de animal. c. 5 ait serpentem arundine tactum, & murænam geminato ictu excandescere: c. 15 duo oua columbas parere, quorum semper primum marem producat, alterũ fœminam: Eiectis regibus 2 semper consules eligebãtur, sicut & duumuiri ex ordine Decurionũ in Municipijs: Sunt, & qui iure ciuili dualitatem cõmendent: quòd ex 2 malis, minus sit eligendum l. *eligendi C. de procur.* duas cautiones vna validiores esse leg. *si mulier* C. *ad S C.* 2 officia simul peragi non posse l. *vlt. C. de Assessoribus*: bonam fidem non pati, vt bis idem exigatur, *de regulis iuris l. bona fides*: & quod bis cœptum perficere non potuimus, illud aggredi non solemus: adde quod ipse Deus nõ puniat bis in idipsum. Bigami etiã à sacerdotio excludũtur, vt patet ex Iure canonico, cui subscripsit Imperator Nou. 22. c. 42, & mulier binuba in Diaconissam eligi nequit Nouel. 123. c. 13. bis eadẽ dicere ridiculum est inquit Plato in Euthidemo. Hic autem numerus tametsi multis encomijs celebrari videatur, à Pythagoricis tamen apud Euseb. 1 de præpar. Euang. c. vlt. numerus discordiæ, infortunij, immũditiæ, & in auspicijs infœlicissimus dicebatur, imo, & dualitas ibidem dæmon, lis, audacia dicitur: ipsique magi numerum hunc inferre nocumenta spirituum malorum audacter mentiuntur. Eccles. 26 cor Domini in 2 contristatur, ibique sunt 2 species difficiles. c. 50 duas gẽtes odit. 2 Ierem. 2 *duo mala fecit populus.* Ezech. 37 Dominus affirmat se non amplius Israëlitas in 2 gentes, & 2 regna diuisurum. Osee 10 propter 2 iniquitates, peccatores corripiuntur. Math. 6 *nemo potest 2 Dominis seruire*: Apoc. 19. 2 mittuntur in stagnum. Eccles. 33. *Intuere in omni opere altissimi, duo contra duo, & vnum contra vnum.* Math. 24 *Duo erunt in agro, in mola, in lecto, & vnus assumetur, & vnus relinquetur*: duo ordines vnus à dextris, alius à sinistris. 2 gentes in vtero Rebeccæ Gen. 25. 2 vrsi exeuntes de sylua Elisæi irrisores 42 interficiunt 4 Reg. 2. Gen. 18. 2 Angeli Sodomæ, & Gomorræ portendunt interitum, tametsi tres Abrahæ apparuissent, vbi enim gratia largienda est, ternarius, vbi seueritas exercenda, solus adest binarius inquit Orig. hom. 4. in Gen. 2 iuuenes Heliodorum flagellant 2 Mach. 3 Psal. 108 impij operiũtur diploide iuxta id Ierem. 16 *Reddã primùm duplices iniquitates*, & c. 4 *contritio super contritionem.* c. 17 *Duplici contritione contere eos*: est enim duplex damnatio impiorum per culpam, & pœnam. Eccl. 21. *quasi rompheæ bis acuta, iniquitas*, propter quam de manu Domini *duplicia peccatores suscipient*, Esai. 40. Apoc. 18 *Duplicate duplicia secundum opera eius.* Eccl. 4. *Vnus pugillus habet requiem, & 2 manus labore plena sunt.* 2 tunicæ prohibentur Math. 10. & Marci 6, sicut & vestis ex duobus texta Leuit. 19. Prouer. 20 *duplex pondus abominatio est Domino*: & Iacob. 1. *vir duplex animo inconstans*: nec ad Deum cum duplici corde accedendum est Eccli. 1. vnde Eccl. 6. *væ duplici corde* dicitur, quia *cor ingrediens 2 vias non habet requiem*, Eccle. 3.

Romani Februarium mensem secundum Plutoni dicabant, & die 2. vrbem lustrantes iusta Dijs Manibus persoluebant: & Virgil. 6 Æneid. ait, *tum Tartarus ipse, Bis patet in praeceps tantum.* Duo sunt vitia, quæ humano generi immaniter dominantur, inquit D. Greg. l. 33. mor. c. 5. vnum spiritus, aliud carnis: hæ sunt 2 filiæ sanguisugæ Prou. 30. *dicentes: Affer, & nunquam satiantur*, vitium spiritus, seu honoris in tres scopulos impellitur, in superbiam, iram, & inuidiã spirituales animæ labes, quibus homo supra seipsum extollitur; vitium carnis reddit hominem seipso inferiorem, vt pote luxuria, gula, accedia. Plura de binario Bũgus suggeret, qui multa de faustis, & infaustis diebus refert.

VERSICVLVS

VERSICVLVS IX.

Dixit verò Deus : Congregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt, in locum vnum; & appareat arida. Et factum est ita.

וַיֹּאמֶר אֱלֹהִים יִקָּווּ הַמַּיִם מִתַּחַת הַשָּׁמַיִם אֶל־מָקוֹם אֶחָד

וְתֵרָאֶה הַיַּבָּשָׁה וַיְהִי־כֵן׃

Καὶ εἶπεν ὁ θεός, συναχθήτω τὸ ὕδωρ τὸ ὑποκάτω τοῦ οὐρανοῦ εἰς συναγωγὴν μίαν, καὶ ὀφθήτω ἡ ξηρά. καὶ ἐγένετο οὕτως. καὶ συνήχθη τὸ ὕδωρ τὸ ὑποκάτω τοῦ οὐρανοῦ εἰς τὰς συναγωγὰς αὐτοῦ, καὶ ὤφθη ἡ ξηρά.

PRæmissis ijs quæ ad primum, atque secundum pertinent, iam maria, iam terram, plantas, arbores, & cætera quæ hocce tertio die producta sunt aggredimur; nuper de cœlis egimus, iam verò de elementis agendum est; ibi minus rei veritatem experientiæ defectu indagamus, hîc audaciori animo res, vtpote sensibus obuias definire poterimus, vt ergo solitis problematibus, & quæstionibus omnia percurramus.

PROBLEMA XLVIII.

1. *QVomodo aquæ congregatæ sunt?* An quicquid
salsum erat, in mari collectum fuit, itaut terra emergeret dulci humore exundans? ac si terra
totam aquam antea, vt spongia bibisset, adeout
Philo. terra cœnosæ paludis instar esset, vt Philo explicat.
2 An vult S. August. quem optimè refert, & expli-
August. cat D. Thom. 1. p. q. 69. art. 1. postquam die prima
creatura spiritualis facta est; secunda verò die forma cœlestis materiam informem perfecit, hac die
formæ elementares in materiam introductæ sunt?
3 An vt habet Nyssenus historiæ 6 dierum, prima
Nyssen. die ignis è rudi chao erupit; 2. cœlum factum est;
3. verò prætermissa aëris Genesi, aquæ, & terræ
narratur creatio? nec enim aër conspicitur, cùm
Moses rudi populo sola visibilia narret.
An sol ex hyle productus, suo calore produxit
4 aërem ex aquis eductum, absumptisque aquis ter-
Steuch. ram detexit? vt vult Steuchus in Cosmop. An pri-
5. mo die cœlorum 2 aquæ, tertio terræ informitas
Thom. sublata est, vt ibid. fusè D. Thomas habet. An
6 terræ, & aquæ propriũ locum assignauit, vt Vuiel-
Vuiel. mus ait. lect. 15. nam aquæ contractæ sunt in sinus
terræ, vt terra detegeretur. An hodie mundus per-
7 fectus est? vt ex Constantio Ruscono refert, & approbat Ascanius.
8 An pro, *congregentur*, legi debet extendantur,
vel colligantur, vt vult Lusitanus, vel congregabuntur, vt Caietanus, vel excauentur, & in cauer-
9 nis subsidant, vt Steuchus suprà? An significat
Aug. aquas ex materia prima formatas esse? vt D. Aug.
habet 1. de Genes. contra Manich. cap. 12. 2. de
Genes. ad lit. cap. 11, & alibi, ibi verò aduertit dictũ
esse *congregentur*, & non *fiant*, vt priùs de firmamento dictum fuerat, quia formæ elementorum imbe-
10. cilliores sunt, quàm cœlorum. An per *congregen-*
Nyssen. *tur*, significatum est, educantur aquæ ex rudi chao?
Alber. vt Nyssenus, & Alber. Magn. prima part. de 4.
coæuis quæst. 12. artic. 13. insinuare videntur.
An aqua rarior, quæ vt nebula terram tegebat, 11.
densior facta, & terra subsidente, congregatæ sunt
aquæ? Vt D. Aug. 1. de Genes. ad lit. cap. 12, & l. 1. Aug.
contra aduersar. legis & proph. cap. 13 habet. An 12.
per resolutionem nebularum ex igne, aëre, & aqua
commixtarum aquæ conglutinatæ sunt in pelago,
cũ interea diffunderetur aer, vt Hugo Victor. 1. de Hugo Vict.
Sacram. fidei part. 1. cap. 21; vt sic aer purus, & de- Richard.
fœcatus remaneret, inquit Richard. 2. exception.
cap. 7. An tunc ad Dei vocem aquæ lapsæ sunt, &
ad vnum locum confluxerunt, quò iam omnes re- 13.
fluunt, & ita congregatæ sunt, vt licet terra videãtur altiores, veluti firmæ nunquam effluunt, nec
terminos sibi ab initio præstitutos trãsiliunt? quod
fusè D. Basil. hom. 4. & Ambros. lib. 3. cap. 2. ex- Basil.
plicant, quibus adde Chrysost. hom. 5. An ipsa terra Ambr.
subsidit, voraginésque præbuit, vt aquæ labentes Chrysost.
congregarentur? vt ibid. D. Basil. & Ambr. enarrãt. 14.
An ita cõgregatæ sunt aquæ, vt sese in suam sphæ- 15
ram à terræ sphæra diuersam redegerint? vt Bur-
gensis in additionibus pulchrè, fuséque disserit. Burgens.
An aquarum congregatio facta est maiori earum
facta condensatione, terra vero concauitates præ- 16
bente? sic enim aqua circa terram diffusa per condensationem facile minorem in locum redigi po-
tuit, ita Lyranus, & Caietanus, vnde notat Pererius Caiet.
aquam maris fontiũ, fluminum, & imbrium aqua
densiorem esse, vt iam aqua fontium sit vera naturalis aqua. 17
An catenus congregatæ sunt, quatenus per vẽ-
tum validum absumptæ sunt, adeout terra detecta, R. Sal.
& æquora apparuerint? vt R. Salomon, & post 18.
eum Tostatus censet. An vt vult Steuchus sol ar-
dentissimus plurimas aquas in aerem commutauit, reliquis in æquore congregatis? An partim 19.
ventus vrens, & exsiccans instar venti mare

Exod.14. rubrum Exod.14.deficcantis, partim lucis calor
deficcauit aquas, & ad proprium locum transmi-
sit?
20. An vt ad allegoriam procedamus per congrega-
tionem istam multi populi in vnam Ecclesiam cõ-
gregandi significantur? vt elegantissimè disserit
Anastas. Anastasius Synaita 3 hexam.& post eum Ascanius.
21. An eodem Synaita interprete, seiunctis doctri-
nis prophanis, gentilitas apparuit arida? An
22. seiunctis infidelibus Ecclesia arida facta est, itaut
Eucher. vitæ fontem sitierit, vt Eucherius lib. 1. cap.4. ait.
23. An congregatio illa designat omnes pœnas Christi
collectiuè sumptas, quibus caro eius arida facta
Psal 68. est, iuxta psalm. 68. *quoniam intrauerunt aquæ vsque
ad animam meam:omnia si quidē Christi membra
24. per sanguinis effusionem aruerunt. An omnes cõ-
cupiscentiæ intelliguntur,quæ in fomite compres-
sæ sint in Virgine, adeo vt omni labe peccati ex-
pers fuerit,& arida apparuerit?
25. An Lyranus rectè congregat sapientiam in in-
tellectu,vt affectus aridus, seu mortificatus appa-
reat? alta sapientia in Anaxagora visa est, qui patri-
monio cessit, vt liberiùs philosophiæ vacaret, alta
Democriti, qui sibi oculos eruit, vt diuinis meliùs
incumberet; alta Pythagoræ, qui non solùm ab
animalibus,sed & à fabis abstinuit, vt philosophiā
disceret; alta Carneadis, qui contemplationi tam
seriò vacabat, vt manum ad mensam porrigere
obliuisceretur, sed longè altior sapientia fuit Mo-
sis solitudo in deserto; Elisei paupertas; Dauidis
Orig. cilicium;Danielis continuatum ieiunium,qui om-
26. nes aliquo modo aridi fuisse dici possunt. An Ori-
gen. hom.1 per aquas bene peccata intellexit, qui-
bus caro destituta,arida dici possit? eleganter autē
cor hominis centrum, cum terra mundi centro
comparat.

An Petrus Cellensis cap. 4. de panibus rectè 27.
de Sacramentis,& charismatibus in vnitate fidei,
& charitatis,locum hunc intellexit, vt anima ap-
pareat arida,digna nimirum,quæ à Deo conspicia-
tur? An laici seiungendi sunt,vt vita regularis ari- 28.
da, & mortificata videatur? quod fusè satis As-
canius amplificat. An Christiani in locum vnum
congregari debent, id est in Ecclesiam, vt plateæ 29.
vrbis vacuæ remaneant?vt 3.hexam.cap. 1. D.Am- Ambros.
brosius edisserit,vbi pulchra puchrè docet,estque
dignissimus qui legatur.
An ista congregatio aquarum intelligenda est
de terrenis, non cœlestibus aquis? cùm amor cœ- 30.
lestium nullis terminis, vt terrestrium amor coër-
ceatur,vt præclarè Hugo Victorinus ostendit 1.de Hugo Vict.
Sacrament.fidei cap. 23 primæ partis. An illa con-
gregatio diuitijs applicari potest, vt diuitum cupi- 31
ditates in vnū locum ad modestā rerum possessio-
nem congregentur, vt terra etiam alijs vacua fit,
nec eam totam diuites occupent? vt insinuat Lu-
sitanus. An nationibus præcipitur, vt in prouin-
ciam,vel plagam vnam conueniant? vt terra velut 32.
arida, seu vacua sit à cruentis belluis? vt præclarè
edisserit Martinengus. An designantur peccatores,
& hæretici in vnum inferni locum eijciendi? vt 33.
Ecclesia quoad bonos ab humore noxio videatur
arida, & ad immortalitatem disposita? sic enim
Beda, & Hugo. An id in Antichristi tempus referri 34.
debet? cùm impij ad eius vexilla conuolabunt,so-
lique electi supererunt tanquā aridi, & deserti. An 35
pœnalitates, & omnes ærumnæ designantur, vt
pote in vno inferni loco futuræ ad maiorem im-
piorum afflictionem, dum Ecclesia triumphabit,
atque omnimoda voluptate perfruetur? vt pul-
chrè admodum Ascanius edisserit, & alios sensus
hîc allatos,mysticos præsertim amplificat.

PROBLEMA XLIX.

1. E*Stne aliquid circa ipsa vocabula annotandum*?
Nunquid יקוו icauu id est,*congregentur*,exponi-
tur ab Aben Ezra, per יתחברו, id est consocientur;
cum antea disiectæ essent aquæ super faciem vni-
uersæ terræ, quas Deus in vnum locum, qui dici-
R.Sal.Iar. tur Oceanus,seu Mare magnum congregauit,vt e-
tiam R.Salomon Iarchi insinuat. An hoc verbum
יקוו. deducendum est à nomine קו,quod regulam,amus-
sim, & perpendiculum significat? cùm in Oceano
positæ fuerint aquæ, velut ad amussim, quando-
quidem suos terminos à Deo sibi præfixos nun-
quam excedunt, sicut nec ædificia,quæ directorio
mensuræ coæquata sunt. Vnde psal. 33. *congregans
sicut in vtre aquas maris,ponens in thesauris abyssos*: &
2 psalm.104.*Terminum posuisti eis, quem non transgre-
Psal 33.& 104. *dientur*. Sed nunquid præterea קוה *cauah*, quod est
nostri vocabuli radix significat præstolari,expecta-
re,& sperare summo & magno animi desiderio alicui
intentum esse, & ab eo pendere, apprehendere, &
quasi ἀποκαραδοκεῖν seu capite intento contempla-
ri? an ergo monemur aquas Dei iussum velut ex-
pectasse, & audisse,vt statim ei paruerint; cui enim
obsequerentur, nisi ei,à quo pendent? multa verò
in hanc radicem Pagninus habet,qui aduertit, vbi
legimus ps.18. *exiuit sonus eorum*,pro sono scribi ra- Psal.18.
dicē קו,quæ significat filum,lineam, & ædificium,
cum tamen קול significet vocem, non autem *cau*,
quod Isai. 18. vers. 2. bis repetitur קו-קו, quod li-
neatim verti potest iuxta R. Dauid,paulatim,pau- R.Dauid
latim,metaphora à cæmētario desumpta qui parie-
tē extenso filo paulatim perficit; vnde cum eadem
verba repetuntur cap. 28. vers.10. *Cau, lacau, cau
lacau*, D. Hieronym. vertit, *expecta, reexpecta,
expecta, reexpecta*; alij ædificium post ædificium,
teste R. Dauid. Nunquid hoc vocabulum signifi- 4
cat aquas per lineam rectam omnium breuissimam
ad suum locum cucurrisse, vt celerimè Dei man-
dato parerent? nec enim quidpiam celeriùs mo-
ueri potest,quam per illam lineam.

PROBLEMA

PROBLEMA L.

1 *QVomodo locus ille vnus intelligendus est, in quem aquæ congregatæ sunt?* An quia vnitas formæ commendatur, cùm aquæ in vnum formatæ sint, seu redactæ? summè autem vnum est omnis formę D. August. principium, vt D. August. habet 1. de Gen. ad lit. 2. c. 11. An vt D. Basil. ait hom. 4. locus ille est ma- Basil. gnus Oceanus, adeout vnus aquarum locus dicatur, quia cætera loca respectu illius ferè nihil sunt? An locus vnus est, quatenus maria diuersis no- 3. minibus appellantur? ita tamen, vt per quosdam Ambros. meatus, atque cuniculos commisceantur: vt cum D. Basil. præclarè disserit, S. Ambros. 3. hex. cap. 3. 4 An iste locus intelligendus est, quatenus suum locum à terra sicca, arida, & apparente tunc aquæ D. Thom. obtinuerunt? Vt D. Thom. insinuat 1. p. q. 69. ar. 5 1. An quia omnes aquæ ex natura sua in vnum locum inclinantur? vt Dion. Carth. a. 11. in Genes. Carth. habet. Hic autem locus sunt terræ viscera. An 6. quia, vt Albertus ait 1. p. summæ 4. 12. a. 13. data Albert. est aquis illa natura, vt in terra leues sint, ab ipsa siquidem ascendunt: in aëre verò graues sint, à quo descendant?

An locus ille centrum est à terrę centro distinctum, ad quod omnes aquæ concurrant? vt Burgensis voluit.

PROBLEMA LI.

1 Emped. *QVare salsum est mare, nec tamen aquæ fluuiorum, fontium, & cætera salsæ sunt?* An quia mare est sudor terræ? vt Empedocles voluit, sudor autem, vt & cætera excrementa salsa sunt. An quia solis 2 Aristot. concoctione non tantùm vapor humidus aqueus ex superficie maris in aërem extollitur, inquit Aristot. 2. meteor. qui in nubem condensatur, sed etiam vapor frigidus, siccus & terrestris ad maris superficiem subleuatur, qui cùm extrahi nequeat, quia crassior est, in maris superficiem dispergitur, quam salsam reddit, vnde australes aquæ magis salsæ sunt, quàm boreales, quia ventus australis plures exhalationes terrestres eleuat: adde quod aqua maris sit crassior, grauiorque cæteris, in qua vestis linea lota sordescit: at inde sequeretur mare cōditionis initio dulce fuisse. 3 Damasc. Anselm. An quia sol dulcē aquam medijs vaporibus extrahit, vt Damasc. 2. Orthod. fid. cap. 9. & Anselm. 1. de imag. mundi cap. 22. 4. aiunt. An quia cæterarum aquarum est sedimen- 5. tum, & fæcis instar? An quia terræ adustæ infe- 6 ctione exuritur, aut venis sulphureis commiscetur, vel amnes salsos in vtero cōtinet? An quia marinæ aquæ sunt reliquiæ cibi istius, quo sol, & astra nutriuntur, quæ humidum absumpserint, & in spiritū resoluerint, cuius vi circumuoluantur? vt sicut in animalibus per vesicā humor salsus excernitur, ita in syderibus contingat, quod valde ridiculum est, supponitque sydera nutriri, quod est falsum. An quia sunt in mari ingentes fodinæ salis, bitumi- 7 num genera, ambra, succinum, sperma ceti, petroleū, & cætera eiusmodi? Vnde & in promontorijs halmirage, & flos salis quidem, seu halosachus ex aspergine concrescit, innatat, & holosanthos, Adarce, & alia nitri, salisque petrę naturam haben- Liban. tia, vt Libanius notat. 8

An quia Deus interuentu exhalationum tertio die, in quo versamur, mare salsum reddidit? cuius postea salsedinem à solis calore iuuari voluit, vnde pars sūma salsior est, quàm profunda, quod Arist. Aristot. sect. 23. probl. q. 30. explicat: non autem antea, ne cum totam terram obtegebant aquæ, si salsæ fuissent, terræ sterilitatem attulissent. Et quidem mare non sine causa salsum effectum est, quandoquidem multi pisces in alia aqua viuere, aut sine putredine conseruari non potuissent, nec ita facilis fuisset nauigatio, imo fortè mare computruisset, saltem vbi motu caret.

PROBLEMA LII.

Et appareat arida.

1 August. Philo Nyssen D. Basil. Tostat. Hugo. *QVidnam per illam apparitionem Moses significare voluit?* An, quia terra, quæ antea inuisibilis erat, visibilis facta est? vt D. Aug. 1. contra Manich. c. 12. aduertit; Ex chao exeratur, ita Philo de opificio mundi & Nyssen. de hist. sex dierum explicant; sic ferè D. Basil. hom. 4. siue absumptæ fuerint aquæ, & in aërem mutatæ, vt vult Steuchus, siue exsiccatæ, vt Tostatus cum Rabinis; siue crassa nebula dissoluta, vt aëre sereno facto, qui antea caligine obducebatur, terra apparuerit, vt Hugo Victor. habet 1. de Sacram. fidei 2 part. 1. c. 21. An verò, (vt ad mysticum sensum procedamus) terra arida refert Ecclesiam, quæ tempore Antichristi, imo & nunc ærumnis arefacta est? sic enim Hugo Carensis insinuat, & Ascanius; quod & de Ecclesia triumphante, quæ omni tribulatione carebit, intelligi potest. An humanitas nostra peccato Adæ facta est arida? vt Synaita 3. Hexam. 3. Syna. explicat, omni siquidem virtute destituta est. An ipse Christus in morte sanguinem effundendo fa- 4. ctus est aridus? vt patet ex verbis, quæ protulit in cruce; *Deus meus, vt quid me dereliquisti*; sic etiam Ascan. ab omni vitiorum humore Virginem aridam fuisse dicemus, vt arida producat aridum eo sensu, quo procedit. An per terram aridam Ecclesia militans à Gētibus separata intelligitur. Ecclesia verò mi- 5

litans terra dicitur, quod multis tribulationibus Bruno. teri, premi, tundique debeat, vt Bruno Carthuſianus ait: *Omnes enim qui piè volunt viuere in Chriſto* 1. ad Tim. 3 *perſecutionem patientur* 1. Tim. 3. *ipſeque Deus creauit* Iſai. 54. *fabrum ſufflantem in igne prunas*, Iſai. 54. & tamen Pſal. 71. pſal. 71. *Ecce peccatores abundantes in ſæculo obtinue-* Iob. 11. *runt diuitias*; Quod miratur Iob cap. 11. *Quare impij*
6 *viuunt, ſublimati ſunt, confortatique diuitijs?* An corpus à concupiſcentijs, & voluptatibus areſactum Orig. terra dicitur arida, vt Orig. hom. 1 in Gen. & hom. 27. in lib. num. ait. Arida verò dicitur Hebraicè יבשה à יבש, aruit, ſiccauit ſe: cùm antea terra dicta fuerit ארץ à רוץ id eſt currere, ſiue omnia circa eam moueantur, ſiue ipſa circa ſolem moueatur, vt Keplerus exiſtimat cum ſuo Copernico: vel à רצץ conterere, quòd pedibus teratur; vel à רצה velle, quòd ad commoditatem animalium, ac rerum in ea naſcentium ſemper fœcunditatem cœleſtem appetat; vel ab אי non, & רוץ cucurrit per antiphraſim, quòd minimè currat, de quibus iam antea dixeramus. יבש

Et factum eſt ita.

NVnc igitur terram detectam habemus, & aridam; nunc aquæ congregatæ ſunt in locum vnum; necdum tamen iſtius congregationis nomen audiuimus, quod verſiculus ſequens reuelabit, ſed antequam eum afferamus, quæro.

PROBLEMA LIII.

Q*Vomodo factum eſt ita*? Non enim mihi dubiũ eſt, cur ita fecerit, ſiquidem ita voluit Deus; nec illius voluntatis rationem vllam agnoſco, cùm ſit ipſe Deus, cuius nulla cauſa eſſe poteſt; tametſi nonnullæ rationes afferantur, cur diuina voluntas liberrimè procedens ad extra, ad hoc potiùs, quàm illud faciendum determinetur, licet in huiuſcemodi cæcutiat humanus intellectus, cogaturque in has voces cum Apoſtolo prorumpere, *O! altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei*; quæro igitur, quomodo *factum eſt ita*, vt congregarentur aquæ in locum vnum, cùm antea totam orbis terreni ſuperficiem quaquauerſum obtinerẽt, quod tametſi ſatis problemate 48 dixiſſe videamur, non ita ta-
1. men determinauimus. An igitur ita congregatæ ſunt aquæ, vt iam in terra paratæ eſſent foſſæ profundiſſimæ, in quibus aquæ continerentur? cùm aquæ ferè ſemper in locis profundioribus eſſe ſoleant, vt in puteis, & fluminibus patet.

2 An quia aquæ factæ ſunt altiores terra, & in- Baſil. ſtar muri, aut globi erectæ ſunt? vt voluit D. Baſil. hom. 4. in hex. Cathar. & alij, at illud dici nequit, alioquin citiùs ad portum naues accederent; cùm enim diſcedunt, in arduum aſcenderent, redeuntes vero per decliuia celeriùs ferri deberẽt, & quo magis à portu recedunt, eo meliùs videri deberent, Chryſoſt. quæ tamen aduerſus experientiam militant, quapropter à D. Baſilij ſententia recedunt D. Chryſ. D. Hieronym. Perer. Molina. & Aretinus ſuis
3 Scholaſticis commentarijs in opus diei tertiæ. An congregatæ ſunt aquę in vnum locum: quatenus omnes partes aquę, quarum antea centrum idem cum terra fuerat, diuerſum poſtea cẽtrum habue- Burgen. D. Auguſt. runt, vt vult Burgenſis: quod ita aliqui explicant, vt ſicut meſſis trita congeritur, D. Auguſt explicante 1. de Gen. ad lit. c. 12, & congeſta in aggerem nudat locum, quem diffuſa contexerat, ita etiam aquæ ſuper terram diffuſæ velut in cumulum coaluerint, itaut in litore decliuiores ſint, extra vero fiant altiores, vt in globum efformentur, ſic enim mirum non eſt, quomodo mare totam terram non occupet, cùm hanc ei Deus inclinationem indiderit, vt ſphæræ figuram obtineat, quod ex aquę guttula confirmatur, quæ ſe rotundat in orbem, ne effluere, diſſiparique poſſit, quam ſententiam D. D. Thom. Cathar. Thom. 1. p. q. 69. a. 1. probabilem exiſtimat. Catharinus vero duplicem appetitum aquæ tribuit, particularem ad ſui conſeruationem, quod eſt deſcendere, & vniuerſalem ad bonum vniuerſi, cuius ratione non deſcendit; adeout appetitus iſte ſit ille terminus, quem mari Deus præfixit, ne conuerteretur operire terram, & ne tranſiret fines ſuos Pſal. 103. Pſal. 103. dicens Iob 38. *Vſque huc venies, & non* Iob 38. *procedes ampliùs, & hîc confringes tumentes fluctus* Ierem. 5. *tuos*; idemque repetitur Ieremię 5. Sed Clauius in Clau. Sacroboſcum oſtendit idem eſſe terræ, & aquæ Picol. centrum; nec verum eſt fundamentum, inquit Aretinus ex Picolomineo lib. de quantitate terræ, & aquæ, nempe aquam terra maiorem eſſe, cuius ſemidiametrum quater millecuplum eſſe ad aquæ ſemidiametrum contendit Scaliger exercit. 38. in Scaliger. Cardanum, vbi ait faciem aquę ferè duplam eſſe ad terræ ſuperficiem; ſed aquæ profunditatem vix excedere 800, aut rariſſimè 100 paſſus, cùm tamen Maris quantitas. plurimi montes non ſolis paſſibus, ſed leucis, & Paraſangis, & Schœnis aquæ ſuperent altitudinem, vt patet in montibus Caſpijs, Carnis, Illyrijs, adeout terræ altitudinem, quanta abſiſtit ab aquæ ſuperficie vigecupla maiorem arbitretur: quibus addit. Cùm terræ ambitus ſit circiter milliariorum tricies ſemel millium quingentorum, ſemidiameter erit circiter quinque millium.

An ita factũ eſt, quia aquæ cum in aëreos vapo- 4 res attenuarentur, & volitarent, totam terram ob- Auguſt. tegebant, vbi denſatæ ſunt, eadem terra detecta fuit? vt D. Auguſt. habet, vbi ſuprà; & 1. contra aduerſ. legis c. 13. cui Perer. & Molina diſput. 11. de operibus 6 dierum ſubſcribunt, idque ex eo confirmant, quòd aqua maris ſit denſior aquis fluuiorum, & fontium. An potius ita factum eſt, vt cùm 5. antea ſine montibus, & vallibus eſſet, quando abyſſus ſicut veſtimentum illam amiciebat, poſtea Deus hoc die tertio quaſdam terrę partes in valles, alias in montes efformarit, vt in conuallibus, & cauernis aquæ reciperentur, iuxta pſal. 103. *Aſcendunt montes, & deſcendunt campi in locum, quem fun-* D. Aug. *daſti eis*, vt D. Aug. ſuprà exiſtimauit?

An ita factum eſt, vt terra quidem nunquam realiter aquis cooperta fuerit, ſed tantùm priùs natura, quia Deus horum motuum effectum præſtitit, itaut cùm intelligis à motibus iſtis congregationem aquarum factam eſſe, id eodem modo capiendum

capiendum sit, quo dicimus immutabilitatem Dei esse rationem æternitatis, quia æternitas ab aliquo penderet, ab illa causaretur? si enim aquæ congregatio non fuisset facta ab initio, ita per illos motus fieri debuisset, ad quid enim terra fuisset aquis cooperta, quæ postmodum detegenda erat? explicatio subtilior quàm verior, quæ est contra
Aug. D.August. quæst.106.veteris testam.D.Basil hom.
Basil. 2 3. & 4. Chrysost. & D.Thom. quæst.4.de pot.a.
Chrys. 11 ad 17.
Thom. An meliùs Abulensis opinatur terram à vento
7 vehementer torrefaciente, quem Deus immiserit,
Abul. exsiccatam esse, qui denotetur per spiritũ Domini, qui ferebatur super aquas, vt & post diluuium
Gen. 8. factum est Gen. 8. & in mari rubro Exod. 14. sed
Exod. 14. quis ventus adeò potuit esse efficax, & exsiccans, vt tot aquas momento consumere potuerit? An Eugubinus similiter reijciendus est, qui illud solis
8 ardore non præpedito factum esse putauit? quis
Eugub. enim eum docuit tunc, quàm nostris temporibus, solis ardorem maiorem fuisse.

An igitur verissimè credere debemus id omni-
9 potentia Dei factum esse, cuius verbo psal.32. *Cœ-*
Psal 32. *li firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum, congregans sicut in vtre aquas maris. Quis enim cõclu-*
Iob 38. *sit ostijs mare* Iob 38: *quis terminum circumdedit aquis,*
Iob 26. *vsque dum finiantur lux, & tenebræ?* Iob 26. Is dubio procul, *qui ligat aquas in nubibus suis, vt non erumpant pariter deorsum, mari vectem posuit.*

Igitur iubente Deo congregatæ sunt aquæ, quarum congregationem vocauit maria, vbi מקוה Hebræis non tam aquarum collectionem, quàm alueum ipsum, & fundum aquas continentem significat; vnde, & Onkelus donum collectionis aquarum reddidit, vel locum congregationis, quem Deus ימים *Iammim* vocauit, id est fundum, seu solum aquarum; Iam enim sicut, & קרקע fundũ significat, inquit Nehemanides; R. verò Salomon maria in plurali dici putat ob aluei amplitudinem, ob quam in diuersis locis variam naturam habet atq; diuersa nomina à continente sortitur. D. autem Hieronymus maria putat appellari omnis generis aquas, siue dulces illæ fuerint, siuæ salsæ: quapropter temerè Porphyrius D. Ioann. Euangelistam carpsit, qui lacum Tyberiadis cap. 6 mare nuncupauit, vt rectè notauit Aloysius Albertus lect.16. de operibus sex dierum ex D. Hieronym.

Nehem. R. Salom. Hieron. Porphyrius

Posset autem hîc excitari quæstio, an sit aliquod mare peculiare, quod non cum Oceano continuetur, sed eius solutio pendet ab experientia difficillima, nedicam impossibili, siquidem antea quis exactissimè perscrutari debuisset omnes angulos, & partes terræ, omnesque alueos subterraneos, an fortè sint aliqui meatus, quibus omnia maria, & flumina, fontes, & lacus inter se cõmunicent, necne. Scio quidem Diodorum Siculum, & Herodotum censuisse mare Caspium, siue Hircanum, quod à Caspijs, & Hircanis montibus denominatur, cum vndique littoribus obseptum sit, vt Aristot. lib. 2. Meteor. cap.1. aduertit. Est autem notatu dignum ימים maria, & מים, *Iamim*, & *Maim* tantam inter se cognationem habere, vt *Iamim* per transpositionem litterarũ à *Maim*, id est, aquis, deductum esse videatur, & quidem rectè, quid enim aquæ vicinius, quàm mare? Sunt qui ים putent esse ex המה, quod tumultuari, & strepere significat, pelagus etiã dicitur à פלג palag diuisit. Hîc etiã de diuersis maris nominibus agendum esset, sed ad alium locum id reseruo, ne hoc Genesis initio ita præterfluere videar, vt ad cętera capita nihil reliquum sit, quod annotari debeat. Sed ad reliquã diei tertiæ partem accedamus, postquam terra tecta est, quam Deus aridam vocauit, sic enim legimus.

In quæst. Hebr. Diod. Herod. Arist. De maris nomine.

VERSICVLVS X.

Et vocauit Deus aridam, terram; congregationésque aquarum appellauit maria. Et vidit Deus, quòd esset bonum.

וַיִּקְרָא אֱלֹהִים לַיַּבָּשָׁה אֶרֶץ וּלְמִקְוֵה הַמַּיִם קָרָא יַמִּים
וַיַּרְא אֱלֹהִים כִּי טוֹב׃

Καὶ ἐκάλεσεν ὁ θεὸς τὴν ξηρὰν, γῆν. καὶ τὰ συστήματα τῶν ὑδάτων ἐκάλεσε θαλάσσας: καὶ εἶδεν ὁ θεὸς, ὅτι καλόν.

TAmetsi versiculus hic sine scrupulo pertransiri posset, cum à præcedenti nihil distinctum continere videatur, aut ab alijs antea explicatis, attamen nõnulla subiungemus, vt vbique Lector habeat, quibus animum recreet, atque proficiat. Quidam verò scribi putant *vocauit*, in præterito perfecto, pro *vocauerat* plusquam perfecto more Hebraico, Caietanus autem legendum censet, vo-
Caiet. cauit siccam terram ob ל, quod datiuo præponitur; quod tamen non concludit, nam ל idem sæpenumero solet accusatiuo præfigi, vt patet 2. Reg.3. vbi cùm Abnerum Ioab occidisse dicitur, ל anteponitur Abnero: Hic etiam substantiuè putat Hamerus aridam esse sumendam pro terra, sic enim Christus vsurpasse videtur Matth.23. *Circuitis mare, & aridam*, mare verò dicitur humidum, & apud Poëtas ὑγρὰ humida pro mari vsurpatur; facilè quis agnoscere potest aridam ab arere, seu exsiccare dictam esse, fuit enim à Deo exsiccata, vt ex dictis patet.

2. Reg. 3. Math. 23.

PROBLEMA LIV.

1. CVr, & quomodo Deus aridam terræ nomine vo-
August. *cauit?* An ipsa Dei vocatio fuit ipsa terræ for-
matio, vt D. August. 10. de Gen. imperfect. docet?
2 An quia dedit ei talem naturam, & proprietatem,
D.Thom. vt eo modo vocari posset? sic enim D. Thom.
habet 1.p.q.69.art.1.quò fere recidit Hugonis sen-
tentia, qui ait Deum præuidisse, atque voluisse, vt
3. ita vocaretur. An eam vocauit, quod perennitatis
excellentiam ei tribuerit, adeout ea à Deo sua su-
Rupert. mere nomina dici possint, quæ perpetuò duratura
sunt? vt Rupert. lib. 1. cap. 32 innuit. An ideo vo-
4 cauit, vt terræ finem, ad quem creata est, ostende-
Procop. ret? vt Procopius aduertit. An rectè Vielmus lect.
5. 11. philosophatur, cùm id præoccupatione dictum
Viel. affirmat, quatenus illud quod erat aridum, per A-
6 dam, quem edocuit, terram appellauit? An aridæ
nomen imposuit, vt æquiuocationem tolleret?
R.Moses. cùm omne aridum sit terra, vnde R. Moses apud
D. Thom. ait toties nominis æquiuocationem si-
7 gnificari, quoties dicitur *vocauit*. An tunc ideo ter-
Chrysost. ram vocauit, quia suam perfectionem adepta fue-
8 rat? vt D. Chrysost. hom. 5 in Genesim asserit. An
arida vocata est terra, quia si solùm arida perma-
neret, omni vento pulueris instar excuteretur;
nunc autem quia humore solidata est, vt patet cùm
eam pedibus terimus, rectè nomen eius immuta-
Rupert. tum est? vt Rupert. suprà disserit; vnde nomen
ארץ *erets*, terræ soliditatem designat, quandoqui-
dem 6 punctis scribitur, quæ cubum referunt,
Plato. quapropter Plato post Pythagoram terræ cubum
adscribebat. Placet autem in fine huiusce proble-
matis diuersa terræ nomina referre, quæ tam apud
Ansel. Anselmum de imag. mundi l.1.c.5. quàm apud Isi-
Isid. dor. lib.14. Etym. c.1; Comestorem, & Eugub. in
Cosmop. habentur.

Etymon octo nominum terræ. Terra igitur à superiori parte vocatur, quæ teri solet, vnde & ארץ *erets* à רצא *Ratsa*, id est conculco, & comprimo, dicitur, vel quia tria alia elementa circumposita habet; *Tellus* verò, quia tollit, & in altum effert fructus, & arbores, vel quia hominis labores tolerat, nosque fructus eius tollimus; Græci nomen ἔδας habent, quod ab ארץ deductum putat Eugubinus, quod pauimentum, atque solum significat, quod à soliditate dicitur, vt *Humus* ab humore palustri, & inarabili, *Arida* vero, quia est inaquosa, solis ardore feruens, qualis est Lybia: *sicca* est, quæ statim atque complura est, exsiccatur. vt Iudæa. *Ops* ab opibus, vt auro, atque gemmis, quæ in India abundant.

Quomodo terra sit hic, & quomodo in initio Genesis, quadruplex sententia. Præterea notandum est aliquam distinctionem poni posse inter terram, quam in principio Deus creauit, & inter terram hanc, quæ arida facta est; nam sanctus Basil. homil. 4. initio Genesis, terræ nomen commune, genericum, atque ad substantiam pertinere censuit, hîc autem ad proprietatem elementi, vt enim ignis caloré habet, sic terra ariditatem, seu siccitatem: & vt risibile est proprium hominis, & homo est nomen, seu vox eius animalis, inquit Procopius, cui risibile inest, sic ariditas est proprium terræ, terráque ariditatem quasi peculiariter habet. At D. August. 2. de Genes. ad lit. cap. 11. per terram primo loco positam significari materiam primam, 2 loco terræ elementum putat, cui Albert. Mag. 1. p. summæ quæst. 11. art. 13. suffragatur. D. Ambros. lib.3. cap. 4. totum elementum initio Genesis, hîc verò partem sulcabilem, & culturis aptam intelligit, cui Iunilius assentitur dum primò terram ad distinctionem aquarum, hîc autem ad distinctionem partis, quæ aquis obruitur, positam esse differit, ad quos Procopius, & D. Thom. reduci possunt, dum primò terram, vt commune nomen terræ, deinde vt contra mare distinguitur, intelligunt; at de terra satis, de cuius partibus, & quantitate postea dicendum erit, nunc enim ad congregationem aquarum nos transferimus.
Basil.
Proc.
Aug.
Albert.Mag.
Ambros.
Iunil.

Congregationes igitur aquarum maria vocauit Deus, quæ vel ab amaritudine, vel quia magna sunt, æquora verò quia sedatis tempestatibus adæquantur, appellari solent.

PROBLEMA LV.

QVare iam congregationes aquarum Deus vo-
cat, quod antea congregationem vnam appel-
1 *lararat?* An quia plura sunt maris nomina, vel etiam
Athan. maria, tametsi sint vnum continuatione? vt D.
Theod. Athan. quæst. 82. ex veteri test. Theodor. quæst.
2. 12 in Genes. Procopius, & alij putant. An quia
datur aliquod mare præter Oceanum, quod sit
Tostat. trans Æquinoctialem, neque ab Oceano proficiscatur, & alia forte sint nobis incognita? vt Tostatus censuit, qui supponebat regiones vltra circulum Æquinoctialem positas nullos incolas habere, quod mirum non est, cùm nostri tantùm nauigare cœperint, vt illas prouincias detegerent anno 1497 iussu Emanuelis primi Regis Portugaliæ, qui vsque ad Bonæ spei caput, & Calicutiũ peruenerunt, at si rem Hebraica lectione diluere velimus, quæstio cessat, quandoquidem in singulari congregationem significat, seu locum, & alueum מִקְוֵה *vlmicue*, quod pro radice habet קָוָה *Kaua* id est, præstolatur, sperat, congregat, vnde fit מִקְוֶה *Mikua* congregatio; Septuaginta nihilominus in pluraliter legunt συστήματα: verum ad sensus mysticos ac-
cedere libet. An igitur, vt latè differit Synaita, 3
quod ante congregationem vocarat, id est Eccle- Synaita.
siam, nunc congregationes appellat, quia in vna multæ sunt Ecclesiæ? Hinc Apostolus, & D. Ioan. in Apoc. multarum Ecclesiarũ meminerunt, quæ aquarum instar omnes inter se communicant: in ijs autem idem est caput, Christus, idem lumen, fides, vna spes, charitas, eademque Sacramenta, Romanam autem Ecclesiam Oceano comparare possumus.

Sed quare istas congregationes maria nuncupat? An humanitatem nostram vocauit mare criminũ infidelitate,

infidelitate, & infidelitatis amaritudine consperſum? nam quæ in iuſtitia originali poſita dulcis,& conſpicua erat, poſt peccatum turbida eſt,& amara, quæ niſi beneficio humanitatis Chriſti, velut aqua maris per terræ, cæteræque meatus percoletur, dulcis effici nequit, vt inſinuat Synaita.
5 Synaita. Ambr. Bruno. An ipſæ Scripturæ ſunt maria ſenſus profundos habentia, vt vult D. Ambroſ. l. 7. epiſt. 44. epiſt. Adde quod audire Scripturam dulce ſit, quod verò iubent exequi, amarum, & aſperum inquit Bruno,
6 Theoph. facili negotio mare eiuſque proprietates, nautas, naueſq; cũ Scriptura ſacra conferre poteris. Nunquid rectè Theophilus Antioch. l. 2. mundum tot nationibus repletum cum mari contulit? ſiquidem non pluribus tempeſtatibus, atque procellis mare iactatur, quàm homines diuerſis opinionibus, & affectibus iactentur; portus etiam homi-
7 nes habent ad quos appellant, Scripturam ſacram, Eccleſiam, rationis dictamen, conſilium, &c. An ipſæ infidelium, & hæreticorum ſectæ
8 maria dici poſſunt? quorum venti non obediunt Chriſto, illic reptilia, quorum non eſt numerus. An congregationes cogitationum in mente, hanc velut mare reddunt? quibus per iram anima tumeſcat, per gratiam tranquillior reddatur, Greg. Iob. 4. cùm autem morietur homo inquit D. Gregor. 12. lib. in Iob cap. 4. in illa die maris aquæ recedunt, iuxta id pſal. 145. *In illa die peribunt omnes* Pſal. 145. *cogitationes eorum*; quantis fluctibus, atque ſcopulis mare cordis noſtri quotidie, ſinguliſque ferè momẽtis agitetur, quilibet in ſeipſo percipere poteſt, & quidem optimè cor mari conferri poteſt, ſiue reſpiciamus illud, prout diuerſis lunæ mutationibus ſubditur, vel ſulphureis venis inficitur, vel aërem vaporibus obnubilat, vel fluit, & refluit, 9.
&c. An aſpera ſuperiorum præcepta maria dici poſſunt, quæ tamen Dei timore, & amore, velut Exod. 15. aquæ Marath Exod. 15 ligno iniecto in dulcedinem conuertuntur; qua etiã ratione tribulationes, cæteraſque afflictiones, quibus in dies premimur, maria nuncupare poſſumus. Supereſt illa particula, Procop. qua dicitur Deum vidiſſe *quod eſſet bonum*, vbi Procopius aduertit Dei nomen, opificem, Domini verò, regem deſignare.

PROBLEMA LVI.

1. Ambr. QVid eſt igitur illud, *vidit Deus, quòd eſſet bonum*? An quia mare fuit iucũdũ aſpectu? varijs enim coloribus ſtatim purpuraſcenti, teſte D. Ambr. l. 3. hex. c. 5. ſtatim nigro, vel albo, ventis quibuſdam flantibus, ſtatim viridi, vt multi experti ſunt, mox
2. Baſil. verò alijs diuerſis coloribus conſpicuum redditur? An quia miras vtilitates hominibus affert, quibus pulchrè S. Baſil. hom. 4. & D. Ambroſ. ediſſerunt, hinc enim aquæ profluunt, quæ venarum inſtar per terram diſcurrentes nobis potum ſuggerunt, & balnea ſubminiſtrant? mare flumina noſtra excipit, impreſſiones aëreas emittit, inſulas circumuallat, & opulentiam mortalibus, libe-
3 rámque congreſſionem nauigantibus offert.

Sed nunquid etiam bonum illud ad terram refertur? tametſi enim Pindarus ἄριστον μὲν ὕδωρ dixerit, *optimam quidem aquam*; tamen inter aquã & terram γαῖα. Plato. ζείδωρος. Varia terræ nomina. pugnam committere velimus, non minus vtilis terra videbitur, vnde fit, vt γαῖα à Platone dicatur, quia genitrix eſt: ab Homero ζείδωρος, quod data ſit ad vitam, ab Heſiodo πουλύβοτειρα, quòd multos educet, ab Orpheo in Olympis Dea, & mater, vnde Romani Deam opem, Germani Herthum, ſeu terram matrem colebant, vt refert Hamerus; non eſt autem quod vtilitates enumeremus, quas à terra decerpimus, quandoquidem ab ea vitam haurimus, victum, veſtitum, medicinas, & omnia ferè, quibus vtimur: Sed cùm ea nondum è terra pro-
4. dierint neque piſces in mari degant, quomodo ea bona eſſe vidit? An quia Deus rei cuiuſlibet perfectionem non tantùm in conſummatione operis, verùm etiam in prædeſtinatione ſuæ voluntatis æſtimat? ſic enim Iunilius habet. Nunquid illud Iunil. nos docere voluit, & ipſam Scripturam laudibus 5.
creaturas efferre, quod eas dignè laudare non poſſimus? vt D. Chryſoſt. hom. 5. in Geneſ. inſinuat. Chryſoſt. An ideo bonum eſſe dixit, quod vniuerſi diſpo- 7.
ſitio expleta eſſe videretur? ſic enim opifices expleto opere, & non antea, illud eſſe pulchrum, atque bonum affirmant, nec adhuc vtilitas aquæ, vel terræ patebat, nec cœlorum expanſio, donec aquę ſeiungerentur, vt terra detegeretur. An quia 8
cùm Deus diei ſecundæ non appoſuiſſet illud bonitatis elogium, hîc tam pro 2, quàm pro tertia die creaturarum in illis productarum bonitatem efferre voluit?

Multæ quæſtiones hîc excitari poſſent, vt, Quomodo potuit aqua redigi in vnum locum: An mare ſemper nunc in eodem loco remaneat; vnde fontes oriantur, an aqua ſit altior terra: ſed ea vel ex dictis in problem. intelligi poſſunt, vel alibi dicentur, vel Pererius, Aretinus, & alij ſatis fusè de his egerunt; & Clauius in ſphæra, ſicut & Picolominus latè quæſtionem hanc agitant, an aqua terram altitudine ſuperet, hîc tamen circa terræ, cæterorumque elementorum magnitudinem nonnullæ quæſtiones excitandæ ſunt, vt Dei potentia, magis exinde commendetur, ac meliùs intelligere poſſimus, quomodo terra plantas, qualéſque pro diuerſis locis germinauerit.

QVÆSTIO IX.

De Terra.

ARTICVLVS PRIMVS.

DE ILLIVS NOMINIBVS, FIGVRA & ambitu.

QVamuis elementa superiora maius nescio quid habere videantur, certum est tamen multas è terra nobis vtilitates contingere, quę non ex aqua, aëre & igne decerpuntur, non quòd hanc quæstionem excitare velim, vtrum sit nobilius elementum, quandoquidem nullum est, quod non sit præstantissimum & vtilissimum, & in quo Deus multa prodigia, atque miracula non effecerit, è terra plasmauit hominem; ex aqua pisces, volucres ex aëre, seu aqua aërea, in igne misit Spiritū sanctum, in aqua Baptismum instituit, quid plura? cùm tota Scriptura id fusè doceat.

Adde quòd sine aëre viuere non possimus, sicut nec sine terra, aqua, & igne, sine quibus nullum mixtum esse posset, nequidem ipsum corpus humanum. Pauca verò de terra dicenda sunt, vt etiam ex eius cognitione ad suspiciendam Dei maiestatem, eiusque bonitatem amore summo prosequendam excitemur.

De varijs terræ nominibus, & eius vtilitate.

Multa nomina ei tribuuntur, humus enim dicitur, quod humorem admixtum habeat, alioquin nihil produceret; tellus, quod inde tollamus, quæ necessaria sunt; ops vel quia melior euadit opera nostra, vel quod suggerat alimentum, quo opus habemus, de quibus D. August. 7. de Ciuitat. cap. 14. consulendus, quam Saturni coniugem fecerunt, quia nobis omnes opes tribuit, & denuo resumit, vt Festus aduertit Δημήτηρ quasi γῆ μήτηρ à Platone vocatur, & refert Theodoret. l. 3 curat. Græc. vnde, & Orpheus.

Festus.

Γῆ μήτηρ πάντων, Δημήτηρ πλουτοδότειρα.

Hinc magna mater dicta est, quæ tympanum haberet, vt ex Varrone D. Augustinus refert; & quidem nos nascentes excipit, natos alit, semel editos sustinet, & semper nouissimè complexa gremio iam à reliqua natura abdicatos, tum maximè, vt mater operit, inquit Plin. lib. 2 Vesta quoque nuncupata est vel quod herbis, atque floribus vestiatur, vel quod sua propria vi stet, iuxta id Ouidij in Fastis.

Plin.

Ouid.

Stat vi terra sua, vi stando Vesta vocatur.

Orpheo verò dicitur. γαῖα θεῶν μήτηρ μακάρων, θνητῶν τ' ἀνθρώπων. Hinc Tullius in libris de natura Deorum à Græco ἑστία deriuat Græcè ῥέα à ῥεῖν appellatur, quod rebus omnibus affluat. Ceres autem à γῆρος, prout olim vocabatur, vt apud Hesychium videre est; idque teste Cicer. 3. de natura Deorum

Tull.

Hesych.

Cicer.

à creando, vel gerendo; Proserpina etiam appellatur, quod fruges inde proserpant; Alia eius nomina retuli in examine dictionis ארץ Ex quibus facilè quis adduci potest, vt sub terra hac opaca terram illam viuentium limpidissimam cogitet, cui significationes illorum nominum conueniunt.

Qualis sit figura terræ, variæ sententiæ.

Sed ad terræ figuram accedo, quæ Leucippo τυμπανοειδὴς, Heraclito σκαφοειδὴς, Anaximandro κυλινδροειδὴς, Democrito δισκὸς; Empedocli, & Anaximeni ὁμαλὴς; alijs verò πυραμοειδὴς, vel κωνοειδὴς dicitur, sicut & ὠοειδὴς vnde initiati Orgijs Liberi Patris ouum in suis sacris colebant, teste Macrob. 7 Saturn. cap. 16 vt ex forma tereti, ac pene sphærali, atque vndiquo versum clausa, & includente intra se vitam, mundi simulachrum vocetur, videatur ibidem, vbi quærit, an gallina sit ouo prior, an ouum illa prius, sed vt Paganus concludit, qui rerum creationem ignorabat, licet postea sententiam aliam astruere videatur, nempe prius à natura formatam gallinam, quàm ouum. Alij terræ formam ω putarunt, vt mare per vnam partem designaretur.

Macrob.

Terra esse rotundam. 1. Ratio.

Alijs denique si non σφαῖρα vbique ὁμαλή, saltem σφαιροειδὴς esse videtur, εἰσοχὰς, καὶ ἐξοχὰς habens cuius rotunditatem plurima conuincunt: Primò quia eius vmbra non quadrangula, vel triangula, sed rotunda in lunæ defectione cernitur. Deinde varius stellarum ortus, & occasus pro diuersa longitudine, hinc fit, vt citiùs per 60 minuta, seu per horam oriantur tam stellæ, quàm sol, & luna his, qui 15 gradibus fuerint magis Orientales; siquidem vnicuique gradui longitudinis 4 minuta horæ respondent, quod semper in Ephemeridum reductione animaduertendum est, vocant Astronomi Meridianorum reductionem; exempli causa, si quis Maginicis Ephemeridibus pro Venetiano Meridiano exaratis, Parisijs vti velit anno 1630, quo 20 die Martij Sol ingreditur ♈ 18 horis 47' 23" post Meridiem, idem Parisijs fiet 20 hora septima matutina.

2

Meridianorum reductio pro Ephemeridibus.

Tertiò probant Ecclipses Lunæ, quæ alijs horis in Occidente videntur, alijs in Oriente, quia circuitus globi nunc eas detegit illis, nunc alijs occultat, quod in Arbela Alexandri magni victoria factum esse refert Ptolom. lib. 1. cap. 4. Luna nempe quintâ noctis horâ prodijt: Carthagine verò secundâ. Quartò varia noctium dierúmque spatia, & initia, quia priùs sol Orientalioribus apparet. 4

3.

Ptolom.

Quintò inæqualia poli ἐξάρματα, seu diuersæ eleuationes; quod ex varia latitudine oritur; hinc fit, 5.

fit, vt nullatenus eleuetur in insulis Moluccaris, Taprobana, D. Thomæ & alijs, quæ sunt in æquidiali, vbi polus radit horizontem; alibi verò per 31 gradus eleuatur, vt Alexandriæ: 23½ Syene, seu Chinæ sub tropico 69: in Rhodo 36, Romæ 41 56, Venetijs 45, Lutetiæ 48, & sic magis, atque magis erigitur accedentibus ad Zonam Frigidam, idcirco Numa Vestæ rotundam ædem consecrauit, vt simili sui templo coleretur.

Numa.

6 6. Quælibet terræ partes, quæ sublatæ in altum cadentes ad idem centrum accedunt. Septi-
7 mò quilibet homines in loco plano stantes me-
8 diam cœli partem aspicere valent. Octauò ratio docet cur rotunda sit, quia pars vltima mundi, & centrum reliquarum eam figuram habere debet, quam prima pars mundi, quæ est firmamentum,
9 velut terræ circunferentia. Nonò quia cùm omnium mater esset, capacissimam figurā postulabat, qualis est inter omnes Isoperimetras rotunda; habet enim plures angulos, quia infinitos, & ideo magis per omnes circunferentiæ partes à centro recedit, ad cuius perfectionem, & magnitudinem non magis vlla figura peruenire potest, quàm finitum ad infinitum.

Isoperimetræ figuræ.

10. Decimò simplicissima est circularis figura, cùm vnica linea describatur, quod nulli alteri congruit, adeout nihil sit, cui melius Deum comparare valeamus. Verùm si quæcunque de circuli laudibus, déque figuræ, vel sphæræ rotundæ præstantia dici possunt, referre valeam, quis vnquam finis adhibendus est? nunquid illa omnia fortalitia, atque fortificationes, quas vocant, & tanti faciunt duces, & milites, in circulo continentur? in quo si triangulum, sexangulum, aut quamlibet aliam figuram polygonam expetis, tibi præsto est. Nunquid tota Contraponderans, omnis Mechanica, & machina, omnis Astrologia, & Geometria ad circulum probatur velut ad amussim? Hic omnes numeros tam numerantes, quàm sonoros ambitu suo continet? Nunquid in circuli cœlestis conuersione, circulis, Zonis, & cæteris, quæ complectitur, totus Chronologiæ, Chronographia, Geographiæ, Hydrographiæ, imo & Cosmographiæ cardo situs esse videtur? Quænam maiora solent proponi miracula, (si tamen ea fiant in rerum natura vi naturæ ipsius,) quàm quadrati cum circulo collatio æqualis? cuius inuentionem iure crucem Geometrarum appellare possumus, sicut & omnium circulorum æqualitatem, quam nonnulli rarefactionis exemplo demonstrant, in qua partes, quæ antea modico spatio respondebant, post rarefactionem ingenti spatio correspondent.

Circuli laudes.

Crux Geometrarum.

Non est quòd demonstrem vniuersi centrum esse tellurem nostram, cùm id satis vulgatum sit, & quotidie appareat in tempore pomeridiano diei, quod est æquale matutino; cuius demonstratio videri potest apud Cleomedem l. 1. de mundo, & Ptolom. 1 Almag. cap. 4. & eius interpretes, quicquid Aristarchus Samius, & post eum Copernicus commenti fuerint, ita tamen vt Maginus aduersus Diatribam Scaligeri de præcessione æquinoctiorum existimet Copernicum motum terræ concessisse, & eam è medio vniuersi deturbasse, potiùs vt ingenium ostentaret, quàm quòd illud verum esse crederet, cuius cœleste systema statim referemus, vbi terræ stabilitatem asseremus, de qua videatur Plato in Phœdro, & Phædone, (quamuis enim in Timæo contrarius esse videatur, attamen non ex propria, sed Timæi Locri Pythagorici mente loquitur, vnde frustra laborant Proclus, Alcinous, Iamblichus, & Laërtius in eruendo illius sensu) Aristot. 2. de cœlo cap. 13, & 14, Ptolom. lib. 1. citato cap. 5. Manil. 1. Astronom. & alij cum Sacrobusto, qui præferendi sunt Heraclidi, & Ecphanto Pythagorico apud Plutar. lib. 3. cap. 13. Nicetæ Syracusano apud Tull. 2. Academ. quæst. Cleanthi Samio, de quo Plutarch. lib. de forma, quæ visitur in orbe lunæ, qui terram circa centrum moueri dicebant, sicut & Philolao, qui extra medium circa ignem sub Zodiaco instar solis, & lunæ, teste Plutarch. & Aristarcho Samio, qui inter ♂, ♀ sphæras eam cieri dixerunt; quod etiam Cœlius Calcagninus lib. de perenni terræ motu defendere nititur. Ad quos Thales accedit apud Aristot. 2. de cœlo text. 78, qui circuniecto humore terram grandis instar nauigij circunferri credebat.

Tellus est centrum vniuersi. Cleomed. Ptolom. Aristarchus Copernic. Maginus.

Plato. Aristot. Ptolom. Quinam veteres dixerint terrā moueri. Calcagn. Arist.

De quantitate terræ nonnulla iungenda sunt, quæ tametsi respectu sphæræ octauę puncto similis esse videatur, attamen respectu cœlorum solis, & lunæ, quantitatem aliquam habere videtur; Sanè dum illud punctum gloriæ humanæ materiam esse conspicio, satis mirari non possum tantam hominum insaniam, qui tempus in erigenda Monarchia, Aristocratia, Democratia, Tyrannidibus, Oligarchijs, Ochlocratijs, vel potiùs Anaxarchijs insumunt; idque ferè vt in hoc puncto meliores, vel maiores partes habeant. Hic autem non discutio, an veterum de terræ magnitudine opiniones falsæ sint, & quonammodo intelligi valeant, id enim ad Geographum attinet, sed optimam, vt puto, sententiam profero; nempe terram in ambitu suo tantùm septem mille, & ducentas leucas Gallicas continere: Quod vt facilè quispiam intelligat, breuiter explico, quid per illam leucam intelligam, quandoquidem leucæ diuersæ sunt magnitudinis, non tantum in Heluetia, Germania, & cæteris regnis, sed & in vnica Gallia; nec enim in Comata leucas easdem, quas in Brachata, nec easdem in Aquitanica, quas in Belgica experieris.

Varij principatus. Vera terræ magnitudo. Variæ Gallorū leucæ.

Hîc igitur, ne quis in verbo sit error, per leucam Gallicam, tria milliaria velim intelligi; milliare stadia 8 continet; stadium passus 125; passus quilibet 5 pedes; pes 4 palmos; palmus 4 digitos; digitus 4 grana hordei in latus disposita. Sunt & aliæ plurimæ mensuræ, sed quibus non ita Geographi vti soleant, vt pes, qui penes Gallos, regius dicitur, ac 12 pollices complectitur: pollex vero 12 lineas, quarum vnaquæque latitudinem grani hordeacei habet: vnde patet regalem pedem Geometrico maiorem esse: pes vitriariorum 8 pollicibus constat, diciturque caphus; Cubitus sesquipedem; Passus simplex duos pedes cum dimidio: Cathena, qua Galli suos agros metiuntur, 25 pedes habet.

Mensuræ Geometricæ. Pes regius Francorum. Caphus. Cubitus. Cathena.

Pes verò quadratus 144 pollices, lineas 20736; pes cubicus 1728 digitos, seu lineas 20736 continet: Parasangas, decempedas, perticas, vlnas, cæterasque mensuras omitto, tum quia non sunt in præsenti necessariæ, tum etiam quia de ijs agere debemus, vbi de calamo, cubitóque Hebræorum sermo habebitur. Pes Geometricus, qui 16 digitos obtinuit, si quadretur, digitos quadratos 256, si cubetur 4096 reddit.

Leuca Gallica quot digitos ex omni parte contineat.

Hinc fit vt leuca Gallica trium milliarium, qua nunc vtimur, habeat in longitudine 15000. pedes, ac proinde 240000 digitos, quæ ſi quadretur, digiti reſultant 57600000000; ſi cuba reddatur, 864000000000000, pedes autem quadratos 792000000, cubicos 1188000000000, quæ per iſtas minutias exigere volui, vt qui velit, in tota terra non tantùm leucas, ſed & pedes, & digitos, & ſi neceſſe fuerit, lineas, linearúmque milleſimas quaſlibet eadem methodo dinumerare valeat. Quibus ſuppoſitis.

Terræ ambitus

Gradus, & minuta quid ſint.

Concludo, & explico terram in ambitu 7200 leucas Gallicas obtinere; totus hic ambitus, prout & cœleſtis, 360 gradus ſortitus eſt; quilibet gradus 20 leucas, particula verò, ſeu ſcrupulus ſexageſimus vnius gradus terreſtris milliare; nam facilitatis gratia tam Geographi, quàm Aſtronomi gradum terreſtrem, & cœleſtem cuiuſlibet circuli in ſexageſimas partes, ſeu minuta 60 diuidunt, quæ prima vocantur ad ſecundorum differentiam, ſiquidem vnum primum minutum, ſeu pars ſexageſima gradus, deinceps in alia 60 minuta ſecunda, & quodlibet ſecundum in 60 tertia, & ſic in infinitum, prout opus erit, dirimitur. Rationem aliâs afferam, cur potiùs in 360 gradus circulos terreſtres, & cœleſtes, & eorum gradus in 60 partes, potiùs, quàm in plures, vel pauciores diuiſerint.

Modus reperiendi terræ rotũditatem, & poli eleuationem.

Quod verò vni terreſtri gradui ſolummodò 20 leucæ, ſeu 60 milliaria reſpondeant, patet ijs, qui ſæpius id vel Aſtrolabio, vel inſtrumento partium pinnulas habente, vel quadrante, aut quopiam alio inſtrumento vſi ſunt, & altitudinem poli explorarunt, ſi quis enim exempli gratia Lutetiæ quadrantem præ manibus habeat, & per dioptræ foramina polum, vel potiùs ſtellam polarem, quam Cynoſuram, vel Tramontanam aliqui vocant, bis obſeruet, ſemel hora 6 veſpertina: deinde 6 matutina, vt verum polum in medio duarum præcedentium altitudinum collocet, ſi viderit eius altitudinem 48½, & per 20 leucas rectà pergat verſus Septentrionem, eundem polum vno gradu ſuperiorem obſeruabit: ſecus verò depreſſiorem, ſi ad Auſtrum acceſſerit. Quod omnino conuincit terram in ambitu ſuo continere leucas prædictas: cùm enim terra reſpectu cœli ſit paruus circulus, vel ſphæra modica reſpectu magnæ, ſi cæleſtem circulum in 360 partes diuidis, à quibus rectæ lineæ ducantur ad terræ ſuperficiem per centrum tranſeuntes, terra in totidem partes diuiſa erit; vnde ſi 20 leucas vni gradui reſpondentes per 360 multiplices, 7200 ſtatim exurgunt; illæ verò 20 leucæ confirmantur ex Ptolem. qui teſte Petro de Alliaco gradui 60 milliaria tribuit, licet Clauius 62 aſſerat, & ½. Hinc elicio, quantum ſtellæ, planetæque diſtent à terra, ſi Tychonicum computum recenſeamus, quem cæteris multi præferunt, quod Tycho in obſeruationibus cœleſtibus aſſiduus, omniumque diligentiſſimus, & melioribus inſtrumentis vſus fuerit, quæ libro peculiari vulgauit.

P. de Alliaco Clau.

Stellarum, ♄

Itaque ſphæra octaua ſtellifera diſtat à terra ſemidiametris 14000, in qua tamen ſtellas quaſdam cæteris altiores exiſtimat.

Maximam ♄ diſtantiam ab eadem terra ſemidiametrorum facit 12900; mediam 10550.

♃, ♂, ☉, ♀, ☿ & ☽ à terra diſtantia.

♃ Mediam 3990; Mediam ♂ 1745. eiuſdem minimam 1176.

☉ maximam 1179, mediam 1150. Mediam ♀ totidem, ſicut & ☿.

Baranz.

Lunæ denique mediam 60, vt refert Baranzanus parte 1 Vranoſcopiæ, vnde colligit ſolem altiorem eſſe poſſe Marte,

Iunctin.

Minimam verò, atque maximam planetarum à centro terræ diſtantiam Iunctinus ita refert.

Luna diſtat ſemidiametris 33, minutiſque totidem, cùm terris citiſſima eſt, cùm remotiſſima 64, minutis 10.

Mercurius proximus 64. M. 10. remotiſſimus 166.

Venus proxima 166. diſtans 1079.

Sol propinquus 1079; remotus 1176.

Mars proximus 61176, remotus, 8232.

Iupiter propinquus 8232 remotus 13171.

Saturnus denique proximus 13171, remotiſſimus 17571.

Cla.

Sphæræ verò ſtellatæ liberaliter 19000 ſemidiametros tribuit; Clauius vero Saturni conuexo, ac proinde firmamenti concauo 22612; quem in alijs non refero, quia manibus omnium teritur, & aliâs fortè hæc omnia ex profeſſo diſcutiemus, de quibus iam in rationibus plurima dicta ſunt, quibus aduerſus Atheos ſuperiùs vſus ſum.

ARTICVLVS II.

Totus moralis.

AN EX PRÆCEDENTI CAPITE Theologus, & omnes Chriſtiani profectum aliquem ſpiritualem elicere poßint.

SI mel de petra, oleumque de ſaxo duriſſimo Moſes iuuante Deo haurire potuit, dubio procul nos diuina fulti gratia poſſumus ex cuiuſlibet rei contemplatione magnos in virtute progreſſus facere, & quidem in præſenti ſi quis in ſe reflexus terram aſpiciat, quæ reſpectu cœli tam parua eſt, vt nec totus eius ambitus vnico firmamenti gradui conferri valeat, imo neque vnico ſcrupulo, ſeu particulæ ſexageſimæ; vix, credo, poterit à riſu abſtinere, quòd mortales homines ad æternam gloriam creati tot inter ſe modis pro hoc vnico terrę puncto dimicent, dũ interim cœleſtes illos globos, negligunt, & ſe ipſos à beatorum conſortio ſecludunt. Huc huc ô Chriſtiane animũ aduertito,

aduortito, & apud te receptus ex animi specula, velut ex altissimo, & amplissimo theatro contemplare Forenses homines fori clamosi iurgia vendentes, qui exucto sanguine Clientes deglubunt; varias mundi leges quæ vim vi repellunt, frangenti fidem frangunt; quæ docent fallentem fallere non esse fraudem; culpam cum culpa compensare fas esse; volenti non fieri iniuriam; permissum contrahentibus se decipere; tanti rem esse, quanti vendi potest: licere sibi consulere cum alterius etiam detrimento, & cætera, quæ ius gentium siue bene, siue perperam intellectum, & ciuile peperit, atque disseminauit; bella, cædes, seruitutes, litigia ingeniosa auaritiæ præcepta, mille rapiendi formulas, opinionum maria, consiliorum syluas, cautelarum procellas, & alia, quibus sæpe Christus Dominus contraria docuit.

Contemplare quomodo Medici, Historici, Critici, Astrologi, Geometræ, Optici, Cosmographi, Arithmetici, Musici, Dialectici, Rhetores, Poëtæ, & cæteri mortales nescio quibus nugeculis, atque terismatibus omne tempus absumant. Proh Deum immortalem! quis lacrymarum torrente tantam hominum insaniam non deflebit? qui in id impietatis proruperunt, vt cœlo vale dicentes ad mendacia, obtrectationes, conuitia, calumniam, perfidiam, vanitatem, pertinaciam, impatientiam, gloriæ cupiditatem, otium, arrogantiam, superbiam, voracitatem, impudicitiam, denique ad omne genus impietatis formati esse videntur, ô brutas hominum actiones, ô cogitationes inanes, datur optio, vt in cœlis, velut in pulcherrimo palatio viuere possis, & omne genere bonorum perfrui, si non sapias, quæ sunt super terram, & tamen totus in ea es, non solùm corpore, sed & mente; verè terra es, qui terram amas, quandoquidem amoris proprium est rem amatam in amantem conuertere, & amantem in rem amatam.

Si quis diebus singulis 20 leucas perageret, 360 dierum spatio totum ambitum terrenæ molis peragrare posset; si 10 leucas, duobus paulo minus annis, talis est eius amplitudo; sed obsecro, quid hinc præter ingentem membrorum defatigationem orietur? ambulent quantum voluerint ij, qui terrenis diuitijs inhiant, in fine dicere cogentur, *Lassati sumus in via iniquitatis:* At quanto maiori gaudio psallent illi, qui bona cœlestia prosecuti fuerint cùm desiderio, tum etiam virtutum exercitio dicentes: *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.*

Tropologica terra. Si cui daretur, vt 20 asses, vel innumeros milliones aureorum caperet, sibique pro libito compararet, quis non eum mentis expertem affirmaret, si 20 asses illis præponeret millionibus? & tamen carnalis homo, qui vitijs non resistit terram tam arctam cœlis immensis præfert. Quod si quis terram diligere velit, ad illam terram viuentium sese conuertat, cuius longitudo est Dei benignitas, & patientia nos prouocans, & expectans ad pœnitentiam, latitudo, charitas, qua nos etiam inimicos dilexit, & diligit; altitudo, prouidentia, qua bonos hic affligi, malos florere permittit, & à fine vsque ad finem omnia suauiter disponens fortiter attingit; denique profunditas, qua se vsque ad vermium conditionem deprimit, dicens: *Ego sum vermis, & non homo*; Christus ergo terra est, in qua ambulare, proficere est; quam contemplari, beatitas est, de qua psalm. 84 *benedixisti Domine terram tuam*, quæ apud Isaiam terram viuentium appellatur, ad huius differentiam, quæ est mortuorum, vel mortalium. Psal. 84.

Vt quis terræ magnitudinem exploret, ad polum, & cynosuram oculos conuertere debet, vt stellæ polaris altitudine, depressionéque Meridiana cognitis, in vtriusque medio verum polum constituat, vt quis sciat, quantus sit Christus, ad diuinitatem respicere necesse est: nam quanto meliùs perspexerit, quàm sublimis sit diuinitas super humanam naturam, tanto clariùs ipse cognoscet, ad quantam sublimitatem Christus euectus fuerit quippequi in vtráque natura, diuina, & humana subsistit, & gloriosus exultat, & fatebitur cum Psalte, quàm sit *Magnus Dominus, & laudabilis nimis.* Vel si quis ipsius diuinitatis immensitatem scire desideret, Christum pro cynosura sequatur, in quem semper oculis intendat, cùm de se ipso verissimè dixerit, *Ego sum via, veritas, & vita*: est igitur Christus vera Tramontana, verum Astrolabium, verum quadratum, quo si rectè vtamur, facilè longitudinem, atque latitudinem terræ viuentium metiri poterimus: & quidem in Christo verissimum spiritualis vitæ Astrolabium assignare possum, cuius Abalhantica, seu armilla suspensoria sit crux; Alhabos, seu clauus armillam coniungens; & Almehan, seu foramen centri, & Alchitot; seu clauus foramen illud ingrediens, cum Alphorat, quod equus dicitur, araneamque cum rotula restringit, mihi clauos illos referunt, qui tam crucis, quàm beatissimæ carnis foramina repleuêre. Cōparatur Christus est Astrolabio.

Alhidada, seu regula fiduciæ est paterna voluntas, iuxta quam Christus suas omnes actiones, & animi prospectus efformabat, cuius ambæ pinnullæ in extremis regulæ finibus infixæ principium, & finem omnium denotare possunt, quæ Christus agebat, nam ab ipso Verbo proficiscebantur, cùm actiones sint suppositi, & in ipso Verbó desinebant, cùm omnia, quæcunque fecit dixit, aut cogitauit Christus, ad maiorem Dei gloriam actu referrentur, & per consequens ad ipsum Verbum, & ad Christum, qui Deus est. Præterea facies, & dorsum in Astrolabio spectari solent; in facie 12 horæ, cum 360 Æquatoris gradibus in limbo scribuntur, cum mensibus, eorumque diebus, & signis Zodiaci.

Quid obsecro notatur in facie Christi? quid in ea vides impressum? nunquid 24, nunquid 360, sed nunquid innumeros characteres, & longè plura stigmata respicis carnificum manibus, sputis, spinarumque aculeis inflicta, & infixa? En Christianæ frontis Domini nostri limbum, in quo & horas, & gradus inuenias, quibus ad cœlum ascendere possis, si nimirum ex tot plagis elicias, quanti diuinus honor, atque virtus, quanti salus animarum, quanti gloria æterna facienda sit, pro qua nobis comparanda, pro quibus omnibus Christus Dominus hæc omnia passus est: ostende nobis igitur Domine faciem tuam, faciem decoram, in quam Angeli respicere desiderant, ob quam diceris *speciosus forma præ filijs hominum; ostende nobis faciem tuam*, ex qua plures ad nos vtilita-

tes, ac influentiæ, quàm à 360 Zodiaci gradibus ad terram, proficiscuntur; *ostende faciem tuam*, quæ non solùm temporis, vt horæ, sed & æternitatis mensura est, & salui erimus. Hæc est facies, hæc frons, hic vultus, in quo scalam cœlorum altimetram videre est cum arcubus suis inæqualibus, quod & de dorso verum est, super quod *fabricauerunt peccatores*, dorsum, quod scalam illam crucis ad montem Caluariæ tulit, per eam ad cœlum ascenderemus; per quam non solùm dimensiones geometricas, sed & diuinas exercemus, quandoquidem habes in cruce, quæ sit longitudo non aquæ, vel ignis, vel etiam cœlorum; sed æternitatis; quæ sit latitudo charitatis, quæ maiestatis sublimitas, quæ sapientiæ profunditas, quam Christus in Incarnationis œconomia demonstrauit, quod præclarè D. Bernard. 5. de consider. ad Eugen. explicat, ex 3. cap. ad Ephes. vbi Paulus Ephesios hortatur, vt videant, *quæ sit charitatis diuinæ latitudo, longitudo, sublimitas, & profundum.*

Bernard. ad Eph. 3.

Astrolabium censetur vniuersitas instrumentorum, nam omnia in se comprehendere videtur; crux verò dicitur à Nysseno vniuersitatis vinculum; astrolabium cuspides Orientis, Occidentis, Septentrionis, & Meridiei denotat, sicut, & cæteras domos, ex quibus Astrologi de cuiuslibet fortuna, bonisque, vel malis futuris iudicant, summum verò crucis Christi, inquit Sedulius, siue altitudo est Oriens; imum Occidens, cornu dextrum Septentrio; Meridies autem sinistrum, vt significetur 4 orbis plagas, & totum orbem terrarum ad crucem pertinere, atque vocari; & quidem pro varijs affectibus, quibus vnusquisque ad crucem fertur, ac prout crucem suam instar Christi perferre satagit, de eius bonis futuris iudicamus, siquidem quo maiora, pluráque pertulerit, eo maioribus bonis perfruetur; nec difficilè quis cruci, ac crucis amicis 12 horoscopi domos accommodare poterit. Discamus ergo per illud planisphærium diuinum, quæ fuerit longitudo perseuerãtiæ Christi, quæ charitatis latitudo, quæ sublimitas orationis, quale profundum æternæ prædestinationis; sed videamus quænam fidei nostræ sit longitudo, quæ spei latitudo, quę altitudo charitatis, quodnam humilitatis profundum.

Sedulius.

Omitto tabellas in quibus Almicantarath, seu progressionum circuli ab horizonte vsque ad Zenith capitis describuntur, quod est directè capiti superpositum; quos Azimuth, id est altitudinum circuli per Zenith transeuntes intersecant, licet omnes actiones Christi à natiuitate vsque ad mortem, & in cœlum ascensionem veri sint progressionis spiritualis circuli, per quos solis, & stellarum instar iusti per imitationem, atque conformationem ascendunt, donec ad Meridiem, & Zenith æternitatis peruenerint; adde quod illi iustorum actus intersecētur, & velut informentur peculiari desiderio placendi Deo; quod in actionibus Christi verissimum est, quæ circulis altitudinis æternæ gloriæ tangebantur. At sicut ex accidenti hæc adduxi, ita libens relinquo, vt ad terram redeam.

ARTICVLVS TERTIVS.

DE TERRÆ DIAMETRO, SEMIDIAMETRO, superficie, ac soliditate, nec non de eius pondere, & quis inde fructus elici possit.

SVppono quod Archimedes demonstrauit nempe proportionem diametri & peripheriæ esse ferè triplam sequiseptimam: vnde si circunferentia sit 22 pedum, aut leucarum, diameter erit ferè 7 pedum, aut leucarum, ter enim 7 faciunt 21, quibus si vnam 7 addis, 22 resultant. Cùm autem suprà diximus terram in ambitu suo continere leucas 7200, ex illo reperienda est diameter, primò igitur ambitus per 7 multiplicari debet, vt postea per 22 diuidatur, quod enim in quotiente reperietur, dabit diametrum.

Prim⁹ modus diametri & circũferẽtiæ inueniendæ.

Itaque 7 ducta in 7200 faciunt 50400, quæ diuisa per 22, dant 2290 cum $\frac{20}{22}$, quæ supersunt post diuisionem perfectam, sunt ergo leucæ in diametro terræ bis mille-ducentæ nonaginta, & vna ferè, ponemus igitur 2291, ac per consequens semidiameter erit 1145 leucarum cum vna dimidia: Ingeniosè verò versiculi quidam excogitati sunt, quibus illa diuisio continetur.

Vvillebrordus c. 6 de cometa anni 1618 terrenæ diametro milliaria horaria 2177 tribuit.

Circuitus circi per septem multiplicetur:
Per duo viginti productum deinde secato;
Hinc numerus quotiens, qui dicitur est diametrus.
Per duo viginti si multiplices diametrum,
Per septemque seces numerum, qui prodyt inde,
Circuitum circi quotiens numerus tibi reddet.

Est & alius modus, quo diametrum reperire valeamus, si diuidatur peripheria per $3\frac{1}{7}$, quotiens enim diameter erit; exempli gratia si cuiuspiam agri circuitus orbicularis sit pedum 1540, & per $3\frac{1}{7}$ diuidatur, diameter erit pedum 490; quod si diametrum per 3 & $\frac{1}{7}$ multiplices, ambitus inde resultabit: hæc clarissima sunt. 2 Modus.

Superficies totius terræ conuexa dabitur, si maximi eius circuli aream, vel superficiem per 4 multiplices; area verò prædicta conficietur, si semidiametrum in dimidiam partem ambitus duxeris, Itaque dimidius orbis terreni ambitus leucarum 3600 constituatur, cuius semidiametrum constituimus 1145 cum dimidia, quæ ducta in 3600 faciunt 4122000, quod quadruplicatum dat totam superficiem, eiusque leucas quadratas 16488000 iuxta propositionem 31. lib. 1. Archimedis de sphæra, & cylindro, vbi ait superficiem conuexam cuiuslibet sphæræ quadruplam esse areæ maximi circuli eiusdem sphæræ: Idem etiam reperietur, si totam diametrum in totam circunferentiam maximi circuli duxerimus.

De superficie terræ.

Denique soliditas eiusdem terræ reperietur, si semediametrum ducis in tertiam partem superficiei cõuexæ sphæræ; vel si hæc superficies conuexa tibi

De terræ soliditate.

tibi minimè cognita fuerit; si maximi circuli aream per duas tertias totius diametri multiplices, productum enim soliditatem tribuet, vnde cùm terræ semidiameter sit 1146 leucarum ferè, & tota diameter 2292 ferè, si duas tertias partes 764 in leucas 4125600 areæ maximi circuli duxeris, leucas in tota soliditate terræ cubicas 315195 8400 inuenies.

[...]e terræ [...]ondere.

Ex quibus facillimum est definire, quotnam libras, terra pendeat, seu quam grauitatem habeat, & quantum futurum sit illius pondus, si lancibus examinetur. Demus enim vnicuique pedi cubico terræ 100 libras: si libras ducimus in omnes totius terræ pedes solidos, qui grauitatis eiusdē esse supponantur, quod resultabit, erit quæsita terræ grauitas: quapropter cùm leuca 3 millia passuum contineantur, in eadem pedes erunt 15000, qui si cubentur, dabunt solidos pedes 3375 000000000 in vnica leuca trium milliarium contentos, ac per consequens si toti terræ leucas solidas 3151958400 assignemus, pedes solidos, continebit, quot in sequenti numero vides exprimi, 358690261500000-00000000; quem si per 100 multiplicaueris, omnes libræ, quas tota terra pendet erunt 35869026-1500000000000000, in qua numero sunt viginti quinque characteres; qua etiam ratione facillimo quis negotio scire poterit, quot libras contineret totus mundus vsque ad firmamentum, si totum vniuersum, eiusque singulæ partes eiusdem cum terra grauitatis essent; sed ad animi profectum accedamus.

[P]rimus numerus per [...]res tertiliones effe[...]tendus est. Facilē numerandi modū vide ratione 16 aduersus Atheos p. 54

Plurimus certè, idque ad omnem artem, & sciētiam fructus, plurimæque vtilitates ex dictis manare possunt; hinc enim agricolæ scire poterunt quot medios, vel alias mensuras continebunt acerui segetum in orbem dispositi, dummodo circuitum vel diametrum acerui cognoscant: Architectonici, & cæmentarij quantam intra se capacitatem turres, fenestræque rotundæ contineant; milites quot in circuli circumferentia homines concludi valeant; Cætera quæ vel ad geometricam astronomicam, & mechanicas attinent, in quibus circulus, & sphæra præcipuum locum obtinent, libens omitto, vt ad profectum animi, quem præsertim debet intendere literarum sacrarum interpres, & Theologus, accedam.

Quis imposterum inueniri poterit, qui hæc omnia caduca, & terrestria contemnat, quorum mensura respectu cœlorum sese instar guttæ habet ad oceanum; sed ne cœlos omnes afferam, ac integros contempler, sol vnicus terræ magnitudinem centies, & sexagies continere dicitur, à quâ 4 millionibus milliarium, & ampliùs distat: adde quòd hora quapiam milliaria 1140000 percurrit, quod est tantum spatium, ac si terram totam quinquagies circuiret aliquis, ambitus enim conuexi solis 7 milliones milliarium habet, & trecenta sexaginta millia, quæ per 24 diuisa numerum præcedentem tribuunt.

Solis magnitudo atque velocitas.

Terra verò cùm à firmamenti concauo 80 milliones milliarium distet cum dimidio, cogita obsecro, quantum sit noni, decimi, & vndecimi cœli ab ea dissidium: ex quibus manifestum est quamlibet stellam in æquinoctiali sitam singulis horis conficere 42 milliones milliarium, & præterea millionis partem tertiam, quod est spatium ei æquale, quod faceret eques 1904 annis, si diebus singulis 40 milliaria conficeret, vel quantum perageret, qui bis millies vnâ horâ terram circuiret.

Distantia terræ à firmamento.

Stellarum pernix cursus.

Cùm autem longè velociùs vertatur primum mobile, Deus bone quàm præceps, quàm velox est, & volatile tempus, quod à motu primi mobilis mensuram accipit, eiusque motum mensurâ reciprocâ metitur. O Christiane fulguris instar, imo fulgure velociùs tempus irreuocabile fugit, cùm tempore raperis ad æternitatem vel miseriæ, vel fœlicitatis æternæ; tu dormis, & tempus tuū minimè dormit, nec vlla ratione quiescit, sed ambulat, inquit D. Ambros. in Psalmum 1. Vide ne tempus tibi adimat æternitatem; hæc enim tempore acquiritur, sed vbi cessauerit tempus, cessat etiam æternitatis acquirendę spes, cessat potestas, cessat desiderium.

Quàm tempus citò transeat.

Ambros.

Quidnam est tellus, quam magnitudine stellæ decies septies vincunt, quæ minimæ omnium in cœlo videntur; quæ verò maximæ, sexagesies: quid est terra nisi punctum? & tamen puncto hæres, nec ad circunferentiam mentem euehis, vt seriò contempleris amplissimum illud firmamentum, cuius semidiameter tanta est, vt lapis molaris necessariò annos 90 impensurus sit, donec ad nos vsque decidat, licet horis singulis 200 milliaria conficiat, nec enim plura naturali pondere decurrere posset: idque constat si 160 milliones milliariorum, quos à conuexo firmamenti ad nos vsque numeramus, in dies, & annos diuiseris, & cuilibet horæ 200 milliaria tribuas: Contemplare igitur sacrum illud palatium, in quo diuinitas habitat, & terrenis contemptis ad eam deinceps frequenti cogitatione, votisque ardentissimis aduola.

Quanto tēpore lapis à firmamento descenderet.

Consurge filia Syon, consurge ad cælestia, ad illud cælum cælorum, verum empyreum, quod magis firmamentum cum toto mundo in eo contento superat, quàm firmamentum guttam aquæ; *magnus certè Dominus, magnus, & laudabilis nimis*, qui tantam post obitum tribuet animabus agilitatem, sicut & beatorum corporibus post vniuersalem resurrectionem, vt quod nemo spatio 2000 annorum ambulando, vel currendo conficere posset, tunc ferè in momento beati percurrere valeant.

Vtinam essemus in empyreo, ex quo velut ex altissimo montis vertice hanc terrestrem sphærulam aspiceremus, quis non exclamaret, estne punctum illud, cui velut formicæ homines incumbunt? estne punctum, quod ferro, & igne diuidunt? O quā angusti peccatorum oculi, & animi; *ô Israël quàm magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius*. Iam iam globulum hunc contemnamus & immēsa cogitantes annos ęternos præ oculis habeamus: quis imposterum pro puncto velit tantos labores exantlare: quis adeò hebes, qui punctum ex puncto, nempe agrum, aut fructum è terra per vim, vel fraudem subripiat, séque à cælorum immensis spatiis excludat? an aliquis ita cæcutiet, vt pro terra rubra, vel alba, nempe auro, & argento fulgentissima sydera commutet? Quis non æquo perferret animo tribulationes, & quæcunque occurrerint, vt bonis cælestibus tam amplis perfruatur? quorum contemplatione tot sancti Prophetæ, Martyres, Virgines, Confessores tyrannos, & tormenta passi sunt.

Exhortatio ad cælestē vitam.

Profectò ita me recreat, ac retinet cælestium contemplatio, vt vix ad terrestria, vel possim, vel ausim descendere, descendam tamen, vt ex iis probè intellectis faciliùs ad astra subleuemur. Diametrum, circunferentiam, areas, cubum sphæræ inuestigauimus, at tibi diametrum æternitatis, centrum, & peripheriam meditandam relinquo, Deus

Deus quomodo sphæra.

enim eſt ſphæra cuius centrum vbique eſt, circunferentia nuſquam. nec eſt aliquid in ſphæra, quod non poſſis Deo accommodare.

Ad pondus diuerto, quod tanti faciunt homines, vt vbique pondera, lances, trutinas, & menſuras aſpicias; hucuſque fere temeritas hominum proceſſit, vt ea pluris æſtiment, quorum pondus grauius fuerit, nam apud eos aurum pretioſius argento, quia grauius; marmor nigrum albo melius, quia grauius, & durius. Per ſua pondera reperetunt homines rerum in ponderibus varias proportiones, hinc cùm oleum 9 vncias pẽdet, aqua eiuſdem quantitatis 10 continet, mel 15, ſtannum 75, ferrum 80, æs cupreum 91, argentum 104, plumbum 116 ½, argentum viuum 150, aurum denique 187 ½. Et quidem ſi rogentur homines, cur aurum, quod argento, plumbóue grauius eſt, pluris faciãt, plumbum verò licet 116 ½ pendeat minus tamen æſtimant, quàm argentum quod leuius eſt, vt pote ſolas 104 vncias habens, quid reſpondebunt, niſi fortè quia ſolidius eſt, & pulchrius, at multa ſunt argento pulchriora, & ſolidiora, quæ tamen minimè tanti faciunt: verùm fortè recurrent ad omnes argenti proprietates, quas omnes ſimul contemplandas obiicient, eſt enim ſplendens, ſonorum, durum, & ſolidum ductile, & aliis plurimis inſeruiens vtilitatibus.

Metallorũ proportiones ſecũdũ pondus.

An res eò nobiliores quo grauiores, necne.

Quos iterum rogabo, cur non pluris aquam, aërem, ignem faciant, imo & terram, & quod præ cæteris æſtimari debet, cœlum, quæ omnia ſunt argento, vel auro longè vel vtiliora, vel pulchriora, vel meliora. Ne quæſo mihi metallorum objiciant pondera, natura ſiquidem clamat aduerſus illa figmenta, quandoquidem res eo præſtantiores eſſe videntur, quo leuiores, rariores, & velociores: hinc aqua cenſetur potior terra, aër anteponitur aquæ, ignis vtriſque; ſenſus ipſi, quibus vtuntur homines, idem edocent, nam quò velociùs ſuas actiones exerunt, eò nobiliores æſtimantur; hac enim de cauſa ſenſus interiores præferuntur exterioribus; inter hos oculi auribus, aures odoratui, guſtui odoratus, denique guſtus tactui, quia nobiliori modo in obiecta feruntur, quatenus materię minus adhærent.

Vt autem omiſſis terrenis ad aſtra, & intelligibilia tranſeamus, quid cœlo melius, quid pulchrius aſtris, quæ tamen non grauitant, imo neque ſonora, neque ductilia ſunt; Et quidem id diuina authoritate confirmari poteſt, qui ſuos angelos non rebus grauibus, & ſolidis, ſed ventis, & igni comparat, *qui facis Angelos tuos ſpiritus, & miniſtros tuos ignem vrentem*; hinc fit, vt humor omnium pernicioſiſſimus melancholia dicatur, quia terræ omnium elementorum grauiſſimæ, ſolidiſſimæque reſpondet.

Morbi à melancholia geniti.

Quot enim horrenda ſymptomata, quot carcinomata, eryſipelata, lepras, febres quartanas, Medicorum crucem, & id genus alia generat? quæ ſæpius etiam maniam, furorem, rabiem, & deſperationem adducit.

Caueant ergo qui plus nimio rebus terrenis inhiant, ne in eis ſymptomata longè maiora, & peiora contingant, quàm ea, quæ corpori ab illo meconio obueniunt, ſeque proinde fæcibus illis caducis ſeriò, citóque repurgent. Bilis verò non ita nocet, quæ vigorem, & neſcio quem feruorem actionibus conferre videtur, imo Dei amori non parum obſequitur, cum illam naturæ promptitudinem à bile progenitam, vel adiutam, ad Dei gloriam referimus.

Dicam igitur cum Apoſtolo, fratres tempus eſt nos de peccatorum, & imperfectionum ſomno ſurgere, abiiciamus iſta pondera, quæ ſunt opera tenebrarum, quod reuera de metallis ſubterraneis auro, argento &c. dicendum eſt, quæ omnia pondus ſunt, non ſubſidium: pondus quod nos deprimit, & à cœleſtibus auertit: pondus, quod ad inferos detrudit; duo ſunt pondera, quorum vnum nos ad terreni mũdi ciuitatem aduocat, videlicet amor ſuiipſius, & mundanus: aliud ad patriam cœleſtem, amor Dei, qui hominem ducit vſque ad contemptum ſui.

Ad hoc igitur pondus anhelemus dicentes cum B. Auguſtino, *amor meus pondus meum, illo feror, quocunque feror*: ferat nos pondus hoc ad Deum viuũ, cui dicamus omnes: *Trahe me poſt te, in odorẽ curremus vnguentorum tuorum*, ô Ieſu dulciſſime ſpes ſuſpirantis animæ. Verùm de terra ſatis dictum ſit, præcipuè cum alia plurima dicturi ſimus de ea, prout cœlorum circulis ſubiicitur, & Æquatorem cum tropicis, zonis, paralellis, & aliis, quæ à Geographis, Hydrographis, & Aſtronomis cõſiderari ſolent, obtinet, vbi de variis regionibus, regnis, diebus & aliis id genus verba faciemus.

Auguſt.

ARTICVLVS IV.

AN TERRA MOVEATVR, NECNE.

In quo rationes afferuntur, quibus terræ mobilitas, & cœlorum quies probari videtur.

CVm hæc dubitatio celeberrima hocce noſtro ſæculo euaſerit, in quo plurimi Copernicæi ſurrexerunt, qui Pythagoræ, & Ariſtarchi opinionem tueantur, atque adeò terram moueri, cœlos verò ſtare affirment, quicquid Scriptura afferat, ea propter hîc eam fusè diſcutio, vt ſciat vnuſquiſq; quid vel tenere, vel reiicere debeat. Vt autem non exiſtimes me rationem vllam, quam hactenus attulerint, reticere, propriis illorum verbis vtor, ſic igitur primò arguunt ex eo, quòd oculi decipiantur.

An tu non audiſti academiam veterem ita de rebus ac tota natura ſtatuiſſe, vt nihil certò intelligi aut comprehendi poſſe arbitretur: quod genus diſciplinæ aut mera ignoratio eſt, aut certe quid ignorationi proximum. Id Græci melius quàm nos ἀκαταληψίαν dixêre, Cicero incomprehenſibilitatẽ interpretatur. Ob id Socratem introduxiſſe diſceptationem in vtranq; partem ferunt: quaſi hæc vna foret aptiſſimum inſtrumentum rerum indagini. Nec alia profectò de cauſa Arceſilaus collum illud ſuum columbinum contemplari ſolebat, niſi

vt

vt varietate colorum oculos fallente intelligeretur quã difficile ac periculosum foret in rebus etiam perspicuis quippiam affirmare. Epicurus bipedalem solem aut certè non multo maiorem arbitrabatur. Solent etiam philosophi remi palmulam solidam ac sartam tectam (vt dicitur) intra aquã quasi fractam ostendere. Aristoteles probat vim illam intellectus, qua formæ & spectra recipiuntur, corruptam ac peruersam offerre oculis miras imagines, atque omnino veritati rebelles.

Ob id atra bile laborantes sese mirabiliter affectos pro morbi inęqualitate imaginantur, alij se vitreos putant, accedentesque refugiunt, ne forte collidantur: alij se in aquam deliquisse totosque perfluere suspicantur. Quid de iis dicam? qui se anseres, pauones, buculas factos existimant, corũque animalium voces imitantur, quorum sibi formas videntur induisse, & vt autor est Hippocrates, iis, quorum oculi sanguine suffusi sunt, rubro colore perfusa omnia offerũtur: sicuti arcuatis & glaucomate affectis videntur cuncta virescere. Sanè bene potis ac vino madentibus oculi natãt, omnia circumuolitant, atque in orbem feruntur. Agrigenti domum fuisse accepimus, cui triremis ex eo nomen fuit: quòd cum nobiles adolescentes paulo se liberalius poculis inuitassent quàm sobrios deceret, tum sibi domus omnis agitari & fluctuare ac demum subuerti videbatur. illi vero se nauigare suspicantes, & mox naufragium facere inclamantes, repẽtinum consilium ceperunt: quale sibi suggerebat ebrietas, vt instrumentum omne domesticum, omnemque supellectilem leuandæ nauis gratia ex fenestris & menianis abiicerent ac profunderent. Hinc domus nuncupationem inuenit.

Sed forte aliquis dixerit, cedo, quorsum tam longa tendit oratio? eò scilicet vt intelligas: non ita esse oculis habendam fidem, vt quod illi nuntiarint, persuasum exploratumque protinus haberi oporteat. Dixeram tibi modo, hunc cæli ambitum, quem tu inenarrabili celeritate verti putas, hunc solem, illa astra, quæ tu vno circumactu rapi existimas, stare, suisq; nixa orbibus perpetua quiete perfrui. Hanc vero tellurem, quam tu fixam immotamq; arbitraris, (sic enim te tuus aspectus falsum habet) neque consistere, neque grandioribus elementis incubare, vt multo maxima pars mortalium putat. Quin eam esse, quæ incõparabili pernicitate æternóque anfractu circunuertatur, nosque mortales cum ipsis domiciliis atque vrbibus, montibus ac fluuiis imprudentes ac nostræ conditionis ignaros rotet: non secus atque olim posteritati traditum accepimus, C. Curionis theatris duobus & temporariis & ex intestino opere constructis P. R. per summam securitatem assedisse, sui periculi ignarum: quæ ita constituta fuisse legimus, vt vno axe versatilia varias facies ostenderẽt: frontesque ita committerent, vt ignaris sessoribus nunc theatri, nunc amphitheatri imaginem præ se ferrent. Hoc idem nobis quotidie euenire solet, immo horis singulis: vt torpentibus nobis aut certè aliud agentibus in hac citima orbis plaga alia atque alia spectacula offerantur: quiescente mundo, sed terra ipsa irrequieta vertigine nos & nostra deferente. Tu vero cum hæc ab opinione vulgi paulo remotiora traderem, identidem reclamabas, prouocabasque ad oculorum fidem: ceu verò stultum foret ac furori proximum non sentire ab ortu in occasum, & ab occasu rursus in ortum, cælum & quæ cælo conserta sunt circumflecti, & has æternitatis vices seruare. At ego te frustra sæpe admonebam, vt ab oculis aliquando discederes: & illud poëtæ tecum cogitares:

1 Ratio. Quia fallitur oculus.

Prouehimur portu, terraque vrbesque recedunt.

Quis enim est qui naui vehens, licet sciat, sentiatque se naui vehi, licet tam breuibus vnius nauigij cancellis includatur, suumque vndique vehiculum circunspiciat: si tamen paulo accuratius in rupes proximas & nemora ripis adiacentia inconniuentes oculos intenderit, non putet se stabili loco sidere, ripas autem & nemora commeare? quo minus admirabile videri debet, si tanta in mole cõstituti rapimur atque agimur, vt lubet, nostræ humanæ conditionis ignari. Facit enim loci magnitudo, vt ad sensũ nõ perueniat ille telluris impulsus, amplitudine molis fallente ac dissipante pernicitatis intellectum. In iis ergo, in quibus sensus parum officio suo defungi possũt, & vel certo aliquo obiice impediuntur, aut locorum distantia circũscribuntur: nihil expedit magis ad explorandam veritatem, quàm prouocare ad rationem, & argumenta scrutari, quæ rei dubiæ fidem faciant. Est enim vetus illa inclamatio apud Platonem in Gorgia, οὐ τὰ ὄμματα ἀλλὰ τὸν νοῦν, [illegible] Oportere hominem philosophum non oculos, sed mentem intueri. Tecum ergo sic cogita. Cõfirmatur exemplo.

An non ea quæ supra lunam posita sunt, & cælo finitima æterna sunt, immortalia, ab omni commutationis iniuria longe aliena? An nõn quæ citima sunt, mortalia, caduca, ad vicissitudines alternationesque semper exposita? & qualia Plato in Timæo scripsit semper fieri, esse nunquam. Sanè si hæc sententia ita recepta est, vt ab omnibus comprobetur, non video quomodo æternis illis immortalibus ac semper sibi constantibus possit motus conuenire: præsertim cum nihil aliud sit motus, quàm mutatio, & ex loco ad locum migratio. Neque enim aliter quicquam moueri dicitur, nisi quod partim vno, partim altero nititur termino: cum neque in vtroque totum, neq; vtique in neutro totum recipi possit. quod persuasissimum inconstantiæ ac incertæ sortis testimonium esse potest. Hoc vero multo iustius ac rationabilius terræ quàm cælo ir[illegible]aueris. 2 Ratio quia cœli sunt incorruptibiles.

Huic rei fidem facit natura ac positio telluris: quam aër ambit, cui aqua incumbit, ac latè permanat: vt quasi in lubrico posita, & faciliùs, & commodiùs circunuertatur: cum nihil sit quod offendat, & excursionem moretur. Id quod pilæ absolutæ rotunditatis euenire consuetum est, si plana & læuigata tabula statuatur. Nec enim tantisper rotari desinit, donec obiicem aut lacunam inuenerit vbi sistat. 3 Ex situ terræ.

Adiuuat ipsa naturæ ratio atque impellit: ceu quę omnibus terræ partibus incredibile quoddam desiderium ingenuerit perfruendi cælesti lumine, exponẽdique sinum æterni illius syderis radiis; quod excelsa in parte cæli prepotens Deus collocauit, vt eius face omnia collustrentur: eoque autore lucem à tenebris distinguamus, vt omnium rerum seminaria eius calore excitentur, alantur, succrescant. Hinc animantibus pabula sumministrantur, hinc anni tempora per vices instaurantur. Non equidẽ quòd ille à nobis aliquando abscedat, rursusque reuertatur, id quod plerique existimauere: sed quod nos propius aliquando congrediamur, aliquando longius decedamus. Neque enim satis vero consentaneum potest videri, vt quod minime nostri indigum est, id nos appetat, nostrique desiderio 4 Ex desiderio terrę

teneatur: contrà, quæ sine illo neque ali neq; formari neque propagari possunt, cessent, suisque necessitatibus prospicere negligant: cum planè intelligamus, atque adeò oculis ipsis videamus, à natura rerum altrice hunc esse instinctum rebus ingenitum, vt se suaque tueantur: salutaria deposcant, fugiant aduersa.

Cõfirmatur similitudine.

Testantur hoc & propè clamitant verum esse muta ac surda & extrema rerum conditione damnata. Quis enim non videt flores quotidie ad solem hiantes, atque ab eo cum longius abstiterint comprimentes folia, & suum se in vterculum quasi in diuersorium, reuocantes? An non malua, cichoreum, & omne illud genus, tum herbarum, tũ fruticum, quod Græci heliotropium vocant, ita ambitiosè ad solem nutat: vt inde sibi agrestes homines horologia, quæ scioterica appellamus, adornauerint. Inter hæc profectò lotos maximè cõspicua est atq; admirabilis: ceu quæ in aquis nata tota die promineat, vespere immergatur, noctu vero ita se agat in profundum, vt neque immisso brachio possit inueniri. Est quoque cyclamini species, quæ inde helioscopi nomen inuenit. Periclymenon herbam coronariam & matronis nostris egregiè cognitam, quam domestica voce Matrem syluæ nuncupant, an non quotidie ad solem videmus anhelare? vt non desint qui ab effectu solisequam vocitauerint. Magnesium verò lapidem nonne omnes admiramur, parte vna in austrum, in arctum alia pertinaciter inclinantem? vt hinc etiam primi mortalium Amalphij ad nauigantum præsidia admirabilem illam & antiquis ignotam pyxideculam nauticam parauerint. Sed & ferrum quanta naturæ inductione affectat? quanta rursus ferrum alacritate magneti adblanditur? vt fugientem etiam, & excursantem studio cursuque indefesso persequatur.

Ex quo planè intelligitur quanta sit naturæ vis, & eius quam συμπαθείας vocamus, facultas, vt iam non sit cur aliquis admiretur, terram ipsam, quæ sanè absque solis præsidio iners foret, atque infœcunda, tam cupidè in solis complexus eniti, vt ex eo vitales igniculos ad rerum propagationem mutuetur. Quare nulla posthac causa est, cur ignoto Deo faciamus, aut haruspices accersamus: vt secũdum rituales Etruscorum libros, sue fœta ostentum procurent, si quando terra mouerit: cum nihil prodigiosum haberi par sit, quod ex naturæ consuetudine, ac maiestate proficiscatur. Nec est quòd aliquis in dubiũ vocet Antipodas: aut admiretur, cur in cõtrarium quàm hic sumus modum obuersi non præcipitent in cælum: cum nos ipsi nobis quotidie efficiamur Antipodes, vicissimq; in rotę morem sine periculo non minus in imum descendamus, quàm adsurgamus in sublime.

Quomodo terra moueatur.

Tantum vero abest: vt terræ pondus motum, atque agitationem præpediat, vt multo magis incitet, atque impellat. Siquidem tellus in medio mũdi constituta, loco scilicet omniũ infimo, ac pressissimo: cum non habeat, quò vlterius deuehatur, totaque atque integra locum mutare non possit, reclamante rerum natura: moles autem ac pondus vrgeat: per partes ita moueri cœpit, vt nunquam statione decedens, irrequieto semper ambitu circumagatur: vmbilico ipso, quod centrum appellamus, cessante: sed orbe sine fine in se reuertente atque obambulante; vbi enim semel à natura impulsum accepit, non est quod possit vnquam interquiescere: alioqui rerum ratio subuertatur ac dissiliat oportet.

Declaratur exemplis.

Certè clarissimi conditores omne momentum à grauitate fieri dixerunt, leuitatem priuationem arbitrati: idque tum aliis argumentis, tum maximè naturæ testimonio cõprobarunt. Omnis enim agitatio quæ vel rotatione fit, vel porrecto, nulla planè foret: nisi vectis hypomochlio, id est fulcro suo, quasi centro niteretur: pondere autem ex alia parte prægrauante deprimeretur. Quod & ex stateræ ratione vulgus mancipum quotidiano experimento cognoscit, cuius imago ita propè exprimi potest: Includantur circulo duo trianguli isosceles ita obuersis basibus, vt apices vtriusq; in vmbilico circuli colliment: eo loco stateræ agina statuatur: tum lances vtrinq; propendeant ad inferioris triãguli basem: hæc sanè basis ad vtranque lancem rationem habebit horizontis: quo præscribetur, præfinieturque æquilibrium. accedat alteri lanci pondus, ea protinus moueri incipiet, decedetque ab horizonte, hac pessum eunte, altera attolletur per circuli lineam ambeuntem, pensabũtque rata portione suos in summa imaque progressus, donec illa grauitate sua mediam inferioris basis lineam, superioris illa sua leuitate contigerit; ita non erit ambiguum vtriusque momenta ponderi superuenienti accepta ferri oportere.

Architæ columba.

Sic columbam illam Architæ lineam certis machinis, ac pondusculis instructam fuisse legimus: vt cum moueri semel cæpisset, semper moueretur, neque desineret: vi illa scilicet pristina quæ motus principium dederat, nunquam deserente impulsam, structura præterea & artificio adiuuante. At contrà cælum leuitas, & quintæ illius substantiæ, ex qua fuit compactum, puritas simplicitasque nullius ponderis particeps reddit immobile. In eo nihil quassum, nihil caducum, nihil mortale: pura atque illibata omnia, & sempiterna beatam vitam degunt. Ob id Homerus cælum & beatam illam Deorum sedem, ἀθανάτων ἕδος: & Ioannes in Apocalypsi τὴν πόλιν τετράγωνον, id est ciuitatem quadratam appellauit. Ad res enim mortales non etiam cœlestes, & sempiternas pertinet illud Græcorum prouerbium, μεταβολὴ γλυκύτατον, Siquidem Dei beatitudo, & bonorum ille omnium quo perfruitur cumulus, in æterna quiete constantiaque consistit. Hic ea sunt quæ maximus ille philosophorum Plato nunquam fieri, semper esse prędicauit. Hic summus rerum conditor sedem ac domicilium suum statuit: hic cælestes genios præsto esse atque apparere sibi voluit; hinc ipse quasi è summo cœnaculo, vt ille inquit, immotus ac sibi constans summa atque ima diuerso ordine, sed pari sapiẽtia moderatur. Quod nisi terrena agitatio alias atque alias mundi species & formas obiiceret, sanè cælum ipsum eadem semper facie iisdemque imaginibus semper picturatum conspiceremus.

Ratio stat voluntate Dei & natura cœli.

Sed ita ratio postulauit, ita sapientia magni numinis præscripsit, quæ mortalium atque immortalium rerum dispensationi præsidet: vt quæ longè absunt ab omni mortalitatis cõtagio, ea sẽper eodẽ habitu fixa atque inconcussa permaneant: contrà quæ per vices fluunt, oriuntur, adolescunt, comminuuntur, occidunt, ea incerta atque agitabili sede teneantur. Nam & terræ motus incrementis decrementisque rerum & animantum generationi occasionem affert: & intestinos igniculos surda ac torpida hac mole ad fœturam excitat, vnde materies ad

ries ad excipiendas formas vegetatur. Ex quo doctissimi homines mundum ouum dixêre, vtpote ex cuius vitello vel seminarium vel alimentum cunctis animantibus subministretur. Ob id puto ab Arthemidoro Capitone traditum: solam terram à nonnullis fuisse existimatum elementum, quod ea vna seminaria generationis contineantur, & prodeant.

Percunctetur fortè aliquis, cur hic terræ motus, quem ratione & propè sensu ipso demonstramus, in eam magis partem vergat, quam augures veteri instituto læuam vocabant, quàm aut in dextram aut in cardinē. Nec enim mihi eo nomine litem intendi velim, quo nomine reum Epicurum aliquādo factum audio: qui suas illas atomos ad perpendiculum descendentes in partem alteram pauxillum declinare, nulla autem vrgente causa existimabat: quando ego is sum, qui omnia ex certa causa pendere, etsi ea nondum omnibus forsan percognita sit, persuasum habeam. Illabitur ergo terra in læuam, vel quòd aqua imis terræ cuniculis infusa in eam partem maximè excurrat: vel quòd aër densior in læuam totus incumbat: quam nos mutata augurali ratione possumus multo cōmodius dextram appellare. Quippe natura (si Aristoteli Peripateticorum principi credimus) rebus omnibus ac mundi regionibus dextram sinistramque præfiniuit; eam vero indubitato dextrā agnoscimus, vnde motus initium auspicatur.

Quare terra in læuam moueatur.

Quòd si quis se mihi duriorem iniquioremque præstiterit, tritamque opinionem sectatus, terram per inertiam desidere ac in se ipsa torpere dixerit: cuius rei gratia etiam putet à sedentibus Opi sacrum fieri consueuisse: & illud à maximo Philosophorum συμβολικῶς dictum asseruerit, solam Deorum Vestam domi manere: cælum autem assidua vertigine rapi contenderit: tametsi ego neminem inuitum sim ad veri disquisitionem vocaturus, illud tamen meo iure mihi videor posse affirmare: nullam esse rationem, quæ cælum in dextram moueri suadeat, quæ non eadem multo impēsius multoque iustius terræ conuersioni in læuam præcipiti faueat.

6 Ratio ex absurdo.

Quod si me paulum etiam irritauerint, & (vt ille inquit) stomachum mouerint: ausim dicere, vix aliud quicquam absurdius à Philosophis commentatum esse, quàm cælum moueri: vel si spectes naturam ac læuitatem cęli, vel ipsius & eorum quæ in ipso sunt, perpetuitatem & constantiam: vel ipsam mundi dimensionem, ad eam quam octauam sphæram appellant præsertim relatam. Quantus enim eius sit ambitus, immēsum est, & supra mortalem captum enuntiare; eam certè cum horis quatuor & viginti suum spatium dicatur conficere, necesse erit supra millena centena passuum millia momentis singulis tranare: vt statis horis omnem anfractum decurrat, & veluti dimēsum diurnum impleat. Quod posse fieri neque corporis quantumuis concitati ratio, neque ipsa humani animi pernicitas, si modò per partes differri intelligatur, persuaserit. Quicquid enim mouetur, priores semper partes excurrat, mox secundas, atq; ita deinceps alias oportet, antequam ad metam & instituti cursus calcem attingat.

Neque sanè hoc loco Melissi more, instans & momenta excluserim: sed tanta orbis magnitudine, id quod rationi vehementer repugnat, euenire necesse est, vt extremæ partes antè præterirēt, quā primæ à carceribus promouissent. Est & hoc quidem in terræ volutatione plenum admirationis: minus tamen habet miraculi, quòd terra ex computatione Eratosthenis trecenties quindecies centena millia passuum complectatur; ex quo fit vt horis singulis duodecies & amplius centena millia peragantur, quæ res propè incredibilis, nisi vim maiestatemque naturę in animum reuocemus. Sed quæ tandem centri ad extimum circuli ambitum proportio? Sanè vt nullus terræ circumflexus censeri possit, si ad stelliferum ambitum, quo largè omnia continentur, referatur.

Sed quid, amabo, anxiè quærimus rem propè oculis expositam: an non in disciplina topica luculentus est locus à minori? quis vero nescit hominem μικρόκοσμον, id est paruum mundum à maximis Philosophorum appellatum? quòd mundi huius omnia in se claudentis instar atque imaginem ferat. Atqui te rogo: num suprema atque altissima in homine pars, caput ipsum scilicet: an ima ac profundissima, id est pedes, motui atque inambulationi adscripti sunt? Nemo sanè ita abhorret ab humani corporis cognitione, qui neget caput in excelso quasi arcem esse constitutam, quæ stabilis manens reliqui corporis incolumitati prospiciat: pedes autem ita adornatos, vt mouendo ac deferēdo corpori semper excubent. Cæterum terram præpotentis Dei pedes esse ac dici, & situs ipse declarat, & ex sacris literis testatum habemus. Extat præterea peruetustum quoddam Serapidis oraculum, à quo cum fortè Nicocreon Cypriorum tyrannus rogasset, quisnam is Deorum foret, quæue eius forma: ita responsum accepit:

7 Ab exēplo microcosmi, quia terra pedũ rationem habet.

Sum Deus ijs constans membris, tibi qualia dicam;
Ornatus cæli vertex: venter mihi pontus:
Sunt mihi terra pedes: summo stant ætheris aures:
Sunt oculi nitidi splendentia lumina solis.

Profectò non aliunde terram pedes vocauit, nisi quòd & in imo posita est, & ad motū semper procincta; hinc Iano principia, Vestæ extrema antiquo ritu consecrata fuisse accepimus. Nec mihi aliquis putet excidisse id, quod sententiæ nostræ insignem calculum addit: pedes scilicet duos, sed firmos fixosque, in hieroglyphicis Ægyptiorum literis, solem significare, tunc cùm hybernum tropicū attigerit & terris brumale solstitium inuexerit. Sed me sæpius contemplantem rerum cælestium perennem naturam rapit in se magnitudo & claritas æterni luminis: cui nihil profectò minus conuenit quàm motus: & ex omni motuum genere is qui circularis dicitur, à seipso discedens atque in se rediens, minimè videtur conuenire: cum non alius plura in se cōtraria contineat, neque magis ipse secū dissideat. Primo enim motus in seipsū flectens ex stante motoq; constituitur. Stans appello vmbilicum immobilem, quo cessante reliqua moles in orbem agitatur. Motum partes quæ circunferuntur: idem quoque habet & pandum & conuexum: pandum si obuersam infernè lineam, conuexum si supernè flexam respicias. Quid verò admirabilius, quàm quod idem duobus & quidem cōtrariis motibus obuoluatur? in priorem enim pariter ac posteriorem locum nititur circulus. In priorem quidem prorsus citatus: in posteriorem dum sua repetit initia: ex quo illud etiam in eo consequens intelligitur, vt vicissim primum fiat quod fuit postremum, & rursum postremum quod primum antea fuerat. Hanc scilicet στροφὴν ἢ ἀντιστροφὴν, lyrici vates ac sacerdotes Deis operantes appellauerunt, ad huius imitationem sacras sal-

Pulchra de motu circulari.

tationes instituentes: cum modò in dextram choros agerent, modò in sinistram reuocarent. Vbi verò stetissent cælites salutantes, ἱδρῦσθαι vocabant: vt facilè intelligas certo fixoque loco diuinitatem niti, neque per ambages, sed per constantiam coli oportere. Iis adde, quòd si lineã à centro ducas ad lineã ambeuntẽ, quæ circũferentia dicitur, nullũ in ea punctũ æquali velocitate progredi deprehendatur. Quodcunq; enim à cẽtro lõgius abscedit, vt ocyus moueatur necesse est, ex quo immẽsa ac multũ diuque perquisita difficultas aperitur, cuius tædio proditum est Aristotelem aliquando fuisse confectũ. Vnde scilicet illa maris per decretã horarũ spatia reciprocatio, vnde Euripi tã varia ac incerta vicissitudo: quæ tamen facilè soluitur, si contrarios terræ impetus modò præcipitis, modò adsurgẽtis, nunc aquas deprimentis, nunc in sublime librantis, aduertas.

De fluxu & refluxu maris.

Age & tecum illud collige, quòd si mundus animal est, vt Timæo placuisse video: certè vt animantibus cæteris in medio collocatum est cor, quasi animal aliud, quod finitima membra vndequaque vegetet: ita terra in medio collocata est mundo, quæ suo motu reliqua excitet ad generationem elementa: eáque animantia sustineat, quæ ad reũ diuinarũ contemplationẽ Deus immortalis procreauit. Nam & apud Platonẽ legimus, in medio mundi animam habitare, atque inde ad extrema se porrigere agitãtem omnia, seque in se ipsam conuertentem ad extimum vsque mundi tergum peruenire. Hinc videlicet ortum habet æternitatis illa in vnitate commorantis, ac per numeros effluentis imago, quam nos tempus appellamus: quæ profectò nulli loco melius aptari potuit, quàm illi cui temporaria omnia incumbunt. Nam cum suprema cæli substantia eadem semper immobilisq; permaneat, (sic enim ad verbum scripsit Plato) neque seipsa antiquior, neq; iunior euadit vnquam: neque fuit hactenus, neque erit in posterum: neq; recipit eorumquicquam, quibus res corporeæ mobilesque ex ipsa generationis conditione obnoxiæ sunt.

8 Ratio qua terra est veluti cor.

Huc quoque accedit, quòd homo animal vnum rationis & numeri capax, dum viuit tantùm, ac terram habitat, motus est particeps: cum verò à corpore abiunctus est, protinus moueri desinit, neque eã anima aut in corpus relegata, aut missione impetrata à corpore, libera mouetur: neq; loco capitur, neq; locũ demutat. Quæ ratio animarum diuinitatẽ maximè asserit, & nos dignos magis ostẽdit, qui cælestia animalia, quàm terrena nuncupemur. Scio quosdam putasse, à Platone Aristotelem in diuersum abire, quòd ille animas sua sponte moueri dixerit, hic à sua entelechia omnem motum abiurauerit. Sed lis facile dirimitur, quod alter motum affectibus, alter locali motu determinauerit.

9 Ratio ex anima hominis.

Ad hæc accedit illa quoque Pythagoræorum ratio, qua vniuerso δωδεκαέδρον, hoc est in duodecim facies sessilem formam, tribuunt: igni autem, ex quo ætherem, & triangulos vitæ conseruatores confinxerunt: metæ aut inuersi turbinis imaginẽ: quibus sanè formis ad volutationem peragendam nihil ineptius, nihil minus agitationi consentaneum. Terram autem & si cubi, id est tesseræ, forma præfiniant, ob solidam compactamque naturam: tamen decedentibus angulis multo facilius circinari potest, & in mobilem orbem concitari, nam quod paucissimas habet bases, hoc ocyssimũ esse Geometrarum etiam testimonio diiudicatum, est: quod & priscorum autoritas confirmat. Siquidem quod facile ac sponte sua illabitur, id magis versatile tessera, hoc est, κύβυ εὐμεταβολώτερον, veteri prouerbio dicebatur.

10 Ex figuris Platonicis.

Cæterum quòd non vno ac perpetuo motu terra conuertatur, sed modò in hanc, modò in illã partem proclinet: arcana quodam naturæ consilio, ne quid scilicet certum & constitutum sit in hac rerũ mortalium vicissitudine, nisi hoc vnum, nihil esse certi & constituti, facilè ostendunt solstitia & æquinoctia, lunæ incrementa ac decrementa, vmbrarumque varietates. Ex omnibus autem hoc exactissimè intelligunt: qui proximi polo habitant eas terras, quas tenebris & frigore damnatas olim putauit antiquitas. Hi siquidem semestrem diem habent semestremque noctem, non sole quidem vltro citroque nunc in Cancrũ, nunc in Capricornum commeante, vt priores existimauerunt: sed tellure modo in Austrũ, modo in Arcton inclinante. Quòd si quis me adigat huius quoque subtilitatis causam aperire, eam dicam quæ communis est ac publica rebus humanis. Sicut enim absurdũ putant Philosophi, purũ ab impuro attrectari: ita hoc minimè conuenit, vt quę mortalia sunt & mutationi semper obnoxia, ea perpetuitatis beneficio perfruantur.

Quomodo solstitia terræ moti reiiciantur.

Quòd si hac forte ratione, ceu nimis peruagata, non contenti priuatim aliam quærant: certè à me nihil exprimẽt, priusquam rursus ego ab ipsis impetrauero, vt obliquitatis signiferi, quã sibi adornarint, & declinationis ab Æquinoctiali certã perspicuamque rationem reddiderint, persuaserintq;, cur luna hinc atque hinc gradibus quinque, neque amplius per latitudinem Zodiaci euagetur, sole ipso mediam semper lineam tenente: ex quo probãt, solem ac lunam occurrentes sibi in articulis, quos fabuloso planè nomine capitis, & caudæ Draconis nuncuparunt, deliquium pati. Nam quid de octaui orbis trepidatione, quid de vario epicyclorum & deferentium motu dicam? quæ omnia etsi vt Proclus inquit, καθ' ὑπόθεσιν recentiores inuenerint: magno tamen Mathematicorum consensu recepta atque approbata sunt ab iis qui non aliam viam reperiebant, qua varios illos aspectus cæli & eorum quæ τὰ φαινόμενα Græci appellant, demonstrarent. Quæ causa cum terræ insita sit, illi tamen summa animi contentione cælo adiudicabant: quarum commentationum si priuatam causam vllam attulerint, tum vero bona fide posito etiam sacramento cum iis me paria facturum polliceor.

Illud non omittam, quòd si vno ac perpetuo tenore terra moueatur, neque huc aut illuc ad naturæ imperium procurset ac vibret: illud planè absurdum, & summi numinis liberalitate indignum cõtingat: vt pars terræ obuersa in Septentriones, vtpote à sole auersa æternis damnata tenebris, squallida atq; obsoleta permaneat, omnis habitationis expers, omnis cultus immunis. In qua opinione plerosque veterum fuisse accipimus, qui sub polo negauerunt locum vllum esse animantibus: quòd eam scilicet plagam nunquam sol inuiserit, altissimáq; semper caligine, & intolerabili frigore premeretur. Quam sententiam posteritas & res cognita damnauit, vtpote Religione Christiana terras aperiente, & feritatem gentium molliente. Nam & ibi non adeò inclementer habitari deprehensum est: & quæ vitæ animantium necessaria sunt largè prouenire. Semestrem enim noctem cæ-

gentes

gentes semestri luce compensant: ceu quæ circulum æquinoctialem habeãt horizontem: seu mauis, vt Cicero interpretatur, finientem: sole tamen ipso sublustrem lucem tantisper fœnerante, dum subnixa tellus rursus subsederit ad cardinem. Quo tempore vmbra ingruit, & obscuritas geminatur, nisi luna dimidio mensis pernox interim obiret solis vices, & noctis opacitatem frangeret. Alioqui illud certum ac persuasum haberi oportet: regionem infimam terræ soli ad lineam dimetientem oppositam densas habere tenebras, ac perennes: in quas cum nox terræ anfractus per duodecim horarum interualla impegerit, tunc rebus speciem coloremque auferri, & hanc noctem appellari. Hic est locus ille perdiu agitatus, & quod pace summorum Interpretum dixerim, nondum excussus apud Maronem:

Virgil.

Illic, vt perhibent, aut intempesta silet nox
Semper, & obtenta densantur nocte tenebræ.

Quem sanè nodum nisi ad terræ motionem statumque cæli referas, tute tibi bellissime verba dederis. Nam quæ de Britannia afferuntur, eorum planè digna sunt ingenio, qui illa confinxerunt. Cæterum mihi audire videor quosdam pertinaciter diu iam receptam defendentes sententiam, & quo iure quaque iniuria reluctantes: alios rationibus quidem porrigentes manus, sed magnis adhuc nominibus se tuentes.

21 Ratio ab authoritate.

Verum vt Heraclitus dixit, neque nostræ huic sententiæ desunt sua numina, suique assertores. Nam & Archimedes Syracusanus recepit se terrã architectonica arte alium in locum deducturũ, si modo basem in quam transferretur, inuenisset. Quam profecto sponsionem nunquam vir grauissimus iniisset, nisi terram mobilem existimasset. Nicetas & ipse Archimedis popularis, cælum, solem, lunam, stellas, supera denique omnia stare cẽset: neque præter terram rem vllam in mundo moueri: quæ cum circum axem se summa celeritate conuertat & torqueat, eadem effici omnia, quæ si stante terra, cælum moueretur. Atque hæc etiam Platonem in Timæo, dicere quidam arbitrantur, sed paulo obscurius: vt etiam apud Ciceronem annotatum reperimus. Et sane ego, non aliunde factum puto, vt Mimnermus scilicet dixerit, aureo in cubili Vulcani arte perfecto dormientem solem ab ortu ad occasum perferri: nisi quòd in suo orbe cõquiescens oculis magis nostris, quàm curru aut equis vltro citroque proueheretur. Hinc solem ἀκάμαντα, hinc terram ἀπείρονα, ab Homero dictam arbitramur: non ex eo tantum quòd globosa sit & orbicularis, sed infinito motu circumferatur. Certè Hesiodus cum noctem terra natam, vt aiunt poëtæ, nigris exornauit alis, non aliud (mea quidem sententia) significare voluit, quàm eam citato cursu ferri, & à parente minimè degenerare. Profectò terram Deorum omnium qui intra cælum sunt geniti antiquissimam, in eodem legimus Timæo. Ex hac etiam Fama prognata (Homerus ὄσσαν vocat) quæ pennis ac pedibus late aures & ora mortalium peruagatur. Subscribit huic sententiæ vetus adagium. Adagia vero priscæ philosophiæ reliquias ab antiquis posteritati per manus traditas nemo est qui non fateatur. Cum res itaque veras quidem, sed magnas & fidem exuperantes indicare volumus, terram volitare dicimus: quod tamen ad ea quæ minimè fieri possunt, transtulit ætas posterior, vtpote vulgata persuasione delusa. In eadem sententia videmus fuisse Empedoclem, quo loco suos illos dæmones à terra impelli scribit. eius versus ita latinos fecimus:

Ætheris hos vehemens agit impetus, excipit æquor,
In terram æquor agit, sed terra ad lumina solis:
Sol indefessus propellit in æthera rursus.

Cum diu perquisitum foret à priscis philosophis, vnde æther nomen accepisset: & eorum aliquot ἀπὸ τοῦ ἀεὶ θεῖν, id est ab excurrendo: alij verò ἀπὸ τοῦ αἴθειν, hoc est à calefaciendo dictum existimassent: Empedocles quasi honoratius arbiter inuocatus, pro iis stetit, non qui motum, sed quiætheri calorem tribuisset. Sic quoque non desunt, qui terram, non quòd teratur, sed quòd ipsa perenni excursu cætera terat elementa dictam suspicentur. Audio & proximo sæculo magnæ doctrinæ ac perspicacis ingenij virum Cusam, purpura quidem præstantem, sed multo literis præstantiorem, pro hac opinione stetisse: cuius vtinam commentarij in manus meas peruenissent. Quo enim fuit vir ille ingenij acumine, aut me prorsus labore hoc leuasset: aut mihi, puto, ad hanc sententiam comprobandam multo maiora ac meliora argumenta suppeditasset.

Quibus addunt solutionem omnium rationum, quibus Ptolemaici terræ stabilitatem confirmãt, & obiectiones dissoluunt. His Calcagnini, & aliorũ rationibus alias subiungo, ne quid prætermisisse, aut varias difficultates fugere videar. Itaque ratio 13 sumitur ex diuersis magneticis motib⁹, de quo plurima retuli quæst. 1. aduersus Atheos à p. 545 ad 554. volunt enim magnetem varios circulos circa terram facere, vnde inferunt totam terram eosdẽ peragere, eam enim magnetem amplissimum esse aiunt. 14 Frustra fit per plura, quod per pauciora fieri potest, at si terrã moueatur cœlis stantibus, idẽ fiet via multò compendiosiori. 15 Non est probabile, neque credibile tam vastas siderum moles tãta rapi celeritate circa terram pusillam, vt, iuxta Tychonicam mundi conformationem quolibet minuto milliarium 50 millia vel in horæ spatio tricies centena milliariorum Germanicorum millia, vel etiam plura iuxta Ptolemæum peragant, cùm tamen terra iuxta partes à mundi polis summè distantes, vix spatium prioris spatij subtredecies, aut subuicies millesimum emetiatur, videlicet 3 in vno minuto milliaria cum dodrante, & horæ spatio 225 milliaria: qui terræ motus quantumuis celer lunæ motu duplo tardior est, cùm orbem sexagecuplò maiorem trigecuplò saltem tempore peragat. Vbi Mœstlinus ait nubes æquè citò atque terram moueri. Landgrauius, & Braheus obseruasse dicuntur tempus, quod globus bombardicus vi pyrij puluetis extrusus impendit, antequam, in terram impingat, quod duorum minutorum deprehenderunt, quibus durantibus globulus milliare Germanicum pertransierit. Quibus positis inferunt locum terræ sub Æquatore, seu locum à polis remotissimum septuplo vel octuplo tãtùm celeriorem esse motu bombardici globi, imo vix hoc motu in suo principio existente, velociorẽ. Quod facile esse confirmant ex eo, quòd aura ætherea, per quam iuga montium feruntur infinitis propè vicibus sit aëre nostro tenuior, per quem globus ille ferreus transuolat, vnde fit, vt cursus terræ tranquillior, quàm illius globi volatus existat, maximè cum

Ratio 12.

Ratio 13. sumitur ex magnetis motibus.

Ratio 14.

15.

Quot milliaria vnico minuto, vel vna hora conficiat terra motu suo.

Globus è bombarda excussus quanta celeritate currat.

terra non ita propellat aërem, aut illum atterat, ficuti globus, qui aërem veluti perforat, sed tantummodo sursum attollit, neque à loco suo expellit, aut ei vim infert, ea propter motum aëris non percipimus.

Ratio 16. Ratio 16 duo solis motus is videlicet, qui dicitur νυχθημέρινος, & annu⁹ duobus solùm modis explicari possunt, vel per nonam sphæram, seu primum mobile, quod motum νυχθημέρινον efficiat, vel per motum ipsius terræ; Ptolemæus primum modum sequitur lib. 1. magnæ construct. cap. 7. & cap. 6. secundum modũ reiecit, sed illa Ptolemaica sphæra purum est figmentum, & reuera nihil, inquit

Ptolem. Lansbergius p. 102 Astronomiæ restitutæ, quia extra cœlum, quod visu nostro terminatur nihil est

Lansberg. omnino, igitur nullus motus inde procedit, nisi dicas motum à nihilo procedere. At verò terra est corpus globosum, pendens in aëre, atque adeò moueri aptum, egétque motu tum sui, tum hominis, & reliquorum viuentium causa, quæ continet igitur naturæ consentaneum est, vt terra moueatur.

Ratio 17. Galen. Ratio 17. verissimum est illud Galeni, μάτην οὐδὲν ἡ φύσις ἐργάζεται, si verò Ptolem. sequimur octo sphæræ cœlestes, & nona imaginaria motu νυχθημερινῷ mouebitur εἰκῇ, & terra quiescet εἰκῇ, cum neque stellæ, neque luminaria motu νυχθημερινῷ indigeant, sed terra sola, quam si moueri dixerimus, tunc natura non frustra operabitur.

Ratio 18. Ratio 18 naturæ, atque rationi congruit, vt quæ maximo feruntur circulo, tardissimè incedant, cõtrà velocissimè, quæ minimo, hinc fit, vt eandem reuolutionem ♃ annis 12 expleat, quam ♄ 30; ♂ verò biennio, ☉, vel terra anno, ♀ nonimestri, ☿ 80 diebus, ☽ denique menstruo, at Ptolemæi hypotheses motum concitatissimum sphæræ omnium maximæ tribuunt, minimæ verò tardissimum; alia verò hypothesis minimæ velocissimam motionem, tardissimam maximæ tribuit, igitur illa naturæ ordinẽ repudiat, quem hæc requirit.

Ratio 19. 19. Absurdum est eandem sphæram eodem tempore moueri in partes contrarias, at iuxta Ptolem. inferiores sphæræ duplici motu contrario feruntur; alia verò sententia motum vnicum cuilibet sphæræ ab Occidente in Orientem tribuit, igitur hæc hypothesis vera est, & alia absurda.

20. Prolem. 20 Impossibile est totum moueri, & partẽ quiescere, sed Ptol. supponit supremam sphæram cum omnibus, quas ambit, moueri motu νυχθημερινῷ, & terram eiusdem sphæræ partem immobilem esse, quod est ἀδύνατον, igitur fieri nequit, vt hypothesis Ptol. vera sit.

21. Libauius. Crollius. 21 Oeconomia cœli cum motu congruo conspicua est in terra Physica teste Baccone apud Libau. sect. 9 aduer. Crollium p. 58. sed qui terrestrem Astronomiam colunt, statim initio vident terram Physicam singulis diebus motionem vnam, idque constãter ab occasu in ortũ absoluere, igitur magna tellus eodem modo singulis diebus circumagi debet, iuxta Hermetis illud, *Sic mũdus creatus est.*

22. 22. Terram annuo motu, non verò solem moueri eclyptica probatur ex eo, quòd ☿, ♀, ♂, ♃; & ♄ centrum habeant ad ☉, igitur & sphæra octaua eundem solem pro centro habere debet, si enim cæteræ sphęrę sint soli cõcentricæ, cur non octaua?

23. 23 Lunæ motus ex 2 motibus componitur, lunę videlicet in orbe suo, & solis in ecliptica, teste Ptolem. l. 4 μεγαλ. συνταξ. c. 3. sed ille duplex motus non apparet in hypothesibus Ptolem. vel Tychonis, sed tantùm in Copernicæis; quia dum terra vnius diei spatio conficit motu medio scrupula 59' 8'' 19''' 44'''' 59''''' 15'''''', luna interea suo epicyclo percurrit gradus 12 11' 26'' 41''' 27'''' 10''''' 10''''''. Ex quibus duobus motibus lunę medius motus componitur graduum 13 10' 35'' 11''' 12'''' 29''''' 25'''''', igitur cum hypotheses Ptolem. motum hunc non exhibeant, falsæ sunt, & Copernicæ verę.

24 Illa sententia verior est, cùm ea demonstrat, quæ alij non ostendunt, sed assumunt, atque supponunt, at quæ Tycho cum Ptolem. supponere cogitur ad apparentias planetarum explicandas, Copernicus infert; sic enim Ptol. l. 9. cap. 3 assumit motus ☿, ♀ ♂, ♃, & ♄ constare ex 2 motibus solis videlicet, & planetarum in orbe suo, quod Copernicus ostendit fieri necessario, l. 10. c. 6 supponit; superiores planetas acronychos esse terræ propinquiores, quàm circa eorum apparentiam, & occultationem, quod à priori Copernicus demõstrat Ptolem. colligit ex obseruationibus planetas progredi, stare, & retrocedere: in ♃ maiorẽ progressum, quam in ♄, minorem tamen quàm in ♂, maiorem in ♀, quàm in ☿: frequentiorem regressionem in ♄, ♃, rariùs tamen quàm in ♂, & ♀, quam ☿, quę omnia, & alia plurima ex suis hypothesibus perspicuè demonstrat Copernicus, igitur illius sententia reliquis præferenda est. 24. Tycho. Prolem. Copernic.

25 Axioma Hermeticæ philosophiæ verum est, quicquid in ambitu alicuius circuli actu diffusum est, in centro eiusdem circuli contineri potentia collectum, sed lux actu diffusa est in sphæram stellarum fixarum, igitur terra luminis expers non est illius centrum, sed Phębus fons luminis, qui lucem in se potentia continet. 25.

26 *Systema Tychonicum constituit spatium*, quod intercedit inter ♀, & ♂ maius iusto propter exemptum è medio terræ orbem, nam cùm tempus periodicum motus diurum 365 quantitate sit intermedium inter periodicum tempus ♂ dierum 687, & ♀ dierum 225 natura clamat circuitum, in quo dies isti 365 consumuntur, etiam loco esse mediũ inter circuitus ♂, & ♀ circa ☉ non aliter quã inter periodicũ tẽpus motus dierũ 365, & dierũ 80 intermedium est tempus periodicum ♀ dierũ 225, igitur Tycho perperam illum orbem inter ♂, & sphęras intermedium sustulit, atq; adeò spatiũ, quod inter easdem sphæras interiacet, minus ampliauit, & spatium inter ♄, & stellas nimis inęquale fecit, cùm ♄ perigæum longissimè ab 8 sphæra statuat, apogęum verò eidem propinquissimum: denique perperam circulum ☉ per orbem ♂ descripsit, cùm ea ratione fiat penetratio dimensionum, à qua natura abhorret. Qui errores inde nati sunt, quod orbem terræ in orbem ☉ commutarit, à quo centra planetarum 5 circa terram circumferentur, igitur terra in locum ☉ restituẽda est, adeout motu duplici νυχθημερινῷ & annuo circa ☉ moueatur, ita tamen, vt in idem ecliptice pũctum post vnam centri terrę reuolutionem motus νυχθημερινὸς non coincidat cum annuo, sed centri motus præoccupat νυχθημερινὸν in anno Iuliano communi scrupul. 51''' 0'''' 55''''', vt sectiones ęquinoctiales perpetuò ferantur in precedentia. 26.

27 Mundus infinitus est, vel finitus, si primum, vt vult Gilbertus, idest si circuitus sphærę vltimę infinitus est, igitur totus motu circumlationis moueri nequit: si secundum, igitur extra mundum nihil erit, quod mundo præstet locum, ipsum verò quiescat, at vbi nihil est quod quiescat 27.

cat, ibi nullus est motus, cùm motus sit separatio mobilis de loco in locum, igitur cùm aliquid moueatur cælum saltem octauum stare debet, terra verò moueri, potiùs quàm tantæ sphæræ, cùm terræ diameter sit vicies millesima parte minor, quàm diameter mundi.

28 Obiectio. Iob.9. 28. Probant ex Scriptura sacra, quia Iobi c. 9. v. 6. dicitur: *Qui commouet terram de loco suo, & columnæ eius concutiuntur:* Quibus verbis Iob per hunc motum Dei summã potentiam cum infinita sapientia coniunctam demonstrat, adeout Didacus Astunica (Astunica.) suo commentario ad hunc locum ausus fuerit dicere nullum Scripturæ sacræ locum allatum iri, qui tam apertè dicat terrã non moueri, quàm hic moueri dicit. Quibus adde id Psal.113. (Psal 113.) *A facie Domini mota est terra, à facie Dei Iacob.* Hinc factum est, vt Pythagoricorum (Pythagorici.), Philolai & Heraclidis Pontici apud Plutarch. de placit. phil. Numæ Pompilij, Platonis apud eumdem in Numa, Hippocratis l. de flatibus (Hippocrat.), vbi ait aërem esse τῆς γῆς ὄχημα terræ vehiculum, & Copernici sententiam amplectatur, quia, inquit, longè meliùs, & certiùs planetarum loca ex eius doctrina, quàm ex Ptolemæi (Ptolem.), & aliorum placitis reperitur, quippe qui non potuerit æquinoctiorum motum explicare, vt patet ex 3. lib. μεγαλ. συνταξ. c. 2. sed inueniendum posteris reliquit, sed neque quidquam profecisse, ait Alphonsinos, & Thebith Ben Core, cùm Ricius (Ricius.) probet eorum positiones inter se pugnare, & æquinoctia longiùs progressa fuerint, quàm progredi posse Thebith opinabatur. Addit solem nobis iam esse plus quadraginta millia stadiorum quàm olim propinquiorem, cuius rationem Ptolemæistæ nusquam cognouerint. Denique ait locum Ecclesf. cap. 1. (Eccl. 1.) *Terra autem in æternum stat,* non repugnare Copernico, quòd ibi tantùm significetur terram vno, eodemque modo se semper habere, licet in ea sint variæ hominum generationes. Satis autem innuit ad saluanda Scripturæ loca, quæ Copernico repugnare videntur, sufficere si motus terræ in communibus sermonibus soli assignetur, qua ratione Copernicani terræ cursum sæpe solis motum appellitant.

Huc confert, quod Lansbergius (Lãsbergius) ad finem cap. 24. ait motum solis in Scriptura sacra debere intelligi, prout Dei ascensũ & descensum, aliasq; mutationes vsurpamus, figuratè videlicet, & humano more. Quod si non arrideat, etiam contra veritatem Geometricam statuendam esse ait rationem peripheriæ ad diametrum esse triplam, quam Scriptura 1. Reg. 7. 23. & 2. paral. 4. 2. proponit (1 Reg. 7. 2 Par. 4.), vbi vult Spiritum sanctum minimè locutum fuisse secundum τὸ ἀκριβὲς, sed ex vulgari, & crassa opinione, quæ illis temporibus in Repub. Israëlitica pro vera haberetur.

Confirmatio 28 rationis. Quæ omnia confirmant ex eo, quòd licet hæc opinio de motu terrę contra Scripturam quibusdam militare videatur, & à Cõgregatione Cardinalium (Congregatio Cardinalium.) condemnata sit, (vt postea referemus,) sæpe tamẽ fieri soleat, vt quæ à Patribus Ecclesiæ, vel à sũmo Pontifice ridicula, falsa, erronea, vel hæretica dicta sunt, deinceps vera esse reperiantur, quod de terræ motu futurum sperant. Quod satis insinuat Dauid Origanus (Dauid Origan.) Epistola ad Ioannem Sigismũdum Marchionem Brandeburgensem, quam suis Ephemeridibus præfixit, in qua refert Augustinum, & Lactantium (August. Lactant.) existimasse terram radicibus quibusdam insistere: & circa annum Christi 745 apud Ioan. Auentinum (Auentinus.) Boiorum scriptorem Virgilium (Virgilius.) quendã Salæburgensem Episcopum rerum Astronomicarum, & Geographicarum peritũ, à Bonifacio Episcopo Moguntino redargutum fuisse desertæ religionis, quod Antipodas, & ex consequenti nouum Christum induceret; quapropter Vtilo ex Boiorũ, & Zacharias Pontifex (Zacharias Papa.), inquit, Virgilium à sacerdotio, templo, & Ecclesia depulerunt, quibus addit. Tanta est vis ignorantiæ, vt in rebus etiam manifestissimis præcipiti, ac temerario ausu non solũ veritatem ipsam oppugnare, sed & homines pro ea stantes extremè persequi non vereatur. Hæc sunt tela quibus tam Astronomi, quàm hæretici quidam nos impetunt, quæ artic. 7 retundemus.

ARTICVLVS V.

QVOD COELVM MOVEATVR, TERRA verò quiescat.

VT reuocatã à nuperis de motu terræ sententiam validiùs refellere possimus, quædã supponenda sunt, quæ libenter ipsi fatentur: nempe terram, terræque punctum quodlibet, sub Æquatore positum vno die naturali conficere milliaria Germanica 5400, quandoquidem, vt volunt, 24 horarum spatio periodũ integrã absoluit: hora vna milliaria 225; vno scrupulo, seu minuto primo milliaria 3¾, minuto secundo 1/16 milliaria; si iuxta Orontium milliare pro 4166 passibus sumpserimus.

Quibus positis, vt Locher (Locher.) in disquisitionibus Mathematicis contendit, necesse est terrã circulariter motã, omnia ex aëre eidem perpendiculariter imminentia cum eadem circunferri motu per omnia proportionali, adeout lapis in concauo lunæ positus sexies, aut duodecies circumagi debeat, antequã ad terrã descẽderit: nõ autẽ illũ lapidẽ moueri posse circulariter ita probatã quo enim principio an ab interno, vel externo, si ab externo? Deusne illum motũ excitat per cõtinuum miraculum; si ab aëre, quis illum commouet? Sed quomodo raptus ille violenter, terram vbique inuiolatã motus proportione assequitur? (Incõmoda quæ terræ motum sequi videntur.) cur nulla in eo resistentia percipitur contra legem eorum, quæ vi deferuntur? cur vis aëri impressa per terræ contactum languidissima esset propè terram, fortissima remotissimè, cùm pernicitas aëris supremi grauia secum trahentis esset maxima, infimi minima; & tamen terræ rapientis vis infima ad incumbentem aërem maxima; suprema ad dissitum aërem minima? quis aëri vi rapto hanc efficaciam tribueret, vt ipse secũ alia corpora tam leuia, quàm grauia ad exactã circulationis terrenæ proportionem secum deueheret? qua arte plumam, & plumbum æquè præriperet, fumumque, & fimumẽ quare Circius equitis cataphracti raptor id iri

contrarias mundi plagas non poſſet? quomodo lapillus multum remoratur proiectus in Lycos, aut torrentes ob tantulã grauitatem? denſior enim eſt aqua, quàm aër, ac proinde aptior ad raptum violentum inferendum: denique quî fieri poteſt, vt altior aëris regio tam quieta, & tenuis corpora grauia rapiat.

At fortè volunt principium illud, quo mouetur aër, internum eſſe: ſi internum, vel eſt ſubſtãtia, vel accidens; qualenam erit? non qualitas: quis enim vnquam admiſit qualitatem circum motiuã; quâ gratis admiſſâ, quomodo in rebus tam contrariis igne, aqua, aëre, terra, &c. reperietur? ſi ſubſtantia, an eſt materia, vel forma, vel compoſitum? at profectò illud, tam diuerſis naturis circa terram motis repugnat, vt cùm ſpecie, & genere differant, eundem tamen motum circularem habeant. Si terra per voluntatem Dei ſtaret, rotarentur cætera, an non? ſi hoc, falſum eſt ab interno principio moueri: ſi illud priores quæſtiones redeunt: adde quòd mirum eſſet aues exempli cauſa quieſcere non poſſe, nec imminere. Rurſus cõtra motum illum à principio interno manantem ſic arguit: Quî fit, vt iſtæ res tam variæ tantùm moueantur ab occaſu in ortum parallelos ad Æquatorem, vt ſemper moueantur, nunquam quieſcant, quo ſunt altiores celeriùs, quo humiliores tardiùs, quò propiores æquinoctiali in maiori circulo, quò remotiores in minori ferantur; cur pila eadem ſub æquinoctiali celerrimè, ſub polis nullatenus moueatur: ſi circularis motus grauibus, atque leuibus naturalis eſt, qualis eſt illorum motus, qui fit ſecundum rectam lineam, cùm ſpecie differat à recto: ſi enim violentus eſt, cur miſſile ignitum ſurſum euolans ſcintilloſum caput ſurſum à terra, nõ autem circum voluit; cur fulmina cadentia caudam non trahunt ad normam motus circularis, qui illis ex hypotheſi naturalis eſt, ſed potiùs ad ductum violenti?

Copernic⁹. Verùm audio Copernicum l. 1. reuolut. c. 8 cum ſuis aſſeclis dicentem cum motu recto grauium & leuium, manere motum circularem, ſicut manet cum ægro animal; tantùm rebus illis rectum motum competere, vt cum totis ſuis iungantur; ſed illud diuinare eſt, (nec abſurda propoſita effugere poteſt. Itaque motus terræ Copernicanus minimè conſtituendus eſt, quippe qui tollit ex vniuerſo motum rerum ſimplicium ſurſum, & deorſum, inducit neceſſariò rebus omnibus, tam à centro, quàm ad centrum latis motum aliquem circularem, cuius tamen principium neque naturale, neque non naturale, nec externum, aut internum abſq; multis abſurdis aſſignari poteſt; prætera dat motum rectum grauibus accidentarium, & quaſi violentum, contrà circularem neceſſarium, & naturalem; rebuſque natura diuerſiſſimis vnam mouendi naturam tribuit.

Stat igitur terra, cuius quies eſt centrum vniuerſi, à quo lineæ omnes rectæ in extremum cælum ductæ inter ſe geometricè æquantur, cuius

Macrob. rationem terræ grauitatem egregiè Macrobius l. 1. c. 22 in ſomnium Scip. aſſignat, & explicat.

Terrã ſtare prob. 1. Alijs etiam modis terram immobilem eſſe probamus ex antiquis Philoſophis, & Mathematicis, Ariſtotele, Ptolom. &c. quibus iuniores Bernardus, Patricius, Keplerus, Origanus, Moeſtlinus, &cæteri Copernicani contradicere videntur, quia inde ſe meliùs intelligere credunt phænomena cœleſtia, quos profectò ſimiles illis eſſe putem Theologis, qui cùm non poſſunt concipere ea, quæ de attributis diuinis prædicantur, illa inter ſe realiter differre aiunt, quaſi verò rerũ veritas noſtris è cõceptibus pendeat; quot obſecro in hiſce inferioribus quotidiè percipimus, quæ non intelliguntur? nunquid ſatius eſt antiquorũ inſiſtere veſtigijs, ac eorum hypotheſes retinere, ſi manifeſta ratio, vel experientia nos ad aliud nõ cogit, quàm omnia innouare, atque vetera: & vſu communi recepta ſúſque déque vertere.

Deinde cùm ſidera propter hominem creata ſint, cuius vtilitati inſeruiunt, tum illuminando, tũ calefaciendo, atque benignum inflexum rebus ſingulis tribuendo, congruum eſt, vt proprio motu ſingulis mundi partibus alternatim applicentur, nõ autem vt homo ſeipſum eis applicet. Tertiò nullũ è tota Philoſophia, aut Matheſi deſumi poteſt fundamentum, aut argumentũ ſatis probabile, quod terram moueri, cœlum verò quieſcere conuincat, quandoquidem omnia phænomena rectè ſoluũtur motu cœli conſtituto, ſicut in Optica explicantur omnia, ſiue dixeris ſpecies ab obiecto immitti, & in oculo imprimi, ſiue radios oculorum ad obiectum progredi, & viſionem per extramiſſionem fieri contenderis. 2. 2.

4 Terra eſt mundi centrum, circa quod omnia cœleſtia corpora moueri videntur, debet igitur immobilis eſſe; meminiſſe mihi videor quorundã; qui dum vrgentur, à quo terra moueatur, reſpondeant à ſole, ſed contra vel enim ſol immobilis eſt, & mouere nequit, vel mobilis, & motu ſibi ſimili mouere debet, vel diſſimili: non primum, quia neutrum moueri perciperetur, vt patet in duabus nauibus ſimul motis: non ſecundum, cum nihil motum ſuo motui contrarium tribuere poſſit, loquor de agente naturali per ſe, & non per accidens, aut ex conſequenti operante: quomodo autem poſſet ſol terram diuerſis polis affixam conuertere, idque ſpatio 24 horarum, cum ipſe ſemel in anno ſolum integrè moueatur: Alij, vt Keplerus in harmonicis terram ab anima quadam in centro reſidente moueri putat, verum alia quæſtione huiuſcemodi animam reiicimus. 4. Kepl.

5 Cum iſti nouatores peculiarem motum cœlis tribuant, cur non etiam illum, quem hactenus primo mobili Aſtrologi conceſſerunt, maximè cum omnes ita fieri credant: nec veriſſimile ſit nos æternùm deceptos eſſe. Denique probatur experiẽtia, cui facere ſatis minimè videntur Keplerus in Epitome aſtron. & cæteri: ſi enim terra mouetur, vbi ſagitta, vel globulus emittititur in altum orthogonaliter, non deberet in idem punctum recidere, quandiu enim res proiecta aſcendit, atque deſcẽdit, terra non parum ſpatium, ſed amplum omnino conficit; nec obſtat, quod dicant ſagittam, & lapidem cum aëre ſimul deportari, quatenus ſunt terræ partes, enimuero licet aër raperetur, non eodem cum terra motu circumagi poſtulat, cùm ab ea tum naturâ, tũ qualitatibus diſcrepet; Deinde cùm lapis, aut ſagitta verſus Orientem emittitur, circa quem terra moueri ſupponitur, longiùs progrederetur, quàm cùm in occidentalem plagam proijcitur, quod tamen falſum eſt. 5. 6.

Quod autem præcipuum eſſe videtur, Scriptura nobis maximè fauet, vt pſalmo centeſimo tertio: *Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam, non inclinabitur in ſæculum ſæculi*, & Eccleſiaſtici primo. *Generatio præterit, & generatio aduenit, terra autem in æternum ſtat,* Pſal. 103. Eccl. 1.

oritur

Ioſue.10. *oritur autem ſol, & occidit, & ad locum ſuum reuertitur,* quem ſcimus 10 c. Ioſu. ingenti miraculo præter ſolitum morem diei vnius ſpatio ſtetiſſe, ac ſub Ezechia per 10 lineas in horologio Achab retroceſſiſſe. In Copernicana etiam vniuerſi collocatione, & commentitia terræ motæ hypotheſi Sol, Mercurius, & Venus infra, terra verò ſupra conſtituitur; grauia abſolutè, & naturaliter aſcendunt: Chriſtus aſcendit ad inferos, deſcendit ad cœlos, quando ſoli appropinquauit, & quando Ioſue ſolem ſtare iuſſit, vel terra ſtetit, vel ſol motus eſt contrariè terræ, & quando ſol eſt in ♋, terra ♑ percurrit, & hyemalia ſigna æſtatem, æſtiua hyemem creant: ſidera non terræ, ſed terra ſideribus oritur, occiditque: ortus in occaſu, & occaſus in ortu incipit, & denique totus mundi curſus inuertitur; quæ omnia vt faciliùs intelligantur, ſyſtema Copernicæum præſenti ſchemate aperiam



in quo vice terræ, ſol eſt centrum mundi, deinde Mercurius, poſtea Venus collocatur, quam ſphæra terræ, lunæque ſequitur, & deinceps ſphæra ♂, ♃, ♄, & fixarum ſtellarum: Vbi terram vides quater collocatam, vt ita oſtendant, quomodo terræ motu poſito nobis appareant, quæ reuera conſpiciuntur, eius ſtabilitate ſuppoſita.

Producemus etiam Tychonicum ſyſtema, in quo firmamentum ponit vniuerſi mobilis terminum: deinde ♄, mox ♃; tertio loco ♂, quorum ſphæræ circa ſolem conuertantur, vt diagrammate ſequenti videre eſt.



Tychoni 5 planetas cursũ suum peragere circa solem, non circa terram.

Quarto loco statuit solem, qui circa terram gyros suos peragat; rursus Venerem, & ☿, vt circa solem conuertantur: denique lunam astruit, quæ circa terram curriculum suum peragat. Vult enim Tycho 5 planetas circa solem ipsum, velut circa proprium regem gyros ducere, adeout solem in meditullio suarum reuolutionum incedétem semper obseruent, & ad ipsius circuitum etiam centra orbium, quos circa ipsum describunt, annuatim conuoluantur: terram verò solius lunæ, solis, & firmamenti centrum esse docet, vt 5 cæterorũ planetarum solem; quod tamen non pauci falsitatis se cõuincere putant, si nullum alium circellum eccentricũ, vel concentricum admittat; ratio est, quia per solas illas hypotyposes credunt Phænomena cœlestia non posse explicari; præsertim cùm maior, vel minor planetarum etiam in Augis puncto existentium ad terram accessus, & recessus sine epicyclis eccentricis intelligi nequeat. Sed non est disceptandi locus; hoc enim schema tantùm apposui, vt videres, quomodo Copernicæi, & Tychonici suis in systematibus differant: & quã vana sit hominũ scientia, præcipuè verò Astronomia, cùm scire nõdum potuerint, quot essent cœli, quomodo dispositi, qui mouerentur, aut starent, an solidi, vel fluidi, ac permeabiles.

Fracastor.

Vnde tot inter eos dissidia cernimus, vt nullus ea componere valeat. Hinc homocentrica Fracastorij nata, qui ad explicandas stationes, progressiones, retrogradationes, accessus, recessus &c. fingit orbes circitores, anticircitores, circumducentes, contrauectos &c. adeout 70 cœlos posuerit omnes terræ concentricos; enimuero 7 constituit pro luna: In ☿ vndecim, & in Venere totidem; 4 in sole, in ♂ 9, in ♃ 11: & in Saturno 10; denique super firmamentum, sex integros cælos describit, vel firmamentum quod Aplanem vocat, ex 7 orbibus componit? In systemate Copernici numeri explicant, quanto tempore singuli planetæ suum orbem absoluant, ♄ enim 30 annis, ♃ 12, ♂ 2, ♀ 9 mensibus, ☿ 80 diebus solùm proprio motu cieri volunt, nullo verò motu raptus: terram verò singulis diebus suum circulum perficere, stellas 26 annorũ millibus, solẽ verò immobilẽ esse aiũt, vt in ipso diagrammate clarũ est.

Explicatur systema Copernici.

Sententia Orig.

Sed non est, quòd in eo, sicut nec in Tychonico diutius immoremur; tantum aduerte Origanum à Copernico differre, quod terram tam super axe suo, quàm super axe mundi vnico 24 horarum motu cieri velit, ita tamen vt omnes planetæ, atque stellæ proprios motus retineant, nullo verò motu raptus afficiantur, vt sic vnicuique sphæræ motus vnicus concedatur. Qui in eo paulominus absurdior esse videtur, quòd terram pro centro retineat, quod centrũ nos immobile facimus, siquidem immobilitas centro maximè competit. At de his etiam sequentibus articulis dicemus. Ne verò quis hæreticus, aut Astronomus nobis deinceps facessat negotium, atque rationes, quibus hîc terræ stabilitatem probauimus, nihil demonstrare contendat, fateor me nullam habere demonstrationem, cui iuxta illorum imaginaria funda-

menta

menta satisfieri non possit; Verùm peræquè contendo eos nulla demonstratione vti posse, quam refellere non possimus. Eapropter nobis cedere debent, cum in sententia stabilitatis iure possessionis permaneamus, & Scriptura sacra tantopere nobis faueat, atque pro nobis prædicta congregatio decreuerit, vt a. sequenti videbitur.

ARTICVLVS VI.

AN QVIS SALTEM SINE HÆRESIS nota, aut erroris, temeritatisque periculo possit opinari, atque tueri terram mobilem esse, cælos verò immobiles.

Quid sit hæretica opinio, & qui dicendi sint hæretici.

IMprimis statuendum est hæresim nil esse aliud, quàm errorem in fide cum pertinacia, quæ in eo sita est, vt quis nolit credere, quod sibi cõstat ab Ecclesia propositum esse, vt credatur; vbi notandum est eos non statim hæreticos dicendos esse, qui errant in fide, quales sunt D. Cyprianus, Ioachimus Abbas, de quo in capit. Damnamus, de summa Trinit. & alij, qui se Ecclesiæ iudicio in omnib' suis opinionibus, & dogmatibus submittunt: adde quod ignorantia crassa excuset ab hæresi, tametsi non excuset à lethali peccato, adeout ille non sit hæreticus, qui ex tali ignorantia putaret filium Dei non esse Deum, quia paratus est aliud credere, vbi de Ecclesiæ definitione sibi constiterit; hinc fit vt hæreticorum filij, qui nil vnquam de Ecclesia audierunt, non sint propriè hæretici, nondum enim pertinaces censentur, donec edocti, quod Ecclesia sentit, credere nolint.

Denique hæreticos dixero, qui de rebus, quas Ecclesia credendas proponit, pertinaciter, & ex deliberata voluntate dubitat, tametsi ab eis non expressè dissentiat.

Quid sit opinio erronea.

Secundò supponendum est opinionem illam erroneam appellari, quæ aliquid negat, quod tametsi non sit de fide, ab ea tamen per euidentem consequentiam deducitur, vt Christum esse risibilẽ, quia est homo, &c. Adde etiam illud temerarium dici, quod contra vnanimem Doctorum consensum absque vlla ratione asseritur.

Quid temeraria.

Quibus ita positis facile est iudicare sententiam illam, quæ terræ motum tribuit, cælis verò denegat, non esse hæreticam, nec enim est error in fide, cùm illud nondum Ecclesia credendum proposuerit, nisi dixeris id satis ab Ecclesia propositum, vt credatur, quatenus totam Scripturam sacram, & singulas eius partes credendas ob oculos ponit. Verùm non ita credendas statuit omnes Scripturæ particulas, vt statim eis fidem adhibere debeamus, prout nobis significare videntur, sensus enim est, cui credimus, isque à Spiritu sancto intentus, & ab Ecclesia declaratus, alioquin sæpius nostra fides sibiipsi contraria esset, & vbique nutaret, cùm vnus huic loco sensum vnum, eidem alter diuersum attribuat.

At nondum illa Scripturæ loca, quæ motum terræ denegant, atque cælo, vel astris tribuunt, ab Ecclesia declarata sunt, vel exposita, itaut credere debeamus id ad literam, & prout sonat intelligendum esse. Hinc fit, vt cùm pœnitentiam Deo conuenire innuit Scriptura sacra, non statim credamus in Deo esse aliquam pœnitentiam, quandoquidem priùs Ecclesiam audire debemus, & ab ea discere, an id propriè, an verò tantùm metaphoricè capiendum sit: sic etiam (vt à re nostra minus discedam sol, & luna dicta sunt magna luminaria, sed non est ab Ecclesia determinatum, an stellæ maiores sint, necne; quæ dicuntur alibi de cælo casuræ, quod tamen de veris stellis minimè volũt interpretes intelligi, sed de cometis, & alijs ignitis meteoris: mille sunt alia Scripturæ loca, quæ non sunt ad literam exponenda. Cuius rei causam esse nemini dubium est; quia Deus voluit literas sacras sese nostro captui, atque sensibus accommodare, præsertim in ijs, quæ ad res naturales, oculisque subiectas attinent. Id clarum est ex ipsis membris, quæ Deo tribuuntur pedibus, brachijs, auribus, oculis, fœmore, alis, &c. vt dicemus ad vers. 6. capitis 6. Genes. 1.

At non video, cur loca Scripturæ, quæ terram stare affirmant, non possimus explicare, nec enim definitum est ab Ecclesia, an illa loca literaliter, prout nudè sonant, intelligenda sint: Locus expressus est psal 103. *Qui fundauit terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in sæculum sæculi*: quod ita possumus exponere, vt verè super centrum mũdi terram stabilierit, quæ cùm è centro suo nusquam dimoueatur, non inclinatur, qua ratione globus aliquis super centrum suum mobilis, vel rota stabilis est, nec inclinatur: sic etiam fundamenta terræ ponebat Deus, cum tribus digitis, imo vnico nutu suspendebat eam, & super centro suo firmabat.

Quomodo Scripturæ sacræ locis respondeat Copernicani.

Nec obstat quod Iosue Soli iusserit, vt staret cõtra Gabaon, & Lunæ contra vallem Aialon, sese enim nostris sensibus accommodare potuit, quippequi se percipere existiment stellas, & planetas quotidie suum integrũ cursum peragere ab ortu in occasum, cùm tamẽ non desint, qui ratione sensus corrigant, & statuant idem fieri, quod ijs, qui vehuntur in naui, quam stare putant, portum autem accedere, vel recedere, aut fluminis margines progredi credunt, si solis sensibus fidem habeant.

Memini D. Augustinum in exponendis Scripturis literalem sensum sequi, quoties vel alter Scripturæ locus, vel Ecclesiæ decretum, vel ratio non impedit: Verùm qui motu terram præditam esse volunt, quietem ei denegandam esse ratione contendunt, parati tamen (si Catholici fuerint) constitutioni, seu determinationi Ecclesiasticæ parere, qui vt veri filij, & fideles in omnibus se suáque submittunt. Rationes autem cur terram moueri debere existiment, suprà retulimus, ne motus cõtrarios cælo cuipiam tribuere cogamur; sic enim Mercurius, & Venus vno paulominus anno, Sol anno, Mars biennio, Iupiter 12, Saturnus 30, firma- D. August.

mentum 49000 annis suum motum, & cursum integrum perficient, vt luna 28 diebus, quamdiu terra singulis diebus supra centro suo rota conuertetur. Nec obstat, quòd oculis id minimè percipiatur, inquiunt, quandoquidem præter cœlum, & terram nihil tertium datur, ad quod tanquam fixum huiusce rei veritatem discutere valeamus.

Quare non possimus iudicare, nũ terra moueatur, necne.

Ratio optica

Ratio petitur ex Optica. Oculi enim suas præsertim operationes exerunt sub angulo recto, siue, quod eodem recidit, per pyramidem radiosam à basi opposita super visum perpendiculariter orientem, sic enim efficax est visio; quapropter Deus oculo musculos distribuit, qui in omnes partes eosdem mouerent, suntque numero 6, 4 nempe recti, & duo obliqui; idque vt immoto capite ad satis amplum circuniectum spatium videre possemus, & oculi circunducti rem ex diametro oppositam haberent. Tunc autem, aliquid moueri iudicamus, cùm deprehendimus rectam lineam esse diuersam à priori, secundum quam obiectum videbatur, & in diuerso situ cernitur. Iam verò omnis loci mutatio apparens aut est propter rei visæ motum, qualem in aqua currente, aut animalibus locum mutantibus videmus, aut propter ipsius videntis motum, cuiusmodi sanè deprehendimus in littore, & arboribus ei adiacentibus, cùm in naui ex portu soluimus. Cùm enim simul cum naue moueamur, oculi lineam suam rectam mutant, qua ferebantur in obiectum, sub qua mutatione portus moueri videtur, cùm tamen quiescat, sic illud Poëtæ intelligendum est.

Quomodo aliquid moueri sciam.

Prouehimur portu, terræque, vrbesque recedunt.

Vel denique motus percipitur ob videntis, & obiecti visi separationem, & motum. Verùm siue moueantur stellæ, siue nos in terra circunuehamur, siue ambo nempe & stellę, & nos moueamur, eodem semper modo obiectum visui necessario obijcitur, adeout nihil infallibiliter ex αὐτοψία probare valeamus, quod ad propositum faciat, magnitudine terræ sensus nostros decipiẽte per motum, qui absque concussione, vt Copernicani volunt, qui etiam addunt terram ideo rotundam esse non tantùm, vt architectum suum principio, finéque carẽtem imitetur, sit rotunda figura cæteris prior, capacissima, pluribus superficiebus constet, & ad eam omnia conspirare videantur, sed quia motui figura illa accommodatissima est, quandoquidem figuræ ad motum est analogia, vt corpora, quæ acutissimo angulo subiectum tangunt, velocissimè in eodem decurrant, quæ maiori tardiùs moueantur, donec ad rectum insistant, & planè quiescant; at rotundum subiectum tangens, angulum quouis acuto rectilineo minorem, seu acutiorem efficit, & à subiecto statim resilit, quapropter nihil asperitatis, nihil offensionis habet, quo velocitas motus impediatur, vnde meritò dici potest inquiunt sphæricam esse terram, vt perpetuò moueatur; hinc Gilbertus magnetica virtute, & experientia fretus terram μικρόγην, definit, quòd filum ferreum Magneti diuersis locis appositum suo motu circulos illos describat, quibus vulgò sphæram, & globum Astrologi fabricant.

Cur rotunda motui aptissima.

Gilbert.

Quæ omnia confirmari posse arbitrantur ex eo, quòd Hermes, Zoroaster, Orpheus, Gilbertus, & alij recentiores totum mundum animatum esse existimant, de quo alibi dicendum est; deinde cùm animæ omnes tam planetarum, & astrorum, quàm elementorum pulcherrimã motuum harmoniam conficiant, breuius tempus illi corpori videtur assignandum, quod in angustiori, & centro terræ viciniori circulo reuoluitur, longius verò ei quod in ampliori cietur, Eapropter terra ob exiguitatem globi sui, diei; Luna in ampliori circulo nota mensis; Sol, ☿, & ♀, anni; ♂ biennij; ♃ 12, ♄ 30. stellæ fixæ circulos amplissimos describentes 36 millium secundum Ptolem. vel iuxta recentiores 29 ferè millium annorum spatio reuolutionem vnam peragant; sic enim ea maximè mutabilia, atque mobilia sunt, quæ terræ vicinissima, minus verò mobilia, & velut immutabilia, quæ à terra longiùs remouentur, quæ cùm sint nobilioris conditionis, corruptioni minus obnoxia esse debent. Cæteras rationes, aut congruentias, quibus Copernicæi terræ motum astruunt, articulo primò retuli, quæ hanc etiam partem tueri videntur, nimirum de fide non esse, an terra esse, an terra moueatur necne, quas postea refellemus.

Vnde Copernicani suam opinionem cõfirment.

Proportio periodorũ motus planetarum.

Verùm cùm Scriptura contrarium tam clarè innuat, contraria sententia vt verior, & ab omnibus ferè recepta sequenda est, quæ asserit terram esse stabilem, cælos verò seu sydera moueri, adeout quis opinionem illam temerariam meritò iudicare possit, maximè cùm viderim in ea sententia Cardinalium congregationem versari, quorum sequens decretum Tannerus quæst. 9. dissertat. ita refert.

Et quia etiam ad notitiam præfatæ sanctæ Congregationis peruenit falsam illam doctrinam Pythagoricam, diuinaque Scripturæ omnino aduersantem de mobilitate terræ, & immobilitate solis, quam Nicolaus Copernicus de reuolutionibus orbium cælestium, & Didacus Astunica in Job etiam docent iam diuulgari, & à multis recipi, sicuti videre est ex quadam epistola impressa cuiusdam P. Carmelitæ, cuius titulus, Lettera del Reu. Padre Maestro Paolo Antonio Fascarini Carmelitani, supra lopinione de Pyttagorici, è del Copernico della mobilità della terra, è stabilità del Sole, & nouo Pyttagorico sistema del mondo, in Neapoli per Lazaro Scoriggio 1605.

Decretum Congregationis Cardinaliũ aduersus Copernicanos sub Paulo 5.

Fascarin.

In qua dictus Pater ostendere conatur præfatam doctrinam de immobilitate Solis in centro mundi, & mobilitate terræ consonam esse veritati, & non aduersari sacræ Scripturæ. Ideo ne vlterius huiusmodi opinio in perniciem Catholicæ veritatis serpat, censuit dictos Nicolaum Copernicum de reuolutionibus orbium, & Didacum Astunica in Job suspendendos esse, donec corrigantur.

Copernic. Did. Astunica.

Librum verò P. Pauli Fascarini Carmelitæ omnino prohibendũ, atque omnes alios libros idẽ pariter docentes prohibendos, prout præsenti decreto omnes prohibet, damnat, atque suspendit. In quorum fidem præsens decretum manu, & sigillo Illustrissimi, & Reuerendissimi Domini Cardinalis sanctæ Cæciliæ Episcopi Albanensis signatum, & munitum fuit die 5. Martij 1616. Romæ ex Typographia Cameræ Apostolicæ anno 1616.

Itaque terram immobilem esse certum est, quod psal. 92. vers. 2. egregiè confirmatur hisce verbis. Etenim firmauit orbem terræ, qui non commouebitur, vel iuxta phrasim Hebraicam, vt Pagnin. vertit firmabitur orbis, ne nutet, aut sese moueat.

Et quidem non est quod terræ motum fingamus ad cœlestia phænomena saluanda, vel obseruationes explicandas, ideóque illi Mathematici non iniuriâ ridiculi videntur, qui ne tantillum imaginatione laborent, & intellectum in motibus cœlorum contemplandis exerceãt, motui terrestri subscribunt,

subscribunt, quorum fictiones, & rationes imaginarias articulo sequenti latè refellemus.

Quemadmodum verò ratum est, atque fixum terram motu νυχθημερινῷ, vel annuo minimè commoueri, ita & nonnulli etiam Catholici terram motibus quibusdam concuti posse existimant, iuxta quos, addam non esse absurdum, si terram aliqua ratione moueri, non tantùm à Deo, vel angelis, sed etiam ab hominibus dixero: possumus autem concipere terram commoueri vel sursum, vel circulariter, vel motu vacillationis: sursum moueri nequit ab homine; cum enim homo terræ debeat inniti, cùm illam sursum extollere contenderet, frustra niteretur, quia tanto magis deprimeretur, quanto magis eam eleuare conaretur, quandoquidem non potest alibi trochleam, aut aliud tractorium instumentum, quàm in terra firmare, atque adeo tantùm pedibus, & instrumenti pondere proprio terram retineret, quantum funibus attraheret; alioquin posset alter Archimedes dicere: *Da vbi pedem figam, & terram mouebo,* quod cùm ei concedere nemo possit, nec etiam terra sursum poterit erigi; Quod attinet ad motum circularem, eo commoueri posse videtur; cùm æqualibus libretur ponderibus, & in medio vniuersi conquiescat; grauitatis enim illius centrum est in centro mundi; quapropter tantam habet in nostro hemisphærio grauitatem, quantam in opposita medietate; alioquin pars leuior à grauiori cogeretur ascendere, vt fit in bilancibus, in quibus lanx grauior descendit, dũ ascendit leuior. Quibus positis, si quid homo possit inuenire, quod fulcro terræ non indigeat, vt pellat terram, illam commouere poterit.

Archim.

Terram moueri posse naturaliter plurimi arbitrantur.

1. Modus.

Nec enim magnam habere videtur resistentiam respectu motus circularis, vnde nec magna requiritur actiuitas, vt moueri possit. Itaq; si bombardas bellicas disposueris, quæ globos in præduram rupem ita mittant, vt incidant ad angulos rectos lineæ perpendicularis, fiet vt terra circulariter contorqueatur; faciunt enim globi vibrati, quod facerent homines multi, si extra terram cum instrumentis adessent, magno siquidem impetu in oppositam partem rupem pellunt, nec ipsi globi terræ innituntur, sed vel à qualitate impressa, vel ab aëre condensato, & rarefacto propelluntur, quidam Mechanici aiunt.

2

Alius est vacillationis motus, quo terram continuò moueri, tametsi minimè id percipiamus; ratio est inquit, quia centrum alicuius corporis mutatur per additionem, vel detractionem partiũ; cùm igitur nouum pondus ex vna parte terræ aduenit, vt cùm exercitus ingens in vnam partem transmigrat, terra suum centrum mutat, vt centrum mundi, quod est immobile petat.

Quicquid enim graue est, appetit coniungi centro magnitudinis totius mundi, & ad hoc grauitate sua perpetuò conatur, siue ab alio retineatur, siue non; ideóque corpori sibi subiecto, vt lapis qui sustinetur ab homine, manui, vel etiam terræ, in cuius superficie quiescit, aut in qua potiùs violenter retinetur, impetũ imprimit, quo nitatur deorsum tẽdere, & corpus sibi subiectũ impellere, vt cedat loco, & mundi centro coniungatur: Quod etiam cuiuslibet corporis partes faciunt, quæ sibi mutuò impetum imprimunt, seque versus mundi centrũ impellunt; hinc omnes guttæ aquæ cadendo in modum orbis se contrahunt & comprimunt. Igitur terræ centrum, quod est indiuisibile, penetrat

Centrum mundi & magnitudinis vniuersi, & terræ.

centrum magnitudinis vniuersi, vltra quod tẽdere nequit, sed ibi quiescit, alioquin terra ascenderet; Est autem centrum vniuersi punctum æquè distãs à superficie cœli supremi ex omni parte; Centrum verò grauitatis terræ est punctum, à quo si lineæ ducantur ad totam peripheriam terræ per lineam rectam, est æquale pondus ex vtraque parte, quod centrum in omni corpore reperiri necesse est. Hinc intelliges tunc centrum grauitatis terræ, sicut & aliorum corporum, immutari, si ex aliqua parte magis ponderet, ac proinde non quiescit, donec punctum, hoc vniatur cum centro mundi, ne sursum maneat, siue, quod idem est, super centrum magnitudinis vniuersi quiescat. Vnde Vasques 1. 2. disp. 81. c. 3. respondens obiectioni, quæ de corruptione habitus fiebat, qui ad impetus impressi modum paulatim sine contrario languesceret, & euanesceret, concludit terram quodam motu trepidationis moueri, quoties aliqua fit mutatio cẽtri grauitatis terræ; quam mutationem duobus præcipuè modis contingere posse notat, nempe per physicam aliquam mutationem, vel ob alicuius corporis grauis aduentum, quod terræ impetum tribuit, sicut & sibiipsis terræ partes imprimunt, vt centrum grauitatis terræ penetret centrum magnitudinis vniuersi; Terra verò eo maiori motu trepidat, quo magis illius centrum ab vniuersi cẽtro recedit; ab eo autẽ magis recedit, quãdo magis oneratur, seu premitur, vnde cũ aliquis lapidẽ in terrã projcit, magis terra mouetur, quia lapis eã magis onerat, & impetus ei impressus à projiciente magis adhuc eam deprimit; quem impetum non sine contrario corrumpi ait Vasques, quando lapis proiectus in terra quiescit, sed ab auerso impetu docet extingui, quem aduersæ terræ partes sibiipsis imprimunt, vt impetum lapis proiecti reprimant, vt tandem grauitatis centrum, ad centrum magnitudinis reducant.

Centrum grauitatis.

Vasques.

Ex ijs colligunt centrum terræ esse mobile: non tamen à quolibet imposito moueri pondere; sicut nec libra, quæ pondera in æquilibrio sustinet, statim mouebitur, licet vni lanci granum sinapis, aut acarum adiunxeris; lanx enim antequam moueatur virtutem sufficientem habere debet, qua medium diuidat pro magnitudine corporis mobilis. Possumus autem ex illo terræ motu, si reuera concedendus est, quod tamen non est necessarium inferre motum trepidationis apparentem in cœlo; nam motus, qui fit in terra, in qua tamen minimè deprehenditur, in cœlo notatur, sicut motus nauis in portu, vel ripa, & littore fieri videtur ijs, qui naui circunferuntur; videant interim Astronomi, an ea ratione librationis, trepidationisque motum explicare valeant.

Quonam verò Mechanicam ex parte attigimus, lubet suggerere modum, quo tota terra posset eleuari, si locus extra terram daretur, qui sustineret trochleam, & per consequens contra naturam suã ascenderet, ac vniuersi centrum relinqueret, ac vniuersi centrum relinqueret. Id ergo contingeret si 100. trochleæ parentur ita inter se dispositæ, vt extremitas vnius funis alicui rei alligaretur; deinde funis alter alteri trochleæ, cuius itidẽ funis vna ex parte sustineretur à re quapiam data; ex altera verò parte à tertia trochlea, & ita deinceps. Quod magis explicatur. Supponendum est terræ soliditatem constare pedibus cubicis 659236344266 5287238507 2 cum 1/3, quibus singulis pedibus si liberaliter 100 libras assignemus, totum illius pon-

Quavia per mechanicã terra eleuari possit, imo & centrum terræ simul.

Cubi pedes terræ, & eorum pondus.

Secundò ſupponendum eſt eam fieri numerorum accretionem in progreſſione Geometrica, vt ſi quis ab vnitate ſolùm in dupla proportione progrederetur, donec ad 100 varios terminos perueniret, vltimi illius numeri ſummam, ſeu terminum centeſimum ſolitariè ſumptum habiturus ſit, qui ſequitur 633806853370034991167356026881, quem numerum ſic explicare poſſumus; Sexcenti triginta tres octiliones, octingenti & ſex ſeptiliones, octingenti quinquaginta tres ſextiliones, trecenti ſeptuaginta quintiliones, triginta quatuor quadriliones, vnus, & nōgenti nonaginta triliones, cētū nonaginta ſex biliones, ſeptingenti triginta quinq; miliones, ſexcenta duo millia, ſexcenta triginta octo: qui numerus cùm multoties terræ pondus ſuperiùs definitum ſuperet, ſi tale conſtruatur inſtrumentum, quale diximus, non tantùm hanc terram, ſed & centum ei ſimiles facilè, tametſi iunctas ſimul attollet.

Numerus librarum quarū pondus per machinam hāc à puerulo agitatam eleuari poſſet.

Eſt & alius modus, qui fortè magis placebit illis, qui numerorum tantam multitudinem refugiunt & à multitudine, quæ digitos manus, aut ad ſummum centenarios, & millenarios ſuperet, abhorrent, ne tantiſper imaginatione laborent. Faciant igitur 12 rotas ferreas in extremitate denticulatas, ſicut & in medio, quæ etiam lenticulatam axem habeant; hunc autem inter ſe ſeruent ordinem, vt vnius rotæ denticuli extremi cum denticulis axis alterius rotæ implicentur; præterea ſit manubrium in axe ſuo denticulatum, appliceturque extremis primæ rotæ denticulis, & in vltimo axe rotæ vltimæ pondus alligetur, his enim peractis, ſi rotarum ſingularum vnaquæque ſemidiameter ad axem ſuum centuplam proportionem habeat, factum erit inſtrumentum, quo, ſi alibi, quàm in terra ſtare poſſemus, non ſolùm hæc terra, ſed & multæ ſimiles eleuarentur, non à fortiſſimo, dico, Gigante, ſed ab imbecillo puero.

Alia machina.

Ratio eſt, quia quicquid pendet ab axe vltimæ rotæ, detinetur à potentia in extremitate conſtituta, quæ centuplam cum dependentis ponderis reſiſtentia proportionem habet, quod fit ex elongatione centuplo maiori. Sed hæc inſinuaſſe ſufficit; reliqua enim ex Mechanicis peti poſſunt, pauca tamen addemus de varijs terræ motibus, quos nonnunquam in variis locis accidiſſe legimus. Prędictæ machinæ ſchema poſſem hîc addere. Verùm ſufficiet, ſi Salomonem de Cauet lib. 1. de viribus motricibus theor. 16 conſules, in quo 6 rotas noſtris ſimiles deſcripſit.

Salom de Cau.

Hæc ſunt quæ de quibuſdam terræ motibus, Mechanici conijciunt; quæ tamen ſi propiùs intueamur, falſa eſſe arbitror, quandoquidem Deus illam ita ſuper ſtabilitatem ſuam firmauit, vt neque omnibus totius mundi bombardis ad quamlibet rupem exploſis, neque vllo pondere in hanc, aut illam partem impoſito, neque vlla machina vel latum vnguem dimoueri poſſit, tum quia hæc omnia reſpectu ponderis & magnitudinis terræ nihil eſſe videantur tum quia eſt centrum vniuerſi, adeout credam à nullo terram moueri poſſe, præterquam ab eo, qui totius vniuerſi machinam cōcutere poteſt, vt etiam angelis hanc poteſtatem adimam.

Iuuabit autem, ſi nonnulla de varijs terræ motibus peculiaribus ſubiungamus: Ad quos ſi adhortat Campanella, terræ, vitam, & ſenſum tribuet, quæ ad modum corporis noſtri ſpiritibus, humoribus, cœlorum influentijs, & cæteris cauſis tam internis, quàm exterioribus agitati diuerſis motionibus cieri ſolet, inter quas nouem poſſumus enumerare, quarum nomen laturæ totidem terræ motus exhibent, videlicet terræmotum agitationis, ſubuerſionis, diuiſionis, perforationis, titubationis, ruinæ, repulſionis, eleuationis, depreſſionis, & vectionis. Primus eſt, cùm exhalatio ſubterranea non adeo vehementer interiora terræ percutit, ſed à latere fertur in latus, & viciſſim reflectitur, ſecum tamen terram traducit, ſic enim fit agitatio. Subuerſione pars terræ ſuperior tendit deorſum, ſuperius autem inferior emergit, quod fit exhalatione ęqualiter impellente.

Campanel.

Nouē terræ motus.

1

2

Diuiſionem efficit exhalatio ſicca, quæ terram aperit; quæ cùm plures ſciſſuras facit, & pluribus in locis terram aperit, eſt perforatio: ſi debilis eſt exhalatio, terra titubat, ſed poſt tremorem redit ad ſtatum priſtinum. Si verò terræ pars aliqua cadit in profundum, ruinam habes, quam vel aqua erodens, vel ignis partes interiores comburens producit, vnde vel ignē vomentē, vel lacū nouum, vel etiam particulare diluuiū cōtingere cernimus, ſi id prope fluuiū accidat, & flatus in alueum exeat, atque exhalatio eiecerit aquas extra ripam. Si tanta ſit exhalatio, vt terræ partem aliquam è loco ſuo naturali longè deturbet, atque deijciat, repulſio dicitur; eleuatio & depreſſio cùm ſtatim terra vi exhalationis ſubterraneæ ita leuatur, vt aliquid exhalationis expiret, ſtatim deprimatur, donec tota exhalatio conſumatur, & expiret. Denique vectio fieri ſolet cùm inferior pars terræ motæ exhalatione partem terræ ſuperiorem de loco ad locum transfert.

3.

4.

5.

6

7

8

9

Alijs verò nominibus ea S. Damaſcenus l. phyſicæ cap. 16. & Volaterranus in ſua phyſiologia, vbi 8 modos colligit ex Ariſtotele, & alij quidam terræ motus exprimunt. Tromodem enim, ſeu tremulentū aiunt, ſi latè concutit; quando latè commouet, Palmotem; ſi iuxta acutos angulos, Epinclitem; Braſtam ſi ad angulos rectos terra ſubter, ſubtuſque vertitur. Caſmatias hiatum terræ facit. Rectes, vel vt habet Damaſcenus, Recthas vocant effractores, qui terram perrumpunt, & rimas aperiunt; Oſtas impulſores, qui vno impetu eam ſubuertunt, Mycetias ventos, qui terram cum mugitu quatiunt, Palmatias, ideſt vibratores, qui reciprocis vibrationibus in vtramque partem inclinant, & quod mouerint, ſemper erigunt. Mectas, qui circa motum terræ intus ſonant, ac mugiunt; quem ſonum triplicem eſſe notat Fabritius Paduanus, vnus enim, inquit, eſt, vt ſonus aëris inundantis ex multo vento; alius ſibilatiuus, vltimus colliſiuus, vel etiam fractiuus; ad hos ſonos terreſtre tonitru referri poteſt, de quo Cœlius l. 16. c. 54. quale ferunt contigiſſe Rhodi, adeout totam Europam, cœlo tametſi ſereno intonuiſſe dixiſſes.

Damaſcen. Volat.

Alia nomina terræmotuum.

Fabrit. Pad

Rodig.

Mirum eſt autem, quod terræmotus per 40 dies, imo per 2 annos durare poſſint, nam terræmotum factum Byzantij anno Chriſti 651. tempore Theodoſij Imperatoris 4 menſes duraſſe ferunt, quem adhuc duraturum infans afflatus Spiritu ſancto aſſeruit, donec populus alta voce ter clamaret *Sanctus, Sanctus, Sanctus Deus fortis & immortalis miſerere noſtri*, quo dicto ceſſauit. Alius 40 dies perdurauit anno 1519. tempore Gelaſij Pontificis, ita vt villa quædam locum mutarit; quod & de Sicilia fertur ab Italia per terræmotum diuiſa; quamuis Mythologici Neptunum Tridentis ictu dicant inſulam

De terræmotuum duratione.

Miraculum

Strabo. Auerr. Io, Angl.

insulam diuisisse, lege Strabonem, & Trogum Auerroës Cordubæ terræmotum per 3. annos durasse, & 13. ciuitates oppressas esse refert: quibus addit Ioannes Anglicus Hispaniam ab Affrica, & Ossam ab olympo diuisas fuisse.

Hinc inferre possumus hisce terræ motibus ciuitates opprimi, montes generari, atque subrui, cineres, lapides; & ignes foras erumpere; amnes introrsus conuerti, & nouos exprimi, calentium aquarum venas aperiri, nouósque lacus, & fontes fieri, montem à monte separari, nouas in profundo insulas erigi, &c.

Itaque causa efficiens terræmotus est spiritus intus inclusus, & exhalatio, quæ cùm ad materiam ventorum attraheretur, impedita, & coarctata à terrenis partibus illa periculosa symptomata progignit, & sæpius pestem, vel morbum contagiosum infert, quia inclusus aër, & exhalatio facilè corrumpitur, & venenum contrahit, vt patet ex ijs, qui vel puteos fodiunt, & expurgant, vel fodinas ingrediuntur, qui vertigine, imo & morte non rarò corripiuntur. Astrologi causam referunt in ♄, & ♃ coniunctionem, ex qua ferunt Anaximandrum prædixisse Lacedemonijs terræmotum instare, statimque vrbs tota corruit.

Causa terræmotus.

Pherecides verò Pythagoræ magister ex aqua turbulenta in fundo putei posita, & terri odoris etiam terræmotum prædixit: quem & magna tranquillitas aëris, & nubecula stricta porrecta, & aues pauidæ solo insidentes prænuntiant: subsequuntur verò tenebrositas solis ab exhalatione fuliginosa, venti, vel pluuiæ, & pestis ob exhalationem putridam diutiùs in terræ visceribus detentam.

Quomodo præuideantur, & quid eos consequatur.

ARTICVLVS VII.

IN QVO DISSOLVVNTVR COPERNICORVM rationes, quas articulo quarto retulimus.

Quid sit sceptica, & eius nomina atque principia.

PRima ratio, siue obiectio sceptica est, quòd videlicet nihil certò nouerimus, neque statim oculis credendum, quorum deceptio ratione corrigenda est. Et quidem sceptica, seu ζητητικὴ, quæ etiam ἐφεκτικὴ, & ἀπορητικὴ, de omnibus hæsitans dubitat, & φαινόμενα seu sensibus obnoxia ijs, quę νοούμενα sunt, opponit, vt deueniat ad ἐποχὴν. i. assensus retentionem, & ἀταραξίας seu vacuitatem à perturbatione, ac si paria momēta, ἰσοσθένειαν, & æqualitatem ad fidem impetrandam tam αἰσθητοῖς, quàm νοητοῖς semper haberēt. Hoc enim erat Pyrrhonij principium *παντὶ λόγῳ λόγον ἴσον ἀντικεῖσθαι omni orationi orationem æqualis ponderis, & momenti aduersari*: Hinc illæ voces οὐδὲν μᾶλλον, οὐδὲν ὁρίζω, *nihilo magis, nihil definio*, vt μετριοπάθειαν in ferendis affectionibus, sicut ἀταραξίαν in δοξαστοῖς sibi compararent. Ideóque modis quibusdam generalibus vtebantur, vt nullam esse scientiam ostenderent, quorum primus erat à iudicante, & à criterio, seu iudicatorio mendaci, & fallaci, vel ab ipsis rebus iudicatis, quæ incertæ cùm sint, atque fluxæ, minimè comprehendi posse videntur. Addebant rationem esse mendacem, cùm vna alteram mendacij conuincat, atque adeò nusquam ei credendum esse, sicuti neque sensui, quem sæpe ratio coarguit, & alter sensus corrigit; ita enim veritatis iudicem, & indicem testem, & exploratorem excutiebant. Secundus modus Epoches bimembris erat, idque ob varia animalium temperamenta, ex quibus variæ imaginationes, iudicia, & affectiones oriantur, adeout quod vni dulce, alteri amarum sæpe numero videatur, quapropter cùm non sit maior ratio cur vni, quàm alteri fidem habeamus, nec homini in ijs quæ sensu percipiuntur magis, quàm animalibus credendum esse vellent, quinimmo cum homines ipsi ob diuersas constitutiones, & ingenia dissimiliter rebus affecti diuersa ferant iudicia, nec eadem sit opinio Galli, & Hispani, iuuenis, & senis, sani, & ægroti, vigilantis, & dormientis, nulli homini fidem adhibent? Hinc tertius modus nascebatur, licet enim alicui credendum esse conuinceres, ille varijs modis pro diuersis temporibus afficitur, quando igitur ei credendum erit? Quartò licet eodem fuerit temperamento, quādònam ei credendum? cùm aliter oculus quiescens, aliter motus iudicet, ille enim ripam fluuij stare, hic moueri iudicat. Quintò, propter varia interualla, & dispositiones res easdem varias esse percipimus; si enim propiùs intueatis, maiores, si remotiùs propinquiores, si collum columbæ in vno situ albescens, in alio rutilans, si res erectæ fuerint, maiores, si transuersæ minores apparent.

* Decē modis Pyrrhonij sciētiam destruebāt. Primus modus, quo suadere conabantur nihil sciri posse.

2.

3

4.

5

Sextò rerum mixtiones obijciebant, quandoquidem nihil purum esse videtur, cùm etiam ipsa aqua mixta sit, & quælibet res aliquid complectatur, quod non est de illius natura. 7. res ipsas immixtas etiam varias apparere, vt patet in ramentis Capricorni, quæ dum sunt in cornu nigra, alba verò simpliciter existunt. 8. ex comparatione cum alijs rebus, quæ videbantur maiora cum minoribus collata, minora verò respectu maiorum. 9. quia rarò cōtingentia pretiosiora videntur, crebrò contingentia vilescunt. 10. ob varias hominum institutiones, leges, religiones, fœdera &c. varia iudicia contingunt, adeout honesta quibusdam, & iusta videantur, quæ alijs inhonesta, & iniusta.

6

7

8

9.

10.

Quibus diffidentiam philosophorum tam à se inuicem, quàm ab alijs, & alia plurima subiungebant, de quibus Empiricus late 1 libro, vt concluderent nullum esse criterium à quo, neque per quod, quæ hominem, & eius sensus, atque intellectum esse volebant, neque criterium quod, quibus veritatem elicere possimus.

Sex. Empiric.

Hæc sunt, quæ Cœlius suo primo argumento significat, quæ cum non vrgeat, sed tantùm insinuet, non est quod his immoremur, alibi siquidem aduersus Pyrrhonios, & eorum simiam Verulamium de illis Deo bene iuuante dicemus. Sufficiat si opinionem illam omnino stultam, atque friuolam dixerimus, quorsum enim sensum, & intellectum haberemus, quorsum esset naturalis sciendi cupiditas, nisi aliquid scire possemus? Valeat ergo Sanchesius cū suo libello: *Quod nihil scitur*, & cum Pyrrhonijs secedens nobis nullū negotiū facessat.

Nouē causæ cur aliquis prima principia negare possit.

Scio siquidem aliqua principia multis de causis negari posse, inter quas mihi nouem præcipuæ occurrunt; primò ob imperitiam, vt si quis experientiam, vt si quis experientiæ defectu ignem calefacere, vel niuem frigidam esse negaret. 2 ob prauam corporis constitutionem, leprosus enim negare posset acum pungere. 3. ob animi perturbationes, qua ratione iratus negare poterit amicum amandum esse. 4 propter educationem prauam, & consuetudinem in contrariis opinionibus, vt si quis negaret vnicum Deum honorandum esse, quia nimium in Idololatria educatus fuit. 5 propter conceptam temerè de alicuius sapientia opinionem, quæ facit, vt assentiamur vanis illius opinionibus, sic enim aliquis mundum à Deo factum esse negare posset, si credat Epicuro dicenti mundum casu factum esse. 6 ob vanæ opinionis probabilitatem, quam paralogismus concludere videtur. 7 quia sæpe quis malè ratiocinatur. 8 quia ob malum ratiocinium de principiis saltem dubitare possumus. Denique quia obiectionem soluere non possumus, quod accidit Zenoni, qui motum ideo dari negauit, quia argumenta contra motum proposita soluere non poterat.

Verùm vbi quis bene dispositus fuerit, nunquam in primis principiis decipi poterit; quænam autem sint illa principia dicetur alibi. Itaque ad primam obiectionem aduersus terræ stabilitatem prodictā accedamus. Fallitur oculus, inquiunt, dum astra moueri putat, cùm terra moueatur, astra verò stet; sed illud probandum est, quandoquidem constanter pernego decipi visum in motu terræ: non quòd oculi nunquam decipiantur, illud enim sæpenumero contingit, si non circa proprium obiectum formale, lucem videlicet, & colorem, saltem circa materiam proprij obiecti, quod accidit in specie coloris, nam is, cuius oculi aurugine perfunduntur, cærulea obiecta viridia esse putabit ob transparentem bilis flauedinem, quæ cum cæruleo viridem componit; Ophtalmicis verò quorum oculi phlegmone accendentur, ob sanguinis infectionem idem cæruleus color purpureus esse videbitur, quia rubeus cæruleo mixtus purpureum gignit.

Variæ causæ cur oculi decipiantur.

Mitto cæteras causas, ob quas visus decipi potest, inter quas distantia non vltimum locum obtinet: lux maior obtutum hebetat; minima non traducit species ad potentiam: immensa distantia visibilia extra conspectum defert; proxima visum confundit, atque dissipat: quæ obliquè visui obijciuntur, aut ab optico axe declinant, minus conspicua sunt, sicut, & minuta corpuscula, quæ nisi directè opponantur, & prope sint, non apparent: si diaphana sint obiecta, colores nigri videntur, quia non est opacitas, quæ conspectum terminet: si medium sit minus transparens, & fumo, aut vaporibus crassescit, res propositæ minus articulatè cernuntur, & si tempore exiguo visus rei considerandæ immoretur, nihil perfectè comprehendet. Multos etiam errores potentiæ imbecillitas, & sensorij deprauatio generant.

1. obiectio soluitur.

Si quid verò in terræ stabilitate deciperet oculum, maximè posset obiici admiranda motus pernicitas, quæ obstaret, ne id perciperemus; at secus contingere deberet, cùm aliquis saltu perpendiculari in altum attollitur: magnum enim spatium terra pertransiret saltu durante, nec in eundem locum recideres; nec est quòd respondeant saltantem cum terra moueri, quandoquidem illa virtus magnetica, quam in terra supponunt, quia omnia terrena attrahat, imaginaria est, vt postea qu. 11. diximus. Itaque sicut volunt oculos in hoc peculiari decipi, nos similiter negamus, eapropter ad alias rationes propero.

2. Obiectio refellitur.

2 Obiectio est, quia cùm cœli sint incorruptibiles moueri non debent, cùm motus corruptionem inferre videatur, ideóque terræ, cæterisque elementis motum tribuere satius existimant. At facillimè soluitur primò quia non vsque adeò certum est cœlos corruptioni obnoxios esse, vt ea de re nemo dubitare possit, imo non desunt, qui eos corruptum iri post extremum iudicij diem arbitrentur quibusdam Scripturæ sacræ locis innixi, vt psal. 101. *Ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent*, & 2. Petri 3. igni reseruati dicuntur. *Adueniet autem dies Domini, vt fur, in quo cœli magno impetu transient.* Vnde non pauci colligunt cœlos illos, quos astrorum beneficio cernimus, post extremi iudicij diem non ampliùs futuros esse, quia nulli deinceps in terra degent electi, quibus inseruiant. Adde quæ diximus quæstione de soliditate cœlorum. Secundò non vtamur summo iure, demus aduersario cœlos minimè corruptioni subditos esse, neque enim id absurdum est, & Peripatetici certum existimant, aut saltem pro viribus tuentur, num igitur motus illis repugnat? minimè gentium, cùm & Angeli quos à corruptione nemo non vindicat, quotidie moueantur, dum ea nobis administrant, quæ saluti nostræ congruunt, vt de custode Angelo Catholici fatentur.

Psal 101.

2. Petr 3.

Quibus animam rationalem subiungere possumus, quæ si non per se, saltem per accidens mouetur, dum corpus huc illuc transfert, & cum eo simul de loco in locum migrat, itaque motus localis non arguit corruptionem, imo cum tanta, tamque diuturna vertigine cœli moueantur, neq; tamen ab initio mundi hucusque defecerint, aut vlla ratione diminuti sint, id illorum incorruptibilitatem non obscurè demonstrat, quanquam nō conuincit; tametsi enim terram corruptibilem admittant, & eam moueri putent, non ideo tamen corrupta, vel imminuta est.

3. Obiectio dissoluitur.

3 Obiectio sumitur ex terræ situ in aqua, & aëre, in quibus nihil impedire videtur, quominus moueatur; ô præclaram rationem! nunquid existimas, mi homo, cœlos quibusdam cardinibus, polis, atque vectibus detineri, quominus dimoueri possint? quos potiùs ad motū expeditissimos esse credere debeas, cū neq; aquis, aut aëre, neq; alia re quapiā à motu impediantur, neq; minus rotundi sint, quàm terra, quæ cum grauissima sit, motui naturā suā repugnare videtur, cœli verò grauitate carent, & per liquidum æthera facillimo, atque celeberrimo motu quotidie transuolant.

4. Obiectioni satisfit.

4 Obiectio latè multis exemplis è natura, & arte quæsitis confirmare nititur terræ motum esse tribuendum ob ingens desiderium, quo propter necessitatē, vt conseruetur, & procreet, ad cœlos dirigitur. Quid si dixero maius, aut non minus desiderium cœlis innatum esse, vt perficiant terram, ac propterea illam ambiant? nunquid formæ rationem habet, sicut terra materiæ? nunquid formæ est se materiei accommodare? mitto quæ de Mechanicis attingit, non enim ad rem mihi facere videntur, neque quidquam efficaciter ex plantarum ad solem conuersione inferre potest. Frustra etiā voluntatem Dei, cœlique naturam obiicit, cum eandem

5. Obiectio soluitur.

eandem pro motu cœlorum afferam, vt sicut Deus voluit nobilissima entia intellectualia sese veluti demittere, & ignobilissimo enti intellectuali, hoc est angelos homini inseruire, ita etiam nobilissimum ens corporeum ignobilissimo, vt pote cœlū terræ seruiret. Adde quod cœli propter electos facti sint; quapropter tandiu moueri debent, quandiu his electi indigebunt: hinc fit, vt iam ferè Catholici omnes asserant cœlos post diem iudicij quieturos esse. Hem quid audio? Calcagnini commotum stomachum? Sanè neque te, neque quospiam alios irritare vereor, cùm nihil longè videantur absurdiores, qui terræ motum concedunt, quàm ipsum fictitium absurdum, quod pro 6 obiectione sequitur.

Obiectio 6. soluitur. Non est absurdum, quòd astra tot milliaria singulis horis, atque temporis scrupulis conficiant, nisi dixeris absurdum, quod iure dicitur admirabile, sed est absurdum, quod neges ab intellectu vix motus capi pernicitatem, quam lingua profers, & calamo depinxisti, de qua nos accuratiùs alibi: nec obstat, quòd terra sit instar puncti respectu firmamenti, cùm illud omni centro ad circunferentiam relato competat.

7 Ratio soluitur. Septima ratio ducitur ab exemplo microcosmi, in qua vt pote satis leui ne diutiùs hæreas, nego paritatem; neque si imagineris Dei pedes terram attingere, caput verò cœlos, pedes capite mobiliores esse debent, quandoquidem immutabile est, quicquid Deo competit. fluxum autem maris lunæ iam ferè omnes tribuunt, de quo aliàs agendum erit.

8, & 9 rationes soluitur. Octaua obiectio excors mihi videtur, cùm terræ velut animali cor tribuat, sed illud refellemus quæstione 11. Eapropter ad 9 rationem accedendum est, quæ nihil concludit, licet hypothesi, qua nititur, subscriberemus; at nego rationalem animam à corpore liberam non moueri; num igitur negas animam impij post obitum ad inferos detrudi? num arbitraris iustorum animas non statim ad beatas sedes volare, vbi iustus obdormiuit in Domino? Apage mihi huiusccmodi Atheos, qui vt phanaticis opinionibus suis faueant, fidem diuinæ Scripturæ denegant, & eam conculcant.

10 ratio dissoluitur. Decima ratio in auxiliū Platonicas figuras aduocat, quarum cum terra, cæteris elemētis, atque cœlo congruentiam friuolam irridere, atque contemnere possum; quod si dederimus, nihil tamen profeceris: nos autem astrorum retentis motibus optimè solstitia, æquinoctia, & omnia alia phænomena explicamus, quæ nusquam Copernicani intelligere, vel explicare potuissent, nisi à nobis desumpsissent: quæ cùm sibi propria, atque peculiaria reddere decreuissent, terræ motum induxerunt, rati se magnam inde gloriam consecuturos esse. Sed immeritæ gloriæ opinionem, atque desiderium deponant velim, neque terræ tenebras & frigus obiiciant, cùm eadem sol, & astra motibus suis efficiant, quod terra motu suo compleret.

11 obiectio dissoluitur. Frustra verò pugnant authoritate, siquidem centum pro vno eosque celeberimos authores afferre possumus. Nec ita mihi facere videntur pro terræ motu, quæ ex poëtis, & antiquo adagio, vel philosophis quibusdam refert, vt in illis explicandis tempus terere debeam. Video tamen quid in votis habuerit, licet id ei minimè contigerit, videlicet vt Cusam legeret, quem de terræ motu egisse audierat, sed non erat quod illud tantopere postularet, quamuis enim Nicolaus Cusa de motu terræ plurima in medium proferat l. 3. de docta ignorant. c. 11, & 12. attamen nihil probat. Et quidem facile est in qualibet stella nouos incolas imaginari, & terram stellam appellare, facile item asserere, quòd in mundo neque terra, neque quidquam aliud sit centrum, quòd Deus sit eius centrum, atque circunferentia &c. sed ea demonstrare hoc opus hic labor est. Non est igitur, quòd Cusam legisse Cælius desiderarit, vt suam opinionem de terræ motu confirmaret. (Cardinalis Cusa.)

Ad 12 respondeo vix, ac ne vix quidem rationibus satisfieri posse, quæ terrę stabilitatem inferunt, quas nunc minimè referemus, cum iam de illis a. 5 dixerimus, & alioquin de tota Astrologia agēdum esset. Sed neque satis est, quòd rationibus illis respondeant, præterea enim sua probare, atque demonstrare debent, quod sanè nunquam facient. 12 obiectio soluitur.

13 Obiectio petitur ex magnetis motibus, ex quibus terræ motum plurimi post Gilbertinas experientias inferunt. Verùm nihil affert, quod nos à recepta sententia discedere cogat, & ferè iam dissoluimus, quæ opponit, vt toto eius sexto libro de magnete videre est, itaque magnetica terella veram opinionem de terræ stabilitate nusquam destruet. 13 obiectio soluitur.

Ad 14 respondeo totam rationem cur potiùs cœli quàm terra moueatur in Dei voluntatem referendam esse, tametsi enim omnia tibi per pauciora fieri potuisse videantur, credēdum est omnia, quæcúmque Deus voluit, optimè facta esse. Ad 15 iam patet ex dictis, quid dicendum sit, videlicet motus cœlorum pernicitatem admirabilem quidem videri, minimè tamen ἀδύνατον; eoque maiorem erga homines diuini numinis amorem, atq; prouidentiam conspici, quo plura in eorum vtilitatem perfecerit. 14 ratio soluitur, vt & 15.

Ad 16 dico non solùm noni cœli beneficio omnia phænomena, sed etiam per 8 duntaxat cælos explicari posse, vt enim nihil dissimulem, non arbitror vllum esse nonum, aut decimum cœlum, quod sit primum mobile, & cæteros rapiat, sed 8 tantùm admitto, quorum octauum singulis diebus ferè, ♃ 30 annis &c. moueantur, adeout exempli gratia cœlum lunæ moueatur vno die non per 360 gradus, sed per 348 ex hypothesi, quod 12 tantùm gradibus motus eius in vno die peragatur, sol verò quotidie moueatur per integrum circulum vnico gradu excepto, quod est in causa cur aliqui plures cœlos posuerint, maximè verò primum mobile, quod reliquos ita 24 spatio circa terram moueret, vt tamen interim singuli proprio, distincto, atque contrario motu cieantur. At verò Lansbergius insanire videtur, dum extra cœlum stellarum nihil esse ait; num igitur suam Empyrei partem alteri cedit, si tamen hæreticus partem vllam in Empyreo habiturus sit, quod fieri nequit, nisi cum seriò de sua hæresi pœniteat. 16 obiectio confutatur. Lansberg.

Ad 17 nego cœlos frustra moueri, nec enim frustra subditus agere dicitur, cum Regis sui mandatis paret, & iussa exequitur. Ad 18 nego ea tardissimè moueri, quæ maximo circulo feruntur, si de partibus sphæræ motæ loquaris; quamuis enim cœlum stellarum, & lunæ vnico simul mense conuersionem vnicam perficerent, cursus firmamenti longè velocior esset motu lunaris orbis, imo licet stellę circumuolutionem vnicam annorū 25816 spatio iuxta Copernicum facerent, celeriùs adhuc, quàm luna mouerētur, præsertim in Copernicæorum sententia, qui magnum terræ circulum supra 17, & 18. soluitur.

♀, & ☿, reſpectu firmamenti inſenſibilem eſſe ſupponunt. Adde quod aſtrum quodpiam ea pernicitate mouetur, quã ei Deus ab initio mundi vel per impetum, vel per Angeli præfecturam, vel alio quopiam modo indidit.

19. refellitur.

Decimumnonum argumentum abſurditatem proponit, quam nego, cùm & ipſi duplicem motũ terræ aſſignent, qui aliqua ſaltem ratione opponi videntur: ſed muſca ſuper rotam ambulans, aut nauis, quæ fert hominem in Orientem, dum ab alio trahitur in Occidentem, ſatis oſtendunt motus contrarios eidem corpori ineſſe poſſe. 20 Falſum imponit nempe terram eſſe partem ſphæræ cæleſtis, etenim eſt ſphæra penitus à cœleſtibus diſtincta. Addo fieri poſſe, vt totũ moueatur, etiamſi centrum immobile ſtet, quod puncti rationem habet, quo ſenſu integra figuli rota iuxta ſe totam moueri dici poteſt.

20 ſoluitur

21 confutatur.

21 Terram Phyſicam, ſeu Chymicam proponit, ſed eam, vt pote Hermeticam hominibus melancholicis, Paracelſiſtis, & Fludiſtis relinquo, viderint imaginarij filij Hermetis, qui licet in ſuis aquis, ſalibus, oleis, pulueribus, aut ſpiritibus motum aliquem deprehenderent, attamen ille non arguet terræ motum: viderint illi hæretici Aſtronomi vnde Hermes ſuum illud (*ſic mundus creatus eſt*) hauſerit, & qui purum putumque Dei verbum ſequuntur, potiùs Dauidem verum Prophetam dicentem, *Qui fundauit teram ſuper ſtabilitatem ſuam*, &c. quàm fictum Hermetem audiant, & amplectantur.

22, & 23 ſoluitur.

Ad 22 dico primò nondum ſatis exploratum eſſe, num ſol ſit 5 allatorum planetarum centrum, ſed meritò quempiam habere poſſe, donec plurima ſæcula variis obſeruationibus illud verum eſſe confirmarint. 2 nego paritatem. Ad 23 dico motus omnes Lunæ ſufficienter per antiquas hypotheſes, vel alias nouas explicari poſſe, licet terræ ſtabilitatem retineamus.

24, & 25 ſoluitur.

In 24 plurima proponuntur, quæ longiori diſcuſſione indigeant, quapropter ſufficiat, quod id, vnde Copernicus ea demonſtrat, quæ referuntur in obiectione, falſum ſit. 25 Hermeticam philoſophiam extollit, cuius axioma relatum nego, neque enim punctum, quod eſt circuli centrum, peripheriæ quantitatem continet.

26, & 27 diſcutiun.

Vigeſimæſextæ obiectioni reſpondeant, qui Tychoni ſubſcribunt, nec enim eſt, quod motum, perigæum, & apogæum ♂ vocamus, prout illa conſtituit, nec ſatis multæ obſeruationes motum illum hucuſque confirmarunt. Duæ rationes ſuperſunt. Ad 27 aio mundum eſſe finitum, & tamen vltimam ſphæram moueri poſſe, tum quia eſt empyreum extra illam, tum quia ſufficit terra, vt illius reſpectu locum iuxta varios diuerſarum ſuperficiei partium aſpectus mutare dicatur. Iam verò ad Scripturæ loca accedamus.

28. & vltima confutatur.

Igitur 28 obiectio ſumitur ex Scripturis, & iam res eſt nobis cum viris non ſolùm hæreticis, ſed & Catholicis, enimuero Aſtunica loco cit. Copernicum, ſequitur fundamento nixus, quod iam refutauimus, videlicet quod omnia per terræ motum meliùs explicentur. Quod tametſi verum eſſet, minimè tamen falſis hypotheſibus niti debemus, niſi fortè ſoliùs exẽpli, vel animi gratia: qua ratione ſacra illuſtriſſimorũ Cardinalium congregatio non prohibuit terræ motum, adeout mihi liceret cœli difficultates exponere ſuppoſito terræ motu, dummodo is, qui explicat, clarè oſtendat ſe non illa hypotheſi, vt vera niti, ſed tantùm ex falſo principio procedere, vt rem meliùs aperiat, eo ferè modo quo Theologi plurima theologica explicãt, dum aiunt ſupponamus Deum non eſſe infinitum, vel iuſtum, & ſic de cæteris, vel quod idem eſt, ſi per impoſſibile Deus non eſſet infinitus, vel iuſtus &c. id vel illud ſequeretur. Hæc enim facultas homini conceſſa eſt, vt aliquas veritates eliciendas nonnunquam abſurda, vel impoſſibilia ſupponere valeat. Hac ergo ratione vnicuique licere arbitror, vt alteri phænomena cœleſtia per terræ motum explicet dicendo, ſi terra moueretur, vbi eam Copernicus ſtatuit intra ♂, & ♀, ſtatim ♂ eſſet à nobis remotior, ſtatim magis ad nos accederet, &c. Sed non licet tueri minorem, quam inde hæretici eliciunt, videlicet, ſed terra reuera per illum circulum mouetur, quia prædicta congregatio doctrinam iſtam, vt ſacræ Scripturæ contrariam eſſe docuit, vt iam nullis aliis demonſtrationibus vir Catholicus indigeat, quibus terræ mobilitatem conuellat, ſiquidem omni demonſtratione nobis Eccleſiæ Catholicæ decreta potiora eſſe debent, quanquam nondum hæreſeos ſententiam iſtam condemnarit, vt antea animaduertimus.

Supereſt, vt breuiter locum illum Iobi diſcutiamus, in quo non eſt ſermo de motu Copernicano, ſed tantùm de terræmotibus, quibus Deus omnipotentia ſua mortales à vitiis deterret; qua ratione id pſalm. 103 intelligi debet. *Qui reſpicit terram & facit eam tremere*, nec enim motu illo Copernicano nobis timorem incuteret, cùm ſit inſenſibilis. Hoc etiam ſenſu id Eccleſiaſt. 16 ſumendum eſt. *Commouebuntur montes ſimul & colles, & fundamenta terræ, cùm conſpexerit illa Deus, tremore concutientur*. Qui plura voluerit legat accuratum Iobi interpretem P. Iacobum Bolducum, vbi columnas terræ de minoribus montibus, vt Abyla in Africa, & Calpe in Europa duabus Herculis columnis, columnas verò cœli de montibus altiſſimis explicat. Huc referri poteſt, quòd Pauſanias in Atticis ait terræmotum eſſe iræ, ac vindictæ diuinæ nuntium: qui nonnunquam tantus eſt, vt montes non ſolũ concutiantur, vt Virg. 1. Georg. aduertit.

— *Inſolitis tremuerunt motibus Alpes*.

Sed etiam rumpantur, ſic enim apud Plin. l. 7. cap. 16 duo inter ſe concurrerunt montes, crepitu maximo aſſultantes, recedentéſque, quod ſine motu fundamentorum fieri nequit, vt lib. 2. cap. 83. ſcribit. Videantur Iul. obſequens cap. 11. Ariſtot. lib. de mundo cap. 4. & quæ priùs à nobis 2. 6 dicta ſunt. Notat verò Flaminius in argumento pſal. 17 cùm dicitur commotam fuiſſe terram id eſſe [illegible], qua Dauid, vt optimus orator, & vt credo, poëta vteretur ad impetum, & vim iræ diuinæ exprimẽdum, & amplificandum; qua ratione locum illum Eſaiæ, cœlum commouebo, & conquaſſabitur terra, D. Hieronymus explicat, vt ſanctus vates vehementiſſimam diuini numinis iram exaggeret. Alij per terram terrenos homines, per montes principes, & ſuperbos intelligunt. Vt vt ſit explicatio Didaci condemnata eſt, quam neque alij Iobi interpretes admittunt; quin potiùs illam, vt impiam confutant, vt apud Pinedam videre eſt, ex quibus conſtat nihil eſſe, quod à terræ ſtabilitate nos deterrere debeat, quicquid nonnulli Neoterici cum Heraclide Pontico, Ecphanto, Niceta, Ariſtarcho, & aliis Pythagoricis commiſcentur.

Pſalm.

Eccleſ.

Bolduc.

Pauſan.

Virgil.

Plin.

Flamin.

Hieron.

Alius

Alius Scripturæ locus non aliud concludit, quàm terræ motum, vel ipsos mortales, qui cùm Dei mirabilia viderent, commoti sunt, sic enim Dauid in illo psalm. 113, & in aliis plurimis, montes, & colles veluti tripudiantes prę lætitia, vel conturbatos per prosopopœiam, vel metaphoram nobis proponit, vnde quidam inferunt Psalmos poëticè conscriptos esse. Psal. 113.

3. Reg. 7. Minimè verò facit ad rem id quod ex 3. Reg. referunt, nam qui statuit, mare fusile 10 cubitorum à labio ad labiũ, eiusque resticulã illud per circuitũ cingentẽ 30 cubitorũ, ostendit quidẽ circunferentiã esse diametri-triplã, at minimè negat esse triplã sesquiseptimam, imo familiarissimum est, vt cum alicuius rei magnitudinem assignamus, minuscula negligamus, sic enim turrim centum pedes altam rectè quis dixerit, licet turris sit 100 pedes alta, & præterea 3. a. 4 digitos. Iam verò respondimus ad Ptolemaicas hypotheses, quas quidem sequi minimè tenemur, satis enim est, quòd aliis quibuspiam hypothesibus saltem probabilibus omnia phœnomena saluemus. Quod autem aiunt hæretici homines non repugnare Scripturæ sacræ hunc terræ motum; pero quis possit afferri clarius aduersus motum terræ, quàm dum in æternum stare dicitur Eccles. 1. Scio quidem eos respondere Scripturam sacram sese nostris sensibus accommodare, dum iuxta opiniones de stabilitate terræ, & motu solis, atque stellarum loquitur, vt videre est in eorum obiectionibus a. 4 relatis. Verùm sicut hæc solutio valet, vbi alioquin aliquod absurdum sequeretur, aut euidens ratio contradicere videtur, ita neque id temerè passim afferendum est, neque recipi debet vbi nulla necessitas cogit, neque quidquam infertur, quod rationi opponatur, vt reuera hîc nihil opponitur, quod nos ab immobilitate terræ recedere cogat. Sanè vix risum teneo, dum Lansbergium crassas Reip. Israël. opiniones obijcere audio, quasi verò non fuerint insignes Mathematici, qui templo ædificando præficerentur, & qui vix tam admirabile ædificium concipere, ne dicam perficere potuerint, nisi diuinæ lucis fulgor eis adfuerit. Eccles. 1

Superest illa confirmatio, qua videntur insinuare Congregationem Cardinalium, vel etiam summos Pontifices decipi posse, vt de facto in illo casu particulari deceptum volunt Zachariam Pontificem. Vbi duo nobis facienda sunt. Primò quidem nonnulla de authoritate Pontificis, & Cardinalium afferre possem, nisi longiùs progredi vererer, & nisi plurimi iam de huiuscemodi rebus accuratè egissent, vt Bellarminus, quem legere poteris, & alij. De congregatione Cardinaliũ, & Pōtifice.

Quapropter hîc satis fuerit, si dixerimus apud omnes verè Catholicos summi Pontificis authoritatẽ, atq; decreta maximum pondus habere; quod & de prædicta Congregatione asserendum est, quandoquidem omnes Cardinales sunt veluti Pōtificis consiliarij, eiusque fratres, sic enim Episcopos Cardinales non rarò vocat. Neque est quòd sacris illis purpuratis hæretici detrahant, quippequi non temerè, sed maturo consilio præuio, de difficultatibus, quæ tum circa fidem, tum circa Scripturam sacram occurrunt, inter se conferunt, atque decernunt, quorum eo maior est authoritas, quo magis à summo Pontifice Christi vicario confirmatur, pro cuius fide Christus orauit, dum ait. *Rogaui pro te, Petre, ne deficiat fides tua*, cui enim dubium est, quin Christus tempus futurum respiceret, in quo tam Petrus, quàm alij legitimi Christi vicarij vsque ad nostrum beatissimum Gregorium XV. nunc Ecclesiæ præfectum, & deinceps alij futuri gregem Catholicum pascerent, atque regerent.

Vt verò propiùs ad obiectionem accedamus, primò quidem Auentinus ille nō est tantæ authoritatis, vt ei fidem habeamus; præsertim cùm diligentissimus Baronius, qui ipsam epistolam Zachariæ refert, quam ad Bonifacium scripsit, non loquatur de Antipodibus, sic enim habet Pontifex. *De peruersa autem doctrina, quam contra Dominum, & animam suam locutus est, quod scilicet alius mundus, & alij homines sub terra sint, aliusque Sol, & Luna, si conuictus fuerit ita confiteri; hunc, accito Concilio, ab Ecclesia pelle sacerdotij honore priuatum. Sed & nos scribentes prædicto duci, euocatorias de prænominato Virgilio mittimus litteras, vt nobis præsentatus, & subtili indagatione requisitus, si erroneus fuerit inuentus, canonicis decretis condemnetur. Qui enim seminant dolores, metunt eos. Pro Sidonio autem, & Virgilio supradicto presbyteris, quod scripsit sanctitas tua, agnouimus. Et illis quidem (vt decebat) comminando scripsimus: tuæ autem fraternitati credulitas plusquàm ipsis admittetur. Si autem Deo placuerit, vita comitante, ad sedem Apostolicam eos missis literis (vt prælatum est) euocabimus. Docuisti enim eos, & non susceperunt*, &c. Auentinum verò satis arguit epistola Zachariæ, qui negat se Virgilio permisisse, vt Episcopi defuncti locum acciperet; sic enim habet. *Intimatum est etiam à sanctitate tua, quòd Virgilius ille (nescimus si dicatur presbyter) malignatus aduersum te, eo quòd arguebatur à te erroneus esse à Catholica doctrina, seminaret odium inter te, & Otilonem ducem Boioariorum, dicens quòd à nobis accepisset licentiam, vt vnius defuncti ex 4 illis Episcopis, quos tua illic ordinauit fraternitas, diœcesim obtineret, Quod nequaquam verum est, quia mentita est iniquitas sibi.* Ex quibus patet Virgilium tunc saltem Episcopum non fuisse, vt perperam Auentinus asseruerat. Itaque cauendum est ab eiuscemodi autoribus, qui vel hęretici fuêre, vel schismaticis fauerunt, vt optimè notauit Index Expurgatorius Bernard. de Sandoüal cùm ait. *Memineris lector Auentinum plus nimio fauentem schismaticis parum integra fide res Romanorum Pontificum prodere: vt difficile fuerit omnia in hoc genere expunxisse, proinde cautè legendum.* Quibus præmissis dico Zachariam non expresè condemnasse Virgilij sententiam, quod Antipodas illos, quos esse fatemur, induceret, sed quia plures mundos assignaret, cùm sit vnicus. An verò sit de fide quod sit vnicus, vel an sit hæresis plures mundos astruere infrà cap. 2 Deo volente discutiemus. Itaque nego Pontificem Antipodarum opinionem, vt hæreticam reprobasse, qui licet, vt Doctor singularis, & vt præcisè spectatur ab officio Pontificis separatus errare posset, non tamen vt pontifex in iis pręsertim rebus, quæ spectant ad fidem, dum videlicet ex cathedra loquitur. Quid sit autem ex cathedra loqui Pontificẽ, quæque requirantur, vt pōtifex decernat vt pontifex, non est hic dicendi locus. Consulantur Theologi tract. de fide, & Pontifice. Quod ad alios Doctores attinet, fateor in quibusdam philosophiæ sententiis errare posse, cùm enim magis rebus diuinis, quàm terrestribus intendant, facilè communem, receptam Mathematicorum, aut Philosophorum sententiam sequuntur. Ideoque ne mireris si D. August. Lactant. & alij non admiserint Antipodas, cùm ne-

Auentin. Baron. Bonifac. Epistola Zachariæ Pontificis. Otilo. Index Expurg. de Auentino.

que Ptolemeus illos agnouerit. Adde quòd patres non ſoleant dogmaticè loqui, dum aliquid philoſophicum aſſerunt,& ideo non tenemur illos eatenus ſequi, inter quos plurimi Platonicorum opiniones ſecuti ſunt.

Vt autem libens quod ſentio fatear, non exiſtimo Pontificem, illam Virgilij opinionem ex cathedra damnaſſe, maximè ſi Doctorū illorum opinionem ſequamur, qui ſigna referunt, vt ex ea locutum eſſe diiudicemus, quando affirmantes contrarium anathemate ferit, vel cùm rem, quàm definit, toti Eccleſiæ acceptandam proponit, vel cùm ait ſe ex conſilio fratrum definire, tunc enim illa definitio à ſede Apoſtolica oriri dicitur, alioquin ſignum eſſe volunt non fuiſſe locutum, vt iudicem, & ſummum Pontificem, licet iuri Canonico id inferat, etenim vt ait Alphon. à Caſtro, ſi aliquid, quo ſignificetur fideles omnes ita debere credere, decreto nō apponatur, ſignum eſt eum vt particularem Doctorem locutum eſſe. At in epiſtola præcedenti nullum ſignum apertum video, quòd vt Pontifex locutus fuerit. Verùm quidquid ſit, licet condemnādo varios mundos, vt Doctor particularis locutus fuiſſet, nunquam tamen aduerſus illam ſententiam agendum eſt, vt poſtea dicemus. Placet autem pulcherrimam D. Auguſtini ſententiam hîc referre ex 4. de doctr. Chriſt. c. 17. *Tanta, inquit, vis eſt Cathedræ, vt cogat bene dicere malè ſentientem.*

Quando ex Cathedra [illegible]

Auguſt.

Concludamus igitur terram non moueri motu [Greek: illegible], vel etiā annuo, ſed perpetuò quieſcere, & immobilem eſſe, cùm enim motus ſit à calore, terra verò frigidiſſima ſit, neceſſe eſt eam immobilem eſſe, maximè cum ſit materiæ ſimilis, quæ ex ſe motum non habet, formæ enim motus competit. Hinc fit vt elementa cætera terram ambiant, acſi omnia mundi centrum inquirerent, non autem ſingula diſtinctum centrum habeant, vt perperam Copernicus ait. Fruſtra igitur mundum ouo conferunt, in cuius centro luteum, ſeu vitellum cæterarum oui partium calidiſſimum ſoli, albuginem vitello incubantem aquæ,& veluti Mercurio, genituram ex aqueo humore,& æthereo aëre compoſitam aëri,& Veneri, denique teſtam frigidam & ſiccam terræ comparant; quibus inferre contendunt ſolem eſſe in medio mundi, ſicut cor in animali, vt locum centri Iouis carcerem, iuxta Pythagor. apud Ariſt. 2. de cœl. appellitent.

Mūdus ouo cōparatur.

Verùm quàm malè hæc inferantur ex eodem ouo conſtat, etenim ſi teſta oſtenderet terram in parte mundi ſuperiore conſtituendam eſſe, ipſum firmamentum ei ſubijci deberet, quod tamen nunquam Copernicani fatebuntur, niſi penitus deſipiant,& ſuæ ſtultiſſimæ de terræ nobilitate opinioni inſaniæ illius colophonem imponant. Et quidem ſtabilitas terræ adeò vera eſt, vt etiam illi, qui magiæ fundamenta ſtatuunt,& Ariſtotelem paſſim confutant, liberè fateantur terram immobilem eſſe, cùm frigus ei conueniens quietè viuat, inquiunt, & calor à cœlis oriundus quietè torpeat, & extinguatur, motu verò ſeruetur; cœlum etiam tenuiſſimum ſit, terra denſiſſima, at tenuitas ad motum, denſitas ad quietem apta eſt. Igitur non erat quòd hæretici tantopere laborarent in terræ ſtabilitate conuellenda, quæ ſtat in æternum, neque propter illorum opiniones inclinabitur in ſæculum ſæculi. Quod cùm videret Origanus, noluit ei motum Copernicanum tribuere, ſed tantùm, vt ſuper axe mundi moueretur, quod ſanè tam frigidè probat, vt quiſpiam eum titubare iudicauerit, niſi leuiſſimas coniectiunculas pro demōſtrationibus ſe poſſe aſſumere crediderit; enimuero licet ex [Greek: illegible] minimè demonſtrare poſſimus terram quieſcere, & terra rotunda ſit, atque adeò acutiſſimo angulo ſubiectum ei tangere videatur, attamen de cœlis idem dici poteſt, quippe qui rotundi ſunt, nec [Greek: illegible] illorum motui repugnet, quin potiùs maximè fauet.

Ariſtot.

Quod terra ſit ſtabilis, probatur.

Nihil magis probat authoritate alterius hæretici, qui ſe quibuſdam magnetis experientijs, quem μικρόγην, ſeu terellam vocat, motum terræ probaſſe arbitratus eſt, licet enim acus magneti impoſita quoſdam circulos terrenis, atque cœleſtibus ſimiles denotaret, minimè tamen inde concludi debet terram eſſe mobilem, ſed ad ſummum magnetem aliquam cum terra, vel cœlis analogiam habere. Hinc etiam non benè inferunt lapides,& alias terræ partes ideo ad terram recurrere, quòd ſua virtute magnetica tellus partes illas ad ſe retrahat, vel quod ipſæ virtute magnetica ſibi indita, non autem ob grauitatem ad centrum pergant, quandoquidem omnes experientiæ demonſtrant illius motus cauſam eſſe grauitatem. Viderint Hiſpani, ſi verum eſt quod Orig. ait ex Luſitania in Americam pergentes à mari iuuari, redeuntes verò in Luſitaniam retardari ob maris motum, inquit, qui à terra feratur ab Occidente in Orientem, vt Columbus,& alij ex Hiſpania in Americam ſpatio ferè 14 dierum traiecerint, cùm in reditu vltra 3. menſes inſumere coacti ſint; quod tametſi verum eſſet, facilè ſolueretur ex varijs æſtibus maris, quibus non ſolùm illi nautæ retardantur, qui ab Oriente veniunt in Occidentem, ſed & ij, qui ab Occidente pergunt in Orientem; adde quòd mare poſſit ab Occidente moueri in Orientem, licet terra ſtabilis fuerit.

Quod ſi Copernicani cōſiderauerint Deum Opt. Max. cœlis motum indidiſſe, vt nobis inſeruiret, facilè concedēt, quod alioquin [Greek: illegible], vel improbabile exiſtimant, nempe ☽ à terra per 60 ferè ſemidiametros diſtantem motu raptus 13 gradus, ac proinde 13515 milliaria, ſolem ab eadem terra per 1150 ſeparatum, eámque 140 ſuperantem 259024 milliaria, & ſtellam aliquam fixam, qualis eſt ſuprema in cingulo Orionis, quæ ſaltem tricies terræ magnitudinem ſuperat, eſtque ſecundæ magnitudinis, à nobis per ſemidiametros 20000 diſtantem 4504762 milliaria, eàque Germanica conficere,& in vno horæ minuto 75079 milliaria peragrare, quæ vix poſſet aliquis quotidie dena milliaria perambulans 103 annis complere, facilè, inquam iſta concedent, potiùs quàm vt terra per 225 milliaria Germanica ſub Æquatore ſingulis horis vel, vt Cæſar la Galla notat c. 7. de Phænomenis, 917 Italica conficiat, quod ſanè admirabilem Dei prouidentiam erga homines maximè commendat. Si quæ ſuperfuerint, dici poterunt, vbi de motu ſolis agetur.

Cæſar la Galla.

VERSVS XI.

VERSICVLVS XI.

Et ait, Germinet terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum, cuius semen sit in semetipso super terram. Et factum est ita.

וַיֹּאמֶר אֱלֹהִים תַּדְשֵׁא הָאָרֶץ דֶּשֶׁא עֵשֶׂב מַזְרִיעַ זֶרַע עֵץ פְּרִי עֹשֶׂה פְּרִי
לְמִינוֹ אֲשֶׁר זַרְעוֹ בוֹ עַל הָאָרֶץ וַיְהִי כֵן׃

Καὶ εἶπεν ὁ θεός, βλαστησάτω ἡ γῆ βοτάνην χόρτου σπεῖρον σπέρμα κατὰ γένος καὶ καθ' ὁμοιότητα, καὶ ξύλον κάρπιμον ποιοῦν καρπόν, οὗ τὸ σπέρμα αὐτοῦ ἐν αὐτῷ κατὰ γένος ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ ἐγένετο οὕτως.

HÆc est prima pars vndecimi versiculi, in qua parum inter se Latinus, Græcus, & Hebraicus textus differunt; Iam verò creaturis Deus vt instrumentis ad ea quæ placet efficienda vtitur, iam animalibus suggeruntur herbæ, quibus famē atque sitim expleant. Multæ se difficultates objiciunt, an actiuè terra ad hanc primam productionem concurrerit, an etiam herbæ, quæ nobis inutiles, & pernitiosæ, videntur, productæ fuerint, an omnis herba semen habeat; an sine vllo semine terra pluuijs adiuta herbas aliquas, & quásnā producere valeat. &c. sed priùs discutienda sunt, quæ circa textum obseruari debent. Imprimis autem aduerto hîc 2. nomina inter se cognata nempè דֶּשֶׁא dese & עֵשֶׂב, quorum primum significat herbam, sed in ipso ortu, dum erumpit, germen dicimus, at secundum eandem significat iam grandiorem, vnde verbum דָּשָׁא dasa à prima voce deriuatur, vt sit sensus, terra germinet, atque pullulet germen herbæ, seu recentem, ac teneriusculam herbam, id enim primum nomen significare Nachmannni, & R. D. Kimki testatur, quod etiam de arboribus intelligitur; quidam verò עֵשֶׂב hesef adiectiuè virentem, alij substantiuè, hoc modo, *germinet terra gramen, & herbam,* explicant, vt ex more linguæ Hebraicæ, ו particula copulatiua supplenda sit, sic enim Habac. 3. subauditur שמש ירח, *Sol Luna,* pro *Sol & Luna steit &c.* Verbum autem תדשא tadse non tantùm præsentem productionem, sed vim producendi à Deo inditam vsque hodie perseuerantem significare videtur; herbam etiam maturam cum semine secunda dictio *hesef* designat, quibus innuitur terram vim producendi, & perducendi ad maturitatem hoc Dei iussu, atque dono obtinuisse, sicut & per sequentia verba vis est ingenita plātis, & herbis, vt semen ferant ad posteritatem naturæ seruandam, Græcis verò herba non tantùm βοτάνη, sed etiam χόρτος fœnum, seu gramen, πόα, χλόη, & ἄγρωστις dicitur, sic enim דשא dese septuaginta duo Interpr. pro diuersis locis verterunt, præterea עשב heseb vertunt χόρτασμα, παμβότανον, χλωρός. Placet autem quod hîc Eugubinus annotat, posse dici, *herbificet*, pro *germinet*, sicut & מזריע זרע *Mazriah zerah seminificans semen*, sicut & inferiùs habetur *tetse* תוצא protulit, idest faciat exire,

Discutitur Dese, & Heseb.

Nachman.
R Kimhi.

Habac. 3.

Nomina quibus herba vocatur.

Eugubin.

quæ & alia infinita, inquit, prudentissimè noster Hieronymus, latinæ phrasi accommodauit, quod & 70. fecerunt in lingua Græca. Hoc autem verbum secundum est à radice זרע Zarah, quod significat semen proiecit, vnde זֶרַע zerah sementum, nucleus, granum: quæ sequuntur, ad arbores pertinere videntur, עץ hets enim significat lignum tam aridum, quàm viride, siue arborem, aut lignum succisum, estque generale nomen ad omnia ligna, arbusta, & fructices quorum caulis ramos ex caudice produxit, vertitúrque à 70. Interpr. ξύλον ξυλάριον, παιδα ξ δένδρον, δρῦς ἐκλεκτός, φυλή, idest tribus, & σκῆπτρον. Additur פרי peri quod fructum terræ, arboris, & animalis significat, vnde fieri potuit verbum pario. Significet etiam mercedem, est enim fructus laboris, vertúntque 70. diuersimodè etenim legitur, Isai. 27. ver. 9. εὐλογία, seu benedictio, alibi verò κλῆμα palmes, ἔκγονον fœtus, γένημα, ὀπώρινον καρπός &c. cuius radix est פָּרָה para fructificauit, seu creuit. Quod sequitur, multa significata habet, quæ omnia per, *fecit* resolui posse videntur; nempè עשה hesch, à *hasah*, idest fecit, quod extenditur ad omnem effectionem, qua vel realiter, vel ornatè existit, vel statum pristinum mutat, vnde Pagninus vertit, parare, frangere, comprimere, congregare; Septuaginta verò multifariam interpretantur, vt iam aduersarios quosdam Hebraismis additos irridere possimus, qui vulgatam editionem, vt erroneam, atque mendosam carpunt, inter quos non solùm inimicos, sed & domesticos fidei comprehendere possis, qualis est Georgius in suis problemat. vt sæpiùs ostendimus: placet autem referre diuersos modos, quibus hoc verbum 70. vertunt: & quidem primò sæpiùs per verbum ποιέω explicant, vt nos per facio, deinde per ἀποτελέω, ἐξαποιέω, σκευάζω, πλάσσω, ἑτοιμάζω, ἐργάζομαι, κατεργάζομαι, γίνομαι, ἐπιγίνομαι, τίθημι, ἐπιτίθημι, κτίζω, κατασκευάζω, πλέω, ἐπιπλέω, συντελέω, πληρόω, κτάομαι, χράομαι, δαπανάω, ἀποβαίνω, συμβαίνω, μιμέομαι, ποιμαίνω, φέρω, ἀναφέρω, περιφέρω, συνάγω, ἀπολείπω, περιλαμβάνω, ἁμαρτάνω, πλύνω, οἰκοδομέω, φυλάσσω, θεραπεύω, ἀσφαλίζω, ἀνακλίνω, ἐπιτελέω, γλύφω, ἐγχρίω, ἀνατρέφω, τηρέω, ἐλαύνω, μεταμελέω, βοηθέω, τίνω, τρέφω, δίδωμι, κόπτω, ἄγω, παιδεύω, ποιέω, ἀγαπάω. Quod quidem stupere mihi dignissimum

עץ.

Isai. 27.

עשה hose significat tantum, quantū 54 verba Græca, & 50. Latina.

videtur, vt Septuag. vnicum verbum Hebraicum per quinquaginta quatuor verba distincta, fuerint interpretati, quibus verba latina sequenti ordine respódere possũt; *facio, contra facio, efficio, acquiro, ago, formo, paro, operor, fio, benefio, pono, impono, creo, appareo, perficio, possideo, vtor, perdo, accido, contingo, curo, contexo, fero, offero, affero, custodio, addecimo, accipio, pecco, impleo, ædifico, loquor, æmulor, circumspicio, recito, cælo, exsculpo, auerto, scortor, misereor, pœnitet me, auxilior, sum, affligo, do, cædo, erro, firmo, amo, intelligo.*

Nec est omittendum nomen Hesau עשו, ab illo verbo עשה hasah procedere, quia cùm nasceretur factus fuit, id est instar pueri multorum annorum pilis perfectus fuit. Denique מין *min* conditionem, qua res vna ab alia distinguitur, genus, speciem, atque similitudinem significat; ex quibus satis apparet, quàm varias explicationes Scriptura patiatur, nec certè veram scire possemus, nisi ab Ecclesia diuinitus edocta & inspirata doceremur, & in alienas à Spiritus sancti mente sententias facilè nos abripi sineremus; hactenus de textu, iam verò ad solita problemata gradum faciamus.

PROBLEMA LVII.

1 CVr *Deus germina ante solem produxit, cùm sol ad plantarum generationem naturaliter concurrere debeat, cùr ue die tertio?* Nonne vt homines ab errore, & idololatriâ auerteret, ne videlicet solem tanquam viuendi causam adorarent, dum cernerent plantas ante solem productas esse, vt elegáter edisserit D. Basil. hom. 5. D. Ambr. 3. hex. c. 6. D. Chrysost. hom. 5. & 6. in Genes. Theophil. l. 2. ad Autolyc. & Procop. c. 3. comment. in Genes. (Basil. Chrysost.)

2 An quia cùm sint ornamenta terræ, ab eius origine seiungi non debuerunt? vt S. Aug. 2. de gen. ad lit. c. 11. & de gen. imperf. c. 11. vt herbarum productio veluti quædam terræ formatio posita sit, quia fixę radicibus terræ nectuntur, inquit D. Thom. 1. p. q. 69. a. 2. ad 1. nec tamen stellæ productæ sunt eodem die quo firmamentum, quia tametsi dicantur ei infixę, non tamen oriuntur ab eo, imo nec ei infixæ sunt, sed motu proprio mouentur, si tamen moueantur. (August. D.Thom.)

3 An vt eodem die Deus inanitatem terræ, atque vacuitatem duas imperfectiones tolleret? quippe qui terram aquis detexit, vt visibilis esset, ac plantis ornauit, vt non ampliùs incomposita remaneret, vt D. Ambr. l. 3. c. 6. & post eum D. Thom. q. 69. a. 2. putant. (D.Thom.)

An vt subtilis Caietanus ait, hac die plantæ creatæ sunt, quòd tertiæ diei materia sit illud omne, quod simplici gradu vegetatiuo, & corporali constat, itaut vniuersum iuxta perfectionem, quam habet ex motibus alterationis, generationis, & augmenti vsque ad infimum gradum viuétium inclusiuè diei tertiæ materiam suggerat. 4 (Caiet.)

An quia ordo naturæ postulabat, vt post secessionem maris, herbæ terram vestirent? ea propter enim terra defecta est, adeout germinatio terræ, secessionis illius finis, atque ratio fuerit, vt Eugubin. in Cosm. & Viel. lect. 16. notarunt. 5 (Eugub.)

An productæ fuerunt, vt cùm animalia creata essent, pabulum paratum inuenirent? vt post D. Basil. Ambros. l. 3. c. 7. explicat. iuxta Psal. 103. qui producit iumentis fœnum. 6 (Psal. 103.)

PROBLEMA LVIII.

QV*a virtute germinauit terra, & plantas omnigenas tam citò, momentanea scilicet actione produxit?*

1. An id maximo solis ardore terram velut exsuscitante factum est? vt Eugubin. in Cosm. insinuare videtur, vbi solem primo die creatum censet, quo iam aliqua resolutio aquarum facta est, die secunda terræ magis aruerunt; tertia denique ex his arefactis tametsi adhuc humentibus omne genus stirpium exortum est. (Eugub.)

2 An potiùs solo Dei verbo, velut agente causa factum est? sic enim D. Basil. hom. 5. Ambr. l. 3. c. 6. Chrysost. hom. 5. D. Thom. 1. p. q. 71. a. 1. & cæteri Patres. (Basil D.Thom.)

3. An præter Dei verbum ipsa terra, vt actiua causa, saltem instrumentalis concurrit? ad quid enim Deus dixisset *germinet terra*, potiùs quàm *fiant germina, aut plantæ*, prout dixerat, *fiat lux*, nisi terra concurrisset?

An fortè dixit *germinet*, quòd illam perennem producendi vim ei contulerit, quam etiam nunc retinet? 4. quamque tempore suo non totam simul, vt hodie, sed pedetentim deinceps terra exereret; & quidem certum est Deum hac die talem vim terræ indidisse, quam semper retinet. Attamen nisi Deus virtute terræ obedientiali vsus fuerit, non video, qua ratione potuerit omnes arbores, & frutices cum fructibus suis terra momento producere, & id enim est supra vires naturæ solitas, vt satis constat.

PROBLEMA LIX.

1 AN *hac die non tantùm vtiles, sed etiam noxiæ plantæ productæ sunt, & cur spinæ, & venenosæ herbæ creatæ sint?* An omnes etiam exitiales, cum fruméto cicuta, cum esculétis helleborũ, aconitũ, mandragora, atq; papauer, cæteræq; exitiales ortæ sunt spinis tamen, & tribulis exceptis, sine quibus rosa tunc nasceretur? vt post D. Basil. Ambr. l. 3. c. 9. & 11. putat. (Basil.)

An etiam terra plantis exitialibus, sicut & spinis caruit, antequã peccaret homo? vt D. Aug. de gen. contr. Manich. l. 1. c. 13. & Rupert. l. 1. in gen. c. 37. edisserit. 2. (August. Rupert.)

An, vt idem Aug. 3. de gen. ad lit. c. 18. quaslibet herbas, & arbores tam inutiles, quàm fructuosas, tam noxias, quàm spinas, & tribulos, 3. hac

August. hac die terra produxit? Idemque habet dialog. 65.
q. 58. si tamen liber hic sit D. August. quod Loua-
nienses Theologi negant. eiusdem est sententiæ
D. Thom. Eucherius 1 comment. in Genes. & D. Thom. q. 69.
4. a. 2. ad 1. An omnes quidem productæ sunt, ita
tamen, vt ante peccatum ad hominis delectatio-
nem, postea verò ad pœnam, & laborem nasceren-
tur, & tunc quidem admodum paucæ, & rarò, nũc
verò plurimæ, idque sæpenumero? Sed cur illæ
innoxiæ natæ sunt? An vt nulla species mundo de-
5. esset? vt D. Ambr. suprà, & D. August. 1. contr. Ma-
August. nich. c. 16 habet; sic enim vniuersi complementum
6. postulare videbatur. An quia id præfigurabat fu-
turum, vt in orbe terrarum mala cum bonis misce-
Ambros. rentur? vt vult suprà D. Ambr. An vt noxiarum,
7. & vtilium vires discernentes, earúmque naturam
Basil. inuestigantes ingenium, atque iudicium exercea-
8. mus? vt post D. Basil. Ambr. suprà differit. An quia
multimodam vtilitatem hominibus afferunt? vt
D. Chrysost. homil. in Psal. 48, & D. Ambr. l. 3. c. 13. Chrys.
probant; nunquid enim arbores infrugiferæ ad æ- Ambros.
dificia, nunquid lethales herbæ sæpiùs ad medica-
menta conferunt? nunquid saltem animalibus pro-
sunt ad pabulum? nunquid hominum rabies opio
sedatur? nunquid cicuta prodest infectis lepra, &
helleborum ortycas sanat? vt Procop. aduertit. Procop.
An ideo creatæ sunt, vt nobis essent ad pœnam 9.
propter peccata, & ad exercitationem? vt D. Aug. August.
concedit 1. contr. Manich. cap. 13. An etiam vt nos
admoneant, ne arbores infructuosæ, & noxiæ e- 10.
uadamus? vt idem asserit, sic omnes dici possunt fa-
cere fructum, in quantum plura commoda nobis
reddunt, nam præter medicamenta, quæ compo-
nunt, vel ad insignia victoriæ, vel ad vinciendum,
figuras imprimendas, vmbram præstandam, be-
stiarum pabulum, ignem conseruandum, terram
exornandam, naues construendas, & alios vsus
deseruiunt.

PROBLEMA LX.

1. *Quomodo mysticè potest intelligi: Germinet terra*
Synait. *herbam virentem, & lignum pomiferum?* An
(vt à Synaita 2. comment. in hex. sumamus initium)
significatur Ecclesia, quæ fideles simplices, & eru-
ditos Apostolos verbum Dei, vt semen effunden-
tes produxit? vel Catechumenos, & perfectos
D. August. Christianos, vt D. Aug. serm. 134 de tempore scri-
2. psit. An id dicitur, quòd simpliciorem doctrinæ
Syn. fructum pro imperfectis, lignum verò solidũ pro
perfectis proferat? ita idem Synaita. An quia caro
3. Christi arida per passionem herbam virescentem,
idest spem veniæ, & lignum fructiferum, idest sa-
tisfactionum nostrarum meritum protulit? vt As-
4. canius latè differit. An quia germinauit eadem ca-
Anastas. ro dotes gloriosi corporis, & immortalitatem? vt
innuit Anastasius l. 3. An hanc aridę terrę virtutem
5. indidit, vt id resurrectionis futuræ monumentum
Theoph. esset? vt Theophilus 2 ad Autolyc. habet. An quia
6. nos pascere, atque protegere debebat Ecclesia, in-
Gregor. quit D. Greg. 19 mor. c. 15. An Deipara significari
7. potest, quæ sanguines purissimos protulit, & Chri-
stum lignum vitæ vt Ascan. habet. An vt homo
8. fructus vberes bonorum operum semina produ-
centes faciat, vt latè differit Orig. hom. 1. in Genes.
Orig.
An vt charitas proximi non tantùm commisera-
tionem, sed etiam auxilium secũdum genus suum,
ex sui consideratione proferat? vt pulchrè D. Greg.
6 mor. c 16 docet, iuxta id Math. 7. *Quæ vultis, vt* 9.
vobis faciant homines, & vos eadem facite illis, & Iob. Greg. Math 7.
5. *Visitans speciem tuam non peccabis.* Nunquid Iob. 5.
optimè Hugo Carensis animam ait significari, quæ 10.
non tantùm sancta desideria, sed etiam opera bona
producere debet, iuxta id Math. 5 *luceat lux vestra*;
in idem recidit, vt cor vota sancta, & inconcussa
proposita, vt S. Nyssen. orat. 1. de resur. Christi ha- Math 5.
bet, & caro nostra sensuum honestatem, atque
bona exercitia proferat, vt Lyran censet.
An semen bonarum cogitationum, & operum
est meritum perennis beatitudinis? vt explicat As- Lyra.
can. quod sit in semetipso, adeout testimonium sit 11.
in propria conscientia, illęque iuxta genus suum
producat, qui in labore pœnitentiæ viuit, inquit
Hugo. Hugo.
Nunquid terra protulit quascunque potuit her-
bas, & quoslibet fructus, vt homo quæcunq; bona 12.
posset agere, illico perficeret? vt Lusitanus insi- Lusit.
nuat.

PROBLEMA LXI.

1. *Qvam vtilitatem ex eo percipere possumus, quod*
terra plantas, quæ semen haberent vnaquæque
iuxta genus suum produxerit? Nunquid, vt hominẽ
puderet, si Deo non redderet fructum suum, cùm
ipsa terra nobis vsurarum cumulo multiplicatum
reddat, quod accepit, adeout si temporis inclemẽ-
tia aduersata fuerit, vt vno anno non soluat, alio
anno superioris anni damna compenset, ita enim
Ambros. fidelis manet, inquit D. Ambr. l. 3. cap. 8, vt nullum
vnquam dispendium suo inferat creditori; vtinam
2. sic agerent homines. An per illas plantas herbás-
que virentes rerum humanarum imbecillitatem
Isai. 40. Deus nobis inculcare voluit? iuxta id Isai. 40. *om-*
nis caro fœnum, hominis enim *dies, vt vmbra prete-*
reunt. Psal. 143. *qui fugit velut vmbra.* Iob. 14. vi-
deatur elegantissimus Basil. hom. 5. An vt se- Psal. 143. Basil.
cundum genus nostrum, quo ad Dei imaginem fa-
cti sumus, non, verò secundum hominem carna- 3.
lem, & terrenum operemur? quod D. Ambros. c. 7
suprà narrat. An etiam vt ex arborum, & herbarũ Ambr.
varia consideratione ad mores corrigendos, atque
reformandos induceremur? vt D. Basil. & Ambr. 4.
c. 13. explicant; sic enim folia fructus arborum cõ- Basil. Ambr.
tegentia monebant D. Ambr. c. 14, vt protectionis
diuinæ recordaretur, quod pulchrè differit. An vt
actionum sanctarum plura genera fructuum di- 5.
uersitas ostenderet, vt hom. 5. D. Basil. & D. Ambr. Basil.
insinuant, & hinc etiam rosæ spinis vallatæ indicãt Ambr.

non esse prosperitatem, sine aduersitate, inquit idem Ambros.cap.11.& cultus vitis nos hortari videtur, vt vitam nostram excolamus, quod egregiè persequitur D.Basil. supra. & D. Ambr. luculentissimè cap.12. & pinus quæ detrūcata, aut vsta flāmis in quercetа vertitur, vt notat D. Basil. exemplum est carnalis vitæ in spiritualem immutandæ: addit punica mala, & amygdala cuneo pini per mediam punici mali, aut amygdali adacto punicas acidas, & amygdalas amaras dulcescere; mala verò punica simulachrum Ecclesiæ facit Ambros. c. 13. Basil. verò facit oliuam perfecti Christiani exemplar.

6. An palma, & ficus ostendunt, nos etiam virtutum imitationem à gentilibus, & hæreticis sumere posse, & debere? vt clarè D.Basil.edisserit, sic enim caprifici grossus tametsi acida ficuū imbecillitati medetur, & caprificus prope ficeta si ponatur, fici fructus citiùs maturescunt. De palma Eucherius disserit, quem refert Ascanius, qui iustis palmam, laurum pœnitentibus, cedrum sanctificatis, monialibus Massilicum malum, quercum principibus malis, populum hypocritæ, prudentibus morum, ficum mortificatis, mansuetis oleam, lilium pudicitiæ, amaranthum perseuerantiæ, narcissum imbecillitati iuuenum comparat. Eucher. Ascan.

An diuersitas florum, germinum, fructuum, saporum, odorum ex eodem aquæ humore proficiscens, diuersitatem gratiarum Spiritussancti demonstrat? vt post D. Ambros.cap.15 Ascanius explicat, & c.17 vitore germinum tam diuerso varios piorum in innocentia status cum D.Basil.hom.5. vbi succinum facit malæ consuetudinis symbolum, aperit. Denique nihil est in plantis quod ad Dei gloriam, & animæ salutem iustus conuertere non valeat. 7.

PROBLEMA LXII.

QVomodo factum est, vt iuxta speciem suam, seu genus suum, cuius semen esset in seipso, vnūquodque faciens fructum produxerit terra? An quia
1. semen vnicuique datum est non tantùm, vt ex diuersis seminibus diuersas plantarum species agnoscamus, verū etiam, vt quantum possunt, speciem suam propagent, eaq; ratione se perpetuent? quapropter non illud de luce, aut cœlo dictum est, vt
D.August. notat D. Aug.de Gen.imperf.cap.11. neque de cæteris rebus, quæ saltem ex omni parte minimè corrumpuntur.

2. Nunquid omnes plantæ semen habent vel in radice, vel ramis, vel in fructu, vt patet in populis nigris, salicibus, vlmis, populis albis, & alijs, vt D.
Basil. Basil.habet, qui granulum, quod frondibus subter inhærescit, vocat mischum, μχόν. An omnia sua 3.
semina habent super terram, id est circa terram, vel paulo subter in radice, vel desuper in folijs, fructibus, aut stipite? nihil enim refert, inquit, D.Th. Basil.
q.69. a. 2.

An dicitur factum est ita, vt sciamus mox ter- 4.
ram Deo paruisse? An factum est causaliter, vt 5.
terra proferret actu, vel collatæ sunt vires productrices internè, vt produceret externe? vt habet
Caiet. in Gen. An ita dictum est, vt hîc etiam Tri- 6.
nitas insinuaretur in verbo, in substantia, & perseuerantia, vt vult Ruper.l.1.c.35. scribitur enim, Rupert.
dixit Deus, cuius dixisse, fecisse est, secundò, *factum est ita*, Postremò, *& protulit terra*, &c. quæ habentur in 12 versiculo, qui sequitur.

VERSICVLVS XII.

Et protulit terræ herbam virentem, & facientem semen iuxta genus suum, lignumque faciens fructum, & habens vnumquodque sementem secundum speciem suam. Et vidit Deus quod esset bonum.

VERSICVLVS XIII.

Et factum est vespere, & mane, dies tertius.

וַתּוֹצֵא הָאָרֶץ דֶּשֶׁא עֵשֶׂב מַזְרִיעַ זֶרַע לְמִינֵהוּ וְעֵץ עֹשֶׂה־פְּרִי
אֲשֶׁר זַרְעוֹ־בוֹ לְמִינֵהוּ וַיַּרְא אֱלֹהִים כִּי־טוֹב׃
וַיְהִי־עֶרֶב וַיְהִי־בֹקֶר יוֹם׃

Καὶ ἐξήνεγκεν ἡ γῆ βοτάνην χόρτου σπεῖρον σπέρμα κατ' γένος καὶ καθ' ὁμοιότητα, καὶ ξύλον
κάρπιμον ποιοῦν καρπόν. οὗ τὸ σπέρμα αὐτοῦ ἐν αὐτῷ καθ' γένος ἐπὶ τῆς γῆς.
καὶ εἶδεν ὁ θεὸς ὅτι καλόν.
Καὶ ἐγένετο ἑσπέρα καὶ ἐγένετο πρωΐ, ἡμέρα τρίτη

CVm hic 12 Versiculus nihil noui contineat preter ea, quę superiori dicta sunt, sed ea tantummodò repetat, atque confirmet, non est, quod textum hebraicum, aut græcum discutiamus: Imposterum

posterum ergo terra nunquã ampliùs horrida nobis apparebit, sed floribus, fructibus, atque plantis suis omnigenis ornata, velut hortus pulcherrimus, in quo mare flumina fontesque mittat, quorum suauissimo murmure delectemur; faxit Deus, vt animæ nostræ diuersis virtutibus Deiq; amore floreant, vt inibi Deus suas delicias capiat. Quantum obsecro miraremur, tempore hyemali, dum niues terram contegunt, omnésque plantæ mortuæ esse videntur, momento pulcherrimæ syluæ cum virore solito, & omnis generis flores, fructusque apparerent, at tunc illud factum est, cùm nequidem vnicum germen, aut semen esset in terra; & quod omne miraculum superat, repentè Deus plantas omnes ea perfectione, atque proceritate fecit, vt seminibus se propagare valerent, adeout plantæ semina præcesserint, non semina plantas; Multæ sunt quæstiones quas hîc excitare possemus, vt an verno tempore mundus conditus fuerit, vt post multos Patres, Eusebius in omnimoda historia, S. Athan. q. 17 ad Antioch. Cyril. Hierosf. catech. 14. Nazian. orat. in nouam Domin. Ambros. 1. hex. c. 4 Theodor. q. 72 in Exod. Molina disp. 14 de oper. 6 dier. Ban. & Val. 1. p. q. 69. art. 2. concludunt, quibus Astrologi fauent, tametsi in Autumno factum fuisse sentiant Philo de opificio mundi, Ioseph. 1. Antiq. D. Hieron. in 1. Ezech. Picus Mirand. lib. 7 aduer. Astrol. c. 6. Pererius, Aretinus, & alij; & Gerardus Mercator initio suæ Chronol. atque Iulius Firmicus in mense Iulio, dum sol ♌ percurrit, vel alij in ♋, vt tunc longissimus dies fuerit, quod in alium locum reiiciemus, ne primum hoc Geneseos caput fusius appareat, ac tædium generet. Deinde quando metalla, atq; meteora producta sunt, quæ discutienda erunt, dum eò nos scriptura compellet. Tantùm igitur hîc inuestigamus, An arbores, & herbæ viuant, & cuius vitæ munia exerceant, quandoquidem ex operibus Dei nihil adhuc viderimus, quod vitam habuerit, ni forsitan omnibus vitam concesseris, quod etiam de terra determinabimus.

De tempore quo mũdus cœpit, authores quinã scripserint.

Quænã hîc agitari possent.

QVÆSTIO X.

DE VITA EORVM, QVÆ HACTENVS A DEO producta sunt.

ARTICVLVS I.

DE NVMERO, ET PARTIBVS OMNIVM PLANTARVM, & earum vita.

IAmdiu constitutum est omnia, quæcunq; creata sunt, quadruplici rerum ordine comprehendi, alia siquidem esse naturale simplex, seu corporeum, alia vegetatiuum, seu viuens, alia sentiens, alia denique intellectuale, atque rationale obtinẽt, ita vt eò nobiliora sint, Deóq; veluti propinquiora, quò magis à gradu corporeo omnium videlicet infimo recesserint; minus enim materiæ immergũtur, quóue magis ad intellectualem gradum accesserint, secundum quem Deo similes sumus. Ea verò corporea sunt, quæ præter triplicem longitudinis, latitudinis, profunditatisque dimensionem, & quasdam eiusdem ordinis proprietates tam euidẽtes, quàm occultas à forma propria diffusas nihil obtinent, quales sunt lapides, & metalla; Quæ verò nutriuntur, crescunt, è semine pullulant, generant, senescunt, fructus edunt, atque moriuntur, tametsi nunquam extra locum suum progrediantur, primũ vitæ gradum, quem vegetantem nuncupamus, habere dicuntur, de quo tantùm nunc inquirimus.

Triplex gradus vitæ

Vita triplici modo sumi posse videtur, nempe pro ipsa forma viuente, quæ toti supposito vitæ munia communicat, deinde pro facultatibus ipsis, à quibus actus vitæ immediatè procedunt, tertiò denique pro ipsis actibus, seu operibus vitæ; nec alia ratione probare possumus vitam primam, aut secundam, nisi per tertiam, quæ sola nobis apparet, siquidem absconditæ sunt, nostrosque intuitus effugiunt. Vt ergo demonstremus, an plantæ viuant, earum operationes inuestigandæ sunt, ex ijs enim in facultates deueniemus.

Vita prima, secunda, & tertia in plantis.

Primò quidem plantæ generantur, vt ex seminibus constat, quæ cùm in terram proiecta sunt, germen emittit, quod paulatim succrescat, & adolescat, donec perfectionem sibi conuenientem adeptum fuerit, quod vnicuique manifestius est, quã vt vlla ratione, vel exemplo comprobari debeat; Cùm autem ipsa planta ad culmen euecta est, ipsã generat vel fructus, vel semina, vel simile quidpiã, inde fit, vt eam facultatem in arboribus, cæterisq; plantis esse concludamus, quæ similia munia in animalibus obeunt, in quibus cùm animalem vitalem, atque naturalem δύναμιν, seu facultatem asseramus, nec tamen generationis, nutritionis, & accretionis opera vitali, aut animali potentiæ tribuenda sint, hinc fit, vt ad naturalem facultatem ea referre debeamus; quæ propter opera triplicia, triplex quoque virtus in plantis constituenda est, generatrix, auctrix, & nutrix: nam vbi formatrix suas partes sustinuit, auctrix virtus dominatur, nutrix verò à prima formatione ad finem vsque plantæ, donec emoriatur, suam actionem exercet. Hinc verò facultates aliæ secundariæ suppetias ferunt, attractrix, retentrix, concoctrix, & expultrix, quæ omnia tametsi non ita manifesta sint: vt in animalibus, quorum hepar nutritiuæ facultatis propria sedes est, in illis tamen ea sita esse penitus affirmãdum est. Veruntamen non desunt partes in quibus eas facultates collocentur, quarum maximè communes sunt, ῥίζα, καυλὸς, ἀκρέμων, κλάδος, radix, caulis, ramus, & surculus. Radice trahitur alimentum, caule defertur.

Naturalis facultatis 3 partes.

Nutricis partis 4 facultates.

Partes plãtæ quæ sint, & quid faciant.

Præterea medullam, neruum, & venas plures

Theophr. habent, his & cortex, lignum, atque matrix adest, itaut plantarum essentiam in his Theophrastus l. 1 de plantis cap. 3. constituat ὁ μὲν ἐν σαρκία, ἢ ὃ ἂν φύσις ἐν τίνι, Quibus tamen aliæ velut annuæ partes accedunt, vt folium, flos, pediculus, capreolus, muscus. Nec omittendum est in qualibet planta humorem, atque calorem insitum esse, qui cùm penitus defecêre, exsiccatio, morsque occupat; Theophrastus omnes partes sequentibus capitibus explicat.

At hæc omnia quispiam videre potest accepta præ manibus planta viridi, siquidem gratissimum est fibras quasdam, & neruos, ac venulas, & velut arteriolas in folijs, & caudicibus aspicere, quibus alimentum prius à radicibus acceptum in quaslibet partes deferatur.

Posset quidem excitari quæstio, an omnes partes arborum viuant, necne, an videlicet cortex, lignũ, medulla, &c. Sed ea Medicis pertractanda relinquo, ne dum minutiora persequor, maiora me fugiant.

Diuisio plãtarum. Pluribus autem modis plantæ diuidi possunt, & iam in plures classes à recẽtioribus distributæ fuêre, vt mox aperiam. Theophr. Theophrastus tamen cap. 5. eas omnes ad 4 genera reuocat. πρῶτα δὴ καὶ μέγιστα ἢ σχεδὸν ὑφ᾽ ὧν πάντα ἢ τὰ πλεῖστα περιέχεται τάδ᾽ δένδρον, θαμνός, φρύγανον, πόα. Sunt itaque prima, & maxima, & à quibus omnia pene, aut certè plurima continentur, arbor, frutex, suffrutex, herba. Tametsi postea diuidat in vrbanas, syluestres, fructiferas, steriles, floriferas, & flore carentes, terrestres, aquatiles &c. Bauhinus. Nuper verò Bauhini, & Cherleri Medicorum opus in lucem emissum est, quod ea ratione plantas partitur, vt eas in 36 classes redigat, totidemque libris referat, quorum summa duntaxat capita scribenda putaui, quandoquidem facilè plantarum authores nostra tempestate reperiri possunt.

40 genera, seu classes plantarum enumerantur. Itaque prima classis pomiferas arbores, seu μῆλα continet. Secunda comprehendit reliquas, quæ generaliori pomi voce continentur, eas præsertim; quæ nucem osseam carne obtectam habẽt. Tertia nucum est, vel earum quæ aliquomodo cum illis affinitatem habent. Quarta est arborum variarum Indicarum, aromaticarum, odoratarum, & aliarum exoticarum.

Quinta est arborum, & fruticum bacciferorum. Sexta bacciferas spinosas tam arbores, quàm frutices complectitur. Septima glandiferas, & his similes. Octaua Syluestres arbores. Nona coniferas, & resiniferas. 10 scoparias. 11 arbores, frutices & suffrutices siliquosos, leguminosis floribus, spinis carentes, atque spinosos. Duodecima siliquosas arbores rariores, hisque similes. Decimatertia frutices, atque suffrutices flore roseo, hisque similes. Decimaquarta rosas. Decimaquinta frutices scandentes, vt vites conuoluulos, & peregrinos his similes, & aromata quædam. Decimasexta scandentes pomiferas, & affines. Decimaseptima scandentes siliquatas leguminosas & illis similes, ac trifolia. 18 frumentacea, graminea, harundinea, iuncea. 19 bulbosa, hisq; affinia. 20 Rapunculos, campanulas &c. 21 herbas siliquosas, plerasq; acres, inter quas multæ sunt culinariæ. 22 capsulas seu vascula ferentes, quæ ferè omnes calidæ sunt. 23 mollientes, & holeraceas. 24 lactucaceas, intybaceas, & cæteras, quarum flos in pappum abit. 25 capitatas non spinosas, vt scabiosas, iaceas, & spinosas, vt carduos. 26 Corymboides, vel corymbiferas, minutioraque capitula ferentes: 27 vmbelliferas. 28 verticillatas, & flores galeatos ferentes. 29 Coronarias semen in vasculis, & calyculis gerentes. 30 item plerasque coronarias, vt papauera, anemones, gerania, ranunculos, verbasca, hisque affines. 31 Neruifolia, vt Plantagines, Gentianam, Porygonata &c. 32 rotundifolia, & his cognata. 33 Echia, Buglossas, Cinglossas, Heliotropia, &c. 34 plantas malignas, & venenatas, vt solana, helleboros, aconita, tithymallos &c. 35 herbas crassifolias, & succulentas. 37 saxatiles, vt filices, & capillares, &c. 38 aquis innatantes. 39 plantas marinas, corallia, seu lythophita, atque spongias comprehendit. Denique 40 classis excrementa terræ, vt fungos, & tubera, vbi aduerte numerum ingentem plantarum in qualibet classe numerari, adeout supra centum fungos hæc vltima classis explicet.

Dalechampius verò in generali plantarum historia libris 18 comprehensa sequentem ordinem obseruauit, vt libro 1. de arboribus, quæ in syluis sponte nascuntur, egerit. In secundo de his quæ reperiuntur in dumetis. Tertius liber arbores, quæ in viridariis, & pomariis coluntur, enarrat. Quartus verò segetes, & legumina in agris nascẽtia: sicut quintus olera, & herbas, quę in hortis nascuntur. In sexto vmbelliferarum naturam aperit: Septimus de ijs, quæ flore placẽt, edisserit. Octauus persequitur odoratos. Nonus palustres. Decimus illas continet, quæ in asperis nascũtur. Vndecimus amat vmbrosas. Duodecimus maritimis delectatur. Decimus tertius plantas enarrat, quæ non nisi aliis innixæ scandunt. Decimusquartus carduos, plantásque alias spinosas, & aculeatas amplectitur. In decimoquinto bulbosas, carnosásq; videre potes. In decimosexto catharticas. In decimoseptimo venenatas. In vltimo denique peregrinas fusè declarat, vt vnicuique liberum fit, hunc aut illum numerum, seriem, & ordinem eligere. Dalechãs. Alia diuisio plantarum in 18 classes.

Veruntamen non desunt alij modi, quibus plantas in nouam seriem coordinare possimus, quandoquidem pro diuersis morbis ordines diuersi plantarum institui valent: nec quidem absonum esset, si iuxta varias humani corporis partes tam interiores, quàm exteriores, & secundum varias figuras, plantarum numerum diuideremus, quod Baptista Porta in Phytognomonica susceperat. Bap. Porta.

ARTICVLVS

ARTICVLVS II.

DE VTILITATE, QVÆ HOMINIBVS *contingit ex eo, quòd plantæ creatæ sint, in quo maxima Dei bonitas elucet, vbi mira de plantis narrantur.*

Quid in creaturis suum, quid verò nostrũ Deus esse velit.

OMnia quidem opera sua Deus ob maiorem suipsius gloriam operatus est, sed & in vsus nostros; cùm enim ex creaturis nihil adiuméti decerpere possit, quippe qui bonorum nostrorum nõ indiget, nobiscum veluti diuidere voluit, itaut omnem honorem, & gloriam, quæ proficiscitur ex illis, meritò sibi vendicet, nobis verò omnem vtilitatem, omniaque commoda ex ipsis nascentia relinquat. Eapropter nullam plantam inueniri posse certum est, quæ non vel nobis, vel animalibus in hominis subsidium procreatis deseruiat.

Et quidem si vera sunt, quæ de virtute stirpium narrari solent, ea pro miraculo quispiam habere potest; nam Pythagoras auxilio Coriacesię, & Calliciæ aquam in glaciem concrescere dixit, Plinio teste l.24.c.17, qui subiicit Menaim, & Corintham decoctas in aqua sanare eos, qui morsum à serpente passi sunt, tametsi decoctio illa tangentem enecet.

Pythag.

Plin.

Miræ plantarum virtutes enumerantur.

Idem Pythagoras docebat radicem Aproxis, statim atque ad ignem accesserit, hunc ad se trahere, prout de naphta referunt, quòd si quis morbo corripiatur durante flore, quantumuis ad pristinam valetudinem redeat, eodem morbo semper tentatum iri, cùm iterum eadem herba flores emittet, quam etiam vim tritico, cicutæ, atq; violæ tribuit. Mitto quæ narrat ex libro magico Chirocineta Democriti, vt Aglaophotim, seu Marmaritim Dæmones cogere, vt veniant, Achamenidem verò facere, vt scelera sua rei propalent, quam Hippophonam appellant. Theombrotion Persarum reges omni morbo liberare, quæ propterea Semnios vocata sit, hæc enim fabulosa sunt.

Ferunt Adamantida leonibus admotam eos cogere, vt resupinent hiantes, Arianidem oleo perunctam inflammare lignum, omnes Mysiæ feras veluti mortuas iacere, cùm Therionarcha pullulat, Theangelidam epotam diuinationem afferre, Gelotophyllida cum vino, atque myrrha potam risum perpetuum inducere, sed ea partim falsa sunt, partim etiam fidem omnem superant.

Quid de radice Baraas dicam, quæ iubaris instar vespere fulgurat, accedentes refugit, nisi super eam sanguis menstruus effundatur, quæ pariter à cacodæmone liberat oppressos, si mendacio credere fas est. Æthiopidis, inquiunt, contactu omnia stagna siccantur, aperiuntur omnia: si Achimenidem in aciem conicias agmina fugam capessent. Xanthus ait Draconis catulum ad vitam reuocatum, & Thylonem occisum à dracone simili modo restitutum auxilio Bali herbæ, quæ dubio procul miracula exæquant, si tamen vera sunt.

At in confesso est apud omnes sagittas, quibus confixi sunt, dictamno ceruos extrahere, hirundines vexatis pullorum oculis chelidonia mederi, an lapide, vel herba dubitant testudinem cunila vires contra serpentem restaurare: mustellam aduersus mures ruta muniri, vt & contra serpentes. Origanum ciconiæ, apris hedera, marathrum anguium oculis medetur; succo lactucæ syluestris nauseam vernam draco restinguit; elephas post deuoratum chamæleonem oleastro sibi medetur, venenis herba cinare ceruus resistit; palumbes, gracculus, merula, perdices lauri folio se repurgant; columbæ, turtures, & gallinacti helxine; anates, & anseres siderite, grues iunco palustri; quæ omnia si referam, vix scribendi finis inueniri poterit.

Sed non solùm nobis, & animalibus plantas, vt morbis essent remedia, contulit, verùm etiam, vt victum, & vestitum à corruptione seruarent, etenim ne frumentum à calendulis rodatur, optimè succurritur, si paries, & pauimentum aspergatur amurca, in qua decocta fuerint allia, cui etiam prodest serapinum, castoreum, sabina, sulphur, cornu cerui, & hedera, quibus, tineæ, millepedæ, sed blattæ &c. abiguntur. Absynthium, ruta, menta, abrotonum, cunila, folia nucis, filix, lauendula, gith, coriandrum viride, herba pulicum, anagyris, seu lignum fœtidum pulices, & cimices occidit, Curculiones pereunt appositis napetæ seminibus, his enim ita pascuntur, vt crepent.

Et quidem non aliunde existimo paganos Ioui fagum, & quercum, lotum, & laurum Apollini, hederam, ferulam, & piceam Baccho; oleam Mineruæ, myrtum, rosas, & philyram Veneri, Diti cupressum; pinum Cybelæ; Herculi populum: puniceum Mercurio; Harpocrati perseam dicasse; nec tantum visco contulisse Druydas, nisi quia in illis plantis magnam vim inesse, & varias vtilitates inde proficisci credebant: Vnde factum est, vt sacerdotes Ægyptij cæpas non degustarent, quòd iuxta lunæ crementum, & decrementum immutentur. Quid obsecro manifestius tithimallo, helioscopio, calthis, maluis, cichoriis &c. quæ solis aspectu hilarescere, absentia torpescere, & emori videntur? Sed maiori dignum admiratione est, quòd oliua, salix, vlmus, populus alba, & tilia solstitium conuersione foliorum ostendant, pulegium, & irion etiamsi emulsum, & in sylua pendulum in æquinoctio floreat.

Quænã arbores Diis sacræ essẽt.

Ne verò plantas minimè cognosceremus, earumque commodis ob inscitiam destitueremur, Deus nonnullas figuras, & colores indidit, quibus facili negotio scire possemus, quibus morbis singulæ plantæ remedium afferant, quod breuissimè quibusdam exemplis aperiam: Itaque faciei maculas illæ delent, quæ maculis resperguntur, quales sunt, Arum, Persicaria, & ranunculus; squamas verò deiiciunt morsus diaboli, aliàs succisa, scabiosa, & chamelæon, vtpote squamosæ; vulnera sanant omnes perforatæ, vt hypericon, & cruciata; quæ consolidant, vt viscus, consolidæ omnes, & aqui-

Plantarum characteres.

folium; quartanæ febri succurrunt, quadrati, tertianæ verò trilateri caules: calculos frangunt lapidea semina, lithospermi, & lachryma Iobea; tonsillas, & hæmorrhoidas tuberculosæ capitulis papillosis, vt arum minus, & scrophularia mulcent: plantæ longæuæ olea, palma, pinus & c. longam vitam afferunt; pingues olea, pinus, atque nuces impinguant; fraxinus verò, caucauum, & cæteræ macilentæ maciem inducunt.

Plantæ solo aspectu cognosci possunt.

Ex quibus manifestò constat aspectu solo plantarum vires inuestigari posse, sicut & hominis mores ex vultu conijci solent, quapropter sicut in hominis gratiam φυσιογνωμία inuenta est, ita respectu plantarum φυτογνωμία constitui posset, statim enim atq; rosã inspicimus, ac foliorũ extrema rubescere, vngues albescere, & in medio crocea stamina discernimus, eã mistæ qualitatis esse asserim⁹, quoniã rubedo calorẽ, & stipticitatem, aqueã humiditatẽ & frigiditatem albedo, calorẽ stamina crocea, siccitatem, & vim astringentem loca natalitia arida manifestant, ex quibus etiam cæteras qualitates non tantùm manifestas, sed etiam internas colligere fas est: rosa enim, quia crocea, flauam bilem purgat, & ortis inde febribus, & ictero medetur; quia rubea, sanguinem sistit, & vulnerariis antidotis miscetur: albor, & rubor ostendunt menstrua cohibere, oculisque mederi, quapropter oculus terræ rosa poëtis dicitur, vnde Zoroaster in Geoponicis ait toto anno minimè doliturum, qui primum viderit calyces in planta conclusos, & tribus ipsorum oculos confricuerit, rosis in planta relictis, quod superstitione non caret: Ros eis insidens oculorum lippitudini medetur, vngues candidi, vngues seu πτερύγια, & epiphoras curant; folia verò sine vnguibus, inquit Auicẽna, prosunt ophtalmiæ, quapropter Antheris compositionibus immiscentur. Denique spinas infixas extrahit, quia spinosa est.

Zoroaster.

Auicen.

Idem in cęteris plantis facilè posset ostendi: & vt paucis vela contrahamus, fluuiatiles terrestribus congeneres ampliores sunt, quia rariores, humidiores, & laxiores, suntque ferè enodes, vt iuncus, typha, gladiolus: medullam fungosam habent, vt patet in cyperis, papyris, sambucis, & salicibus, rotundiora folia gerũt, vtpote humidiora, cùm enim festinantiùs natura producit aliquid, circulari figura vtitur, & pueri teneriores membris teretioribus quàm adulti constant, cùm autem illæ frigidæ sint, & humidæ, sequitur eas aptas esse, vt igni sacro pthisi, capitisque doloribus ex calore ortis medeantur, ac Venerem languentem reddant: ex eo verò, quòd frigidæ sunt, atque siccæ ob aquam, & terrestrem essentiam herbæ palustres, sine morsu siccant, combustis, dysentericis, cœliacis, alopeciis, strumisque medentur. Iuncus procidentiæ, capitis dolori, & sputo cruento, equisetum sanguini è naribus fluenti, ruptis, enterocelis, & hydropicis, sicut, & phleon, auxiliatur. Cætera relinquo, quæ vel vnusquique propriis oculis, & iudicio inferre, & apud plantarum commẽtarios, præcipuè verò Baptistam legere poterit: nec enim, vt iam monui, primum caput ita velim extendere, vt tædium afferat, cætera quæ de plantis dicenda forent, ad eum locum habes, vbi de mandragoris sermo est. Cùm enim aduersus morbos omnes plantas à Deo creatas fuisse putẽ, nondum tamen vlli morbi hac ce die mundi nati sint, itaque de plantis in ordine ad sanandos morbos agemus, quando iam morbis homines obnoxij erunt, vt appareat totum mundũ esse totam medicinam, sicut Hippocrates epist. ad Damagoram dixit totum hominem, totum morbũ esse: cùm autem 4 elementa morbi causa sint, dum inter se minus bene congruunt, (vnde Galenus 1 de element. dicebat hominem aut nunquam morbo laboraturum, aut vnico egere medicamento, si vnico elemento constaret) ibi quattuor in classes plantas distribuemus, itaut prima classis terræ frigori, & siccitati, fœcique, & autumno respondeat, atque melancholiam domet, secunda sanguinem vel fluentem demulceat, aut euocet. Tertia continebit eas, quæ pituitam purgant, & alterant, Eas demum afferam, quæ bilem etiam purgant, & alterant vt sit quadripartita diuisio: quæ tamen tripartita esse posset iuxta tres humores, quos repurgãt, vt enim nulla medicamenta Medici agnoscũt, quę sanguinem purgent, seu hæmagoga; ita nec vllæ plantæ esse videntur, quæ id muneris sibi adsciscãt, quapropter solæ melanogogæ, phlegmagogæ, atque cholagogę plantæ tres classes constituere possunt.

Hippocrat.

Galen.

Sunt & alij modi, quibus plantæ in varios ordines coaptari valeant, possent enim iuxta diuersos colores, siue foliorum, siue florum: iuxta diuersos fructus, & semina: diuersas magnitudines, & figuras: iuxta qualitates, & gradus constitui, qua ratione plurimos videas, qui plantas in primo gradu calidas simul collegerint, sicut & eas, quæ 2, 3, aut quartum gradum attingunt: taceo quòd Astrologi eas distribuant iuxta dominium, quod astra in plãtas exercere credunt, sic enim saturninas plantas appellant, vel saturnicas, sambum, quercum, platanum, & cæteras corticem dẽsam, & asperam habentes, rutam, cæpam, coloquintidam, & omnes magnam radicem habentes, myrrham, casiam, aloëm, palmam, & mespinos. Iouiales autẽ sunt rosæ, laurus, crocus, sandalium, ambra, camphora, saccharum, muscus. Martiales piper, Zinziber, sinapi, raphanus, scammoneum, & euphorbium. Solares salices, oliuę, cerasi, palmæ, rosmarini, hordeum, frumentum, & aromata. Veneri subduntur balsamum, lilia, thus, rosæ, ambra, muscus, crocus, dactylus. Mercuriales sunt petroselinum, coryli, & auellanæ. Lunares denique cucurbitæ, cucumeres, pepones, melones, lactucę, & endimia. Quo etiã modo plantas asterismis Zodiaci subdere possis, quàm bene, vel malè nolim in præsenti discutere. Ex quibus, puto, satis infertur plantas etiam venenatas hac die produci debuisse, maximè cùm non solùm animalium morbis remedia suggerere deberent, sed etiam alimentum, quandoquidem aues, & belluæ nonnullæ plantis huiuscemodi pascũtur: nec enim iuuat, si dixeris, peccato dempto, futurum, vt aliis herbis animalia viuant, siquidem id fictitium est, gratisque dicitur, præsertim cùm nec aues, nec pisces, nec vllæ belluæ offenderint, nec etiam illud in pœna serpentis continetur, vt imposterum venenosis herbis viuere debeat.

Variæ plantarum diuisiones insinuantur.

Diuisio Astrologica plantarum.

Cùm autem plantas terra produxerit, quæ vitam habent, nec quidquam dare possit, aut perfectionẽ aliquam communicare, nisi priùs illam vel formaliter, vel eminenter habeat, operæpretium est inquiramus, an terra sit expers vitę, an verò animam habeat.

QVÆSTIO XI.

QVÆSTIO II.

AN TERRA ALIQVAM ANIMAM HABEAT.

ARTICVLVS I.

QVOD TERRA VIVAT, SENTIAT ET INTELLIGAT, ſecundum aliquos.

Quod terra viuat.

1 Ratio.

QVæſtionem hanc fruſtra non excito, quandoquidem non deſunt, qui rationibus partem affirmantem aſtruant. Cùm enim ad angulos ab aſpectibus aſtrorũ productos in terra materia pluuiarum, ventorum, nebularum, tonitruum, & chaſmatum tempore aſpectuum eliciatur, nempe vapor humidus, ſiccus, & igneus ex terra ebulliat, & exhalet, debet, vt videtur, aliqua anima non in ſuperficie tantummodo telluris, ſed intus etiam in cauernis ſubterraneis, & montium meatibus adeſſe, quæ ad aſpectuum, angulorumque præſentiã tempeſtates excitet, & diſcernat verbi gratia inter 60 graduum, & 59, vel 61 ſubtenſas: quod experientiâ confirmatur; ſtatim enim atque terra percipit ſolem ♄ quadratum ſuperaſſe, iam ſopiri videtur, adeout omnis naturæ ſtimulatio deferbeat, ceſſetque per totos 30 dies, donec ſol ad ♄ trinum venerit, tunc enim vnico die tempeſtates excitantur, ceſſantque iterum illo tranſmiſſo, debet ergo eſſe anima in tellure, quæ admonita cieat meteora, & tempeſtates, ſtatim enim fit ſegnis, & contumax, vt tametſi per radios in angulo coëuntes excitetur, nolit tamen euaporationibus indulgere, donec exaſperetur, & velut bos, aut elephas tardus ad irã tantò violentiùs excandeſcat, quantò diſtulit.

De vi aſtrorum per angulos.

2 Ratio.

Deinde probatur ex eo, quòd eadem in terra, quæ in animalibus ſpectantur, corpus enim in cutis ſuperficie pilos habet, terra verò plantas, & arbores profert, in illis pediculi, in his erucæ, cicadæ, cæteráque inſecta, & monſtra marina: in nobis ſunt lachrymæ, & blennæ, auriumque recrementa, imo & gummi puſtularum; in tellure bitumen, & electrum &c. veſica fundit vrinam, montes flumina: ſi corpus excrementum ſulphurei odoris, & crepitus, terra ſulphur, ignes ſubterraneos, tonitrua, & fulgura mittit: In venis generatur ſanguis, & cum eo ſudor, ſic in venis terræ metalla, foſſilia, humorque pluuius: adde quòd terra nutriri videatur mare ſorbendo, quapropter fluminum infuſionibus, licet æternis minimè redundat, cuius anima tametſi cum cæteris animabus non conueniret. 4 animæ ſpeciem eam conſtituere poſſumus.

Confertur terra cum noſtro corpore.

3 Ratio.

Tertiò facultas formatrix eſt in terra, quæ fœminæ prægnantis inſtar, occurſantes foris res humanas, velut eas videret, in lapidibus fiſſilibus exprimit, vt militum, monachorum, pontificum, regum, & quicquid in ore hominum eſt, nouos inſolenteſque habitus; præterea in foſſilibus, & gemmis 5 corpora regularia Geometrica exprimit, quibus animæ muniis diurnam telluris, perpetuam, & æquabiliſſimam volutionem addere poſſis.

Quod terra ſentiat.

1 Ratio.

De terræ ſẽſibus patet, ſi quis enim in certos meatus; & hiatus, quos aliqui montes habent, lapillum coniiciat, ſonitus excitantur, vel ſi in lacum montanum, tempeſtates excitãtur, quod eſt ſimile ſternutationi, cæteriſque motibus, quibus horrore corripimur, aut caput quaſſatur, ſi quis in teneros aurium nariumque meatus titillans quid, vel animalia inferat. Quando verò loco tempeſtiuarũ pluuiarum meri venti proueniunt, id languores, & viſcerum tormina, cruditates, cõcoctioniſque imperfectionem arguit. Hinc aliquando veluti cauſo correpta tellus, pro humore ſulphureos halitus, aut madores peſtilentes exſudat; cæteras concoctionis facultates Attractricem, Retentricem, Expultricem in terra quærendas admonet Keplerus l. de ſtella noua folio 173.

Ruſus noſtro corpori terra confertur.

Kepler.

Iam verò reſpirationem terræ ſpectemus, quæ piſcium inſtar per branchias, aquam ore priùs abſorptã reuomentiũ, oceani fluxũ, & refluxum producit, tametſi ad lunę, ſoliſq; motũ terræ reſpirationẽ accõmodet, ſi tamen vndæ trahantur à luna, vt ferrum à magnete, idq; virtute corporea vnitionis corporeę, vt in præfat. cõmentariorum Martis Keplerus dixit, qui l. 4 harmonices refert terram vno die ſuam reſpirationem continuiſſe, itaut ciuitatẽ Antuerpienſẽ exterruerit; ſic enim animalia interdum animam cõtinent, tametſi diaphragmatis motus naturali mixtus ſit; qui telluris animam flammã aliquã reſpirationi fouẽdæ dicatam eſſe cenſet, in qua diuini vultus imago cum ideis circuli Zodiaci ſenſibilis, & totius firmamẽti, vinculum ſympathiæ rerum cœleſtium, & terreſtrium, vt tamen imaginis diuinæ eſſentia ἐν τῷ ἀρχῷ, animæ verò flammeę [illegible] conſiſtat.

Qualis ſit anima terræ iuxta Kepl.

Quatenus igitur hæc anima circuli Zodiaci geſtat ideam, perſentiſcit, quo tempore planeta quiuis ſub aliquo Zodiaci gradu verſetur, & radiorum angulos in terra coëuntium metitur: deinde prout rationes Geometricas, & harmonias archetypales facta circuli cum ſuis partibus comparatione ſuſcepit ex diuinæ eſſentiæ irradiatione, lucis tamen irradiationibus imbutas, has harmonicas, illas incongruas, & inconcinnas angulorum magnitudines indicat. Adde quòd illa ſemper coquat, quæ coctura nunquam eſt ſine fumo, & vapore; ex fumo verò foſſilia, ſicut ex fumis fornacum metallicorum arſenicum producitur: ex vapore tepido intus in lapidoſis terrę cruſtis refrigerato, & in guttas coacto flumina ad ſuas diſtillant origines, & foras prorumpens ille vapor aërem ſpirabilem generat, qui per noctem in rores coiens deciderat.

Terræ functiones.

Præter quod opus diurnum quibuſdam vaporum exceſſibus nonnunquam opus fuit, vt ex illa vaporum copia foras emiſſa pluuiæ tempeſtiuæ ad terram humore refocillandam frugeſque, (animalium pabula) maturandas fierent.

Hanc etiam animam memoria præditam esse cõtendit, quando vim suam exerit ad huius, aut illius astri, atque coniunctionis radios. Denique visionem tribuit huic animæ, quæ sit in centro, seu pũcto terræ, à quo velut infinitos radios, seu spiritus, aut species in terræ superficiem emittat, quorum dum aliquis syderum radiis per lineam rectam geometricam occurrit, qui rectâ sedem animæ petat, anima terræ stellam hanc persentiscit, & videt, non considerãs, an stella sit maior, aut minor, altior aut inferior, & solùm curat motum diurnum, quo omnes stellæ æquè celeres esse videntur; quòd si radius syderis non rectâ sedem animæ petat, nec linea recta eius speciebus occurrat, tametsi percipiat sydus illud, aut aliquem aspectum, illum vilipendit, eo ferè modo, quo visio nostra perfecta, & accurata est in solo, & vnico perpendiculari medio totius oculi radio, qua ratione credit se omnia Pici argumenta facilè refellere, quibus ad euertendas magnas coniunctiones, & aspectus vsus est, sæpiúsque librum suum de stella noua citat, in quo cætera se statuisse affirmat, quæ Picum refellant. Hactenus de anima terræ Keplerus, quibus alia de anima hominis subijcit, quibus Genethliacam tueri valeat.

2 Ratio quod terra sentiat.

Secundum probationis genus vim suam, & robur ex illo axiomate capit. Nemo, vel nihil dare potest, quod non habet, vel nihil potest aliquid seipso nobilius producere, præsertim effectum, si velut causa præcipua egerit, vnde si viuens, aut sentiens, aut rationalis procreet aliquem viuentem, sentientem, aut rationalem esse necesse est; cùm igitur terra plantas, frutices, arbores, & animalia generet, quis non videt eam necessariò viuere debere, at quænam vita sine anima esse potest? Nec mihi dixeris terram sese tantùm habere, vt instrumentum, dum plantas, & animalia producit, cœlum autem, vt præcipuum agens, quandoquidem omnino difficultas eadem recurrit, an cœlum sit animatum, idque non tantum vegetante, verùm etiam sentiente vita, ne dicam rationali, cùm iuxta Peripateticum sol, & homo generent hominem.

Nec fas est ad omnium causarum influxum, & systema recurrere, adeout non vnica quidem, sed omnes simul tametsi expertes animæ effectus animatos producere valeant, nec enim omnes creaturæ vita carẽtes, etiam possibiles vnquam ad vllum vitæ gradum siue continẽdum, siue producendum, vel etiam exæquandum peruenire possunt, siquidem implicare videtur, vt gradus essentiæ corporeus, gradum viuentis adæquet.

Campanellæ philosophia qualis.

Hæc autem omnia ex iis confirmantur, quæ libris 4. de sensu rerum, & magia Thomas Campanella scripsit, recẽsuitque Tobias Adami, vbi contendit mundum esse Dei viuam imaginem, seu statuam, omnesque eius partes non solo instinctu, sed sensu donatas esse; ex quibus pauca referam, vt hæc opinio suis omnibus argumentis fulciatur.

Itaque in primo capite libri primi vult in causis esse, quicquid est in effectibus, ideoque elementa, ac mundum sentire, quia effectus sentiunt, animalia verò 4. elementorum effectus esse ait, ac proinde sentire debere: 2 capite nihil præcedenti assertioni officere putat, quandoquidem nihil dare potest, quod non habet; proinde perperam ait Lucretium à rebus sensum abstulisse, sicut & Galenum cùm res omnes gaudeãt, quatenus suum esse amãt, & non oderunt; postea ex definitione sensus, qui est passio, omnia hæc inferiora, vt elementa sentire concludit, quoniam patiuntur, idemque probat ex actionibus, & passionibus entium, cùm frigus à calore fugiat, & cum eo dimicet ad modum animalium, alioquin mundum sine sensu chaos futurum esse, nec corruptionem, & generationem fieri; per sensum igitur terra deorsum, ignis sursum fertur, alioquin omnes actus creaturarum Deo tribuendos censet, vt luceat in sole, loquatur in homine &c. quod Arabes Stoicorum spiritui tribuunt; D. Aug. lib. de cognit. veræ vitæ, angelis, ac dæmonibus, qui procellas moueant: Themistius cum quibusdam Peripateticis ad intelligentiam non errantem confugit: Auicenna ad intellectum, & Cholcodeam; Galenus lib. de formatione fœtus ad animam mundi, ille verò propriæ vniuscuiusque rei formæ sensum inesse vult, quo malum sibi contrarium abominetur, & fugiat, & bonum sibi conueniens amet, intelligat, & quærat; ignoti siquidem nulla cupido; ita venti mouentur, vt locum spatiosum vitæ suæ aptum nanciscantur, quia eis mors est angustia, & ea ratione res quælibet sensum habet, quo se conseruet, qui idem sit cum instinctu naturali, quem alij fatentur, quo nempe omnia propter finem agunt, & ad eum diriguntur, ad quem tamen nequeunt dirigi, nisi illum cognouerint: sic enim plantæ fructus ferunt, vt æternentur, spinas, vt defendantur, folia, vt tegantur, ergo instinctus, inquit, est impulsus sentientis naturæ, quæ est ars intrinseca rebus, sicut ars est natura extrinseca: quælibet igitur creatura est, quoniam potest esse amat esse, & scit esse, & præliatur contra non esse, adeout necessariò desinat, quando ei defecerit posse, aut scire, aut velle esse, cùm enim omnia per sapiẽtiam, & cognitionem, & amorem Dei constituantur, vt eius vestigium habeant, sapere, vel sentire, cognoscere, & amare debent, vt omnes creaturæ diuinarum perfectionum participes esse possint.

D. August. Themist. Auicen. Galen.

Capite 8. contendit ea omnia, quæ fiunt ab Instinctu, sensus partium, ac mũdi totius effectũ esse: sic enim ferrum currit ad magnetem; mustella ori bufonis nolens illabitur; taurus quiescit, & iram sub ficulnea deponit, quia ferrum sentit, & cognoscit sibi bonum esse ad magnetem accedere, cuius est alimentum, & ipse magnes ad polum ferè vergit, quia nouit eam esse terræ, cuius est pars, naturam, vt Gilbertus iusto volumine demonstrat dum ex magnetis conuersionibus terræ motum concludit: mustella verò calida frigore per os bufonis immisso, velut alimento suo delectatur, & ita capitur: animalia tempestates prædicunt, quia cùm nihil aliud quàm de ventre, suaque conseruatione cogitent, rectè aëris primas mutationes sentiunt, quod etiam pluribus hominibus hernia, vel alio morbo laborantibus, qui rectè percipiunt ventum australem ex herniæ dilatatione, & frigus ex stupore contingit. Leo verò Gallum timet, sicut nos araneam, aspidem, cæterasque bestiolas, quod leoni spiritus crassi adsint ex cibis crudis crassisque, & calore, quo abundat, & Gallo tenues, & acuti, qui in aërem sparsi leonis spiritus penetrant, & eũ perterrefaciunt. Sicq; sæpius homo in hominis cõspectu timet, & animo cõcidit, quia lędit occulto modo vnius viuax spiritus, minus viuacis oculos; ita vomit ex anticipato sensu, qui mare videt; suberis incisi stridor acuta motione aëris spiritum nostrũ pungit, & penetrat, eo modo, quo sceinditur suber; ita etiã luna, sol, astráque cætera in sublunaribus per diuersos congressus mira producunt, ex quibus mira rerum omnium consensio, sensúsque concluditur;

Gilbert. Quare Leo gallum timeat.

concluditur: hinc res marinæ, piscis episcopus, catena, lorica, verpa &c. terrestribus similes sunt, non tantum inter se, verùm etiam caloribus è cælo demissis, cœlum autem, & astra, omniáque entia habent ideas in mente Dei.

In appendice sententiam improbat Gilberti, qui volebat terram electrica vi omnia, quæ sursum proiiciuntur, ad se trahere quibusdam ex se vaporibus immissis, neque ex magnetis 24 horarum spatio circulari motu terræ circularem motum elici posse ait, cùm terra non sit magnes terreus.

Capite 9 concludit mundum esse animal ex eo, quòd entia vacuum abhorreant, quia mutuo contactu ex vita communi gaudent, sicut omnia membra corporis, quæ propterea diuulsionem abhorrent, quæ sicut diuidi possunt, ita vacuum reuera dari asserit.

Cap. 10 tantum sese amplificandi desiderium vnicuique rei tribuit, vt se effundant in locum inimici, omne aliud expellant, séque solas esse appetant: & pro viribus se conseruent, æternent, & Deificent, vt suæ causæ fiant similes.

Cap. 13 negat nos scire posse, an mundus recto motu feratur, an terra, vel cælum moueatur, atq; solem perpetuò descendere ad terram cremandam, neque semper ab Æquatore ad Tropicos concurrere gradus 23, & minuta 28, semperque obliquitatem fore minorem, quia arcus prope terram angustior est, nunquam verò sursum reuersurum, tametsi descensum aliquando retardet; à Ptolemæo verò ad nos vsque descendisse 31 parte cum dimidia ferè, quarum vna pars est terræ semidiameter; ac propterea solstitia, & æquinoctia anticipari, quod in antecedentia ferantur, sed irregulariter, in 6565 annis graduum 77 ferè: citat etiam libros 4 quos se scripsisse ait de Astrologia cōtra Aristot. Telesium, Ptolom. & Copernicum: multa verò iam in sua metaphysica dicta supponit.

Solem in dies nobis propinquiorem fieri.

Minimè verò sibi ipsi satisfecisse putat, nisi res in particulari sentire demonstret, incipit autem à materia, quæ est locus omnium formarum, sicut spatium omnium corporum, quam ait habere sensum, cùm appetat formas, quas prius cognoscere debet: postea contendit formas non educi de materiæ sinu, sed ipsa agentia formas ex se fundere, atque communicare, adeout lucem ex se fundat, & non ex aëre sol educat. Cap. 4 libri 2 ait animam esse spiritum tenuem, calidum, mobilem, aptum pati, propterea que sentire qui ea in corpore faciat, quæ sol in visceribus terræ, & in elementis, quique in humorem crassæ molis ingressus, non potest egredi, ideóq; partes omnes in corpore format, idque ob eum finem, quem Galenus libris de vsu partium singulis membris præscribit, & quidē nihil aliud vult, quàm calorem illum, qui in quolibet corpore residet, esse illius animam, quem ait in sudore hominis pediculos, in vrina pulices, in crinibus equorū madefactis anguiculos, in carne putrescente vermes producere, vnde concludit omnia animæ plena esse, & à calore demortua animalia reuiuiscere, quod ex Arist. confirmat, qui vitam caloris permanentiam appellat, quem tamen stultitiæ arguit, quòd generantis motioni productionem animæ, & corporis fabricam committat. Frigus autem, seu defectum caloris mortem vocat, adeout animalia reuiuiscere possint, quando frigus non destruxit organa, sed tantùm frigore corripiente calor veluti sepultus est, vt patet in apibus necatis, quæ ad solem, vel in tepenti cinere positæ, sicut & Islandiæ quædam animalia hyeme mortua redeunte calore reuiuiscunt; calor enim in centro includebatur, sicut aqua vitæ in illis regionibus reperitur in medio doliorum vini glacie concreti, vt non distillatoriis indigeant.

Quid sit anima Cāpanellistarū

Galen.

Arist. l. de iuuentute.

De reuiuiscentibus, Islandia.

Quod non obstat, quin à calore mors inferri possit, qui dum spiritus foras eduxit, in aëre, prioris corporis obliti, vitam aëream viuunt; qui etiam à frigore suffocati valent, vt pote corporei, qualis est anima sensitiua, quæ in ebriis fugit ad caput, vt contra frigidos vapores depugnet, & post victoriam ad cæteras corporis partes redit, quas sine sensu, & motu reliquerat: sic in somno vapores petit, quibus alatur. Ad Agnanæ lacum est antrum, in quod ingressum animal quasi moritur, ad aquā verò delatum reuiuiscit; ratio est, quia in eo est terra nigra veteri igne combusta, quæ madefit sugendo lacum propinquum, ideóque vapor crassus exhalat, ater, fœdus, qui per nares subit in cor, cerebríque cellas, contra quem dum totus spiritus colligitur, corpus motu, sensúque destituitur, itaut si plusculum immoretur, penitus moriatur vaporis infesti copia suffocatus: alioqui membra solùm motu, sensúque destituuntur, quæ tactu aquæ frigidæ reuiuiscunt, recurrente spiritu, vt iis frigore correptas opem ferat: idemque ferè contingit in eo, qui venæ sectione deliquium passus, aquæ frigore ad se redit, ita & carbonum fumus in cubiculo inclusus occidit, & pestis ab aëre corrupto hauritur: hæc ferè sunt argumenta, quæ pro sensu rerum omnium afferri posse videntur.

Mira historia de Agnanæ lacu.

ARTICVLVS II.

QVOD RES OMNES NON SENTIANT, NEQVE VIVANT.

Svidas verbo κόσμος, Stoicorum opinionem refert, qui totum mundum aliqua mente penetrari assererent: possumus autem fingere mundum instar maximi cuiusdam animalis; cuius melancholicus humor sit terra, pituitam aqua suppleat, aër sanguinem, ignis verò bilem: cæli sint instar capitis, cuius duo luminaria magna sint oculi: duo poli aures; mens autem, quæ omnibus præsit, vel intelligentiæ cælorum motrices, aut informatiuæ, vel Deus, qui viua sua præsentia replet omnia, iuxta id Sapient. *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum.* Vel si mauis, terræ peculiarem animam, sicut & cæteris elementis, atque cælis suam, vniuscuiusque propriam, tribuere possumus, adeout arbores, & herbæ sint pilorum instar: montes, vt verrucæ, & pustulæ: metalla, & lapides, vt ossa, fontes, vt venæ, &c. quæ humanus intellectus confingere potest.

Qua ratione fingi possit terrā esse animal.

Verùm quàm ea sint à veritate aliena ratione firmissima constat, alioquin rerum gradus confun-

derentur, nec vllus esset gradus simpliciter corporeus; vitam verò deprehendere non possumus, nisi per operationes, at nullam sensus operationem in elementis, vel cœlis deprehendimus, nisi motum obieceris, sed ille communis est tam viuentibus, quàm non viuentibus: quòd autem non moueantur ab interiori vitali principio constat cùm ex multis, tum ex eo maximè, quòd semper eodem tenore moueantur, cùm tamen si animalia sunt, animalium more motus suos peragere debeant, statim celeriter, postea lentè, statim huc, aliàs illuc.

Terræ vita vegetatiua.

De vita vegetatiua non ita fortè probari potest, licet enim terra minimè iuxta suas omnes partes crescere videatur, attamen herbas, & arbores viuentes producit, ac proinde vitam habere quis eam dicere poterit, quandoquidem illud, quod aliquid producit, id in se vel formaliter, vel eminenter, continere debet, vnde si terra concludit in se plantas formaliter, eiusdem vitæ est particeps; sed cùm id sensibus omnino repugnet, nec enim terra vllam cum planta similitudinem habet, potiùs eas eminenter complecti censebitur, vt sit causa earum æquiuocа.

Attamen vt libenter fatear, quod sentio, nullam rationem talem afferri posse credo aduersus terræ, cæterarumque mundi partium vitam præcipuè vegetatiuam, quæ dissolui non possit, quapropter satius existimo, si aduersariorum obiectionibus satisfaciamus, vt ijs dissolutis veram maiorum nostrorum sententiam retineamus, qui crediderunt, neque terram, neque cætera elementa, neque cœlos animari; nam si contendamus nulla esse organa in elementis, & cœlis ad vitam, vitalésque operationes necessaria, ipsi negabunt, quibusdam organis, vel apparentibus, vel fictitiis contenti, vt anima quædam sese per totam illam molem diffundat, in qua reuera Deum esse fatemur, itaut neque possit in omni parte mundi non esse, si mundus prout est, remaneat, non quòd Deus creaturis indigeat, sed quia eo creaturæ, eiusque præsentia indigent, vt conseruentur.

Quomodo reijciat argumenta, quibus terrā minimè viuere probari solet.
1 Ratio.

2 Ratio.

Si 4 gradus essendi, vel entium in toto mundi systemate obiicis: respondebunt eos adhuc saluos esse, gradum nempe merè corporeum in iis reperiri, quæ à suo toto ita diuulsa sunt vt ne minima quidem vitæ particula iis supersit, quales fortè sunt quidam lapides, arbor, vel herba mortua, vt fœnum à longo tempore succisum &c. vel nouos gradus entium confingent, quid enim phantasia non potest? quas chimeras intellectus efformare potest? sed quas non?

3 Ratio.

Si denique absurda plurima vrgeas, nempe nos viuis ex rebus quotidie sumpturos alimentum, qui quotidie, singulisque momentis aërem inspiramus vt spiritus nostri reparentur; aërem enim viuere dicendum est, si terra viuit, hac enim aër est nobilior: nos aliarum creaturarum vitas corrumpere, cùm vel aquam haurimus, vel etiam cœlorum influentias excipimus: Illos audio respondentes ea minimè absurda esse, siquidem & lactucis, herbisque cæteris, & stolonibus arborum, & pomis, pirisque recenter excerptis alimur, in quibus proinde vitam etiamnum, cùm comeduntur, deprehendere possis; imo ea nostro alimento magis conuenientia, quod viuant, quandoquidem cætera etiam expertia vitæ, quibus vescimur, in animam, inquiunt, sanguineam antea transeunt, vt tandem aliquando digestionibus omnibus, atque coctionibus, &, vt ita loquar, animationibus intermediis perfectis, alimentum in alitum humanum, ac proinde in vitam rationalem conuertatur.

Nam qui tam stupidis elementis vitam impertiunt, dubio procul eò libentiùs, & audaciùs nostris humoribus, sanguini præsertim concedent, quò motus, & operationes nobis manifestiores edit: neque verebuntur in homine non solùm tres animas vegetatiuam, sensitiuam, & rationalem asserere, sed vbi semel omnibus veræ philosophiæ principiis vale dixerint, non solùm animas singulares humoribus, sed & cuilibet parti corporis præsertim heterogeneæ, ossibus, cartilaginibus, fibris, neruis, arteriis, venis, membranis, visceribus, intestinis, imo capillis, pilis, & dentibus attribuent. Sic enim paruus error in principio maximus est in fine.

Quomodo præsūptio humana ad quaslibet absurditates descendat.

Cætera libens omitto ne tot erroribus naturæ lumini repugnantibus, extra metam, ac propositum abripiar, ideoque ad dissoluendas obiectiones accedo.

Imprimis negandum est meteora, vel tempestates elici per sensum terræ, sufficit enim, si calor solis pro vario recessu, vel accessu ad nos diuersa tempora, variasque tempestates creat, idque pro diuersis terræ, vel aquæ partibus, in quas suos radios vibrat, ita enim calor ignis varia symptomata in nobis producit, & ignis ipse pro lignorum diuersitate flatus, fumum, stridorem, & id genus emittit. Adde quòd falsum est exemplum, nempe totam naturæ stimulationem cessare, quando sol ♃ Saturni superauit; quod nolim ego meis experientiis asserere, sed vnicuique probandum permitto; quamobrem præterita relinquens, ad quæ nulla est potētia, & quæ vel nemo, vel pauci obseruarunt, ad futura prouoco, quæ omni suspicione, omnique mendacio carent.

Soluitur 1 ratio eorū, qui terram viuere aiūt.

Aspice igitur, quisquis es, qui vanitatem Astrologiæ ipsis oculis peruidere desideras, aspice, inquam, solem positum cum Saturno in tetragono, & diligenter attende, an dies sequentes pluuiis, aut tempestatibus, minus quàm præcedentes, vel sequentes agitentur; neque enim meliùs conuici possunt, eorumque sententiæ conuelli, quàm si propria Astrologiæ fundamenta aduersus eos retorqueamus. Itaque ne deinceps conquerantur, quòd vel eorum famæ iniustè detrahamus, vel Astrologiam ignoremus: eos ex propriis ipsorum fundamentis aggredior, quos minimè inuisos reddere, vel irridere velim, sed tantùm, vt ipsi clarissimè suum errorem, Iudiciariæque vanitatem agnoscentes, solas deinceps astrorum syzygias, seu coniunctiones, cæterosque aspectus, & quæ inde certis regulis eliciuntur, præsagiant: alioqui seipsos risui omnium exhibent, & veram Astronomiam, & quicquid verum est in Astrologia, ridiculum faciunt: cùm enim homines vident hanc, aut illam tempestatem, has, & illas pluuias, cometas, sterilitates, meteora, & cætera, quæ præsagiunt in suis ephemeridibus Astrologi, minimè contingere, sed his sæpissimè contraria: quid superest, quam vt nullis omnino rebus fidem adhibeant, & ipsam etiam eclypsium, & aspectuum veritatem pernegent?

Sed

Prædictiones quæcã pro sequentibus annis. Anno Domini 1630. Sed ad institutum redeo: Saturnus cum sole □ producet circa septimam matutinam 26 Ianuarij, die verò 25 Februarij sequentis △ formabunt Sol, & Saturnus; vide dies singulos à quadrato aspectu ad trinum, an fortè pacatiores, & sereniores futuri sint, quàm antecedentes, vel consequentes; & an die trigesimo tempestas aliqua excitanda sit, quæ statim desinat.

Anno 1629. Idem continget anno præcedenti 1629 mense item Ianuarij die 14 circa sextam matutinam; tunc enim videbis □ ☉ ♄. die vero 14 Martij circa 7 Vespertinam △: & ne quis tãdiu vixerit, ac proinde illud experiundum ad posteros transmittere cogatur, idem exemplum in anno præsenti, & quibusdam sequentibus assigno.

Anno 1622. Anno 1622 die 28 Octobris □ circa 6 P. M. ac per consequens △ eadem ferè hora diei 27 Nouembris.

1623. Anno 1623 ☉ ♄ die Nouembris 11 circa 11 horam P. M. △ verò 11 Decembris circa 5. P. M.

1624. Anno 1624 die 24 Nouembris circa 3 P. M. □ ☉ ♄. die 24 Decembris circa vndecimam horam matutinam ☉ ♄ △.

1625. Anno 1625, 8 Decembris circa horam 2 matutinam □, die 6 Ianuarij anni 1626, idque △ circa 5. horam P. M.

1626. Anno eodem 1626 die 21 Decembris □ circa
1627. horam 2 matutinam, anno verò △ 1627 die 19 Ianuarij circa 6. P. M.

1629. Anno 1629 Saturnus, & sol rursus aspectu quadro sese respicient circa 4 horam matutinam diei 14 Ianuarij, trino verò 12 Februarij circa 10 vespertinam, itaut qui tunc vixerit, ipsa possit experientia stultitiam Astrologicam refellere dum 30 dierum spatio, quod inter vtramque irradiationẽ intercedit nullas minores, quam antea tempestates cieri conspiciet, imo fortè dies turbulentiores & magis agitatos experietur: neque trigesimum diem insolita tempestate percelli dolebit.

Hæc sunt, quæ ad omnium vtilitatem, & delectationem afferre volui, vt nullus sit, qui per se fabellas Astrologorum refellere non valeat. Si quis prædictos aspectus pro Venetorũ meridiano ad calculum meridiani Parisiorum, vel aliorum mundi totius locorum redigere voluerit, id facillimo negotio per meridianorum reductionem præstabit, de qua fusè Maginus, Origanus, & cæteri Iudiciarij, nec enim his tempus impendere decreui.

2 Ratio soluitur. Ad secundam rationem dicendum est, ea quæ de terra dicuntur, ei quidem analogicè conuenire posse, prout risus prato mille distincto floribus conuenit, non tamen vniuocè: siquidem nullam operationem vitæ tellus exerit, nisi fortè quatenus est instrumentum plantarum viuentium, & quorundam ex putredine nascentium animalium productiuum, vt postea dicendum erit. Gradus autem quartus vitæ, quem ad animam terræ confirmandam asserũt, fictitius, & à nemine hactenus inductus est. Sanè facillimo negotio possemus in idolo siue ligneo, siue lapideo similes vitas ponere, si pro libito fas esset quæpiam confingere, & in capite cœlum, in trunco elementa contineri diceremus: sed hæc insana sunt, & ab auribus tam Christianorum, quàm Philosophorum ableganda.

Nolo perquirere organa terræ, ne statim absurdiora respondeant: itaque gradus ad obiectionem tertiam faciendus est, quæ facultatem formatricem in sinu telluris includit, vt figuræ ibidem relatæ producantur: at nulla vitalis facultas necessaria est, vt hæc fiant, sed tantùm, vt vapores huc illuc transferantur, & inhærentes huic, vel illi corpori figuras, quas tam in marmore, quàm in venis metallorum, & lapidicinis aspicimus, procreent; mitto cæteras causas, nec quidem inficior in rerum vniuersitate permulta deprehendi, quorum nullam sufficientem rationem afferre possimus, quale est illud, quod Delrio refert ex Petro Bizaro. Lintzij dum ibi à Carolo Augusto conuentus celebrabatur, cuidam rustico natus est infans, in quo nihil desiderabatur: vixit dies 14, & triduo ante obitum sudauit, atque ita sudans extinctus est. In mortuo infante statim cœperunt apparere stigmata in manibus, pedibus, & latere, sicut Christi vulnera pinguntur: in capite etiam ex ipso cranio nata est corona, vt corona spinea. Cæsar cùm hoc audiret, misit quosdam ex suis, qui hoc prodigium contemplati, eum de tota re plenius edocerent, remque ita se prorsus habere intellexit. Vbi rectè fatetur hîc nullas sufficientes causas istius rei in natura apparere; Neque velim discutere, an prodigium fuerit, & cur immissum, an ipse dæmon id finxerit: satis est si contendimus figurarum illarum descriptionem, atque productionem non arguere animam aliquam in corpore fuisse, quæ id faceret, id enim vel Deus per seipsum, vel Angelus assistens perfecit.

(Right margin: 3 Ratio soluitur. — Delrio. — Mirabilis historia.)

In figuris autem, quæ spectantur in lapidibus natura ludit, & causæ lapidum productiuæ pro diuerso concursu, atque materia huc illuc excurrentes figuras illas producunt. Maneat igitur terram esse corpus elementare vita destitutum. Quod si quis metaphoricè loqui velit, per me licet, vt operationes vitales ei tribuantur, & mundum, cùm pluit, flere, cùm aër turbidus est, melancholicum esse, cum serenum est, gaudere, cum insolitis tempestatibus, atque fluctibus æquor agitatur in furorem agi, vel febre corripi; cùm herbæ germinant, capillos mundi crescere, denique cùm aliud quidpiam facit, ei aliqua vitalis operationis denominatio concedenda dicatur, vt articulo sequenti fusiùs explicabitur. De vita terræ metaphorica.

ARTICVLVS III.

QVOD ET TERRA, ET LAPIDES OB *aliquam cum animalibus, & plantis analogiam viuere, atque sentire dici possint.*

Miror equidem viros quosdam, quos alioqui doctos inter annumerare possis, tanti nescio quas neotericorum inuentiones, vel potiùs repetitiones æstimare, adeout statim atque libellum auidiùs deuorarunt, in quo aliquid vel contra, vel præter communem Philosophorum, aut Theologorum sententiam esse videtur, legitimam scientiam contemnant, eique vale dicant, ac si libelli isti omnia ex tripode suggerant, vel à cœlo dilabantur: veteres incusant, quod in communes sui sæculi opiniones faciliùs transierint, non priùs accurata discussione præmissa, & instar ouium vnus alterum per deuia secutus sit; audacem requirunt, quem timor arguat, quem noua, & insueta pertrahant, antiqua veteribus permittunt, dum ad maiora se contendere existimant. Bellè quidem, si bene, nec sine laude, si non perperam, dummodo nec à fide, nec ab vllis veræ religionis institutis discedant.

Verùm sciant velim indignos esse se, qui cum veteribus conferantur, qui quidem priùs illa satis perspexerunt, quæ iam nouatores per se inuenisse videntur, vt passim in Platone, fragmentis Pythagoræ, Aristotele, Seneca, Plutarcho, & cæteris constat, qui vel illas opiniones referunt, vel irrident, & conuellunt, vt nulla magis philosophia, quam Peripatetica conualuerit, extinctis ferè Platonicis, Stoicis, & Epicureis, qui vel ridiculi sunt, vel minus benè præceptorum suorum Pythagoræ, Platonis, & aliorum disciplinas intellexerunt. Ad rem accedo.

Quomodo res quæpiã viuere dici possit. Sæpiùs etiam vsu communi ea, quæ pertinent ad res viuentes, ad inanimata traducimus, & è contrario: vnde, quod nutritur, siue interna alimenti sumptione, siue partium aliquarum accessu, & agglutinatione crescat, quodammodo viuere dici potest, ita lapides quia generantur & nouis partibus additis crescunt, ita etiam aqua, quæ aërem in se conuertit, & ignis lignum, & cætera id genus si viuere, & nutriri dicas, per me licet.

Eademque ratione, cùm in re qualibet sit virtus peculiaris, qua in actum aliquem prorumpit, vel qua res externas afficit, vitam habere dicitur, si hoc vitæ nomine ad quaslibet formas, vel substantiales, vel accidentarias, quæ præ cæteris in qualibet creatura conspicuæ sunt, explicandas, vti velis, vnde lux est anima solis, quam radiis suis terræ communicat, sicut & alijs corporibus tam superioribus, quàm inferioribus: calor est anima, seu virtus ignis: qualitates occultæ, vel specificæ sunt lapidum, & mineralium animæ, & virtus quę est in terra, vt plantas & cętera animalia producat, eius anima dici potest: imo & totius mundi animam dixero mirum illum concentum, quem omnes creaturę ad sui creatoris laudem, & gloriam edunt, vel amorem illum, quo ad sua loca tendunt, firmissimis vinculis inuicem omnia sibi cohærent, & inter se connectuntur.

Et quidem magneti pręsertim anima quædam inesse videtur, quam contactu ferro communicat, quamque vetustate, vel incendio deperdit, sicut & cæteri lapides quanquam pretiosissimi, quorum anima eatenus corrumpitur, quatenus fulgorem suum, cęterasque proprietates amittunt. *De Magnete.* Magnes scobe ferri nutriri videtur, cùm in ea vires suas retineat, quod tamen fit potiùs, quia aër arcetur à scobe, ne rubiginem magnes contrahat, quàm vt sic nutriatur, alioqui cur non cresceret? ad quem velut ad centrum ferrum decurrit, sicut catulus mouetur ad mamillam, lapis ad terrę centrum, & anima ad beatitudinem appetendam, quodlibet enim mouetur ad suum principium: Quod probabilius est, quàm id, quod Fracastorius ait, nempe ferri, & magnetis formas in aërem egredi, vt per vtriusque formę coniunctionem sese propagent, atque promoueant: cùm enim formę, & proprietates sint vnicuique rei intrinsecę, extra nequeunt egredi. *Fracastor. refellitur.*

Quapropter alij hac ratione similitudinis contenti sunt, vt sicut vultures à longè cadauerum odorem sentiunt; Thabarbarum, & scammonium flauam bilem expurgant: epithymum, polypodium, & sena melancholicum humorem: agaricus pituitam, succinum festucas allicit: Mercurius auro maritari gaudet, complures herbæ mutuo complexu delectantur: & alia inter se dissident, & alterius contactum, ac vicinitatem respuunt, ita simili affectu, & inclinatione, Magnes semper Septentrioni obuersus polum commonstret, & ferrum attrahat, quo Gilbertus in ipsam terræ naturam refundit. *Gilbert.*

His ergo modis, & aliis in articulo primo allatis metaphoricẽ omnia viuere si quis dixerit, non multùm aberrabit, dummodo verum sensum in mente habeat: Hinc fit, vt non necesse sit singulis obiectionibus respondere, quæ nihil ampliùs probant, quàm quod diximus.

Nec obstat, quòd terra, & cœli producant animalia: quia non statim inde potes elicere vitam aliquam propriè dictam cœlis, vel terrę conuenire; sunt enim causę ęquiuocę, & instrumentales, non vniuocæ: nec tanta naturæ dignitas in instrumẽtis, ac in effectibus requiritur. In quo quidem maximè diuinæ potentiæ maiestatem demiror, qui in omnibus supremum sibi dominium retinere voluit, quod clarissimum est in omnibus productionibus substantialibus viuentium præcipuè; nam cùm ignis comburit lignum, quis formam inducit?

ducit? non calor, cùm ſit accidens formâ longè ignobilius: non ignis antiqui forma, quæ ſuo ſoli ſubiecto, ſeu materiæ, cui inhæret, ſe communicare potuit: adde quod formæ non ſunt actiuæ ſui ſimilium; quis in vtero fœtui rationalem imprimit, quis vnit? quis animam belluæ educit ex materia, cùm generans ſæpiùs ante mortuus ſit? nonne Deus, qui naturarum multiplicationem velut agenti præcipuo, & omnipotenti ſibi videlicet reſeruauit.

VERSICVLVS XIV.

Dixitque autem Deus. Fiant luminaria in firmamento cœli, & diuidant diem, ac noctem; & ſint in ſigna, & tempora, & dies, & annos.

יהי מארת ברקיע השמים להבדיל בין היום ובין הלילה
והיו לאתת ולמועדים ולימים ושנים׃

Γενηθήτωσαν φωστῆρες ἐν τῷ στερεώματι τοῦ οὐρανοῦ ὥστε φαίνειν ἐπὶ τῆς γῆς, τοῦ διαχωρίζειν ἀναμέσον τῆς ἡμέρας καὶ ἀναμέσον τῆς νυκτός, καὶ ἔστωσαν εἰς σημεῖα καὶ εἰς καιρούς, καὶ εἰς ἡμέρας καὶ εἰς ἐνιαυτούς.

Mira eſt huiuſce diei pulchritudo, quandoquidem non ita pyropis, atque gemmis aula regia radiat, ac illa fornix, quam Deus ad hominum vtilitatem, atque voluptatem extruxit, & infinitis propemodum ignibus ornauit, vt iam vix vllus, tametſi Atheus oculos in altum extollat, quin opificis ſummi potentiam, ac maieſtatem ſuſpiciat, atque veneretur. Multas autem dictiones iamdudum ex iis, quæ in hoc verſiculo continentur excuſſimus, quæ verò ſuperſunt, in quæſtionibus explicabuntur, ſed ante eas ad ſolita problemata veniamus.

PROBLEMA LXIII.

1. *Quid eſt illud, Fiant luminaria, quare facta ſunt die quarta?* An quia ſicut numerus quaterna-
narius denarium, ac proinde numeros omnes con-
tinens eſt perfectiſſimus, ideo luminaria tali die
produci debuerunt, qui illo numero denotaretur?
Philo cuius excellentiam Philo habet de mundi opificio,
Dydim. ita Didym. & Procop. ſed nos poſtea de quaterna-
2 rio multa dicemus. An Deus lucem illam primam
in multas ſtellas diſtribuit, ne animalia poſtea creã-
da lucem primi tridui coruſcantiſſimam ferre mi-
Athan. nimè poſſent? vt quæſt. 85 in Gen. 5 Athan. &
3 Theodor. quæſt. 16 innuunt. An vt præparato ho-
Proc. mini-conuiuio lucernæ accéderentur? vt ait Pro-
4. cop. An verò vt ante hominem velut Imperato-
rem cæteræ creaturæ ſeruorum inſtar iuxta ſuæ cõ-
5. ditionem imperfectionis præmitterentur? An vt
dies medius creationis ornatior emineret, ob lu-
Aug. minarium præſtantiam? vt D. Auguſt. dubitare
6 videtur 2 de Geneſ. ad lit. cap. 13. An vt ibidem ad-
iungit, quia in exornando mundo iuxta ordinem
diſcretionis eius ſuperior pars erat priùs venuſtan-
da? quo fere recidit, quod D. Thom. habet 1. p. qu.
D. Thom. 70 art. 1, nempe cœlum, quod primò memoratum
eſt, & primò diſtinctum, primùm etiam exornaretur;
nam cùm de tribus mentio facta ſit, nempe de
cœlo, aqua, & terra, quæ etiam per opus diſtin-
ctionis trium dierum formantur, primo die cœlũ,
ſecundo diſtinguuntur aquæ, tertio diſtinguitur
mare & arida, ſimiliter in opere ornatus, primo die
qui eſt quartus, producuntur luminaria, quæ mo-
uentur in cœlo ad ornatum ipſius, ſecundo, qui eſt
quintus, aues & piſces ad ornatum elementi me-
dij, motum enim habent in aëre, & aqua, quæ pro
vno accipiuntur: tertio die, qui eſt ſextus, produ-
cuntur animalia, quæ habent motum in terra ad
ornatum ipſius, & ſic priùs cœlum ornatur, quàm
terra, nec enim germina, vt pote fixa ad ſpecimen
attinent, nec enim motu prædita ſunt.
An quia congruum fuit, vt poſt ornatum terræ, 7.
cœlum etiam inſigniretur, vt D. Chryſoſt. hom. 6. Chryſ.
ait. An vt ad ſenſum myſticũ progrediamur poſt- 8
quam terra germinauit, luminaria facta ſunt, vt
ediſceremus poſt bona opera ſequi lumen gloriæ,
vt Eucher. lib. 1. in Gen. cap. 5. tradit. An quarta Eucher.
die creata ſunt, quia in quarto mũdi ſtatu ſeu mille- 9.
nario, Chriſtus, Eccleſia, & Apoſtoli poſt tres le-
ges apparere debebant, quæ tres leges nempe datæ
Adamo, Noë, & Moſi luce ſolari caruerunt, ſicut
tres dies præteriti; Chriſtus enim quarta noctis
vigilia ſuper aquas ambulans ad diſcipulos ſuos Marc. 6
venit, Marc. 6. legatur Synaita l. 4. Synaita.
An lux illa tribus diebus vbique diſperſa, ſigni- 10.
ficat diuinitatem vbique præſentem, quarto verò
die in ſolem coacta ſignificat naturam diuinam hu-
manitati Chriſti coniunctam? vt idem ait. An vt
ibidem inſinuat, Chriſtus, Eccleſia, Prophetæ, & 11.
Apoſtoli deſignantur, qui lucem Euangelicam per
totum orbem transferant? An per illud triplex 12.

ſolis,lunę,ſtellarumque lumen Trinitatis ſanctiſ-
ſimæ cognitio nobis inſinuatur.
13. An ſtellæ angelos in cœlo factos, Sol, & Luna
Chriſtum, & Eccleſiam in terra productam, móx-
que in cœlum efferendam ſignificant? vt idem aſ-
14. ſerit. An luminaria ſunt Euangeliſtæ, atque Do-
Eucher. ctores,ſtellæ verò diuerſa gratiarum genera, quæ
Auguſt. veram Eccleſiam ornãt? ſic enim Eucherius ſuprà.
quò ferè recidit,quod habet D. Aug. dum in pſal.
Origen. 93 de iuſtis explicat, qui ſanctitatis lumen profe-
runt. Origen. autem homil.1,de Chriſto cum Ec-
cleſia,qui ſit in nobis. An incõmutabilis veritas eſt
in anima, vt ſol, quo fulgeat intellectus practicus,
vt luna, & ſpeculatiuus,vt ſtellæ? An tria illa lumi- 15
num genera ſolis,lunæ, atque ſtellarum triplicem
viſionem inſinuant,qua beati perfruuntur? prima
eſt,qua Deum in ipſo Deo contemplantur, 2, qua
ſeipſos in eodem,& Deum in ſeipſis intuentur,ter-
tia denique,qua creaturas in Deo, vt in fonte per-
cipiunt. An ſol Chriſtum, luna Virginem, ſtellæ 16
beatos referunt,qui iam in cœlo degunt?

PROBLEMA LXIV.

1 QVomodo Deus voluit,vt fierent luminaria? Nun-
Ambroſ. quid Deus Pater voluit à Filio produci,vt ſol
Caiet. iuſtitiæ cœli ſolem produceret? inquit Ambroſ. 4
hex. cap.2. An vt ait Caiet. ipſa lux primo die crea-
2. ta,verſa eſt in luminaria, vnde legimus Hebr. יהי
iehi ſit, ſeu fiat in ſingulari. An tantùm hîc ſolis
3. creatio repetitur, cùm primo die effectus eſſet, &
Eugub. luna,planetæ,atque ſtellę perficiũtur,vt ait Eugub.
in Coſmop. quæ à primordio rerum inchoatæ fue-
rant, adeout velit bis veluti ſyderum creationem
commemorari,ſicut bis hominis creatio repetitur.
bis in Paradiſo ponitur, bis beſtiæ naſcuntur, bis
Paradiſus plantatur, vt quod vice prima minimè
dictum fuerat,poſtea ſuppleretur; putat autem ille
aquarum ſeparationem, aëris productionem, &
quæcunque narrata ſunt hactenus, à ſolis virtute
producta fuiſſe, vt iam ab eo cætera nunc produ-
4 cuntur. An quia lucis plenitudinem, retrogradum
motum,& vim effectuum mirificorum productri-
cem aſtra ſeceperũt? quandoquidẽ illa quoad ſub-
ſtantiam cum cœlis producta eſſe die prima multi
Peter. aſſeuerant,vt poſt Dionyſ. Carthuſ. art.12 in Gen.
Ægid. Peter. edilſerit,ita etiam ferè Catharinus,& Ægid.
D Thom. 2. part. hex. cap.31, vbi ait tripliciter ſolem conden-
ſatum fuiſſe,lunam verò, cæteraque ſydera bis. Ita
ferè D. Thom. quæſt.70 art.1.ad3 & Vielm. lib. 20,
qui putant hac die ſolem, & aſtra vim influendi
accepiſſe tametſi iam ab initio quoad ſubſtantiam
5 condita fuiſſent. Sed nunquid reuera ſol, & aſtra
hoc die quarto creata ſunt, quicquid alij dicant, vt
optimè idque textui ſacro conformiter Aſcanius
Auguſt. arbitratur, & explicat? ita Philo de Opif. D. Aug.
de Gen. imperfect. c.12. & 1 de Gen. contra Manich.
c.14, 11 de Ciuit. c.7.
An ex igne in ſupernis lucente die 4 ſol, & ſy- 6
dera confecta ſunt, vt Nyſſen. in hexam. ait. An Nyſſen.
ex luce ignita primo die producta cum lucis aug- Hugo Vict.
mento luminaria congeſta ſunt? vt Hugo Victor.
cap. 6 in Geneſ. & lib.1.p.1. de Sacr. cap. 15 Alen.
Bon. Lyr. & Burg. latiſſimè deducit. An lux pri-
migenia diſperſa eſt in ſolem, & ſydera, quæ 4. die 7
compacta ſunt,& in lucis vehiculum producta? vt
D. Baſil. hom. 6. pulchrè, Nazian. orat. in nou. Do-
min. Synaita, Procopius, Bon. in 2. d. 14 & alij te-
nent. vnde Eccleſ. 46. ſol dicitur, *vas admirabile,* Eccleſ. 46
opus excelſi.
An illa luce primigenia pereunte ſol,& aſtra,ex 8
nihilo condita ſunt, & luce naturali prædita? vt
Burgen. explicat in addit. An Deus aſtra fecit ignea, Burgen.
vt antiqui philoſophi crediderunt? teſte Cyrillo 2 9
contra Iulian. Theodor. lib. de mater. & mundo, & Cyril.
Stoicorum Academia, cuius meminit Tull. 2 de Theodor.
nat. Deor. & quidem aſtra, præcipuè verò ſolem Tull.
igneum eſſe Iuſtin. lib. de Ariſtot. decretorum re-
preh. Tertull. lib. de anima. D. Baſil. hom. 3. hexam.
Nazian. Iambico 15. Ambroſ. 2 hex. cap. 3. Cyril. Patres aſſe-
Hieroſ. catech. 9. Theodor. quæſt. 11 in Geneſ. & runtur qui
ſerm. 1 de prouid. Chryſ. hom. 6. & in pſal. 134, & ſolẽ igneũ
hom. ad Neoph. Nyſſen. in hex. Arnob. l. 2. Synai- eſſe putarũt
ta, Lact. Procop. Steuch. lib. 7. de perenni Phil. c. 4.
qui in Coſmop. putat aſtra producta eſſe ex aqueis
exhalationibus, vel ex eo, quod eſt ſubtilius in a-
qua. An ex 5 eſſentia facta ſunt, vt teſte Iuſtino 2. l. 10
de repreh. decret. Ariſt. Philoſophus docuit. Iuſtin.

PROBLEMA LXV.

1 ASTra habentne animam & qualem? An rectè
Cyril. Plato mundum vocauit animal mente præ-
ditum? teſte Cyril. 2 contra Iul. An vt ait Simplic.
2 in lib. 1 de cœlo tex. 50 viſum, auditum, & tactum
Simplic. habent cœli? An aſtra rationalem animam adhuc
viatricem habent? vt clarè affirmat Origen. hom.
3. 28 in Numer. & 1 Periar. cap. 7. An verò beatam
Orig. vt aliqui Philoſophi, teſte Theodor. lib. 3 de
4. Diis malis, & Euſeb. Cæſar. 1 de præp. Euang. cap.
Theod. 6. qui ſolem, lunam &c. vt Deos colebant, ad quod
Euſeb. Plato mortales in Epimonide hortatur, cuius ſen-
Platonis tentiam attulit D. Auguſt. cap. 16. lib. 13. de Ciuit.
error. An impoſſibile eſt circa has ſententias aliquid cer-
Auguſt. ti definire? cùm doctiſſimi Patres hic hæreant. D.
5.
Auguſt. D. Hieronym. D. Thomas, & alij, qui ſta-
tim in affirmatiuam vergere videntur, vt ex locis Vielm.
ab Aſcanio relatis, quilibet inferre poteſt, vnde
Vielmus lect. 19 concludit. *Arbitror ita poſſe rationi-*
bus vtrinque allatis reſponderi in diatrinis, vt certò ap-
pareat nec indoctos fuiſſe, qui aliter ſenſerunt, nec eſſe
nunc quoque nepharium illam euentilare, quemadmo-
dum ſcriptores aliqui putant. An reuera cœli, & 6
aſtra inanima ſunt, cùm id antiqui Philoſophi, De-
mocritus & Epicur. Cyril. teſte l. 2. contra Iul. dixe- Cyril.
rint, & Anaxagoras ob hanc veritatẽ mortuus ſit, Anaxag.
cùm lapidẽ ignitum ſolem dixiſſet, quem vulgus, Aug.
vt Deũ ſuſpiciebat, vt apud D. Aug. de Ciuit. Theod. Theod.
de mater. & mun. & D. Tho. diſput. diſput. quæſt.
de

7 de anima. videre est. An ex hypothesi, quòd astra
habeant animas, hæ simul cum Angelis, aut die
quarto creatæ sunt, vt cœlis, & astris infunderētur?
8 sicut hominis anima luto infusa fuit? An illæ ani-
mæ beatæ fuerunt, statim atque Deus illas corpo-
9. ribus suis infudit? An verò viatrices existimare
debemus, ita tamen, vt nunquam peccaturas vsq;
ad diem iudicij Deus præuiderit, atque prædesti-
narit: quas post tot merita beatitudine compen-
10. saturus sit? An hæc sententia magis Dei potentiam,
sapientiam, atque bonitatem commendat, ac opi-
ficium mundi extollit, quàm ea, quæ cœlis animas
denegat? sic enim spiritualium creaturarum trini-
tas habetur, nempe Angelus flexiblis, moxque ad
gloriam, vel inferos destinatus, corporeæ molis ex-
pers; deinde anima humana corpori sensibili &
corruptioni obnoxio alligata.

Denique cœlorum animæ, corpori quidem, sed insensibili, & inalterabili inclusæ, semel tantùm vertibiles, sed diu supersedentes ad maiorem gloriam promerendam, & sic maiori specierum numero mundus insignitur; sed de hac quæstione fortassis alibi fusiùs edisseram: Interim Ascanius hîc videri poterit, qui fusè satis eam agitat, fusissimè verò Espencæus. Ne verò quis existimet me fidem iis autoribus adhibere, qui cœlos animatos, vel vnicam animam mundi totius esse credunt, vel etiam ea sequi, quæ per interrogationes velut inquirendo in hoc problemate attuli, sciat velim me huiuscemodi animas irridere, quas satis Philosophi ad libros de anima, & de cœlis refellūt, vt iam non sit opus in iis insudare. Arbitror autē antiquos philosophos, vel etiā patres quosdam cœlis animam tribuisse, quatenus in eis motū adeo mirabilē aduertebant, & quia ad horum inferiorum generationes multum conferunt. Videatur Ascanius hîc, & Espencæus tractat. de animatione cœlorum, & Tannerus quæst. 4 suæ dissertationis, in qua concludit dogma esse in philosophia absurdum, minimè tamen fidei videri contrarium, videlicet cœlum anima vegetatiua, vel sensitiua animatum, dogma verò in fide erroneum ait, si quis cœlum animatum dixerit anima rationali, vel intelligente; vbi citat Niceph. l. 17. c. 27. & 28, qui hunc errorē Origenis à 2 Synodo Constantin. condemnatum fuisse satis innuit. Et quidem nulla sunt Scripturæ loca, quæ cœlis animam, vel intellectum tribuere videantur, quæ non possint facilè per prosopopœiam explicari. Sunt autem alia loca, vt Deuter. 4. vers. 19. quæ omnem astrorum cultum prohibeant, ex quibus infert cœlos anima beata informatos non esse, alioquin aliquo cultu digni viderentur. Sed de his forsitan postea sermo recurret.

PROBLEMA LXVI.

1 *QVomodo luminaria facta sunt in firmamento cæ-*
li? Nunquid firmamentum pro tota cœlesti
machina sumitur, sub qua tranquilli aëris sereni-
tas viget, & aër procellosus agitatur? sic enim D.
Augúst. Auguſt. 12 de Genes. imperf. adeout tam stellarum,
quàm planetarum cœlum intelligatur, vt vnum-
quodque sydus in proprio cœlo factum fuerit, vt
Rupert. Ruper. 1 comment in Genes. cap. 43 habet, quò re-
Albert. cidit illud Alberti 1. p. q. 4. a. 19. firmamentum pro
2 tota natura quinti corporis sumi. An Moses A-
strologorum morem ex parte sequitur, qui dicunt
Saturnum, Iouem, Martem, Solem &c. esse in hoc,
aut illo Zodiaci signo, tametsi non in eo, sed sub eo
longissimè remoti sint? potest etiam sumi firma-
3 mentum, prout omnes regiones continet? An po-
sita sunt in sublimi aëris regione, quam æthera di-
cimus, illa luminaria? quandoquidem cœlos præ-
ter aërem subtilissimum ab omni tempestate liber-
rimum nihil esse multi putant. An dictum est *in*, &
non *ex* firmamento cæli, quia gemmarum instar
sidera cælis infixa sunt, non ex eis effecta? vt Ha- Halens.
lens. p. 2. qu. 52. m. 1. nouit, hîc autem endyadim
aduertit Comestor, vt firmamētum cæli pro cælo,
quod est firmamentum, dixerit. An tropologicè 4
dici potest intellectum, & phantasiam esse 2 lumi-
naria, quæ posita sint in nobis? An etiam cognitio 5.
Dei, & suipsius in homine, cuius anima, cùm in-
stus est, Dei sedes dicitur, & proinde cælorum pri-
uilegio gaudet, 2 sunt luminaria? An verò ipsa Dei 6.
cognitio, quam naturaliter habemus & eadem,
quam per fidem in baptismo sortiti sumus, illa duo
luminaria dici valent? Verùm antequam ad alia
progrediamur, dictiones in examen adducendæ
sunt.

Fiant luminaria.

יהי מארת explicatur.

VOx Hebraica singularis est יהי *iehi*, quæ coniungitur cum plurali מארת *Meorot*, cuius rationem alij reddunt, quòd alterum eorum duntaxat luce præditum sit, sol inquam, luna verò illa careat. Alij ad lucem illam prius creatam id verbum referunt, ac si dicatur, *fiat*, scilicet lux, 2 illa luminaria, Alij cum Aben Ezra (Aben Ezra.) dicunt hoc verbum esse vsus frequentissimi, ideo illi permissum, vt promiscuè, singulari, & plurali masculino, & fœminino coniungatur, quomodo Græci pluralia neutra singulari verbo tertiæ personæ coniungunt. Itaque dici potest lucem illam primigeniam in ista φωστῆρας, quæ nonnulli Patres, lucis vehicula nuncupant, translatam esse: sunt etiā qui velint יהי pro יהיו *iehu* singulare pro plurali positum esse, sicut apud Græcos ἐστὶ pro εἰσὶ nonnunquam vsurpatur. Massora (Massora.) Minor notat hoc nomen *Meorot* esse bis defectiuum, quia duobus in locis deest ו. Radix autem est ר א, & inter se differunt, sicut causa, & effectus, per lucem enim luminaria velut candelabra, in quibus collocata est primæua lux, resplendent: & quidem רָאָה *raa* cognationem habet cùm אור *or*, nam videre non possumus sine luce, imo lumina quædam dixerim oculos, qui totum corpus illuminant, (Prou. 16.) hinc 70 verterunt אור per φωτίζω Prouerb. 16. 2 & (Septu. Inter.) per ἀναβλέψω i. respicio 1 Reg. 14. 27; significat etiā (1. Reg. 14.) splendorem, fulgur, & solem, nam Iob. 31. 26 ἥλιος (Iob 31.) posuerunt, & Isa. 18. 4. μεσημβρία, meridiem; sumi- (Isai. 18.)

Amos 8. Ezech. 5. tur etiã pro flumine Amos 8.8, & pro igne Ezech. 2. hinc factum est אורים vrim, quod doctrinam, veritatem, & illuminationem sonat; denique nostrũ מאור *Maor* hinc oritur, quod illuminationem, & luminare, prout hoc in loco 70 φωςῆρας vertunt, significat. de Rakia & Samaim antea dictum est, quapropter ad alia propero.

Et diuidant diem ac noctem.

PRimum ergo munus luminarium est, vt inter noctem, atque diem diuidant, vnamque separent ab altera, quibus ornamenti gratia Septuag. (Sept. Inter.) addiderunt ἵνα φαίνωσιν ἐπὶ τῆς γῆς, vt luceant super terram, quod fit tam diu, quàm noctu, nisi cœlum nubibus obducatur, sed more consueto per problemata difficultates textus inuestigandæ sunt.

PROBLEMA LXVII.

QVare Moses hanc diei, noctisque diuisionem posuit, & quomodo hæc intelligenda est? An
1 tantùm beneficia, quæ nobis impendunt astra cõmemorat, quæ in eorum cultum non inducant? vt
D. Thom. D. Thom. quæst. 70. art. 2 insinuat, vt pote quæ
Deuter. 4. Deus in ministeriũ cunctis gentibus creauit Deut. 4. Nunquid vnicus sol diem, & noctem sua præ-
2 sentia, & absentia facit? An prima die lucis, & tenebrarum ideas, nunc verò diem, & noctem diui-
Philo. sit, vt Philo de mundi opif. loquitur.
3. An vt D. August. habet 12 de Genes. imperf.
August. diuisit primò inter Angelos, & dæmones, nunc inter diem, & noctem, vel inter rerum informitatem, seu priuationes, & species, nunc verò inter vicissitudines temporum, nempe diem micantem, & obscuram noctem; in quod recidit, quod 1 contra Manich. cap. 14. habet, nempe imaginatione concipi potuisse tribus diebus præcedentibus, quod reuera nunc effectum est. An ita separatus est dies
4 à nocte, vt iam alio modo sese dies, quàm priùs habeat? nunquid enim crepuscula fiunt, in quibus sol aliquatenus illucescit, quod non fiebat cum ista
5 sola luce antea producta? An quia nunc radij so-
Ambros. lis vim habeant ad comburendum, & vapores eleuandos, qua priùs lux illa destituebatur? vt D. Ambros. l. 4. cap. 3. disserit. An etiam in hoc differunt,
6 vt iam aliqua claritate nox sydereum, lunæque beneficio insigniatur, quæ solis tenebris opacabatur, vt Iunilius in hexam. perpendit. An quia sola su- Iunil.
premi mobilis conuersione antea dies gignebatur, 7.
qui iam ex diuersis motuum generibus etiam re- D. Thom.
trogradis procedit, vt D. Thom. supr. art. 2. ad 3. ait.
An quia totum orbem vsque ad terram illuminant, cùm antea solùm partes altiores lux illa pri- 8
migenia illustraret? ita D. August. lib. 1. de Gen. ad
lit. cap. 10. An quia nunc luna & stellæ noctem suas Aug.
in partes diuidunt, sicut sol diem in ortum, meri- 9.
diem, & occasum diuidit? vt Hugo Victor. cap. 7
in Gen. ait. quò reuocari possunt omnes differen- Hugo Vict.
tiæ, quæ sunt inter primos dies, & nostros; & quidem ad plura confert nostra hæc dierum, atque noctium, quietis, & vigiliæ vicissitudo, nam lux nobis ideo fit iucundior, cõfert ad mensuras tẽporis probè constituendas, liberum feris pabulum
exhibet, vt Theodor. serm. 1 de prouid. narrat; ad- Theod.
de quòd ad contemplationem aptissima sit, vt no-
tat Cyril. Hieros. Catech. 9. An (vt ad mysticum Cyril.
sensum prouehamur) luminaria sunt Doctores, qui sensibilia, & intelligibilia in firmamento Scri-
pturæ sacræ iuxta literalem, & spiritualem intelle- 10
ctum diuidunt? vt Eucher. 1 comment. in Gen.
ait. An Christus, & Ecclesiæ vitam ornatam virtu- Eucher.
tibus à flagitiosis separant?

Et sint in signa & tempora, & dies & annos.

QVidam hic per Endyadim explicant, vt sint in signa temporum, & quidem אות oth significat σημεῖον, vt hic 70. verterũt, & אותות othioth ventura, sic enim Isai. 41. 23 vertunt ἐπερχόμενα; (Sept. Inter.) מועדים Mohadim à radice יעד *iahad* oritur, quæ significat aliquid certò promittere, & designare, constituere tempus, congregare, constituere; hinc enim (מועדים discutitur.) מועד *Mohed* pro re certa, & definita, vt constituto tempore festo, seu, certa solemnitate, loco certo, congregatione, castris, & nota militari sumitur; eandémque cum עדה heda significationem habet, quod certum hominum conuentum significat, in quo differt à קהל Kahal, id est vniuersali Ecclesia; tempora verò, de quibus Scriptura loquitur, tam de prædictis temporibus, quam de 4 anni tempestatibus intelligi possunt; de diebus iam superiùs dictum est, vbi de eius partibus egi, de quorum diuersitate dicturus sum alibi; sicut & de annis, adeout tantùm mihi superſit excutiendum, quomodo, & quarum rerum luminaria signa esse possint, quod illico præstabo, dum problematicè perfecero versiculum istum.

PROBLEMA LXVIII.

1 *QVomodo luminaria sunt in signa, & tempora, & dies, & annos?* An facta sunt in signa significantia rerum futurarum euentum, vt pluuias, tempestates, & similia, vel distinguentia diem à nocte, Bonau.
& ver ab autumno, sicque de cæteris? sic enim Chart.
Charthusian. art. 12 in Genes. ex D. Bon. in 2. d. 14.
quo

Philo. quò fere recidunt, quæ Philo, D. Basil. hom. 6. hex.
Basil. Tostat. & alij habent, dum fatentur stellas esse si-
Tostat. gna prognostica; vnde Christus ex eo, quòd cœlũ
rutilaret, futuram tempestatem prænuntiauit. An
2. etiam facta sunt in signa futurum iudicium præsi-
gnantia? *nec enim luna dabit lumen suum, & sol verte-*
Math. 24. *tur in sanguinem* Matth. 24, quò reduci possunt mi-
racula, quæ facta sunt in astris, vt cum sub Iosue
stetit, & Ezechiæ tempore retrocessit: ita D. Basil.
Basil. hom. 6. & Procop. An sunt in signa futurarum ca-
Procop. lamitatum vt idem Procop. habet, vel vt in pelago,
3 & arenosis locis, vt Chrysost. hom. 6 & Iunil. aiũt,
Chrys. nautæ, viatoresque dirigantur? Nunquid optimè
Iunil. loquitur Vielmius lect. 21, dum ait esse signa reme-
4. moratiua diuinę omnipotentiæ, demõstratiua eius
Vielm. bonitatis, & sapientiæ, prognostica verò rerum,
quas efficiunt, vt imbrium, ventorum, caritatis an-
nonæ, vel abundantiæ, diuersarumque veris, æsta-
tis, autumni, & hyemis qualitatum?

An sunt signa, quia cœlum est liber, in quo futu-
5 ros humanos euentus Deus reserauit, vt ex Orig.
Orig. refert Euseb. 6 de præp. Euang. cap. 9. quò recidit
Basil. opinio philosophorum fatum constituentium, at
Ambr. illud refellunt D. Basil. hom. 6. Ambros. 4. hex.
August. cap. 4. August. 2. de Genes. ad lit. cap. 17, & 5 de
Nazian. Ciuit. cap. 1. pulcherrimè verò D. Nazian. carmi-
ne quinto de Prouidentia.

Nunquid sunt in signa corporalium affectio-
6 num, quas etiam producunt? vt Hugo Victor. cap.
Hugo Vict. 7 in Genes. fatetur, ita tamen vt nullatenus arbi-
trio libero noceant, cùm ratio passionibus domi-
nari possit, & debeat. Sunt ergo sidera in signa, &
7 in tempora, quæ magna æquitate partiuntur; quod
Basil. D. Basil. hom. 6. sed præclarè Damasc. 2. fidei ort.
Damasc. cap. 7. explicant, & in dies quos conficiunt, siue
naturales illi fuerint, siue vsuales; sunt & alij dies
Alcyonij, & nautici, & pluuiosi, cùm Pleiades, seu
Virgiliæ oriuntur, diesque festi, & profesti, vnde
Varij dies. Hebræi suas neomenias, Scenophegias, Pascha, &
Eccl. 43. Pentecosten desumebant, vt 43. Eccles. insinuari
videtur; sunt & dies critici, theoretici, & alij, de
quibus Rhodig. lib. 14 antiq. cap. 2; sunt & dies
albi, læti, fausti, Ægyptij, postriduani, & infausti
de quibus cap. 9 tractat, sed quos Ecclesia detesta-
Vielmus. tur ita Viel. lect. 21. Sed fusè postea de astrorum si-
gnificatione agendum est.

An luminaria sunt in annos lunares, qui 354 diebus 8
constant? quia mensis habet 29 dies, & semissem,
quare vt adæquetur anno solari, quandóque Em-
bolismus admittitur, annus videlicet 13 mensium
lunarium; ita Rupert. 1 in Genes. cap. 45. An sola- Rupert.
res anni, imo & planetarum, ac stellarum intelli- 9
gendi sunt? vt Iunil. differit, at certè longius esset Iunil.
annus ♄, & ♃; videatur Lilius Gregor. Gyral. de Gyral.
annis, & mensibus, de quibus postea latiùs age-
mus, quot enim sunt diuersi cœli motus inæqua-
les conficientes, tot annorum species esse possunt,
Soli verò, Mercurio, & ♀, æqualẽ annum adscri-
bunt dierum 365, & quadrantis vnius diei, demptis
minutis 12; lunaris autem annus est tantùm 28 die-
rum, & 12 horarum, quia tali spatio ad eandem Zo-
diaci partem remeat.

An vt ad sensum mysticum accedamus Apo- 10
stoli, cæterique facientes miracula sunt in signa vo-
luntatis diuinæ, sicut & ipsa diuina præcepta, &
Scriptura sacra tam veteris, quàm noui testamẽti?
An iusti sunt in signa temporum, cum tribulatio- 11
nibus impetuntur, quatenus ostendunt alia esse tẽ-
pora post hanc vitam, quibus boni compensentur,
vt insinuat Steph. Cantuar. & Hugo Carensis, qui Cantuar. Carens.
addit iustos esse in signa, quibus cõtradicatur Luc. Luc. 2.
2. & Iob. 16 *posuit me quasi signum*; & in spectacu- Iob. 16.
lum 1. ad Cor. 4. An ipse Christus fuit in signa, tẽ- 12
pora, dies, & annos, cùm tempus naturæ, & le-
gis, & gratiæ produxerit, in quo velut 4. vigiliæ
noctis fuerunt, prima ab Adam ad Noë, 2. à Noë
ad Abraham, 3. ad Abraham ad ingressum Ægy-
pti, & inde ad Mosem; in 4. crepusculum aduenit,
aurora albescens nempe lex fuit, at sine calore, de
qua Iacob. Gen. 32. *iam enim ascendit aurora*; dies Gen. 32.
verò salutis secuta est, iuxta 2. ad Corinth. 6. quæ 2. ad Cor. 6.
in primitijs Ecclesiæ mane suum habuit; horam
tertiam cùm tempore Syluestri, & Constantini
conspicua reddita est, meridiem Caroli magni tem-
pore; nonam, quando iam Turca orbi Christia-
no minatur. Vesperam Antichristi tempore.

Num Christus est lumen ad reuelationem gen- 13
tium, vt illuminet terram, quia venit propter ho-
mines, non autem cœlum, vel mare, quia angeli
lumen suum à Deo immediatè accipiunt, vtró-
que verò dæmones priuantur, de quo vide Synai- Synaita.
tam.

QVÆSTIO XII.

Quænam futura significentur ab astris.

DVo sunt futurorum genera, eorum videlicet quæ vel à nostro libero arbitrio, vel etiam diuino pendent, & eorum, quæ à causis naturalibus, vt sunt imbres, venti, siccitates, fames, pestis, morbi plurimi, terræmotus, & alia multa, quæ tametsi pendeant à Deo, sine quo nihil penitus esse potest, attamen quatenus iam à causis naturalibus simul concurrentibus naturaliter fieri solent, nisi à Deo impediantur, in causas naturales referri possunt; De his autem priùs agemus, de aliis verò postea.

ARTICVLVS PRIMVS.

QVOMODO SYDERA SVNT SIGNA *rerum futurarum à causis naturalibus dependentium, vt imbrium, ventorum, &c.*

Quibus planetis facultates corporeæ subdantur.

VAria sunt iuxta varias artes fundamenta, quibus Astrologi ex stellis, & planetis aliquid futurum eliciũt, cùm enim Medicis tempus præscribunt, quibus huic, aut illi morbo remedium pareat, asserunt facultates corporis certis sideribus subditas esse.

Saturno videlicet vim retentricem, & flegmificatiuam; Ioui tactiuam, digestiuam, nutritiuam, concoctricem, & spermaticam; Soli vitalem, augmentatiuam, visiuam, & appetitiuam; Veneri attractiuam, & odoratiuam; Mercurio, locatiuã, imaginatiuam, cogitatiuã, & memoratiuã, Lunę seminificatiuam, gustatiuam, manducatiuam, ciborúmq; concoctiuam; his enim terminis vtuntur; Marti denique auditiuam; quàm benè, vel malè, nunc minimè persequor, vt ad astra, prout aliquas anni tempestates excitant accedamus, aliàs etiam fortè Medicis repositurı. A sole verò, vt pote astrorum coryphæo incipiendum est, de quo peculiariter nihil afferam, cùm sit generalis temporum significator & effector, vt Maginus loquitur cap. 5. supplement. Isagog. nam pro vario recessu, aut accessu ad Zenith, & quatenus Zodiaci signa perambulat, varias anni tempestates efficit; itaque de eo, prout cum stellis quibusdam fixis, & erraticis, copulatur, breuiter agendum est.

Magin.

Quas cieat tempestates sol pro variis siderũ cõiunctionibus in ortu suo.

Quando sol exoritur cum Arcturo, vel dextro aurigæ humero ventos, tempestatésque procreat, cum Aquila niues; cum Andromedæ vmbilico tempus turbidum, & humidum; cum Asellis subitas aëris perturbationes, imbres tonitrua; cum cauda Capricorni, niues, frigora, nubes; cum eius dorso frigoris augmentum; cum Coronâ nubila; cum cane maiori serenitatem, & calorem: cum stellis Herculis ventos; cum Hyadibus nubila, cum hœdis pluuias; in Italia (addit Baranzanus in Vranoscopia,) cum lancibus pluuias, & ventos; cum Lyra frigus, & humorem, cum Arietis cornu, vel cauda turbationem aëris, cum Delphino ventos, cum Leone nubila, cũ Medusæ capite niuem, cum Orione Fauonium, cum Pleiadibus ventos, & pluuias, cum Tauri oculo pluuiam cum tonitruis, & fulguribus: cum vindemiatrice Aquilonem gelidum: cum Virgiliis Fauonium, sicut, & cum zona Orionis: cum Regulo aquilonem, cum succulis pluuias: cum Syrio, maris æstum, cum Triangulo ventos.

Baranzan.

Quid sol occidens producat.

Quibus nonnulla de solis occasu subijciamus. Sol occidens cum Arcturo tempestates, cum Aquila ventum Africum: cum dextro Aurigæ humero ventos humidos: cum cane Fauonium, cum cauda ♐ humiditatem, cum Virgiliis pluuiosam hyemem, cum Hyadibus maris conuersionem: cum corde leonis imbres, tonitrua, & fulgura: cum lyrâ nubila frigus, & pluuias, cum lucida Corona Austrum procreat. Quando verò cum his oriatur, aut occidat, facillimè reperies in sphæra, aut globo cælesti artificiali, quod vt clariùs percipiatur, alibi iuuante Deo de diuerso occasu, & ortu tam siderum, quàm astrorum agam. Cæteros interim planetas breuiter percurram.

Quid Saturnus.

♄ cum Andromedæ iunctus vmbilico, nubila, pluuias, vel niues, cum stellis Cæti tempus turbidum: cum cornu Capricorni frigus: cum cane maiore ventos, fulmina, & pluuias: cum cauda ♈ aëris turbationem, sicut & cum lucida corona: cũ Delphino nubes, cum Arcturo ventos, & pluuias: cum Lyrâ nubila, cum præsepe pluuias, aut ventos, sicut, & cum asellis; cum Medusę capite frigus, & humorem diuturnum: cum orionis stellis imbrem, tempestatem, vẽtos; cum Pleiadibus auram turbidam cum niue, & pluuiæ: cum Spica repentinas mutationes, imbres, tonitrua, & fulgura præsignat.

Quid Iupiter.

♃ cum quacunque stella coniunctus temporis benignioris signum esse dicitur: cum Martialibus tonitrui; cum Venereis serenitatis; cum Saturninis frigoris impediendi; cum Mercurialibus claritatis aërẹ; cum lunaribus mollium pluuiarum; cum Regulo hyeme remissionis frigoris, & serenitatis, ęstate fulguris, & æstus: cum ceruice leonis ventorum.

Mars.

♂ cum Arcturo ventos validos, fulmina, & tonitrua: cum Aquila hyeme niues, æstate vero pluuias perseuerantes significat.

Venus.

♀ cum Arcturo ventos, sicut & cum Geminorũ capite iuncta præsagit, cum stellis Herculis pluuias: cum Orione ventos, & nubes, cum corona humorem; cum Virginis cingulo imbres: cum auriga, & asellis humiditatem.

Mercurius.

☿ cum Aquila pluuiam, & ventos: cũ cauda ♑ vẽtos frigidos, niues, & imbres: cum leonis cauda transitum repentinum: cum eiusdem dorso ventosam humiditatem: cum Lyra subitam permutationem, & imbres; cum Regulo ventos & frigus: cum crure ♒ ventos, & nebulas: cum lucida Hydræ ventum, & frigus significat.

Luna.

Denique luna magna mutationis causa est, præcipuè tamen ad humiditatem, & frigiditatem cum omnibus inclinat. Quænam verò sint stellæ Saturninæ, Martiales, &c. quæ suam à planetis denominationem accipiunt, in tabula dicam, in qua stellarum numerum ad c. 15 referam; in qua etiam perspicietur, cum qua parte Zodiaci vnaquęque stella extra Zodiacum sita oriatur, aut occidat.

Pauca etiam addere libet de planetis sibijnuicem collatis, quas aëris immutationes significet. Priusquam tamẽ diuersos inter se planetarum aspectus, eorúmque significationes apponam, notandum est quinque modis planetas suam sibijnuicem virtutẽ communicare pro diuersis, vel ijsdem Zodiaci partibus, quas obtinent; si enim coniunguntur, ea figuratio coniunctio, seu congressus, & Synodus dicitur, quæ est omnium radiationum efficacissima hacque nota ☌ significatur, quando videlicet 2 planetæ in eadem Zodiaci parte reperiuntur.

Synodus quid.

Hexagonus aspectus quid.

Altera radiatio sextilis, sexãgularis, & hexagonus vocatur,

vocatur, quãdo planetæ duo à seipsis per sextantẽ Zodiaci partem, id est per duo signa, vel 60 gradus abfuerint, estque cæteris aspectibus debilior, cùm fiat ex signis, natura, & sexu conuenientibus, sic autem designatur ✶, nempe figura sexangulari.

Tetragonus. Quadratus aspectus, seu tetragonus intercipit 90 Zodiaci gradus, vel tria signa, quæ sunt pars quarta circuli: robore mediocris est, designaturque hac figura □.

Trigonus. Trinus, seu trigonus facit, vt duo planetæ per trientem, seu tertiam circuli portionem absint, 4 enim signa seu 120 gradus amplectitur, sicque notatur △.

Denique oppositio discriminat planetas, aut alia sidera, (de quibus eodem modo, quo de planetis, quoad nomina configurationum dicendum est) per hemicyclum, adeout 6 integris signis, seu gradus 180 inter se distent, sicque notatur ☍. Oppositio.

Cætera quæ de partilibus, platicis, dextris, sinistrisque dicuntur aspectibus relinquo, tum quia non adeò necessaria videntur, vt sequentia possint intelligi, tum etiam quia non omnia velim hîc sequi, ne commentarij limites transgrediar.

ARTICVLVS II.

QVOMODO PLANETÆ PER SVAS IRRADIATIONES *futurorum naturalium signa esse dicantur.*

CONueniunt inter se Astrologi, dum asserunt coniunctionem Saturni, & Iouis magnam siccitatem & calorem æstate in signis igneis augere; hyeme verò temperare frigus: In humidis signis continuas pluuias, & inundationes portendere. Generatim autem volunt quemlibet ♄, & ♃ congressum in vere turbidum esse; æstate grandines, & tonitrua producere: quod vt quis experiatur, tametsi rariora sint exempla, quàm cæterorum planetarum ob maiorem tarditatem motus, id tamen deprehendi potest anno 1617, die enim 24 Iunij circa horam 10 pomeridianam ♃, & ♄ erunt in aspectu hexagono, vterque siquidem in 22 gradu reperietur, ♄ ♍, ♃ ♏. Quandonã ♄, & ♃ erunt in aspectu ✶, & □.

Idem aspectus ad diem 13 Nouembris redibit paulo post mediam noctem.

Anno 1619, 14. Februarij □ inter se facient circa quintam horam matutinam; versatur enim ♄ in 23 gradu ♒, in 23 ♋. quod & platicè continget 1 die Nouembris. Verùm ad aliorum aspectus vt pote frequentiores accedamus; satis enim est, vt auertamus tam ☍, & □, quàm △, vel ✶ ♄, & ♃ magnas semper in aëre mutationes portendere, ventosque, & grandines multis tam ante, quàm postea diebus, si vera dicant Astrologi, nec enim id in præsenti, velut ex cathedra dictum existimes.

Minerua. Quibus assentitur Paulus Minerua Barensis l. 1. de præsagitura temporum per viam cœlestem c. 9. vbi sententiam Regiomontani, & Stœflerini recitat, qui primò volunt obseruari tempora, vt quis aëris qualitates, & futuras tempestates præsagiat. Secundò signorum affectiones. Tertiò planetarum fortitudines, & irradiationes mutuas. Quartò climatum naturas. 5 inerrantium complexiones; ideoque cùm Astrologus se ad diuinationem accingit, spectãda est anni tempestas, an ver sanguineum, vel æstas biliosa, an verò melancholicus autumnus, vel phlegmatica hyems decurrat. Quænam requiratur, vt quis aëris mutationes diuinet.

Videnda est etiam triplicitas signorum, an ignea, vt ♈, ♌, & ♐; an verò frigida nempe ♉, ♍, & ♑: enimuerò si plures errantes, vel saltem duo superiores planetæ in triplicitate ignea coierint, magnam siccitatem portendunt, exemplum assignatur, sed longè præteritum anno 1603 die 24 Decembris, cum ♄ & ♃ coniuncti sunt in gradu 9, minutis 36 ♐, qui cum sit inter ignea signa, coitum illum magnam siccitatem ostendere putant, non solùm præsentem, sed vsque ad 20 annos duraturam. Quænam astra siccitatem portendant.

Pari iure, (si mendacium ius aliquod habere possit (te lector charissime docebit experientia) si coëant in signis aqueis, continuas aquarum inundationes prædicunt, maris tumultus, & incrementa, & diluuia particularia, quod ab anno 1583 vsque ad 1603 factum esse refert Minerua; tunc enim ♄, & ♃ coniuncti sunt in 21 gradu ♓. hora 4 ½ post matutinum ad eleuationem 45 poli; & quidem ait tantas inundationes fuisse, vt, homines agri Ticinensis, & Placentini tecta sua scandere coacti fuerint, idque anno 1587 circa finem Septembris, cùm vuæ penderent in vineis: Diuersas alias tempestates Neapoli visas explicat. Quæ aquarum inundationes. Exemplum affertur.

Ad alias stellas errantes venio. ♄, & ♂ congressus, si cætera concurrunt, grandines parit; at in signis humidis, ☍ & □ pluuias cum fulguribus. De prædictione ex Saturno, & Marte.

Cum ☉ ☌, ☍, vel □ pluuias grandines, & dies frigidos affert tam paulo post, quàm antea, præsertim in signis aquaticis, qui aspectus valuas aperiunt ob tardam separationem. Dicitur autem valuarum apertio, cùm aliqui planetæ congrediuntur; tunc enim insignis est aëris mutatio; idque contingit cum 2 planetæ, qui domos habent oppositas, corpore, vel radio præsertim opposito, vel tetragono copulantur; prima valuarum apertio fit in ♄, & ☉, vel ☽ congressu, quæ in aqueis signis magnos imbres adducit, & hyeme niues. Secunda ♃, & ☿ ventos producit. Tertia ♂, & ♀ imbres, & fulgura. verùm has apertiones alibi fauente Deo accuratè discutiemus. Valuarum apertio quid sit. 1 Valuarum apertio. 2. 3.

Saturni, & Veneris Sizygiæ ☍, vel □ pluuiam, imbres, & frigora præsertim in signis aquaticis gignunt: vere pluuias, & frigus, æstate pluuias subitas. ♄, & ☿ ☌, ☍, vel □ pluuias in humidis signis afferunt: in reliquis pro signorum qualitatibus varijs diuersam aëris mutationem efficiunt: præcipuè tamen vere ventos, & pluuiam, æstate ventos, & imbres, autumno ventos, & nubes, hyemẽ ventos, & niues.

S f

Quid præstet luna in diuersis astris.

Denique ♄ cum ☽ mutat aërem pro signorum natura, nam in signis humidis aërem nebulosum, & frigidum, in ♐, & ♑ frigus auget, quod si luna plena sit, sæpè grandines, vacua siccitatem generat, in siccis temporibus pruinam, & ferè semper luna cum Saturno nubes efficit obscuras, & nigras.

Quid Mars

Mars autem, & ♃ in ☌, ☍, vel □ in signis humidis tonitrua & corruscationes; vere turbidum aërem, & ventos, æstate calorem, tonitrua, & tempestates, hyeme frigoris remissionem efficit.

♃, & ☉ ☌ ventos salubres, & serenitatem in signis aëreis; in humidis fœcundas pluuias, in igneis calorem, & serenitatem; vere, & autumno ventos, æstate tonitrua, & fulmina, hyeme remissionem frigoris significat.

Quid Iupiter, & Venus.

♃ & ♀ congressus tranquillam admodum aëris temperiem, fertilitatem, & salutarem anni temperiem in quibusuis anni quadrantibus efficit.

Magna ventorum apertio.

♃, & ☿ ☌, ☍, vel □, aut alius aspectus maximè ventos mouet, & est magna portarum apertio ad ventos, vt plurimum sine pluuia. In signis igneis ventos calidos, imbresque raros, in aëris serenitatem denotat.

♃ cum ☽ ☌, vel aspectus quilibet sæpius ventos, & serenitatem significat; in ♈, & ♏ nubes albas toto cœlo spargit.

Ad Martem accedo, qui cum sole vehementes imbres, tonitrua, & fulgura, grandinesque nociuos in aqueis procreat, præsertim æstate, in igneis siccitatem, & æstus, in aëreis, tenebrositatem aëris; nec non varios morbos præsertim vere progignit.

Cum ♀ in signis humidis aquas facit profusas, tunc enim fit apertio valuarum: in aliis signis minores pluuias.

Cum ☿ in signis igneis siccitatem immodicam; in aquaticis imbres, in aëreis ventos calidos, & cum impetu ruentes significat, quia vterque planeta vehemens est, & impetuosus, quapropter vtriusque congressus autumno grandines, & ventos nubiferos facit; hyeme, & vere niues; æstate autem tonitrua, & grandines.

♂ cum ☽ ☌ ☍, & □ in humidis signis affert pluuiam. in igneis siccitates, nubesque croceas, & rubeas cœlo spargit, & aërem calefacit, & aliquando, vt æstate grandines, & tonitrua, & iridem cœlestem procreat.

Sequitur ☉ astrorum princeps, qui cum ♀ iunctus humidum tempus in signis humidis positus: vere, & autumno pluuiam, æstate tonitrua, & imbres adducit.

Cum ☿ ☌ in signis aëreis ventos, in humidis pluuias, in igneis ventos calidos cum corruptione, & siccitate progignit. Verùm cùm humiditas, & calor sint corruptionis principia, quomodo sol cum Mercurio iunctus siccitatem simul, & corruptionem generet, non video; viderint ipsi Iudiciarij, qui multis de causis etiam in rerum naturalium prædictionibus mihi suspecti sunt.

Sed hæc aliàs. Breuiter tamen reliquas Astrologorum positiones percurro.

☉ cum ☽ ☌, vel ⚹ quod sæpiùs accidit, in signis humidis pluuias, interdum nubes croceas, & grandes pluuiæ guttas; in signis igneis serenitatem præcipuè verò ☌ significat: nouilunia sunt æstate calida, hyeme frigidissima, plenilunia verò æstate frigida, & hyeme temperatiora. Sol.

♀, & ☿ ☌ in signis humidis præcipuè facit imbres, & quocúmque anni tempore ventos humidos, vel nubes: quæ coniunctio si contingat hora ☌, vel ☍ luminarium, pluuiarum inundationem pariet. Venus.

♀ cum ☽, ☌, ☍, vel □ facit mites pluuias cum frigore, maris æstum adauget; humidum, nebulosumque tempus, æstate remissionem caloris, autumno nebulas turbidas, hyeme turbidum tempus, vel niuem efficit.

☿ cum ☽, ☌, ☍, vel □ ventos fortes, pluuias interpolatas, multasque variationes, in signis humidis imbres, in aëreis ventos, in igneis siccitatem, in aëreis frigiditatem: præterea nubes sæpe pallidas, incontinuas, & fumi colorem habentes, & bonos ventos cum mollibus pluuiis adducit. Mercurius.

Hæc sunt, quæ non tantùm Astrologi Iudiciarij, qui de actionibus hominum, & diuersarum religionum statibus futuris præsagiunt, sed illi, & qui solo Astronomorum nomine gaudent, imo & Theologi quidam, & Philosophi Christiani affirmant, sic enim Maginus in supplemẽto Isagogico: sic Minerua citatus, & alij. Qui subiungunt congressus affixarum stellarum cum planetis; voluntque stellas aliquorum planetarum vim, & naturam imitari, adeout Saturninæ stellæ gelidæ sint, & grandinosæ: Iouiales ventosæ, salubres: Martiæ tonitruosæ, (sic enim loquuntur) impetuosæ, procellosæ, quæ si cum ♄ permisceantur, pestilentes, & suffocantes dicantur, sicut & Solares æstuosæ, ventosæ. Venereæ humidæ frigidæ: Mercuriales indifferentes, venereis coniunctæ venenosæ, pestilentes; cum Iouialibus positæ tempestuosæ, &c. quæ vt incerta, ne falsa dicam, omitto. Quare stellæ suam à planetis denominationẽ sumant.

Certiora fortè dixero, quę de Orione, Arcturo, & Corona tempestuosis; de Capra, & hœdis vẽtosis, de pluuiosis Hyadibus, & Pleiadibus, de duabus Caniculis, & anterioribus Leonis partibus æstuosis afferunt. Cætera apud maiorum ephemeridum scriptores habentur, qui tam de agriculturæ obseruationibus, quàm rebus nauticis fusè disserunt, ideoque non plura hîc subiungenda esse arbitror. Quænam prædictiones certiores videantur.

QVÆSTIO III.

QVÆSTIO XIII.

Quod aſtra non ſint ſigna rerum omnium tam præteritarum, quàm futurarum.

ARTICVLVS PRIMVS.

QVOMODO PERTINACES SINT ASTROLOGI, qui neque authoritati, nec rationi credunt.

Capite ſerpentis abſciſſo ſemper aliud renaſcitur, donec omnia penitus abſcindantur, & ignis adhibeatur.

Loca Scripturæ citātur, quæ aduerſus Genethliacos adduci ſolent. IAm deludunt Aſtrologi Scripturarum ſanctarum authoritates, tam ex c. 19 Deut. Hier. 1. Iſai. 47 Soph. 1. Hier. 10. 1 Reg. c. 18. 4. Reg. c. 23. ad Galat. 4. quàm ex aliis locis deprompras, quas ad alios ſenſus detorquent. Paruæ vel nullius apud eos authoritatis ſunt Iuris canonici decreta c. *illos* 26. q. 2. c. *non liceat* 26. qu. 5. & c. *ſed illud.* c. *non ſtatim*, & aliis explicata, nec pluris faciunt Concilium Toletanum 1. in articulis fidei, quod Aſtrologos anathemate perſtringit hoc fidei canone; *Si quis matheſi, & aſtrologiæ credendum exiſtimet, anathema ſit.* Ius ciuile ſpernunt, eiuſque leges l. *item apud Labeonem § ſi quis Aſtrologos.* D. *de Iniuriis.* l. 2. C. *de malef. & mathe.* l. *nemo haruſpex.* C. *de epiſcopali audien.* Non audiunt Patres orthodoxos D. Ambroſ. 4. hex. c. 4. Chryſ. in 2 Matth. D. Aug. 2 ſuper Gen. ad lit. c. 17. & 2 doctrin. Chriſt. c. 21. 5 de Ciuit. ferè per totum l. 6. c. 9. l. 14. c. 4. quos latè retulit De Angelis in Aſtrologos, Caſmannus parte 2 Aſtrol. c. 9, & alij recentiores; Irrident Scholaſticos Theologos cōtra Aſtrologiam agentes in 4 D. Thom. eiuſque commentarios 22. q. 95. art. 5, Picum ſuis 12 libris, & Franciſcum nepotem 5. prænotion. Iul. Syren. 9 de fato c. 29 Ciruel. de ſuperſt. p. 2. c. 5 & 1 de Aſtrologia Chriſt. c. 1. Medin. 2 de recta in Deum fide c. 2. Delrionem 4. diſquiſit. c. 3. quæſt. 1 & lib. 6. anacephal. monit. 7. Suarem 2 de Relig. cap. 11. Raphaëlem de la Torre, Sanchem, Torreblancam, & alios, quicunque aduerſus Aſtromantiam egerunt, noſq; poſtea, ni fortè non amplius inſanirent, dabunt in riſum.

Iura canonica citantur. Concil. Tolet. Ius ciuile citatur. Patres afferuntur. De Angelis Caſmānus. Scolaſtici, & alii qui aduerſus Aſtromantiā egerūt.

Non parcunt Iuriſperitis Abbati Anchar. & aliis in c. *ex tuarum. de ſortilegiis.* Turrecrem. *in c. illud.* Maluet. de ſort. p. 1. Bald. & Salyc. in tit. *de malef. & math.* Grill. de ſortil. quæſt. 3. & 11. Leloyer 3 ſpectr. c. 9 Iul. Claro l. 5. recept. §. *hæreſis* n. 25 Menoch. *de arbitr.* lib. 2 conſ. 188. Dahauder c. 61. praxis n. 80. Medices in ſumma p. 1 tit. 2. qu. 36. & in alia ſumma hær. p. 3. c. de Aſtrol. Lancel. Conrad in templo Iudic. lib. 1. c. 1. §. 3. Proſp. Farin. tit. 1. quæſt. 20, quos citat Torreblanca lib. 1 de magia diuinatrice cap. 8. Sed nec curant optimos Philoſophos Platon. in Cratilo, Ariſtot. 1. periher. Cicer. 2 de diuin. Phauorin. apud Gellium 14. noct. Attic. cap. 1; nec Medicos Galen. 1 de ſanit. tuen. Valeſ. c. 31 ſacræ philo. Leninū Lemn. epiſt ad Prolic. Langium epiſt. 35. Eraſtum epiſt. multis, & alios paſſim; nec Hiſtoricos Tacit. lib. 2, & 17 annal. Euſeb. 6 hiſt. Eccl. c. 6, & 7. Marian. de rebus Hiſpanic. l. 17. c. 14; nec Poëtas, vt Iuuen. Sat. 6. de quibus ait.

Multi Iuriſperiti apud Torreblancam. Philoſophi. Medici. Hiſtorici. Poëtæ. Iuuenal.

Non enim ſunt ij, aut arte diuini, aut ſcientia;
Sed ſuperſtitioſi vates, impudentéſque Arioli.

Quid ergo ſupereſt, quo valeant ad mentem reduci Aſtrologomantes? an ius naturale? an ratio? an helleborum? an fuſtes, tormenta, & carceres; ſi iuri naturali, ſeu rationis dictamini morem gerant, exiſtimant ne Scripturam ſacram, Ius canonicum, Ciuile, Patres ortodoxos veras Eccleſiæ columnas, Scholaſticos Theologos, Iuriſperitos, Philoſophos; Medicos, Hiſtoricos, Poëtas; totum denique genus humanum in Aſtrologia diuinatrice condemnanda vel erraſſe, vel ratione caruiſſe, ſéque ſolos præclarè ſentire? quis hoc in animum tametſi ad omnia credendum facillimum inducere poteſt? Vnde fit ergo, vt aduerſus tanta tam receptarum authoritatum momenta inſurgere audeat, vt non ſolùm in priuatis ædibus, ſed palam ſuas diuinationes ex aſtris aperiant, quas obſecro cauſas afferunt? quibus ducuntur motiuis? qua ratione fulciuntur, vt tam liberè leges omnimodas infringant; aut eludant? An quia Chaldæos ſequuntur, à quibus diuinationes iſtæ ſuam originem accepiſſe videntur, vt pote omnium mortalium antiquiores, vt tradit Ariſt. 1 de cœlo t. 60, & in Meteor. & principio Metaph. vbi affirmat Ægyptios omnium vetuſtiſſimos haberi, mathematicæ ſtudia tractare, & colere cœpiſſe, itaut iam ab antiquis temporibus ſumatur Chaldæus pro Aſtrologo, vt Samaritanus pro malefico, pro quo etiam mathematicus ſumitur in *rubr. C. de malef. & math.* &c. 2 Daniel. Chaldæos inquam, Zoroaſtrem, Triſmegiſtum, ac neſcio quos ſæpius fictos authores omnibus teſtimoniis antea relatis præferunt? An potius æſtimandum eſt eos ad has diuinationes adduci, quòd ſæpius multa vera prædicant, imo, vt volunt, ſemper niſi vel aliqua vis ſuperior aſtrorum influxus impediat, quam, ſi de minus perperam ſentientibus loquimur, aſtris præeſſe libenter agnoſcunt; vel in calculo, cæteriſque præuijs operationibus ad erigendam figuram cœleſtem neceſſarijs, aberrent. An fortè ſibi fauere putant iura, Scripturam ſacram, & Theologos; cæteroſque, quos nuper attulimus, cùm Aſtrologia naturalis permittatur, ac laudetur c. *ſi quis Grammatic.* 37. d. c. *ex tuarum. de Sortil.* & partem reuelatiuam approbet Vvillapand. his verbis; *prima pars Aſtrologiæ eſt reuelationis, dū tractatur ex vniuerſalibus commenſuratis, immediatiſque principiis, & aliis artis regulis, poteſt probabiliter & ſtellarum aſpectibus, conformationibus, retrogradationibus, conſtellationibus; & oppoſitionibus prædicere cœli eclypſes, terræ ſterilitatem, annonæ pretium, aëris ſalubritatem, vel corruptionem, & ſimilia, niſi ſupputatio, vel inſtrumentum fallant.*

Ariſtot. Daniel 2. Quænam ſint Iudiciariorum fundamēta. Vvillapand.

adeout futura huiusmodi saltem contingenter prædici possint.

Quænam D.Thom. Astrologis concedat.

Quoad partem Genethliacam attinet, nunquid S. Doctor 22. quæst. 26.art.6 concedit,vt quis per horoscopum naturales propensiones dispositiuè tamē,& non necessariò rimetur; & 3 contra Gent. cap. 85 concedit eos, qui in sua natiuitate Mercurium in aliqua domorum Saturni, eumque fortem habent,in suo esse bonitatem intelligentiæ habituros, vt refert ex Ptolomæi centiloquio, & multa sequ.capit.astris concedere videtur. Adde quòd in Genesi Deus astra fecisse dicatur non tantū in tempora, sed etiam in signa, at quæ signa nisi rerum præteritarum,aut futurarum, aut etiam præsentiū, aut istarum trium simul intelligemus? Relinquo cætera Scripturæ,Patrum Theologorum,Philosophorumque dicta, quæ suis è partibus stare existimant.

Communis Astrologorū respōsio.

Sanè vt libens quod sentio fatear, hæc omnia fuisse puto rationes,cur multi alioqui non imperiti, nec fortè improbi plus æquo tribuerint stellis, ac planetis; Est tamen & aliud, nam omnes ferè hanc apud se de Theologis opinionem statuerunt, vt eos Astrologiæ regulas, & canones,cæteráque ad futura prædicendum necessaria nescire arbitrētur, ac proinde cæcos Astrologorum condemnationi subscribere; facile siquidem esse videtur, id, quod non intelligant,calumniari: At de quibusdā Theologis cùm id verum esse queat,non tamen de omnibus,quod satis suis 12 aduersus eos laboribus testatus est magnus ille Hercules Mirandulæ comes,eiusque nepos Alcides alter suis de prænotione libris aduersus omne genus diuinationis. Cum autem sint duo præcipua Astrologorum genera, vnum paganos inter recensendū,quod non admittit authoritatem sacri codicis; aliud, quod quidem ei credit,sed quantum potest,ad alium intellectum Scripturæ,sententias à Spiritu sancto aduersus Astrologos dictatas trahit; id tamen inter se commune habent, vt rationi cedere debeant; Hinc fit, vt cùm eis rem habeamus, plus nobis sit validis rationibus,quàm authoritatibus innitendum, ea tamen breuitate,quæ non impediat ampliorem omnium fabellarum Astrologicarum refutationem,

Picus vterque.

quam faxit Deus ita possimus perficere, vt nullum eis amplius subterfugium supersit, in præsentia contenti, si quibusdam eos rationibus illuminemus, si forte suum velint errorem abijcere; quod antequam præstetur,an opus sit explicare, aduersus quam Astrologiam agendum sit, dubito, vel opinionē Erasti tantùm proponere debeam epist. 14. vbi ait scribens ad vnum Medicum simul & Astrologum,qui commouebatur,quod Astrologorum diuinatrices fabellas irrideret; *Non tibi concedo Astrologiam à doctis partim bonam, partim verò malam iudicari. Totam enim, quanta, quanta est, friuolam existimant, ac rationi, sensibus, Philosophia, pietati aduersari maximè affirmant. Nunquam probabis ideo ipsam à D. Basilio, & Augustino repudiatam, & damnatam esse, quia pars ipsius aliqua tantùm sacrarum literarum authoritatem imminuat. Totam totam, inquam, friuolam, vanam, falsam, impiam asseuerarunt, quatenus de futuris contingentibus diuinat. Hactenus enim iudiciaria, & diuinatrix est. Quod in ea præterea quiddam inesse aiunt, nam ad hanc, sed Astronomiam pertinet.* At ne iam isto summo iure veritatis hostes aggrediamur; aduertant me iam discutere nolle, an aliquo modo in nos astra influant, siue vt causæ vniuersales,siue vt particulares; an aspectus benè constituantur, & in trigonum, tetragonum, Sextilem,coniunctum,& oppositum rectū, necne diuidantur, an eædem ferè vices tam in ventis, quā in aliis tempestatibus elapso quadriennio redeant, cùm facta intercalatione politicus annus cum Astronomico quoad tempus exortū, & mediationē stellarum cum solè fere congruat, qua regula teste Plin.l. 2. c. 47 Eudoxus vtebatur; an trutina Hermetis, & cæteræ horoscopandi viæ, an hylegia, animodar,alfridaria, trigonatus planetarum,ac reliquæ Astrologorum inuentiones, in quibus enumerandis nimius esse nolim, fundamentū aliquod habeant, necne, sed præsertim illa mihi refellenda venit Astrologia, quæ semper ab Ecclesia damnata est,& quorum libri, vt multi putant ab Apostolis combusti sunt, vt in Actibus habetur cap. 19. sed ne me roges, quam abiici velim, & contra quam agam, audi Patres pro me respondentes.

Opinio Erasti.

Plin.

Quædam Iudiciariorū inuētiones referuntur.

Actuum 19.

ARTICVLVS II.

QVÆ ASTROLOGIA CONDEMNATA sit, quæ est eadem, contra quam agimus.

Origen.

SI quis vestrùm, inquit Orig.hom.3 in Hier. *Mathematicorum deliramenta sectatur, in terra Chaldæorum est. Si quis natiuitatis diem supputat, & variis horarum, momētorumque rationibus credens hoc dogma suscipit, quia stella taliter, ac taliter figuratæ faciunt homines luxuriosos, adulteros, castos, aut certè quodcunque eorum, in terra Chaldæorum est. Iam quidam existimant ex Astrorū cursibus Christianos fieri:* paulo antea dixerat Chaldæos plurima, quæ geruntur in terris, stellis consecrare, & peccatorum nostrorum causas, siue virtutem eorum, quæ accidunt nobis, ex eorum motibus asserere fieri, quæ omnia falsa docet. Neque enim micans aliquod sidus, vel Phaëtontis, vt aiūt, vel corrupti catamiti stella nostrorū causam continet negotiorum, subinde *apothecas Chaldæorū* Hier. 7 explicat de doctrina natiuitatum & 44. *scrutamini eam quasi speluncam, & disperdite*, de præcepto diuino interpretatur, cui satisfacimus, *si supputationē nataliū respuamus & veritatis sermone vtamur aduersus eam ostendētes nihil eorū, quæ Mathematici dicunt, verum esse*, qui asserit sidera non esse causas rerum, quæ fiunt super terram, minus autem eorum, quę nobis Christianis accidunt; *iste*, inquit, *exequitur præceptum Dei, disperdite eam, cui additur, non fiant ei reliquia, quasi diceret, vsque ad internecionem errores Chaldæorum exscindantur.*

Hierem. 7. & 44.

In

August. In hanc ago de qua D. Auguſt. 5 de Ciuit. cap. 1. ait. *Si dicuntur ſtellæ ſignificare potiùs iſta, quàm facere, vt quaſi locutio quædam ſit illarum poſitio, prædicens futura non agens (non enim mediocriter doctorum hominum fuit iſta ſententia) vt verbi gratia, Mars ita poſitus homicidã ſignificat, ſed homicidam non facit, quî fit, vt nihil vnquam dicere potuerint Mathematici, cur in vita geminorum in actionibus, in euentibus, in profeſſionibus, artibus, honoribus, cæteriſque rebus ad humanã vitã pertinentibus, atq; in ipſa morte ſit plerumque tãta diuerſitas, vt ſimiliores eis ſint, quantum ad hæc attinet, multi extranei, quàm ipſi inter ſe gemini per exiguum temporis interuallum in naſcendo ſeparati, in conceptu autem per vnum concubitum, vno etiam momento ſeminati:* Faceſſant ergo noui iſti Aſtrologi, qui faciunt rerum futurarum non tantùm naturalium, ſed etiã ſupernaturalium ſigna ſtellas, & planetas, adeout Chriſti Domini horoſcopum, ſeu thema natalitiũ auſi ſint erigere, vt oſtenderent eius natiuitatem ab aſtris, ſi non effectam, ſaltem ſignificatam, ideóque conſtitutione cœli obſeruata, quam natiuitas Chriſti habuit 42 Auguſti 8 Kalend. Ianuarij antè noctis dimidium, hanc figuram deſcripſere.



Petr. de Alliaco Sixt. Senen. Hanc ſententiam tribuit Aliaco quæſt. 30 in Geneſ. & lib. de legibus, & ſectis ſuper ſtella Magis in oriente conſpecta. Sixt. Senenſis lib. 6 Bibliot. ſanct. annot. 10, qui velit magos ex illis Aſtrologicis contemplationibus prænoſcere potuiſſe Chriſti natiuitatem, & vitam, ac futurum inſigniem religione, imperio, & gloria, primò quidem ex magna coniunctione ♃, & ♄, qui anno ante Seruatoris noſtri ortum ſexto, in ſigno Cancri coierint; id enim portendit magnam religionum mutationem.

Secundò ex præcedenti themate, in quo horoſcopus eſt gradus 8 ♍, à quo mutationes religionis ſignificari exiſtimant, & in culmine cœli ♄, imum cœli tenente ſole, cum cæteris planetis in ſchemate notatis, idemque ferè dixiſſe ferunt Albertum magnum in ſuo ſpeculo, quod tamen eruditi, (teſte Senenſi, quod certè nec ipſe credidero) negant eſſe Alberti, ſic autem refert ex ipſo ſpeculo, quod tãtummodo manuſcriptum in Bibliotheca Regia vidi, nec enim in illo paruo ſpeculo Lugduni impreſſo illud reperi.

Albert. Magn.

Albumazar in ſuo maiori Introductorio tract. 6. *Aſcendit, inquit, in prima facie illius ſigni ♍ pulchra, & honeſta, habens in manu ſua 2 ſpicas, & nutrit puerum, & vocat ipſum puerum quædam gens Ieſum, & aſcendit cum eo ſtella Virginis,* quibus addit Albertus: *nos ſcimus, quòd ſub aſcendente ♍ natus fuit Dominus noſter Ieſus Chriſtus, cum hoc, quod æquatio motus octauæ ſphæræ in tempore eiuſdem fuit 8 graduũ, & 30 minutorum ſecundum calculationem certiſſimam; & quod ipſa erat tunc minuenda de locis planetarum inuentis per canones, non quòd ſubiaceat ſtellarum motui, qui creauit ſtellas, ſed ipſe cauſa erat, cur ſuam admirandam natiuitatem aſtra ſignificarent, & hic eſt ſucus.* Albumazar

Cùm enim viderent Aſtrologi ſe non poſſe ſine fidei, aut libertatis præiudicio futurorum euentuum cauſas aſtra conſtituere, mox ad ſignificationem omni efficientia exutam recurrerunt. Hinc orta eſt diuinatricis Aſtrologiæ cum Theologia Chriſtiana paralelliſmus, de quo nos pauca hic decerpemus, vt magis adhuc appareat quam Aſtrologiam impugnandam nobis proponamus.

Non legi, aut vllum audiui, qui peccatum protoplaſto refunderet in aſtra, ſiue vt cauſas, ſiue vt ſigna, nec qui diceret eum in aſtris, velut in libris legiſſe, aut legere potuiſſe futuram ſerpentis tentationẽ pœnas à Deo imponendas, exilium à Paradiſo aduẽtũ Dei iuſti iudicis poſt Meridiẽ ad auram; futurã Abelis mortem, raptum Enoch, gigantũ generationẽ, & alia plurima, quæ habentur in Geneſi: licet fortè nõ deſint, qui in id temeritatis prorumpant, vt ea per aſtra deducere, & cognoſcere præſumant; legi tamen Aſtrologos in ea eſſe ſententia, quod Noë diluuium per regulas Aſtrologiæ præviderit, vt refert Porthæſius Ordinis minorum ſui temporis concionator celebris Pictauienſis libro de vera, & falſa Aſtrolog. cap. 6. ſect. 4. ex Guiliel. Pariſ. 1 p. de vniuerſo, & Aliaco l. q. in Gen. de ſectis, & leg. ac de concordia Theol. & Aſtrol. quia paulo ante diluuium magna planetarum præceſſit, ſtellarumque humidarum, frigidarum, pluuioſarum, & tempeſtuoſarum coniunctio, quæ Geneſ. 7. cataractæ cœli dictæ ſunt, planetæ quidem, vt ♂, ♀ ☽, ſtellæ verò, vt Vrſæ, Hyades, Orion, & ſigna Cancer, piſces, Aquarius. Henricus de Malignis Alberti diſcipulus, commentariis in Albumaſar, & Tibertus Calaber volunt ortum diluuium à ♃, ac ♄ in extrema ♋ parte coniunctione in directo nauim agricolæ habente: quas propoſitiones mendacij, & hæreſeos conuiciſſe ait Hieronymum Armelinum Dominicanum? ſed paulò fuſiùs, quid Aſtrologi doceant, ex Michaële Medina 2 de recta in Deum fide c. 1 repetamus.

Porthæſius. Guil. Pariſ. Aliac. Gen 7. Hẽricus de Malignis. Tibertus. Armelinus. Medina.

Aſtrologi docent aſcendente Geminorum ſydere, ♄, & ☿ ſub ♒ iunctis, in nona cœli plaga naſci Prophetam, ideóque Chriſtum Dominum tot claruiſſe miraculis, quòd in eo loco ♄ habuerit in Geminis. Religionũ ſectas, quibus Iouem præcipuum patronum præficiunt, per cæterarum ſtellarum commiſtiones diſtribuunt, itaut ♃ cum ♄ Iudæorum faciat religionem, cum ♂ Chaldæorũ ignem adorantium, cum Sole Ægyptiorũ, qui cœli militiam, ſeu ſidera colunt, cum ♀ Sarracenorũ, cum ☿ Chriſtianam, cum Luna eam, quæ ſub Antichriſto futura eſt vltima, hoc eſt inuentum, inquit Ioannes Picus l. 5. c. 17. & verè figmẽtum, quo Rogerius Bacco epiſtola ad Clementem, & Alliacenſis tract. de concor. Aſtrol. & Theol. vſus eſt. Præterea Moſem ita volunt aſtrologicis diſciplinis imbutum, vt Sabbati diem religioſum inſtituerit. Igitur quid opus eſt, vt nos orare doceat Chriſtus? cùm exiſtiment eum qui Deo ſupplicauerit, Luna atque Ioue cum capite Draconis in medio cœli iunctis, omnia quæcunque petierit, obtenturum, eiuſque animam ad cœlum rapiendam, qui ♄ in ♌ fœliciter cõſtitutum habuerit: Sic illi in aſtra Virginis puerperium, mortẽ Chriſti Martis opus, Sodomæ incendium, & cætera, quæ fide ſola credimus, referunt, adeout Saturnum extremi iudicij diei reuelatorem efficiant, vt neceſſe fuerit Patribus in Lateranenſi Concilio ſub Iulio, & Leone Pontificibus coacto, Aſtrologiæ laſciuiæ frœnum inijcere, enimuero Arnoldus Villanouenſis, & alij multa volumina de iudicij die aduentãte ex Aſtronomica ratione comperto, ſcripſerant. Eſt autem valde notandum, quòd Rogerius eiuſdem cum Medina ordinis librum vnum de Necromanticis imaginibus, alterum de excantationibus, duos de Alchimia, & alios innumeros de Aſtrologicis myſteriis ſcripſerit, adeò cautus eſt humani generis æmulus, vt etiam viris alioqui doctiſſimis illudat, & eos in errorem abducat, quorum certè eò periculoſior eſt familiaritas, quò meliùs inſanę doctrinæ venenum diuerſis coniecturis, atque fucis rationum obtegunt, quorum conſuetudine etiam electi, ſi fieri poteſt, in periculum ſuæ ſalutis, ne dicam interitum, conijciantur.

Picus. Rog. Bac. Aliac. Later. Cõc. Arnol. de Villa noua. Rogerius.

Multa ſunt, in quibus Scripturæ ſanctæ, atque Patrum authoritate, vt armis propriis vtimur, hîc verò ipſis aduerſariis vti poterimus, vt prędicta refellamus, ſint ergo ipſi inimici noſtri iudices, inter quos Ciruellum videre eſt, quem maximè Iudiciariis, Genethliacíſque fauere conſtat, cùm Mirandulæ comitem miraculum ſui ſæculi Picum refellere nitatur. Ille ergo 2. parte Centilogij, in quo doctrinæ ſuæ ſummam includit, concluſione 18 hæc habet.

Ciruellus.

Præter aëris mutationes, etiam de communibus moribus hominum per magnas coniunctiones ſuperiorum planetarum iudicia recta dari poſſunt, non tamen eo modo, quo Albumazar iudicabat: quam concluſionem ſic explicat. *Communes hominum Mores à natura proficiſcuntur, ſecus autem de priuatis vniuſcuiuſque moribus, hinc Ariſtoteles dixit, quòd fama, quam totus populus decantat non omnino vana eſt, quia ſcilicet à naturali inclinatione procedit. Videmus autem communiter omnes vnius regionis homines ſimiles quoſdam mores habere, & diuerſarum diuerſos, vt Italos, Germanos, Gallos, Hiſpanos, & cæteros, quod non caret cauſa naturali, quæ cùm ſit generalis, & vniuerſalis cauſa ſicut & effectus, oportet dicere quòd ſit conſtellatio cæleſtis ſuper illam regionem, quæ incolas eius aliter inclinauit, hos quidem faciens à natura bellicoſos, illos pictores, alios muſicos, alios Philoſophos, & ſtudio ſapientiæ deditiſſimos, & alios ad alia opera aptiſſimos, At verò quòd in eodem tempore facit diuerſitas regionum, hoc in diuerſis ætatibus oſtenditur in eadem regione, ſcilicet varietas morum communium in hominibus, adeout in vna ætate communiter omnes intendant vni ſtudio, in alia verò alteri, vt qui in hac regione olim bellicoſi, & raptores erant, nunc ſint pacati, literis, & religionibus dediti. Hæc autem varietas etiam vniuerſalem cauſam habet cæleſtem videlicet conſtellationem. Nimirum ergo ſi per figuras magnarum coniunctionum, quæ ſunt cauſæ valde vniuerſales, de hiſce rebus velimus iudicare, maximè vbi concordat experientia cum figura Aſtrologica. Quid autem ex hac inclinatione naturali poſtea homines agent, iam non arte, ſed leui quadam coniectura haberi poterit, cùm illud principaliter pendeat à libero arbitrio. Vnde patet error Albumazaris, & aliorum, qui per magnas coniunctiones artificioſè putat ſe docere communiter, & regulariter aduentum nouorum Prophetarum, & legum mutationes, imo & facies, & veſtes, & iumenta talium legiſlatorum, & alia plurima valde incerta per naturam*: (perſpice Lector.)

Poteſt ergo Aſtrologus per vnam magnam coniunctionem prædicere confuſè, quòd in tali ætate homines erunt inclinati, & naturaliter dediti bellis, ſed non poteſt per artem ſcire, ſi erunt victi, vel victores. In alia ætate dicere poteſt, quod erunt homines inclinati ad literas, vel ad mercaturas, vel ad religiones, ſed non poterit determinare ſpecies, & modos illarum religionum, verbi gratia. Coniunctio maior Saturni, & ♃ in ♐ circa tẽpora Caroli Magni Francorũ Regis, & primi Imperatoris latinorũ, cuius figura in tota ferè Europa aſcẽdẽs erat libra: vnde, & ſignũ magnæ cõiũctionis, quod deſcribitur allatũ erat in tertia domo figuræ, ſignificauit naturalẽ hominũ inclinationẽ ad ſciẽtias & artes ſubtiles, atq; religiones, & ſanctas peregrinationes, nã hæc ſunt ſignificata

ficata tertiæ domus, & quia libra est signũ æquinoctiale, significat templa, & religiones, vt vult Ptolem. Sagittarius etiam signum bellicosum est, & habet partes occidentales Europæ teste eodem Ptol. Ideo simul inclinabat talis constellatio ad bella, & scientias, & religiones in tota Europa, maximè in partibus eius Occidentalibus. Confirmat hanc sententiam Mercurius existens in libra tempore illius magnæ coniunctionis, & postea fuit in ♐ paucis diebus transactis; nam ☿ est planeta ingenij, scientiæ, & religionis, & durat hæc constellatio pariter, & inclinatio per 800. annos. Hæc omnia licitè poterat iudicare peritus astrologus illius ætatis, sed non potuit per artem præuidere, quòd Rex Francorum erat sublimandus ad imperialem dignitatem, & fundaturus Parisiensem Vniuersitatem, atque amplificaturus S. Benedicti religionem, & inchoaturus ad S. Iacobum deuotam peregrinationem, & multa bella strenuè gesturus contra infideles, & contra tyrannos vexantes Ecclesiam, & Apostolicam sedem. Similiter non potuit determinare Astrologus magnificas victorias Hispanorum contra Sarracenos, & institutiones quarundam religionum militarium, quæ paulo post illa tempora in Hispania ordinatæ sunt in fauorem fidei, & Ecclesiæ Christianæ, quales sunt milites sancti Iacobi, & sancti Ioannis, & sancti Sepulchri, & alij plures. Hæc Ciruellus alioquin vehemens astrologiæ propugnator, & propagator; in quibus tametsi multa reprehensione digna sint, satis tamen ostendit tantùm abesse, vt quis de Christi aduentu ex Astrologia iudicare possit, cùm neque de futuris euentibus, licet naturalibus, prædicere possit. Hæc tamen minimè sufficiunt, vt errores illi refutentur, præcipuè cùm ipse satis ostendat ex iis, quæ subiicit, se non ita ab Alliaco alienum esse, quin eius sententiæ faueat: Addit enim de particularibus effectis verba faciens.

Ptolem.

Quamuis hæc omnia particularia ex illa generali inclinatione orta sint, disponente hoc summo gubernatore Deo cui tota natura, & ordinationes eius subiacent ad nutum; Et, (vt Dominus Cardinalis Petrus Alliacensis ait) probabile est, quòd diuina prouidentia, quæ omnia nobis futura sibi præsentia habet, ab ipsa mundi creatione taliter ordinauerit motus cœlestium corporum, vt certis temporibus ad mysteria sua, quæ per homines agenda disposuerat, non deessent etiam naturales inclinationes ad talia opera melius exercenda.

Nobis igitur strenuè, prout Deus Optimus Maximus dederit, aduersus hanc opinionem dimicãdum est, quæ vult signa cœlestia, eorumque varios aspectus, & dispositiones omnia futura significare; non enim in præsenti hanc partem agitamus, quæ facit astra causas futurorum, quę satis à Pico, Pererio, de Angelis, & multis alijs impugnata, & quicquid proterui Astrologi clament, expugnata videtur; quod etiam aliquando, si Deus ita voluerit, non inpigrè facturi sumus.

Et quidem non est, quòd in singulis refellendis immoremur, quæ illi de Christi proponunt horoscopo, quandoquidem ea omnia vnico verbo destruere possum, cùm primò errent in latitudine Hierosolymorum, vel loci, in quo natus est Christus, qui solùm 31 graduum & 40 minutorum latitudinẽ habet, vt Maginus, & Origanus notãt, vel ad summum 32 graduum, vt alij; cum tamen illud schema, quod supra retulimus supponat Hierosolymorum latitudinem esse 36 graduum, quod non potest non esse ingentis erroris occasio. Quid si ad Keplerum Genethliacos istos remiserim? nunquid mirabuntur, si eos per 5 solidos annos in illo themate aberrasse conuincet? Verùm ne iam celebrẽ illam difficultatem de anno Christi natali aggrediamur, de qua fusè Keplerus, & nuper Reuerendus P. Dionysius Petauius non minus accurata, quàm longa diatriba in animaduersionibus ad Epiphanium egerunt, satis constabit ex iis, quæ postmodum aduersus omnia Horoscopi domicilia dicemus, illa omnia, quæ de Christi themate genethliaco referunt, esse friuola, & insulsa.

Latitudo vrbis Hierusalem.

Kepler. Petauius.

Antequam vero cellulas, & angulos excutiamus in quibus tota Genethliacæ virtus sita esse videtur, operæpretium est indicare, quid secundum Astrologorum ineptias vnusquisque angulus significet, quóue nomine cohonestetur: faciliùs enim vnusquisque vim nostrarum rationum percipiet, tametsi nunquam his artibus imbutus fuerit; & cæteris proficiet, qui hinc occasionem arripere poterunt, vt validioribus argumentis artes impias perstringant; nec erit ampliùs, quòd Astrologi conquerantur, nos eorum principia, fundamenta, figuras, atq; procedendi modum ignorare, vel ex professo reticere, vt in odium populi veniant, & eorum disciplinæ contemnantur, atque reiiciantur: Tantum enim abest, vt verear, ne ea omnia, quibus vtuntur in lucem prodeãt, quin potiùs id libentissimè perfecturus essem, nisi me studia nobiliora, & vtiliora ad maius aliquid compellerent, ac alijs quibusdam rationibus ab eo instituto auocarer; hîc ergo tantummodo necessaria proponamus.

ARTICVLVS III.

QVÆNAM SINT NOMENCLATVRÆ, & officia cellularum seu domorum Horoscopi Genethliaci, in quo domus prima, secunda, & tertia discutitur.

OMnes Genethliaci in eo conueniũt, vt totius cœli dispositionem, & faciem in vna figura, vel quadrata, vel rotunda referant, quam in 12 partes diuidunt, paucis exceptis, qui in Medicorũ gratiam cœlum in 16 portiones discernunt, vt exactius de diebus criticis philosophari possint. Hoc autem ordine domicilia horoscopi constituunt, vt prima sit in Oriente propè horizontem: 4 postea sequãtur, quæ sub horizontem deprimuntur: cæteræ vsque ad 12 supra horizontem collocantur, quod, existimo, fiet clarissimum in circulo sequenti, in quo per numeros mansiones notabo.

Prima domus, quæ terminatur infra Horizontem in cuspide secundæ domus, vt Origanus notat, parte 3. c. 5. pagina 427, dicitur Horoscopus, id est horæ inspectio, teste Luca Gaurico Isagoge Astrol. part. 4. tract. 1. cap. 1. tempus enim iudicare solerit ab ortu stellarum: vocatur etiam ascen-

Origan.

Gauric.

Nomina primæ domus.

dens, ὁρίζων πρὸς ἀνατολὰς, Cardo, vel angulus Orientis, primus angulus, domicilium vitæ, cùm ex eo generaliter de vita nati iudicent, de valetudine, temperamento natiuo, quod vita inordinata nondum immutatum est: de moribus, ingenio, forma corporis, industria; præcipuè verò iudicium hoc γενεθλιαλογικὸν circa primam ætatem versatur: Quia, inquiunt, sicut initium vitæ capimus, cùm ex vtero materno in lucem egredimur, ita hæc domus, ea est cœli pars, quæ natiuitatis tempore de inferiori cœli hæmisphærio antea occultato in conspectum nostrum producitur, & primam impressionem facit.

De quibus per eam diuinent.

TYPUS HOROSCOPICUS UNIVERSALIS.

Ex hac etiam iuxta placitum Arabum de rerum omnium origine, motu, & si quid fœliciter incipiendum sit iudicium sumunt. In qua ☿ volunt gaudio suo frui, vtpote præcipuum animalium spirituum Significatorem, qui ex hac domo iudicantur; tametsi Pontanus 2 de reb. cœlest. ab eo gaudio Mercurium ob suam versatilem naturam, & Iulius Maternus l. 2. c. 22. excludant.

Significator. Pontanus.

Maternus.

Consignificator.

Consignificatorem ♄ constituunt, idque tam audacter, vt ei bonam valetudinem, atque longam vitam polliceantur, qui planetam illum omnium summum in hac domo fœlicem, faustum, & fortē, non læsum infaustis radiis ♂, sed bonis, ac fœlicibus ♃, aut ♀ radiis confirmatum habuerit. Aliā rationem Ranzouius affert tract. de Genethliacorum thematibus, quòd primus mensis concepti in vtero fœtus sit sub ♄ dominatu; quapropter prima domus eundem apud Chaldæos patronum nacta est, siue, vt vocāt, Consignificatorem; ex signis verò ♈; tametsi non desint, qui ☽ primæ domus consignificatricem esse velint, quòd ♄ propter frigiditatem, & siccitatem naturæ sit inimicus; Aduertit insuper Ranzouius ♄ non debere lædi mediocrium planetarum radiis, nempe ☽, ☿ & ☉, vt longam vitam, & cæter. quæ ad primam domum benè constitutam pertinent, significet.

Ranzou.

Denique totum ex partibus hominis caput sibi vendicat domicilium istud Orientale, cui color albus tribuitur: quod tametsi fortitudines 5, sicut & decimum

Domicilium maſculeſcens.

decimum habeat, vocat tamen Dauid Origanus fœmineum, ſed maſculeſcens, & qualitatis frigidę, ac humidę, ſeu phlegmaticæ, cui decimam domum Ptolomæus prætulit.

QVAM FALSA SINT, QVÆ IVDICIARII DE prima domo effutiunt.

IN ipſo limine video, quod argui debeat, nec enim illa domus prima, horoſcopus potiùs, quàm 7, 12., 10, aut quælibet alia iure nuncupatur, quandoquidem ab vnaquaque cœli parte temporis inſtans, & hora notari poteſt, in domo præcipuè decima, quæ verticem ſeu Zenith noſtrum propiùs attingit; & quidem Aſtrologos demiror, qui cùm à meridie lucis exordium ſumant, dieſque ſuos enumerent maioris certitudinis gratia, primum nihilominus noui hominis diem ab horizonte incipiunt, ad quem vix ſciri poteſt, quando ſtellæ, vel planetę peruenerunt ob refractiones, quas patiuntur, vt antea latè diſſeruimus, cùm tamen id maximè neceſſarium eſſe videatur, vt exactè perpendat Genethliaci, quid hæc, aut illa ſtella in hoc, aut illo Zodiaci gradu ſignificet; etenim ſi ſtellas ea, quæ fiunt apud nos, ſignificare velint, nolũt, credo, eoſ idem in gradibus diuerſis, aut diſtincta in eodem gradu denotare, alioquin in arte Genethliaca nil certi conſtitui poterit.

Verùm demus illos initium rectè ſumere ab horizonte; concedamus angulum Orientis decimam domum antecedere debere: quid obſecro horoſcopus ille cum vita naſcentis pueri? an illa Virgo, quam natiuitati Christi præfuiſſe aiunt, magis in eum, quàm ſignum ♌ aut ♋ influebat, vt iuxta eã de noſtri Seruatoris valetudine, temperamento, moribus, ingenio, & cæteris, quæ retulimus ſuprà, iudicarent? nunquid corpus illud ab aſtris immutari poteſt, quæ neq; lucẽ, neq; calorẽ in illud emittunt: & tamen dum orietur Virgo, nondum poterat radios lucis, aut influxus emittere in Chriſtũ, (ſi eo modo ſe diffundat influentia ac lumen) enimuerò ſigna Zodiaci nequeũt videri, nec lineis directis in corp⁹ agere, niſi paulo altiùs ſupra horizontem ſurrexerint: imo princeps aſtrorum vix illuminare poteſt, donec per 20 gradus ſurrexerit, hyemis præſertim tempore ob vapores interiectos. Neque tamen ſi concedatur ſignum illud primæ domus etiam obliquè agere, concludẽdum eſt in ea vitę domicilium conſtitui debere, quęnam enim ratio eſſe poteſt, cur ſignum aſcendens ſit tẽperamentorum noſtrorum index, & iudex? cur formam corporis oſtendit? quomodo ingenium & induſtriam? An quia virtute illius ipſa forma producitur, & ingenium cum anima infunditur? minimè quidem, cum ipſa forma, & ingenium in ipſo matris vtero præceſſerint, nec ſit potior ratio, cur Virgo ſignificet induſtriam, quàm Leo, aut Gemini.

Perperã ergo faciũt aſtra ſuper horizontẽ aſcendẽtia horũ omniũ vel effectiua, vel ſignificatiua; nec ſi mille annos fundamẽtum iſtud tueri conentur, atque ſtabilire rationibus validis, vnquam facient Aſtrologi; quippe quod falſum eſt, & fictitium: nec parum admiror, quî tantam in inſaniam, atque mentis inopiam homines deuenerint, vt illas næuias effutirent, quas ipſa bruta, ſi audierint, irrideant, & explodant.

Infans egreditur de vtero, ſicut ſignum de partibus horizonti ſubditis, inquiunt: quid tum, an circulum depreſſum, vel terra finitori ſubdita dicendã eſt vterus? an geſtatio fœtus in conceptaculo ſuo iuxta ſignum aſcendens, & vt volunt, horoſcopans regitur? nunquid initia, & progreſſus habet ab aſtris independentes, quandoquidem ad matris motum moueri ſolet, eiuſq; mutationes, & alterationes facilè ſubit. His longè ſtultiores Arabes aſſero, qui ex hac domo iudicant, an aliquid ſit fœliciter incipiendum, necne; nunquid riſu dignum eſſe dices, qui cùm ad deambulationem procedendum eſt, aut villa petenda, aut amicus inuiſendus eſt, domo non audet egredi ob ſignum aliquod, aut ſtellam, quæ horizonti vicina ſit? quoties diu, noctúque ambulauit, cùm eadem ſtella horizonte ſuperior videbatur; nunquid diebus ſingulis illa cœlorum admirabilis militia, ſtellarumque chorus finitorem ſuperat, ad meridianum progreditur, & ad occaſum properat? quam obſecro mutationem Aſtrologus in ſuis diurnis ſpeculationibus, cæteriſq; negotiis ex aſtris percipit? ſi quem amicum inuiſendum ſtatuit, ſi fortè neſcio quis planeta malignus in prima domo præſit, quid inde timet? quid inde noui ſequitur? an aberit amicus à domo? Verùm heſterna die domi remanere ſtatuit, an pedem Aſtrologus ad limen ianuæ allidet? ſed in cathedrã geſtari poteſt, ne ambulet. Sanè hæc ſtultiora ſunt, quàm vt riſum continere valeam, vel potiùs lachrymas: vehementer enim doleo, quòd homines veritatis hoſtes ſeſe conſtituant, & in media luce ſibiipſis oculos rationis eruant.

Falſa ſunt igitur, quæ cũnque huic domui tribuunt. Omitto Conſignificatorem Saturnũ, quẽ, Deus bone, quot in horoſcopo non læſum habuerunt, qui tamen breui vitam finierunt: quot læſum, qui diutiùs vitam protraxerunt, vt ſi hos enumeres, vix Arithmetica ſufficiat: nolim autem hic pluribus illos malè ſanos homines refellere, fuſiùs illud aliquando præſtiturus, ſi Deus conceſſerit, & mox etiam alia non inutilia ſubiungemus.

DE SECVNDA DOMO.

HÆc præcedenti ſuccedit infra horizontem, vt in ſchemate vides, in quo eſt ♍, Græcis ἀνάφορά dicitur, & inferna porta, qua velut ingrediuntur ſtellæ in primam domum, & ad horoſcopum perueniunt; vocatur etiam piger, & abiectus locus: eſtque domus lucri, cenſus, peculij, atque ſuppellectilis, quandoquidem ex ea ſumitur iudicium de bonis omnibus, quæ induſtria, & labore, non hæreditate acquiruntur; hinc modos legitimos, & illegitimos habes, quibus natus facultates acquirit, media, & perſonas, quibus in illis acquirendis vtetur; an illæ diuitiæ vſque ad finem vitæ duraturæ ſint, necne, & quidem exiſtimant a domum diuitiis optimè dicari, quia poſt domum vitæ, facultates, quæ ſunt alter ſanguis, vt pote quibus alimonia corpori ſubminiſtratur, rectè con-

Nomina 2 domus.

Consignificator.

stituuntur, & necessariæ sunt. In hac domo nullus planeta gaudet; licet ♃ Consignificatorem habeat, cui vt pote maiori fortunæ opes commendatæ sunt: quapropter hîc inuentus, nec impeditus natum diuitem futurum denotat. Ei colorem viridem tribuunt, atque collo, & ceruici præesse volunt: ex signis, ♉ est Consignificator: fortunatur à ♃: contrà verò à ♂, & ☉ infortunatur. Hæc domus natura sua fœlix est, fœminea, ac proinde frigida, & humida seu phlegmatica, ac 11 fortitudines habet.

QVAM STVLTA SINT, QVÆ DE SECVNDO domicilio comminiscuntur Astrologi.

VErùm est quidem domum hanc infra horizontem præcedenti succedere: sed non minus verum est perperam ab Astrologis pro domo lucri, diuitiarum, & substantiæ constitui; nec enim vllum ex ea verum iudicium de bonis, quæ industria acquiruntur, ferri potest: quandoquidem nõ est maior ratio, cur hæc domus lucro, peculio, cæterisque diuitiis præsit, quàm alia, imo minor, si quæ ratio in his tricis assignari valeat. Quomodo diuitias significaret, in qua nullus planeta gaudet? quomodo mater diuitiarum constituitur, quæ nullis cum horoscopo radiis configuratur? sed est alienus ab eo locus. Nunquid potiùs nona domus lucrũ progignere debuit, cùm in ea sol auri faber, & dominus, vt illi volunt, gaudeat, vel tertia domus, in qua ☽ gaudet, quæ præest argẽto? facessant isti nugiuenduli, qui tot absurda propemodum ingerunt, quot verba: Sed inquiunt à ♃ fortunatur secunda domus; quod etsi ridiculum est, & falsum, sit ita, sit ille fortuna maior stultis Astrologorum maioribus: sed nunquid illos oportuit esse memores stanno Iouem dominari? ex quo tamen modicum lucrum reportari solet; At fortè constituent illius hominis diuitias in smaragdis, sapphyris, Amethistis, Turcoidibus, rosis, lauro, croco, sandalio, ambra, camphora, saccaro, musco, elephantibus, damis, ceruis, aquilis, falconibus, & aliis, quorum Iouem præfectum constituunt, tametsi nihil vnquam ex iis viderit, aut visurus sit is, qui ♃ in 2 domo Significatorem habuerit. Profectò nullum helleborum satis efficax arbitror posse reperiri, quod istam insaniam depellere valeat. O domum infortunatam, quæ solem pro infortunio nacta est: Caueant, si fieri potest, Astrologi, ne in suæ natiuitatis domo 2, ♂, aut ☉ reperiatur, ne si ♃ collo, & ceruici non præsit, ipsi suo gubernatore destituti collo suspensi malè pereant.

Verùm fortè non poterunt apprehendi, vt ad carcerem, vel patibulum trahãtur, nam illa domus colorem habet viridem, ex quo cur non similis gratia in illius hominis faciem deriuabitur, quæ viridem colorem venustat? vt illius pulchritudine delectati, atque capti, Sagittarij captiuo parcant: vel, quod maius est, cur ille non poterit vti vndecim illis fortitudinibus, quibus illa secunda domus prædita est? Vis intelligere fortitudines Astrologomantium, vt iisdem armis aduersus eos vtaris, quibus sua castra straminea præparant, atque muniunt? Iupiter, inquiunt, in ♓, & ♐ quinque fortitudines habet: in ♋ quatuor: in ♈, ♌, & ♐ Sol, & Iupiter tribus pollent viribus. Hic præterea in termino proprio duabus gaudet fortitudinibus vsque ad 6 ♈: ad 22 ♉: ad 12 ♊: vsque ad 6 ♌: ad 21 ♍, & ♎; ad 24 ♏, 12 ♐, 14 ♑ ad 20 ♒, & ad 16 ♓. Præterea dignitatem vnam habet in ♐. Sed hæc quem non tædio afficient? Quis non irrideat friuola illa Astrologorum inuenta, quibus seipsos obuoluunt, & implicant, ne tanta fœditas errorum percipi possit: at tantùm abest, vt nasutis imponant, quos potiùs tametsi antea vtcunque fauentes Astrologicis iudiciis, à sententia reuocant, coguntque asserere iudicia hæc Astrologica, quibus de bonis fortunæ, vel proprio labore comparatis præsagire satagunt, esse mera præstigia, meràsque imposturas, quibus vel insipientium pecunias corradant, vel sibi nomen aliquod faciant: verùm ad alias domos pergamus.

DE TERTIA DOMO HOROSCOPI.

Nomina tertiæ domus, & alia ad eam spectantia.

TErtia domus à bonorum, & fœlicium euentuum denominatione, quos nato conferre censetur, appellatur Θεὰ, vel domus fratrum, quòd fratrum, atque propinquorum significationem sibi vsurpet: estque prima, quæ horoscopo societate iungitur, radio enim hexagono secundum signorum successionem prima, tertiàque domus se respiciunt, ideòque tertia, inquiunt, fratrum domus esse debuit, cùm enim homo societate gaudeat, potior est fratrum, ac propinquorum societas, & coniunctio. Sed & velut ex throno, & tripode, de horum omniũ affectione erga natũ, déq; hospitalitate nati, fide, religione, seu pietate saltem ex parte, de controuersijs, & disputationibus in iudicio, de breuibus itineribus, & legationibus decernunt, atque iudicant. In qua Lunam gaudentem statuũt, Martem verò Consignificatorem, cuius nec pulchritudinem omittunt, nam colorem croceum ei accommodant, vt sit mediocris domus, fœminina, & qualitatis phlegmaticæ.

QVAM STVLTA, VANAQVE SIT HVIVSCE tertiæ domus constitutio.

OPeræpretium existimarem, vt in qualibet ciuitate metropoli, vel prouincia, vel regno saltem 12 domus constituerentur à Republica, quę recludendis illis Astrologis destinarentur, ne fortè mania correpti, sese in flumen aliquod præcipitẽt, séque non solùm propinent ridendos omnibus, sed & piscibus comedendos, nec enim video, quo longiùs insania possit abire, quàm quòd tantis fabulis

bulis contra omnem rationem, & experientiam pugnantibus, fidem adhibeant. Ecquid enim illa tertia domus in se continet, siue eam absolutè, siue relatiuè consideres, ex quo reuera vel tantillum de rebus, & actionibus, vel affectionibus fratrum conijcere possimus?

An quia ♊ suam illic sedem constituit, quod cum signum gemellum sit, societates regat? sed id minimè volunt, quandoquidem ♊ non citiùs in hac domo, quàm in alia reperitur, nam per omnes domos horoscopi, sicut & cætera Zodiaci signa, & planetæ, percurrit. An quia Deam appellant, sed hoc fictitium est, imo cùm tantæ discordiæ nascātur inter fratres, & propinquos, Dæmoniaca potius, & hostilis domus appellari debuit. Sed, inquies, licet ♊ non semper in ea reperiatur, est tamen in ea Consignificator, sicut & ♂. Itaque cùm ♂ sit 3 domus Consignificator, quomodo fratres in ea collocantur? nunquid illi vanitatis magistri sciunt Martem in hac domo contentiones, & odia fratrum, & sororum significare, si suo Albohali credere volunt? nunquid multos labores, & impietatem, Cardano teste: nunquid & ipsorum fratrum interfectionem affert?

Albohali.

Cardan.

O Societatem cane magis & angue fugiendam! quanto melius solitudinis, quàm societatis domus constitui debuisset: O domum infortunatam! si fortè lunæ gaudio perfrui cum vellet, Martis & Saturni patitur infortunium. Nugæ! At obsecro quasdam mentium Astrologorum inuentiones, & fabellas aperiamus.

Astrologi tribuunt planetis 7. officia.

Planetis pro diuerso situ in variis Zodiaci partibus 7 attribuunt, videlicet domum, altitudinem, trigonum, terminum, carpentum, personam, & gaudium, quorum omnium exemplum in Marte affero, de quo iam diximus.

Domus Martis.

Exilium.

Domus illius dicitur esse ♈, ♏, quòd in his maiorem virtutem habere videatur, ac proinde in exilio ponitur, cùm est in ♎, & ♉ signis oppositis, quòd illic minus polleat, si mendaciis, mendacibus que credere fas est.

Altitudo.

Depressio.

Altitudinem suam habet in illo signo Zodiaci, in quo post domum propriam maiorem virtutē habet, ideóque ♂ suam altitudinem habet in ♑, depressionem verò in ♋. Ex trigonis aliqui igneum, alij verò aqueum ♂ tribuunt; sunt autem 4 trigoni, seu triplicitates, quæ in signis Zodiaci confinguntur; Aqueus tribus signis constat ♋, ♏ & ♓. Aëreus ♊, ♎, & ♒. Terreus ♉, ♍, & ♑. Igneus denique ♈, ♌, ♐.

Trigonus.

Termini triplicitatis

Cùm autem signum quodlibet 30 gradus habeat, terminos ei posuerunt Ægyptij, à quibus tot fabellæ manarunt: hinc factum est, vt pro ♂ terminis constituerint primos 7 gradus ♋, & ♏, & gradus illos, qui sunt à 20 gradu ♈ vsque ad 25; à 27 ♉ ad 30, à 24 ♌ ad 30: à 21 ♍ ad 28, à 26 ♐ ad 30; à 26 ♑ ad 30; ab Aquarij 20 ad 25: & à 19 ♒ vsque ad 28. Huc etiam facies ♂ referri potest, nam quodlibet signum in 3 graduum decades diuiditur, vt quælibet decas vni planetæ tribuatur: Martis igitur faciem in prima ♈ decade, secunda ♊, tertia Leonis, & Libræ, prima ♑, & 2 ♒ collocant.

Facies.

Carpentum Martis est locus in quo plures dignitates habet, vel est præcipua dignitas. Persona verò, quando Mars eodem modo ☉, vel ☽ respicit, quo domus ♂ domum ☉, vel ☽ respicit. Adde gaudium, quo ♂ tripudiat in aliena domo, in qua cum amicitia, fortuna, & bonitate aliorum planetarum coniungitur.

Carpentū. Persona.

Gaudium.

At de his nænijs satis superque dictum est, quas facilè quis refellere possit, si tamen in fabellis tam ridiculis tempus insumere liceat. Sufficiat quòd istam domum perperam collocatam esse manifestò constet, adeóque communi omnium calculo totum horoscopi ædificium susque déque vertendum sit.

Rogarem eos vnde croceus color huic domui adueniat, cum sit infra horizontem; sol autem, sine quo nullus color apparet supra; an ♂ illum producit? sed ipse rutilus est; Verùm ad cæteras domunculas accedo, ne diutiùs hæream in domo debili, quæ vnicam fortitudinem habet, maiorésq;, mediocres, & minores fratres omitto, de quibus ex 1, 2, & 3 triplicitatis domino statuunt, vt ad patrem maximum omnium parentem gradum faciamus.

ARTICVLVS IV.

DE QVARTA DOMO HOROSCOPI, NEC NON *de quinta, & sexta, earumque fabellis.*

Nomina.

HAnc domum ὑπόγειον denominant, & à loco imum cœli, domumque parentum & patrimonij; imprimis enim patrem, & hæreditatem, quam aliquis post parentum obitum acquirit, hinc Astrologomantes de agris, eorúmque cultura, fodinis metallicis, ædificiis, & aliis bonis immobilibus iudicant, imo & de honore, ac æstimatione, quæ natum post mortem consequetur: in qua nullus planeta gaudet, licet ☉ sit eius consignificator; color verò rubeus; sed malè forsitan ei cedet, quod sit melancholica domus.

☉ consignificator.

Eam item appellant planetarum foueam, angulum terræ, & imi cœli, atque Genitoris domum, quæ 4 fortitudines habet: sed eheu abiisdem, quàm præcedens, domus, infortunatur planetis; quod tamen corrigere possit ♀ quæ hîc fortunatur.

STVLTITIA ASTROLOGORVM LEGITVR in 4 domo.

VIx à risu abstineo, dum insulsas inuentiones contemplor, quæ ne minimum quidem granum salis,aut rationis micam habent. Nescio quis ita mentes hominum fascinauit,vt ex primo triplicitatis domino de patribus, ex secundo de castris, & ciuitatibus & in tertio de finibus rerum se iudicare posse crediderint: homines carni, sanguini, & terrenis bonis ita inhiantes, vt nequidem ad Deum mentem euehant.

Qui nisi diuitiis frui possint, saltem de iisdem præsagire,& ea in futurum expectare velint, quorum nomina meritò scribentur in terra, à qua discedere nolūt. Equidem hosce homines ad Atheorum cathegoriam reducere non vereor,qui Crucis gloriam,& Dei maiestatem euacuare nituntur,vel vt ad eos tanquam ad oracula recurramus, vel potiùs ad sydera corporea facta propter hominem, quàm ad ipsum factorem, ad causas naturales, & ad nescioquam adrastiam,quàm adCrucis vexillū, & Christum Dominum seruatorem nostrum, qui cùm ad paupertatem voluntariam, ad tribulationes,ad famem,frigora,sitim, infamiam, ipsam denique mortem prouocauerit, & hortatus fuerit, quid tibi ô Christiane cum diuitiis,cum voluptate,fama,gloria,deliciis,& cæteris huiuscemodi caducis titiuillitiis esse potest?Nunquid te pudet,qui cùm illis bonis perfruaris, vel ea saltem appetas non contentus de iisdem etiam anticipata notione cogitas,& tuo quidem iudicio,re tamen verè nunquam futuris,inquiris?

Erige mentem ad cœlum,non illud in quo finita sydera rutilare, atque scintillare cernis, sed ad cœlum, cuius Sol diuinitas, cuius Luna perfecta, & testis in cœlo fidelis, Christi humanitas; cuius magnitudo, immensitas; latitudo, charitas;altitudo, prouidentia, atque prædestinatio, iustitię profunditas: Venus diuina bonitas, Mercurius scientia filij; potentia patris Mars: profunda illius consilia Saturnus, Iupiter pulchritudo ineffabilis, stellę, diuinæ perfectiones.

Quid tibi cum angulo terræ,& imo cœli? cur potiùs nō aspiras ad illam Itacham pulcherrimam, quæ cœli summum est? Sed ad illa 4 domus mysteria redeo; In qua volunt ☉ esse consignificatorem, sed an benè, vel malè ipsi viderint; peto enim cur, si hoc sit verum, non etiam huiusce domus cōsignificatorem leonem faciunt, cùm sit domus propria solis, cur ergo domum à domo separāt, & pro ♌ ♋ substituunt? Ostendant eos, qui planetas in 4 domo bene dispositos habuerunt, pectore, visceribus, pulmone, & splene validiores fuisse, quā alios, quibus non ita benè disponebātur. Cur huic rubeum colorem tribuunt? nunquid potiùs nigerrimum debuerunt assignare, cum ea domus à sole,& lumine magis recedat; adde quod ex gaudio rubicundus color oriri solet, & tamen in ea domo nullum gaudium. Hæc quidem ridicula sunt, sed Astrologi caueant, ne qui vel confingunt, vel amant, vel credunt illas nænias, non fictè, sed reuera in vltimam, ac tenebrosissimam inferorum domum totius vniuersi imum demergantur: neque enim his domificationibus sine multis peccatis animum applicant, dum vel credunt, quę falsa sunt, & à veritate Catholica aliena, vel ex prædictionibus fictitiis in diuersa desideria,& affectus rapiuntur, vel tempus frustra terunt, vel aliis multa mendacia suadere conantur, & eis mendacissimæ Astromantiæ venenum infundunt.

DE V. DOMO HOROSCOPI.

Nomēclatura. HÆc domus vocatur ἀγαθὴ τύχ. i. bona fortuna, domus liberorum, estque succedens: ex qua prædicunt de filiis, eorum statu, numero, donationibus, voluptatibus, conuiuiis, musica, conuersatione familiari, nuncijs, & donis.

Hanc verò liberis accommodant, quia sicut tertia liberis fratribus præesse dicitur ob primam aspectus cum horoscopo societatem, quę tamen imbecillior est, ita propter trigonum radium, quem 5 habet ad horoscopum, liberis attribuitur, vt enim nulla est arctior, quàm patris, ac filiorum coniunctio, sic nullus cœli aspectus, nulla signorum syzygia, quàm quæ est è triangulo arctior, & propinquior in tota serie progredientium ab horoscopo signorum inuenitur. In qua ♀ est Consignificatrix, atque gaudet. At quod malè vortit est melancholica cum suo colore mellitio; à sua consignificatrice fortunatur, sicut à ♂, & ♄ infortunatur: 4 fortitudines habet, & consignificatorem ex signis ♌, præestque stomacho, hepati, cordi, neruis, lateribus, & dorso. Omitto triplicitatis dominos, quorum primus filios eorúmque vitam, 2 delectationem, & gaudia, 3 legatos significat.

FALSA ESSE, QVÆ DE QVINTA DOMO narrata sunt.

VEreor ne quis vel tædio afficiatur, vel mihi succenseat, quod in his tricis tot lineas ducā, verùm si paulo respexerit altiùs, fatebitur, credo, nihil esse quo radices erroris euelli possint efficaciùs, vel faciliùs conuelli, quàm si doctrinæ Astromanticæ fundamēta primùm emota detegamus, vt susque déque postea facillimo negotio, & quasi ludentes, ioque triumphi more clangentium ante Ierichuntinos parietes tubarum occinentes vertamus.

Bonum itaque genium adeamus: quidnam est in tota quinta domo, aut etiam esse potest, quod numerum, & statum filiorū præsignificare valeat? An aliquis planeta cum suis dignitatibus essentialibus vel accidentalibus? An alicuius gaudium vel exilium, exaltatio, vel casus, vel triplicitas, & facies quædam?

quædam? An aliquis trigonocrator aqueus, vel aëreus; an termini, an carpentum, persona, decanatus, aut quidpiam simile? sed nunquid signum aliquod fœcundum est in hac domo? tantùm abest, nam ♋, ♏, & ♓ signa fœcunda constituunt; ex sterilibus verò ♌ censetur, qui tamen hac in domo habitat: saltem aliquod signum paucorum liberorum ei assignate debuissent. At nunquid fortè respexerunt ad obesa signa, in quibus ♌ numeratur, cuius priores partes obesa corpora reddere dicuntur, licet macilenta posteriores.

O homines egregios, qui tanta mendacia confingentes pro rebus veris intrudere nituntur.

Reuera satis demirari non possum, quomodo tam euidentibus fabellis homines rationis compotes decipi potuerunt, & parum abest, quin existimem illa omnia falsa esse, quæ de quibusdam referuntur, qui hisce nugis fidem adhibuerunt, nec eà digna iudico, in quibus fusiùs refellendis, tempus insumi debeat, quapropter cæteras domos velocissimè percurrendas, & sapientum risui propinandas aggredior.

DE VI. DOMO HOROSCOPI.

HÆc mala fortuna nuncupatur, κακὴ τύχη ob infœlices euentus, qui ex ea concluduntur ab infœlicissimis Astrologis, quibus sæpissimè cedunt omnia perperam, & infaustè, licet omnia prospera longè antea præsagiissent: hanc igitur domum, morborum feracissimum fomitem asserunt, quia nullam habet cum horoscopo societatem, ex eáque propterea iudicium sumitur de futuris infirmitatibus, cæterisque corporis incommodis; cùm enim deserta loca, & ab hominum frequentia remota, fera tantùm animalia, & venenatas herbas progignant, cur domus hæc, quæ tantum ab horoscopo distat, varia mala nato non afferet? præsertim si multi planetæ in eam incidant, tunc enim frequentiores morbi designantur in senectute futuri. At quia domus hæc secundam alimentorum, reíque familiaris significatricem beneuola societate complectitur, aspectu triangulari intuetur, vernas, seruos, & ancillas, seruiliáque, seu domestica animalia significat, quæ sunt rei domesticæ adminicula, licet dominatui seruitus aduersetur.

Quis autē in ea præter ♂ gaudet? quis adhibendus color, præter nigrum? qui Consignificatores; nisi ☿, & ♍, vt vndequáque debilitates sibi asciscat vsque ad numerum quaternarium: Sic enim omnia sibi conuenire debuerunt, vt fabula in historiam, aut quod maius est, disciplinam transire posset.

FALSVM ESSE, QVOD DE VI. DOMO fingunt Astrologi.

NOn est quod suppetias ferat Theologia, vt hæc nugamenta conuellamus: sufficit si quispiam aduertere velit istius domus œconomiam, in qua mala fortuna regnat, pessum ire, si rationem consulere velimus, quæ omnem fortunam adimit.

Nec enim video, cur aliquis firma, integráque valetudine vti non possit vita durante, si sobriè vixerit, quod nulli planetæ tam in 6, quàm in aliis genethliacæ figuræ cellulis positi impedire valent; Quid obsecro domus prima magis in secundam, aut tertiam influit, quàm in sextam? Reuera si planetæ quidquam vel in operando, vel in significando possint, illud æquè possunt in vna domo, ac in alia. Sed rogo Iudiciarios, nunquid ♈, vel ♉, vel quodlibet aliud Zodiaci signum in 6 domo potest inueniri, imo sæpius reperitur, cum pro diuersis horis varia signa in eadem domo collocentur: quibus itá suppositis, quí fieri potest, vt signis tam diuersis, quorum natura sæpiùs repugnat, eadem conueniant?

Signa imperantia, & obedientia, & humana.

Si ♈, ♉, ♊, ♋, ♌, ♍, quę sunt signa imperantia, Septentrionalem regionem obtinentia, reperiantur in 6 domo, quomodò seruos denotabūt? quæ potiùs à signis australibus, quæ dicuntur obedientia, significari deberent: si signa humana, & rationalia ♊, ♍, ♒, ♎ reperiuntur in domo bestiarum, an designabunt animalia iuxta qualitatem signorum, bonam vocem habitura, & ratione vtentia? Forsitan ab illis hominibus oriundi sunt Astrologi, qui belluas antiquitus locutas fuisse aiūt.

Deus bone quot in errores humanus animus incurrit, dum semel à recto tramite deflectit, vt verissimum sit, quod ait Aristot. paruum errorem in principio, maximum esse in fine. Quid enim obstat, quominus mentiātur Astrologi signa muta ♋, ♏, ♓, quæ & phlegmatica sunt, animalia denotare quidem, sed quæ non loquantur, vel etiam seruos ἀφώνους: rationalia verò prædicta belluas rationales; vt faciliùs ad vim naturæ reuocent, quæ à Magorum quibusdam equis, canibus, aut aliis animalibus fieri videmus, cùm ea faciunt, quæ soli naturæ intelligenti conueniunt, vt Theologorum verissimam sententiam eludant, qui ea opera in cacodæmonem reiiciunt, qui hisce vtitur animalibus, vt homines decipiat, & ad aliquod pactum cum eo transigendum alliciat: hæc enim est ars Sathanæ versipellis, vt in omnes creaturas suum imperium propaget, & homines à vero Dei cultu reuocet; ideóque sibi quisque cauere debet, ne à tali Panurgo decipiatur, cuius laruas facillimo negotio effugiet, si ad sacram fidei, & Ecclesiæ anchoram recurrat.

Arist.

Signa muta.

Debilitates 4 omitto, cùm potiùs fortitudines plurimæ in hac domo cadente ab angulis constitui debuissent, robur enim imprimis necessarium videtur tam seruis, quàm animalibus, vt domino suo diu, noctúque possint obsequi, & opera sibi iniuncta fortiter exequi. Ad quid verò hîc posita est ♍ Consignificatrix potiùs, quàm alia constellatio? an quia plures ancillæ haberi solent, quàm serui? ♍ siquidem signum est fœmininum. An quia pulchri esse debent serui? quia pulchritudinis sidus esse dicitur? An quia nullum generare debent, cùm ♍ sit sterilis. An quia carnosæ

corpora habere debent, vt inter obesa signa np locum aliquem reperiat? An potiùs quia cùm nihil horum omnium dici possit, quia falsissima sunt, Astrologi stultissimi sunt, qui tam ridicula gratis comminiscuntur? Verum ex inferiori hemisphærio tandem emergamus, & ad 7 stultorum domum accedamus, videamusque, an aliquid meliùs de ea, déque sequentibus, quàm de præcedentibus occinant.

DE SEPTIMA DOMO GENETHLIACI *horoscopi.*

Nomina. DOmus hæc nobis cardinem occidentalem suggerit, quæ δύσις, domus vxoria, seu nuptiarum, occasus, & angulus occidentis dicitur: estque primæ opposita, quæ cum sit vitæ domus, hanc ex opposito mortis appellant Cardanus, & Pontanus, tametsi ad 8 domum mortem referre Rantzou. malit Rantzouius, nisi fortè ♂, aut ♄ essent in ea, vel vnus in prima, alius in hac 8. Profectò si fabulæ veræ sunt, gaudere poterit natus, dum hinc eliciet, quot vxores habiturus sit, & quales. Quid non Astrologo tribuat iuuenis, vt ei præsagiat quā pulchras vxores habiturus sit. Sed pulchram ra-Origanus. tionem intelligite; Dauid Origanus hæreticus illam suggeret. Cùm septima domus opponatur horoscopo, & contrarias habeat affectiones, prima domo sursum tendente, & quasi impellente, ac agente, hac verò septima declinante, ac patiente, sintque hæ duæ domus anguli figuræ primarij, rectè ex 7 vxor significatur, siquidem vir agit, vxor patitur; hæc paret, ille imperat, & vterque domum cum authoritate gubernat: vir tamen vt primaria vi, & actiua authoritate præditus; vxor, vt secundā quādā prærogatiuā in domo viri sui obtinens. Vn-Pontanus. de mirum non est, inquit Pontanus lib. 2. de rebus cœlest. c. 4. in re familiari inter virum, & vxorem lites plurimas excitari, quando hæc duo domicilia opposito sese intuentur radio. Etsi enim naturalis est maris, & fœminæ coniūctio, quia tamen actio, & passio sibi aduersantur, & sese aduersis frontibus impugnant, fit, vt sæpe dissidia excitentur. Hæc ille Dauid Glacensis, Silesius, Germanus, Mathematicus, Bradenburgicæ Academiæ professor Francofurti, vir hæreticus, incendióq; dignus, vel saltem helleboro curandus.

Emptionem, & venditionem, apertos inimicos, latrones, exules, medietatem, & finem vitæ ex hac domo concludunt ineptè. Sed ô miseram domum, in qua nullus planetarum gaudet, quomodo potest vxorem denotare? cùm tantum in nuptiis gaudium contingat. Libram, & Lunam Consignifica- Consignificatrices. trices habet, nec tamen ita librare, & ad æquilibrium coniuges reducere valet, vt nulla sint inter illos dissidia; sed cur ei, sicut præcedenti color niger à Rantzouio tribuatur, non video; parum refert, an Typographi minister errauerit, quia non meliùs in ea collocatur albus à Dauide, qui eam natura sua fœlicem, quamuis fœmineam existimat, siccam autem & calidam, seu cholericam.

Iudicent viri, quanta sibi fœlicitas ex coniugio obtingat, primus enim mensis, aut potiùs dies fœlix dicitur, reliquum tempus infaustum. Ecce quanta mendacia tantuli homines confingant, & pro viribus astruere conentur.

EXPLODITVR DOMVS SEPTIMA HOROSCOPI.

QVot verba de hac domo faciunt Astrologi, tot effutiunt mendacia: quod vt clarum fiat, imprimis dicant, cur Libram huic domicilio tribuant, cùm rarò, nec magis quàm cætera signa sit horizonti occidentali contigua, aut vicina, quando fit horoscopus; quandoquidem licet in æquinoctiali verno circa sextam horam Libra sit in hac domo: ♈ verò hora sexta matutina in horizonte orientali, spatio tamen 23 horarum ♎ non redit ad istam 7 domum; an igitur in ea constitui debet, potiùs quàm in aliis? quid ineptius dici potest?

Si ♂ sit in hac domo volunt mortem designare. An ex se ♂ illud designat, an propter signa in quibus reperitur? volunt ob signa; alioqui cur diuersos effectus ♂, cur ♃, cur ♄, & aliis planetis assignarent, prout diuersa signa percurrere censentur, nisi id à diuersis signis oriretur. Ita ♂ in prima domo robustos homines, & militares facit, quando partiliter in horoscopo, in nocturna genitura, & in signis masculinis constituitur; at cùm matutinus est sine radiatione ♃, largiores viros facit, plus dare volentes, quàm patrimonij ipsorum substantia patiatur, si credendum est insanis.

In secunda domo de die inuentus quanta decernat infortunia, quis scire potest, nisi Firmicum Siculum l. 3. c. 5. legerit? faciet enim, inquit, alienari à parentibus, à domo sua, & in finibus peregrinis semper errare.

Sed caueant nati, qui ♂ cum ☽ 8, vel □ habuerint, ne vulnera de ferro sæpissimè accipiant, aut ex ingenuitate ad seruitutem transeant.

Quòd si ♃ in bona radiatione habuerit, ne iam timeant captiuitates, ab eis enim redimentur: bellè profectò, si lupi dentibus è cœlo lunam detrahere, aut asini fluminibus ora lauantes eam ebibere possint.

Nolim cæteras domos percurrere, quas ♂ quotidiè peragrat. Maternus enim omnium manibus versatur, nec Catholicorum, vel aliorum hæc nugamenta legentium aures pluribus fabellis velim obtundere. Cæterorum planetarum decreta per singulas cœli stationes vir fabulosus describit, quibus nec vetulæ credulæ fidem adhibeant.

Cur verò Lunam huiusce domus Consignificatricem faciant, non video, quæ non habet maiorem cum ♎, quàm cum ♈, ♉, ♊, aut alio signo coniunctionem, vel sympathiam agnoscit; non minus ridiculum est, quòd aiunt, domum hanc nuptias denotare, cùm potius animi tristitiam,

tiam, mœrorem, & mortem significare deberet, cùm in occasu situm habeat, in quo res omnes imbecilliores esse videntur; at mirum non est, si cùm errauerint Astromantes in principio, error in immensum circa finem creuisse deprehendatur; sic enim illis contingit, qui dum itineris initio aberrant, in fine tanto interuallo dissiti sint à termino præstituto.

DE OCTAVA DOMO HOROSCOPI.

Nomina. Domus hæc nulla familiaritate cum horoscopo iungitur, sed potiùs cum domiciliis maximè noxiis, vt cum ✶, & △; ideóque vocatur locus interficiens, & domus mortis, ἀργὸς τόπος locus piger, & otiosus; ἐπικατάφορα inferna porta. Vt autem stellas, & solem ex superiori hemisphærio decumbentes per portam occasus è conspectu nostro abripit, vt earum luce frui desinamus, ita mortem nati denotat, vel morbo productam, vel extrinseca causa, vt ictu, casu, combustione, strangulatione, vel submersione inductam. Mortuorum etiam hæreditates significat, thesauros occultos, tristitiam, venena lethalia; in qua proinde nullus planeta gaudet. Consignificatores habet ♏, & ♄; colorem album, debilitates 4; quam natura sua infœlicem, malam, fœmininam, & cholericam aiunt. Consignificatores. Primus triplicitatis huiusce domicilij dominus mortem regit, & moderatur; secundus præcepta docet. Domini triplicitatis. Tertius hæreditates mortuorum ostendit.

QVAM STVLTA, ET JNSIPIDA SIT HVIVSCE *domus octauæ constitutio.*

Rem ampliùs cum istis nebulonibus habere nolo; quod asserunt, vel potiùs repetunt, ab illo magno Ptolomæo Astrologorum corypheo exscripserunt, vel solis fabellis eius textum conspurcarunt. Itáq; ipsum principem aggrediamur, cuius si fundaméta nutantia euertero, tota comœdia, omn[...] [...]trologicæ nugæ, atque fabellæ euanescere o[...] Ptolomæus [...] Hic autem de domibus, quarum parietes à fu[...] [...]entis eruo, l. 1. cap. 18 hisce verbis egit.

Οἰκειοῦνται δὲ καὶ οἱ πλανῆται τοῖς τοῦ ζωδιακοῦ μέρεσι, κατά τε τοὺς καλουμένους οἴκους, καὶ τρίγωνα, καὶ ὑψώματα, καὶ ὅρια, καὶ τὰ τοιαῦτα, καὶ τὸ μὲν τῶν οἴκων ἑκάστου ἔχει φυσικὴν αἰτιολογίαν, ἐπειδὴ τῶν ιβ. ζῳδίων τὰ βορειότατα, καὶ συνεγγίζοντα μᾶλλον τῶν ἄλλων τῷ κατὰ κορυφὴν ἡμῶν τόπῳ, θερμασίας τε καὶ ἀλέας διὰ τοῦτο περιποιητικὰ τυγχάνοντα, τό τε τοῦ ♋ ἐστι, καὶ τὸ τοῦ ♌. τὰ δύο ταῦτα τοῖς μεγίστοις, καὶ κυριωτάτοις, τουτέστι τοῖς φωσὶν ἀπένειμαν οἴκους. τὸ μὲν τοῦ ♌. ἀρρενικὸν ὂν τῷ ☉, τὸ δὲ τοῦ ♋ θηλυκὸν τῇ ☾. καὶ ἀκολούθως τὸ μὲν ἀπὸ τοῦ ♌. μέχρις ♑ ἡμικύκλιον, ἡλιακὸν ὑπέθεντο. τὸ δὲ ἀπὸ ♒ μέχρι ♋ σεληνιακόν, ὅπως ἐν ἑκατέρῳ τῶν ἡμικυκλίων ἓν ζῴδιον ἑκάστῳ τῶν ἀστέρων οἰκεῖον ἀπονεμηθῇ, τὸ μὲν πρὸς τὸν ☉ τὸ δὲ πρὸς τὴν ☽ ἐσχηματισμένον, ἀκολούθως ταῖς τῶν κινήσεων αὐτῶν σφαίραις, καὶ ταῖς τῶν φύσεων ἰδιοτροπίαις. τῷ μὲν γὰρ τοῦ ♄ ψυκτικῷ μᾶλλον ὄντι τὴν φύσιν, κατ' ἐναντιότητα τοῦ θερμοῦ, καὶ τὴν ἀνωτάτω καὶ μακρὰν τῶν φωτῶν ἔχοντι ζώνην, ἐδόθη τὰ κατὰ διάμετρον ζῴδια. τοῦ τε ♋, καὶ τοῦ ♌, ὅ, τε ♑. καὶ ♒ μετὰ τοῦ καὶ ταῦτα, τὰ ιβ. τημόρια ψυχρὰ καὶ χειμερινὰ τυγχάνειν, καὶ ἔτι τὸν κατὰ διάμετρον συσχηματισμὸν ἀσύμφωνον πρὸς ἀγαθοποιίαν εἶναι, τῷ δὲ τοῦ ♃ ὄντι εὐκράτῳ, καὶ ὑπὸ τὴν τοῦ ♄ σφαῖραν, ἐδόθη τὰ ἐχόμενα τῶν προκειμένων πνευματικὰ ὄντα καὶ γόνιμα, ὅ τε ♐ καὶ οἱ ♓ κατὰ τριγωνικὴν πρὸς τὰ φῶτα διάστασιν, ἥτις ἐστὶ συμφώνου καὶ ἀγαθοποιοῦ σχηματισμοῦ. ἑξῆς δὲ τῷ τοῦ ♂ ξηραντικῷ, μᾶλλον ὄντι τὴν φύσιν καὶ ὑπὸ τὴν τοῦ ♃ ἔχοντι τὴν σφαῖραν, τὰ ἐχόμενα πάλιν ἐκείνων ἐδόθη δωδεκατημόρια τὴν ὁμοίαν ἔχοντα φύσιν, ὅ τε ♏ καὶ ὁ ♈. ἀκολούθως τῇ φθαρτικῇ ποιότητι, τὴν τετράγωνον πρὸς τὰ φῶτα ποιοῦντα διάστασιν. τῷ δὲ τῆς ♀ εὐκράτῳ τε ὄντι, καὶ ὑπὸ τὸν ♂ τὰ ἐχόμενα δύο ζῴδια γονιμώτατα ὄντα, αἵ τε χηλαὶ καὶ ὁ ♉, τηροῦντα τὸ σύμφωνον τῆς ἑξαγώνου διαστάσεως, καὶ ἐπειδήπερ οὐ πλέον δύο ιβ. τημορίων ὁ ἀστὴρ οὗτος ἀφ' ἑκατέρου τὸ πλεῖστον ἀφίσταται τοῦ ☉ ἐπὶ πᾶσι δὲ τῷ τοῦ ☿, μηδέποτε πλεῖον δωδεκατημορίου τὸ ἀπὸ τοῦ ☉ ἀφ' ἑκάτερα διάστημα ποιουμένῳ καὶ ὑπὸ μὲν τοὺς ἄλλους ὄντι, σύνεγγυς δὲ μᾶλλον πως ἀμφοτέρων τῶν φώτων, τὰ λοιπὰ καὶ συνεχῆ τοῖς ἐκείνων οἴκοις ἐδόθη. ι. β. τημόρια τό τε τῶν ♊ καὶ τὸ τῆς ♍.

Non indigemus hîc Parrhisiade, qui Pythagoricos, vel Stoicos ἀπὸ τῆς στοᾶς, vel Peripateticos, ἐκ τοῦ Περιπάτου, vel Epicureos reuocet, fugientes reducat, & hamo, atque calamo placenta, & auro inescet, & ex Pelagisco piscetur; quanquam & vtile futurum sit, si nostri nebulones in Prytaneum conuocentur, vt Philosophia, veritate, Elencho, ipsóque Platone, Pythagora, Aristotele, Chrysippo, & Diogene iudicibus Astromantes condemnentur, quorum attrita dilaceretur vestis, frontique stigmata imprimantur, vel inter media inurantur supercilia, sitque de vstionis figura non vulpes, non simia, sed deformis cercopithecus, vel struthiocamelus. Vnum tamen Ptolomæum oleagina fortè corona coronandum esse contendent, absit; enimuero clarissimè demonstrabimus, eos prædam fieri, vbi prædari sperabant; extrahamus igitur illecebras, & eorum primipilum aggrediamur, cuius etiam textum latinè referam, & in quosdam articulos distinguam, vt illum accuratiùs pro breuitate nobis proposita discutiamus.

CAPVT XVIII, VEL IVXTA ALIOS XVI. *Ptolomæicorum Apotelesmatum libri primi.*

Verba superiora Latinis verbis ita ab ipsis Astrologis latinè redduntur.

1 Adiunguntur etiam planetæ locis signiferi, propter domos, vt nominantur, & triangula, & altitudines, & fines, & quicquid huiusmodi est.

2 Deinum autem ratio naturalis hæc est, quia ex duodecim signis duo proximè accedunt ad nostrum punctum verticalem, ideo calores, & æstus generant, ea sunt ♋ & ♌.

3 Placuit illa duobus præcipuis, & maximis, hoc est ipsis luminibus attribuere: soli quidem Leo tribuitur, propterea quod signum est masculinum, lunæ verò ♋ quòd fœminium esset.

4 Atque ita factum est, vt conuenienter dimidium orbis à ♌ vsque ad ♑ solare vocaretur, dimidiumque ab ♒ vsque ad ♋ lunare, vt in vtróq; possent singula loca suis stellis assignari, quarum alia figuras cum ☉, alia cum ☽ describerent, pro conuenientia orbium motus ipsarum, & naturæ proprietate.

5 Nam ♄, quòd maximè natura frigidificus esset, quòdque supremum, & à luminibus remotissimum haberet orbem ob contrarietatem caloris, opposita signa attributa fuere ♋ & ♌, ♑ & ♒; quæ signa & ipsa sunt frigida, & hyberna, & propter oppositionem malefica.

6 At Ioui, qui esset temperatæ naturæ, & subiectus ♄ globo, data sunt proxima illis signa spiritu, & fœcunditate præstantia ♐, & ♓, quæ cum luminum signis triquetram figuram describunt, quæ conueniens est beneficentiæ.

7 Post quem ♂ desiccatori, & subdito sphæræ Iouiali, similiter proxima his ascripta sunt, quæ & ipsa similem haberent naturam, ♏ & ♈, quadrata dispositione, vt cógruebat illius corruptrici, & noxiæ constitutioni.

8 ♀ Verò, quod natura esset temperata, & sub ♂, dedêre coniuncta his signa, quòd fœcundissima essent ♎, & ♉, in quibus & ipsis situs ✶ custoditur. Neque ipsa etiam hæc stella ampliùs 2 signis vnquam neque anteit, neque sequitur ☉.

9 ☿ Qui & vltimus neque vnquã vltra vnum signum abesset à ☉, omniumque stellarum infimo in loco, data fuêre proxima signa luminum signis ♊, & ♍, quibus & ipsis ambobus ferè in primis vicinus ferretur.

PRÆCEDENS CAPVT DISCVTITVR.

SI quid ad huiusce capitis intellectum necessarium esse videatur, ex ipso Ptolomæo, vel ex aliorum Astrologorum dogmatibus assumemus, ne dicant nos, quæcunque placet, effingere, libros eorum non euoluere, & artem minimè callere: sic enim efficaciùs reuinci, meliusque ad veritatem reuocari poterunt: Itaque per 9 præcedentia τμήματα discurramus, ϗ τῶ ζωδιακῶ μοίρας ad amussim expendamus.

Sectio prima. [illegible] domificant, iungunturque planetæ partibus Zodiaci, quæ vocantur domus, & trigona, & exaltationes, & termini, & his similia.

Certum est planetas diuersis Zodiaci partibus quotidiè subiici, quem cùm in 12 partes diuidant Astronomi, hinc genethliaci eas vocarunt domos, & cum in duodenario sint 4 ternarij, trigonos 4 assignarunt 4 ætatibus anni correspondentes; sed & in quolibet trigoni cuiuspiam signo certos terminos posuêre. Quos terminos si confutare vellim, nihil aliud opus habeo, quàm vt varias Astronomorum opiniones referam, quæ inter se militant, nam Ægyptij, Chaldæi, Valens Antiochenus, Ptolomæus, Cardanus, & alij pro libito varios fingunt terminos, in quibus Oriocratores sedeant.

Hinc Ioui 6 gradum ♈ tribuunt Ægyptij, Ptolomæus illos sequitur. Valens 8 pro die, 4 verò pro nocte: ita & Chaldæi. Cardanus verò 5. ego vero 10 liberaliter impendo; quibus obsecro credetur? experientiæ, inquies, sed hîc deficit, nam si semel ♄ finium dominus sub solis radiis acronychus, vel occidentalis fuerit, & atras cum tempestate nubes in cœlo spargat, vel positus in ♍, aut ♓ marinos tumultus excitet, terroresque de cœlo, ac tempestates significet, vt ipsi volunt, quando ad eosdem fines, & signa redierit, sæpius ex istis nihil, imo contraria significabit; hinc fit, vt si ad experientiam Astrologorum asylum prouocauerimus, suas fabellas deserere cogantur.

SECTIO SECVNDA.

IN 2 versiculo nulla reperitur difficultas, certum est enim Cancrum, & Leonem puncto nostro verticali viciniores esse, nego tamen calores, & æstus generare, quod euidentissimum appareret, si sol abesset à cœlo, reuera enim nec æstus solitos persentisceres, neque æstatem videres: Enimuerò sol est luminis, caloris, æstatisque fons, & origo, qui omnes omnium tempestatum vicissitudines vario accessu, & recessu efficit, tametsi non omnem virtutem stellis aut planetis detrahere velim: sed quæcunque illa fuerit, adeò parua est, vt respectu virtutis solaris nulla propemodum esse videatur, ideóque nulla est experientia euidens, & certa, quæ conuincat stellas in nos agere, quicquid enim obieceris, facili negotio in solis variam præsentiam, & absentiam, & soli temperamentum diuersum refundi poterit. Verùm ad alia pergo.

SECTIO TERTIA.

IN hac sectione docet Ptolomæus, quænam sit domus solis, & lunæ, quibus ♌, & ♋ tribuit: at non ita benè quin ea reprehensioni obnoxia possim ostendere: etenim fieri potest, imo iam ferè nostro hoc sæculo, & anno Christi 1622 contigit, vt sol nó ampliùs eodem tempore sit in Leone, quo fuerat olim, ideoque signum aliud constitui deberet, quod domus illius appellaretur, illud nimirum, in quo similes effectus habet, quos antea in ♌ constitutus, producebat.

Quapropter cùm verũ æquinoctiorum præcessionem hoc anno 28 graduũ 17'.44".17"' habeamus, sol

sol erit in ♋ eodem tempore, quo olim in ♌ fuerat, & temporis progressu ad signa præcedentia simili modo regredi poterit: idemque de luna, cæterisque planetis, & eorum domibus asserendum est. Hinc constat Ptolomæum non benè domos illas constituisse, nisi temporis successu illas immutare velis, & pro varia æquinoctiorum præcessione diversas constituere, quod satis ostendit præcipua Astrologorum fundamenta ruere, & suopte nutu cadere.

Ridiculum est autem, quòd signis masculinum, fœmininumque sexum assignet, quandoquidem huiusce denominationis nullum probabile fundamentum afferri potest tam ob rationem prædictá, quàm ob alias, quas in fusiori Astrologiæ confutatione producemus: Adde quòd perperam assignet leonem soli, cui potiùs ♋, attribuendus fuerat, si ad nostra tempora respexit, in quibus solis apogæū est in 10 gradu ♋, 10'. 15''. Quæ missa facio, vt leuiter alias sectiones percurram.

SECTIO IV. ET V.

NVllam in eo conuenientiam reperio, quòd illam medietaté ab ♒ ad ♋ Lunæ tribuerint; tum quia partem solarem maximè ab Ariete incipere debuerunt, sub quo omnia ad vitam reuocari, omniáque ridere videntur non lunæ, sed solis præcipuo beneficio; tum quia omnium anni tempestatum gratissimam minori luminari tribuunt, quod est absonum, tum etiam quia non minus deprehédere potest Astrologus coniunctiones stellarum cum luna, quando est in parte, quam appellant solarem, quàm si versetur in sua sorte lunari: si quas autem rationes afferunt, quibus hanc fictitiam doctrinam astruant, illas alibi dissoluemus.

Saturno non meliùs tribuit Ptolomæus opposita signa Capricornum, & Aquarium, in quibus quidem sol absentiâ suâ, & per accidens frigus producit, quod paucis hîc explicabo; nonnulli quærunt, vnde frigus oriatur, quod in ♄ Astrologi, & in signa hyemalia referunt: Verùm si rem accuratiùs intueamur, nusquam à cœlo frigus oritur, sed vnicuique rei sublunari (si ignem, vel nonnulla naturam ignis participantia excipias) naturale est, & ab ea, velut proprietas naturalis, oriundum est, vel eius compositionem ingreditur. Ideóque terra, & aqua semper frigida sunt, nisi à suo natiuo frigore per agens calidum externum, velut à sua sede deijciantur. Hinc fit, vt tempore hyemis, quo parum sol calefacit ob radios obliquiùs eiaculatos, & euibratos, magno frigore cóstringantur omnia, quia sese reducút terra, & aqua ad statum pristinum naturalem, tuncque fortiter agunt in corpora vicina, & aërem condensant, maximè si ventus aquilonaris vehemens fuerit. Frigus igitur non est alibi quærendum, quàm in corpore, cuius est proprietas; Iam verò ad astra redeamus, quę frustra frigoris causas Astrologi faciunt; quandoquidem non minus sol nos calefacturus est, si tempore æstiuo in ♑, & in ♒ cæterisque hyemalibus signis constituatur in eadem altitudine, & ex æquo ad verticem accedat, quàm in ♋ & ♌ signis. Stultum est autem, quod addit illa signa ♑ & ♒ esse malefica, quia ♋, & ♌ opponuntur, nec enim mali quidquam committunt siue moralis, siue physici. Quod enim obsecro malum physicum, & naturale? quam nociuam qualitatem?

Vnde frigius oriatur.

SECTIO VI. ET VII.

IOui tribuunt ♐, & ♓ ob illorum signorum beneficentiam, sed nescioquam: nec enim sub Sagittario sol ita fœcundat terram, vt illud signum meritò fœcundum appellandū sit. At cū luminaris maioris signo, nempe ♌ triquetram figuram cóstituit: quid inde, cùm ei ♌ nihil penitus communicet. Sanè si diligétiùs omnia excussero, vereor ne quis tanti Ptolomæi respuat opera, & neget illos 4 de iudiciis libros illius esse, cùm tot nugas pro fundamentis habeant. Non ignoro tamen eos à multis Astrologis defendi, & quibusdam fulciri rationibus, ne corruant, sed quas nunc dissimulo, ne in longum abeam. Hæc enim perfunctoriè solùm agito, ne quis sub nomine Ptolomæi plurimos errores incautus ebibat. Ex quibus satis constat, quid de 7, 8, & 9 versiculis sentiendum sit, in quibus Marti, Veneri, & Mercurio loca propria, seu domus tribuuntur: at sine iure, atque ratione valida ♂ in ♏, & ♈; ♀ in ♎, & ♉: & ☿ in ♊, & ♍ collocantur, cùm ex æquo in signis oppositis sine scrupulo, & veræ Astronomię iniuriâ collocari possunt.

Quod si præcipua fundamenta nutent, nec vlla ratione solida fulciantur, cogita quid de conclusionibus, atque corollariis existimandum est: cogita quàm pulchrè diuinent Astrologi: lege eorum annuas, & diurnas ephemerides, & vide an eorum præsagia, non dico de fortunis hominum, non de cometis, fame, peste, & cæteris, quæ sunt maioris momenti, & longè difficiliùs prædicuntur, sed de pluuiis, frigore, grandine, niue, fulgure, & cęteris, quæ etiam apud nos, peraguntur, & quotidie fiunt; an iis conueniant, quæ reuera contingunt; sanè tantum eos à veritate fateberis aberrare, quantum distat ortus ab occidente.

DE NONA DOMO.

Nomina.

GRæcis θεὸς nomine masculino, vt tertia fœminino θεὰ dicitur, quòd vtraque domus nato benefaciat, id enim Deorum proprium est, maior est tamen authoritas nonæ, quàm tertiæ, cùm suppeditet significationes euentuum ad religioné, & res diuinas pertinentiū. Sumuntur enim ex nona domo pietatis, religionis, dignitatum Ecclesiasticarum, sapientiæ, artium, & studij philosophici notæ; nec absque causa, cùm hæc domus ascendenti in hemisphærio superiore iungitur, aspectu

trigono maximè familiari, & ascendens corporis temperiem, corporeæque conglurinationis accidentia significat, vitæque ipsius qualitatem: Rectè ex hac nona domo nati aptitudo, propensioque ad religionem sumitur, quæ est fundamentum ad bonos mores, rectámque animi institutionem. Habet etiam sectarum significationem, vt quæ potissimú in religione considerari solent. Porrò domus hæc itinerum quoque appellatur, quoniam longinquarum peregrinationum, & legationum iudicia hinc petuntur. Constat etiam ex hac domo somniorum, atque diuinationum ratio: in quo ☉ gaudium habet, ♃ verò est Consignificator, quapropter inuẽtus in hac domo imprimis pios, & verè religiosos significat: ex signis vero ♐ consignificat: ☉ eam fortunat, ♂, & ♄ infortunat: fortitudines habet duas, Origanus mellitium, Rantzouius nigrum colorem ei tribuit.

Hæc omnia effutiunt Astrologi.

DOMVS NONA CONVELLITVR.

INiuriam maximam Deo mihi facere videntur, qui potiùs in cœli cardine collocandus esset, vt eminentiore loco, vel in primo domicilio, nam ab Ioue principium, vel in omni parte schematis, Iouis enim omnia plena, quorsum igitur ... sui dignitatem ad nonum locum relegant? Rectè (inquis Origane) ex hac nona domo nati aptitudo, & propensio ad religionem desumitur: Producas obsecro, vel pro te, (si non es ampliùs inter viuos) quispiam natiuitatis suæ schema proferat; an ♐ huiusce domus Consignificator, vel ☉, vel etiam à infortunia ♂, & ♄ aptitudinem, & inclinationẽ tibi indiderint, quæ te ad hæresim tulerit. Verè infortunatus, qui non solùm inter mortuos, sed inter damnatos delitescis, & exquisitis torqueris suppliciis, si ante mortem ab hæresi, & stultitia Astrologica seriò mentem non reuocaueris, & veniam à numine diuino fueris impertratus. Huc huc conferte vos omnes Pythones, Nigromantici, Chiroscopi, & quicúnque Diuini, vestra enim domus est; hîc Phœbus præsagiorum corypheus tripudiat, ♃ ei assidet, ♐ iuuat, & ne fortè quibusdam tempestatibus illa domus concutiatur, & euertatur, duas adhibet fortitudines mellito colore decoras, nisi Rantzoniano colore pullatas malueris.

Cardanus. At Cardani pietatem laudat Origanus, qui fatetur 3 aphoris. 118. frustra sanctos, & beatos, ac verè Deo gratos ex sideribus quæri, cùm gratum esse Deo sit maius aliquid, quàm ea quæ cœli pollicentur. Tecum ergo malè agitur, mi Glacense, cùm

Aduersus Origan. nullam aliam religionem excludas ab Astrorum imperio, quàm veram, quæ non est tua. Vellem ergo scire quodnam sidus, quíue planeta te, tibíque similes ad hæresim impulit. An planetæ in nona fuerunt infœliciter positi, vt te ἀθέω facerent: siquidem in atheismum facilè labuntur hæretici, & qui fatum ab astris repetunt, quo regantur homines: sicut & alij, qui proprio iudicio innixi omnia ad vires naturæ referunt, hinc enim tot à vera religione præcipites aberrarunt. Inde factum est, vt

Schönerus. Schonnerus l. 1. Astrol. c. 15. religionem Christianã in ♍, & ♎ refundat, licet non minus staret illa religio, si alia signa in locum ♍, & ♎ succederent, aut hæc signa deficerent nullis succedentibus.

Quis vnquam audiuit Deum orandum esse, vt filios alicui tribueret, & ex vtero materno emitteret, quando signum fixum, eiusque dominus beneficus, & fortis esset in nona domo, & partum quàuis proximum retardaret, si mobile, vel commune signum occurreret, eius domino planeta malefico, debili, ac retrogrado, ne mater, quæ aliquãdo Catholica est, imo & sancta impium, & inconstantem infantem in religione pareret. Reuera suspicor Astrologos in causa fuisse, cur tot friuolæ, stultæ, & impię orationes à magis, vel incautis sub tali vel tali signo cõcipiantur, & ad Deũ, vel nescio quos Angelos dirigantur, quorũ nominibus fictitijs artem notoriam, seu Clauiculam Salomonis, Agrippæ, & Roberti Flud libros onustos reperies, quos si cremaueris igne, vt pote omni lectione indignissimos, operæpretium feceris. In quibus affirmo nihil veræ doctrinæ, vel saltem nihil, quod non sit vnicuique peruium reperiri, siue falsum illud, siue verum fuerit.

Sed insolentes illas opiniones, adeo falsas, vt nec de iis Sceptici dubitent, omittamus; & Origano sui Brandenburgici pietatem impiam propter ☉, ♃, & ☉ in 9 domo occurrentem contemplandam relinquamus. Interim Deum Optimum Maximũ deprecor, vt homines à tantis fabellis, & confictis mendaciis auertat, nec vnquam tam peruersam religionem, vel potiùs tantum Atheismum in mundum induci permittat, vt quæ à Deo, vel parentum educatione, & eruditione, vel proprio labore cõparauimus, qualis est religio, quales sunt virtutes, & similia, in horoscopos, & sidera, planetasque refundant. At Deo fauente hasce nugas relinquent, sunt enim mobiles, vt pote quibus ☿ dominatur, dummodo ♄ tenax, & melancholicus minimè præualeat, à quo se in irreligione sua detineri mentiantur.

DE DOMO DECIMA.

Nomina. MEσουράνημα dicitur, idest medium cœli, culmẽ, & fastigium, cor cœli, cuspis regalis, domus regia, & honorum; quia denarius numerus cæteris excellit, eósque complectitur, ideóque honores, & dignitates, quibus natus inter alios eminet, vitæ genus, artes, & quæcunque artium suffragio nato deferuntur, inde coniiciunt, nec non colligunt magnatum, & principum, ac in publicis functionibus constitutorum fauorem, & affectionem erga natum: sed peculiariter ostendit, qualis mater post editum infantem, cuiúsue conditionis futura sit.

Sed heu nullus planeta in eo gaudet, tametsi Cõsignificatores habeat ♃, & ☽, & à ☉, & ♀ fortunetur, à ♄ verò, & ♂ infortunetur: eius autem fortitudines sunt 5.

QVOD

QVOD FVTILIA SINT, QVÆ DOMVI decimæ conuenire dicuntur à stultis Astrologis.

NOn minus inepta sunt, quæ de hac domo cõmenti sunt, quàm ea, quæ iam in aliis reiecimus, adeout neque hæc, neque sequentes noua confutatione indigere videantur; attamen non oberit, si huius domunculæ stultitiam ostendamus. Perperam igitur domus regia vocatur, si regium illud esse debet, quod in schemate Genethliaco præcipuum existimant; ideoque non video, cur 1 domus non sit, & vocetur domus regia. Verùm nominibus omissis peto, quodnam signum honores, & dignitates afferat, si vel cor leonis, vel aliquã stellam regiam obiiciant, id falsum est, cùm illam domum non ex aliqua stella nuncupent, sed ex ipso schematis loco: alioqui tot nominibus esset appellanda, quot in ea stellæ, vel planetę reperiuntur, quæ cum omnes iam quotidie pertranseant, non μονωνύμως, sed potiùs πολυωνύμως vocari deberet. At demus in ea aliquod signum præcipuũ, & ipsum ♃ reperiri, vel etiam ☉, à quibus eam fortunari volunt, supponamus illa duo infortunia ♄, & ♂ longè abesse, nec vllo periculoso radio domum 10 aspicere: quos honores dignitatésue inde colliges? quid tam bonus ille ♃ immitit, vt ex eius aspectu natus, exitus adeo prosperos sortiatur. Apage sis Genethliace, tuasque fabellas alteri diuendito, qui cerebro, atque iudicio careat.

Quid de te Diana loquar, nunquid fatum maternum dirigis, si quando in hoc domicilio reperiaris? ô miseras, & infortunatas matres! quæ tametsi puellos genuerint, quibus omne genus honoris contingere debeat iuxta mendacem horoscopum, ipsæ sæpius morbis, infamia, atque paupertate obruuntur.

Cùm autem ex consignificatoribus non pauca præsagiant, ostendo ♑ non posse constitui domus vndecimæ consignificatorem, imo neque lunam: Enimuero vel in ea collocatur, quia in eo solstitiũ hyemale contingit, vel quia dum sol est in eo, maximè ad nos accedit, cùm sit in suo perigęo; vel quia cùm ♈ est in horizonte Orientali, ♑ est in suo Meridiano circulo: vel quia Pan instruxit Deos Ægypti, quomodo sese conuertentes in bestias Typhonis Titanum ferocissimi immanitatem effugerent, eúmque Iouis fulmine interfecit, ideoq; relatus est in Astrorum numerum, atque dictus est Ægoceros, quod eo tempore sese conuertisset in captam, cui similis est anteriori parte, vnde Capricornus appellatur, sicut posteriore, Pani; hic ergo cùm Deos iuuerit, cur non & homines ad honorum culmen, dum ipse culminat, euehet? Quæ quidẽ ridicula esse fateor, sed quęnam alia hominibus omni risu dignis obiicias? At verò nõ ideo cõstitui debet ♑, quamuis in eo solstitium cõtingat, maximè cùm hoc nostro sæculo, non ampliùs sit ♑ in eo loco, vbi fit solstitium, sed per 28 gradus versus Orientem proprio motu ab immobili primi mobilis solstitio recesserit, adeout iam constituendum habeant ♒ in cuspide, seu culmine cœli, si quid Astrologi præsagire velint.

Consulant Maginum nisi mihi crediderint, qui hoc anno 1622 fatetur, & docet veram ęquinoctiorum præcessionem esse 28 graduum septemdecim minutorum primorum, 44″, & 17 tertiorum, vnde infero iuxta eius sententiam anno integro stellas moueri 34 scrupulis secundis, & 16 tertiis, quia anno præterito 121 præcessionem annotarat 28 partium 1′ 10″ 1‴; & per consequens erit anno 1623, 28′, graduũ 18″ 33‴; sed non ita numerat præcessionẽ, vt ita singulis annis idem spatiũ conficiant, nam 1623 anno Christi notat pręcessionem 28 18′ 19″ 15‴, maiorem nostrã superius notatã 42‴. Eapropter anno 1624 maior est integris 54″, & 37‴. Vbi nota errorem Typographi ad annum 1625, in quo eandem præcessionem habet editio secunda, quam anno præcedenti; in quibus, si cui longior fuisse videor, sciant velim hanc præcessionem esse tanti ponderis, vt ea sola posita omnia ruant Astrologica præsagia, quæ ex stellis depromunt, quandoquidem & singulis annis, & momentis partem aliquam conficiunt, ad quod tamen illi non aduertunt.

Maginus.

Qualis sit motus stellarum proprius, & quantus. Quæ sit præcessio æquinoctiorum anno 1625, & deinceps.

De solis perigæo loquar aliâs; nec quidquam hîc prodest, cũ in hac domo quotidie reperiatur, & in ♑ per mensem; nec tamen cuilibet nato cõfert honores, qui ex vtero prodit, dũ versatur in meridie: licet verò concedamus ♑, dum est in meridie, ♈ esse in horizõte, non inde quidquam habet, quod ad nati, vel matris honorem, & conditionem faciat. Omitto Ægocerotem illum fabulosum, & lunam, ne lunaticis hominibus plus nimio dicar insultare, vt vndecimam fabulam breuiter excutiendam aggrediar.

DE DOMO VNDECIMA.

Nomina.

A'γαθοδαίμων, id est, bonus genius à designatione fauoris, benignitatis, & aliorum fœlicium euentuum nominatur; vnde status amicorum fidelium, vel infidelium designatur, cum quibus natus familiariter victurus est, primæ nanque domui ✶ aspectu cõsociatur, & sine amicitiã vita humana quasi nulla est. Quia verò decimæ domui honorum proxima est, de Consiliariis regum, & principum ex hac domo præsagiunt; in qua ♃ gaudet, & fortunam, atque fauorem communem in rebus omnibus ostendit, dummodo benè constitutus fuerit, itaut nec retrogradus, nec combustus, nec in detrimento, vel casu suo, sed in aliqua suarum dignitatum collocetur. Consignificatores habes ♒, & ☉, tres verò fortitudines: à ♃ fortunatur, & à 2 infortunis debilitatur. masculina est, & sanguinea.

JNSANOS ESSE GENETHLIACOS CONSTAT *ex vndecima domo.*

Vix reperiēt Astrologi vndecimum numerum esse propitium, aut bonā fortunā promittere: vt nec alios hic aduocare velim, quā Pythagoræos, qui domum hāc malè constitutā euincāt; nec enim vndenarius cum rebus diuinis, & cœlestibus communionem habet; hic enim numerus primus inter alios denarium transgreditur; hinc Propheta regius in gradu vndecimo positus pœnitentiam agit psal. 129: & Exod. 36. 11 saga cilicina lugentes pro peccatis referunt. Vnde Christum septuagesimaseptima generatione venisse notat. D. August. 2. quæst. Euang. cap. 6. vt aboleret peccata, quia vndecies septem, vel septies vndeni faciunt 77.

De numero vndenario. — *Psal. 129.* — *Exod. 36.* — *Augustin.*

Et quidem in mansione Raphidim filij Israël Exod. 17. duo mala commiserunt, iurgij aduersus Moysem, & tentationis aduersus Deum: & Psaltes vndecim enumerat psalm. 81. qui pugnant aduersus Sanctos, qui propterea, inquit Hieronym. non potuerunt ad 12 peruenire, numerum perfectum.

Exod 17. — *Psal. 81.* — *Hieron.*

O domum infaustam, à qua sanè Iouem, & solem auerruncandos esse video, si Pythagorici prævaluerint Astrologis, cùm suis partibus non adæquetur vndenarius, nam præter vnitatem nullas habet; verùm quid si vicerint Astrologi, & hunc vndenarium numerum perfectissimum esse conuincant ex eo, quod sit primus, & incompositus, ac solam vnitatem agnoscat? Sacerdotes antiquos Gentilium rursus eis oponam, qui hoc dierum numero vmbras errare, ac silicernio pasci, neque Diis superis tunc peragenda sacrificia, ignésque accendendos, & nobiles ab ornatu suo, à viris nuptas abstinere debere affirmabant, vt 2. Fastor. eleganter ostendit Ouidius.

Ouid.

Conde tuas Hymenæe faces, & ab ignibus atris
Aufer, habent alias mœsta sepulchra faces.
Dij quoque templorum foribus celentur opertis,
Thure vacent aræ, stentque sine igne foci.
Nunc animæ tenues, & corpora functa sepulchris
Errant, nunc posito pascitur vmbra cibo.
Non tamē hoc vltra, quā quod de mense supersunt
Luciferi, quot habent carmina nostra pedes.
Hanc quia iusta ferunt dixêre feralia lucem.
Victima placandis Manibus illa dies.

Hinc Lycurgus Lacedæmoniis 11 dierum spatio funeris luctum terminauit. Immeritò igitur Astrologi bonum genium, bonamque fortunam in ea domo collocant, quæ solo hoc numero tam infausto facilè possit ab omni dignitate, fortitudine, & honore deijci.

Dicitur infaustus nō ex propriis, sed stultorū [illegible]

Adde quòd numerus vndenarius tam imperfectus sit, vt neque in vndecima numerorum serie vllus perfectus numerus inueniatur, in quo conuenit cum numero quinario, 17, & 23, qui soli vsque ad seriem, seu locum 28 sunt sine numero perfecto.

Pythagoricorum mēte, vt stulti Astrologi à stultis refellantur.

Nothis etiam vt pote ex omni parte imperfectis, & omnibus honorum gradibus indignis hic numerus tribuitur; hinc prouerbium inualuit, Nothos esse vndecim vnciarum, quia sicut ad legitimam libram, quæ 12 vnciis constat, 11 vnciæ minimè perueniunt, ita nec spurius ad legitimi dignitatem; addunt etiam Chiromantici, (sed cogita, an fabulosis hominibus credendum sit) spithamam Nothorum non efficere 12 digitorum, sed tantùm 11 longitudinem, quorum nempe digitus auricularis ad vltimum medici non perueniat articulum.

Singularia de Nothis. — *Prouerbiū.*

Perperam ergo domus hæc appellatur, & constituitur, nec si ♃ fulmen suum in aurea flumina, vel in rosas conuertat, tametsi neque combustus, neque retrogradus fuerit, & omni dignitate fruatur, vllam tibi dignitatem, aut honorem conferet.

Sed obsecro, aliquis per integram horam, aut per duas obseruet Iouem in vndecima domo; tamdiu enim quilibet planeta in vna domo esse potest, & inquirat, quot, non in toto mundo, non in tota Europa, Gallia, aut prouincia integra, sed in vnica Lutetia pueli nascantur eo tempore, quo ♃ in 11 domo versabitur, idque cum suis dignitatibus; an infantes omnes hanc domum pro 11 habentes quibusdam honoribus, atque Reipublicæ dignitatibus afficientur: Ad illud perficere non possunt nisi labore improbo; quocirca liberrimum eis facio, vt in vnica domo, imo in eodem vtero perspiciant, an gemelli sub ista domo nati, cùm ♃ bene dispositus est, aliquos honores consecuturi sint; quos quidem assero, si diu vixerint, calceos refecturos, si patrem sartorem habuerint; experientia probêt contrarium, & arma cedo, quod nunquam facient; quapropter indigni sunt, quibus etiam psittaci, vel cornices aurem præbeant; Facessant ergo, cessentque isti nugiuenduli, nec deinceps vulgi aut imperitorum facilitate abutantur.

DE DOMO DVODECIMA.

Κακοδαίμων; id est, malus genius appellatur à tristi[illegible] euentuum indicatione; dicitur etiam carceris do[illegible]; nullo enim aspectu coniungitur ascendenti, [illegible] stellæ ascendentes in hanc proximè motu app[illegible]nte incidunt. Varias in vita aduersitates, inf[illegible]imicos, & hostes occultos, carceres, & i[illegible]us alia portendit, & si quæ damna puer ab animalibus aliquando perpessurus sit; an serui fideles futuri sint, an morbi præsertim in prima ætate: adde & ea, quæ siue bona, siue mala parturientibus accidunt. ♄ in ea gaudet; Consignificatores verò ♓ & ♀. Et quidem mirum est, quomodo sit infausta, cum sit sanguinea, eique viridis calor adaptetur, fortè quia debilitates 5 obtinuit.

Nomina. — *Irridentur Astrologi.*

Atque hunc in modum totum cœlum per domicilia distribuitur, vt vix aliquid in vita boni, vel mali honoris, aut opprobrij, vitij, aut virtutis nato sit euenturum, quod non ex illis locis, eorumque statu, ac dominorum situ portendatur: omnes autem domus hoc disticho concluduntur, & 12 postea versibus paulo latiùs explicatur.

1. Vita,

[1] Vita, [2] lucrum, [3] fratres, [4] genitor, [5] nati, [6] valetudo,
[7] Uxor, [8] mors, [9] pietas, [10] regnum, [11] benefactaque, [12] carcer.

Sequuntur verſus 12, quorum vnuſquiſque domum vnam, & eius ſignificatus explicat.

Prima domus vitam ſignat, corpuſque figurat:
Altera dat lucrum, victum, cenſuſque miniſtrat:
Tertia ſignat iter, fratrum, ſortemque ſororum:
Quarta notat patrem, & patrimonia, & abdita rerum:
Quinta feret natos, conuiuia, munera, ludos:
Sexta dat ærumnas, morbos, famuloſque, pecuſque:
Septima coniugium, ac hoſtes, monſtratque rapinas:
Octaua eſt letho, funeſta, & dira veneno:
Nonam habitat pietas, & ſomnia cuncta reuelat:
In decima ſceptrum, & clari dominantur honores:
Undecima euentu eſt fœlix, & donat amicos:
Et poſtrema domus horrendum eſt carceris antrum.

DE DOMICILII VLTIMI CONSTITVTIONE quàm inepta ſit.

AStrologicæ dementiæ colophonem tandem aliquando ponamus: & quidem peſſum ire neceſſe eſt quæcunque ſperant ex aliis domibus, cũ in hac, quę eſt omniũ, terminus κακοδαίμων imperet; vtinam non ita dominaretur Aſtrologorum animis, nec eorum ita faſcinaret oculos, quin aliquos ſaltem eius laqueos præuiderent. Aperi mentis oculum Aſtrologe, nec dæmon vlla tibi retia tendat, niſi quemadmodum ante oculos pennatorum: vide mecum, & ſeriò contemplare, quàm falſa ſint, quæ tui magiſtri, quos vel legis, vel audis, edocent, & garriunt. Quomodo tranquillam vitam degere potes, qui ſemper inimicos ſomnias, & reuoluis animo, cùm exiſtimas te in natiuitate plures habuiſſe planetas in 12 vel 7 domo conſtitutos, vel oppoſito radio ſolem, vel lunam intuentes, qui plures tibi præſagiant inimicos? quid facies, ſi planeta 12, vel 1 domus inimicos augeat; præſertin verò ſi huiuſcemodi fuerint occulti, & ☌ ♄, vel ☿ ſignificati: At fortè dices te diuitiis, & militibus eſſe fortiſſimum, qui nullum timeas, niſi duo capita habeat; verùm illud locum aliquem habeat, cùm ♄, vel eius Almuten in 12 domo tantùm ſenes, inuidos, debiles, atque plebeios oſtendet; quid autem facies, ſi ♃ ipſe tuos inimicos ſapientes, & nobiles tam Iuriſconſultos, quàm Clericos fecerit? quid ſi ♂ tuos milites tibi ipſi rebelles; quid ſi ſol ipſos parentes, & magnates? Dubio procul licet nõ te deterreat vnus, & aliter inimicus, impoſſibile eſt, quin huc illuc agiteris, quando iam prædictos inimicos cũ ♀ luſoribus, ☿ ſcribis, & ☽ populo iunctos videris, qui ipſum Pompeium, Iulium Cæſarem, Cyrum, & quoſcunque Imperatores ſola multitudine non tantùm vincere, ſed aſpectu fugare poſſint.

Hæc etiam domus carceres ſignificat, quapropter Aſtrologis cõſulo, vt in aliquam ſyluam denſiſſimam fugiant, ne ſua libertate priuentur; nec enim in carcere, ſua ſchemata fabricare poterunt; niſi fortè cuſtodis arbitrio liceat, vt ſecum candelam, Ephemerides, tabulas Prutenicas, vel Alphonſinas transferant. Quibus tamen vti minimè poterunt, ſi pedibus manibuſque vincula inijciantur. Itaque conſultius erit, ſi voluntarium exilium ſubeuntes in aliquem locum remotiſſimum ſeſe recipiant, è quo liberum horizontem videant, nec in libris ſcriptis, ſed in ipſo cœlo diſcant, quid ſibi ipſis portendatur, poſtquam ſapienti fuga carcerem vitarunt, quem vnum ex luminaribus læſum à ♄ vel ♂ per □, vel ☍ ſignificauerat; fabulæ ſunt, quòd aſſerunt vtrumque, vel alterum luminare in domibus maleficorum ♈, ♏, ♎, ♑, vel ♒, aut in ſignis ſtellas violentas habentibus, vt ♉, ♊, & ♐ conſtituta carcerem ſignificare; nec ſi ſtellas omnes maleficas, & infortunia in hac 12 domo concurrentia videris, vllum inde carcerem conijcere potes. Quæ omnia, vt firmiſſimis experientiis demonſtrarentur, vel oſtenderentur eſſe futilia, præter ea, quæ hactenus attulimus, duo vel tria volumina iuſta conſcribenda eſſent.

Vnum tantùm addam, nullum Mathematicum peritum hiſce næniis vel tantiſper credere, vel in eis tempus impendere; ſtatim enim atque vident cœlorum curſus eſſe tam varios, nec ſemel quidem ad eundem ſtatum redire, non ſolùm fatentur, ea omnia diuinationis Aſtrologicæ præcepta, falſa, ſed mirantur, quomodo Ptolomæus bonas horas in his pertractandis ſtultè perdiderit: Hinc concludo vel eum, qui hiſce nugis credit, veræ Aſtronomiæ, & bonarum artium imperitum eſſe, vel ſtultum, nec puto alia refutatione ea omnia indigere, quæ de Chriſti horoſcopo afferunt; ideoque pergamus ad alia.

VERSICVLVS XV.

Vt luceant in firmamento cæli, & illuminent terram. Et factum est ita.

וְהָיוּ לִמְאוֹרֹת בִּרְקִיעַ הַשָּׁמַיִם לְהָאִיר עַל־הָאָרֶץ
וַיְהִי־כֵן

Καὶ ἔστωσαν εἰς φαῦσιν ἐν τῷ στερεώματι τοῦ οὐρανοῦ, ὥστε φαίνειν ἐπὶ τῆς γῆς. Καὶ ἐγένετο οὕτως.

PLura iam habemus luminarium officia, primò siquidem à nocte diem separant, cùm enim luna, atque stella videntur, nox est, cui præsident. Secundò multa significant, pluuias, æstus, ventos &c. de quibus antea. Tertiò temporum varietates, diésque, & annos cum eorum partibus efficiunt. Denique terram illuminant, ac proinde nos iuuant, vt in rerum naturalium cognitionem specierum in oculis admissarum beneficio facilè perueniamus; quidam per tempora non omne tempus, quod præterit, intelligunt, sed καιροὺς occasiones, & tẽpora opportuna, quibus semen aliquod terræ mandetur, vel fruges colligantur, aut etiam nautæ vela pandant, aut contrahant; quas occasiones Plato vocat ἄνθος χρόνου florem temporis. Hebraicus textus sic ad verbum sonat, *& sint pro luminaribus in expansione cæli ad lucendum super terram*; quod penitus cum vulgata conuenit.

VERSICVLVS XVI. XVII. XVIII. & XIX.

16 *Fecitque Deus duo Luminaria magna, Luminare maius, vt præesset diei, & Luminare minus, vt præesset nocti, & stellas.*

17 *Et posuit eas Deus in firmamento cæli, vt lucerent super terram.*

18 *Et præessent diei, ac nocti: & diuiderent lucem, ac tenebras.*

19 *Et vidit Deus quod esset bonum. Et factum est vespere, & mane dies quartus.*

16 וַיַּעַשׂ אֱלֹהִים אֶת־שְׁנֵי הַמְּאֹרֹת הַגְּדֹלִים אֶת־הַמָּאוֹר הַגָּדֹל לְמֶמְשֶׁלֶת הַיּוֹם וְאֶת־הַמָּאוֹר הַקָּטֹן לְמֶמְשֶׁלֶת הַלַּיְלָה וְאֵת הַכּוֹכָבִים:

17 וַיִּתֵּן אֹתָם אֱלֹהִים בִּרְקִיעַ הַשָּׁמָיִם לְהָאִיר עַל־הָאָרֶץ:

18 וְלִמְשֹׁל בַּיּוֹם וּבַלַּיְלָה וּלְהַבְדִּיל בֵּין הָאוֹר וּבֵין הַחֹשֶׁךְ וַיַּרְא אֱלֹהִים כִּי־טוֹב:

19 וַיְהִי־עֶרֶב וַיְהִי־בֹקֶר יוֹם רְבִיעִי:

16 Καὶ ἐποίησεν ὁ θεὸς τοὺς δύο φωστῆρας τοὺς μεγάλους, τὸν φωστῆρα τὸν μέγαν εἰς ἀρχὰς τῆς ἡμέρας· καὶ τὸν φωστῆρα τὸν ἐλάσσω εἰς ἀρχὰς τῆς νυκτός. καὶ τοὺς ἀστέρας.

17 Καὶ ἔθετο αὐτοὺς ὁ θεὸς ἐν τῷ στερεώματι τοῦ οὐρανοῦ. ὥστε φαίνειν ἐπὶ τῆς γῆς.

18 Καὶ ἄρχειν τῆς ἡμέρας, καὶ τῆς νυκτός, καὶ διαχωρίζειν ἀναμέσον τοῦ φωτός, καὶ ἀναμέσον τοῦ σκότους· καὶ εἶδεν ὁ θεὸς ὅτι καλόν.

19 Καὶ ἐγένετο ἑσπέρα, καὶ ἐγένετο πρωΐ, ἡμέρα τετάρτη.

NOn est opus textum Hebræum, aut Græcum discutere, qui nihil à vulgata differunt, sicuti nec Chaldæus paraphrastes; adde quòd ferè omnia verba textus Hebræi superiùs in aliis versiculis

ficulis discussimus, adeout pauca in hisce 4. versiculis supersint examinanda, post quæ ad problemata descendemus, nec enim vllam in sensu difficultatem video, nisi fortè, quod luna dicatur luminare magnum, ac si ferè par esset soli, sed hîc, vt & alibi sæpe nostro captui sese Moses, & Scriptura, imo & Deus accommodant, quapropter cùm luna stellis longè maior appareat, quia vicinior, quandoquidem à nobis 33 duntaxat terræ semidiametris abest, quando est in perigæo, cùm tamen distent omnes stellæ 22612 semidiametris; Hinc fit vt magna videatur, imo sæpiùs mihi sole maior videtur, quocunque tandem modo illud fiat sine refractione, vt patet ex eo, quòd in plenilunio circa horizontem maior, quàm dum altior est, appareat, siue alio quouis modo; Adde quòd longè altior sit luminare solis quippe quod absit à terra 1121 semidiametris. Eugubin. hoc in loco 70 reprehendit, quòd per εἰς ἀρχὰς לְמֶמְשֶׁלֶת expresserint, quod meliùs, vt putat, psal. 135. verterant, εἰς ἐξουσίας, in potestatem; At mihi videtur in scirpo nodum quærere, nunquid enim ἀρχὴ principatum significat? nunquid luna nocti, & sol diei dominantur, nũquid omnium horarum initia sunt, & principes? quare igitur 70 reprehendendi sunt?

Distantia ☽, ☉, & stellarum à terra. Eugub. Psal. 135.

Cæterùm Patres nonnulli existimare videntur siderum lucem non ita splendidam fuisse, vbi separata fuit in astra plura, ac antea fuerat, cùm vnica esset, vt ex Nyssen. in hexam. & Athan. quæst. 85. Steuchus, & alij: alij è contrario hanc solis, lunæ, cæterorúmque siderum lucem prima corruscátiorem autumant, inter quos D. Ambr. 4 hexam. c. 3. August. 1. de Gen. ad lit. cap. 11, & alios habes. Alij denique, vt D. Thom. 1. p. quæst. 67. æquale vtriusque lumen existimarunt. Ascanius in Athanasij sententiam abit.

Steuch. Ambr. August. D. Thom.

PROBLEMA LXIX.

1 *QVanam luce astra, sol præcipuè, atque luna lucebant in firmamento cæli*? An luce, quæ ex alicuius alterius lucis, vel orbium cœlestium condensatione prodiret? vt vult D. Bonauen. in 2. d. 14. An illa lux ex igne collecta fuit? vt Nyssen ait l. de 6 diebus. An potiùs de nouo lucẽ illis corporibus artifex omnipotens indidit? sol enim vas admirabile dicitur Eccles. 43, quod ad lucem recipiendam aptissimus esset. At cur additur, *vt illuminent terram*? An quia primæua dierum prętèritorum lux aquas solas, & non terram illuminabat? sic enim Caietan. censuit, quandoquidem aqua terram operuerat, & Rupert. 1 comment. cap. 46.

Bonau. 2. Nyssen. 3. Eccl. 43. 4 Caiet. Rupert.

An quia propter hominis vtilitatem facta sunt, qui terram incolit, dictum est *illuminent terram*? & sic in eam influant? 5 An vt ad mystica pergamus, Christus, qui verus est sol, & lumen ad reuelationem gentium Luc. 2. venit, vt terram, non autem cœlum, aut abyssum, id est homines, non angelos, aut cacodæmones illustraret? sic enim Synaita. 6

Luc. 2.

PROBLEMA LXX.

1 *QVomodo Sol, & Luna luminarium magnorum nomine insignita sunt*? An quia maiori virtute pollent, ac maiora nobis apparent? quod clarum est apud D. August. 2 de Gen. ad lit. cap. 16. 2. An initio luna soli æqualis fuit, quæ tamen diminuta fuerit, quòd Deo calumniam de sole tulisset dicens lumen solis minuendum esse, quòd vni Regi non conueniret habere duas coronas æqualis valoris; sed illud est Thalmudistarum figmentum, sicut & illud, quod refert Chartus. art. 12, quod nimirum Angelus ala sua tegens lunam, eius lumen obscurarit, vt Machometus disputans cum Abdia Iudæo comminiscebatur.

August. Figmentũ Thalmudicum. Chartus.

3 An vt mysticè loquamur, diuinitas Christi est luminare maius, humanitas verò minus, aut Christus, & Moses, vel Euangelica lux, & veteris testamenti, aut sensus spiritualis, & literalis Scripturæ, vel lumen gloriæ & fidei, lumen fidei, & naturale; cognitio beatorum matutina, & meridiana; virtutes Theologicæ, & Cardinales, Christus, & Virgo, potestas Pontificia, & Imperatoria, pax interna cum Deo, & inter spiritum, & carnem, & pax externa cum proximo; hæc omnia sensu mystico luminare maius, & minus dici possunt, quod facilè quælibet rebus omnibus applicare poterit cum luce vel astris communionem aliquam habentibus, quarum vna sit altera præstantior, vt intellectui, & phantasiæ &c. Eodem modo stellas explicare possumus, etenim si de cognitione beatorum sermo est, vespertina vt pote multis speciebus infusis constans, stellis conueniet, si Virgo sit luminare minus, cæteri Sancti stellæ dicentur, & sic de cæteris, vt latè narrat Ascanius.

PROBLEMA LXXI.

1 *QVorsum ex luminaribus prædictis vnum alio maius esse dicitur*? An fortè sol maius luminare dicitur, quòd nobilius nomen sortitum esse videatur? alijs enim ἥλιος dicitur ab ἀολίζειν, quòd statim atque exoritur homines in vnum cõuocet, vel quia exortus obscuratis cæteris sideribus, solus apparet, inquit. Tull. 2. de nat. Deor. vel quia solus tam annum, quàm diem quadripartitur, vnde 1. mythol. Fulgentius 4 solis equos refert 4 diei partibus cõgruentes. Erythræus enim instar matutini

Nomina solis. Tullius. Fulgent.

4 Equorum solis nomina. ruber, Acteon splendidior est, sicut & hora nona matutina, Lampos meridiem, vt Philogæus terram denotat, est igitur & nominis excellentia, & dignitate maius, cuius laudes apud Nazian. orat. 2. de Theol. Chrysost. hom. 6 in Gen. Ambrof. 4 hex. c. 1. videre est. (Nazian. Chrysost.)

2. An maius est orbis amplitudine? cùm lunam, astra, & terram superet, tametsi enim Heraclitus solem pedalis magnitudinis existimaret, Empedocles verò ęqualem terræ, vt l. 4 de materia & mundo Theodoret. refert, attamen Astronomi communi calculo solem centies sexagesies sexies terra maiorem affirmant; vnde patet quàm malè ratiocinaretur Epicurus, qui solē negabat maiorē esse, quam nobis apparet, inquit Plutar. 11. de placit. Philos. cap. 2. De solis magnitudine D. Basil. hom. 6. hexam. Ambr. l. 4 c. 6. & Iunilius videantur. An verò luminare maius dicitur ob maius lumē, cuius fons esse dicitur, vt citati Patres explicant? & ideo maius est caloris efficacia, quo, ne terram inflammaret, altiori, quàm luna, positus est cœlo, quapropter luminare maius ob altitudinem dici potest, quamuis enim iuxta diuersorum sententias in medio planetarum collocetur nempe sub Marte, & super Venerē, vel immediatè super Lunam, vt apud Bedam 2. de elem. Philosoph. & 13. cap. l. de natura rerum, nec non c. 24 de temporum ratione videri potest. An maius est ob motus simplicitatem, nec enim ab eclyptica discedit; His etiā modis præest diei adeout solus radios sensibiles emittat, & sua sola præsentia diem efficiat; hinc Vielmus lect. 21 Astrologos arguit, qui planetas alios horarū diurnarum reges, & dominos faciunt, & soli primæ horæ solem, secundæ Mercurium, Venerem tertiæ, quartam Lunæ, ♄ quintam, sextam Ioui, Marti septimam, deinde octauam soli, &c. præficiunt. Ex quibus facilè quis elicere potest, quo sensu luna minus luminare dici possit, præterquam quòd non à se lucet, sed à sole mutuum lumen accipit, tametsi contrarium senserint illi, qui astra ex igne conflata putarunt, quos Ascanius refert. At nos postea quędam de luna atque sole dicere poterimus.

(Theodoret — Magnitudo solis. — Plutar. — 3. — Locus ☉ — Beda. — 4. — Vielmus.)

Dicitur autem luminare magnum, sicut ipse sol, vel quia talis ob viciniā lunæ apparet, vel quia licet trigesies nouies sit terra minor, quā stellæ maximę centiessepties maiores esse dicuntur, lucidior tamen, atque in agendo fortior est. Lunæ magnitudo.

PROBLEMA LXXII.

1 *QVisnam spiritualis sensus ex prædictis versiculis elici potest?* Nunquid ipse Christus est verus sol iustitiæ, qui duabus ex naturis, inquit Anastasius Synaita, sicut sol ex luce, & igne conflatus est, & cū nomine Græco solis ἥλιος nomen Dei Hebraicum *Heli* conuenit, à quo vita animæ, sicut à sole vita corporis dependet; à quo illustratur Ecclesia, & Sanctorum cohors, vt luna, atque sidera à sole; & sicut sol in terra creatus est, & in cœlū sublatus, ita Christus in terra natus, & in cœlos assumptus, quando Angeli stellarum instar occurrerūt, de quo videatur Anastasius, & Ascanius copiosissimus, ex quibus paucula tantùm & summa rerum capita delibò.

2 An ergo sol noster, vt Deus præest diei æternitatis, vt homo diei Euangelico, vt glorificatus diei gloriæ?

3 An Ecclesia pari iure luminare minus dicendum est? vt Orig. homil. 1. & D. Ambrof. lib. 4. cap. 8. insinuant; Ecclesia autem illuminat, & humectat, Christus vrit, & illustrat, inquit Anastas. lib. 4. illa fuit plena, quando Christus mactatus est, additque Ecclesiæ diuersa tempora per decursum lunæ demonstrari, itaut 30 dies, quibus cursum perficit, Ecclesiæ accommodet. Orig. Ambrof. Anastas.

4 Sed quomodo nocti præest? An quia Christus abest, quo occidente surrexit Ecclesia? quæ spiritus pinguedinem, vt luna humiditatem impertiatur, fideles augeat, ad cuius exempla fideles, vt ad lunæ varias facies corpora mutantur; ad cuius splendorem tribulationes, vt ad lunæ lumen venti sequuntur. Insuper videatur Ascanius, qui solem, & lunam cum Adam & Eua, & vtraque cum Christo, & Ecclesia post Synaitam confert.

PROBLEMA LXXIII.

1 *QVanam sunt illę stellę, quas Deus in firmamento posuit, vt lucerent super terram?* Nunquid errones, seu planetæ stellarum nomine censentur? vnde & huius sæculi Mathematici planetarios globos, stellas vocant, vt in tractatu videre est, quem de stella Martis Keplerus edidit; nomina verò, & naturam erraticarum breuiter enarrat Beda lib. de nat. rer. cap. 13. Kepler. Beda.

2 An istæ stellę Sanctos referunt? adeout Synaita cum Ascanio diuersos stellarum ortus diuersis temporibus, quibus Sancti floruerunt, applicent, discurrantque per 12 Zodiaci signa, vt diuersos beatorum cœtus nobis obiiciant, ac eorum virtutes in memoriam reuocent, qua etiam ratione Antonius de Marchesiis de Cotigno totam sphæram Astronomicam ad mores ferè reduxit. Antonius de Marchesiis.

3 Sed & 7 Diaconis 7 planetas & stellas cæteris præclaris Sanctis, & diuersos aspectus, & cursus, quibus promouentur, atque variantur, diuersis vitæ Sanctorum generibus, locis, & tēporibus, atque ordinibus accōmodat Synaita; Sunt ergo sancti mysticæ stellæ, quæ sunt prognostica signa, quæ tempora, dies, & annos ostendunt, quarum Deus nomina vocat psal. 146. Adde quòd Astrorum euentus circa diem iudicij, reparationem Christi, Ecclesiæ, & Sanctorum referant: sed & Doctores sacri, & quicunque doctrinam Christi docent, stellæ dici possunt. Psal. 146.

4 Nunquid & animæ facultates stellarum nomine dignæ sunt, cùm vitæ cælesti incumbentes in Dei obsequium actus suos expendant? quod explicat Rusbrochius cap. 34 de vera contemplatione. Rusbroch.

5 An errantes stellæ impios, sicut non errantes iustos significant? vt l. 2 ad Autolicum Theophil. refert. qui nobis sunt in exemplum optimæ vitæ, nosque Theophil.

Origen. nosque suis actibus illuminãt Origene teste hom.
1. vnde qui Sanctorum vitis legendis incumbit, in
paradiso ambulare videtur.
6. Ad quid verò stellas fecit? An vt splendore suo
cœlos ornarent, vt Ambr. l.4.c.2 habet, vel nox ipsa
non indecora remaneret, & homines in vigiliis,
nocturnisque itineribus aliqua delectatione fruerentur.
7 An vt sphæra octaua vitæ rerum inferiorũ
causa esset? sic enim innuit Alber. part. 1.q.4.a.19
Albert. de 4 coæuis, quæ plus influit in vitam earum, quã
Ægid. orbes cæteri inquit Ægid.2.p.hexam.c.36. An quia
8
vnico motu firmamentum gaudebat, plures stellas
velut in compensam habere debuit? vt cum præcedentibus
D. Bonau. loqui videtur 2 sent. d.14.a.1.
qu.1. & vt efficacior esset ad plures motus sphæris Bonauen.
inferioribus impertiendos, pluresq; hoc in mundo
gignendos inflexus. An etiam vt planetarum gradationes,
directiones, & retrogradationes agnosci 9.
possent? multáque alia similia, quæ Astrologi vix,
ac ne vix quidem sine stellarũ adminiculo cognoscerent.
An vt diuinam prouidentiam astruerent,
ipsosque Atheos confunderent? 10.

PROBLEMA LXXIV.

Quorsum Deus stellas posuit in firmamento cœli?
quod sphæram octauam Astronomi vocant.
1 An vt Philosophi aiunt, ipsæ stellæ sunt in aplane,
quod nodi in ligno, & arboribus? An id æque de
2 planetis, ac de stellis intelligi debet? vt hic firmamentum
pro tota cœlesti machina sumi possit. An
3 verò iam eas initio mundi posuerat in cœlo, vt sentit
Catharin. Catharin. eas tamen nunc posuisse dicitur, quatenùs
eas lucere fecit? Nunquid omnes cœli rectè
4 firmamenti nomine comprehenduntur: nam siue
se tantùm contingant, vt aiunt soliditatem admittentes,
siue continui sint, vel potiùs vnum continuum,
eiusdem naturæ censentur: quod autem
omnes cœli intelligi debeant, satis ex eo constat
quòd planetarum non meminerit Moses, vt pote
quos stellarum nomine complexus est. An vt ad
mystica diuertamus, quia Moses hîc antistites, & 5.
cæteros magnates instruere voluit, vt excelsa non
nisi in excelso locò ponerent: ac proinde doctiores,
aptiores, atq; meliores dignitatibus Reipublicæ tã
Ecclesiasticæ, quàm sæcularis Reges, Pontifices, &
cæteri, ad quos huiusce modi spectant, præficerent,
An vt ex alta veluti specula mundum hunc aspicientes
nostram terram illuminarent, & benignis 6
influentiis regerent?

PROBLEMA LXXV.

Quænam sunt officia, & munera luminarium & stellarum mysticè sumpta, cùm super terram lucere, diei, noctique præesse, lucē, & tenebras diuidere iubētur?
1 Nunquid vt edisceremus Dei exemplo terrenos
homines à viris theodidactis illuminãdos esse?
Anastas. An vt habet Anastas. 4. hex. sciremus non Synagogam,
2. sed Christum, & Ecclesiam mundum illuminasse?
An ideo super terrã, & non in terra dictũ
est, quia gratia, quæ est lux nostra super carnem, nõ
3 autem in carne splendet, An vt Christus, & Ecclesia
præessent diei iustitiæ, & nocti impietatis, vel temporibus
tribulationum, ac prosperitatum, vel diei
futuræ vitæ, & nocti purgatorij, & lucem spiritualem
à diuersis generibus tribulationum spiritualiũ
diuiderent? Quomodo igitur Deus non vidisset
illud esse bonum, quod in hac die produxit? quod
in hac die produxit? quod quidem singulis diebus
repetit, inquit D. Chrys. hom. 6 in Genes. vt diuinas
doctrinas nobis magis imprimat, sed præsertim Chrys.
hac die cùm in toto mundo nihil præstantius sole,
nihilue iucundius aut vtilius, luna, & stellis nihil
pulchrius esse videatur.

PROBLEMA LXXVI.

Cur de die quarto luminaria producta sunt, quidue dies ille quartus significat?
1 Nunquid vt dies
Ambros. quartus non ampliùs damnaretur, cùm in eo res tã
2. præstantes emanarint? vt D. Ambr. 4 hex. 9. disserit.
An quia sol debuit esse inter medios creationis
Vielm. dies, sicut est in medio cœlorum? vt Vuiel. lect. 21
3. habet. An quia Astra perennia sunt, sicut quadrãtum
ob suã stabilitatem, vt idem ait. An quia Deus
4 4 ætatem hac die repræsentare voluit, sicut per
primum diem infantiam; per secũdum, pueritiam:
& per tertium mundi adolescentiam declarauit.
5 An quia sicut numerus quaternarius, vt pote ἀποτελεσματικός,
id est perficiens, cæteris antestat, & quę
sunt excellentiora, die isto fieri debuerunt? nam 1,
2, 3 & 4 implent denarium, qui vocari potest omnis
numerus, sicut diapason omnis consonantia, &
circulus omnis figura; ea propter Deum omnia numero
quaternario disposuisse videtur, elementa,
ventos, cœli cardines, & alia; sed de laude quaternarij
aliàs, interim consulatur Bongus. An vt præsignarentur,
quæ Deus quarto millenario fieri decreuerat, 6.
vt Synaita disserit. Huc etiam reuocari Synaita.
possunt omnes laudes, quæ numero quadragenario
tribuuntur, quia 4 decades, vel quod eodem recidit,
decem quaternarios amplectitur.

QVÆSTIO XIV.

De sole, luna, atque stellis.

PLurima sunt omnino, quæ hîc de sole, luna, cæterisque planetis, atq; stellis referre possim; verùm ne commentarij limites transgredi videar, pauca solùm de hisce 2. magnis luminaribus attingam, sciamus quænam sint præcipua illorũ officia, & iste dies quartus illustrior appareat, quem cum primo conuenire video, cùm in eo lux facta sit, in hoc verò sol, adeout non desint, qui lucem primæ diei solem ipsum fuisse putẽt, licet non vsque adeò perfectum, quia manum vltimam ei Deus addere noluit, donec quartum diem exhibuerit, sine illa perfectio maior lux, siue loci alterius assignatio fuerit; idemque de luna, stellis, & cæteris, quæ ad cœlos attinent, non sine coniectura asserunt; etenim probabile est Deum omnia primo die fecisse, quæ ad terrę, cœlorumque naturam pertinebat, ita tamen vt vltimum eorum ornatum in alios dies reseruarit. Hanc verò quæstionem more solito sequentibus articulis expedio.

ARTICVLVS PRIMVS.

DE IIS, QVÆ SPECTANT SOLEM, PROVT IN se consideratur.

POstulat ordo doctrinę, vt priùs ea discutiamus, quæ ad solis naturam, & absolutas illius proprietates spectare videntur, quàm vt alia, quæ ei in ordine ad aliud competunt, aggrediamur, ne quid interturbetur. Itaque primùm arbitror lucem ita soli deberi, ac calorem igni, i. lucem, quæ est in sole, non minus soli iuxta substantię, seu naturæ propriæ essentiam, quàm ignis substantiæ calorem deberi, adeout illa solis natura lucem veluti proprietatẽ ex se fundat, sicut anima rationalis intellectũ, & voluntatẽ gignit, & ignis calorem; quæ tamen proprietates in substantię authorẽ referendæ sunt, cùm ab eo substantia quęlibet sumpserit, quidquid habet. Hanc autem proprietatem maximè, seu quarto, vt vocant, modo soli conuenire nemo negat. At verò non est, quòd iam plura de luce subiungamus, cùm ea, quæ suprà quæstione 4 de luce diximus, huc reuocari possint. De substantia solis non plura refero, quàm quæ de substantia cœli vel iam allata sunt, vel Philosophi disputant. Idcirco alias proprietates aggredior, siue magis cum solis natura, siue minus coniungantur. Hîc igitur quantitatem, figuram, & locum solis discutiemus, articulo secundo distantiam eius à terra, & cœlis, atque lucis illius proprietates; articulo tertio motũ, & cætera, quæ apud nos præstare solet. Ad magnitudinem nos textus ipse prouocat, qui asserit Deũ fecisse duo luminaria magna, quæ quidem rotũda esse omnes existimant, quanquam nulla demonstratio cogat, vt illud credamus, tametsi enim sol nobis rotundus appareat, si quadratus, aut multiangulus esset, ob ingentem distantiam anguli euanescerent, prout in quadratis turribus à longè visis contingit, quippe quæ rotundæ existimantur. Vt vt sit, probabile est corpus solis adeò mirabile sphæricam habere figuram, cùm eius lumen per quoduis foramen irregulare illapsum ad perfectam rotunditatem post iustum interuallum perueniat, & quidem hæc figura soli maximè competebat, vt suum lumen ex æquo ad omnes partes diffunderet.

Materia articuloru.

De solis magnitudine plurima iam arcani ratione 33 aduersus Atheos, in qua plurima de sideribus habet, vt iam sufficiat si dixerimus solẽ 140 terra maiorem esse, lunâ verò 5600, quod ex terrena diametro probari potest, quàm ex Astronomorum obseruatione suppono se ad solis dimetientem vt 1 ad $5\frac{1}{5}$ se habere, quia solis diameter terræ dimetientem quinquies continet, & præterea quintam partem illius; quo posito facile est solis concludere magnitudinem, nam si fiant duo globi, quorum vnius diameter sit vt vnum, & alius vt $5\frac{1}{5}$ hic sese habebit ad alium, vt 1 ad 140, quandoquidem sphæræ triplicatam habent suarum diametrorũ rationem, vt latè probatũ est ratione 16 aduersus Atheos; hinc fit, vt cũ solis dimetiens ad terrę diametrũ se habeat vt $5\frac{1}{5}$, ad 1, vel quod idem est vt 26 ad 5 numeri sequentes 705, 135[illegible], 26, 5 in continua ratione positi hanc proportionem habeant, vt ratio primi 705 ad vltimũ 5 sit eadem, quę solis ad terram: at numerus ille continet 5 centies quadragesies, vt constat ex diuisione 705 per 5, quotiens enim dabit 140 [illegible].

Solis magnitudo quanta.

Terræ, solis & lunæ proportio.

Lunâ verò solem quinquies millies, ac sexenties maiorem esse patet ex eo, quod terra lunã quadragesies cõtineat, sol terram 140, multiplica 140 per 40 prodibit numerus 5600; at de his vbi suprà. Nolo tamen omittere quorundam Copernicanorum ratiocinationem, qui de solis magnitudine ita loquuntur. Sol est primum, atque adeò maximũ corpus mundi, quod ad sequentia nullam proportionem acceperit, sed potiùs sequẽtia ad ipsum; ideóque nullam solis causam archetypalem admittũt, sed existimant tunc hominem, & totum mundum duplo maiorem futurum, quàm nunc sit, si corpus aliquod sole duplò maius futurum fuisset. Volunt autem ea ratione mundi corpora proportionari, qua nos in terra positi solem aspicimus, qui longissimè remotus nobis sub angulo 30 minutorum apparet, vt eius diameter 720 partem circuli, vel 4 angulorum rectorum occupet, quia, inquit Keplerus pag. 477 l. 4 epit. minimus numerus, qui se præbet determinandis omnibus partibus monochordi, ad systema duplicis diapason constituendum, est 720, ideóque consentaneum fuit, vt primum corporis

Lunæ magnitudo.

Keplerus.

tius mundanæ musicæ choragus apparentiã suæ diametri contemplatrici creaturæ circulum vt indicem apparentiæ motuum Harmonicorum diuideret monochordica diuisione, idest in partes 720, quod est bis 360, ter 240, quater 180, quinquies 144, sexies 120, octies 90, nouies 80, decies 72, duodecies 60, quindecies 48, sedecies 45, octodecies 40, vicies 36, vicies & quater 30. Verùm de his postea, vbi de proportione interuallorum terræ, solis, & lunæ agemus. Iam aggrediamur locum solis, quem omnes ferè Mathematici in 4 cælo inter ♀, & ♂ hucúsque constituerunt, donec Copernicani surrexerint, qui eum in mundi meditullio, seu centro, in quo nos terram locamus, esse contendunt, & hisce rationibus demonstrare putant, quarum prima est, quia dignissimo corpori locus dignissimus debetur, atqui sol est corpus totius mundi nobilissimum, sumantur enim 3 regiones, in quas mundus diuiditur, quæ beatissimæ Trinitatis personas aliquo modo nobis referre possunt, vt centrũ Patris, superficies Filij, intermedium verò Spiritussancti symbola esse dicantur, inuenimus nihil in toto mundo Deum patrem meliùs repræsentare quàm solem; quem Pythagorici ignem, alij Iouis custodiam, ideam, & mittraton appellauêre, igitur sol debet esse in medio, cùm omnium optimè custodiri debeat.

Diuisio circuli.

Solem esse in medio mundi, eiusque centrũ probatur.

2. Totus mundus, qui sphæricus est, lumine, atque calore solis æqualiter indiget, igitur sol debet esse in medio, ex qua æqualiter in omnes plagas dispertiatur, quod fit æquabiliùs, si quiescat in centro, alioqui si circumiret, & ad aliquas partes calefactionis causa accederet, recederet ab oppositis, & vicissitudines simplicissimus existens causaret. Confirmatur eo quòd firmamentum sit instar speculi concaui, in cuius cẽtro si fuerit circulus vndiquaque seipsum intuebitur, & si lux ibidem statuatur, vndique angulis rectis repercutientur, vt rursus in centro coëat, cùm igitur sol fons luminis, & mundi sit oculus, centrum ei debebitur, vt seipsum (veluti pater æternus in symbolizatione diuina) in tota superficie concaua, (filij symbolo) contempletur, séque ipsum illuminando illustret, & calefaciendo incendat iuxta hos versiculos:

Obiectio 1.

Confirmatur.

Tuam ô qui faciem inspicis
Vndiquaque resultans
Ætheris vmbilice
Vitreum per inane fluentum
Fulgurum scatebra, sol,
Quæ reflexa resorbet.

3. Sex primarij planetæ nempe tellus, & reliqui
3 quinque perpetuò ferẽtur per vnicam simplicem,
& sibi similem in spatio mundano orbitam, & li-
neam ferè circularem, adeout eccentricis, & epicy-
clis non indigeamus, si solem in mundi medio col-
locemus; adde quod tunc omnes orbes constantis-
simè ad eclypticam inclinabuntur, cùm iam sole in
4 cœlo posito dupliciter liberari debeant. 4. cen-
4 trum magni orbis in paruo orbe circumire debet,
sed in magno, si circumeat, at sol in orbe minori si-
tus esset, quam ♄, vel ♃, si eũ 4 cœlo affigas: orbis
enim ♄ est ferè decuplo maior, Iouis quintuplo,
Martis sesquiplo, igitur in medio quiescere debet.
5 5. si sit in 4 cœlo, quomodo inferiùs descende-
6 re poterit. 6 credibilius est circa magnũ corpus mi-
nora conuerti, vt ☽ circa terram, & 4 planetas Io-
uiales circa ♃, quàm è contra, igitur sol non debet
circumire terram se minorem, sed in medio stare,
7 principis instar. 7 Causæ interuallorũ mutilantur;

atque turbantur, nisi telluri suus orbis concedatur
inter orbẽ ♂, & ♀ licet enim interuallũ ♃ & ♄ à
cubo, ♃ & ♂ à Tetraëdro, ♀, & ☿ ab octaëdro
deduci possit, supererit inter ♂, & ♀ interuallum
vnicum, cùm duæ mundanæ dodecaëdron, & ico-
saëdrõ supersint, quarũ neutra ♂ & ♀ interuallo
congruit, quod est in ratione maiore quàm dupla.
8 Harmonia motuum cœlestium, quæ numeris 8
Scalæ Musicæ constat, & totius Astronomiæ vita,
& anima dici potest, periret, nisi tellus inter plane-
tas inter ♂, & ♀ posita suã chordã pulsaret, suũ-
que tonũ per semitonij variationem veluti decan-
taret. Quo semitonio telluris ablato perit repræ-
sentatio generum cantus duri, & mollis, igitur sol
è 4 cœlo in mundi centrum deturbandus est, vt tel-
lus loco illius collocetur.
9 Si 5 orbes sint luxatiles, tellus etiã quiescens illã
obiectã circa solẽ scribet, qualem illi Copernicus 9
quiescente sole, & centro regionis mobilium assi-
gnauit inter orbes ♂, & ♀, sed credibilius est tel-
lurem sextã orbitam motu reali describere, quã vt
illã quiescendo peragret. 10 Motus solis dierũ 365 10.
est periodus media inter ♀ periodũ 225 dierum, &
♂ 687, igitur circuitus ille 365 dierũ competit tel-
luri, cùm enim nullus planeta primariorũ circa ter-
ram vertatur, nec ipse sol circa eã conuerti debet,
sed illa potiùs circa ☉. 11. Si sol in 4 cœlo ponatur,
& terra in centro immobilis, cùm orbes nulli soli- 11
di sint, motrices facultates nusquam esse poterunt,
quàm in corporibus mobilibus, & sic eorum con-
ditio fiet durissima, dum corpus in quo fuerint, de
loco in locũ duplici motu transferent, cogenturq;
simul eodẽ momento respicere ad vtriusque motus
principia, cẽtra, periodos, & figuras. At sole quie-
scente vnicus erit vniuscuiusque planetæ motus,
qui virtutibus corporeis magneticis effici valeat,
adeout vix animali facultate ad vnicam volutionẽ
corporis ☉, mentis verò præsidio nusquã opus sit.
12 Motus 5 planetarũ primariorũ ex sole oritur, 12.
itaut sit immobilis, igitur terra in eius locũ substi-
tuenda est, vt ipse sit mundi centrum immobile. 13
nisi sol, & terra circa axes suos gyrentur, non pote- 13.
runt habere virtutẽ mouendi cæteros planetas, cũ
tamen sol sex planetas, tellus verò lunam moueat,
quod si terra moueatur, & sol quiescat illam virtu-
tẽ recipere poterunt, 14 si sol omnium orbium sy- 14.
stema circumgestans mouetur, fit aliquid noui cir-
ca ipsũ, aliquod enim corpus mouebit seipsum, aut
ab extrinseco motore mouebitur, at si tellus mo-
ueatur, à ☉ quiescẽte mouebitur, nec aliquid noui
contingẽt. 15 planetæ omnes in recta linea libran- 15
tur, quæ in ☉ vergit, ex qua libratione leges suæ
celeritatis, & tarditatis in quolibet eccentrici loco
petunt, vt ☉ huiusce variationis causa existat; idẽ-
que de tellure dicito, quæ libratur in diametro ex-
tensâ versus solem; quòd si ☉ moueatur, tunc de-
bebit terra circuitũ solis, & planetarum, eorũque
variationes efficere, at non est credibile terram sole
minorem esse causam, cur ☉, & mundus 5 syste-
matũ planetariorũ moueantur, igitur illa cũ prædi-
cto nodo cieri debet à ☉ cõmuni fonte motus cæ-
terorum. 16 posita terra inter ♂, & ♀, quæ motu 16
diurno moueatur, causa finalis, & instrumentalis
obliquitatis eclipticæ ex ipsa terra desumi potest,
quod fieri nequit, si terra quiescat. Deinde rationẽ
reddimus inæqualis progressionis nodorũ planeta-
riorũ, & mutatæ obliquitatis eclipticæ, & alicuius
inæqualitatis in præcessione æquinoctiorũ, quo-
rum omnium causa ignoratur, si terra stet.

17 Denique nō debuit contemplatrix creatura in vno loco velut in clauso cubiculo residere, sed à terra velut à naui circumferri, vt per varias stationes Astrorum dimensiones caperet. Hæc sunt quæ pro loco solis afferūt, quæ profectò tam leuia arbitror, vt vix vlla responsione indigeant, attamen singula raptim dissoluo, ne difficultates omnino fugere videar.

Respondetur.

Ad 1 Ad primum igitur aio non esse certum, an semper centrum sit locus dignior, imo censemus terræ centrum esse locorum omnium ignobilissimum, ad quem damnati detruduntur; locum autem nobilissimum empyreum cœlum, in quo beati sedeāt, & diuini numinis essentiam contemplentur, quæ licet vbique sit per immensitatem, singulariter tamen sese beatis super cœlos aperit; nisi velis locum beatorum in solis corpore statuendum esse, quod hactenus inauditum est, & satis ridiculum, tametsi Deus id facere potuisset, si ita voluisset. Quod si viuam beatissimæ Trinitatis imaginē inquiris, habes creaturas, quas contēplatrices appellas, quæ factæ sunt ad Dei similitudinem, vt postmodum videbimus. Ne verò timeas mi homo, ne defectu custodiæ sol pereat, quandoquidem nemo est, qui ei nocere velit, nec si quæ creatura velit, id poterit, cum sit incorruptibilis.

Ad 2 Ad 2 fateor solem suo accessu, varietatem efficere, atque diuersas tempestates in his inferioribus excitare, nego tamen inde quidpiam absurdi sequi.

Ad confir. Ad confirmationem dico mihi displicere, quod Keplerus soli cōtemplationem tribuere audeat, nemo Catholicorum solem intelligentem facit; quod attinet ad specula, non est quod cœli fornicem specularem fingat, cùm in sole calefaciendi virtus satis magna à Deo posita sit, vt iam nulla speculari reflexione indigeat ad vim illam augendam. An verò stellati, vel empyrei cœli concauum sit speculum solis lumen ad nos reflectens, & quoúsque reflecti possit, mihi discutere non vacat.

Ad 3 Ad tertium nego motus planetarum auferēdos esse licet eccentrici, & epicycli necessarij videātur, alioquin alia plurima, quæ tamen verissima sunt, tolli deberent, si statim atque in iis intelligendis laboramus, ea negare velimus.

Ad 4, & 5 Ad 4 respondeo me fateri circulum ♄ solis circulo maiorem esse.

Ad 5 dico id eccentrici beneficio fieri posse, præsertim si cœli planetarij permeabiles sint, quales eos esse probabile est, vt ex dictis constat.

Ad 6 Ad 6 nego maiora corpora nō debere minora circuire, nec alius ordo mundi esse debuit, quam is, qui à Deo positus est, cuius ordinatio mihi semper admirabilis esse videtur, & bonitas eò magis ineffabilis, quo ea propter nos fecit, quæ vix concipere possumus.

Ad 7 Ad 7 de interuallis postea decemus.

Ad 8 Ad 8 nego terræ, vel cœlorum harmoniam perire, si solem in 4 cœlo ponamus, quod ad caput 2 quæstione 10 probabimus, dum totius mundi harmoniam discutiemus.

Ad 9 & 10 Ad 9 falsum est terram quiescentem motum, eundē describturam, quem in 4 cœlo sita conficeret, licet eadē phænomena nobis apparere possent. Ad 10 nolo meum animū ob Keplerianas harmonias cruciare, nec earum systema ita constituit, vel demonstrauit, vt illud sequi debeamus, imo præstantissimi Mathematici illius harmonias minimè probāt, sed potiùs irridēt, quas aliquādo discutere poterimus.

Ad 11. Ad 11 aio hominē se ridiculū exhibere, dum satis ostendit se nescire quomodo motrices intelligentiæ sidera duplici motu ciere possint, nisi fuerint in solidis cœlis, quasi verò Angeli corpore solido indigeant. Discant igitur Copernicæi non minus intelligentias posse sidera duplici motu cōmouere, si cœli liquidi sint, quàm si solidi fuerint, neque deinceps cum suis virtutibus magneticis negotium nobis facessant, mentis enim præsidium omnino necessarium arbitramur, vt mirabilis ille cœlorum cōcentus numinis diuini laudes enarret.

Ad 12. & 13 Ad 12 nego motum 5 planetarum à ☉ produci, ac proinde illud, vnde figmentum magneticum sequebatur. Obiectio 13 simili negatione conficitur.

Ad 14. Ad 14 fateor aliquid noui fieri circa solem, quia momentis singulis mouetur, & varias mūdi partes diuerso modo illuminat, nullū tamē accidens absolutū ei de nouo cōtingit; ab extrinseco, vel intrinseco principio moueatur, nec enim mihi parū refert, Deus potuit ei principium motus indere, potuit & Angelū ei præficere, vel per seipsum illū ciere, elige quodcunque volueris, quid inde? nego tamen terram à sole immobili motam iri, si reuera moueretur, sed ille motus ei, prout nunc soli, competeret.

Ad 15. Ad 15 aio librationem in terra nullam esse, si sit in aliis planetis, id eis peculiare initio creationis ad hominum vtilitatem à Deo Opt. Max. concessum fuisse.

Ad 16. Ad 16 dico obliquitatis eclipticæ, & aliorum, quę in obiectione referuntur, finalem causam esse Dei gloriam, & nostram vtilitatem, causam verò instrumentalem, Angelos, vel motricem vim ipsis sideribus impressam.

Ad 17 Ad vltimum respondeo congruentius fuisse, vt creatura contemplatrix quiesceret, cùm illa sublimis actio purè mentalis summam corporis quietem postulet. Et quidem ad ipsos Copernicanos appello, num profundiùs mathematicis ideis incumbant, cùm huc illuc discurrunt, quàm vbi quietissimi sedent, & in cubiculo lineis, atque figuris intendunt; certè fatebuntur necessariò quiescendum esse, vbi quid operosius aggredi voluerint. Sed nec desunt rationes cur ☉ in 4 cœlo rectè situs esse potuerit, quas apud sphærarū cælestiū interpretes videre poteris.

ARTICVLVS II.

DE SOLIS DISTANTIA, ET ILLVMINATIONE.

ADmirabile solis lumen, & ingens illius à terra interuallum aggredior, quod breuiter expediemus, cùm iamdudum ratione 33 aduersus Atheos solis, & aliorum siderum à tellure distantias, & figuras, quibus illæ distantiæ, atque magnitudines inueniri possint, attulerimus. Quapropter iis, quæ ibi dicta sunt, præsuppositis, placet addere modum, quo philosophantur Copernici.

Volunt igitur centrum ☉ à centro globi terreni corporis solaris semidiametris 229 recedere. Præterea primam totius mundi proportionem inter

Distantia solis à terra iuxta quosdam neotericos.

inter corpora telluris,& ☉ constituunt,adeout toties semidiameter terræ contineatur interuallo centrorum solis & terræ, quoties corpus telluris in solis corpore reperitur, vt terræ semidiameter prima mundi mẽsura sit ad illorum centrorum distantiam,sicut corpus terræ, ad corpus ☉.Hinc fit,vt si solis semidiametrum supponas habere partes 100000, interuallum ☉ à terra sit partium similium 22918166.

Ex quibus telluris semidiametrum indigetant, atque concludunt, numeri 100000 cubum 1000000000000000 diuidunt per interuallum prædictum 22918166, quotientis enim radix 6606 erit terrena diameter, quia sicut 6606 telluris semidiameter in 22918166 solis, & terræ distantia 3469 vicibus cum triente continetur,ita cubus numeri 6606, qui semidiametrum terrenam repræsentat, in cubo numeri 100000, qui est solis semidiameter, toties continetur. Cùm autem talis sit proportio globorum in cubo inscriptorum, quæ est ipsorum cuborum, semidiameter ☉ terræ semidiametrum 15.& paulo plus continebit; corpus verò solis terræ corpus vicibus circiter 3469 complectetur,vt ita corpus solare cæteris mundi corporibus in vnum conflatis maius efficiant. Viderit, cui competet otium, & qui necessarias siderum obseruationes facere poterit, num illa Physica Astronomia bene concludat necne. Cum enim de solis distantia dixerim vbi suprà,nunc ad eius lucẽ accedo, quæ sanè tanta est, vt nihil in toto mundo maius,admirabilius nihil esse videatur

Sol densissimus.

Et quidem Copernici aliqua coniectura fulciuntur dum solem faciunt corporum omnium solidissimum, vt ex se maius lumen effundere valeat. Ideóque tertiam partem materiæ,& soliditatis totius mundi vni soli tribuunt, vt tantumdem materiæ in se contineat, quantum est totum mobile interuallum, quod illuminat, vt tota mobilis regio vnam tertiam materiæ mundanæ partem habeat, ac si Deus eo ferè modo totum mũdum condidisset,quo pueri bullas ex aqua, & smegmate per aëris insufflationem excitant, ita tamen vt Deus in centro guttam aquæ retinuerit; pulchra sane creationis idea, si vera, quandoquidem totus mundus in Dei conspectu aquæ guttulæ compatari possit,

Sap. 11.

iuxta cap. 11. Sap. vers. 23. *Quoniam tanquam momentum stateræ, sic est ante te orbis terrarum, & tanquam gutta roris antelucani, quæ descendit in terram.* Nunquid enim superficies visibilis totius mundi, firmamentum videlicet aliqua ratione superficiei bullæ similis est? hinc fit vt chrystallinum cœlum appellari possit.

Verùm ad illuminationem accedamus, ob quam sol Deo similis esse dicitur,& vas admirabile, opus excelsi, atque luminare maius appellatur; quem antiqui mundi vocarunt oculum, an eum Persæ sub facie leonina cum tiara ob eius lumen coluerint, cuius meminit Arnobius hisce verbis. *Inter Deos videmus leonis toruissimam faciem mero oblitam nimio,& nomine frugifero nuncupari,* an verò ob fruges, quas progignit, vnde καρποφόρος ὁ ἥλιος dictus est, viderint antiquarij.

Sol sub qua figura, & à quibus adoratus fuerit.

Vopiscus.

Certum est ex Vopisco templum ab Aureliano soli dicatum fuisse, & illud simulacra solis, & Beli ex templo Palmyrenorum transtulisse; quem Emisseni Elagabalum vocabant,

Nomina solis.

quia cum sub ingentis saxi forma colebant, Palmyreni verò Malachbelum, & Aglibolum: Insuper solis Põtifices roborauit,id est salariis, & reditibus annuis illos muniuit, atq; ditauit, atque stipendiis fulciuit. Idẽ sol, qui à multis Orientalibus colebatur, à Persis Mithres, ab aliis Belus, ab Illyricis Belenus,vel Apollo, vocabatur. Meminit etiam Vopiscus matris Aureliani, quam templi solis Sacerdotem fuisse ait, illius verò sacra Mithriaca dicta.

Nos verò per Dei gratiam ab idololatria liberi in diuini numinis bonitatem infinitam solis illuminationem refundemus, tametsi enim lux sit propria soli, illam tamen à Deo accepit, nec alia ratione potest illuminare, siue sit in centro mundi, siue in quarto cœlo, quàm eo modo, quem ei Deus ab initio præscripsit. Hæc autem primò differentia lucis solaris, & aliorum luminum occurrit, quòd diem à nocte discriminet,& ipsam noctem efficiat; enimuero licet omnem ignem, omnes candelas homines excitent, nunquam diem efficere poterunt: nec si stellarum omnium lumen in vnum coëat tanta nos illumination e perfundere poterũt; quanta sol nos vnico radio per quodlibet foramen in cubiculum immisso nos illustrat. 2 discrimen est, quod à nullo alio, præterquam à Deo, lumen suum recipit, & cæteris creaturis illud communicet, quarum vires quotidie suscitat, atque recreat.

Discrimen luminis solaris ab aliis luminibus.

Est autem adeò necessarius in mundo, vt si eum vnicum è medio sustuleris, omnia ruitura sint. Nec enim sine miraculo poterit vllus viuere, nisi luce, atq; calore solis mediatè, vel immediatè perfundatur, vt arbitror; cùm etiam vnica durante hora, cùm patitur eclypsim, ingentes mutationes patiamur, ac veluti mors accedere videatur. Omitto singulas diei particulas, quas suo lumine distinguit, atque producit,& cætera quæ de lucis proprietatibus suprà retulimus, quas ita potes accomodare, vt soli præsertim, & potiori gradu, atque ratione conueniant.

Solis necessitas.

Ab eo cæteri planetæ lumen suum accipiunt, vt patet ex variis eorum phasibus, nec enim vnica luna, vt hactenus creditum fuit, sed & cæteri planetæ ♀ præsertim,& ☿,& ♃ vt nuper telescopio optico expertus sum defectus patiuntur,& statim in cornua, statim in dimidiatum, mox in plenum orbem efformantur. Sunt autem qui putent solem ex aqua in summum gradum condensata factum esse, & eius illuminationem ab aliqua anima, seu facultate vitali, in centro solis posita emanare; adduntque victoriam animæ tantam esse, vt materiæ contumaciam omnino superet; quæ anima, licet totum solare corpus inflammet, in centro sedem potissimam figat, & à centro lucem in omne corpus spargat, itaut lumen è centro ad superficiem euolans inde ad centrum reflectatur,& refractiones omnes sint in ipsam perpendicularem, adeout nullus egressus vllius puncti tametsi in orbem radiantis intra solare corpus existentis futurus sit, nisi in lineis perpendicularibus, quia iisdem lineis egreditur forma ex denso in rarum, quibus ingreditur è raro in densum.

Sol quomodo productus?

Sol quomodo lucẽ è centro emittat.

Præterea ex illa hypothesi aiunt lumen è centro solis ad aliquod superficiei punctum accedens, ab eo puncto per totum hemisphærium spargi,& per infinita suæ superficiei puncta infinities per totum hemisphærium extendi, cùm ad vnum punctum medij densioris infinitæ rectæ ex medio rariori secũdum infinitas inclinationes duci possint, quæ in medio summæ densitatis in vnam perpendicularem refringantur. Quod si quædam alia puncta solis extra centrum posita lucida fuerint, existimant in nulla alia linea foras diffundi, nisi in ea, quæ ex se per centrum ducitur;

Subtilia de luce solis.

Sol crepusculorum pater.

sciremus, nisi lux solis sensus nostros adiuuasset.

Crepuscula vespertina, atque matutina, & auroram progignit, quam veluti filiam à quibusdam deuorare dicitur, quia statim atque radios in hæmisphærium spargit, illa perit. Ille est, qui tantam dierum varietatem inducit, vt in quibusdam locis dies per 6 menses duret, in aliis per vnum mensem, per 12 horas &c. vt ex Geographicis tabulis constat, adeout sol optimus Geographus dici possit, quippequi suo motu, atque lumine causa est, cur Zonæ quinque duæ temperatæ, totidem frigidæ, & torrida constituantur, cur climata, paralleli, meridiani, &c. excogitata fuerint. Denique non ineptè Deo comparari potest, vt enim Deus omnia facit, ita sol aliqua ratione in rebus corporeis omnia, velut instrumentum artificis diuini facere videtur. Adde quòd tam maculæ solares, quàm omnes planetæ circa eum conuertantur, & eundem veluti centrum respiciant, à quo lumen suum hauriunt.

Sol Geographus

Sol Geometer.

Quid si lineas omnes parabolicam, hyperbolicam, ellipsim, sphæricam, & omnes mixtarum species referre velim, quas sol lumine, motúque suo producit? Sanè non erit vllus Apollonius, Archimedes, aut alius quispiam Geometer, qui se Phœbo nostro conferre ausit. Verùm ne longiùs progrediar, & calore solari ardentior in eius laudes totus effundar, ad aliud luminare maius accedo, quod Lunam vulgò nuncupamus, vt posteà nonnihil de stellis subiungamus.

ARTICVLVS IV.

DE LVNA, ATQVE STELLIS; *earúmque proprietatibus.*

NOn vnicus articulus, sed volumen integrum in Lunæ, stellarumque proprietatibus describendis impendendũ est, si quis omnia cõplecti cuperet: nos verò plurima breuiter contrahemus, ne diuini numinis opera minus facere, vel contemnere videamur, si nihil de luminaribus cæteris hoc in loco dixerimus. Vt igitur à minori luminari incipiam. Certum est Lunam eiusdem esse cum aliis cœlis materiæ, quos si corruptioni obnoxios negaueris, idem de ☽ dicendum erit, cuius si reperire volueris à terra distantiam, vel etiam altitudinẽ horizontalem, cauendum erit, ne refractiones, vel parallaxes decipiant; enimuerò cùm ☽ ad 8 gradus horizontis ascendit, parallaxis illius est saltem minutorum 56' 44", ad summum verò 65' 36", in hac parallaxi maxima 52 terræ semidiametris; in illa maxima 61 à centro telluris distare dicitur, vt ferè per 9 terræ semidiametros à terra recedat, vel ad eam accedat; scio quidem summam Lunæ distantiam 59 semidiametrorum duntaxat à quibusdam constitui. Imprimis verò celeberrimus est Lunæ motus, quem ☽ circa terram singulis mensibus conficit, qui motus inæqualis est in consequentia signorum; durat verò diebus 27, horis 15 18' 35"; diurnus motus est graduum 13 3' 54", horarius 32' 40".

Lunæ distãtia.

Lunæ motus menstruus, & diurnus, & horarius.

Aduerte autem motum Lunæ fieri per circulum siue realem, siue hypotheticum, parum refert, qui eclipticam in duobus pũctis oppositis secat, adeout media pars Lunaris circuli dicatur borealis, & alia medietas australis; vnaquæque 180 constat, & ita secat eclipticam, vt figuram serpentis, seu Draconis efficere videatur, quapropter partem borealem ascendentem nodum, ἀναβιβάζοντα, & caput Draconis hoc signo ☊ denotatum vocant: nodum australem descendentem, καταβιβάζοντα, vel caudã Draconis ☋ hoc charactere insigniunt, denique partem intermediam quæ longissimè ab ecliptica recedit, videlicet per 5 gradus, ventrem, seu limitem appellant, qui à capite 90 gradus distat.

Caput, & cauda Draconis quid.

Minimè tamen circulus ille Lunaris in iisdem semper locis eclipticam secat, nodi enim contra signorum ordinem, manente eadem orbitæ ☽ ad eclipticam obliquitate graduum quinque, mouentur, hinc fit vt eclypses fiant semper in locis Zodiaci Occidentalioribus, adeout si nunc eclipsis in signo ♉ contingat, postea in ♈ ventura sit, deinde in ♓, &c. Donec orbita ☽ totum Zodiacum annis Ægyptiis ex 365 diebus conflatis 18, & diebus 223, vel secundum alios diebus 228, horis 5 50' iuxta quos diurnus motus est 3' 10" 38", iuxta primam sententiam annuus motus est graduum 19 20' 33". Hinc fit, vt Luna quotidie per horam ferè tardiùs surgat, quia dum à primo mobili spatio 24 horarũ circa terram cietur, ipsa proprio motu aduersus illum motum nititur, & 13 gradus perficit, ideóque circa terram nõ potest rapi, nisi spatio 25 horarum; qua etiam de causa maris æstus vnâ horâ quotidie tardiùs reuertuntur.

Nodi ecliptici mobiles.

Periodus nodorum, seu capitis, & caudæ quanta.

Æstus maris cur retardetur.

Luna verò ita à sole lumen suum mutuatur, vt semper illius pars maior illuminetur, cùm Solare corpus lunari sit longè maius, licet nunquam minus illuminetur, quàm vbi Luna plena est, quia tũc magis à sole distat, cui videlicet tunc opponitur, & sæpius in apogæo reperitur, sphæra verò maior minorem illustrans eò minus hanc illustrat, quo magis ab ea recesserit. Lunam variis nominibus pro variis illustrationibus, & apparentiis nuncupant; cùm enim minimè nobis lucet in nouilunio, seu interlunio silens est; tunc autem soli coniungitur, quod hoc charactere ☌ Astronomi designant, sequenti ✶ falcatam depingunt, quia sextilis, seu hexagonus aspectus facit, vt per sextam Zodiaci partem à sole distet: quadratus verò □ dimidiatam à sole per quartam partem Zodiaci distantem obiicit, sicut per trientem aspectus trigonus △, quę Lunam vtrinque gibbosam efficit, plenilunium eã soli oppositam 8 exhibet, quæ nomenclaturæ restituuntur, cùm minuitur, & ad silentium redit, vt iterum Soli coniungatur, quæ periodica lunatio 29 dierum, & ferè dimidij spatio conficitur.

Luna quomodo à sole illustretur.

Lunæ coniunctiones, & characteres.

Cùm autem partes Lunæ, quę nondum à sole illustratæ sunt, nobis appareant, vt constat, dum videtur corniculata, vel dimidiata, nonnulli arbitrãtur partes à sole nondum illuminatas, à lumine terræ reflexo, quod ipsa à sole recipit, illustrari, licet alij malint id contingere, quia partes illæ rariores aliqualem densitatem obseruant, quæ lumen Solis

Luna num à terra illustretur.

in se tametsi debilissimum recipiat, atque reflectat. De Lunæ maculis, & figura non est, quod hîc plura subiiciam, telescopia enim iam in omnium manu prompta sunt, quibus extremitates Lunæ, sicut & totum corpus deprehendimus non esse perfectè rotundum, sed asperum, & inæquale, quale terrenum videmus, quod ex areolis, & partibus magis illuminatis constat, quæ arguunt in Luna partes alias esse depressiores, eminentiores alias; alioquin si perfectè sphærica, atque læuigata esset, ad nos tantum lumen reflectere non posset, sed huc illuc dispergeretur, vt in conuexis speculis perfectè sphæricis animaduertimus, quorum instar paruam solis imaginem nobis repræsentaret.

Lunæ figura aspera, nō est rotūda.

De illius magnitudine iam nonnulla dicta sunt, quam ex apparēti diametro facilè colligimus supposita distantiæ cognitione; igitur cum Luna distat 52 semidiametris terræ, sub 36' apparet, cuius loco si terram constituas, eius diameter sub 132' apparebit, quæ minuta subtenderent angulum oculi, qui è Luna terram spectaret. Hinc fit, vt proportio diametri terræ ad Lunæ diametrum sit vt 132 ad 36, seu vt 3 ⅔ ad 1 ferè, vel vt 17 ad 5, ideóq; si duas sphæras ligneas, vel cereas feceris, vnam quæ in diametro 17 lineas, aliam quæ 5 & vtramque pondere, vel Geometrico numero examinaueris, nempe per triplicatam rationem, quam antea in quæstione aduersus Atheos explicabamus, inuenies Lunam esse ad terram vt 5 ad 196, 5 verò tricies, & nouies paulo ampliùs continetur, vt Luna sit ferè 40 pars globi terrestris; rationem verò 5, & 17 triplicatam numeri sequentes exhibent 5, 17, 57 ⅘, 196.

Lunæ magnitudo.

Lunæ, & terræ proportio.

Ratio triplicata quid

Aduerte autem hîc facilè nos scire posse, quantū Luna distare debeat, vt non maior appareat, quàm stella primæ magnitudinis, vel secundæ, 3 &c. id enim aurea regula suggerere poterit, si enim 52 semidiametrorum distantia Lunam nobis sub angulo 36' exhibet, quot semidiametrorū interuallum eam nobis sub vno minuto primo, vel si vis sub vno secundo, tertio, quarto &c. manifestabit? idéque de sole dicendum est, qui cum propemodum Lunæ videatur æqualis, idest eundem ferè angulū visionis subtendere videatur, quæstio sequens nobis suggeret, quantum à nobis sol recedere debeat, vt nobis tantùm sub vno minuto primo, vel secundo appareat; si distantia 101 semidiametrorū terræ faciat, vt optica pyramis à 36' subtendatur, vel à 30', quot semidiametri facient, vt ab vnico minuto primo, vel secundo subtendatur. Præterea scire poteris, quantum à nobis Sol, vel Luna recedere debeant, vt deinceps videri non possint, statim enim atque angulus insensibilis euadet, nihil ampliùs videbimus, sed quandónam insensibilis futurus sit, & quàm longè sol recedere debeat, vt eius lumine non fruamur, viderint Optici, atque Geometræ, vel tu lector per regulam proportionum explora: ad alia enim propero.

Difficultas pulchra proponitur.

Inter alia quæ circa Lunam considerantur, eclipsis non vltimum locum obtinet, quæ varia est, & statim magis, vel minus durat ob variam, quam habet à terra. vel à sole distantiam; deinde quò terræ Sol fuerit propinquior, eò maiorem vmbram terræ in Lunam proiicit, quæ quanto maior, atq; latior fuerit, dum Lunæ occurrit, eo maior eclipsis futura est. Locus in quo reperiri debet, à nodis prædictis determinatur, à quibus si longiùs, quàm 12, aut ad summum 15 gradus 12' abfuerit, nusquam ab vmbra terrena lumen eius impedietur, quibus etiā quo propior fuerit, eò diutiùs eclipsis perdurabit, maximè verò, quando simul erit in ipso nodo simul, & in perigæo. Quantum verò durare possit, si sol, & Luna fuerint in suis perigæis, vel apogæis, viderint Ephemeridum scriptores. Si tamen eclipses prædicere velis, facillimum erit, statim enim atque plenilunium cognoueris, vide in quibusdam tabulis, num Luna tunc in terminis eclipticis futura sit, necne, quos hinc inde 12 graduum constituunt, idest num Luna minus à nodis distet, quàm 12 gradus, tunc enim eclipsis continget; exempli gratia anno futuro Christi 1624 duæ horribiles eclypses Lunæ futuræ sunt prima 3 Aprilis, idq; Venetiis hora 6 13' 3" post meridiem, vt notat Maginus; secunda verò 26 Septembris horis 9 5' 35" post meridiem, & per consequens Lutetiæ eædem eclipses futuræ sunt, citiùs tamen in vrbe hac eas aspiciemus, vt patet ex meridianorum reductione, idque per 44 minuta horæ, quādoquidem tempus illud resultat ex differentia meridiani Venetorum, & Parisiensium, illorum enim longitudo est 34 graduum 30', horum verò 23 graduum 15', vt ille notauit ad catalogum ciuitatum pagina 70, apud quem prædictarum eclypsium durationem, & digitos videre potes.

Lunæ eclipsis quid? & quādo fiat?

Eclipsis prænuntiādæ modus.

2 eclipses futuræ anno 1624.

Meridianorū reductio quomodo fiat.

Lutetiæ, & Venetiorū longitudo.

Aliud exemplum accipe pro anno 1654, in quo ex 4 eclypsibus Lunæ duabus, & solis duabus; spectare poterimus, prima siquidem in australi mundi parte versus ortum constitutis solùm apparebit 16 Februarij, eritque solis. Secunda Lunæ 2 Martij ex parte à nobis conspicietur. 3 Solis 12 Augusti in nostro horizonte conspicua erit, idq; horâ decimâ 55' 34" Francofurtensibus, pro quibus Dauid Orig. suas ephemerides supputauit, & per consequens Lutetiæ tanto citiùs continget, quanto meridianus eius occidentalior fuerit, Francofurtensem 30 graduum 30' Maginus assignat, quapropter meridianus Lutetianus 7 gradibus, & 15 occidentalior erit. Omitto 4 Lunæ, quam 27 Augusti horis 5 17' 36" suis Origanus præsagiuit, sicut & alia plurima, quæ de tempore, atque tempestatibus Luna portendit pro variis aspectibus, quas cum Sole, & planetis habet, ne lōgior esse videar. Ideoque pauca tantùm ad vniuscuiusque commodum de Lunæ temporibus addam, cum Deus in tempora, signa, dies, & annos illam creauerit. Multiplex verò Lunæ annus assignari solet Astronomicus duplex, quorum primus 12 lunationibus constat, quæ dies 29, horas 12 44' continent, vt totus hic annus 354 dies horas 8 48' amplectatur, secundus ob 13 lunationem insititiam embolismicus appellatur, habétq; dies 383 horas 25 32 ciuilis annus minuta, & horas negligit; ideóque lunationes alternatim 29, & 30 dierū statuit, adeout Lunatio Iāuarij sit 30 dierum, Februarij 29, Martij 30, & sic de cæteris, ita tamen vt Luna mensis illius esse dicatur iuxta Cōputistas, in quo desinit, vnde mensis 2 lunationes habere possit, licet alij vulgò censeāt ad illum mensem pertinere, in quo incipiunt. Igitur annus cōmunis diebus integris 354, vel 353, vel 384, aut 383, si fuerit embolismicus, constare dicitur; Hoc anno tam olim, quàm nunc vsus reperitur apud Iudæos, Arabes, Turcas, Persas, & Sinas, apud quos prima Luna dicitur, quā nos Martio, & Paschati assignamus, cùm eius plenilunium æquinoctio verno propius fit, quod iam circa 21 Martij contingit.

4 eclipses futuræ anno 1654.

Francofurti longitudo.

Orig.

Lunæ annus quadruplex

Astronomicus.

Ciuilis.

Aduerte autem anni Lunaris, atque Solaris concordiam ita inuentam fuisse; primò viderunt annum Lunæ 11 diebus solari breuiorem esse atque adeo

Concordia anni Solaris, & Lunaris.

adeo nouilunia, & plenilunia sequenti anno citiùs per 11 dies contingere, quàm anno præcedenti, donec per 19 annos nouilunia ita anticiparent, vt post illos 19 annos eodem iterum die fierent, quo ante 19 annos contingebant, quia omnes lunationes annorum 19, tot dies continent, quot anni solares 19, qui dies 6939 horas 16 ½ continent; quapropter periodus solis decemnouenalis lunarem superat hora 1 ½. Illam verò communem ☉, atque ☽ periodum 431 circiter ante Christum annis Meton Atheniensis reperit, quam ideo Metonicam dixêre 235 lunationibus constantem. Hinc factum est, vt numerum 19 instituerit ad nouilunia totius anni in vnoque mense designanda: qui cum esset tantæ vtilitatis, aureus iure dictus, & literis aureis scriptus est, vt foro præfixus cuilibet totius anni nouilunia, & cæteras ætates Lunæ ostenderet. Quia tamen annorum 19 spatio Luna sedes sibi cõstitutas 1 hora ½ anteuertit, Calippica periodus Calippi nata est, quæ quater Metonicam contineret, in qua per 6 horas sedem antiquam Luna anticipat, ideoque tertiam periodum fecerunt ex 312 ½, in qua diem vnum ☽ anticiparet, licet 4 Calippicæ 304 idem efficere debere viderentur, vt notat Blanc. Superest vt facillimam rationem præscribamus, qua statim videre possis, quota sit Luna, quotus aureus numerus, & qualis epacta. Quod tametsi pluribus modis fieri possit, Limpianam rationem libentiùs sequemur, quia rem præ manibus exhibet.

Metonicã periodum, quæ dicitur ἐννεαδεκα-ετηρίς alij 435 annis ante Christum fuisse institutam aiunt, vt Pompeius.

Calippica periodus quadruplicata.

Pingatur itaque manus sinistra digitis extensis, in qua prædicta veluti legere, vel numerare possis, & ea ratione characteres numerales, iisque in locis scribantur, in quibus characteres Scalam Aretinam explicantes depinguntur, vt in sequenti manu factum vides



in qua 19 caracteres significant cyclum aureum, quo peracto nouilunia ad eãdem sedem, seu locum cœli eodem die redeunt, itaut cum hoc anno 1622 14 Maij, quo hęc scribo, pleniluniũ hora 9 17' P.M. contingat, idem post 19 annos idest anno Christi 1643 eodem Maij 14 die futurum sit, 1 ½ hora priùs, idest hora 8 17'. Ita verò numerum aureum in manu prædicta reperies, numera ab anno reformati Calendarij idest 1582 quot intersint anni inter quęsitum, exempli gratia hoc anno 1622 elapsi sunt 40 anni, itaque anno correctionis 1582 tribue pro aureo numero vnum, anno sequẽti 2, & ita deinceps, quando perueneris ad 19 numerum, incipiet annus 1620, cui deinde 1 tribues, & sic 1621 duo &c. donec 19 rursus expleueris, cùm ad annum 1619 perueneris, anno 1620 1 tribue, anno sequenti 2, denique huic anno 1622 numerum ternarium: Aduerte autem huic ternario quinarium addendum esse, quia anno 1581 correctionis annum pręcedente, numerus aureus currens erat quinarius, qui sẽper addendus erit numero aureo cuiuslibet anni, vt verus Lunæ cyclus inueniatur; & sic hoc anno 1622 numerus aureus erit 8.

Quod anno sequenti 1623 constat, cui numerus 4 respondebit, cui addito quinario fiunt nouem pro numero aureo. Hac igitur de causa in media manu V statuimus, vt sẽper addatur, & in memoriam reuocet, quotus esset aureus numerus, quando Calendarium restitutum fuit. Si tamen quinarius inuento numero additus superaret 19, residuus esset aureus numerus; vt anno 1638 initium sumẽdo ab anno 1582, cui vnum assignes, numerus 19 exurget, cui si quinarium addis, auferas 19, & quinarius residuus 5 tribuit pro numero aureo. Similiter anno 1633 numerus erit 14, cui si V addis, fiũt 19, qui ablati ostendunt aureum numerum vltimũ hoc anno desinere, anno 1634 adde V numero 15, fient 20, à quibus si 19 auferas, superest 1 pro aureo numero anni propositi.

Ne verò labores in numeratione ab anno 1582, sufficiet si post 1600 annum Christi quamlibet manus vnitatem pro 10 sumpseris, sic enim anno

1660, si auferas 1600 superest 60, qui ter 20 continet, & ideo numerus 3 ei tribuendus est, cui tuum V adde, habes 8 pro numero aureo anni 1660.

Hinc vlteriùs inuenies 5 digitorum articulos centum annis respondere, & ideo vbi ad 5 digitorum numerum perueneris, ibi annus 1700 reperietur, in decimo numero 1800 in 15. 1900, & sic de cæteris, quæ omnia vides in figura superiùs allata, & in 2000 iterum ad vnitatem redibis; post quem numerum quilibet deinceps articulus, seu numerus digitorum 400 respondere poterit. Aliter etiam aureum numerum reperies, si annis Christi vnitatem addis, & eos per 19 diuidas; numerus enim qui perfecta diuisione residuus erit, ostendet aureum numerum, qui antiquo Calẽdario in quolibet mẽse docebat nouilunia, quod iam epactæ prǽstant in nouo, nam qui scit epactam anni currentis, omnia eiusdem anni nouilunia cognoscit, quæ eo die cõtingunt, in quo anni propositi scribitur epacta, vt patet anno 1623, in cuius singulis mensibus nouilunia incipient, vbi videris epactam 19. Si verò curreret aureus numerus 19, non tantùm 11 dies epactæ præcedenti, sed 12 addendi essent, vt sequẽtis anni epacta conficeretur, cuius aureus numerus 1 foret: numerus verò ex diuisione resultans ostendet quoties aureus numerus à Christo nato expansus fuerit, vt anno 1623 adde 1 fient 1624, quos si per 19 partiaris, supererunt 9 qui ostendent numerum aureum currentem, quotiens verò erit 85 ostendens cyclum aureum toties expansum fuisse, 9 verò ostendent nonum annum cycli aurei octingenti sexti, qui iam currit.

Vides etiam in manu stellam prope, vel super vngue pollicis, deinde X denique XX, quibus sequẽti ratione epactam inueniemus: Itaque primò cõsiderandum est, quot vnitatibus numerus aureus quæsitus constet, quas distribue tribus pollicis internodiis incipiens à stella, & per X, & XX descẽdens, & toties per eosdem characteres eodem ordine recurre, donec in aliquo sistas cum vltima vnitate numeri aurei, cui internodio si numerũ aureum adiunxeris, epacta quæsita prodibit, si tamen 30 superet, ablatis 30, reliquus numerus epactam suggeret.

Sit exemplum anno 1623 in quo erit aureus numerus 9, vt ex dictis constat, itaque à stella, quæ 30 valet incipe, & descende per X, & XX, iterum, iterúmque incipe à stella vt priùs; desines in XX, quibus adde numerum aureum 9, habes epactam futuram, quam eadem ratione pro mille, & aliis quibusue annis inuestigare poteris.

Non prætermittam facillimũ modum, quo Pascha nostrum deinceps reperire possumus ex inuenta epacta, quę quoties non erit maior 23 ex diebus 31 Martij auferenda est, residuus enim numerus diem Martij ostendet, in quem nouilunium æquinoctij verni cadet, & primus dies primi mensis Nisan incipiet, post quem numera 13 dies, & Lunã 14 Paschalem primi mensis habebis; quod in anno sequenti 1624 patet, in quo futura est epacta 10, quã si ex 31 diebus Martij aufers, tibi supersunt 21, qua propter nouilunium mensis Nisan erit 21 Martij, Luna verò decimaquarta 3 Aprilis. Si tamen epacta numero 23 maior fuerit, vt anno 1623, in quo erit 29, demẽda erit ex 30 diebus Aprilis, vt primus dies Aprilis nostri denotet nouilunium primi mẽsis, & decimusquartus dies Lunam 14. Si verò cõtingeret epactã esse ✶, seu 30, tunc ex neutro mense demenda est, quę cum sit affixa 31 Martij, quoties id continget, primus mensis incipiet 31 Martij, sed nunquam id fiet, nisi post annum 1709.

Paschata quando fiant.

Epactæ futurę.

Epacta 30 quãdo exit.

Quod si contigerit epactam esse XXIV, eam ex 30 Aprilis epactæ XXV extrahe; si verò 25 fuerit, ex eodem mense illam, ac si esset XXVI auferas, cùm enim per 30 epactas Calendarium restitutum sit, & tamen omnis lunatio Paschalis ex decreto Nicæni Concilij diebus 29 tantùm cõstare debeat, non potuerunt epactæ 30 in 29 diebus absumi, nisi alicui diei duæ præfigerentur, quod in 5 Aprilis factum est. Quæ omnia fusè Dactylismus Pompeianus suggeret. Vbi aduertit p. 24 Lunam 14 non esse Paschalem, nisi Sol interim sit in ♈, quod Hebræi putent id à Mose traditum.

Solem in Ariete esse debere, vt Luna sit Paschalis.

Vt verò sciamus, quo die Pascha celebrari debeat, aduertendum est nouiluniũ quod est initium primi mensis, neque ante 8 Martij incipere posse, neque postremum vltra 5 Aprilis differri posse, atque adeò terminos Paschales esse 21 Martij, & 18 Aprilis, intra quos omnis varietas Paschatum contingit. Deinde nos intra Lunam 15, & 21 Pascha celebrare, iuxta id Exod. 12, vbi 7 Lunæ Paschatis cõsecratæ sunt. *Primo mense quartadecima die mensis ad vesperam comedetis azyma vsque ad diem vigesimam primam eiusdem mensis ad vesperam.*

Termini Paschales quanti.

Exod 12.

Cætera reperies apud Pompeium, & nos aliâs de Lunę periodis, sicut & de Calendario referre poterimus. Igitur omisso luminari minori, quod nocti præest, pauca de stellis subiungo, vt huic articulo finem imponam?

Stellarum numerum alibi referemus, materiam eandem cum sole, & Luna habere arbitror; an verò lumen sibi proprium sortitæ sint, an à sole desumant in controuersia positum est: à nobis 14000 terræ semidiametris distant, & quæ sunt primæ magnitudinis sub 2 minutis apparent; Solis autem subduplæ esse dicuntur, & ideo 70 terram complectuntur. Vide quæ aduersus Atheos 33 ratione dicta sunt. Vnicam tabellam adiicio, quæ clarissimũ faciat, quantum prima ♈ distet ab Æquinoctio, & qualis, quantúsue sit motus proprius stellarum, quæ singulis annis 51'' progredi deprehensæ sunt. Supponendum est tamen anno 1600 primã ♈ fuisse in 27 gradu 37', sic enim imposterum scies non solùm quantum singulis annis progrediantur, sed quando cursum suum perfecerint, sequens enim tabella motum 10 annorum tribuit, quem si multiplicaueris, cuilibet annorum numero accommodabis.

De stellis.

Distantia, & magnitudo stellarum.

ANNI

Tabula explicãs motum stellarum.

Anni 10.	*Motus* 10 *annorum.* *Minuta*	*Secunda.*
	′	″
1.	0	51
2.	1	42
3.	2	33
4.	3	24
5.	4	15
6.	5	6
7	6	57
8.	7	48
9.	8	39
10.		30

Motus proprius stellarũ quantus.

Vnde constat decem annorum spatio stellas firmamenti motu proprio minuta 8′, & secunda 30′ conficere, in annis centum gradum vnum, & 25′: annis 200 gradus 2 50, in quadringentis annis cõficere gradus 5, ac per consequẽs omnes gradus Zodiaci 360 peragrabunt stellæ annorum 28800 spatio. Caue tamen ne hac ingenti periodo cuncta reditura credas, quæ iam existunt, & quotidie corrũpuntur, in hoc enim sicut & in aliis pluribus Plato deceptus est. Præter illum stellarum motum alij repererunt stellam polarem ad polum quotannis per 20″ accedere, adeout iam sit polo vicina duobus gradibus & 45′ 50″ hoc anno 1622. Quispiam igitur hac ratione scire poterit, quę sit quotannis stellarum locus, & primæ ♈ ab æquinoctio verno distantia, vt hoc anno 1622 prima Arietis erit in 27 gradu 55′ 42″ Arietis primi mobilis, & anno sequenti 1623 in 27 gradu 56′ 2″.

Stella polaris mouetur.

Sunt qui se putent indagare posse quibus in stellis æquinoctium vernum fuerit, quando mundus creatus est; aiunt enim vrbis conditæ 466, mundi verò creati 5832 in duobus gradibus post æquinoctium 1 ♈ fuisse, ac proinde 3691 anno mũdi fuisse in ipsa verna sectione, cùm in annis 70 mensibus 7 gradum vnum conficiant, ac proinde 141 annis 2 illos gradus superarunt. Hic verò postremus mũdi ann⁹ in 325 vrbis cõditæ annũ incidit; quo ferè tẽpore Metõ æquinoctia obseruabat. Supersunt igitur anni mundi 3691, quibus stellæ gradus 46 progressæ sunt, vt ex regula proportionum constat; si enim anni 28800 dent 360 gradus, anni 3691 dabunt 46 gradus.

Mundus quãdo creatus fuerit, & vbi tũc Sol esset in æquinoctio.

Metoñ.

Erat igitur iuxta hanc de annis mundanis opinionem prima ♈ 46 gradus ferè ante æquinoctium vernum, idest in gradu 14 ♒ primi mobilis; & sic æquinoctium erat prope cornua, seu finem ♉, quæ distat circiter 46 gradus à 1 ♈. Sed antea de annis mundi conueniendum esset, vt quis illud inueniret, quorũ summulæ adeò variæ sunt inter se, vt ea re nihil incertius apud Chronologos esse videatur, si ex opinionum diuersitate incertitudo nascatur. At de stellis aliquando plura Deo fauente dicemus, nunc enim ad 20 Genesis versiculum accedo, præsertim cùm hæc, & alia plurima ratione 33 aduersus Atheos desumpta ex Optica accuratè demonstrauerimus. Quæ si partim hîc repetita videris ne mirare, quandoquidem hi commõtarij sine prædicta quæstione typis mandari poterunt.

VERSICVLVS XX.

Dixit etiam Deus, producant aquę reptile animę viuentis, & volatile super terram sub firmamento cœli.

Vatabl.

Amama.

VAtablus, legit *scaturiant*, quod recidit cum *producãt*, & in superficie expansionis, vel ante expãsionem cœlorũ placet autẽ afferre, quod Sixtinus Amama egregi⁹ quidem hęreticorũ iudicio, meo verò ieiunus nimiũ, iuuenisq; vulgat æditionis censor in hunc locum opponit. Dupliciter peccatum, inquit. Primò enim omissum verbum יְשׁוֹפֵף *Ichopheph*, volet, & per consequens hoc dicere videtur editio vulgata, quòd aquis datum sit etiã aues producere, quem sensum audacter damnat Caietanus dicens Mosem hîc tacere productionum auium. Secundo posterius עַל hal, idest super conuertit, *sub*, dicẽdo sub firmamento cœli. Vnde patet eum supra versum 6, & rursus hîc vocem firmamentum non pro aëre, nedum infima eius regione, sed pro 8 sphæra accepisse. Quæ enim alia necessitas quæso te interpretem ad tam coactam versionem coëgisset? Dic aliquem Patronę colorem, aut ostende עַל supra, vnquam significare תַּחַת sub literis mysticis.

Hactenus Amama, quæ vt melius discutiantur, more solito textum ipsum hebræum, nec non Grecum afferemus, quippe qui post vulgatam, maioris etiam apud nos momenti esse videntur.

יִשְׁרְצוּ הַמַּיִם שֶׁרֶץ נֶפֶשׁ חַיָּה וְעוֹף יְעוֹפֵף עַל־הָאָרֶץ
עַל־פְּנֵי רְקִיעַ הַשָּׁמָיִם׃

Ἐξαγέτω τὰ ὕδατα ἑρπετὰ ψυχῶν ζωσῶν, καὶ πετεινὰ πετόμενα ἐπὶ τῆς γῆς κατὰ τὸ στερέωμα τοῦ οὐρανοῦ, καὶ ἐγένετο οὕτως.

Refellitur Amama hæreticus.

ANtequam ſingulas dictiones aggrediar, operæpretium videtur, vt oſtendam nequidem ſemel editionem noſtram erraſſe, licet enim Hebraica phraſis aliter ſonare videatur, ſi tamen illius vſum ſpectemus, Optimè vulgatum Interpretem legere quilibet æquus iudex affirmabit, nam quamuis יְעוֹפֵף *Iehopheph* idem ſit, ac *volet*, aut *volabit*, rectè tamen expreſſerimus *volatile volans*, ſeu *quod volet*, aut *volabit*, prout Græcus habet τὰ πετεινὰ πετόμενα, *volatilia volantia*, vt Moſes præcipuum auium officium tam in actu, quàm in potentia docuerit. Fauet Chaldæus. *Serpant aquæ reptile animæ viuentis, & auem, quæ volat* &c. nec enim infrequens apud Hebræos, & Chaldęos, vt aliquid in oratione deficiat, vel ſubintelligatur; & quidem facile eſt per *volatile* penitus idem concipere, quod intelligitur per *volatile, quod volet*, adeout Amamã admodum otioſum, & imprudentem exiſtimẽ, qui huiuſcemodi ſine ratione carpat; vnde nec multum inſudare velim, in dictione עַל, quam negat vnquam pro hac particula: ſub, vſurpari: quam tamen 70 verterint per, κατὰ ideſt *ſecus*, vel *ſecundùm*, aut *iuxta*, alij verò, *in*, & *per*, manifeſtiſſimum eſt, *ſub*, hocce loco idem valere, nam quod eſt ſub aliqua re, ſæpius eſt prope, ſeu iuxta illam, vt aqua, quæ eſt ſub aëre eſt iuxta aërem: adde quod ſi particula עַל per *ſuper* explicari debeat, per, *Rekiah baſſamaim*, aëris inferiorem regionem intelligendam eſſe: nec enim aues altiùs volare ſolent, aut poſſunt; Vulgata autem tam cœlum octauũ quàm aërem intelligere poteſt: aërem quidem ſecundum partes ſuperiores, in quibus meteora generantur: cœlum verò, quod aëri ſuperfertur: Iam verò pergamus ad ſolitum dictionum examen.

שֶׁרֶץ

Vbi legimus, *producant*, vtitur Hebræus verbo שֶׁרֶץ, quod *repere, erumpere, ſcaturire, generare, ſeque mouere* ſignificat: quapropter 70 dictionem illam per ἐκζέω, bullio Ezech. 47. 10. πληθύνω multiplico Exod. 1. 7, & c. 8. 3 per ἐξερεύγομαι eructo, verterunt: ac ſi Deus dicat, ad modum formicarum ex alueolis ſuis, aut aquæ fontanæ ex ſcaturigine, vel etiam herbarum tempore veris è terra ſine numero exeũtium, meo iuſſu reptilia producant aquæ, vel ex aquis erumpant, ac velut ebulliant: *Breuis ſermo* (inquit D. Ambroſ. c. 2. l. 1, in quo vſque ad 12 caput præclarè de piſcibus ediſſerit,) *ſed vehemens, & latè patens, communem minimis, & maximis naturam infudit, & quod mirum eſt, noxia in terris, in aqua innoxia ſunt, atque ipſi angues ſine veneno*, vt paulo poſt addit. *Leo terribilis in terris, dulcis in fluctibus*. Cætera vide cit. capitib. in quibus multorum piſcium proprietates refert, moribuſque adaptat. Reptile dicitur שֶׁרֶץ à verbo prædicto Sarath, quod Gręci ἑρπετὸν appellant. Nondum autem in Geneſi nomen

Ambroſ.

animæ vidimus, tametſi enim plantæ non careant anima, quia tamen obſcuriori vita frui videntur, dictio נֶפֶשׁ de illis minimè dicta eſt, quæ ſuam à Nipas originem petit, quod ſumitur pro animatus, ſiue recreatus fuit, & refocillatus, reſpirauit, &c. hinc *Nephes*, oris halitum, ſpiritum, ventum, vitã, & ſimilia deſignat, vt corpus animatum, animal, hominem, cadauer, mentem, & deſiderium, imo & vniuſcuiuſque perſonam; Quidam ex Hebręis more noſtro 3 animas enumerant, ac vegetatiuam צוֹמַחַת, ſenſitiuam הַבְּהֵמִית, & rationalem, ſeu animam Sapiẽtiæ מַשְׂכֶּלֶת vocant, vnde patet dictionem hanc נֶפֶשׁ in Scriptura tam ex antecedentibus, quàm ex iis, quæ ſubſequuntur, explicandam eſſe.

נֶפֶשׁ

Tres animæ apud Hebræos.

Reſtat חַיָּה caiah, quo ſignificatur, quicquid viuum, ſaluum, incolume, viuificatum, atque robuſtum eſt: vnde Chaldæi vocant obſtetricem חַיְתָא, quòd velut infanti vitam conferat; hinc primam primorum reptilium vitam viuaciſſimam fuiſſe facilè concludemus, quandoquidem Nephes caiah dicit animam vitalem, ac veluti vitam viuam. Quod attinet ad עוֹף *hoph*, iam diximus volatum deſignare, vbi ſupra cum Amama, cui Oederanus fauere videtur, cùm ait accentum *Athnach* diſtinctiuum hîc poſitum eſſe, qui oſtendat aliud eſſe membrum de auibus, quas ex terra formatas caput ſecundum oſtendit: qui quia 70 Interpretes ſibi contrarios eſſe videbat, eos hanc neglexiſſe diſtinctionem hæreticus aſſerit: quaſi verò potiùs negligentiæ tot, & tantos Interpretes, quàm paucos hæreticos proteruiæ, & inſcitiæ arguamus: Sciant ergo huiuſcemodi pertinaces accentum *Athnac* nuſquam impedire, quominus oratio tota iuxta vulgatam bellè decurrat, præcipuè cùm interiectio ו *ve* vim noſtræ interiectionis copulatiuam, *&* habeat: quod manifeſtè denotat hoc ſecundum membrum, *& volatile volet* &c. cum primo coniungi; nec obſtat, quòd in capite 2 legamus, *formatis de humo terræ cunctis animantibus*: tametſi enim aues cum animantibus terræ coniungantur, non propterea ſtatim inferas aues ex terra progenitas, niſi velis etiam ideo ex aquis productas eſſe, quòd hîc cum piſcibus ex aqua natis enumerentur. Fateor tamen nos ita rem totam explicare poſſe, vt dicamus non tantùm aues, verùm etiam piſces ex humo productos eſſe, cùm elementa omnia, præſertim aqua, & terra, quæ omnibus animantibus quoad molem, & grauitatem prædominatur, ad piſcium, & auium generationem concurrerint, maximè cùm aqua non ita ſit pura, quin limo cuidam immiſceatur. Denique non à vero abhorret, quod habet S. Doctor. 1. p. q. 71. ad 3, vbi ait aues ex aëre vaporibus aqueis inſpiſſato genitas, quod ipſæ frequentiùs in aëre degendo teſtantur. עוֹף *hoph* igitur

חַיָּה

עוֹף

Oederanus. Athnac.

igitur volatile significat, aut etiam quod celeriter vibratur, vel mouetur, adde & lassus fuit. Quicquid sit, certum ést aquam auium compositionem ingressam fuisse: libet verò D. Augustin. afferre, qui totam hanc controuersiam subtili, vt assolet, ingenio discutit. lib. 3. de Gen. ad lit. cap. 1. 2. & cæteris vsque ad vndecimum, in quibus inter alia plurima cœli, terræque nomine omnia 4. elementa intelligenda esse affirmat, itaut aër supremus ad cœlum, infimus ad terram pertinere censeatur; terræ verò nomine in Scriptura intelligitur, quicquid à terra vsque ad mediam aëris regionem continetur, cœli autem, quicquid ab ea turbulenta aëris parte vsque ad cœlum stellatum; legatur ipse S. August. qui l. 1. de Gen. contra Manich. idem repetit.

[Margin: August.]

Sunt qui putent hîc primò vitæ, & animæ mentionem factam esse, quòd plantæ non viuant, vt Stoici volebant, quibus fauet Galen. dum ait lib. 1. de potentia naturali herbarum facultates non vocari vitales, sed naturales; Ex eò verò quòd piscium, & auium origo communis est, quidam esu auium ieiunia minimè solui crediderunt, teste Socrate l. 5. c. 20, quod etiam secutus videtur Benedictus, referente Mariana, cùm suis quadrupedum carnibus interdixit, auium concessit, ex fructuos. in regul. Monach.

[Margin: Anima plãtarũ qualis Galenus. — Socrates. — num aues frangant ieiunium. — S Benedictus.]

Nolim autem omittere, quod Fagius hîc habet, nempe Hebræum, quod sonat super faciem firmamẽti, aut, vt volunt alij, super facies expansionis, hunc habere sensum in aëre, iuxta, vel proximè firmamentum, vel sub firmamento, & Libanius ad opus diei 5 § 40 fatetur Lutherum in versione Germanica non *super*, sed *sub cœlo*, habere, quod ad Grammaticorum litigium remittit; Quapropter satis imprudenter Amama contra suos egit, dum sine ratione vulgatam carpit, quæ omnino est optima. Superest vt quasdam quæstiunculas insinuem, quæ hîc fieri possent, vt ad solita problemata gradum faciam.

[Margin: Fagius. — Libanius.]

Posset igitur quæri, quid per reptile intelligendum sit, an soli pisces, an etiam animalia, quæ repunt super terram, 4 enim modis aliquid reptile dici potest: primò cùm animal sese oris ipsius adminiculo promouet, seu trahit, vt vermis, 2 cùm vi costarum, vt serpentes; 3 vi pinnularum, vt pisces. 4 cùm magnam corporis partem terræ applicat, vt sese moueat, tametsi habeant pedes, cuiusmodi sunt lacertæ, & stelliones; vbi vides minimè comprehendi aues, quæ nequidem ad gressibilia animalia referuntur, quandoquidem vi pedum non mouentur, sed alarum, idque magis impulsu, quàm tractu.

[Margin: Reptile 4 modis sumitur. — Plurimæ quæstiones insinuãtur.]

Deinde quærunt, cur aues sub aquis degere non possint, cùm ex ea productæ sint. An 5 die actu, vel virtute productæ fuerint, & cætera quæ apud Aretinum explicata reperies.

[Margin: Aretinus.]

Posset etiam aliquis inquirere quotnam sint piscium differentiæ, quotnam volucrum species, at Gesnerum, Rondeletium, & Belonium habes, qui de piscibus fusè disseruerunt, sicut de volucribus Gesnerum, & copiosissimum Vlyssem Aldrouandum in ornithologia, in qua fissipennes, cutipennes, membranipennes, vaginipennes, &c. cum suis speciebus reperies.

[Margin: Qui de piscibus, & animalibus egerint.]

Dénique nonnulli petunt, an pisces aqua nutriantur, quod Arist. 8. de hist. anim. cap. 2 asserere videtur, cui Rondeletius de piscib. c. 12, & 13 assentitur, & Hippocr. 3 de regimine victus in acutis cap. 39 vbi ait in naturis biliosis aquam vinescere; vbi Galen. ait aquam difficilè posse digeri, & Theophr. 2 de plant. cap. 7, & 8 aquis dulcibus ait arbores enutriri; Id autem soluit Aloysius Albert. lect. 25 de operib. 6 dierum.

[Margin: Aristot. — Hippocrat. — Galen. Theophr.]

VERSICVLVS XXI.

Creauitque Deus cete grandia, & omnem animam viuentem, atque motabilem; quam produxerant aquæ in species suas, & omne volatile secundum genus suum: Et vidit Deus quod esset bonum.

וַיִּבְרָא אֱלֹהִים אֶת־הַתַּנִּינִם הַגְּדֹלִים וְאֵת כָּל־נֶפֶשׁ הַחַיָּה
הָרֹמֶשֶׂת אֲשֶׁר שָׁרְצוּ הַמַּיִם לְמִינֵהֶם וְאֵת כָּל־עֹף כָּנָף
לְמִינֵהוּ וַיַּרְא אֱלֹהִים כִּי־טוֹב׃

Καὶ ἐποίησεν ὁ θεὸς τὰ κήτη τὰ μεγάλα, καὶ πᾶσαν ψυχὴν ζώων ἑρπετῶν ἃ ἐξήγαγε τὰ ὕδατα κατὰ γένη αὐτῶν, καὶ πᾶν πετεινὸν πτερωτὸν κατὰ γένος· καὶ εἶδεν ὁ θεὸς ὅτι καλά.

Hebræi quidam in hoc versiculo creandi verbum positum esse existimant, ne quis diceret ab aquis tã prægrãdes belluas productas, vt qui in productione plantarum Dei virtutẽ negare vellet,

non posset eam non confiteri in productione tan-
torum monstrorum, quæ ab alio fieri non poterāt,
Tanninim explicatur. quàm à Deo. Legimus Hebraicè *tanninim* תַּנִּינִם,
quod serpentes, dracones, & cetacea draconum
terrestrium naturam, & formam oblongam, atque
sinuosam imitantia significat; Thynnos autem Pli-
Plin. nius ait esse immensæ magnitudinis, adeout ba-
lænas superent; legiturque apud Hebræos cetos
500 stadiorum inuentos; & alibi qui videantur in-
sularum magnitudine.

Ex eo autem quod tāninim hoc in loco defecti-
uum sit, fabulentur ab initio Deum creasse Ce-
tos marem, & fœminam, quia tametsi propaga-
rentur, futurum erat, vt sobole sua omnia perde-
rent, ideo marem castrasse, fœminam autem salijs-
se, qua iusti futuro sæculo vescerentur; qua fabula
Mercerus. Mercerus ait eos significasse Leuiathan, idest ser-
pentem antiquum diabolum iustis tandem subij-
ciēdum. Taninim ergo pro quibuslibet belluis va-
stæ magnitudinis sumitur, siue in terris, siue in a-
quis degant, & fit à תָּנַן tanam, quod 70 verterunt
Iob 30. hîc κήτη cete; Exodi verò 7 per δράκοντα. Iob. 30 σειρή-
Ierem 10. νων. Ierem. 10 sumūt pro passere: Esai. 13 pro herina-
Esai. 13 & 35. ceo & c. 35 pro aue; hinc concludimus ea dictione
omne animatum contineri, הָרֶמֶשׂ *harmeset*, quæ
sese notat, à רָמַשׂ *ramas*, quod latiùs patet, quàm
שֶׁרֶץ reptile, idest quicquid se trahit, licet pedes vt
lacertus habeat, quod verbum, inquit Aben Ezra,
denotat generatiouem cum eleuatione; in auibus
autem Hebræi muscas, vespas, scarabæos & id ge-
nus alia inter reptilia constituunt; *Ramas* verò
dicitur etiam de terrestribus animantibus, quę pe-
des attollunt gradiendo super terram, quæ πεζὰ
Græcis dicuntur, & significat pedibus terram qua-
tere, quoquomodo id fiat: est autem cognatum
cum רָמַס conculcare terram, aut aquas diuidere,
pertransire, cōfringere, & cum רָמַשׂ. Hîc igitur per
Hataninim illi magni dracones tam terrestres, quá
marini, & pisces magnitudine stupendi intelligun-
Deut. 32. tur: id videri potest Deuter. 32 vbi pro serpentibus
Exod. 7. sumitur, sicut & Exod. 7. Ezech. 26, & in Isaia pro
Ezech. 26.
sirene: negat tamen Lusitanus balænam significa- Lusit.
re, quòd Tanim sit draco, qui viuum hominem de-
glutire possit: iuxta Hierem. 51 *Absorbuit me Cha-* Hierem. 51.
tanim. i. sicut draco: tantum est eius guttur, cùm
Balenæ guttur sit valde strictum; at Steuchum hîc Steuchus.
sequi malim, qui pisces omnes grandiores expli-
cat, & ait ideo nullam auem peculiariter esse posi-
tam, quòd nulla sit tanta; ac pisces illi, qui propter
loci natalis humiditatem tanti sunt, vt Plin. lib. 9. Plin.
c. 30 balænas maris Indici quaternum iugerum esse
dicat: & l. 32. c. 1. cetos 600 pedum longitudinis, Pisces vastę
360 latitudinis in Arabico flumine producat; vnde magnitudi-
D. Ambros. illos pisces insulis comparat: Al- nis. Ambros.
bertus in oculo balenæ ait vigintiquinque ho- Albert.
mines contineri posse, cui supercilia 250 affixá
sint; os quod euomendo aquas naues absorbeat,
costas, quibus domorum tigna fieri possint, cau-
dam bifidam latitudine 24 pedum cetis tribuit; ita-
ut corpus balenæ 4 iugera continens dilaniatum
trecenti currus vix auferre potuerint. Videantur
Lyranus, Paulus, Burgen. Tost. & Carthus. qui fa- Fabula de
bellam Rabbinorum quorundam de fœmina ceti fœmina
occisa refellunt, ne si multiplicaretur piscis tam ceti.
magnus, sæculum destrueretur, mare innauigabile
esset, & in alimentum iustorum in futuro sæculo
cederet, vnde Lyra, & Tostat. in opinione Sarrace-
norum, seu Agarenorum, & Epicureorum eos fuis-
se narrat, qui beatitudinem in rebus venereis, &
in ciborum abundantia reponebant, quod tamen
Burgensis negat, cum R. Moses contrarium Burgen.
asserat.

Creauit igitur Deus cete grandia, idque ex aquis,
nam creauit idem est hîc, atque produxit, idque vt
terrorem, & stuporem incuterent hominibus, in-
quit Basil. vel vt Dei potentia, atque pietas mani- Basil.
festaretur, vt vult S. Chrysostomus. Legimus vi- Chrysost.
uentem, vt primus actus animæ designetur; mota-
bilem, vt secundus, qui est motus. Multa videri
possunt de volatilium speciebus apud diuum Ba-
silium.

PROBLEMA LXXVII.

CVr die quinto produxerunt aquæ reptile animæ
viuentis? An quia teste Philone de opificio mū-
1. di, maxima est animalium, & numeri quinarij con-
Philo. uenientia?, nam quinque eorum sensibus 5 instru-
menta destinata sunt, colores visui, voces auditui,
sapores gustui, vapores odoratui, & tactui 4 primę
qualitates cum aliis multis mollitie, duritie &c.
Plutarch. quibus addit Plutarch. lib. *cur oracula siluerint*, om-
nia ferè numero constare quinario, sunt enim 5 fa-
cultates animi, 5 digiti manuum, 5 zonæ cœli &c.
2. An quia post terræ, cœlique ornatum, aër & aqua
decus suum accipere debuerunt, suisque incolis
cohonestari? vt D. Basil. hom. 7, & D. Chrys. Ambr.
Basil. Chrysost. Ambros. lib. 5. hex. cap. 1. docuerunt; imo cùm ante terram
viuentia sua recipiant. An id factum est ob maio-
3. rem cognationem, quàm aër cum cœlo habet, cùm
& sæpius pro cœlo sumi soleat; hîc verò cum aqua
tantam habet connexionem, vt continuò trahat
aquam, quàm vel in rorem, vel in alia meteora con-
Iunil. uertit: ita Iunilius in hexam. An quia media sunt
4. elementa, ambóque perspicua, & cœlo viciniora,
August. priùs terrā ornari debuerunt, vt D. August. ele-
ganter enarrat l. 3. de Gen. ad lit. c. 1. An quia priùs
fuit aqua visibilis, ideo priùs terræ perfici debuit? 5.
vt Beda ait. Sed nonne D. Thomas 1. p. quæst. 71. Beda.
optimè docet piscibus aquam die 5 repleri debuis- 6.
se, vt opus ornatus per ordinem responderet ordi- D. Thom.
ni distinctionis, ideóque sicut inter 3 dies distin-
ctioni deputatos, media, quæ est secunda, destina-
tur medij corporis distinctioni, scilicet aquæ, ita
inter dies deputatos ad opus ornatus, media, idest
quinta deputatur ad ornatum medij corporis per
productionem auium, & piscium: vnde sicut Mo-
ses in quarta die nominat luminaria, & lucem, vt
designet, quod quarta dies respondet primę, in qua
dixerat lucem factam, ita in hac quinta die aqua-
rum, & firmamēti cœli meminit, vt ostendat diem
quintam respondere secundæ: vnde & quarta dies
fuit prima solis.

Ad vt ad sēsum mysticum accedamus, aquæ par-
tus suos producere debuerūt, quia post Christū, & 7.
Ecclesiam per Baptisma gignuntur fideles, vt Sy- Synaita.
naita putat lib. 5. hex. vbi fusè ostendit aquas
baptismales illis mundanis adumbratas fuisse:
videatur

Cirill. Ascan. videatur etiam Cyrillus Hierosl. catech. 3. vide &
fusissimum Ascanium.
Huc etiam pertinet, quod dicunt aquas numero
plurali efferri, quia diuersa genera Christianorum
profert aqua Baptismi, terra verò vnicum hominũ
genus, & in Baptismo concurrere duplex aquæ genus, vbi fit generatio spiritualis, in carnali verò terram vnicam, vt apud Anastasium loco cit. videre est. Anastas.

PROBLEMA LXXVIII.

QVid est reptile, & volatile, quod aquæ produxe-
1. runt? Nunquid Christiani perfecti, & imper-
fecti designantur? imperfecti per reptile, sub quo
pisces sensus rudiores habentes comprehendun-
tur; perfecti verò per volucres. An verò Christia-
2. nos nunquam de sinu Ecclesiæ exituros, & hæreti-
cos superbiâ in aëra præsumptionis volantes signi-
Petr. Cellē- ficant? vt Petrus Abbas Cellen. lib. de panib. c. 4.
sis. explicat, qui habetur in bibliotheca Patrum. An
3. peccatores, seu carnales, & iustos, ac spirituales ad-
Anastas. umbrantur, vt habet Anastas. An aqua repræsen-
tat naturam humanam, quæ Gentiles, vt pisces,
4. Christicolas, vt aues producat? Sic enim habet Hu-
Hugo. go de S. Victore. An aqua cœlestis doctrinæ cogi-
5. tanda est, quæ tam actiuos, quàm contemplatiuos
6. generat? An quia Spiritussanctus in Ordinis Sa-
cramento Clerum vtrúmque sæcularem, atque re-
gularem facit, sic enim Spiritussanctus aqua desi-
gnatur Ioh. 7. *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat, &*
Ioh 7. *fluent de ventre eius flumina aquæ viuæ.* An aquas
pœnitentiæ intelligere possumus, quibus reciden-
7. tes in peccatum, & se ab ipso præseruantes gi-
8. gnuntur? An vt hom. 1. docet Origen. cor homi-
nis instar aquæ fluidum debet intelligi, quod de
Orig. thesauro suo bonas, atque malas cogitationes pro-
fert, malas, vt prauas, & pestilentes exhalationes,
atque vapores; bonas verò, vt fœcundos vapores,
ex quibus ros distillet.
An tribulationes adumbrantur, quę ostendant
9. homines corrigibiles, & incorrigibiles? quæ iustos
in aurum, impios in scoriam vertant. An vt pro-
pinquiùs ad literę sensum accedamus, reptile signi- 10.
ficat pisces in maxima copia producendos, quod
& verbum *Sarez* ostendit, vnde animantium ter-
restrium numerum pisces excedunt, vt lib. 5. c. 2.
D. Ambros. insinuat. An aquas dixit in plurali, Ambros.
quod diuersæ sint aquarum species, diuersáque ma- 11.
ria, & flumina. An dicitur reptile, quia pisces omnes
vel carent pedibus, vel eis non vtuntur cùm no- 12.
tant; & quidem admodum imperfecti sunt, ideó-
que de eis dictum est *reptile animæ viuentis*, non
anima viuens, ob sensuum imbecillitatem.
An volatile coniungitur, quia magnam cogna- 14.
tionem aues habent cum piscibus? natant enim a-
ues plurimæ, & inter natationem, & volatum ma-
xima similitudo intercedit, vt apud D. Ambr. lib. Ambros.
5. cap. 14. videre est. Hinc fit, vt aues cum piscibus
creati fuerint, & ex eadē materia, vt aduersus Ama-
mam ostendimus, cui Caiet. & Vielmus non parũ
fauent; sed Ascanius hîc ostendit nos non in om-
nibus textum hebræum sequi debere, videatur, iu- Ascan.
uabit enim, quæ diximus aduersus hæreticum.
Sunt autem hæc elementa ambo media; pisces,
& aues ex genere suo sunt imperfecti, & ratione
materiæ, atque finis conueniunt, nempe vt natu-
ram conspicuam ornent, vt loquitur D. Bonauen. Bonau.
l. 2. dist. 15. Itaque aues volant super terram, è qua
sumunt alimentum, idque sub firmamento cœli,
siue pro media aëris regione, siue pro stellato cœ-
lo, firmamentum accipias.

PROBLEMA LXXIX.

QVæ sunt illa cete grandia, quæ Deus creauit?
1. Rectène loquitur Anastas. dum Apostolos
Anast. intelligit, qui suis concionibus magnum totius
mundi mare commouerunt? & vt cetus gaudet in
tempestate, inquit Stephanus Cantuariensis in al-
Stephan. legoriis, ita Sancti in tribulatione. An ipsi tyran-
Cantuar. ni cæteros potentia diuexantes intelliguntur? qui
2. & Ecclesiam, & Christianos paruulorum instar
piscium deglutire, & absorbere conati sunt. An
3. Orig. hom. 1. in Gen. satisfacit, dum impias, & ne-
Origen. farias cogitationes ante conspectum Dei produ-
cendas per cetos explicat? At nunquid diuersa ge-
4. nera piscium significant diuersa Christianorum ge-
nera, vt D. Basil. disertè explicat, vbi ad 4 classes
Basil. omne piscium genus reducit, qui hom. 7. & D. Am-
Ambr. bros. lib. 5. c. 3. plura de piscibus referunt, & ad sen-
sum moralem diuertunt: aiúntque dissimilem esse
voluptatem carnis, & spiritus, vt respiratio dissimi-
Plurima præcepta ex piscibus hic referuntur. lis est in aquis, & aëre: delectationem carnalem
breuem esse colligunt ex similitudine piscium non
ruminantium, raptores esse similes piscibus alios
deglutientibus: impium esse, si principes aliorum
loca surripiant, vt sua dilatent confinia, cùm pisces
nunquam à sede sua alios pellant: discendum esse à
piscibus, quomodo Christiani ad cœlum, manda-
táque Dei obseruanda progredi debeant. Verùm
hæc omnia in D. Basil. legere gratius erit loco cit.
qui viperæ, & murænæ exemplo mutuam viri, &
vxoris beneuolentiam aperit: adulteras murænis
similes ait, quæ cum viperis coëunt; adulatores
polypis similes, quos Basil. hypocritis confert, D.
Ambros. lib. 5. cap. 8 docet: Cancer, inquiunt, ra-
ptorum artes exprimit; herinaceus, siue echi-
nus Dei prouidentiam, sicut & pœnitentes: re-
mora charitatis vires portendit; pastinaca seu
turturis mortuæ aculeus veneno infectus li-
bros denotat hæreticorum; cete Dei poten-
tiam, & iustitiam. Omitto cætera, vt purpuram
sanguinis Christi exemplum; hominis mystici pi-
scationem, aucupium mysticum, Alcyonis pru-
dentiam, & alias diuersas vitæ Christianæ in-
stitutiones adumbrantes, & alia quę tam D. Basil.
quàm Ambros. & cum eis Ascanius, & alij refe-
runt.

An, vt literalem ſenſum referemus, cete illa grandia ſunt maximi piſces maris, quibus ne quidem elephas comparari valeat? & quidem video Moſem exprimere voluiſſe genus omne piſcium, vt nullus in dubium reuocaret omnia à Deo producta eſſe, ideóque ſubiunxit, *omnem animam viuentem, atque motabilem, iuxta ſpecies ſuas, & genus ſuum*, vbi per *viuentem* Hugo Carenſis hominem ſolam fidem habentem; per *motabilem* viua fide operantem ſignificat. Hugo Car.

VERSICVLVS XXII. ET XXIII.

XXII. Benedixitque eis, dicens: creſcite, & multiplicamini, & replete aquas maris; auéſque multiplicentur ſuper terram.

XXIII. Et factum eſt veſpere, & mane dies quintus.

וַיְבָרֶךְ אֹתָם אֱלֹהִים לֵאמֹר פְּרוּ וּרְבוּ וּמִלְאוּ אֶת־הַמַּיִם XXII.
בַּיַּמִּים וְהָעוֹף יִרֶב בָּאָרֶץ׃

וַיְהִי־עֶרֶב וַיְהִי־בֹקֶר יוֹם חֲמִישִׁי׃ XXIII.

XXII. Καὶ ηὐλόγησεν αὐτὰ ὁ θεὸς λέγων αὐξάνεσθε, καὶ πληθύνεσθε, καὶ πληρώσατε τὰ ὕδατα ἐν ταῖς θαλάσσαις, καὶ τὰ πετεινὰ πληθυνέσθωσαν ἐπὶ τῆς γῆς.

XXIII. Καὶ ἐγένετο ἑσπέρα, καὶ ἐγένετο πρωΐ, ἡμέρα πέμπτη.

Vis dictionis benedicere.

VErſiones hîc ſatis conueniunt: & quidem mirabilis eſt illa benedictio, quæ noſtrarum inſtar non eſt nuda, inanis, & infructuoſa neque bene precari tãtùm ſignificat, ſed rem ſimul includit, cui enim Deus bene vult, donat, adeout Dei benedicere, donare ſit; hoc ſenſu benedicere paſſim in Scriptura beneficium, fœtificationẽ, incrementum, fœcunditatémque ſonat; vi autem iſtius verbi, ſeu decreti diuini piſces, & aues hucúſque propagatæ ſunt. Sunt autem qui quærãt, cur Deus plantis, aut iumentis, ac feris minimè benedixit, dicuntque plantis ideo non fuiſſe benedictum, quòd generatione ad propagationẽ non indigerent, ſed productione, qua varias facilè terra producit; deinde quòd non ex ſemine propriè, ſed alio corpore herbæ producantur: dicunt autem feris non benedixiſſe, quòd piſcationi, & aucupiis non ſint expoſitæ feræ, ſicut piſces, quod tamen minus probo, quandoquidem venationi, noſtriſque mactationibus aſſiduis exponuntur; alij verò, quia terreſtria animantia eadem die condita ſunt, qua homo, putant hominis benedictionem ad ea extendi, maximè quoad generationẽ, & poſteritatem, cùm enim procreatio duobus modis fieri ſoleat, per fœtus, & oua; (nec enim hîc de iis, quæ à putredine gignuntur, eſt ſermo,) quæ per oua generant, ſimul creata ſunt, vt piſces, & aues; at homo, & terreſtria animalia fœtibus procreant, ideóque ſimul benedicuntur. Addunt Hebræi feris non fuiſſe benedictum, quod inter eas ſerpens eſſet, qui poſtea maledicendus erat, ne comprehenderetur: Hîc per maria fluuios etiam intellige, in quibus ſeſe admirandum exhibet Deus, quis enim illius potentiam, bonitatem, atque maieſtatem non ſuſpiciat, qui tot & aues, & piſces ad hominum vtilitatem, & gloriam ſuam oſtendendam creauit?

Cur Deus plantis, ac feris non benedixit.

PROBLEMA LXXX.

1. QVid eſt illa benedictio animalium, & cur non etiam plantis benedixit? An quia tantùm erant animalia bina, germina verò copioſa? vt
Theodor. Theodor. q. 17 inſinuat. An quia, vt vult Aug. 15.
2. c. de Gen. imperf. præceptum creſcendi minimè
Auguſt. fuit inditum germinibus, vt pote ſenſu carentibus? adde quòd animalia prolis multiplicandę affectum habeant, germina verò naturali virtute inſiti ſibi
Rupert. ſeminis prolificant, quod fusè declarat Rupert. 1. lib. cap. 52. An quia germina terræ mox male-
3. dicenda erant his verbis? *maledicta terra in opere tuo.*

An quia benedictio iã eis implicitè data erat, cùm Deus vidit quod bonum. Nunquid eis benedixit, 4.
quia donum illud perpetuitatis ſpecierum à ſolo 5.
Deo oriri poterat? An ideo creſcendi donum explicatur, quòd prima rerum indiuidua adeò perfecta creata ſunt, vt ſtatim generare potuerint? An 6.
vt ad tropologiam gradum faciamus, illa benedictio ſignificat collationem bonorum ſpiritualiũ, vt fusè diſſerit Chryſoſt. hom. in Pſal. 113. An bene- 7.
dictio confertur auibus ortis ex aqua, non ani- Chryſ.
mantibus ortis alibi, in figuram, quod benedictio 8.
ſolis baptizatis erat conferenda? vt poſt D. Auguſt. Auguſt. ſerm.

Anastas. serm.134 latè narrat Anastas. l.5. hex. An ea dicta
9. Orig. sunt, vt iuxta Origen. hom.11 in Lucam in virtutibus proficeremus? vel vt habet Steph. Cantuar. vt
10. Cantuariens. cresceremus in perfectione operum, multiplicaremur in eorum numero, & omnia mortificatione repleremus? vel benedixit Deus piscibus, & alitibus, vt homines per eos repræsentati crescant in spe, multiplicentur in fide, repleant animas charitate.

PROBLEMA LXXXI.

1. *QVam vtilitatem ex auium productione decerpere possumus?* Nunquid omnes ostendunt altissima mente petenda esse, nec terrenis inhærendum?
2. Ambros. An ciconiæ pietatem filiorum in parentes suos ostendunt, vt habet Ambros. l.5. c.16. An hirundines paupertatem æquo animo tolerandam hortantur? Sic enim Basil. hom.8. & Ambr. eius interpres
3. Basil. cap.17. Sed nunquid parentum in filios pietatem
4. Basil. cornices valde commendāt? teste Basil. hex.4. & Ambros. cap.18. Nunquid & accipitres ostendunt
5. filios laboribus exercendos, non verò diuitiis fouendos? vt ibid. ait Ambros. Quid aliud Aquila de-
6. notat, quam Christum terrenos homines, vt degeneres, & nothos abdicare? quàm peccatorem debere pœnitentia suam vitam peruersam reparare?
7. Equidem me vires deficient, si castitatem turturis, eiusque spirituales nuptias, & viduitatem; vulturis sobrietatem, qui Quadragesimam obseruat,
Epiphan. teste Epiph. in physiol. apum exemplum, ex quo & regularem vitam, & rempublicam instituere possis, cùm regulus Prælatum claustralem, imo & Regem facilè referat, de quibus D. Ambr. c. 21. Basil. Basil.
hom.8, & 10. & alia scribere velim. Ipsa resurrectio 8.
alitum exemplo demonstratur, idque vermis Indici exemplo à Basil. hom. 8. & Ambros. cap. 23; ad
quam nos præparare docet Phœnix apud Tertul. Tertul.
de resurrectione carnis & Ambros. supra.

Pelicanus teste Epiph. est Christi exemplar in 9.
Cruce; sicut & calliditatis sāctæ Perdix: Pauo mūdanæ, & spiritualis gloriæ: Charadrius inspirationis diuinæ. Picus fraudulentiam diaboli repræsentat: Luscinia vitæ labores dulciter tolerandos: Noctua sapientes sæculi: Vespertilio hæreticos; Gallus inspirationum diuinarum effectus, quæ omnia apud Epiph. Basil. & Ambros. locis citatis reperies. Aues nostris moribus prodesse.

Denique nulla est auis, imo nulla creatura, ex qua non vnam tantùm, sed & varias vtilitates expromere possimus. At hæc de quinto die sufficiant.

VERSICVLVS XXIV. ET XXV.

XXIV. Dixit quoque Deus. Producat terra animam viuentem in genere suo, iumenta, & reptilia, & bestias terræ secundum species suas. Factúmque est ita.

XXV. Et fecit Deus bestias terræ iuxta species suas, & iumenta, & omne reptile terræ in genere suo. Et vidit Deus quod esset bonum.

וַיֹּאמֶר אֱלֹהִים תּוֹצֵא הָאָרֶץ נֶפֶשׁ חַיָּה לְמִינָהּ בְּהֵמָה *XXIV.*
וָרֶמֶשׂ וְחַיְתוֹ־אֶרֶץ לְמִינָהּ וַיְהִי־כֵן

וַיַּעַשׂ אֱלֹהִים אֶת־חַיַּת הָאָרֶץ לְמִינָהּ וְאֶת־הַבְּהֵמָה לְמִינָהּ *XXV.*
וְאֵת כָּל־רֶמֶשׂ הָאֲדָמָה לְמִינֵהוּ וַיַּרְא אֱלֹהִים כִּי־טוֹב׃

XXIV. Καὶ εἶπεν ὁ θεὸς ἐξαγαγέτω ἡ γῆ ψυχὴν ζῶσαν κατὰ γένος, τετράποδα, καὶ ἑρπετὰ, καὶ θηρία τῆς γῆς, καὶ τὰ κτήνη, καὶ πάντα τὰ ἑρπετὰ τῆς γῆς, κατὰ γένος αὐτῶν, καὶ ἐγένετο οὕτως.

XXV. Καὶ ἐποίησεν ὁ θεὸς τὰ θηρία τῆς γῆς κατὰ γένος, καὶ τὰ κτήνη κατὰ γένος αὐτῶν, καὶ πάντα τὰ ἑρπετὰ τῆς γῆς κατὰ γένος. καὶ εἶδεν ὁ θεὸς ὅτι καλά.

INterpretes nihil inter se discrepant in his 2 versiculis, in quibus tandem ad opus diei sextæ Deus transit, vt suos incolas terra accipiat, sicut aqua, & aër iam acceperunt in quinto die, in quo sicut geminum opus piscium, & auium fuit, ita & in præsenti bestiæ, & homo conspiciuntur: in Quænã hac die sexta creata fuerint.

quibus Dei prouidentia mirum in modum elucet,
quæ ab imperfectioribus ſenſim ad perfectiora
progreditur; die ſiquidem tertio plantis terram ex-
ornauit, quæ ſunt animalibus inferiores; nunc au-
tem terræ ornatum abſoluit, cùm enim cœlos 4
die prorſus exornaſſet, cætera elementa ſuis quoq;
animantibus ornauit: tametſi verò legamus hîc
producat terra, ſicut in præcedentibus, hebræi ta-
men habent illic תַּדְשֵׁא, hîc verò תּוֹצֵא quaſi exire
Behema quid ſit. faciat, vt igitur intelligamus noua nunc animantia
produci, ſcriptura ſubiicit tria animantium gene-
ra, his verbis בְּהֵמָה & רֶמֶשׂ וְחַיְתוֹ אֶרֶץ in quibus
diſtinguendis non eſt paruus labor, nomine *Behe-
mah* quidam intelligunt omnem beſtiam, quæ her-
bis, & fœno veſcitur, ſiue domeſtica ſit, ſiue ſylue-
ſtris, & agreſtis, ſicut per חיה feram rapacem car-
nibus veſcentem. alij verò per *behema* domeſticū,
cicur, & manſuetum animal ſignificatum volunt,
quapropter bene vulgata, iumentum, habet; Chaia
Chaia quid. verò ſignificat ferū quodlibet ſiue fœno, ſiue car-
nibus vixerit, quod vt denotetur, campi, vel agri
Exod. 23. iungi ſolet, vt Exod. 23 verſic. 11. Græci pro Behe-
ma nunc τετράποδα, nunc κτήνη vertunt, ac ſi peco-
ra diceres: Chaia autem θηρία, quæ tamen non ita
perpetuò obſeruari neceſſe eſt, quandoquidem v-
trumq; generale nomen eſſe poteſt, licet κατ' ἐξοχὴν Remes quid ſit.
Behema pro cicure, ſicut *Chaia* pro fera ſumatur.
Tertium genus eſt רמש reptile, quod Hebræi acci-
piunt pro eo omni, quod ſiue rependo, ſiue gra-
diendo ſuper terram ſeſe mouet, quod etiam piſci-
bus conuenit, vt ex ante dictis conſtat. At in
hac dictione וחיתו, vau eſt addititium, non affixum,
eſtque *Milel*, vt Maſoreth in bibliis Reginæ
notat.

Verſiculo 25 idem quod præcedenti, non eodem
tamen ordine repetitur; his autem omnibus poſi-
tis ad hominis creationem peruenimus, qui ſanè Hominis creatio.
fuit omnium Dei operum velut colophon, in cuius
vſum omnia creata ſunt, vt iam editus omnia para-
ta, veluti Rex aliquis, & totius mundi dominus in-
ueniret, quæ profectò ampliſſimam Dei glorificā-
di materiam ei ſuggeſſerunt; Hebræi verò dicunt Cur homo creatus ſit.
in terra hominem creatum fuiſſe, ne terra cœlorum
perfectionibus inuideret, ideóque volunt eum ex
ſuperioribus, & inferioribus conſtare, in quo vi-
delicet Deus cœlum, & terram miſcuerit: at fu-
ſè de his S. Ambr. 9 hex. cap. 9 & epiſt. 38 ad O-
ront. Nazian. orat. 43. Nyſſen. de opificio ho-
minis.

PROBLEMA LXXXII.

QVamobrem Deus ſexta die iuſſit, vt terra pro-
1. *duceret animam viuentem?* An quia præter 5
ſenſus in terreſtribus phantaſia illuſtrior apparet?
Nunquid terra, quæ eſt poſtremum elementum;
2. vltimò ornari debuit? An vt dies ſibi reſpon-
3. deant, quia ſicut in die 5 ex diuo Thoma retu-
limus medium corpus ſecundæ diei reſpondens
ornatum fuiſſe, ita corpus vltimum die ſexto ani-
malium productione decus ſuum, & honorem ac-
cepit, quod reſpondet diei tertiæ.
4. An quia tantùm fuerit exſiccata, & animalium
vſibus idonea circa hunc diem? An quia poſtremo
5. loco perfectiora animalia produci debuerunt? Vn-
de & homines eodem die progeniti ſunt, quibus a-
nimalia terreſtria ſimiliora videntur, ac magis do-
meſtica. An vt ad myſtica properem, terra ſexta lu- 6.
ce produxit animalia; vt quis cogitaret Iudæos æ-
tate ſexta mundi ad fidem eſſe reuerſuros? ſic enim
explicat Synaita. An dicitur terra in ſingulari, quia Syn.
vna ſtirps Iſraël; cùm tamen dictū ſit *producant a-*
quæ, &c. quia plures ſectæ Gentilium fuerunt? vt 7.
ait Anaſtaſ. & ſic ornata eſt eccleſia ab aqua genti-
litatis, & à terra Iudaiſmi. An caro noſtra deſigna- Anaſtaſ.
tur, quæ vitam virtute præditam degere debet? vt 8.
Eucher. l. 1. in Gen. cap. 7 notat. An Scriptura ſacra Eucher.
veteris teſtamenti intelligenda eſt, quæ producit 9.
exempla virtutum, & vitiorum?

PROBLEMA LXXXIII.

QVam vtilitatem ex animalium productione
1. *depromimus?* Nunquid oſtēdit D. Baſil. hom.
Baſil. 9. virtutum, & vitiorum inſitas imagines in ani-
mantibus, vt hæc vitent homines, & illas pro-
ſequantur? & animæ vulnera curent.
Nunquid vrſa grauibus ſauciata vulneribus
2. verbaſco ſibi medetur; ita vulpes laricis, & piceæ
lachryma mortem imminentem euitat: ſerpens
Quibus herbis beſtiæ ſibi medeantur. fœniculi paſtu cæcitatem, ſeu lippitudinem ocu-
lorum curat: teſtudo viperæ ſatiata carnibus ori-
gano veneni nocumentum euitat: caprea vulnera-
ta dictamum petit, vt de vulnere ſagittas excludat:
leo æger ſimiam deuorat, & ſanatur, ſicut vrſus
æger formicas.
Nunquid præcauere docent tempus mortis, vt
3. D. Baſilio hom. 9, & Ambr. l. 6. c. 4. placuit. Sed
Ambroſ. & ipſam formicam adducit Baſil. vt coaceruanda
4. merita pro vita æterna doceat; quæ & oſtendit di-
ſcernendos eſſe ſcripturæ ſenſus, inquit Epiph. c.
18 phyſiol. Omitto cætera, quæ D. Baſ. habet
hom. 9. Ambroſ. lib. 6. Epiph. in Phyſ. vbi cap. 1. Epiphan.
oſtendit leonem in pluribus eſſe typum Chriſti.
Cæterùm in prædictis Patribus habes pardum eſſe Tropologia ex animalibus ſumpta.
praui habitꝰ exemplar: vrſam docere patres, quo-
modo filios educare debeant: tentationes herina-
cei exemplo vitæ aſperitate retundendas eſſe: iu-
ſtitiam Dei illudi à peccatore, vt tigridem à ve-
natore: in canibus prælatorum vigilantiam, nec
non conſcientiæ munera, & officia: quale obſe-
quium parochiali Eccleſiæ ſit exhibendum agni,
& ouis exemplo: quomodo Catholicus cum hæ-
retico congredi debeat, ex congreſſu hominis cum
lupo: excitantia ad gulam eſſe fugienda leopardi
exemplo: elephātem exemplum potentium in Re-
publica: fœmellam elephantis, Euæ, & carnis typū;
doctorum vitam ceruis comparandam, vt habet
D. Gre-

D. Greg. 30 Mor. cap. 9. ex ceruo discendam esse patientiam: ferocitatem spiritus exemplo Vri posse eneruari: serpentis exemplo veterem hominem exuendum esse: cuius exemplo caput in persecu-
1 ad Cor. 11 tionibus custodiendum est; *caput* enim *viri*. 1 Cor. 11. *Christus* est, qui nunquam deserendus est; vulpes dæmonis, hæretici, & hypocritæ pulchrum exemplar esse. Ex quibus patet quàm impiè blasphement illi, qui Dei prouidentiam accusant, quòd animalia noxia procrearit.

PROBLEMA LXXXIV.

AN Deus omnia animalia produxit tam adulterina, quàm ea, quæ ex corruptione nasci poterant?
1 Quæ animalia ex aliis specie differentibus progignantur. Nunquid via naturali mulus ex coitione equæ, & asini procreatur, sicut tityrus ex hirco, & oue, leopardus ex leone & parda; linx ex lupo, & ceruæ: ex lupo, & cane Thoes; ex panthera, & lupo crocuta; si via naturali, cur Deus non produxisset?
2. Eccl. 1 Nunquid testatur Scriptura Eccles. 1 nisi sub sole nouum esse, & tamen noua essent illa animalia, si mundi primordiis creata minimè fuissent. Sed
3. quomodo ea Deus produxisset, cùm illas coitiones adulterinas prohibuerit? Leuit. 19. Nunquid Leuit. 19
Ana primus asini cum equa congressum excogitauit? cap. 36. Gen. nam vbi legimus inuenit aquas 4.
calidas in deserto, pro *Iamin*, alij legunt *Iemin* id- 36. Gen.
est fortes, vt mulos. Sed verisimilius mihi videtur
ista animalia non fuisse producta initio mundi, cũ 5
ad monstra referantur, vel satis virtute contineantur in suis causis, sicut arborum insitiones, quibus faciendis solum motum localem homines accommodant; verùm in vtramque partem alterutrum propugnare licet.

PROBLEMA LXXXV.

QVomodo Deus vidit opus sextæ diei bonum esse, cũ
1 *tot animalia mala esse, nobisq; nocere videantur.*
An quia à potioribus fit denominatio, iuméta verò
2 præcipua sunt, quæ tantopere nos adiuuant. An
quia non potuerunt ante peccatum nocere hominibus? vt Nyssen. l. 1. Phil. c. 5. docet, Damasc 2.
Nyssen. Damascen. Chrys. &c. Ortod. c. 10. Chrys. hom. in psal. 148. Theophylus 2. ad Autolyc. August. 3. de Gen. ad lit. cap. 15.
3 An Deus noxia cum proficuis creauit, vt in iis discernendis homo rationem suam exerceret? vt vult
Lactant. Lactant. lib. 7. cap. 4.
4 An verè omnia sunt optima, quæ fecit Deus, li-
August. cet homo vsum eorum non cognoscat? sic enim
5 Aug. 1. de Gen. contra Manich. c. 16. An quia vtilia, bona; si verò perniciosa his vel punimur, vel exercemur; si superflua, complent vniuersum, vt idem
6 habet. Nunquid ostenditur in eis Dei sapientia, qui omnia fecit in numero, pondere, & mensura?
7 At possunt etiam dici flagellum Dei, quo terremur,
Basil. vel corripimur, sic enim Basil. hom. 9. Ambr. l. 6. c.
8 6. Theod. q. 18. in Gen. & alij docuerunt. An quia vt vult Basil. supra fidem nostrã demonstrant, dum confidentes in Domino, Sancti super aspidem, & basiliscum ambulant sine periculo, & ad verba eorum feræ mansuescunt, vt in Daniele misso in fossam leonum apparuit.
9 Sed Deus misericordiam suam demonstrat, quod illa animantia noxia, vel in solitudines relegarit, vel non nisi nocte permiserit exire, vt habet D.
Chrysost. in psal. 148. Præterea nunquid medica- Chrysost.
menta nobis subministrant? vt optimè aduertit 10.
Nyssenus, vel Nemesius 1. Phil. cap. 5. Chrysost. Nemesius.
hom. 7. in Genes. Nunquid & homines excitant ad 11
Deum laudandum, vt vult Theod. suprà; & vt eo- Theodor.
rum exemplis instruamur, vt Procop, aduertit. An
quia eorum sæuitia nobis inferni pœnam præmon- 12.
strat? vt Beda docet.
An ideo non benedixit animalibus, quod iam Beda.
benedixisset iis, quæ voluntarie sibi similia pro- 13.
creabant? An verò quia benedictio futura homi- 14.
nis ad ea extenditur? An quia Deus non sibi com-
placet in terrenis, vt Theophilus l. 2. ad Autolicum Theophil.
scripsit. An quia mox serpenti maledicturus erat 15
Deus, ideo noluit animalia benedicere? sic enim
neque productioni plantarum è terra benedixit, 16
quia terra postmodum erat maledicenda. Sed fortè de hac prima diei sextæ particula satis hactenus; ideóque procedamus ad aliam partem, in qua homo rerum omnium hucusque creaturarum velut imperator describitur, ad cuius vtilitatem, & salutem omnia destinantur; qui omnia velut in compendium redacta in se continet, & microcosmos appellatur.

VERSICVLVS. XXVI.

Et ait, Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram; & præ ſit piſcibus maris, & volatilibus cœli, & beſtiis, vniuerſæque terræ, omnique reptili, quod mouetur in terra.

וַיֹּאמֶר אֱלֹהִים נַעֲשֶׂה אָדָם בְּצַלְמֵנוּ כִּדְמוּתֵנוּ וְיִרְדּוּ בִדְגַת הַיָּם וּבְעוֹף הַשָּׁמַיִם וּבַבְּהֵמָה וּבְכָל־הָאָרֶץ וּבְכָל־הָרֶמֶשׂ הָרֹמֵשׂ עַל־הָאָרֶץ׃

Καὶ εἶπεν ὁ θεός, ποιήσωμεν ἄνθρωπον κατ' εἰκόνα ἡμετέραν, καὶ καθ' ὁμοίωσιν· καὶ ἀρχέτωσαν τῶν ἰχθύων τῆς θαλάσσης, καὶ τῶν πετεινῶν τοῦ οὐρανοῦ, καὶ τῶν κτηνῶν, καὶ πάσης τῆς γῆς, καὶ πάντων τῶν ἑρπετῶν τῶν ἑρπόντων ἐπὶ τῆς γῆς.

IN aliis operib⁹ iuſſerat terrã, aut aquã, vt piſces, aues, animalia, & reptilia produceret, iã vero per ſeipſum Deus homini creando manus admouet; *Faciamus* ergo, quod ad Trinitatem oſtẽdendã aliqui referũt; eſt etiã Scripturæ ſacræ mos, vt de Deo in plurali loquatur, vt patet in cõfuſione linguarũ; *deſcendamus, & confundamus, &c.* Perperam verò (Error Iudæorum.) cenſent Hebræi Deum cum angelis de creatione hominum deliberaſſe, ac ſi ex eorum ſubſtantia vellet hominem efformare, ne ei inuiderent, at Deus non eſt terreni Regis inſtar, qui vel ob metum, vel ignorantiam, vel impotentiam cum ſuis aulicis de rebus agendis deliberet; tametſi conuentus, atque Cõſiliariorum inſtar Angelos deſcriptos habeas 3 Reg. 22 & 2 Paral. 18, &c. 1 Iob, vt ſe (3. Reg. 22. 2 Paral. 18. Iob 1.) Deus noſtro captui accommodet; errant etiam qui Deum, terram, & elementa, quaſi εἰπὼν, Dij eſſent, allocutum fuiſſe credunt: *Faciamus ergo hominem* אדם *Adam* ab אדמה, id eſt terra rubra, ſeu argilla, eſt autem nomen totius ſpeciei, quapropter ſæpè vocatur cũ ה *haiedia*, quod tamen nomini proprio, non ſolet præponi, & quidem rectè nomine ſpeciei nuncupatur, cùm ſolus in ſua ſpecie ſit, ac proinde totã ſpeciem in ſe gerat. בְּצַלְמֵנוּ כִּדְמוּתֵנוּ *bethalmenou bidmoutenou. ad imaginem noſtrã*, ſecundũ ſimilitu(Fagius.)dinem noſtram, vt Vatablus interpretatur. Fagius putat in plurali legẽdum homines, quòd ſequatur, *& dominentur*, ſed illud non eſt neceſſe. Iudæi autem varia de imagine, & ſimilitudine, iuxta quam factus eſt homo, dicunt; alij enim ad animam im(Iudæorum 6 opiniones in quo homo ſit ad Dei factus imaginem.)mortalem referunt, quæ Deum immortalem referat, alij ad Dei vnitatem, qui ſicut eſt vnus in cœleſtibus, ita & vnum in terris hominem fecit. Alij ad effigiei ſimilitudinem, vt ſicut Deus nullum ſibi ſimilem habet, ita hominem condiderit, vt inter tot mille ne vnus quidem inueniatur, qui alterum effigie habituque corporis referat. Alij quòd maſculus, & fœmella factus ſit, quo repræſentet cœleſtem imaginem in eo poſitam, quòd ſicut Angeli à Deo per gradus quoſdam, tanquam per gradus generationis ſuſcipiunt, quæ ipſorum officij ſunt, ita & fœmella prolificandi vim à viro accipiat. 5 alij ad dominium ſuper creaturas referunt, vt inſtar Dei ipſius omnibus præſit.

Alij Iudæi volunt hîc Moſem loqui, in imagine noſtra, ad ſimilitudinem noſtram: & quod ſequitur in 27 verſic. *Creauit itaque Deus hominem in imagine ſua* explicant, *humana*, referuntque ו vau, quod eſt in בצלמנו ad hominem, non ad Deum, deinde legunt אלהים in nominatiuo, & non in genitiuo, vt iungatur cum verbo ברא creauit, & non cum בצלם, quod bellè refellit Aben Ezra, ex qui(Aben Ezra.)bus apparet, quàm cæci ſint Iudæi in ſcripturis ſacris.

Cauendus eſt etiam Anthropomorphitarum (Antropomorphitarum error.) error, qui hanc imaginem ad corpus referunt, cùm Deus ſit incorporeus, quamuis ad illud Dei ποιεῖν, ſeu ideas conformatum corpus habeat homo, vt vel ipſa corporis maieſtate differret à cæteris animantibus, & illis præſtaret, ſuo aſpectu maieſtatẽ, & authoritatem præ ſe ferens; ideo enim vultus ſurſum ſpectãs ei conceſſus eſt, vt ſuæ originis admoneretur. Alij Dei imaginem Chriſtum intelligunt, quaſi ad effigiem Chriſti, qui eſt ipſiſſima (Cabaliſtica inuentio.) Dei imago, ſit conditus; hinc Cabaliſtæ aiunt eundem numerum in אדם, ac in tetragrammato יהוה contineri, ſi nimirum nomina litterarum in ſua integra perfectione capias, id eſt יוד הא ואו הא iod, hé, vau, hé, quæ faciunt 45, ſicut & Adam אדם (Error Cabaliſticus.) Verum riſu dignum eſt, quod aiũt tres illas litteras nominis Adam valere 3 litteras hebrææ vocis Adã, Dauid, Meſſias, adeo vt vnius anima in alium tranſierit, nam cum Pythagora metempſychoſin admittunt; Baal Haturim 3 alias voces affert דם, מרה, (Baalhaturim.) אפר, cinis, ſanguis, bilis. In plurali verò legimus *veiyrdou* וירדו *& dominentur*, nec enim inſolitum eſt vt poſt nomen ſingulare collectiuum verbum plurale ſequatur: ex quibus etiam inferre poſſumus hocce dominium Adæ poſteritati conuenire, licet peccato minutum fuerit, quandoquidẽ nullæ ſunt feræ, quæ vel non reuerentur hominem, vel ab eo domari poſſint. Attamen R. Salomon dupliciter (R. Salom.) exponit ירדו paſſiuè, & actiuè, vt in animalia homines dominaturi ſint, ſi vixerint bene, ſin minus ipſi dominabuntur animantia; ratio eſt, quia verbum illud ex coniugatione Cal & Piel compoſitũ eſſe credunt hebræorum Grammatici. Et רָדָה in(Nachmanni.)quit Nachmanni dominium, & poteſtatem ſignificat, qualem habet Dominus in ſeruum, non qua illo abutitur, ſed qua illius opera ad ſuos vſus, idque cum æquitate vtitur; qua ratione debet homo ſuos ad vſus Dei creaturis vti, non autem tyrannicè abuti.

Ex dictis, interpretes multas Adami præ cæteris creaturis

creaturis prærogatiuas inferunt, siquidem 3 personæ velut ex condicto decreuerunt, vt hominem ad imaginem suam facerent, nec enim hunc locum aliter explicandum censet Sirmiense Concilium, adeout teste Hilario l. de synodis, anathema dicat iis, qui alio modo explicarint. Homo igitur est infinitæ Dei sapientiæ testimonium, vt opus perfectissimũ, mundi verò finis, nexus, atque compendium, vnde microcosmus, & horizon vniuersi superius Angelorum, cœlorumque hemisphærium, & inferius elementorũ continens: cui Christus similis esse voluit, vt à quo pẽdebat homo, ab homine dependeret; ô mira bonitas! & vt omnes creaturas, veluti beatificaret, atque deificaret, cùm enim Christi corpus ex elementis conflatũ sit, & beatitudine fruatur, in eo illa elementa beatitate donãtur. O beatum hominẽ, qui sicut cum mũdo conditus est, ita cum eo renouabitur, qui Trinitatis beatissimæ mysterio in productione sua signatus est, sicut & in regeneratione in Baptismo, qui non à terra, vt cætera animalia, sed diuinis manibus formatus est; qui omnium animalium quantumuis maximorum constitutus est dominus, & totius mũdi princeps; cui tanta morum integritas est indita, tot infusæ virtutes, vt rationi motus omnes animi subiecti fuerint, & omnia animalia eius dominio; qui tanta scientia pollebat, vt cunctis animantibus nomina facilè imposuerit, vt ea se pro domino suo hominem habere cognoscerent; huic etiam corpus concessum est; quod morborum omnium expers esse posset, atque à morte immune persisteret; huic donũ prophetiæ largitus est Deus, qui sæpius ei sese manifestabat; O beatum hominem, quem misericordia custodit, docet veritas, regit iustitia, pax fouet, & cui bonorum omnium terrestrium, & cœlestiũ seges amplissima suppetit. Hic autem locus, Drusio referente, vnus est ex iis, quæ Hebræi à 70 immutata fuisse aiunt, adeout ποιήσω scripserint, faciam, & non faciamus, ne Ptolomæus, cui suam editionem parabant, hinc Deorum pluralitatem inferret. Nunc tamen legimus in 70 ποιήσωμεν, non ποιήσω. At de his satis, ad imaginem Dei nobis impressam progrediamur.

Hilarius.

Hominis præstantia.

QVÆSTIO XV.

Quomodo sita sit, & velut in homine sculpta & impressa Dei imago, atque similitudo.

CElebris est tam inter Scholasticos, quàm interpretes Scripturæ sacræ quæstio præsens, quam breuiter agitabimus: quia Pererius eam fusè pertractat post D. Basil. homil. 10 in Genes. & Ruper. 2 de Trinit. cap. 2, & 3. Varias autem opiniones referemus, vt tanta diuersitate gaudeat animus, & in sacræ Scripturæ pascuis Christianus exultet. Itaque prima sententia est Origenis, qui ait hominem factum fuisse ad imaginem, & similitudinem filij Dei, qui est Patris imago inuisibilis ad Coloss. 1, & figura substantiæ patris ad Hebr. 1. quia solus Filius vi generationis suæ, Patris imago dicitur, vnde & ad Rom. 8 electi *prædestinati sunt conformes fieri imaginis filij Dei*, vt Christus sit verus prototypus, ad quem omnes iusti collimare debeant, ad quam illa opinio reuocanda est à Lipomano citata, quæ ait ab æterno Deum constituisse, vt Verbum naturam humanam assumeret in vnitatem personæ, ad cuius imaginem homo factus fuerit: quam opinionem reiicere videtur D. August. 7 de Trinit. cap. 6. & lib. imperfect. de Genes. cap. vlt.

Prima sententia Origenis probantis hominem factũ ad imaginem filij Dei.

ad Rom. 8.

Augustin.

Veruntamen huic opinioni subscribere non vereor, quandoquidem talis est, quæ nos in amorem Iesu Christi, atque admirationem adducat, tametsi enim ad Rom. 8 venerit *in similitudinem carnis peccati*, ad Philipp. 2 factu sit *in similitudinem hominum serui formam accipiens*, & ad Hebr. 2 carni, & sanguini participauerit, quia nos cõmunicaueramus carni, & sanguini, dicaturque *ad similitudinem nostram*, non meam, ea non impediunt, quominus homo ad Christi Domini imaginem, & velut ideã factus sit, nec enim tanta sunt, quæ opponuntur, vt dissolui nequeant, licet enim non habeamus hic *meam*, sed *nostram*, homo præterquam Trinitati similis est, seu 3 personis, vt ad extra operantibus, filio Dei nostram naturam sustinenti peculiariter similis est, nec à verò tantillum aberrabo, si Christum ante creaturas omnes in mente diuina præuisum asseruero, ad quem velut ad exemplar respiciens Deus, cæteros homines iustos præcipuè creandos, & adoptandos decreuerit, adeout propter Christum totam hanc rerum vniuersitatem fecerit, alioqui nihil producturus, nisi filius incarnari debuisset, & quidem congruum videtur, vt omnes creaturæ, quę se verborũ instar habent, Dei potentiam, maiestatem, atque prouidentiam extollentium, peculiariter ad verbum illud magnum, & æternum Dei filium referantur; Igitur D. Aug. vult tantùm hominem ad totius Trinitatis imaginem factum esse, quod fatemur, non autem alio modo textum exponi posse negat.

Ad Phil. 2. Ad Hebr. 2.

Mundũ nõ fuisse futurum, nisi incarnatio præuisa fuisset, est duntaxat opinio probabilis.

Adde quòd, *nostram*, ad omnes personas simul, & ad quamlibet in particulari referre valeamus. Denique loca D. Pauli, quæ docent Filium Dei in similitudinem hominum factum, aliis locis minimè repugnant, quia factus est in similitudinem nõ tantùm hominum, sed peccatorum, quia peccatorum nostrorum pœnas ipse portauit, & pro nobis peccatum, ac velut sacer, & execrabilis factus est; quomodo non fuisset in similitudinem carnis peccati factus, si homo non peccasset, nec se morti, doloribus, frigori, & cæteris incommodis permisisset, verùm vbi omnes diuino mandato paruissent, & condicto tempore virtutibus se addixissent, secum ad gloriam traduxisset; sic igitur filius in similitudinem hominum factus est, vtpote peccatorum, & homines ad imaginem illius nullo modo peccatoris, sed iustissimi creauit, qui deformatam, atque turpificatam imaginem suam per eiusdem imaginis interuentum reformauit, cuius intuitu Pater ęternus, ob peccatũ Adæ mũdũ destruere noluit, nec hominem in nihilũ redegit. Huc reuocari potest sententia eorum, qui dicunt

hominem ad Dei similitudinem factum, quatenus in corpore humano Deus apparuit, dum creauit hominem, & eum allocutus est, quod duobus modis intelligi potest, vel vt intelligamus Deum membra humana habere, quod falsum est, & hæreticū, vt aduersus Antropomorphitas Niceph. ostendit l. 11. cap. 14. & l. 13 cap. 10. quem errorem Theodoretus refellit hîc quæst. 20. Vel quatenus assumpsit corpus humano simile vel ex aëre, vel ex aliis elementis fabricatum eo modo, quo Angeli in assumptis corporibus apparere dicuntur, quod quidem hæreticum non est, sed ad summum improbabile, tam propter authoritatē Patrum, & Theologorum, qui contrarium sentiunt, quàm propter alias apparitiones Dei, quæ ab Angelis factæ sunt, dummodo præter illam similitudinem, & imaginem corpoream: fateamur etiam, idq; præcipuè ad beatissimę Trinitatis imaginem secundū animum, hominem creatum fuisse.

Nicephorus. Theodoret.

2 Sententia. Secunda sententia est eorum, qui Dei imaginem non quidem in corpore collocant eo sensu, quo suprà, sed quatenus hominis corpus cæteris corporibus antestat, eorúmq; regula constituitur, & illa virtute, ac velut eminenter continet, quemadmodum Deus omnes spiritus in se complectitur.

3 Tertia sententia est eorū, qui ita laudant oculos, vt eos diuino numini comparare audeāt; illi enim momēto omnia cognoscere videntur, sed his omissis, vt pote ridiculis, vel minus veris. Alij rectiùs in animę facultatibus similitudinem Dei reponūt, vt sicut vna est diuinitas, & 3 personæ, ita etiam sit vnica anima, & 3 facultates intellectus, memoria, & voluntas, vel intellectus agens, passibilis, & voluntas.

4 Quartò volunt animam esse Deo similem, quia
immortalis est, & æterna saltem à posteriori; vt lo-
quuntur, ita D. August. cap. 2. de quantit. animæ.
5 Quintò quia sicut Deus, ita & homo cunctis ani-
August. mantibus præcellit, & imperio dominatur; ita D.
Basil. Basil. hom. 10 Chrysost. hîc, & alij. Sexta senten-
6 tia sit, omnia attributa hominis, in quibus non cō-
uenit cum belluis, quæcunque sint, ea esse, propter
quæ homo Deo similis dicatur; vt quòd anima sit
incorporea, spiritualis, tota in toto, & tota in qua-
D. Thom. libet parte, vt habet D. Thom. 1. p. q. 93. a. 3. quòd
sit inalterabilis, quòd locum corporeum nō postu-
let. Septima sententia Cyrillo tribuitur, quia sicut
7 Cyril. figura ceræ impressa nequit alio repleri, quàm sigillo, à quo facta est, ita nec anima nisi solo Deo; enimuero quascumque diuitias, honores, voluptates, scientias, & artes homini concesseris, nondum contentus erit, donec cor eius, in eo requiescat, à quo factus est. Ad quam sententiam omnia reduci possunt, ob quæ anima patitur aliquid diuinum, seu gratiæ alicuius infusionem.

8 Octaua est eorum, qui in operationibus animæ Dei constituunt imaginem; vnde quatenus intelligit veritatem, diiudicat iustitiam, & iniustitiam, nouit à quo facta est, D. August. tract. 8. in primam epist. Ioan. Dei imaginem ei tribuit, & his aureis verbis concludit. *Quia non habent feræ rationalem mentem, tu autem rationali mente capis veritatem, intelligis, quod supra te est, subdere ei, qui supra te est, & infra te erunt illa, quibus præpositus es:* qui & in libris de Trinitate doctissimè imaginem Dei in eo collocat, quòd sicut Pater seipsum intelligendo producit Verbum sui ipsius expressiuum, ex quibus procedit amor, seu Spiritus-sanctus, ita homo seipsum intelligendo formet Verbum sui repræsentatiuum, & intelligibile, atque spirituale; ex quo resultet amor; quæ quidem processiones diuinas manifestant.

August.

Nona sententia constituit imaginem Dei in libero arbitrio, de quo D. Bernard. serm. 80 in Cantic. & cap. 1 de meditation. condit. hum. quicquid enim volumus, per arbitrium volumus; adeout nescioquam omnipotentiam in libertate agnoscere possimus, qua more nostro possimus, quicquid ipse Deus potest, quatenus his omnibus, quæ facit, liberè delectamur, eaque approbamus; Deus vult se Deum esse, seipso beatum esse, mundum fieri, & quicquid est in eo, produci, homines rectè viuere, impios pœnas debitas luere, bonos, & iustos beatitudine perfrui; sed & idem homo velle potest, imo debet. 9 Bernar.

Deus à nemine cogi potest, vt hoc, aut illud velit omnibusque necessariis ad agendū pręsuppositis, agit, vel nō agit pro libito, & post actionē remanet liberrimus, vt quod fecit, approbet, vel improbet, quod etiam homini competit. Deus seipsum amat necessariò, cætera liberè; homo Deum clarè visum amat etiam necessariò, cætera liberè. Sicut homo nequit bonum in communi spectatum odisse, ita neque Deus.

Decima petit intellectum, per quem etiam homo facit omnia, & fit omnia, quæcunque vel Deus est, vel facit: quid enim homo fingere non potest, cū & ipsa diuini numinis opera accuratè perscrutetur, & ipsas operationes diuinas, atque processiones æternas intellecturus sit, adeout ipsam voluntatem ad hoc inducere possit, vt velit, si fieri posset, eadem facere, quæ Deus facit, non plura, neque pauciora, si eandem cum Deo potestatem haberet: deinde intellectus est omnia potestate, quatenus ea, quæ intelligit, vnum fiunt cum eo, maiori vnitate, quàm sit compositum ex materia, & forma: hinc intellectus omnes creaturas intelligens, fit omnis creatura: nunquid ergo fit ipse Deus, cùm Deū intelligit: nunquid Pater, Verbum, & Spiritus sanctus futurus est in gloria, si intelligēs, & intellectū, siue intelligens actu, & intelligibile actu sint vnū? vt vult Arist. 3. de anima. Imo magis erit vnus, & idē cum Deo, & 3 personis, quàm cū creaturis, quas sibi coniunctas habet in esse intelligibili, seu repræsentatiuo, quandoquidē Deus non tantū intellectui nostro per speciē impressam, aut expressā, & in esse intelligibili coniungetur, sed in esse reali, siquidē totam animā & eius facultates, magis penetrabit, magis illuminabit calefaciet, quàm lux solis aërem, aut chrystallum penetret, & illuminet, vel ignis ferrum ignitum calefaciat; adeout nonnulli Theologi putent intellectionē beati ab ipsa diuini numinis essentia, terminatā iri, ac proinde non habiturā speciē expressam creatā, eo ferè modo, quo natura humana Christi propriā subsistentiam non habet, sed Verbi diuini propriam hypostasim, quæ creatam abundè suppleat. O beata æternitas! *anima mea, sicut terra sine aqua tibi: quando veniam, & apparebo ante faciem Dei mei. Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.* 10.

Hęc similitudo acutissima est, idcirco lector attendat.

Aristot.

Vndecima sententia potest ad ea reuocari, quæ pertinent, ad virtutem, & mores animi, vt homo similis sit Deo, si bonus, si prudēs, iustusque fuerit: vnde fit vt moneamur à Scriptura. *Estote misericordes, sicut Pater vester misericors est*, Lucæ 6. vt simus vni consensu, voluntate, amore, sicut Pater, & Filius sunt vnum inter se. 11

Luc. 6.

Macte-

Pulchra similitudo. Macte animo vir Christiane, si vis Deo similis esse, potes; nam ipsa diuina mens in Deo est prudentia, quam etiam acquires, cùm volueris; temperantia Dei est diuinæ intentionis conuersio ad seipsum; in te verò conuersio concupiscibilis ad rationem, cui conformatur; Dei fortitudo, est eius immutabilitas; iustitia, obseruatio, legis æternæ in suis operibus; quis te impedire potest, quominus in Dei cultu, & mandatis eius obseruandis sis immutabilis, adeout nec latum vnguem opera tua, imo neque verba, aut cogitationes à Dei mandatis abscedant?

12. Duodecima, sicut Deus est sibi, & omnibus præsens, ita homo sibi præsens esse potest, cùm ita vult; in quo quidem magna pars vitæ spiritualis collocatur; sicut Deus creaturas omnes contemplatur, & illas ad suam originem, nempe ad seipsum refert, ita homo potest omnes ad eandem Dei gloriam referre: sed & homo Deum sibi præsentem facere potest; imo hæc præsentia adeò præstat, vt sola per se sufficere videatur, si quis ad vitam perfectissimam accedere velit; quid enim mali ausis perpetrare, quod bonum omittere, cùm æternam illã diuini numinis præsentiam in te præsentissimam esse credis, atque conspicis? atque seriò cogitas, quid à te postulet, quid velit, omittas, vel quid aggrediaris: vtinam vnusquisque id genus exercitij suscipiat, quo nullum melius, præstantius, breuius, aut gratius esse potest. Hinc Psaltes. *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniã à dextris est mihi ne commouear*: Quis obsecro perfectæ vitæ non incumbet, qui senserit diuinam præsentiam in corde suo dicentem, & inculcantem. *Estote ergo vos perfecti sicut & Pater vester cœlestis est*.
Math. 5. Math. 5. *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis*: vbi quis Deum sibi præsentem inducere potest hæc, aut illa præcipientem: nec illud existimes imaginarium, aut sola mente concipi; reuera enim Deus intimè nobis præsens est, & totam animam peruadit, atque penetrat.

13. Decimatertia sententia præter illas virtutes, quasdam heroicas, & velut exemplares producit, quæ non ita sunt communes omnibus; qualis est illuminatio gentium, quos Apostoli, & eorum successores, Doctores, Concionatores è tenebris infidelitatis eruunt, & ad veram Euangelij lucem adducunt: huc, si vis, dona gratuita referes, quibus peculiari priuilegio nonnulli morbos curant, suscitant mortuos, futura præsagiũt, spiritus bonos à malis, ac Dei inspirationes, à naturæ, vel dæmonis suggestionibus discernunt, in quibus Deo similes esse videntur; Denique quo maiora bona faciunt, eo similiores euadunt ei, à quo bonorum vniuersitas emanat, atque proficiscitur.

5 Pulcherrima notanda. Ex quibus multa concludi possunt: Primum quidem homines eo similiores esse Deo, quo maioribus virtutibus prædit sunt, adeout rusticus, &
1 idiota Deo similior in via, similiorque futurus sit in patria, quàm Rex aliquis etiam ditissimus, æquè & doctissimus, si ille potiores virtutes habuerit, si maiori charitate fuerit præditus, si Deum, & proximum magis dilexerit, vel diutiùs saltem iisdem virtutibus, eodem conatu, atque intentione similiter sese exercuerit, qui propterea Deo similior erit; ipsis Angelis, si qui Angeli minora merita habuerint, ac per consequẽs Deum minus clarè viderint, quàm idiota, aut vetula.

Secundò, quoslibet Angelos secundum naturæ gradum, esse Deo similiores, quàm homines, quippe qui magis ad diuinã perfectionem accedũt: tum quia non sunt partes vllius compositi corporei, tũ quia nullo phantasmate indigent, sed vt sunt simplices, ita res, prout sunt, simpliciter, subitò, simul, sine syllogismo, sine ratiocinatione, sine labore intelligunt, tum etiam quia facultates acerrimas habent, quibus momentò ferantur in obiecta; cætera taceo, quæ ex tractatu Angelorum repeti possunt. 2.

Tertiò, mundum totum seorsim ab homine, & Angelo sumptum in se non habere Dei similitudinem, vel imaginem, quandoquidem anima caret, & quidquid est in eo, materiale censetur, atque corporeum, adeout neque ipsa lux, quam sol diffundit, neque ipsæ belluarum animę materiei sint expertes: videatur D. Thom. 1. p. q. 93. a. 3. 3. D. Thomas

Quartum quod sequitur est, mulierem non minus in se Dei similitudinem habere, quàm virum, siue ea, quæ ad gloriam pertinent, siue quæ ad naturam spectaueris; tametsi vir aliquid habere videatur, quo fœminam superet, vt Apostolus ostẽdit 1. ad Cor. 11 vbi dicitur virum non debere caput suum obuelare, *quoniam imago, & gloria Dei est, sicut mulier gloria viri*, quod 33. decreti q. 5 confirmatur. Quod eatenus verum est, quatenus vir est principium, & finis mulieris, *non enim*, inquit Apostolus, *vir ex muliere, sed mulier ex viro*. Etenim non est creatus vir propter mulierem, *sed mulier propter virum*: sicut Deus est principium, finis & hominis: videatur D. Augustin. 12. de Trint. c. 7. quem legas velim, ibi enim declarat, quid sit discriminis inter factum esse ad Dei imaginẽ, & esse Dei imaginem, hoc de Filio Dei dicendum esse ait, iuxta Paulum ad Coloss. 1. 4. 1 ad Cor. 11. 33 causa in decreto. Augustin. Ad Coloss. 1

Quintum, est nunquam Dei imaginem in homine deleri quoad naturalia, id est ea, quæ pertinent ad hominem, quatenus est rationis particeps, & intellectu, atque voluntate, memoria, & intelligẽtia præditus est, licet iuxta esse gloriæ, aut gratiæ per peccatum deleatur, & imago prima minus illustris appareat: vt enim multas prærogatiuas habet hominis phantasia, & appetitus sensitiuus ob coniunctionem intellectus, & voluntatis, & color, atque lapides pretiosi ob solis lumen aduenien s; ita naturalis imago Dei mentibus nostris indita, ob coniunctionem imaginis, vel similitudinis, quę nobis infunditur, & pertinet ad gratiam aut gloriam. 5

VERSICVLVS. XXVII.

Et creauit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creauit illum, masculum & fœminam creauit eos.

וַיִּבְרָא אֱלֹהִים אֶת־הָאָדָם בְּצַלְמוֹ בְּצֶלֶם אֱלֹהִים בָּרָא אֹתוֹ זָכָר וּנְקֵבָה בָּרָא אֹתָם׃

Καὶ ἐποίησεν ὁ θεὸς τὸν ἄνθρωπον κατ' εἰκόνα θεοῦ ἐποίησεν αὐτὸν ἄρσεν καὶ θῆλυ ἐποίησεν αὐτούς.

IN hoc versiculo, sicut & in præcedenti satis interpretes conueniunt: hîc autem præponitur
Angeli an creatores mundi. nomini Adæ ה; ad imaginem suam, vertunt alij in typo, & imagine nostra, quasi dicat ad exemplar suum: idem autem, quod antea repetit, vt attendamus, quanti Deus hominem faciat, & ne fortè
Basil. Chrysost. Philo arguitur. Angelos nostros creatores agnosceremus, vt Basilides, & Cherinthus sentiebãt, teste Basil. & Chrysost. in Genes. 8. homil. Theodoret. q. 19. August. 18 de cap. 6. in quo etiam Philo platonizans cum Timæo errauit l. de opificio mundi; quamuis potuerint Angeli ministerium aliquod exhibere, vt in
D. Thom. resurrectione D. Thom. 1. p. quæst. 91. a. 1. ad 1. eos puluerem collecturos ait. nomen etiam similitudinis non repetiit; ne verò de fœmina dubitaremus, an esset creata necne, Moses hîc eam cum masculo iunxit; deinde posuit, *eos*, & non *eum*, ne cum quibusdam Hebræis, & Platone diceremus hominem primò fuisse creatum androgynum, & duobus, vt aiunt, prosopis, seu vultibus, & gemi-
Cabalistæ arguuntur. no corpore, sed postea fuisse diuisum. Iure autem reprehenduntur Cabalici, qui nomen זכר *zacar* masculum, volunt literarum numero resultare in ברכה benedictionem, & נקבה Nacheba fœminam in קללה maledictionem, etsi aliquot numeri desint, illi enim creationi detrahunt, ipsique Deo, qui post rerum omnium, ac ideo fœminæ creationem, *vidit omnia, quæ fecerat, & erant valde bona:* plura verò de hermaphrodito ad c. 2. versic. 21. dicemus, vbi Platonis androgynum suis coloribus depictum, & explicatum videre licet. Pulchrè notauit Caietanus masculi, atque fœminæ hîc men- Caietanus.
tionem fieri, cùm de homine loquitur Scriptura, non autem cùm de cæteris animalibus, quia hæc ad generandum ex appetitu sensitiuo iunguntur, homines autem ex appetitu rationali; quamobrem Deus in sola specie hominum commixtionem maris, & fœminæ per modum coniugij statuit; vnde & immediatè post creationem hominis ad imaginem Dei, creationem maris, & fœminæ Moses aperuit, vt intelligeremus vsum maris, & fœminæ in specie humana debere esse secundum id, quod sumus ad imaginem Dei, idest secundum rectæ rationis ordinem, & non secundum appetitum sensitiuum. Cùm autem homo sit viua Dei imago, dubitarit aliquis, an instar aliarum imaginum coli possit, aut debeat, ideóque mouebimus quæstionem.

QVÆSTIO XVI.

DE IMAGINE.

ARTICVLVS PRIMVS.

AN HOMINEM HOMINES, ET ANGELI, vt Dei imaginem adorare, vel colere, atque venerari possint, vel debeant, prout alias imagines veneramur, & de nomine צלם tselem.

TAmetsi breuiter hanc quæstionem agitare velim, quædam præmitti debent, vt res tota
Quædam supponenda. melius intelligatur, quæ alibi discutienda, & accuratiùs pertractanda sunt.

1 Imprimis ergo supponendum est adorationem
Adoratio quid sit. esse actum proprium virtutis religionis, quo quis submittit seipsum, & alteri honorem exhibet; honor est obiectum quod, personæ verò dicitur obiectum cui prædictus honor exhibetur: hinc fit vt ex multis actibus tam externis, quàm internis, quæ ad religionis virtutem attinent, adoratio sit vnus, licet etiam varios modos, & actus ipsa sortiatur, quibus personas, aut res quasdam adoret; sunt etiam diuersæ personæ, quas adorare possis, vt mox dicetur.

Deinde suppono rationem formalem, ob quam 2
persona adoranda est obiectum cui, esse bonitatem, seu virtutem, quatenus reddit personam excellentem.

Laus, honor, & gloria quid sint, & quomodo discrepent.

cellentem, & claram, circa quam tres actus laus, honor, & gloria versantur, quorum laus in verbis, honor in exterioribus signis consistat, è quibus gloria sequitur, vtpote clara notitia bonitatis: honor verò pertinet ad adorationem, tanquam obiectum quod, non ita tamen, vt honorare idem sit, quod adorare, illud enim latiùs sumitur pro omni cultu, quo virtute præditos, siue superiores, siue æquales prosequimur; hoc autem propriè cultum includit, qui superiori exhibetur, vt D. Augustin. cap. 23 contra Arrianos aduertit. Nomen autem ipsum adorationis, si Prisciano, Nonio, & Festo credimus, à frumento sacrificiis destinato nomen obtinuit, quod ador nuncupabatur, & epulis sacris, ac immolationibus pium existimabatur; Edor etiam, & Edur ab edendo vocatum est, vel quòd aduratur, vt fiat tostum, & salsa mola; adorare veteres agere dixerunt.

August.

Adoratio vnde dicatur?

3 Tertiò præmittendum est esse tria nomina Græca, quibus omne genus adorationis exponi solet, λατρεία à λατρεύω adoratio, quod ex vi vocabuli seruitutem significat cum relatione ad herum, & Dominum, à λάτρις id est seruo alicui mancipato, & addicto, vel etiam mercenario suam operam alteri locante, estque tam λατρεία, quàm adoratio communis honori, & cultui, qui Deo, vel hominibus exhibetur.

λατρεία quid?

Iam verò Ecclesiasticus, & Theologorum vsus obtinuit, vt latria solum cultum Deo exhibendum significet, iuxta 4. Math. *Deum tuum adorabis* προσκυνήσεις *& illi soli seruies*, λατρεύσεις, latriam præstabis; quod apud D. Augustin. quæst. 61. in Genes. Epist. Anastasij Episcopi Theopolios actione 4. Septimæ Synodi relatam, D. Augustin. cap. 1. lib. 10 de Ciuitate & alios. Videatur, & attentè legatur oratio 1 Damasceni, cum sequentibus, quas de imaginibus eleganter exarauit.

Math. 4.

August. Anastas.

Secundum vocabulum est δουλεία à δουλεύω, quod vsurpatur pro seruitute Sanctis, vel hominibus viatoribus exhibita, hinc opus seruile Leuit. 23. λάτρευμα appellatur; quam tamen Theologi cultui Sanctorum accommodarunt; alioquin enim id ab antiquis Patribus minimè factum est, & ad Ephes. 6. seruis conuenit, quos Apostolus iubet, dominis suis esse subiectos, vbi verbum δουλεύω legitur.

δουλεία quid? Leuit. 23.

ad Eph. 6.

Tertium est ὑπερδουλεία, qua præcellentes cæteris honorantur.

ὑπερδουλεία quid?

4 Supponendum est 4. adorationem ad iustitiæ virtutem pertinere, cuius religio pars est potentialis, vt benè S. Doctor secunda secundæ quæst. 80. estque voluntatis actus, qui supponit in intellectu bonam existimationem personæ adorandæ, atque iudicium dictans aliquid esse colendum, ex quo voluntas colendi oritur, sicut & ipse cultus, quo protestatur aliquis se alicui subijci.

D. Thomas

5 Quintò creaturas omnes, earumque operationes excellentiæ diuinæ subijci, subiectione Physica ob rerum, & graduum naturam, qua superioribus, & excellentioribus inferiora subijciuntur, vt terra cœlo, omnia verò Deo summo rerum omnium principio.

Creaturas omnes Deo subiici.

6. Sextò in omnibus actionibus bonis moralibus contineri subiectionem, qua homo Deo propter eius excellentiam subijciantur, non quòd hæc excellentia sit ratio formalis, & propria, ob quam aliquis subdatur per illos actus morales, quorum aliqui fiunt solummodò propter hanc virtualiter, quales sunt fidei, spei, charitatis, & aliarum virtutum actiones, quæ iuxta suas species, ac propriam naturam determinatis perfectionibus diuinis, vt fides primæ veritati, spes fidelitati, charitas summæ bonitati, prudentia summæ prouidentiæ, fortitudo immutabilitati diuinæ velut creatæ participationes subditiæ sunt.

Subiectio virtutum quæ? Nota.

Septimò in actibus, qui pertinent ad virtutem religionis, contineri subiectionem, qua quis formaliter sub ratione communi omnibus actibus religionis Deo subijcitur, quam tamen communem rationem variæ differentiæ contrahunt, quas deuotio, oratio, votum, iuramentum, sacrificium, oblatio, laus, & cæteræ virtutes in se complectuntur. 7

De subiectione actuum religionis.

Octauò præter hanc communem subiectionem omnibus virtutibus religionis communem, aliquam aliam specialem admittendam esse, cui sit proprium, quod aliis commune est; quæ nec aliam bonitatem in specie sua præter hanc subiectionem qua Deus vel alia persona colitur, habeat; quam subiectionis bonitatem expressè, & immediatè, sicut aliæ virtutes suam propriam bonitatem, respiciat, quæ bonitas subiectionis sita est in actibus externis, vt genuflexione, inclinatione, & cætera, quibus alicui personæ cultum, vel honorem exhibemus solùm propter eius excellentiam, quæ subiectio soli adorationi propriè, formaliterque conuenit. 8

Subiectio peculiaris adorationis quæ?

Nonò supponendum est imagines Dei posse adorari, imo & Sanctorum; de quibus Trident. sess. 25. decreto de imaginibus, Septima synodus latissimè, Patres multi præcipuè Damascenus orationibus suis de imagin. & alij quos controuersistæ aduersus Iconomachos referunt; nam imago seipsam cum exemplari, & non sine illo offert adorationi, quæ non colitur nisi propter habitudinem ad exemplar, adeout sit vnus motus in imaginem, & prototypum, cùm imago ita cum exemplari comparetur, vt pars cum toto; imo volunt Theologi imaginem esse prototypum ipsum in imagine contentum secundum esse repræsentatiuum. 9

Tridentini

Imaginum adoratio.

Decimò Deum, & creaturas non vnâ eadémque virtute coli, & adorari, sed distinctis, ita tamen vt creaturæ colantur etiam alia virtute sub titulo sanctitatis, quàm dum coluntur ob aliquam ciuilem excellentiam, quæ tametsi diuersa sit in eis, eadem tamen virtute coluntur, nec enim cultus, reuerentia, vel adoratio rationes omnes formales excellentiæ cuiusuis, mentis instar, abstrahunt, discernunt, sed practicè feruntur in hominem, vel Deum excellentem, siue illa excellentia proficiscatur ex illo attributo, siue ex alio, siue ex diuersis. 10.

Adoratio Dei, & creaturarum varia.

Quapropter Deum adoramus, non tantùm ob eam causam, quod summi principij habeat excellentiam, tametsi ea ad adorationem præcisè sumpta sufficere videretur, sed ob summæ bonitatis, prouidentiæ, iustitiæ, & aliorum attributorum excellentiam.

Terminus adorationis diuinæ quis?

Vndecimò adorationem esse moralem actionem, quæ cum physicis in eo conuenit, quòd per obiectum distinguatur, & consti tuatur in specie, 11

Adoratio quomodo ab actionibus Physicis distinguatur. differt autem quòd actus naturales physici non recipiant distinctionem per differentias, quibus obiectum distinguitur secundum magis, & minus, sed tantùm per differentias, quibus essentialiter cõstituuntur, at verò morales actus, qualis est adoratio, distinctionem recipiunt secundum magis, & minus per obiecti similes differentias. Hinc fit, vt cùm excellentiæ alicuius variæ sunt, & specie distinctæ, possint vnica adoratione coli, ideoque homines in vita ciuili eadem virtute coluntur, quoscunque titulos excellentiæ illis attribuas.

12. 12 Cum vna excellentia tantùm cæteris præcellit, vt omni ex parte sit incomparabilis, qualis est sola diuina, coli debet adoratione, quæ ab aliis quibuscunque adorationibus specie distinguatur. Excellentiæ variæ. Alia vero constituenda est adoratio pro personis, in quibus est excellentia quædam partim comparabilis, qualis est excellentia beatorum, quæ cum sit creata, conferri potest cum excellentiis naturalibus; partim incomparabilis, cùm sit ordinis supernaturalis, qui naturalem omnino prætergreditur: quare species adorationis, qua Sancti, & quæ ad eos spectauerint, adorantur, est distincta ab adoratione, qua hominum excellentia minimè superans ordinem ciuilem, & naturalem colitur.

13 13 Hanc veluti mediam Sanctorum adorationem magis, & minus intra eandem speciem recipere, ad quam saltem incompletè reuocari potest adoratio, qua Sancti nondum mortui coli solent, quæ tamen cultus religiosus minimè dicetur, quia nondum ratione status, immutabilitatis, & visionis beatificæ ad diuinam excellentiam accedit.

14. 14 Concludendum est ex dictis tres esse species adorationis, videlicet obseruantiam, seu duliam minorem, quæ pro obiecto varias excellentias creatas, & comparabiles respicit: latriam, quæ in diuinam excellentiam incomparabilem oculos conijcit; & duliam maiorem, quæ respicit excellentiam ordinis increati imcomparabilis cum excellentia ordinis creati; Deus verò causa est cur Sancti adorentur, si causã boni, & excellentiæ operum, & virtutum consideremus; Deus enim est causa omnium, quandoquidem omne datum optimum desursum est descendens à Patre luminum Iacob 1. Iacobi 1.

15 15 Christi imaginem eadem adoratione coli posse quo Christus colitur, quia idem est motus, quo quis in imaginem, & rem cuius est imago, ferri debet, vt scitè D. Thomas 3. p. quæst. 25. art. 3. D. Thomas docet, atque adeo colendas esse latria Christi imagines.

16 Denique supponendum est imagines Dei adoratione dignas esse, nec in veteri lege prohiberi, nisi quia non essent, sicut Deos adorandas, vt Leontius actione 4 Septimæ Synodi declarat, alioqui Leontius in Synod. 4. enim arcam cum suis imaginibus adorabant, quatenus Deum, & angelos referebat, teste D. Athanasio, quem orat. 3 de imaginibus Damascenus Damascen. laudat; quibus præmissis, ad quæstionem initio propositam accedo, An videlicet homo, cùm sit imago Dei, adoratione coli possit.

Non quæro hîc an homo beatus dignus sit adoratione, id enim priùs dictum est in nostris supponendis; nec de Christo quis in dubium reuocat, an propter excellentias etiam creatas, quas habet, hyperdulia coli debeat; nec discutere libet, an humanitas Christi mente velut abstracta, & à Verbo separata, digna sit adoratione, tum quia Patres, & Concilia semper hanc separationem reiecerunt, vt epist. 10 Cyrilli in Ephesino Concil. approbata, & 5 Constantinop. collat. 8. can. 9. quod Germanum dicitur Athanas. contra Arrian. satis constet, tum quia id ad Theologos tertiam diui Thomæ partem explicantes, attinet. Cyril. Synod. 5.

Sed tota quæstio versatur in homine nudè spectato, quatenus hîc in Genesi ad imaginem Dei factus esse dicitur. Et quidem si periculum omne tam erroris, quàm idololatriæ tolleretur, censent Theologi hominem ea posse adoratione, qua solent imagines Dei, & Christi latriâ videlicet adorari. Per triplicẽ amorem adoratio explicatur.

Quod per amoris analogiam explicari potest, qui triplex est; primus, quo tantùm proximus amatur, non autem Deus, nisi remotè, qualis est amor, quo ex amore proximo bonum volumus, qui est actus amicitiæ, nec Deum, vt obiectum amoris per se respicit, sed vt obiectum formale obedientiæ, quatenus imperat amandum proximum; vt autem obiectum amoris, remotè, prout non solùm authoritate valet ad imperandum, sed etiam bonitate, propter quam dignus sit, vt siue imperando, siue non imperando fiat, quicquid voluerit. Primus amor.

Cuiusmodi primus adorationis modus esse videtur, quo homo propter suam excellentiam virtutum ciuilium obseruantiâ ciuili colitur, vel dulia, si fuerit sanctitate supernaturali præditus; qui cultus minimè Deum respicit, vt obiectum adorationis proximè, sed vt obiectum obedientiæ, quamuis eum aspiciat, vt obiectum excellentiæ remotum, quatenus hominis excellentia à Deo proficiscitur. Primus modus adorationis.

Secundus amoris actus est, quo Deus simul & proximus amatur, vt cùm ex amore, quo Deum prosequor, eique bonum maximè desidero, bonum etiam proximo volo, vbi ratio amandi proximi, est amor Dei amati, qui actus est amicitiæ proximi, & Dei saltem virtute: qua ratione secundus modus adorandi est, quo non tantùm homo, sed & Deus, vterque vt terminus colitur, tunc verò respicit hominem, vt imaginem Dei, Deum autem, vt prototypum, adeout potiùs in homine Deus colatur, quàm homo. Secundus actus amoris. 2 Modus adorandi.

Tertius actus, est quo solus Deus, vt obiectum amabile, proximus autem vt sola materia, & amandi causa diligitur, siquidem in eo diuina bonitas elucet, qua seipsum in creaturas effundit, idque primò in rationales, dehinc in alias propter eam; Ita tertius modus adorationis est, quo solus Deus adoratur, sed istius adorationis causa refunditur in creaturas, in quibus diuina excellentia supremi artificis legitur, ita Psaltes 63. *Mirabilis Deus in Sanctis suis*, sic etiam creaturæ omnes, cœli verò præcipuè causa sunt, cur Deus laudetur, & adoretur. psalm. 118. *Cœli enarrant gloriam Dei.* quo sensu Isai. 43 dicitur, *glorificabit me bestia agri*, quia nobis omnes creaturæ materiam peramplam exhibent, & laudis occasionem, omnisque cultus, & obsequij, quo Deum propter excellentiam veneramur, & colimus. Tertius modus amoris, & adorationis Psal. 63. Psal. 118. Isai. 43.

Ex quibus infertur non esse per se, & intrinsecè malũ, si hominem, vt imaginem Dei, pront & alias inanimatas imagines adorauerimus, non Christianocategorum instar, qui ex eo quòd perperam sese gererent Christianocategori

qui fuerint Damasc.

gererent in adoratione, quia imagines, vel sanctos adorabant eo modo, quo Gentiles Deos suos, vt refert Damascenus circa finē tractatus de hæresibus, id est nō vlteriùs ad verū Deum, vt prototypū suam adorationem referebant, quapropter non malè Christianorū accusatores appellati sunt, quia hac de causa Gentiles Christianis insultabāt, cùm enim Deorum, vel potiùs Idolorum cultum eradicare vellent, simile quid in imaginibus nostris Gentiles, vel hæretici obiiciebant.

Hominem adorari posse.

Sed referendo nostram latriæ adorationem ad prototypum, cuius imaginem aspicimus, quæ est velut aliquid Dei, alioqui in se indigna est quælibet creatura, cui latriæ cultum deferatur.

Quamuis autem homo non sit publicè colendus, quia non est deputatus, vt nobis Deum referat, nec reuera deputandus ob idololatriæ periculum, attamen aliquis in particulari sibi posset aliquem proponere, quem velut imaginem Dei sibi adorandam constitueret, cui tamen illata iniuria sacrilega non esset simpliciter, vel semper, nisi quandiu quis hominem, vt imaginem Dei sibi latriâ colendam, in qua Deum læsum iri destinasset, pro vera imagine retineret; neque enim publica deputatio requiritur, vt priuatim aliquam imaginem Deum nobis referentem adoremus. Tunc verò mente secludendus esset omnis honor, qui debetur homini, vel quo dignus est, quatenus est homo animalibus cæterisque creaturis præcellens, & eatenus duntaxat respiciendus, quà est ei, & quà Deum, vt imago repræsentat, adeout hic motus animi colentis potiùs in prototypum, quàm in imaginem referendus sit.

Leontius. Synodus Septima. Omnes creaturas adorari posse. Psal. 98.

Hinc præterea concludendum est quālibet creaturam, quæ nobis Deum referre potest, posse à nobis vt Dei imaginem adorari; qua ratione Leontium contra Iudæos disputantem, & actione 4 Synodi Septimæ relatum interpretantur, cùm id, psalm. 98 explicans, *Adorate scabellum pedum eius*, inducit Iudæum hisce verbis loquentem. *Sed tamen non vt Deos, sed per illa eum, qui hæc fecit, adoras*; Christiani respondentis verba sequuntur.

Fidelis sermo, quamobrem scias & tu, quod & ego per cælum, terram, mare, ligna, lapides, reliquias, templa, crucem, Angelos, homines, per omnem denique creaturam visibilem, & inuisibilem omnium auctori Domino, & factori soli adorationem, & cultum exhibeam; non enim per se creatura authorem adorat, sed per me cœli enarrant gloriam Dei, per me Deum adorat luna, per me Deum glorificant astra; quod postmodum egregia similitudine docet; *Sicut Rege aliquo bonam coronam, pulchram, & speciosam suis manibus contexente, omnis qui bene erga Regem affecti sunt, eam amplectuntur, & coronam venerantur, non sanè aurum, aut margaritas venerantes, sed verticem Regis, & doctas illas manus, quæ coronam fecerunt, ita ô homo Christianorum populus quascunque crucis, & imaginum figuras amplectuntur, non ipsis lignis, aut lapidibus, vel auro, aut corruptibili imagini, aut capsulæ, aut reliquiis cultum præstant, verùm per hæc Deo omnium factori gloriam, venerationem, & cultum exhibent.*

Aliqui negant creaturas adorari posse.

Scio tamen aliquos esse, qui negent omnes creaturas adorari posse, quia putant minimè sufficere modum quemlibet coniunctionis creaturæ cum Deo, qualis est modus, quo Deus est in omnibus creaturis secundum præsentiam, & potentiam, & vt conseruans, atque principium, sed præterea volunt singulariter pertinere ad personam adorandam, adeout ei sit veluti personalis; qualia dicunt esse omnia singulariter deputata in Dei cultum, & obsequium vt templa, vasa, altaria &c. quæ personalia censentur. Sed in sensu non plurimùm inter se differunt, qui hoc negant, aut affirmant, imo facilè in concordiam redigi possunt; nam vbi quid, vt imago Dei, siue publicè, siue priuatim deputatum est, dummodo periculum omne idololatriæ, & diuini contemptus absit, adorationem licere iuxta ea, quæ superiùs exposita sunt, arbitror, quamuis nemo debeat hac adoratione vti, tum quia plurima incommoda, & pericula inde nasci possent, tum quia vix ita possumus abstrahere ab iis, quæ propria sunt homini, vt sola Dei imago, quæ est in eo nostrum conceptum, & actum voluntatis terminet, tum quia dedeceret hominem adorare, qui etiamnum peccatis subditus est, & qui fortè damnabitur, tum quia non desunt omnis generis imagines, quas adorare possimus: quapropter licet metaphysicè loquendo illa hominis, vt imaginis Dei adoratio ex se illicita minimè videatur, attamen vnusquisque cauere debet ne se huic periculo committat, & speculationem illam ad praxim redigat. Aduerte autem hanc opinionem de adoratione hominis, vt est imago Dei, me non aliter probare, quàm sancta Ecclesia Catholica probarit, quod semel dictum velim pro omnibus sententiis, quas propositurus sum.

Creaturas omnes esse Dei coronā

Exurgat anima Christiana, & præclaram illam omnium creaturarum coronam diuinis manibus perfectam admiretur, atque suspiciat, quot floribus varietur, quot gemmis interluceat, quot luminibus splendeat, quotue irradiet astris: hinc canimus, *benedices coronæ anni benignitatis tuæ*; quid enim est tempus, & motus, quid astra, quid omnes creaturæ? nunquid orbis ad instar coronæ factus, qui Dei maiestatem referat? orbis cuius terminus à Deo proficiscitur, & per diuersas circumferentiæ partes extensus, postquam circuitum perfecit, ad idem punctum, eundémque authorem, à quo manarat, redit. Iam superest, vt de nominibus imaginis agamus.

ARTICVLVS II.

DE NOMINIBVS IMAGINIS.

VAria sunt tam apud Græcos, quàm Hebræos nomina, quibus imago significatur, & quidē Græci vel εἰκόνας, vel ἀφιδρύματα, vel ἰνδάλματα vocant, sicut & repræsentationes eorum, quæ non sunt, cuiusmodi erant gentium simulachra εἴδωλα, vt cū ad Rom. 2. vers. 22. ait Apostolus, ὁ λέγων μὴ μοιχεύειν, μοιχεύεις, ὁ βδελυσσόμενος τὰ εἴδωλα, ἱεροσυλεῖς, *qui dicis non mœchandum, mœcharis? qui abominaris idola, sacrilegium facis*, vbi perperam vertunt hæretici Galli imagines pro idolis. (ad Rom. 2. Hæreticorum versio peruersa.)

Hebræi verò צלם *tselem*, & תמונה *temunah* dicūt imagines, sicut idola פסל *pesel*, & אליל *elil*, id est simulachrum, inane, spectrum, phantasma, ac si quis diceret אל אל *al el*, vel לא אל *lo el*, id est, non Deus vel esset diminutiuū אל *el*, deiculus forticulus, Tullius 1. de finib. vocat idola atomos, inane, imagines, quæ idola nominantur; dicitur idea in Hecuba Euripidis, vbi phantasticus Polydorus adducitur; in Theæteto ψευδῆ, καὶ εἴδωλα mendacia, & idola. (Tullius.)

Hebræi autem vocant imaginem תבנית *thacnith*, quod Græci dicunt εἰκών, Latini imaginem ab imitando, quasi imitaginem, ab in & agere, id est eum referre, cuius est effigies: vnde Oratores eam figuram εἰκόνα vocant, qua rem aliquam ad viuum exprimere videntur; hinc fit vt idolum referat id, quod non est, imago verò quod est; & εἰκονίζειν, & ἀπεικάζειν significat optimè, & rem sicut est, repræsentare. Maximè verò notari debet actio 5, & 7 Synodi 7 aduersus eos, qui nostras imagines idola vocant. (5, & 7 Synodus.)

Ἡμεῖς, inquit, τὰς σεπτὰς εἰκόνας ἀποδεχόμεθα. ἡμεῖς τὴν ἐπινοηθεῖσαν κενοφωνίαν τῶν χριστιανοκατηγόρων ἀναθεματίζομεν. ἡμεῖς τοὺς μὴ οὕτως ἔχοντας, τῷ ἀναθέματι καθυποβάλλομεν. τοῖς χριστιανοκατηγόροις, ἤτοι τοῖς εἰκονοκλάσταις, ἀνάθεμα. τοῖς λαμβάνουσι τὰς ῥήσεις τῆς θείας γραφῆς τὰς κατὰ τῶν εἰδώλων εἰς τὰς σεπτὰς εἰκόνας, ἀνάθεμα. τοῖς μὴ ἀσπαζομένοις τὰς ἁγίας καὶ σεπτὰς εἰκόνας, ἀνάθεμα. τοῖς ἀποκαλοῦσι τὰς ἱερὰς εἰκόνας εἴδωλα, ἀνάθεμα. i. *Nos venerabiles iconas salutamus. Nos superinductā nouitatē Christianos accusantiū anathematizamus. Nos eos, qui sic se nō habēt, anathemati submittimus. Christianos accusantibus, id est imagines confringentibus, anathema. His, qui assumunt dicta sanctæ Scripturæ, quæ sunt contra idola in venerabiles imagines, anathema. His, qui non salutant sanctas, ac venerabiles imagines, anathema. His qui appellant sacras imagines idola, anathema.*

Quod est valde Scripturis sacris conforme, quæ nunquam idoli nomen imaginibus tribuunt, sed tantùm Deorum falsorum simulachris, adde quòd asserāt Christum esse patris imaginem Sap. 7. Colos. 1. ad Hebr. 1. & 3. Reg. 7. Cherubini facti sunt à Salomone ad imaginem hominum, sicut & similitudines, & imagines leonum, boum, palmarū &c. factæ dicuntur, quas nunquā idola Scriptura nuncupat; è contra verò Deos falsos semper idola vocat, vt Leuit. 19, & 26 אלילים, vel אונים *aonim*, vt Numer. 23, aliâs verò און *auen*, & שקר *seker*, id est mendacium, vanum, & quod non est. Sed de his alias contra hæreticos, cùm de idolis agemus, & omnia nomina, quibus vtuntur Hebræi, tam vt imaginem, quàm vt idola significent, referemus. Hic autem Moses vtitur nomine צלם *tselem* quod imaginem, figuram, & metaphoricè vmbram, caliginem, tenebras, rem leuem, & fluxam significat; quod Targum aliquando pro sculptili & idolis sumit, vt Exod. 20 pro פסל *pesel*, Genes. 31 pro תרפים *hateraphim*: *A tselem* Selmon dicitur psal. 67, qui est mons prope Sichem vrbem ab arborum vmbra dictus, *niue dealbabuntur in Selmon*, semper enim niuibus albere dicitur. (Sap. 7. ad Colos. 1. ad Hebr. 1. 3 Reg. 7. — Leuit. 19, & 26 Num. 23. — Targum. Exod. 20. Genes. 31. Psal. 67. Selmon quid?)

VERSICVLVS. XXVIII.

Benedixitque illis Deus, & ait; Crescite, & multiplicamini, & replete terram, & subijcite eam, & dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli, & vniuersis animantibus, quæ mouentur super terram.

וַיְבָרֶךְ אֹתָם אֱלֹהִים וַיֹּאמֶר לָהֶם אֱלֹהִים פְּרוּ וּרְבוּ וּמִלְאוּ
אֶת־הָאָרֶץ וְכִבְשֻׁהָ וּרְדוּ בִּדְגַת הַיָּם וּבְעוֹף הַשָּׁמַיִם וּבְכָל־חַיָּה
הָרֹמֶשֶׂת עַל־הָאָרֶץ׃

Καὶ ηὐλόγησεν αὐτοὺς ὁ θεὸς, λέγων, αὐξάνεσθε, καὶ πληθύνεσθε, καὶ πληρώσατε τὴν γῆν, καὶ κατακυριεύσατε αὐτῆς. καὶ ἄρχετε τῶν ἰχθύων τῆς θαλάσσης, καὶ τῶν πετεινῶν τοῦ οὐρανοῦ, καὶ πάντων τῶν κτηνῶν, καὶ πάσης τῆς γῆς, καὶ πάντων τῶν ἑρπετῶν τῶν ἑρπόντων ἐπὶ τῆς γῆς.

PArum aut nihil versiones hîc discrepant. Chaldæum ita vertit Fagius. Fructificate, & multi estote, atq; replete terram, & fortes estote super eam, atque dominemini in piscos maris, & in auem cœlorum, atque in omne animal, quod mouetur super terram. Inter hanc autē benedictionē, & (Chaldæus Fagij.)

Nehemanides. & eam, quæ data fuit animantibus, distinguit Nehemanides, vt hæc pro bona precatione sumatur, qua Deus vltra vim procreadæ sobolis concessam, illis omnia læta, fausta, atque prospera precatus fuit: illic verò sumit benedictionem pro sola virtute prolem edendi concessa animalibus. Hæc etiam hominis benedictio ad propagationem familiarum, & cognationum pertinet, quæ ex vno primo parente deinceps per omnes terras ampliatæ sunt. Hebræi volunt hîc commune, & generale præceptum omnibus hominibus positum esse matrimonij contrahendi, atque prolificandi, vnde aiunt ei, qui non confirmat præceptum de procreandis liberis, non esse partem in futuro sæculo; quod si verum esset, maximè video nostris nouatoribus placiturum; at ipsos aliter sentientes habemus, quandoquidem Fagius ab illis id simpliciter dictum fuisse non credit, sed in scortatores, & cōtemptores status matrimonialis, de quibus etiā Scriptura 1 Cor. 6. ad Hebr. 13, & alibi asserit non habituros partem in futuro sæculo. Petrus Martyr fatetur eos non adstringi præcepto matrimonij quotquot aliquo peculiari impulsu diuini spiritus aguntur, vt in cælibatu magis expediti seruiant Euangelio, Mercerus autem ait illo non omnes teneri, sed eos qui cōtinere non possunt, additque; Atque hæc est coniugij institutio in paradiso, vt fides facta. Hebræi hoc volunt primū esse præceptum totius legis, ac pro præcepto accipiūt. Nos benedictionem tantū, & propagationē accipimus. At illi non ad primos tantū homines hoc præceptū pertinere putant, sed in vniuersum ad omnes. Alij, inter quos est R. Leui, specialiter hoc ad virū pertinere credunt, in quo sit principiū agens ad generādū, cùm in fœmina sit principium patiens, & per hominē stare possit, quominus illa fatū edat, si ille semen comprimat, aut in terram eijciat, sicut Onan Genes. 38. vers. 9. fecisse legimus, ne fratri semen suscitaret. Sed nos generale putamus esse ad vtrūque, vt quisquis, quod in se est, faciat ad prolem suscipiendam, qui coniugij finis est. Verùm postea demonstrabimus nullum iam in particulari consideratum hocce præcepto teneri, quicquid hæretici confingant. Sequitur postea; *Et subijcite eam* וְכִבְשֻׁהָ *vechibsua*, seu aratro subigite, vt quicquid volueritis producat, vbi R. Salomon notat *vechibsua* mancum esse, vt indicetur viri esse fœminam subiicere, ne sit, inquit יצאנית, id est prona ad exeundum, & euagandum.

Margin: Fagius. — 1. ad Cor. 6. ad Hebr. 13 — Petrus Martyr. — Mercerus. — R. Leui. — Gen. 38. — R. Salomon.

At sæpius aliâs Kibbuth pro scurek ponitur. Et dominamini ורדו vrdu plenam potestatem, ius, dominium, ac authoritatem denotat, qualis est domini in seruum, vt suo arbitratu bestiis vti possint homines, à radice רדה *rada*, quæ significat non tantùm dominari, sed etiam *decurrit, delapsus est, descendit, castigauit*: vnde R. Salomon vtrumque in in illo verbo putat inclusum, & dominandi, & descendendi sensum pro varietate punctorum, vt ירדו per tsere sub iod, *descendant*, per chirik verò, *dominentur* significet, vt denotetur homines, si Deo paruerint, fore vt animantes sibi subijciant, quantumuis feroces: sin ipsi rebelles fuerint, ne iumenta quidem sibi subiecturos, sed viles apud illa, atque demissos fore. Et quidem mirum est, si pisces Adæ voci obedirent, cùm nunc ne quidem vmbra dominij istius nobis superesse videatur, nisi fortè prout eos homo, retibus, & aliis artificiis capere, atque iis in alimentum vti possumus: piscis autem Hebræis דג *dag* appellatur à דגה multiplicatus est, cùm præ cæteris animantibus ob seminis copiam multiplicētur, at quia hîc sumitur collectiuè, dicitur דגת *dagat* ה, vt sæpius assolet, in ת conuerso. Targū vertit בנוני *benoune* in piscibus. חיה *caia* verò hoc in loco pro omni animante terrestri sumitur. Plura verò hîc inquiri possunt, vt quale fuerit dominium illud hominis; & an vi horum verborum homines ad generationem exercendam obligentur; an intelligantur homines à belluis, necne &c.

Margin: R. Salomon. — Targum.

Verùm de belluis dicemus postea, quando de serpente tentatore agemus, de hominis in belluas dominio, & de cognitione, ac appellatione, quibus animalia vocauit, alibi etiam loquendum est; itaque superest hîc quæstio de multiplicatione.

QVÆSTIO XVII.

AN EA DEI VERBA CRESCITE, ET MVLTIPLICATE, *fuerint præceptum, aut consilium duntaxat, & an omnes obliget vel quos, & sub qua pœna.*

HAnc quæstionem eapropter excito, quod ea verba iactent hæretici, & eorum virtute suadere cōnētur Monachos, Religiososque, nec non Moniales, & Sacerdotes à suis votis castitatis eximi, vt matrimonio contracto pueros deinceps ad vtilitatem Reipublicæ, fidelesque magis, ac magis multiplicandos liberè, tutóque propagent; ita enim Lutherus à claustris plurimos euocauit, postquam ipse virtuti castitatis, sobrietati, veræque religioni nuntium remisit. Itaq; non hîc inquiro, an Deo gratior sit castitas, quàm matrimonium: an cœlibatus iure naturæ, vel positiuo, sacerdotio coniunctus sit: an sit sacrilegium, si quis votum castitatis infringat: nec alia multa, quæ fusè Theologi discutiunt prima 1, sed quis illis Dei verbis obligetur?

Margin: Lutherus. — Variæ difficultates ad Theologos reiiciuntur.

Imprimis vero videtur obligatus fuisse Adamus, vt cum Eua prolem gigneret, Deus enim totum orbem ab hominibus repleri volebat: deinde primus parens cùm esset, non tantùm sui, sed & speciei curam habere debuit, ne periret humana natura. Tertiò ad istam generationē omnia prouocant, etiam inanimata; sic enim ignis suam speciem propagat, dū ligni formam destruit, vt suā introducat; sic omnia, quantum possunt sibi similia procreant. Deniq; ad id homines obligati videntur,

ad quod tam feruenti desiderio procliues feruntur, at nihil est, ad quod ardentiùs naturalis appetitus propendeat, quam ad generationẽ, quæ propterea naturalissimum opus ab Aristotele nuncupatur. Adde quod alioquin frustra Deus generationis instrumenta homini tribuisse videretur, nisi generationis opus exerceretur. Omitto quod sit melius, & nobilius generare, quàm non generare, ad meliora verò homines teneantur; quod steriles in Scriptura, veluti maledictæ censeantur, quod qui generant, sint causa, cur Deus à pluribus collaudetur tam in via, quàm in patria. Veruntamen certum est non omnibus præceptum illud esse, vt filios procreent, sed ad summum primis parentibus, & iis, sine quibus humanum genus minimè propagari potest. Enimuero certum est ideo mulierem procreatam fuisse, vt genus humanum propagaretur, adeout nonnulli existimarint eam non fore necessariam, si aliquod indiuiduum, videlicet aliquis homo futurus esset immortalis; cui fauere videtur D. Chrysost. lib. de Virgin. cùm ait in statu innocentiæ, si perdurasset, maris, & fœminæ coniunctionem ad generationem prolis non futuram, adeout cap. 17 putet illud, *crescite, & multiplicamini*, non ad naturæ institutionem, & statum innocentiæ, sed in remedium concupiscentiæ dictum fuisse, cui Damasc. 2. & 4. de fide Orthod. suffragatur. At D. August. tametsi non longè ab ea sententia visus sit aliquando discessisse, vt lib. 1. de Genes. contra Manich. cap. 19, attamen 14 de Ciuit. cap. 22. ostendit apertè, illud *crescite, & multiplicamini, & dominamini*, &c. non de spiritu, qui imperat, & carne, quæ obtemperat; aut de animo rationali, qui regit, & irrationali cupiditate, quæ regitur, aut de virtute contemplatiua, quæ excellit, & de actiua, quæ subditur, aut de intellectu mentis, & sensu corporis, sed apertè de vinculo coniugali, quo inuicem sibi vterque sexus obstringitur vbi cõcludit; *certum est igitur masculum, & fœminam ita primitus institutos*, vt nunc homines duos diuersi sexus videmus, & nouimus.

Arist.

Non omnes teneri ad generationem.

Chrysost.

Damascen. August.

Explicationes variæ D. Aug.

Vt verò libens aperiam quid hac materia censeam, præter ea quæ D. Thom. 2. 2. quæst. 152. art. 2. & Scot. in 4. d. 26 nempe præceptum hoc non obligare singulos, sed quosdam tantum, qui speciei prouideant, vel non ad semper, sed tempore necessitatis, verbi gratia, si vel peste, vel bello penè omnes homines delerentur.

D. Thom.

1 Cõclusio. Dico primò ex vi illorum verborum præcisè non inferri præceptum, tum quia, iisdem verbis pisces, & aues compellauit, tum quia, quæ postea sequuntur, *replete terram, subijcite eam, dominamini piscibus maris*, &c. non fuerunt præcepta, sed benedictiones, & priuilegia, quæ Deus eis paterno affectu conferebat, tum etiam quia hoc præceptum adhuc obligare videretur, siquidem nullibi legimus illud abrogatum fuisse.

2 Cõclusio. Dico secundò non esse certum, an illa verba, saltem Adamum, & Euam obligarint; vnde enim habes aliquos homines obligari ad speciem conseruandam, vel propagandam, nisi quatenus tenetur quispiam sibi mortem non ferre? An quia semen tantùm ad illum datum fuit? at in iis, qui castitatis donum habent, semen reperitur.

An quia dempta generatione, non replentur sedes angelorum, qui ceciderunt, nec completur numerus prædestinatorum? At Deus nos ad illum numerum adimplendum non obligat; & cœlibes, quos etiam hæretici probãt, quique *Virgines sunt, & sequuntur agnum, quocunque ierit*, eodem præcepto teneri viderentur, cùm in dubiũ reuocare possint, an fortè causa futuri sint, quominus ille numerus perficiatur. An quia steriles maledicuntur in lege? At illud in typũ futurorũ cõtingebat, nec illa maledictio feriebat animã: neque iã steriles maledictas existimamus. An quia scimus Deum præparasse gloriam multis electis? At sicut nulli Deus imperauit, vt damnatos generaret, ita nec beatos; & qui decreuit tot homines ad gloriam euehere, scit modos, quibus id fieri debeat: Quæ tamen non ita definio, quin contrariam sententiam sequi malim, si is cuius est Catholicorũ Theologorũ sententias perpendere, atque diiudicare, eam veriorẽ esse iudicauerit, & amplecti præceperit. Quam etiã admodum probabilem iudico, tum quia probabile est Adamum Dei intentionem cognouisse, qui mundum per Adamum propagari volebat; tum quia D. Cyprianus lib. de disciplina, & habitu Virginum circa finem, huic sententiæ fauet his verbis, *Prima sententia crescere, & generare precepit; secunda continentiam suasit.* Ex dictis verò pro nostris hominibus.

Dico tertiò neminem præcepto diuino positiuo teneri, vt ducat mulierem, eique sese coniugat, tametsi debeat ei in iis quæ matrimonio cõueniunt, obsequi, si quando contraxerit, saltem post spatium temporis à Tridentino concessum, vt vitam cœlibem eligere valeat, quapropter vir aliquo religionis voto astrictus, imo qui nullum emisisset, sed liberrimus, vt vel matrimonium contraheret, vel non cõtraheret, tametsi omnes homines diem vltimum, vel naturali morte, vel peste, bello, aut simili modo obiisse cerneret, solusque cum aliqua muliere siue voto astricta, siue libera superesset, non teneretur eam in vxorem ducere, nec generationi vacare; tametsi contraria sententia sua probabilitate, suisque rationibus non careat. 3 Cõclusio.

Ex quibus apparet, quàm futilis sit illa quorundam nebulonum obiectio, qui viris religiosis obtrudunt finem mundi, & speciei futurum interitum, si omnes sese curis sæcularibus, & matrimonio expedire voluerint: Viderint illi ne fures, è mundo Phœbum auferant, & omnem ignem extinguant: viderint ne tot homines è mari hauriant, vt arida succedat. Vtinam finis mundi contigisset, omnesque beatitudine tamdiu concupita frueremur, in qua nullæ ampliùs nuptiæ, nullique nubent, aut nubentur, in qua genus omne bonorum concludit immensitatis æternitas, & æternitatis immensitas.

VERSICVLVS XXIX.

VERSICVLVS XXIX.

Dixitque Deus: Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & vniuersa ligna quæ habent in semetipsis sementem generis sui, vt sint vobis in escam.

XXX. Et cunctis animantibus terræ, omníque volucri cæli, & vniuersis quæ mouentur in terra, & in quibus est anima viuens, vt habeant ad vescendum. Et factum est ita.

XXXI. Viditque Deus cuncta quæ fecerat; & erant valde bona. Et factum est vespere, & mane dies sextus.

וַיֹּאמֶר אֱלֹהִים הִנֵּה נָתַתִּי לָכֶם אֶת־כָּל־עֵשֶׂב זֹרֵעַ זֶרַע אֲשֶׁר עַל־פְּנֵי 29
כָל־הָאָרֶץ וְאֶת־כָּל־הָעֵץ אֲשֶׁר־בּוֹ פְרִי־עֵץ זֹרֵעַ זָרַע לָכֶם
יִהְיֶה לְאָכְלָה׃

וּלְכָל־חַיַּת הָאָרֶץ וּלְכָל־עוֹף הַשָּׁמַיִם וּלְכֹל רוֹמֵשׂ עַל־הָאָרֶץ 30.
אֲשֶׁר־בּוֹ נֶפֶשׁ חַיָּה אֶת־כָּל־יֶרֶק עֵשֶׂב לְאָכְלָה וַיְהִי־כֵן׃

וַיַּרְא אֱלֹהִים אֶת־כָּל־אֲשֶׁר עָשָׂה וְהִנֵּה־טוֹב מְאֹד וַיְהִי־עֶרֶב 31.
וַיְהִי־בֹקֶר יוֹם הַשִּׁשִּׁי׃

XXIX. Καὶ εἶπεν ὁ θεός, ἰδοὺ δέδωκα ὑμῖν πάντα χόρτον σπόριμον σπεῖρον σπέρμα, ὅ ἐστιν ἐπάνω τῆς γῆς. καὶ πᾶν ξύλον, ὃ ἔχει ἐν ἑαυτῷ καρπὸν σπέρματος σπορίμου, ὑμῖν ἔσται εἰς βρῶσιν.

XXX. Καὶ πᾶσι τοῖς θηρίοις τῆς γῆς, καὶ πᾶσι τοῖς πετεινοῖς τοῦ οὐρανοῦ, καὶ παντὶ ἑρπετῷ ἕρποντι ἐπὶ τῆς γῆς· ὃ ἔχει ἐν ἑαυτῷ ψυχὴν ζωῆς, καὶ πάντα χόρτον χλωρὸν εἰς βρῶσιν· καὶ ἐγένετο οὕτως.

XXXI. Καὶ εἶδεν ὁ θεὸς τὰ πάντα ὅσα ἐποίησεν· καὶ ἰδοὺ καλὰ λίαν· καὶ ἐγένετο ἑσπέρα, καὶ ἐγένετο πρωΐ, ἡμέρα ἕκτη.

IN his tribus vltimis primi capitis versiculis interpretes satis inter se conueniunt. Vbi notandum est in 29. vers. poni vltimum ex 10. ויאמר *vaiomer*, itaque hic est vltimus Dei sermo ex iis, quæ in opere creationis protulit; præcedens benedictio ad humanam speciem conseruandam pertinebat, vbi sequens ad indiuidui conseruationem, quæ cibo fit, refertur. Ex ijs autem aliqui concludunt non fuisse concessum hominibus ante diluuium, vt carnibus vescerentur, quandoquidem herbæ suo natiuo succo nondum imminuto sufficiens alimentum tam homini, quàm animalibus suggerere poterāt, quod an verum sit, necne, discutiemus alibi. Hebræi dicunt duo herbarum genera hominibus concessa ex ijs, quæ die tertio creata sunt, videlicet herbam seminiferam, & fructus arborum, vt horum semen, homo mentis, atque prouidentiæ capax speciei causa conseruaret; aliud verò genus, nempe herbas sponte nascentes, quæ דשא vocantur, animalibus esse tributum: & quidē in his tribus versiculis nullam difficultatem nouam video; Tandem concludit omnia Deum vidisse, quæcunque priùs fecerat, & ea valde bona indicasse; quis enim totum hoc vniuersum cum tanta, tamque admirabili partium symmetria videre potest qui non statim illius opificem Deum Opt. Max. suspiciat,

atque veneretur? Baal Haturim tetragrammaton יהוה colligit ex duabus vltimis dictionibus huius capitis,& duabus primis sequẽtis initialibus,quasi Deus suo nomine totum hoc opus compleuerit creationis, & obsignauerit, vt & in Psal. 96 ex sequentium verborum ישמחו השמים ותגל הארץ literis primis colligunt idem tetragrammaton, sed hæc fundamento carent, vt ostendemus quæstione de vi nominum aduersus Cabalistas; Alij sunt, qui velint animalia terrestria sub vesperam diei sextæ creata esse, hominem verò initio diei septimæ; alij verò ipsum hominem sub diei sextæ finem esse conditum asserunt: sed quicquid aduersus textum sacrum dicitur, nugarum instar existimandum est.

B Haturim.

Mecum obsecro lector beneuole admirabilem Dei Sapientiam, bonitatem, & potentiam demirare, qui omnia, quæ in mundo sunt, homini præparauit, volens vt recens creatus nulla re careret, quæ ad vitam, atque adeò ad bene viuendum conferant, quorum alterum præstat copia, vbertásque rerum ad fruendum paratarum; alterum contemplatio cœlestium, qua quidem perculsa mens, amorem, ac desiderium scientiæ rerum istarum concipit: vnde prognata est philosophia, *per quã homo quamuis mortalis,* inquit Philo l. de opificio mundi, *ἀπαθανατίζεται immortalitatem adipiscitur*, quod de sola Catholica, & Christiana fide, seu philosophia verum est, qua credimus aptata esse sęcula verbo Dei, & cætera quæ sacræ litteræ docent.

Philo.

Quemadmodum igitur conuiuatores non priùs ad cœnam vocant, quã instructo bene conuiuio; & qui edunt ludos, aut athletarum spectacula, priusquam spectatores vocati conueniant in theatra, vel stadia, parant copiam concertatorum, earúmque rerum, quæ ad oculos, aurésue oblectandas pertinent, ita etiam mundi totius imperator, veluti conuiuator, ludorúmue præfectus *ἀθλοθέτης, καὶ ἑστιάτωρ* vocaturus hominem ad conuiuium simul & spectaculum, quicquid ad vtrúmque pertinebat præparauit, vt ille in mundum ingressus, mox conueniret & conuiuium, & theatrum sacratissimum: alterum refertum copiis, quas terra, fluuij, mare, aër suppeditant ad vsum simul, & voluptatem; alterum spectaculis, quorum tum essentia, tum qualitates stupendæ sint, nec non motus, choreæque admiratione dignissimæ, propter ordinem conuenientissimum, numerum proportione aptissimum, cursus, recursúsque mirè concinnos; in quibus omnibus veram illam, & exemplarem Musicam inesse non falsò quis dixerit, quam postea homines animis suis impressam prodiderunt, arte inquit Philo, *ἀγαλματοποιήσαντες τὸν βίον*.

Quare homo omnibus præpositus fuerit, 1 Causa.

Hæc est prima causa, ob quam homo rebus omnibus præpositus esse videtur: secunda est, vt statim atque natus est, paratum inueniret quicquid ad vitam opus erat, vt futura disceret, tantum non disertè clamante natura fore, vt si autorem sui generis imitaretur, vitam sine dolore, & sine labore in vberrimis copiis degeret; id ita futurum, si nec voluptates rationi contrariæ dominationem in anima occupauerint, nec gloriæ, honorum, pecuniarum cupiditates in vita sibi potentiam vsurpa-

2.

rint, nec mœrores mentem depressam, curuatamque sibi subdiderint, nec timor malus consultor præclaros ad virtutem impetus repressserit, nec imprudentia, timiditas, iniustitia, cæterorúmque vitiorum turba ingruerit.

Tertia causa est, quia principium, & finem Deus inter se coaptare voluit, vt res necessitudine coniunctas, & amicitia; ideóque principium fecit cœlum, finem verò hominem, illud *τῶν ἀιδίων ἀφθάρτων τελειότατον*, illum autem *τῶν γενητῶν, καὶ φθαρτῶν ἄριστον, βραχὺν*; si vera discenda sunt, *οὐρανὸν*, quandoquidem non minus hominem virtutum, scientiarúmque cohors, quàm astra cœlum ornare videntur. 3.

Quarta causa etiam reddi solet à quibusdam: necesse erat omnium rerum creatarum postremum produci hominem, vt nouissimus repente inter alias animantes existens terrorem eis incuteret: sic enim futurum erat, vt ad primum eius conspectum obstupefactæ, illum tanquam rectorem à natura datum, & dominum agnoscerent. Quapropter eo viso omnes cicuratæ sunt, & vel ferocissimæ primo statim intuitu mansuescebãt, rabiem, qua in se inuicem efferabantur, erga solum hominem mitigantes: quamobrẽ opifex eius, & pater animal hoc naturaliter ratione præditum non re solùm, sed & verborum authoritate Regem constituit omnium sub Luna terrestrium, aquatilium, volucrium; quicquid enim est mortale in his tribus elementis terra, aqua, aëre, totum ei subiecit, cœlestia tantùm excipiens, vt diuiniorem partem sortita. Huius autem regni fides apparet euidentissimè, dum pecorũ multitudo maxima ducitur à vulgari quopiam homine, nec armis instructo, nec ferro accincto, nec vllum telum gestante, sed masturcam tantùm habente pro velamine, & baculum, quo ea dirigat, & inter viam lassitudine tentatus subnitatur. Denique postremum Deus creauit hominem, vt instar aurigæ, gubernatorisque in extrema parte puppis consistentis, quicquid terra continetur, regeret, atque velut quidam subpræfectus illius summi, primariique Regis gubernaret. 4.

5.

Postremus creaturarum omnium homo, inquit D. Ambr. l. 6. epist. 38 *specie gratus, mente sublimis, vt omni esset creaturæ miraculo: in quo ad similitudinem Dei iũc esset inuisibilis, humana specie amictus. In omnibus rebus præstantiora sunt principia, & finis: si domum consideres, potiora omnibus fundamenta, & culmina: si agrum, satio, & messis, plantatio & vindemia. Ita ergo & cœlum est primò conditum, nouissimus homo quasi quædam cœlestis in terris creatura: quomodo non cœlestis, qui ad imaginem, & similitudinem factus est Dei? Rectè ergo in constitutione mundi primum cœlũ, in quo, quod vltra cœlum est, Deus cœli est. Sed neque cœlum conferri valet, quandoquidem cœlum de mundo, homo supra mundum, illud enim mundi portio, iste paradisi incola, Christi possessio. Cœlum incorruptibile putatur, & præterit: homo corruptibilis habetur, & incorruptionem induit. Illius figura perit, iste quasi immortalis resurgit, & vt cœlum stellatum fulget splendoribus, ita & homines meritorum luminibus micant, quorum opera coram patre suo lucent, qui in cœlis est.* Legãt omnes velim D. Ambrosij epistolam, est enim elegantissima: Nonnullæ verò difficultates hîc occurrunt, vt an omnes herbæ semen habeant, an sine semine à sola terra, saltem iuuante sole, produci possint: an omnes, hominis conducant alimento, & similes, quas breuiter soluendas aggredior.

Ambros.

Cœli cum homine collatio.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XVIII.

AN OMNES PLANTÆ POSSINT HOMINEM alere, & an semen habeant?

POssumus omnes herbas, & arbores pro diuersis temporibus, & locis spectare: nam tritum est, malum Persicam, quæ in Perside lethalis esse creditur, in Italiam translatam salutarem esse, quod & in Gallia passim experimur, in qua non ita cicutam esse periculosam existimo, ac in Græcia; quod in multis plantis commune est, quę vel bonitatem, vel malitiam innatam pro diuerso cœlo mutant.

Quod ad tempus attinet, non desunt, qui putent nullas herbas veneno intinctas fuisse, antequam Adamus peccaret, sicut nec rosas cum spinis genitas: verùm cùm alia sententia non paucis videatur probabilior, existimo plantas etiamab initio venenosas fuisse respectu hominis, qui harum esu lædi potuisset, nisi vel quãtitas minima fuisset, vel effectus ille nociuus à fructu arboris vitæ vel aliquo alio modo temperaretur, vel præuerteretur, si quando herbas illas comedisset.

Plantas deleterias initio creatas fuisse.

Quod autem illæ plantæ futuræ essent in innocentiæ statu ex eo colligitur, quòd illæ plantæ homini contrariæ, sint multis animantibus congruæ, vt quod vni veneno foret, alteri sit alimento: adde quòd ex iis plantis vniuersi natura perficitur, & Dei prouidentia maiori stupore digna videtur, quòd omnia ita temperauit, atque coniunxit, vt vnum alteri⁹ comparatione nescio quid noui splendoris accipiat. Fateor tamen posse fieri, vt herbis venenosis quis enutriatur: sic enim quosdam legimus perire non potuisse veneno, quod huic iampridem assuefecissent, illudque per modum alimẽti sibi familiare reddidissent, hinc fit, vt consuetudo natura altera esse censeatur. Nolim hîc cicutam, hyoscyamum, napellum, & alias plantas victui ineptas, & venenosas referre; id enim fusè præstiterunt, qui de plantis agunt ex professo, quos iam superiùs attuli.

Breuiter etiam 2 pars quæstionis soluetur, quandoquidem omnes plantæ vel semen habent actu, vel potestate; actu vt cùm reuera semen apparet, quod in portulaca, atriplici, angelica & cæteris videre est: potestate, vt cùm beneficio radicis, vel trunci, vel folij, aut alicuius alterius rei ad plantam spectantis, illa potest transferri, plantari, atque propagari.

Et hac ratione vix puto vnam, aut alteram herbam esse sine semine, alioqui propagari nequiret, eiusque species periret. In quo mira Dei bonitas, & prouidentia satis conspicua est, qui noluit indiuidua creare, nisi qui dederat esse, simul & ea, quæ ad bene esse pertinent, largiretur: hinc vnicuiq; rei viuenti vim sese conseruandi, & insuper vim producendi sibi simile contulit. Nolo hîc de sexu arborum disceptare, videãtur Medici, & Philosophi; quanquam satis clarum est, & vnicuique peruium in herbis alias esse fœmineas, alias verò masculas, quod tamen non ita in omnibus obseruaueris. At de primo capite hactenus.



CAPVT SECVNDVM.

1. IGitur perfecti sunt cæli & terra, & omnis ornatus eorum.

2. Compleuítque Deus die septimo opus suũ quod fecerat: & requieuit die septimo ab vniuerso opere quod patrarat.

3. Et benedixit diei septimo; & sanctificauit illum: quia in ipso cessauerat ab omni opere suo quod creauit Deus vt faceret.

4. Istæ sunt generationes cæli & terræ, quando creata sunt, in die quo fecit Dominus Deus cœlum & terram.

5. Et omne virgultum agri antequam oriretur in terra, omnémque herbam regionis priusquam germinaret: non enim pluerat Dominus Deus super terram, & homo non erat qui operaretur terram.

6. Sed fons ascendebat è terra, irrigans vniuersam superficiem terræ.

7. Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem.

8. Plantauerat autem Dominus Deus Paradisum voluptatis à principio: in quo posuit hominem quem formauerat.

9. Produxítque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suaue: lignum etiam vitæ in medio paradisi, lignúmque scientiæ boni & mali.

10. Et fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, qui inde diuiditur in quattuor capita.

11. Nomen vni Phison: ipse est qui circuit omnem terram Heuilath, vbi nascitur aurum.

12. Et aurum terræ illius optimum est: ibi inuenitur bdellium, & lapis onychinus.

13. Et nomen fluuij secundi Gehon: ipse est qui circumit omnem terram Æthiopiæ.

14. Nomen verò fluminis tertij, Tygris: ipse vadit contra Assyrios. Fluuius autem quartus, ipse est Euphrates.

15. Tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis, vt operaretur & custodiret illum.

16. Præcepítque ei dicens: Ex omni ligno paradisi comede.

17. De ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas: in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.

18. Dixit quoque Dominus Deus: Non est bonum esse hominem solum: faciamus ei adiutorium simile sibi.

19. Formatis igitur, Dominus Deus, de humo cunctis animantibus terræ, & vniuersis volatilibus cæli, adduxit ea ad Adam, vt videret quid vocaret ea: omne enim quod vocauit Adam animæ viuentis, ipsum est nomen eius

20. Appellauítque Adam nominibus suis cuncta animantia, & vniuersa volatilia cæli, & omnes bestias terræ: Adæ verò non inueniebatur adiutor similis eius.

21. Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam: cúmque obdormisset, tulit vnam de costis eius, & repleuit carnem pro ea.

22. Et ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem: & adduxit eam ad Adam.

23. Dixítque Adam: Hoc nunc, os ex

ossibus

ossibus meis, & caro de carne mea: hæc vocabitur Virago, quoniam de viro sumpta est.
24. *Quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit vxori sua: & erunt duo in carne vna.*
25. *Erat autem vterque nudus, Adam scilicet & vxor eius: & non erubescebant.*

VERSICVLVS I.

Igitur perfecti sunt cæli, & terra, & omnis ornatus eorum.

וַיְכֻלּוּ הַשָּׁמַיִם וְהָאָרֶץ וְכָל־צְבָאָם׃

Καὶ συνετελέσθησαν ὁ οὐρανὸς, καὶ ἡ γῆ, καὶ πᾶς ὁ κόσμος αὐτῶν.

HOmine creato, qui fuit operum Dei colophon, cuius perfectiones ad c. 5. versic. 1 describemus, hoc capite Moses superiorum epilogum, & anacephalæosim affert, antequam ad diem septimum transeat, in quo Deus quieuisse dicitur. Sedulò tamen aduertendum est post diem sextum nihil deinceps ex opere illo primo creationis conditum fuisse, quãdoquidem vnicuique rei iuxta leges sibi præscriptas Deus omnia facienda permisit: hinc fit, vt productio mulieris, & matrimoniũ, quod veluti postea factum fuisse describit in hoc capite Moses, die sexta, qua etiam creatus fuit Adam, transacta fuerint, quæ tamen in hoc caput reiecit, vt breuiùs totam mundi historiam oculis subiiceret; tametsi enim cœli tantùm, & terræ meminerit, cætera, quæ sunt intermedia, atque mixta, intelligenda sunt; aër enim cum cœlis annumerandus est, cùm ipsi videantur aërei, vt antea celebri quæstione demonstrauimus: aqua verò sub terra comprehenditur, quòd hæc duo inquit Aben Ezra sint velut אגודה אחד fasciculus vnus; igitur cælos, & terram, & omnia, quæ in eis sunt, perfecta vides, adeout nullum ornamentum eis desit: vnde 70, καὶ πᾶς ὁ κόσμος αὐτῶν, & omnis ornatus צבאם à צָבָא militiam, & exercitum significat, si quidem stellæ in cœlis positę sunt, quasi milites in statione, vt ad imperium Dei præsto sint, eique militent: quapropter Moses noster mihi pręco esse videtur, qui attentionem nostram excitat, vt sciamus nos ad conspiciendam Dei gloriam in hoc theatro esse collocatos, neque vt testes modò, sed etiam vt diuitiis omnibus, quæ hîc sunt expositæ, fruamur, sicuti eas Deus vsibus nostris subiecit, atque destinauit, vt quò magis illi obstricti essemus, nos totos in eius obsequium addiceremus, ac dicaremus.

Quid sit mundus? Est ergo mundus iste palatium amplissimum numeris omnibus absolutum, & domus admirabilis sua suppellectile bene instructa: est exercitus, in quo milites propemodum infiniti stato ordine Deo suo deseruiunt, mouentur, oriuntur, occidunt, & contra insensatos in die iudicij, in inferno, vbique, cùm Deus ita voluerit, armabuntur.

Quis obsecro poterit corporis simul, atque mẽtis oculis tantam rerum omnium pulchritudinem, ex quibus vniuersa mundi series coalescit, aspicere, qui non statim exclamet: *quam magnificata sunt opera tua domine virtutum.*

Hæc autem Philo 1 alleg. allegoricè explicat. Rectè quidem mentem, cœlum, quoniam intelligibiles in eo sunt naturæ, vocat: sensum verò terram, quia constitutionem corpori similem, & fermè terrenam sensus sortitus est. Ornant autem mentem quidem intelligibilia incorporeáque omnia: sensum verò corporea, & quæcunque sensibilia. Caietanus optimè notauit omnes creaturas exercitum appellari, quia omnia terrestria, aquatilia, volatilia, & cætera vsque ad hominem inclusiuè sunt gradatim ordinata inter se ad similitudinẽ exercituum: astra namque in cœlis exercitum constituunt: aues in aëre, agmen suum faciunt; pisces exercitum aquarum, & similiter herbę, virgulta, & arbores exercitum vegetabilium terræ; denique animalia terrestria constituunt alium exercitum terræ. Philo. Caiet.

Vbi admirabilem rerum creatarum, mundique pulchritudinem, atque præstantiam admiror ex omnium rerum varietate, ordine, vniuersitate, connexione, antipathia, & sympathia, optima totius mũdi administratione, ex obsequio, quod omnia præstant homini, ex eo quòd mala ordinentur in bonum, & ex aliis capitibus, quę fusiùs prosequi potes, ex quibus profectò accuratè perspectis etiam Athei fateantur, necesse est, aliquem esse autorem, qui potentissimè omnia ex nihilo fecerit, sapientissimè pulchra, & benignissimè vtilia, qui ingratissimos quosque multitudine, & magnitudine beneficiorum obruere possit, vt 3 serm. de Pentec. D. Bern. annotat: hinc fit, vt magnus ille Antonius Philosopho percontanti responderit se pro libro naturam rerum à Deo conditarum habere, vt refert Socrat. 4 hist. cap. 18: hinc etiam D. August. sentent. 140 mundum esse ait quasi pulcherrimum carmen, quod pulcherrimis quibusdam antithetis honestetur: qui & in ciuit. Dei totum hoc vniuersum quibusdam inter se antithetis, & contrapositis constare satis ostendit, dum illud orationi præclaræ ab oratore confectæ comparat; & quidem optimè mundum orationem, atque concionem omni ex parte admirabilem dixeris, cùm nulla sit creatura quanquam exilis, quæ non altùm intonet diuinam bonitatem, Deique maiestatem, atque potentiam celebret, & ad eius laudes hominem prouocet. S. Bernard. Antonius. Socrates. D August.

VERSICVLVS II.

Compleuitque Deus die septimo opus suum, quod fecerat, & requieuit die septimo ab vniuerso opere, quod patrarat.

וַיְכַל אֱלֹהִים בַּיּוֹם הַשְּׁבִיעִי מְלַאכְתּוֹ אֲשֶׁר עָשָׂה וַיִּשְׁבֹּת בַּיּוֹם הַשְּׁבִיעִי מִכָּל־מְלַאכְתּוֹ אֲשֶׁר עָשָׂה׃

Καὶ συνετελέσθησαν ὁ θεὸς ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ ἕκτῃ τὰ ἔργα αὐτοῦ, ἃ ἐποίησε· καὶ κατέπαυσεν ὁ θεὸς ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ ἑβδόμῃ ἀπὸ πάντων ἔργων αὐτοῦ, ὧν ἐποίησε.

70 DIscrepant in dierum numero ab Hebræo; dicunt enim Deum *sexto die* requieuisse in Hebræo, & vulgata, *septimo*: quod in causa fuit, cur hæretici Drusius, Amama, Mercerus, & eorum sectatores vulgatam reprehendant, quæ ait die septimo completã fuisse rerum omnium creationẽ. Vt autẽ locum hunc explicent Hebræi, lapidẽ omnem mouẽt: vnde R. Isaac Caro, & R. Salomõ post Beresc it rabba, volunt Deum in ipso nunc, idest in instanti, & puncto finis diei sexti opus creationis absoluisse, vel vt refert Fagius in ipso momento, quo sabbathum intrauit, soli nempe Deo momenta temporis nota esse, secus verò homini, cui ob id de prophano ad sacrum addere necesse est, vnde & Iudæi adhuc hodie sabbatum tempestiuiùs auspicantur, & tardiùs desinunt: momentum autem illud filum pili חוט השערה vocant; ita timent ne fortè quidpiam de sabbatho ad diem prophanum adiiciant, vt de prophano ad diem sacrum malint addere. Ideo verò Iudæi se torquent, ne tandem cogantur fateri die 7 Deum operatum fuisse: de quibus D. Hieron. in quæst. Hebraic. ait *Arctabimus igitur Iudæos, qui de otio sabbati gloriantur, quòd iam tunc in principio sabbatum dissolutum sit, cùm Deus in eo sua opera compleuerit, eique propterea benedixerit, quod in eo omnia compleuit.* Alij volunt teste Aben Ezra diem septimum à Deo creatum fuisse, & postea quieuisse, quibus suffragatur Iunilius; Compleuit ergo die septimo opus suum, quod fecerat, quia dierum, quos fecerat, summam in eo terminauit, addito septimo, quem sabbathũ esse voluit, sed impropriè dies creati dicuntur, quia naturali necessitate dies reuoluuntur, vbi cælos habes, qui cum astris suis quotidie reuoluuntur. Potest autem & rectè accipi compleuisse die septimo Deum opus suum quod fecerat, etiam in eo, quòd ipsum diem benedixit, & sanctificauit; quandoquidem benedictio est aliquod opus; neque enim Salomon nil operis fecisse dicendus est, cùm templũ, quod fecerat dedicauit, in eo eximium Dei opus est, cùm ea, quæ fecit, benedictione, & sanctificatione æterna glorificat; quod confirmatur ex ministerio, quod Luc. 12 Christus se propter electos obiturum ait in gloria, *transiens* enim *ministrabit illis*, quid obsecro ministrabit in æterna beatitudine præter ipsam benedictionem, & & beatitatem?

Alij contendunt beth literam seruilem in ביום vim habere præpositionis טרם p ante, vt sit sensus: Et compleuit ante diem septimum, idest sexto die suum opus, vt quiesceret in septi[...] quam lectionem 70 secuti fuisse videntur: qu[...] xpositionem vt minus necessariam Aben Ezra [...] t, dicẽs operis completionem non esse opus. Deũ verò omnia die sexto fecisse, vt in septimo omnia essent absoluta. cui fauet dictio, fecerat, scilicet in die sexto; Equidem hæreticos demiror, qui vt cornicum oculos confixisse videantur, nihil non reprehendunt, quod proprij iudicij palato minus sapit; & tamen Amamam audias, qui negat se eã carpendi, contradicendique prurigine teneri; cur igitur vulgatam arguit, quod וַיְכַל per præteritum perfectum verterit? etenim si vnicum Hebræorum præteritum omnes præteritorum species complectitur, reuera perfectum includit? at non intelligit Amama, neque Drusius, quomodo 70 cum Hebræo conueniant, nisi plusquamperfecto vtaris, quos etiam reprehendit ille, quod noluerint hocce tempore vti: præclaros homunciones, egregiósque hebraizantes, qui ea non vident, quę vix infantibus ignota sunt; nunquid animaduertere debuerunt; semper verum esse, quocunque tandem die declaretur, opus aliquod esse consumptum, quando omnia facta sunt, quæ ad illud pertinent? cùm igitur die sexta Deus opus suum consummasset, verissimum fuit asserere dominum [...] ἔργα αὐτοῦ consummasse, videlicet circa finem diei, aut quacunque voluerit hora, verissimum etiam idem opus ביום השביעי *baiom hassebihi* die septimo compleuisse, seu opus consummatum fuisse, vel vt 70 dicunt in plurali opera sua; quicquid enim die sexto completum est, nisi destruatur, septimo die completum est.

Impia certè hæreticorum progenies, qui dum nostri doctores aliquid aduersus vulgatam afferre videntur, eos statim nobis velut milites cataphractos obiiciunt, quos si nobis fauere percipiant, perpetuum silent; quod hîc manifestum est, vbi Eugubinus, quem aliàs tam sæpè laudant, hæc affert. *Quod ergo in die septimo Deus opus suum perfecisse dictus fit, hoc innuitur in ipso Sabbato cessatũ esse, vt tamen in eo nihil operis prius fuerit inchoatum: à 70 autem Deus sexta die quieuisse dicitur, quippequi eadem die omnia absoluerit: quod etiam exponitur ab Aben Ezra, & cessauit, inquit, ab omni opere quod fecerat, scilicet* ביום הששי in die sexto שום השבת ante sabbatum. Alij breuiùs nodum dissoluunt, cùm aiunt

[Margin notes: R. Isaac. — Fagius. — Hieron. — Aben Ezra. — Iunil. — Luc. 12. — Aben Ezra. — Amama, & Drusius arguuntur. — Eugubin.]

aiunt 70 diem 6 inclusiuè sumere, Hebræos verò, & vulgatam septimum exclusiuè, vt die Dominica mūdus condi cœperit, & die toto Veneris Cosmopœium opus fuerit perfectum, cui die septimo Sabbathi, seu quietis Deus benedixit.

Caiet. Caietanus ait Deum opus creationis dupliciter finiisse, primò actione positiua, qua perfectè formauit vniuersum tanquam supremam manum apponendo, vt hæc finitio spectet ad diem sextum; secundò per negationem ab vlteriori operatione, quomodo describitur eum opus illud die septima perfecisse; non omne opus, quod facere potest, qui mundos infinitos producere valet, sed quod fecerat; itaut nullam de nouo speciem condat, sed iam conditas sustentet, atque conseruet.

Quomodo Deus in ה sine labore mundum creauerit. Postea verò requieuit, ne tamen intelligas à labore, sed à creandi opificio; requies enim duo nobis potest insinuare, vel finem, terminumq; actionis, quomodo hîc sumitur, vel vt refrigerium post laborem, quod Deo minimè tribuendum est, nullo enim labore mundum creauit, sed vt Hebræi dicunt, in litera ה, quæ tantùm in flatu profertur, Psal. 32. iuxta Psal. 32. *Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum*: Rectè verò intelligendum est, quomodo cessauerit ab opere Deus, Ioh. 5. cùm nunc quoque operetur Ioh. 5. ver. 17 *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor*: nec enim existimandum Deum posse defatigari, cùm sit actus purissimus, cuius nūquam sistitur fœlicissima actio, id igitur, vt superiùs diximus intelligendum est, tametsi enim Deus semper agat regendo, & conseruando, cùm in ipso viuamus, moueamur, & Actuum 17. simus Actuum 17, nihil tamen de nouo producere videtur, quod non antea fuerit, loquor in ordine naturæ: gradus enim gratiæ, atque gloriæ alia contemplatione indiget, adde quod Deus agere dici potest, dum seipso æterna fœlicitate fruitur. Claudet hunc versiculum Lyrani sententia, qui Lyran. putat diei sextæ; atque 7 difficultatem solui, si res duobus modis spectemus, prout suas proprias formas habent, & ea omnia complectuntur, quæ ad agendum necessaria esse videntur, deinde quatenus in operationem exeunt. At de hac parte satis. Verùm cum primus versiculus, sicut & hic secundus asserat omnia opera Dei perfecta, atque completa fuisse, placet hîc duas difficultates discutere, quæ nostro sæculo satis tritæ, atque celebres esse videntur, quarum prima erit, num plures mundos fecerit Deus, & quid de ea re sentire possimus. 2 num mundus sit omnino perfectus. Vtrique peculiarem quæstionem assignabimus.

QVÆSTIO XIX.

DE MVNDIS.

ARTICVLVS I.

AN PRÆTER HVNC MVNDVM, QVEM VII. DIE perfectum videmus, sit aliquis alius nobis incognitus.

Ne quis miretur me quæstionem hanc proponere, eamque veluti ridiculam, & indignam, quæ à Theologo, aut Scripturarum sanctarum interprete discutiatur, aduertat obsecro satis tritam esse, nec enim desunt hoc sæculo, qui non tantùm eam proponant, verùm etiam partem affirmatiuam amplectantur, quos vix, ac ne vix quidem cōuincere possis; tanta est huiusce tempestatis stultitia, tantàque miseria; nec certè superest ampliùs vllum portentum erroris, quod demirer, postquam superiùs abyssum aperui, in quam tot homines, quos alioqui Catholicos, probæque vitæ dixeris, incidunt: Atheismum intelligo, quem prima libri sancti quæstione fortiter impugnauimus, susque deque (credo) vertimus; vtinam cum fœnore ad maiorem Dei gloriam, & animarum profectum illud effectum fuerit. Hîc autem priori loco mihi afferenda sunt, quæ nonnullos mouent, vt plures mundos astruant, quos alioquin verè Catholicos diceres, vtinam huiusce modi opinionem non pertinaciter tueantur. Ita igitur arguit primò vir insignis, mihique charissimus.

Ratio prima. Vnicuique mūdorum pluralitas, vel potius plurium mundorum cognitio, atque desiderium insita esse videntur, licet in omnibus tale desiderium sese non exerat: quod autem nobis ea ratione impressum est, non debet esse falsitati, errorique obnoxium, cùm nec Deus nec natura in desideriis, & cognitionibus istis aberrent, nec ea frustra mentibus nostris ingenerent, quandoquidem Deus, & natura nihil incassum operantur, igitur necesse est, vt plurimos mundos admittamus; Illa verò cognitio, & desiderium in Anaxagora, & Alexandro fuère, teste Plutarcho, qui propterea fertur illachrymasse, quòd tanta mundorum pluralitas ei superanda restaret, tametsi nondum vnicum suo imperio subiugasset. Plutar. de tranquil. animi.

2. Deinde non defuerunt Philosophi qui plurimos mundos admiserint, inter quos Plato numeratur à Plutarcho lib. de oraculis, vbi asserit eum Plutarch. esse quinque mundorum defensorem, adeout rationes illas, quas à numero quinario deducit, probabiles esse sentiat. Anaximander verò teste Theodoreto lib. 4 de curandis Græcorum affectionibus Theodor. Anaxymenes, Aristarchus, Xenophanes, Diogenes, Leucippus, Democritus, Epicurus multos, ac infinitos esse mundos opinati sunt. Tertul. lib. de Tertul. c 2. pallio idem de Anaximandro refert. *Viderit Anaximander, si plures putat, viderit si quispiam vllus apud Meropas, vt Silenus penes aures Midæ blatiit, aptas sanè grandioribus fabulis*: quem D. August. August. cap. 2. l. 8. de ciuit. Dei, ait rerum singularum principia infinita credidisse, ex quibus innumerabiles mundi gignerentur, eosque mundos modò dissol-

ui, modò iterum gigni, de quorum pluralitate meminit lib.3. contra Academic.cap. 10. Metrodorus verò 1 de placit. Philos.cap.5 dicebat eodem modo absurdum esse, si quis in infinito mundum vnicum collocaret, ac si in magno campo vnica spica nasceretur.

3. 3 Non est maior ratio, cur Deus vnicum mundum produxerit, quàm plures, quandoquidem infinita virtute pollet: quapropter, vt suam virtutem, & omnipotentiam manifestam redderet, plures mundos producere debuit, siquidem eius maiestatem productio illa maximè decet, vt à pluribus mundis laudem, gloriam, & honorem accipiat.

4. 4 Sicut natura facit quod est meliùs, ita & Deus, qui naturam longissimè superat, at non est qui negare possit plures mūdos meliores esse, quàm vnicum, cùm plura bona paucioribus anteponenda sint, in qua tametsi quandoque homines errare possint, qui sæpius minora bona maioribus præponunt, nunquam tamen Deus errat, qui singula, vt par est, expendit.

5. 5 Multò plura Deo concedere debemus, quàm ea quæ sensu, vel mente percipimus, aut etiam intelligere possumus; cur ergo non ei plurium mundorum productionem cōcedemus? maximè cùm eam facilè intelligamus, nec enim ex parte mundi repugnat, cùm ille multiplicari possit secundum numerum eadem specie remanente, nam habet formam in materia.

Non etiam repugnat ex parte Dei, cùm sit infinitæ virtutis, vt se communicare valeat, infinitæque bonitatis, & voluntatis, vt id velit, & efficiat; nec aliunde repugnat, tametsi enim Scriptura sacra, quam Deus nobis in testimonium reliquit, vt eâ illuminati ad veram beatitudinis Itacham perueniremus, Christum in hunc mundum venisse, vt omnes homines redimeret, nullumque hominem sine eius passione saluté consequi posse, Apostolos in omnem terram, ad omnes gentes missos fuisse declaret; attamen minimè negat alios esse mundos à nostro distinctos, siue in illis sint homines, siue quædam excellentiores personæ, siue solo numero, siue specie à nostro differant.

6. 6 Multæ species desunt, quæ non sunt in hoc mundo, siquidem inter Deum, & Angelos multæ creaturæ collocari possunt, quæ sicut Deo inferiores, ita & Angelis omnibus superiores erunt: possunt & inter Angelos, & homines aliquę personæ specie distinctæ reponi, idemque dicendum est de multis speciebus inter homines, & animalia, inter plantas, & mixta cętera constituendis, quibus cùm mundus noster careat, par est, vt credamus, aut plures alios, aut vnum saltem alium existere, à quo nulla prorsus species absit, vt ab omnibus gradibus, & ordinibus rerum Deus Opt. Max. laudibus afficiatur.

7. Denique multa paucis adhinc annis obseruata sunt, quæ quosdam alios mundos à nostro distinctos inferant, quales sunt ingentes prouinciæ, quę in luna visæ sunt tuborum Batauicorum, sed præcipuè conspiciliorum Galilæi auxilio, quibus tam vasta lunæ magnitudo cernitur, vt in ea syluas ingentes, campos, cauernas, & similia videri, non tantùm Galilæus à Galilæo in suo nuntio sydereo, sed etiam Keplerus Cæsareæ maiestatis Mathematicus in dissertatione ad prædictum asseuerat, adeout in istis cauernis homines quosdam habitare, illucque aufugere, ne radiis solaribus lædi possint, probabile insinuet. Quæ omnia confirmantur ex eo, quòd 3 aut 4 planetæ ab iisdem detecti sint, qui suos cursus circa Iouem efficiant, à quo non multos gradus discedunt: ad quid obsecro isti noui planetæ, vel potiùs antiqui, sed de nouo repertis ad quid inquam, nisi vt mundo alicui, tametsi nobis incognito, affulgeant? quandoquidem minimè nobis seruiunt, cùm nec ipsos vnquam viderimus. Alius ergo mundus à nostro constituendus est, imo & alij plurimi, vt in quibusdam sydera nostris splendidiora fulgeant: in aliis sol, & luna: in his animalia, in illis homines, denique in singulis quædam adsint, & absint, quæ non in aliis, vt iamdiu Democritus existimauit.

Galil à Gal. Kepler.

De Lunæ magnitudine visa per dioptram.

Democritus.

His omnibus addi possunt stellæ, quæ nonnunquam de nouo apparent, qualis est insignis illa Cassiopeiæ, de qua tam fusè Tycho disseruit; quas ex alio mundo descendere si quis dixerit, quis eum arguat? imo cùm Tychonicæ demonstrationes cometas non esse elementares, sed æthereos euincāt, fortè sunt sydera, quę ex mundo quodam nobis incognito ad nostrum euolent, vel vt nos in omnipotentiæ diuinæ pertrahant admirationem, vel vt in exspatiando delectentur, prout iam multos ingēti delectatione affici videm⁹, dum extra patrios lares in alienis prouinciis peregrinantur, vel vt ad alterius excellentioris mundi desiderium mentes nostras stimulent. Confirmatur ex aliis syderibus, quæ non solùm ad Saturni latera, sed in ambitu solis nuper à Ioanne Tarde detecta sunt, cùm antea maculas in sole putarent Astrologi, nec dubium est, quin plurima sint in cœlis, quæ nondum scimus; quapropter in ratiocinando multum aberramus: neque propterea quis ab ea sententia recedere debet, quæ quosdam alios extra hunc mundos asserit, aut saltem conijcit, quandoquidem non paucis rationibus innititur.

Tycho.

Stellę nouæ.

Solis maculæ.

Huc etiam referuntur planetæ duo, quos Saturni nouos comites, sicut Iouis 4 detexerunt, qui possunt alteri mundo præesse, & in eum influere; quorum altitudinem cùm nesciamus, quis scit, an aliqui soles fuerint? quis vnquam demonstrauit stellas, quæ tot, & tantæ sunt, non esse productas ob alios mundos, quibus sint instar solis, & lunæ; nam cùm probabilissimum sit eas ex omni parte lucidas esse, & à seipsis lucere, & tamen nobis ex vnica tantùm parte ad nos conuersa illucescant, quis censeat absurdum, sed quis non verum eas aliis quibusdam incolis ex aduersa parte lucem ministrare? nec enim beati indigent, nec deinceps earum luce opus habebunt, quibus lucerna est agnus, & sol Christus ex vtero Virginis tanquam ex auroræ cubili exurgens.

Saturni, & Iouis comites.

Est & aliud argumentorum genus, quod ex aduersariarum rationum solutione petitur; si quid enim impediret quominus diuersos mundos, vt mundum lunæ, solis, stellarum, vel etiam alios nobis omnino inuisibiles: tametsi corporeos admittere possemus, maximè quia ratio, vel experientia, vel Scripturæ, & Ecclesiæ authoritas, Patrúmque communis consensus contrarium existimant, concludunt, & euincunt, atque vt ita credatur, præcipiunt: At nihil in præsenti simile satis efficaciter vrgere videtur, vt ab illa sententia discedere cogamur; non ratio, cùm potiùs ei patrocinari videatur, vt superiùs ostensum est: non experientia, nec enim sufficit, vt nunquam istos mundos, eiusque incolas viderimus, nam quot sunt alia, 8.

An terra in firmaméto posita videretur.

alia, quæ nunquam agnouimus, quæ forsitan ætas futura deteget: faciamus obsecro lunam, vel terram nostram esse in loco ♄ in 7 cœlo, nos autem hîc in eodem loco remanere, an putas nos terram, aut lunam visuros? nusquam profectò, si præsertim eam in firmamento positam esse fingamus: nam cum terra sit instar puncti, cuius instar erit Luna, quæ decies septies terra minor est? si stellæ 6 magnitudinis à nobis vix percipiũtur, quanquã terra maiores esse dicuntur 17, ipsa terra poteritne conspici? Et quidem mihi dubium non est, solem tam longè à nobis recedere posse, vt non amplius videri possit, quod facillimum esset, si corpora quoad apparentiam, & visum nostrum eadem proportione minuerentur, qua distantia crescit: sic enim vbi corpus rotundum in diametro leucarum millionem haberet, & à millione leucarum visum retineret solummodo diametrum 500000 leucarum, precedentis diametri partem mediam ita posset illa quantitas minui, vt non ampliùs videretur, nempe si distantia illa duplicaretur, si enim 5 mediam partem à conspectu nostro auferant, dubio procul totum obiectum à 10 auferetur, si, vt dixi, seruetũr eadem distantiæ, & rei visæ, seu visionis ipsius arithmetica, vel geometrica proportio; Ex quibus facilè quis supputare potest, per quod spatium sol, vel stellæ à nobis recedere deberent, vt non ampliùs viderentur, quod in quæstione de sole facturi sumus: non Scripturæ authoritas, vel etiam Ecclesiæ; nec enim vllius loci tam Bibliorum, quàm Conciliorum memini, in quo definiatur vnicum esse mundum; & hæresim esse, atque adeò futurum hæreticum, qui plures mundos astrueret: tametsi verò Patres aliqui hâc opinioné neglexisse, & irrisisse videantur, eam tamen non ita expressè condemnarunt omnes, ac si fuisset hæretica, quandoquidem fortè nunquam ad propositum fuit, vt illam accuratiùs discuterent: Adde quòd, cùm hęc diuersorum mundorum assertio philosophica sit, ratio sufficiat, vt de ea loquamur; nec enim Patres in rebus philosophicis sequi tenemur, quas nõ ex professo tetigerunt, sed obiter sæpiùs, vt ad res ad Catholicam religionem, & ad Theologiam pertinentes, gradum facerent.

Scio quidem multa esse, quæ pro absurdis à viro Catholico possint obiici: vt inde sequi mundorum istorum homines, vel eiusdem nobiscum, aut diuersæ speciei esse; si eiusdem: hunc sufficere mundum, vt in eo contineantur; si diuersæ, quales erunt? an aliũ ordinem habebit anima respectu corporis? an alio modo informabitur? an pauciores actiones exercebit? an naturæ cælestis illa corpora erunt? An filius Dei naturam illorum assumpsit, aut pro illis mortuus est? an simul cum nostro, mundus ille, vel antea, vel postea creatus est? an cum isto connectitur? an peculiares cœlos, & stellas habet? sunt & alia multa, quæ absurda censentur.

Verùm his omnibus facillimè quis occurret, si responderit Deum hunc, aut illum mundum, vel etiam plures pro libito creasse, vbi voluit, quando, & quomodo voluit; nec enim quidquam omnipotenti difficile esse potest.

Quòd si aliæ hominũ species non implicent, id enim inter Philosophos, & Theologos controuertitur, decuit, vt eas in aliis mundis collocaret; Et quidem omnes homines in gratia confirmare potuit: quis scit, an ex omnibus mediam, vel maiorem, aut minorem partem elegerit, quos ita confirmarit, & in alio mundo locarit, tametsi enim asserat Scriptura omnes homines peccasse, & indigere gratia Dei, tamen Scriptura nos docere non tenetur, an alij sint homines toto mundo à nobis dissiti, nec illud scire tenemur, aut possumus sine reuelatione. Quot sunt obsecro, quæ Deus sibi reseruauit? quot sunt etiam inter naturalia, quæ cùm neque hîc sciamus, aut scire possimus, nos ea scituros aliquando speramus, expectantes beatam spem, & aduentum Domini nostri Iesu Christi? Hinc satis patet nihil aduersus istam de diuersis mundis opinionem afferri posse, quod non statim facili negotio dissoluatur. Hactenus vir ille mihi amicissimus, qui tamen profitetur se nullatenus esse pertinacem, sed manus ambas se daturum, si secus Ecclesia Catholica senserit, atq; docuerit, in cuius gremio se vsque ad extremum spiritum permansurum sperat, atque statuit.

ARTICVLVS II.

IN QVO PROBATVR VNICVM ESSE MVNDVM, & obiectionibus respondetur.

Certitudo multiplex.

MVltiplex est certitudo, altera experientiæ, rationis, authoritatis humanæ, & quæ sumitur ex coniecturis, secundum quas hunc articulum concludere possumus: Inter ea verò, quæ certitudini fidei subsunt, alia clarissimè, & expressè definita sunt, qualia legimus in Symbolo Apostolorum, in Nicæno, Athanasiano, & cæteris Ecclesiæ definitionibus, quæ partim in Tridentina, partim in aliis Synodis continentur, partim etiam traditione propagata sunt: alia verò deducuntur ex ipsis articulis fidei, & ex iis, quæ iam fide credenda proposuit nobis Ecclesia Catholica, vt cùm doctores Theologi concludunt vndecim passiones in Christo fuisse, 6 in appetitu concupiscibili, 5 verò

Passiones cur in Christo dictæ propassiones.

in irascibili, quia est homo; ad hominis autem naturam illæ affectiones pertinent, tametsi reuerentiæ gratia Theologi vocent illas, prout in Christo reperiuntur, propassiones: quandoquidem non eius rationem, vt in nobis ferè semper accidit, præibant, sed subsequebantur.

Verùm illationes illæ non in atomo positæ sunt, imo non paruam latitudinem patiuntur: quædam enim immediatiùs ex Ecclesiæ definitionibus eliciuntur, & cùm eis maiorem habent connexionem, alia verò minorem; quædam affirmatiuè concluduntur, alia negatiuè: quædam ab omnibus ad fidem accedere dicũtur, alia verò sunt adhuc sub iudice: Iam verò ad quod ex illis capiti-

aduertatur, qui tales opiniones defendendas suscipiunt, nisi fortè id exercitij causa fieret, vt in scholis factitari solet, in quibus non rarò quis falsa quędam, vel etiam hæretica se tueri, atque sustinere fingit, vt inde veritas magis elucescat, & Theologi se præparent ad rationem omnibus postulantibus reddendam de ea, quæ est in nobis fide: & ad hæreticorum, & infidelium argumenta retundenda.

Reliquum est, vt contrariis paralogismis breuiter satisfaciamus, quod quidem amicè faciam, rem enim cum amicis habeo, quippe qui verè Catholici se Ecclesiæ, suasque opiniones submittunt.

Ad 1 rationem respõdetur.

In primis autem falsum est illud desiderium nobis congenitum esse, vt plures mundos cognoscamus; nec enim vlli desiderium insitum est rei illius, quæ non est: vnde nullus naturaliter beatus esse appeteret, si nulla beatitudo existeret; nam quod intellectus ad veritatem, voluntas autem ad bonum, sicut ad centrum suum grauia propendeant, illud contingit, quòd reuera sit aliqua veritas, atque bonitas, à qua bona, veráque sunt, quæcunque bona, quæcunque vera dicuntur; neque mihi dixeris intellectum, & voluntatem adhuc habere conuenientiam, & aptitudinem ad bonum, atque verum, tametsi nullum esset verum, aut bonum, dummodo tale bonum, atque verum possibile esset; nam id omnino repugnat, vt possibile sit bonum, & verum, si reuera nullum esset huiusmodi; à quo enim fieret? quandoquidem nihil à seipso produci potest, esset enim antequam esset, cùm res priùs esse debeat, saltem ordine naturæ, priusquam agat, vel etiam agere possit.

Scio quidem in intellectu, atque voluntate tantam esse vim, atque capacitatem, vt non tantùm ea quæ sunt, sed & quæ possunt esse, licet nunquam futura sint, appetat, & intelligat, vel intelligere, atque velle possit; Verum actiones illæ pertinent ad elicitas animi motiones, non ad insitas, & naturales, quibus nunquam ad ea fertur appetitus noster, quæ tametsi possibilia dicantur, minimè futura sunt.

Delectatio rei possibilis nunquã tamen futurę, Deum esse conuincit.

Adde quòd, cùm motus nescio quos occultissimos in nobis persentiscimus, vt rebus quibusdam possibilibus minimè tamen futuris frui videamur, & eorum pręsentia delectari, id nihil aliud sit, quam diuina potentia prout in effectibus suis, vel potiùs in latitudine sua spectatur: quod profectò manifestissimum est, & irreuocabile testimonium etiam nobis innatum, reuera summum ens admittendum esse, à quo penetrantur, atque perfunduntur omnia; quò poëta respexisse videtur, dum ait: *Iouis omnia plena*: hinc fit, vt ne quidem vnus animi motus etiam circa res non existentes esse possit, qui non luculentissimè probet Deum esse, & Atheos euincat.

Alexander magnus.

Hinc constat, quid de Alexandri, vel aliorum desiderio potiùs elicito, quàm innato de pluribus mundis dicendum sit; quod tamen Philosophi mundos plures asserentis mendacio, vel intellectui præpostero Alexandri fulciebatur, qui fortè perperam illius mentem, atque verba interpretabatur: Possumus etiam satisfacere, si Philosophum locutum fuisse responderimus non de mundis ab hoc nostro secretis, de quibus in pręsenti: sed de cęteris mundi vel terræ istius partibus, quas nondum illa ætate detexerant: quales sunt Perioeci, Antoeci, Antichtones, noua Zembla, Brasilia, Magellanica, &c. quæ nouus mundus etiam à nobis appellantur, quia paucis abhinc annis ad nostram cognitionem peruenerunt; quod eò probabilius existimo, quò minus possibile est, vt Alexander extra mundum hunc, verbi gratia ad Lunam ascendat, vel ad alium mundum tota hac aëris expansione secretum: vnde cùm ad impossibile nemo feratur, nisi fortè sub ratione possibilis illud concipiat, debemus existimare philosophos illos, qui plures mundos extra hunc admiserunt, de regionibus terræ nondum inuentis, quas tamen vel leuiter subodorati fuerant, locutos fuisse.

Secundæ obiectioni respondetur.

Ad secundam obiectionem eodem modo quis respondere posset: addo tamen illos philosophos partim infinitos mundos admisisse, quòd aliquod ens summum conciperent, ac proinde verum Deum licet notione confusissima, & erroribus admixta, qui naturaliter, & necessariò ageret, ac proinde infinita progigneret: nam quid aliud prodire iudicassent ab agente infinito totam suam virtutem atque potentiam exerente, nisi quid infinitum? hic autem mundus finitus est: ideoque infinitos ab hoc nostro distinctos, admiserunt, vel hunc infinitum esse crediderunt.

Plato explicatus.

Quod attinet ad Platonem, meritò negare possum eum 5 mundos admisisse; quem ita putauerim explicandum, vt non 5 mundos, sed 4 elementa, cœlos adũbrari: vt enim totius vniuersi tria principia constituebat, Deum, materiam, & ideam, ita elementorum principia ad triangula scalena referebat, quæ lineis tribus in tripla, dupla, & sesquialtera proportione positis definirentur, quibus ἰσοσκελὲς addendum erat ex duabus lineis æqualibus descriptum, vt ex his duobus triangulis simul iunctis pyramis efficeretur igni respondens: ὀκτάεδρον aëri: εἰκοσάεδρον aquæ; terræ verò cubus, & cœlo δωδεκάεδρον, ex 12 pentagonis æquilateris compositum, quorum vnumquodque diuidatur in 5 isoscelia, & vnumquódque Isosceles in sex σκαληνὰ orthogona, adeout in illo dodecaëdro 360 trianguli reperiantur: quot gradus, seu partes, & scrupulos in Zodiaco cæterisque maioribus cœli circulis cõstituimus: quodlibet enim pentagonum 30 triangulos rectangulos in se complectitur: sic enim abstractionibus mathematicis Platonici principia naturalia inuoluebant, vt passim in Platonis dialogis legimus.

Quinque figuræ Platonicæ explicantur.

Musica in corporibus Platonicis comprehẽditur.

Vnde in vnico cubo totam harmoniam complectebantur, quandoquidem in eo sunt quattuor termini in harmonica proportionalitate continui, qui perfectas consonantias efficiunt: sunt enim sex bases quadratæ: 8 solidi anguli: latera 12, & anguli 24 plani: qui numeri ita dispositi 6. 8. 12. 24. eam habent inter se habitudinem, vt 8 ad 6 epitritum, seu diatessaron, 12 ad 8 hemiolium, seu diapente: 12 ad 6, vel 24 ad 12, diapason: 24 ad 8 diapason diapente, denique 24 ad 6 disdiapason producat: hinc fit, vt opportunè satis æternam gloriam, ac veram, & solidam voluptatem aliqui cum cubo conferant: omnis enim consonantia, melos, musica, in Deo, quem Platonici mundum supernaturalem appellant, continetur. Cætera, quæ ad Platonicas mathematicas attinent, alibi fortè discutiemus.

Tertia obiectio confutatur, sicut & 4.

Ad 3. & 4 dico mundum vnicum à Deo creatum esse, vt in eius vnitate diuina vnitas aliquo modo repræsentaretur, adde quòd non fuit Deo melius, vt plures mundos, quàm vnicum faceret; aut etiam nullum produceret, cùm enim omnis

quæ sunt in Deo, sint ex omni parte infinita, quomodo vel vnus, vel plures mundi, qui semper finiti essent, & velut nihilum ante Deum, illi meliores essent? Deinde non essent isti mundi meliores, quoad rationem productionis suæ; quicquid enim producit Deus, infinitâ suâ potentiâ, & sine dependentia ab vllo producit: quòd si quid melius in eis esset, quoad res productas, homines vlteriùs inquirerent, cur non meliores mundos creasset, vsque ad infinitum; quod cùm in rebus creatis admitti non debeat, vel possit, vt passim D. Thomas cum Patribus edisserit, stultè quæritur, quamobrē vnicum crearit. Quamuis autem infinitos creasset, nondum fortè quiesceret humana curiositas, sed cuperet inuestigare, cur mundus non esset æqualis Deo, & cætera, quæ indigna sunt, quæ vel efferantur, vel cogitentur. Denique vbi causa simul infinita est, & liberrima, frustra quæritur, qua de causa hoc, aut illud fecerit: cùm enim nulla re indigeat, certissimum est eorum, quæ facit, solam causam esse voluntatem ipsius, qua nihil prius, nobilius, maius, vel melius excogitari potest. Alias rationes, quæ mundum vnicum esse contendunt, omitto, quia non conuincunt, vt Franciscus Picus magni Ioannis Pici nepos loco nuper citato ex Plutarcho docuit, libro περὶ τῶν ἐκλελοιπότων χρηστηρίων: & sequenti libro de dictione εἰ.

Ioan Picus.

Satis autem Deus se manifestauit ad extra per creationem vnius mundi, in quo tot sint rerum ordines, vt quicunque ingens hoc palatium contemplatus fuerit, dicturus sit illico; *quam magnificata sunt opera tua domine.*

5 Obiectio refellitur.

Ad 5 dico nos non plura Deo propriè concedere, cùm plurimorum mundorum autorem illum facimus, quàm dum mundos istos ei possibiles affirmamus: nihil siquidem ad eius perfectionem accedit, quod faciat, vel non efficiat, quæ eius subsunt potestati; Ecquid obsecro fas esset asserere, si à potentia diuina ad creaturas arguere possemus? nunquid omnia essent, intellectus, aurum, stannum, aqua, terra &c.

6 Ratio cōuellitur.

Eiusdem pene farinæ 6 rationem producunt, quæ ex eo quòd Deus sit omnipotens, contendit eum omnes species possibiles efficere debuisse, quas tamen noster hic mundus minimè continere videtur, quod falsū est; enimuerò nihil Deus debet agere, si debitum illud obligationem innuat, neque ex ipsa congruētia debet, quicquid enim producit, aut minimè producit, id optimè vult, aut non vult.

7 Ratio cōfutatur.

Infirmæ verò sunt, & indignæ coniecturæ in 7 ratione allatæ: atque stultissimi videntur, qui ex illis Phœbi faculis à Tardo vulgatis, & à Galilæo detectis, vel ex nouis planetis, stellis, cæterisque phęnomenis alios esse mundos inferunt: Ad quid enim viderentur in hoc mundo, si essent in alio? an ea sydera longinquarum regionum, atque ficti alterius mundi nuntios constitues? an fortè potes affirmare angelos istos, qui multis apparuerunt, ex alio mundo huc ad nos peruenire? Facessant lurcones illi, thrasones sileant, qui tanta mendacia venditant, & cōfingunt: quos cū illo peregrino risu dignissimos existimo, quē Cleombrotus semel in anno tantū homines alloqui solere, deinceps cum Nymphis, Nomadibus, atq; dæmonibus cōuersari; nulli morbo subijci, semel in mense fructum alicuius herbæ amaræ decerpere, atq; hunc solū comedere: statim atque loquebatur, suauissimū odorem efflare: semel in anno futura principibus annuntiare, & quod ad propositum facit, 183 mūdos admittere dixit: qui triangularem figuram referebant, adeout in quolibet huius latere 60 mundi, in 3 angulis 3 reliqui collocarentur, & in medio areæ rerum omnium ideę immobiles, quas æternitate circumuallatas vidisses, à qua instar riuuli tempus efflueret, & in prædictos mundos influeret. Hisce nugis barbarus ille, vel Græcus addebat hominum animas mūdos illos semel annorum 10000 spatio videre, si vitam studiosè, piéque traduxerint, dùm hîc inter mortales degerent, atque adeò philosophiæ scopum, atque finem, illam visionem appellabat, quæ alioqui vana foret.

Historia fabulosa mira.

Superest vltimum argumentum, quo nostris rationibus occurrunt: verùm manifestò constat esse contra rationem, & experientiam id asserere, quod omnes docti, simul & indocti negant, & de quo nihil vnquam vidimus, vel audiuimus, in quo etiā colligendo, ne vna quidem inueniri potest coniectura; quodque satis ostendit Ecclesia, atque Scriptura sancta se reiicere, dum solum hūc mundum, & quæ spectant ad eum, inculcat. Adde quod nunquam simus finem impositurі nugacibus illis opinionibus, quibus otiosi delectantur, si ea omnia statuere velimus, vel quæ non implicant, vel quę non damnauit vniuersalis Ecclesiæ consensus.

8 Ratio discutitur.

Sed obsecro quæramus ab istis hominibus, quot vellent à Deo mūdos fuisse creatos: an quinque, vt aliqui tribuerunt Platoni, licet 5 tantùm elementa, de quibus antea dictum est, per sua 5 corpora intellexerit, ipso Plutarcho teste l. cur oracula cessauerint: an 183, vt ille barbarus asserebat: an 365, quot sunt dies in anno: an 100000000000000000000000000000000000000 idest quatuordecimmiliones; an quilibet alius numerus, qui non tantū guttas maris, & omnem arenæ numerum superet, sed & totam arenam, quæ à terræ centro vsque ad supremi cœli conuexitatem contineri posset: quibus si annuāt, rogemus iterum cur Deus alios adhuc, & alios mūdos minimè produxerit, nam dato quolibet illorum numero, & qualibet magnitudine, plures adhuc, & maiores poterit creare, adeout nunquam illi numero, quantitatiue finis imponi valeat.

Plutarch.

Quod si quispiam ex prædictis numeris eis satisfaciat, sciant oportet, illos omnes mundos non esse maius aliquid respectu Dei, quàm sit ros antelucanus, aut gutta aquæ, siquidem, numerus quiuis, & omnis quantitas, & cætera, quæ sunt extra Deum, finita esse necesse est: finiti verò ad infinitum proportio nulla est. Facessant ergo homines otiosi, frugesque consumere nati, qui Momo, & Aristarcho stultiores in operibus Dei non ipsius creatoris voluntatem vnicam rerum omnium causam, sed mentis suæ nugamenta, atque figmēta respiciunt, atque sequuntur. Qui si velint Deum produxisse, quicquid potest, ipsum interrogent, quare non illud fecerit: si desiderent effectum infinitum Deo coæqualem, vt diuina potentia naturę, & essentiæ diuinæ omni ex parte infinitę correspondeat, & in suis effectis perfectè reluceat, atque cognoscatur, quid aliud postulant, quàm vt Deus alter efficiatur? quādoquidem illud Deus est, quod Deo coæquale est; eam enim ob causam tres beatissimæ Trinitatis personæ sunt vnus Deus, quia sunt inter se coæquales.

Addamus

Addamus etiam immeritò prædictos homines mundorum pluralitatem requirere, siue vt Dei bonitas, & potentia magis elucescat, siue ob diuersos naturæ gradus; enimuero hæc omnia in hoc nostro mũdo tam perfectè relucẽt, vt nihil maius, melius nihil, aut perfectius esse posse videatur, vt statim apparet, cùm omnes naturæ, gratiæ, gloriæque gradus, & ordines suscipimus, atque veneramur; quod profectò omnem admirabilitatem superat; hos enim omnes gradus ad hunc mundum pertinere volumus, cuius si principium, medium, atque finem, numerum, pondus, & mensuram; modum, speciem, & ordinem spectaueris, rapiaris amore, & admiratione necesse est, fatearisque te longissime victum, imo & omnia tui intellectus figmenta superata esse; num mundi principium Deus est, medium Christus, qui cœlestibus ima conciliauit, vel Deus, qui rebus omnibus medius, & intimus est; denique finis ipse,

Eccles. 1. Deus est.

Superest vt Ecclesiastis locum ex cap. 1. desumptum aperiamus, quem nobis diuersorum mundorum assertores obiecerunt, qui sic habet vers. 9.

Locus Ecclesiastis 12 modis explicatur. *Quid est, quod fuit? ipsum, quod futurum est: quid est quod factum est? ipsum quod faciendum est* & versic. 10. *Nihil sub sole nouum; nec valet quisquam dicere: Ecce hoc recens est; iam enim præcessit in sæculis, quæ fuerunt ante nos.* Sed hic locus magis

Expositio prima. fauere videtur iis, qui mundi æternitatem admittunt, quàm iis qui plures mundos esse confingunt.

R. Moses. Vnde quidam Hebræi teste R. Mose lib. 2. perplex. cap. 29 putarunt hìc à Salomone mundi æternitatem asseri, idque amore, vel timore alienigenarum vxorum, quæ cùm id crederent, contrarium non est ausus affirmare.

2. Alij putant id modo concionatorio à Salomone dictum, sic enim concinatores aliorum sententias, tametsi falsas, non rarò vsurpant: ita Caietan.

Caietani errores. vnde Hugo ait verbum hoc nihil assertionis habere: vbi quosdam errores Caietani notant, primum cùm ait rationis naturales aliquid suadere contra fidem; secundum, cùm ait æternitatem mundi esse opinionem aliqua ratione probabilem, & probabiliorem secundum id, quod apparet ex sensibus: tertium, quia dixit Salomonem vti falsis opinionibus, quod aliqui tribuunt illi Rabino, cuius operâ, sed potiùs seductrice, quàm adiutrice vtebatur: quæ nolim in præsenti disquirere.

3 Tertiò dixerunt alij post annum Platonicum omnia præterita reditura, quod Democrito, & Epicuro tribuunt, sicut & Origeni, vt superiùs dictum

Isai. 65. est; sicut & post hunc mundum futuros alios dicebant, iuxta id Isai. 65. *Ecce ego creo cælos nouos, &*

August. Origen. *terram nouam.* D. August. 12. de Ciuitate cap. 13. eundem errorem notauit; sicut & Orig. 4 Periarch. ideóque ab illo errore excusatur.

4. Hugo Vict. Quarta expositio est Hug. Vict. homil. 1. in Eccles. vt de præscientia, & prædestinatione Dei loquatur Salomon, in qua iam ea facta sunt, quæ futura sunt, quod ex D. August. & D. Hieron. sumpsit.

5 Quintò R. Moses suprà vult æternitatẽ mundi à parte post ostendi, iuxta id, *terra in æternum stat.*

Euseb. Sextò Euseb. cap. 5, 6 & 7 de præp. Euang. ait fluẽtem, & corruptibilem substantiam rerum sublunarium designari, quæ statim deperdunt, quod acquisierant antea, itaut nihil sit nouum, quod non ferat vetustatem senescentis, & deficiẽtis substan-

Psal 101. tiæ, cùm tamen Deus semper idẽ permaneat. psal. 101. *Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.*

Sextò volunt D. Hieronym. & D. August. hìc earundem rerum circulum per suas generationes succedentes secundum naturam, & speciem innui, nunquid enim sol, flumina, fontes, &c. eodem modo gyrantur, currunt, recurrunt, atque mouentur. 6. Hieron.

Septimò referunt alij ad scientias iuxta id Terentij in prol. Eunuchi: *Nihil est dictum, quin prius dictum*: cui fauet Plato; de Rep. hoc Prouerb. *Nihil inauditum*: & Aristot. 2 meteor. dum asserit omnia sapientum inuenta veteri Philosophorum authoritate tradita fuisse, noua tamen videri, quòd illorum scripta perierint; licet alij malint ad res ipsas referri, iuxta Horat. de arte Poëtica. 7 Terentius Plato. Arist.

——— *Mortalia facta peribunt,*
Multa renascentur, quæ iam cecidère, cadentque, Horat.
Quæ nunc sunt in honore vocabula, si volet vsus,
Quem penes arbitrium est, & vis, & norma loquendi.

Octauò explicant de vana, & curiosa res nouas cognoscendi prurigine, cui Salomon, si tamen sit huius libri autor, hac sentẽtia; *Nihil sub sole nouum,* remedium attulisse videtur, nam curiositatis pabulum, est nouitas. 8

Nonò cæteri aiunt propositum finem Ecclesiastæ, vt corrigat illam insatiabilem videndi libidinem, & nouas experiendi ad fœlicitatem vias, & ab irrito labore non successuro retrahat. 9

Decimò illud ita potest exponi, vt id quod fuit, sit idem cum eo, quod futurum est, quia quod fuit, verbi gratia dies, aut motus hesternus, nihil est, quia præteriit, ac si nunquam fuisset; & quod futurum est, nihil est, vt patet in crastino die, qui nondum est. 10.

Vndecimò id potest exponi Physicè, vel moraliter, vel allegoricè, vel anagogicè, physicè de rebus à Deo factis, itaut post creationem nihil ampliùs noui in ordine rerum naturaliũ producatur, sed omnia, quæcunque fiunt iam virtute, & seminaliter à Deo creata sint, quatenus vnicuique vim sibi simile producendi, vt animalibus, & plantis, vel omnia vniuersaliter producendi, vt cœlis, & astris, atque elementis indidit: moraliter, quia vias omnes antiqui tentauerunt, vt ad fœlicitatem peruenirent, quas postea calcamus; & sicut omnibus vitiis alios deditos, alios virtutibus cernimus, ita & antiquitùs à maioribus nostris factum est, vnde tam Scriptura sacra veteris testamenti, quàm antiquæ historiæ eadem vitia, virtutésque similes referunt, quas etiam hodie colimus: allegoricè, quia Rabbini quidam teste Galatino lib. 10 de arcanis cap 2, & 4 id ad veteris legis figuras referunt, quibus tẽpora Messiæ repræsentabantur, vt iam gratiæ mysteria in viuis quibusdam imaginibus, atque typis præcesserint; vnde R. Barachias dixit; *sicut fuit redemptor primus Moyses; ita erit redemptor vltimus Messias* teste Galat. lib. 8. cap. 7. Denique anagogicè, quia, inquit Olympiodorus, quæ in futura vita nobis aduenient, præmia illorum erunt, quæ in hac vita præcesserunt, nam quę seminauerit homo, hæc & metet: nec enim nouum esse videtur, quod ex semente percipitur, cum sit ei simillimum. 11. Galat. R. Barachias. Olympiod.

Duodecimò, quidam ad Adamũ referunt; quod enim in eo præcessit post admissum peccatũ, deinceps in nos defluxum est, & quasi per manus traditus quidam vitæ error, & corruptio; & quidem, 12.

vt liberè fatear, non tantùm vitia, atque virtutes, non tantùm res naturales præcessisse puto, sed & scientias, & omnia artificia studio, & industria hominum denuo renouata: Quod eò libentiùs assevero, quod opinionum portenta, quæ hac nostra tempestate suscitari videntur, & in multis regnis, præsertim in Germania, vbi omnia licent, pullulare videntur, iam olim ab antiquis ventilatæ sint, vt patet in nostris quæstionibus de terræ motu, atque rerum omnium vita, & sensu, de pluribus mundis &c.

Adde quod omnes artes & scientiæ Adamo infusæ fuerunt, quas peccando quidam eum amisisse credunt, sed contrarium fortè verius est, nempe scientias in eo permansisse, vt ad posteros statim propagarentur: At siue illud dixeris, siue hoc, verùm erit artes omnes, & scientias nostra sæcula præcessisse. Sed (excepta Origenis sententia) nulla ex istis explicationibus fauet pluribus mundis; annum vero Platonicum alibi refellemus. Iam verò pedem ad sequentem difficultatem conferamus, eique propriam quæstionem tribuamus.

QVÆSTIO XX.

An mundus sit perfectus tam secundum Peripateticos, quàm Platonicos.

HÆc quæstio non parum nobis proficiet, vt præcedentem meliùs intelligamus; nam si hic mundus perfectus est, frustra quæretur alius; duobus autem modis id inquirimus, an nimirum omnes perfectiones habeat iuxta Philosophiam Aristotelis; an etiam iuxta Pythagoricos, & Platonicos.

Primo modo rem totam breui conficiemus; nam si gradus omnes, quos Philosophus, eiusque sequaces enumerant, in hoc mundo reperias, perfectissimum dicas necesse est, vel aliquem gradum Aristotelicis addas ordinibus, quos rerum naturæ complectuntur.

Varii gradus essentiæ rerum.

In primis igitur ea videmus, quibus à Deo simplex esse collatũ est; deinde cætera statuuntur quæ primum vitæ terminum, nempe vegetatiuum gradum obtinent; tũ ea, quæ cum isto vigore sensum, atque motum coniungunt, quartò sequuntur homines, qui tribus prędictis rationem addunt, & triplicem vitam cõtinent, sunt enim corpus cum elementis, & lapidibus, viuunt cum plantis; cum animalibus sentiunt, denique cum Angelis intelligunt, quos ad 5 ordinem referre possumus, quia sine ratiocinatione veritatem apprehendunt, simulque conclusionem, & antecedentia vi mentis ingenita penetrant, super quos solus est Deus omnipotens.

Ita verò inter se conueniunt elementa, vt vnumquodque duas qualitates habeat, quarum potiorem sibi propriã retinet, in altera tanquã in media conuenit cũ sequenti; est enim ignis calidus, & siccus, terra sicca, & frigida, aqua frigida, & humida, aër denique humidus & calidus. Rursus quædã grauia sunt, vt terra, & aqua; quædam leuia, vt aër & ignis, prima passiua iuxta Stoicos, secunda verò actiua. Ignis habet acuitatem, raritatem & motum, terra obscuritatem, densitatem, & quietem, aër ex illis duas qualitates ignis accipit, raritatem, & motum, vnam terræ, obscuritatem. Aqua duas terræ densitatẽ, & obscuritatẽ, vnam ignis, motum: Ignis aëre duplo acutior, inquiunt Pythagorici, triplo subtilior, quadruplo mobilior: ac proinde aër ipse aqua duplo acutior, triplo subtilior, & quadruplo mobilior, quia vt ignis ad aërẽ, ita ad aquam, aër, & aqua ad terram sese habet, verùm ne doctrina Pythagorica, atque Platonica nos citiùs à Peripateticis, quã vt par est, abripiat, omissis iis, quæ de motibus elementorum vulgò iactantur, deque combinationibus, pauca de singulis elementa consequentibus affero.

Lapides omnes terrei sunt, & natura sua graues, vt descendant, qui quia sic siccitate concreti sunt, vix liquari possunt. Metalla aquea sunt, & liquabilia, vnde proceres Alchimiæ asserunt ea viscosa esse, & ex Mercurio progenita; plantæ ita cum aëre cõueniunt, vt nisi sub diuo minimè pullulent. Inter lapides, alij terrei sunt, opaci, & grauiores, alij trãsparẽtes, & aquei, vt chrystallus, berillus, & margaritæ: alij supernatant aquæ, quòd sint aërei, & spõgiosi, vt pumex, & tophus, sunt & ignei, ex quibus ignis extrahitur, & in ipsum aliquando resoluitur, vel etiam qui ex igne geniti sunt, vt lapis fulminis, pyrites, & asbestus. Inter metalla quis nescit plumbum, & argentũ dici terrea, argentum viuũ aqueũ, aërea cuprum, & stannũ, ignea verò ferrum, & aurum? In plantis terram imitantur radices, vt in densitate constat, folia propter succum, aquam; flores aerem propter subtilitatem, semina ignem ob spiritum genitalem continent, vt reuera omnia elementa in singulis mixtis esse videantur, quorum nominibus insigniuntur, quando vocantur calidæ, frigidæ, siccæ, & humidæ. Inter animalia, vermes, lumbrici, talpæ, & multa reptilia terrea dicuntur, pisces aquei: aues aëreæ: igneæ salamandræ, & cicadæ pirau stæ dictæ, columbæ, struthiones, leones &c.

Plurimorũ animalium proprietates.

In his autem animalibus terram ossa, caro aërem, aquam humores, vitalis spiritus ignem referunt: Adde quòd bilis igni correspondeat, sanguis aëri, pituita aquæ, melancholia terræ: & in ipsa anima hominis, intellectus refert ignem, aërem ratio, aquam imaginatio, terrã vero sensus: Taceo quòd visus sit igneus, nec enim sine luce, vel igne percipit, auditus aëreus, cùm aëre percusso sonus efficiatur cui recipiẽdo auris aër innatus necessarius est; olfactus, & gustus sunt aquei, nec enim sapor, vel odor fit sine humore, denique tactus est terreus. Huc etiam motus hominis adducere possumus, vt tardus, & solidus motus à terra sit, pauor, inertia, & remissum opus ab aqua, alacritas, & amabiles mores ab aëre, impetus autem acutus, & iracundus ab igne; verùm de his alibi, quando discutiemus, an actiones humanæ à temperamento proficiscantur, quod cùm ex flaua, nigraque bili, & sanguine, atque pituita coalescat, 4 elementa suo modo complectitur.

Sensuum temperamenta.

Equidem

Equidem admiratione rapior, cùm mundum hunc tam sapienter coagmentatum esse video, vt nihil omnino ab eo dixeris abesse: tam bene summa correspondent infimis, & his atque illis media, vt statim concludere debeamus illum optimum, atque sapientissimum esse, qui hæc omnia condidit, & tam firmis vinculis omnia connexuit, nihil vt vacuum, vel mancum sit; ideoque videmus omnia vel cōtinua, vel contigua esse, adeout ipsa grauia ascendant, leuiaque descendant, ne tantisper ordo pulcherrimus interturbetur, & amor rerum omnium naturalisque cōcordia seruari possit: Cur obsecro Deus aquam terræ miscuit, nisi vt humore suo terram contineret, & à dissolutione vindicaret? Cur inter aquam & terram, limum: inter aquā, & aërem vapores; inter ignem & aërem exhalationes; inter ignem, & cœlum, æthera, inter limum, & lapides argillam; inter aquam & chrystallum adamantes, inter aquam, & metalla, Mercurium: inter lapides, & metalla, pyritem, vel marcasitam: inter plantas, & lapides, corallia; inter plantas, & animalia, zoophyta, qualis est Indorum Iogus: inter pisces, & animalia terrestria, amphybia, vt lutram: inter duos sexus, nempe marem, & fœminam, hermaphroditum: inter pisces, & aues, pisces sine pennis volantes, vel non volantes, tametsi plumas habeant: inter animalia, & aues, volantia sine plumis, vt vespertilionem: simias inter hominem, & animalia: inter belluas, & Angelos, homines collocauit? qui suis actibus, vel Angelorum naturam, vel brutorum imitantur; vnde vulgo de homine dicitur; aut bellua, aut angelus; præsertim si vitæ monasticæ partes obeat: Quæ omnia si accuratiùs persequar, quæstio hæc in iustum volumen euadet.

Mirabilis ordo specierum.

Ideóque omitto, quòd inter plantas, & mineralia, ἀργυρόδενδρον, seu arborem argenteam constituere possumus: sicut λιθόδενδρα inter arbores, & lapides, inter quæ supra coralium numerauimus; ita etiam inter plantas, & terram, cuscutam, viscum, boletos, & similia posita esse constat; inter arbores, & herbas, arbusta &c. ex quibus colligo, quàm iniustè nonnulli plures mundos postulent, vt Dei maiestas cumulatiùs resplēdeat; quid enim est in toto mundo: quid in omnibus partibus mundi: quid in singulis vnuscuiusque creaturæ particulis: quid in omnibus rerum omnium gradibus, & ordinibus inueniri potest, quod nō infinitam Dei bonitatem, sapientiam, atque potestatem laudibus efferat? Huc huc Athee mentem aduoca, & te apud teipsum recipiens liberè fatearis, mundum hunc pulcherrimum, & omni ex parte absolutissimum ab alio, quàm à Deo esse non posse, dum tibi nouam mūdi contemplationē è Pythagoræ, Platonisque schola desumptam eò libentiùs suggero, quò studiosiùs illorum doctrinam sectaris, vt pote quam tibi, magisque sociis tuis fauere putas, & quam omnibus paganis philosophis plurimum arridere video.

Quis mihi concedat, vt in præsenti φωνάσκος præstantissimus, vel συμφωνὴν sapiens euadam, vt inenarrabili mundi cœlestis, atque terreni melodia, quoslibet Atheos, Politicos, Apponenses & id genus alios homines, quos vexat atra bilis, nec helleborū persanare valet, ad vnius summi entis, Deique præpotentis naturā admittendā, admirandā, suspiciendam, adorandam, & amandā prouocem, & adducā? Vtinam mihi lyra Mercurij, vel Orphea contingat, vt 4 eius fidibus tam præclarum concentum efficiam, vt etiam ipsa bruta nostros Atheos ad veri Dei notiam amplectendam, & eius bonitatē agnoscendam adducant: his enim terram, aquam, aërē, & ignem facilè commoturus sum, quandoquidem grauissimâ chordâ hypate hypaton terram, sequēti parhypate hypaton minus graui aquam; aërē tertiâ paranete acutâ; vltimâ verò Nete omniū acutissimâ, & præstantissimâ chelys orphica referebar.

Harmonia mundi in Orphei lyra.

Quam mirabilis est ille perennis concentus, quo diuersis, ac penè infinitis, motibus, mixtionibus, alterationibus diuersas rerum species elementa producunt, sicut illæ 4 fides consonantias varias. Quid aliud cernis in 4 illis corporibus, præterquā ineffabile melos, quod terra cubica cum suis 8 solidis angulis, & sex planis areis, aqua cum 20 planis superficiebus, angulis 12: ignis pyramide sua 4 facierum, & angulorum totidem; aër cum 8 suis basibus, & 6 angulis personant? nunquid enim anguli 4 pyramidis igneæ cum sex angulis octoedri aquei Diapente progignunt? nunquid ipsæ superficies ignis, & aquæ diapason concinunt? Aspice terram, & ignem, inter quorum facies diapente, & inter angulos Diapason reperitur, mirare terram, & aquam, quarum anguli sesquialteram proportionem Musis tam amicam, superficies verò 6 terræ, cum 20 aquæ præter Diapason, & diapente, Diatessaron efficiunt.

Consonantiæ in elementis.

Denique si aquam cum aëre componamus, illico duplam progignunt habitudinem, quam Musicorum elixir, atque philosophorum lapidem, summúmque magisterium dixero; superficies autem 8, & 20 diapason simul cum diapente concinunt.

Omitto, quòd tetrachordum infimum hypaton terræ; Meson aquæ: synemmenon aëri, vt pote coniuncto aquæ: diezeugmenon igni, qui cæteris elementis absque violento motu non coniungitur, denique cœlis ipsis hyperboleon applicent.

Sed è terra ad cœlos conuolemus, in quibus 12 signa Zodiaci consonantias omnes continent: 12 enim ad tria facit disdiapason, quia est in quadrupla proportione, 12 ad 4 triplam habet, vt Diapason diapente constituatur; 12 collata cum 6; 8 cum 4; 6 cum tribus, vel 4 cum 2 generant diapason; sicut 12 cum 8; 9 cum 6, 6 ad 4, & 4 ad 3 hemiolium generant, vt diatessaron audiatur. Hæc autem non tantum in 12 signis Zodiaci obseruantur, sed prætera in 360 gradibus, quorum vnicuique, signo & mensi 30 Zodiacus distribuit, omnimodā harmoniam reperimus, vt constat in hoc circulo firmamentum referente, in quo trigonum aspectum 12 partes continentem aspicis, tetragonum, qui 90 gradus intercipit; hexagonum verò, qui 60 continet, ex quibus diapason harmonicè componitur, siquidem 60 ad 90 sesquialteram habitudinem includunt, 90 verò cum 120 collata sesquitertiam, seu diatessaron, quæ in præsenti figura videre potes, in qua aspectus signorum Zodiaci declarantur.

Harmonia cœlestis.



Nec ſuo concentu planetæ carent, quandoquidem Orpheus iuxta 7 planetas citharam ſuam inſtruxit, in qua lunam hypate; parhypate Mercurium; Venerem lichanos; Meſe Solem, Parameſe Martem; Iouem Parenete; Saturnum denique Nete referebat, quanquã alij, qui non altitudinem, ſed motum inſpexerunt, Saturno omnium tardiſſimo hypate, non Nete conceſſerunt.

Addunt à terra ad lunam vſque, tonum; à luna ad ☿ ſemitonium, vt ab hypate vſque ad parhypate, & à ☿ ad ♀ per Lichanos adumbratã, tonum, quem etiam à ♀ ad ○, Meſe nomine collocant; à ☉ ad ♂ ſemitonium, cui parameſe reſpondet. Iupiter & Saturnus ſuum vnuſquiſque tonum cõficiũt, vt paranete, Netéque referant. Quod & numeris Pythagoricis nonnulli explicant, ſupponentes ordine ſecundo ſolẽ conſtitui debere; numeros autẽ 7 tã pares, quàm impares obiiciunt, quorum primus ſit vnitas terræ accommodata, ſecundus 2 ſoli tribuitur, quia lunæ, & ſolis interuallum duplum eſt interualli, quod à terra vſque ad lunam intercedit. 3 Veneri; 4 Stilboni. 9 Saturno; quia Venus à ſole triplo magis diſtat, quã luna à tellure. *Numeri planetis accommodantur.* à ſole ad ☿ dupla eſt diſtantia, eius, quæ eſt à terra ad ſolem; & à terra vſque ad Martem triplum eſt interuallum, eius quod eſt à terra ad ♀. Iupiter 6 numerum ſortitur, octo videlicet, qui octuplo magis à terra diſtat, quàm ipſe ſol. Vltimo numero Saturnus gaudet, qui triplo magis à terra recedit, quàm Mars, illi ergo 27 numerus aptatur.

Memini Sirenes illius, quæ ſuper 8 verticula fuſi diuini ſedens tonum emittit, qui cum 8 verticulis perfectam edit harmoniam, vt in dialogo 10 de Republ. ſiue de iuſto Erus Armenius apud Platonẽ refert. *Plato.* Quod Põtus de cœlis explicat, qui ſimul concinnentes concentum admirabilem efficiunt; nam cœlum lunæ ſonum illum emittit, cui proſlambanomenos adaptatur, practici vocant A. re. ſol parhypate hypaton, vel C fa ut ♀ ſonat hypate Meſon, id eſt, E. lami. ☿ Meſe, vel A, la, mi, re. ♂ Trite diezeugmenon, ſeu C, ſol, fa, ut. ♃ Nete diezeugmenon, i. E. la, mi. Saturnus Nete hyperboleon, vocant noſtrates, A. la. mi. re. Syrene verò, quæ firmamento inſidet, decimamſeptimam cum luna facit in C. ſol. fa. quod antiqui Muſici minimè deſcripſerunt, quibus Syſtema 15 chordarũ ſufficiebat,

ſufficiebat. figuras id explicantes vide apud Glareanum. Itaque Socrates, & Plato dicebant 8 cœlum efficere diateſſaron præter illud ſyſtema.

Quod ſemper planetæ, ſecundum quos hebdomadæ ſinguli dies adminiſtrari videntur, ad amuſſim obſeruant. Saturnus enim à quo dies ſabbathi vocatus eſt, ſeſquitertiam proportionem cum ſole Dominicæ præſidēre facit. A ſole verò luna quarta eſt, quæ diem Lunæ regat, ab hac ad ♂ 4 ordines reperies, totidem à ♂ ad ☿, à ☿ ad ♃ Venus eſt quarta poſt ♃: denique Saturnus quartum à Venere locum obtinet. Si planetas eoſdem ſuis diebus inſignitos rectâ lineâ diſponas, ſinguli quique dierum binarij diapaſon efformabunt, luna enim erit Marti ſeſquialtera, Mars verò ſeſquitertius Mercurio, vnde fit diapente, & diateſſaron. ☿ eſt 5 à Ioue, hic Veneri quartus, Venus quinta à ♄, hic à ſole 4, vt triplex diapaſon reſultet, & inſuper diateſſaron à ſole ad lunam, vnde patet non ſine harmonia dies eſſe conſtitutos, & nuncupantos; quæ ſequenti diagrammate perſpicies.

Quod inuentum Ægyptiorum aperit, qui nomina diebus à planetis impoſuerunt, adeout diem illum ab eo planeta vocarint, quem primæ diei iſtius horæ præeſſe arbitrati ſunt, exempli gratia ☉ diei Dominicæ præfecerunt, à cuius hora prima, ſi pro qualibet hora peculiarem planetam enumeres, pro diei Lunæ hora prima verò ☽ occurret, die verò Martis hora prima diei Mars, & ſic deinceps, exēplum eſto in Dominica. Itaque ☉ præeſt horæ primæ, in die ciuili habemus 24 horas, quarum ſecundæ præeſt ♀, 3 ☿, 4 ☽, 5 ♄, 6 ♃, 7 ♂, 8 ☉, 9 ♀, 10 ☿, 11 ☽, 12 ♄, 13 ♃, 14 ♂, 15 ☉, 16 ♀, 17 ☿, 18 ☽, 19 ♄, 20 ♃, 21 ♂, 22 ☉, 23 ♀, 24 . Supereſt, vt ☽, quæ ſequitur, primæ horæ diei lunæ præſit, &c. Vnde fit vt dies non enumerentur iuxta planetarum immediatum, & naturalem ordinem, ſed ſecundum retrogradum duobus intermiſſis, vt diem ad muſicum concentum accommodarent, ſequens enim dies ſemper à planeta vocatur, qui quartus eſt à planeta præcedenti, vt ſi ☽ diei 2 dominatur, ♂, qui eſt 4 ordine retrogrado, 3 diei præerit, 4 ☿, quintæ ♃, &c. vt ſic quotidie planetarū diateſſarō exurgat antiquæ muſicæ fundamentum. Sed hoc commentum Ægyptiacum flocci pendo, cum nulla probabili ratione fulciatur: vide Xiphilinum, dum ad verſiculum tertium progredior, quæ enim de reliquis aſtrorum conſonantiis ſiue Fludanis, ſiue Keplerianis dici poſſent, vel iam antea relata ſunt, vel aliâs maiori cum otio diſcutiemus.

VERSICVLVS III.

Et benedixit diei septimo; & sanctificauit illum; quia in ipso cessauerat ab omni opere suo, quod creauit Deus vt faceret.

וַיְבָרֶךְ אֱלֹהִים אֶת־יוֹם הַשְּׁבִיעִי וַיְקַדֵּשׁ אֹתוֹ כִּי בוֹ שָׁבַת מִכָּל־מְלַאכְתּוֹ אֲשֶׁר־בָּרָא אֱלֹהִים לַעֲשׂוֹת׃

Καὶ εὐλόγησεν ὁ θεὸς τὴν ἡμέραν τὴν ἑβδόμην, καὶ ἡγίασεν αὐτήν· ὅτι ἐν αὐτῇ κατέπαυσεν ἀπὸ πάντων τῶν ἔργων αὐτοῦ, ὧν ἤρξατο ὁ θεὸς ποιῆσαι.

HEbræi sic exponunt benedicendi vocabulum, vt significet additionem boni. Bonum autem Sabbato additum sentiunt, quòd corpus hominis in eo plus vigeat, & anima magis sapiat, vnde procreandis liberis Iudæi solent operam dare Sabbato, magis quàm diebus cæteris, quia vim generandi propter Sabbatum efficaciorem autumāt, (Rabinorum stultitia.) iuxta illam sententiam השבת נותן קיום לכל דבר, id est Sabbatum tribuit robur omni rei, quod nonnulli spiritualiter explicant de Sabbato, prout in eo feriamur à peccatis, & meditamur in legè Domini, robur enim catenus largitur cunctis rebus, quatenus ab eo pendet rerum omnium fœlicitas, sed nō est opus verbis Rabbinicis spiritualem accommodare sensum, satis enim est, quod eorum falsitas manifesta sit, vbi aperiuntur. (Aben Ezra.) Aben Ezra vult illas generandi vires simul & contemplandi arcana Dei solis illis concedi, qui huic rei fidem habent: At (R. Isaac.) R. Isaac Caro præter אמונה fidem, addit & ידיעה scientiam, quia diei illius planeta est Saturnus à prima diei hora, ob quam toti diei tribuitur, qui hanc, inquit, facultatem habet, vt in (R. Caro hæc insulsa profert.) corporibus robur naturæ supra cæteros dies renouet, in cuius portione vim cogitandi, intelligendi, & sciendi mystéria, & cultus Domini collocat, stellam Israëlis vocat, in cuius portione sit anima rationalis, quam חמר בית loquentem vocat, sit etiam ex partibus terræ domus Sanctuarij, & ex linguis Hebræa, & inter leges lex Israelis.

Sunt autem qui benedictionem intelligant de singulari laude, qua Deus opera sua magnificauit, deinde quòd sanctificauerit, id est ad specialem cultum elegerit, separarit, & dedicarit, sic enim Io- (Iosue 20.) sue 20 sanctificandi verbum sumitur. His autem verbis Hebræi explicant, ad quid Sabbatum institutū sit הַשַּׁבָּת נִתְּנָה לְהָבִין מַעֲשֵׂי אֱלֹהִים וְלַה.וֹת בְּתוֹרָתוֹ idest Sabbatum datum est ad intelligendum opera Dei, & ad meditandum in lege eius: vnde Sabbatū non sanctificatur ob maiorem huiusce diei, quàm alterius bonitatem, sed quia finem habet, vt quis in eo sanctiùs viuat, adeout sanctiùs existimari possit sabbatum, in quo sanctius homines degerint, quapropter Hebræi potiùs ad hominem, quàm ad ipsū diem illam benedictionem, atq; sanctificationē referunt, vnde aiunt Sabbati benedictionem, & sanctificationem ad cultores eius redire, qui inde benedicti, & sanctificati erunt.

Relinquo cætera Rabbinica sibilis explodenda, qualia sunt Deū Faunos, & Satyros, vel dæmones imperfectos creasse, ex illo loco, *quod creauit, vt faceret,* & non fecit, quia propter vesperam vltimam, qua præuentus est Deus, inquiunt, non potuit eos perficere, quod aliqui ex fasciculo myrrhæ desumpsisse videntur, at illa impia sunt, quapropter ad textus explicationem accedo.

Benedixit igitur Deus diei septimo, quem nobis dedit bonis omnibus refertum, idque vt in eo homines quiescerent, & diuino cultui vacarent, quam benedictionem R. Agnon ait (R. Agnon.) transire super obseruantes, & sanctificantes ipsum Sabbathum, cuius obseruatio præscribitur à Deo (Exod. 20.) Exod. 20: *benedixit, & sanctificauit*, id est in eo sibi benedictiones, & laudes fieri voluit, cæteros exercitio deputans, illum verò cultui suo mancipans, benedixit, quia voluit, vt in eo celebraretur operum suorum præstantia, & dignitas, benedixit, & solemniter cōsecrauit, vt ea die sibi Deus studia, & occupationes hominum assereret, & nos retineret in operum suorum consideratione: quamuis enim vita hominis iugis beneficiorum Dei meditatio esse debeat, qua se quotidie exerceat, atque Dei bonitatem, iustitiam, virtutem, sapientiam in hoc magnifico cœli theatro cōtempletur, quia tamen minùs sedulò, quàm par est, futurum prçuidit Deus, vt huic considerationi homines intenti essent, ad supplendum, quod assiduæ meditationi deerat, septimum quemque diem peculiariter delegit, vt inter homines sancta foret, & in ea liberiùs mentes suas ad creatorem mundi applicarent: hæc ergo dies verè benedicta est, quæ homines mundi impedimētis eripit, vt totos Deo addicat: ad quod additus est nō leuis stimulus ab ipso Dei exemplo, vt præceptum amabilius redderetur; quomodo enim vel blandiùs nos ad obsequium Deus allicere potest, vel efficaciùs inuitare, quàm dum ad imitationem sui inuitat, & hortatur?

Et sanctificauit, id est in vsum sanctum segregauit, קדש enim illud significat, quod ad futurum Hebræi referunt, quando Moses idem sanciuit, & manna eodem die descendit, cuius die 6 portio du- (R. Salomō.) plex colligebatur, quod die sexto Deus, inquit R. Salomon opus duplicasset, & quod erat absoluendum Sabbato, confecisset die sexto, veruntamen hic dies obseruari potuit, vt & alia pleráque, qualia sunt sacrificia de mundis animalibus, &c. quandoquidem semper necessarium fuit, vt homines diuino

quibusdam præceptis in officio continerentur, & diuino cultui vacarent, quodusque adeò verum est, Hesiod. vt dies septimus magnopere ab Hesiodo, & alijs celebretur, & extollatur, & à Philone vocetur Philo. ἑορτὴ πάνδημος festum populare, ad omnes populos ex æquo pertinens; Sex autem diebus mundum creare voluit, & 7 quiescere, non quod omnia momento facere non posset, sed vt diutiùs nos in admiratione, & consideratione suorum operum detineret, alioquin enim segniores sumus in ijs, quæ ad eius gloriam spectant, segniores adhuc futuri, si vno momento omnia creasset, leuiter enim transiremus; Vnde concludo quàm sapienter Ecclesia Catholica procedat, dum tantum intuenti sacrificij apparatum præscribit, quæ si vnicam orationem ante Communionem dicendam, aut vnicum epistolæ D. Pauli capitulum antea prælegendum (instar Nouatorum ante suam prophanã cœnam) statuisset, facilè tantum mysterium contempsisset aliquis. Memini quorundam qui diei 7 Sanctificationem, & quietem allegoricè ad Christum referant, qui postquam omnia reparationi nostræ necessaria peregit, hocce verbo, *Consummatum est*, omnia compleuit, & ab opere, ad quod missus fuerat à patre, cessauit. Verbum autem, sanctificauit, aliquando valet idem, ac sanctum agnoscere, vel celebrare, & colere, quomodo dicimus in oratione Dominica, *Sanctificetur nomen tuum*, sicut è Octo significationes verbi Sanctifico. contrario pollui nomen Dei, est infamari, ac pro vili, & contempto haberi; de quibus Ezechiel c. 36. Ezech 36. fusè loquitur. Vide cap. 10. Leuitic. 20. Numer. 5, Leuit. 20. Num. 5. Isai. 8. & 8 Isai. Deinde sanctificatio pro oblatione sumitur Ioan. 17. vbi Christus alloquitur patrem, & Ioan. 17 pro discipulis orat. *Pro eis sanctifico meipsum, vt sint & ipsi sanctificati in veritate*, idest me tibi offero, qui sum valoris infiniti, vt eos gratiæ tam gratuitæ, quam gratum facientis donis impleas. Tertiò sanctificare significat ab alijs ἀφορίζειν segregare, & ad aliquod opus singulare destinare. Quartò aliquem iustum, & sanctum reddere; ita Deus nos in Baptismo, cæterisque Sacramentis per infusionem gratiæ, fidei, spei, charitatis, cæterarúmque virtutum sanctificat, & iustificat, non autem per meram non imputationem, quam hæretici rationalem, & imputatiuam iustitiam appellant. Quintò sumitur pro bonis operibus, quibus nos ipsos sanctificamus, dum cooperamur, quandoquidem non vult nos sine nobis saluare, qui nos sine nobis creauit, Ad Rom. 6 quo sensu ad Roman. 6. iubemur membra nostra conuertere ad iustitiam, & sanctificationem; & Leuit. 20. Leuit. 20. *sanctificate vos*. 1. ad Thessal. 4. *hæc est volun-* 1 ad Thessal 4. *tas Dei sanctificatio vestra*. Sextò significat non tantùm oblationem rerum omnium, vt Exod. 13. *San-* Exod. 13 *ctifica mihi omne primogenitum, sed etiam externam,* Exod. 19 *seu legalem munditiem*. Exod. 19. *Sanctifica eos hodie, & cras, & lauent suas vestes*, quæ sanctificatio ad car- ad Hebr. 9 nis facit purificationem ad Hebr. 9. & Actor. 21. Actor. 21. vbi Iacobus ait Paulo. *Hisce assumptis sanctifica te*. Sic Machab. 1. c. 4. *sanctificarunt*, idest expiarunt, 1 Machab. 4 *quæ erant intra domum*, Septimò sumitur pro alicuius rei constitutione, maximè si ad Dei cultum referatur: vt sanctificare ieiunium legimus Ioel. 1, & Ioel 1, & 2 2. tunc enim separatur ille dies à cæteris, & cultui diuino deputatur, atque destinatur, ita etiam Medi Isai. 13 ad destructionem Babylonis *sanctificati*. i. Isai. 13. electi, vel destinati dicuntur Isai. 13, & Ierem. 12. Ierem 12. *sanctificatos habes ad diem interfectionis*. Matth. verò Matth 23 23. *altare sanctificat donum, quod super illud est*: sic etiam Ierem. 6 dicitur, *sanctificate contra eam bel-* Ierem 6. *lum*, idest molimini, præparate constituite, vt & Micheæ 3. Octauò denique velut antiphrasticōs contaminari, & coram Deo immundum esse signi- Miche. 3 ficat, vt Exod. 24. *Omnis, qui tetigerit altare, sancti-* Exod 29. *ficabitur*: eodémque sensu sumitur Aggæi 2. Deut. Agg. 2. 22. Isai. 65, & alibi: vnde & scorta Iudæis קדשים Deut. 22. Isai 65. kedeschim dicuntur.

Sunt autem, qui existiment hanc Sabbati sanctificationem per anticipationem cõmemorari, & relatiuè ad tempus scriptæ legis, quandoquidem homines in statu innocentiæ non indigebant vlla temporis determinatione, quo Deum colerent, qui perpetuis eum laudibus celebrassent: deinde labor, à quo die Sabbati abstinendum est, nullam eis pœnam attulisset. Tertiò nullum Adamo præceptum impositum esse legimus, præter quàm de non edendo fructu, de quo posteà. Quartò Moses in huius præcepti traditione nõ meminit antiquioris præcepti: Quintò solâ præceptorum moralium, legisque naturæ obseruantiâ cum aliquo supernaturali Dei auxilio Gentiles salutem consequi potuerunt, igitur Sabbatum non fuit eis in præceptum, alioqui omnes obligasset. Deinque non legimus illud à sanctis Patriarchis obseruatum, cui sententiæ suffragantur Euseb. lib. 1. hist. cap. 4. Euseb. Iustin. in dial. cum Tryph. Tertul. & Cypr. aduer. Iustin. Tertul. Cyprian. Iudæos, quos cum cæteris aliter sentientibus componere possumus, hi enim de præcepto explicandi sunt, alij de bene esse, vt vocant, quatenus optimum fuit Deum imitari, qui priùs Sabbatum obseruasse videtur.

Quod creauit, vt faceret. sic à Nehemanide exponitur, *Cessauit ab omni opere suo, quod creauit ex* R Nehem. *nihilo, vt faceret ex eo omnia opera, quæ memorantur in 6. diebus. Et ecce dicit, quod quieuit à creatione, & ab opere creationis, quod creauit in die primo, & ab opere quod fecit in diebus cæteris*. R. Salomon: vt fa- R. Salomõ. ceret die sexto geminum opus, & ex eo pro- Aben Ezra. pagaret anteuertens, quod septimo faciendum erat. Aben Ezra mauult ad radices rerum 6 diebus creatas referre, vt eæ deinceps sibi similia producerent; quod quidem maximè nobile est, vt ipsæ creaturæ non solùm essent, verum etiam sibi similes progignerent, vt ea ratione perpetuitati rerum ominium consultum foret.

Ramban illud לעשות non ad proximum refert, sed Ramban. ad remotius, vt sit sensus, *facere cessauit*. Alij hebraizantes, volunt his verbis idem innui, ac cùm dicitur iurando iurauit, faciendo fecit. Sunt qui sic explicent, vt faceret, id est, ad certum vsum, & finem destinaret, ac vnicuique rei finem præstitueret. Aretinus verò: vt faceret, id est aliquam bonitatem rebus communicaret, Aretin. vt hic libertatem suam Deus ostendat; ac si rogatus cur mundum crearit, responderet, feci vt facerem, seu quia placuit facere; vel creauit opera sua hominem præcipuè, vt faceret, id est ad exemplum, quod à Deo monstratum est, ipse operaretur, nec enim creati sumus, vt torpescamus otio & Dei gratiam incassum accipiamus, sed vt operemur; quandoquidem res omnes propter operationem suam esse existimantur iuxta id Aristot. 2. de cœl. *Cuiuscunque rei est aliquod opus,* Arist. *ea res est gratia illius operis*, vnde diuus Paulus ad Ephesios capite secundo, *Ipsius sumus factura creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus*: Iure verò

Rupertus reprehenditur, qui 2. de Trinit. cap. 18. Rupert. ait Deum priùs in æterno verbo creasse, seu in essentia sua, quod fecit posterius in opere externo; nec enim quidquam in Deo creatum esse potest, quia Deus ipse est, quicquid est in Deo, in quo ipsæ creaturæ viuentes, vel ideatæ sunt ipsemet Deus. Denique vult Catharinus creasse Deum, vt faceret; .i. facientem, sicut Christus veluti creauit, vt reficeret, id est redimens restaurauit, ac velut refecit, quod peccato destructum fuerat. Catharin.

VERSICVLVS IV.

Istę sunt generationes cœli, & terræ, quando creata sunt in die, quo fecit Dominus Deus cœlum, & terram.

אלה תולדות השמים והארץ בהבראם ביום עשות יהוה אלהים ארץ ושמים׃

Αὕτη ἡ βίβλος γενέσεως οὐρανοῦ καὶ γῆς, ὅτε ἐγένετο· ᾗ ἡμέρα ἐποίησεν ὁ θεὸς τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν.

אלה תולדות elle toldot, istæ generationes. 70. *αὕτη ἡ βίβλος γενέσεως*, quorum sensus est, hi sunt natales, ortus, vel origines rerum omnium, quandoquidem omnia hisce duobus cœlo, & terra comprehenduntur: Est autem in hoc versu quædam *ἀνακεφαλαίωσις*, & epilogus omnium, quæ hactenus dicta fuêre: nec otiosam debemus æstimare tam frequentem creationis repetitionem, satis enim Deus præuidebat fore plurimos, qui mundum ab æterno creatum esse dicerent, & omnem prouidentiam tollerent, ideóque Moses altiùs volens tantum beneficium nostris mentibus infigere, sæpiùs idem repetit: multa sunt, quæ circa primam istius versiculi particulam in præsenti dicenda forent, quia eædem in ea literæ sunt, quæ in nomine Dei. אלה; tametsi hîc idem sit, ac illæ, seu istæ, & isti, est enim communis generis; ab אל autem præpositione fieri dicitur addito ה paragogico; sed hoc negotium ad finem explic. versic. in quęstione peragemus. Notant Hebræi semper אלה dirimere præcedentia à sequentibus, vbicunque reperitur; vbi verò dicitur ואלה ad præcedentia referendum esse, & cum his sequentia coniungere, itaut hîc sensum esse velint, hæc scilicet prædicta, generationes sunt cœli, & terræ; ita R. Salomon,
R. Salomō. & Beresith Rabba, nonnulli tamen aiunt id non
B. Rabba. esse perpetuò verum, quòd initio Deuter. אלה הדברים ad sequentia referatur, non ad præcedentia, & hîc ad præcedentia referatur, non ad sequentia: Itaque mihi placet iste sensus, hæc est series, summa & epitome generationis, seu creationis cœli, & terræ, quod dixit Moses, vt magis ac magis inculcata mundi creatione ad paralipomena transiret, & copiosè nobis omnia explicaret, quæ præcedenti capite vel breuiùs docuerat, vel tacuerat, qualis est paradisus &c.

Adde quòd תולדות non semper generationes, sed aliquando res gestas, & euenta significat: hæc autē vox vbiq; legi defectiuè in bibliis sine primo ו notant, exceptis duobus locis, præsenti videlicet, & in capite vltimo libri Ruth, in quibus integrè cum duobus ו scribitur; cuius rei hanc assignant rationem quòd excepta cœli terræque generatione, generationes omnes aliæ imperfectæ sint, si tamen Messiæ generationem excipias, in qua Rabbini veteres integrum Toldot scribi dixerunt. Porrò statim actiuè, statim passiuè sumitur, vt initio capit. 5. *hic est liber generationis Adam*, eorum videlicet, quos genuit: vnde putant aliqui 70 huc transtulisse *βίβλος γενέσεως*: actiuè quidam Hebræi תולדות hic exposuerunt sensu, *hæc sunt, quæ genuerunt ex se cœlum, & terra rerum initio, nempe cœlum solem, lunam, & stellas, terra verò plantas, animantes, hominem*. at hîc passiuè sumi debet. Placet addere quæ R. Isaac Caro dixit: Cur reliquæ generationes, quæ sunt in Scriptura, defectiuæ sunt? R. Caro. quia cùm Deus creauit mundum suum, non erat angelus mortis; ex quo autem peccauit homo, fecit vt mors imperium in mundum haberet, & decurtauit omnes generationes, at cùm venisset Phares, factæ sunt eius generationes plenæ, quia Messias ex illo venturus erat, & Dominus absorpturus mortem, quia vbicumque dicitur אלה profanat, & tollit priora, quod ille Rabbinus è Midras desumpsit. Scio quidem illos Rabbinos plurima sæpè cabalisticàs comminisci, sed reuera dicere possumus à peccato primi parentis omnia vsque ad Christum imperfecta fuisse, in quo restaurata sunt vniuersa.

Quædam etiam circa dictionem בהבראם behibaream obseruanda sunt, quam ita vertimus, quando creatæ sunt, alij verò in creari ea, sicut & ביום עשות *beiom hasot*, in die facere, id est in die quo fecit: volunt igitur Hebræi minusculum ה in illa dictione scriptum esse non sine mysterio, colligunt enim ex his duobus literis יה positis Isai. 26 ביה ה *in Domino creatio*, mundum Isai. 26. vtrumque creatum esse, superiorem quidem litterâ י, quam diuinitatis indicem faciunt, littera verò ה mundum hunc inferiorē, & humilem, cuius littera

litera hé omnibus lateribus clausa, præterquam vno, deorsum versus index sit, atque significet omnia in hoc mundo inferiori corruptioni, & fossæ in quam omnes descendunt, esse obnoxia; apicem verò litteræ ה qui sursum ascendit, aiunt denotare homines, qui sursum mẽtes attollunt, non in his corruptibilibus, & imis hærere; præterea sicut ה facilè profertur, & sine labore, ore aperto, cùm in cæteris literis, dempta א, quæ ei vicina est, concludendum sit os, significari volunt per ה, quòd Deus sine labore solo nutu omnia crearit, sed hæc tametsi vera sint, non ideo, quod hæ literæ ita se habeant, nec minus literis latinis, aut Græcis applicare possemus mysteria; at cum hæc cabalistica sint plurima in quæstione de vi nominum ea de re dicturi sumus. *In die qua fecit Dominus*, à Mose scriptum est indefinitè pro 6 diebus, quibus omnia creauit Deus, vnde R. Salomon perperam colligit Deum vno die, vel momento fecisse mundum, cæteris verò diebus elementa protulisse, quæ in se includebant; vt cœlum sidera, & terra plantas; quandoquidem sola Dei virtute non tantùm elementa, verùm etiam mixta omnia producta sunt. Hactenus in toto creationis opere nomen האלהים positum est bis, & tricies, quod Hebræi referunt ad 32 semitas, seu vias sapientiæ, quibus in his rebus creandis vsus fuerit Deus, de quibus abundè dixi in additionibus ad problemata Veneti: At primò hîc nomen tetragrammaton coniungitur cum Elohim; cuius rei hanc afferunt rationem, quòd Elohim sit nomen iustitiæ, & seueritatis, יהוה verò nomen misericordiæ: Deum autem primum mundum in iustitia fecisse, quem cùm ita consistere non posse vidisset, nomen adiecisse clementiæ, qua mundus iam completus opus habuit, vt conseruaretur, itaut iam sit accommodatum nomen mundo completo, vt deinceps non tantùm אלהים, sed האלהים diceretur: Addunt nomen Elohim significare diuinam potentiam, atque maiestatem, per quam priùs creaturæ factæ sunt, antequam tetragrammati vsus esset diuinam essentiam significantis, ad quam peruenire non possumus, nisi ex operibus omnipotentiæ, vt per ea, quæ visibilia facta sunt, ad inuisibilia progrediamur, adeout homo non tantùm cognoscat dominum esse potentem, & magnificum אלהים, sed etiam bonum, & verum ens, à quo omnia pendeant: ה ה à היה, *fuit*, de quo quia plura dicenda sunt, sit.

R. Salomõ.

QVÆSTIO XXI.

De nominibus יהוה, *&* אלהים, *quæ in præcedenti Versiculo scripta sunt.*

CVm toties hæc duo nomina Dei repetantur in Scriptura, visum est operæpretium, vt de his breuiter agamus. In tetragrammato multa mysteria concludunt Hebræi, vt quòd Trinitatem indicet tribus literis diuersis ad distinctionem trium personarum aperiendam; quòd ה geminetur ob geminam Christi Domini naturam, & cætera, quæ tametsi vera sunt, ea tamen curiosè nimis in nominibus Hebraicis inquirunt. Tametsi verò אֱלֹהִים, & אֲדֹנָי Deo, Angelis, hominibus excellentibus, iudicibus, atque dominis communia sint, vt notat R. Moses Ægyptius lib. 1. ductoris, attamen יְהֹוָה est soli Deo proprium, vt pote nomen eius sanctissimum τετραγράμματον, & ineffabile, quod propterea Græci ἀνεκφώνητον, ἄῤῥητον ἄφραστον, ἄλεκτον, ἄφθεγκτον, & ἀπόῤῥητον, ὃ ῥηθῆναι μὴ δυνάμενον, appellarunt; & quidem eius pronuntiationẽ cum templo desiisse ferunt, in quo à solis Sacerdotibus summa cum reuerentia pronuntiabatur, cùm populo benedicerent; Ideóque nomen hoc semper velut ab aliis nominibus separatum, atque secretũ existimatũ est, vt Iudic. 13 patet, vbi Angelus de suo nomine rogatus ita respondit; Cur quæris nomen meum, quod est mirabile; Hebraicè פֶּלִאי secretum, atque ideo non publicandum, & Exod. 3. cùm dicitur. *Hoc mihi nomen est in æternum*, pro לְעוֹלָם, aliqui legunt לְעַלֵּם, id est, vt celetur; Quibus Trismegistus suffragatur, cum de Deo verba faciens dicat, ὃ τὸ ὄνομα οὐ δύναται ἀνθρωπίνῳ στόματι λαληθῆναι, & alibi docens filium ἔστι γὰρ ὦ τέκνον ἀπόῤῥητος λόγος σοφίας ἅγιος περὶ τοῦ μόνου κυρίου ... ἀνθρώπων ἐστὶ, id est, *Est enim fili secretus quidam sermo sapientiæ sanctus de solo Domino, quem dicere supra hominem est.* Nunquid Athenienses ideo dedicarunt altare ignoto Deo? nunquid Pythagorici per tetractyn hoc Dei nomen intellexére? R. Moses supra vult Sacerdotes hoc nomine tantùm inter parietes templi benedixisse, extra verò nomine אדני vsos esse; Alij dicunt nomen יהוה ineffabile dici, quòd εὐλαβείᾳ quadam ab eius pronuntiatione abstinerent: vel quòd posterior ætas illud efferre non potuerit, tametsi tempore Mosis vulgò pronuntiaretur.

R. Moses. Iudic. 13. Exod. 3. Trismegist. R. Moses.

Videantur Theodoret. quæst. 15 in Exodum; Euseb. 11. de præpar. & Galatin. qui de hoc nomine verba faciens, ait ideo ineffabile fuisse, quia repræsentat Deum trinum, & vnum, qui ineffabilis est; & vt in maiori reuerentia haberetur; & quia nomen illud cognoscibile non est, inquit Paulus de sancta Maria, nisi per summam potestatem diuinam in effectibus suis relucentem, ideóque per Adonai effertur vbicunque reperitur, quod Dominum significat. Illud autem nomen summus Sacerdos 10 Thisri, qui erat dies ieiunij expiationis, efferebat in templo, vel vt Philo loquitur lib. de vita Mosis ἐν ἀδύτοις vnde liber Liturgiarium ait: *In sanctuario pronuntiant nomen per scripturam eius, in vrbe autem per cognomen eius:* idemque habetur in libro Siphre; Galatino libr. 2. cap. 10 Lira in Exod. cap. 6. & Burgen. Exod. 3. Adde etiam Mosem Ægyptium in More Nebuchim part. prima capite 60.

Theodor. Euseb. Philo. Galat. Lyra. Burgen. Moses Ægypt.

Hinc tot Rabbini dixerunt eum partem in sæculo futuro non habiturum, qui nomen Tetragrammaton pronuntiarit; & Exod. 3. vers. 15.

Exod 3.

deficere י in לְעֹלָם, vt innuatur nomen occultandum esse.

Tametsi verò Sacerdotes nomen illud pronuntiarent 3 digitis ambarum palmarum erectis, & duobus depressis ad designandam diuinarum personarum Trinitatē ipsum per nomen significatā, Galat. inquit Galat. cap. 9. lib. 2. ex Mose Maimonide, desiit tamen eius pronuntiatio in Simeone Iusto, qui Christum suscepit in vlnis suis, vt postea tantùm per nomen 12 litterarum benedixerint.

Omitto quòd variè legendum arbitrentur hoc nomen, siue Ιαὼ, ιεωὰ, & Ιαὺ, siue, Ιὰυ, ιαὼ ιὰ, Ιαβὲ Macrob. dixeris, vt apud Macrob. 1. Saturn. cap. 18. Iren. Iren. lib. 2. cap. vltim. Epiphan. hær. 26. aduersus Gno- Epiph. sticos, & alios videre est.

Recentiores legunt Iehoua, vel Iehoui, & Ioua, sed melius per elohim legi volunt non pauci, cùm eius puncta habeat, idque Massoritæ confirmant, dum aiunt quædam non legi, vt quæ nullis apici- 2 Reg. 13. bus insigniuntur, quale est אם 2. Regum 13. & חמש Ezech 48 Ezech. 48. 16. alia verò legi, sed per alias consonantes, quàm eas, quæ sunt in textu, vt 4. Reg. 8. 17. & Isai. 36. 12 חריהם, quod legunt צואתם, id est 4 Reg. 8. stercus suum, sic etiam in eodem versu שֵׁינֵיהֶם le- Isai. 36 gunt מֵימֵי רַגְלֵיהֶם, id est, aquam pedum suorum, vt in margine notarunt ipsi Massoritæ. Ita 28. Deuteronom. ver. 17. בַּעְפָלִים aliis literis בטחרים, id est, Deut. 28 mariscis, & cap. 28. ver. 30 יִשְׁגָּלֶנָּה per ישכבנה exprimunt. i. propter illam dormiet. Alia sunt quæ leguntur, & non scribuntur; sic 4. Reg. 17. vers. 25. 4. Reg. 17 איש & Ierem. 31. ver. 39. בָּאִים desiderantur. Inter ea Ierem 31 verò quæ scribuntur, & non leguntur nisi aliis cōsonantibus, est hoc nomen Tetragrammaton, cui puncta Adonai subiiciuntur. Ita sentit R. Dauid R Dauid. psalm. 71. vers. 12. & Aben Ezra Exod. 3. Attamen cum Adonai præcedit, vel subsequitur, Tetragram- Aben Ezra. maton exprimitur per elohim. Inuenies etiam apud Procopium in Isaiam hoc nomen ita scri- Procop. bi ΠΙΠΙ fortasse ob similitudinem cum Hebræo יהוה, quod Postellus in alphabeto 12 linguarum ita Postell. scribit ΙΠΙ ΠΙ. At de hoc nomine iam alicubi diximus, & sæpius occasio dicendi recurret. De nomine elohim quæst. 2. diximus.

VERSICVLVS V.

Et omne virgultum agri antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis priusquam germinaret; non enim pluerat Dominus Deus super terram, & homo non erat, qui operaretur terram.

וְכֹל שִׂיחַ הַשָּׂדֶה טֶרֶם יִהְיֶה בָאָרֶץ וְכָל־הַשָּׂדֶה טֶרֶם יִצְמָח כִּי לֹא
הִמְטִיר יְהוָה אֱלֹהִים עַל־הָאָרֶץ וְאָדָם אַיִן לַעֲבֹד אֶת־
הָאֲדָמָה׃

Καὶ πᾶν χλωρὸν ἀγροῦ πρὸ τοῦ γενέσθαι ἐπὶ τῆς γῆς· καὶ πάντα χόρτον ἀγροῦ πρὸ τοῦ ἀνατεῖλαι. οὐ γὰρ ἔβρεξε κύριος ὁ θεὸς ἐπὶ τὴν γῆν, καὶ ἄνθρωπος οὐκ ἦν ἐργάζεσθαι αὐτήν.

IDem est Hebræi, Græci, & Chaldæi sensus: hic autem versiculus cum præcedenti connectitur, quia eodem die, de quo supra, Deus omne virgul- R. Kimhi, & Ezra. tū agri produxit, pro quo 70 verterunt χλωρὸν: Hebraicè legimus שִׂיחַ quod teste R Kimhi statim herbas, statim arbores significat, quod etiam Aben- Eugubin. Ezra per עץ hets lignum explicat. Eugubinus autem ajt יָרָק à *ierac*. i. viridi, virgultum significare, vel propriè viriditatem, adeout *ierec* dicatur, quicquid in herbis, vel plantis viride fuerit. Quidam Hebrei nolunt versiculum hunc cum superiori cōiungi, sed in eo nouæ sententiæ faciunt initium ea ratione. *Et omne virgultum, siue arbor agri nondum erat in terra*, &c. ratio est quia nondum pluerat Dominus super terram; quos si rogas, quomodo id conueniat cum eo, quod 1. cap. dictum est 3 die R. Salomō. producta fuisse crescentia, respondent cum R. Salomon tertia quidem die terræ nascentia producta fuisse, sed ad iustam magnitudinem non excreuisse, & adhuc tenera prope terram constitisse, donec Nachmāni. plueret. Nachmanni verò ait Mosem non loqui de herbis, quæ iussu Dei 3 die natæ sunt, sed de illis, quæ iuuantibus pluuiis, & hominum industria nascuntur, quæ nullibi locorum adhuc extiterant, quod ex eo probare contendit, quia שדה in eo distinguitur ab ארבה, quod agrum cultum significet, quibus fauere videtur Onkelus, Onkelus. qui ita vertit. *Et omnes arbores agri, nondum fuerunt in terra*; contra quem sentit R. Kim- R. Kimhi. hi, qui טֶרֶם ait idem valere, quòd קֹדֶם, id est antequam, quod congruit nostræ vulgatæ, & 70. qui πρὶν, id est priùs vertunt, at hæc omnia facilè conueniunt, siue enim טֶרֶם terem significet עד לא, id est nondum, vt ait Kimhi, siue, priusquam vt alij, rectè sensum versiculi intelligere possumus, quandoquidem nondum terra produxerat herbas illâ virtute germinatiuâ, quam postea Deus illi contulit, quando ipse hac voce, *germinet terra*, &c. plantas omnes produxit, siue terra materialiter concurrerit, siue non, hîc enim tantùm duas causas exclusas habemus, & pluuiam, & hominis laborem; nec enim adhuc pluerat die 3, nec homo creatus erat, quamuis nunc ad herbas omnes generandas pluuiæ, & homines

mines non parum conferre possint. Itaque sensus est, Deum propria virtute virgultum agri produxisse, antequam id per causas naturales fieret, antequam ad illud pluuia decidens, aut hominis industria concurreret; Quapropter iure merito Beresit Rabba, & R Salomon cum cæteris explodendi sunt, qui putant die 3 herbas è terra non erupisse, sed tantùm in ostio soli constitisse vsque ad diem sextum, vt homo pluuiæ beneficium agnosceret, qua Deus maceratam, & madefactam, ac molitam terram reddidit, vt ex ea materia hominem produceret, arbitrantur enim versiculum sequentem cum hoc 5 coniungendum, quasi die sexto pluuiam immiserit, vt pistoris, vel mulieris instar, quæ farinam aqua subigit, aqua pluuiæ terram arefactam temperaret, vt ex ea produceret hominem; quasi verò Deus indigeret madefacta terra, qui ex nihilo omnia produxit: adde quòd satis humefacta esse potuit ex aquis, quæ paulò antea terram obtegebant.

B. Rabba. R. Salomó

Non pluerat: המטיר himtir est verbum transitiuum in Hiphil. i. pluere non fecerat, quo nobis aperitur Deum esse autorem pluuiæ, tametsi causæ naturales concurrant: vnde toties promittit pluuiam tam matutinam, quàm serotinam Deut. 11. & 28, Hierem. 5. R Salomon ait nondum pluuiam à Deo immissam fuisse, quòd nondum homo fuerit, qui eius necessitatem, atque vtilitatem agnosceret, atque pro ea Deum rogaret: verùm idem de rebus cæteris vt de belluis, piscibus, auibus, & herbis asserere posset, quod tamen falsum est, cùm ea Deus creauerit, quamuis homo nondum esset.

Deut. 11. & 28. Hierem. 5. R. Salomó.

VERSICVLVS VI.

Sed fons ascendebat è terra, irrigans vniuersam superficiem terræ.

וְאֵד יַעֲלֶה מִן־הָאָרֶץ וְהִשְׁקָה אֶת־כָּל־פְּנֵי הָאֲדָמָה׃

Πηγὴ δὲ ἀνέβαινεν ἐκ τῆς γῆς, καὶ ἐπότιζε πᾶν τὸ πρόσωπον τῆς γῆς.

PAgnin. vertit; *& vapor ascendebat*, Chaldæus autem, *nubes*. Aquila, καὶ ἐπιβλυσμὸς, irrigatio, vel vt alij reddunt, *scatebra*, à βλύζω scaturio, in editione Romana habetur etiam, sed Aquilæ Drusius tribuit ἐπήλυσις, qui notat 1 Prouerb. ver. 16 in editione Aquilæ legi ἐπιβλυσμὸς, eruptionem significat, ἐπιβλυσμὸς à βλύω ebullio, & erumpo. In hoc conueniunt nouatores, vt hîc vulgatam arguant, quòd loco vaporis fontem vertat 70 secuta, qui sic habent, πηγὴ δὲ fons verò, cùm tamen Hebræi pro fonte עין aut מעין dicant, nunc autem habent אד, quod Chaldæus vertit ענן nubem: Itaque hæretici Rabbinos secuti sic exponunt, vapor operatione luminarium è terra ascendit, qui in pluuiam resolutus terram fœcundauit, sic enim R. D. Kimhi qui vaporem fumum appellat, & ollæ aperit exemplo, de qua fumus ad operculum perueniens, statim in aquam resoluitur.

R. Kimhi.

Est & aliud apud Rabbinos, qui negationem hîc apponũt, vt R. Saadia, qui רב סעדיה Haggaon, id est, excellens Doctor ab Aben Ezra vocatur, fuitque ex illis, qui peculiariter Gaonim dicebantur, & ita vertit: *Neque vapor ascendebat è terra*, quem teste Drusio Tremellius, & Iunius secuti sunt, cùm ita vertunt. Aut vapor vllus ascenderat è terra, quos meritò redarguit, cùm sine iusta causa, vnius Saadię authoritate fulti à vulgata recedant, malunt enim per fas, & nefas hostes Christiani nominis sequi, quàm Catholicos veros amicos, & filios Dei: neque prodest, quòd negatio אין Saadiæ iudicio, quæ in præcedenti versiculo legitur, ad præsentem referri debeat, cùm id sine ratione asserat, & ipse nouator Drusius neget vllum exemplum occurrere, in quo negatio repeti possit ab vno versu in alium: atque adeò non vult concedere sensum hunc.

R. Saadia, seu Haggaõ

Et homo non erat, qui coleret terram, neque vapor adhuc erat, qui terram irrigaret, tametsi Fagius dicat negatiua in principio sententiæ posita in Hebraismo non rarò ad plura referri.

Fagius.

Quibus omissis. Dico primò nostram vulgatam bene vertisse, ac proinde immeritò à nouatoribus reprehendi, satis enim hebræum textum, cui tantopere inniti videntur, ipsa sequitur; si quidem ואד veed apud Hebræos vaporem, fumum humidum, nebulam, & alia significat, vt ipsi concedunt, cuius radix est איד, at quid est aliud fons, quàm vapor aliquis, imo vapores multi, qui in cauernis terræ inclusi resoluuntur in aquas fontanas, & hac illac erumpũt, vt agros, prata, vallesque præsertim irrigare possint; Nili meminerint, obsecro, qui totam Ægyptum irrigat; nunquid vel fons à quo sumit originem, paradisi terram, aut etiam circumiacentem irrigare potuit? nunquid vel alij fontes aderant, quibus vteretur omnium dominus? nunquid mare per diuersos terræ alueolos erumpens, ac veluti terram fœcundans, fons magnus dici potest? vt satis innuit D. Augustin. 5. de Genes. ad lit. cap. 10. Adde quòd magis 70 quàm omnibus non tantùm hæreticis, verùm etiam Rabbinis credendum sit, qui verterunt πηγὴ.

Fons quid.

Augustin.

Sed demus אד propriè vaporem sonare: nunquid ille vapor fons dici potest, sicut & ipsa nubes pluuiam stillans? etenim in media regione aëris cæcus est, qui non videt fontium perennium, instar esse nubes, è quibus, quando vult Deus, pluuiarum thesauros educit, vel eos claudit, vt impiis cœlum sit æneum, atque ferreum, quod etiam ex Arist. 1. meteor c. 1. cõfirmare possum, qui nubes ex aquis ortas, & in aquam verti solitas, circularẽ & perennem fluuium vocat, qui per aërem fluit.

Arist.

OnKelus. Deinde quod affirmet, non autem neget hic verſiculus, noſtros aduerſarios iudices facio; Onkelus enim ita vertit: *Porrò nubes erat aſcendens*, vbi effectum pro cauſa nubem pro vapore ponit; ſic etiã hæretici ferè omnes explicant.

Quod non impedit, quin verſic. hic præcedenti coniungatur, hoc ſenſu: cùm nondum eſſent pluuiæ, vel homo, qui terram coleret, fons tantùm irrigabat terram, quod maximè confirmaretur, ſi verum eſſet, quod notat gloſſa interlinearis, nempe hoc fonte exundante terræ germina rigata fuiſſe, adeout ante Noë nullæ pluuiæ fuerint, quas aliqui putant abſque peccato nunquam futuras, ac proinde in eiuſdem peccati vindictam inductas, quia turbant aërem, nulla verò elementorum perturbatio, nulla aëris obſcuritas futura fuiſſet, poſt quas Deus fontem illum obſtruxerit; ſed ea ſine ſufficienti ratione dicuntur, nec mendacij fulcro in aſſerẽda veritate indigemus. Itaque ſenſũ hunc retinere poſſumus: antequam plueret, vt ver. præc. habetur; אד gurges, אד inũdatio, vt vertit Oleaſter, Oleaſter. abyſſus, quæ quidem maximus eſt fons, & fontiũ origo, totam terram irrigabat, ſiue id per fontes multos hinc inde manantes fieret, ſiue per ipſum mare; ſiue id de terra paradiſo vicina tantùm intelligatur, nec enim inſolitum eſt totam terram dici de ea, quam circa nos videmus, vbi finitor definit, qua ratione Deus totam terram Iſraëlitis ſubdendam aſſerebat, ſiue id de toto globo terræ quis dictum putet.

Alius etiam ſenſus legitimus eſt, nempe ſolum Deum herbas produxiſſe, quæ tamen poſtea roris, atque pluuiarum interuentu à terra productæ ſunt, vt fons aſcendens ad tempus conſequens ſex dies, referatur.

Aduerte autem vulgatam non ita nos tueri, vt contendamus in ea ne quidem verbum eſſe, quod magis propriè verti non potuerit (nec enim illud ſuſcipimus negotium) ſed tantùm, vt oſtendamus in ea nihil contra fidẽ, & bonos mores contineri, & omniũ quæ ſunt, generatim ſpectatã optimã eſſe, quam iure cæteris præferimus, & iam poſt tãtum, & tam accuratum Doctorum examẽ, & adeò exactas correctiones iuxta vulgatam de cæteris verſionibus iudicare poſſumus, & eas reformare. Itaque ſi legas, *vapor, nubes, inundatio*, & ſimilia; hæc dici poſſe non inficior, ſed vulgatam bene vertiſſe aſſero, cui fauet Hebræum verbum יעלה *iahale*, id eſt aſcendet, vt id ad futurum referatur, quando Deus non tantùm per ſe, ſed mediantibus aquis herbas producet. Addo etiam nihil contra vulgatam ſecuturum, tametſi velimus ו ſignificare verſum hunc ita cum præcedenti connecti, vt negatio אין ei applicetur; licet enim diceremus, nec homo erat qui coleret terram, & fons, ſeu vapor qui aſcẽderet ad terram irrigandam, id præclarè de præſenti rerum conditione poſſemus explicare, vt illa reuera nondum fuerint tertio die, futura tamen poſtea, cùm iam oſtẽderimus ſenſum eſſe legitimum, qui fontis irrigationem in futurum refert: nolim hîc de pluuiarum, atque fontium origine, & vtilitatem diſſerere, tum quia id fusè præſtant Philoſophi, tum etiam quia plurima loca recurrent, in quibus ſermo de his habebitur, quanquã & aliqui negent אד cũ verbo cõſtrui, vt Oederanus in lexico. Oederan.
Metaphoricè verò ſumitur אד pro calamitate, infortunio triſtique rerum euentu, quæ omnia repentè nubium inſtar oriuntur, vt Iob. 18. ver. 12. c. Iob 18. & 21
21 ver. 17. Vbi אידם id eſt calamitas eorum, à Targo vertitur תברהון interitus eorum: à 70 verò *ἀπώλεια* perditio. Elias Theſbites vocat אד feſtum idolatrarum, Eſther enim 1. vbi dicitur Aſſuerus ſuper ſolium regni ſui ſediſſe, Targum habet, *dies feſtus erat ei*. Targum. Elias Theſbites. Eſther 1.

VERSICVLVS. VII.

Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitę, & factus eſt homo in animam viuentem.

וַיִּיצֶר יְהוָה אֱלֹהִים אֶת־הָאָדָם עָפָר מִן־הָאֲדָמָה וַיִּפַּח בְּאַפָּיו נִשְׁמַת חַיִּים וַיְהִי הָאָדָם לְנֶפֶשׁ חַיָּה׃

Καὶ ἔπλασεν ὁ θεὸς τὸν ἄνθρωπον, χοῦν λαβὼν ἀπὸ τῆς γῆς, καὶ ἐνεφύσησεν εἰς τὸ πρόσωπον αὐτοῦ πνοὴν ζωῆς, καὶ ἐγένετο ὁ ἄνθρωπος εἰς ψυχὴν ζῶσαν.

SEptuaginta de verbo ad verbum reddiderunt textum Hebræum, *finxit puluerem de terra* iuxta editionem Romanam; Græcus autem eſt *ἔπλασεν ἄνθρωπον χοῦν λαβὼν ἀπὸ τῆς γῆς*, puluerẽ accipiens de terra. Eugubinus vertit hominem terreum finxit עפר Triſmegiſt. יצר האדם, vnde Triſmegiſtus homines *γηγενεῖς* terrigenos appellauit; & refert Damaſcenum, qui putet corpus ante animam conditum eſſe, tametſi ſententiam hanc Platonicam Nyſſenus refellat, & Nyſſen. Rufin. Rufinus hæreticam opinionem eorum aſſerat, qui credunt animam ante corpus conditam, in quo Hieronymum, inquit, ſed falsò accuſat; *ἐπλάσθη ἄνθρωπος* igitur, & *χοϊκός* de terra terrenus 1 ad Cor. 15 plaſ- 1 ad Cor. 15. matus eſt, vbi verbum יצר & Græcum *ἔπλασεν* ad figulinam refertur; quapropter Deum figulo, hominem argillæ Scriptura comparat Ierem. 18: putant Ierem. 18. autem in dictione hominis eſſe ſynecdochen, quia anima non eſt ſumpta de terra, ſed corpus tantum, in quo cum limus, ſeu terra dominetur, aliorum elementorũ mentio facta non eſt: vbi monemur, vt demiſsè,

demisſè, & abiectè de nobis ſentiamus, vnde etiam iniuriarum patientes reddi debemus, cùm intelligamus nos non ita, aut tantùm contemni, quantum puluis, aut terra meretur, vnde ſumpti ſumus. Hîc autem Moſes Deum, vt humanum artificem proponit, qui vbi formam alicuius vaſis mente cōcepit, admota manu argillæ, antitypon eius in rota effingit; Hebræi verò putant ideo vaporem de quo ſuperiù : ad hoc excitatum eſſe, vt terra humectaretur & aptior fieret ad hominis facturam. R. Salomon notat duplex י quod in dictione וייצר legitur, duplicē hominis formationē ſignificare; alterā, quæ eſt huius ſæculi, ſeu terreſtrē, alterā verò ſæculi futuri, vel cœleſtem; hanc animi, corporis illam: de cœleſti loquitur Apoſtolus ad Philipp. 2. *noſtra conuerſatio in cœlis eſt*: vnde cùm animalia vitam vnicam tempori obnoxiam degant, in eorum formatione verbum prædictum cum vnico י ſcribitur יצר: præterea Nachmanni aduertit hîc nomen Dei plenum יהוה אלהים ſcribi ob hominis efformandi præſtantiam, atque dignitatem.

R. Salomō. Ad Philipp. 2. Nachmāni.

Eſt autem hîc recapitulatio continens paralipomena capitis primi; quod ſatis frequens eſt in Scriptura, vt quæ generaliter propoſuerat, diligentiùs poſtea reſumens per ſingula explicet, quem vnum ex 32 modis, quibus Scriptura explicanda ſit, eſſe dicunt; quantam verò hominis curam Deus habeat, fusè Moſes hoc toto capite declarauit.

Puluerem עפר haphar, quod viliſſimum, atque tenuiſſimum puluerem ſignificat, qualis eſt homo; quod ei repræsētat Eccleſia die Cinerum, ne ſuperbiat, hiſce verbis, *puluis es, & in puluerem reuerteris*, vnde profectò magnum humilitatis argumentum ducimus, vt mirum ſit, quomodo nos vllatenus efferamur: hinc viri ſancti humilitatis præcepta docuerunt, vt præ oculis haberet vnuſquiſque, quid ſit; cur creatus ſit; vbi ſit: vnde veniat, & quo vadat; vnde poëta quidam

Gloria te ne fugax vehit, ô homo, reſpice finem,
Hinc tibi nullius gloria finis erit.
Parue homo quid vanis turgeſcis faſtibus? & quid
Gloria te vexat? quid inania nomina iactas?
Tu genus agnoſce tuum, quid vilius vſquam
Eſſe poteſt cœno? tu verò hoc ſemine cretus.
Quo pius Æneas? quo Tullus diues, & Ancus
Puluis & vmbra ſumus. & alibi
Vita hominum breuis varijs eſt obnoxia curis,
Mane viret, languet veſpere, nocte cadit.

Ad quod etiam Hebræi hiſce verbis hortantur. Conſidera tres res, & non venies in manus tranſgreſſionis. Cognoſce vnde veneris, & quo tandem ſis abiturus, coram quo etiam oportebit te tandem actæ vitæ rationem reddere. Vnde veniſti? ex guttulæ ſordida. Quo tandem abis? ad locum pulueris, & vermium. Coram quo futurum eſt, vt rationem reddas? coram Rege omnium Regū, qui eſt ſanctus Deus benedictus. R. autem Salomō putat illum puluerem à 4 terræ plagis collectum eſſe, vt terra vbicunque locorum homo moreretur, illum humandum exciperet.

Nonnulli vocabula Hebræa אדמה, ארץ, תבל, & עפר ita diſtingunt, vt licet aliquando confundantur, ארץ vniuerſum orbem tam habitabilem, quàm inhabitabilem ſignificet, תבל habitabilem, vnde quidam Gallicum nomen Tauaiole deducunt, quem aliàs Hebræi ישוב vocant עפר puluerem, ſicut & ארמה, ſed rariùs, idque cùm terra madida eſt inſtar argillæ; vt iam dictus ſit Adam ab Adama, ſicut homo ab humo: D. Aug. & Cypr. cum alijs in nomine Ἀδὰμ ludunt, quo 4 orbis partes ἄρκτος, δύσις, ἀνατολὴ, καὶ μεσημβρία; ſicut Hebræi qui per אדם cinerem, ſanguinem & bilem אפר דוד מרה intelligunt, quæ ſunt Cabaliſtica, ſicut & quod hiſce tribus nominibus metempſychoſi fauentes אדם, דוד, משיח Adami animam in corpus Dauidis, & huius animam in Meſſiæ corpus tranſiiſſe innuunt, quod eſt non minus falſum, quàm impium: Itaque de fide certum eſt corpus Adami à Deo ipſo ex terra formatum eſſe. pergamus ad animam.

D. Auguſt.

Et inſpirauit in faciem eius ſpiraculum, ſeu flatum, & animam *vitæ* Hebraicè ויפח באפיו Vaiipah beapau *& inſufflauit in nares eius*, quia nares in facie magis eminent, idque per Synecdochen pars pro toto: adde quod ſpiritus vitalis in naribus maximè reluceat, vt ait Aben Ezra, Nachmanni verò putat inſpirādi verbo diſtingui inter animam brutorum, quæ ex 4 elementis conſtat, & animam hominis, quæ conſtat ex afflatu diuino, qui proceſſit ex ore Dei; qui enim inſufflat in aliquem de ſuo .i. de ſubſtantia ſua, aliquid ei contribuit; ſic & Deus in nares hominis inſpirando, de ſuo diuinum aliquid ei largitus eſt, atque id erat anima immortalis: hinc Chriſtus Apoſtolis Spiritum ſanctum cōmunicando inſufflauit in eos: imo hanc inſpirationem autor Hizkuni de ſacro Dei ſpiritu intelligit, vt in nullius animalis præterquam hominis Deus ſpiritum inſufflauerit; quapropter Chriſtus Patri commendauit ſpiritum ſuum, neque dixit animā. Vbi cauendum eſt, ne quis error irrepat, cùm enim maxima pars Rabbinorum inſcitia laboret, mirum non eſt, ſi tot in errores abripiantur, vt ſtatim hominis animam ex Dei ſubſtantia factam aſſerant, ſtatim negent animam eſſe ſpiritum, &c. quæ ex iis elici poſſe videntur: in quo etiam nouatorum negligentiam arguo, qui dum Rabbinorum fabellas obtrudunt, id eas non aduertunt, vt facilè credat illis, qui ſe in hæreticorum partes abripi permittit.

Aben Ezra. Nachmāni.

In naribus autem hominis vita aliquo modo poſita dici poteſt, quatenus per eas inſpiramus aërem frigidum, & expiramus calidum, adeout hoc vtróque curſu & recurſu, inſpiratione, & reſpiratione aëris interni, & externi tota hominis vita contineri, atque conſeruari videatur, qui alioqui mox periturus ſit, ſi hunc aërem non inſpiret, ſeu attrahat, ſimul & inſpiret, vnde & animam pro halitu dicunt, quaſi ab ἄνεμος .i. ventus. 70 vertunt πρόσωπον faciem, Symmach. μυκτῆρα naſum, ſeu narem.

Spiraculum vitæ נשמת חיים *Niſmat chaiim*, flatum vitarum, ſeu flatum ſpiritus vitæ iuxta R. D. Kimhi. quem motum explicat; putat enim omne, quod flatum ſpiritus vitæ ſuis in naribus habet נשמה *Niſma* dici, tametſi Aben Ezra tantùm ad hominem referat: ſunt autem qui dictionem hanc à שמים ſcamaim dictam eſſe velint, quòd ſit flatus cœlitus proficiſcens, tametſi radices differant: per חיים verò dualium formam habens duplicem vitam præſentis nempe, ac futuri ſæculi ſignificari: Kimhi verò deſignari ait immortalitatem animæ, quòd non intereat ſicut corpus, ſed in æternum viuat.

R. Kimhi. Aben Ezra. Kimhi.

In animam viuentem לנפש חיה, adeout totus homo in corpus animatum euaſerit, qui antea ſiue naturæ, ſiue temporis ordine, truncus erat vitæ expers delineatis ſolùm è terra membris: Aliqui per ſpiraculum vitæ, & animam viuentem, animam

sentientem duntaxat intelligunt; alij præterea volunt intelligentem animam designari, quibus fauet Onkelus, qui vertit, in spiritum loquentem, sub quo rationem complexus est, quandoquidem sermone præstat homo cæteris animãtibus, nec quidquam est, quo ita ratio deprehendi possit, quàm sermo hominis.

Onkelus.

Aben Ezra.

R. Salomõ.

Aben Ezra existimat animam viuentem significare, quòd statim atque formatus est homo, potuerit ambulare, non vt deinceps pueri, qui longo habent opus tempore, antequam ambulent: & R. Salom. quòd maximè inter omnes viuentes viueret. Igitur anima viuens hîc est corpus animatum cum suis conditionibus, itaut edere, bibere, videre, bonũ prosequi, & malum fugere valeat: & quidem mihi placet eorum sententia, qui per animam viuentem hasce operationes nobis atque belluis cõmunes intelligunt, & per נשמת חיים animam rationalem: priùs enim in homine rationalis anima infunditur, quàm vt viuere dici possit: cùm in eo nulla sit vita præter eam, quæ ab anima intellectuali pendet, quæ formaliter vegetatiua, sensitiua, atque rationalis esse dicitur.

Nolim autem hîc illas quæstiones mouere, quæ ad animam pertinent: vt an ante 40 diem fœtus in vtero aliqua anima vegetatiua, dein sensitiua præditus sit, antequam rationalis accedat: an ex hypothesi, quòd illæ animæ præcedant, adueniente intellectuali pereant, aut permaneant, vel ab vltimo contingente veluti perficiantur, & informentur, & alia id genus; id enim Philosophi lib. 1. de anima, & Theologi cum D. Thom. in 1. p. factitant, & alia loca redibunt, in quibus id opportuniùs peragi possit. Satis est, si credamus animam Adamo infusam esse, qualem nos habemus, viuentem, sentientem, intelligentem, immortalem, quicquid tandem singulis hebraicis dictionibus Hebræi velint intelligi.

R. Salomõ.

R. Salomon ait hominem ex inferioribus, & superioribus creatum corpore scilicet, & anima, ne vlla inuidia, & inæqualitas esset in opere creationis; alioquin enim superioribus plures dies, quàm inferioribus tributi fuissent; nam primo cœlum & terra: secundo expansio propter superiora: tertio plantæ propter inferiora: quarto sydera (iam tertio) propter superiora: quinto animantibus propter inferiora (sed tantùm secundo illis impenso.) Sexto igitur hominis creatio subiuncta ex vtrisque, vt dies superioribus, & inferioribus impensi æquarentur. Tametsi verò Scriptura faciei solùm meminerit, in quam Deus vitam inspirauit, totum corpus intelligi debet; solam tamen faciem ponit, quia manifestior, & illustrior est operatio vitæ in ea corporis parte, quàm in cæteris. Cætera quæ circa dictiones, & sensum notanda essent, sequentibus quæstionibus exhaurientur, quarum vna corporis humani fabricam, altera verò animæ excellentiam aperiet.

QVÆSTIO XXII.

DE HVMANI CORPORIS FABRICA, eiusque causis.

ARTICVLVS I.

DE CORPORE IN COMMVNI, ET DE fœtu in vtero

Iob 10.

Hieron.

NOtum est ex limo terræ formatum fuisse, quod 10. c. Deo Iob repræsentabat; *Memento quod sicut lutum feceris me*: idque ex terra rubra, quæ est in agro Damasceno iuxta Hebron, vt D. Hieron. in tradit. Hebr. aduertit; vbi vallem lachrymarum esse dicunt, in qua mortem Abel fleuerit Adamus centum annis, ad quod id Iosue referunt c. 14. *Nomen Hebron ante vocabatur Cariatarbe, Adam maximus ibi inter Enacim situs est.*

Iosue 14.

At verò quã mirabilẽ humani corporis anthropographiam incipere debeam, an ad originem me conferam, an ad finem, an ad exemplar ignoro: forsitan non ingratum erit, si Geographorum instar, qui vniuersum terrarum orbem descripturi ab eius generali diuisione incipiũt, pauca de humano corpore in communi dixero, quod Diocles Carystius therapeuticè in caput, thoracem, ventrem, & vesicam partiebatur, in quibus morbos procreari censebat humorum affluxu, atque collectione: Anatomici diuidunt illud in caput, thoracem, ventrem inferiorem, manus: & crura, vt Galen. l. de inæquali temperie c. 1. alij in tres substantias spiritualem, humoralem, & solidam: Alias in præsenti diuisiones omitto, vt propriam sequar, & totum corpus in 4 regiones partiar, sic enim ipse microcosmus megalocosmo in Europam, Asiam, Africam, & terras recenter detectas partito respondebit.

Diuisiones corporis.

Galen.

Ingredere anima mea, & seriò contempleris humani corporis structuram, in qua non Phidiæ Mineruam, non Apellis Venerem, non Polycleti regulam, aut Ctesiclis marmorea membra, sed horum omnium archetypum, & exemplar suspicies, in quo lucet admirabilis Dei potentia, incredibilis eius sapientia, & infinita bonitas; quis enim ex eo potentiam non iudicet quod ex tãtillo semine tam varias partes effinxerit, ossa plusquam ducenta, cartilagines totidem, ligamenta quamplurima, membranas pene innumeras, arteriarum, venarũque myriades, neruorum plusquam 30 paria, musculos ferè 400, viscera denique omnia. Ingredere tu quisquis es etiam Athee, ingredere quaso sacram Palladis arcem, cerebrum intelligo, & regiæ illius domus columnas, & concamerata inuolucra, vide caput illud, quod præcipuam nostri microcosmi, nostræque terellæ prouinciam complectitur, ex cuius magnitudine ossium omnium naturam æstimare debemus, cuius cranium octo constat ossibus,

Partes corporis Deũ esse probãt.

Ossa capitis quot.

offibus,sex propriis,quæ sunt os frontis,occipitis, sincipitis duo, temporum duo, in quibus tria officula continentur stapes,incus,malleolus; duo verò sunt,quæ communia nuncupantur, sphenoides,& ethmoides; aspice faciem duabus maxillis constãtem, quarum superior vndecim ossa, duo verò cõtinet inferior; relinquo dentes per gomphosim articulatos,quorum 4 sunt τομεῖς incisores,2 κυνόδοντες canini,& 10 μύλοι, molares,vt ad domus humanæ caminum, ad caput dico, redeam, in quo sinus 4, plexus arteriolarum labyrinthei, venarum ductus mirabiles,cerebri elices,&aquęductus,neruorum innumeræ scaturigines, medullæ albæ,seu funiculi argentei fœcunditas clarissimè docent tam admirabile palatium ab alio,quàm à Deo fieri non potuisse.

Dentium numerus.

Oculorum fabrica.

Quid dicam de duabus solis portis, animique fenestris? nonne crystalli fulgentis nitor, humoris aquei, & vitrei puritas, tunicarum inimitabilis contextus, musculorum in oculis versandis volubilitas animi perstringit oculos,& rapit in admirationem? Quis obsecro possit verbis explicare,ne dicam mente concipere, auris internæ artificium, tot labyrinthis,cochleis,fenestellis,officulis, musculisque concinnatum? quis neruum auditorium, & ductum cartilagineum aspiciet, qui statim non asserat infinitam artificis sapientiam,qui tantum opus elaborauit? Aspice pusillum corpusculum, quod Deo benedicit,& hominibus maledicit, quã variis motibus agitetur,vt nec anguillæ,nec murenæ cedat, sursum enim mouetur à duobus musculis à styloide processu in mediam ferè linguam insertis; totidem deorsum ab inferiore maxilla natis; antrorsum,vel extrorsum duobus ab interiori mẽto proficiscentibus, retrorsum duobus à basi ossis hyodis procedentibus: sed vnus dextrorsum, sinistrorsum alter, quibus omnibus in orbem moueri potest. Hoc est membrum, quod D. Iacobus c.3. epist. canonicæ fræno comparat, quo totum corpus equi, quo volumus,circumfertur; nauis gubernaculo,quo ventis inuitis progreditur,vbi dirigentis impetus voluerit: quod ignem vocat,& vniuersitatem iniquitatis nostrę natiuitatis totam inflammans.

Aurium fabrica.

Linguæ motus.

Iacob. 3.

Linguam vulgò dicimus,velut à cibo ligando,vt putat Varro,quamuis à dicendo dinguam appellatam fuisse nonnulli velint, quam, inquit Iacobus, nullus hominum domare potest:&c. 1. *si quis putat se religiosum esse non refrænans linguam suam sed seducens cor suum,huius vana est religio.* Propterea multis custodiis, dentibus quippe, labiis & fræno linguam muniuit,& firmauit Deus,vt tot carceribus, & clathris inclusa, mens priùs deliberet, quàm proferat, verbumque priùs transeat per limam, quam per linguam, quam ob præstantissimum vsum voluntatis nuntiam, & organum dialecticum appellare possis: cuius basis latior ὑπογλωσσίς, finis acutior προγλωσσίς dicitur: In eã nerui tertiæ,quartæque coniugationis extenduntur, & gustui seruiunt: sub ea verò 2 apparent venæ à iugulari externa ortæ, quas mammas vocitant, totidemq; arteria à carotidibus prodeuntes: quod autem præ cæteris aduerti debet præter ligamentum validissimũ,quod ei subiicitur, vt faciliùs vibrari,producique possit,extremę parti funiculus adnascitur,quo tanquam fræno cohibeatur, ne plus æquo soluatur in loquacitatem: At ne lingua nostrum calamum rapiat,ad alias partes reuertamur.

Iacob.1.

Linguę partes.

Cordis partes.

Cordis sinus duos, auriculas totidem, & 4 insignia vasa Medici numerant, quæ sint velut humanæ naturæ flumina,quibus totus microcosmus irrigatur: hostiola vndecim: sicut & hepatis plexus varios,venarum omnia diuortia,& cætera,quæ nisi volumen integrum efficias, commemorare non possis. Quamobrem satius est, vt in pauca rem totam cogamus, quàm vt fusè vniuscuiusque partis excellentiam declaremus.

Placet igitur totum hominẽ ab ouo describere, cuius conformationem in vtero tempus quadruplex metitur,quorum primum dicitur γονὴ, in quo semen duntaxat coagulatum cernitur; 2 χύμα eudem partium delineationem ostẽdit: tertium substantiam carnis perficit, 4 denique descriptionem partium absoluit. Auicenna hæc omnia præclarè discutit, primum, inquit, semen vtero exceptum sex primis exactis diebus in spumosum quid,& butyro simile immutatur: mox post tres dies quasi sanguinis guttæ, & rubra filamẽta apparẽt; exactis quindecim diebus à conceptu fœtus coagulatum sanguinem refert: post alios 12 spectatur caro cum trium principum viscerum distinctione: postea spinalis medullæ initium cernitur: tandem post dies nouem caput ab humeris distinguitur, & laterum extrema, ac venter sensu manifestè discernuntur, atque ita fœtus perficitur, qui vt minimum in vtero spatium occupet, conglobatur: genua cubitis sunt proxima, manus manui superposita, tibiáque altera alteri subiicitur,pedes introrsum flectuntur,& clunes attingunt, vel manibus genua apprehendit, vt vult Fernelius, & in caput sic demittit,vt oculi manus pollicibus velut affixi hæreant: nasus verò inter genua procumbit, vnde genubus affectis oculi condolent ob veterẽ illam societatem. Platerus tamen existimat brachia pectori admoueri, & manum dextram sub dextra aure, sinistram supra sinistram mammam esse,ita vt pedes sursum attracti, ventri applicentur. Sed in iis Medici dissentiunt. Notat Fernelium Riolanus,quòd dixerit marem alio situ constitui, quàm fœminam, proindéque cadauera fœminarũ in aquis prona fluitare, mares verò supina. Quicquid sit fœtus efformatus per venam vmbilicatam, trahit alimentum, & sanguinem maternum prolectat, qui ad hepar fertur, nec enim os, aut nares fœtui licet quadrimestri patent, ne forte vrinam suam hauriat, in qua natat. Contemplare obsecro mirabilem illam αἱματώσεως officinam, vnde vim concoquendi sanguinem habeat, vt triplicis iacturæ substantia resartiatur,& cuiusque partis molem iusta magnitudine augeat, triplicem enim in fœtu coctionem admittunt αἱματώσιν, & ὁμοίωσιν, & χολώσιν.

Quomodo fœtus in vtero conformetur.

Auicenna.

Situs infantis in vtero varius varias, vt puto,lineas in manibus notat.

Platerus.

Riolan.

Quomodo nutriatur fœtus.

Hepar.

Præterea cor vitalis facultatis operationes exercet,licet ei aër minimè suppeditari possit, qui neque necessarius est ad illius spiritus generationem, imo nec ad cor in nobis permeat, quandoquidem nulla est communio bronchiorum cum riuulis arteriæ venosæ,sed tantùm inspiratur ad refrigerium pulmonis, qui suam postea qualitatẽ inspirat cordi,si Riolano credimus. At cùm fœtus non respiret,perspirat, & spiritum ei venæ vmbilicales per mutuas cum arteriis anastomoses communicant. Nec mirum est si sanguis maternus, vt nutriat fœtum,maiori concoctione indigeat ob tenellam naturam cui debet alimentum conuenire.

Cor.

Quod attinet ad animales facultates licet in eo principes imaginans,ratiocinans, & recordans otientur,ministræ agunt nempe mouens, & sentiẽs;

Facultates animales fœtus.

De exitu ex vtero. fœtus enim in hanc vel illam partem mouetur, vigilat quoque,& dormit, vt aliqui existimant. At ipsius exitus ex vtero admiratione dignus est, qui crebra manuum pedumque agitatione disrumpit membranas; vterus verò humoris effusi acrimonia stimulatus,& puelli pondere grauatus vi sua expultrice sarcinam istam excutere conatur, & ideo orificium 9 mensium spatio exquisitè connexum recludit, ossa pubis distenduntur, atque sic opus perficitur, dum mater cohibet spiritum,& contrahit, intenditque epigastrij musculos. Fœtus autem in caput exit, tum quia partes superiores ab vmbilico grauiores sunt, tum quia hac ratione reliquis partibus via facillima paratur, alioqui partus agrippa dicitur, si priùs exeat pedibus; faciem verò semper ad matris podicem conuertit, ne ab ossibus pubis nasus comprimatur, & in exitu propter angustiam loci secundas exuit,& inuertit.

Aristot. Non est autem omittenda Arist. censura, qui l. 7. de historia anim. permittit intra septimum diem Hippocrat. conceptum semen eiicere, vt numerosa proles vitetur, quod & Hippocrat. psaltriæ meretrici consuluit quandoquidem id religio Christiana prohibet,& graui supplicio expiat, id enim non solùm pro homicidio, sed homicidij properatione haberi Tertul. testatur Tertul. l. de anima cap. 9.

De tempore parturiginis. Fœtum aliquando tempus non solùm 10,11,12,13, 14, aut 15 mensium, sed etiamtotum biennium in Schech. vtero fuisse multis historiis probat Schechius in obseruation. medicis. Cum autem in lucem editus ob aëris ambientis contrarietatem vagiat infans, fabulosum æstimant Medici, quod refert Plutar. Plutar. eos non vociferari, quos mater in naui peperit: risisse tamen ferunt Herculem,& Zoroastrem, vbi ex vtero exierunt, quamuis ante 40 diem id minimè contingere soleat.

Hippocr. 1. epidim. notat puerum furiosum esse Hippocrat. futurum,& iracundum, si vena, quæ in cubito est, cùm nascitur, pulsauerit. Verum de fœtu satis, arbitror, dictum est, vt admirabilem Dei prouidentiam in tanto artificio suspiciamus, nec illius laudes ad nescio quam Deam Alemonem, aut Ossilaginem transferamus, de qua Arnobius. lib. 4. *Nam Arnob. quæ durat,& solidat infantibus paruis ossa, ossilago esse memoratur.*

Si quis omnes differentias, quæ sunt inter mébra fœtus,& infantis,& hominis perfecti scire velit, legat Riolanum l. 6. Anthropogr. c. vlt. quæ ve- Riol. rò ad fœtus membranas pertinent, alibi retulimus. Nunc autem velut è profundo somno emergentes ad sacram illam Palladis arcem redeamus, in qua præsertim Deus animam, sicut in acropoli statuisse videtur, caput enim est in homine, quod culmen De capite. in ædificio, quod cœlum in mundo; vnde simulachro Serapidis specie humana pro capite cœlum imposuerunt Ægyptij, Eustatio referente, cui pro- Eustatius. pterea Iouem præficiunt, quia vt gentilibus Iupiter est mens mundi, ita caput est mentis sacrarium, ad quod cæterarum partium laudes pertinent, sicut laus vniuersæ gentis ad vnum principem refertur, vnde caput appellatur, quia ab eo sensus, ac nerui sumunt exordium teste Varrone, quod & Varro. κρᾶτα vocant à τῷ κραίνειν, ἢ βασιλεύειν τῷ αὐτοῦ σώματος, quod præsit, ac regat reliquum corpus, de quo peculiarem articulum instituemus, ne primum longiùs excurrat.

ARTICVLVS II.

DE CAPITIS HVMANI PARTIBVS.

IN tanto pretio caput habetur, vt totus homo caput vocetur,& capitum nomine homines veniant: ridiculum verò caput pro homine fatuo vsurpatur, vnde cùm antiqui magnum iusiurandum proferre vellent, per caput iurabant 7 Æneid.

Virgil. *Per caput hoc iuro, per quod pater ante solebat.*

Ideóque salutis hieroglyphicum erat in extremo Math 5. solùm discrimine deuoueri solitum, quod iuramétum Christus prohibuit c. 5. Math. *neque in capite tuo iuraueris*, adde quod propter caput vir Dei ima- 1 ad Cor. 11 go esse videatur iuxta id Apostoli 1. ad Cor. 11. vir quidem non debet velare caput suum, quoniam imago,& gloria Dei est: estque, vt ipse paulo antea dixerat, vir caput mulieris, sicut omnis viri ca- Paul Iurisc. put Christus, Christi denique caput Deus est. Hinc Paulus Iuriscon. literis mandauit locum illum esse sacrum,& religiosum, in quo caput inhumatum est etiam absque aliis partibus, non contrà. Cui fauet Aristot. Arist. dum 33. sect. prob. 7,& 8. quærens cur sternutatio sacra habita sit, non eruptio flatus, aut ructus: respondet enim esse, quia sternutamentum Sternutatio quid portendat. ex capite prodit, quæ pars sacra est, ideóque mos est sternutamentis consalutari: vel quia sternutamentum caput bene valere significat, posse enim concoquere, indicio est, id enim fieri solet, cùm capitis calor humorem,& spiritum conuincit, vnde nullam esse spem salutis autumant, si moribundi sternutatorio πταρμικῷ excitari nequeant.

Hinc tanta fuit capitis apud Ægyptios venera- De capite humano. tio, vt insano etiam cultu caput omne venerarentur,& à capitibus brutorum prorsus abstinerent, diuinitati iniuriã facere arbitrati, si qui illa comedisset. Ideóque licet Sidones agrestes, ferique nimis parentes comederent, capitibus abstinebant, eáque deaurabant.

Et quidem rectè per caput Ægyptij salutem designabant, cùm capite benè se habente reliquum corpus sanum existat, debili existente langueat: hinc Hippocratis imagines pileo contegebãtur, quòd ad capitis dolorem animum conturbari dixisset, ideóque pars illa maximè custodienda est, quod etiam manus ostendunt, quæ velut appetitu naturali eriguntur, vt ictus capiti imminentes auertant.

Apage sis Athee qui contendis nihil esse in terum natura, quod probet diuini numinis existentiam: Nolo tibi cœlos, non meteora, non infinitam elementorum varietatem, non miracula, non oracula, sed teipsum obiicere, quandoquidem homo ob tantam naturæ maiestatem pulchrè dictus est θαῦμα θαυμάτων, cuius caput Homerus ἱερὸν nuncupauit; Aspice non totum corpus, sed caput vnicum, siue ea parte, qua capillatum est,& capillorũ syluam, vel pratum capillis luxurĩãs, siue qua glabrum

brum est,& sacrum illum faciei characterem, velut pulcherrimam diuini numinis effigiem ostentat. Quis illud περικράνιον, seu περίοστεον totam obtegens caluariam, nisi qua parte temporalis musculus oritur, quis illam galeam tam crassam, multis tamen foraminibus peruiam ad alimentarium succum continendum, & vaporum perspirationem; quis tot in illa partes, nempe os μέτωπον ad oculorũ tutelam infernè excauatum, ossa illa τῦ βρέγματος in sutura cum osse frontis pœnè hiantia, & tendik Arabicum, seu fontanellã ostendentia, ossa κροτάφοι cum mammillari, Styloidi, & zygomatico processibus, ἰνίον seu os occipitis cum suis 4 cauernulis, πολύμορφον, basilare seu Sphenoides cum suis alatis, & equinæ sellæ processibus, atque 4 foraminibus, quis ethmoidem tam spongiosum, & perforatum elaborauit, quis?

Ossa capitis.

O Dei nũquam satis laudatam prouidentiã: ecquis alius pręter Deũ tot ossiũ differẽtias inuenire, atq; perficere potuit in duritie, magnitudine, figura, situ, motu, sensu, & generatione tã dissitas: nũquid illa durior medij ossis pars, & adnata ἐπίφυσις ossi per symphysim annexa, sicut & ἀπόφυσις, cum suis capitibus, ceruicibus, & coronide, siue χονδροειδὴς, siue ἀγκυροειδὴς, κορωνοειδὴς, aut etiam μαστοειδὴς fuerit, diuinum illum opificem arguunt.

Partes, & commissuræ ossium.

O mirabilem mundi minoris σύνταξιν, & ἁρμονίαν, quæ perditos homines, quæ Politicos, & ipsos Atheos à cæcitate reuocare potest, siue commissuras per διάρθρωσιν factas, siue per συνάρθρωσιν seriò contemplentur. Et quidem tam multiplex est in humano sceleto ἐνάρθρωσις, ἀρθρωδία, & γιγγλυμός, quæ sunt Diarthroseos species, & tam varia ῥαφή, ἁρμονία, & γόμφωσις, quæ Synarthrosim spectant, vt cæcus esse oporteat, qui hinc illicò prouidentiam infinitam non infert. Omitto species symphysis, synchondrosim, syneurosim, & syssarchosim, vt ad sacrum illud Palladium redeam, eiusque partes interiores, sensuum internorum, & exteriorum, imo & ad ipsius animæ pręcipuum domicilium accedam, quod figura orbiculari donatum est, vt esset capacissimum iuxta leges figurarum ἰσοπεριμέτρων.

Ex hoc vno capite Physiognomi facilè de toto homine iudicant; qui statim atque paruum hominis caput esse deprehendunt, præceps, & temerarium ingenium arguunt ob spirituum paucitatem, qui cùm angusto conclaui nimium incalescãt, neque liberè exspatientur, quid aliud superest, quàm vt temerariæ actiones inde proficiscantur? Hinc etiam facultatis formatricis imbecillitatem, & spermaticæ materiæ concludunt inopiam. Vnde Aristoteles cap. 6 Physiognom. refert eos, qui paruum caput habent, insensatos esse. οἱ δὲ μικρὰν (intellige κεφαλὴν, de qua priùs) ἀναίσθητοι, quos ideo ἐπὶ τοὺς ὄνους, & non ad ὄνος refert, quod tamen interpres non obseruat, ideóque corrigendus est, nec enim Polemon, aut Adamantius caput illud ad asinum referunt; licet etiam enorme caput, quale est asini stupidum hominem ostendat, stultum, stolidum, indocilem, sensu, atque virtute carentem, nec non somnolentum; qualia ferè capita deprehenduntur in nanis, noctuis, & bubonibus, & inter pisces in Vronoscopo, de quo Oppianus docet, quę sequuntur

Physionomię iudiciũ ex capite.

Aristot.

Polemon. Adamant.

Vranoscopus Oppian.

Stultitia insignem memorabimus hemerocœtem,
Segnitiaque omnes superantem, quos creat æquor.

Alios pisces habemus magni capitis, qualis est Cephalus, de quo Aristot. libro 8 de histor. animal. c. 2. & apud Scalig. 5. ei tamen conuenire dixit Baptista Porta 2. physiogn. c. 1. quod mugili tribuendum est, ita nẽpe ridiculũ, & inertẽ esse, vt cùm in metu caput occultat, totum corpus abscondisse credat. sic enim habet γαστρίμαργος δὲ μάλιστα τῶν ἰχθύων ἐστὶν ὁ κεστρεὺς καὶ ἄπληστος. διὸ ἡ κοιλία περιτείνεται. καὶ ὅταν ᾖ ἀνῆστις, φαῦλος ἐστί. i. *gulosissimus piscium mugil est, & inexplebilis, idcircóque venter ei distenditur. Et cùm est ieiunus, deterior.* Deinde continuò subiungit ὅταν δὲ φοβηθῇ, κρύπτει τὴν κεφαλήν, ὡς ὅλον τὸ σῶμα κρύπτων, quod dubio procul de mugile intelligendum est.

Cephalus. Arist. Scalig.

Bapt. Porta.

Quæ tamen de maioribus, quàm par fuerit, capitibus, intellige; alioquin enim caput magnum laudatur, si ei cæteræ corporis partes correspondeant; nam ex capitis magnitudine ossium natura æstimari solet, quia omnia eius ossibus & articulationibus analogiã respondent, idque hoc ordine, vt brachij ossa humero, coxendicis sacro, sacrum vertebris, vertebræ spinali medullæ, medulla cerebrum caluariæ congruat. verùm hucúsque excurrisse sufficiat.

Tota caluaria propter cerebrum facta videtur, quod duæ membranæ, seu meninges ad omnes arcendas iniurias contegunt, quarum illa, quæ dura, & cuticularis est, omnes sinus, & cauitates internas cranij replet, cuius eadem est ratio in hac suprema regione, quæ pleuræ in vitali, & peritonæi in naturali; quæ tamen non ita villis cranio omni ex parte adhæret, quin tantùm ab eo distet in superiori parte cranij, quantum cerebro dilatando, & constringendo sufficit, vbi etiam reduplicatur, & dextram cerebri partem à sinistra dirimit vsque ad cerebri dimidium; sicut & in posteriori parte quadruplicatur, & cerebrum à cerebello magna sui parte distinguit.

Caluariæ partes.

Membranæ capitis officia.

In quibus profectò rursum diuinam bonitatem admiror, quæ inter has meningis duræ διπλόας 4 sinus collocauit, qui riuorum instar sanguinem quoquouersum in cerebri substantiam effunderent: quamobrem iugulares internæ in illos sensus ingrediuntur, vt sanguinis fluento spiritum animalem generent.

Vt verò meninx illa durior cranij sinus, ita meninx secunda tenuior cauitates ipsas cerebri peruadit, & vasa per vniuersum corpus cerebri deducit: cum ea enim arteriolæ feruntur ex carotidibus, & ceruicalibus, idque per latera sphænoides.

Ingredere Athee sacram hanc Palladis arcem, cerebrum intelligo, quod sensuum domicilium est, & omnia membra, velut imperator ciues, & subditos, fibris, veluti funiculis, non sine admiratione trahit, & commouet: animæ satellites sensus aperit, & attentos reddit, vt obiectorum occursantium idola secum afferant, & in memoria reponant.

Quam magnificata sunt opera tua Domine virtutum, Rex meus, & Deus meus, non solùm in illa cœlorum immensitate, & rerum omnium, quæ in toto orbe cernuntur, varietate, sed in illo viscere, quod reliquorum finis esse videtur, cuius admirabilem structuram si contempleris, si domus istius Regiæ columnas, & concamerata inuolucra, si atria, thalamos, sinus quattuor, speculum lucidum, plexus arteriolarum labyrintheos, helices, & miram neruorum propagationem, intuearis, sanè poteris exclamare, *Mirabilis facta est scientia tua ex me.*

Deus mirabilis in fabrica humani corporis.

Nunquid mihi fas erit cerebrum cum ipsa anima, imo & cum ipso Deo conferre? Propter animã totum corpus, propter Deum omnes creaturæ,

propter cerebrum omnia corporis membra producta sunt; anima dat corpori quantitatem, nec tamen quanta est: Deus dat animantibus sensū, nec tamen ipse sentit; cerebrum animalem spiritum in sensus immittendo, dum per systolen interiores sinus coarctat, & neruos ad omnia membra diffūdendo, cunctis sensum tribuit, non sentit παθητικῶς sed ἐνεργητικῶς tantùm. Nunquam perfecero si laudes, si partes, & particulas omnes cerebri referre velim, si caudicem illum cerebelli: quem aliqui funem argenteum vocant, in suam fistulam sacram, nempe dorsi spinam, deducere aggrediar, si omnia neruorum paria ex isto funiculo oriunda per omnia membra distribuere velim, quæ licet pro vertebrarum numero 30 numerēt, sunt tamen infinita, quamuis in vnum coëant, dum è vertebrarum foraminibus egrediuntur, verùm ea lege, vt qui in exitu neruus vnus erat, rursus in varios funiculos post exitum diuaricetur.

Deus cum cerebro confertur.

Nerui spinæ dorsi.

De cogitatiua, æstimatiua, memoria, phantasia, & sensu communi quid dicam? nunquid illas omnes facultates in cerebri cellulis Deus collocauit, vt species de foris aduenientes exciperent, quibus intellectus ipse quodammodo vteretur? At de his, sicut & de sensibus externis hîc minimè differam, tum quia præsens articulus nimium excurreret, tū quia locus redibit aliâs, in quo de his acturi sumus. Hæc sunt quæ primò Deus in Adami capite formauit, eique tantam facultatem indidit, vt similia capiti suo capita generaret: Supersunt nobis aliquæ partes corporis, de quibus etiam nonnulla subiungemus.

ARTICVLVS III.

QVAM DEVS SIT ADMIRABILIS IN partibus corporis Adami, quæ à collo vsque ad mediastinum comprehenduntur.

Aggrediamur illud nobile partium spiritalium conceptaculum, cordisue domicilium, quod ad eam spinæ partem, velut ad carinam configitur, quam dorsum appellamus, cui longitudo pectoris adæquatur, sicut latitudo vertebris; contemplemur sacram illam, & musicalem testudinem costis veluti dolij circulis constantem, quæ ideo θώραξ ἀπὸ τοῦ θορεῖν dicitur, quòd in eo cor perēni motu agitetur. Quam partem Medici iugulis, exiphoide cartilagine, atque diaphragmate disterminant; nam à parte superiori hæc vitalis regio clauiculis, inferiori, diaphragmate; & sterno, posteriori, dorsi vertebris: dextra sinistráue 12 costis circunscribitur. Anterior pars στῆθος, seu pectus dicitur si nomen στῆθος propriè, atque κυρίως vsurpes, alioqui στηθοδοχεῖον mediam partem, vel cartilaginem exiphoidem denotat; μετακαρδῖς autem ventriculi superius orificium, cuius latera sunt πλευραί: posterior pars νῶτον, seu ἰσοπαχεῖς μετάφρενον, quod πλάτας, seu scapulas pro lateribus habet. Sunt verò insignes mammæ, quas in hac parte conspicimus, mulierum præsertim, quæ glandulas habēt vasorum myriadibus intertextas, in quibus vis γαλακτοποιητικὴ, sicut in testibus σπερματοποιητικὴ residet. In his plures glandulas Laurentius, vnicam Riolanus agnoscit. Ad eas verò pergunt venæ ab axillari, & sub clauio ramo, per quas miram vteri mammarúmque sympathiam fieri aiunt: arteriæ veniunt à thoracica, nerui ab intercostali quarto.

De Thorace,

Mammarū artificium.

Intuere obsecro papillas tribus, aut 4 foraminibus pertusas, per quas vix setam equinam traiicere possis, quarum nigellus ambitus areola vocatur, seu θώς, vt lac sugere possit puellus: Vide quam prouida natura fuerit, quæ hæc vasa tam mirabiliter efformauit. Sed ad interiores partes accedamus, inter quas non vltimum locum obtinet Diaphragma, quod partes naturales à vitalibus secernit, & liberæ respirationis primarium instrumentum esse videtur; quod propter sympathiam cum cerebro, in quo φρὴν, seu mens residet, φρένες appellarunt; hoc enim inflammato, homo prudentiæ fit expers, atque delirus. Est autem mirum quàm varia sint eius nomina, illud enim septum transuersum, διάζωμα, διάφραγμα, & præcordia vocarunt, quia cordi prętenditur, adeout partem eius neruosam in medio collocatam cor suo cono tangat, vt oppositum iecur succutiens sanguinem in venam cauam refundat; à quo contactu palpitatio proficiscitur simul & ab arteria cœliaca, quæ circa exiphoidem in ventre percipitur.

Diaphragma.

Quis obsecro cingulum istud obseruare potest cum sua parte neruea, & carnosa supremis lumborum vertebris duorum tendinum interiectu, & sterno, nothisque costis coniunctum, duabus mēbranis, pleurâ supernè, peritonæo infernè obuolutum, duabus venis phrenicis à trunco ascendentis cauæ exortis, quas totidem arteriæ comitantur, duobus neruis à quarta, quintáue vertebra proficiscētibus, & duobus foraminibus ornatum, quorum vno pateat ad stomachum aditus, altero vena caua ad cor ascendat, quis inquam διάζωμα hoc cū suis partibus aspicere potest, qui non liberè fateatur non fortuito, sed diuinâ prouidentiâ partē adeò mirabilem constructam esse, per quam œsophagus, & aorta descendunt, cui pericardium adhęret, & hepar alligatur, sicut lien, & ventriculus.

Illius autem ortus tam abstrusus, & motus dilatationis, atque contractionis causa adeò recondita est, vt Anatomici vix inter se cōuenire possint, aliis à cartilagine exiphoide, aliis à vertebris spinę deducentibus, cuius tensione inspirationem, exspirationem dilatione fieri volunt; sed an ille motus sit ingenitus illi septo, an à pulmonum amplificatione, & contractione, vel cordis percussione, incertum est. Quocirca nos ad alia conuertamus, & septum hoc, quod contrahitur, seu tenditur in expiratione, vt patet in mortuis, in quibus contractum apparet, quia vita expiratione desinit, licet Riolanus inspiratione contrahi putet; septum, inquam, hoc quod hypocōdria ventilat, & intestina premit, vt fęces per inferiora, non autem per superiora deturbentur, relinquentes, nos ad pleuram, & mediastinum conferamus.

Costis subtenditur πλεῦρα, seu ὑπεζωκώς, quæ totam pectoris

ὑπεζωκώς.

pectoris capacitatem concludit, quæ decuplo crassior reperitur in pleuriticis; quæ nónunquã fibras quasdam præsertim in latere sinistro producit, quarũ interuentu si pulmo pleuræ adhæreat peripneumonia, & pleuritis nascitur: oritur autẽ à dorsi vertebris, tametsi à pericranio deducat illã Herodotus. Cùm autem ad sternum vsque peruenit, ex suorũ laterum concursu duplex effecta in dorsi spinam rectà dilabitur, vt istius pleuræ reduplicatione fiat mediastinum, sed hanc inter membranæ duplicaturam insignis est cauitas, quæ trium digitorum latitudine disiungit interseptum, seu membranas διαφράγματος, & voci efformandæ confert; sonus enim propterea, tanquam ex echo vicina intensior redditur; in qua si quis humor colligatur, & putrescat sterno perforato educitur, quod & in hydrope pulmonum trepano faciendum esse fortè censuit Hippocrat.

Pleuropneumonia vnde oriatur.

In hoc autem mediastino, sicut & in reliquis partibus diuina prouidentia mirabiliter elucet, enimuero cor & alia viscera suspẽdit, ne vel in latera, vel posteriorem partem collabantur, ea firment, & thoracem in duas partes dextram, atque sinistram diuidant, ne pars vna læsa in sui contagionem aliã pertrahat. Omitto venas, & arterias à mammariis oriundas, insignem mediastinam, neruos diaphragmaticos, & stomachicos, qui sub vasis cordis plexum neruorum admirabilem constituunt, & filamenta, seu membraneas fibras, quibus respergitur, vt ad pericardium, & corporis principem cor accedamus; illud κυστιν, seu vaginam appellant, est enim cordis arcula, qua veluti propugnaculo externæ iniuriæ propulsentur: cuius tunica duplex, exterior mediastini soboles, & interior à tunica vasorum cordis emanans; quapropter intra pericardium illã suã tunicã destituuntur, cùm in conformationem pericardij absumpta fuerit.

περικάρδιον.

Quis obsecro magis expressam charitatis imaginem, quàm in illis vasis nempe vana caua, & arteriosa, arteria magna, & venosa deprehendit? quæ seipsa suis vestibus destituunt, vt illud cordis inuolucrum induant. O mirabilem Dei prouidentiam, quot & quantis radiis in humanis corporibus emicas, vt iam totum corpus sit apertissimus, atq; doctissimus liber, in quo diuinam bonitatem, eius que legem æternam legere, & inde charitatis præceptum haurire possimus. Huius autem pericardij tunica turbinatam cordis figuram imitari debuit, cùm eius domuncula constituta sit: in qua plurima sunt aduertenda: nam centro diaphragmatis nerueo adhæret, licet in quibusdam pericardio, & diaphragmati quintus pulmonum lobus interiectus sit, qui puluinaris instar venam cauam ascẽdentem sustentat: hinc fit, vt cor diaphragma cono suo, pectus verò basi, & aortæ portione feriat.

Sed neque omittendus est humor ille aqueus vrinæ tenui similis, qui intra capsulam hanc continetur, qui in mulieribus & senibus largior esse solet, vt eo cordis æstus refrigerentur, ne ob perennes motus incãdescat, vtq; innatet in eo tanquã in vesica, quẽ tamen aliqui non agnoscunt in viuentibus, sed tantùm in mortuis: Eius autẽ originem alij referunt in portionem potus, qui ex pulmonibus in pericardium illabitur; alij ex sero de vasis cordis exuberante, quia palpitatio inde nata venæ sectione curatur, vel ab excremẽto nutriti cordis, vel ex vaporibus cordis æstuantis frigore membranarum condensatis oriri arbitrantur, ac si ex ligno humido vrente liquor deflueret, aut vapores in alembico sublimati aquescerent. Quod si humor ille crassior fuerit, inde pili nascuntur in cordis superficie: Verùm non parum admiror, quomodo pericardiũ fissum, vel erosũ rursus coalescere possit, cùm humor ille tunc effluat, & vbi exhaustus est, tabidus homo pereat, vt patet in iis, qui hãc aquam per ardentes febres, inedias, vigilias, & mœrores consũpserunt. Hæc membrana dura est, & sibi continua, præterquam in basi, vt vasis egredientibus viã præbeat: illius venæ communes veniunt à phreneticis, vena autem capsularum à ramo subclauio, & nerui à sinistro recurrente. Agnoscunt autem Anatomici miraculum ingens in sanguine, & aqua, quę ex dextro Christi latere fluxit, quod ex textu D. Ioan. confirmatur, qui ter geminatam hanc assertionem posuit. *Et qui vidit, testimonium perhibuit, & verum est testimonium eius, & ille scit, quia vera dicit, vt & vos credatis:* quod in comprobando vllo, quãtumuis maximo etiam miraculo in tota Scriptura similiter scriptum non inuenitur, vt optimè Riolanus aduertit antopographiæ 3. c. 7.

Aqua cordis cur?

ARTICVLVS IV.

QVANTVM DIVINI NVMINIS PROVIDENTIA IN CORDE, pulmonibus, & reliquis stomachi partibus eluceat.

SI corpus humanum alicui palatio compararemus, crura quidem currum supplebunt, cerebrum Cõsiliarij munus peraget, iecur, & ventriculus culinæ similitudinem habent, splen, atque renes, cloacæ, venæ cibos ministrabunt, arteriæ calefactorium ferent, præparabunt nerui condimentum: succus melancholicus illud macrum efficiet, phlegmaticus, pingue; biliosus calidum, sãguineus temperatum: imaginatio picturas suggeret, narrabit historias memoria, candelabrorum instar erũt oculi, sed cor omnia moderabitur, & igni expositus, se velut totius palatij dominus calefaciet, dùm aliæ partes seruorum instar laborant.

Homo cõparatur palatio, Reipublicę, & toti mũdo.

Quod si corpus idem non tantùm ædificio particulari, sed toti Reip. conferas: Rex dicetur ratio, Regina voluntas: intellectus, erit thesaurus; eius Consiliarius, iudicium: ludius, imaginatio; at melior Reip. pars nempe viri nobiles corde repræsentabuntur, quo deficiente omnia labascunt, quod perpetua diastole, & systole tympanum pulsat, & statim receptui canit, statim classicum sonat. Denique si mundo visibili, & inuisibili simile dicatur, lien erit terra, vesicula fellis, ignis, intestina cum pituita, mare: at cor est instar cœlorum, qui duplici motu ab Oriente in Occidentem, & è contrario mouentur: mundus conseruatur per astrorum influxum, sicut totum corpus per cordis influxum: illud ergo viscus adeò nobile aggrediamur.

Cor est irascibilis animæ sedes, facultatis, & spiritus vitalis fons, atque focus caloris naturalis, ac nostri corporis sol, cuius influxu omnia recreantur, cuius substantia densissima, ac durissima omni villorum genere contexta, vt motui perenni sufficeret, & calorem natiuum conseruaret, cuius effluxum adeps extrinsecus circundans impedit, quia per inedias pabulum cordi ministrat, & impedit, ne perenni agitatione calefactum penitus arescat.

De Corde.

Adipem illum calore visceris calidissimi non colliquari aiunt, vel quia seri à corde producti aciditate congelatur, sicut oleum vitrioli, si ei oleum tartari affunditur, vel quia est crassissimi sanguinis, quo nutritur cor, excrementum: illud verò sæpiùs vndique adipe obuoluitur, estque situm in media parte thoracis, quoad basim, conus verò centrum diaphragmatis humani pertingit, pulsat autem intra læuam papillam, quia sinister eius ventriculus spirituosus est, & cum aorta ferit latus sinistrum, idque vt esset corpus ἰσόῤῥοπον. i. in æquilibrio, alioquin sinistra pars lõgè frigidior esset dextrâ, quæ hepar, venam cauam, & azygos habet.

Parte dextrâ ventriculum habet latiorẽ, & molliorem, sinistrâ verò ventriculũ triplo solidiorem & duriorem, & angustiorem, quos paries carnosus, & porosus disterminat, qui duo sunt in basi cordis, in qua cordis appendices, vel auriculas cernere est, quæ spiritum, vel sanguinem ad cor deferunt, quarum dextra capacior incubat venæ cauæ, orificio sinistra angustior in circuitu cristata arterię venosæ superiecta est. Notandum est autem in his auriculis, quæ statim intumescunt, statim flaccescunt, omnem vitalitatem cordis elanguescere, ac emori, quæ, nisi priùs adimantur, cor elixatum magis indurescit, quàm tenerescat, quo ferè modo dicunt Lucium piscẽ non coqui, nisi cor extrahatur.

Cor confertur paradiso terrestri.

Placet verò pulcherrima illa 4 vasorum cordis cum 4 paradisi fluminibus collatio: sunt enim in dextra venæ duæ, caua sanguinem affert, arteriosa promptũ ex corde pulmonibus tribuit: in parte sinistra sitæ sunt arterię duę, aorta spiritum vitalem, atque sanguinem toti corpori distribuit, venosa denique aërem inspiratum defert in cor, spiritus vitalis fuligines reuehit, & arteriosum sanguinem pulmonibus suppeditat.

Omitto valuulas, quæ videntur in ipsis vasorum orificiis, quarum aliæ sunt tricuspides, quales sunt tres tam in vena caua, quàm arteria venosa; aliæ sunt sigmoides, siue semilunares, quibus, addo probabilissimum esse cordis diastolem non ita fieri, vt conus ad basim accedat, sed potiùs vt basis ad ipsum conum veniat: hic enim immobilis existit.

Musculi, & ossa quot sint in corpore.

De venæ cauæ distributione consulantur Anatomici, vt & de cæteris venis, arteriis, neruis, & musculis; quę si tantùm enumerare velim, longior, quàm par est, futurus sum: videatur Riolanus, qui tum in Myologia, tum in myotome musculos 425 enumerat, ossa verò 247. l. 6. anthrop. c. 48. quibus si vigesimam quintam Adami costam annumeres, numerus 248 ossium exurget.

Verũ si ossa sesamoidea iungantur, erunt 303 ossa in corpore humano, & iunctâ præcedẽti costa 304; sunt enim octo in capite: vndecim in maxilla superiori; in inferiori vnicum, dentes 32: spina 24 ossibus constat: os sacrum frequentiùs 5 costæ in Adamo erant 25: sternum tribus ossibus constatur: 2 sunt clauiculæ, totidémque omoplatæ; bina ilium ossa: in manibus 60, in pedibus 64, si duo magna sesamoidea cuiusque pollicis enumeres: os hyoides tribus insignioribus constat, aures ambæ sex habent: Sesamoidea sunt in manibus 24, totidemque in vtróque pede: 4 pollicis vtriusque, duo in quolibet poplite, carpi, ac metacarpij octauum in vtráque manu: Denique pars ossea in senibus cuboidi apposita in vtroque pede adiicienda est, vt in homine sint partes 729, etiam si musculos, & ossa tantùm enumeremus. 729 partes in homine.

Pulmonis historia.

De pulmone tantùm aduerto follis instar aërem attrahere, & in se tanquam in prõptuario retinere attractum per respirationem aërem ad cordis refrigerium, cuius parenchyma spongiosum est, ac molle, rarius tamen magisq; cauernosum in adultis, quod cùm in fœtu à venoso sanguine caua in arteriam venosam regurgitante aleretur, iam à dextro cordis ventriculo subtiliorem sanguinem mutuatur, imo formatus esse videtur ex spumosa sanguinis portione.

Alij tribuunt ei quinque lobos quorum duo in sinistra thoracis parte, 3 in dextra contineantur, teste Hippocrate, cingitur à tunica pleurę continua, & ex aspera pẽdet arteria sese in mediam eius substantiam insinuãte: Illa verò tunica tenuissimis foraminulis pertusa est, vt pus & sanies in pectore cõgesta à spongioso pulmone faciliùs absorbeatur, & per anacatharsim tussiendo expectoretur. Hippocrat. Habet autem motum dilatationis, & constrictionis non solùm aduentitium à pectore, sed insitum, dilatatur enim inspirato aëre, constringitur exclusis fuliginibus. Verùm de parte hominis, quę mundo supercœlesti, & beato quodammodo respondet, déque cælesti, in quo solis instar cor pręest, dictum sit hactenus: plura qui voluerit, petat à Physiologis, qui in eodem pectore iuxta claues corpus glandulosum molle constituunt, quod θύμον appellant, & in vitulis φάγουρ ἀπὸ τῶ φάγειν, quia esu iucundum est; ad hanc sedem spiritus, & sanguis in animi perturbationibus sese conferre dicitur, vt ibi efferuescat: hinc θυμὸς ἀπὸ τῆ θύειν ab agitatione iram denotat, in adultis autem arescit, cùm tamen in nuper natis prægrandis sit.

ARTICVLVS V.

DE PARTIBVS TERTIÆ REGIONIS MICROCOSMI.

Oribasius. Æn. Sylu. Herodot.

IN mundo sublunari microcosmi relictis generationis partibus, de quibus alibi, & cuticula, ac cute, qua Persarum Rex quidam ad fenestrarum pellucidos cancellos Oribasio teste vsus est: & ad tympanũ Zischka Bohemus, vt refert Æneas Syluius, sicut alij apud Herodot. lib. 4. pro amictu: omissa item membranâ adiposâ, vt potè singulis ferè corporis partibus communi, & membranâ cõmuni musculorum, à Peritonęo ducam exordium, quod ablatis musculis conspicitur.

De Peritonæo.

Περιτόναιον latis araneorum telis simillimum nutritionis organa continet nempe ventriculum, intestina, omentum, mesenterium, iecur, lienem, renem, vtrámque vesicam, vterum, & omnia vasa, quæ sunt inter septum transuersum: oritur autem à plexu neruorum firmissimo,

firmissimo, qui dat ortum mesenterio, inquit Fallopius, est membraneum, vt ventre turgescente dilatari possit; tenue, ne pondere suo subiectis partibus sit molestum; firmissimum tamen ne facilè rumpatur: est autem ex omni parte duplex, intra cuius tunicas latet ventriculus: Tribus verò locis perforatur: primò vbi diaphragmati annectitur, tria habet foramina, vt arteriæ descendenti, venæ cauæ ascendenti, & œsophago pateat aditus: inferior pars habet etiam foramina, vel productiones circa annum ceruicem vteri, venas arteriasque descendentes, & ad transitum vasis spermaticis descendentibus, & ascendentibus diaculatoriis præbendum: denique media pars circa vmbilicum in fœtu perforatur, in adultis occlusa est, alioquin herniam ἐμφαλοχὴλην facit. In hoc igitur peritonæo ventriculus, intestina, & epiploon chylosi seruiunt, sicut hæmatosi venæ mesenterij, hepar, vena caua, vesicula fellea, lien, & renes: etenim ventriculus chylum coquit, tenuia intestina distribuunt, atque perficiunt, crassa verò fœces deturbant: epiploon veluti tegumentum adiposum coctionem iuuat. Venæ mesenteriæ chylum præparant, & rudimentum sanguini conferunt, cui formam, & ruborem indit hepar, vena caua distribuit illum, cæteræ partes regiam αἱματώσεως domum expurgant.

Licet vero sit vnicum intestinum, quod hominis longitudinem septies adæquat, attamen sex diuersa nomina pro diuerso situ, officio, figura, atque magnitudine sortiuntur: statim enim atque ex imo ventriculo discedit, duodenum, & πυλωρὸν vocant omnium arctissimum: secundum quod post longitudinem, 12 digitorum sequitur, ieiunum: tertium est ileon ad ilia, & coxas vtrinque positum, deditque nomen ilibus, & frequenter in scrotum incidit, hæc autem sunt tria gracilia intestina.

Intestinorũ omnium nomina, & officia.

Sequuntur crassa, quorum primum est cœcum, estque veluti saccus, in quo sæpè per mensem aliquid reseruatur: secundum est colon omnium amplissimum, quod affert tormina, dirosque cruciatus; est enim pituitæ crudæ officina, quæ hîc euadit vitrea; est flatus receptaculum: tertium denique rectum dicitur, quod ab osse sacro, cui firmiter alligatur, ne decidat, & ad podicem rectà descẽdit.

Omnia verò intestina mesenterium simul colligat, quod est veluti medium intestinum; at duodeno præsertim Pancreas substernitur: illud quà tenuia intestina connectit, Mesaræum: quà verò crassa complectitur, mesocolon: Pancreas autem cœnosam humiditatem chyli rubefacti excipit, vt purior hepar ingrediatur: sicut & reliquias cœnosæ pinguedinis, quas omentum, & mensenterium absorbere non potuêre, depascitur: denique febrium intermittentium, & hypocondriacæ melãcholiæ sedes esse dicitur.

Vẽtriculus.

Ventriculus chyloseos officina, ac promus, & condus malè affectus integram corporis œconomiam labefactat, iecur enim primæ coctionis vitium corrigere non potest: ille est, qui plurimum homini negotij exhibet, cuius causa maior pars mortalium viuit, inquit Plin. lib. 16. c. 8. pessimum corporum vas: instat, vt creditor, & sæpiùs die appellat pennatis autem animantibus duplex, ruminantibus, qui alteram duntaxat maxillam dentatam habent, quod rigeminus: medius inter iecur, & lienem consistit, vt lebes inter duos focos, ferè tamen totus in hypocondrium sinistrum inclinat: illius ingressus famis, sitisque sedes supra diaphragma situs, stomachus, superiúsque orificium dicitur, qui vndecimæ dorsi vertebræ insidet: quapropter cùm orificium istud laborat, ad finem dorsi remedia topica admouentur.

Plin.

Famis, & sitis sedes vbi.

Egressum illius pylorũ appellãt, qui sinistro lobo hepatis cooperitur: Ventriculus membranosus est 2 proprias tunicas habens, quarum interior neruosa œsophago, linguæ, palato, & ori communis est, vt patet ex oris amarore quãdo nimiâ humoris biliosi copiâ natat aluus. In eius autem orificio superiori cardialgiam constituunt, cùm symptomata cardiaca inuehit, sympathiam enim habet cum corde ob viciniam, eius enim mucronem ferè tangit: cum cerebro verò ob neruos insignes stomachicos; hinc fit, vt cùm in alimenti penuria suctum sentit, non tantùm esuriat, sed & cerebrum vibratis neruis lacessat.

Quare cerebrum doleat in fame.

Hepar τῇ φλεβῶν ῥίζωμα, ἡ αἱματώσεως ... proprijs sumptibus vniuersam corporis familiam alit, estque caput extorum, inquiunt Aruspices, apud quos extipiscium ἡπατοσκοπία dicitur: procreandi libido à iecore ad testes diffunditur, qua fortè de causa non tantùm facultatis naturalis, sed & amoris, ac concupiscentiæ sedes appellatur, iuxta id, *cogit amare iecur*: à cuius ... vel ... non solùm curis color, sed omnes vitales, & animales facultates dependent. Iecur cerebro cõnectitur per neruos, cordi per arterias, & venam cauam, vẽtriculo, intestinis, & lieni per splenicum, atque mesentericum ramum, cæteris corporis partibus per ligamenta propria, vel communia timidis autem, & helluonibus maius hepar esse solet.

De Hepate.

Reliquæ partes expurgando iecori deseruiunt, fellis enim vesicula bilem subtiliorem ab hepate sugit, quamuis non desit alius conductus cholidochus, quo iecur se in intestinum ieiunum exoneret; Simili modo splen attracto humore melancholico, & renes seroso iecur expurgant: situm est lien in hypocondrio sinistro ex aduerso iecoris:

Denique à simâ renum parte duo vreteres promanant, per quos tanquam per canales vrina in vesicam descendat, cuius fundus sphinctere cingitur, ne inuitis nobis vrina fluat. Pauca hæc referre volui, vt qui omnes Adami partes, earúmque officia spectauerit, non minus Dei sapientiam, bonitatem, potentiam, atque prouidentiam in micrcocosmo, quàm in macrocosmo suspiciat, atque veneretur.

VERSICVLVS IX.

Plantauerat autem Dominus Deus Paradisum voluptatis à principio; in quo posuit hominem, quem formauerat.

וַיִּטַּע יְהוָה אֱלֹהִים גַּן בְּעֵדֶן מִקֶּדֶם וַיָּשֶׂם שָׁם אֶת הָאָדָם אֲשֶׁר יָצָר׃

Καὶ ἐφύτευσεν κύριος ὁ θεὸς παράδεισον ἐν Ἐδὲν κατὰ ἀνατολάς. καὶ ἔθετο ἐκεῖ τὸν ἄνθρωπον, ὃν ἔπλασεν.

PAgninus vertit, *hortum in Heden ab oriente*, à quo parum 70 differunt, Chaldæus legit *hortum in loco voluptatis.* Varietas ex Hebræo orta videtur; גַּן בְּעֵדֶן *gan behedem* παράδεισον ἐν Ἐδὲν; quod 70 vertunt inferiùs non ἐδὲν, sed τῆς τρυφῆς *deliciarum, seu voluptatis*: quo sensu 2 Reg.c.1. & Psal.36 vertitur: *torrente voluptatis* &c. quamuis cap. 27 Ezechiel. pro loco proprio sumatur Eden, sicut & Charan, quarum; prouinciarum negotiatores in Iudæam accedebant: vnde concludit Eugub. Heden prope Charam, seu Mesopotamiam non longe à Iudæa fuisse, ac proinde paradisum ibidem positum, quia ibi sunt illa 4 flumina, inquit, Nilo excepto: adde quod Græci plures ibidem paradisos celebrarint, vt apud Xenophontem habes, quorum nonnullos Euphrates irrigàret. Sed insurgunt hæretici, dupliciter exorbitare vulgatam, quia, inquit Amama, quominus vertas *hortum voluptatis*, obstat littera ב ante עֵדֶן, quod ostendit pro loco proprio hîc sumendum esse, vt Vuitak. aduers. Bellar. atque Caiet. & Steuch. duo rigidi Pontificij contendunt.

1 Reg. 1.
Psal. 36.
Ezech 27.
Eugubin.
Amamę obiectio.
VuitaK.

Secundum errorem in קדם notat, quod vertimus *à principio*, cùm enim illa dictio tam loci, quã temporis prioritatem significet, vult hîc pro loci prioritate sumatur, tametsi verterit Aquila ἀπὸ ἀρχῆς; sed benè res habet, quod à principio temporis verti posse concedat, nisi eum magis ad id Drusij, quàm Ecclesię verę moueret authoritas, qui in fragmentis veterum Interpretum Græcorum id annotauit. Symmachus etiã habet ἐκ πρώτης. Theod. ἐν πρώτοις, vnde D. Hieron. in quæst. Hebr. ait paradisum cõdidisse, antequam cœlũ, & terram crearet: in πρώτοις subaudiendum putat ἀρχῆς, sicut in πρώτοις, χρόνοις i. primis temporibus.

Drusius.
Symmach.
Theodot.
Hieron.

Amama verò reprehendit Senens. & Mercer. quòd D. Hieron. excusare satagant: quem Steuchus hanc ait reuocasse sententiam, cùm tamẽ Albin. & Eucher. in Genes. D. Hieronymi mentem fuisse aiunt, vnde Venetus existimauit paradisum illum non fuisse in hoc mundo visibili: hinc errorem de creatione inuisibilis mundi restaurari posse concludit, quem Senensis 5 bibliot. annot. 5 Basilio, Orig. Nazian. Ambr. Hilar. Damasc. Cassian. Isid. & aliis tribuit, atque Iudæorum delirium firmari posse, qui res 7 creatas ante mundum existimant, ex quibus vna sit, paradisus, de quo loquimur: de quibus quid sit sentiendum, hîc in ipsa textus explanatione dicemur.

Albin.
Eucher.
Venetus.
Senensis.

Plantauerat, seu plantauit יִטַּע *iitah* à radice נָטַע quæ significat in terram insigere, siue plantas, siue arbores, vel etiam plantis tanquam veste terram ornare, quam 70 per φυτεύω .i. planto hîc verterunt: per πήγνυμι num. 24. v. 6: per πήγνυμι incendo Eccl. 12. 11. & per statuo, ἵστημι Esai. 51. vers. 16. hinc plantam, seu plantationem נֶטַע, vel מַטָּע dicunt, & ibid. v. 13 extendere significat. Hebræi aiunt non de nouo, sed die tertio circa mundi principiũ hortum istum plantatum fuisse, herbisque selectioribus adornatum: volunt autem hîc explicari propter sequentem hominis historiam; nec insolitum est, vt priùs in genere proponatur, quod postea particulariter explicatur: estque vnus ex 32 modis explicandi, secundum quos legem exponi dicunt: ita R. Schelomo, & Aben Ezra: quapropter effertur in plusquam perfecto: *Et plantàuerat*: quod tamen alij ita intelligunt, vt ante mundum productus sit, quibusdam fortè non intelligentibus, quod aliquando de gloria cœlesti Hebræi dixerunt, quæ ante mundum constituta est, iuxta D. Paulum ad Ephes. cap. 1. *elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti*: adeout paradisus terrestris cœlestem adumbret. Sic D. Hieron. explicandus est, dum ab initio paradisum constitutũ ait, vt figura pro figurato sumpta sit, vel dicendum est à principio intellexisse à tertio creationis die, vel denique eum non ex propria, sed aliorum sententia locutum.

יטע explicatur.
Num 24.
Eccles. 12.
Esai. 51.
R. Salomõ.
Aben Ezra.
ad Ephes. 1.
D. Hieron.

Intellige autem Deum ita plantasse paradisum, non ita ut ex alio veluti terræ loco transtulerit, sed quatenus ipsum produxit, & effecit, vt terra plantas, & arbores produceret, vt locus ille fieret amœnissimus, in quẽ is transferendus erat, in quo Deus delicias suas accipit; homini enim locus ille plenus deliciarum fuit paradisus, at homo iustus, qualis primus erat, Deo veluti paradisus est, & hortus pulcherrimus, in quo delectatur: nec difficile est in homine reperire, quod in horto fuit; in eo siquidem voluntas est arbor scientiæ boni, & mali, gratia lignum vitæ, arbores, & herbæ virtutes, fructus verò cogitationes &c. Locum autem hunc vocat Moses גן hortum, seu paradisum, quia nemus quoddã erat, vel potiùs nemora, prata, agri & omnia simul, vt nihil ad voluptatem deesse posset: hoc nomine vtitur Esaias c. 65. vers. 3. sacrificantes בַּגַּנּוֹת in hortis, Targum addit טַעֲוָתָא idolorum, quibus

Esai 65.

Cantic. quibus olim horti consecrabantur;& Cant. 4. v. 15 legitur fons מעין גנים hortorum, quem ad pedem Libani oriri dicunt, vt hortos omnes, & totam regionem irriget, quæ est inter Libanum, & Tripolim. Rabbini verò hortum Eden vsurpant pro fœlicitate vitæ futuræ, ideóque Targum Ierosolim. vbi Gen. 3. versic. 24 legimus, *& expulit Dominus hominem de paradiso*, addit, & parauit gehennam, & paradisum; in quo Alcoranus Azota 2 dulcissimas aquas, poma multimoda, fructus varios, & mulieres pulcherrimas expectat, & in precationibus Arabicis vocant Deum, Dominum horti, & ignis. i. paradisi, & inferni. Hinc fit גנן *ganam*. i. hortulanus, seu topiarius.

Targum Ierosolim.

Alcoran.

Paradisus autem vox est Persica, vt apud Xenophontem legimus; & Philostratus in vita Apollonij paradisorum meminit, in quos Damis Rex ad venandum ibat, in quibus barbari leones, vrsos, pantheras, &c. claudebant: Procopius Cæsariensis ait regiam Vuandalorum in pulcherrimo paradiso sitam fuisse, qui fontibus totus irriguus erat, & nemora vndequáque virescebant; Arbores autem pomis erant onustæ, adeout ipsi milites defixis latè sub arboribus tentoriis, inde poma decerperent, & pro sua quique auiditate satiarentur; horum etiam paradisorum meminit Ecclesiastes cap. 2. Hebræi vocant פרדס locum deliciosis arboribus consitum; & Græci παράδεισον à præpositione παρὰ, & δεῦω rigo deducunt, quod locus sit irriguus aquis.

Xenophon. Procop. Eccles. 2.

In Heden, rectè vulgata vertit *voluptatem*, siue proprium nomen fuerit, siue appellatiuum, sicut rectè verteret, si pro Ierusalem, diceret vrbem, in quo templum erat, aut simili modo: עדן heden enim voluptatem, & delicias significat à radice עדן *hadan*, i. voluptate potitus est: ita coniugalem actum vocat Moses עדנה voluptatem. Gen. 18. ver. 12 Targum vertit adolescentiam: ita Iob cap. 38. versic. 31. verni temporis pulchritudinem delicias Pleiadum מעדנות vocat, quod 70 vertunt δεσμὸν nodum ad ענד *ligauit* respicientes. Non igitur refert, an proprium, vel appellatiuum nomen fuerit: vulgata si quidem magis res significatas, & Spiritussancti respicit intentionem, quàm verborum corticem. Iisdem etiam literis cum aliis punctis, fodina metallorum & tempus opportunum significatur.

Gen 18. Iob 38.

Non minus bene מקדם *Mikedem* vertitur, à principio, quàm ab oriente, quicquid enim loco, vel tempore antecedit קדמון *Kadmon* appellatur, & ipsa antecessio קדם Kedem: 70 vertentes κατὰ ἀνατολὰς, ad locum respexerunt, D. Hieron. ad tempus; sic pro tempore, vel potiùs æternitate sumitur Deut. 33. & Psal. 44 in diebus קדם æternitatis.

Hieron.

At pro loco Orientis sumitur cap. 3. Gen. cùm legimus à parte Orientali positum fuisse Cherubinum. Adde quod, licet pro loco sumas, nihil contrà vulgatam inferatur; enimuero principium mũdi Oriẽs dici potest respectu Iudeæ: Iudæos enim, siue Israëlitas Moses alloquebatur; & illa plaga Orientalis à Græcis anterior dicitur, quod sonat קדם, vt ipse nouator Mercerus fatetur; sicut אחור pars mundi posterior appellatur. Quod sequitur in versu, videlicet Deum posuisse hominem in paradiso, non infert hominem extra paradisum productum esse; quod hic non discutio, quia proprium locum in versic. 15 habemus: quæ verò pertinent ad locum paradisi, in sequentibus disquiremus.

Deut 33. Psal 44. 3 Gen.

VERSICVLVS IX.

Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suaue: lignum etiam vitæ in medio paradisi, lignúmque scientiæ boni, & mali.

וַיַּצְמַח יְהוָה אֱלֹהִים מִן־הָאֲדָמָה כָּל־עֵץ נֶחְמָד לְמַרְאֶה וְטוֹב לְמַאֲכָל וְעֵץ הַחַיִּים בְּתוֹךְ הַגָּן וְעֵץ הַדַּעַת טוֹב וָרָע׃

Καὶ ἐξανέτειλεν ὁ θεὸς ἔτι ἐκ τῆς γῆς πᾶν ξύλον ὡραῖον εἰς ὅρασιν, καὶ καλὸν εἰς βρῶσιν· καὶ τὸ ξύλον τῆς ζωῆς ἐν μέσῳ τοῦ παραδείσου, καὶ τὸ ξύλον τοῦ εἰδέναι γνωστὸν καλοῦ καὶ πονηροῦ.

PRoduxitque ויצמח *vaiathma* germinare fecit, Nachmanni existimat arbores paradisi perpetuos fructus tulisse, vt nunquam sterilescerent, nec opus haberent hominum cultura: alij per præteritum plusquam perfectum vertunt: *produxerat de humo, seu de terra*: omne lignum, seu arborem, vt Pagninus & Chaldæus habent: mos enim est Hebræis, vt per lignum arbores intelligant, *pulchrum visu*; Pagninus concupiscibilem aspectu; Chald. desiderabilem ad videndum: quæ in idem recidunt, & lignum scientiæ boni, & mali, seu lignum ad sciendum cognoscibile boni & mali, vt 70: vel vt Chaldæus, arborem cuius fructus manducantes scient inter bonum, & malum.

Pagnin. Chald.

In hoc horto 2 præsertim commemorantur arbores, siue earum vnicum, siue plura fuerint indiuidua per totam terram deinceps propaganda: arbor vitæ, seu vitalis dicebatur, quòd fructus eius comestus vitam hominibus afferret, & impediret, ne senescerét, aut incommodis valetudinis opprimerétur; in qua fœlicitate forsitan permansissent, donec corpore simul, & anima ad æternam illam cum Dei consortio beatitatem transferrentur, nisi peccassent homines, sic enim ait

Nachm. Nachmanni Adamum vsque ad præscriptum terminum vitam continuaturum, donec ad transformandum in vitam immortalem profectus fuisset.

Ramban ex Hebræis refert arborem scientiæ boni & mali vocatam fuisse דעת *dahat* cognitionis, quòd gustatio fructuum eius appetitum coëũdi excitarit, quòd alicubi in Scriptura cognoscendi vocabulum pro concumbere vsurpetur, quod optimè Nechmannides reijcit, qui vocem *Dahat* hîc significare sit voluntatem, desiderium, & electionẽ, vt & Exod. 33 *Noui te ex nomine*, idest, elegi te ex omnibus hominibus: & Psal. 143. *Domine quid est homo, quia innotuisti ei* &c. Nachmanni vertit, quia cognoscis eum, idest desideras, & bonam voluntatem habes erga eum. Hinc inferunt Adamum, si in originali iustitia perstitisset, omnia opera sua naturaliter quodammodo citra peccatum, non aliter atque omnes reliquas creaturas, cœlum, & terram &c. perfecturum, adeout citra omnem impuram carnis titillationem debito tempore cum coniuge sua, causa liberorum procreandorum conuenturus esset; additque mẽbra genitalia æquè honesta fuisse, ac manus, & faciem, antequam pomi gustatione natura deprauaretur; hócque illi accessisse, quod iã electione, iudicio, voluntate, atque voluptate agat hoc, vel illud, benè vel malè sibi, vel aliis faciat: sed errat grauiter, si existimet Adamum innocentem liberè non ea fecisse, quæ iam peccator liberè facit, cùm ille status iustitiæ non minuerit, imo potius auxerit libertatem hominis. Cùm autem in hoc versiculo 2 præcipuę difficultates reperiantur, quid nimirum esset lignum vitæ, quid lignum sciẽtiæ boni, & mali, ad eas discutiendas quæstionem instituerem, nisi Pererius id latè fecisset, quem facilè consulere potes.

Exod. 33. Psal. 143.

VERSICVLVS X. ET XI.

X. *Et fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum, qui inde diuiditur in quattuor capita.*

XI. *Nomen vni Phison, ipse est qui circuit omnem terram Heuilath, vbi nascitur aurum.*

X. וְנָהָר יֹצֵא מֵעֵדֶן לְהַשְׁקוֹת אֶת־הַגָּן וּמִשָּׁם יִפָּרֵד וְהָיָה לְאַרְבָּעָה רָאשִׁים׃

XI. שֵׁם הָאֶחָד פִּישׁוֹן הוּא הַסֹּבֵב אֵת כָּל־אֶרֶץ הַחֲוִילָה אֲשֶׁר־שָׁם הַזָּהָב׃

X. Ποταμὸς δὲ ἐκπορεύεται ἐξ Ἐδὲν ποτίζειν τὸν παράδεισον. ἐκεῖθεν ἀφορίζεται εἰς τέσσαρας ἀρχάς.

Ὄνομα τῷ ἑνὶ Φισών· οὗτος ὁ κυκλῶν πᾶσαν τὴν γῆν Εὐιλάτ, ἐκεῖ οὗ ἐστι τὸ χρυσίον.

FErè totus est Moses hoc in capite in describenda amœnitate paradisi, quę cùm sine aquis consistere non posset, 4 flumina describit, quibus irrigetur. Fluuius autem aquarum significat abũdantiam, quæ exibat ex Eden ad rigandum hortum; hinc inferunt aliqui fluuium illum satis longum tractum habuisse, & ex parte orientali venisse, antequam paradisum irrigaret; quo posito, non possumus inferre fluuium è paradiso natum fuisse. Has autem aquas è montibus Armeniæ proficisci aiunt, quæ regioni Eden vicina erat, idest Mesopotamiæ, Chaldææ, Persiæ, Susianæ, & Arabiæ: præsertim verò duos illos nobiles fluuios Tigrim, & Euphratem oriundos esse putant ex illis montibus, qui post aliquantum tractum inter se coëant, cùm à fontibus à se inuicem dissitis priùs orti fuissent.

Arbitrantur autem historici eos in vnum confluere versus Babylonem, idque supra eam, cùm vnus ad Babylonem perueniat, alter ad Seleuciam, vnde postea diuisi rursus tandẽ coëant Euphrate in Tigrim influente ad sinũ vsq, Persicũ. De hac verò coniunctione fluuium hunc interpretantur, qui paradisum alluat, postquam regionem Eden, & Mesopotamiam bifido, geminóque flumine peragrauit: quique, deinceps in 4 capita longiùs excurrens diuisus fuerit, quæ nonnulli de ostiis intelligunt, quibus exonerantur, & influunt in mare Tigris, & Euphrates. Alij dicunt reliqua 2 flumina Phison, & Gehon esse 2 ostia, quibus Tigris in sinum Persicum effunditur. Sunt qui existiment illum fluuium, vel fluuiorum coïtionem statim post egressum è Paradiso, vel etiã in eo diuidi in 4 riuulos, seu partes, quarum duæ retineant antiqua nomina,

nomina, Tigris, & Euphrates, licet vtrumque flumen iterum coniungatur. Verùm ista omnia ita difficultatibus præpedita sunt, vt multi dicant vel hos fluuios nomina sua mutasse, vel per alias terræ partes fluere, & cursum mutasse, vel in vnũ coïsse, & Phison, atque Ghihon non ita celebria fuisse, vt Tigrim, & Euphratem, forsan in eos sese infudisse, vnde Plinius Pasitigris meminit.

Sequuntur fluuiorum nomina, quorum vnus est Phison; qui fortè statim post allutam paradisum primus extare cœperit, quanquam nihil cogit, vt Phison primum esse dicamus, Mosi enim fuit satis, quod illos fluuios, prout menti occurrebant, enumerarit.

Quidam Hebræi per Phison Nilum intelligũt, vt R. Salomon, à פוש, vel פוש Chaldæa radice, quæ significat augescere; Nili siquidem aquæ crescere solent, vbi notandum est Nilum portendere fœlicitatem cum 16 cubitis crescit; hinc Romæ marmoreum Nili colossum habes, qui corpore reliquo decumbente, caput manu dextrâ sustinet, cubito ad basim appresso, altera manu aquam ex tribus vrnis vnâ tantùm ansâ coniunctis effundit; circunfusi autem 16 numero pueri totidem cubitis fertilitatem pollicentur, alioqui si infra 15 subsederit auctus, non irrigatur tota Ægyptus, & ad serendum inutilis est, si supra 16 attollitur, quanto altiùs inturgescit, tanto magis fames expectatur, quia aquis diutiùs immorantibus, serendi tempus præterit, neque sata possunt ad maturitatem peruenire. At cum intra 16 cubitos auctus consistit, omnia ex voto succedunt.

R. Salomō.

Nilus fœcunditatem designat.

Nili effigies mira.

Alij deducunt Phison à פשתה, id est lino cuius magnam copiam Nilus in Ægypto afferat, nam regio Niliaca lino, papyro, atque bysso abundat, hinc Isai. cap. 19. vocat Ægyptios lini opifices vers. 9. *Confundentur qui operabantur linum pectentes, & texentes subtilia.* Alij volunt Phison esse Gangem magnum Indiæ flumen, quod non est probabile, quia Ganges procul est à prædictis Mesopotamiæ locis in vltima India, ex Caucaso, vel Tauri ramento suum ortum repetens, nisi velimus plerisque locis eum terra absumi, & post longos tractus rursum scaturire, vt vult D. Augustin. 8. de Genes. ad lit. cap. 7. & Theodor. quæst. 29. quod Moses Syrus ex eo confirmat, quòd *phas* apud Syros cessare significet.

Isai. 19

August. Theodor.

Terram Heuilath intellige regionem Orientalem dictam à filio Iectan secundo filio Heber, de quo cap. 10 dicendum erit. Alij regionem hanc ideo dici putant *heuilath*, quod illa terra pretiosas gemmas, & aurum pariat, Chauilah enim partum significat, aptè quidem ad sensum Mosis, siquidem illa regio teste Plinio abundat auro optimo, & est prope Ophir, quod ab Ophir fratre Chauilæ dicitur, vnde magna copia auri 3. Reg. 9. 10. & 22. & 2. Paral. 8. asportabatur: nunc autem Ophir dicitur Malaca, tametsi nonnulli existiment esse minus, atque maius Peru, cùm 2. Paral. cap. 3. legat Hebræus פרוים paruaim à singulari Paru, vel Peru. Verùm ob tantas difficultates, & tam varias opiniones, quæ de Paradiso, origine illorum fluuiorum, & huiuscemodi habentur, problemata quædam affero, quibus omnia breuissimè colligantur.

3. Reg. 9, 10, & 22. 2. Paral. 8. Peru. 2. Paral. 3

PROBLEMA

DE PARADISO TERRESTRI.

1 *Quis est, & vbinam ille paradisus, de quo hîc agimus?* Nunquid de quolibet loco amœno intelligitur, qui oblectat, iuxta 4. Cantic. *emissiones tuæ, paradisus malorum punicorum*, sed hoc est metaphoricum. An bene D. Augustin. Ecclesiam paradisum vocat 11. de Gen. ad lit. c. 25. Nũquid cœlũ empyreũ, vel vbertas gratiæ, qua præditus erat Lucifer, paradisus est, 28 Ezech. *In deliciis paradisi fuisti.* An ipsa substantia patris, à qua filius, vt lumẽ de lumine processit, est vera paradisus cæterorũ fons paradisorum, Eccli. 24. *Ego* (nempe verbum æternum) *quasi aqua ductus exiui de paradiso*, & Luc. 23. *hodie mecum eris in paradiso*, & Apoc. 2. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei.* An ipsa anima iusti, quæ sedes est sapientiæ, & Dei, paradisus est, quem גנן *gana* id est *protegere, & concludere* significat, quia sicut arbores proceræ patulis diffusæ ramis paradisum inumbrabant, ac custodiebant, ita virtutes animam iusti circundant, atque custodiunt: quo sensu hortum conclusum habes in Canticis Canticorum.

4 Cantic.

2 August.

3 Ezech. 28

4 Eccl. 24 Luc. 23. Apoc. 2.

5

6. An Adamianiorum Ecclesia paradisus est? atqui sunt hæretici perperã sentientes, apud Epiph. lib. 2. contra hær. cap. 52. Estne totus mundus?

Epiph.

7 sed præterquam quòd Epiph. cap. 66. id inter hæreses numerat, Scriptura fluuios peculiares describit Edenum hortum prætetlabentes, vt terræ partem certam esse cogitemus, quæ ad Orientem sita sit.

8 Rectène Philo tam de opificio mundi, quam libro allegor. & de plantatione Noë paradisum spiritualiter explicat, sicut & Orig. 4. de principiis cap. 2. vt Epiph. cap. 64. & epist. ad Ioan. Hierosol. & D. Hier. epist. 60 cap. 3. & epist. 61. cap. 4. docent. verùm id ad Veneti problemata confutauimus. Quam tamen sententiam D. Ambrosium secutum esse constat ex lib. 6. epist. 42. epist. nam commentarius in c. 6. 1. ad Corinth. eius esse non censetur. Attamẽ excusari potest Orig. & Ambros. si solum sensum allegoricum literali præsupposito secuti sint: vt tertium cœlum, ad quod Paulus raptus est, sit paradisus, arbores, virtutes Angelicæ, flumina, aquæ quæ super cœlos sunt.

Philo. Orig.

Epiph. Hieron.

Ambros.

9 An est aliquis locus vsque ad lunæ globum, vel supra mediam aëris regionem euectus? sic enim refert ex quibusd. Lombard. in 2. d. 17. sed à nobis videretur.

Magister sentent.

10. An vt Moses Barcepha S. Ephremo tribuit, extra terram hanc, & Oceanum, alia est terra, quæ sit paradisus? sed 4 flumina paradisi terram nostram irrigant, atque adeò hæc sententia fictitia est.

Moses Barcepha.

11. Nunquid est sub æquinoctiali parte mundi benignissima? sic eam Durand. cum Bonau. in 2. d. 17. vel in Palæstina circa Iordanem in terra Sodomorum

Durand. Bonau.

Gen. 13 Ciruel. Alphon. iuxta vers. 10. cap. 13. Gen. vt Ciruel. Daroc. quæst. 15. parad. & Alphon. à vera Cruce specul. 15 de cœlo arbitrātur, an in Taprobana, vel America, vt alij volunt; verùm illa 4 flumina, de quibus Scriptura loquitur, non sunt in illis partibus.

12. An ergo verus est sensus literalis, veraque sententia paradisum esse circa Armeniam, & Mesopotamiam, cùm sint Orientales in Scriptura, & eas statim eiecti de paradiso nostri parentes incoluerint? Quod cùm paradisi locum ostendere videatur, paulò latiùs explicabimus.

Locus paradisi vbi fuerit? Itaque paradisum fuisse circa Babyloniam, quæ olim continebatur nomine Mesopotamiæ, demōstrat illa Mosis descriptio, natura loci, & multorum locorum Scripturæ comparatio.

Quis enim nescit agrum Babylonicum, quà ab Euphrate, & Tigri irrigatur, esse feracissimum, & totius Orientis amœnissimum? *Refudat enim*, in-

Q. Curtius. quit Curtius, *toto ferè solo humor, qui ex vtroque amne manat per aquarum venas, & solo Babylonico fœlicitatem affert maximam:* hinc, ait Plin. 18. nat. hist.

Plin. cap. 17. *Babylone segetes bis secant, tertiò depascunt, alioqui folia tantùm fierent. Sic quoque cum quinquagesimo fœnore messes reddit exilitas soli; verùm diligentioribus cum centesimo quinquagesimo, Neque est cura difficilis quàm diutissimè aqua rigandi, vt prepinguis, & densa vbertas diluatur*, &c. quæ ibi videre potes,

Theophr. & apud Theophrastum lib. 8. de plantis. Isaias ve-

Isai. 51, & 31 & 27. rò cap. 51 Hedenicam vbertatem describit, vt & c. 31. & negotiationis commoditatem c. 27. Babylonia verò tres in partes secatur à Ptolemæo, in summam Araunitida ad Euphratem fluuium, Mesopotamiæ contermінam, in Chaldæam medianam iunctam Arabiæ desertæ, & in Merodaciam supernè Strophis, infernè sinu Persico terminatam.

Quarum duæ postremæ nihil ad Heden pertinere videntur, quia nec adeò feraces sunt, nec ad fines Assyriæ pertingunt; vt noster Heden, qui potiùs Auranitidis regio cōstitui debet, quam Iunius Audanitem dici debere putat, quòd pro αὐδανῖτις ἢ αὐρανῖτις mendosè scriptum fuerit. Verùm ea clariora fient, cùm ad versiculum 13, & 14. quæstionem de 4. illis fluminibus agitabimus.

Nunquid paradisus est virgo mater, cùm præter mirabiles sanctarum cogitationum, & actionum arbores ipsum lignum vitæ Christum Dominum in se tulit? iuxta psal. 84. *Benedixisti Domine* 13.

terram tuam? Sed & Christus fuit arbor scientiæ boni & mali, non solùm quia *butyrum, & mel comedit, vt sciat reprobare malum, & eligere bonum*, sed quia *lumen* est *ad reuelationem gentium*. Psal. 84

An ipse Christus est verus paradisus, cùm veram arborem vitæ ipsam diuinitatem in se contineat, cuius esu beatitudine fruentur, quicúnque beati futuri sunt, in quo diuina attributa non arbores, sed arborum causas, & ideas reperies. 14.

Nunquid ipsa charitas, imo, & virtus quælibet paradisus dici potest? cùm maiorem in se complectātur amœnitatem, & vbertatem, quàm terrestris paradisus, illæ animi virtutes, quas vel proprio labore comparauimus, vel Deus nobis infudit. Alias morales, allegoricas, & anagogicas vniuscuiusque industriæ permitto, dummodo verus literæ sensus retineatur. 15

PROBLEMA II.

1 QVænam certa sunt ex iis, quæ de paradiso referuntur? Nunquid eum esse verum locum, & corporeum circa ea loca positum, quæ Moses descripsit? nec enim à literali sensu recedendum est, nisi cogat necessitas.

2. An certum est eum totius mundi locum amœnissimum fuisse, in quo animalia, pisces, & aues essent præter arbores, & plantas ad maiorem hominis delectationem, & Dei gloriam, ad quam facilè tot visis creaturis Adamus exurgere poterat.

3 Basil. Nunquid verò animalia concorditer, & pacificè viuentia audiebant, & sensatè loquebantur inter se, vt innuit Basil. verùm nec loquela, nec ratio bestiis conuenire potest; nec aliter, quàm nunc serpentes, vel alia viuentia gradiebantur, aut viuebant.

4 Rupert. An benè Rupert. 2. de Trinit. cap. 24. & 29. loquitur, dum ait paradisi fontem esse omnium aquarum dulcium, quæ totum orbem præterlabuntur, originem, adeò ut ex consequenti fons ille sit parens, & author omnium germinum, arborum, gemmarum, & aromatum, at illud ne quidem probabile est, vt ex descriptione fluuiorum constabit.

An adhuc superest post diluuium antiqua paradisi amœnitas, qua Elias, & Henoch perfruantur, & 5
in qua omnes iustorum animæ post mortem vsque ad diem iudicij detineantur? at hunc Armenorum errorem Concilium Florentinum condemnat, cui si Irenæus adfuisset, huic errori l. 5. cap. 5. non adhæsisset. Irenæus.

Nunquid probabilius est aquis diluuij, tantam amœnitatem periisse, post quas tamen radices potuerunt reuirescere, & eiusdem speciei fructus producere; an verò arbor vitæ, & scientiæ, boni, & mali vigeant adhuc quis hominum scire potest, nisi cui reuelatum fuerit? Cætera vt incerta relinquo, vt cum D. August. 13. de Ciuit. c. 21. & Ambr. l. de paradiso finiam, qui paradisum in Ecclesia rectè collocant, cuius 4 Euangelia, sunt fluuij: arbores, Sancti: fructus, eorum opera: lignum vitæ, sapientia, Eccli. 24. & Prou. 3. lignum scientiæ boni, & mali, liberum arbitrium, vel præcepti transgressi experientia. 6 August. Ambros. Eccl. 24. Prouerb. 3

VERSICVLVS XII.

VERSICVLVS XII.

Et aurum terræ illius optimum est: ibi inuenitur bdellium, & lapis onychinus.

וזהב הארץ ההוא טוב שם הבדלח ואבן השהם

Καὶ τὸ χρυσίον τῆς γῆς ἐκείνης καλόν. ἐκεῖ ἐστιν ὁ ἄνθραξ καὶ ὁ λίθος ὁ πράσινος

MOses aliquas regionis illius notas refert, inter quas aurũ optimũ describitur, quod Hebræi זהב *zahab* appellant, quod etiam siclum, vel aureum, seu auri denarium. i. 4 dragmas Atticas significat: metaphoricè verò denotat omnia, quæ pura sunt, vel auri colorem referunt, vt vinum, oleum, & sudum cœlum, nam pro vino sumitur Ierem. 51. vers. 7. pro oleo Zachar. 4. vers. 11. & pro sudo Iobi 37. vers. 22. nam vbi legimus, *Ab aquilone aurum venit*, alij vertunt, per aquilonem lux aurea venit; Boreas enim aërem instar auri purum reddit, ideóque αἰθρηγενέτης ab Homero dicitur. i. serenitatis effector.

Aurum diuersa significat. Ierem. 51. Zachar. 4. Iob 37. Homer.

Bdellium quid sit. De bdellio maior est difficultas, quod Hebræi *bedolac* vocant; hunc enim lapidem 70 vocant ἄνθρακα, seu carbunculum, qui est lapis fulgidus, ac lucens. Alij chrystallum arbitrantur, vt Hebræi communiter teste Eugubino hîc, inter quos Agaon ait, *bdolac* esse lapillos paruos, ac teretes, qui ex aquis emergant, & minimè crassi sint. Plinius verò refert bdellium esse gummi genus distillans ex arbore nominis eiusdem, quod postea in lapidem concrescat. Attamen difficile est assignare, quomodo bdellium crescat in aquis, si sit arbor aromatica, quæ crescit ad sinum Persicum, Dioscorides interpretatur myrrham, aut electrum.

Eugubin. Plin. Dioscorid.

Num. 11. Illi vero manna comparatur Num. 11. vers. 7. vbi 70 vertunt בדלח *bdolac* Κρυστάλλου. De eo hæc habet Beniamin in Itinerario. In Catipha bedellius inuenitur. Et in vigesima quarta mensis Nisan ros quidam in aquas decidit, quem collectum incolæ inuoluunt, & conclusum in mare coniiciunt sua sponte demergendum vsque ad fundum maris.

Beniamin.

Medio autem mense Tisri duo homines in maris fundum demissi reptilia quędã collecta in auras deferũt, è quibus fissis, & ruptis lapides illi proferuntur. Genebrardus ad annum mundi 3969 meminit bdellij, dum loquitur de præstanti tauro, quem Antiochus misit in sacrificium, cornibus auro ductili obtectis, cinctum verò bdelliis, & omni pretiosorum lapidum genere, purpureo panno, & ornamentis, sumptuosissimis opertum cum vasis aureis & argenteis plenis aromatum, quo obtinuerit, quod armis & potentia minimè potuisset, citatque Ioseph. lib. 13. & autorem lib. de rebus regũ Israël secundi templi: verùm de bdellio nihil apud Iosephum cap. 16 vbi de re ista loquitur, reperio; nec illum autorem de rebus secundi templi vidi: eapropter de bdellio plura non apponam. Genebr. Ioseph.

Sequentẽ lapidem 70 prasinum, seu porreaceum appellant; vulgata verò retinet onychinum cum Aquila, Symmacho, & Theodotione, quem tamẽ 70. in Exodo Smaragdum exprimũt; Iosephus Sardonychum. Eugubinus bdellium putat esse margaritum, vel vniones cum R. Haghaon, Galli vocant, *des perles* tametsi R. Dauid Iaspidem explicet. Eugubin.

Onychinus verò lapis ab vngue colorem, & nomen accepit: Nos autem duas quæstiones hîc agitabimus, vt si Hebræi suis vocabulis generalibus lapides multos intelligant, de multis etiã, præcipuè verò de pretiosis agamus, neque enim id hactenus egimus, cum tamen Deus lapides creauerit. De metallis etiam in primo capite Moses nihil attulit, quapropter operæpretium est, vt semel de his disseramus, inter quæ versus noster 12 aurum optimum commemorat; à metallis igitur incipiendum est, vt ad lapides postea descendamus.

QVÆSTIO XXIII.

DE METALLIS, VBI PRÆSERTIM DE AVRO.

ARTICVLVS PRIMVS.

DE MATERIA METALLORVM.

NVllum diem peculiarem assignauimus, quo metalla producta sint, vt quidpiam iure possit in dubium reuocare, an illa initio creata sint, necne: Et quidem si minimè creata sunt, sed solis, aut aliorum astrorum calori relicta alio modo de illis loqui possumus; Id verò crederet aliquis, si plantarum, & animalium productio, eidem soli credita fuisset; vt enim varias herbas, & diuersas animantes pro diuersis aspectibus ab eo progigni diceres, ita & metalla varia. Aristoteles ea produci existimat ex halitu; Chymistæ ex sulphure, & argento viuo, vel ex cinere aqua madido, vt Gilgil Mauritanus voluit, vel ex aqua, seu humore terræ admixto, vt Albert. à quo non Gilgil. Albert.

Agricola. recedit Agricola. libr. 5. subterran. cap. 7.

Verùm hæc ad causam materialem attinent, cùm hîc potiùs efficientem causam inquiramus, quam in planetas Astrologi referunt, sicut & causas gemmarum in stellas, vt metalla sint planetæ terræ, gemmæ verò stellæ. Gilgil causam esse putat terræ calorem; Agricola verò cum Aristotele causam esse putat ipsum frigus, quo materia metallorum condensatur, atque congelatur: ego verò metalla ex 4 elementis conflari existimo, ita tamē vt terra, & aqua dominentur, & pro diuersa terræ, & aquæ mixtione diuersa nasci. At non aliam primariam causam agnosco præter Deum qui mundi primordio non minùs creauit metalla, quàm plantas, quod ex Scriptura satis demonstrari credo, dum cap. 4. legimus Tubalicain Lamechi, & Sellæ filium fuisse malleatorē, & fabrum in cuncta opera æris, & ferri, qui licet à creatione mundi annis permultis distaret, nusquam tamen in dubium reuocandum est, non tantùm æs, & ferrum, sed & aurum, argentum &c. initio mundi producta fuisse, idque simul cum terra, cuius partes esse videntur; idemque de lapidibus esto iudicium, vt iam minimè recurrendum sit ad Faunum, siue Mercurium, qué primum metalla reperisse gentiles Philosophi mentiuntur, qui eum propterea Plutoden appellarunt, & Deum ab Ægyptiis habitum ob beneficia eisdē collata referunt, cui statua posita, marsupium. At mirum non est, quòd neminem Cadmo antiquiorem agnouerint, cùm Scripturâ sacrâ omnium vetustissimâ, atque verissimâ destituerentur.

Metallorū materia.

Gen. 4.

Omnia verò metalla breuiter enumeranda sunt, vt de auro fusiùs agamus, quod inter alia metalla non secus ac sol inter planetas emicat, & ad quod alia tanquam ad finem referri videntur. Simul etiam discutiendæ sunt nonnullæ quæstiunculæ, vt num à planetis metalla dependeant, & an imagines possint ex iis fabricari, aut figuræ, characteresue imprimi, quibus miranda quædam magi efficere valeant.

ARTICVLVS II.

QVOT SINT METALLA, ET DE EORVM *characteribus magicis, an iis vti liceat, & quousque.*

SEptem enumerari solent, quæ Alchymiæ proceres 7 planetis accommodant, nam Saturno plumbum tribuunt, stannum Ioui, quod nonnulli vocant plumbum album; Marti ferrum, æs Veneri, quod à cupro differt, quia cuprum calaminæ coniungitur; argentum viuum Mercurio, & argentum lunæ. Eodem modo 7 lapides à 7 planetis produci existimant Turchesiam à ♄, Corneolum à ♃, à ♂ smaragdū, adamantem, vel saphirum à sole, à ♀ Amatistam, magnetem à ☿, denique crystallum à luna, quę ne quidem rationis vmbram habere mihi videntur; quamobrem nugarum instar esse puto, quæ vel Balemis Arabs, vel R. Ioseph tract. de tenebris in lucem, vel Petrus Arlensis, vel Camillus, aut alij quilibet de sympathia lapidum, & metallorum cum planetis referunt.

Hinc fit, vt qui errare noluerit, Siranum Chaldæum, & alios Astrologos ex planetis naturam metallorum inuestigantes, cautè legere debeat alioqui medicinam legitimam facilè contemnet, vt ad Zodiaci signa se recipiat, quæ singulis corporis partibus Chaldæi, & Alchymistæ præesse finxerunt, vt communis Medicina facultatem superare, & è corporibus cœlestibus morborum remedia desumere videātur. Ita enim de stella medicus, apud Hierosolymitanum presbyterum, morbum illum, quem *noli me tangere* vocant, sale Martis curari debere affirmat, quòd ♂ capiti præsit, ac si planetarum, atque stellarum cum humano corpore certam, & exploratam sympathiam, atque consensionē haberemus. Valeant huiuscemodi Iatromathematici cum suis oleis Veneris, & Martis, quibus collo, ventri, & aliis partibus medentur.

Quanquā non abnuo metalla vim aliquā in Medicina habere, sed non ideo, quia planetis quibusdam subiiciūtur, nec enim Saturnus magis plumbo, aut Iupiter stanno, quàm sol, aut ♀ præsident; alioquin vel in colorem, vel in motum cum ponderibus collatum, vel in substantiam planetarum illa metalla referenda essent, quod ipsa experientia falsum esse demonstrat, quandoquidem ferrum, non est eiusdem cum Marte, nec Iupiter cum stanno, nec Mercurius cum hydrargyro coloris, deinde plumbum inter metalla nō est eò grauius, quo ♄ vel in motu lentior est, vel à nobis remotior; imo argentum viuum, & aurum absolutè plumbo grauiora sunt.

Quapropter non video, cur Saturnus plumbi sit potiùs causa, quàm argenti; nec enim color pallidus fauere potest, quippequi non inest planetæ, sed pro varia distantia, & diuersis mediis, quibus lumen Astrorum cernimus, varius calor apparet.

Non est tamen prætereundum probabile videri, quod permulti asserunt, nempe plurima de metallis ab Hebræis, Chaldæis, Ægyptiis, Arabibus, Græcis, & aliis nationibus dicta fuisse sub diuersis metaphoris, & Hieroglyficis; sic enim Praxiomata Hifilij per auem multis coloribus ornatam, pisces mortuos in propria aqua reuiuificatos, aquam ignem comburentem, & mortuos viuificantem, & alij plurimi per fabulosam ♂, & ♀ coniunctionem, aurei velleris acquisitionem, & per alia hieroglyfica metallorum metamorphoses intellexêre.

Saturnum autem ideo filios deuorare putarunt, quia plumbum Saturno dicatum cætera metalla corrodit, & destruit exceptis sole, & luna gemellis; plumbum inficit omne metallum, cum quo miscetur, vt Saturnus quemlibet alium planetam suo aspectu malignitate afficit; si plumbum ferro iungitur, compositionem maledictam appellant Chymici, sicut ♄ cum ♂ coniunctionem. Similia de cæteris.

cæteris metallis effutiunt, ac si metallū quodlibet eodem modo cum alio metallo se haberet, quo planetæ, quibus subiecta dicuntur, se inuicem respiciunt, iuuant, vel impediunt. Quæ quia omnino falsa existimo, nunc omitto; alibi de planetis plura dicturus, quorum imperio animalia, atque plantas subiiciunt, vt camelum Saturno, cui Turchesius lapis instar medicinæ vt pote melācholico seruiat. Iam verò quædam de characteribus, & sigillis metallorum subiungamus.

Saturni figuram imprimunt in plumbo, in quo virum senem videas in manu curuam falcem habentem, barbā non multum pilosa, vt hominem, qui vel plumbum, vel lapidem gestauerit, potens reddatur.

Multa huiuscemodi referrem, nisi penitus friuola essent; & quidem non parum demiror, si quis characteribus istis fidem vllam adhibet, quis enim non irrideat eos, qui leporis imaginem in iaspide positam eā vi pollere aiunt, vt nullus dæmon te lędere possit, si lapidem illum tecum deferas.

Deus bone, si imperatoris imago caput erectum habens in lapide sculpta id efficeret, vt quicunque eum gestaret, omnia, quæ postularet, esset obtenturus, quis non in lapide figuram illam insculpi curaret? Quî fieri potest, vt Camillus tam stulta, tam impia, tam ridicula, tamque à veritate aliena effutierit? Verū cum in illos characteres inciderimus, operæpretium est, vt discutiamus, an aliqua ratione huiuscemodi nebulones fulciantur.

Camillus arguitur.

Inter eos, qui magis ad propositum loqui videntur, Galeotum habemus, qui cap. 24. de doctrina promiscuæ quasdam rationes dissoluit, quas sibi ipsi proposuerat, hac subintellectā hypothesi: sit imago leonis in auro impressa, dum sol cor leonis obtinet, dolori renum subueniet, inquiunt Astrologi.

Galeotus.

Contra verò quia aurum ex sua natura minimè renes sanat, & imago sculpta inanis est, quæ aurum alterare nequit, quandoquidem in istiusmodi imaginibus nulla vis actionis, aut passionis inest, quapropter imago præcedens, nullam dispositionem in auro producit; Adde quòd si figura ista leonis, potiùs quàm alia sanaret renes, non in cœlo, sed in figura talis virtus inesset, at imago nullam vim habere potest, quam enim? an naturalem? nusquam, quia ab intrinseco non oritur; non artificiosam, quia non ita potest vllus artifex vim aliquam pro libito metallis imprimere.

Quas rationes vocat ille nebulo cauillationes garrientium. Non enim, inquit, in hac re mutatio speciei requiritur, nec proprietas auri immutatur, nec vlla cœlorum actio interuenit, nec ab artifice vis illa sanandi datur, nec imago, vt imago quicquam efficit, nec in alia materia, aut in ære impressa hæc imago renibus magis conueniret; nam aurum solis metallum, & non æs, quod Veneris est, expostulat, quia in hæc figura omnia solaria sunt: quibus paulo post addit.

Ratio cur characteres lapidū vim habere videantur

Sed alia ratio est, quæ hæc omnia diluit, figura leonis sub constellatione seruatis horis impressa non agit, sed principium actionis, ac passionis affert, vt beatus Thomas, magnusque Albertus testantur: non vt figura, & imago mathematicè animaduersa, sed vt efficit aliam, atque aliam in re figurata præparationem, quæ cælestem actionem sine difficultate variis modis accipiat, quoniam si canis, aut equi, aut alterius animalis imago in aurea materia imprimatur, non erit ea materiæ dispositio, quæ leoninam imaginem comitatur; Leo namque densam grādémque iubam, caudámque longissimam, & cætera, membra dissimilia aliis animantibus habet, sicuti quiuis & ventrem, & os, & aures, pedesque eius contemplans diiudicat: eapropter in figuratione aliarum imaginum non seruaretur id quod est necessāriū ad vim illā cœlestem imbibendam: bractea enim aurea alibi densa, alibi rara, alioq; in loco inter rarum, & densum media expostulatur, vt cœlitus vim descendentē excipiat. Collum enim canis, cùm sine iuba sit, densius aurum haberet, quàm leonis. Iuba namque formatā cū in illa impressura profundius insederit, necesse est aurum in eo loco esse rarius. Sic etiam in cæteris membris diuersitas, varietasque continget; vnde concludit, hanc aptitudinem ad vim cœlestem hauriendam in figura esse, non vt in figura, sed prout densius, rariusue aurum imaginis conditione formatur; nam & in speculis figuræ varietas maximam differentiam affert. Concauum enim à gibbo speculo quantum distet etiam aniculæ norunt: nec illa concauitas vt concauitas est, sed vt alio atque alio modo materiam figurando disponit, reddendis imaginibus speculum dissimile efficit, nec ibi quoque vlla speciei mutatio est.

Similiter in orbe terrarum montes, vallesque sunt eodem elemento constantes, tamen eorum forma ad frigiditatem, caliditatemue aptiores reddit, sicut in speculo concauo sol comburit, in gibbo autem nequaquam id operatur: forma igitur, & imago non vt forma, & imago est, sed vt alio modo accommodat, varietatem in rebus adducit.

Vno verbo Galeotus existimat lapides: & metalla pro variis figuris diuerso modo disponi, & operari diuersa eo modo, quo ferrum pro diuersa figura secat, vel non secat; terra item, quæ semper aratur, pro diuersis dispositionibus semen magis, vel minus multiplicat, & ita in auro euenit; non enim plus, minusue coli, molliri, densari, spissari cum varietate partium vllo modo debet, quàm imaginis leoninæ diuersitas postulat, vt cœlestem illam vim, atque potestatem non sine multiplicatione virtutis arripiat. Denique totum caput ita concludit.

Imagines ergo sub constellationibus impressæ, vt morborum varietas requirit, si tempus & materia modusque seruentur, id quod narratur, efficiunt, aliæ enim, atque aliæ dispositiones effectuum varietatem eādem manente causā producunt,

Quæ quidem omnia ita falsa sunt, vt minimè verear, ne quis fidem huiuscemodi fabellis habeat; id est, enimuero quam aliam dispositionem leonis figura lapidibus, vel metallis, auro præsertim imprimit, quæ possit esse causa, cur signum leonis, vel sol aliquid peculiare in illud metallum influat? an magis aurum disponitur, quòd in hac, & illa parte fiat tenuius, quàm antea? igitur, & ad illas multo magis disponetur, & ad illas cœlestes influētias suscipiendas aptior efficietur, si in tenues deducatur bracteas, seu laminas? quod neque probat experientia, neque ratio admittit, neque coniectura tenuis assequitur.

Quod si quando metalla, vel lapides ea effecerunt, quæ ab Astrologis, Chaldæis, Magis, & eiusce farinæ hominibus commemorantur, id dubio procul in dæmonem reiiciendum est, qui vt homines

in errorem adducat, vel iam errantes in errore retineat, & nobis suadeat aliquā in istis characteribus esse virtutem, atque à vero Dei cultu ad astrorum cultum transferat, modis occultis efficit, quod homines vi characterum fieri arbitrantur.

Eapropter licet in metallis, vel lapidibus quasdam imagines, vel characteres pingere; vel sculpere possis, nusquam tamen licet, vt iis mediantibus cœlestes influentias attrahere coneris, quandoquidem illi conatus vel magiam, atque superstitionem redolent, vel saltem otiosi sunt, quippequi neque ex natura sua, neque ex Dei, vel hominum bene sentientium institutione, neque ex vllo accidenti, vel morbis arcendis, vel prouocandis, vel beneficiis accipiendis, aut quibusdam amicitiis contrahẽdis deseruiunt, non secus ac si quis lapidibus, vel metallis vteretur nullâ in iis appositâ figurâ.

De his autem non est quòd hîc plura subiungamus, id enim aliud tempus, & locus alter postulat; tantummodo dicam, quid de sententia D. Thom. & Alberti. quos Galeotus laudat, sentiendum sit, & quinam authores characteribus atque sigillis vim aliquam tribuerint.

ARTICVLVS III.

DE CHARACTERIBVS, ET FIGVRIS metallorum, & lapidum, quid D. Thomas, & Albertus senserint, & qui de illis scripserint.

CONfirmant vim characterum authoritate D. Th. quem omnes docti meritò suspiciũt, atq; venerantur, & Albertũ magnum laudant, de quo prius agendũ est, vt pote antiquiori, cuius si libelli, qui circunferuntur, legitimi sunt, non autẽ supposititij, audacter, atque verè assero eum in multis errasse, maximè verò, vt cætera prætermittam, cùm de characteribus locutus est: Sic enim in Astrologico speculo legimus. *Partem verò de imaginibus Astronomicis propter vicinitatem, quam habent ad Necromantiam non defendo aliter, quam secundũ quod superius dixi in eorum capitulo, eas nancisci virtutem à figura cœli, iuxta verbum Ptolem. 9. quod in tractatu est, scilicet imagines, quæ sunt, nisi quia nihil prohibet, eas defendere secundum quod negatiuè possunt defendi. Esto itaque exempli gratia, quod cum prædictis conditionibus fundatur imago ad scorpiones fugandos ab aliquo loco, si Deus voluerit, non videtur esse exorcismus, aut innocatio, vt dicam in infusione: Hæc est imago destructionis scorpionum ab omni loco, quandiu fuerit in eo imago seruata. Nec videtur esse inscriptio characterum, si dorso eius inscribatur hoc nomen, destructio, Et in imaginibus ad amorem hoc nomen Amor describitur in ventre, vel ante, aut supra: neque si in fronte scribatur hoc nomen Scorpio, quod est non speciei fugandæ, & in pectore nomen ascendentis, & nomen eius Domini, qui est Mars, & Luna*, &c. quæ ab Ægyptiis, Chaldæis, Arabibus, aut aliis nebulonibus accepisse videtur. Ptolom.

Ea propter non sequendi, sed fugiendi sunt errores illius, quippequi statim fidem Magorum scriptis adhibuit nullo præuio examine, aut facta discussione; quem quidem errorem alij in Platonicos refundunt, alij in Arabes, alij in Græcos leues, ego verò in Dæmones, qui has nugas hominibus suaserunt, vt quæcunque beneficia, quæ Deus nobis confert, in Genios assistentes, vel quibusdam annulis, & characteribus inclusos, vel in fictitias astrorum imagines refunderent.

Hali. Ita dixit Hali scorpionis effigiem efficaciter in lapide Bezoar imprimi, cùm Luna scorpionis signũ in vno ex 4 angulis positum ingreditur, quo lapide si thuri figuram imprimas, & ei des in potum, quẽ scorpius pupugerat, subitò curari eum asserunt, ita etiam Hameth, & Serapion confirmant, & Damis, ac Philostratus narrant Hiarcham Indorum principem 7 annulos 7 stellarum nominibus appellatos Apollonio Thianæo dedisse, qui eos singulis diebus iuxta dierum nomina gestaret, vt instar aui Hiarchæ, qui 130 annos annullorum beneficio vixerat, etiam longâ vitâ frueretur Apollonius; quasi verò annulli, vel characteres vitam producerent, nugæ.

Sanè fieri nequit, vt vel vnica dies vllorum ope characterum alicuius vitæ addatur; quapropter id in dæmonum, seu angelorum peruersorum industriam referendum, qui cum videãt nihil magis, quàm longam vitam ab hominibus desiderari, nihil omittunt, vt eam producant, tum vt pluribus peccatis illi sese implicent, atque adeo grauiori apud Inferos supplicio torqueãtur; tum vt eorum exemplo plures ad astrorum, & dæmonum cultum accedant, tum vt Deum verum contemnant, & quicquid accipiunt, astris, & Genio suo acceptum ferant.

Itaque quicquid vel Aphrodiseus, vel Porphirius, Artephius, Thebit, Venthorad, Apponensis, Albertus, Pomponatius, Mizaldus, Ficinus, Cardanus, & alij de characterum, & imaginum cœlestium in metallis, lapidibus, vel alia materia impressorum virtute asserunt, id falsum est, ridiculum, & contra veram philosophiam, quæ omnia nolim hîc latiùs vel refellere, vel referre, quia id alibi facturus sum: Interim videatur Torres in quæst. 96. secundæ secundæ D. Thomæ art. 2. disputat. 4. & Delrio lib. 1. disq. cap. 4. quæst. 1. Langius epist. lib. 1. epist. 34. Torres. Delrio. Langius.

Superest vt D. Thom. sententiam subiiciamus, tum vt appareat, an sibi ipsi contrarius fuerit, tum vt Caietanum perperam sentire demonstremus, qui 2. 2. quæst. 96. art. 2. imaginum, & characterum virtutem approbat, & eos ait esse comprincipium operationis, & ob aliquam cum rebus cœlestibus sympathiam valere, quæ quia doctè refellit Torres, in præsenti non tango. Caietanus arguitur.

Igitur D. Thom. qu. cit. respondendo ad 2. hæc habet. *Corporum artificialium formæ procedunt ex cõceptione artificis, & cùm nihil aliud sint, quã compositio, ordo,*

ordo, & figura, non possunt habere virtutem naturalem ad agendum. Et inde est quòd ex impressione cœlestium corporũ nullã virtutẽ sortiuntur, in quantũ sunt artificialia, sed solum secundum materiam naturalem, falsum est ergo, quod Porphyrio videbatur, vt Aug. dicit l. 10. de Ciuit. cap. 9. & 11, & l. 21. c. 2. Herbis, & lapidibus; & animantibus, & sonis certis quibusdã, ac vocibus, & figurationibus, atque figmentis, quibusdam etiam obseruatis in cœli conuersione motibus siderum fabricari in terra ab hominibus potestates idoneas siderum variis effectibus exequendis, quasi effectus magicarum artium ex virtute corporum cœlestium prouenirent. Sed sicut Aug. ibidem subdit, totum hoc ad dæmones pertinet ludificatores animarum sibi subditarum.

Unde etiam imagines, quas astronomicas vocant, ex operatione dæmonum habent effectum. Cuius signum est, quod necesse est eis inscribi quosdã characteres, qui naturaliter ad nihil operãtur. Non enim est figura actionis naturalis principiũ. Sed in hoc distãt Astronomicæ imagines à necromãticis, quod in necromanticis fiũt expressæ inuocationes, & præstigia quædam. Unde pertinent ad expressa pacta cũ dæmonibus inita. Sed in aliis imaginibus sunt quædã tacita pacta per quædam figurarum, seu characterum signa. Ex quibus clarissimè patet, quid D. Th. senserit. Qui 3. contra Gentil. potiùs ex aliorum sententia, quàm propria loquitur, vt patet ex sequent. verb. *Quia verò figuræ in artificialibus sũt quasi formæ specificæ, potest aliquis dicere, quod nihil prohibet, quin constitutionem figuræ, quæ dat speciem imagini, consequatur aliqua virtus ex influentia cœlesti, non secundum quod figura est, sed secundum quod causat speciem artificiati, quod adipiscitur virtutem ex stellis.* Quibus verbis D. Thomam solùm voluisse per illam figuram alterationem intelligere, quæ fit in subiecto Ferrariensis existimat; vel ea referre, non vt propria verba, sed vt magorum responsa, atque fugam. Verùm quicquid D. Thomas senserit hoc 105 capite, nemo in dubium reuocare debet hanc, aut illam figuram minimè præstare, vt metallum aliquod, vel lapis cœlestes influentias excipiat. Ferrarien.

Enimuero lapis, vel aurum non aliam cœlorum influentiam excipit, siue hæc, siue alia imago ibi sculpta fuerit, siue nulla. Sed de characteribus satis suprà que dictum est, videat, qui voluerit, atque simul irrideat Cardani dementiam lib. 16. de varietate rerum, vbi characteres, imagines, & sigilla planetarum refert. Cardani stultitia.

ARTICVLVS IV.

DE METALLORVM DIFFERENTIA, ET quantum vnumquodque alteri præcellat.

SI Astrologos audiamus, vix poterit vllus definire, quodnam anteponi debeat, quia inter se minimè conueniunt, quisnam planeta censendus sit excellentior. Enimuero si iuxta altitudinem iudices, Saturnus erit nobilior, ac proinde stannum; si fulgorem aspicias ei, vel ♂, vel ☿ locum vltimum assignabis; si effectum, soli palmam facilè tribues, cui aurum subiiciunt, quod & aurifices, & medici, & omnes ferè mortales cæteris metallis præferunt. Si tamen vtilitatem consideres, nunquid ferrum anteponendum est, ex quo gladii, serræ, asciæ, terebræ, & alia, quæ mechanicis inseruiunt, fabricantur. Medici viderint quodnam metallum plura morborum remedia suggerat, aut venena cõtineat, quibus si Chymicos iungamus, auro primus locus dabitur. At his omissis quia de auro postmodum agemus, de eorum pondere hîc solùm dicam, ex quo plura concludere poteris. Ea verò in præsenti desumemus ex Marino Gethaldo, qui postquam in Archimede promoto 9 theoremata, & propositiones 17 præmisit de proportione, quàm inter se grauia corpora obseruant, hasce tabulas affert, in quibus magnitudinem 12 corporum cum eorum grauitate confert, ex data diametrorum magnitudine sphærarũ grauitatem elicit, & auri bonitatem concludit, ex pondere, quod habet in aëre, & aqua. Sequens igitur tabella demonstrabit, quam inter se rationem non tantùm 7 metalla, sed etiam, oleum, cera, vinum, aqua, & mel, quæ sunt præcipui liquores in grauitate habeant. Vt autem illa tabella faciliùs intelligatur, tot gradus distinguemus, quot fuerint corpora, quæ collaturi sumus, nempe 12, itaut in fine ponatur oleum, vt pote leuissimum omnium, in primo loco aurum, quia grauissimum, ad cuius pondus velut ad Polycleti regulam cæterorum vndecim corporum pondera disquiremus. Gethaldus.

Similiter ex ponderibus magnitudinem vniuscuiusque reperiemus, vt constabit post tabellam, quæ sequitur.

TABELLA.

	Aurum	Arg. viuũ	Plumbum	Arg.	Aes	Ferrũ	Stã.	Mel	Aqua	Vinũ	Cera	Oleum
Oleum	$20\frac{8}{11}$	$14\frac{162}{77}$	$12\frac{6}{11}$	$11\frac{5}{11}$	$9\frac{9}{11}$	$8\frac{8}{11}$	$8\frac{4}{55}$	$1\frac{32}{55}$	$1\frac{1}{11}$	$1\frac{4}{55}$	$1\frac{5}{121}$	1
Cera	$19\frac{19}{21}$	$14\frac{32}{147}$	$12\frac{1}{21}$	$10\frac{52}{63}$	$9\frac{9}{21}$	$8\frac{8}{21}$	$7\frac{89}{105}$	$1\frac{109}{110}$	$1\frac{1}{21}$	$1\frac{15}{410}$	1	
Vinum	$19\frac{19}{59}$	$13\frac{331}{413}$	$11\frac{41}{59}$	$10\frac{30}{59}$	$9\frac{9}{59}$	$8\frac{8}{59}$	$7\frac{31}{59}$	$1\frac{28}{59}$	$1\frac{1}{59}$	1		
Aqua	19	$13\frac{4}{7}$	$11\frac{1}{2}$	$10\frac{1}{3}$	9	8	$7\frac{2}{5}$	$1\frac{9}{20}$	1			
Mel	$13\frac{1}{2}$	$9\frac{73}{201}$	$7\frac{27}{29}$	$7\frac{21}{87}$	$6\frac{6}{24}$	$5\frac{15}{29}$	$5\frac{3}{29}$	1				
Stãnum	$2\frac{11}{17}$	$1\frac{111}{259}$	$1\frac{41}{74}$	$1\frac{44}{111}$	$1\frac{8}{37}$	$1\frac{3}{17}$	1					
Ferrum	$2\frac{3}{8}$	$1\frac{19}{56}$	$1\frac{7}{16}$	$1\frac{7}{24}$	$1\frac{1}{8}$	1						
Aes	$2\frac{1}{9}$	$1\frac{32}{63}$	$1\frac{5}{18}$	$1\frac{4}{27}$	1							
Argentũ	$1\frac{16}{31}$	$1\frac{68}{217}$	$1\frac{7}{62}$	1								
Plumbũ	$1\frac{15}{23}$	$1\frac{29}{161}$	1									
Arg. viuũ	$1\frac{38}{45}$	1										
Aurum	1											

HAc igitur tabellâ facilè ſciet vnuſquiſque, quã habeat rationem in grauitate corpus vnum ex enumeratis ad aliud, verbi gratia, quæ ſit porportio grauitatis auri & argenti viui, quod metallorum grauiſſimum ex excepto auro? nam id habes, ſi primò capias vnitatem pro argenti pondere, quæ eſt in extremitate lineæ deſcendentis ab argento viuo, & numerũ auri, qui reſpondet feneſtrę vnitatis argenti viui, nam argentum viuum æqualis magnitudinis cum auro ſe habebit ad aurum, vt ille numerus auri $1\frac{38}{45}$ ad vnitatem; exemplum item in oleo aſſigno, quod ſe habet auri reſpectu, cui in quantitate reſpondeat, vt vnum ad $20\frac{8}{11}$, id eſt aurum vigeſies magis, quàm oleum grauitat; quibus exemplis facile eſt per omnia metalla currere; vnde ſi oleum cum alio corpore confers, verbi gratia cum aqua, ſe habebit, vt vnum ad $1\frac{1}{11}$, ad argentum, ad $14\frac{62}{77}$ &c. Simili penitus ratione plumbum cum auro comparare poteris, quod ſe habet ad illud, vt vnum ad $1\frac{15}{23}$. Eſt & alius huiuſce tabellæ mirabilis vſus, quo ex metalli vnius magnitudine alterius magnitudinem inquirimus; exemplum ſit in oleo, & auro; & ſupponamus non iam oleum, ſed aurum ſe habere, vt vnum, oleum quærendum erit in prima cella auri, & huius quantitatem $20\frac{8}{11}$ habemus, ratio eſt quia ſicut aurum oleo æquale in magnitudine grauitatem olei ſuperat, eadem ratione oleum æquale auro in pondere ſuperat aurum in magnitudine. Aliud exemplum accipe in aqua, & ferro, quod vt vnum ſit, aqua enim erit vt 8, id eſt, vt aqua ſimile ferro pondus nanciſcatur, octies maior eſſe debet.

Aliæ ſunt tabulæ non minus vtiles, quàm ingenioſæ, quibus grauitas ſphærarum argentearum, aurearum, ærearum, ferrearum, plumbearum, & ſtannearum ex data diametrorum magnitudine, & ex data ſphærarum grauitate, diametrorum magnitudines eliciuntur, quas apud Gethaldum in promoto Archimede videre poteris. Relictis autem metallis, quorum nunc Scriptura non meminit, ad aurum ſtylum & animum conuertamus.

ARTICVLVS V.

DE AVRO.

DIfficile eſt aſſignare, cur homines tanti faciant aurũ, & illud cæteris metallis præferant, cùm neque antiquitas, neque vtilitas, neq; medicina, neque fulgor illud tantope recommẽdare videantur; enimuero multa ſæcula præterierunt, in quibus Reſpublicæ auro non vtebantur; imo nolebat, vt ab vllo particulari poſſideretur aurum magnus ille Plato; quod in Gręcia ita rarũ fuit, vt in tota Græcia, teſte Athenæo, non potuerit tantũ auri corradi, Apollinis Amyclei caput inauraretur, illud autem paulo ante Troiana tempora ab Æaco volunt inuentum eſſe, alij à Chryſo vnde χρυσὸν dictum fuerit.

Quod ad vtilitatem attinet, ferrum longè vtilius eſſe videtur, vt patet ex arte ædificatoria, nautica, militari, ferraria &c. nec enim æs minus vtile eſt in commutationibus, quo antiqui vtebantur, vnde plurimæ locutiones obtinêre, vt ære alieno obſtringi; ærarium expilare &c. Neque mihi dixeris aurum nutrire, quandoquidem illud falſum

falsum est, vt constat ex iis, qui catapotiorum instar nummos aureos degluriunt, quos eodem pondere egerunt, quia nulla pars in substantiam aliti, vel alimentum conuersa est, & ex Iudæis, quorum intestina concisa fuerunt, vt aurum in ventriculo conditum redderent. Adde quòd omnia metalla sulphureum odorem, & fœtidum habeant vitæ inimicum.

Tametsi verò auri ramenta cardilagiæ, & hydragyro, aut alteri veneno epoto candens in mero extinctum succurrere dicatur, id tamen argento, & aliis metallis commune; & alia plurima sunt alexipharmaca, quæ aduersus morbos, & venena longè valentiora sint. Sed nec tantopere quæri debet aurum, licet potabile reddi, & morbis succurrere atque vitam prolongare posset, quia tunc vnica libra auri vni regioni integræ sufficeret, vt notat Mirandula l. 1. de auro c. 4.

Mirandula

Puritatem auri iactabit aliquis, verùm propter sulphur, ex quo constat, contrectantes inquinat, & vitri maior; quàm auri puritas est, quod sane primatum auro eriperet, si malleorum ictus sustineret, atque flecteretur. Alius diuturnitatē atque duritiem obiiciet, at lapides diuturniores, qui nec sentiunt limam, nec ignem. Denique fulgor non facit, neque color, vt aurum rebus cæteris anteponi debeat, quādoquidem argentū diei similius est, & longiùs emicat, quapropter Plinius illud auro antetulit; deinde color auri facilè perit, itaut detractus nunquam reddi possit, teste Francisc. Pic. lib. cit. c. 6. His adde Iosephi testimonium, qui refert aliquod æs auro melius, ex quo Salomon mare magnum fecerit; facit etiam ad rem, quòd aurum igne diuturno, & attritu minuitur, imo & admixtum aliquo puluere, & in igne positum, euanescere dicitur.

Non est quòd ad illud fabulosum vnguentum diuertam, quod ex apyrometallo confectum gratiā illis compareт, qui heliochryso herba coronantur, aut ad similia magica nugamenta. Cur ergo tāto labore se conficiunt homines, vt aurum sibi comparare possint? & vnde tanta eos cupido incessit? cur ita se torquent, vt auriferos pulueres, vel lapides inueniant, siue minerales, in metallicos, vel vegetabiles in herbis, & stirpibus, aut animales in animantibus? Facessat ille qui 80 huiusce artis volumina, & infinitas schedas legisse, & libros 37000 compositionum habere se iactabat, nec enim est, quòd metallum illud fuluum tam ardenter expetant. Superest, vt aurum optimum cognoscamus, quale Scriptura describit illud, cuius versiculus noster meminit. *Et aurum terræ illius optimum est.* Modus autem quo nunc inuestigamus, an aliquod aurum sit optimum, necne, ab aurificibus exercetur, qui vocant illud aurum 24 carattorum, seu partium. Sic autem procedunt massam oblatam excoquunt, atque fundunt, quæ

Modus quo aurifices argentum & aurum probant.

si ante fusionem exempli gratia 24 vnciarum erat, & post fusionem 20 tantùm, illa massa auri erat tantùm 20 partium, seu carattorum, solent tamen ex massa vnicam particulam desumere, quā fusā de tota massa iudicāt; quot enim partes ex 24 deerunt particulæ prædictæ, tot aberunt caratta à tota massa; vnde si particula ante fusionem erat 24 granorum, & postea sit tantùm 12. tota massa auri dicetur esse 12 carattorum, id est, ei 12 partes desunt, quominus sit purum aurum.

Aurifices verò duo solum metalla auro solent alligare, (vocant illi metallorum alligationem *alliage*) videlicet argentum & aes, vt autem aurum purum, atque adeò optimum deprehendamus sequentem Gethaldi tabellam accipe, in qua demonstrat auri qualitatem, & bonitatem ex grauitate, quam habet in aëre, & aqua. Quod quidem per calculum ostendit his suppositis fundamentis.

Alliage des metaux.

Auri puri grauitas, quæ in aëre est 19, erit in aqua 18. 1

Argenti grauitas, quæ in aëre est 31, erit in aqua 28. 2

Æris grauitas, quæ in aëre est 9, erit in aqua 8. 3.

Aurum ad aquam se habet in grauitate vt 19, ad 1. 4

Argentum ad aquam se habet in grauitate vt 31, ad 3. 5.

Aes ad aquam se habet in grauitate vt 9, ad 1. 6

Ex quibus elicit cuius ponderis sit aurum cuiuslibet qualitatis, seu quarumuis partium, siue in eo plurimæ argenti, & auri partes, siue paucæ fuerint: quæ quia per calculum difficiliora videntur, quàm vt ab vnoquoque intelligi valeant, ea per tabulam sequentem proponemus. In qua exempli causa vides quam in aqua grauitatem purum aurum habeat, seu aurum 24 partium, cuius ex hypothesi grauitas in aëre est libræ vnius, vt in secunda colūna notatur, in qua semper aurum vnius libræ supponitur, quamuis eò peioris sit conditionis, & qualitatis, seu impurius, quò magis ad inferiores cellulas descendimus. Aurum igitur illud quod est vnius libræ, & 24 partium in aëre, in aqua erit vnciarum 11 scrup. 8. gran. 20 [illegible], seu [illegible], & sic de reliquis dicendum est, quæ in tabula describuntur. Hoc autem denominatore 1767 vtimur, quia sic denominatoribus fractionum respondet, quæ in tabella partis proportionalis collocātur, adeout idem sit in vnaquáque tabella fractionum communis denominator.

Aliud exemplum esto in auro, quod quidem erit vnius libræ, sed tantum 20 partium, tunc reperies illud in aqua esse vnciarum 11. scrup. 6. gran. 9. [illegible], vt patet ex cellula auri 20 partium, & sequentibus eiusdem lineę cellulis, quibus exemplis edoctus ad cęteras cellulas progredi potes, vt scias cuiusnam ponderis in aqua futurum sit aurum cuiuscunque puritatis, atque bonitatis fuerit.

Hæc tabula docet auri qualitatem ex grauitate quam habet in aëre, & aqua.

Qualitas auri	Grauitas auri in aëre	*Grauitas auri in aqua*				Mixtum ex argento, & ære
Partes	*Libra*	*Uncia*	*Scrupuli*	*Grana*	*Numeratores fractionum*	*Partes*
24	1	11	8	20	372	0
23	1	11	8	5	765	1
22	1	11	7	14	1158	2
21	1	11	6	23	1551	3
20	1	11	6	9	177	4
19	1	11	5	18	570	5
18	1	11	5	3	963	6
17	1	11	4	12	1356	7
16	1	11	3	21	1749	8
15	1	11	3	7	375	9
14	1	11	2	16	768	10
13	1	11	2	1	1161	11
12	1	11	1	10	1554	12
11	1	11	0	20	180	13
10	1	11	0	5	573	14
9	1	10	23	14	966	15
8	1	10	22	23	1359	16
7	1	10	22	8	1752	17
6	1	10	21	18	378	18
5	1	10	21	3	771	19
4	1	10	20	12	1164	20
3	1	10	19	21	1557	21
2	1	10	19	7	183	22
1	1	10	18	16	576	23
0	1	10	18	1	969	24
Partes	*Libra*	*Communis denominator fractionum*				*Partes*
					1767	

Tabella partis proportionalis denominatorum auri

Pars proportionalis auri in partibus 24.	*Differẽtia grauitatum auri in aqua*	
Partes	*Grana*	*Numer. fraction.*
1	0	1088
2	1	409
3	1	1497
4	2	818
5	3	139
6	3	1227
7	4	548
8	4	1636
9	5	957
10	6	278
11	6	1366
12	7	687
13	8	8
14	8	1096
15	9	417
16	9	1505
17	10	826
18	11	147
19	11	1235
20	12	556
21	12	1644
22	13	965
23	14	286
24	14	1374
Denominator communis fractionum.		
		1767

QVi plura volet, Gethaldum consulat, qui tabulæ istius cõponendæ methodũ præscribit. Plura verò hîc de auro dici possẽt, & inuestigari, an verum aurum per artem chymicam produci possit, quænam metalla inuicem transformẽtur, quomodo loca dignoscenda sint, in quibus reperiri solent, & alia plurima, pro quibus satisfacient Franciscus Picus libris 2, & 3. de auro, Libauius, & alij qui de re metallica egerunt: si quis tamen in ea materia satisfaciat.

Tandem

Tantùm addam ex auro puluerem fieri, qui radiis solaribus incensus, vel igne, longè maiorem fragorem, quàm pyriùs, sentormĕtarius efficit, hoc tamen discrimine, quòd aureus puluis deorsum tĕdat, & non antrorsũ, vel sursum, vt pyrius, quod ab eo certissimum esse noui, qui illud expertus est, & Petrus Arlensis de scudalupis Hierosolymit. presbyter refert de sympathia 7 metallorum pag. 372. his verbis. Ex purissimo auro puluis fulminalis componitur adeo affabrè confectus, vt in minima quantitate maiorem vim possideat, quasi in decuplo alterius communis ex sulphure nitroque confecti: vna drachma istius de auro æquipollet vni libræ communis, impetum emittens, & strepitum cum maiori boatu, & tumultu, imo & vehementiorem.

Auri puluis fulminans quis sit.

Arlensis.

Præterea ille communis ad ictum faciendum sursum naturaliter petit, iste de auro ratione naturæ grauis deorsum percutit, adeout au[illegible] sus eam partem petat, quæ sibi infra opponitur. Granum vnum, vel alterum supra aliquod corpus impositum si accendatur, adeò percutit, & disperdit, ac si tormentum æneum impulsum fuisset; negat tamen illum ex auro puluerem igne naturali accendi, sed tantùm calore solis resolui, quod se millies expertum esse ait: licet, inquit, calore ignis in debita proportione existente non designat suas exercere potentias.

Hanc autem solis, & auri sympathiam esse putat, vt quod est sol inter astra, id aurum inter metalla censendum sit; vt enim solis lumen à luna maximè impeditur, & obscuratur, ita & aurum ab argento, quia pars argenti minima auro mixta adeò illud obtenebrat, & proprio colore priuat, vt non ampliùs auri partes appareant.

Sol in Ariete existens, est in sua exaltatione, & in libra in detrimento; Aries signum ♂ ferri planetæ, libra signum Veneris, æris planetæ; in tinctura ferri, seu croco Martis aurum exaltatur, & augmentum acquirit in pondere; mixtione verò æris ratione sulphuris decrescit, & minuitur. Negat verò aurum ignitum oculis aspici posse constanter, nisi statim lumen perdere velis, licet alia metalla ignita, ipsumque ignem facilè conspicias. Quod mihi reducit in memoriam, quod ait Keplerus in Astronomia optica solem habere tantam densitatem, atque materiam, quantam totus mundus, ac si materiam, atque quantitatem internam cum reliquo mundo diuisisset: Hinc elicit solem ideo tantum lumen diffundere, & in se præhabere; sic enim eo magis ardere videmus metallum, aut aliud quidpiam, quo densius est, igitur vbi densissimum corpus inflammaueris, maximum ardorem emittet.

Quapropter non tam absurdè locutum fuisse ait Philosophum aliquem apud Laërtium, quàm iniquè exceptum, cum lapidem candentem solem esse statuit: quæ ideo Keplerus probat, quòd astrorum materiam eandem esse cum nostra existimet, ac si planetæ quilibet totidem terrarum instar essent, quæ sicut nostra circa solem tanquam circa centrum verterentur. Fortè nouus aliquis Mathematicus nascetur, qui dicat solem non tantùm esse mundi centrum immobile, sed etiam addat esse Dei sedem, atque thronum; stellas autem esse beatorum domicilia, nec aliud empyreum esse, quàm solem iuxta psalm. 18. *In sole posuit tabernaculum suum*, nec alium esse locum sole nobiliorem. Vtinam sæcula futura non ferant absurdiores sententias; hæc enim est humani ingenij inconstantia, vt nouas opiniones oraculorum instar admittat, & antiquas apud omnes receptas leuiter reijciat. Pauca de Bdellio, & lapidibus Onychinis subiicienda sunt.

Psal. 18.

QVÆSTIO XXIV.

DE LAPIDIBVS ONYCHINIS, ET BDELLIO in qua præsertim ea refelluntur, quæ ad Astronomicas, & magicas imagines, & sculpturas lapidum attinent.

PAuca hîc de lapidibus in communi dicenda sunt, cùm inter opera creationis reponendi videantur: Enimuero non solùm metalla, sed & lapides, & rupes, atque saxa à Deo condita fuisse facilè credidero: tametsi enim ligna aliqua, & forsitan terræ nonnullæ pro diuerso cœlorum aspectu, variisque causis externis lapidescere valeant, nihil obstat, quominus saxa plurima Deus Opt. Max. initio mundi produxerit. Eò verò certius est, atque clarius initio mundi lapides à Deo productos esse, quò manifestiùs Scriptura declarat in paradiso terrestri lapides Onychinos fuisse. An verò terra, & aqua, quæ præcipua sunt elementa, ex quibus lapides componuntur, & ignis, atque aër actiuè concurrerint ad illorum productionem, nihil est quod nos affirmare cogat. His itaque difficultatibus omissis ea mihi afferenda videntur, quæ probabiliora sunt.

Lapidum materia, & causæ.

Imprimis ergo Peripatetici lapidum materiam faciunt halitum ex vaporibus, & exhalationibus constantem, ita tamen vt exhalationes prædominentur, vt ex magna siccitate patet, ob quam lapides vix liquescere possunt.

Quæ si vera sunt, statim atque humidum viscosum terreum sibi proportionatum à calore exsiccatur, lapides gignuntur, quod humidum si quis in partes terreas non influat, illæ non possunt in lapidem conuerti, vel vbi maior humoris copia residet, & à calore concoquitur, nodos in lapidibus apparet, qui propterea vix frãgi possunt. Hinc etiã videmus lapides illos, in quibus maius & humidũ lõgè difficiliùs comminui, vt in adamante constat. Non desunt autem qui lapides ab aliqua minerali virtute procreati asserant; verùm illam virtutem non alio sensu admitto, quàm ea ratione, qua calor superflua digerit, & nimium humidum terrenarum partium constringit, aut consumit; adde si vis congelationem & conglutinationem Aristotelicam. Licet verò lapides rarò liquefiant, id tamen aliquãdo cõtingit, vt 4. meteor. c. 6. testatur Philos.

Aristot.

ἔστι γὰρ ὁ λίθος ὁ πυρίμαχος, ὥστε τήζειν καὶ ῥεῖν. & paulo poſt. καὶ αἱ μύλαι τήκονται, ὥστε ῥεῖν. Et lapides molares adeò liqueſcunt, vt fluant.

Vbi lapides gignantur. Si quis locum inquirat, in quo lapides generentur, habet totam atmoſphæram, in qua ſtatim infra, ſtatim ſupra lapides progignantur; ſunt enim lapides fulminei, quos nubes, vel exhalatiònes nonnunquam ad nos eiaculantur in terra, in aqua, in nidis auium, in capite, in corde, in renibus, in ventre, & aliis partibus animalium inueniuntur, vt experientia quotidiana docet. Nolim autem hîc de perſpicuitate, opacitate, coloribus, mollitie, duritie, grauitate, leuitate, denſitate, & aliis accidẽtibus, præterquã de virtute loqui: illa ſiquidẽ à Philoſophis pertractari ſolent. *Lapides veri quomodo probentur.* Qua verò ratione veri lapides ab artificialibus, ſiue fictitiis deprehendi poſſint, gemmarij conſulantur: pondere, & diuerſo ſplendore dignoſcuntur, maximè ſi ad candelæ flammam probentur, lima etiam omnes ferè probat; nam omnes falſi limam ſentire dicuntur, naturales autem, & veri contemnere: denique artificiales in igne liquantur.

Virtus lapidũ quænã. Virtutes autem aggrediamur, quas forſitan diuerſi colores aperiunt, atque ſignificant; ob quas lapides indagari ſolent; nam ſingula eò cariora habemus, quo maiori virtute pollent, ſiue lapidum illorum ſubſtantia ſit excellentior, quo virtus, & vtilitas maior eſt, ſiue non. Imprimis verò Democriti, & Orphei fundamenta explodenda ſunt, qui Diis omnia plena eſſe putabant, adeout virtus lapidum nihil aliud eſſet, quàm virtutem diuina per lapides diffuſa, ac ſi Deus ipſe rerum ſingularum eſſet anima: enimuero rei cuiuſlibet virtus à Deo diſtincta eſt, hæc enim finita, & creata; ille verò increatus, & immenſus eſt; non quòd omnia non tribuam Deo Opt. Maximo qui cum omnibus ita concurrit, vt abſque eo nihil fieri, aut eſſe poſſit; non quòd omnia Deus per ſeipſum exequi non valeat, ſed quia ſic adeſt omnibus, vt omnia proprios motus obire ſinat.

Non minus falſum eſt, quod Salomonem neſcio cuius libri authorem eſſe fingunt, ex quo ſequentia referunt. *Virtutes fabuloſæ lapidum.* Diuerſæ ſunt virtutes lapidum; quidam gratiam dominorum tribuunt, quidam igni reſiſtunt; alij amabiles faciunt, alij ſapientiam dant, quidam inuiſibiles faciunt, alij fulmina repellunt, quidam venenum extingunt, quidam theſauros cuſtodiunt, & augent. Alij agunt, vt mariti mulieres diligant. Quidam tempeſtates marinas ſedant. Alij infirmitates curant; quidam caput, & oculos conſeruant.

Quæ ſi deſumpta fuerint ab aliquo libro Salomonis, ad eos libros referenda ſunt, quos à Salomone mago facto conſcriptos aiunt, quales ſunt, Incantationes, clauicula, & annulus Salomonis, in quibus plurimæ fabulæ, atque mendacia, continentur, & quos Eccleſia iure proſcripſit, videatur Eymericus part. 2. Director. quæſt. 28. *Eymericus.* qui refert magnum incantationum librum nomine Salomonis inſcriptum ab Innocentio 6 damnatum, & igni traditum, qualis etiam fuit contradictio Salomonis cap. Sancta Rom. diſtinct. 15. *De libris magicis Salomonis.* Nicetas Choniates lib. 4. annal. in fine libri alterius Salomonici meminit, & Glycas 2. part. annal. refert etiam Gretſerus lib. 1. de iure prohibendi libros cap. 10. ſe in Bauarica Bibliotheca Salomonis Hygromantiam ad filium Roboam vidiſſe. *Nicet. Choniat. Glycas. Gretſer.*

Aduerſus clauiculam ſcripſit Baptiſta Segnius lib. de vero ſtudio Chriſt. cap. 7. *Bap. Segni.* verùm ad alia pergamus, ſi priùs aduertas quoſcunque libros, qui vel iam audiunt, vel poſtea nomine Salomonis, Abrahæ, aut alterius Patriarchæ audient, & magicum aliquid, vel rationi contrarium complectentur, omnino reiiciendos, & à Catholicorum lectione auertuncandos eſſe.

Pythagoricorum ſententia. Tertia ſententia Pythagoricis tribuitur, qui rebus omnibus virtutes ab anima eſſe affirmabant, adeout lapidis alicuius anima ad homines tranſire, & in eis virtutes imprimere valeret; ac ſi illa anima ſe extenderet ad omnia extranea, ſicut intellectus, & imaginatio ad intelligibilia, & imaginabilia. Quã opinionem ab orco neſcio qui recentiores Itali, vt Teleſius, & Campanella reuocaſſe videntur: ſed qui nimis facilè à recepta Philoſophorũ omnium opinione abſque fundamento ſufficienti receſſerunt. Enimuerò communis illa entium diuiſio in ſpiritualia, & corporalia in viuentia, ſentientia & vegetantia tam probè conſtituta eſt, vt non inuenta, ſed in ipſis animis, ſicut & in rebus innata eſſe videatur.

Cãpanellę doctrina, ſicut & Teleſij qualis. Eapropter librum Campanellæ de ſenſu rerum & magia, & quoſcunque alios ei ſimiles digniſſimos eſſe puto, qui flammam ſentiant, & fumo incantentur; alioqui ſi quibuſlibet aurem præbeamus, ſtatim vnus entis receptiſſimam diuiſionem, qua ad ſcientias, & artes peruenimus, ſubuertet, ſtatim etiam alius primas notiones animi, & axiomata vniuerſalia vſu, atque conſenſu omnium gentium recepta radicitùs euellet.

Quod non abſque cauſa dico; enimuero hæcce tempora, & ſæcula noſtra neſcio quæ hominum monſtra procreant, quæ libertatis nimium amantes, & ipſa libertate amentes non ſolùm philoſophiæ ab omnibus recepta, ſed & auitæ, veræque religionis iugum omne excutere contendant; qui ſi tandem aliquando neſcio quas inſolitas argutias adinuenire, & nouã poſſint cudere philoſophiam, qua leges, religionem, cultúmque Dei, & cætera ad bonum animi pertinentia ſuſque déque vertant; hinc enim tot philoſophiæ nouæ prodromi, & inſtaurationes, vt poſtquam mortales hucuſque in philoſophia rationis duce aberraſſe oſtenderint, idem in iis, quæ ad religionem, atque diuini numinis cultum attinent, contigiſſe demonſtrent, vel pro viribus ſuadeant. Deus bone quàm fruſtra vires animi ſui contorquent, vt Deum ipſum è medio tollant, & in Atheiſmum alios inducant; at incaſſum rete iaciunt ante oculos pennatorum: ſed de his aliâs.

Platonis ideæ. Sunt qui ad Platonis ideas recurrant, quæ præſint lapidibus, adeout quilibet ſuam habeat ideam, à qua vim & energiam ſuam accipiat; vel cum Hermete, & Aſtronomis ad ſtellas, & imagines cœli, quæ pro varia materiæ diſpoſitione diuerſas virtutes lapidibus infundant, vt lationes inferiores à ſuperioribus regantur, & ab his illæ profluant. Verùm non alias ideas à diuinis veri Philoſophi Catholici agnoſcunt, quæ ad inſtar exemplaris cauſæ omnia producunt; aſtrorum autem influxus ſunt vniuerſales cauſæ, quæ tantùm extrinſecè concurrunt. At verò lapidum virtus à propria forma, vt ab immediata cauſa proficiſcitur, ſicut virtus intelligendi, & imaginandi ab anima rationali. Eſt autẽ varia forma lapidum pro vario ſyderum, ſolis præſertim aſpectu, & pro vario ſolo, atque materia ex qua fieri ſolent.

Placet

Imagines, & characteres lapidũ. Camillus.

Placet autem breuiter de imaginibus lapidum agere, vt nemo nesciat illas sculpturas, quas negat Camillus sine Astronomicis, Magicis, atque Necromanticis scientiis aliquem posse cognoscere, penitus esse vanas, stultas, & fictitias, quantumcunque illas ad Israëliticos referant, & authoritate Thetel, ac Thebit innitantur. Nec enim quicquam facit imago quæpiam in lapide sculpta, vt astra nobis faueant: Et quidem vnicam Alexandri imaginem à Pirgotele factam, aut lineam à Protogene, & Apelle descriptam, vel vuam Zeuxidis, atque effigies solo calamo, vel carbone ab Andrea Mantegna depictas pluris facio, quàm omnes imagines Necromanticas, aut Astronomicas, quas in lapidibus Magi depingunt. Scio quidem in diuersis lapidibus nonnullas figuras apparere præsertim in marmoribus, quæ ex diuersis lineis, & partibus ipsius lapidis resultant; sic enim varias sæpe deprehendi statim Balenæ, statim Virginis puerum amplexantis in marmoribus conuentus nostri Niuernensis, ita tamen vt admodum imperfectè res ipsas repræsentarent, nec id à quibuslibet animaduerteretur, nisi præcedens imaginatio iuuaret.

Artifices præstantissimi.

Sculpturæ virtus reijcitur.

Verùm nemo sanæ mentis dixerit illas imagines vim habere, vt constellationes magis influãt. Quis obsecro te docuit hanc, aut illam imaginem in lapide insculptam hoc, aut illud posse? Ne verò putes nos gratis sculpturarum vim eludere, sculpas velim in lapide signum Arietis ignei, num ille lapis ignem, vel calorem producturus sit: num Turchesia maiori virtute polleat cum Saturnum insculptũ habet; num Corneolus cum Ioue, Smaragdus cum Marte, Adamas, & Saphirus cum sole, Amatista cum Venere, Magnes cum Mercurio, & Chrystallus cum Luna maiorem virtutem habeant.

Quod si roges vndenam existimem fabulosas lapidum sculpturas, & imagines profectas esse, non ab alio, quàm à Dæmone respõdebo, qui nihil penitus intactum reliquit, vt homines deciperet: quibus vt suaderet se Deum esse, multa per se apud Gentiles efficiebat, quæ tamen ad virtutem lapidũ, metallorum, aut constellationum ipsi referebant, ac si dæmon, quem in simulachris adorabant, vim illam lapidibus indidisset, vel saltem docuisset, qua ratione vis in lapidibus recondita per certarum imaginum sculpturam ad actum reuocari posset.

Hinc enim factum est, vt incauti, & insipientes crediderint ♈, ♌, & ♐ primæ triplicitatis signa lapidibus insculpta omnibus ægritudinib⁹ frigidis prodesse, vt lethargicis, hydropicis, & paralyticis; ex vi autem dominorum suorum nempe solis in die, Iouis in nocte, Saturni in crepusculis gratos homines reddere, nec non facũdos, hilares, ingeniosos, quos etiam ad honores leo prouehat.

Quæ profectò tam stulta sunt, & ridicula, vt nulla refutatione indigeant. Et quidem certum est in lapidibus non paucas esse vires; at non minus falsum est signa secundæ triplicitatis ♉, ♍, & ♑ cum suis Dominis ♀, ☽, & ♂ lapidibus insculpta calidas ægritudines sanare, & optimos hortulanos, atque vinitores efficere: tertiã triplicitatem ♊, ♎, & ♒ melancholicum humorem, maniá, & alios morbos inde profectos expellere, & cum suis Dominis ☿, ♄, & ♃ ad lignum obseruationem inducere.

Facessant igitur qui lapidibus ♋, ♏, & ♓ insculpunt, vt hepatis inflammationibus opitulentur, quique signis illis quartæ triplicitatis ♀, ♂, atque ☽ iunctis aliquem ad inconstantiam, & mendacia se posse inducere arbitrantur. Omitto ♄ cũ sua falce, à quo potentiam: Iouem, à quo fortunã, & honores: Martem, à quo Victoriam: Solem, à quo imperium: Venerem, à qua potestatem; Mercurium, à quo artem oratoriam, Lunam denique, à qua optata omnia expectant.

Hæc est illa Magorum Lithopharmacia, & Astrologia lapidea, qua Dæmoni obsequuntur, eique veluti fortissimo vinculo coniunguntur, fallunt, & falluntur, atque in rebus pessimis exultant: quibus; si quidquam possint imagines lapidibus insculptæ, ambæ visæ cum Dracone prudentiam indere debuissent, vt cauti, atque versuti à Diabolo minimè decepti fuissent.

Sanè libenter eos rogarem, cur non Coronam in aliquo lapide sculpunt, vt Regis gratiam ineant, Herculem, vt victoriam: Cignum, vt scientiam, atque diuitias; Cepheum, vt in ipso somno rebus delectabilibus fruantur: Cassiopeiam, vt tranquillo fiant animo; Andromedam; vt morbo careant; Perseum ob fulmen auertendum: Serpentarium, ad euomendum venenum &c. O! fortunatos homines si vnius cadentis vulturis effigies victoriam; Delphinus optimam fortunam, Pegasus velocitatem, Cetus prudentiam, Orion victoriam; Canis vim liberandi Lunaticos, Lepus vim curãdi phreneticos, Centaurus constantiam, atque perpetuam sanitatem; Turrhibulum perpetuam virginitatem; Hydra, & Corona australis diuitias, Auriga denique fœlicem animalium capturam afferret, vel offerret. At potiùs illos miserrimos esse videmus, qui nugis istiusmodi tempus insumunt.

Pari iure magicas imagunculas repudio, siue quas Ragieli tribuunt, & ex eius alarum libro desumũt: siue quas ad Chaëlem Israëlitam, vel ad Thetel, & Salomonem referunt: ex quibus annulos eruũt, & figuras lapidibus insculptas, quos si qui ferant; eis spiritus omnes obsecuturi sint; Enimuero si figuram hominis in manu tenentis gladium, atque super draconem sedẽtis in Ametisto sculptam habes, eámque in plumbeo, vel annulo ferreo liges, tibi spiritus obedient (inquiunt Magi) ac thesauros, & quæcunque volueris facilè reuelabunt. Hominis verò equitantis, ac in vna manu frœnum, in alia arcum tensum, & gladium cinctum habentis figura in pyrite sculpta, & in annulo aureo ligata victorem reddi eum in prælijs, qui illum lapidẽ annulo prædicto inclusum gestauerit, nec ei vllus resistere poterit. Itáne Camille? Cur igitur principes, & Reges huiusce modi annulis non vtuntur? Cur ô Scudalupe tanto Duci aliquem annulum non offers, cuius ope Mahumetanos omnes debellare possit, & terram sanctam Sanctis restituere? Siccine principum abuteris patientia, atque benignitate?

Ergóne te frontis adeò perfrictæ ita garrientem, & tanta iactantem mendacia diutiùs sustinebimus? Cuius liber tertius vltricibus flammis non Principi Catholico tradendus erat: in quo ne verbum quidem verum agnosco, quando quidem nec in Hermetis, nec in aliorum sculptis imaginibus vlla virtus adest, vt non solùm ratione, sed & manifesta experientia constabit.

Iam verò ad quosdam lapides accedo, idq; priùs ad onychinos, de quibus iam iam in textu nonnulla præmisi. Onix autem, seu vnguis transparens est lapis: isque diuersæ speciei, atq; coloris: de quo inter alia hæc habet Plin. l. 2. c. 7. Veram autem onychem plurimas, variasque cũ lacteis zonis habere

Onychinus lapis qualis.

Plin.

venas omnium in transitu colore inenarrabili, & in vnum redeunte cõcentum suauitate grata. Plura apud eundem de variis speciebus legere poteris.

Non est, quòd illas onychis proprietates referã, quas Magi ei tribuunt, vt quòd in somno multa horrenda referat, gestatusque rixas, & lites commoueat, humores noxios, & contrarios æquet, nã illa falsa sunt. An verò pueris saliuam augeat, partumque acceleret, epileptici collo suspensus casum prohibeat, appositus oculo infirmo spõte sua oculum ingrediatur, & eum sine molestia circundet, & si quid noxium fuerit, excutiat, viderint, qui sibi nolunt imponi.

Quod maximè necessarium est in lapidibus, alioquin vix quidquã in toto orbe reperias, in quo toties decipiaris, ac in lapidibus, qui nullam ferè virtutem, aut proprietatem ex iis sortiuntur, quæ illis tribui solent: hinc fit, vt communiter falsum esse dicant, adamantem malleo ferreo comminui non posse, hirci sanguine facillimè diuidi, vim magnetis impedire &c. Licet aliqui velint Indicum malleo resistere, nec non ad polum arcticum ferrum, quod tetigerit, dirigere: vt autem lapidum vires, atque proprietates agnoscerentur, necesse esset aliquos lapides omnes sibi comparare, & eos modis omnibus experiri; nec enim antea poterit haberi perfecta cognitio lapidum: An verò Moses in hoc versiculo per lapidem onychinum, nostrum communem lapidem intellexerit, qui parũ distat à marmore, an verò lapidem prasinum, vt 70 hîc dictionem Hebræam שהם *Saham* verterunt: an smaragdum vt Exod.28. v.9. an Sapphirum, vt Ezech.28. v.13. an beryllum, vt Exod.28.v.20. an sardium, vt Exod.35.8 nemo est, qui soluere possit, nisi qui paradisum ipsum vidit, in quo tam Bdellium, quàm lapis onychinus erat. Fortasse breuiùs, & veriùs diximus Moysem eo nomine genus omne lapidum pretiosorum intellexisse, sicut & per nomen quadratum בדלח *bedolach*, quo pretiosum quemlibet lapidem, siue sit vnio, siue carbunculus, significare possis.

Adamantis virtus.

Exod.28. & 35. Ezech.28.

Eapropter nõ magis in illis nominibus laborabo, & præsentem quæstionem lapidum nudis nominibus propositis concludam, etenim proprietates indagare longioris est operis, interim videatur Rueus l.de gemmis. Illos autem ordine alphabetico describam, Itaq; 1. ordine sicut & pretio venit Adamas venena repellens; quem sequuntur Amethistus violaceus, atque purpureus fugãs ebrietatem; Alectorius siue Gallinaceus è Gallorum ventriculis desumptus sitim auferens; Androdamas luxuriã sedans: Astrites cum sua stellula inclusa: Alabandina ruffus sanguinis fluxum afferens, atque vim omnem veneni extinguens: Agapis scorpionum ictibus resistens: Andromantes argentum, & æs ad se trahens: Attritus sanguineus: Antracites apostematibus succurrens; Amandinus venena extinguens: Abeston, siue pluma Salamãdræ perpetuos ignes conseruans: Asius leuis, vt pumex phtisicos, & scrophulas curans: Amiantus, seu linũ viuum nihil ab igne patiens: Augusteum, & Alabastrum ambo marmoris species: Alabandicus vitrum clarius reddens, quem Vitrarij Mangadesum appellant, & more metalli fundunt. Aspilates spleneticos curãs: Abistos calorem ab igne susceptum dies 8 retinẽs: Asinius ex asino syluestri extractus, qui duplex est Cephalicus epilepsiam curans, & Maxillaris quartanam febrem, & vermes puerorum excutiens. Arabicus dolori neruorum medelam afferens: Antiphates odore, atque sapore myrti: Amites ritreo colore: Armenius, seu lapis lazuli melancholicum humorem extirpans: Aquilinus quartanam expellens: Anancithidus necromanticus: Agirites cum aureis stigmatibus: Antitaneus, seu Chrysocolla, Aquileus, siue Ethites.

Rueus.

Lapides ferè omnes enumerantur cũ suis proprietatibus.

Secunda littera secundum ordinem suggeret, in quo Balasius instar carbunculi rutilans hepaticis, & oculorum infirmitatibus succurrit: Berillus 9 species habens cum argenti æquali pondere sumptus lepram sanat. Borax, siue Nosa, vel Crapodinus venenum ex intestinis euocat, & in secessum mittit. Bezoar omnia venena propellit. Bolus Armenus potiùs terra, quàm lapis pestiferis medetur febribus, & hemoptoïcis, spleneticisque opitulatur. Beloculus, quem Syri Belo dicabant: Basanites: Bronia: Balanites, quem vena flammea secat.

Sequuntur Carbunculus aërem venenosum expellẽs inter 12 ardentes lapides præcipuus: Calchedonius libidinem frænans. Chelidonius ex ventro pullorum hirundinis extractus, lunaticis, epilepticis, & ictericis prodest. Corallus rubeus præsertim sanguinem sistit, & cardiacis passionibus opitulatur. Cornelius hæmorroidas, & dysenteriam curat. Chrystallus pocula suggerit. Chrysoprassus visum fouet. Chrysolitus melancholicas, visiones fugat. Celonites triplex est, & ex testudine extrahitur; Vterinus, Cephalic⁹, & Hepaticus. Cogolites, seu Iudaicus stranguriam aufert. Ceraunius ex nubibus, dum fulminant, cadit. Coruinus è capite corui demptus iliorum dolores sedat. Cimedia ex tribus piscis istius nominis partibus extrahitur. Calchophanus sonoram vocem efficit. Callaycus. Chrysocollus magnetis virtutem obtinere dicitur. Chemites corpora mortua à putrefactione diu seruat. Chrysanterinus dentium dolores amouet. Cysteolithos è spongia marina tractus calculis prodest. Catochites, Coruius, quem à coruo de longe afferri aiunt, vt oua decocta, cruda, ac prolifica restituat. Cambnites. Cepocapites. Calorites. Cepionidus. Corintheus marmoris species. Cyaneus cæruleus punctulis aureis intermicans. Cariseus. Calaminaris. Coaspis. Cimilianitus. Crisites. Crisopilon Berilli species. Coranus marmoris genus. Chrysopis; Calcitis. Carcina Celicolus, seu Beliculus. Chrysopteron Topazij species Chrysoprassio similis.

Dæmonius, seu Iris febricitantibus cõfert. Dionysius fugat ebrietatem. Diacordos cadaueris cõtactu virtutem amittit. Draconites, qui obsianus Kimedius vespertinus, & dentrites appellatur, è capite Draconis exciso aufertur, & omne venenum tollit. Drosolitus sudat igni vicinus. Doriatides è murilagæ capite sumitur. Helitropus viridis aspersus guttis sanguineum fluxum detinet. Emathites manus tangentis sanguineo colore inficit, & serpẽtum medetur ictibus. Ethites, siue Endes, qui & prægnus lapidem more prægnantis intus resonantem continet, & aborsum prohibet, & partum accelerat. Enydros perpetuis guttis stillat, quia frigore suo aërem in aquam conuertit. Epistides ruber, & rutilat. Exacolitus colicæ sucurrit. Estimion auri igniti instar rutilat. Execonthalitus 60 distinctos colores habet in paruo orbiculo. Exebenus amẽtes sanat, & venereas voluptates refrœnat. Eumetis colore silicis. Emites colore eburneo. Egyptillus crocei coloris. Emetres porraceus. Effestites specularis. Elopsites cephalogiam curat. Echidnes verò serpentis maculas habet.

Filaterius

Filaterius terrores fugat. Fingites marmoris instar durus; vt alabastrum transparens, ex quo Rex quidam domum sine fenestris fabricasse dicitur, in qua dies, sicut in aperto aderat. Fongites. Falcones, seu auripigmentum, vel arsenicum omnibus animalibus venenũ est. Frigius viridis podagrã sanat. Granatus, siue rubeus, siue citrinus, & surianus lætificat cor, & à peste præseruat. Galactides à magis vsurpatur, & ab illis Senochites, ab aliis Elebron, Graffites, Galbates, & Anachites dicitur: vbera replet, & scabiem curat. Garatronicus, seu Galgatromeus rufus. Galatides iram cohibet. Gelachides niger à muscatum morsu corpus prohibet. Gagates niger est, quo Virginem probant. Gerades rutilat. Gallericus viridis. Garamanticus smaragdino colore. Gasidanus concipere dicitur. Grogius idẽ ac Corallus esse dicitur. Glosopetra iuxta quorundam opinionem è cœlo deficiente Luna cadit. Hyena in oculis eiusd. nominis animalis reperitur, & à quartana præseruat. Hammonis, Hormesiõ, Horcus, seu Carimia. Hysmeri, & Hammochrysos.

Iacinthorum sunt tres species, quæ ab epidimia tutum reddant hominem: Iaspis viridis est, & hydropem fugat, cuius 17 species esse commemorãt. Iris chrystallini coloris radiis solarib' partim, partim expositus vmbræ radios similes Iridis cœlestis emittit. Idæus ferrugineus. Isciftos croceus. Indicus ruffus. Iouis gemma. Ion violaceus. Iaguntia, & Ierarchites. Kabrates hydropem curat. Kamã. Karabe, cuius suffumigium epilepsiam mouet. Kenne ex ceruorum oculis sumptus venenis resistit. Kinocetus. Lichinus inter ardentes gemmas computatur. Lyncurius ex lyncis vrina ictetitium morbum soluit. Liparia. Limacia ex limacis capite febricitantem liberat. Lacteus lapis. Leucophtalmus. Lismacus marmoris species. Leucochrysos. Limoniates viridis. Ligurius, Lignites sanguinem è naribus fluentem sistit. Lepidotes. Limphicus cephalagiam sanat. Ligdinus. Lauraces. Lychnites marmoris species.

Margaritæ in cibo decoctæ quartanam tollunt, & epilepsiam. Medus est niger, viridis Medinus. Marmorum diuersæ species pro diuersis locis, & coloribus. Murina vasorum fabricę deseruit. Myrrhites. Malachites colore maluæ. Memphitis præ opio stupefacit. Magnes, de quo nos alibi fusè. Magnesia vitrariæ arti prodest. Marchasitarum diuersæ species Medea niger est lapis cum venis auratis. Morion aptus est ad sepulchra. Mitridax. Melites. Nitrum. Nicolus. Nasfonites sanguineus. Nemessetis. Nose.

Onix de quo antea. Opalus oculorum morbis prodest, sicut & Obralius. Orites triplicis speciei Orsanus. Obsianus. Ostracites. Ophites. Ostratias. Ophicardelon. Oxitokius. Olea. Prassius visum confortat. Panthera, seu Euantus aliorum lapidum virtutes, sicut & colores habere dicitur. Pontica gemma. Peantes certo tempore sibi similem parit, vel vt alij volunt pariẽdi virtutem fœminis tribuit. Pyrites, seu focarius lapis, qui & Ypestionus, seu Vulcanus calybe percussus ignem mittit. Phrygius stipticus mala vlcera sanat. Porphyrius marmoris est species. Podros cãdidus. Panconus chrystallini coloris. Punicus candidus ebrietati resistit. Præconissus Pauonius. Pumex. Paragonius. Pheonicites. Philoginos.

Quirinus, siue Quirus in nido Vpupæ inuentus. Quadros. Kadaim in capite galli niger. Ranius, Rabri, vel Rami dicitur esse bolus Armenus, nam veneno resistit. Rubinus est carbunculi species. Sapphirus authraces sanat, habetque 12 species, inter quas Scythicus primas obtinet, memoriam acuit, & morsui canis rabidi succurrit. Succinum inter gemmas enumeratur, & eo virginem experiuntur. Sardius in ardẽtibus est, & hilaritatem inducit. Sardonix compescit lasciuos motus. Selenites, vel Sirites Lunæ figuram continet, & ad instar Lunę crescit, atque minuitur. Samius lapis vertiginem sedat, Smirillus est rerum omnium lima, & serpens, nam omnia dempto adamante corrodit. Syrius integer non mergitur, licet cõminutus fundum petat, quia ante fractionem aërem cõtinebat. Solis gemma valet contra potum veneni lethiferi. Sagada è fundo maris ad nauem conuolat, à qua nisi vi separari nequit. Sandastros lapis ardens stellis intermicat. Sarcophagus deuorat cadauera. Sifinus lebetibus materiam præbet. Stuxites. Samothracia. Spinella inter gemmas ardentes collocatur. Sanguineus, seu Emathites. Senochites, seu Galatides. Spongius, vel Cysteolithos, Sedeneg. Sirites. Specularis, seu Phengites Sãctus, Sirites, & Sapphirus idem sunt, & Sinodontides idem quod Coroina.

Topazius lunaticam passionem curat. Turchesia flaua visum aspectu corroborat. Trachius. Thirsistis. Tartis pauoni similis. Tegolitus. Trapendanus. Telitos. Varach compescit omnem fluxum sanguinis. Vernix, seu armenicus lapis iuuat melancholicos, Veientana. Vulturis lapis ex eius cerebro eruitur. Virites. Vatrachius. Xiphinos, seu saphirus. Yecticos ad discernenda metalla iuuat. Ydrinus vel serpentinus nimiæ corporis humiditati succurrit, & lapidem vesicæ frangit. Zumemellazuli, siue Zemech, seu lapis lazuli aureis maculis interlucet, nec ignem timet, ex eõque fit azurum. .i. cæruleus color. Zarites sanguinem sistit. Ziazaa terribiles somnos excitat. Zmilaces. Denique Zoronysios magis inseruit.

Hi sunt lapides, quos enumerare volui, & ex Camillo referre, vt vnico intuitu videre possis, quid præter terram, & animalia Deus in ipsa terra crearit. Plures apud Plinium, & quosd. alios legere poteris, qui de lapidibus egerunt. Quod autem attinet ad eos lapides, de quibus versic. præsens agit, omne lapidum maximè verò pretiosorum genus referre possunt, quod simul cum terra Deus Opt. Max. produxit. Verum ad paradisi fluuios, quos sequentes versiculi referunt, progredi iuuat.

VERSICVLVS XIII. ET XIV.

XIII. Et nomen fluuij secundi Gehon : ipse est , qui circuit omnem terram Æthiopiæ.

XIV. Nomen verò fluminis tertij, Tygris: ipse vadit contra Assyrios, fluuius autem quartus, ipse est Euphrates.

XIII. וְשֵׁם־הַנָּהָר הַשֵּׁנִי גִּיחוֹן הוּא הַסּוֹבֵב אֵת כָּל־ אֶרֶץ כּוּשׁ׃

XIV. וְשֵׁם הַנָּהָר הַשְּׁלִישִׁי חִדֶּקֶל הוּא הַהֹלֵךְ קִדְמַת אַשּׁוּר וְהַנָּהָר הָרְבִיעִי הוּא פְרָת׃

XIII. Καὶ ὄνομα τῷ ποταμῷ τῷ δευτέρῳ, γεών· οὗτος ὁ κυκλῶν πᾶσαν τὴν γῆν αἰθιοπίας.

XIV. Καὶ ὁ ποταμὸς ὁ τρίτος, τίγρις· οὗτος ὁ πορευόμενος κατέναντι ἀσσυρίων· ὁ δὲ ποταμὸς ὁ τέταρτος, οὗτος εὐφράτης.

Gehon. GEhon à fluendo cum inũdatione dictum esse volunt, quia ripis supergressis circumiacentes terras irrigat, à quo Nilus producatur, vel qui sit ipse Nilus, quod tamen alij negant; nec minor est controuersia quam Æthiopiã Moses intelligat, an occidẽtalẽ ad distinctionẽ Madianitidis, quæ Chananææ vicina est, in qua Nili collocãt originẽ, quã proinde circuit per mæandros quosdam, eámque perlabitur. An verò sit Æthiopia Oriẽtalis, ex qua Sephora Mosis vxor Æthiopissa dicta est, quæ Arabiæ vicina non procul à regione Eden sita est, vbi fuit paradisus; hæc autem Æthiopia magna ex parte ab Æthiopibus Christianis colitur, quibus præest ille Ioannes Prestanus : sed de his fusiùs postea.

Tygris. Tertius fluuius Tygris appellatur, Hebraicè חדקל *Kidekel*, qui pergit ad orientalẽ plagam ante Assur קדמת אשור *Kidemath* assaour. M. Syrus. Moses Syrus vocat hunc fluuium *Diclat*, tygris verò dicitur, quia tygridis belluæ instar nimiã pernicitate decurrens, vel ad modũ sagittæ volantis sursũ, deorsumq; fertur; Medorũ enim lingua sagitta tygris appellari solet; huius caput in Armenia Solin[9] collocat, Plinius, & Strabo subiungunt in Arethusam lacum influere, cuius pisces nunquam sese Tygridis alueo immisceant; præterea Mesopotamiam amplectitur, postquã Arabes præterfluxit, & Hydaspem, Euphratémque accipiens in sinum Persicum defertur. Ipse vadit contra Assyrios. Vox Hebræa קדמת à קדם .i. prior fuit tempore, loco, vel dignitate, deducitur, vel potiùs à קדם *Kedem*, vt significet ante, vel orientem; Assur verò regionem illam includit, quæ est circa Niniuitas, & Bethgarme.

Solin. Plin. Strabo.

Euphrates. Quartus fluuius est Euphrates, seu Phrates פרת *Perat* enim dicitur, cui *Eu*, vel *Hu* הוא coniunxerunt : Assyriorum lingua vocabis *Almacher*, qui Tygrim aliquandiu comitatus orientalem Mesopotamiæ partem perluit, & fertilem reddit, & in eam quotannis nouos agros inuehit, teste Cicer. 2. de natur. Deor. Cicero. Nonnulli aiunt Euphratem ex remotissimo monte versus Septentrionem originem ducere; Tygrim verò ex propinquiori loco in maiori Armenia, & Mesopotamiam cingere non ex occidentali, vt Euphratem, sed ex orientali parte : hos autem in Mesopotamiæ finibus coïre, vbi paradisum collocant, qui ab eis irrigatur, rursúsque in exitu paradisi in duos amnes distingui, quorum alterum versus Æthiopiam Gehon vocant; alterum versus terram Euilath, quem Phison appellant, hosque postea mare Persicum ostiis diuersis ingredi: de quibus omnibus, vt pote difficilioribus quæstionem aggredior.

QVÆSTIO XXV.

QVÆSTIO XXV.

DE IV. PARADISI FLVVIIS, ET DE LAVDE *numeri quaternarij.*

LAudes quaternarij cum istis 4 fluminibus cõiungo, tum quia ne capitis primi commentarius longior fieret, ad 4 conditionis diem id minimè factum est: quia Patres mysticè 4 illa flumina de 4 virtutibus cardinalibus explicāt ob istius numeri excellentiam.

De Phison. Itaque primum flumen est Phison, quod ab illo fluuio, seu fonte oriri dicunt, de quo versiculus 10 loquitur: *fluuius autem egrediebatur de loco voluptatis*, seu Hedene, qui oritur ex Caranitide Armeniæ, *vbi pue-perath* .i. profusio Euphratis vocatur, non autem Pixyrates, vt Strabo habet, & Plin. lib. 5. c. 24; (Strabo. Plin.) delapsus autem per varios anfractus vsque ad locum voluptatis 4 capitibus, seu alueis procedit; Dicitur autem caput aquæ, teste Vlpiano l. 1. § caput aquæ, ff. de aqua quotidiana, (Vlpian.) vnde aqua nascitur: si ex fonte, fons; si ex flumine, vel lacu, prima incilia, vel principia fossarum, quibus aquæ ex flumine, vel lacu primùm in riuum compelli solēt. Phison ergo iuxta hanc sententiam esset primus Euphratis alueus, dictus Basilius, qui in Tigrim delapsus suum ei nomen olim ademit: quapropter hic alueus sub Apamea cum Tigri iunctus, Pasitigris, seu Pisotigris appellabatur, nō de nomine Panis, vel Spasinis Sogdonaco nati, sed à Pischone, seu Phisone Euphratis alueo. Hic autem Phison circuibat Heuilath regionē Susianæ, Bactrianæ, & Persidi vicinam, quæ iacebat inter Assyrios, & Palæstinam: De Susiana videatur Strabo, & Plin. 6. l. c. 17. & Solinus c. 68. Polyhist. (Plin. Solin.)

Geon. Secundum flumen Geon à גוח *guach* dictum volunt, quod ventris instar sordibus, lutóque plenus sit, quod aliqui Nilum esse existimant, qui velut pectore Ægypto incubet, eámque fœcundet, quia Ierem. 2. v. 18 70 pro Nilo Geon verterūt, (Ierem. 2.) & Abyssini vocant Nilum *Guijon* teste Aluar. cap. 122. hist. Æthiop. (Aluar.) quanquam est aliud Geon prope Ierusalem, vbi Salomon in Regem vnctus est 3. Reg. 1. & 2. Paral. 32. (3 Reg. 1. 2 Paral. 32.) Alij volunt hunc fluuium esse primum Euphratis alueum, qui accolarum sermone Naharsares, i. diductum flumen, siue iuxta Ptolem. (Ptolom.) Baarsares .i. alueus, fossarúmque distractum, vel corruptè apud Strabonem Mahar-sares, apud Ammianum Marsias; apud Abydenum teste Eusebio 9. de præp. (Euseb.) Ἀκράκανος, quòd abeat in paludes ranis exundantes, quas vocant Chaldæi Axrukan; deniq; à Plinio Narragas, (Plin.) pro Nahar-ragaz .i. dimotus, atque diuaricatus fluuius appellatur, quia Sares Chaldæorum lingua diuulsum sonat, quòd flumē istud in paludes Chaldaicas deriuetur, & in eis dispereat, atque consumatur.

In hoc verò differt Geon Phison, quòd hic, quē cum Gange idē faciunt, terram Heuilath .i. Indiā, inquit Hieron. (Hieron.) ambiat, quæ est intra Gangem gēmiferum, & auriferum teste Plinio, vnde à פוש *pus* dicitur .i. multiplicare & luxuriare, quia 10 magna flumina in Gangem sese exonerant teste Ioseph. 1. antiq. c. 2. (Ioseph.) & Isid. l. 13. Eth. c. 21. (Isid.) Geon verò Æthiopiam circuit, seu Abyssinam, quam regit Prætoioannes; cui liber Ecclesiast. c. 24. idem, quod de Nilo dicimus, tribuit. (Ecclesi. 24.) Hanc Æthiopiam Hebræi vocant Cus, quo nomine tres Arabias intelligere possumus, vtrámque nimirum Æthiopiam, & totum meridianum tractum.

Moses verò cœpit à Phison, vt ab orientali, qui Βασίλειος, seu fluuius regius vocatur, vbi sub Apameam in Tigrim delabitur, & cum eo vsque in sinū Persicum delabitur, ita tamen vt tunc ei nomen adimat, suum verò nomen habet à maxima fertilitate, quam ipse confert.

Geon verò est ab occidente, qui diuersus est ab eiusd. nominis torrente, de quo loquitur liber 2. Paral. c. 32. (Paral. 2. c. 32.) Hic autem Heden à Chaldæa distermināt Occidētem versus, & in Chaldaica palude perire dicitur. Tigris est à Septentrione; hîc tamen nonnulli arbitrantur Synecdochicè denotare superiorem Nahar-malcæ, vel Basilij alueum, qui supra Seleuciam in Tigrim influit, & nomen eius mutuatur, quem alueum prisci Geographi manufactum fuisse rati, non retulerunt inter Euphratis alueos. Deniq; Euphrates mediū Hedenē dissecās, Babylonem vrbem influebat, secabatque mediā, Hebræis Perath appellatur; (Perath.) qui iam non influit in sinum Persicum, vt olim, quia eum orcheni, & accolæ rigantes agros præcluserunt, adeout non nisi per Tigrim in mare feratur teste Plin. 6. nat. hist. cap. 27. & Dione in Traiano lib. 23. (Plin. Dion.) Ita videtur intelligendus Ammianus, dum ait ad Teredona post iacturas multiplices pelago misceri Euphratem .i. post deriuationes innumeras, quibus eum accolæ minuunt quam plurimum, aut in vniuersum perdunt.

Ex dictis constat Euphrati duos, aut tres alueos, vel 4 liberè tributos esse; duos cùm præcipua illius fluenta spectarent, Babylonium, & Basilium, siue regium, quod postea duobus ostiis Tigrim petit ad Seleuciam, & Misenen, seu Apameam, quibus si Naharsem adiungunt, tres habemus; si regium flumen duobus alueis distinctum pro vno computant; si verò duos istos illius regij fluminis alueos enumerant, 4 fluuios habes. Tres Ptolomæus recenset in descriptione Babyloniæ lib. 5. Geogr. (Ptolom.) sicut & Ammianus, qui Marsiam, vel vt alij volunt, Naharsatem, & flumen regium, & Euphratem eos appellat. Hinc apparet hortum voluptatis, seu paradisum Heden in orientali parte trans Babylonem situm fuisse iuxta Basilium, & Tigrim, vbi fertilissimus est totius Orientis ager.

Verùm vt libens fatear, difficillimum est scire, an Ganges, Nilus, Tigris, Euphrates, & Indus, de quibus hic controuertitur, ad nostrum paradisum pertinuerint ob loca tam dissita, è quibus proficisci videntur, volunt enim Gangem in Caucaso monte Indiæ oriri, Euphratem, & Tigrim in montibus Armeniæ; Nilum in montibus lunæ versus Caput bonæ spei, vel ex lacu regni Congi, quæ origines remotissimæ sunt; ideoq; D. August. 8. de (Augustin.)

Gen. ad lit. cap. 7. recurrit cum aliis multis ad meatus, cuniculósue subterraneos, sub quibus occulti longissimè postea erumpunt: qua ratione ex Euphrate sub terra condito, & postea super Æthiopiam prodeunte Nilum effici aiunt Pausan. in Corinth. Philostr. 1. de vita Apoll. c. 14. Veruntamen si iuxta Ptolem. inter Euphratem, & Gangem intercedit spatium 70 graduum, idest 1400 leucarũ gallicarum, quomodo sub terra tandiu latere possunt? adde quod Nilus, & Ganges, & alij fluuij Babyloniam, Armeniam, Mesopotamiam, Syriam, Mediam, Persiam, & alias regiones præterfluant, quibus tamen minorem fuisse paradisum existimandum est. At his omissis difficultatibus vt parum vtilibus, sufficit, si dicamus admodum scripturæ conforme esse, vt paradisum circa Mesopotamiam, & Armeniam statuamus, tum quia regiones istas Cain incoluit: nam Gen. 4. *habitauit in Eden*, quæ fuit prope Haran Ezech 27. & Isai. 37. Haran verò sita est circa Mesopotamiam: estque Parthorum vrbs, vbi Crassus cæsus est: & inter Tigrim, atque Euphratem Mesopotamia sita est, nempe in medio duorum fluuiorum iuxta nominis originem.

Pausan. Philostr.

Gen 4.

Ezech 27. Isai. 37.

Iam verò sacrum illum principatum, ac velut sedem regiam spectemus, à qua coloniæ missæ fuissent, eóque recurrissent tanquam ad oraculum, quam inter gradum 34. & 36 eleuationis poli nonnulli constituunt, atque campos illos Elysios, fortunatis insulis, & Alcinoi hortis longè amœniores, quos alij monte olympo altiores, alij circa lunam constituerunt, ne illuc vel imbres, vel aquæ diluuij pertingerent.

Spectemus inquam animo, atque seriò recordemur nos per peccatum ab eo expulsos esse, nec ad verum paradisum, cuius ille figura erat, nos redire posse, nisi virtutum exercitio, atque vitiorum extirpatione: nec vllus miretur, si D. Ambrosius l. de paradiso, & alij quidam patres id explicet spiritualiter, sensum enim literalem supponunt; sic enim epist. 42. ad Sabinum intelligendus est: & D. Hieron. c. 18 comment. in Daniel. reprehendit huiuscemodi allegoricos. *Conticescant*, inquit, *eorum deliramenta, qui vmbras, & imagines in veritate sequentes*, ipsam conantur euertere veritatem, vt paradisum, & flumina, & arbores putent allegoriæ legibus se debere subuertere; cui Epiphanius suffragatur, dum paradisum symbolicum reiicit: cætera habes vbi Venetum confutauimus. Verùm ad quaternarium numerum accedo.

Ambrosius.

Hieron.

DE QVATERNARIO.

QVattuor flumina paradisi diuersas quaternarij laudes suggerunt; quandoquidem tot fluuiorum quaternarij, quot paradisi reperiri possunt; nam si Ecclesiam dixeris paradisum, adsunt 4 Euãgelistæ cum suis 4 Euangelijs, qui eam verbo doctrinæ irrigant; si vetus testamentum, 4 prophetas maiores video; si animam, 4 virtutes Theologicas, si cum D. Thom. gratiam à charitate seiunxeris; & 4 cardinales obtinebis, quæ pulchriorem faciunt animam, quàm illi fluuij paradisum: quid si corpus gloriosum paradiso conferst? nonne 4 dotes agilitatem, subtilitatem, claritatem, & impassibilitatem habes; nonne & in Deo verissimo paradiso 4 relationes elucent? videlicet relatio patris ad filium & filij ad patrem; relatio patris, & filij ad Spiritumsanctum, & huius ad illos. His verò vt pote difficilioribus relictis, ad crucẽ propero, quę 4 partes habet; quibus mundus salutem consecutus est. Equidem Pythagoræos nescio quid subodoratos esse puto, qui quaternarium, seu tetractyn, inter arcana venerabantur, eóque se obstringebant οὐ μὰ τὸν ἁμετέρᾳ ψυχᾷ παραδόντα τετρακτὺν παγὰν ἀενάου φύσεως .i. per eum, qui dat animæ nostræ quaternarium, fontem perennis naturæ: Hi verò, teste Suida, omnem numerum vocabant quaternionem; hic enim numerus completur denario, rationem affert ob 4 lunæ formas, est enim ἀρτίτοκος, i. recens nascens, μηνοειδὴς, ἀμφίκυρτος, καὶ πανσέληνος, corniculata, gibbosa, & plena.

4 Fluuiorũ paradisi diuersæ explicationes mysticæ.

Tetractys Pythagoræorũ vnde.

4 Lunæ facies.

Non desunt, qui mysterium beatissimæ Trinitatis per quaternarium explicent, est enim primus quadratus plenus, qui constat duabus proportionibus, vnius ad duo, & duorum ad 4, nasciturque ex gemina processione vnius ad vnum, & duorum ad duo, incipiens ab vnitate, & in quaternarium desinens, quaternarius igitur patri tribuitur, quia simpla vnius ad vnum proportione vnitas paternæ substantiæ significari potest, ex qua vnus procedit filius patri æqualis; altera proportione etiã simpla duorum ad duo, Spiritussanctus innotescit, qui ex vtroque procedens secunda processione vtrique æqualis est: hinc nomen ineffabile tetragrammaton est יהוה, vbi ה processionem Spiritussancti ab vtróque denotat, non duplicatur, & vtrámque syllabam terminat, quod nonnulli Ioua pronuntiant, nam 4 aures Ioui affingebant.

Trinitas per numeros exprimitur.

Quaternarius numerum primum parem, & primum imparem continet, & tamen totus est par, inquit D. August. l. 11. de ciuit. c. 31. Nunquid in mũdo elementari 4 gradus esse, viuere, sentire, & intelligere. 4 elementa: 4 motus, & differentiæ positionum continentur: ascendens, descendens, progrediens, & circularis: sursum, deorsum, retrorsum, & antrorsum: sunt & in cœlo 4 cardines: in elementis, 4 primæ qualitates, humiditas, siccitas, calor, & frigus, quibus 4 humani corporis humores, & 4 partes vini dolio conclusi respondent, quarum ima, seu fæx melancholiam, & ligni combusti cineres: pars media, & mera, sanguinem, fumum, & aërem: pars crudior mixta cæteris pituitam, & aquam: pars denique suprema, quæ paulo post vindemiam spumat, & ebullit, bilem, & ignem repræsentat: quæ 4 anni tempestatibus, imo & 4 lunæ faciebus, & 4 partibus diei accommodari possunt: Nec desunt Ecclesiæ statuta, quæ 4 anni temporibus ieiunia præcipiant, nam tribus ieiunijs 4 adiunctum tempore Calixti Pontificis, & quarta feria ieiunabatur ex Apostolorum instituto, teste Epiph. in compendia doctr. fidei Cathol. & Aug. ep 86. ad Casul.

August.

Epiphan.

August.

Quatuor esse ventos præcipuos hi versus aperiunt.

A summo Boreas, Notus imo spirat olympo.
Occasum incedit Zephyrus, venit Eurus ab ortu.

Quaternarius implet omnem scientiam: nam 4 geometria speculatur punctum, lineam, planitiem, & profunditatem: progressus numerorum 4 terminis concluditur 1, 2, 3 & 4, qui 10 constituunt, præter quem non numerus, nisi replicando, siquidem vel omnes numeros implicat, vel per se, partesque sui explicat multiplicando: in musica habes diatessaron.

diatessaron, seu diagramma Pythagoreum, & quælibet consonantiam quaternione comprehensam: Physica 4 causas complectitur; mixtorum 4 genera metalla, plantas, lapides, & animalia: quadruplicia animalia progressiua, volatilia, natãtia, & reptilia; 4. plantæ continent, nempe semina, flores, folia, fructus. 4 sunt Spiritus, genitalis, naturalis, vitalis, & animalis. Laudant Pharmacopæi 4 grana coriandrum, glycirrizam, anisum, & fœniculum; 4 herbas emollientes, maluam, althæam, violam martiã, & brancham vrsinam: vel mercurialem, ficlam, betam, & parietariam; 4 semina frigida magna, cucurbitarum, cucumerum, peponum, & citrullarum, 4 radices paruas frigidas, endiuiæ, scariolæ, lactucæ, & portulacæ. 4 semina magna calida, anisi, fœniculi, cumini, & carui; 4 parua, ammi, amomi, dauci, & apij; 4 aquas cardiacas endiuiæ, cichorij, buglossæ, & scabiosæ: Addunt etiam 4 vnguenta calida, althææ, aregon, gry æ, & martiatum, & 4 frigida album, rosaceum, citrinum, & populeum.

4 Spiritus.

4 Grana frigida, & calida.

4 Vnguenta

Si Platonem consulimus, docet 4. de legib. 4 esse omnia, Deum, occasionem, fortunam, & artem; & 8. de Republica. 4 esse prauæ Reipubl. species, multorum, paucorum, populi, & tyranni dominationem. In 4 gradu non celebrantur nuptiæ ex Concil. Mogunt. c. 54: quod anno 813 celebratum est: aspice quæso partes 4, in quas homo resoluitur, vt his habes versibus

Plato.

Cõcil. Moguntin.

Bis duo sunt hominis, manes, caro, spiritus, vmbra;
Quatuor ista hæc loca bis duo suscipiunt.
Terra tegit carnem, tumulum circumuolat vmbra,
Orcus habet manes, spiritus astra petit.

4 Pœnarum genera apud Hæbræos. Maldon. 4 Somnia. Chrysost.

Apud Hebræos fuêre pœnarum capitalium genera 4, strangulatio, gladius, lapidatio, combustio, vt Maldon. in 5. c. Math. notauit. 4. sunt genera somniorum; naturale, quod ex constitutione corporis oritur; morale, quod ex cuiusque studiis, & moribus; diuinum, quod à Deo mediantibus angelis, aut immediatè immittitur, & diabolicum, quod à dæmonibus, vt sunt obscæna, teste Chrys. in 14. Math.

Lyra Mercurij fuit primò 4 chordarum, & cùm totum Systema vsque ad 15 chordam creuisset, per tetrachorda diuisum est; Per quaternarium planetæ retrogradè dominantur, hinc dici dominicæ sol, & relictis Venere, & Mercurio, secundæ feriæ luna præest. Nunquid libertinam quater peperisse necesse fuit, vt liberorum ius consequeretur? Sic enim Paulus testatur 4. sent. tit. 9. §. 6. lib. 2. Cod. de iure liberorum. Quatuoruiri Romæ viarũ curam gerebãt l. 2. §. eod. temp. ff. de orig. iuris, meminitque Dio l. 53. Quarta portio hæredi debebatur, qui & quartam ex legatis retinebat ob legem Falcidiam: In iure tres Quartæ celebrantur, legitima, Falcidia, & Trebellianica: est & quadriẽnij præscriptio, quæ aduersus Fiscũ, & pro Fisco datur l. 1. & 2. Cod. de quadriennij præscrip. erat & pœna quadrupli.

Laudes quaternarij e iure ciuili.

Paulus Iurisconsf. Dio Falcidia lex.

Omitto varia Dei nomina tam apud Hebræos, quàm alias nationes, quæ 4 literis Dei nomen exprimunt; nam dicunt Arabes, & Turcæ alla, Persæ Sire, Magi, Orsi, Arabes, Agdi, Tusci Esar, Græci, Θεός. Alia sunt explodenda, quæ Cornelius habet 2. de occult. Phil. c. 7. dũ ait 4 esse triplicitates hierarchicas, nempe choros angelorum 9 ordinibus constantes: Innocẽtes, Martyres, & Confessores, à quibus vult nescio quam fatalem legem oriri: nugatur verò, cùm elemẽtis 4 Seraph. Cherub. Tharsim, & Arielem præficit. In scriptura sacra multæ sunt quaternitates celebres, sunt enim præcipua 4 animalia leo, aquila, homo, vitulus: 4 triplicitates tribuum Israël, & 4 Apostolicæ: 4 signorum Zodiaci: alias triplicitates Henricus ille refert, quas fingit cum impiis Cabalistis: constituit enim 4 dæmoniorum principes elementorum præfectos Samaël, Azaël, Azazel, & Mahaël, & alios 4, qui 4 orbis cardines regant, Paymonem, Egyn, & Amayon, quos dæmones cum angelis fictitiis alibi refellendos habemus.

Refellitur Agrippa.

Quaternarius in sacra Script.

Cabalistæ refelluntur.

Quis scripturam repetet? in qua statim 4 frugũ partes Ioseph populo permittit Gen. 47. statim 4 oues pro vna furto erepta restitui iubetur Exod. 22 c. 25. 4 circuli aurei ponuntur in 4 angulis arcæ. c. 28 rationale iubetur fieri quadrangulum, in quo etiam lapidum ordines 4 constituuntur. Quod super 4 pedes graditur, est abominabile Leuit. 11. Fiũt in 4 angulis pallij funiculi: Galaaditæ 4 diebus filiam Iephte plangebant. 4 sunt minima terræ, quæ sunt sapientiora sapientibus, formica, lepusculus, locusta, & stellio Prou. 30. ex 4 quæ satiari nequesit, quartum nunquam dicit, sufficit: ex difficilibus 4 penitus ignorat Salomon: 4 terra non sustinet. 4 incedit fœliciter; Deus ipse 15. Ierem. se in 4 speciebus visitaturum ait populum suum: vide Ezechiel. c. 1. vbi 4 animalia, facies, & pennas, & c. 10. rotas 4 videt: c. 14. Dei iudicia 4 pessima. Daniel. 3. videntur 4 in fornace, tametsi tres solùm iniecti fuissẽt. c. 7. venti 4 inter se pugnant, & 4 animalia ex mari ascendunt: Zacharias c. 1. videt cornua, fabrosq; 4. Marci 2. paralyticus à 4 ferebatur, vbi multa de quaternario congerunt interpretes.

Gen. 47. Exod. 22. 25. & 28.

Leuit. 11.

Prouer. 30.

Ierem. 15. Ezech 1. 10 & 14. Dan 3. & 7.

Zachar. 1. Marci 2.

Lazarus etiam mortuus quatriduanus inuenitur Ioh. 11. At nunquam fecero, si quæcunque in scripturis numero quaternario circunscribuntur, referre velim, sunt enim in Apoc. 4 animalia plena oculis: 4 Angeli stantes &c. Nec mihi quis obiiciat ad rem non esse, quæ de quaternario loquimur: partes enim ante me magnas quaternarij laudes decantarunt, sic enim D. Bernardus ait 4 de pectore Christi fontes oriri, & 4 aquas, veritatem, sapientiam, virtutem, & charitatem, vbi docet quã ratione iudiciorum, cõsiliorum, præsidiorum, & desideriorum aquas è pectore Iesu haurire debeamus serm. 67 ex paruis, & in sententiis ait 4 hominum genera regnum cœli possidere, alios rapere violenter, alios mercari, furari nonnullos, & alios ad illum compelli. Quatuor gradibus electorum omnium profectum distinguit, nam electus primum fit amicus animæ suę, deinde iustitię: 3 sapientię: 4 fit sapiens: 4 impediunt, inquit, nostram confessionem, pudor, timor, spes, & desperatio: 4 modis nos visitat Deus, exhibitione præcepti, asperitate flagelli, nouitate miraculi, & inspiratione subtili: Iacob quater luctatus est cum Esau in vtero: adolescens cum eodem: in Mesopotamia cum Laban: in Bethel cum angelo. Lapidem quadrum affert, & explicat, cuius pars superior sit amor cœlestium, inferior terrenorum contemptus, dextra prosperorum vilipensio, sinistra verò æquanimis tolerantia contrariorum. Ceteras pias, & spirituales quaternitates vide apud diuum Bernard. Cassiod. lib. de amicicitia 4 motus affectuum enumerat, spiritualem,

Ioh. 11.

Bernard.

Quaternarius à D. Bernardo spiritualib. applicatur.

Cassiod.

rationalem, officialem, & naturalem. 4 sunt species voluntatis, est enim sicca in reprobis, & terrenis; recta in inchoantibus, deuota in proficientibus, & in consũmatis beata, inter quas sunt tres lapides, inter siccam, & rectam peruersa intentio; inter rectam, & deuotam insolita cõsuetudo, & inter deuotam, & beatam affectio corporea. Quatuor sunt, quæ nostram deuotionem adaugent, memoria peccatorum, recordatio pœnarum, consideratio peregrinationis, & vitę perennis desiderium.

Id habet peculiare tetragonus, vt tertio quóque loco sese ingerat, per Octauam proposit. noni libri Euclidis; quarto verò loco cubus, vt patet in hoc exemplo, 1.2.4.8.16.32.64, in quo 7 numeros habemús continuè proportionales; in quibus tertius à primo 4 tetragonus est, à quo rursum tertius nempe 16 quadratus est, sicut & tertius ab isto 64, & sic deinceps. Eodem modo quartus à primo videlicet 8 cubus est, à quo qui quartus nempe 64 cubus est, & sic in infinitum. Iure igitur quaternarium apotelesmaticon vocant Pythagorici, vt enim isto progressu quaternario simplicium vnitatum 1. 2. 3. 4. denarium procreamus, ita progressu decadum quaterno 10. 20. 30. 40 centenarium conficimus, qui denarij radicis est quadratu-

Euclides.

Laudes quaternarij ex Arithmetica.

ta: pari motu centenariorum 100. 200. 300. 400. cubum æternitatis habes millenarium. Sic etiam 4 primis cubis ordine dispositis habes 100 denarij quadratum, vt patet in his 1.8.27.64. Quamobrem Hierocles Pythagoræ interpres quaternarium vocat omnium causam. Sed de quaternario satis, alioqui plura videas apud Bongum c. de quaternario, de quo ad nauseam vsque scripsit. Quædam prætetea de Tetractyy Pythagorica refert Keplerus nouator ex Ioachimo Camerario item nouatore lib. 3. harmonices, idque pro more suo obscurè, & sine sale, existimatque Pythagoram Hermetisare, vel Hermetem Pythagorisare, qui concupiscibilem animę facultatem componit ex 12 vltoribus, seu vitiis Ethicis ad numerum signorum Zodiaci, cui corpus, & hanc ad corpus vergentem animæ facultatem subiicit: Animam verò rationalem ex 10 virtutibus Ethicis: Alias etiam Tetractyas constituunt, non eam tãtùm, quæ à basi quaternarij surgit in decadem, sed aliam præcipuam, quæ ab ogdoadis basi ad verticem vsque colligit summam 36. Hinc in octonario Hermetico constituunt 7 habitus ethicos animæ, planetis 7 respondentes, octauum autem ad firmamentum referunt.

Hierocles.

Bongus.

Keplerus obscurè scribit.

VERSICVLVS XV.

Tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis, vt operaretur, & custodiret illum.

וַיִּקַּח יְהוָה אֱלֹהִים אֶת־הָאָדָם וַיַּנִּחֵהוּ בְגַן־עֵדֶן לְעָבְדָהּ וּלְשָׁמְרָהּ

Καὶ ἔλαβεν κύριος ὁ θεὸς τὸν ἄνθρωπον ὃν ἔπλασεν, καὶ ἔθετο αὐτὸν ἐν τῷ παραδείσῳ τῆς τρυφῆς, ἐργάζεσθαι αὐτὸν καὶ φυλάσσειν.

R Salomõ.

QVomodo tulerit eum Deus, quis hominum scire potest? R. quidem Salomon ait à Deo translatum fuisse, non crinibus, non corpore, vel manibus, sed verbis, quibus eum pellexit, vt illuc se conferret, certè nihil certi ex hebræo colligere possumus, לָקַח lacach enim, à quo יִקַּח iica deriuatur, significat accepit, tulit, terigit & 4. Reg. 2. v. 5. de Enoch translato dicitur hinc personarum acceptio, seu prosopolepsia 2. Paral. 19 מִקָּח mikach appellatur. Septuaginta vertunt illud verbũ לָקַח, quod idem est ac חָכָה לָקַח לְבַר & לָוָה per λαμβάνω, vt hîc, & per eius composita: per δέχομαι suscipio Gen. 4. v. 11. φέρω Gen. 27. v. 13. ἄγω duco. παραγγείλω paro Iof. 3. v. 12. μετατίθημι transfero Gen. 5. v. 24. μεταπέμπω accerso Gen. 27. v. 45. συλλέγω colligo Gen. 31. v. 46. κομίζω recipio Gen. 38. v. 20. ἔχω habeo Gen. 38. v. 23. αἴρω aufero Esai. 53. versic. 8. φλογίζω ardeo Exod. 9. v. 24. κτάομαι acquiro Ezech. 5. v. 1. λαλέω loquor Num. 16. v. 1. καλέω voco Num 23. versic. 11. γινώσκω cognosco 3. Reg. 17. v. 18. αἰχμαλωτεύω captiuũ duco Iob. 1. versic. 15. τολμάω audeo Iob. 15. versic. 12. ἐκβάλλω eiicio Iob. 22. versic. 22. γίνομαι fio Iob. 28. versicul. 2. συναρπάζω rapio Prouerb. 6. versicul. 25. πρίαμαι emo Prou. 31. vers. 16. ἀχθέω capio.

Diuersæ acceptiones verbi. לָקַח

4. Reg 2.

2. Paral. 19.

Gen 4. Gen. 27. Iof. 3. Gen. 5, & 27, & 31. Gen. 38. Esai. 53. Exod. 9. Ezech. 5. Num. 16, & 23. 3 Reg. 17. Iob. 1. 15. 22, & 28. Prou. 25, & 31.

A quo לֶקַח lecach sumitur, & significat doctrinam, opus, consabulationem, arbitrium, pacem, & donum, quæ Græcis dicuntur ἀπόφθεγμα, ἔργον, ὁμιλία, ἐπιγνωμοσύνη, εἰρήνη, καὶ δῶρον. At parum refert, quomodo Deus eum tulerit, vel duxerit, sufficit enim, quòd illum in paradiso collocarit, & per me licet, vt quis Onkeli sententiam sequatur, qui pro יִקַּח legit וּדְבַר, quod teste R. Salomone non simpciliter accipere, vel transferre, sed verbis persuadere, & in suam sententiam trahere significat. Oleaster ait verbum ianach, quod hic vertunt, posuit, significare, reliquit, vt Psal. 105 nõ biniach. i. reliquit hominem nocere eis, & 3 Reg. 8. eod. modo sumitur, quo innuere videtur Adamum non fuisse translatum in paradisum, sed in eo factum. Verùm secus sentiendum est: nam in campo Damasceno circa locum, in quo postea ciuitas Hebron ædificata est, formatum esse dicunt, quid si dixerimus eum ex eo limo factum, qui in ciuitate Hierusalem, vel in monte Caluariæ, vel in Bethleem erat? vt primus, & secundus Adam in eodem loco nati sint: at de ea re nihil certum habemus. Cùm autem iuxta communem sententiam extra paradisum formatus fuerit, operæ-

Onkelus.

Oleaster. Psal. 105. 3 Reg. 8.

operæpretium est, vt rationes scrutemur, ob quas Deus noluit eum in paradiso creare.

Adam cur non fuit in paradiso productus. 8 rationes. Primam assignant, quòd casurus esset, nec ibi remansurus, tametsi casum suum nescierit: at minimè satisfacit, cùm Eua non minus casura esset, quæ tamen in paradiso formata videtur. Secundam, vt sciret homo locum illum amœnum sibi vi naturæ non deberi, sed ex gratia, & liberalitate Dei. Tertiam, ne superbiret, ex eo quòd omnes creaturas sibi videret esse subditas. Quartam, quia resoluendus erat in elementa, ex quibus factus est. Quintam, vt illud desiderium adimpleretur, quo homines ad natale solū afficiuntur, iuxta id Poëtæ

Nescio qua natale solum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non sinit esse sui.

Ideóque noluit eum ex terra Paradisęa formare, ne inde deiectus perpetuo redeundi desiderio pulsaretur. Sextam, vt Deum magis laudaret, seque ei deuinctum agnosceret; ad quod aliqui putant Adamum à Deo, vel angelo pedetentim ex creationis loco ad paradisum deductum esse, vt omnia, quæ creata fuerant, transeundo contemplaretur, atque in ipso paradisi lumine cogitaret, atque fateretur, quanto fauore Deus, quantaue dilectione prosequeretur, cuius beneficio, atque manu ad locum totius mundi præstantissimum, tanquam ad cœlestis gloriæ typum introducebatur. Septimam, vt cautior fieret in diuinis mandatis obseruandis, ne de paradisæis deliciis eijceretur. Octauam, ne conquereretur de sua expulsione, ac si naturalibus ob peccatum priuaretur, quæ tamen non pereūt, sed dona supernaturalia solùm: Quæ tametsi non concludant pro Eua, sufficit, quòd Adamo conueniant, vt pote totam humanam naturam radicis instar continenti; adde quòd ipsa de eadem terra mediatè sumpta est, cùm ex Adami costa educta fuerit. Sequitur alia pars versiculi.

Vt operaretur, & custodiret illum; quam nonnulli ad Deum protegentem referunt, de quo D. Aug. (Augustin.) 8. de Gen. ad lit. cap. 10 & 11. videri potest: alij referunt, *operaretur*, ad Adamum, & *custodiret* ad Deum, qui & paradisum ab omni belluarum incursu, & nocumento, & ipsum Adamum ab omni periculo custodiuisset, dum protoplastes terram magna cum delectatione, & ne fortè otio torpesceret, aut insolesceret prosperitate, colebat, quæ manibus culta feracior, & vberior euasisset.

Nec obiicias agriculturam plenam esse laboribus, & anxietate, quandoquidem aliquos cum tanta animi voluptate agricolare videmus, inquit D. August. suprà cap. 8. vt eis magna pœna sit inde ad aliud euocari. Huius autem paradisi fœlicitatem Poëtæ imitati fuisse videntur, Homerus Odyss. 10 (Homer.) dum amœnitatem paradisi ad fœlicem Cyclopum vitam transfert. Virg. 8 Æneid. & 1. Georg. sicut (Virgil.) & Ouid. 1. metamor. dum Saturnia regna pulchrè (Ouid.) describunt.

Mollia securæ peragebant otia gentes,
Ipsa quoque immunis, rastróque intacta, nec vllis
Saucia vomeribus, per se dabat omnia tellus
Contentique cibis, nullo cogente creatis.
Ver erat æternum, placidique tepentibus auris
Mulcebant Zephyri, natos sine semine flores
Mox etiam fruges tellus inarata ferebat.
Nec renouatus ager grauidis canebat aristis.
Flumina iam lactis, iam flumina nectaris ibant
Flauáque de viridi stillabant ilice mella.

Adamus igitur terram operabatur, seu colebat, (Theophr.) nam apud Theopraštum ἐργάζεσθαι γῆν, seu κατεργάζεσθαι, terra subacta agricolæ operâ dicitur. Agricolæ operâ dicitur. Agriculturam verò non solùm authores, qui de ea scripserunt, sed & Imperatores commendant; quandoquidem ipsi coluerunt terram: ita Laërtem patrem Vlysses filius hortum colentem inuenit, Odyss. vlt. (Odyss.) Cyrus apud Xenoph. (Xenoph.) in œcon. eandem artem exercuit. Sed ne longiùs excurram, satis agriculturæ laus ex nostro versiculo apparet, quæ cum mundo, & primo homine cœpit, & à Deo præcepta est homini innocenti omnium hominum capiti; ideoque D. August. (August.) eam vocat artem innocentissimam, licet eam Faustus Manichæus damnaret, quòd agricolæ segetes demetendo, nec non pira, cæterasque fruges carpendo, vita priuarent, quo sapientior fuisse videtur Poëta 1. Georg. (Virg.)

O fortunatos nimium, sua si bona norint
Agricolas! quibus ipsa procul discordibus armis,
Fundit humo facilem victum iustissima tellus. &c.
Hanc olim vitam veteres coluêre Sabini,
Hanc Remus, & frater. Sic fortis Hetruria creuit:
Scilicet, & facta est rerum pulcherrima Roma.
Aureus hanc vitam in terris Saturnus agebat.

לְעָבְדָהּ *vt operaretur eam*, nempe paradisum, quod Aben Ezra (Aben Ezra.) pro irrigare sumit, & לְשָׁמְרָהּ *lesamra*, custodiret, explicat, arceret bestias ab eius deuastatione: quod Rabbini teste Bereschit Rabba nō ad externum, & prophanum cultum, sed ad spiritualem, & sacrum referunt, seu ad sacrificia, quæ Adam' in paradiso immolare debuit, vt inde Deus placatus, terræ debito tempore pluuiam largiretur; volunt enim sacrificia causas esse pluuiarum, & influentiarum cœlestium, adeout omnes stellę vim, & dominium habeant supra creaturas inferiores. Vnde aiunt super tribus rebus mundum consistere, super lege, cultu, & pietate, quod dicunt ob עָבַד, & שָׁמַר *Habad*, & *Samad*, quæ tunc in Scriptura habentur, cum de sacrificiis, & cultu diuino agitur. Aben Ezra refellit illos Hebræos, qui hæc duo verba non ad hortum paradisi, sed ad terram referunt, quod eis *He mappic* imposuerit fœminini generis relatiuum non satis attendentes. גַּן esse fœminini generis potiùs quàm masculini, quod tam *ganim*, quàm *ganot* habet in plurali: Verùm æque גַּן masculinum, ac גַּנָּה fœmininum est. (גַּנָּה explicatur.) Relictis autem Rabbinis, notandum est עָבַד pluribus verbis à 70 efferri præter hunc locum: nam Gen. 14. v. 4. (Gen. 14. & 15.) illud per δουλεύω i. seruio; c. 15. v. 13. per δουλόω. i. seruituti subiicio, & alia verba similia λατρεύειν Isai. 54. v. 17. (Isai. 54.) λατρεύω Exod. 3. v. 12. (Exod. 3. & 10.) λειτουργεῖν Num. 4. v. 24 (Num. 4.); per θύω sacrifico Exod. 10. v. 7. θυμιάω adoleo Ierem. 44. v. 3 (Ierem. 44.) προσκυνεῖν adoro Psal. 95. v. 7. (Psal. 95.) φοβέομαι timeo Esai. 66. v. 14 (Esai. 66. & 43.) ἵστημι sto 4. Reg. 24. v. 28 ἀντέχομαι defendo Esai. 43. v. 24. κρατεῖν c. 32. v. 17. καταδυναστεύειν opprimo Exod. 1. v. 13. ἐξαίρω tollo è medio Ezech. 20. v. 39. βδελύσσω abominor Exod. 1. vers. 13. explicant, שָׁמַר *Samar* non paucioribus exprimunt, sed quæ ferè ad custodiam, & dilectionem referuntur.

Quis fructus ex prædictis decerpi potest? (Tropolog.) Nunquid monemur, vt nos ipsos in paradiso Ecclesiæ Catholicæ custodiamus, ne fides dęmonis suasione nobis eripiatur, & gratiam deperdamus, sicut Adam paradisum? An sicut primi parentes seipsos velut operari debebant sese virtutum exercitiis perficiendo, ita nos perficere, & animum nostrum excolere debemus, cùm vita nostra sit agriculturæ similis; nam Deus fidē, spem, & charitatem, cæterasque virtutes animę

implantauit, vt arborum instar fructum tempore suo ferat, è qua malæ cogitationes,& vitia, vt lolium, & zizania eradicanda sunt; imber est, diuina gratia, & inspirationes : venti sunt, tentationes, quibus arbores purificantur,& solidantur, messis, vita æterna: solis calor, feruor amoris: & *qui seminant in lachrymis, in exultatione metent*; nam ad Galat.6. *tempore suo metemus*; pulchrè c.6.Eccli.comparatur is, qui accedit ad sapientiam, ei, qui arat: alios fructus morales,& mysticos quispiam ex prædictis facilè colligere poterit. Superest, vt aliquid in Lutherum aduertamus, qui hîc ait Monachorum, & Monialium vitam otiosam condemnari, quod sequenti quæstione soluemus. Ad Galat. 6. Eccl. 6.

QVÆSTIO XXVI.

AN MONACHI, ET MONIALES, AD TERRAM colendam, vel alia opera manualia exercenda teneantur.

SI literis sacris fidem adhibere velimus, statim fatebimur vitam contemplatiuam, in qua Deo semper adhæret anima, perfectiorem esse qualibet vita, quàm vel actiuam, vel etiam mixtam vocant: de illa siquidē Christi locuples habemus testimoniū, dū Magdalenā Marthæ lōgis parasāgis anteponit; ratio est, quia vita illa sublimis actiuæ finis est, qui mediis quibuslibet anteponendus est: illa cœlestis,& angelica, hæc corporea,& animalis: illius supremum naturam diuinam, & illius supremum solam rationem attingit; huius infimum res elementares, illius verò res animatas, easque sensitiuas: Possem hîc magnam Patrum cathenam aduersus Lutherum afferre: verùm quid prosint ei, qui se omnibus Patribus tam Græcis, quàm Latinis anteponit? Sola igitur ratione conuinco.

Certum est hominum finem vltimum esse perennem cum diuino numine conuersationem, & beatam visionem, ad quam quo propiùs aliquis, siue in patria positus, siue adhuc peregrinus in via accesserit, eo melior, & laude potiori dignior est; atqui propiùs ad Deum accedunt, qui sæpius de eo cogitant, ac magis diuinam eius bonitatem diligunt, quales sunt, qui vitæ contemplatiuæ, verèque monasticæ student; testes sunt illi Sancti insignes, qui choris intererāt Angelorum, tametsi peregrinarētur in terris, S. Paulus heremita, S. Antonius, Athanasius, Basilius, Chrysostomus, Augustinus, Nazianzeni duo, Francisci tres, Assisius, de Paula,& Xauerius, S. Dominicus,& alij innumeri, qui cum infinita prope Monialium turba vitam contemplatiuam, non autem agriculturam, aut simile opus exercente, æternum Luthero silentium imponunt; taceo Reges, principes,& eorum seruos præcipuos, quos proinde Lutherus damnaret, si quilibet agricolationi studere tenerentur, cui nonnulli vel sponte, vel sorte, vel Republica iubente ad id assumpti, atque destinati abundè sufficiunt.

VERSICVLVS XVI. ET XVII.

XVI. *Præcepítque ei dicens : ex omni ligno paradisi comede :*

XVII. *De ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas: in quocúnque enim die comederis ex eo, morte morieris.*

וַיְצַו יְהוָה אֱלֹהִים עַל־ הָאָדָם לֵאמֹר מִכֹּל עֵץ־הַגָּן אָכֹל תֹּאכֵל׃ *XVI.*

וּמֵעֵץ הַדַּעַת טוֹב וָרָע לֹא תֹאכַל מִמֶּנּוּ כִּי בְּיוֹם אֲכָלְךָ מִמֶּנּוּ מוֹת תָּמוּת ׃ *XVII.*

XVI. Καὶ ἐνετείλατο κύριος ὁ θεὸς τῷ Ἀδὰμ, λέγων, ἀπὸ παντὸς ξύλου τοῦ ἐν τῷ παραδείσῳ, βρώσει φαγῇ.

XVII. Ἀπὸ δὲ τοῦ ξύλου τοῦ γινώσκειν καλὸν καὶ πονηρὸν, οὐ φάγητε ἀπ' αὐτοῦ. ᾗ δ' ἐν ἡμέρᾳ φάγητε ἀπ' αὐτοῦ, θανάτῳ ἀποθανεῖσθε.

VErsiones eatenus discrepant, quatenus vna maiorem emphasim habere videtur, Hebræa videlicet, quæ sic habet; *& præcepit Dominus Deus super Adam dicendo, de omni ligno horti, seu paradisi comedendo comedes*; sic ferè Vatablus. Vatabl.

Et

Et de ligno sciendi, vel scientiæ boni, & mali non comedes ex eo, quia in die quo comederis ex eo, morte morieris. Ex quibus constat præceptum diuinum, & pœna transgressioni imposita. Iunius pro *vatsau* quod vertimus, *& præcepit*, habet *interdixit*: : meliùs tamen editio nostra, cui Vatablina, & aliæ Catholicæ suffragantur, imo & hæreticæ; vt apud Munsterum, Mercerum, & alios videre est: tametsi fatear per *veto, & prohibeo* verti posse, si particula negatiua sequitur, quę cùm in 16 versiculo nulla sit, optimè legimus *præcepit*: fauent & 70, qui per ἐντέλλομαι verterunt, non tantùm hîc, sed & multis aliis in locis, vt ipsi nouatores liberè fatentur. Mercerus in lexico, Kircherus in concord. vbi 100 loca, pluráque refert, in quibus 70 verterunt צוה *tsiua*, per ἐντέλλομαι .i. præcipio: vnde patet quantum Iunius cum suo Tremellio reprehendendus sit, qui vulgatam editionem minimè sequitur, & à cæteris interpretibus sine causa recedit, quod semel pro semper dictum esse velim. Sumitur etiam pro commendo, ordino &c. cùm autem significat veto construitur cum præpositione על, vt notat Aben Ezra.

Præcepit ergo Deus: sunt autem 2 præcepta primum est affirmatiuum, quo præcipit, vt comedant de omni ligno paradisi; secundum est negatiuum, quo fructum vnum excipit, quem prohibet. Tametsi verò solùm Adam legamus, speciei nomen intelligo, quia tam Eua, quam Adam præceptum audierunt. Eapropter Hebræi quidam aiunt eandem esse vocem secundæ masculinæ, & tertiæ fœmininæ, & תאכל ex ęquo ad vtrúmque pertinere, ac si diceret, *comedes tu vir, & comedet fœmina* ob sexus imbecillitatem, quia patiens est, non agens, atque adeò velut absens consideratur, vbi homo vices agentis obtinet.

Quæ possunt ex 70 confirmari, qui cùm in singulari primum præceptum expressissent, secundum in plurali explicant οὐ φάγητε *ne comedatis*. Nec insolitum est Mosi, vt vnum, quod posterius factum est, priùs enarret, ne multoties idem repetere cogatur; sic enim, ad imaginē eos esse creatos ait, præcipitque, vt crescant, ac multiplicent, antequam Euæ formationem describat. Quod Hebręus ait *acol tokel*, comedendo comedes, certitudinem denotat, vel sensum auget: nec putes lignum edule fuisse, sed eius fructum, sic enim loqui consueuerunt, vt cùm dicitur, vnusquisque comedet vitem, & ficum suam .i. fructus vitis, & ficus, seu racemos, & grossos. In præcepto negatiuo quidam aduertunt relatiuorum repetitionem Hebræis familiarem, idque ad emphasim, & maiorem expressionem: ac si Deus ita præciperet, ne tantillum quidem de illa comedes. Gustum verò prohibitum fuisse volunt alij; secus verò R. Isaac
R. Caro. Caro sentit, qui existimat gustum solùm minimè nociturum, quia non soluitur ieiunium gustatu, nisi ederis: sed hæc postea discutiemus: superiùs autem de illa arbore scientiæ boni, & mali satis egimus, quæ referri videbatur ad mali, boníque cognitionem practicam; tametsi enim agnoscerent malum, & peccatum speculatiuè, tamen illud non erant experti, & in statu tam fœlici constituti, bonóque intenti, vix de malo cogitabant, ad illud non aduertentes fœlicitate, & rerum copia inebriati: sic enim diues nescit, quid sit paupertas, & vbi est copia, nescitur quid sit inopia. Statim verò post inobedientiam boni, malique discrimen in pœnam peccati cœperunt agnoscere, & quantum bonum esset Deo adhærere, & parere, quantum malum ab eo deficere, atque recedere. *In quocunque die* .i. quocúnque tēpore, vel momento: morte morieris, quæ geminatio certitudinem significat, & tam corporis, quàm animæ mortem inuoluit. Hebræi quidam existimant non fuisse mortuum statim atque peccauit Adam, sed ei 930 annos concessos esse, quia pœnituit eum transgressi præcepti. Alij sic explicant, *mortalis eris*, iuxta id Symmach. Symmachi θνητὸς ἔσῃ: ac si antea mori non debuissent: hinc plures hominis status distingunt: in quorum primo nostri parentes poterant non mori, in hoc nostro non possumus non mori; in beatitudine non poterimus mori: alij sic volunt: *reus eris mortis*, seu *morte punieris*. Nehemanides verò sic Nehemanides. ait *citius morieris, quàm aliàs*, quia in arbitrio meo erit te occidendi, quandocúnque voluero, nec attinges terminum vitæ præscriptum, si iustitiam meam in te exerceam; quomodo id Salomonis 3 Reg. 2 explicat, cùm Semei mortem comminatus est, quacunque die egrederetur, & transiret torrentem Cedron. 3 Reg. 2.

Volunt autem Hebræi mortem animæ, & corporis intelligi, nam si caro peccat absque spiritu, inquiunt, cur anima punitur? Num aliud est, quod peccat, & aliud est, quod punitur? Quin potiùs sic se res habet, quod ambo vnâ peccant. Exēplum afferunt de claudo, & cœco, qui custodiebāt hortum arboribus consitum. Accidit enim vt rex quidam hortum haberet amœnissimum, & in eo omnis generis fructus plantatos. Verùm custodes horti fructum eius perpetuò absumebant, adeout non posset inuenire custodes fideles, qui custodirent hortum, & de fructibus eius non ederent: tandem in mentem eius subiit, vt introduceret in hortum claudum, & cœcum, sic apud se cogitans: claudus non poterit conscēdere arbores, & cæcus si ascenderit, non poterit inuenire fructum. Post aliquot dies inter se consultarunt claudus, & cœcus, vt cœcus per claudum in humeros suos sublatum fructus de arboribus carperet, atque ita factum est, vt ambo peccarint: quæ parabola non ita ad rem esse mihi videtur, ideóque pergo ad vtiliora.

QVÆSTIO XXVII.

QVÆNAM AD NOS HIS DE VERSIBVS vtilitas redundare possit.

MVltiplicem profectum ex his duobus versibus excerpere possumus: Primùm enim Deus hominem, cui tanta commiserat, & quem velut mundi totius regem constituerat, ex legē viuere noluit; ideóque præceptum imposuit ei, vt sui officij admoneretur, vt suū conditorē, & dominū

agnoſceret, ex cuius nutu penderet, & arbitrio, ſic enim vnius arboris, vel fruct⁹ prohibitio, obſequij exame fuit, idq; meritò, vt primi homines ad diuini reuerentiam ſtatim aſſueſcerent. Sed in eo mirabilis apparet diuina bonitas, quòd exigat pauca, & leuia: tametſi multa, & perampla cōtulerit. Et quidem ex hoc loco facilè probatur opera bona, quæ præcipit Deus, eſſe præcepta, vt impleantur, & nos
Math. 7. ad ſalutem perducant; alioquin enim *omnis arbor, quæ non facit fructum, excidetur.* Matth. 7 ac proinde ad ſalutem eſſe neceſſaria.

At quàm facile fuerit illud præceptum, non eſt, qui non videat, quis enim nō ei obtemperaret, qui nos cōdidit, cuius liberalitas erga nos profuſiſſima; qui tam benignè, & comiter nos inuitat ad ſuum mandatū amplectendū; nūquid Deū ipſum audire mihi videor, qui dicat; videtis arborum omnis generis ita delicioſarum in hoc lōgè omnium amœniſſimo horto copiam: harum omniū vobis plenā poteſtatem facio, vobis omnia permitto, veſcimini quarumlibet fructibus, tātum vero, ne fructum hunc arboris ſciētiæ boni, & mali non comedatis, vt iam nemo ſit, qui non iudicet eſſe mirabile, quomodo primi parentes hoc pręceptū trāſgreſſi ſunt. Multæ difficultates hîc occurrūt, ſed quæ aliàs ſolui poſſint, vt quæ ſit inter pręceptum affirmatiuū, atque negatiuum differentia: quod ſtrictiùs obliget; an aliquod præceptum eſſe poſſit, quod non obliget: & an ex intentione, aut verbis præcipientis, vel ex ipſa rei materia, quæ præcipitur, aut etiā aliunde naſcatur obligatio. Verùm vnicam quæſtionem circa hunc verſiculum agitabo, videlicet, an Adamus teneretur comedere, ſi non de omni, ſaltem de aliquo fructu paradiſi: & quot occurrāt, in quibus poteſt homo defectu cibi mortem ſibiipſi inferre, vbi reliquas iſtius verſiculi vtilitates delibauero.

Sanè cogimur fateri maximam eſſe hominis imbecillitatem, quem neque tāta beneficia, neq; pœnarum metus in officio retinuēre; qui mortis periculum ſubire maluit, quàm ab vno fructu, quo nō indigebat, abſtinere. Nec eſt, quod vrgeat aliquis Deum crudelem videri, qui præceperit illud, quod
Ad Rom. 9. optimè ſciebat non obſeruatum iri, maximè cùm aliud præcipere potuiſſet, quod obſeruaſſet, & homines immortales facere poterat. Fruſtra conqueritur figmentum de figulo, vt patet ad Rom. 9. nunquid obſecro noſter Adam⁹ ſcire debuit ſe dominū habere? vnde ſciret, niſi Dominus iuberet aliquid? quomodo iuberet ſine præcepto? & quidem neſcio, quod leuius præceptū Deus impoſuiſſet. Adde quod cum fidelem eſſe oportuit creatori ſuo, vt autem fidelitas appareat, aliquid obſeruandum cōmmitti debet: debuit obedientia probari, vt mereretur: nec fuit nobis inutile, vt in Adami fragilitate noſtram intueremur, & in Dei timore, atque præſencautè ambularemus, iuxta 1. ad Cor. 10. *qui ſtat, videat, ne cadat.* 1 ad Corin.

Alias rationes in quæſtione aduerſus Atheos reperies, quibus Dei maieſtatem, atque bonitatem ab Atheorum calumniis vindicamus, dum irriſoriè quęrunt, cur peccatum permiſerit, ſi omnia perfectè fecit.

Poſſumus autē cum Fero hîc aduertere 3 virtutes, quibus Adam ſeſe exercere potuit, charitatem erga Deum propter ſe ſuper omnia diligendum, qui toti ei beneficia contulerat; ſpem remunerationis, ſi præceptum adeo iuſtum, & æquum obſeruaſſet, & fidem, qua firmiter credere debuit ſe mortem ſtatim incurſurum, aut certam moriendi obligationem, atque legem diuini præcepti violatione contracturum.

Quam mortem ita nonnulli explicant, vt huiuſce vitæ miſeriæ, labores, lachrymæ, dolores potiùs morti continuæ, quàm vitæ comparandæ ſint: quid obſecro conſequitur homo præter mortem, dum à Deo, qui vera eſt vita, ſeparatur? Iam poſt illud peccatum omnes morimur, & tanquam aquæ dilabimur omnes, cuius memoriam Eccleſia die Cinerum hiſce verbis refricat, *memento homo, quia puluis es, & in puluerem reuerteris:* nec eſt, quò magis aliquis proficere valeat, quàm mortis recordatione, adeout multos paganos legamus futuram mortem præuidentes illachrymaſſe, & hominum defleuiſſe miſeriam; ita Xerxes, cùm omnem exercitum contemplatus, nēminem poſt annos centum ſuperſtitem dicebat, ad quod ea referri poſſunt, quæ Damaſcenus habet in vita Barlaam, & Ioſaphat, vbi mors vnicorni comparatur, qui hominem aſſiduè inſequitur, fugit quidem ille, & in ſcrobem incidit, arborem, quam rodunt mures duo, amplectitur; in ima ſcrobe videtur draco igneus homini deuorando inhians, qui tamen melli modico incubat, quod ſtillabat ex arbore, vbi periculi obliuiſcitur; cum vnicornis aſſequitur; à muribus corroditur arbor, quę ruit, & homo à dracone voratur, ſcrobem dicas mundum; vitam arborem, mures duos, diem & noctem: draconem igneum, ventrem inferni: mellis guttam, mundi voluptatem. ita Damaſc. cap. 12. hiſtor.
Xerxes.
Damaſcen.

Multæ etiam quæſtiones hîc occurrunt, vt an homo reuera futurus erat immortalis, ſi non peccaſſet. An & quando transferendus eſſet in empyreū ad beatitudinis conſortiū; quænam eſſet arbor ſcientiæ boni, & mali, & cætera, quæ vel quæſtionibus, vel problematibus ſoluo breuiter, vt probè ſciamus, quæ certa ſunt, quæue incerta, ideóque ab iis incipiam, quæ ad 16 verſiculum attinent.

PROBLEMA

QVare Deus *præceptum illud impoſuit, quod ſciebat non obſeruandum.* An quia Deus agere debuit cum homine iuxta ſtatum præſentem iuſtitiæ, non verò futurum? in eo ſiquidem ſtatu conſentaneum erat, vt aliqua lege Deo obligaretur.

An Deus ideo iuſtus eſt, quia tametſi violatam iri ſciret legem à ſe latam, non eo tamen cōſilio dedit: vt non cuſtodiretur, nec talem, quæ non facili negotio ſeruari poſſet, cùm in eius manu poſuerit, vt eam vel ſequeretur, vel reiiceret, liber enim & ad vtrumque flexibilis erat, alioqui nulla lex hominibus ferenda eſſet, cùm leges pauciſſimi cuſtodiant.

Nunquid

3 Nunquid astra induxerunt Adamum, vt peccaret? at hoc ridiculum est, quandoquidem astrorum cõditor Eccles. 15. *ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui, adiecit mandata, & præcepta sua, si volueris mandata seruare, seruabunt te, &c. Apposui tibi aquam, & ignem, quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita, & mors, bonum, & malum, quod placuerit, dabitur illi.* Nunquid Deus

Eccles. 15.

4 Adamum præcepto positiuo voluit obstringi, & ad obedientiam prouocari, quia tametsi legem naturalem velut innatam rectæ rationi conformem haberet, hæc tamen velut proprietas naturæ rationalis existimari poterat, vt est instinctus, & propensio in animalibus; atque adeò per eam homo minimè satis intellexisset se Deo, & domino alicui subditum esse, vt patet in ijs, qui ea faciunt, non quia vult Deus, sed quia sunt rationi congrua, imo licet omnes scirent eam legem à Deo inditam, non sufficit, nisi vt sciamus nos Deo obstringi per legem, quæ rectæ rationi conformis est: tunc autem diuinum imperium in nobis absolutum non est, sed quatenus ratione nititur: debuit ergo præceptum esse de re, quæ ex se neque bona, neque mala esset, vt meliùs obedientia probaretur, & maiori compensaretur præmio; nam eo perfectior est obedientia, quò minùs obediens ad rem præceptam respicit, quòue magis voluntatem, auctoritatem, & potestatem imperantis contemplatur. An fortè præceptum positiuum imposuit Deus, ne si naturale fuisset, eo posteri obligarentur? nam præcepta, 5
quæ sunt de iure naturæ, vbique, & semper obligant: vt enim ait Arist. 5. eth. c. 7. ius naturale semper, & vbique est, sicut ignis ardet hîc, & in Persis: & confirmatur Exod. 20. vbi præcepta Decalogi tradita cunctos obligant. Iam verò præceptum illud datum Adæ non obligat posteros, neque forte tunc obligasset, licet omnes perstitissent in statu innocentiæ, nam eis Deus alia præcepta potuisset imponere; nec puto Henoch, & Eliam hoc præcepto obstringi, tametsi eos in terrestri paradiso colloces.

Aristot.

Exod. 20.

Non erit autem inutile, si 5 genera legum diuinarum obseruemus, quarum prima sit naturalis vnicuique indita, omnes obligans. Secunda supernaturalis fidei, spei, & charitatis omnes, & semper obligans, non quidem naturali, sed Dei supernaturali munere. Tertia est lex ceremonialis, atque iudicialis solos Iudæos olim obligans: Quarta, est lex Euangelica, quæ non semper, sed tamen omnes obstringit, qualis est lex Baptismi suscipiendi. Quinta denique, quæ non omnibus, sed vel vni, vel paucis imponitur, qualis est lex Adamo posita.

5. Genera legum diuinarum.

PROBLEMA

QVomodo lex Adamo, & Euæ imposita est, cum iustis lex non sit posita, inquit D. Paulus, iusti autem fuerint primi parentes? Nunquid Paulus ex cõmuni vsu vitæ loquitur, nempe eos non esse legis necessitate cogendos, qui sponte currunt, & vulgò aiunt ex malis moribus bonas leges esse natas; cùm enim lex tria habeat, videlicet obligare, dirigere, & coërcere, siue punire, erga iustos vltimum non exercet, quippe qui amore iustitiæ, & obedientiæ, quæ legis sunt, faciunt, non pœnæ timore, quam lex transgressoribus minatur: quo sensu Chrysostom. ait iustum non esse sub lege, sed supra legem, quia qui in lege est, inquit D. August. in psalm. 1. secundum legem agit, & liber est; qui verò sub lege est, potiùs agitur, & seruus est.

Ad Tim. 1.

Lex tria habet.

Chrysost.

August.

An illa verba de renouatione legis intelligenda sût, quæ in tabulis, aut libris scribitur, quæ minimè propter iustos scribitur; eam enim in cordibus suis scriptam habere quotidianis operibus probant, cùm peccatores eius obliuiscantur; viuunt enim, ac si legem non haberent, ita ferè D. Ambros. in psal. 36. An quia iusti etiam tum operaturi essent, tametsi vel non esset lex, vel flagello non terreret, & nullam pœnam minaretur, iuxta pi.

Ambros.

Oderunt peccare boni virtutis amore,
Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

Qua ratione primi parentes in statu innocentiæ fuerunt in Dei lege, contra illos, quos Luther. in 1. Genes. ait affirmasse prohibitionem hanc ligni scientiæ boni, & mali non fuisse præceptum, vel legem, sed tãtùm admonitionem, qualis est Medicorum, qui noxia prohibent ex quibus præterea concludi potuisset nullum esse peccatum originale, cùm sine lege nulla sit præuaricatio; ob quam conclusionem magnos agebant triumphos eiusmodi fanatici, ac si thesaurum mundo hactenus incognitum reperissent. An igitur Apostolus de lege loquitur, quæ post peccatum lata fuit peccatoribus, ἀνόμοις ex legibus, nam 1. Ioh. 3. peccatum ἀνομία vocatur? sic enim verba Græca innuunt; 4
εἰδὼς τοῦτο, ὅτι δικαίῳ νόμος οὐ κεῖται, ἀνόμοις δὲ καὶ ἀνυποτάκτοις ἀσεβέσι, καὶ ἁμαρτωλοῖς, ἀνοσίοις καὶ βεβήλοις, πατρολῴαις μητρολῴαις, ἀνδροφόνοις, πόρνοις, ἀρσενοκοίταις, ἀνδραποδισταῖς, ψεύσταις, ἐπιόρκοις, καὶ εἴ τι ἕτερον τῇ ὑγιαινούσῃ διδασκαλίᾳ ἀντίκειται, id est, sciens hoc, quia lex iusto non est posita, sed iniustis, & non subditis seu inobsequentibus, qui refractarij sunt, & rebelles (de quibus Ierem. cap. 2. loquitur, *dixisti non seruiam*,) impijs, & peccatoribus, sceleratis, (seu irreuerẽtibus, ab ἄζομαι reuereor,) & contaminatis, seu prophanis, patricidis, & matricidis, homicidis, & fornicariis, masculorum concubitoribus, plagiariis, (id est, qui liberos in seruitutem redigunt, & eos vendunt pro mancipiis, vel qui aliena mancipia raipunt, vnde plagium furtum appellant, quod Deut. 24. morte plectitur,) mendacibus, & periuris, & si quid aliud sanæ doctrinæ aduersatur.

1. Ioh. 3.

Ierem.

Plagium quid?

Deut. 24.

His igitur legem impositam esse ait Apostolus; verùm qui sic interpretantur, errãt, nisi quid aliud addiderint, nam Adamo iusto lex posita est, sicut & Abrahamo lex circuncisionis, vt esset signaculum iustitiæ fidei ad Rom. 4. adde quòd vnicuique iusto lex naturæ diuinitus indita fuit: hinc patet sibipsi contradicere Lutherum, qui simul fatetur legem Adamo tametsi iusto impositam, & tamen Apostolum de sola lege verba facere, quæ post peccatum tradita est. An meliùs sentiunt, qui scopum Apostoli considerantes, aiunt Iudæos alloqui; quos ideo reprehendit, quod iustis, nempe Christianis, legẽ Mosis positam esse arbitrarentur, iuxta id Deut.

ad Rom. 4.

Deut. 27.

27. *Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, vt faciat ea*, cùm tamen legem istam solis Iudæis positam esse dicat, qui ideo iniusti erant, quòd volentes suam stabilire legem, & iustitiam, se exleges Christi, & veræ iustitiæ faciebant. Itaque lex posita est, vt eius virtute legislatores malos puniant, atque à facinoribus deterreant, à quibus non est, quòd minis, & pœnis bonos auertas, cùm suopte nutu bonum amplectantur, virtutibus sese exerceant, & vitia declinent. Hac ergo ratione D. Paulus nos à legis iugo liberos esse ait, cùm spiritu gratiæ, & amoris, ad ea quæ postulat à nobis Deus, libentissimè feramur expectantes beatam spem, & aduentum vltimum Domini nostri Iesu Christi.

QVÆSTIO XXVIII.

AN DEVS PRÆCEPERIT, VEL TANTVM consuluerit primis parentibus, vt de omni fructu paradisi comederent, & an homines ad comedendum teneantur.

QVædam in hac quæstione certa sunt apud Theologos, incerta alia: certa sunt, Deum Adamo præcepisse ne de fructu arboris scientiæ boni, & mali comederet, siue id interna inspiratione, siue voce per se, vel angelum Deus id iusserit: solius Euæ transgressionem non fuisse causam, cur posteri nascantur in peccato originali, sed Adami, adeout nisi peccasset ipse, iustitia primaria permansura fuerit. Incertum verò an hoc præceptũ soli Adamo immediatè factum fuerit, quod postea coniugi declararit: an hic duo præcepta inuoluantur, vt superiùs dixi, & censet D.Thom. 1. p. q. 97. a. 3. & opusc. 3. c. 218. an verò solum negatiuum de non comedendo, vt alij volunt, ex eo quòd satis ad cibũ homo sine iussu feratur, & mulier serpenti respondeat, *de fructu lignorum, quæ sunt in paradiso vescimur, de fructu autem ligni, quod est in medio paradisi, præcepit nobis Deus, ne comederemus*: ex quibus verbis eliciunt esum sub præceptum non cecidisse; vbi certũ existimo non obligatos fuisse, vt de omni ligno comederent: à quocunque enim in particulari abstinere potuit Adam, sicut & Eua, nam ad summum id præcepit Deus, ne defectu cibi deficerent: nam appetitus calidi, & sicci, seu fames statui innocentiæ non repugnabat, sicut neque sitis, quæ est frigidi, & humidi appetitus, dummodo nullam ei molestiam adiunxeris.

D.Thom.

At cùm incertum sit, an his versiculis præceptum de comedendo contineatur, altiùs rem totam repetemus, an videlicet Adamus cum coniuge teneretur aliquid comedere, ne morte afficerentur, & an quilibet homo ea lege obstringatur.

Imprimis autem nullum videtur esse præceptũ, si prædictum excipis, quo aliquis comedere teneatur, nisi recurras ad illud commune, quo prohibetur homicidium, *Non occides*: quod licet ad solum proximum pertinere videatur, quemlibet etiam respicit, adeout vnusquisque vitam suam seruare teneatur, sicut & alienam.

Verùm dubitandi rationes afferamus; sicut alicui licet aliquod vitæ genus eligere, in quo vitæ suæ breuiores terminos futuros esse certò nouit, non tantùm quãdo id vergit ad maiorẽ Dei gloriã, vt patet in Martyribus, qui Dei honorem vitæ suæ anteponunt, quam idcirco libenter exponunt, & impendunt: & in Religiosis, quorũ aliqui vitam solitariam eligentes, à carne perpetuò abstinent, tametsi ouis, & lacticiniis vti possint, vt Chartusiani, alij etiam ab ipsis ouis, butyro, caseo, lacticiniis, & omnibus, quæ quomodocunque ex carne procedunt, vitam quadragesimalẽ ex voto perpetuam ducentes, abstinent, vt soli Minimi, alij nudis incedunt pedibus, & durissimas hyemes libẽter perferunt, vt Franciscani rigidiores, quos Capucinos, & Recollectos, & id genus alios vocant: non solùm inquam huiuscemodi licet vitam suam decurtare, & genio detrahere, sed aliis, qui diuersis laboribus sese conficiunt, vt quibusdam magnatibus, & dominis suis placeant. Mitto eos, qui non sine ingenti laude vitam pro patria, pro amicis, pro virtute negligunt, vt ad eos accedam, qui carceribus mancipati, & ad inediam condemnati, victu oblato, possunt non comedere, eâque ratione sibiipsis mortem inferre. Quod autem faciunt, quia id præcepit iudex, nunquid & primi parentes facere potuerunt, maximè post peccatum, vt sui peccati essent ipsi vindices, ac diuinæ iustitiæ sententiam exequerentur: nunquid etiam in statu originalis iustitiæ potuerunt nullum fructum comedere, vt citiùs per mortem beatitate fruerentur, ac breuiori tempore viatores essent?

Chartusiani

Minimi.

Capucini. Recollecti.

Confirmatur ex eo, quòd æger graui morbo conflictatus, quem communi calculo Medici statim è viuis iudicant excessurum, nisi auro potabili, vel quinta essentia anisi, vel alia quauis medicina vtatur, ad quam sibi cõparandam necesse est omnes suas diuitias expendat, vel ex magna parte, non teneatur, omnia sua bona insumere, imo nec summã notabilem pecuniæ, vt mortem vitet, imo fortè poterit æger omnem recusare medicinam, & se totum Deo, morbóque permittere, Sanctorum aliquorum exemplo; legimus enim, vt cæteros in præsenti taceam S. Franciscum de Paula ne tantillum quidem carnis deglutire voluisse, etiam si morti proximus esset, sed eam tantùm osculatum fuisse, & etiamnum Chartusiani ad Ordinis sui decus obseruandum carnem non gustant, tametsi in extremis fuerint.

S. Frãciscus de Paula.

Quibus omnibus breuiter satisfacio; & quidem nullus in dubiũ reuocat, quin Martyres vitã ob veritatẽ fidei profundere non tãtùm possint, verũ etiã debeant, quãdoquidem honor diuinus, quẽ homines tueri debent, cuilibet hominis vitæ anteponẽdus est, & ipse Deus id iure reposcit. Alij verò qui genus aliquod vitæ suscipiunt, in quo vita breuior esse solet, non ideo suscipiunt, vt vitam decurtent suam, aut vllum periculum sibi ipsis creẽnt, aut mortem accelerent, sed vt in eo statu animæ saluti meliùs

meliùs consulant, & vitam animæ sibi comparent excellentiorem; vbi plurimæ quæstiones fieri possent, quas omitto, vt quot annis aliquis vitam abbreuiare possit, vt meliorem statum arripiat, & an vbi præuidet se 30 tantùm, aut 40 victurum annos in aliqua religione strictiori, vbi vel in faciliori, vel in mundo inter amicos, 60, aut 80, vel etiam 100 annos degisset incolumis, illum austeriorem vitæ tenorem amplecti licitè valeat.

Quæstio ferè similis excitari potest de iis, qui diu, noctuque suo Principi deseruiunt, atque tam improbo labore se conficiunt, vt vita eorum longè breuior futura sit, qui cùm vitæ suæ breuitatem, aut mortem non intendant, sed Regis, aut Principis licitum, & laude dignum obsequium, eos laborem prædictum exantlare posse credidero.

Rei verò ad inediam, vel aliquod mortis genus condemnati, quibus tamen non præcipitur, vt suiipsius vindices existant, non tenentur sibi mortem inferre, tametsi iudex illud iuberet, non enim tantum hominis quamuis iudicis in alterum hominem dominium est, vel imperium, vt ad carnificinam illam reum ipsum obligare possit; natura enim ab isto suiipsius homicidio abhorret; adde quòd illud exemplum desperati arriperent, cùm sibi ipsis mortem inferunt; dicerent enim se impios esse, ac proinde ipsos de seipsis vindictam sumere.

Primi parentes autem non potuerunt se fami permittere, qua morerentur, siue id propriæ iniquitatis vindictæ zelo, siue spe beatitudinis facerent, quandoquidem non habebant vitæ, necisque suæ potestatem, quæ penes Deum solùm erat; quapropter sub lethali comedere tenebantur, non quoties vrgebat fames, sed quoties ex fame morbus grauior, aut etiam mors sequi poterat.

Restat vltima difficultas, quæ aliquando mihi proposita fuit, de qua ita sentio: si dubius sit an morbo liberãdus est, tametsi auro potabili vtatur, vel aliquo alio remedio, quod nisi maximo pretio, vt dimidio omnium bonorum suorum, vel potiori parte comparari nequit, se tunc Deo permittere potest, nec tanti dubiam vitam emere tenetur. Si tamen omnino certus esset se morbum omnem euasurum, si licito remedio vteretur, quod magno pretio emendum esset, illos sumptus expendere deberet, nisi fortè tanta summa foret, vt exinde vitam miseram degere cogeretur, tunc enim honesta mors vitæ adeò calamitosæ anteponi potest; sicut is mortem eligere valet, vbi quis ei proponit dolores maximos antea tolerandos, quàm vt de vita certior fiat, hinc non tenetur homo tibiæ, vel brachij abscissionem, aut ventris sectionem pati, vt mortem, vel calculi dolores atque cruciatus vitet: Qui plura voluerit, Canonistas adeat, & Theologos, qui de homicidio latè disseruerunt.

VERSICVLVS XVIII.

Dixit quoque Dominus Deus: non est bonum hominem esse solum; faciamus ei adiutorium simile sibi.

וַיֹּאמֶר יְהוָה אֱלֹהִים לֹא טוֹב הֱיוֹת הָאָדָם לְבַדּוֹ אֶעֱשֶׂה־לּוֹ
עֵזֶר כְּנֶגְדּוֹ׃

Καὶ εἶπεν κύριος ὁ θεὸς, οὐ καλὸν εἶναι τὸν ἄνθρωπον μόνον· ποιήσωμεν αὐτῷ βοηθὸν κατ' αὐτόν·

HEbræus in eo differt à vulgata, quòd *vaiomer*, per dixerat verti possit, vt ad diem sextum, quo homo conditus est, referatur. Vbi verò plurale legitur, *faciamus*, & *simile sibi*, habet *ehheseh*, faciam, & pro simile sibi *quenegdo*, id est, è regione illi, vel correspondens illi, vt etiã notat Eugub. 70 legunt, *faciamus adiutorem secundum eum:* Chaldaicus, *adiutorium, quasi eum*: vel vt alij vertunt, *sustentaculum, quod sit penes eum*, & velut ad manum, vt ab eo adiuuetur, & ei per omnia velut ἀντίπηχυ, è ἀντίστοιχον correspondeat ad modum tabularum agglutinatarum, vt Delrio loquitur, ex eo quod נֶגֶד *nagad* significet contra, vel ex aduerso.

Onkelus. Onkelus habet non est aptum, conueniens, rectum, nam sicut pro pulchro, honesto, congruo, & vtili καλὸν vsurpant Græci, ita & Hebræi dictionem *tob*: Quàm verò commodum fuerit habere socium, & incommodum, atque miserum esse solum, habes Ecclesi. 4. vbi fusè laudes matrimonij Hebræi prosequuntur, præsertim in Arba Turim; vnde iactant illas sententias; *Nihil esse bonum, nisi mulierem; & cuicunque non est vxor, eum non esse hominem*; & quicunque manet sine vxore, inquiunt, manet sine gaudio, sine bono, sine benedictione, sine habitatione, sine lege, sine muro, sine pace &c. quibus ostendunt magno cõmodo bonam vxorem esse, vt ipse Salomon Prouer. 3 ait; à *Domino enim vxorem prudentem venire* fatetur, tametsi diuitiæ, & hæreditas sint à parentibus; idemque ferè cap. 18. repetit; *qui inuenit vxorem bonam, & fauorem à Domino inuenit*, vel vt vera versio legit, *inuenit bonum, & iucunditatem hauriet à Domino:* quibus verbis eum respexisse aiunt ad locum hunc Gen.

Eccl. 4. · Prou.3.&18.

Faciam ergo adiutorium, quod sit coram eo, & præsto sit ad ea omnia, quæ pertinent ad rem familiarem, hinc vxor est vitæ socia, atque comes indiuidua. In *Chenegdo* vult R. Kimhi esse *caph* veritatis confirmatiuum, vt significetur vxorem non vacuum, sed verum auxilium viro futuram נֶגֶד *neged* enim, id est, coram, è regione, contra, seruiles literas assumit, & Targum vertit כְּקִבְלֵהּ *quekibleh*; מִנֶּגֶד *minneged* verò contrariam habet significatio-

R. Kimhi.

nem, idem enim est ac procul, & eminus, & vtrúque fit à נָגַד, id est annuntiauit, vnde vocant הַגָּדָה mysteriorum prædicationem, seu expositionem, quæ patres filiis suis annuntiant in nocte Paschatis, seu diei 15 mensis Nisan, iuxta cap. Exodi 13. vers. 8; quæ tria sunt præsertim, nempe פֶּסַח pesach quod ostendebat Deum ædes Israëlitarum transiliisse, cùm in Ægypto primogenita trucidaret. Deinde מָרוֹר meror indicabat amaram seruitutem, qua Ægyptij amaram reddiderunt vitam Israëlitarum, vnde significat herbam amaram. Denique מַצָּה liberationem Israëlitarum ostendebat, nam azymum significat. Volunt autem *Nagad* præsentiam, & auxilium significare, quia mulier debet esse præsto in conspectu viri, vt auscultet, & obseruet quid velit, quid iubeat, quid imperet, quemadmodum serui in conspectu dominorum suorum ad capescéda iussa adesse solent; hinc R. K. in libro radicum circa radicem עֵזֶר, ait vxorem auxilio esse debere viro, eique ministrare, vt sit in conspectu eius ad ei iugiter inseruiendum, Onkelus vertit fulcrum, adeout ita se iuuare debeant, sicut duo homines in leuando aliquo magno onere, cùm sibi mutuas manus auxiliatrices porrigunt. Circa particulam vltimam כְּנֶגְדּוֹ R. Salomon ita philosophatur.

Exod. 13.

Si vir innocenter vixerit, adiutorium erit ei vxor, sin contra, stabit aduersus eum ad præliandum. Deus ergo tametsi omnia animalia produxisset, quæ possent Adamum iuuare, fœminam præterea creare voluit, eamque Adamo similem, vnde quis sine periculo concludere possit æqualis fuisse cum viro suo magnitudinis; quanquam id positum esse videatur, vt quod antea de homine dictum fuerat ad imaginem, & similitudinem Dei composito, idem de Eua affirmetur, non quidem immediatè, sed viro intermedio, vt intelligeret mulier se propter hominem factam, cum triplex bonum commune habet, ad quod viro in adiutorium facta est, vt D. Augustin. eleganter ostendit. *Hoc enim*, inquit, *tripartitum est, fides, proles, Sacramentum. In fide attenditur, ne propter vinculum coniugale, cum altera, vel altero concumbatur. In prole, vt amanter suscipiatur, benignè nutriatur, religiosè educatur. In Sacramento autem, vt coniugium non separetur, & dimissus, aut dimissa, nec causa prolis alteri coniungatur. Hæc est tanquam regula nuptiarum, qua vel naturæ decoratur fœcunditas, vel incontinentia regitur prauitas.*

August.

Est autem aduertendum post Adæ creationem minimè dictum fuisse, vidit Deus ea, quæ fecerat, & erant valde bona, quia tametsi bonus esset Adam, imo cæteris creaturis in 5 diebus enarratis longè anteponendus, non ita tamen bonus erat, vt hominibus mundum replere posset, nec cum belluis ita familiariter conuiuebat, ideoque fœmina ei similis adiuncta est, nam ex similitudine procedit amor, & sicut terra cœlo, ei subdita est.

Hinc etiam habemus mulierem esse rationis participem, & in se Dei similitudinem gerere, atque solo sexu à viro differre; virum tamen in multis fœmina nobiliorem esse infrà conuincemus, vbi de vtriusque præcellentia disceptabimus.

An verò liceat iam quibuscunque vitam agere solitariam, & num hæc sit excellentior, & ad Deo meliùs seruiendum aptior, aliàs disquiremus.

Sunt & alia multa, quæ possent hîc discuti, videlicet in quibus mulier viro teneatur obsequi, & quale sit peccatum, si secus fecerit: an, & cur separari possint, &c. quæ commodiùs alibi dicentur.

Superest, vt aduertamus mulieris præ cunctis animantibus dignitatem, in huius siquidem productione, simile consilium, quod in viri creatione capescere videtur Deus, vt 70 exprimunt ποιήσωμεν, tametsi Hebræus legat אֶעֱשֶׂה faciam, vbi notandum est 70 aliquando posse fungi vice commentarij, dum vulgata breuiùs eloquitur, ita enim Deus prouidit, vt quod hæc ad verbum, illi sæpiùs ad sensum, vel contrà verterint, vt nec Hebraismus, neque sensus iacturam vllam patiantur, vt etiam versic. superiori constat, vbi 70 pluraliter diuinum præceptum efferunt, ne comedatis, & moriemini, quod passim factitatum obseruabis.

Nunc verò rursus Moses ad Adamum redit, velut ad totius vniuersi caput, & regem, adeout pauca sint, quæ de Eua referantur, ac si quoddam animal occasionatum esset, vt loquitur Aristot. licèt 1. Polit. cap. 1. neget eam esse extremum combinationis despoticæ, vel ancillam; itaque nos etiam cum Mose ad Adamum reuertamur. Arist.

VERSICVLVS XIX.

VERSICVLVS XIX.

Formatis igitur, Dominus Deus, de humo cunctis animantibus terræ, & vniuersis volatilibus cœli, adduxit ea ad Adam, vt videret quid vocaret ea; omne enim quod vocauit Adam animæ viuentis, ipsum est nomen eius.

וַיִּצֶר יְהוָה אֱלֹהִים מִן־הָאֲדָמָה כָּל־חַיַּת הַשָּׂדֶה וְאֵת כָּל עוֹף הַשָּׁמַיִם וַיָּבֵא אֶל־הָאָדָם לִרְאוֹת מַה יִּקְרָא לוֹ וְכֹל אֲשֶׁר יִקְרָא לוֹ הָאָדָם נֶפֶשׁ חַיָּה הוּא שְׁמוֹ.

Καὶ ἔπλασεν ὁ θεὸς ἔτι ἐκ τῆς γῆς πάντα τὰ θηρία τοῦ ἀγροῦ, καὶ πάντα τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ. καὶ πᾶν ὃ ἂν ἐκάλεσεν αὐτὸ ἀδὰμ ψυχὴν ζῶσαν, τοῦτο ὄνομα αὐτῷ.

Contextus Hebraicus, & Græcus in idem recidunt; formauerat ergo Dominus Deus è terra omnem bestiam agri, & omne volatile cœli, & adduxerat ad Adam &c. vbi idem aduertendum est, quod antea, id est, cap. vers. 20. nempe aues ex aqua productas, sicut & pisces, nec mirum est, quòd Moses id clariùs non explicet, quandoquidem hæc anacephalæosim tantùm reperit; nec desunt qui nolint volatilia cum membro præcedenti copulari, vt intelligamus solas bestias agri ex humo formatas; quanquam & terra, vtpote elementa ad cuiuslibet generationem concurrerit. Age verò mundi principem Adamum nostrum contemplemur in aliquo sublimi loco paradisi velut in throno regio sedentem, è cuius oculis, velut ex altero Mose nescio qui radij exire potuerunt, quorum pulchritudine allecta animalia ad eum accedentia eum velut suum Dominum reuerebantur. Quis obsecro ea potuit adducere, nisi Deus, qui vel aliquo phantasmate in æstimatiua producto fecit, vt ad nostrum Adamum accederent, vt iam oues dato signo ad pastorem occurrere solent; vel per angelos præfectos idem præstitit, non aliquo vento animalia hinc inde ex omnibus mundi partibus rapiente, prout legimus coturnices adductas esse in castra Israël Num. 11. Sed Num. 11. obsecro tantam Adami scientiam admirare, qui tam acutè prospiciebat, vt etiam rerum essentias, atque proprietates calleret, adeout Moses fateatur esse vera cuiuslibet animalis nomina, quæ Adam eis indidit. Vbi tamen existimo nomina illa quasdam tantùm proprietates explicasse; quandoquidè essentiæ rerum neque vocales sunt, neque verbis exprimi, sed intellectu solo concipi possunt, cui nescio qua ratione fieri posset, vt nomen, essentiam repræsentaret; tametsi enim rerum essentiæ genericè, atque specificè à Philosophis cognosci, & à cæteris discerni censeantur, non sunt vlla propria nomina, quibus auditis in earum notitiam deueniamus, nisi priùs instruamur, ac multis rationibus deducamur in eiuscemodi cognitionem.

PROBLEMA.

Qvare Deus adduxit animalia ad Adam, & quia? Nunquid reuera sunt adducta, & non
1 tantùm eius menti oblata, vt intellectu nomina
Caiet. eis imponeret; vt vult Caietanus, quem meritò
reijciunt interpretes; nam sensus literæ retinendus est.

2 An vnicum animal, vel ad summum duo eiusdem speciei adducta sunt? id enim ad imponenda nomina sufficiebat.

3. Nunquid pisces, & animalia ex corruptione nata abfuerunt,? alioqui pisces extra aquam positi morerentur, nec cum homine vllum habent commercium, neque possunt illum in operibus
diurnis adiuuare. Nunquid adducta sunt, vt 4
Adam cognosceret, quanto maiora præ illis beneficia à Deo accepisset, & vehementiùs in eius laudes insurgeret.

An quia Deus eum statim à creatione omnium 5
animalium Dominum inaugurare voluit, vt seruos suos cognosceret, qui ei seruitutem, & obedientiam sponderent?

Nunquid vt maxima pollere scientia sciremus 6
eum, in quem primò Deus inspirauit vitæ spiraculum.

An vt videret esse necessariam Euæ creationem,
si Deus humanam naturam ad instar belluinæ pro- 7

8 gari vellet? An quia Deus voluit ostendere nostro parenti nullum esse animal ei simile, cuius consortio prolem generare posset? vt iam intelligeremus Matrimonium voluntarium esse debere, ac si Adam consensisset vt ex eius costa traheretur Eua mater omnium viuentium.

9 Nunquid Deus ei omnia animalia ostendere voluit, ne fortè crederet aliquod animal esse pulchrius Eua, néue conquereretur, quod ei datum minimè fuisset.

10. An quia viri, & mulieris coniunctio nescio quid minus honestum habere videtur, quod à contemplatione diuinorum retrahat, vel præpediat, adeout nisi ob pulchritudinem, qua cæteris animantibus præstat vxor, amaretur, vir iustus, qualis erat Adam, proli vacare nollet, verum nulla fuisset huiuscemodi turpitudo in statu iustitiæ originalis, nec fortè ab ea contemplatione reuocasset animum.

At, nunquid Deus animalia adduxit, vt eorum comparatione, maximi duceret Euam, & eius amore exardesceret, ne cùm eius defectu in tot 11
miserias incidit, eam inuisam haberet, & occideret, nisi præualuisset insitus amor. 12.

Iudæi aliud comminiscuntur ordine 3 Thalmud tract. 1. discursu 6. sed quia portenti instar est, non refero, infandum enim peccatum belluinum fingunt, quod ipsi naturæ legi, seu rectæ rationi omnino repugnat.

Nunquid igitur, vt Adam se horum animalium dominum agnosceret? nam eius est animalia, & seruos nuncupare, cuius obsequiis destinantur. 13.

Adde quòd eorum instruebatur submissione, vt sicut leones, tigrides, vrsos &c. ceruicem summittentes, & debito obsequio fungentes videbat, ita collum, mentem, atque voluntatem suam Deo, & rationi motus omnes subiiceret. 14.

PROBLEMA.

Quomodo eis nomina, quáue lingua imposuit? An illa impositione, tantùm intelligere debemus
1 rationis, & imperij hominum super animantes cæteras excellentiam, vt habet Barcepha lib. de paradiso: sed illud literæ veritatem destruit, quam supponere debet.

2 Nunquid ita imposuit, vt quædam nomina formarit, habitibus, atque speciebus infusis correspondentia, quæ Deus illi concesserat?

3 An fortè Deus ipsa nomina ei reuelabat, dum ea pronuntiaret, vel paulo antea?

4 Nunquid fortè quasdam in se proprietates, & accidentia nouerat, quibus vnumquodque genus animalium conueniret, vt sicut in magno mundo distincta sunt animalia, ita in microcosmo quædã proprietates delitescant vniuscuiusque animalium naturæ congruentes, vt ex suiipsius cognitione possit homo in omnium creaturarum sublunarium, imo & cœlestium cognitionem deuenire. Hinc nata sunt illa pronuntiata, in vno sunt omnia; homo est paruus mundus, &c.

Et quidem homines iracundos, & magnanimos leones, impudentes, canes, voraces, lupos, & vultures, prudentes, serpentes, & vulpes, pigros verò vocamus asinos, hinc nata est Physiognomia, per quam iudicant de tẽperamentis, & inclinationibus hominum, vt apud Bapt. Portam videre est, tametsi parum, vel ferè nihil veritatis in iis omnibus regulis, quibus vtuntur, esse putem. At de his pluribus alibi dicemus.

Nunquid illa nomina fuerunt Hebræa? cùm Deus illius linguæ notionem Adamo infuderit, 5.
quæ vnica apud omnes vsque ad turrim Babel permansit; deinceps verò in sola familia Heber vsurpata fuit: de quo idiomate plura sumus allaturi, cùm ad linguarum confusionem accesserimus. Hæc autem nomina permanserunt vsque ad tempus Mosis, imo si hebræum textum incorruptum habemus, eadem pronuntiamus vocabula, quæ ipse Adam protulit, tametsi eorum interpretationem fortassis ignoremus.

VERSICVLVS XX.

Appellauitque Adam nominibus suis cuncta animantia, & vniuersa volatilia cœli, & omnes bestias terræ: Adæ verò non inueniebatur adiutor similis eius.

וַיִּקְרָא הָאָדָם שֵׁמוֹת לְכָל־הַבְּהֵמָה וּלְעוֹף הַשָּׁמַיִם וּלְכֹל חַיַּת הַשָּׂדֶה וּלְאָדָם לֹא מָצָא עֵזֶר כְּנֶגְדּוֹ׃

Καὶ ἐκάλεσεν ἀδὰμ ὀνόματα πᾶσι τοῖς κτήνεσι, καὶ πᾶσι τοῖς πετεινοῖς τοῦ οὐρανοῦ, καὶ πᾶσι τοῖς θηρίοις τῆς γῆς· τῷ δὲ ἀδὰμ οὐχ εὑρέθη βοηθὸς ὅμοιος αὐτῷ.

Parum inter se discrepant interpretes, & Hebræus, Græcus, ac Latinus eundem sensum faciũt. Hîc verò legimus per hysteron proterõ appellauit, pro appellarat, quia hæc dicta videntur, antequam

antequam dixisset Deus *non est bonum hominem solũ esse*; Adam enim omnibus bestiis cicuribus præcipuè, & mansuetis, feris, & auibus nomina propria imposuerat; cùm autem nihil sibi correspondens inueniret, vt supra dictum est, Deus immisit soporem in eum. Ramban. Ramban ait nullum animal reperisse Adamum, cui nomen ex proprio suo nomine איש deductũ imponere posset, donec fœminam videret, cui אשה nomen inderet, quia solam sibi conuenire perspexit. Aliqui מצא *Matsea* ad Deum referunt. i. inuenit Deus, vbi vulgata, & 70 reddunt passiuè [illegible] inueniebatur, nam Hebræi verbo actiuo nonnunquam sine accentu loco passiui vtuntur. R. Salomõ. R. verò Salomon reijciendus est, qui idem, quod supra tetigimus ex Thalmud refert.

R. Is. Caro. R. Isaac Caro ait vniuscuiusque naturam accuratè perspexisse, & nullum natura sibi cognatum inuenisse, quod factum aiunt, vt Deus Adamo magnum desiderium inderet adiutorij sibi cognati. Hic autem annotant Hebræi dictum esse ויצר cum simplici Iod, quando de formatione animalium sermo fuit, quòd animæ, & corporis vnica formatio fuerit, siquidem anima eorum terrestris est; at in hominis formatione, vt pote cœlesti, terrenâque natura constantis scriptum fuisse *vaitsar* cum duplici י, quia corporis, & animæ fuit distincta productio. Addit Massoreth וייצר vaiitsar esse cum *telisa ghedola* rege, aliud verò ויצר esse cum *telisa ketanna* ministro. Verum in nostris Hebræis exemplaribus tam in vno, quàm in alio idem accentus reperitur, qui versic. 7, & 19 ita notatur super ר quem Hebræi vocant תלישא קטנה, id est paruam dissolutionem, alium verò תלישה גדולה *telissa gedolach* ternarium magnum, qui eodẽ modo scribitur, hoc solo discrimine, quòd *telischa gedola* caudam suam ad sinistram, *Ketana* verò ad sinistram mittat, vt in illis duobus וייצר *vaitsar*.

Explicant autem *Telischa Ketanna*, eradicatorẽ, & euulsorem minorem, quòd vocem è profundo pectoris euellat, adeout submissè incipiat, & elatè circumrotetur, quod & figura indicat, quem etiam *tarsa*, & *talsa* vocant; hic ergo accentus ה est *telissa gedola*, & hic ה *Ketanna*, quæ duo simul posita cõstituunt alium accentum, quem פארה קרני, *Karne phara*. i. vaccæ cornua vocant. Cùm autem primi parentes statim à sui creatione rerum naturalium cognitionẽ habuerint, operæpretiũ est, vt de eorũ scientia nonnulla breuiter edisseramus: est & proprius locus, in quo de vi nominũ agere possumus, an videlicet sint ab ipsa natura, an tantũ ex hominũ institutione; an aliquid illis conferant, quos denominant, vel quod ferè idem est; an homines, & animalia suis afficiantur nominibus non tantùm extrinsecè, verùm etiam intrinsecè, adeout aliquid in homine ponat, quod alioqui futurum non esset, si vocaretur alio nomine, vel ei peculiarem virtutem afferant, vel vt morbos curet, & astrorum influxus, quo placuerit, transferat: igitur de scientiâ disseramus.

QVÆSTIO XXIX.

DE SCIENTIA ADAMI ET INTELLECTVS illius ornamentis.

ARTICVLVS I.

IN QVO OMNES SCIENTIÆ REFERVNTVR, diuiduntur, atque describuntur.

VT clariùs, atque faciliùs de Adami scientia constet, videtur operæpretium, vt aliquam omnium scientiarum enumerationem, atque diuisionem cum breui descriptione præponamus, sic enim constabit, quanam Adamus caruerit, vel instructus fuerit. Iuuat autem exordium ab iis desumere, quæ Deum, & angelos, atque abstracta entia spectare videntur. Hic autem non ago de omnibus habitibus, seu virtutibus intellectus siue naturalibus, vel etiam supernaturalibus, sed tantùm de illo peculiari habitu, qui scientia dicitur, quatenus ambitu suo quaslibet artes complectitur.

Theologia duplex. Theologia est omnium excellentissima, quæ vel naturalis est, vel supernaturalis, & fidem supponit, vt huius respectu sit fides, quod illius intuitu habitus principiorum, quarum vtraque vel Deum, vel angelos, vel entia abstracta tam à Deo, quàm à creaturis contemplatur; sic igitur illa diuidetur.

Theologia supernaturalis est, quæ vel agit de Deo, vt est autor gratiæ, & gloriæ, vel de angelis, prout de illis aliqua reuelatione præcognoscimus; illa diuina est, & Deum considerat, prout à materia physica, atque metaphysica, genere physico, atque metaphysico; & omni prædicamento abstrahit, hæc Angelica, quæ spectat angelos, vt ab omni materia physica, seu corpore abstrahentes: Quòd si Theologia naturalis fuerit, dicetur Metaphysica, quæ Deum intuetur, vt est autor naturæ, quo iure dici potest Theologia naturalis; quæ Transcendens erit, si res spectet, vt ab accidente, & substantia, spiritu, & corpore, & à genere prædicamenti abstrahunt, qualis est Metaphysica Peripatetica. Rursus Theologia, vel est Scholastica, vel positiua, vel symbolica; Omitto reliquas Theologiæ diuisiones, quæ iuxta diuersas materias particulares, de quibus agitur in ea, multiplex concipi valet.

Diuina. Angelica. Metaphysica. Transcendens. Scholastica

Naturalis philosophia cæteras scientias cõprehẽdit, prout rerũ corporearum naturas cõplectitur.

Physica.

& earum proprietates, atque effectus considerat, quæ diuiditur in physicam, & mathematicas. Physica de corpore agit, vt est mobile, seu generationi, corruptioni, augmento, decremento, & motui locali obnoxium, quæ commune nomen retinuit: pars, quæ corpus considerat, vt arte simul & natura dissolubile est, & coagulabile vocatur Alchimia, quæ succos omnes, spiritum, liquores, olea, sal, & quintã essentiam ex omnibus mixtis extrahit, quæ si ex Mercurio metallis, vel alia quauis materia cõficit aurum, Chrysopœia, si argentum Argyropœia nuncupatur. Alia pars, quæ de corporibus agit, prout effectus admirandos per occultas causas, & qualitates, vel antipathiam, & sympathiam producit, Magia naturalis appellatur, quæ varias diuisiones pro diuersis operibus, quæ perficit, vel materiis, quibus vtitur, sortiri solet. Vltima pars Physicæ Medicina vocatur, eaque Veterinaria, quæ de morbis, & sanitate plantarum, & animalium pertractat, vel Medicina propriè sũpta ἰατρική: quæ vel est Empirica ἀπὸ τῆς ἐμπειρίας, quia solã experientiã sequuntur quibusdam obseruationibus innixã illi Medici, qui propterea τηρητικοὶ obseruatores, & μνημονευτικοὶ memores appellati sunt. Vel Methodica, quorũ administri κοινότητας cõmunitates. i. symptomata morborum communia sequebantur, quas στεγνὸν, & ῥοώδες adstrictum, & fluens dixerunt, existimãtes Medicinam adeò facilem esse, vt 6 mensium spatio tota perdisci posset, quales erant Thessalij. Vel Dogmatica seu rationalis, quam maxima pars Medicorum amplectitur, omnia siquidem diligenter perspicit, & rationem experientiæ iungit, de qua præsertim hîc agemus.

Alchimia. Chrysopœia. Argyropœia. Medicina Veterinaria. Empirica. Methodica. Dogmatica.

Sic autem diuiditur, cùm vniuersam hominis naturam indagat, & de illius elementis, humoribus, spiritibus temperamentis, facultatibus, fœtus formatione, semine, & similib⁹ edisserit vocatur φυσιολογική. Physiologia verò multas partes habet, quę etiã appellatur Anthropographia: quæ cùm de musculis agit, est Myologia, si de ossib⁹, Osteologia, si de neruis Neurologia, cùm de arteriis Artereologia, si de venis Phepsologia, sicque de cæteris.

Physiologia. Anthropographia. Myologia. Osteologia. Neurologia.

Quando sanitatem tuetur, atque præcauet, ne in morbos incidat ὑγιεινὴ vocatur, cùm affectus & causas præter naturam, atque symptomata disquirit, αἰτιολογικὴ vel παθολογικὴ nuncupatur, σημειωτικὴ tradit indicia, quæ valetudinẽ integram, vel aduersam demonstrant, quæ indicia, vel signa, si præsentia demonstrent, διαγνωστικὰ demonstratiua, si futura prænuntiant, προγνωστικὰ, si præterita, ἀναμνηστικὰ memoratiua, si morbi naturam aperiunt, παθογνωμικὰ, si tantùm ostendant vitium incipere, προσίμια, quæ morbo succedunt, ἐπιφαινόμενα, quæ circunstant eũdem, συμπτώματα, prout verò illa omnia subitam mutationem, atque turbationem ostendunt, κρίσιμα iudicatoria nuncupantur.

Medicinæ species omnes accuratæ.

Denique quinta medicinæ pars θεραπευτικὴ dicitur quæ medendi rationẽ docet, & præsertim in praxi versatur, subdiuiditurque trifariã, enimuero, cùm victus ratione morbis medetur, est διαιτητικὴ, si medicamentis intra, & extra corpus admotis, φαρμακευτικὴ, si verò manibus ipsis medetur, χειρουργικὴ vocatur, quæ tribus operationibus constat Synthesi, Diæresi, & Exæresi. Omitto quasdam Medicinæ diuisiones, quæ ab eius autoribus sumuntur, qualis est Hippocratica, seu Galenica, quæ contrariis, & Paracelsica, quæ similibus curat. Jam verò stylum, & animum ad Mathematicas conferamus.

Chirurgiæ partes.

Mathematicæ puræ quantitatem ab omni re sensibili abstractam considerant, quæ sunt vel Arithmetica, cùm multitudinem discretam, seu numerum absolutè contemplatur, vel Geometria, si magnitudinem continuam absolutam, quæ Planimetria vocatur, cùm figuras planas: Stereometria, si solida considerat, si longitudinẽ duntaxat, Micometria, si triangulos contemplatur, sphæricos, an rectos, nihil refert, Trigonometria, cùm circulos considerat, Cyclometria, si quadrata, Tetragonometria nuncupatur. Mathematicæ mixtæ, seu impuræ, quantitatem considerant, sed alicui rei sensibili coniunctam quarũ prima numerum sonorum, considerans Musica vocatur, quæ si concentum in humani corporis proportionibus inuestigat, Humana, si totius mundi harmonicum systema quærat, Mundana dicitur, eaque elemẽtaris, si proportiones elementorum, seu mundum sublunarem tãtùm indigetat, si cœlorum cõcentus Pythagoricos exploret, Cœlestis: si mirabiles concentus ordinum Hierarchicorum, seu Angelorum, & eorum operationes tã naturales, quàm beatas, Angelica, & beata, si denique mirabiles, & diuinas sanctissimæ Trinitatis operationes ad intra cum operationibus ad extra componat, Diuina, si ipsas diuinæ mentis ideas, quibus omnis Musica nostra correspondet, & quibus subiacet, archeptica Musica vocabitur.

Mathematicæ partes. Musicæ partes & species.

Artificialis verò dicitur Harmonica, quãdo sonorum consonantias, tonorũ, atque modorũ differentias, & efficaciam considerat: Rythmica, cùm spectat arsin, & thesin, seu leuationẽ, atq; positionẽ, siue id visu deprehẽdatur in saltatione, & motu manus, siue tactu, vt in venis, & arteriis, siue auditu, vt in cantu. Metrica concentum disquirit, qui in poëmatibus à literis, syllabis, pedibus, & versibus efficitur. Canonica denique regularum segmentis, & tetrachordo consonantias harmoniarũ cõtẽplatur, estque Instrumẽtalis, quæ musica instrumenta cõcinnat, iisque ad quamlibet harmoniã exprimendã vtitur, quę sunt vel inflatilia, vt tubæ, vel percussionalia, vt organa, vel intensilia, vt testudo, de quibus nos alibi fusè dicemus.

Sub Arithmetica ponunt impuram Logisticã, seu Calculatoriã, eius pars subtilissima, logorithm⁹ vel Algebra nũcupatur à multis, sub Geometria, Geodæsia, seu Geomoria continetur, quæ turres, angulos, limitesque considerat. Sequitur Astronomia, quæ cœlorũ quantitatem mobilem, signorũ ortus, & occasus, & polos, cæterosque circulos cõtẽplatur, quæ Sphericæ præcipit, vt armillares sphæras, Globicæ, vt globos cœlestes, Gnomonicæ, vt distinctis vmbris horas virgulã denotet, & horologia omnis generis fabricet, Meteoroscopicæ, perficiat instrumenta, quibus differentię sublimitatum, & siderum interualla deprehendantur, sub qua Dioptrica continetur, quæ vel Astrolabio, vel alio instrumento idem efficit.

Astronomiæ diuisio.

Inter impuras Mathematicas Cosmographiam enumerant, quæ cùm de mundi quantitate tractet, alias sub se continet, quarum vna dicitur Anemographia ventorum quantitates lineis per terram, atque mare designãs: secunda Hydrographia, quæ climatibus aquæ quantitatem describit: 3. Geographia, quæ terræ dimensiones & quantitatem fideliter oculis subiicit. 4. est Chorographia quæ regiones: 5. Topographia, quæ loca ipsa particularia, eorumque montes, & valles; 6 Prosopographia, quæ homines ipsos describit.

Cosmographiæ partes.

Ordine sexto Mathematicis impuris Opticam annectunt, quæ quantitatem, seu lineam visibilem considerat,

Opticæ partes.

considerat,& varias vmbræ, lucisque figuras,& videndi rationes aperit,quæ nomé Opticæ retinet, prout radios rectos contemplatur, ab obiecto directè venientes ad oculum: radios reflexos Catoptrica; refractos verò Dioptrica perspicit. Quibus addunt Scenographicam,quę docet quomodo omnia rectè depingantur; & Specularem, quæ speculorum omnium,tam conuexorum, quàm concauorum proprietates inquirit.

Mechanicæ species. Mechanica his mathematicis annumeratur, quæ quatenus est rationalis,causas machinarum,& omnium effectuum,qui machinis efficiűtur, bellè docet; vt verò manus admouet operi, vocatur Chirurgica, cui omnes artes deseruire possunt. Sub Mechanica verò Manganaria continetur,quæ maxima pondera facillimo negotio tollit in altum, vel deprimit Mechanopoëtica, quæ aquas antliis subleuat: Organopoëtica, quæ bellis instrumenta parat, Thaumaturgica, quæ ponderibus, vel spiritu, neruis, & funiculis vtitur, vt miranda efficiat; Hydraulica, quæ mira docet de iis quæ subnatant aquis, quibus etiam horologia fabricat, & quæcunque per se ventorum flatu resonant, & exprimunt voces auium; Siphones etiam extinguédis incendiis,& Æolipylas suscitandis construit.

Adde Centrobaricam, quæ de centro miranda tradit,vnde desumuntur omnia: vt tamen ventus, vel aër suá peculiarem scientiam habeat, πνευματοποιητικὴ subiungenda est,& pro his omnibus, quæ tametsi mortua sunt, suopte nutu moueri videntur, siue id vno fiat elemento, vt aqua,siue ponderibus, siue igne, & aëre, siue omnibus simul concurrentibus, αὐτοματοποιητικὴ: cui Contraponderans annumerari poterit.

Architecturæ partes. Plato. Architectura Geometriæ soboles esse videtur, sicut & Perspectiuæ, quam Plato lib. de regno, artem imperandi vocat; quæ sub se γραμμικὴν lineationem, seu Graphidos scientiam amplectitur, qua singulas ædificij partes, earumque dimensiones mutuâ ad vniuersam fabricam analogiâ, viuis, propriisque coloribus depingit, ex qua picturam,glyphicem, & sculpturam manasse credunt, sicut & alias artes βαναυσικάς: Præcipuæ verò partes Architecturæ sunt inuentio, atque dispositio; species autem, vel ἰδέαι dispositionis sunt Ichnographia circini, atque regulæ vsu formas arearum soli describens; Orthographia rectam frontis imaginem veluti figuram operis futuri describens, & Scenographia, quæ frontis, & laterum adumbrationem centro linearum omnium respondentem describit. His pictura iungi potest.

Pertinet etiam ad Mechanicas Statua, quæ quodammodo picturæ, & architecturæ pars dici potest; quæ statuas quascunque vel ex ligno; vel ebore,gypso, lapidibus, & metallis conficiunt; cuius species à diuersa materia desumuntur; nam si defectores lignű,vel ebur tractent ξυστικὴ, si πλάσται, seu fictores argilla vtuntur, πλαστικὴ; si γυψίνοις gypsum aggrediantur,& eo typos imitentur, ἀνδριαντικὴ. si lapides scalpello in statuas redigantur, à percussione κολαπτικὴ, siue sculptura; si metalla tractent γλυφικὴ dicetur; quæ cum cera perficietur, à deducendo ἀγωγικὴ; si verò fuderis metalla, χυμικὴ vocabitur. Sunt & alia multa quæ huc referre possis, quales sunt artes hyalurgicæ, encausticæ atque figulinæ.

Non sunt omitendæ scientiæ,quæ ad mores pertinent, quarum prima nomine communi Moralis appellatur, mores enim hominum in vniuersum considerat; si de moribus hominis solitarij loquitur, Monastica; cùm de familiæ moribus, Oeconomica, quando de moribus ciuitatis, Politica; si de regno, vel principatu pluribus ciuitatibus constãte, Basilica; denique si de multis regnis in vnam Monarchiam redactis agit, Imperatoria nuncupabitur. Quibus optimè Ius ciuile & canonicũ annectuntur, siquidem vtrumque mores dirigit, & ad optimam Reipublicæ, cùm in toto, tum in partibus, administrationem collineat: His verò subijcitur ars Bellica, seu militaris, quæ Tactica vocatur, cùm acies instruit, & exercitus ordinat, Stratagematica si prudentiã, & arte hostem superet. Moralis, & eius species

Supersunt aliæ scientiæ, quibus præsertim in ordine ad alios vti debemus; Dialectica namque disserendi potens, disputandi materiam suggerit,& formas ipsas argumentandi suggerit Logica: illa ex materia probabili, hæc per syllogismos discurrit; Grammatica bene loquitur, Grammatistica, seu litteratio in legendo, atque pingendo litteras occupatur, illa verò versatur in benè loquendo, & scribendo, cùm Methodica dicitur, cùm benè legit, & enarrat, Historica vocatur, quæ si occultè scribat & loquatur, vel oculté scripta perlegere valeat, ars Ziffrarum appellabitur, vel Hieroglyphica.

Historia non longè ab ea recedit, quæ cùm historiam temporum enarrat, Chronologia, cùm terræ, Geographia, cùm elementorum, Stecheologia, si meteororum,& cometarũ, Meteorologia,& Cometologia, si animalium, Zoographia, si piscium, Ichtiographia, si auiũ, Ornithologia nuncupatur: si de rebus sacris loquitur, sacra est,& diuina, si de gestis hominum, humana est. Ad Historicam accedit Poëtica, quæ fabulas facit, Versificatoria, in varijs carminũ generibus occupatur. Hę sunt ferè omnes sciétiæ,& artes, quæ aliquomodo ad scientias accedere videntur: si Nauticam, quâ naues fabricantur, & omnibus ad nauigandũ necessariis ornantur, & Agriculturã, atq; Pastoritiam adiungamus, quandoquidem hasce duas artes imprimis exercuisse videntur nostri primi parentes. Iam verò breui schemate scientias enumeratas oculis subiicio, vt vnico intuitu comprehendantur, vbi numeros arithmeticos minores diuisionibus scientiarum apponam, Romanos verò scientiarum capitibus.

I.	Theologia	Supernaturalis	1	Biblia
		Scholastica	2	D.Thomas Aquinas
		Positiua	3	Patres Græci & Latini.
		Symbolica	4	Dionysius Areopagita
		Naturalis.	5	Aristoteles
II.	Metaphysica	Angelica	6	D.Thomas,& alij Scholastici
		Transcendens	7	Aristoteles
III.	Scientia naturalis	Physica	8o	Aristoteles.
		Alchymia	9	Geber. Libauius. plurimi
		Chrysopœia	1	Clastoueus Niuernensis.
		Argyropœia	11	
		Magia naturalis	12	Baptista Porta

		Empirica	13	Philinus Cous autor
		Methodica	14	Theſſalus Trallianus
IIII.	Medicina	Dogmatica	15	Hypocrates Cous
		Galenica	16	Galenus
		Paracelſica	17	Paracelſus
		φυσιολογικὴ	18	De his quinque Fernelius
		ὑγιεινὴ	19	Riolanus ſenior
		αἰτιολογικὴ	20	
	Partes	σημειωτικὴ	21	Fuſchius & innumeri
		θεραπευτικὴ	22	
		διαιτητικὴ	23	
		φαρμακευτικὴ	24	Renodæus, Baudronus
		χειρουργικὴ	25	Tagautius, & innumeri
		Arithmetica ſynthetica	26	Gemma Friſius, Clauius, innumeri
		Algebra analytica, ſeu Algorith-	27	Diophantus, Peltarius, Vieta, innumeri, vide Sti-
		mus, Italis Coſa.	28	Euclides & eius commentarij de (felium
V.	Mathematicæ	Geometria, ſeu ποσοτικὴ, vel μεγε-	29	
	puræ	θικὴ	30	omnibus partibus, Clauius, Candala, &c.
		Micometria, ſeu εὐθυμετρικὴ	31	
		Planimetria, ſeu ἐμβαδομετρικὴ	32	De his Georgius Venetus, Flud, Keplerus
		Stereometria	33	Nemo benè
		Elementaris	34	
	Mundana	Cœleſtis	35	
		Hierarchica	36	
		Diuina	37	Ptolemæus, Euclides, Ariſtides, & multi Græci,
		Archetypa		plureſque Latini, Salina, Gauphurius,
VI.	Muſica	Harmonica	38	Faber &c. Itali Zarlina, Vincentius.
		Rhythmica	39	D. Auguſtinus, nemo perfectè, niſi fortè Carolus
		Metrica		Geſualdus princeps Venuſinus.
	Artificialis	Canonica	40	Iidem qui ſuprà
		σφαιροποιητικὴ	41	Staflerus, Gemma Friſius. Sacroboſco
		Globica	42	Hues
		Gnomonica	43	Clauius, Voëllus, & alij plurimi.
VII.	Mathematicæ	Meteoroſcopica	44	Ticho
	impuræ	Dioptica	45	
		Coſmographia	46	Mercator, Theuetus. Maurolycus.
		Anemographia	47	Fabritius Paduanus
		Hydrographia, Nautica	48	Petrus Medina. Nonnius. Lilius Giraldus.
		Geographia	49	Ptolomæus
		Chorographia	50	
		Topographia	51	Adricomius, & alij innumeri
		Proſopographia	52	Verdierus, & alij.
		Optica	53	Euclides, Aquilonius
		Catoptrica	54	Vitellio
		Dioptrica, ſeu Meſoptica.	55	Alhazen
VIII.	Perſpectiua	Rationalis	56	Ariſtoteles, Guido Vbaldus
		Chirurgica	57	
		Manganaria	58	
		ὀργανοποιητικὴ	59	
		θαυματουργικὴ	60	Archimedes.
IX.	Mechanicæ	πνευματοποιητικὴ	61	Hero Alexandrinus. Ioan. Bap. Porta
		αὐτοματοποιητικὴ	62	Hero idem Cteſibij diſcipulus.
		Æquiponderans	63	Archimedes
		Hydraulica	64	Salomon de Caus.
		Centrobarica	65	Commandinus
		Pictura	66	Albertus Durerus
		Architectura	67	
		Ichnographia	68	Vitruuius
		Orthographia	69	
		Scenographia, vel Sciagraphia	70	Steuinus
		Statuaria	71	Pomponius Gauricus

Monaſtica

X.	Philosophia Moralis	Monastica	72	Aristoteles, Plato, Theologi.
		Oeconomica	73	
		Politica	74	
		Basilica	75	
		Imperialis	76	
		Polemica	77	Vegetius. Hero mechanicus.
	Iurisprudentia	Ius ciuile	78	Petrus Gregorius, Cuias, & innumeri.
		Ius canonicum	79	Petrus Gregorius. Casuistæ omnes.
XI.	Scientia Sermocinalis	Grammatica	80	Despauterius, Clenardus, Pagninus.
		Rethorica	81	Aristoteles. Cicero. Quintilianus.
		Dialectica	82	Aristoteles. & eius commentarij
		Logica	83	Aristoteles
		Poëtica	84	Aristoteles. Scaliger.
XII.	Historia	Chronologia	85	Genebrardus, subinde infiniti.
		Cometologia	86	Ticho Brahe. Fienus. plurimi.
		Zoographia	87	Plinius. Ælianus. Gesnerus.
		Ichtiographia	88	Gesnerus. Belonius. Rondeletius. Oppianus
		Ornithologia	89	Aldrouandus. Gesnerus.
		Diuina, Sacra.	90	Biblia, Patres. Baronius. plurimi
		Humana, prophana.	91	Plutarchus. Liuius, & innumeri.
		Botanica	92	Dioscorides. Dalecampius, Bauhinus plurimi
XIII.	Diuinatio naturalis	Astrologia iudiciaria	93	Iunctinus, Ptolemæus, Cardanus.
		Physiognomonia	94	Aristoteles. Bonauentura.
		Metoposcopia	95	De Indagine. B. Porta
		Chiromantia	96	Thaisnerus
		Phytognomonica	97	B. Porta
XIV.	Artes	Agricultura	98	Columella, Constantinus. Varro. Virgil.
		Pastoritia	99	
		Coquinaria	100	

Tres istas artes annumero, quia duæ primæ sæpius in Scriptura commemorantur; vltima verò fuit omnino necessaria, vt cibos ad alenda sua corpora prepararent. Quibus positis vides nos vsque ad numerum centenarium peruenisse, longè maiorem inuenturi, si quamlibet scientiam in partes, vel species suas distribueremus; vt satis constat ex antedictis: nã Statuaria 5 speciebus gaudet, Astrologia iudiciaria 3: omisimus etiã Cyclometriam, & Trigonometriam, & alia plurima, vt cuilibet manifestum est. Mirum est autem tam diuersas esse scientias, & tamen in vnico memoriæ angulo omnes facilè contineri posse, licet nulla sit, quæ diem integrum non sit impeditura, si cuncta velis enarrare, quæ ad illam pertinuerint. Authores verò celeberrimos subiunxi, quos de istiusmodi scientiis scripsisse noui, vt qui scientiarum omnium principia delibare voluerit, id tutò possit. Iam ad quæstionem nostram reuertamur.

ARTICVLVS II.

QVASNAM EX ISTIS SCIENTIIS ADAMVS initio suæ creationis habuerit.

DVo sunt, quæ in hac materia exorbitare videntur, nempe Adamum nihil penitus initio creationis, sicut nec infantem, dum nascitur, cognouisse; quod ex Serpẽtis tẽtatione nonnulli colligunt, quia primi parentes ne quidem agnouisse videntur, an belluæ rationis, atque sermonis participes essent, necne, & oculi eorum nondum aperti dicuntur ante perpetratum peccatum. Aliud extremum sequuntur illi, qui Adamum in scientia faciunt Angelis æqualem, iuxta id, *minuisti eum paulominus ab Angelis, gloria, & honore coronasti eum* psalm. 8. (Psal. 8.) Caietanus quidem fatetur Adamum habuisse scientiam rerum omnium corporalium, præterquàm elementorum, & syderum, quorum scientiam Deo soli reseruatam putat. Alij tria duntaxat ab Adami cognitione substrahunt, nempe futura contingentia, secreta cordium, & indiuidua singula cuiuslibet speciei. Alij eum cæteris mortalibus anteponunt, nec vlli præterquam Christo Domino, eiusq; Matri sanctissimæ postponunt, quapropter id quod 3. Reg. 3. de Salomone dicitur. *Dedi tibi cor sapiens, & intelligens in tantũ, vt nullus ante te similis fuerit, nec post te resurrecturus sit:* (3. Reg. 3.) explicant de omnibus, qui proprio labore, & industria, atque studio scientias acquisierunt, quas Adamus sibi diuinitus infusas accepit: vel per omnes intelligunt Reges Hierusalem, atq; principes, quod ipse Salomon confirmare videtur. c. 1. Eccles. (Eccl. 1.) *Ecce magnus effectus sum, & præcessi omnes sapiẽtia, qui fuerunt ante me in Hierusalẽ.* 3 exponunt de scientia non speculatiua rerũ diuinarũ, sed politica prudentia, qua tantum populũ Hebreũ regeret, ideoq; nolunt sapientiã 3. Reg. 3. (3 Reg. 3.) significare vnum ex donis Spiritus sancti, vel, scientiam rerum diuinarum, in quibus Apostoli anteponendi sunt. Quæ omnia vt breuiter, atque dilucidè complectamur.

Dico primò nullum esse periculum si rerum omnium corporearum, tam elemétorum, quàm syderum cognitionem, atque scientiam Adamo tribuamus; enimuero non tantùm Patres, & interpretes Scripturæ, verùm etiam ipsa Scriptura huic sententiæ non parum fauet, dum Ecclesiastici. 17. tota videtur in enumerandis Adami perfectionibus. *Numerum dierum, & tempus dedit illi, & dedit illi potestatem eorum, quæ sunt super terram*: deinde, *& disciplina scientiæ repleuit illos. Creauit illis scientiam spiritus, sensu impleuit cor illorum, & mala, & bona ostendit illis.* Ex quibus satis facilè consequi videtur primos parentes omni decore, virtute, atque scientia ornatos fuisse. Hinc poterit vnusquisque per scientias antea numeratas ire, & apud se perpendere, quantus Historicus fuerit, quàm perfectè plantas, & arbores Botonomicus ille cognouerit; licet verò piscium, & auium cognitione Scriptura nõ agat hocce versiculo; non obscurè tamen ex multis Scripturæ locis elicimus & ichtyographiã, & ornithologiã calluisse; ad quid enim omnia sub pedibus hominis subiecisset, non tantũ *oues, & boues vniuersas, insuper & pecora cãpi,* sed & *volucres cæli, piscesq; maris* psal. 8. nisi eum huiuscemodi scientiis Deus ornare voluisset, præsertim cùm iam aliqua subiectio esse videatur, quòd piscium, & auium natura cognoscatur. Eapropter Logicæ, Physicæ, atque Metaphysicæ habitus Adamo infusos esse quis neget? Sanè textus noster satis ostendit eum animalium naturam perfectè cognouisse, cùm nomina, quæ fertur indidisse, vniuscuiusque animalium propria fuerint.

Eccl. 17.

Psal. 8.

Dico secundò non esse periculum hæreseos, si quis omnes illas scientias Adamo deneget, dummodo fateatur ea cognouisse, quæ ad explicandam Scripturam sacram necessaria videtur, qualia sunt, quæ ad eius, atq; posterorum salutem pertinebant, ad quam non ita necessariæ videntur scientiæ rerũ naturalium; quæ dummodo rusticorum more cognoscamus illas, nos ad Dei cognitionem perducere possunt, vt eius bonitatem admiremur, & maiestatem veneremur. Adde quòd satis Adamo sciẽtias omnes Deus concessisse videtur, quatenus ei optimum ingenium, & maximam ætatem contulit, vt facilè omnia proprio labore adinuenire, & omnes scientias addiscere potuerit iuxta id Eccles. 17. *Consilium, & linguam, & oculos, & aures, & cor dedit illis excogitandi.* Quod præsertim de scientiis illis verum existimo, quæ potiùs ad animi voluptatem, quàm humanæ vitæ necessitatem facere videntur, nec ita saluti conducunt, quales censentur Mathematicæ disciplinæ tam puræ quàm mixtæ, tam speculatiuæ, quàm practicæ, & omnes artes liberales, pictura, sculptura, statuaria, ὑαλουργία, encaustica, &c. quas postea hominum curiositas inuenit, quarum habitum non existimo infusum fuisse primo parenti, quippe qui non indigebat illis, & magno, quo pollebat, animi vigore, mentisque perspicaciã hos omnes habitus sibi comparare poterat.

Eccl. 17.

Dico tertiò neutra ex parte rationes demonstratiuas afferri posse, an Adamus omnes scientias naturales, & mathematicas habuerit, sed tam affirmãtem, quàm negantem partem solis probabilibus coniecturis niti. Quapropter non est, quod diutiùs hîc immoremur; sufficietque, si aduerterimus omnes illas scientias Adamo infundi debuisse, quæ ei ad salutem necessariæ erant; de fide nulli dubium est quæ illius Theologia fuit, per quam nouit, quæcunque reuelauit ei Deus: de cęteris non ita cõstat.

Dico quartò saltem Adamo scientias omnes inditas fuisse eo sensu, quòd omnibus, quæ docentur, in illis, rogatus rectè iudicare poterat: ita valebat ingenio, atque iudicio: decuit enim bonitatem diuinam, vt primum hominem maximè valentem ingenio crearet, quandoquidem omnium hominum caput, ac multorum Patriarcharum parens, doctorque futurus, & veluti mundi totius habenas imperij sanè maximi flexurus erat. Hinc si de cœlorum quantitate, motuum periodis, machinarum fabrica, & cæteris, quæ Mechanica spectant, eius sententiam rogasses, verè respondisset, vel nusquam deceptus fuisset, quia de rebus certis, certò, de probabilibus, probabiliter iudicasset.

Grammaticam verò ei infusam fuisse quis in dubium reuocet? cùm statim à creatione nomina tribuat animalibus. Audacter dicam primo homini perfectissimo primam, & perfectissimam primæ linguæ, Hebraicæ videlicet cognitionem infusam fuisse, & doctissimo scientias omnes datas esse, siue posteros illas omnes docuerit, siue nonnullas tantùm, vt à quo natura fluxit, ab eodem naturæ perfectio promanaret; præsertim cùm iustitiæ, atque gratiæ originalis statum adeò perfectum tot, & tantæ scientiæ, quas superiùs enumerauimus, maximè decuerint.

Enimuero si Sapient. 7. fateatur Salomon se à Deo accepisse *horum, quæ sunt scientiam veram, vt sciret dispositionem orbis terrarum, & virtutes elementorum, initium, & consummationem, & medietatem temporum, morum mutationes, & diuisiones temporum, anni cursus & stellarum dispositiones, naturas animalium & iras bestiarum, vim ventorum, & cogitationes hominum, differentias virgultorum, & virtutes radicum, & quæcunque sunt absconsa, & improuisa didicerit; omnium enim*, inquit, *artifex docuit me sapientia*, quanto magis Adamum illa omnia sciuisse dicendum est, qui totius orbis terrarum doctor constituebatur? vt sicut perfectissimum corpus habuit, quo omnium hominum per generationem principium futurus erat, ita perfectissimam animam sortiretur, qua omnium Doctor, & Magister constituebatur. Vide D. Tho. q. 94. a. 3. Quem propterea decipi non potuisse quamdiu iustitiã originali fruebatur art. 4. docet; nam quamdiu anima Deo subdita manebat, tamdiu inferiora hominis superioribus subdebantur, nec superiora per inferiora impediebantur.

Sapient 7

D. Thom.

Iuuat autem breuiter ostendere, qua ratione scientias omnes protaplastus habuerit, vt tãtarum scientiarum allecti pulchritudine ad statum illum innocentiæ beatissimum nosipsos veluti iure postliminij Deo fauente reducere nitamur, in quo primi parentes tantã animi fœlicitate, tãtaque rerum omnium cognitione fruebantur; Id verò sequenti faciemus articulo.

ARTICVLVS III

ARTICVLVS III.

QVOD OMNES SCIENTIÆ, ET ARTES liberales, ac necessariæ in Adamo fuerunt, & de collatione eius cum Salomone.

MAgnus Dominus & laudabilis nimis, & Sapientia eius non est numerus, neque finis, quã in Adamum ita diffudit, ac veluti profudit, vt Dei alterius instar, vel potius Dei vicarius in terris, & eius imago viua esse videatur, quem *gloria & honore coronauit, & constituit super omnia opera manuum* (Psal. 8.) *suarum*. Psal. 8. Cuius gloriæ, & honoris non minimam particulam in eminenti illa cognitione statuimus, qua protoplastus fruebatur.

Et quidem primum axioma Philosophi, quo in Metaphysicæ limine vtitur πάντες ἄνθρωποι τοῦ εἰδέναι ὀρέγονται φύσει. Omnes homines naturâ scire desiderant, ab illa tanta Adami scientia, tantâque naturæ perfectione exordium sumpsisse videtur, ad quod collineantes mirabilem illum statum paulo attentiùs contemplemur.

(Metaphysica transcendens.) Primum ornamentũ naturæ Metaphysica protoplasti mentẽ illustrauit; in eo siquidem fuit illa quæ sapientia, quæ facit ἀρχιτέκτονας; causas enim eorũ, quę fiebãt, sciebat, cuius signũ erat, quòd posteros docere poterat. Sapiẽs erat, quia omnia, vt possibile est, sciebat, & omnia καθόλου cognoscebat; nec tãtùm ad impossibile, vel absurdum deducendo, sed per proprias causas omnes perperam sentientes conuincere poterat. Quàm perfectè nouerat, an ens vniuocè, vel tantùm æquiuocè de Deo, & creaturis dici possit! Quàm subtiliter omnes entium ordines, subdiuisiones, cathegorias agnoscebat.

(Angelica.) Angelicam verò Metaphysicam in eo tam sublimem fuisse non dubito, vt non tantùm hierarchias distingueret, ordines numeraret, operationes cõtemplaretur, verùm etiam dulcissimâ eorum amicitiâ atque familiaritate vteretur, & gubernaretur prouidentiâ; quis enim non liberè fateatur Deum Angelis suis mandasse, vt custodirent Adamum in omnibus viis suis, ne fortè ad lapidem pedem suum offenderet?

De Physica non est, quòd quæramus; non enim tantùm sui corporis, sed totius mundi materiam, & formam, causas, principia, & effectus cognoscebat; cogita obsecro, quàm suauis esset illius contemplatio, dum cernebat mundum à Deo 6 dierũ spatio productum fuisse, & vnicuique rei proprios motus, virtutes conuenientissimas, huic mouendi, illi rugiendi, alteri verò ridendi, generandi atque, ratiocinandi facultates inditas esse.

(Alchymia.) Quis ita nouit metallorum naturas? lapidũ virtutes, herbarum succos, & cætera, ex quibus Chymici plurima solent excernere? Alchymia nullas certas regulas tradit, quibus certò aurum potabile fieri possit, quo iuuentus restauretur: Adamus verò succum arboris vitæ nouerat, quo vitam perpetuare posset. Quòd si terra sit eo nobilior, quò melioris argenti, aurique venas continet, terra illa, in qua Adamus creatus est, aurifera esse debuit; fauet illud, quod aiunt ex terra rufa productum esse, siue illa fuerit aurea terra, siue ad aurum generandum (Chrysopœia.) disposita, vt Deus in illa creatione χρυσοποιητικῶς aliqua ratione dici posset. Nunquid fas erit Euam ex costa veluti per Argyropœiam eductam asserere, (Argyropœia.) cùm Adamo fuerit ignobilior, & veluti argentum ex auro productum? verum ob multas rationes hic modus mihi displicet. Sed neque velim Adamo denegare scientiam illam, quâ metalla in seinuicem transmutari valent, vt hydrargyrum in argentum, æs in aurum, ferrum in chalybem, plumbum in stannum, & sic de cæteris.

Nullus est, qui magiæ naturalis perfectionem assecutus sit, nisi qui rerum omnium causas, atque principia cognouit: quis verò peritior vnquam in illis fuit, quàm Adamus noster? non Porphirius, & Apuleius inter Platonicos, non sapientes, & Pythagorici inter Græcos; facessant Indorum Gymnosophistæ, Sacerdotes Ægyptiorum, Prophetarũ Cabalistæ, Chaldæi Babyloniorum, Celtarum Druydæ, Zoroaster Persarum, Pompilius Romanorum, Gymnosophistarum Thespion, Hermes Ægyptiorum, Budda Babyloniorũ, Thracum Zamolxis, Abbaris Hyperboreorum, omnisque turba Theurgica, Goëtica, & magica, vbi de Adamo sermo habendus est, quorum scientiam tantùm superat, quantum clarissima solis lampas obscuram noctis caliginem, enimuero totius Philosophiæ summum apicem Adamus obtinuerat, nihil vt esset in omnibus plantis, lapidibus, & animalibus, quod non cognouerit. (Adamus omnibus Philosophis hic enumeratis doctior.)

O beatum iustitiæ originalis ornamentum, in quo non empiricus vocabatur, non methodicus; nec dogmaticus erat necessarius, aberant, & semper abfuissent Galeni, & Paracelsi, quia nullus ibi morbus, nullus dolor: attamen vtinam Empirica suas experientias ab Adami scientia repeteret, vel eius cognitione confirmaret. Salomonẽ libros de Medicina scripsisse testis est Euseb. & Anastas. Nicen. Episc. q. 39. in scriptur. quos Ezechias sustulit, (Anastas.) quia populus morborum medelas inde acciperet, & nihili faceret à Deo petere curationes; sed Adamum non minus omnium herbarum vim agnouisse cui dubium esse potest? Et quidem fateor cum Eusebio 11. de præp. c. 5. l. 6. c. 1. & l. 4. c. 1. multa esse (Euseb.) plantarum, atque lapidum genera, quibus morbi plurimi vel tolli, vel inferri possunt, & multa ex astris prædici posse: sed illud momento nequeunt efficere: quapropter vbi valetudo per miraculum recuperatur, curatio ea ratione fieri solet, quæ à nulla creatura fieri poterat.

Cum autem Adamus omnia naturalia cognouerit, in eo perfectam magiam naturalẽ fuisse puto, quam vel philosophiam consummatam, vel sapiẽtiam naturalem vocare possis, per quam aquarum diuersas naturas cognoscebat, florum, fructuumque vim & efficaciam deprehendebat, omnia denique penetrabat: vt meritò de tanta sapientia possimus illud Sapient. 7. occinere. *Est in Sapientia* (Sapient. 7.) *Spiritus intelligentiæ, qui capiat omnes spiritus*; verũ per reliquas scientias ire nolo, ne tam facilia nos à

grauioribus difficultatibus auocent. Hanc autem quæstionem articulo sequenti claudo. Qui Adamum cum Salomone conferre voluerit; videat quæ Pineda de scientia Salomonis fuse refert.

ARTICVLVS IV.

AN EX SOLIS SPECIEBVS SCIENTIARVM INFVSIS potuerit Adamus eas ad praxim redigere, vel de ijs saltem apud se ratiocinari, & apud alios verba facere.

NOn solùm Adamo, sed omnibus habitum aliquem infusum habentibus difficultas ista cõuenit, an videlicet eo statim habitu quis vti possit, vbi infusus est, & quænam ad vsum necessaria videntur; est autem inquirendum, an Adamus alio modo nouerit se infusos habitus habere, quàm nos cognoscamus fidem, spem, & charitatem nobis inditas esse; Itaque primò videndum est, an quis aliquo habitu scientiæ infuso peræquè vti valeat, ac si illum proprio labore cõparasset: 2 quomodo nouit Adamus scientias prædictas sibi diuinitus concessas esse.

Ad primum ita mihi respondendum esse videtur, nullum solis naturæ viribus habitu scientiæ infuso vti posse, ni præter illum aliquid aliud habeat: enimuero si nunc à me Deus species phantasiæ impressas tolleret, quas in addiscenda Medicina, vel alia scientia comparaui, quãtumcunque relinqueretur habitus in intellectu, eo non possem vti; tametsi enim species intellectiles me scientem efficerent, nisi tamen phantasticæ species adfuerint, quibus intellectuales moueantur, perinde erit, ac si nihil scires; quia hæ ab illis quoad exercitium ita pendent, vt sine iis in actum prorumpere nequeãt.

Idem propemodum in fide videmus, nisi enim post fidem infusam species acquiramus rerum, quę ad fidem pertinent, nihil credere poterimus: hinc fit, vt homo baptizat*, ac proinde fidelis inter barbaros, aut in media sylua à iuuentute educatus non magis, vbi adoleuerit, ea quæ fidei sunt, cognosciturus sit, quàm si nunquam fides ei infusa esset.

An verò citiùs atque faciliùs crediturus sit, vbi concionatoris vocem audierit, quàm is qui nunquam aqua baptismali tinctus est, quis explorare poterit? Nunquid ipsa habitus proprietas iuuat potentiam, vt faciliùs operetur? imo nec solùm iuuat, vbi supernaturalis est, sed eam aptam reddit, quæ priùs inepta fuerat. Nunquid ipsa diuini numinis prouidentia? quæ cùm omnia iuxta cuiusq; rei captum regat, atque moueat, suauissimis bonitatis diuinæ regulis congruere videtur, vt hunc fidelem non tãtùm ad verba concionatoris credenda magis quàm alium iuuet, sed etiam præueniat in benedictionibus, vbi concionator abest, præsertim si rationis compos factus naturæ legem sequitur. Quapropter mihi placent admodum illi Theologi, qui affirmant Deum potiùs angelum è cœlo missurum, quàm vt iste sine luce pereat.

Vbi tamen mirabile videtur, quòd aliquis nullum fidei, spei, vel charitatis actum elicere possit, nisi priùs instruatur, etiam si Deus illi fidem, spem, & charitatem omnem infudisset, quam omnes simul homines habuerunt, aut habituri sunt: Tanta est corporis, & animæ sympathia, tanta sensuum, & intellectus connexio, tanta partis spiritualis dependentia à corpore, quandiu peregrini sumus à Domino.

Itaque præter illas virtutes infusas, Adam aliquid aliud habere debuit, nisi dixerimus tunc ea Deum suppleuisse, quæ in nobis requiruntur. An verò præter habitum species corporeæ infusæ, & imaginationi impressæ suffecerint, non ita clarum est, si vsum postulamus. Species enim illæ sensus interni ab externis quibusdam stimulari, & excitari debere videntur, antequam in actum prodeant, aut speciebus intellectus subseruiant. Sed illud minus verum puto; nam experientia satis conuincit nos speciebus internis vti, licet omnes externę absint, enimuero claudat aliquis oculos nocte media, & ab omni strepitu remotissimus videat, an aliquid mente reuoluere possit, sanè fatebitur se non tantùm concipere, sed longè faciliùs quæcunque voluerit apprehendere, quàm si ante eius oculos obiecta prostarent, & alij sensus exteriores propriis obiectis occuparentur.

Hinc facilè dubio secundo satisfaciemus, enimuero debuit Adamus species corporeas habere, vt infusis scientiarum habitibus vteretur, quibus alioquin vti non potuisset. Illis autem positis, & phantasiæ infusis eo modo scire potuit se scientiis ornatum esse, quo iam aliquis nouit se demõstrationes mathematicas, aut alias quaspiam intelligere. Verùm cùm sine speciebus nihil intelligi posse videatur, quibus obsecro illæ scientiæ repræsentabantur? an ipsæ rerum, quæ sciuntur, species ipsam scientiam referunt? an actus ipsi, quibus ratiocinamur, manifestè declarant nos aliquem habitum possidere, à quo illi proficiscuntur? Et quidem habituum nostrorũ nullam imaginem imprimi posse certum est, quia non cadunt sub sensum, nihil autem in intellectu, nisi prius in sensu fuerit. Sed & de phantasiæ speciebus idem dicendum est, quarum nullæ species assignantur, quibus eas manifestè cognoscamus.

Itaque existimandum non est Adamum ita clarè nouisse se scientiarum habitus infusos habere, ac nouimus aliquid ob oculos versari, quia illi nõ cognoscuntur intuitiuè, sed tantũ abstractiuè, & per ratiocinationem, per quam cognoscere potuit se prædictos habitus à Deo accepisse, quandoquidem de rebus omnibus se loqui, atque discurrere posse videbat, quod habitus præsupponit, quos etiam reuelatione cognoscere potuit; imo dicendũ est id à Deo reuelatum fuisse; nec enim alia ratiõne se à Deo formatum esse, & ab eo scientias, & virtutes accepisse nouit, quàm reuelatione, qua præsertim protoplasti regebãtur. Existimo autem Deum tantam rerum omnium cognitionem Adamo concessisse, vt statim atque oculos aperiret, videret hanc

hanc, & illam plantã, hunc lapidem, astra, & quæcunque subijcerentur oculis, perfectè correspondere illi cognitioni, quam habebat à Deo.

Quam admirabilis experientia, per quam aspectu solo clarè sciret hanc herbam huius, aut illius esse temperamenti, hanc specificam qualitatem, has proprietates, & non alias habere, ex ea talem succum, essentiam, oleum, & sal excerni posse, his & illis morbis prodesse. Martem coniunctum cũ Saturno certos effectus producere; cursum omniũ cœlorum in hoc, aut illo puncto incœpisse, & cætera, quæ propemodum infinita sunt. Est verò noua difficultas de sermone, quomodo nempe loqui posset, quomodo ambulare, & alia quæ minimè didicerat, peragere.

ARTICVLVS VI.

QVOMODO POTVIT ADAMVS DE rebus, quas agnoscebat, edisserere, cùm loqui nusquam didicisset.

NOn desunt, qui Adamum arbitrentur ita locutum fuisse, vt hac, & illac linguam mouendo, casu mentem expresserit, adeout ab Eua sermones illius percepti fuerint. Sed id nimiam imperfectionem includere videtur, ideóque malunt alij Deum hanc ei dedisse cognitionem, vt certo modo linguam in ore circumduceret, & hos, ac illos sonos, certáq; verba proferret, quibus suam cognitionem alteri communicare posset. Et quidem existimo tantam sese mouendi facilitatem tum linguæ, tum pedibus, & aliis membris Adami Deum Opt. Max. concessisse, vt sine labore eadem verba pronuntiaret, quorum antea conceptus habuerat in mente formatos.

Arbitror igitur Deum ei linguam Hebræam reuelasse, & perfectam illius cognitionem infudisse, adeout mente conceperit herbarum, & animalium nomina, priusquam illa proferret; quæ cùm efferre voluit, nihil impedire poterat, quandoquidẽ omnes corporis Adami partes optimè dispositas, & ad motum aptissimas Deus efformauit. Eodem modo de cæteris dicendum est, quæ post modum experimentali scientia cognouit. Sunt qui putent sui tantùm cognitionem habuisse, ita vt seipsum perfectè cognoscendo reliqua sciret, quia homo perfectus veluti paruus mundus omnia continet.

At illud neque dici debet, neque fieri potest, tametsi enim homo cunctis creaturis corporeis anteponendus est, cùm sit illis longè nobilior, eas tamen neque virtute, neque formaliter, neque eminenter complectitur; quia nequit efficere, quicquid per illas producitur.

Deus ergo verbum mentis in Adamo mediante specie intelligibili infusâ, & ipsâ potentiâ intellectiuâ actu concurrente produxit, quo verba sciret, quibus vnaquæque res proprio nomine vocanda esset iuxta proprietatum, & naturarum scientiam, quam à Deo infusam habebat. Quam etiam verborum cognitionem Euæ dedisse quis in dubium reuocet? alioqui non intellexisset, quod volebat Adam, nisi malueris eam ab Adamo edoctam fuisse hęc & illa verba leonem, equum &c. significare, quod minus probabile iudico; Decuit enim vtrũque statim à creatione sese intelligere, vt vitæ societas, & mutua conuersatio gratior euaderet; nec tam longo tempore in paradiso cõuersati fuisse videntur, vt Eua linguam Hebræam ediscere potuerit.

Præterea magnam illã facilitatem, & volubilitatem linguæ, quam habitum corporeum dicere possis, Deum ambobus tribuisse puto, vt omnino perfecti essent cum animo, tum corpore: an verò dispositionem illam in digitis habuerint, quæ necessaria est, vt quis testudine, cytharâ, violâ, organis, cæterisque musicis instrumentis vtatur, non ita clarum est, probabile est illas omnes dispositiones, quæ illis mundi primordiis non ita necessariæ videbãtur, futuris eorum exercitiis fuisse relictas. Vnde postea legimus organa, cytharam, & alia, quibus artes, & scientiæ ad praxim reducuntur, inuenta fuisse.

Vnum est, quod difficile videri posset, an cognitio, quæ vulgò dicitur experimentalis, habitus infusos primorum parentum auxerit, & intenderit, an verò nihil in intellectu nouum produxerit, ratio dubij est, quia habitus illi perfectissimi fuêre, nihil vt eis addi posse videretur, an fortè actus reperiti quibus Adam has, & illas herbas videbat, atq; contemplabatur, habitum, & species herbarum infusas intendebant, vel nouas species alterius rationis in intellectu generabant, quibus longè facilius ad practicam rerum singularium considerationem descenderet? nunquid habitus rerum à Deo infusi ad solam contemplationem, & intellectualem illarum cognitionem dirigebat? habitus autem ad praxim dirigens propriis actibus comparandus supererat? An illæ cognitiones ad praxim reductæ eundem illum habitum infusum intendebant, vel potiùs extendebant, non vt noua repræsentarent infusæ species, sed vt alio modo referrent, & faciliorem redderent cognitionem practicam, vel rerũ antea per solam abstractionem, & scientiã simplicis intelligentiæ solummodo cognitarum cognitionem intuitiuam, ac veluti scientiam visionis efficerent? Viderint, qui omnia subtiliùs discutere voluerint, enimuero mei non est instituti omnia hîc ita perpendere, nihil vt intactum supersit, alioquin volumen integrum Adami scientia, & difficultates, quæ repeniuntur in ea, imo plurima volumina iure suo postularet. Hîc de vi nominum agere decreueram, sed iustis de causis ad 2 tomum, pulchram illam quæstionem reseruo.

VERSICVLVS XXI.

Immiſit ergo Dominus Deus ſoporem in Adam; cumque obdormiſſet, tulit vnam de coſtis eius, & repleuit carnem pro ea.

וַיַּפֵּל יְהוָה אֱלֹהִים תַּרְדֵּמָה עַל־הָאָדָם וַיִּישָׁן וַיִּקַּח אַחַת מִצַּלְעֹתָיו וַיִּסְגֹּר בָּשָׂר תַּחְתֶּנָּה׃

Καὶ ἐπέβαλεν ὁ θεὸς ἔκστασιν ἐπὶ τὸν ἀδὰμ, καὶ ὕπνωσεν, καὶ ἔλαβεν μίαν τῶν πλευρῶν αὐτοῦ, καὶ ἀνεπλήρωσε σάρκα ἀντ' αὐτῆς.

VAiaphel, & fecit cadere, נָפַל *naphal* enim cadere, irruere, occidere, iacere, & procũbere ſignificat, vnde gigantes *nephilim* dicti ſunt, quòd eos aſpicientes terrore correpti decidant: תרדמה *tardema* ſomnum, ſoporem, ecſtaſim, & ſimilia denotat, à radice רָדַם *radam*, quæ profundo ſomno opprimi ſignificat, Targum habet שִׁנְתָא, 70. *ἔκστασιν*, quæ etiam Actor. 10 ſuper Petrum cecidiſſe dicitur; vulgata mentis exceſſum habet, iuxta Syrum תִּמְהָא *temba*: Illa etiam dictione, lethargum, catum, ſimiléſque morbos ſignificant. Hebræi tribus dictionibus ſomnum denotant, quarum prima nempe *tardema* capitis grauedinem oſtendit, quando homo nutare incipit; ſecũda שינה *Sina* plenum ſomnum, tertia verò תנומה *thnuma* ſõnum profundiſſimum denotat Aben Ezra in commentario ait *Thardema* plus eſſe, quàm *Schenah*, & *Schenah* pluſquam *Thnumah*. R. D. Kimhi vult *Thumah*, ſeu dormitationem non eſſe adeò fortem, vt *Schena* ſomnum, ſed paululum tantùm dormire per illam dictionem ſignificari putat: per *thardema* verò ſomnum fortem intelligit.

Actor. 10. — Aben Ezra. — R. Kimhi.

Non deſunt cauſæ cur Deus illum ſoporem miſit in Adam, eumque graui ſomno voluit opprimi, quidam volunt, vt minus doleret, quòd pars corporis auelleretur: quod ridiculum eſt, cùm enim id miraculo fieret, neque vigilans Adam dolorem ſenſiſſet; meliùs igitur alij, vt tantum donum ſibi non aduertent, diuino beneficio contigiſſe faterentur; tertiò vt myſterium illud Crucis cogitaremus, in quo Eccleſia è latere Chriſti veluti dormientis fabricata fuit. Hizkuni in ſuo commentario ait tunc Deum Adamo peperciſſe, ne ſi ex viuo coſtã traxiſſet, mors ex dolore ſequeretur. R. Salomon nouam cauſã affert, ne ſi vigilans animaduerteret, & videret ex ſe deſumptam mulierem, eam contemptui haberet. Sexta ratio eſt, vt Adam noſque omnes mirabilem hanc Euæ formationem, & eductionem ex viri latere demiraremur, & Dei ſapiẽtiam, atque prouidentiam prædicaremus. 70 vertũt *ἐπέβαλεν* iniecit, vel immiſit: nec enim ſomnus ille naturaliter accidit, i. nõ ex cibi repletione, & vaporibus cerebrũ opplẽtibus, non ob frigus, vel tenebras, ex quibus ſomnus oriri ſolet, ſed Deo id peragẽte, & ſoporem, quẽ Aquila vocat *καταφορὰν*, Symmachus *κάρον*, immittente. Hoc vocabulum *Tardema* de Iona ſtertente, & graui ſomno correpto dicitur: & c. 15 de Abraham, ſuper quem irruit *Tardemah*: quod & habes 1. Reg. 26. cùm ſopor Domini ſuper omnes irruit: id enim facit Deus, cùm aliquid cupit reuelare, hinc tanta eum in ſomniis oſtendiſſe legimus in ſcriptura.

HizKuni. — R. Salomõ. — 1. Reg. 26.

Hîc de ſomni cauſis non agam, cùm ſermo ſæpiùs de iis recurrat, pauca tamen de ecſtaſi ſubiũgam poſt reliqui textus explicationem: Cùm ergo primus Adam obdormiſſet, tulit vnam de coſtis illius; Nonnulli malunt vertere latus, quia Exod. 26 צֶלַע pro latere tabernaculi ſumitur. Verùm alij meliùs exiſtimant propriè coſtam ſignificare, metaphoricũs verò rei cuiuſlibet latus, nam quia coſtæ ſunt in vtroque latere animalis, dextro, & ſiniſtro, ideo latus rei cuiuſpiam צלע vocatur; quod & ad trabes transfertur, quæ ſunt domui, quòd homini coſtæ. Sic etiam claudus צולע nuncupatur, quòd ex lateribus alteri innitatur: hoc etiam vocabulum *thela* ſumitur in libro Ioſue & 2 Reg. 21 pro loco de tribu Beniamin.

Exod. 26. — 2 Reg. 21.

Multa hîc inquiri poſſunt, quæ quia incerta sũt, omitto, vt an ex tota coſta, vel ſola parte ipſius, an ex carne agglutinata, & cohęrente, an multiplicãdo coſtæ materiam, vel nouam formando, an ex latere dextro, vel ſiniſtro, an Adamo id in ſõno percipiente, necne Deus mulierem produxerit; an plures coſtas Adamo præbuiſſet, quàm nobis, adeout vna productioni mulieris deſtinaretur, an verò pauciores, quàm par erat, Adam poſtea habuerit, vel etiam Deus ſimilem reddiderit, vel, vt textus innuit, carnem ad replendum hiatum diuulſione factum, nullâ redditâ coſtâ, obduxerit. Quæ omnia cum Deo peræque facilia ſint, nec adhoc, aut illud aſſerendum cogamur potius, quàm ad oppoſitum, in medio relinquo.

Non eſt autem prætereundum multos Platonis androgynum hinc repetendum affirmare, de quo Euſeb. 12. de præp. Euang. conſuli poteſt, & ipſe Plato in Sympoſio, vbi hæc habet. *Secuit homines bifariam, quemadmodum ij, qui oua ſecant, vt ea condiant: quæcunque verò ſecuerat, iuſſit Apollini, vt eius faciem, & mediam partem colli ad ſectionem conuerteret, vt homo videns ſuam ſectionem modeſtior eſſet, & alia curari iuſſit, vt faciem conuerteret, contraheréque vndique cutem in ventrem nunc vocatum, quemadmodum qui marſupium facit, illud in os vnum colligit; deerat verò huic quid circa medium ventrem, quod vmbilicum vocant. Et alias quidem rugas leuigabat, & pectora faciebat recta, habens inſtrumentũ quoddam quemadmodum*

Euſeb. 1. — Platonis androgynũ explicatur.

quemadmodum cerdones, quando calceos, & pellium rugas poliunt. Porro paucas rugas reliquit circa ventrem, & umbilicum, ut essent memoriale veteris cladis, ex quibus Euseb. colligit Platonem describere voluisse formationem mulieris è latere viri factam, tanquam scissionem quandam.

Vbi notes velim multa esse fabulosa ex iis, quæ narrat Plato: quamuis enim Deus reuera hominē simul virum, & fœminam duplici capite, brachiis 4, totidémque pedibus, & membris omnibus geminis finxisset, non statim cum Platone aberrandū est, qui virum à sole, mulierem à terra, androgynū verò à terra suam originem duxisse censuit, quem incredibili impetu 4 pedibus, & totidem manibus in orbem cucurrisse refert: qui cùm se fortissimum aspiceret, cum Diis pugnare tentauit, & ipsis cœpit esse molestus: quòd cùm cerneret Iupiter, iussit Apollini homines diuidere, vt in posterum duobus solis pedibus ambularent; quos rursum diuidi iussit, adeout monoculi monóque pedes essēt, si quando vellent in Deos insurgere. Quibus peractis Apollo bifariam per pectus, & ventrem illos secuit, & oculos ad eam partem conuertit, vt sceleris à se perpetrati meminissent, cum partem vmbilicalem veluti nodo ligatam cernerent, ne viscera effluerent diuulsione.

Hinc maximum inter homines amorem ortum fuisse putauit, adeout pars partem deperiret; quia singuli homines veluti dimidiati sunt, & se per cōiunctionem cupiunt redintegrare; quem amorem sub androgyni fabula Plato in conuiuio sub Aristophanis persona abscondisse videtur. Sed de Hermaphrodito, seu androgyno Platonico plurima legere potes apud Leonem Hebræum dial. 3. de amore, vbi sequitur illos, qui volunt Adam, & Euā in eodem corpore creatos fuisse, quod natum est ex historia Mosis perperam intellecta, tametsi non putem esse de fide, quod separati conditi fuerint, nec ideo censerem hæreticum, qui assereret primò Adamum, & Euam ad modum androgyni creatos esse, quos postea Deus separauerit, dummodo aliter sentire paratus esset, vbi nosset Ecclesiam Catholicam contrarium expresse decreuisse, eum tamen saltem temerarium dicendum esse crederem. Leo Hebr.

Hîc autem latitat grauissima difficultas de sopore à Deo immisso, an videlicet illud ita Deo proprium fuerit, vt vi naturæ tantus sopor alicui non possit immitti, qui prorsus impediat, quominus sentire possit, si fortè quis illius costam, aut similem partem ex latere, vel alia corporis parte detrahat, quapropter id breuiter sequenti quæstione discutio.

QVÆSTIO XXX.

AN SOPOR ADAMO IMMISSVS naturali via productus sit, & an quilibet homo ad similem prouocari possit.

GRauissimus profectò somnus, ex quo nequidem exciteris, si non auris vellicatur, non ignis admouetur, non acu pungitur, sed costa educitur; nec vnquam audiui id factum esse, præterquā in hoc versiculo, in quo carnem pro costa Adamo ablata restitutam esse legimus. Veruntamen an illa eductio miraculum dici debeat, & quo iure forsitan ambiget aliquis: miraculosam omnino existimo, curnam verò? an quia nullus viuere potest, costa detracta? an quia momento ablata est? an quia caro mox pro ea subrogata fuit? an quia absque dolore? Equidem hæc omnia non pauca miracula includere videntur, quæ nunquam, puto, experti Anatomici negabunt.

Verùm in præsentia de sopore quærimus, an tāto quis opprimi valeat, vt sine sensu costa possit adimi. Quod fieri posse non nemo existimabit, si omnia fermè animalia ob hyemis asperitatem latentia, & velut emortua consideret, angues, ranas, muscas, erucas, glires, mures montanos, turtures, hirundines &c. quorum historiam non ideo refero, quòd responderi posset non conuenire homini, quòd illis animalibus; quamuis enim glires, dum aluntur somno, sicut & montani mures tam altè dormiant, vt effossi non excitentur, nec etiā in partes abscissi moueantur, vt alibi retulimus, donec aquam feruentem sentiant, attamen non sunt eiusdem temperamēti, vel speciei; quapropter ad ipsos homines me conuerto. Alexander Guaguinus Veronensis in sua Moschouiæ descriptione quosdam populos refert Lucomoriam vlterioris Sarmatiæ regionem incolētes quotannis 17 mensis Nouembris die, velut hirundines, & ranas præ intenso brumali frigore mori, vel potiùs obrigescere; postea redeunte vere 24 Aprilis eos denuò reuiuiscere. Ipsos autem hoc modo commercia cum Grustintziis, & Sperponomtziis populis sibi vicinis habere. Cum iam futuram mortem sibi imminere sentiunt, tunc merces suas certis in locis deponūt; quas Grustintzij, & Sperponomtzij, suis mercibus interim æquiualentibus eodem loco relictis, auferunt. Illi autem reuiuiscentes, illas merces, si æqua commutatione sibi placuerint, pro suis accipiunt; sin minus iustæ fuerint, à Grustintziis, & Sperponomtziis suas repetunt, vnde lites, & bella inter eos sæpissimè oriri dicuntur. Guagvin. Mira historia.

Hîc sanè maximè Dei relucet prouidentia: quia ne cerebrum frigori patens periclitaretur, dum rigere incipiunt, tenuis, & aquea pituita è naribus stillans, vt & sputum, congelatur, & vt glacies è stillicidiis pendula producitur, vt naribus obturatis cerebrum aëris inclementiæ minus peruium, & penetrabile sit. Alioquin si stiriam illam vi diuellere tentes, statim irruente, qua data porta, in cerebrum aëre frigidiore natiuus eius calor extinguitur, iacentésque æternùm pereunt Lucomori. Sin tempestatis serenioris leni aura detur frui, fusa illa pituita, sensim calor redit ossibus, redit suis membris vigor, & sensus, idemque qui priùs inerat, functionum omnium ordo.

Ab his igitur tam altè dormientibus, & tanto sapore oppressis auferri poterit costa absque dolo-

D.August. ris sensu. Quod D. August. c. 24 l. 14. de ciuit. confirmare videtur, dum ait presbyterum Restitutum nomine pro libito ita se à sensibus abstulisse, vt mortuo iaceret simillimus, nec vellicantes, atque pungentes, imo nec ignem vrentem perciperet, & in eo tanquam in defuncto nullus halitus inueniretur.

Hîc autem duæ sunt difficultates; prima, an ille sopor seu somnus, aut ecstasis alicui, an omnibus naturaliter contingere possit. 2 An siue naturaliter, siue dæmonis arte, siue etiam virtute diuina sopor ille concitatus fuerit, costa sine miraculo nouo absque dolore, vel sensu auferri valeat. Quod ad primam attinet, extra controuersiam esse videtur quibusdam soporem hunc contingere posse, si dictis historiis fidem habemus; nec enim in Lucomoris somnum illum altissimum Dei virtute peculiari, aut arte dæmonis, sed vi naturæ conciliari puto. De Restituto maius dubium suboritur, nec enim facile credidero hominem, quandocúnque voluerit, in ecstasim abire posse, ad quam videlicet dispositio requiritur, quæ non est semper in manu: loquor autem de naturali ecstasi, non diuina, vel diabolica: & generaliter pro sopore, veterno, & altissimo somno, nunc ecstasim sumo.

Veruntamen quantuscunque sopor ille fuerit, mihi certum est costam, vel absque morte, vel absque sensu, manu Chirurgi nusquã tolli posse, tametsi suas omnes nouaculas, stylos, hamulos, tubulos, serras, terebras, malleolos, spongias, modiolos, acus, forficulas, scalpella, macherias, ascias, Scolopomacherias, Menyngophilaces, omnem Galeni apparatum, ἐκκοπέας, μήλας, σπαθομήλας, διπύρηνα, μηλωτρίδας, τρύπανα, & omnia tam Chirurgicæ, quàm Anatomicæ facultatis instrumenta adhibeat. Enimuero si vita quidpiam in centro cordis residuum est, vt reuera esse debet, si sopore, non morte homo afficiatur, (vires enim totius naturæ superat, vt homo viuat, corde vitam non habente) costæ abscissione, vel residuum illud extinguetur, vel summas vires exeret, vt homo substractionem illam percipiat.

Instrumẽta Chirurgorum.

Quanquam non video demonstrationem apertam: imo non desunt rationes probabiles, quibus conficiatur, id naturæ vires minimè prætergredi, quarũ mihi potissima videtur, quæ sequitur. Certũ est sensum non immediatè pendere à corde, nec enim arteriæ, quas producit, sensus organa sunt.

Sed ad cerebrum recurrendum est, cuius canales motum, atque sensum deferunt, vt neque sensus, neque dolor esse possit, si nerui humore adeò crasso, atque viscoso obturentur, vt spiritus animalis fluere nequeat. Vnde si humor ille tam crassus est, vt neque costæ substractio, neque cordis motus, aut vitalis spiritus eum dissoluere possit, costa non vna tantùm, sed vel omnes, vel plurimæ absq; dolore tolli poterunt; dummodo pericardium, vel ipsum cordis viscus non lædatur. Quæ confirmantur ex Narcoticis illis, quib⁹ Medici his soporem, atque somnum tam altum inferre dicuntur, quib⁹ crura, vel brachia, aut aliæ partes corporis abscindendæ sunt, vt nullum dolorem durante sectione percipiant.

Verùm quicquid sit nunquam id in costa peractum est, nec credo, sine morte, vel sensu fieri potest, licet non sit aperta ratio, etenim theoriæ sæpius non respondet experientia, vel quia minus benè omnia administrantur, vel quia ratio vera latet.

Certo verò certius est naturaliter carnem pro ea reponi non posse, quamuis enim id fieri concedamus, vulnus reliquum erit, & à sopore excitatus homo maximo dolore afficietur, vel etiam morietur, vnde patet non sine multis miraculis costam illam Adamo substractam, & carnem pro ea repositam fuisse. Quis enim obsecro synarthrosim illã costarum cum sterni cartilaginibus, vel diarthrosim, quis illas articulationes, quibus ad vertebrarũ corpus & transuersam apophysin connectuntur, quis, inquam, tam firmas connexiones absque dolore soluet? quis à palmula, & remulo carnem, venam, arteriam, neruum separabit? Nec mihi dixeris costam illam eductam ex illis fuisse, quæ μαλθακαί, χονδρώδεις, ἀκατάρτιοι, & νόθαι πλευραί dicuntur, tametsi enim hæ quinque non habeant perfectam cum sterno articulationem, non minus tamẽ quàm γνήσιαι, & germanæ, siue ἀληθιναί sint, siue στερεαί, siue στηθιαῖαι, vertebris coniunguntur, & sua carne, vena arteria, & neruo fulciuntur. Quò fit, vt absq; sensu nulla detrahi queat. Adde quòd illa costa, quæ ex Adami latere educta est, vna ex sternitidibus, siue pectoralibus fuisse videtur, eáque fortè sexta, quæ est secunda pectoralis, vt quodammodo senaria costa dierum senario, sextóque Dei operi responderet.

De costis, & earũ nomina.

An verò dæmonis ope possit illud effici maius dubium esse videtur: quandoquidem ei pauca ex iis deneganda sunt, quæ ad res corporeas attinent, cùm ob maximam eius subtilitatem, & experientiam longissimam, tum ob illius potentiam, quæ tanta est, vt minus ei ferrum, quàm nobis papyrus, aut palea, vel aër resistat, iuxta c. 41 Iob. versic. 18. *reputabit enim quasi paleas ferrum, & quasi lignũ putridum æs*: de quo cùm plurima dixisset, ita concludit v. 24. *Non est super terram potestas, quæ comparetur ei, qui factus est, vt nullum timeret.*

De potestate dæmonis.

Iob. 41.

Equidem illa costæ eductio fieri posse videtur à dæmone, licet neque sensus, neque dolor vllus sopore durante percipiatur; cur enim nõ poterit omnes cerebri, neruorúmque meatus humore tã crasso opplere, vel sine humore spiritus ipsos animales impedire, quominus ad alia membra descendant? Hinc fit, vt magi vi dæmonis concurrente aliquas partes hominis sine dolore abscindere valeant, & similia plurima efficere, quæ nescientibus miracula videantur.

Sed illa dæmonis ope peragũtur, qui nullũ possũt efficere miraculum propriè sumptum. At non statim concludas nullum in eductione costæ miraculum contigisse, cùm id penes dæmonem esse dictũ sit: enimuero omnes Angeli simul sumpti nequeũt eo modo costam ex homine educere, quo Deus eduxit ex Adamo, tum quia momento nequeunt, tum quia carnem pro ea statim reponere nequeũt, quæ costæ locum repleat; quamuis enim eam fortè in puluerem redigere possent, & per poros sine vllo vulnere traiicerent, vacuus locus in corpore remaneret, qui post soporem esset causa vehementis doloris, nisi fortè perpetuam Angeli fingas operationem, qui pharmacis quibusdam impediat, ne dolor percipiatur.

Quid si dixerint aliqui carnem ipsam reponi posse ministerio Angelorum, qui sanguinem vel ex iecore, vel ex aliis partibus ad illud spatium replendum adducant, & quodam herbarum succo, vel symphiti maioris, vel semper viui, vel omnium consolidarum, vel aliquo alio sanguinem illum consolident, & in carnem conuertant? Dicant illi

illi, iure ego pernego: siquidem illa est carnis natura, vt non statim momento generari possit, sed pedetentim illud fiat, & priùs rudiores partes, deinde cæteræ formentur, necesse est. Deinde facere nequeunt, vt calor naturalis illuc confluat, qui ad carnem ita citò generandam sufficiat, quod neq; futurum est, licet totius hominis calor accurrat, & carni formandæ totus incumbat. Verùm quid tandiu in re tam perspicua hæreo? quid absurdi sequitur; si Deus illam eductionem Angelorum ministerio perfecerit? an minor Dei potestas, prouidentia, vel bonitas apparet?

Enimuero si possint illud Angeli, eò diuina virtus commendabilior est, quæ tantam vim etiam creaturis cōferre voluit: vt vt sit, illud vires hominum superat, & illam eductionem Deo acceptam ferre debemus, quæ hac ratione virum mulieris principium constituit, vt sicut omnia tam visibilia, quàm inuisibilia pendent à Deo, ita omnes homines ab Adamo suam originem desumerent. Iuuat autem historia mirabilis, quàm nobili cuidam Gallo ex Narbonensi prouincia oriundo, & à Turcis capto contigisse ferunt, quem cùm in Thraciam abduxissent, dynastæ Bellerbeco i. præfecto militum, vt Vuier. suspicatur, dederunt; quem cùm perhumaniter excepisset, eo quòd gynecæo ob formam, & ætatem destinatus esset, vno die tanta cibi potusq; varietate, nec non multitudine ingurgitârunt, vt in somnum triduanum inciderit. Quo finito cùm experrectus mingere vellet, se exsectum deprehendit, tum demū attonitus cognouit, quàm diu dormisset, & cur tam lautè semper, ac affluenter tractaretur, atque ex quo cibi genere tam alto somno correptus fuisset.

Vide si vis lapidem Memphitem apud Dioscor. Dioscorid.
l. 5. c. 115. quo contrito, & cum aqua vinóque epoto stupor omnium sensuum inducatur, vt nullum omnino dolorem sentias: consulantur Iurisconsulti de tortura agentes, Paris de puteo, & alij. Quæ Paris.
quidem si vera sunt, iam video aliquos in dubium reuocare posse, an costa Adami, vel alterius hominis sine dolore, atque sensu è suo loco extrahi possit. Et quidem si testes exscindi possunt, & euelli sine dolore, non est leuis dubitandi ratio de costa, quanquam nequidem id de costa concedere debemus, nam longè dispar est ratio; cùm illi longiùs absint à corde, vitæ principio; adde quòd in illis auellendis, aut abscindēdis nullæ partes principes concutiuntur, nec ita pectus aperiendum est, atq; in costæ eductione. Itaque concludo costam sine dolore minimè nisi à solo Deo extrahi posse, siue id per seipsum, siue per alium peragat. Cætera quę hîc adduci possent, alibi commodiùs afferri poterunt.

VERSICVLVS XXII. ET XXIII.

XXII. *Et ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam in mulierem, & adduxit eam ad Adam.*

XXIII. *Dixitque Adam: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: hæc vocabitur virago, quia de viro sumpta est.*

XXII. וַיִּבֶן יְהוָה אֱלֹהִים אֶת־הַצֵּלָע אֲשֶׁר־לָקַח מִן־הָאָדָם לְאִשָּׁה וַיְבִאֶהָ אֶל־הָאָדָם׃

XXIII. וַיֹּאמֶר הָאָדָם זֹאת הַפַּעַם עֶצֶם מֵעֲצָמַי וּבָשָׂר מִבְּשָׂרִי לְזֹאת יִקָּרֵא אִשָּׁה כִּי מֵאִישׁ לֻקֳחָה־זֹּאת׃

XXII. Καὶ ᾠκοδόμησεν κύριος ὁ θεὸς τὴν πλευρὰν, ἣν ἔλαβεν ἀπὸ τοῦ ἀδὰμ εἰς γυναῖκα· καὶ ἤγαγεν αὐτὴν πρὸς τὸν ἀδάμ.

XXIII. Καὶ εἶπεν ἀδὰμ, τοῦτο νῦν ὀστοῦν ἐκ τῶν ὀστῶν μου, καὶ σὰρξ ἐκ τῆς σαρκός μου αὕτη κληθήσεται γυνὴ, ὅτι ἐκ τοῦ ἀνδρὸς αὐτῆς ἐλήφθη αὕτη.

Hic 22. versiculus satis Iudæorū Lilith, & androgynū Platonicū refellit, de quo suprà. Vtitur verò Moses ædificandi verbo, ac si humanæ speciei ædificium in Adamo tantū incœptū fuisset, & in Eua perfectum: vel quia partes infernas domus instar latiores habet, vt ferat vterū, superiores

verò angustiores, vnde colligunt Hebræi fœminam esse domus fundamentum; alij חָבֵן *vayben* ad intelligentiam, atque prudentiā referunt, vnde puellas aiunt masculis ferè astutiores, & ingeniosiores esse. Et quidem בָּנָה *bana* significat, fabricare quocúnque modo volueris; vnde procreationē, & educationem liberorum sæpius innuit, qui à parentibus exstruuntur, & ex quibus ipsæ familiæ ædificātur, instaurantur, & conseruantur, adeout filius instar ædificij, pater fundamenti sese habeat, ideóq; is appellatur destructus, qui liberos non habet: hinc natæ sunt illæ scripturæ locutiones *ædificabor ex ancilla*. i. suscipiam ex ea liberos Gen. 16. v. 2. & *qui non ædificabit domum fratris sui*. Deut. 25. v. 9. idest, qui nollet suscitare semen fratri suo: Inde בֵּן *ben*, & בַּת *bat* filius, & filia dicitur: de quibus nos alibi.

Gen. 16. Deut. 25.

Ædificauit igitur Deus, atque formauit costam in mulierem, quam non fecit ex capite, ne superbiret, nec è pedibus, ne viro esset abiectior, & tantummodo ancilla, sed ex latere, vt vir agnosceret eam sibi datam esse sociam, & adiutricem, veluti dimidiā sui partem: addit Bereschit Rabba non ex aliis partibus factam esse, quia vel frigent, vel ineptæ sunt; at hæc est inepta ratio: sicut & ea, quam proferunt Hebræi, nempe ex osse fabricatam duriori, intractabiliori, & peruicaciori, quia fœminā præuidebat Deus pertinacem, & causam iurgiorū fore, ideóque hominem, quia ex luto factus est, tractabiliorem. R. Iosue ait ex ea parte, quæ brachiis absconditur, factam esse mulierem, in signum verecundiæ, vt sese viro subiectam meminerit, & vir eam suo tegat præsidio, ac veluti sub vmbra alarū suarum conseruet, & protegat. Hebræorū alij putant hîc ædificandi verbo Mosem vsum fuisse, quia ex osse, velut ex structura lapidum fiebat Eua, quam לְאִשָּׁה *leissah* in mulierē fecit, quod per prolepsim seu anticipationem dictum est, nondum enim eam virissam, seu viraginem vocauit Adam: hæc autem dictio significat fœminam, non simpliciter, vt נְקֵבָה supra, *masculum, & fœminam creauit eos*. c. 1. v. 27. sed matrimonio iunctam.

Ædificandi verbū quid significet in scriptura.

Ber Rabba.

Cur mulier ex latere facta.

R. Iosue.

Nonnulli discutiunt accentum, & vocales, quæ sub לְ hîc ponuntur; nam in bibliis reginæ Camets scribitur, in aliis patach sub לְ; quod parum refert, tum quia ֶ, & ַ sæpe ante ע permutantur, tum quia facile fuit Rabbinis quas voluerint motiones, & accentus sub litteris apponere.

Sanè si mysteria velimus in motionibus inuestigare, plura etiam, quàm Rabbini, producemus, sed hæc maiori ex parte futilia sunt, vt quod Massoreth ait costam hominis per Kamets paruum .i. tseri, scribi, aliā per patach paruū .i. segol, quòd ei satis fuerit ascēdere ex gradu patach parui, in quo erat, ad Kamets paruum, adeout in Kamets magnū mutari nō debuerit, quasi fœmina ex costa viri facta, ad dignitatem viri non planè ascenderit, sed fuerit inferior, quod tametsi verū est, perperā tamē, ac sine fundamēto sufficiēti hanc veritatē eliciunt. Quod legimus לְאִשָּׁה *leissa* in mulierem, idem est ac, vt esset mulier, hoc enim ל finem rei significat, siquidem Deus Euam ex costa formauit in hunc finem, vt esset vxor Adami.

Massoreth.

Adduxit eam ad Adam. וַיְבִאֶהָ *vabieah*, non quod extra paradisum producta fuisset, sed illa adductio satis intelligitur, cùm eam Adamo dederit in sociam, vt Deo gratias ageret: Verbum autem illud non simpliciter, *adduxit*, significat, sed vt ex ea liberos susciperet, & eius operā vteretur. Fit à radice בּוֹא *boa*, vel בָּא iuit, vel venit, vnde habet in hiphil הֵבִיא *hebi* .i. duxit, tulit, adduxit &c. Hinc primum mariti cum vxore congressum Rabbini vocant בִּיאָה, ac vxorem tribus rebus acquiri בְּכֶסֶף בִּבִיאָה וּבִשְׁטָר, id est argento, seu dote, concubitu, & literis, seu pacto, & instrumēto. Hebræi ex illa *bie* dictione, quod sit manca sine iod, colligunt 24 ornamentorum genera propter numerum, ad quem hæ litteræ ויבאה ascendunt, quibus volunt Euam ornatam fuisse, cùm ad Adamum adducta est, quod de animæ ornamentis intelligere debent, alioqui corpore nuda erat. Sequuntur Adami verba ex vers. 23 deprompta.

Tribus modis vxorem acquiri.

24 ornamēta Euæ.

Hoc nunc os ex ossibus meis; hæc est, inquit Adam hac vice, socia mea, adiutrix mea, vxor mea, quam inter animalia minimè repereram: cogita obsecro quàm strictè eam amplexus est, quàm blandè, quàm lætè, quibus verbis, quo animo, quo gaudio, quam læta, serenáque fronte eam sibi à Deo oblatam excepit. Hæc est, quam tamdiu quæsiui, hæc est caro mea, sanguis meus, pars mea, quam nunquam relicturus sum, cum ea degam, & tranquillam vitam ducam, cum ea omnia opera communicabo. Si quis inquirat, quomodo fieri potuit, vt Adam cognosceret eam ex sua costa factam esse, meminerit soporis ecstatici, quem Deus illi superiùs immisit, nam in ecstasi reuelationes, & suggestiones internæ diuinitùs fieri solent: nec opinor, à vero longè aberrauerimus, si primum hominem in ecstasim raptum dixerimus Deum orasse, vt ei daret sociam, & vxorem; moxque ad se rediens primus mundi propheta factus est.

Versic. 23.

זֹאת הַפַּעַם Zoth *hapaham*, nunc, hac vice, quidam Hebræi *Zoth* ad mulierem referunt, vt sit hæc, referente Fagio, quod Mercer. negat; alij malunt has duas dictiones simul iungere, vt sit hac vice, quia Hebræi coniunctionem propinquitatis, aut animorum, & voluntatum hac locutione exprimunt. פַּעַם *paham* fit à radice פָּעַם idest pulsauit, & agitauit, & pro hac vice, hoc tempore, semel, nunc, ictu vno, sumitur in duali פַּעֲמַיִם *pihamain*, duabus vicibus, vt pluribus in plurali; hinc nolam, seu campanam פַּעֲמוֹן *pahamon* appellant.

Os ex ossibus עֶצֶם *hetsem* propriè robustum, & solidum denotat, ideóque rectè de osse, & cæteris rebus fortissimis, etiam de rationibus inuincibilibus dicitur, quod & vsurpant ad rei substantiam, essentiam, prædicamentum, & similia significanda. *Et caro de carne mea* בָּשָׂר vnde Piel בִּשֵּׂר *biser* idest rem bonam, & lætam nuntiauit, vnde בְּשׂוֹרָה *besorah* Euangelium, seu nuntius bonus; at per synecdochen pro corpore humano, carne, animali, & homine sumitur, sicut & pro consanguineo, & metaphoricè pro re fragili, & debili, molli, & tractabili, pro natura hominis vitiata, & morti obnoxia, & pro partibus innominandis: sed hîc significat carnem, vel etiam corpus.

Hetsē quid.

Besorah quid.

Superest nomen mulieris, quam Adamus viraginē deinceps vocari cupit: vbi gloriantur Hebræi, quòd in sola sua lingua mulieris nomen à viri nomine deducatur, hinc enim inferunt, nec malè, primam totius mundi linguam hebræam fuisse: attamen vira, virissa, seu virago, *ἀνδρίς*, & *ἀνέρα* dici possunt, tametsi enim non adeò latina sint, vel Græca, possunt Latini, Græci, & aliæ nationes nouas dictiones instituere, quod maximè fas est, vbi noua mysteria deteguntur, quæ illi nesciebant, ad quos idiomatis inuentio refertur, vt iam nos viraginem

ginem vsurpamus, & quidam grati verterunt ἀνδρίς. Ex illa autem nominis impositione ius declaratur, quod Adam habet in vxorem. Ab אשה verò dictione, quæ ab איש deducitur, Iod detrahitur, vt daghes sit loco *hannach*, vel vt differat ab אישה idest maritus eius: Hebræi causam aliam afferunt, quia minus habet vxor, quàm vir, ideóque loco י ex nomine mulieris detracti ה ad formationem sexus, & generis ponitur. Præterea aiunt ex illis duabus litteris fieri nomen Dei יה, vt sciamus Deum Matrimonij autorem fuisse: & Deũ coniugibus sæpe adesse, nisi fornicationi sese dederint, tunc enim ab eis litteras י, & ה sui nominis tetragrammaton aufert, vt אש, seu ignis remaneat, quia sine Domino coniugium miserum est, & iurgiorum, rixarumque plenum, atque fax dissidiorum: 70 verterunt ἀυτη κληθήσεται γυνή ipsa vocabitur mulier, vxor &c. vbi non sunt assecuti hebræarum vocum allusionem.

Ista mulieris nomen discutitur.

איש is ab inusitata radice איש .i. sonuit, repetunt, & significatione cum אוש congruit .i. firmus, & robustus fuit, vt apud nos vir à viribus, & virtute dicitur: per איש etiam relatiua quis, aliquis, quilibet, vllus, & sexus masculus cuiuslibet animãtis, & sæpe vir præstans & eximius siue in aliqua virtute, & arte, seu vitio vocatur; & per excellentiã aliquos Dei viros appellari videas, quales in veteri testamento 10 enumerant, Mosem, Elcanã Samuelem, Dauidem, Semeiam, Iddo, Eliam, Elisæum, Micheam, Amos, & Timotheum in nouo testamẽto 1. ad Timot. c. 6. & c. 3. Cùm sine י scribitur אש significat יש ies .i. ens, & existens. אשת verò sequẽte genitiuo scribitur per ה cum ' pũctis אשת, quod & abortiuum mulieris significat, imo & talpam, si Targo credamus, qui Psal. 59. v. 9. נפל אשת *nephel eseth* vertit *nephila* ... abortiuus, & talpa. Hinc deducũt. אישון *ison* pupillam oculi, siue vueã, quia in ea veluti paruus homo videtur, vnde & Græcis κόριον, & ἀνδρίσκος appellatur. Vide Prouer. 7. v. 2 & 9. Iuuabit autem aliquos, si horum verborum sensum allegoricum afferamus, quem nonnulli eis tribuunt. Qui per hæc verba, *hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea* mysterium Incarnationis, & Natiuitatis Christi significari putãt, quibus fauet D. August. serm. 6 de tempore. Volunt autem vnã de costis suis patrem tulisse, vnũ videlicet Verbũ, quod in sinu Patris sit velut os fortissimum, & impassibile, quod veste carnali, & infirma vestiuit, idque tam admirabili coniunctione, vt vnitaté personæ haberent, adeout verè Deus homo, & homo Deus, eiusque caro, Dei caro nuncupetur. Hinc fit, vt ipsa Christi persona, & infirma caro hominis Dei sit os ex osse, & caro de carne. Ideóque dixit Apostolus magnum ibi latere mysteriũ, & D. Aug. oratione contra Iudæos, & Arrian. c. 6. id Psaltis, *Semel locutus est Deus, duo hæc audiui*, de creatione primum verbum, secundum de Incarnatione, seu recreatione intelligit. *Per hoc*, inquit, *quod semel locutus est Deus, surrexit omnis fabrica nostra. Per hoc, quod secundò sonuit, factus est pax nostra, vt solueret inimicitias nostras.*

1 ad Tim. 3. & 6.

Psal. 59.

Prou. 7.

August.

Verbum æternum ossi collatum.

Iam verò sicut os latet sub carne absconditum, ita & Verbum vnitum carni humanæ in ea coopertum est, nec enim oculis nostris patet, quin nec angelicis; cùm dæmon id ignoraret, vt patet, dum ab eo quærit, an sit Dei filius: vnde Isai. c. 45. *verè tu es Deus absconditus*, & c. 58. *quasi absconditus vultus eius.* Deinde os ex se dolorem non sentit, sed tantùm ratione carnis, cui vnitur, ita Verbum ex se nihil pati poterat, erat enim velut os, iuxta id Ioh. cap. 19. *Os non comminuetis ex eo*; sed tantùm ratione carnis patiebatur; hinc vbi ad Heb. 2. legimus, *Vt gratia Dei pro omnibus gustaret mortem.* D. Ambros. l. 2 de fide c. 4. & l. 5. c. 4. habet. *vt sine Deo pro omnibus gustaret mortem.* Tertiò sicut os est fortitudo carnis, teste Philos. 2. de part. anim. c. 8. & costæ ventris, ita Verbũ est humanæ naturæ assũptę robur, vt Christus secundum carnem sibiipsi, vt Verbo dicere potuerit, quod psaltes Psal. 17 canit. *Diligam te, Domine, fortitudo mea, Dominus firmamentum meum*: sed, & Verbum omnia firmat, ad Hebr. 1. *portans omnia verbo virtutis suæ.* Itaque in carne verbum absconditum fuit, iuxta Abac. 3 *Ibi abscondita est fortitudo eius*

Isai. 45. & 58.

Ioh. 19.

Ad Hebr. 2.

Ambros.

Aristot.

Psal. 17.

Abac. 3.

QVÆSTIO XXXI.

DE IIS QVÆ IN FORMATIONE EVÆ CONTIGERVNT.

INfinita propè quæstionum multitudo menti meæ occurrit circa mulieris ex Adæ costa ædificationem, enimuero præter ea, quæ in explicatione contextus dicta sunt, non desunt, qui postulẽt; cur Deus nõ immediatè produxerit Euam ex limo; cur non simul cum Adam; ex quo latere; cur non similis in robore fuerit; cur Deus hominem ita faciebat, vt ad generandum non indigeret muliere: cur non omnes homines, sicut & Adamum producere noluit, & alia plurima, quorum nõnullis breuiter Respondeo Deum hæc omnia ita disposuisse, vt generatio hominum beatissimã Trinitatem, & vt ita loquar, beatissimam illam diuinitatis œconomiam repræsentaret, in qua vna persona, nẽpe Pater, est principium sine principio, à quo sunt aliæ personæ, sic enim ab vno homine cæteri proficiscuntur, ideóque ex latere Adami Eua debuit educi, ne sola ab vno primo homine oriũda non esset: genitus Filius cum Patre Spiritum sanctum produxit, Eua verò ex costa educta cum Adamo Filium procrearũt. Itaque varias habemus generationes, quarũ prima reliquarũ origo est diuina, in qua Filius à Patre sine matre generatur. Secũda est Caini, qui à patre matreq; ing[...], vtpote à Deo solo productis, ortum habuit: tertia est Christi, quæ fuit à matre sine patre: quibus si formationes Adæ, & Euæ subiungas, quinque habebis.

Rectè autem duos errores Caietani reprehẽdunt interpretes, primũ, dum ait Euam non verè de costa productam fuisse, sed metaphoricè loqui scripturã, quod est contra hos versiculos, in quibus de viro sumpta esse dicitur, & D. Paulum 1 ad Cor. 11. vbi ait. *Nõ enim vir ex muliere est, sed mulier ex viro*: secundũ, vbi ait eodem instanti productam fuisse Euam cum Adamo. In hac autem productione Deus costæ nouam materiam addidit, quam in mulierem effinxit? nec ita mireris ex tam parua costa cum aliqua carne cohærente mulierẽ iustæ magnitudinis cũ omnibus neruis, venis, fibris, ossibus, musculis, cæterisque partibus efformatam, quin memineris Deum infinitos habere modos, quibus id efficere valeat.

Caietani errores.

1 ad Cor. 11

Si quotidie vides ex feminis guttula totum infantem, ex grano sinapis plantam arborescentem, & ex arborum seminibus, vel surculis tantos trūcos enasci, quid dubitas ex vna costa Deum non vnam solùm mulierem, sed & omnes homines producere potuisse? Quomodo verò potuerit, si quæris, certum est iis omnibus, qui nullam repugnantiam inuoluunt, quos omnes nulla creatura comprehẽdere potest, sunt enim infiniti, iis inquā modis omnibus potuisse. Volunt autem aliqui ex latere dextro formatam esse, quia Christus in Cruce vulneratus fuit in latere dextro, & debuit vxorem, vt consortem regni primus homo ad dextram ponere: iuxta id; *astitit regina à dextris tuis*: alij è læuo exiisse putant, in quem vergit cor humanum, propter magnum amorem, qui inter virum, & mulierem esse debet, vtque declararetur fœminas esse viris infirmiores: latus enim sinistrum infirmius est; adde quod mares in dextro, fœminæ in sinistro latere gignantur, nec sinistrum consistit, nisi dextro fulciatur.

VERSICVLVS XXIV.

Quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.

עַל־כֵּן יַעֲזָב־אִישׁ אֶת־אָבִיו וְאֶת־אִמּוֹ וְדָבַק בְּאִשְׁתּוֹ וְהָיוּ לְבָשָׂר אֶחָד׃

Ἕνεκεν τούτου καταλείψει ἄνθρωπος τὸν πατέρα αὐτοῦ, καὶ τὴν μητέρα, καὶ προσκολληθήσεται πρὸς τὴν γυναῖκα αὐτοῦ.

R. Salom. Math. 9. HEbræi putant hæc verba esse Spiritussancti, teste R. Salomone; & quidem ea Christus Dominus Deo tribuit Math. 19. vers. 5. *Non legistis, qui quia fecit hominem ab initio masculū, & fæminā fecit eos? & dixit: Propter hoc dimittet homo patrem, matrem, & adherebit vxori sue, & erunt duo in carne vna, Itaque iam non sunt duo, sed vna caro: Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.* Hebraicè legitur עַל כֵּן propterea, & pro, adhærebit, דָּבַק *dabac*, 70 προσκολληθήσεται conglutinabitur, vt vertit Tertul. Tertul. Caluin. Perperam verò Caluinus cẽset hæc esse verba non Dei, non Adæ, sed Mosis, vt doctoris, quod est contra textum expressum Gen. & Apostolum; *Dabak* non simpliciter, sed amanter, & coniugali affectu adhærere significat, quo maritus vxorem, velut os suum, & carnem suam, suique compartem amplecti, fouere, nutrire, & ab omni iniuria conseruare debet. Onkelus ita vertit, relinquet vir domum lecti patris sui, & matris suę, & hærebit in vxore sua; Onkel. cùm enim domum nouam cum vxore sua constituat, consuetudo domestica cum patre, & matre intermittitur: Vbi fortè alludit Onkelus ad morem antiquum, quando filij in parentum cubiculis dormiebant, donec adulti elocarentur.

Parentes ergo relinquendi sunt vxoris intuitu, non tamen quoad honorem, amorem, obedientiam, auxilium, & subsidium, sed tantùm quoad familiam, cohabitationem carnalem, & coniugalem societatem, nec enim liberi ob sanguinis coniūctionem cum maioribus, aut posteris suis in rectâ lineâ connubio iungi debent, ideóque extra domum paternam coniugalis thorus ineundus est: nec tamen improbo consuetudinem, quæ viget in quibusdam Prouinciis, vt liberi etiam post coniugium patri subditi remaneant, eique etiam obediant in iis, quæ pertinent ad rem domesticam; quandoquidem experientia constat illud œconomiæ genus, (communitatem vocant) bonorum communionem appellare possumus, non parū ad rē familiarem augendam, atque fouendā prodesse.

Tametsi verò maior reuerentia debeatur parentibus, vxor ardentiùs amanda est; quod si pater, & vxor essent in pari necessitate, citóque verbi gratia morituri, nisi eis succurreres, ita tamen, vt non posses ambobus opē ferre, sed vni solùm; tunc plurima spectari possent, vt ratio boni, quæ maior est in patre, quia habet rationem principij; maxima coniunctio cum vxore, ex qua maior amoris intensio, seu feruor oriri solet: videndum etiam an vxor magis necessaria sit, vt liberos susceptos educat, & alia id genus, adeout tunc existimem virum opitulari debere ei, quem magis necessarium credit. Num patri potiùs quā matri, aut filio succurrendum sit.

Alioqui debet patrem suum præferre, à quo sui esse desumpsit; quod sanè tantum beneficium esse censeo, vt æqualiter nequeat ei satisfieri, nisi, si necesse est, filius suam vitam pro parente libenter impendat. Adhærebit ergo בְּאִשְׁתּוֹ *beisto* .i. in vxore sua, vbi בּ seruile iunctum cum *issa* quandam emphasim habere videtur, ideoque vocant illud בּ adhæsionis, siue accessionis. 70 legunt εἰς σάρκα μίαν, in carnem vnam, quibus verbis animorum indissolubilem nexum, & copulam intellige, quæ mutuo amore, vnanimi affectu, conformi voluntate, placido conuictu, & grata conuersatione coniugali sita est. Eugub. vertit, cum vxore sua. At Hebræus nō habet duo, quapropter Leo à Castro in Apolog. l. 3. particulam hanc oscitantiā Iudæorum excidisse credit, quod satis probabile est; cùm ipse Christus huiusce particulæ loco cit. meminerit, & 70 eam habeant, tametsi aliās satis intelligatur versic. hunc de 2 tantum exponendum esse, quippe qui soli tunc essent. Eugub. Leo Castr.

Erunt igitur *duo in carne vna*, vel, vt Christus ait, *vna caro*, in quantum vitam agent externam in omnibus communẽ, & ob copulam carnalẽ, vt D. Paulus 1. ad Cor. 6. habet, quo sensu ait eum, qui adhæret meretrici, vnum corpus effici cum ea: secundò erunt vna caro, quatenus pro vna persona ciuili 1 ad Cor. 6.

na ciuili reputabuntur: 3 quia prolem vnam, & eamdem ambo generant, vir efficienter, vxor verò materialiter. 4 quia sicut maritus est dominus corporis vxoris, ita & vxor mariti, adeout vnius caro sit alterius caro 1. ad Cor. 7. *Mulier potestatem sui corporis non habet, sed vir: similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier*: hinc Pythagoram dixisse referunt in amico coniugio vnam esse animam in duobus corporibus. Ex quibus patet, quàm indissolubili nexu matrimonium claudatur, cui tam diuortium, quàm polygamia repugnat: deinde cautè legendos esse Patres, qui negant in statu innocentiæ nullam futuram fuisse sexuum commistionem, sed modo quodam Angelico homines procreandos, quod cùm aliquando D. Aug. 9. de Gen. contr. Manich. c. 19. & c. 46. de vera relig. sensisset, se ipsum l. 1. retr. c. 10. reprehendit. In eundem errorem lapsos fuisse aiunt Nyssen. c. 17. de creat. homin. Damasc. 2. de fide cap. 30. Euthy. in Psal. 50. Richar. à S. Vict. l. de Trin. qui ait Adamum in eo statu masculum sibi similem fœmina producturum fuisse: ita etiam Almericus nullam sexus differentiam futuram admittit. D. Chrysost. non longè recedit à Nysseno 18 homil. in Gen.

1 ad Cor. 7

Vide D. Aug c. 31 de hæref. de errore Adamianorū, & Castrū 2. l. contra hæret. tit. Adam hær. 3. August. Nyssen. Damasc. Euthy. Rich. Vict. Almeric. Chrysost.

Itaque certum est eandem carnis coniunctionem fuisse necessariam in statu primo, si prolem generare vellet; adeout conceptus, & partus idem esset exceptis doloribus, & aliis, quæ peccatum originale consequuntur; ac proinde filij non fuissent producti saluâ virginitate, seu corporis integritate, alioqui penetratio dimensionum miraculosa perpetua fuisset, quod gratis diceretur: tametsi in eam sententiam abierit S. Doctor 1. p. q. 98. a. 2. ad vlt. cum D. August. quem tamen Capreolus conciliat cum eo, quod in 2. d. 20. q. 1. a. 2. ad 1 dixerat, non manere in fœmina carnis integritatem: quia tametsi non mansisset illa integritas inexpertæ venereæ delectationis, & relaxatio claustrorum virginalium futura esset, nulla tamen læsio nullusque dolor adfuisset. Hinc præterea concludunt homines in innocentia constitutos qualibet coniunctione prolem suscepturos, quia sola intentione generādi, idq; opportuno tempore secundum dictamē rationis huic coniunctioni intendissent. Multa sūt alia, quæ hîc agitari possent, vt an omnes nati fuissent, qui nunc reuera nati sunt, vel deinceps nascentur: an omnes prædestinarentur, quibus varia possemus respondere, nempe non omnes generādos; saltem enim qui ex coniunctione vitiosa, vel ex polygamis nascuntur, minimè fuissent; quosdā reprobos esse quidem nascituros, sed non reprobos in illo fœlici statu: Omitto cætera, quæ apud D. Thom. quodl. 5. a. 8. legi possunt. Tantùm addā cautè procedendum esse in lectione Scoti in 2. d. 20. q. 1. dum ait non requiri numericam agētis idētitatem, vt idem numero indiuiduum producatur, atq; adeò filium Adæ, potuisse esse filium Abrahæ; imo idem indiuiduum masculum, & fœminam posse fieri, quod hic sexus non variet indiuiduum necessariò, sicut nec speciem teste Aristot. 10 Metaph. t. 25, quę sunt contra sententiam Theologorū, sed magis periculosum est, quod subiicit, personā, quæ mortua est mulier, virum resurrecturum exceptâ beatissimâ Virgine, quod falsum est.

D. Thom.

Scotus.

Aristot.

Sunt & alia multa magis curiosa, quàm vtilia, vt an tot fœminæ, quot mares futuri fuissent? an easdem regiones, regna, maria peragrassent: quot annos, & an omnes æqualiter vixissent, an mūdus hic tandiu duraturus fuisset: an eodem anno venisset Christus, si absque præuio peccato venturus erat, & infinita ferè similia, quę ad Theologorum scholam, & otium relego, vt ad historiæ veritatem postliminio redeamus.

Plurimæ difficultates proponuntur.

Propter hoc igitur *relinquet homo patrem, & matrē*, quæ verba instinctu Spiritussancti ab Adamo pronuntiari potuêre, vt reuera Deo tribuatur, quod ea ratione protulit Adamus, vt iam sit lex inuiolabilis, quam Spiritussanctus deinceps proponat hominibus ad imitationē primorum parentum. Hebræi verò putant hoc maximè dictū fuisse propter filios Noë, quibus ab initio tradita sūt 7 præcepta ante Decalogum, legisq; mandata, ex quorum numero erat, vt abstinerent ab incestis, & vagas libidines fugerent: quisque vxori suæ adhæreret, non bestiarum more in fœminam exardescerent.

7 Præcepta filiorū Noë.

Superest vt aliquid de sensu mystico versiculorū istorum insinuemus. D. Paulus duo mysteria maximè commēdat, nempe duarum naturarum diuinę, & humanæ in eadem persona coniunctionem 1. ad Tim. 3. & Ecclesię atque Christi vnionem, qua ipse caput est, & fideles eius membra, ad Eph. 5. *mysteriū hoc magnum est, in Christo, & Ecclesia*. Plurima verò cōmendantur in illo primo coniugio, in quo Deus auctor est, sicut & mystici cōiugij inter Christū, & Ecclesiam, quæ beata est sponsa ob tantum, & talē maritum, cui desponsata est in fide, spe, & charitate. Deus non est passus Christum esse solum, ita nec Adamum, illi enim Ecclesiam ęterno vinculo, huic Euam indissolubili connexuit. Adam quoad corpus è limo terræ formatus est, anima verò creata est à solo Deo, Christus secundum carnem est ex semine Dauid ad Rom. 1. secundum spiritum, atq; diuinam naturam à cælo 1. Cor. 15. 1. à Patre natus ante omnia sæcula; Eua autem ex Adami costa educta est, & Ecclesia è latere Christi ad Eph. 5. costa est robur Euæ, sicut & Christus Ecclesiæ: Itaq; iam sumus os, & caro Christi, vt ei dicere possimus, *os tuum, & caro tua sumus omnes nos*: tu verò panacęa nostra, qua è morte ad vitam restituimur, qui te pro nobis exposuisti ad Eph. 5. & nos per proprium sanguinem acquisisti Act. 20.

1 ad Tim. 3. Ad Ephes. 5

Adami, & Christi collatio.

Ad Rom. 1. 1 ad Cor. 15.

Ad Eph. 5.

Act. 20.

Adam excitatus à sopore, & ecstasi nullum detrimentum ex costa detracta sensit, Christus resurgēs ob vulnus in latere susceptum non doluit, sed perfectissimo, atque glorioso corpore surrexit. Pronubus, & paranymphus huiusce cōiugij Deus est, qui Euam adducit, & offert: Dei autem vicarij Prophetæ, Apostoli, & cęteri verbi Dei ministri Ecclesiam Christo adducunt, ita D. Paulus Corinthios alloquēs Epist. 2. c. 11. *Desponsaui vos vni viro virginē castam exhibere Christo*. Adamus illico cognouit Euā, ita & Christus Ecclesiam, vt propriam carnem ad Eph. 5. vbi hortatur viros, vt diligāt vxores suas, sicut Christus Ecclesiā dilexit. Spōsus relinquit parentes ob vxorem; Christus relinquit Patrē Ioh. 6. *exiui à Patre*, & formā serui accipit ad Phil. 2. matrem verò, cum disputauit in templo. Sponsus omnia sponsę communicat, Christus autem suę sponsæ ad Eph. 1. v. 22. cui seipsum, suaq; omnia tradidit. Multa similia per se quilibet ex Adami Euæq; spōsalibus, & coniugio ad Christum, & Ecclesiam transferre potest, quapropter pauca hęc ostendisse sufficiat, si priùs aduerteris sensum aliquem allegoricum admodum acutum, quem D. Aug. l. 1. de Trin. cap. 10 attingere videtur, vt hæc verba, *Erunt duo in carne vna* significēt maiorem *esse Verbi diuini cum nostra carne* vnionē, quàm ipsi° Verbi

2 ad Cor. 11

Ad Ephes. 5

Ioh. 6. Ad Philip. 2.

Ad Ephes. 1.

cum Patre æterno, sic enim ait D. August. *Homo potius est in filio Dei, quàm filius in Patre, quia Verbū, & humana caro sunt tantùm vna persona: Verbum aute, & Pater duæ personæ, licet vna sint essentia*, vt D. Thom. 3. p. q. 2. a. 9. explicat: quamuis absolutè loquendo maior, & perfectior in infinitum illa vnio dici debeat, qua Pater, & Filius in vnitate essentiæ sunt vnus, & idem Deus.

QVÆSTIO XXXII.

DE DIFFERENTIA MATRIMONII LEGIS gratiæ, & legis naturæ.

MAtrimonium in quadruplici statu spectari potest, primò in statu iustitiæ originalis; 2 in natura corrupta, quæ duo ad legem naturæ referūtur: 3 in lege Mosis. 4 in lege gratiæ, quæ Matrimonium ad statum naturæ redegisse videtur. In primo statu illis omnibus iustitiæ originalis priuilegiis fruebatur, quibus Adamus ipse, tunc enim non institutum fuit in remedium concupiscentiæ, sed vt species in indiuiduis propagarētur, & ipsa indiuidua multiplicarentur: in 2 statu sicut & in sequentibus sedandæ concupiscentiæ destinatum est, cuius fomes statim post originale peccatum exarsit: in primo statu sola monogamia fuit; in 2. & 3 polygamia, vt constat in Lamech, & Abraham, aliisque plurimis tam legis naturæ corruptæ, quàm legis scriptæ: in hoc verò gratiæ statu nusquam licet esse polygamum: In tribus primis statibus non fuit Sacramentum, sed tantùm in vltimo, vt Tridentino definitur sess. 24. Can. 1. in 3 statu per libellum repudij dissolui poterat, quem solus maritus vxori dabat, non contra; an verò in statu 2 tale repudium in vsu fuerit, nescimus. In 3 statu 2 tantùm consanguinitatis gradus prohibebantur, in 4 quattuor tam in consanguinitate, quàm in affinitate, exceptâ affinitate ex fornicatione orta, quæ vltra 2 gradum non extenditur: videatur cap. Non debet, de consanguinitate, & Trid. sess. 24 can. 3. & c. 4. & Leuit. 18. vbi non licebat contrahere 1 cum patre, vel matre, vel filio & filia. 2 cum sorore. 3 cum nepte. 4 cum amita, vel matertera ratione consanguinitatis: ob affinitatem vero 1 cum nouerca, 2 cum sorore priuigna, 3 cum filia, aut nepte priuigna. 4 cum vxore patrui. 5. cum vxore fratris relictā, nisi eam sine prole reliquisset. 6 cum vxore filij. 7 cum sorore vxoris propriæ, vxore adhuc viuente, alioquin si vxor mortua esset, licebat. An verò gradus aliquis in lege naturæ, tam integræ, quàm corruptæ prohibitus fuerit, non ita clarum est, præter primum gradum, qui semper fuit prohibitus: sed de his prohibitionibus alibi postea.

Trid. syn.

Leuit. 18.

Grad⁹ prohibiti in matrimonio in quocunq; mundi statu.

Omnes autem status in hoc conueniunt, quod Matrimonium in præcepto non fuerit, itaut alicui in particulari præceptum factum fuerit: enimuero, *crescite & multiplicamini* Gen. 1. & 9. & si quæ similia verba habentur, benedictionem continent, nō præceptum, Matrimonium enim iamdudum contraxerat Noë, & Adam, cum illa Deus pronuntiauit: vnde concludo cœlibatum in omni statu licitum fuisse, dummodo generarēt aliqui ex tota hominum communitate; sic enim Melchisedech, Iosue, Helias, Helisæus, Ieremias, & Ioannes Baptista teste S. Ignatio epist. ad Philadelphos, nec non Abel, & alij plurimi in 2, & 3 statu cœlibes fuêre.

Obligatio generandi quæ.

Quod autem Deut. 7. dicebatur, *non erit apud te sterilis vtriusque sexus, & maledictus, qui non reliquerit semen in Israël*, de his intelligebatur, qui matrimonio iuncti erant, quos à Deo puniri ob legem minus benè seruatam suspicio erat.

Deut. 7.

VERSICVLVS XXV.

Erat autem vterque nudus, Adam scilicet, & vxor eius: & non erubescebant.

וַיִּהְיוּ שְׁנֵיהֶם עֲרוּמִּים הָאָדָם וְאִשְׁתּוֹ וְלֹא יִתְבֹּשָׁשׁוּ:

Καὶ ἦσαν οἱ δύο γυμνοὶ, ὅ, τε ἀδὰμ καὶ γυνὴ αὐτοῦ, καὶ οὐκ ᾐσχύνοντο.

R. Eliezer.

STultum esse existimo, quod habet R. Eliezer, nempe primorum hominum carnem ex vngue fuisse, sed eam cutem illis post peccatū detractam; nec enim per peccatum perierunt naturalia, nec homini naturale est, vt pellem [illegible]gium instar duram habeat. Id verò nonnulli excogitarunt, ne vel æstatis incommodis, vel hyemis rigoribus afficerentur, quibus tamen regiones temperatissimæ meliùs succurrere poterant. Non minus errant, qui primos parentes

parentes cæcos fuisse dicunt, adeout se nudos esse minimè viderent, vt notat D. August. 14. de Ciuitate cap. 17. *Nam sicut scriptum est, nudi erant, & non confundebãtur, non quòd eis sua nuditas esset incognita, sed turpis nuditas nondum erat, quia nondum libido membra illa præter arbitrium commouebat, nondum ad hominis inobedientiam redarguendam, sua inobedientia caro quodammodo testimonium perhibebat. Neque enim cæci creati erant, vt imperitum vulgus opinatur, quandoquidem & ille vidit animalia, quibus nomina imposuit, & de illa legitur, vidit mulier quia bonum est lignum in escam, & quia placet oculis ad videndum. Patebant ergo oculi eorum, sed adhuc non erant aperti, hoc est non attenti, vt cognoscerent, quid eis indumento gratiæ præstaretur, quando membra eorum voluntati repugnare nesciebant. Quã gratiâ remotâ, vt pœnâ reciprocâ inobedientia plecteretur, extitit in motu corporis quædam impudens nouitas, vnde esset indecens nuditas, & fecit attentos, reddiditque confusos, vsurpante inobedientiâ prohibitum, & iustitiâ puniente commissum.* D. autẽ Chrys. alia ratione vestitos fuisse docet nempe gloria supernè veniẽte. *Erat igitur vterque nudus*, vel vt 70 habẽt ἦσαν οἱ δύο γυμνοί. שְׁנֵיהֶם עֲרוּמִּים ambo nudi, à radice עָרַם, quæ callidum, & astutum, atque fraudulentum significat: quomodo serpens cap. 3. callidus appellatur, at tunc non scribitur per

August.

Chrysost.

holem. Vbi paronomasiam elegantem habes, nam cum primos parentes nudos, atque simplicissimos serpens vidisset, sua calliditate, & astutia eis insidiatus est. Hîc autem obseruant Massoritæ poni *daghes*, *raphe* verò cum *harounim* astutos significãt, ideoque hæc aiunt, nudi daghessantur, callidi raphantur, quia leues sunt.

Rabinorum prouerbiũ.

Non autem erubescebant, nec pudebat eos de nuditate יִתְבֹּשָׁשׁוּ iithbosasou à בּוֹשׁ *bos*, id est puduit, erubuit, confusus est, à quo hitphael est יִתְבֹּשָׁשׁוּ, quo Moses hîc vtitur, ac si diceres, sui se puduit. Chaldæus מִתְכַּלְמִין ignominiã afficiebãtur. Targũ Hierosol nesciebant quid esset pudor; nam mẽbra genitalia, sicut os, manus, & pedes se habebãt; inde pudenda, nates, podicẽ, & alia propinqua מְבוּשִׁים appellant, vt Deut. 25. vers. 8. quod 70 vertunt *διδύμων*, vulgata, *in locis genitalibus*. Magnum sanè priuilegium Adami, & Euæ, vt non eos puderet, cùm nemo iam rectæ rationis compos sine verecundia, atque pudore velit, aut possit sese nudum exhibere, tametsi morbus vrgeat, & medicæ manus necessariæ sint; quibus certiores reddimur nos ab excellentiori statu decidisse, ad quem nunquam, nisi magnâ Dei iuuante misericordiâ, restituemur, quando fulgebunt iusti sicut sol in gloria, & Deus erit omnia in omnibus.

Chald. Targ. Hierosol.

Deut. 25.

QVÆSTIO XXXIII.

DE PVDORE, ET VERECVNDIA, QVÆ nascitur ex nuditate, & vnde talis pudor oriatur.

ARTICVLVS I.

PLVRIMA SVNT, QVÆ HIC NEGOTIVM facessere videntur, vt vnde talis pudor oriatur, an sit in omnibus, an tolli possit, an & quando sese nudare liceat, siue solus fueris, siue coram aliis, quæ omnia constabunt, vbi vnicuique difficultati satisfecerimus.

Pudor quid sit. Aristot.

ANtequam verò pudoris istius originem inuestigemus, pudoris definitio afferenda est, quẽ perturbationi quàm habitui virtutis similiorem ait Aristoteles: hîc autem pro eodem sumimus pudorem, verecundiam, & erubescentiam; ὁρίζεται γοῦν φόβος τις ἀδοξίας, igitur, inquit Aristot. 4. Eth c. 15. definitur quidam metus infamiæ, adeout hæc tantùm differentia inesse videatur, vt illi pallescãt, qui timent, erubescant verò, qui verecundia afficiuntur ἐρυθραίνονται γὰρ οἱ αἰσχυνόμενοι, οἱ δὲ τὸν θάνατον φοβούμενοι ὠχριῶσι. Ex eo verò probatur verecundiam esse perturbationem animi æquè ac timorem, quia vtraque ad corpus attinet. σωματικὰ δὴ φαίνεταί πως εἶναι, ἀμφότερα, ὅπερ δοκεῖ μᾶλλον πάθους ἢ ἕξεως εἶναι, quod sanè perturbationis potiùs, quàm habitus proprium esse videtur.

Pallor in timore, rubedo in verecundia cur?

Ratio autem cur in timore pallescamus, & in verecundia erubescamus, est, quia dum vitæ periculum timemus, aut aliquod aliud simile, sanguis, & spiritus ad cor, vt ad principium vitæ currunt, & cæteræ corporis partes calore destituuntur, quia metuimus, ne deficiat illud, à quo vita capit exordium, ideoq; statim ei succurrimus, neglectis interim exterioribus partibus; at cùm in verecundia timeamus confusionem, & dedecus, quæ sunt nobis exteriora, spiritus & sanguis ad exteriora, præsertim ad faciem confluunt, & conuolant.

Turpitudo duplex.

D. Thom.

Itaque verecundia est timor turpitudinis, quæ cùm duplex sit, de ea duobus modis loqui possumus; vna enim vitiosa est, quæ consistit in deformitate actus voluntarij, vt doctè loquitur D. Tho. 2. 2. quæst. 144 art. 2. quæ cum ab arbitrio voluntatis dependeat, ardui rationem non habet, neque sub ratione terribilis apprehenditur, & ideo nõ est timor istorum. Secunda turpitudo est veluti pœnalis, quæ in alicuius vituperatione consistit, prout gloriæ claritas in honore sita est, quo aliquem afficimus; hinc fit, vt verecundia, vituperium, & opprobrium primariò, atque præcipuè respiciat, quia rationem habet ardui mali, sicut honor boni ardui; quia tamẽ vituperium propriè vitio debetur, sicut honor virtuti, verecundia secundariò, & minus

Verecũdiæ obiectum.

præcipuè, turpitudinem vitiosam respicit, vnde fatetur D. Tho. ar. 3. ad 4. verecundiam eatenus temperantiæ partem appellari posse, quòd ad illam disponat, iuxta D. Ambr. qui 1. offic. c. 43. ait verecundiam prima temperantiæ fundamenta iacere, quatenus videlicet turpitudinis horrorem incutit. Est & aliud in verecundia considerandum, enimuero culpam duobus modis aspicit verecundus, primò, vt desinat agere vitiosa propter vituperij timorem; 2. vt in turpibus, quæ agit, conspectus publicos ob vituperij timorem fugiat, quorum primum ad erubescentiam pertinere Nyssen. ait l. 4. de creat. hom. c. 14. nam qui erubescit, inquit D. Tho. in ingloriationem incidere timet; secundum ad verecundiam, quia ille se occultet in his quæ agit, qui verecundatur.

Ambr.

Nyssen.
D. Thom.

Quibus suppositis expendendum est, cur primi parentes, vel etiam alij postea erubescant, ex eo quòd nudi sint. Sanè cùm obiectum verecundiæ sit turpitudo, vel vituperium, opprobrium, & ingloriatio, seu infamia ἀδοξία, quæ verecundia timendo fugit; qui erubescit eo quòd nudus est, aliquam inde infamiam prouenturam, vel in ea nuditate turpitudinem aliquam apprehendere debet, ob quam erubescat; quanquam D. Thom. 1. 2. q. 41. art. 4. cum Damascen. 2. Orthod. fid. cap. 15. erubescentiam speciem timoris à verecundia distinctam facit, itaut erubescentia dicatur, cum turpitudo in actu committendo timetur: verecundia verò sit de turpi iam facto. Sed hic pro eodem sumemus.

D. Thom.
Damasc.

Nuditas cur turpis?

Inquiramus ergo quidnam sit turpe, seu quæ turpitudo sit in nuditate, & quod opprobrium, quæue infamia inde sequi possit: an igitur turpis est nuditas, quia nolumus, vt næui & imperfectiones corporis nostri detegantur, quas vestibus circundamus, ne videantur; sic enim factitiũ oculum, vel dentem ex argento confectum sibi procurant, quibus dens, vel oculus deest; ita calui alieno capillitio vtuntur, & alij suos defectus omni, quo possunt modo abscondunt, ne turpes videantur; alioqui statim atque nudi videntur ab iis, à quibus tam præclarè vestibus ornati visi fuerant, erubescunt, & infamiam timent.

Pudoris causæ.
1

Verùm hæc ratio tantùm valet in iis, quibus næuus aliquis inesset; at tunc cessare videtur in iis, qui perfecti sunt, quales erant primi parentes: adde quod non ita nos pudet, si stomachus, dorsum, tibiæ, scapulæ, brachia, genua, & infima femora aperta videantur, dummodo reliquæ partes abscondantur.

Quapropter ille pudor oriri videtur ex partiũ detectione, quas natura generationi dicauit, isque tantus, vt tam improbi, quã casti, & bonæ indolis iuuenes, sicut & omnes senes has æquè partes abscondant.

Altiùs ergo pudoris istius causæ repetendæ sunt, quas à peccato fluxisse, & ab esu pomi, quod gustauit Adam manasse certum est, vt patet ex cap. 3. Vbi dixit Adam se timuisse, eo quòd nudus esset: enimuero vbi iustitiæ originalis vestimentum ablatum est, quod totius corporis, & animæ amplissimum ornamentum, simul & omnium perturbationum frænum potentissimum erat, quod passiones rationi subiiciebat, non secus ac effrænis equus, ad illicita fertur sensitiuus appetitus, cuius motus cum homo percipit, & ab alio deprehendi videt, erubescit, quòd motus illos concitatos cohibere nequeat, & eo volente nolente, rationi velut imperent, eiusque iussa detrectent, vt maior minori seruire cogatur.

2

Cùm autem plurimæ sint perturbationes, quas vndenario numero Philosophi comprehendunt, & omnes sæpissimè rationem à suo regno deturbent, eamque seruam constituant, si quod proximè diximus, verum est, nos pudere debet, vbi quæpiam ex istis perturbationibus in nobis concitatur, & rationi aduersatur; & tamen quis erubescit, cùm ea prosequitur amore, desiderio atque delectatione possidet, quæ diligit: odit verò, & fugit aduersa, hisque præsentibus mœrore conficitur? quis erubescit, dum timet? nunquid iram, & audaciam, spem atque desperationem non tantùm amicis, sed & inimicis absque verecundia manifestamus? quæ tamen sunt animi perturbationes, & rationi contraria pathemata, vt nulla passio esse videatur, quæ tantum bellum rationi inferat, ac ira, furor, & excandescẽtia, sicut & desperatio, quarũ tetrâ fuligine cœlestis animi regio tantopere obducitur, vt non sit ampliùs sui potens, atque brutorum instar in obuia quæque sine iudicio feratur. Quî fit igitur, vt de his perturbationibus vel nullo modo, vel multo minus, quàm de nuditate partium antedictarum erubescamus? 3.

An quia perturbationes illæ non habent aliquod organum siue membrum, quod foris emineat? vnde fit, vt non statim appareant, aut ab aliis cognoscantur, imo nec à nobis quibus aliquid exterius sæpe necessarium est, vt motus interiores deprehendamus, quandoquidem ita sumus exterioribus additi, vt vix statum internum animi proprij cognoscamus.

Ideoque cùm genitales partes nobis inuitis commoueri propriis oculis, vel tactu, aut aliquo alio modo cernimus, pudet nos, quòd regina animæ voluntas motus illos coërcere nequeat; quos non minus puderet, si quod esset furoris, atque tristitiæ organum, quod aliorum oculis subiiceretur, cuius effrænem rebellionem cohibere non valeremus.

Verumtamen licet furor sit in felle, iuxta illud *fel commouet iras*: vel in corde, circa quod accenditur sanguis idque in parte sinistra, vt pote calidiori, attamen in facie satis conspicitur, qui tametsi non semper erumpat, & purpura tingat frontem, id tamen sæpenumero nobis etiam inuitis contingit, neque tamen ita nos pudet, ac si quis partes generationi dicatas apertas aspiciat.

Adde quòd hæc ratio tantùm afferre videatur motum illarum partium rationi aduersum; at illa non satisfacit, enimuero licet minimè cõmoueantur, sed perfectè subsideant, non deest pudor, vbi quis nos videt nudos, igitur prauus ille motus non est vera causa, quandoquidem ipsa nuditas verecundiam infert, etiamsi partes omnes decenti ordine compositæ situm naturalem sine vllo motu obtineant. Neque tamen ex corde, vel felle detectis, in quibus sunt aliæ passiones, verecundia nasceretur.

An igitur id peculiare habent partes illæ, quia Deus ex earum nuditate pudorem maiorem sequi voluit in pœnam peccati? Sed absque causa recurris ad Deũ, vbi nullum voluntatis illius signum in scripturis affertur? Demus autem illud reuera à Deo decretum esse, nunquid aliqua de causa id decreuit? nunquid ei ratio defuit, ob quam tantam verecundiam ex illa nuditate proficisci voluit? 4

Aliqui

Aliqui fortè dicent hominem inde faciliùs erubescere, quia partes illæ totius humanæ naturæ esse videntur, vt quemadmodum vnicuique rei insitum est, vt totum potiùs, quàm partem tueantur, vnde contingit, vt pars propriam salutem negligat ad totum conseruãdum, vt patet ex manu sese ictibus opponẽti, vt caput incolume permaneat; ita sit vnicuique homini insitum, vt maiori verecundiâ afficiatur de partium nuditate, quæ ad totius speciei bonum faciunt, & ad illam propagandam destinantur. Huc accedit, quòd illarum partium vsus ad coniugem refertur, vnde magis erubescimus, dum nudi videmur, ac si timeremus, ne quis cogitaret de motibus inordinatis, quos in ipso actu venereo, non tantùm fornicarij, sed & omnes fesè coniuges patiuntur.

5 Hinc alia ratio suboritur, licet enim dum aspicimur, nullos tunc inordinatos motus patiamur; satis est ad pudorem, quòd post originale peccatum huiuscemodi etiam nolentes exercemus, idque sæpius, (quod mirum est) quando motus illos cohibere, & iam excitatos sedare conamur, adeout maiora incendia contingant, vbi maiorem vim, & conatum adhibes siue pungendo, siue stringendo, atque ligando, siue percutiendo, siue secando; satis inquam est, quòd id contingere soleat non tantùm impudicis, aut iis, qui matrimonio iuncti sunt, sed etiam pudicissimis, qui neque venereos actus vnquam exercuerunt, neque vni quidem impudicæ suggestioni consenserunt, sed ante millies mortem expetant, quàm vt vllâ labe castissimum animum fœdent, quem ideo plurimi fortissimo voti castitatis vinculo firmauerunt.

Nondum tamen mihi ipsi satisfacio, quandoquidem alia ratio, afferenda videtur, cùm prædictas causas abesse videam ab iis, qui vel tales motus
sentire non solent, vel nunquam passi sunt, qui si
iudicio pollent, non minus, imo fortè magis eru-
6 bescunt de sua nuditate, quàm ipsi impudici, aut
alij quipiam. Curnam autem illi, cùm motus illos
inordinatos minimè passi sint? nunquid ipsa pa-
tiendi potẽtia ad verecundiam sufficit? nũquid ipse
timor, ne huiuscemodi patiantur, verecundiam
infert? nunquid ipsa cognitio, qua vir tam castus pollet, quòd huiuscemodi cunctis ferè accidunt, & tot peccata adeo fœda à maiori parte hominum committuntur, sufficit, vt ille magno pudore afficiatur?

7 Sanè non à vero aberrarit, qui dixerit maximam ex illarum partium nuditate verecundiam oriri, potiùs quàm ex aliis passionibus, quia Deus voluit nos præsertim originalis peccati meminisse, dum illud in posteros traducimus, vt semper fœlicem illum statũ ante oculos habeamus, & infœlicẽ peccati statum deplorantes ad illum beatum ordinem anhelemus; decuit enim prouidentiam diuinam, & vltricem iustitiam, vt in his maximè puniretur homo, per quæ suam iniquitatem, & peccati pœnas ad alios transfert, vt ea ratione pœna veluti continua euaderet.

Est & alia ratio, quia voluntas eò magis irascitur, 8
quo potentiis inferioribus magis subdita est; nec dubium est, quin Rex, aut aliquis generosus princeps magis erubescat, si ab aliquo milite captiuus effectus; victus, aut aliqua iniuriâ affectus est, quàm si ab alio Rege, vel principi similia passus fuerit; cùm igitur generandi potentia, eiusque organa terrestria sint, & infima, quippe quæ gradum corporeum iuxta quosdam sequitur, qui est omnium graduum entis infimus, vel saltem vegetatiuum, nam plantis congruit; inde fit, vt maiori pudore afficiamur, cùm huic infimæ potentiæ nos ita subijci deprehendimus, vt eius serui efficiamur, si ille seruus alicuius dicendus est, à quo superatur. Nec obstat quòd etiam nutritiuæ potentiæ subijci videamur, quæ non est altioris gradus quàm generatiua, imo potiùs inferioris, quæ etiam lapidibus conuenit, quos multi nutriri existimant, quia crescunt: enimuero non ita rationis imperium ac generandi facultas renuit; & faciliùs inordinatos gulæ, & ebrietatis motus, quàm venereos compescimus, qui magis effrænes esse videntur, quòd plures spiritus, & titillantes humores ad partes genitales confluant, qui vehementes stimulos admouent, & proritant.

Verùm cùm Deus non minus produxerit illos spiritus, & humores, sicut & canales, quibus circunferrentur, ac ipsam vim nutritiuæ, & instrumenta, quibus famem prouocat; & ea omnia peræque honesta fuerint in originali statu, adeout, nostro versiculo teste, non magis erubescerent de genitalium partium, quàm manuum, aut oculorum nuditate primi nostri parentes, nondum scrupulus ademptus est, cur maiori verecundiâ afficiamur.

Auget difficultatem, quòd Deus nihil in homine de nouo produxit, sed tantùm originalem iustitiam abstulit, vt homo in eodem statu relictus fuerit, in quo fuisset, si Deus in puro naturæ statu absque vllo dono superaddito hominem condidisset, hoc tantùm excepto, quòd nunc status hic sit pœna peccati, qui naturæ, seu conditionis naturalis fuisset.

Iam verò an in eo puræ naturæ statu similis quæ nunc est, verecundia ex nuditate orta fuisset, aliquis in dubium reuocabit, tum quia non præcessit status iustitiæ, in quo motus illi rebelles abfuerint, tum quia non sunt in pœnam peccati, tum quia non ita facilè constabit, an melius sit istos motus ita fieri, quàm si rationis dictamini obsequerentur, sicut melius est systolem, & diastolem cordis, & pulmonis absque rationis imperio nobis etiam nolentibus fieri, quàm si rationi obsequerentur; nec alio modo in iustitia originali, quàm in statu peccati exercebantur. Verum de præsenti difficultate hactenus, quæ magis etiam articulo sequenti discutietur.

ARTICVLVS II.

AN ILLE PVDOR IN OMNIBVS EXVRGAT, & quomodo extingui possit, siue quis in statu puræ naturæ conditus, siue in peccato originali conceptus, vel etiam ab eo præseruatus supponatur, & quandonam se nudare liceat.

SVnt 3 status hominum, in quibus præsentem controuersiam mouere possumus; primus est status quem in puris naturalibus omnes homines obtinerent. 2 is, in quo iam versamur, qui naturæ deprauatæ, seu corruptæ status appellatur: Tertius est paucorum, qui ab originali peccato præseruati sunt, nam de statu iustitiæ originalis, & beatorum non est, quòd hîc agamus, in quibus nihil prorsus turpe, & inhonestum, nihil, vnde quis erubescere valeat. Eos verò qui peccatum originale minimè contraxerunt, nescio an ad originalis iustitiæ statum referre debeã quoad verecundiam attinet; tum quia non est absurdum, si Ieremiam, Ioannem Baptistam, & Virginem dixerimus ruborem cõtracturos, si quando nudati fuissent; imo Christus esse erubescere potuit, non quòd habuerit, vnde erubesceret, sed quia nos illud haberemus, vt sicut illa supplicia pertulit, quæ promerueramus, ita pro nobis erubuerit; quia erubescentia, siue verecundia potest esse de alieno opprobrio, & actu turpi perpetrato, maximè cum is ad nos attinet, qui tale peccatum perpetrauit, aut aliquam turpitudinem contraxit. Hoc igitur omisso statu, duo nobis supersunt excutienda, an in statu puræ naturæ idem quod nunc contigisset; deinde, an in omnibus iam talis pudor existat.

Et quidem in pura natura homo conditus, erubuisset, si partes illæ aliquam in se tupitudinem continent; quæ rectæ rationi opponatur, quam cognouisset: vt enim aduertam, quod semper necesse est subintelligi, nulla est turpitudo, quæ nobis verecundiam inferre possit, nisi priùs talis apprehendatur, cuius defectu pueri de nuditate non erubescunt; cùm enim verecundia sit timoris species, quæ temperantiæ obtemperat, rationem requirit, quæ sola turpitudinis rationem agnoscit.

Supponamus igitur hominem in statu puræ naturæ conditum, non infantem, sed ætatis perfectæ virum, & mentis compotem: an ille ruborem cõtrahet, an verecundiã afficietur, si quis eum nudũ deprehendat? Sanè si turpe putet, quod illæ partes apertæ videantur, & aliquod opprobrium inde sibi creari posse credat, erubescet. At quærimus an illa nuditas turpis futura sit, eamque sit homo ille cognosciturus.

Turpe quidem illud est, quod cùm à ratione possit ordinari, minimè tamen ab ea regitur, sed aduersus eã pugnat: at illæ partes vehementius rationẽ oppugnant, quã cęteræ passiones appetitus sensitiui, idque sæpius; hinc stultus amor dicitur, quo sese proiequuntur aliqui actus istius exercitij causã. Quapropter concludendum est in illo statu futuram de nuditate verecundiam, quippe quæ non minorem quàm nunc tupitudinem includeret. Quod omnes historiæ, atque leges abundè confirmant, quæ vel fornicarios condemnant, vel eis pœnas decernunt, vel infames eos declarant, qui se nudos coram aliis exhibent.

Nec obstat quòd isti motus non oriantur ab originali peccato, sufficit enim quòd aliquis eos motus rationi oppositos esse videat, & pars rationalis à corporea superetur, & mens, quæ omnibus inferioribus imperare debet, ab omnium infimis ipsa regatur, atque commoueatur, & veluti cogatur. Occurres tamen illam tupitudinẽ esse naturalem, ac proinde referendam in authorem naturæ, minimè verò pudere nos debet, de rebus, quas à Deo gratis accepimus. At in promptu responsio sequitur nempe Deum in illo statu hominem creare noluisse, quem tamen si in eo condidisset, ordo naturæ postulabat, vt defectum illum rogatus ab hominibus tolleret, quibus non mens, non gratia defuisset, qua illos motus coërcere potuissent. Verùm non plura de hoc ordine dicturus sum; quandoquidem nec fuit, nec est, nec erit.

Superest igitur expendamus an huiuscemodi pudor sit in omnibus, qui peccatum originale cõtraxerunt. Vbi forte potes excipere confirmatos in gratia, si illa confirmatio iustitiæ originalis priuilegia restituit: Stultos autem, & infantes belluino more sine iudicio, atque ratione viuentes excipio, vt sit de solo homine rationis compote difficultas. Possemus etiam illos impudicos, & perfrictæ frõtis homines amandare, qui iugum omne, & ipsius Dei rationis, & hominum imperium, atque metum excusserunt, quibus frons impudẽtissimæ meretricis facta est, & qui omnigenæ impudicitiæ callum menti suæ obduxerunt, si tamen aliqui tales reperiantur: At statim oppones barbaros plurimos, qui non solùm ob suam nuditatem hominum conspectum fugiunt, sed de illa glorientur Adamitarum instar, & alios quosdam, quibus ne quidem verecundiæ mica suppetit, quales sunt aliqui vitam belluinam agentes, apud quos mulieres coniugum αἰδοῖα osculentur, & exornent.

Quæ si vera sunt, non potuerunt aliunde proficisci, quàm ex longa peccandi consuetudine, & ex libidine profusa, quibus illi assueti tanta mentis cæcitate laborare cœperunt, vt vix bonum à malo discernerent; hinc legimus quosdam ex illis parentes suos in extrema senectute positos pro beneficio trucidare, hostes deuorare, torrere, & elixare, & alia plurima perpetrare, quæ contra naturæ legem apertè militant. Vnde puto nos concludere posse tantam esse vim peruersæ consuetudinis, vt sicut optima consuetudo vim legis habet, & virtutem nobis velut connaturalem, & innatam efficit, ita vitium in naturam consuetudo pessima conuertat, & quod reuera turpe est, atque probrosum, in ementitæ titulum honestatis trãsferat. Hac igitur ratione, eàq; fortè solã fieri potest, vt non ampliùs homines de nuditate aperienda vereantur. Alioquin

Alioquin tanta est istarum partium turpitudo, siue peccata, quæ hinc oriuntur, siue motuum ferociam, & impetus vehementiam spectes, quæ rationem è sua sede deturbant, & homines non paucos in furorem agunt, ac si œstro perciti essent, vt nullus sanæ mentis esse posse videatur, qui in hoc infælici statu magna verecundiâ non afficiatur, si quis eum nudum deprehenderit. Alioqui verè, & audacter cum Epiph. lib. 2. hær. 52. contra Adamianos dixero eos esse talpis cæciores, quorum error æquè facilè confutatur, atque perit, ac talpa è latibulo suo in altum sublata. Iam verò discutiamus, num aliquando sese nudare liceat.

Epiph.

Multæ causæ referri possunt, ob quas aliquis totum corpus aperire valeat, adeout minimè peccet, siue verecundia sequatur inde, siue non, quarũ præcipuas hîc affero.

Quibus de causis, & quando aliquis corpus nudare possit.

Imprimis verò non desunt, qui reuocent in dubium, an alicui Reip. vel familiæ, vel etiam duobus amicis simul conuiuentibus liceat apud se statuere, vt omnes ciues Reip. nudi ambulent, vel domestici, vel etiam 2 amici inter se cõuenire possint, vt vel semper, vel in certis locis nudi ambulare, vel stare, vel sedere, vel in lecto, aut alicubi iacere possint.

Deinde aliquis dum solus existit, pro libito se nudum exhibere, atque omnia sua membra contemplari possit. Denique quibus de causis siue coram aliis, siue solus existens vestes abiicere valeat, vt vel se videndum exhibeat, vel seipsum consideret.

Ad primũ mihi respondendũ esse videtur Remp. familiã, aut vllas personas, quę licitè cõuenire possint, vt nudi simul ambulent, nam cui bono id fieri potest? cùm tamen semper adsit periculũ admodum probabile, ne corporis alterius aspectu, maximè si fœmineum fuerit, alicui peruersæ cogitationi consentias, & libidinis ardore commouearis. Iam non loquor de multis periculis ingruentibus, & accidentibus, quæ in dies contingunt, enimuero si 2 socij à prædonibus nudarentur, flagellarentur, cæderetur, aut quibusdam vinculis per totum corpus obstringerentur, se mutuo curare, & soluere possent, ac proinde omnia vulnerũ loca oculis, atque manibus lustrare, & attrectare, simul etiam ad frigus vitandum iacere, sed ea non reuocantur in dubium.

Ad secundum licet illa denudatio priuata, per se illicita non videatur, si mala intentio desit; attamen nisi iusta causa adfuerit, saltem otiosa est, ad quid enim te nudum aspicis? adde quòd, si probabile fuerit periculum, ne alicui prauæ suggestioni consentias, vel motus libidinosos exerceas, dum te conspicis, id omnino vitare debeas. Superest vltima pars articuli, qua concludo toties alicui licere, vt se nudum exhibeat, quoties id ad animi vel corporis salutem expedit; hinc fit, vt cùm aliquo vulnere, vel morbo afficimur, omnes partes detegere liceat, vt manus medica ei possit afferri.

Mos etiam inualuit, vt dum homines æstate se fluminibus abluunt, corpora nudent, quod quidẽ minimè permitti deberet, quandoquidem multi libidinosis aspectibus ea de causa peccant; quanquam si periculum omne abest, peccatum esse non credam.

De balneis.

Quod autem de fluminibus, id de cæteris balneis tam humidis, quàm siccis intelligo, à quorum exitu potes iubere seruos, vt linteis corpus exsiccẽt. Sed quid in re tam facili, atq; solita immoror? tritum enim illud est, & vsu communi comprobatum; quamuis minimè negem in his multa peccata tam ex peruersa intentione, quàm ob alias causas intercedere. Ex quibus reliqua ferè omnia, quæ in simili materia dici debent, facilè colligi possunt.

Vnicum addam, quòd aliquando in controuersia positum vidi, an aliquis pœnitentiæ zelo inflãmatus non tantum se nudare possit, vt seipsum egregiè cædat, id enim licitum esse infinita Sanctorum exempla probãt, S. Benedicti se nudum in spinis reuoluentis, & D. Francisci niuis cumulos amplexantis, & aliorum se vsque ad largum sanguinem flagellantium; sed an liceat se nudum exhibere coram altero, vt te cædat fortiùs, vel suppleat, quod per te præ imbecillitate non potes efficere.

De flagellatione religiosa.

De dorso nudando, & ab altero cædendo notius est, quàm vt probatione indigeat, id enim licitè nõ tantùm ex sententia iudicis sæcularis à carnifice per compita efficitur, dum furem aliquem cædit, sed etiam, in monasteriis permultis, in quibus vel Superior, vel Hebdomadarius, vel Nouitiorum informator, aut aliquis alius Superioris iussu, vel omnes quibusdam ad id horis destinatis, vel quosdam ob propriam eorum culpam cædit.

Quæ omnia licita esse quis in dubium reuocet? dummodo tam ex parte cædentis, quàm cædendi periculũ omne longè absit, præsertim cùm ibi nulla neq; voluptas, nec intentio voluptatis, sed dolor non mediocris oriatur: estque magna humilitas, & pœnitentiæ, vel amoris diuini signum, quòd plagis minoribus, quibus te ipsum afficis, non contentus, exemplo Christi ab altero cædi velis; eoque maior zelus, quo te magis ei subiicis ob illius amorem, qui se hominibus impijs, atque nefariis, voluntariè subiecit; vnde vel eum iubere potes, si tuus seruus fuerit, vel obsecrare, si socius, aut amicus, vt te vinculis alliget, ne primis statim ictibus fatigatus, reliquos vel à te destinatos, vel in alterius voluntate repositos detrectes.

Aliquis se potest exhibere alteri cædendum.

Quibus præmissis, cùm similis materia nunquam fortè reditura sit, nec ab vllo, quod sciam accuratè pertractata fuerit, duo quędã dubia soluam, quibus plurimos laborantes inueni; quorũ primũ erit, an vbi quis tuo te iussu vinculis abstrinxisset, cui iussisses vt 1000, vel 100, vel 500, vel 10, plures, aut pauciores numeratos, vel in eius arbitrio constitutos ictus flagelli infligeret; an inquã is statim à percussione abstinere teneretur, vbi iuberes illud, an verò vsq; ad destinatũ numerũ pergere posset; (suppono autem ex huiuscemodi percussione neq; mortem, neque morbum, nec vllum aliud incommodum præter dolorem præsentem secuturum.)

An aliquis alium cædere possit, & quantum.

Quibus Respondeo vel eum simpliciter iussisse, vel supplicasse, vt 100 ictus, vel quot velles plagas, incuteres, vel insuper iussisse, vt quicquid deinceps resiliret, vel clamaret, iuberetque cõtrarium, inceptum opus perficeres, quia fortè satis antea suam inconstantiam nouit, seque dolere, quòd ita resilierit, ac propositũ mutarit; si primum, cessare debes, nam proposito illius mutato, cùm non sis aliunde factus certior, an vlteriores ictus passus, id postea probaturus esset, protinus cessare debes, et alioquin iniuriam facturus, & cædem omnino inuoluntariam illaturus. Si secundum, tutò perficere poteris, quanquam etiam licitè cessare possis, nisi sacramento, vel promissione, aut aliquo alio titulo primam illius voluntatem sequi tenearis.

Quæ promissio, vel iuramentum an in tali materia legitimum, & obligatorium esse valeat, & quousque aliquis se per seipsum, aut per alium percutere possit, nunc omitto, vt ad vltimum dubium accedam, quod longè difficilius esse videtur.

An nimirum cùm aliquis cædit seipsum, vel quouis modo sibi dolorem eximium infert, vt si quorundam Sanctorum exemplo super spinas, vel niues aut vrticas nudum se voluat, atque reuoluat, vt Passionis Christi dolores, quantum valebit, in suo corpore circunferat, an inquam ista per alium peragens, statim cessare teneatur, vbi vel ex doloris vehementiâ, vel ex alio accidenti non contigerit.

Vbi certum est tunc illud pati, & permittere posse, dum ab eo cæditur, qui in eius corpus legitimam potestatem habet: Idem de eo dicendum, qui vsurpatam habet, qualis esset prædo, qui neque rogatus cessaret. Idem etiam puto dicendum, cum à seruo, vel amico cæderis, si cessando id deprehensurus, & inde scandalum aliquod, infamia, aut ignomina, vel aliquid simile creandum sit.

Ratio est, quia accidens illud non est per se malum, sed tantùm, cùm directè, vel indirectè simile quidpiā prouocas, vt cum prouocatur, vel aliquid efficis, vnde id semper, vel sæpe contingere soleat: tunc autem per accidens contingit, nec eâ quæ pateris, aut naturâ suâ, aut ex tua, vel alterius intentione, sed per accidens contingunt te nolente, atque id nusquam præuidente.

Tantùm igitur in dubium reuocatur, an, cùm teipsum ἱμαντίζεις, non alterius iussu, alioqui par esto, ac de præcedentibus iudicium, sed nutu proprio; & exempli causa ex 100 ictibus, quibus te percutere decreueras, vel ob peccata tua, vel ob aliena, vel vt Christi passionem imitateris, vbi 50 plus, vel minus excepisti, si quid deprehēdis, cessare debeas: quæstio sanè meo quidem iudicio non parùm difficilis; vbi omnem malam intentionem, & omne peccati etiam venialis periculum secludo, quod vbique velim intelligi.

Rationes ob quas alioqui cessandi obligationem inducunt, est vel quia ῥῦμα esse nequit sine aliqua delectatione, vel quia periculum adest probabile, ne alicui obscœnæ cogitationi inhæreas, vel consentias, aut pium illud flagellationis exercitium in delectationem vergat.

Attamen non desunt rationes, quibus aduersaria sententia fulciatur; vt enim à quibusdam cibis, vt leguminibus, scolymis, pipere &c. abstinere non tenemur, ne id contingat, etiam si non desint alij cibi, quibus ali possumus; vt medico, concionatori, confessario, aut ei qui libros scribit, vel quibuscunque libros illos perlegere, & accuratius omnia expendere licet, qui propter Deum vel vtilitatem Reipub. laborant, etiam si simile quidpiam omnino inuoluntarium contingat, ita licitum esse videtur, vt quis aliquam sibi pœnam infligat, tametsi minimè præuisum consequi possit, quandoquidē nullatenus id intēdit, qui potiùs moreretur, quàm vt ne tantulâ quidem rerum venerearum delectatione inficeretur, cùm etiam ipsas cogitationes tametsi occurrentes importuniùs summopere detestetur, & abhorreat.

Ille ergo non prouocat, sed patitur huiuscemodi symptoma, quod cùm non sit magis coniunctum cum plagis inferendis, aut illatis, quàm cum cibis calidis, imo longè minus, & ab his abstinere minimè teneamur, minus adhuc cessare obligamur, & percussionem interrumpere, aut abrumpere, quippe quæ bonum est opus Deo gratum, eique oblatum, quod nullo modo tali sorde fœdatur; quapropter ictus duplicare poteris, téque vehementius cædere, vel vt ab alio cædaris, iubere, vt dolor vehementior ingruentem voluptatem extinguat, & absorbeat. Hinc fit, vt sicut à bono opere non ideo cessamus, quamuis vehemētes tentationes vrgeāt, quæ alioquin abessent, ita neque ab opere illo satisfactorio, cui fortè dæmon ipsa carnis titillatione, aut simili stratagemate insidiatur, vt istius rei metu genus illud satisfactionis è plurimorum manibus eripiat.

Neque mihi probabile videtur aliquid simile sanctis illis viris nunquam contigisse, qui ita se scopis feriebant, & cathenis, virgis, funiculis, & aliis rebus susque dèque corpus suum ferè necabant, quos partim Gretserus libris suis de disciplina, & flagellis, partim alij nonnulli referunt, nullâ tamen vnquam motuum illorum factâ mentione, vt mihi probabilissimum esse videatur, eos talia symptomata pro nihilo duxisse. Gretserus.

Nec obstat quod aliqui gentiles corio, vel alia re dorsum, & lumbos suos percussisse ferantur, vt se ad libidinem concitarent, & fortè diis, aut potiùs dæmoniis venereas sordes offerrent, enimuerò id ex condicto fiebat, quapropter se leuiùs feriebant, vnde hîc nihil est simile, nec quidquam gentilium peruersa idololatria nostris actionibus præiudicare debet, quas & alio modo, & alio fine, aliaque intentione peragimus.

Alioqui nihil apud nos adeò sanctum erit, quod non omitti debeat, enimuero, quicquid apud nos bonum, & sanctum est, ad suos asseclas transfert dæmon, vt iisdem cæremoniis, atque rebus sacris idololatriam propaget, quibus se vera religio exercet.

Aliæ sunt causæ denudationis, de quibus aliqui dubitant, qualis est vxoris ante maritum, vt ei placeat, vel obediat, sed de his alibi. Sunt etiam plurima, quæ ea de re quæri solent, vt an ad mortem, vel morbum ingruentem, vel iam obsidentem vitandū prouocare liceat &c. quæ c.38. ver.9. Deo bene iuuante soluemus. Si quis verò rogarit, quid magis in prædictis percussionibus propria, vel alterius manu excipiendis consulam; an melius sit ab his abstinere, necne, sciat hîc consiliorum non esse quæstionem, sed quid sine peccato quis facere possit, breuiter tamen Respondeo non posse hîc ita responderi, vt omnibus satisfiat; cùm enim sit res moralis, omnes circunstantiæ diligenter expendēdæ sunt, & in his sine scrupulo sapientis Confessarij, aut alteriùs viri pij æquè ac docti consilium, aut sententiam amplecti potes; vbi priùs semper aduertendum est, an aliquod sit futurum peccati periculum, quod tametsi veniale foret, cane peius, & angue fugiendum est; deinde an maior profectus spiritualis inde sequatur. His autem in præsenti omissis ad caput tertium accedamus.

CAPVT TERTIVM.

1 SED & serpens erat callidior
cunctis animantibus terrę quæ
fecerat Dominus Deus. Qui
dixit ad mulierem: Cur præ-
cepit vobis Deus, vt non comederetis de
omni ligno paradisi?
2 Cui respondit mulier: De fructu ligno-
rum, quæ sunt in paradiso, vescimur:
3 De fructu verò ligni, quod est in medio pa-
radisi, præcepit nobis Deus ne comedere-
mus, & ne tangeremus illud, ne fortè mo-
riamur.
4 Dixit autem serpens ad mulierem: Ne-
quaquam morte moriemini.
5 Scit enim Deus, quòd in quocumque die
comederitis ex eo, aperientur oculi vestri:
& eritis sicut dij, scientes bonum & ma-
lum.
6 Vidit igitur mulier, quòd bonum esset li-
gnum ad vescendum, & pulchrum oculis,
aspectuque delectabile: & tulit de fructu
illius, & comedit: deditque viro suo, qui
comedit.
7 Et aperti sunt oculi amborum: cumque
cognouissent se esse nudos, consuerunt folia
ficus, & fecerunt sibi perizomata.
8 Et cùm audissent vocem Domini Dei
deambulantis in paradiso ad auram post
meridiem, abscondit se Adam & vxor eius
à facie Domini Dei in medio ligni para-
disi.
9 Vocauitque Dominus Deus Adam, &
dixit ei: Vbi es?
10 Qui ait: vocem tuam audiui in paradi-
so: & timui eò quòd nudus essem, & ab-
scondi me.
11 Cui dixit: Quis enim indicauit tibi quòd
nudus esses, nisi quòd ex ligno de quo præ-
ceperam tibi ne comederes, comedisti?
12 Dixitque Adam: Mulier, quam de-
disti mihi sociam, dedit mihi de ligno, &
comedi.
13 Et dixit Dominus Deus ad mulierem:
Quare hoc fecisti? Quæ respondit: Ser-
pens decepit me, & comedi.
14 Et ait Dominus Deus ad serpentem:
Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia
animantia, & bestias terræ: super pectus
tuum gradieris, & terram comedes cunctis
diebus vitæ tuæ.
15 Inimicitias ponam inter te & mulie-
rem, & semen tuum & semen illius: ipsa
conteret caput tuum, & tu insidiaberis cal-
caneo eius.
16 Mulieri quoque dixit: Multiplicabo
ærumnas tuas, & conceptus tuos: in dolore
paries filios, & sub viri potestate eris, &
ipse dominabitur tui.
17 Adæ vero dixit: Quia audisti vocem
vxoris tuæ, & comedisti de ligno, ex quo
præceperam tibi, ne comederes, maledicta
terra in opere tuo: in laboribus comedes ex
ea cunctis diebus vitæ tuę.
18 Spinas & tribulos germinabit tibi, &
comedes herbam terrę.
19 In sudore vultus tui vesceris pane, do-
nec reuertaris in terram de qua sumptus es:
quia puluis es, & in puluerem reuerte-
ris.
20 Et vocauit Adam nomen vxoris suæ,
Heua, eo quod mater esset cunctorum vi-
uentium.
21 Fecit quoque Dominus Deus Adę &
vxori eius tunicas pelliceas, & induit
eos.
22 Et ait: Ecce Adam quasi vnus ex no-
bis factus est, sciens bonum & malum:
nunc ergo ne fortè mittat manum suam, &
sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, &
viuat in æternum.
23 Et emisit eum Dominus Deus de para-
diso voluptatis, vt operaretur terram, de
qua sumptus est.
24 Eiecitque Adam: & collocauit ante
paradisum voluptatis Cherubim, & flam-
meum gladium atque versatilem, ad custo-
diendam viam ligni vitæ.

Ggg

VERSICVLVS I.

Sed & serpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus. Qui dixit ad mulierem: Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis de omni ligno paradisi.

וְהַנָּחָשׁ הָיָה עָרוּם מִכֹּל חַיַּת הַשָּׂדֶה אֲשֶׁר עָשָׂה יְהוָה אֱלֹהִים וַיֹּאמֶר אֶל־הָאִשָּׁה אַף כִּי־אָמַר אֱלֹהִים לֹא תֹאכְלוּ מִכֹּל עֵץ הַגָּן׃

Ὁ δὲ ὄφις ἦν φρονιμώτατος πάντων τῶν θηρίων τῶν ἐπὶ τῆς γῆς, ὧν ἐποίησε κύριος ὁ θεός. καὶ εἶπεν ὁ ὄφις τῇ γυναικί· τί ὅτι εἶπεν ὁ θεὸς οὐ μὴ φάγητε ἀπὸ παντὸς ξύλου τοῦ ἐν τῷ παραδείσου φαγόμεθα.

POstquam paradisi delicias, & eius incolas contemplati fuimus, quàm pulchri, quàm decori, quàm Deo grati fuerint, versutus ille dæmon iamdudum è cœlo deiectus venenum suum communicare nititur, vt omnes rebellionis filios, Deique inimicos efficiat, ad quod serpentis effigiem, vel
Nachas. potiùs serpentem verum assumit, quem Hebræi נָחָשׁ *nachas* appellãt, eodem ferè modo, quo energumenos assumit, vt per eos, quod placuerit, eloquatur, tametsi non intelligant, quid dæmon in eis loquatur, ita disertè S. August. 11. de Genes. ad lit.
August. cap. 27. & 14. de Ciuit. cap. 11. non est autem, quod curiosiùs inuestigemus, quisnam ille serpens fue-
Plin. rit, siue basiliscus, de quo Plin. lib. 8. cap. 21, & eius
Solin. simia Solinus cap. 30. siue scytale, quæ dorsi varietate, & gratia videntes retardat, & miraculo sui stupentes capit, teste Solino ibid. siue vipera, cuius
Math. 23. filios, seu genimina Christus Matth. 23. vocat; siue regulus, aut quiuis alius. Putant verò nonnulli Hebræi Euam intellexisse serpentis sibilum, quidue serpens vellet, sicut & aliorum animalium linguas. Alij malunt sathanam intelligere, quẽ à נחש, idest, ariolando, & diuinãdo dictũ volunt, *Nachas* enim inuenire, probare, & ominari significat, vnde cõcludunt sathanam omnium diuinationum inuentorem fuisse, idem etiam vocabulum significat æs, & chalybẽ; ita vocatur serpens æneus, quẽ Moses
4. Reg. 18. fecerat. 4. Reg. 18. quem postea fregit Ezechias ob periculum idololatriæ; quem etiam referunt librum medicum Salomonis abscondisse. Confirmant Cabalici Sathanam hîc intelligi, quod numeri harum literarum הנחש, & השטן eandem summulam efficiant, vno tamen dempto.

Profectò certum est dæmonis operam hîc interuenisse; An verò solus is adfuerit, quem Moses serpentem vocet ob malitiam, non omnes asse-
Sententia Caietani hæc metaphoricè intelligentis. runt, nam Caietanus vult serpentem non interfuisse, sed solum sathanã sine sermone vocali, qui per internam suggestionem serpere venenosa cogitatione inceperit, adeout totum hunc dialogum iuxta hanc internam suggestionem intelligat; prout in nobis contingit, dum vitium amplectimur, vel tentationibus impetimur, nam multæ cogitationes ad vitium nos prouocant, aliæ verò ab eo deterrent, quæ metaphorico sensu possent exprimi, ac si vel serpens, vel alter homo nobis peccatum suaderet, eique vocaliter responderemus; quem modum Ecclesiæ censet vtilem, quia dum pagani instruuntur ea quæ de costa Adæ, serpente &c. dicuntur, non literaliter, sed mysticè intelligi, non ea fabellarum instar, sed vt mysteria venerantur, & quæ sunt fidei faciliùs suscipiunt.

His autem rationibus motus fuit, vt hunc sen- Rationes eius.
sum literali præferret; primò quia solet Scriptura nominibus animaliũ vti pro rationalibus, vt cùm 1
Christum vocat agnum Dei, & leonem de tribu Iuda Apoc. 12. & dæmonem, draconem, sicut & Apoc. 12.
hîc serpentem.

Secundo, quia serpens verus non est cæteris animalibus φρονιμώτατος, callidior, vel vt Aquila vertit 2
πανοῦργος. Tertiò Moses eum callidum descripsit, vt 3.
dæmonem, non autem serpentem cogitaremus.

Quartò locutionem ei tribuit, quæ bruto animanti conuenire nequit, vt per sermonem hîc ser- 4
pens intellectualis denotaretur; quod confirmatur ex Num. 22. vbi quia mirabile videatur, quòd Num. 22.
asina locuta fuisset, aperuit causam, nempe Deum os eius aperuisse, quòd hoc in loco minimè fecit, nec vllum miraculum interuenisse insinuat.

Quintò pœna non inflicta fuit serpenti, sed dæ-
moni: Sextò nihil de serpentis aduentu, aut Euæ 5.
horrore ob præsentiam serpentis legitur, cùm ta- 6
men Moses Exod. 4. serpentis præsentiam fugerit, Exod 4.
sed refertur ei velut familiari collocutori respondisse.

Denique cunctis animalibus sapientior appellatur, quia reuera dæmon sapiẽtior est, & astutior, 7
qui meritò in ordine bestiarum ponitur, quia per peccatum eatenus cecidit ex ordine intellectualium, quatenus non ampliùs ordinatur ad finem rationalis creaturæ, nempe beatitudinem, sed iam tantùm est propter electos instar belluæ, quod sanè dictum est acutè.

Verùm hæc sententia parum tuta est; quandoquidem inde sequitur totam Genesis historiam, nempe quæcunque de paradiso, imo & de creatione Euæ superiùs allata sunt, vel deinceps afferentur,

Origen.

tur, esse metaphorica, non autem vera secundum literæ sensum, quod falsum est, & contra Patres, ac geminum, verumq; sensum literæ: adde quòd propterea damnatus est Orig. in 6. Synodo generali.

Cyril.

Quanquam Cyrillus 3. contra Iulianum huic sententiæ fauere videtur, dum ait solum simulachrum serpentis assumptum à dæmone: sed cùm dæmon post tentationem hoc phantasma non reliquerit, quod in tenues abiret auras, probabilius est verum fuisse serpentem, cui Deus pœnam imposuit. Aliud extremum tenuit Iosephus 1. ant. c. 1.

Ioseph. Basil. Plato.

dum belluis, atque adeò serpenti vim loquendi tribuit, cui Basil. hom. de paradiso suffragare videtur, vbi ait, ante peccatum animalia inter se locuta fuisse: ante quos Plato in politico dixerat regnante Saturno etiam homines ab animalibus responsa accepisse; quæ sequenti quæstione refellemus, nec enim alteri, quàm homini loquendi facultas conuenit teste Arist. 4. de histor. anim. c. 9.

Animalia locuta fuisse quis dixerit? Aristot. S. Ephrem.

S. Ephrem apud Barcepham 27. c. de parad. ait sathanam à Deo petiisse, vt serpens ad tempus loqueretur, vt Euam adoriretur, quod ei Deus, imo & intelligētiam concessit, inquit Ephrem: Verùm tam sermonis, quàm ingenij, seu rationis serpens erat incapax: Propterea retinendus est sensus literæ, qui serpentem locutum fuisse ait: modum verò loquendi possumus ab exemplo Balaam desumere, vt sicut Angelo voces eius linguâ formante, ita & serpens dæmone mouente locutus fuerit. Sic enim

Theodor.

Diabolus, inquit Theodoretus q. 32. ministerio vnius animalium subditorum laqueum tetendit, hoc pacto suasu faciliores componens insidias: dæmonem verò serpentem vocari probat ex 27. Isai. & Luc. 10.

Isai 27. Luc. 10. Oleaster.

Verbum *Nachas*, inquit Oleaster propriè significat incantare, maximè verò sonitu, seu diuinare ex sono alicuius, siue sit verbum, aut cantus hominis, vel auis: sic enim 3 Reg. 20. cùm serui Benadab omen vel augurium ex verbis Achab vocantis fratrem regem Syriæ sumpsissent, dixerunt, *frater tuus Benadab viuit*: Hebraicè legitur, *Ienaschashu* idest augurati sunt, vel omen acceperunt ex verbis regis: Hinc serpens Nachas idest incantatus appellatur, quòd mussitando incantetur, quapropter à sonitu *nechosheth* idest æs, seu calybem dici putat.

3 Reg. 20. De diuinatione.

Significare potest etiam *Nachas* inuoluere, & inuolui, inde *Nechushtis* compedem, & *Nechushath* idest viscera. Quare duobus modis vertit illud Gen. 44. versic. 5. in quo augurari solet: *Naches ie naches* idest augurando auguratur, vel circumeundo circuit in illo; quia fortè illud diuinationis gen⁹ fiebat circulariter, vt liquore rotundi vasis, aut in baculo iuxta id Osee 4. *Populus meus lignum suum interrogabit, & baculus eius annuntiabit ei*: verùm de diuinationibus istis plura ad Gen. 44. dicturi sumus.

Gen. 44. Osee. 4.

Serpens cur callidus.

Ille verò serpens erat callidior cunctis animantibus terræ; Callidum esse serpentem Christus ipse testatur, dum ait, *estote prudentes sicut serpentes*, siue quia reliquum corpus opponit, vt caput protegat, siue quia nos insidiis, & occultè adoritur, siue quia veterem pellem cautè detrahit, vt nouam induat, siue quia profundas terræ cauernas petit, vt frigora vitet, & fiat pinguior, siue ob alias proprietates: quanquam D. Aug. 11. de Gen. ad lit. c. 29. callidum vocet, quia dæmon astutus eius operâ cautè vsus est: sunt & alia quæ serpenti tribuuntur, vt quòd obturet aures suas ne incantetur

August.

Psal. 57. quod venenum in latibulo deponat, cùm bibit, ne aquam inficiat, teste Epiph. hær. 37. cætera vide apud Plin. l. 8. c. 27. Et quidem si vtriusq; calliditatem spectemus, dæmonis intellectualem, & serpentis corpoream, rectè ambo coniuncti fœminam adorti fuerunt: vbi dæmonem vides naturali serpentis astutiâ abusum fuisse. Moses autem opposuit serpentem Adami, & Euæ simplicitati, ac innocentiæ, vt pote astutissimum, quod dictio ערום declarat, quę tam nuditatem, ac simplicitatē, quàm astutiam denotat; at cùm nuditatem significat, fit à radice ערה; ערום *haroum*: sumitur etiam pro prudente in bonam partem, tuncque opponitur פתי.

Psal. 57. Epiph. Plin.

Haroum quid?

Est autem non mediocris difficultas quomodo cūctis animantibus callidior esse dicatur, cùm vulpē, simiā, apes, & alia animalia tam astuta sint: tametsi enim ei proprietates antea relatæ conueniant, & oculorum caliginem marathro abstergat, non desunt alia, quæ pluribus aliis conueniunt, vixque reperies vllum animal, quod aliquā plantā non sibi prouideat: ideóque nonnulli serpentem prudētem vocari putant, quòd cernat longissimè, & à δέρκω dracones .i. acerrimè cerno, vnde & ὀξυδερκεῖν, acutissimè video: veruntamē Scripturæ sacræ, quā vlli alteri coniecturæ, vel rationi credere malim; nec extra rem esset, si quæstionem institueremus ad serpentis naturam accuratiùs inuestigandam, & vnde, seu à quo temperamento insignis illa calliditas oriri possit, sed operæpretium est, vt potiora aggrediamur.

Qui dixit ad mulierem. Vbi supponendus est malorum angelorum casus, de quo postea. post quem Lucifer maxima fœlicitatis humanę duct⁹ inuidiâ, primos parentes aggreditur, nō interiùs, quia Deus eos ita protegebat, vt mentis interiora penetrare non posset, nisi mens ipsa à Deo recederet: hîc igitur incipit tentatio: de qua mox quæstionem proponemus, vbi & de tētatore. Dixit igitur, *Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis ex omni ligno paradisi.* Serpens mulierem potiùs, quàm hominem aggreditur, vt pote fragiliorem: mirum est autem, quod illa non horruerit; nunquid enim ignorare potuit serpentes, & animalia loqui nō posse? an potiùs æstimabat in eo aliquam esse naturam Angelicam, non autem sathanam, de quo fortè nihil hactenus audierat, neque didicerat? Ideóq; nonnulli volunt initio stupefactam fuisse, quòd per serpentem Angelus loqueretur aliqua diuino præcepto contraria, & aliquandiu hæsitasse, sed amœnitatē fructus, & ambitione tandem adductam, vt gustaret, postquam serpens illud per multos verborum circuitus ei persuasit: Hebraicè legitur אף כי *aph qui* quod ita nonnulli explicant, vt postquam dæmon multa de Dei crudelitate, vel austeritate, vel potiùs de benignitate, & clemētia dixisset, addiderit, etiamne putatis eum, qui adeò bonus est, vobis id prohibuisse? 70 τί ὅτι, per admirationem, vt cùm nos dicimus, *comment! que Dieu vous aye defendu ce fruict, luy qui est si clement, & si bon.*

Quomodo dæmon tētauerit Euam.

Itane verum est eum vobis illud prohibuisse. Etiam vt dixerit! quibus verbis fortè dæmon simulabat se præceptum Dei non intelligere, vt Euam in dubitationem pertraheret, & fidei infusę, totiusque originalis fundamenta concuteret, atque iam nutantia nouis machinis additis euerteret. Et quidem mulieris responsio satis indicat serpentem ambiguè proposuisse, vt nescias, si intelligeret Deum vetuisse ne de vllis arboribus ederent, quia ipsa serpentem docet Domini præceptū non

fuisse, ne ab omnibus passim arboribus abstinerēt, sed ab vna duntaxat: potest etiam sensus esse; itane dixit Deus, ne de qualibet passim arbore vescere-mini? Sanè mirũ est Deum vobis id prohibuisse, vt libertatem vestram minueret; vt sic responsionem mulieris eliceret, & inde occasionẽ captaret suum virus infundendi ampliùs, & palam. Quidam Hebræi aiunt serpentem eos vidisse proli vacantes, & inde eam appetisse, sed id gratis dicitur, nec dæmoni competit illa coniunctio, vt pote corpore carenti: cætera in sequentibus quæstionibus dicentur, dum Iudaizantibus omissis ad tentationem accuratiùs expendendam accedimus.

QVÆSTIO XXXIV.

DE TENTATIONE PRIMA TOTIVS MVNDI.

ARTICVLVS I.

DE VARIIS TENTATIONIBVS.

PEr tentationem, quicquid fit de vocabuli etymo, nihil aliud intelligo, quàm illam actionem, qua quis sumit experimentum de eo, qui tentatur, quod tam verbis, quàm factis fieri solet; nam si velim* experiri, an aliquis sciat, verbi gratia Geometriam, aut possit, seu velit illam addiscere, interrogamus eum, an illud velit; vel aliquâ figurâ propositâ eius tentamus prudẽtiam, voluntatem, & potestatem; vt cùm rogamus eum, vt reperiat proportionem lateris, & diametri figuræ quadratæ; assignet triangulum, cuius omnes anguli 60 gradus contineant, & similia, adeout ex eius responsione statim doctus Geometra concludat eum, quem tẽtauit, vel in rebus mathematicis versatum esse, vel ignarum. Eodem modo in cæteris rebus procedere possumus, sic enim cùm alicuius famuli prudentiam, atque fidelitatem exploramus, difficilem ei nuntium, vel opus aliquod arduum, & magni momenti peragendum committimus, vt euentu eius virtutem concludamus, vel arguamus ignauiam. Quorum vtrumq; duobus modis contingere potest; primò cùm quis apertè ostendit se tentatoris vices obire: sic enim Sanson Iudith 14 Philistæis problema tentatiuum proposuit: secundò occultè, & insidiosè, qua ratione Christum Pharisæi tentauerunt Math. 22.

Tentationes variæ quomodo fiant? — *Iudith. 14.* — *Math. 22.*

Vel expressè, cùm quis dicto, vel facto alicuius fidem, volũtatem, virtutem, & indolem experitur: Interpretatiuè autem, cùm id agit, vel dicit quod nullum alium ordinem ad aliud habere videtur, nisi ad experientiam sumendam, tametsi non intendat illam experientiam, neque de illa cogitet; quibus modis homo Deum ipsum tentare potest, verbis quidem, cùm à Deo postulat aliquid, vel fundit preces, vt Dei scientiam, potestatem, aut voluntatem exploret; factis autem, cùm aliquid facit, vt diuinæ potestatis, bonitatis aut scientiæ, vel alterius attributi sumat experientiam, qui duo modi sunt expressæ Dei tentationes.

Dei tentationes quę?

Tunc verò Deũ interpretatiuè seu implicitè tẽtare dicimur, cùm aliquid petimus, vel facimus, quod ad aliud vtile non est, quàm vt Dei potestas, bonitas, vel cognitio probetur, tametsi non intendamus illud explorare: alioqui cùm ob aliquam necessitatem ad Deum Opt. Max. recurrimus, minimè illum tentamus, maximè cùm alio modo periculum non possumus effugere, iuxta id 2 Paral. 20. *Cùm ignoramus, quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te.* *2. Paral. 20.*

Hinc ergo patet tentationem nihil aliud esse, quàm dum fit experientia alicuius personæ, vt de ea sciamus aliquid; Verùm præter illam scientiam alius sæpè finis siue bonus ille fuerit, siue malus, inquiritur; bonus, cùm vis deprehendere, qualis sit aliquis, siue doctus, siue præditus virtute, vt illum magis, atque magis adiuues, atque promoueas: malus autem, si id scire velit aliquis, vt eum decipiat, perdat, atque subuertat.

Itaque potest aliquis tentare solummodo vt sciat, vt cùm aliquis incertus de Dei virtute eam explorat: vel vt iuuet, vel vt noceat. Ex quibus omnibus modis dæmon hunc vltimum semper eligit, nempe vt noceat, ac in peccatum nos abducat, adeout omnes tentationes in eum, velut in originem referri possint, quatenus per primam eius tentationem peccatum in orbem terrarum introductum est, ex quo resultauit in nobis nescioquæ pronitas ad peccandum, atque inclinatio ad malum; ideóque meritò de prima illa tentatione hîc agimus. Enimuero statim atque dæmones è cœlo fuêre deiecti, inuidiâ, atq; superbiâ ducti nostrum profectum impedire conati sunt, & quibuscunque modis nos à Deo, eiusque lege deturbare: qui cùm ingenti superbiâ diuinæ potestatis vsurpent similitudinem, ministros deputant siue dæmones socios, siue homines, quibus ad alios peruertendos abutuntur, imo tantis technis nostræ saluti insidiantur, vt vix vllam creaturam inuenias, in qua laqueos nobis non obtendant, vt iam verissimum sit quod ait Sapiens 14. Sapient. versicul. 11. *Creaturæ Dei in odium factæ sunt, & in tentationem animabus hominum, & in muscipulam pedibus insipientium.* *Sapient. 14.*

Iam verò discutiendum est, quisnam ille nostrorum parentum tentator, quæue tentatio fuerit; quod tentationis instrumentum, &c.

Quod ad tentatorem attinet scimus esse dæmonem; sic enim Math. 4. πειράζων vocatur, sicut & Deus intentator, seu non tentator ἀπείραστος Iacobi epist. cap. 1. Hinc Christus Ioh. 8. asserit dæmonem esse homicidam ab initio; quod etiam ex D. Paulo confirmari potest, qui

2. ad

1 ad Cor. 11. 2. ad Corin. 11. timet illos decipiat, serpens ille, qui seduxit Euam. Nec possumus in dubium reuocare diabolum homines tentare post tam grauem, & insignem Iobi, atque Christi tentationem Iudæ Joh. 13. 13. Apoc 12. Ioh. 13. & Apoc. 12. draconem magnum habes, qui seducit vniuersum orbem, qui innumeris nocendi artibus humanum genus nititur euertere, semperque plus vritur de virtute stantium, quàm lætetur de fragilitate labentium, vt epist. 83. vel 84 ad Demetr. disserit Ambros. Cassianus verò collat. 7. c. Ambros. Cassian. Ignatius. 21. & coll. 8. c. 13 varias illius artes enarrat, cuius posteros, & nepotes vocauit hæreticos, Ignat. epist. 9. ad Smyrn. Habemus igitur tentatorem, qui nũquam quietus est, nec gentes vult in tranquillo agere, tantùm potest seducere, & traducere mentes hominum ad transgressionem mandatorum Dei: hinc operationem dæmonũ appellat Tertul. Tertul. c. 22. Apolog. hominum euersionem: *quos ideo tentant*, inquit Iren. l. 5. c. 23. *quia inuident homini, & vt* Iren. *regis gloriam sibi vendicet apud ignorantes*; & quia Deum, Deique opus insectatur, & odio plusquam Vatiniano prosequitur.

Cùm autem hominum temeritas adeò progressa sit, vt Dei bonitatem, atque prouidentiã arguat, quòd permiserit dæmonem aggredi primos parentes, quos ab illo superandos optimè nouerat, cùm illum impedire potuisset, operæpretium est diligentiùs inquirere, an hominum querelæ debeant audiri, & legitimè possint in Deum insurgere.

ARTICVLVS II.

AN SIT IVSTA HOMINVM QVERELA, atque interrogatio, Cur Deus permiserit protoplastos à Dæmone tentari, quos certissimè, atque infallibiliter superandos ab æterno præuiderat.

IN illa quæstione, quam aduersus Atheos scripsimus, ex parte solutus fuit huiusce quæstionis nodus: vbi rationes plurimas attulimus, quamobrem Deus iustos multis tribulationibus affici, ac velut opprimi, & obrui permittit. Veruntamen operæpretium est huic quæstioni nonnihil addere. Decem rationes cur Deus tentationes permittit. Itaque non desunt rationes optimæ tam ex parte, Dei, & hominis, quàm ex parte diaboli, cur Deus illam tentationem, & nostras quotidiè permittat, 1. quarum vna est, eáque potior, vt excellentia diuinæ gratiæ fiat illustrior, atque adeò gloriam, & maiestatem, & prouidentiam magis extollamus; quod fit, dum hostem nostrum arrogantissimum quamuis debiles superamus, quapropter noluit D. Paulum à spiritu Sathanæ liberare Deus, vt gratia Dei, atque Pauli virtus in infirmitate perficeretur 2. ad 2 ad Cor. 12 August. Cor. 12: tũc enim gratiã abundantiorẽ cõfert Deus, si tentatio fortior est. Vnde D. Aug. dicebat; *Adfuit* 2. *tentator, sed vt nõ consentirem tenuisti, tu me confortasti, tu me roborasti, tu me illuminasti.* Deinde vt ostenderet, quàm vera sit illa gratia, per quam etiam in statu naturæ lapsæ cuilibet tentationi resistimus. 3. Tertiò gratia, & æquitas in eisdem tentationibus ostenditur: illa, quia non rarò præuenit ne tentemur, & tentatorem aggredi minimè sinit, cuius conatum ita moderatur, vt non superemur: hæc autẽ, quia non nisi ad mensuram diabolum tentare permittit, vnde dando tentandi potestatem, inquit D. August. seruat æquitatem. Nam *fidelis Deus* 1. ad 1 ad Cor. 10 Corin. 10. *qui non permittit nos tentari supra id quod possumus.*

4. Quarta ratio est, vt sapientiam suam ostenderet, & gloriam amplificaret maxima bona ex maioribus malis eliciendo; ita enim Deus Pater Incarnationis summum op⁹ media peccati permissione voluisse dicitur, vt altiori modo, maiorique suæ omnipotentiæ, & aliorum attributorum manifestatione illud perficeret, adeout quodlibet attributum, seu potiùs cuiuslibet attributi manifestationem pro ratione tentationum, & permissionis peccati adducere possimus.

Quinta causa est maior hominum gloria, quæ ex 5. victoria tentationum oritur, nam *tentamenta maioris premij sunt*, inquit Chrys. hom. 40 in Gen. *Ne-* 1 ad Tim. 2. *que coronabitur, nisi qui legitimè certauerit.* 1. ad Tim. 6. 2. Sextò vt homines contineantur in humilitate, & timore, suæque imbecillitatis cognitione. Septi- 7. mò, vt diuinæ gratiæ necessitatem agnoscamus, & ad eam velut ad asylum confugiamus, atq; ad orandum cum humilitate excitemur. Octauò vt virtus 8. hominis exerce[...]tur, constãtia, & obedientia probaretur, & vt intercedente pugna corona gloriosior texeretur, quæ ratio maximè locum habet in primis parentibus, dum in innocentia degebant: Iam verò rationes aliæ occurrunt in statu miseriæ. Nonò igitur tentationes permittit in pœnam pec- 9. cati, ob quod Deus posset permittere grauiores tẽtationes; nisi Christi merita vires sathanæ coërcerent. Decimò permittit Deus vt tentet dæmon, 10. sed ad maiorem illius confusionem, atq; deiectionem, siue vincat hominem, vt reuera superauit Euam, siue superetur ipse; tunc enim via parata fuit Christo, vt altissimè de diabolo triumpharet, non solùm ipse personaliter, verùm & alij plurimi eius adiuti gratiã.

Enimuero proderit hîc aduertere dæmonem nũquam de reportata victoria meritò gloriari posse, quia dum hominem vincit, voluntatem huius solummodo vincit, non autem Dei potentiam, vel gratiam; non enim Deus hãc ei permisit victoriam ob aliquam impotentiam, sed voluntariè propter iudicia sua, quorum abyssus plurima est, quod patet ex eo, quòd toties vicerit homo, quoties eum Deus efficaciter iuuare voluit; & reuera victus est, aut ab omnibus superabitur, quos Deus ad sedes Angelorum reparandas prædestinauit; *vicerunt enim eum in sanguine agni*, Apoc. 12. Itaque cũ Deus Apoc. 12. sit *adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis.* Psal. 45. vt ipse testatur Psal. 90. *cum ipso sum in tri-* Psal. 45. & 90. *bulatione*, tempore tentationis ad eum per orationem recurrere debemus, atque spem concipere de victoria, quæ nobis obtinget, si diuinæ gratiæ coo-

peramur, nam Psal. 90 ait, *Clamabit ad me, & ego exaudiam eum.* Non est quòd hunc articulum longiùs protraham, aut accuratiùs discutiam, cùm id alibi peractũ sit vbi rationes attulimus, cur mala, & tribulationes Deus permittat. Ex quibus constat ad partem prouidentiæ diuinæ permissiuam reduci dæmonis tentationes, quibus vtitur, vt nos seducat; qui licet Christum tentauerit, vt probaret, an esset Filius Dei, illum tamen subuertere cupiebat; hinc dæmonis tẽtatio vocatur, seductionis, atq; subuersionis: Dei verò tẽtatio, vel etiã diabolica tentatio respectu diuinæ intentionis, est tentatio probationis, sic enim Tobiæ dicitur cap. 12. *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, vt tentatio probaret te.* Sapient. 5. *Deus tentauit eos*, nempe iustos; sicut & Abraham Gen. 12. qua tentatione probari volebat Dauid psal. 25. *proba me Domine, & tenta me*, tentatione vtili, qua non decipimur, vel opprimimur: sed probamur, inquit D. August. Dæmon igitur vsus est illa subuersionis tentatione, dum Euã aggressus est, quæ mala est ex obiecto, seu intrinseco fine, cùm proximè tendat ad hominem inducendum in peccatum.

Tobiæ 12. Sap. 5. Gen. 12. Psal. 25.

ARTICVLVS III.

DE INSTRVMENTO ET MODO TENTATIONIS, QVO dæmon vsus est in Eua subuersione.

MIrum est, quòd dæmon omnium peccatorum causa, sicut & omnium tentationum artifex dici possit, ex eo quòd Euam tentauerit, & in peccatum pertraxerit, quia sine hoc peccato nullæ forsitan tentationes, neque peccata fuissent; verùm ne latiùs excurram, de sola tentatione primæ fœminæ loqui velim, de qua versiculus primus, & sequentes agunt. Serpens igitur fuit instrumentum, siue tunc rectus incederet, vt habet Iosephus, siue more serpentium reperet, vt omnes ferè sentiunt; quicquid enim dixeris, potuit eum diabolus erigere, atque facere vt erectus Euã alloqueretur; deinceps itaque de serpente minus solliciti erimus, vt laruas dẹmonis aperiam, quem Luciferum nonnulli fuisse putant, qui & secundum Adam Christum Dominum tentauerit.

Ioseph.

Igitur Panurgus ille motus inuidiâ, atque superbiâ; inuidiâ, quod existimaret hominum gloriam, dignitatem, & excellentiam esse veluti suæ excellentiæ diminutiuam, quia inuidia continetur sub tristitia, & ira, quibus aliquis alterius odit excellentiam, quatenus impedit, obumbrat, offuscat, ac opprimit inuidentis dignitatem, ac proinde alterius excellentiam, vt sibi malam, atque incommodam odit, atque de ea vel habitu, vel actu contristatur, qua ratione dæmon in qualibet tentatione ducitur inuidiâ; superbiâ verò, quia nullum parem habere vult, ideóque videns hominem in biuio positum, itaut vel ad gloriam æternam ascendere posset, ex qua deciderat, vel potestati dæmonum subijci, mox Euæ insidiatur, vt eam suæ potestati subdat, & à fœlicitate gloriæ impediat.

Dæmon quare homines ad peccãdum pertrahat.

Nec desunt, qui dicant ideo per peccatum Euam subuertisse, vt impediret diuinum decretum, quo filius incarnari debebat, & hominem ad naturę diuinæ consortium assumere. Itaque veterator ille mulierem aggreditur non interiori, sed exteriori tentatione, quam nondum perceperat, vt eam meliùs agnosceret; sic enim tentatio fuit leuior, quàm si fuisset interior, nec decebat, vt in illo fœlici statu dæmon interiora commoueret.

Noluit verò in propria formã tenebrosã, & horridã apparere, ne fraudem illam expueret Eua, idest noluit corpus efformare, quod inuido, tristique animo competeret; in hoc enim boni differunt à malis, quod illi cùm sint Angeli lucis corpora lucida atque pulcherrima, hi verò tenebrarum Angeli corpora tenebrosa, tristia, & horrorem incutiẽtia assumere soleant, tametsi iisdem corporibus vti possint, quibus illi: nam 2 ad Corin. 10. *Satanas se transfigurat in angelum lucis*, adeout nulla corporea, naturalisque circunstantia sufficere videatur, vt boni Angeli apparitio ab apparitione cacodæmonis certissimè distinguatur, vt aliâs dicturus sum.

2 ad Cor. 10

Multa sunt, quæ circa tentatorem inquiri possunt, cur non se transtulit in Angelũ lucis, vel corpus sibi proprium, vel columbam, aut simiam, vel pulcherrimum aliud animal non assumpserit, vt faciliùs venenum infunderet: Quibus omnibus solam Dei voluntatem opponere possumus, qui noluit aliud dæmoni permittere, vt facilè primi parẽtes nondum tentationibus assueti fallaciam deprehenderent; quapropter noluit ei concedere, vt vel in Angelum lucis sese transformaret, vel formam hominis assumeret, ne citiùs deciperetur Eua, tametsi iam facilè dæmoni permittat, vt illis formis vtatur, dum nos tentat, quia satis aliunde monemur, vt eius insidias caueamus, & Christus ipse dux noster suo nos exemplo docuit, quomodo pugnare, atque vincere debemus. Serpentem ergo dæmon ingreditur, quia suggestio ad modum serpentis tortuosi cor ingreditur, qua superiorem mentẽ ad inferiora conuertere nitebatur: De specie serpentis an fuerit Pharas erectus incedens, vt Magister historiæ Scholasticę refert, an Basiliscus serpentum regulus, vt habet Eugub. in cosmop. ideo non inuestigo, quia in his nihil certum afferri potest, & Lyranus non immeritò deridet illos, qui faciem virgineam huic serpenti concedunt, quanquã nescio, neque absq; reuelatione vllus scire potest, an dẹmon oculos Euę ita fascinauerit, vt ei serpens illa facie, vel quadam alia pulcherrima esse videretur, tametsi existimem Deum nullam fascinationẽ permisisse. Ideóque dẹmon mediante serpente locutus fuit: nec est, quòd inquiramus, an linguę serpentinæ motus voces efformare potuerit, quandoquidem nouit diabolus, quæ aëris fractio, atque collusio sit necessaria, vt hęc aut illa vox efformetur. Cętera quę de tentatione primorum parentum dici possent, in progressu discutientur: Iam verò quęramus, an bellue loqui, & ratione vti possint.

Qualis fuerit serpens à dæmone captus.

Comestor.

Eugub.

Lyranus.

QVÆSTIO XXXV.

QVÆSTIO XXXV.

AN BELLVÆ MVNDI PRIMORDIIS LOQVERENTVR, ac ratione pollerent.

ARTICVLVS I.

RATIONES QVÆ SVADERE VIDENTVR animalia vti ratione, & loqui.

HAnc difficultatem non adeò paruam esse censeo, vt negligi debeat; etenim iure quis dubitare potest, an hic serpens locutus fuerit, cùm id exprimat textus, nullâ de cacodæmone facta mentione: & quidpiam habemus in Balaam asina simile; nec id potentiæ diuinæ repugnare videtur, vt bestiæ loquantur, imo; pueri bestias omnes, & volucres, ac pisces hortantur in suo cantico, sicut & Lyricen regius Psalmo 148 vt laudent nomen Domini, eique benedicant. Deinde multa sunt apud antiquos scriptores, & diurna videntur experientia, quæ nequeunt explicari, nisi rationem, & loquelam animalibus tribuerimus; quis enim ea valeat intelligere, quæ de elephantorum ingenio, & solertia legimus, nisi rationis sint participes: nunquid Plin. l. 8. c. 3 testatur eos discere, si quæ proponũtur, & noctu quoq; meditari castigationis, pudorisque metu, intelligere sermones humanos, atque etiam literas, itaut Mutioter consule verba Græca scripserit, significantia, *Ipse ego hæc scripsi, & spolia celtica dicaui*; quid maiori stupore dignum, quàm elephantes funibus incedentes cernere, scire quid petatur, & in cæteris actionibus mirabilem prudẽtiam adhibere, homini deuio clementer viâ monstrare, insidias sibi metuere ab homine etiam vestigio eius cognito, & intremiscere, gloriâ & præmio induci, & moueri, vt in exercitu Antiochi: suffundi pudore, & mortem ignominiæ præferre, nosse adulteria & vindicare: nunquid se mutuò intelligũt, & vnus locutus est Cochini in prouincia Malabar? teste Christophoro à Costa.

Psal. 148.

De elephãte.

Christoph. à Costa.

Quid de formica commemorem, quæ tanta sagacitate replet æstatis tempore cauernulas in hyemem, & lunâ plenâ tam diligenter, & intrepidè laborat, vt silente lunâ ipsa cum sociis quiescat: ad quam Sapiens inertes remittit; *vade ad formicam piger*: nec minor est apũ prudentia, tam in alueolis effingendis, quàm in melle colligendo, ceraque facienda; quarum si rempublicam eiusque diuersa officia describere velim, illud iusto volumine indigeat, nec profectò vllum esse animalculum quâtumuis pusillum existimo, in quo non aliqua prudentia, ac saltem rationis vestigium elucescat. De maioribus nulli dubium esse potest, qui miram leonis historiam legerit, in qua tantus beneficiorum obseruator legitur, vt apud Gueuarreum in epist. aureis videre est; quem parcere subiectis & debellare superbos, timidos negligere, & magnanimos inuadere mirareris; sed frequens experientia nos docet ita cicurari, vt qui passim eos conducunt, suũ eis caput veluti degluttiendum tutò committant, quod lambunt duntaxat, eique velut adulantur, vt etiam in lacu factum est, in quem Daniel iniectus fuerat, ac in multis Martyribus apparuit, quos & leones, & aliæ belluæ nequidem lędebant sibi licet fame pressis ad deuorandum expositos: sed & videmus ab vrsis non pauca fieri, siue saltando, siue quidpiam simile ad hominis imperium, & vocem agendo, quod rationem arguat atque discendi capacitatem.

Formicarũ industria.

Apum prudentia.

De Leone.

De vrso.

Sciunt omnes equos saltare ad pulsum cytharæ, mortuos lamentari, & magnâ erga dominos fidelitatem obseruare, tela humi proiecta in pugna suis heris porrigere, eorum neces vindicare, nõ admittere sessores hostes, vt apud Plin. l. 8. cap. 42 habes: Hyberniæ equi mores hominum denotant, & ad nutum domini circulatoris mandata peragunt: &, quod mirum est, ciphras parieti si inscripseris numerabũt equi, detegentque, quis ex multis præsentibus chirotecam, strophiolum, aut quidpiam aliud apud se occultet: licet equus, dum res absconditur, absfuerit, qui iussu heri pede tangat eum, qui fuerit adulter, aut alio vitio laborarit.

De equis, & eorum fidelitate, & industria. Plin.

De canum fidelitate erga dominos, & luctu in mortibus eorum stupenda sunt, quæ Scaliger, Camerarius, & alij post Plin. scripserunt, qui ludionum instar bipedes incedunt, & gesticulantur, ac dominorum interfectores sæpe lacessunt, donec publicâ iustitiæ vindictâ suspendantur: Plinius locutum esse canem refert: sed omnem stuporem superare puto, quod à simiis fit, nihil enim est, quod ferè non imitentur: armati incedunt, scribunt, equites ambulant &c.

Canum stupenda fidelitas.

De simiis.

Quis non felem, & columbas tabelligeras demiretur, quibus cursoris instar Marrhes Ægypti Rex vtebatur, teste Rhodigino, cui columba aderat iussis obtemperans, quę ferebat epistolas quocunque volebat, quamobrem post obitum eam sepulchro dehonestauit. Nõ est quod de psittacorum loquela vt pote notissima loquamur, cùm idem possint coruus, pica, graculus, sturnus, luscinia &c. Et quidem Ascanij Cardinalis psittacum Romæ symbolum Apostolicum recitasse ferunt. de lusciniis Græco latinoque sermone docilibus vide Plin. lib. 10. cap. 42.

De fele, & columbis.

De auibus loquentibus.

De ciconiarum castitate, & gratitudine erga parentes, & benefactores: de gruum excubiis, de araneæ tela, ac tendiculis, quibus muscas irretiat, de murænæ, sæpiæ, delphini, cæterorumque piscium solertia, de serpentum in auribus aduersus incantatorem obturandis cautela, deque cæterorum animantium industria quid dicam ampliùs: nolim tamen omittere quod Paracæ vrbis ciues draconis hepate, aut corde comesto animalium conceptus, admurmurationesque intelligãt teste Philostrato c. 3. l. 3. de vita Apollonij, & l. 4. c. 1. ait Apollonium

Ciconiæ, grues, araneæ &c.

Apollonius vocem auium intelligens.

passerum voces esse interpretatum cum omnium admiratione de puero, qui lapsus in angiportu grana frumenti sparserat.

Hæc sunt & alia multa similia ob quæ existimare possit aliquis bestias vti ratione, & sermone licet multis incognito: qua in sententia fuisse vidétur Platonici, & Pythagorici, & Druides, & in India Baneanes, qui Metépsychosim admittebát, seu, vt loquitur Tertullianus, recidiuatum animarú, quẽ nos transanimationem dicere possumus: & quidẽ non ita fuerit absonum, si dixerimus hanc sententiam à Druidib^9, & Brachmannis Pythagoram accepisse: vt insinuat Lucanus his versibus ad Druidas.

Tertul.

Lucan.

— Vobis auctoribus vmbra
Non tacitas Erebi sedes, Ditisq; profundi
Pallida regna petunt: regit idem spiritus artus
Orbe alio, longæ, canitis si cognita, vitæ.

Appian. Idem etiam Germanis adscribit Appianus in Celtico, vbi eos dicit moribus feros, audaciâ prõptissimos, & mortis contemptores ob spem secundæ iterum vitæ. τὸ ἦθος ἄγριοι, καὶ τὴν τόλμαν θρασύτατοι, καὶ θανάτου καταφρονηταί, δι' ἐλπίδα ἀναβιώσεως: quam opinionem Getis insitam à Xamolxi, quem colebant, ait Iulian^9 Cæsar, quos ideo vitæ prodigos ait, quia non mori, sed migrare se existimabát. οὐκ ἀποθνήσκειν, ἀλλὰ μετοικίζεσθαι νομίζοντες: quo errore imbutos fuisse iudæos apparet ex eo, quòd Christum Ieremiá, aut Eliam esse putarent: Hanc etiam opinionem Bodino tribuit Libauius parte 2 singularium tract. de intellectu bestiarum: ex ea verò transmigratione concessâ potentiarum, actuumque societas, & communio debuit admitti homines inter & bestias. Hinc omnis vaticinantium ex bestiis, & augurum Hetrusca disciplina, ex quibus futura præsentiscebant: & quidem Paracelsus belluas vultu humano latitantes comminiscebatur; imo Iurisconsulti rationem aliquam bestiis tribuere videntur, dum Ius diuidentes, illud naturale dicũt, quod natura docuit etiam omnia animalia, & veteres apud Arist. 2 de an. t. 150 idem esse dicebant sentire, & intelligere, & 1 de an. t. 23, & 24 Anaxagoras idem intellectum vocabat, & animam: Scaliger exercit. 307. sect. 30 contra Cardan. hunc ait posuisse vnum intellectum sub luna, qui tantùm esset humanus, quòd ab hominis materia suscipi posset; eúmque facere, vt homo intelligat, eundem imminere bestiis, & ambire, nõ tamen eas ingredi ob ineptitudinem materiæ, vnde & belluas omnia habere inchoata censuit, quæ homo perfecta. Telesius l. 8 de rerum natur. c. 16 concludit contra Peripat. eandem esse substantiam, quæ sentit, & quæ ratiocinatur: nam quicquid intelligit ratio, sensus apprehendit, & belluæ quædam sentienda, quædã sensu cognita discernunt, quod fit cum ratiocinatione: ecquis non videat bestias inter se consilium inire, vt hoc, aut illud faciant, suas inter se affectiones communicare, vtilia prosequi, nociua fugere: quoties metu pœnarum, aut spe commodorum canes, feles, simiæ, cæteraque animalia operãtur: vnde Arist. 8. histor. initio, scribit bestiis inesse vrbanitatem, feritatem, clementiam, acerbitatem, fortitudinem, ignauiam, metum, fidentiam, iram, malitiam, prudentiæ imaginem &c. & 6 Ethic. c. 13 pueris, & bestiis communes habitus facit: & ciuiles bestias ait esse apem, vespá, formicam, grué, quibus accenset hominem, ingeniumque bestiis tribuit, etenim 3 de an. t. 46. imaginatio est velut intellectus quidam, inquit. Videatur Arist. vbi ceruis tribuit φρόνιμον, sicut & capris syluestribus, αἰγίσιαι διάνοιαι præsertim minutioribus, vt hirundini, quæ etiam Hierem. 8. dicũtur intelligere sua tempora, sicut & alibi coruorum pulli inuocant Dominum. Videatur Plin. de intellectu serpẽtum, & affectu, & de ingeniis auium l. 10. c. 41, de intelligentia coruorum c. 43, de fide, & pudicitia columbarum c. 34. & Plato in Timæo, vbi ait non omnibus hominibus inesse intelligentiam.

Libauius. Aristot. Scalig. Telesius. Aristot. Hierem. 8. Plin. Plato.

Quæ omnia confirmantur ex eo quòd multi homines minus, quàm bestiæ sapiant, cùm dæmones, lapides ligna pro numinibus habeant suumque genus vorent homines, & non belluæ; sed & ipsi testantur homines se bestiis deteriores esse, cùm ipsas adorent. Sed quid plura commemorem cum vnica Lipsij epistola, quæ est numero 50 primæ cẽturiæ miscellaneæ sufficiat, vt sermonem, rationẽ, imo & diuinationẽ bestiis concedamus; qui probat elephantos esse ratione præditos, humanum sermonem, maximè verò patrium capere tam ex Plinio, Strabone, & Æliano, quàm ex Christophoro à Costa lib. de aromatibus: qui ait inter se communicare elephantos sermone in regno Malabar: quin & Lipsius refert boues inter prodigia Romæ locutos, & elephantem: & vt loquitur mirissimum est, quod à Costa refert elephantem, qui nullatenus adduci potuerat, vt Liburnicam in mare deduceret: sine mora eam traxisse vbi præfectus orauit, vt id in gratiã Lusitani regis faceret, claréque hæc duo verba ingeminauit. *hoo hoo* quod lingua Malabarorum significat, volo, volo. Cætera quę narrat Iustus ex Plutarcho, Oppiano, A costa, & cętis apud ipsum videri possunt.

Lipsius. Ælian. Christoph. à Costa. *hoo* quid sit.

ARTICVLVS II.

QVOD BESTIÆ RATIONIS, ET intellectus expertes sint.

Miror antiquos, de quibus præcedenti capite visum est, ita fuisse ἀνόητες, vt bestias eiusdem nobiscum essentię existimarint, quod profectò bellè sequitur ex ratione illis concessa, cùm ab iis iuxta Philosophũ ratione distinguamur: vnde si polleant intellectu bestię, homines erunt diminutę rationis, imo & auctioris, cùm plura rationis opera quibusdam animalibus, quàm hominibus nõ paucis tribuantur: quod si rationem habeant, fateamur animam nobiscum habere communem necesse est; pręterea post obitum existent, quę vel pręmiis afficientur, vel suppliciis, quę omnia non tantum ridicula sunt, sed heretica, & atheismum redolentia; quę vt catholicè refelleremus, veritas diuina

Psal. 31. diuina per regium Psaltem decantata psal. 31 abunde sufficeret, quæ vetat, ne fiamus *sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus.* Sed aliunde nobis probandum est, qui rem cum gentilibus, & Atheis, cæterisque perfidis nebulonibus habemus. Audiant ergo Tulliũ, qui in officiis ait, *Inter hominem,* Tullius. *& belluam hoc interest, quod hoc tantum, quantum sensu moueatur, ad id solum quod adest, quodque præsens est se accommodat, paululum admodum sentiẽs præteritum, aut futurum. Homo autem, quoniam est rationis particeps, consequentia cernit, principia & causas rerũ videt, earumque progressus & antecessiones non ignorat, similitudines comparat, & rebus præsentibus adiungit, atque annectit futuras, facilè totius vitæ cursũ videt, ad eamque degendam res præparat necessarias,* & postea. *Bestiæ nihil sentiunt nisi voluptatem, ad eamque feruntur toto impetu*; habes oratorum principem; videiam quid Philosophorum coryphæus dicat 30 sect. Aristot. probl. probl. 6. in quo cùm quæsiuisset, cur homini potiùs, quàm cuiquam ex cæteris animantibus credendum est, id respondet, quod antea Plato Nicocli ὅτι ἀριθμεῖν μόνον ἐπίσταται τῶν ἄλλων ζώων, *quia solus animantium numerare nouit,* & quia θεοὺς νομίζει μόνος, *solus veneratur Deos,* quibus addit aliam rationem ὅτι μιμητικώτατον vt apparet in tam diuersis artibus, quibus singula naturæ opera, vel imitari, vel adæquare, ne dicam superare videtur.

Scio quidem aues multas, apes, formicas suis in opificiis vsque ad stuporem mirabiles, sed quæ nũquam etiam si omnes simul fuerint, & à creatione mundi laborent, sphęram Archimedeę similem efficere poterunt, nec horologia mechanica, quæ totius anni horas tam perfectè ostendant, fabricare. Non est, quòd laboremus in euertenda belluarum ratione, cùm neque reminiscantur, etenim reminisci est syllogismus, & inquisitio, quod tantùm conuenit iis, quibus proprium est τὸ βουλευτικόν. & 3. Ethic. c. 4, vbi sponte in ampla sua significatione sumit, illud pueris & belluis commune facit, προαίρεσις δ᾽ οὔ. Sed vnicum locum Aristotelis existimo sufficere, qui 3 de anima. c. 10 habetur, homines, inquit, magis imaginationem, quàm sciẽtiam plerunque sequuntur, at in aliis animalibus οὐ νόησις, οὐδὲ λογισμός ἐστιν, ἀλλὰ φαντασία. Sed fontem erroris aperire libet, vt quàm sit illa sententia ridicula, constet omnibus, Dicunt ergo rationale, & irrationale non esse differentiam animalis, sed corporis, eandem cum sensibili, & insensibili, eo quòd rationale non possit separari à sensibus, vnde Strato physi- Strato. cus libellum scripsit, quòd sensus sine mente esse non possit, quod est fundamẽtum eorum, qui plus, aut minus censent animalia omnia rationis esse participia.

Mirum est, quòd in eam dementiam abeant alij, teste Vallesio c. 55 Phil. sacræ, vt ne immortalita- Valles. litatem brutis concedant, sensum malint auferre; dicunt enim soli homini sensum inesse; quæcumque verò à brutis sensu quodam agi videntur, sympathiâ potiùs, & antipathia fieri, & naturæ magis, quàm animæ esse opera, quod adeò videtur absonum, vt refutatione nulla indigeat, cum 1. Esai. tam Esai 1. expressè dicatur bouem, & asinum stupidissima animalia possessorem suum agnoscere, & præsepe domini sui, nec longè hæc opinio abest à delirio; sed neque alia opinio verior est, quantumcunque verosimilior; nam si bestiis rationem tribuas, igitur virtutis, & vitij, præmij, atque supplicij, laudis & vituperij capaces erunt.

At, dices, animalia desipere, & insanire dicuntur, quod nequit esse verum, nisi eorumdem sapere, & bene ratiocinari fuerit, quis enim lignum insipiens dicat, cùm sapere sit ineptum; nec decipi possit, prout animalia, quibus multis modis in venatione imponitur, licet stratagematibus nõ paucis ad vitandas insidias vtantur: nunquid simiæ ebrietate corripiuntur, canes & multa alia animalia hydrophobiam, quæ est species maniæ, patiuntur? at quomodo equus, camelus, catus &c. possunt rabie, & delirio corripi, nisi rationem habuerint? cùm delirium sit læsio rationis; nec est, qui negare audeat asinum vulpe, & struthionẽ perdice stupidiorem esse. Veruntamen huic obiectiunculæ non est difficile respondere: sed antequam ei, cæterisque satisfaciam, videamus quid Vallesius respondeat: Valles. negare inquit non possumus rationem aliquã brutis inesse, alioqui non ineptiùs denegatur illis sensus, cùm facultates per operationes, aut actiones per opera cognoscantur; vt igitur quia clamoribus terreri ac fugari videmus capreas, concedimus eas audiendi facultate esse præditas ita videntes lepores metu imminentis periculi transferre suos fœtus, & canem spe capturæ, & cibi nondum præsentis insidias struere, necesse est concedamus prudentiæ quandam vim illis inesse. Belluas propriè nõ pollere ratione.

Nam ipsum prouidentia vti nihil aliud est, quàm nondum præsentia pericula præcauere, & quæ euenire possunt bona, mediis appositis procurare, hanc tamen rationem bestiarum ait ab hominum differre ratione, itaut de homine, & animalibus analogicè duntaxat prædicetur, quia mens humana circa quiduis apta nata est ratiocinari, vnde mẽtis oculus est velut tornatilis, qui se quocunque vult, possit conuertere, & medicus, orator, theologus, Imperatorque fieri: at circa quiddam tantum bruta sunt apta discurrere: licet enim canis sciat leporem quærere, & perdici insidiari, nescit tamen specum fodere, sicut nec cuniculus ex venatione scit viuere, nec id addiscere potest; itaque per analogiam vult tantùm animalia ratione vti, nec consilium capescere, an expediat hoc, aut illud facere, vel omittere: quis enim non concedat felem non consulere, an muri debeat parcere, necne, sicut nec canẽ lepori, nullus enim horum operatur ex arbitrio, sed ex naturali propensione, cum omnia eiusdem generis similia sint, eademque semper faciant, vbi homo statim crudelis vindictam de hoste sumit, mox vbi mitior euadit, ei parcit, denique Protheo mutabilior est in suis cogitationibus, & affectibus, concludit autem, Cum igitur propriè ratiocinari non sit vtcúnq; facere aliquid cum præsensione finis, sed consultare cũ electione mediorum, & aliorum cum aliis collatione, idque brutis non insit, constat hominem solum esse animal rationale propriè, reliqua non nisi analogiâ quadam.

Ad ea verò quæ de morbis fuêre præmissa, respondet non posse rationem in belluis humanæ similem colligi ex eo, quòd insaniant, cùm nequidẽ homines delirẽt secundum eam mentem, quæ illos separat à brutis, sed secundum internos sensus, quos cum illis habent communes imaginationem, & sensitiuam rationem, quam nonnulli vocant cogitatiuam, alij æstimatiuam; cùm enim phrenitis, & melancholia morbi sint corporales affectiones, non possunt per se lædere, nisi corporeas facultates, mentem verò læsio non attingit, nisi ex accidẽti, in quantũ sensibus vtitur, quandiu est in corpore. At non est, quòd vllam rationem belluis tribuamus, cùm scientiam principiorum, & verorum

notitiam vniuersalem, & sempiternam nulli bestiarum inesse videamus, nec artes discant, aut exerceant, non texunt historias, nulla inductione vtuntur; nullis argumentis concludunt, non possunt præteritis connectere præsentia, & inde coniicere de futuris, consultare, proæresi discernere, de operibus sapientiæ statuere, operumque vllā causam, rationemque afferre.

Finis quoque earum nec theoricus est, nec practicus, nec diuina contemplari possunt, neque prudenter in actibus ea adhibere. Ad cœlum contemplandum, nulla condita est bellua, sed hominum vsibus omnes subditæ sunt, qui imperium in animalia exercent naturæ prærogatiuâ: quid si belluæ rationis compotes fuissent, nunquid arbor scientiæ boni, & mali fuisset illis prohibita? nunquid Verbum æternum belluinam naturam assumpsisset, quæ cùm hæretica sint, & stulta, satis vnumquemque ab iis abhorrere existimo. Est ergo concludendum bestiis nullam inesse rationem, quicquid Plutarchus l. *an brutis ratio insit*, Galen. in Isagog. Plin. l. 10. c. 41. Porphyr. l. 3 de sacrific. Arist. lib. 9. histor. anim. c. 46 Alber. Magn. l. 8. de animal. tit. 5. c. 1. Ælian. l. 11. c. 15 habeant, etenim hæreticum est in brutis rationem astruere, quantumuis rationis opera perficere videantur, vt benè notat Don Frãciscus Torreblanca Villalpandus l. 2 epitomes delictorum c. 15; & hanc opinionem refellit D. Th. 1. 2 q. 13. a. 2. Cùm autem nihil supra naturam possit dæmon; rationem, aut discursum animalibus largiri nequit, cùm Angelis operatio supernaturalis denegata sit, inquit D. Th. 1. p. q. 110. a. 4. nec dæmõ potest efficere, vt bruta loquantur, quibus nõ sunt apta organa, teste D. Cyril. l. 3 contra Iulian. Nec obstat, quòd asina Balaam locuta sit Num. 22. id enim Deus, non dæmon, effecit, ille verò causam omnem efficientem supplere potest; qua ratione multi linguis in persecutione Vuandalica abscissis loquebantur, sicut & Liryci Episcopi ab Arrianis spoliati, licet enim, teste Procopio, vbi Constantinopolim profugerunt, linguas radicitùs euulsas haberent, loquebantur, legatur Euagr. lib. 4 c. 14. Victor Vticen. in persecut. Vuandal. l. 3. D. Greg. lib. 3. dial. c. 32: Sed nil absurdi sequitur, si dixerimus non asinam verè locutam, sed Angelum vocem in aëre formasse; ita D. Th. q. 5 de miracul. Grilland. de sortil. q. 7. n. 25.

Plutarc. Belluas carere ratione. Porphyr. Torrebl. D. Thom. Cyril. Num. 22. Procop. Euagr. Vict. Vtic. Gregor. Thom. Grill.

Ex his multæ experientiæ soluuntur; etenim cũ aliqua narratur historia de quibusdam animalium actionibus, quæ nequeunt intelligi, & esse sine ratione; qualis est, quam de elephante audiui Lusitaniam delato; quem cùm ad summum Pontificem mittere vellet Rex, nũquam ille nauim ingredi voluit, quia præfectus ei suaserat, ne Romam se pateretur abduci, quòd Lusitaniæ res cum eo benè ageretur, & Romæ non ei præberetur sufficiens alimentum: quòd cùm Regi manifestum fuisset, ait præfecto, suspenderis in malo die crastinâ, nisi suaseris elephanto, vt nauim ante 8 ingrediatur, Romamq; pergat, quo audito timens mortem imminentem, hæc omnia facilè suasit elephanto; his similia habet Lipsius loc. cit. Quæ omnia dæmon præstare potest, sic enim ante mortem Cæsaris dictatoris bos aratori instiganti dixit, potiùs homines defecturos, quàm messes, teste Fulgosio l. 1. c. 4; alius bos Caio Volũnio, & Seruio Sulpitio Coss. alius in 2 bello punico Gneo Domitio locutus est, dicens, Caue tibi Roma, teste Liuio lib. 2. ab vrbe condita, quid enim faciliùs dæmoni, quàm vt efformet vocem in aëre sicut in idolis, quæ licet os habeant, & non loquantur; neque enim est spiritus in ore ipsorum, Psal. 134 attamen ad eum ferè modum potest diabolus sonum humanæ voci similem efformare, quo nos eandẽ vocem fistulâ, tibiâ, organo, violâ, aut alio instrumento exprimimus, aut quo valles cauæ vocem exceptam, & repercussam articulatè reciprocant, hinc fit, vt voce stridulâ, subsibilante, confusâ, obscurâ, debili, pusillâ, & quasi ex dolio, vel testa rimosa dæmon vtatur, vt ex Sagarum confessione narrat Nicol. Remig. lib. 2. dæmonol. c. 8, idcóque voces illæ non ita naturales sunt, ac si formarentur ex pulmonis respiratione per retractionem aëris corporis viui, quo dæmon caret, cùm sit spiritualis creatura probãte Nata l. 3. de Deo, qui per se voces formare nequit, vt docent Inquisitores in Mall. p. 2 q. 1. cap. 10. huiuscemodi fuerunt oracula, & responsa Iouis Dodonæi, Apollinis, Hammonis, Delphici, Clarij, Delij, &c. de quibus Cœl. Calcagn. l. de oraculis. Iul. Syren. l. 6 de fato, *le Loyer* 4 de spectris.

Lipf. Fulgosius. Psal. 134. Remigius. Nata. Malleus inquisit. Calcagn. Syren. *le Loyer.*

Idemque dicito de caluariis seu capitibus mortuorum gentilium, in quibus dæmones sæpius locuti sunt, vt videre est apud Plethon l. 1 mirabil. de capite Polycrite; Gabini apud Plin. l. 7 cap. 5, Magi apud Francis. Picum l. 7 prænot c. 10, adde caput æneum Alberti Magni. Vide D. Greg. vitam l. 2. cap. 44. de capite Traiani Imper. precibus D. Gregorij liberati ab inferis, ac de suo statu viro Dei interroganti respondentis. Cæteros modos, quibus dæmõ loquitur nunc relinquo, siue id in obsessis hominibus, siue in cauernis id fiat, vnde pythones, ventriloqui, energumeni, enthusiastæ seu ἔνθεοι dicti sunt; sic etiam Vates antiqui gẽtilium dæmone afflabantur, quales fuisse Orpheum, Thyresiam, Sosipatrem, Musæum, Atticum, & similes ait Torreblanca ex Eunapio in vita Adesij, Lactant. lib. 4. inst. c. 25. Ruffin. l. 2 Eccles. hist. c. 4. qualẽ Pythiam Delphicam ait Rodigin. l. 13 antiq. lect. c. 33, & fœminas Dodonides, Natal. Comes 6 mythol. c. 10, & 16 Actuum, puellam pythonissam. Inter quos Nicostrata mater Euandri à furore dicta Carmenta apud Plutar. in Romulo; Cassandra filia Priami Virg. Æneid. 2.

Sola mihi tales casus Cassandra canebat.

Plethon. Plin. Picus. D. Gregor. Torrebl. Lactant. Ruffin. Rodigin. Natalis. Plutar. Virgil.

Tales Mõtani simulãtes falsas reuelationes apud Euseb. l. 5. Eccl. hist. c. 15, & seq. Colophonij, Trophonij, Soractini, & Paredri apud Pausaniam numerãtur: Similibus oraculis illusi gloriabãtur Messaliani apud Theod. l. 4. de hæret. fabul. Vide Iren. l. 1. c. 8, & 9 de Iuliano apostata, tales etiam Anabaptistas aiũt, apud Cãpanos, & Magdalenę *de la cruz* apud Boëticos Cordubæ l. 5 vitæ B. Ignat. c. 10. Tales sunt diuinationes Indorum, qui sumpto Cahobæ semine in furorem abeunt, quo cessante vaticinantur, de quibus Petrus Chiesa p. 2. hist. Peruanæ cap. 27; huc etiam refert Villalpando Sybillas Manto, Daphnem filiam Tyresiæ, Xenocleã, Melestam, & Lampusam, de quibus Strabo 14. Geograph.

Euseb. Pausanias. Theodor. Iren. Chiesa. Villap. Strabo.

Quæ omnia sufficere debent gentilibus, vt credant cacodæmonis interuentu sonos, & voces efformatas esse quoties simulachra loqui visa sunt, vt patet in simulachro Iunonis Monetę, quod dixit se velle Romam transferri apud Valer. Max. l. 1. cap. vlt. idemq; de vlmo Gymnosophistarum salutante Apollonium, Caucaso flumine dicente *salue Pythagora* teste Porphyrio in eius vita dicendum est. Nunquid Simonis magi canis allocutus Petrum

Valer. Max. Porphyr.

Glica

Glicas. Glica teste in annalibus dæmonē habebat, quo etiā querc⁹ Dodonea & aues Dadoneæ loquebantur, vt Lucian. refert Lucia. in Micyllo; licet aues, vt loquātur doceri possint, vt ex turdo Agrippinæ probatur ex Pl. Plin. l. 10, c. 42, & de cornice ex Boëtia allata cap. 43. & psittaco Ascanij Cardin. symbolum fidei recitantis Rodigin. Rodigin. 3. antiq. lect. c. 32. & coruo sutoris Tyberium 1. 2. Germanum, & Drusum Cæsares salutando, deinde populum Romanum transeuntem apud Plin. suprà.

Hinc fit, vt quotiescunque belluas aliquas, vt equum, canem, catum, camelum, elephātum, &c. aliqua videmus opera factitare, quæ rationem sapiant, id in artem magicam referre possimus: nam quî fieri posset, vt equus diuinaret, & tangeret eum, qui vel aurum apud se reconditum haberet, vel pudicus, aut mœchus esset, nisi dæmon id ageret vi pacti. Vt tamen discernere possit aliquis, quæ valeant ab animalibus vi cognitionis sensitiuæ cognosci, & fieri, 3 articulum huic rei destinabimus.

ARTICVLVS III.

QVOMODO SINE RATIONE VALEANT *animalia naturaliter multa stupenda facere.*

CVm bestiis omnimodam rationem denegauerimus, non ita videar omnibus satisfecisse, nisi explicem, qua ratione intelligi, atque defendi possint omnia, quæ tribui videmus belluis, quas etiam multorum hominum industriam, quantumuis ratione prǣditorum superare dixeris; quis enim cellulas apum tanto artificio compingere, quis ex rore foliis herbarum, & arborum insidente tam accuratè mel colligere, & in alueario recōdere valeat, quis Rempublicam tam fortiter stabilire, quis milites tam opportunè emittere, quis instar maritimarum concharum rorem in vniones conglobare?

Itaque rationem, & modum attexamus, quo ea omnia facilè comprehendantur; in belluis non est ars, non est scientia; ars enim est veri factiua cum ratione, qua destituuntur, nec inductione discunt, nec syllogismo, nec enthymemate, nec exemplo, quæ omnia sunt rationis opera; nec enim simplicia percipiunt, non abstrahunt, non componunt, non diuidunt, nihil ad suum principium reuocant, his siquidem desunt virtutes noëticæ, asseueratio, negatio, veritas, opinio, consequentia, ordo, sapiētia, prudentia. Quæcunq; igitur faciūt, id sine mēte fit, aut discūt, solius memoriæ, & imaginationis virtute, itaut nihil nisi per assuefactionē possint, carēt enim actu reflexo, & tantùm dato signo consueto, & præsente mouentur; me enim reuocant principia, nec inter prauum & rectum discernunt, & ad summum quandam vmbram disciplinæ habere possunt.

Quomodo sine ratione belluæ prædicta omnia facere valeāt. Quod autem imaginationis vi ea omnia faciant, ex iis melius intelligetur, quæ de vi Imaginationis capite 30 versiculo 37 notabimus, quocirca paucis hîc rem totam absoluo. Certum est exteriora obiecta species in belluarum oculos, vt & in nostros immittere, quarum ope phantasia diuersas operationes elicit, colorem, saporem, odorem, frigus, & calorem, atque sonos omnes cognoscit, adeout optimè nouerit sonum non esse colorem, ac vice versa.

Præterea virtute illius animal quodlibet agnoscit, quæ sibi conueniunt, quæue repugnent, hinc fit, vt hunc, & illum cibum, potum, aërem, solum respuant, atque fugiant, & cętera, quæ sunt aduersa, oderint, (tametsi fuga, & odium, cæteræque passiones, vel animæ pathemata brutis nobiscum cōmunia appetitui, concupiscibili, & irascibili in corde sitis mage conueniant) alia verò cupiant, atque amore prosequantur. Igitur ope phantasiæ siue hæc ab æstimatiua distincta sit, siue nomine tenus solùm inter se discrepent, elephas signa quędam amoris, & obedientiæ demonstrat, vrsus choreas agit, canis saltat, herum sequitur, ab hostibus quantum valet tuetur, & in eosdem vindictam exercet, & plurima discit, quæ rationem sapere vidētur, quamuis nullum animal rationis sit compos, aut esse possit, alioqui natura eius destrueretur, & cum homine per solam rationem à belluis essentiâ distincto confunderentur. Si quæ verò sint aliquando perspecta, quæ necessariò rationi coniuncta esse debeant, siue in simia, elephante, cane, & equis, siue in psittaco, coruo, cęterisque auibus tam mutis, quàm humana verba imitantibus, id in aliquam creaturam rationis compotem referendum est, siue illa fuerit angelus, vt cùm asina Balaam locuta est, siue dæmon vt patet, cùm apud antiquos belluæ, vel arbores, vel statuæ aliquid respōdisse leguntur, siue Deus ipse, qui quocunque modo placuerit, creaturis vti potest, vt voces efformentur. Cæterum quid ex prǣcedentibus aut aliis, quæ belluis tribuuntur sit necessariò tribuendum intellectui, quid verò per solam imaginationem, seu cognitionem sensitiuam operari valeant, inuestigare difficillimum est, quod tamen aliquo modo statuere possumus. Imprimis enim quoties ea percipiūt, quæ heri iubent, mirum non est, si ea exequantur, quandoquidem animalium cognitioni, sensitiuus appetitus, & potentia exequens seruata proportione correspondent.

Equidem vix melius ea posse explicari puto, quàm si hominem stultum, ac rationis expertem nobis ob oculos ponamus, qui ob organorū corruptionem, & cerebri discrasiam eā deinceps vti nequit, qui tamen adhuc imaginatione vtitur; eum nāque mira operari cernimus, si ei dixeris vt hoc, aut illud faciat, scribat, legat, currat, diuertat ab itinere, & cætera propemodum infinita; extemplo ea peragit, imo plura facit, quā dū rationis vsu pollebat, quandoquidem tecta domorum sine timore scandit, flumina pertransit, denique tanta facit, vt vsque ad stuporem demiteris, qui tamen sola imaginatione regitur, quod præsertim apparet in melancholicis, qui nocte surgunt, & mira operantur, tametsi in eis ratio libera non sit, quod inde proficisci credo, quia imaginatio nescioquam similitudinem cum ratione inditam habeat, quam

tamen non possumus exprimere, adeout nonnulli concedant bruta circa hæc inferiora, quibus ad alimentum, cæteráque vtilia prosequenda, & noxia fugienda indigent, discurrere posse, & de vno delectabili, & vtili ad aliud ratione progredi, vt solùm in eo distinguantur homines à brutis, quòd circa res honestas, & æternas versentur, ad quas belluæ non pertingunt: quod exemplo canum, & equorum confirmari potest, canis enim in biuio positus, vt herum inuenire, aut leporẽ insequi valeat, hacce ratiocinatione vti videtur, vel herus iter illud carpsit, vel aliud, vel dextrum, vel sinistrum, non dextrum, quandoquidem nullum ibi cerno vestigium, igitur sinistrum.

Carpentar. Hinc fit, vt Carpentarius decade 2. exercit. 5 suę liberæ philosophiæ, quam priùs sub Cosmopolitani titulo in lucem emiserat, tres operationes in anima sensitiua tribus intellectus operationibus analogas constituendas arbitretur, adeout apprehensio simplicium præsentium sit in organo externo, absẽtium in interno sensu, collatiuam vim sub phantasia, seu imaginatione complectitur, cuius duplicem operationem distinguit, quarum vna fit in prima terminorum perceptorum comparatione, & diuisione, & phantasia vocetur, alia in ratiocinio, & discursu, quæ sit illa ratio particularis, quã sub nomine cogitatiuę in homine collocãt, quámque summam, & vltimam phantasiæ operationem appellat.

Discursus belluarum qualis, & quomodo differat à discurs. hominis. Hanc autem belluinam rationem ab humana distinguit, 1. quod discursus ille ferinus mutilus, & imperfectus sit. 2 quod terminetur in solis singularibus, neque per abstractionem vniuersalia attingere possit, quæ cùm homo speculetur, discursum habet non solo numero, sed etiam specie distinctũ à belluarum discursu. 3 ex 2 actibus discurrendi, quorum vnus est directus, primus, & naturalis, vt cum intellectus elicit, quod sensus externus immediatè præ se fert, & sæpè falaciæ, & errori subiicitur, alius reflexus, & correctus, quando intellectus se supra suum actum reflectit, & errores primi discursus, si qui sint, detergit, primum solummodo brutis, minimè verò secundum tribuit. Omitto Grylli, & Vlyssis apud Plutarchum colloquium, in quo Gryllus belluas fortiores, castiores, atque prudentiores hominibus astruere nititur.

Bruta non vti syllogismo. Veruntamen nullo syllogismo belluas vti posse statuendum est, sed canem exempli causâ tantùm hoc, & non illud iter arripere, quia in hoc aliqua vestigia percipit, quæ non in alio, idcirco necessariò pergit per iter à hero, vel lepore tritũ, nec propriè eligit, sed ab ipsis vestigiis ita determinatur, vt nequeat per aliud iter progredi, nisi fortiori obiecto proposito ad id eum allicias, vel etiam cogas; quod verò carnem coctam potiùs, quàm panẽ appetat, id apprehensione facit, quâ carnem sibi conuenientiorem sentit; adde quòd gestis quibusdam elephanto, & aliis brutis suaderi potest, vt huc, aut illuc progrediantur, vel non progrediantur, possũt etiam ipsa bruta quibusdam gesticulationibus instrui, vt saltent, flectant genua, murmur & vocem edant in alicuius præsentiâ; sed nequeunt ea facere, quæ sunt propria rationis, qualis est numeratio, discursus, & ea quæ ad discursum duntaxat attinẽt, quæ si quando efficere videntur, id statim in hominum illorum subtilitatem refundendum est, qui huiuscemodi animalia regunt, quæ ita docere possunt, vt, cùm aiunt in theatris, repete strophiolum, aut argentum ab eo, qui habet, aut, ostende adulteram, si quæ sit præsens, & mille similia, ea faciant belluæ, datis priùs ab hero quibusdam signis, quæ solus ille cum animali percipiat, cùm tamen illi, qui præsentes adsũt, id ab animali sine præuio signo fieri putent. Verùm possunt etiam aliquando dæmones sese in huiuscemodi tricis immiscere, vt incautos in aliquod peccatum, & errorem inducant, sic enim initio mundi sathan in Eua tentanda vsus est animali serpente. At hæc in præsenti sufficiant.

Vtrum enim de fide sit bruta ratione carere necne, alibi Deo iuuante discutiemus: Interim lege Medinam in artic. 2. q. 13 primæ D. Thomæ, vbi 4 obiectiones dissoluit, quæ probare videbantur electionem brutis conuenire, & rectè aduertit voluntatem hominis cum appetitu sensitiuo brutorum in 2 conuenire, primò quia voluntas nõ fertur in bonum, nisi ei ab intellectu proponatur, sicut neque appetitus nisi in bonum apprehensum per sensum, deinde vtraque potentia est indifferẽs ad plura, cùm appetitus sensitiuus bruti plura delectabilia appetere valeat; discrepare verò 1. quia voluntas ferri potest in bonum in cõmuni non determinatum ad hoc, vel illud, vt cum desideramus esse fœlices indeterminatè siue hoc, siue alio modo, at brutorum appetitus solùm ferri potest in bonum delectabile determinatum, & singulare instar oculi, qui non videt colorem in communi, sed huc, aut illum determinatè. 2 voluntas in bonum propositum potest ferri, & non ferri ob libertatem cõtradictionis, ferri enim, & non ferri ex ęquo sub obiecto voluntatis cõtinetur, bruta verò non possunt non ferri, in bonum sibi propositum, cum eorum æstimatiua ad vnum determinata sit, quia non ferri non continetur sub obiecto appetitus sensitiui. 3 voluntas ex 2 bonis propositis vnum eligere, aliud respuere potest ob libertatem contrarietatis, appetitus verò bruti necessariò fertur in bonum delectabile, quod sensus vt conuenientius proposuerit, quo sensu D. Thom. art. cit. vult hunc appetitum ad vnum determinatum esse.

Medina. Appetitus brutorũ in 2 cum nostra voluntate conuenit, in tribus discrepat. Libertas contradictionis, & contrarietatis in voluntate quid? D. Thom.

Alia etiam apud eundem Medinam ad quæst. 74 eiusd. partis ad art. 3 legere poteris, vbi fusè discutit, num in sensualitate peccatum veniale, aut lethale esse possit, & plura habet, quæ ad hanc nostram difficultatem non parum conferant. Videatur Martines in eund. artic. D. Thom. & in art. 5. q. 12, & art. 2. q. 1. num intentio finis, & tendentia in eum illis conueniant.

VERSICVLVS II. ET III.

VERSICVLVS II. ET III.

II. *Cui respondit mulier: De fructu lignorum, quæ sunt in paradiso, vescimur:*

III. *De fructu verò ligni, quod est in medio paradisi, præcepit nobis Deus ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne fortè moriamur.*

II. וַתֹּאמֶר הָאִשָּׁה אֶל־הַנָּחָשׁ מִפְּרִי עֵץ־הַגָּן נֹאכֵל׃

III. וּמִפְּרִי הָעֵץ אֲשֶׁר בְּתוֹךְ־הַגָּן אָמַר אֱלֹהִים לֹא תֹאכְלוּ מִמֶּנּוּ וְלֹא תִגְּעוּ בּוֹ פֶּן־תְּמֻתוּן׃

II. Καὶ εἶπεν ἡ γυνὴ τῷ ὄφει, ἀπὸ παντὸς ξύλου τοῦ παραδείσου φαγόμεθα.

III. Ἀπὸ δὲ τοῦ καρποῦ τοῦ ξύλου ὅ ἐστιν ἐν τῷ παραδείσῳ, εἶπεν ὁ θεός, οὐ φάγεσθε ἀπ' αὐτοῦ, οὐδὲ μὴ ἅψησθε αὐτοῦ, ἵνα μὴ ἀποθάνητε.

MVlta sunt consideranda in his versiculis; vbi ad versiculi 2 intelligentiam, meminisse oportet præcedentis, in quo dæmon ita locutus est, *cur præcepit Dominus Deus, vt non comederetis ex omni ligno paradisi?* quæ interrogatio admodum astuta est, siquidem præter alia multa, quæ dicere potuit, tametsi non sint literis sacris tradita, sæpius enim solas conclusiones scriptura refert, vt patet in tentatione Christi, præter illa, inquam, legem positiuam exaggerat, ac si diceret. Qua de causa Deus vobis legem illam imposuit? nunquid lex naturalis, atq; fidei sufficiebat, quibus subderemini? quid præterea Deus prohibuit arborem, quæ de se mala non est, quam astutiam particula אַף כִּי *aph qui* .i. etiam designat; qua etiã intelligere possis, quorsum Deus hoc præceptum adiecit, an comminatoriè, seu ad terrẽdum, an seriò? vt aliqua ex parte aditus serpẽtis veneno ad mulieris animũ aperiretur.

Diuersæ eiusdem dæmonis astutiæ, dũ Euã interrogat.

Aliam astutiam in verbo אָמַר deprehendunt, quòd nempe dæmon præcepti meminisse noluit, sed verbo generali vsus sit, vt prohibitio diuina leuior appareret, quod idem est ac, dixit, non autem verbo צִוָּה *tsaua*, quo Deus c. 2. vers. 16 fuerat vsus, dum præceptum imposuit: Nec arborem vetitam proponit, sed per modum exceptionis ab omni arbore, *non comederetis ex omni ligno*, vt ipsa exceptio seriò considerata displicentiam in animo mulieris pareret: sic enim exceptiones rei præsertim eiusdem ordinis, rationis, ac indifferentiæ facilè odio habentur, quia ratione carere videntur.

Quidam Hebræi volunt dæmonem prius enumerasse omnia animalia, quæ viribus præstabant homini, vel eum proprietate, vt auditu, visu, gustu, &c. superabant, quod Deus per inuidiam fecisset, qui præterea vetuerit edere de arbore scientiæ boni, & mali, ne ipsi similes euaderent, ac si diceret, vt R. Kimhi refert, certè Deus odit vos, tametsi præstantiores sitis reliquis creaturis, nec enim vobis hanc, & illam dignitatem, atque proprietatem cõmunicat, quæ est in hoc, aut in illo animali; Et quãto magis cõcludere debetis, quod vos odio habeat, quãdo vobis præcepit, ne comederetis de omni ligno horti. Hæc igitur particula אַף *aph*, supponit iã alia verba præcessisse. Denique serpens noluit vsurpare nomen tetragrammaton, sed tantùm meminit אֱלֹהִים, quod est nomen seueritatis, & iudicij, vt Euæ Deum exosum redderet. Sed iam ad mulieris responsum accedamus, quæ primò mendacium, aut æquiuoca dæmonis verba reprehendere, atque corrigere videtur, cùm ait de fructu lignorum horti vescimur, ac si diceret, mẽtiris, dum affirmas omne lignum nobis à Deo prohibitum, vel perperam diuinum præceptum refers, & intelligis: Secundò libertatem suam defendit, ac si diceret, cùm ais nobis dictum esse, ne de omni ligno comederemus, ne putes libertatem nobis ademptã esse circa omnes arbores, sed tantùm circa vnã.

R. Kimhi.

Responsio Euç.

Tertiò diuinum præceptum nimis exaggerat, ac si iam ei displiceret, & tanti vinculi tædio afficeretur, hinc aliqui putant ab ea verbum Dei bifariã deprauari, ei nempe addit, & detrahit; addit cùm ait tactum arboris eis prohibitum fuisse: detrahit apponendo, *ne fortè*, seu nequando, פֶּן *pen* enim illud designat, cùm Deus præceptum infallibile tulisset; at Deut. 23. vtrúmque prohibitum est. Aliqui satis appositè verba mulieris, *ne tangeremus*, sic explicant, vt fecerit instar cęterarum mulierum, quibus mariti prohibent, ne per plateas excurrant, sed domi sese contineant, quæ rogatæ, cur non exeant, aiunt, ne quidem mihi licet pedem extra cameram ponere, quia præceptum mariti displicet, & ideo exaggeratur, ac lõgè difficilius, quàm sit, redditur. Serpens enim in ea libertatis affectum excitarat, & præcepti displicentiam, & odium, ex quo factum est, vt minus ei crederet, & iam hæsitaret, an tantùm Deus comminatoriè locutus fuisset, quo mota dubio particulam dubitatiuam, *ne fortè*, apposuit, ideoq; venenum diabolicum tam in intellectũ Euæ par hæsitationem, quàm in affectum per tædiũ, atque displicentiam sese insinuare incipit. Possumus tamen credere Dei præceptum etiam tactum prohibuisse, saltẽ virtualiter, licet nõ exprimatur, vt omnia prohiberẽtur, quę ad esum adducere poterãt, certis enim gradib⁹ ad nequitiã labimur, nec.

Deut. 23.

An tactus arboris prohibitus.

repentè quisquam fit pessimus, at tactus gradus erat ad esum, tametsi præsertim esus prohibitus fuisset. Nec desunt, qui putent dæmonem suasisse tactum, vt illum experta, nec mortem passa, vlteriùs ad esum progrederetur. Addunt etiam particulam *pen* passim ab Hebræis addi præceptis, itaut incertitudinem non contineat, vt videre est in fine Malachiæ, vbi legimus, Eliam cor patrum ad filios conuersurum, ne veniat, & percutiat terram anathemate Dominus, vbi non est dubitatio, quia haud dubiè facturus est, vt comminatur, si homines sibi, suæque nequitiæ indulgeant.

Malach. vlt.

Sanè plurima ex iis, quæ circa duos istos versiculos afferri solent, admodum incerta sunt; qualia sunt dæmonem præceptum diuinum reticere noluisse, vt grauiùs peccaret Eua, quæ nullâ præuiâ ignorantiâ præceptũ adeo iustũ tã facilè trãsgrederetur, insinuasse præceptũ illud iniustum esse, tum quia non ita libertas primorum parentum coarctari deberet, tum etiam quia non erat maior ratio, cur vnam arborem, quàm cæteras Deus prohiberet: primum peccatum fuisse gulam, ad quam prouocabat Euam, sicut & Christum Dominum Luc. 4. callidus ille dæmon; vel superbiam, & vanã gloriam, iuxta Psal. 118. *Superbi iniquè agebant vsquequaque*; quod existimo probabilissimum, ita nempe viget in nobis propriæ excellentiæ appetitus, vt ab eo reliquæ actiones oriri videantur: hinc dæmon addidit finẽ illum, atque potentissimũ motiuũ, *eritis sicut dij*. Vnde mulieris tentatio non incepit à mundo, vel carne, sed à dæmone, qui spirituale cõcupiscibile, nempe Dei similitudinẽ proposuit.

Luc. 4. Psal. 118.

Sunt alia multa, penes quæ Theologus philosophari potest, vt serpentem noluisse dicere, *comede*, vel *falsum est*, *non moriemini*, ne technas illius Eua detegeret: hanc fortè huc illuc deambulasse, hincque dæmoni datam fuisse occasionem, vt eam solam aggrederetur, quæ nihil mali suspicata respõdit, gaudens, quod reperisset, cum quo loqueretur, nã mente, atque sermone sese communicare, delectationẽ affert, ea enim sunt actus amicorũ 9. ethic. c. 4. Lignum autem illud non fuit aliud, quàm scientiæ boni, & mali, quod ita vocatum fuit, quia sic dæmon Euam deceperat, adeout Moses eodem nomine lignum illud per anticipationem appellarit. Alia vniuscuiusque meditationi relinquo.

Aristot.

Ex iis autem colligo Deum statim initio linguã, seu idioma proprium, quod plurimi hebraicum arbitrãtur, tam Euæ, quàm Adamo infudisse, tametsi posteris non esset infundendum, quia sicut viã generationis corporeæ suum esse accepissent, vt nũc post peccatum, & pedetentim creuissent, ita & doceri debuissent. Deinde colligo nos statim initio tentationis resistere debere, alioqui dæmon vafritie suã penetrat altiùs, & venenum infundit: nam tot modis tentationem proponit, nosque adoritur, vt sine Dei gratia illas superare nõ possimus, vt patet in illa interrogatione. *Cur præcepit vobis Deus, estne possibile, vt suum illud præceptũ obligare voluerit? quasi verò laqueum vobis parauerit: estis adhuc animo pusillo, & puerili, an creditis Deum istas arbores curare? non ipse Deus, sed aliquis alius vos seducens præceptum illud finxit, macte animo, tu prior vide, quanta ex illis esu bona ad vos redundatura sunt, alioqui perpetua ignorantia laborabis; Noli timere pœnam comminatoriam, nec enim quidquam tibi continget, alioqui nimis absurdum est, vt tantam fortitudinem leoni, ceruo tantam agilitatem, & cæteris animantibus proprietates tam excellentes concesserit, vobis autem, quibus in omnia animalia dedit imperium, genuinam, atque natiuam proprietatem, nempe scientiam boni atque mali negauerit, sine qua beati viuere non potestis.* Hæc & similia de cacodæmone cogitare fas est, qui cùm ipsum Deum de sede maiestatis, thronoq; regio deiicere non valuerit, eius saltem imaginem nempe hominem deturbare conatus est, vt ordinem vniuersi à Deo positum, cuius homo fastigium obtinere videbatur, interturbaret, atque destrueret.

Dæmonis tentatio.

QVÆSTIO XXXVI.

AN DÆMON IN HAC TENTATIONE PECCAVERIT, & an Euâ grauius vel leuiùs.

ARTICVLVS I.

DE STATV DÆMONVM.

NOn deest aliqua ratio, cur in dubium reuocari possit, an peccauerit dæmon, quã doquidẽ obstinat' est, nec à peruersitate resipiscere valet, quòd si non possit à peccatis abstinere, minimè debent ei computari; adde quòd peccata solùm perpetrari videantur, dum aliquis est in via, nec enim beati peccare possunt, quia sunt in termino, in quo etiam damnati torquentur, nec tanta tormenta peccandi spatium eis concedere videtur, quibus omnes tam corporis, quàm animi potentiæ occupantur, & absorbentur, vt vix aliud, quàm illas inexplicabiles gehennas cogitare possint. Deinde quomodo peccatum dæmonis cum Euæ delicto committi poterit? cùm diuersi generis sint dæmones?

Num peccarit dæmon.

Quæ non ita benè solui possunt, nisi paucis explicemus, an reuera Dæmon à malo possit abstinere; sitque liber tam quoad speciem, quàm substantiam, siue quoad specificationem, & exercitium actus; nam si liber est, & à quouis malo possit abstinere, neque ad vllum peccatum perpetrandum cogatur, vel necessitetur, certum est eum peccare, dũ quem ad vitium prouocat, tantòque peccatum illius grauius euadere, quanto vehementiùs hominem pertrahit, & quanto maius peccatum ei suadere conatur. Si verò coactionem aliquam, vel necessitatem patiatur, quibus volens nolens ad illicita pertrahatur, non video, quomodo peccet, quandoquidem peccatum ita voluntarium est, vt si voluntarium non fuerit, non sit peccatum, vbi voluntarium liberum significat, alioqui multa sunt voluntaria, quæ minimè libera sunt, qualis est beatorum visio diuina, & amor Dei clarè visi, amor boni, si in communi spectetur &c.

Dæmon num sit liber.

Sanè

Sanè tanta est damnatorum infœlicitas, vt obstinati sint; quod ex misertima conditione status illius oritur, in qua fragilis voluntas suis viribus, sine vllo gratuito Dei dono cum sola generali influentia veluti physica relinquitur; vnde nullum actum moraliter bonum à damnatis elici posse Theologi concludunt, qui negant actum fieri posse moraliter bonum sine speciali auxilio gratiæ; hinc etiam colligunt eos nunquam omni actu malo carere. Hanc verò obstinationem in malo non pauci referunt in perpetuam continuationem acerbissimę pœnæ, cum actuali eius consideratione, atque desperatione; Nam damnatus quisque dum foris flamma succenditur, intus cæcitatis igne deuoratur, atque in dolore positus, interiùs exteriúsque confunditur, inquit Greg. 9. mor. c. 39.

Gregor.

Status ergo eiusque circunstantiæ faciunt, vt damnati malo pertinaciter adhæreant, & eorum voluntas ad bonum conuerti nequeat, adeout aliquam inter se similitudinem beati, damnatique habeant; nam quemadmodum ex visione Dei clarissima sequitur in illis amor perpetuus, atque necessarius, ita ex contemplatione perpetuæ miseriæ sequitur in damnatis Dei odium obstinatissimum, quia cum tātummodo vt vltorem, cruciantem, atque summum malum inferentem apprehendunt, quatenus perpetuò cogitant de suis pœnis, atq; miseriis, vt enim pœna vitalis, qualis est damnatorū, nullo modo remittatur, ea debent adesse, quæ ad huiuscemodi dolorem necessaria sunt, inter quæ non vltimum locum obtinet doloris apprehensio, sine qua ne dolor quidem esse potest. Hic est vermis, inquit D. Bern. 5. de consid. c. 10. qui non moritur, memoria præteritorum, semel iniectus, vel potiùs innatus per peccatum; hęsit firmiter nequaquam deinceps auellendus.

D. Bern.

Illi ergo semper actu considerant, & vitaliter dolorem illum percipiunt, atque necessariò suæ culpæ turpitudinem, ac pœnæ deformitatem, est enim æterna, cui proinde repugnat vlla cessatio, vel interruptio; eapropter coguntur dæmones, vt actionem ignis, cæterasque damnationis pœnas, quibus actu puniuntur, semper apprehendant: quę apprehensio non est in libera dæmonis potestate, nec enim illam suspendere potest, alioqui seipsum ab æterno cruciatu liberaret: In quo sanè mira cruciantis ignis virtus elucet, qui tam vehementer intellectum dæmonis immutat, vt magis cogatur, ad combustionem sui percipiendam, quàm ignis noster elementaris sensum hominis adigat ad eius calefactionem deprehendendam; Potest tamen Deus per se dæmonem ad talem cogitationem, seu doloris apprehensionem adigere, cùm in ea necessitate nulla culpa reperiatur.

Accedit voluntatis actus, quo perpetuò dolet de beatitudine perdita, & dolor ab igne illatus; adde etiam desperationem euadendi pœnas illas, aut illarum diminutionem obtinendi; damnatus enim in æternum non obtinebit, quod vult, & quod non vult, in æternum nihilominus sustinebit. Id ergo semper dæmon considerat, & optimè vel inuitus credit, & pręsens habet, ex quo desperatio nascitur, quia iudicat impossibile, vt ille dolor finiatur; sęd & ex illa tristitię, atq; desperationis magnitudine impatientia, magnàque animi perturbatio nascitur. Deus bone quænam est illa pœna, quis dolor, quis cruciatus, quę desperatio, quis horror, vbi dolor dilaniat, & pauor angustat! Quid enim tam pœnale est, inquit Bern. quàm semper velle, quod nunquam erit; & semper nolle, quod nunquam non erit. Bern.

Hos autem intellectus, atque voluntatis actus, nępe doloris, & beatitudinis amissæ apprehensionem, atque perceptionem, & similia à Deo posse damnatis immitti, quatenus sunt actus merè pœnales ex eo constat; quòd ea omnia sine peccato fieri possint, nec in eo dæmon libertatem habeat; Verùm de cęteris actibus, vt ira, impatientia, & odio Dei, nec non inuidia, qua correptus nostrę saluti semper insidiatur, an ea possint à Deo immitti, an Deus ad illa dęmonem cogere, vel necessitare possit, an sit in illis exercendis liber, ac proinde peccet, non ita facilè concludi potest; illud ergo proximo articulo discutiamus.

ARTICVLVS II.

AN SICVT DEVS NECESSITAT DAMNATOS, VT SEMPER actu doleant, atque desperent, ita possit eos ad iram, impatientiam, inuidiam, & odium Dei ipsius necessitare, adeout dæmones non peccent, an vero, circa illos actus liberi sint, & peccent.

Causa obstinationis dæmonum.

1. NOn possum quibusdam Theologis assentiri, qui docent Deum aliquem habitum infundere dæmonibus, qui necessariò voluntatem ad malitiam, & odium diuini numinis inclinet; neque aliis, qui volunt Deum ipsum sui odium illis infundere, & illud semper conseruare; tum quia id libertatem tollit à dæmone; túmquia id aliquam hæresim sapere videtur, quandoquidem inde sequi videtur Deum esse peccati authorem, vel si tale odiū possit esse sine peccato, minimè tamen decet, vt à diuina bonitate producatur: imo forsitan implicat illud odium, vtpote vitalem actum, à Deo solo produci; quanquam dæmonis voluntas in genere vitalis actus, licet necessarij, & non liberi concurrere potest. Nec etiam ex omni parte satisfaciunt, qui negant dæmones vllum opus moraliter bonū posse facere, quia quæcúnque vult, istius primæ voluntatis, qua finem vltimum præposterè per suū primum peccatum appetiit, istius, inquam, primæ voluntatis deordinatione, peruersitate, atque vitio, velut aliquo veneno latissimè diffuso corrumpi, fœdari, & infici putant, adeòut illius finis appetitio in singulas rerum aliarum volitiones deinceps influat; quod cùm in homine viatore post lethale peccatum non reperiatur, quippequi aliquem actum moralem debitis circunstantiis vestitum, ac proinde bonum elicere potest, tametsi lethaliter peccando suum vltimum finem in creatura collocasse videatur, itaut illius electionis, seu voliti finis malitia in sequentes actus moraliter bonos non influat, inde fit, vt nec in dæmone talem influxum admittere velim.

2. Nū dæmones bonū opus morale perage valeāt.

Non etiam dæmon semper existimandus est offendere, quòd beatitudinem, & pœnæ carentiam; vt bonum suum desideret, cùm neque ipsi peccemus si nobis aliquod bonum spirituale, vt virtutes, vel beatitudinem, imo & Deum ipsum desideremus, vt bonum 3.

nostrum, quandoquidem nobis Deum appetere, eúmque ad nos tanquam ad finem, cui maximè cōuenit, referre possumus, dummodo non eum ad nos tanquam ad finem, cuius gratiâ referamus, tūc enim in hoc amore summa peruersitas & immoderata mentis ad seipsam curuitas includeretur. Nisi dixerimus eos beatitudinem sibi, vt suam appetere, idest quam propriis viribus sibi comparare possint; nec enim desunt, qui primum diaboli peccatum in eo constituant, vt beatitudinem propriâ virtute possidere voluerit, quod idem est, ac à Deo nolle dependere, atque adeò ei similem, vel

D.Thom. æqualem esse, quod summa superbia est. Huc D. Thomæ sententiam referre possumus, qui 1. p. q. 64. a. 2. mirabiliter pro amore suo causam expli-

4. cat, cur dæmones obstinati sint in malo, quia rebus, quas Angelus apprehendit immobiliter, pertinaciter, & inflexibiliter eis adhæret, adeout eius arbitriū post electionem non sit ampliùs flexibile, nec ad oppositum conuerti possit, cùm ergo peccatum elegerit dæmon, iam virtute sibi ingenita, seu naturali nequit auertere mentem; cuius rationem profert, quoniam vis eius appetitiua, seu voluntas apprehensiuæ facultati, nempe intellectui proportionatur, qui cùm vniuersalia immobiliter apprehendat, vt patet cùm nos prima principia concipimus, & Angelus omnia per simplicem conceptum apprehendat, quæ nos per discursum, hinc concludit ab iis, quibus consensit, dæmonem reuocari non posse, quandoquidem eius voluntas se habet ad volita, sicut intellectus ad apprehensa.

Cuius profectò sententiam libens amplecterer, nisi alia impedirent; vt inde non intelligi, quomo-

D.Damasc. do homines damnati sint etiam in malo obstinati, & ad bonum inflexibiles; deinde quia D. Damascenus D. Thomâ antiquior oppositū docere vide-

Num dæmō sit inflexibilis. tur l. 2. de fide ort. c. 3. *Est igitur Angelus natura rationis particeps, intelligens perpetuo motu*, seu ἀεικίνητος *.i. semper mobilis, arbitriique libertate præditus, voluntatis, ac sententiæ ratione mutabilis* τρεπτὸν κατὰ γνώμην, ἐθελότρεπτον, hoc est, *liberam in vtrámque partem voluntatem habens*, cætera apud Damasc. legito. Sed & aliæ rationes vrgent, nam sententiam dæmon mutauit, quam circa Christi mortem habuerat,

Ioan. 13. cùm enim illam procurasset Ioan. 13. ab eadem Pi-

Math. 27. latum reuocare conatus est Math. 27 dum coniux ei, suadente diabolo, scripsit, *Nihil tibi, & iusto illi.*

Deinde cùm dæmon ex aliquo præcedente defectu peccauerit in sententia D. Thomæ, cur non potuit mutare sententiam, vbi defectum suum deprehendit? Tertiò cùm Angeli creati fuerint in gratia, atque dilectione Dei, quæ sine apprehensione, & iudicio esse non potuit, quo iudicarent Deū super omnia diligendum esse, quomodo sese auerterunt ab isto fine, & amore? cur non ei tenaciter inhæserunt, sicut postea suo peccato?

Quamobrem neque placet illa sententia, quæ re-

5. uocat hanc obstinationem in libertimam voluntatem, quæ propter eminentiam arbitrij liberi tanto impetu feratur in peccatum, & in eo suum vltimū finem constituat, vt etiam synderesim contemnat, & penitus infigatur, & absorbeatur in vitio, quemadmodum clauus infixus dicitur immobiliter, ac velut irreuocabiliter adhærere ligno, quādo in ipsū lignū retorquetur, atq; retūditur, maximè cùm pœna damnatorum satis, superque ostendat peccato non ita adhærendum fuisse; vnde si ex inaduertentiâ, & inconsideratione efficaciorem, atque maiorem voluptatem in peccatis, quàm in virtute conceperunt, iam videre possunt illud esse falsum, ac propterea si liberorū actuum radix sit intellectus, vbi varias rationes in obiecto detegit, cur dæmon ab eo diuertere non poterit? cur non primam sententiam mutabit? nunquid antea mutasset, si rationes illas, vt par erat considerasset?

Itaque veram obstinationis causam, quæ nullas, vel pauciores, atque minores, quam aliæ causæ dif- 6.
ficultates patitur, in diuinę gratiæ denegationem, & voluntatis infirmæ sine Dei gratiâ resurgere, atque pœnitere nō valentis imbecillitatem, refundo; tum quia nemo potest sine Dei gratia operante, seu præueniente suum peccatum relinquere, tum quia præter operantem gratiā, quæ fit in nobis sine nobis, cooperans, seu adiuuans requiritur, vt aliquis suum peccatum sufficienter detestetur. Igitur si Deus denegat illas gratias, impossibile est dæmonem suam mutare sentētiam; nam primùm ex parte intellectus illa cogitatio necessaria est, bonū, vel possibile est, vt retractem peccatum meum, quæ cùm sit bona, sanctáq; cogitatio, debet à Deo proficisci, & est gratia præueniens; nec enim existimes te bonam cogitationē vnquam habuisse, nisi priùs Vnde procedat bona cogitatio.
illam Deus immiserit, téque ad illam potiùs quàm ad aliam determinauerit, quod neque tibi liberum fuit: deinde ex parte volūtatis primus impetus, quo bono per illam cogitationem apprehenso consentit, à Deo venit, qui cum ea cooperatur. Vbi recordor Iudæorum, qui in omnibus, quæ peragenda suscipiebant, ita Deo subdebantur, vt ab eius oculis, prouidentiâ, atque nutu pendere viderentur, & coram eo essent, sicut oculi seruorum in manibus dominorum suorum, & sicut oculi ancillę in manibus dominæ suæ, vt rectè Propheta regius explicauit: cùm enim omnes nostræ cogitationes à Deo pendeant, itaut de nulla re quidquam boni cogitare possimus, nisi Deus ipse cogitationem illam immittat, quantum nos ei subditos, quantum bonitati diuinæ, eiusque inspirationibus attentos esse oportet. Hæc autem præmissa sunt, vt faciliùs difficultatem in hoc articulo propositam intelligeremus, & an ex obstinatione, diuini numinis odium, & inuidia, qua homines circūuenit, necessariò consequantur. Dicam igitur liberè quod sentio primū dæmones esse liberos, vt non exerceant omnia mala, quę singulis diebus perpetrāt, quia nihil video, quod eos cogat, vel necessitatem inferat, vt huius, aut illius saluti insidientur, quapropter dæmō ille, qui serpente in Eua subuertenda vsus est, peccauit; deinde odium illud, quod aduersus Deum, aut homines conceperunt, & vindicta, quam, si possent, de Deo sumerent, sicut & ira consequens tristitiā de pœnis illatis, iniusta sunt, & ideo peccata; cùm nulla eis absoluta necessitas inferatur, & quibus recta ratio dictat Deum non esse habendum odio, iram de damnatione non esse concipiendam, cùm hæc iustissima sit. Sanè crudelis mihi videtur eorū 7.
sententia, qui existimant dæmonibus inferri necessitatem moralem, vt in actum odij Dei prorūpant, nec esse liberos quoad specificationem, vt alio erga Deum actu, præterquam odij ferantur, tametsi enim eum, vt pœnæ authorem, seu inflictorem apprehendāt, nec vllum sperent ab eo beneficiū, seq; plusquā Deum formaliter, aut virtute diligāt, semperq; malū aliquod meditentur, atq; peragant; illic siquidem maledictiones, blasphemiæ, & imprecationes resonāt, attamen omnibus ritè consideratis remanet in eis plena libertas, vt ab his peccatis abstineāt, alioqui si non possunt non peccare, & odiū Dei,

Dei, vindictã, & cæteros actus peruersos necessariò eliciant, vbi libertas? si non est libertas, vbi peccatum? si nullum peccatum, ergo Deus ad omnia tam materialiter, quàm formaliter cooperatur, quę peraguntur in inferno, quod numinis diuini maiestatem dedecet.

Sapient 5 Quæ possunt ex c. 5. Sapientiæ confirmari, vbi damnati inducuntur, *dicentes intra se, & pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes*, &c. Deinde. *Ergo errauimus à via veritatis, & iustitiæ lumē non luxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis*, &c. Vnde constat eos nescioquam vmbram habere pœnitentiæ, & status melioris deperditi cognitionem; præterea sciunt suâ, non Dei, vel alterius culpâ se ex paradiso decidisse, vel iustissimam damnationē incurrisse, vnde necessariò sequitur Deum non iniustum esse, qui supplicia debita inferat: cur ergo non poterunt in seipsos odium, iram, vindictam, & rabiem conuertere, si non semper, saltem aliquãdo? alioqui peccaturi, si Deum suis blasphemiis aggrediantur. Fateor tamen eos ab omni peccato abstinere non posse, cùm & idem fateamur de eo, qui versatur in peccato lethali, qui ab omni veniali, imo nec à lethali sine Dei gratiâ abstinere nequit.

Superest inquirendum, num ex tristitia, & desperatione, quæ necessariæ sunt in eis, odium Dei, ira, vindicta &c. necessariò, vel mediante solùm actu libero sequantur; si necessariò, non video quomodo sint peccata; ideóque libertate mediâ tantummodo proficiscuntur; ratio est, quòd actus isti posteriores voluntatis non habent connexionem cũ præcedentibus: Enimuero supponamus omnia, quæ concurrũt ad cacodæmonum damnationem, atque pœnam, tam ex parte Dei, quàm ex eorum culpâ, ex quibus si actus illi non oriantur necessariò, sed liberè, potest dæmon ab illis cessare. Itaq; dæmones primò peccauerunt, nec se à peccato suo auerterunt in illo spatio, quod fortè Deus illis cõcesserat, vt resipiscerent; dixi fortè, quia plurimi aiunt nullum eis pœnitendi spatium datum fuisse, sed statim atque peccauerunt, fuisse pœnis æternis addictos. Secundò post illud peccatum Deus pœnã æternam tam damni, quàm sensus illis intulit, idest eos omni spe futuræ visionis claræ numinis diuini priuauit, & ignem ad eos torquendos vel de nouo creauit, vel nostro vsus est, vel aliud tormētum inuenit, quo exquisitè, dignè, & iustissimè propter facinus perpetratum illos perpetuò torqueret, atq; decreuit se nullam vnquam gratiã eis prębiturum, & in æternum eos exosos, inimicos, exleges, atque diuinæ maiestatis reos habiturum.

Quomodo dæmones damnati fuerint?

Cætera verò quæ subsecuta sunt, non ita Deo sũt imputanda, cui ne quidem vllam ad aliquem damnatorum actum malum cooperationem imponere velim, pręter physicam, iuxta quam ad omnes act⁹ malos nostros positiuos, quoad actus substantiam, non autem quoad deformitatem concurrit. Cùm ergo nulla dæmonibus necessitas imponatur, vt in Dei odium, atque vindictam de eo sumendam, vel in alia vitia prorumpant, poterunt ab istis cessare, si non semper, saltem aliquando, si non ab omnibus collectiuè sumptis, saltē ab aliquo, & fortè ab omni in particulari: nec enim credo illos ita obcæcatos esse, & iusti Dei vindictâ oppressos, vt eum non possint sub ratione boni apprehendere, imo non aberrauerimus à veritate, si affirmemus eos abstractiuâ cognitione scire, quantum bonum amiserunt, quod sine aliquâ Dei cognitione fieri nequit.

Sic enim grauiùs torquentur, dum fœlicitatis amissæ recordantur, & iusta supplicia volentes nolentes patiuntur. De tentatione verò, de qua prę sertim inquirebamus, an sit peccatum, non alia difficultas occurrit, nisi quia id illis à Deo velut officium proprium cõmissum fuisse videtur, vt patet, cùm illis iustum Iob, eiusque corpus, ac res domesticas, atque diuitias, omnia denique susque déque vertenda permisit, dummodo non tangerent animam, quam sibi Deus semper reseruat, vt pote de cœlo progenitam. Aliâs verò exterminatores Angelos immisit, qui hominibus impiis pœnas debitas irrogarent. Vbi duo mihi certa videntur, primum, dæmones esse velut carnifices iustitię diuinę, cuius prouidentia eo cernitur illustrior, quò mirabiliùs rebelles istos ab eius prouidentiâ, & potestate, quantum in illis erat, deflectentes, eadem prouidentiâ coërcere, & ad illam reducere potuit, vt qui supremas dignitates merâ Dei liberalitate obtinuerant, vt nimirum cœlis, elementis, regnis, prouinciis præessent; & omnium creaturarum veluti rectores essent, Iam ad infimum gradum descenderint, dum munus illorum hominũ suscipere cogũtur, quos abominamur, nempe carnificum, atq; lictorum. O summa, iustáque Dei prouidentia, quam omnia potenter attingis, & admirabiliter ordinas!

Certum est etiam Deum absque iniustitia, vel vmbra peccati non tantùm permittere posse, sed etiam cogere dæmonem, vt homines tentationibus impetat; Verùm non eâdem intētione potest, quia dæmon tentat, vt peruertat, & in peccatum, atque damnationem inducat; Deus verò vt probet, si fideles ei futuri sumus, & pugnam nostram coronet. Tertium est, illã dæmonum peruersam intentionē, nostræque ruinæ desiderium, quo exardescit, esse peccatum, idq; lethale grauissimum, quod tametsi fuerit dignissimum, quod puniatur; quia tamen ad impietatis apicem damnati peruenerunt, non eis Deus nouas pœnas damnationis infert, sicut nec præmia noua beatis decernit ob actus tam bonos, quos diebus singulis eliciunt, quia meritum solam viam respicit, sicut & demeritum; quanquam neq; fortè repugnat, vt in patria meritum aliquod reperiatur, sicut nec in exilio sempiterno, demeritum.

Quod si rem accuratiùs inspexerimus, in dæmonum punitione misericordiam diuinam reperiemus, qui cùm eis necessitatem posset ad multa inducere, sicut hanc beatis imposuit, vt non possint Deum non amare, & necessariò gaudeant de iis, quæ ad maiorem Dei gloriam faciunt, noluit tamē, vt misericordia iudicium superaret. Superest, vt peccatum serpentis cùm Adæ peccato cõferamus: sed ex pœnis, quæ vnicuique statim irrogabuntur, satis illud constabit. Ideoque breuiter dico non ita benè comparari posse, tum quia diuersi sunt ordinis, qui peccant, tum qui vnus est in via, alter in termino; tum etiam quia maior in Eua libertas esse videtur, quàm in dæmone, pręsertim cùm in ea gratia diuina, eáque perampla reperiatur, (nam de ea loquor, vt in iustitia originali spectata,) qua dęmon caret, cui neque congrua, neque sufficiens præbetur. Ideóque peccatum primorum parentũ, ipsâ dæmonis tentatione longè grauius esse puto.

Peccatum Euæ & dæmonis cõparatur.

VERSICVLVS IV. ET V.

IV. *Dixit autem serpens ad mulierem: Nequaquam morte moriemini.*

V. *Scit enim Deus quod in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri: & eritis sicut Dij, scientes bonum, & malum.*

IV. וַיֹּאמֶר הַנָּחָשׁ אֶל־הָאִשָּׁה לֹא־מוֹת תְּמֻתוּן׃

V. כִּי יֹדֵעַ אֱלֹהִים כִּי בְּיוֹם אֲכָלְכֶם מִמֶּנּוּ וְנִפְקְחוּ עֵינֵיכֶם
וִהְיִיתֶם כֵּאלֹהִים יֹדְעֵי טוֹב וָרָע׃

IV. Καὶ εἶπεν ὁ ὄφις τῇ γυναικί· οὐ θανάτῳ ἀποθανεῖσθε·

V. Ἤδει γὰρ ὁ θεὸς, ὅτι ᾗ ἂν ἡμέρᾳ φάγητε ἀπ' αὐτοῦ, διανοιχθήσονται ὑμῶν οἱ ὀφθαλμοὶ, καὶ ἔσεσθε ὡς θεοὶ, γινώσκοντες καλὸν, καὶ πονηρόν.

PErgit vafer ille serpens, qui dum animaduertit Euã de veritate verbi diuini dubitare, mox constantissimè negat illud, id enim intendebat; vnde statim atque Catholici suggestionem contra verbum diuinum apprehendunt, ei fidem debent opponere, iuxta id Petri; *cui resistite fortes in fide:* mulier itaque dubitat, dæmon negat; hinc iam videmus cor mulieris facilius patere dæmoni, qui ei citiùs persuadet, homines autem non ita frequenter decipi videntur.

Liberiùs ergo dæmon insultat, & vbi rimam sibi patere conspicit, recto perrumpit impetu; subtilius quidem primò per blanditias nos adoritur, nec enim aperto marte congreditur, nisi sponte nudos, & inermes nos exponamus; at vbi obrepsit, contra Deum ipsum audet insurgere, sic enim arreptâ dubitatione mulieris longiùs penetrat, adeout verbum Dei perneget, quod mendacij palam arguit. *Nequaquam moriemini*, quod de morte corporea immediatè futura intelligere potuit dæmõ, vt perpetuâ amphibologiâ vteretur, quod ei proprium est, ne sæpissimè mendacij arguatur, atque conuincatur: hinc Apollo ob ambigua responsa λοξὸς, & λοξίας vocatus est. Pergit ergo, *scit Deus, quòd statim atque comederitis, aperientur oculi vestri,* nõ quòd cæci essent, sed persuadere nitebatur post esum fructus vetiti tantam scientiam inde consecuturos, vt respectu illius modicæ, quam à Deo acceperant, hæc maxima futura esset, cuius respectu prior tenebris comparari valeret. Viderunt, eheu, oculis ad miseriam apertis, quantum inter statum innocentiæ, ac iniquitatis, iustitiæ, & iniustitiæ interesset, quantum bonum amisissent, quantum in malum se coniecissent.

Apollo λοξὸς dictus cur?

Eritis sicut Dij, vel vt Chaldæus, *sicut principes, vel Angeli:* nihil enim vos fugiet, omnia cognoscetis, eritis creatores aliorum mundorum &c. sic enim dæmon ea suggerit in tentatione, quod homines optare solent, quodque eis videt allubescere; ad quod duplici industriâ vtitur, quia remouet timorem, pœnámque vel tollit, vel minuit, vel eludit, quam Deus imposuit; deinde magnum aliquod bonum proponit, quod ex violatione legis consecuturum esse mentitur. Hîc verò quinque splendida mendacia tribuuntur dæmoni: primò siquidẽ mendacij Deum arguere videtur, dum ait, *nequaquam moriemini.* Secundò facit eum inuidum, scit enim vos ei futuros similes, si comederitis; ideo nempe vetuit esũ arboris, ne scientiâ, atque sapiẽtiâ ei fiatis æquales. Tertiò dum arborem illam ait hanc habere vim, vt scientiam conferat. Quintò vi ligni similes Deo euadere posse mentitur. Quintò scit Deus, quia verum dico, & non mentior, vos nempe post esum similes ei futuros.

5 Mendacia dæmonis.

Neque putandum est velle Deum vos tantâ sciẽtiâ carere, sed aliquod subintelligit mysteriũ, quod fructu degustato scietis: Comedite igitur, prosperum enim exitum auidus expecto; *eritis sicut Dij*; ô perfidum veteratorem, qui teste Iustino l. contra gentes, Polytheïæ fundamenta iacit, *scientes bonum, & malum*, quo loquendi genere vtuntur Hebræi, cùm hominem doctum indicant, sicut & cùm ignarum ostendunt, aiunt nescire bonum eligere, neque malum, vt patet ex c. 7. Isaiæ.

Iustin.

Isai. 7.

Sunt qui demirentur impudentiam cacodæmonis, quomodo tam expressè, & apertè mentiri ausus fuerit; verùm cùm omnia Dei opera, maximè quæ salutem hominum spectant, destruere conetur, ne mireris, si aduersus Dei verba dimicet, cuius opera delere summis nititur viribus; nunquid ei mentiri oportuit, si vellet Euam decipere? nunquid ipse factus est mendacij pater, statim atque à suprema veritate recessit? adeout præcipua illius proprietas sit mendacium, teste Seruatore Ioh. 8. *in veritate non stetit, quia veritas in eo non est; cùm loquitur mendacium, ex propriis loquitur*; ideoque quoties mendacium suæ prodesse credit intentioni, mẽtitur audacter, nec aliud est ei curæ, quàm vt mendacium

Ioh 8.

dacium occultet ei, quem subuertere nititur.

Deum non posse mentiri. Difficilius est explicare, quomodo mulier ei tam citò credidit, maximè cùm mendacium tam apertum esset, Deum nempe mendacem esse, & inuidum, quæ duo cum natura diuina pugnant; veritas enim mentiri nequit, nec Deus seipsum negare potest, neque bonitas ipsa vlli inuidet, quæ inuidiæ ex diametro repugnat: quapropter rectè philosophus 1. met. cap. 2. Simonidem impugnat, aliAristot. oqui enim Deus miser esset, quia tristis; tristitia verò malum est, quod in summo bono non est. Scimus mulierem dæmoni credidisse, decepta est enim, sed Eua quomodo decipi potuerit quomodo, nisi per verba serpentis, nescimus: huc tamen precedentes sensus verborum diaboli reuocare possumus, & aliquem ex illis eligere: sed omnis difficultas meo quidem iudicio tollitur, si libertatem eius respiciamus, poterat enim his, aut illis rebus fidem adhibere, dummodo aliqua saltem ementitâ probabilitate non carerent; at dæmon omni, qua potuit vafritie, sua verba credibilia reddidit, siue quia plurima præfatus est, quæ Moses non explicat, siue quia diuinum præceptum Euæ iamdudum displicere cœperat, siue quia tanto affectu scientiam illam boni, & mali, vel aliam excellentiam, qua Deo similis fieret, appetebat, vt potiùs istam excellentiam, quàm præcepti veritatem considerarit: tunc enim facillimum fuit, vt propriæ gloriæ bonum diuino præcepto anteferret. At vbi hanc vnius præ altero fecimus electionem, omnia, quæ de re, quam elegimus, quam diligimus, quam cæteris anteponimus, referuntur, verissima credimus, si rei isti faueant, nostræque correspondeant electioni: secus verò quæcunque bona de re nobis exosa dicuntur, odimus, reiicimus, & falsa vel credimus, vel falsa credere, & ostendere nitimur, adeò potens est amor sui inordinat⁹, vt omnia susque deque vertat, atque peruertat, & (quod summam miseriã existimo) vsque ad contemptũ Dei, hæresim, paganismum, & atheismum adducat.

QVÆSTIO XXXVII.

AN EVA POTVERIT APPETERE DIVINITATEM, ET velle, vt Deus verus è medio tolleretur.

QVæstio hæc non ita facilis est, vt omittenda sit; tametsi enim omnes existiment neminẽ in impossibile ferri, attamen cùm illud impossibile pluribus modis spectetur, & aliquando sub ratione possibilis apprehendi valeat, in dubium minimè reuoco nihil esse tam absurdum, quod ab hominibus appeti nequeat. Verùm vt melancholicos, & alios phreneticos, quibus mens non est rationis compos, omittamus, de homine loquamur, qui rectâ ratione vtitur, qualis erat Eua, quæ v. 5. audiuit, *eritis sicut Dij, scientes bonum, & malum.*

Qui credit Deum vnicum esse, præter quem nec est, nec esse potest alius, quomodo Deum se esse desiderabit? an fides adeò obscura est, vt illas mentis tenebras non dispellat? quæ mentem offundere videntur, ne lucis instar ostendat fieri non posse, vt quis in Deum euadat? Nunquid omnino impossibile est, vt primi parentes illud appeterent, quo posito ipsimet destruerentur? enimuero si per impossibile Deo æquales euasissent, non ampliùs fuissent homines, sed ipse Deus, vnde natura humana periisset, quâ in esse constituebantur.

Sanè non ita constat, an aliquis sui interitum appetere possit, vt in meliorem naturam, atque statũ conuertatur, licet tunc statum illum minimè sibi appetat, sed potiùs alteri naturæ, quæ loco illius successura est. Nec obstat, quod illã cũ Deo similitudinem, vel æqualitatem asserant errorem esse contra naturalem euidentiam, quam serpens primis parentibus proposuit: enimuero vafer ille nebulis in imaginationem iniectis, illam æqualitatem aliquo modo suadere potuit, quamuis id reuera sit impossibile, si terminos simul componas, vt nempe homo quâ homo sit Deus ipse essentialiter, & non tantùm vi hypostaticæ vnionis, qualis erat homo Christus Dominus. Vnde si Adamus ita ratiocinatus fuisset: diuina essentia est independens, & infinita, ego verò dependens, & finitus, adeout impossibile sit, vt ei fiam æqualis, tunc facilè concessero eum nunquam appetiturum illam æqualitatem.

At verò cùm illa terminorum compositio nullatenus mihi necessaria videatur, vt quis in aliquod obiectum feratur, non ita video, cur primi parentes non potuerint appetere diuinitatem: nec enim eos quidquam impedire potuit præter impossibilitatem, quæ tamen non obstat, quominus res saltẽ ex suppositione impossibiles desideremus, vt constat in peccatis nostris, quæ nunquam perpetrasse vellemus: & innocentiam appetimus, cùm tamen facta peccata infecta esse non possint, quod enim præteriit, fieri non potest, vt non præterierit. Adde quod etiam impij Deum odio habentes, illum non esse, vel perire cupiunt, desiderantque ab eo non pendere, imo vellent se ipsi Deo posse dominari, vt statim illum de solio gloriæ deiicerent, & in eius locum succederent.

Quæ cogitationes etiam piorum mentem aggredi, & ingredi solent nonnunquam, quæ nisi protinus excutiantur, nescio quibus tenebris verè tartareis animum obtenebratum, & obsitum esse deprehendis. Et quidem tantum esse mentis acumen, ac tam promptum voluntatis actum existimo, vt statim ad alicuius rei propositionem, licet impossibilis, dummodo sub ratione possibilis ostẽdatur, homo rem illam desiderare valeat, siue id vt sibi conueniens appetat, siue à ratione conuenientis, & non conuenientis abstrahat.

Esto verò, necessarium sit, vt homo bonum aliquod sibi conuenire præcognoscat, antequã illud appetat: nondum illud obstabit, quominus Adam sibi diuinitatem appetierit, vel eam affectu simplicis complacentiæ amplexatus fuerit, abstrahendo ab hoc conceptu, *mihi conuenit*, vel, *eam assequi possum.* Adde quòd sathan suadere potuit illam diuinitatem, quam nondum clarè videbant primi

parentes, eis cõuenire posse, ex eo quod iam ad similitudinem Dei facti essent, adeout sola ęqualitas eis acquirenda superesset. Cõfirmatur ex eo, quòd Theologi fatentur dæmones ipsos appetere, vt Deus non sit; quod etiam pluribus impiis commune existimo, qui eodem, quo peruersi Angeli motiuo, vellent Deum non esse, ne eos debitis suppliciis afficeret: sic enim impius potest appetere æqualitatem cum Deo, vt possit illi resistere, ne ipsum affligat; has enim propositiones impius sibi fabricat; si Deus non esset, cessaret pœna inferni, non me affligeret: vellem ab eo non pendere, imo reperiri possunt, qui fortè dicant, Deo superior esse vellem, adeò stulti sunt! Licet verò nullam inde futuram vtilitatem ex re impossibili speres, quam tibi sub conditione possibilem esse fingis, nihil obstat, quominus impossibile etiam sub ratione honesti appetere possis. Quod patet ex illa propositione, quã D. Augustino nonnulli tribuunt. Si ego Deus essem, & tu Augustinus, vellem potiùs te, quã Augustinum esse Deum: quem voluntatis actum Suares honestissimum appellat, vt quis suum affectum exerceat, & eliciat actum, quo Deum plusquam seipsum diligat. Quò possunt actus illi reduci, quos viri pij nonnunquam exercent, dum vires infinitas expetunt, quibus, vt par est, Deum infinitè celebrare valeant: vt enim Deus summè diligibilis est, ita voluntatem expeterent infinitam, qua Deum summè diligerent.

Cogitationes stultissimę.

Quæ omnia confirmantur ex eo, quod iudiciũ, aut imperium practicum intellectus non sit necessarium, vt voluntas in aliquod obiectum feratur, sed apprehensio simplex boni sufficit, alioquin appetitus sensitiuus in eo voluntati præferretur, ille siquidem sola præuiâ sensatione fertur in obiectum. Fateor tamen rem tunc, atque media saltem in confuso, & generatim possibilia iudicari debere, vt quis rem illam se assequi posse speret, & ad illam sibi comparandam efficaciter moueatur; qua ratione ea conciliari possunt, quæ ad argumentum Atheorum pro animi immortalitate adduximus, quando discussum est, an voluntas, & appetitus naturalis in impossibile ferri possit.

Itaque potuit Eua, potuit Adamus in æqualitate Dei sibi complacere, siue eam sibi possibilem falso licet iudicio finxerit, siue à possibili, & impossibili, sibi conuenienti, & non conuenienti abstraxerit. Quid tamen reuera contigerit, non ita facilè conclusero, quandoquidem scriptura non ab ea sententia recedit, quin eam potiùs astruere videtur, idque tam vers. 5, quàm 22, dum illis Deus exprobrat, & verbis ironicis eos excipit. *Ecce Adam quasi vnus ex nobis*, &c. Ex quibus arguitur Adamum ad illam Dei æqualitatem peruenire voluisse, vt saltem omnia sciret, quæ Deus ipse cognoscit, quod minimè fieri potuit, nisi Deus ipse fieret, vel cum eo non tantùm participationis, sed etiam æquiparantiæ similitudinem haberet.

Nec est quod tantam in Adamo superbiam demiremur, cùm in dies impius diuinitatem ambiat, imo & seipsũ pro Deo constituat iuxta id ad Phil. 3. *Quorum Deus venter est*; & ad Ephes. 5. auaritia dicitur *idolorum seruitus*: Impius enim in suum honorem, & gloriam omnia refert, & maximè cupit, vt nemini subiiciatur, quin potiùs omnibus imperet; quocirca Deum destruere posse vellet, si non actu voluntatis explicito, saltem implicito, interpretatiuo, & imputatiuo. Hinc fit, vt nolim primos parentes ab huiuscemodi desiderio excusare, præsertim cùm idem de Angelo præuaricatore dicendum esse putem, vt ex 14 Isai. 28 Ezech. & aliis Scripturæ locis colligitur: quod Nazianzenus confirmauit, dum orat. 27 dixit Luciferum intolerandum existimasse, se, cùm diuinus esset, non Deum quoq; existimari, & appetiisse regale solium, ac decus, ac subinde esse Deum.

Ad Phil. 3. Ad Ephes. 5.

Isai 14. Ezech. 28. Nazianz.

Superest vt ostendamus, qualenam sit peccatum, dum aliquis in illis cogitationibus delectatur, vellem esse Deo æqualis, vtinam nulli subiicerer, à nullo dependerem, Deus nullus esset &c.

Vbi aduerte cogitationes illas vel ad prauum finem ordinari, videlicet te velle Deo æqualem, vel maiorem esse, quia odio habes illum, vel vt ei resistas, aut vim inferas &c. vel ad nullum finem, adeo vt appellari possint otiosæ cogitationes: primo modo grauissimum peccatum iudicandum est, cùm ex odio Dei, & voluntate maximè deprauata oriatur; quapropter cauendum est, ne dum occurrunt huiuscemodi nefandæ cogitationes, iis immoremur, nam si quis conceperit Deo malum aliquod inferri exempli gratia, & in eo delectetur, à maximo peccato illum minimè velim excusatum, nî fortè delectatio illa ita subreperet, vt nullatenus voluntaria, seu libera foret. Secundo modo non ita graue est: attamen leue non dicam; nec enim quidquam leue ex iis, quæ diuinum numen immediatè spectant, optimum existimo consilium, vt illæ cogitationes, si quando contigerint, protinus excutiantur, nec enim summo periculo vacat illis tantisper adhęrere, vel attendere.

VERSICVLVS VI.

VERSICVLVS VI.

Vidit igitur mulier, quòd bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis aspectúque delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit, deditque viro suo, qui comedit.

וַתֵּרֶא הָאִשָּׁה כִּי טוֹב הָעֵץ לְמַאֲכָל וְכִי תַאֲוָה־הוּא לָעֵינַיִם וְנֶחְמָד הָעֵץ לְהַשְׂכִּיל וַתִּקַּח מִפִּרְיוֹ וַתֹּאכַל וַתִּתֵּן גַּם־לְאִישָׁהּ עִמָּהּ וַיֹּאכַל׃

Καὶ εἶδεν ἡ γυνὴ ὅτι καλὸν τὸ ξύλον εἰς βρῶσιν, καὶ ὅτι ἀρεστὸν τοῖς ὀφθαλμοῖς ἰδεῖν, καὶ ὡραῖόν ἐστι τοῦ κατανοῆσαι· καὶ λαβοῦσα ἡ γυνὴ τοῦ καρποῦ αὐτοῦ, ἔφαγε· καὶ ἔδωκε καὶ τῷ ἀνδρὶ αὐτῆς μετ' αὐτῆς, καὶ ἔφαγον.

VT vidi, vt perij, vt me malus impulit ardor; Hinc quàm pernitiosa sit videndi cupiditas, atque curiositas, collige. Mulier ergo pendens à verbo Domini, longè aliud iudicium de arbore vetita habuit, quàm vbi diuinum verbum exclusit: Priùs enim credebat, & rectè quidem arborem illam noxiam esse cum fructibus suis, quapropter non comedebat, nec curiosiùs contemplabatur. At nunc verbo Dei repudiato longè aliter iudicat. Triplici nempe cupiditate titillatur, iudicat enim idoneam esse ad cibum, ad oblectationẽ oculorũ, & ad prudentiam comparandam: vidit ergo, & in arborem intenta fuit, à qua priùs tantopere fugiebat. Vidit, non vt antea innocuo affectu, sed gustãdi cupida, quia suauissimum esui, & amœnissimum oculis fructum iudicabat.

Pagnin. ita vertit ex Hebræo, vidit mulier, quòd bona esset arbor ad vescendum, & quod desiderabilis esset oculis, & concupiscibilis arbor ad intelligendum, vbi Caiet. tria notat vitæ hominis triplici correspondentia; nam ad vegetatiuam spectat, quòd fructum illum bonum ad vescendum existimarit, ad sensitiuam, quandoquidem videbatur delectabilis, ad rationalem denique, quod ad rationem sciendi faceret, dicebatur enim arbor scientiæ boni, & mali, quam ad scientiam conducere dæmon suadebat. [Pagnin.] [Caiet.]

LXX. habent, quia bonum est lignum ad escam, & quia gratum oculis ad videndum, & speciosum est ad intelligendum; Chaldæus quod salutifera esset oculis, & delectabilis ad intuendum in eam. Ideo verò mulier lignum illud apprehendit, vt desiderabile, inquit Caiet. quòd nitamur in vetitum, & quod euentum dubium in meliorem partem interpretatum ex tot conditionibus bonis apparentibus in illo fructu experiri desiderauit. Nec fabulam audimus, quæ hucúsque ait primos parentes cæcos fuisse, donec Eua viderit lignum; Euseb. autem putat in sympósio, hæc, quæ de serpente dicuntur sub nomine Veneris idest mundi, & Pori. i. Adami, paupertatis .i. suasionis serpentinæ, & horti Iouis .i. Eden Platonem imitatum fuisse. [LXX interp.] [Chald.] [In peccato Euæ 5 peccata.]

Euæ peccatum multiplex fuisse docet sanctus Thomas opusc. 2. 190. primò enim peccauit vitio superbiæ, qua inordinatè excellentiam appetiit. 2 curiositatis, qua scientiam vltra terminos sibi præfixos concupiuit. 3 gulæ, quâ suauitate cibi permota est ad edendum. 4 falsæ æstimationis de Deo, dum credidit verbis diaboli contra Deum loquẽtis. 5 inobedientiæ, præceptum Dei transgrediendo. Quod tamen peccatum pluribus de causis leuius fuisse Caietanus ait: primo ex radice, affectu libertatis: deinde ex ratione peccandi, appetitu assimilationis ad superos. 3 ex re appetita scire: 4 ex specie actus exterioris, comedere fructum arboris bonum, & pulchrum. 5 ex causa peccati, seductione. 6 ex conditione peccantis, quia mulier. 7 ex lege violata, quia positiua. [D.Thom.] [7 Quę peccatum Euæ minuere videntur.]

Vidit igitur mulier, quod bona esset arbor ad vescendum, & quod desiderabilis esset oculis, & concupiscibilis arbor ad intelligendum, vt Vatablus, & Pagnin. habent. Septuaginta vero ὅτι καλὸν τὸ ξύλον εἰς βρῶσιν, bonum lignum ad escam, καὶ ὅτι ἀρεστὸν τοῖς ὀφθαλμοῖς ἰδεῖν, καὶ ὡραῖόν ἐστι τοῦ κατανοῆσαι, & quia optimum oculis ad videndum & speciosum est ad intelligendum; quod etiam Hebraica dictio significare videtur לְהַשְׂכִּיל ad intelligendum, vt aspectus ille, cui lignum placebat, ad intellectum pertinuerit; vbi quædam notanda sunt, primo radicem istius verbi שָׂכַל *Sacal*, quod accuratam considerationem, atque diligens studium in omnibus operationibus, de quibus est sermo, significat, atque adeo à 70 per νοεῖν, συνιέναι, κατανοεῖν, vt hîc legitur, & per alia verba similia vertitur, à שָׁכַל differre, quod dextrum cornu pũctuat, vt cum hoc puncto priuare, & abortire, & orbare sonet: deinde hanc nostram radicẽ cum suo pũcto in sinistro cornu שׂ habere contrarium significatũ verbo סכל *Sacal*, idest stultè, & inconsideratè agere, conuenire tamen cum סכל Hoc itaq; verbum importare videtur præter aspectum oculorum nõ mediocrem animi attentionem, quibus non opponitur vulgata, quin potiùs innuit, quandoquidem iis, quæ tam pulchra sunt facilè vehemens amor inhæret, illucque transfert animum.

Verùm cùm hîc primum hominis peccatum datum describatur, operæpretium est, vt speculemur, qua ratione tam Euæ, quàm Adami potuit animum ingredi, cùm neque fomes adesset, sed appetitus sensitiuus rationi perfectè subditus, & gratia Dei iuuans, regens, & domina; vbi similiter videbimus, quodnam illud primum peccatum fuerit, an lethale, aut veniale, & cuiusnam ordinis.

QVÆSTIO XXXVIII.

DE PRIMO PECCATO HOMINVM EVÆ, ET ADAMI, & originali eorum iustitia.

ARTICVLVS I.

QVODNAM FVERIT ILLVD PECCATVM, SEV cuius speciei, & quà ingredi potuit.

NOndum in hoc articulo quæritur, an lethale necne fuerit, id enim in sequentem refertur: video hîc plures actiones Euæ, quarum primam Scriptura designat per, *Vidit*, 2 per, *tulit*, 3 per, *comedit*, 4 per, *dedit viro suo, qui comedit*.

Sed hæc quatuor ad exteriora pertinent, quæ ideo peccata sunt, quia peccato interiori correspondent; quapropter nolim in eo laborare, an ipsa visio ligni, & pomi acceptatio peccata fuerint; satis enim est, quòd sciamus comestionem prohibitam fuisse, quæ propterea peccatum censeri debet, & ideo voluntatem liberè huic comestioni consentire oportuit; sed totum negotium accuratiùs pertractandum suscipio, quodnam peccatum internum primum ab Eua, & Adamo commissum fuerit, siue commissionis illud, siue omissionis fuerit. Imprimis vix ac ne vix quidem percipio, quà peccatum in animam tam perfectam, mentem adeò excellentem, atque scientem, voluntatem adeò potentem, & amore diuino sauciam ingredi potuerit, quandoquidem priùs in intellectu error esse debet, quàm vt voluntas peccet, iuxta id, *omnis peccans, ignorans: & errant qui operantur malum*; qui verò in primis parentibus error vllus deprehendi, quænam in eorum intellectu obscuritas, aut nebula conspici potuit?

Eccles. 10. Tob. 4. August. Scio quidem omnes ferè concludere primum Euæ peccatum fuisse superbiam iuxta c. 10. Eccles. & Tob. 4 *initium omnis peccati, & perditionis facit superbia*, & præclarè D. Augustin. cap. 13. lib. 14. de ciuit. edisserit. Addunt & peccatum accediæ spiritualis, quatenus audita serpentis propositione diuinum præceptum cœpit esse tædio: 3 mendax fuit, dicens eis Deum interdixisse tactum arboris, cùm esum tantùm interdixisset. 4 fuit infidelis dubia de veritate diuinæ sententiæ. 5 rursum superba euasit, cùm se Dei instar scientem fore putauit. 6 gulæ se dedit expetens fructum sibi vetitum. 7 fuit inobediens, quia legem Dei fructus esum prohibentem violauit; illud enim præceptum fecerat Deus, vt eorum obedientiam exploraret. 8 scandalum fecit, cùm ad idem peccatum mouit, & pellexit Adamum. 9 stultè peccatum excusauit, & culpam à Deo reprehensa in serpentem reiecit; Addunt etiam alij impatientiam, & indignationem, quòd diuino præcepto à pomi tam nobilis esu arceretur, curiositatem &c. Verùm non omnia peccata inquiro, quæ in Euæ, & Adami transgressione notari possunt, sed quâ primum peccatum ingressum sit, quodnam eis motiuum fuerit, & an veniale esse potuerit vitium illud, quod primum ab eis perpetratum est.

Decē peccata in Euę peccato.

Ratio cur in dubium illud reuocem est, quia non ita constat, quomodo discrepet confirmatio in gratia à iustitia originali, cùm tamen peccatum ingredi nequeat animum eius, qui verè in gratia confirmatus est, (hîc de lethali præcipuè intelligo, quo solo Dei gratia deperditur) talis erat Virgo mater, Ieremias, Ioannes Baptista, & Apostoli post missum Spiritumsanctum, vt multi existimant. Secunda ratio; quia peccatum ingredi nequit in aliquem, nisi præcesserit ignorantia in intellectu, vnde natum illud: *omnis peccans ignorans*, iuxta c. 14. Prouerb. *errant, qui operantur malum*; an Eua, vel Adam præceptum diuinum ignorarunt? nunquid sciebant Deum serpente, dæmone, & omni creatura veraciorem esse? nunquid facillimo negotio dęmonis laruam deprehendere potuerunt? nunquid sciebant omnem cautionem adhibendam esse, ne quid præcepto diuino contrarium admitteretur? nunquid & illud faciẽdum esse videbant, & ita volebant, cùm originalis iustitia daret & scire, & velle, & facere? Scire, per illam magnam scientiam, quam Deus illis infuderat, qua Deum ipsum semetipsos, & rerum omnium creatarum proprietates cognoscerent: velle, per illam voluntatem, quę tantæ gratiæ plena erat; facere, per illam potentiam exequentem, & cæteras facultates tam expeditas, vt in actum prorumperent.

Prouer. 14.

Iustitię originalis effectus.

Quæ omnia probè nequeunt intelligi, nisi discutiamus, quid in primis parentibus originalis iustitia efficeret, quis error in intellectu esse dicendus sit, quando voluntas peccato consentit, vbi de confirmatis in gratia quædam subiungenda sunt.

ARTICVLVS II.

ARTICVLVS II.

QVID IN HOMINE IVSTITIA ORIGINALIS produxerit.

PLurima de iustitia originali non pauci dixerũt, quos tamen in eo conuenire video, quòd potuerit Adam non peccare, atque primis motibus quotidianarum affectionum non credere, quòd rectus fuerit, adeout vires animi inferiores, quas communes habemus cum animantibus, superioribus obedirent. Vnde tres effectus originalis iustitiæ communiter enumerant, nempe subiectionẽ animæ ad Deum; partis inferioris ad superiorem, & corporis ad animam: quapropter negant Theologi solam gratiam iustificantem fuisse iustitiam originalem, quandoquidem gratia iustificans minimè hos effectus habet: tametsi enim D. Paulus tantam haberet gratiam, sentiebat aliam legem in mẽbris suis repugnantem legi mentis suæ, ad Rom. 7. & 2. ad Corin. 12 stimulum carnis: ideóque preter illos habitus theologicos fidem, spem, & charitatem, nonnulli alios in appetitu irascibili, & concupiscibili admittunt, quibus passiones animi componantur; & alios in corpore, quibus à morte, & corporis nocumentis Adam conseruari posset, nisi peccasset.

3 effectus originalis iustitiæ.

Ad Rom. 7. 2 ad Cor. 12

De illis habitibus, quibus ornati primi parentes motus omnes inordinatos facillimo negotio compescere poterant, loquitur Ecclesiastes cap. 7. *creauit Deus initio hominem rectum*, quem Eccles. 17. *virtute vestiuit*, & Sapien. 2. *fecit Deus hominem inexterminabilem*. Nec desunt, qui imaginem, & similitudinem Dei, de quibus c. 1. dictum est, in eo differre putent, quòd imago ad naturam intelligentiæ, & voluntatis pertineat, similitudo verò ad sapientiam, & iustitiã, quæ per spiritum facta sit, vt S. Iren. 5. aduer. hęref. c. 6 innuit; quam similitudinem D. Cypr. serm. de bono patientiæ, Dei patris patientiam in nobis manentẽ vocat: D. Ambr. c. 3. de dignit. condit. hum. virtutes, per quas eo similior est Deo quispiam, quanto plus in se habet.

Eccles. 7. Eccles. 17. Sap. 2.

Irenæus. Cyprian. Ambros.

Hinc fit, vt S. Basil. hom. 10 hex. dicat hæc verba, *Et creauit Deus hominem ad imaginem suam*, addita fuisse, suppressâ similitudine, quòd imago à solo Deo facta sit: similitudo autem quæ in vitæ sanctitate consistit, etiam à nobis Deo iuuante perficiatur; & Hieron. ad c. 28. Ezech. similitudinem ait in baptismate compleri.

Basil. Hieron.

Idem habes apud D. Chrys. hom. 9 in Gen. Aug. cap. 5. contra Adim. vbi ait filios Dei similes fieri Deo vsque ad dilectionem inimici; ideóque similitudinem paucorum esse ait Eucherius lib. 1. in Gen. quæ similitudo periit, *veruntamen in imagine pertransit homo*. Imago siquidem in gehenna vri poterit, non exuri, ardere, sed non deleri. Similitudo non sic, sed aut manet in bono, aut si peccauerit anima, mutatur miserabiliter iumẽtis insipientibus similata, inquit D. Bern. serm. 1. de annunt. Hinc fit, vt cum Patribus, & Scriptura concludam iustitiam originalem in virtutibus, & sanctitate fuisse positam, siue gratia gratum faciens illius pars, siue radix; seu fons dicenda sit, à quo reliquæ virtutes proficiscerentur.

Chrysost. August. Eucher. Bernard.

Licet verò difficultates plurimæ hîc excitari possent, vt num aliqui habitus in inferiori appetitu nempe phãtasia, & cæteris facultatibus, quas cum animalibus communes habemus, producti sint, quibus Adam omnes motus effrænes reprimeret; an verò gratia, & aliæ virtutes in animo sitæ id efficere potuerint sine nouis habitib⁹ in inferiori parte constitutis; an qui sunt confirmati in gratia, omnia penitus habeant, quæ primus homo in originali sanctitate consideratus, an plura, vel pauciora, & quænam habuit; has tamen, & similes omitto, quòd à Theologis scholasticis ea discutienda sint, & vt ad propositum reuertamur.

Itáque iustitia originalis, quæcũnque tandem illa fuerit, siue à gratia distincta, siue non, ita regebat illam propensionem, qua ferimur circa bonum corporeum, & sensibile per sensum, & appetitum, vt nihil cuperet, de nulla re excandesceret, nihil imaginaretur, quod bono spirituali, & intelligibili, ad quod homo fertur per intellectum, & voluntatem, repugnaret; ideóque nulla pugna inter illos appetitus animalem, & spiritualem, nulla controuersia, nullum dissidium erat, quia pars superior vi sibi à Deo inditâ, & infusâ velut aureo fræno partem inferiorem sibi perfectè subiiciebat, séque ipsam Deo submittebat, adeout caro non posset spiritui rebellis fieri, eiusue imperium detrectare, si vellet, nisi priùs ipse Deo rebellis fieret; sicq; motus inordinatos non sentiebat Adamus, antequam peccaret, ob rectitudinem, quam ratio sensui communicabat; tametsi enim caro, vel res corporea nullius virtutis propriè sumptæ capax esse possit, ad ea facilè dirigi potest, quæ rationi congruunt. Est autem alia pars iustitiæ, seu doni illius originalis, quo primi parentes nobis antestabant, quæ spectat intellectum, nempe scientia, quam in eo tantam fuisse Theologi concludunt, vt nihil eorum, quæ naturæ sinus includit, non piscium naturam, non animalium, & volucrum mores, & temperiẽ ignorauerit, *disciplina enim intellectus repleuit eos*. Eccl. 17. nullum in scientia non vicerit, vno Christo excepto, cum quo nemo conferendus est; cùm enim omnium mortalium parens, doctor, & gubernator constitutus esset Adam, illis omnibus doctior esse debuit. Præter scientiam rerum naturalium, scientiã rerum supernaturalium pollebat, nec enim finem ignorare debuit, nempe beatitudinem, neque media, quibus posset ad eam pertingere, quę tamen non clarè, & intuitiuè per cognitionem, seu visionem beatificam, nec per scientiam infusam clarè, licet abstractiuè, sed per fidem, seu reuelationem obscurè cognouit.

Iustitię originalis [illegible].

Eccles. 17.

Ex quibus infertur Adamum in iis errare non potuisse, quæ ad res physicas, mathematicas, & metaphysicas, vt pote sub naturalis cognitionis ambitu contentas attinent; vnde ait D. August. 3. de libero arb. c. 12. *approbare vera pro falsis non esse naturam instituti hominis, sed pœnam damnati*. Secundò neque in iis, quæ dubia erant, aut nesciebat,

August.

quia sicut in corpore nullus defect⁹ aderat, ita nec in anima: quapropter, vel illa res, de qua cogitasset, ei penitus nota fuisset, vel incerta, & dubia, vel ignota: si nota, non errasset; si dubia, suspendisset assensum, si ignota, non tulisset de ea iudicium; si probabilis, probabilem solùm iudicasset, quandoquidem nullâ animi perturbatione ferebatur præceps ad aliquid iudicãdum; adde quòd alicuius rei iudicium pendet ab imperio voluntatis, quæ nihil contra rectam rationem in originalis iustitiæ statu poterat imperare, quale fuisset certum iudicium de re dubia, & incerta, vel de re ignota.

Quid si dixerimus Euam non fuisse deceptam? nunquid ipsa contradicet Gen. 3. *Serpẽs decepit me, & comedi*; quod Apostolus confirmat 1. ad Timot. 2 *mulier seducta in præuaricatione fuit*. Sanè non ita mihi cõstat, an similis sciẽtia fuerit in Eua, ac in Adamo, præcipuè cùm illa non ita mortalium caput, & gubernatrix effecta fuerit. At quicquid sit, non desunt, qui censeant eam non potuisse decipi, quamdiu iustitiam originalem retinuit, sed tantùm post superbiæ peccatum, quod interna elatione contraxit, dum auditis serpentis promissis illam Dei similitudinem in boni, malique cognitione, & in diuinitatis assecutione positam ambiuit, ita D. Aug. 11. de Gen. ad lit. cap. 30. & D. Thom. q. 94. art. 4. ad 1.

Gen 3.
1 ad Tim. 2.
August.

Verùm qua ratione superbierit, vel etiam aliter peccare potuerit, nisi priùs error in intellectu præcesserit, vt omnis peccans, ignorans possit appellari, non ita clarum est, etenim statim atque verba serpentis audiuit, vel ei credidit, priusquam proposita desideraret: vel priùs concupiuit, quàm crederet, si priùs credidit, error fuit, atque decepta est, antequam superbiâ efferretur; at error in intellectu non est peccatum, quod propriè, & formaliter atque elicitiuè à sola voluntate committi posse videtur, ideóque deceptio præcessisset amissionem originalis iustitiæ: si priùs optauit, quàm crederet, quomodo verum erit aliquod fieri debere iudiciũ, antequam aliquis desiderare possit? quomodo nihil priùs volitum, quin cognitum? An quia sufficit voluntati, vt operetur, si ei proponatur aliquod bonum verum, vel apparens, possibile, vel impossibile, vt in illud desiderio, vel odio feratur? & quidem in impossibile nemo ferri dicitur, prout sub illa ratione concipitur; An igitur Eua sibi possibilia esse cogitauit, seu iudicauit, quæ serpens pollicebatur? At sibi possibilia iudicauerit, quid tum; nunquid insuper licita iudicanda fuerunt, antequam ad ea ferretur? Verùm neque licita potuit existimare eo modo, quo serpens proponebat, nisi priùs cogitauerit præceptum diuinum de ligno nõ edendo minimè obligare, quod tamen obligasse satis ex adiuncta pœna constat.

Quomodo [illegible] tũ [illegible] co ni- [illegible] seu quo- [illegible] du co- [illegible] tio ante [illegible] onem [illegible] cessaria [illegible]

Quomodo igitur potuit illa transgredi diuinum mandatum, nisi priùs deciperetur? quomodo potuit decipi, nisi peccato præuio, & originali iustitiâ deperditâ? nunquid enim originalis iustitia omnẽ deceptionem, imo & erroris cuiuslibet periculum exclusit? nunquid absque deceptione peccatum aliquod perpetrari potuit? quomodo mulier decipi potuit sine ignorantia? quomodo in statu originalis iustitiæ ignorantia esse potuit, cùm sit pœna, quæ sine culpa præuia infligi minimè solet? Dubio procul in illo perfectionis statu minimè decepta est, sed postquam eius mens à Deo recessit, quod vt intelligatur.

Supponendum est omnem rectitudinem, quæ fuit in primis parentibus, à coniunctione mentis humanæ cum diuina profectam fuisse, quæ tanti momenti erat, vt primi parentes nunquam decipiendi forent, quousque se mens à Deo liberè auertisset, tametsi ex se alioquin decipi potuissent; vt enim mortui non fuissent, nec vllum malum eis contigisset, quia Deus longè remouisset omnia nocumenta, ita non permisisset eos vlla ratione decipi.

Itaque hanc peccati ianuam arbitror: statim atq; verba serpentis audiuit. *Eritis sicut Dij* &c. elatio quædam, & maioris, vel melioris status amor inordinatus in eius voluntate surrexit, quo mens à Deo recessit, quóue mirabilis ordo periit, qui erat inter mentem, & Deum, adeout extra statum innocentiæ posita facili postea negotio decipi potuerit.

Nec obstat, quod Prou. 14 habetur, *errant, qui operantur malum*, nam minimè necessarius est error in intellectu, antequam voluntas actum peccati eliciat, sed inaduertentia, & incogitantia, vt ita loquar, sufficit, vt patet in nobis, qui dum peccamus, non ignoramus, an quod facimus, sit peccatum, an sit contra præceptum diuinum, & similia, sed illud in ipso actu peccandi vel nullo modo, vel leuiùs consideramus; vnde statim atque rei alicui propositæ magis attendimus, ipsa delectat mentem, quę statim ab alia re leuiùs considerata auertitur: hinc D. August. l. 2. de peccat. merit. & remis. c. 17. quærens quare homines non sint sine peccato, respondisset que, quia nolunt, addit. *Sed si ex me quæritur, quare nolunt, imus in longum*: deinde. *Nolunt homines, siue quia latet, quod iustum est, siue quia non delectat. Tanto enim quidquã vehementiùs volumus, quanto certiùs quàm bonum sit nouimus, eóque delectamur.* Ideóque Philosophus 7. eth. c. 10. incontinentem, qui delectatione rerum sensibilium vincitur, comparat non contemplanti, sed dormienti, & ebrio, propter leuem considerationem, vel ciuitati, quæ decernat quidem omnia, quæ agenda sunt, & leges habeat bonas, sed non vtatur.

Prou. 14.
An & quomodo error præcedat peccatum.
Augustin.
Aristot. Incontinẽs qualis sit.

Hinc ergo causam peccati sumimus, quod Eua, vel etiam Adamus perpetrauit; qui leuius diuinũ præceptum meditati sunt, vehementiùs autem ad serpentis suggestionem attenderunt; at nequit aliquis bonum honestum leuiter propositum eo momento prosequi, quo voluptas, vel bonum iucundum efficaciùs consideratur; quandoquidem ex illa efficaciori propositione sequitur necessitas quoad specificationem in voluntate, iuxta quam volũtas ab intellectu determinatur, qui prima radix est illius prosecutionis, si spectaueris solam actus speciem, at voluntas quoad exercitium prima mouet, quæ cùm sit libera, potest, si velit, obiectum iucundum, & affectum voluptate non prosequi, potest etiam obiectum honestum iucundo præponere, & illud sequi, aliud verò respuere, non quidem stante illa vehementiore, & efficaciori cogitatione, sed quia dum peccato minimè consentit, noua consideratio virtutis oritur in intellectu, qui ad eam sese potest efficaciùs applicare, adeout efficaci⁹ proponatur, quàm actio vitiosa, & ab ea penitus auertatur, siquidem voluntatis imperio subest, vt nouas rationes, ob quas virtus voluptati sit anteponenda, mens inquirat, eásque proponat efficaciùs.

Hęc potiùs inquirẽdo, quàm asserendo dicta sint, idem enim art. sequẽti magis enucleamus.

Verùm fateor in his omnibus ingentes esse difficultates, nam cùm illa leuior consideratio ad solũ intellectum

intellectum pertinere videatur, à quo non incipit peccatum, cùm in eo non sit formaliter libertas, sed in voluntate; quî fieri potest, vt ante voluntatis defectum, seu peccatum, defecerit intellectus? quomodo non omnia considerauit, quæ necessaria erant, vt moueretur Euæ voluntas ad suggestioné contemnendam? si primus defectus intellectus est in prima propositione naturali, quæ non est in nostra potestate, & in qua gratia Dei locum habet, quæ ab illa propositione, vel immissa cogitatione sumat exordium, nunquid Deus pro statu iustitiæ originalis ex pacto debuit illam cogitationem efficacem primis immittere parentibus, vt ad Dei preceptum approbandum, & semper retinendum mouerentur, & tentationem reijcerent? Cùm enim ille defectus intellectus diuinæ gratiæ substractio censeatur, certum est Deum illam minimè substraxisse, donec peccatum perpetraretur. An igitur sine vllo defectu, ne quidem leuioris considerationis peccarunt nostri parentes? nunquid ex duobus obiectis pari efficaciâ, & vehementiâ propositis, voluntas alterutrum pro libito potest eligere, cognitione præuiâ immutatâ? at tunc sine ratione ageret, inquies; verùm non sine ratione agit, qui ad exercendam, vel manifestandam libertatem agit; quid? nonne voluntas præter libertatem arbitrij, aliquam rationem ex parte obiecti propositi debet aduertere, priusquam hoc potius, quàm aliud sequatur. Sanè dubium istud breuius solui non posse arbitror, quam si quæramus, & pro viribus discutiamus, an primi parentes potuerint ex illis duobus obiectis sibi vel æqualiter, vel inæqualiter propositis, alterutrum pro libito sequi, adeout vel præceptum diuinum tametsi leuiùs propositum, vel etiam æqualiter oblatum præponere potuerint obiecto minus, vel magis efficaciter proposito à serpente, quod minimè fecerunt, tametsi ad id modis omnibus obligarentur, vel postponere, vt reuera postposuerunt.

ARTICVLVS III.

AN PRIMI PARENTES EA, QVÆ SERPENS suggerebat, tametsi vehementiùs, & efficaciùs proposita, atque considerata potuerint diuino præcepto, vel inspirationi contrarium, sed leuiùs, vel æquè vehementer proponenti anteponere.

Reuera nihil video, quod euincat errorem in intellectu necessariò debere præcedere, vt quis peccet, siue constitutus fuerit in originali iustitia, siue in sola Dei gratia, prout iusti post originale peccatum Baptismo, vel alio modo iustificati; nec enim cogit locus Prouer. allatus, *errant qui operantur malum*, quia tametsi sola voluntas à Dei mandatis desciscerer, intellectu non mutato, verè hic erraret, cuius esset illa peruersa voluntas; quandoquidem errat ille, qui deuiat, & recedit à regula sibi à Deo mediatè, vel immediatè cõstituta. Ideóque potuit motus inordinatus in Euę animo suum à voluntate principium, suámque primam originem desumere, quod tunc contigisse arbitror, quando serpens proposuit, *Eritis sicut dij; scientes bonum, & malum.* Tunc enim nescio quis amoris proprij stimulus animű illius à Deo auertit, quem statim nonnulla intellectus obtenebratio secuta est. Et quidem in hanc sententiam eo libentiùs deuenio, quod in nobis nescio quid simile percipiamus, cùm scientes offendimus, & à rationis, vel legis diuinæ regula deflectimus; nunquid enim scimus id esse contra rectam rationem, sed nascitur in nobis quædam delectatio, quæ nos ad concupita rapit, & vinculis quibusdam alligat, amore proprio præualente, & imperium in animam exercente, cui tamen solus amor diuinus præesse deberet.

Quomodo peccans est ignorans. Neque tamen negare velim omnem peccantem eatenus ignorantem dici posse, quatenus non omnes rationes considerat, quæ præcepti diuini vtilitatem, excellentiam, bonitatem, honestatem, delectationem, iustitiam commendare possunt, & vitij oppositi, vel delectationis contrariæ inutilitatem, turpitudinem, malitiam, breuitatem, & iniustitiam arguunt, tunc enim quis peccare vellet?

Voluntas igitur meo quidem iudicio duobus obiectis sibi æqualiter propositis alterutrum pro libito sequi potest, tametsi nulla ei maior ratio appareat, cur vnum sequatur, quàm aliud; imo potest illud obiectum eligere, quod minus efficaciter proponitur, alioquin vbi libertas? quæ in eo præsertim sita esse videtur, vt ex duobus obiectis quomodocunque oblatis, quod voluerit pro libertate sibi innata sequi possit. In quo intellectui præualere videtur ipsa voluntas, cùm intellectus nequeat assensum præbere alicui parti, potiùs quàm alteri, nisi in vna re potiores rationes aduertat; illa verò possit obiectum minus bonum, minus alliciens, meliori, & efficacius proposito anteferre. Ex quibus facilè concluditur primos parentes liberrimos fuisse, vt nullo etiam errore intellectuali præuio, vel serpentis suggestione, eiusque promissis, vel inspirationis diuinæ, & legi latæ consentirent, hanc spernerent, illa verò sequerentur, quæ serpens futura mentiebatur. Sunt autem plurima, in quibus præuaricari potuit Eua; Nam cùm dubitare non debuisset ea quæ serpens verbis diuinis opponebat, esse falsissima, ea statim excutienda fuerant, ac vt portentosa mendacia auerruncanda: saltem si dubium aliquod oriebatur, quod statui primo non repugnabat, consulendus erat Adamus, vt sapientior, hinc non abfuit præsumptio ad minimum implicita, ex amore sui inordinato profecta, dum se, quàm esset, doctiorem existimauit, ideóque periculo manifesto aberrandi, perperam concludendi, atque iudicandi sese exposuit, & reuera perijt: Quod si doctissimum, & sanctum maritum consulere noluit, qui facilè dæmonis imposturam detegere potuisset, saltem summ- In quibus Eua peccare potuerit.

Iii

iudicium suspendere potuit, & debuit, atque diligenter intueri, num fortè ratio, vel inspiratio diuina contrarium suggereret: vidisset enim, & sensim in se percepisset auxilium Dei, eiúsque illustrationem, quæ viatoribus deest nunquam, vt in iustitia sibi indulta sese tueri, atque conseruare possint, nã qui dat esse, dat & consequentia adesse, ea videlicet, sine quibus dona conseruari nequeunt; hinc enim fit, vt pater ad natorum alimentum, & vestitum procurandum: rex ad necessaria populo prouidenda teneatur, idque ex lege naturæ, quam vniuscuiusque menti Deus obsignauit.

Verùm accuratiùs illa difficultas intelligetur, cùm inuestigauerimus, an necessarium sit iudiciũ aliquod præuium, antequam sese voluntas determinet ad volendum hoc, aut illud.

QVÆSTIO XXXIX.

AN VOLVNTAS EVÆ NON POTVERIT A LEGE diuina recedere, nisi priùs iudicasset intellectus ab ea potius, quàm à bono à serpente proposito recedendum, & hoc illi præponendum esse.

ARTICVLVS I.

QVÆNAM HIC CERTA SINT, & quæ non.

MVlta colligi poterunt ex quæstione præsenti, vt quid sit peccatum malitiæ, & quomodo ab aliis differat: quod iudicium sit necessarium, vt voluntas aliquid alteri præferat, & eligat: quænam voluntatis ab intellectu dependentia concedi possit, aut debeat, & in quo propriè tam radicaliter, quàm formaliter consistat illa vis animi, quam liberum arbitrium vulgò nuncupamus. Nonnulla verò certa sunt atque supponenda, vt voluntatem ab intellectu pendere, dum agit, quia nihil velle potest, quin priùs illud saltem confusè, & imperfectè cognoscamus, quod non tantùm in fieri, sed etiam in facto esse verum arbitror; adeout voluntas dum aliqua re delectari cœpit, in ea delectatione perseuerare nequeat, nisi de eadem re cogitet intellectus, sicut lapis in altum progredi nequit, si desinat impetus impressus; ratio est, quia quod delectat sub ratione boni percipi debet, quãdiu delectat, quæ perceptio est operatio intellectus. Certum est etiam nos ferè semper aliquod de re proposita iudicium habere, antequam illam vel respuamus, vel amplectamur. Sed incertum, an sit illud adeò necessarium, vt nunquam voluntas sine iudicio præuio suos actus elicere possit; incertum etiam, quale iudicium sufficiat, an speculatiuum, an practicum, an perfectũ, vel imperfectũ.

Hinc iam habemus primos parentes intelligere debuisse id ad quod per peccatum animos suos traduxerunt: an verò iudicare debuerint, vel serpentis promissa diuino præcepto anteponenda, vel eius suggestionem omnibus spectatis amplectendam fuisse, an verò aliquod aliud iudicium faciendum fuerit, antequam dæmoni consentirent, illud est, quod inquirimus. Sanè mihi dicendum esse videtur nullum iudicium practicum necessariũ fuisse, vt Eua propositis à serpente liberè assentiretur, quamuis enim intellectus speculatiuè iudicet ex duobus vnum turpe, & honestum aliud, illud fugiendum, hoc sequendum, attamen voluntas turpe poterit amplecti, non tamen sub ratione turpitudinis, sed cuiusdam efficatæ delectationis, vtilitatis, vel honestatis; quod in iis constat, qui aliquid contra propriam conscientiam faciunt, iuxta id; *video meliora, probóque, deteriora sequor.* Ex quibus concluditur voluntatem tam quoad exercitium, quàm speciem actus esse liberam, & indeterminatam, vt hoc, aut illud velit, aut nolit, iudicium intellectus practicum sequatur, vel respuat, aut omnem actum suspendat.

Fateor tamen aliquod interuenire posse, vel potiùs subsequi iudicium, cui voluntas semper conformis est, illud nempe, quo voluntas præcipit intellectui, vt illud, quod ipsa facit, suo calculo cõprobat, vt si defuerit omnimoda ratio, saltem sit pro ratione voluntas, & iudicet intellectus id pulchrè, vel bene factum, quandoquidem ita placuit.

Igitur primi parentes à lege Dei recedere potuerunt, nullo præuio intellectus errore, nullóque dictante iudicio serpenti, quàm Deo potiùs obsequẽdum; quod verisimillimũ est ab eis factum esse, adeout propositâ fœlicitate, & scientia boni, & mali, ex propriæ pusillitatis, & humanæ conditionis terminis exilierint, & ad maiora, quàm par erat, vel mediis iniquis contenderint. Ne igitur vlterius peccati ianuam inquiramus, hæc enim est sola voluntas, quæ quandiu conclusa fuit, non potuit ingredi peccatum, quicquid dæmon suadere conaretur, tametsi omnem artem impendisset.

Dicebant illi apud Esdram mulieres, reges, vinũ, & veritatẽ esse fortia, imo hanc cęteris anteponendam, sed voluntas fortissima est, quam si tollas, nullus erit infernus; pro qua sese quodammodo Deus commutat, & totum præbet, per quam aliena, tam cœli, quàm terræ, tam corporis, quàm animi bona nostra facimus. Voluntas enim est regina, cui solus Deus imperat, eámque pro libito mouet, quocũque vult. Cui siue generaliter necessitatẽ specificationis imponit, sub ratione boni in cõmuni apprehensus, vel etiam quoad exercitium, si clara, & intuitiua visione aspicitur, cùm neque hac, nec illa ratione malum vllum, aut mali suspitionem includat, & clarè visus totã voluntatis capacitatem

tatem in se rapiat, & torrente voluptatis beatos omnes inebriet. At præter Deum, vel bonum in communi à nulla re necessitatem patitur, quod eius magnitudinem, & excellentiam ostendit, quæ nulli creaturæ subiicitur, qua maius, vel melius nihil Deo possumus subiicere, vel offerre; cuius oblatio iure præponitur victimis, & holocaustis, in qua sola domanda, & exercenda totus perfectionis cardo situs est, hæc enim Deo perfectè subiecta sibi facultates suggerit, phantasiæ motus varios, & omnes animi passiones ad diuinæ voluntatis regulam dirigit. Ab ea igitur, & per eam, & in ea peccatum cœpit, cætera enim sunt velut extrinseca; nam tametsi iudicium intellectus practicè practicum, quod huiuscemodi verbis exprimitur; *hoc mihi nunc faciendum est*, antecesserit, quod operationi voluntatis proximum esse videtur; ea tamen est liberrima, vt iudicium contrarium sequatur, & minus bonum maiori præferat, potest enim aliquod malum in meliori bono concipere, & aduertere; potest exercêdæ libertatis gratiâ consensum omnem suspendere. Superest vt inter diuersos voluntatis motus, & actus illum deligamus, per quem peccatum perpetratum est.

ARTICVLVS II.

QVISNAM VOLVNTATIS ACTVS IN PRIMIS parentibus primò recessit à Deo, vel recta ratione.

Voluntas aliquã cũ Deo peculiarẽ similitudinem habere mihi videtur in eo, quod actus aliquos internos habet, alios externos, sunt enim actiones diuinæ ad intra, & ad extra, vt aiunt. Vt autem de voluntatis actibus dicamus, interni dicuntur eliciti, externi verò imperati; illi consistunt in prosecutione boni, alij in fuga mali, nam voluntas id habet cum appetitu sensitiuo commune, vt tot in ea sint affectiones, & actiones, quot in illo passiones, atque perturbationes. Enimuero amor voluntatis, est eius motus, siue actus, quo circa bonum versatur, à cuius absentia vel præsentia abstrahit; desiderio respicit absens, præsens verò gaudio.

Ita etiam actus contrarij sese habent, nam timor versatur circa malum absens, tristitia circa præsens, odium ab vtroque abstrahit, quos omnes actus in omni virtute tam theologica, quàm morali exercere possumus, quandoquidem actus virtutum vel in prosecutione boni honesti, vel fuga mali cuiusdam turpis honesto bono contrarij consistunt.

Actus eliciti voluntatis. Ex actibus autem elicitis nonnulli circa finem, alij circa media versantur; circa finem amor, desiderium & gaudium, quæ nihil reuera sunt aliud, quàm voluntas, intentio, & fruitio: circa media versantur electio, consensus, & vsus: per electionem voluntas vnum medium præ alijs ad finem obtinendum eligit; per consensum consentit in media ab intellectu proposita; qui duo motus idẽ esse videntur, tametsi ob varios respectus nomina diuersa sortiantur, consensus, quà cum intellectu media quædam vtilia iudicante consentit; electionis verò quatenus vnum medium alijs præfert. Denique prout voluntas applicat alias potentias ad mediorum executionem, dicitur vsus.

Quisnam actus volũtatis Euæ peccatum fuerit. Quibus suppositis, certum est primum Euæ peccatum fuisse actum elicitum voluntatis: fuisse liberum, non naturalem, vel necessarium; an verò fuerit vnus ex iis, qui circa bonum versantur, vel qui circa malũ, non vsque adeò certum est. Veruntamen cùm appetitus boni præcedat mali odium, quandoquidem aliquid abominamur, quia bonum contrarium diligimus, mihi probabilissimum esse videtur nostrorum parentum actus vitiosos à motu volũtatis profectos, quo circa bonum fertur, vt iam de ipsa specie actus, vel de solo indiuiduo, superfit inquirendum: Iam verò primus actus voluntatis ex iis, quibus illa bonum respicit, vel prosequitur, est amor, à quo cæteri motus pendẽt; quĩ duplex est vel concupiscentiæ, circa bonum, quod appetimus, quatenus nobis vtile, vel conueniens est, quicquid illud fuerit, siue bonum corporeum, vt sanitas, siue incorporeum, vt virtutes, siue creatum, quale est bonum quodlibet extra Deum, siue increatum, qualis est Deus solus: quem amore cõcupiscentiæ diligimus, cùm eum vel nobis, vel alteri desideramus ob commodum nostrum: vel amicitiæ, seu beneuolentiæ, quo personæ alicui bene volumus, vt cum Deo bonum aliquod, vel amico volumus.

Qui rursus vterque vel est simplicis complacẽtiæ, quo bonum absolutè volumus, siue præsens fuerit, siue non: vel efficacis complacentiæ, quo vel absens, vel præsens bonum efficaciter diligimus, qua ratione amor in desiderio, atque gaudio includitur.

Ex quibus elicio peccatum Euę, & Adami ab illo primo motu voluntatis incœpisse: siue per eum amauerint illam similitudinem cum Deo, quã serpens eis obiecerat: siue statum aliquem eo maiorẽ, in quo creati fuerant, desiderarint, siue de rebus dubiis, & incertis iudicare voluerint, cùm omne iudicium suspendere debuissent: siue conditionem angelicam contemplantes eam sibi concupierint, sua videlicet potiorem, atque perfectiorem: siue regimen proprium, quo seipsos gubernarent diuino regimini prætulerint. Siue delectationem, quã in fructu ligni vitæ inesse arbitrabantur, Dei antepo suerint prohibitioni: siue nimium seipsos amauerint, séque in corde suo vel æquales Deo, vel etiam maiores esse desiderauerint, siue quemuis aliũ amoris actum elicuerint. Septem actus amoris, quibus primi parẽtes à Deo recedere potuerunt. Hactenus de ingressu peccati in animam primorum parentum, dè quo nonnulla inferiùs subiungemus.

VERSICVLVS VII.

Et aperti sunt oculi amborum: cúmque cognouissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata.

וַתִּפָּקַחְנָה עֵינֵי שְׁנֵיהֶם וַיֵּדְעוּ כִּי עֵירֻמִּם הֵם וַיִּתְפְּרוּ עֲלֵה תְאֵנָה וַיַּעֲשׂוּ לָהֶם חֲגֹרֹת׃

Καὶ διηνοίχθησαν οἱ ὀφθαλμοὶ τῶν δύο, καὶ ἔγνωσαν ὅτι γυμνοὶ ἦσαν. καὶ ἔρραψαν φύλλα συκῆς, καὶ ἐποίησαν αὐτοῖς περιζώματα.

IAm confutauimus opinionem Hebræorum, qui parentes in cœcitate creatos esse dicebant, eosq; medicâ fructus vetiti comestione illuminatos fuisse mentiebantur; meliùs inter illos R. Salomō verbum תִּפָּקַחְנָה *tipakacnah* retulit ad animum, & mentem, quam ad corpoream oculorum aciem; vnde פִּקְחִים eos significat, qui causas discernunt, atque vident, quid sit verum, iustum & æquum, aut quid è contra, vt patet Exodi. 23. v. 8. vbi munera dicuntur excœcare prudentes, seu videntes, & peruertere verba iustorum. Verus ergo sensus est post admissum peccatum percepisse se à sathana delusos, omniáque secus accidisse, quàm veterator ille promisisset. Viderunt membrorum rebellionem, quæ ante solùm ad nutum voluntatis mouebantur; viderunt, inquiunt Hebræi, quàm multæ generationes propter eos periissent. Exod. 23.

Alij hanc oculorum apertionē eò referunt, quòd interim dum peccatum perpetrarent, adlubescente eo non intelligebant, quid agerent; adeò peccati voluptas, & suauitas mentes perstringit, & oculos fascinat; at peccato commisso, intellexerunt, quid sit actum, quis & quàm sit offensus Deus, & quātam maculam contraxerint. Antea veste innocentiæ vestiebantur, quæ motus inordinatos concupiscentiæ coërcebat, at illâ detractâ quomodo suā nuditatem non cernerent? quomodo non eos puderet? Hæc autem corporis rebellio, & impuritas à rebellione mentis, quæ discessit à summa puritate, & obedientia diuini præcepti manauit. Censent aliqui Euam nondum erubuisse, nec suam percepisse nuditatem, donec Adamus comedisset, quia nondum illa iustitiam originalem, quæ erat gratis data, & non per se sola à gratia præcisa gratum faciens, amiserat; verùm id admodum incertum est: imo fortè probabilius est, donū originalis iustitiæ quodcúnque fuerit, ita cum gratia gratum faciente fuisse coniunctum, vt vnum sine alio amitti non potuerit. Sed ob breuissimam moram, quæ inter esum Euæ, & Adami intercessit, & ob voluptatem, quam in isto esu conceperat Eua fortè non ita citò nuditatem suam deprehendit, aut propter eam rubore suffusa est.

Cùm autem illos rebelles motus percepissent, consuerunt folia ficus subligaculorum instar, vt iā partes sibi pudendas obtegerent; in quibus consuendis acu minimè opus fuit, nam hic consuere largè sumitur pro concinnare, seu adaptare; sensus enim integer est, dummodo lumbaria, ventralia, cinctoria, seu quædam femoralia ad partes pudendas obtegenda sibi compegisse intelligas. Nonnulli coniiciunt arborem scientiæ boni & mali ficum fuisse, quod tamen R. Aben Ezra improbat, & R. Thanchuma vult arborē, in qua parētes nostri peccauerunt, ideo non disertè nominari: ne cùm eam homines aspicerent, contemnerent bonam Dei creaturam, dicentes hæc est arbor, quæ homini peccandi occasionem dedit. Has autem potiùs, quàm alias partes obtegisse ait Aben Ezra, quòd in illis motum inordinatum senserint, & in se inuicē libidine cœperint exardescere, statim atque de fructu vetito comederunt: vnde nonnulli addunt arborem appellatam scientiæ boni, & mali, quia eis illum appetitum generandi indidit, adeout pueri necdum perfectè bonum & malum scire dicantur, donec in Venerem exardescant. Sed in eo sensu, quem antea probauimus, standum est, & hæc rabinica omnino contemnenda sunt. R. Aben Ezra. R. Thanchuma.

Quare nec existimes eos latebras in condenso nemore quæsiisse, quasi libidinem suam explere vellent; potiùs enim eis de ratione iusto iudici reddēda cogitandum erat, qui statim aduenturus flagitium serpentis, & illorum reprehensurus, & debitas pœnas eis impositurus erat. Alij volunt has partes præ cæteris abscondisse, quòd per has peccatum originale transfundendum viderent in posteros cū omnibus miseriis illud consequentibus, adeout existimare potuerint naturæ corruptionem, & originalis peccati turpitudinem in his præsertim mēbris insidere. Notat Oleaster verbum תפר *taphar*, idem esse quod coniungere, sic enim Iob. 16. *saccū consui*, vel coniunxi *super cutem meam. Sachtaparthi*, non enim super cutem consuitur, sed ponitur; vepribus autem, seu spinis illa folia coniunxerunt, vt se ab vmbilico vsque ad media femora tam retro, quàm ante operirent, vt coniicit Caietanus. Significat autem חגורות *chagoroth* cingulos, aut indumēta; vnde sæpius *chagar* cingere, inducere, & accingere significat; potuerunt ergo primi parentes statim atque membrorum turpitudinem viderūt, quæ ante peccatum nulla erat, & quæ sine pudore cernebant, quædam folia, vel ramusculos ficus ibidem occurrentis simul alligare, & cinctoria parare. Oleaster. Iob. 16.

Notandum est autem, quod iam suprà tetigimus, videlicet nihil ferè ab hoc serpēte dictū esse, quod nō habeat veritatem sophisticam, adeout se vel cū risu

risu defendere potuerit, si quid in illum miseri prævaricatores expostulassent; vt ante me Catharinus aduertit. Primum enim, quod dixit, *nequaquam moriemini*, potuisset excusare, ego de morte sola corporis, eâque subitanea, non de morte animæ, vel etiam futura corporis intelligebam: Deinde, nunquid oculi vestri aperti sunt, cùm nunc agnoscatis, quales essetis, postquam à tantis donis excidistis, quibus dum frueremini, non ea, vt par erat perpendebatis, vt ea custodiretis diligentiùs, præterea non antea cognoscebatis, qualis essem. Denique quando vos, vt Deos futuros asserui, quare nõ obseruastis me nomine *Elohim* vsum esse, quòd de dæmonibus intelligebam, quibus verè prædixi vos similes esse futuros, sic enim illi bonum, & malum experientiâ didicerunt, atque nouerunt quid essent ante peccatum, & quid postea. Quod sanè nobis sæpius accidit, qui bona, atque dona accepta minimè pôderamus, sed velut pro nihilo habemus, déq; illis vix cogitamus, donec ea amiserimus, quia dum in actu peccati versamur, concupiscentiâ perturbati cęcutimus, & illicitâ voluptate inescamur. Sed postquam deliquimus, apertis oculis damnum perspicimus, quod incurrimus peccando, & ingenti pudore suffundimur. Hîc agitanda esset illa quęstio aduersus Cynicos, Pelagianos, & Adamitas, an ad eum gradum virtutis, & simplicitatis, vel potiùs impudentię peruenire possint homines, vt nudi inter alios familiariter conuersari possent sine pudore, sed ex dictis ad versiculum vltimum capitis secundi potes illud conijcere: quia verò primũ hunc effectum originalis peccati versiculus 7 nobis aperuit, breuiter de eo agendum est.

Catharin.

QVÆSTIO XL.

DE PECCATO ORIGINALI.

ARTICVLVS I.

DE MACVLA PECCATI ORIGINALIS.

APpositus est locus iste, in quo de primo peccato, quod vulgò dicitur originale, disseramus, de quo toties sermo repetitur in Scriptura; potest autem duobus modis considerari: primò, quatenus in primis parentibus tam actuale, quàm habituale fuit: secundò, prout ad posteros transfunditur, vbi quædam tum de eius essentia, tum de effectibus aperienda sunt, vt totum veluti corpus peccati in sua membra diuidatur, quæ quia Theologi fusè peragunt, nos omnia breuissimè perstringemus.

Peccatum quid sit? Imprimis verò supponendum est omne peccatum esse priuationem alicuius perfectionis moralis, ad quam is tenetur, qui peccatum contrahit. In peccato autem plura spectari possunt, præsertim actus, malitia, culpa, reatus pœnæ &c. Actus peccati est, qui fit contra legem æternam, vel naturalem, vel humanam: quod D. August. 2. de consen. Euangel. c. 4. & 22. contra Faust. cap. 27. explicauit dicens, peccatum esse transgressionem diuinæ legis, vel factum, dictum, aut concupitum contra legem æternam; & l. 1. ad Simplic. q. 2. ait peccatum esse peruersitatem hominis: Actum illum peccati maculam in anima relinquere Theologi ex multis scripturæ locis concludunt, vt ex c. 22. Iosue. *Vsq; in præsentem diem macula huius sceleris in vobis permanet.* & Math. 15. *quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem*: quam maculam alij in priuatione gratiæ, alij in respectu ad actum peccati præteritum minime retractatum collocant.

August.

Iosue 22.

Math. 15.

Quicquid sit, certum est maculam consistere in quadam animi turpitudine, atque deformitate: quid enim obsecro turpius, quidue deformius esse potest in homine, quàm vt illum ordinem non seruet, atque retineat, in quo Deus Opt. Max. illum creauerat, quàm deformis esset illa facies, in qua nasus loco poneretur oculi, aut os in fronte; quàm turpe monstrum diceres, si videres hominem pedem pro manu, vel manum loco pedis, aut simile quid habentem, etenimuero nulla pulchritudo, nullusue decor sine ordine esse potest.

Hinc sequitur maculam peccati ex illa confusione oriri, qua quis ordinem à Deo sibi constitutum transgreditur, & perfidi militis instar à statione sua deficit, atque propter aliquod bonum creatum à Deo auertitur. Peccati maculam reatus pœnæ sequitur, hoc enim ipso, quod aliquis peccatũ contraxit, in debitum luendæ pœnæ incurrit, siue hæc infligatur, siue non; eóque maius est debitum, quo per peccatum plures ordines peruertuntur; Scio quidem reatum sine culpa esse posse, vt patet in iis, quibus etiamnum aliqua pœna temporalis exoluenda superest, tametsi gratiam Dei per pœnitentiam recuperarint: verùm hæc omnia nunc omittenda censeo, vt ad quæstionem descendamus, ob quam illa omnia præmissa fuêre. Igitur originalis peccati essentiam indagemus, quod actum, malitiam, deformitatem seu maculam includere debet; cætera verò potiùs ad effecta referuntur: sed vbinam est originalis peccati macula? non de actuali peccato loquor, quòd licet originale vocari possit, quatenus cæteris dedit originẽ, attamen non eo sensu, quo hîc loquimur. Alioquin facillimo negotio id solueremus, siquidem Adæ peccatum fuit recessus à lege diuina, & æterna prouidentia, qua in statu adeò fælici locatus fuerat, cui statim atque subesse noluit, donis originalis iustitiæ meritò spoliatus est.

At quomodo macula, & deformitas sine vllo actu præcedente constituatur in paruulis, non ita facilè reperiri potest, quãdoquidem ipse Augustinus doctorum phœnix liberè fatetur se nescire ianuam, qua in omnium animos ingrediatur. Nolim hîc aduers' Pelagianos, & Anabapt. probare huiusce peccati existẽtiam, id enim clarum est in veteri testam. Ps. 50. *Ecce enim in iniquitatibus cõceptus sũ*, & nouo Psal. 50.

ad Ephes. 2. *Eramus & nos naturâ filij iræ*, nec aduersus Illyricumnon esse substātiam animę: aut diaboli imaginem, neq; aduersus Caluinistas non esse concupiscētiā; id enim fusè reperies apud Bellar. & alios. Sed inquiro præsertim quî fieri potest, vt quilibet infans maculam vnam distinctam à macula alterius contrahat, cùm vnus actus peccati vnicā habeat maculam, nullus nullam: quapropter licet ad actum peruersum Adami recurras, vnicam habes maculam in eo sitam, quæ nequit in alium transfundi; adde quod illa macula post gratiam Adamo restitutam deleta fuerit. Vnde igitur macula puerorum nasci potest?

Quænam est causa maculæ istius? an Deus, an anima, an corpus pueruli? an potius nullam causā originale peccatum agnoscit? Verùm cùm omnis priuatio, qualis est hoc peccatum in aliquo positiuo fundamentum habeat, & omnis priuationis aliquam causam vel physicam, vel moralem præcedere necesse sit, causa nunc inuestiganda est. Scio Theologos cōmuni calculo duas huiusce peccati causas constituere, nempe Adami peccatum, & naturalem ex eo propagationem, itaut Adami peccatum, licet non amplius existat, producat tamen originale peccatum generatione carnali mediante, qua nos omnes ab Adamo procedimus. At neque hoc perfectè satisfacere videtur, enimuero cùm neque in carne, neque in anima, neque in ipsa generatione peccatum, aut macula peccati interueniat, aut, si adsit non sit causa peccati originalis; nec enim vir, & vxor, qui non procederent ex Adamo, sed de nouo crearentur, in infantem quem generarent, etiamsi libido & alia peccata in ipsa generatione interuenirent, peccatum originale traducerent.

Deinde vix intelligo, quomodo vnicum peccatum actuale primi parentis plures maculas in posterorum animas transfundat: nec mihi Christi iustitiā obiicias, quæ est causa cuiuslibet particularis iustitiæ, quæ producitur in nobis, dum baptismatis aquâ tingimur, etenim Deus per se iustitiam illam producit; at maculam peccati producere nequit: Vnde ergo illa manare potest, aut per quā rimā ingreditur? nūquid Aug. solutio l. 2. de nuptiis, & concipisc. c. 28. sufficit, dum Iuliano respōdet. *Quid quæris latentem rimam, cùm habeas apertam ianuam? Per vnum hominem, inquit apostolus, peccatum intrauit in mundum.* August.

Si peccatum originale in sola imputatione, prout iustitiam Christianorum in illa constituunt hæretici, collocaremus, facilis esset solutio; tunc enim originale peccatum contraheremus, quatenus Adami peccatum, vt patris, & capitis omnium hominum nobis Deus imputaret. At præter hanc imputationem verè in nobis ante baptismum reperitur macula, & deformitas, quæ nos turpes efficit.

Sanè maculam illam nihil aliud esse puto, quàm iustitiæ, gratiæque originalis priuationem, quatenus eam tam pro se, quam pro posteris Adam seruare tenebatur, & quatenus in protoplasto nos omnes contenti eandem etiam sollicitè conseruare debebamus, si quando cum ea nasceremur: quam priuationē, cùm omnes ob Adæ solius peccatum contrahamus, rectè dicitur primus homo peccatum originale in omnes transfundere. Igitur originale peccatum erit gratiæ creationis initio concessæ, qua animus perfectè Deo creatori suo subditus fuisset, & appetitus sensitiuus rationi, priuatio: quæ cùm sit in vnoquoque, rectè dicitur in singulis peccatum originale adesse distinctum ab alio, sicut priuatio lucis, quæ est in vna parte aëris distincta est à priuatione lucis, quæ est vel in alia parte eiusdem aëris, vel in lapide. Vbi diligenter obserua hanc priuationem, vt peccatum sit, respectum, atque habitudinem ad eam obligationem includere debere, quam Adamus habebat, & nos in eo, vt illam gratiam, seu iustitiam originalem perpetuò illibatam conseruaremus, alioqui non esset peccatum, vt in homine contingeret, qui in puris naturalibus crearetur.

Sed nondum intelligo qua ratione pueri à Deo auersi, & ad creaturas conuersi dicantur ob Adami peccatum; enimuero mirabile est, quod alterius peccatum me nescientem à Deo auertat; dicet tamē aliquis non alio modo pueros in originali peccato existentes auersos esse à Deo, quàm quia non ordinantur ad æternam gloriam, & diuinam participationem, prout iustitiæ originalis virtute ad eā ordinabantur, quà sublata tollitur ordo: hinc fit, vt illa puerorum auersio dicatur habitualis, sicut cōuersio, quæ beneficio iustitiæ illius habitualis fuisset in vnoquóque puero, quæq; reuera per Baptismum restituitur, siquidem per gratiam baptismalem anima conuertitur ad Deum, & in ordinem, à quo per amissionem iustitiæ primæ exciderat, reuocatur.

Quæ multis exemplis explicari possent, vnicum tamen affero: Rex in præsenti Deum nobis referat, atque vnius ciuitatis hominibus dicat; quicunque ex vobis pallium habuerit, quandiu seruarit illud, erit senatorij ordinis, & equitum torquatorum numero adscribetur, eorumq; fruetur priuilegiis, ita tamen vt si vestrûm omnium senior relinquat pallium suum, ab ordine illo senatorio, & equitum omnes excisuri sitis, sic enim constituo, tametsi senior ille sit filius meus; nec enim illâ vos vti prærogatiuâ velim, nisi ea conditione, vt ipse pallium seruet, vt aliqua ratione vestræ dignitates ab eo dependeant; statim atque senior ille filius pallium abiecerit, nullus in ordine senatorio, & equestri remanebit, sed omnes ab eo excidetis, & eatenus à me auersi eritis, & ad infimum statum conuersi. Similitudo explicans propagationem originalis peccati.

Quo ferè modo ab ordine supernaturali excidimus, non quia palliū diuinę gratiæ abiecerimus, quod ante Baptismum nunquam habuimus, sed quia senior ille summi Regis filius Adā abiecit illud, quapropter cùm illius pallij beneficio dignitas illa in nos trāsmittenda esset, per quam ad Deum clarè videndum, ad Deum vt autorem gratiæ, & gloriæ referremur, & ordinaremur, eúmque cognosceremus, & diligeremus: inde fit vt abiectā iustitiæ originalis veste iam ab illo ordine, ab illo statu, & dignitate filiorum regni exciderim⁹, nec amplius ad Deum conuertamur, sed potiùs auertamur, non quidem auersione actuali, sed habituali, ex qua fit, vt non possimus naturæ viribus ad Deū conuerti, aut vllum actum exerere, quo ad eum, vt ad obiectum supernaturale feramur, donec pallium illud, & ordo senatorius per nouam gratiam siue Baptismo, siue alia ratione restituatur.

Ex quibus elicere possumus homines per originalis iustitiæ priuationem in eodem statu collocari, in quo is esset, quem Deus in puris naturalibus crearet, qui non haberet ius ad æternam gloriam & vbi moreretur, visione diuini numinis æternùm priuaretur: hac tamen differentiâ, quòd is minimè puniri diceretur, cui visionis beatificæ carentia

carentia non esset pœna, nec filius iræ dici posset, vbi iam tales meritò nuncupamur, quia ob patris nostri culpam ab hæreditate regni cœlestis excludimur, atque nobilitatis insignia amittimus. Dicimur ergo filij inobedientiæ, & perditionis, antequam quicquã egerimus siue boni, siue mali, quia nascimur ex parente, quem Deus simul & posteros illis prærogatiuis iure spoliauit, quibus diuinæ naturæ consortes efficiebamur; vt iam semen Adami maledictum sit, donec misericors Deus illam gratiæ nobilitatem nouis de nouo, atque adeò illi semini conferat.

Peccatum originale quã sit?

Itaq; peccatũ originale dici debet priuatio iustitiæ originalis, quę, vt est priuatio, nõ est maior, quã in homine iuxta naturæ principia considerato, qui neq; peccato, neq; gratiâ afficeretur, attamẽ vt statũ originalis iustitiæ respicit, qui eius loco in vnoquóque fuisset absque primo peccato, maior est, quia facit, vt quicunque huiuscemodi priuatione afficitur, æternâ pœnâ damni sit dignus, & afficiẽdus, cùm alius in pura natura collocatus nullâ pœnâ vel afficiendus, vel dignus sit, in quo quidem eadem beatæ visionis priuatio, eadem incommoda, eædem infirmitates essent, sed non in pœnam, atq; supplicium, quandoquidem ex ipsis naturæ principiis illa omnia, & ex diuersis circunstantiis profluerent; quæ naturæ principia nullum peccatum, imo neque imperfectionem propriè dictam includunt, cùm nulla maiori perfectione affecta fuerint, nec ad vllam maiorem ordinata.

Alij tamen essentiam originalis peccati constituunt in priuatione conformitatis ad legem, & volũtatem diuinam, quatenus illa priuatio est terminus resultans ex actuali peccato Adami capitis nostri: ita Curiel ad art. 3. 1. 2. quæst. 82. dubit. 4. quem celeberrimæ facultatis theologicæ Doctor celeberrimus ad verbum sequitur, atque docet.

Enimuero bene animaduertunt fieri potuisse, vt primus parens Deum offenderet, nosque originale contraheremus, licet nulla iustitia originalis data fuisset; quod quidem factum fuisset, si Deus Adamo nulla gratia insignito præcepisset, ne de fructu vetito comederet, alioquin enim futurũ, vt omnes ex eo geniti sint iræ, & inobedientiæ filij; certum est autem aliquem sine gratiæ priuatione peccare posse, imo qui sunt in peccato lethali, & noua peccata in dies accumulant, ea ratione Deum offendunt, vt nullam gratiam supernaturalem amittant. Sic igitur originale peccatum erit habitualis auersio à lege Dei, quæ promanat ex actuali auersione Adami, adeout hæc sit veluti via, illa terminus: hæc reddidit actum Adami difformem, & contrarium legi, atque voluntati diuinæ, cui per suos actus se omnino conformare debebat; illa verò non reddit actus nostros legi diuinæ repugnantes, quia iam contraximus originale, antequam vllum actum exerere possimus, sed nos ipsos à Deo auersos, eiusque voluntati minimè correspondentes, ac legi diuinæ inæquales, & inadæquatos facit.

Peccatum esse potest sine deperditione gratiæ.

Fateor quidem peccatum siue actuale, siue originale formaliter non consistere in priuatione gratiæ, quam Deus sine peccato ab aliquo auferre posset; etenim Deus priuationis gratiæ causa est, tollit enim illam postquam aliquis peccatum commisit, adeout culpa præcedens sit tanquam causa meritoria, & dispositiua; sed in eo situm esse, quòd sit priuatio conformitatis ad legem, quæ homini inesse debebat, ob quam indigni sumus, in quibus Deus iustitiam originalem conseruet. Verùm eandem inesse difficultatem in hac sententia percipio; etenim quomodo voluntates nostræ sunt, aut esse possunt vitiatæ à peccato Adami? quomodo voluntas, quæ nihil vnquam mali fecit, malitiam contraxit? quomodo potuit homo primus malitiam habitualem in nos transfundere?

Sex quæ post actum peccati supersunt.

Enimuero quicquid in Adamo spectauerimus, quod in eo post peccatum inobedientiæ permanserit, non video qua ratione peccatum nobis communicauerit; nam in eius anima, postquã Dei legem transgressus est, ordo ad actum præcedentem, quem alij priuationem originalis iustitiæ vocant, superfuit, adeout non potuerit non esse verum, quin Adam peccauerit; sed illud nihil facit ad peccatum originale, quandoquidem semper verum erit, etiamsi beatus est, illum peccasse, hoc enim sensu quod factum est, infectum reddi nequit. Déinde remansit in eo dignitas odij, indignitas gratię, & meritum pœnæ, quidam reatum culpæ appellant; at hæc omnia non sunt peccatum formaliter, cùm potiùs illud consequantur. Tertiò reatus pœnæ, nihil est aliud, quàm obligatio pœnæ luendæ, vel ordinatio ad pœnam, qua reformetur ordo iustitiæ, quem culpa turbauerat; at hic reatus ipso culpæ reatu posterior est. Quartò superest offensa, vel inimicitia Dei, quem Adamus læsit; sed offensa in ipso Deo esse videtur, cùm ipse peccato læsus fuisse dicatur: sic enim dicitur læsa maiestas. Quintò dispositio, vel habitus acquisitus superest, at potiùs appellari debet vitiosus habitus, quàm peccatum, hoc enim deleto etiamnum habitus in nobis remanent. Sextum quod superest, dicitur auersio, & obliquitas voluntatis, quę per modum habitus superest, nam voluntas à Deo auersa, & ad creaturas incuruata nuncupatur, donec per actum contrarium ad eum redeat; at non video qua ratione volũtas infantis à lege diuini numinis auersa sit, quę nunquam alio modo ad Deum conuersa fuit, etenim qua ratione aliquis auersus esse dicetur à Deo, qui nunquam ad eum conuersus fuit? nisi peccatum illud in Adamum omnino reiiciamus, adeout originale peccatum cuiuslibet hominis sit effectus actualis, quod ille contraxit.

Quibus addi potest macula peccati, seu fœditas, atque deformitas, quæ tam ex priuatione diuinę gratiæ, atque supernaturalis luminis oritur, quàm ex eo quod aliquis legi difformis sit, quod cum precedenti auersione, quam diximus habitualem, esse videtur. Quod igitur in hac materia dici posse existimo, huic articulo colophonem imponet.

Cùm sola imputatio minimè sufficere videatur, imo nec ęstimabilitas, seu imputabilitas, vt ita loquar, vt verum & inhęrens peccatum originis cõtrahere, & per illud verè peccatores esse dicamur, antequam aqua baptismalis nos abluat, ad originalis iustitiæ priuationem, vel habitualem auersionem à Dei lege, qua præceperat, ne comederemus de arbore vetita, nobis recurrendum esse puto, adeout non sit aliud originalis peccati macula, quàm illa veluti naturalis auersio à lege Dei, ad quam non conuertimur, quia virtute conuertente, nempe iustitia originali, non ob propriã actualem, sed patris culpam destituimur, quæ destitutio nullatenus in nobis, sed in patre voluntaria est.

Eapropter non malè collimauerit, qui peccatum originis pueris inuoluntarium dixerit, moralem tamen defectum inuoluit, quatenus Adam vt omnium caput meritorium, vel demeritorium

omnes homines in suis lumbis continebat, omnésque læsæ maiestatis diuinæ reos sua rebellione & inobedientiâ reddidit. Alia etiam articulo sequenti subiungemus, in quo peccati effectus prosequamur.

ARTICVLVS II.

QVINAM REVERA FVERINT, ET ETIAMNVM existant originalis peccati effectus.

ILle non aberrabit, qui dixerit omnium bonorū priuationem, quæ beneficio iustitiæ originalis homini concessa fuerāt, esse peccati propagines, & effectus, adeout is optimè cognoscat istiusmodi effectus, qui iustitiæ illius pulchritudinem agnouerit. Imprimis verò repetenda sunt, quæ nuper diximus post actum peccati remanere, illa enim sunt effectus peccati. Deinde pœna damni, seu exclusio à regno cœlesti sequitur, nam pueri sine Baptismo decedentes omni beatitudine tam supernaturali, quam naturali carebunt, quicquid Pighius, & Catharinus existiment, qui naturalem beatitudinem eis tribuūt: Addunt aliqui dolorem internum animi, quo etiam infantes afficientur, quando videbunt se diuinâ visione priuari, quam absque parentis peccato assequi poterant. *(Pighius. Cathar.)*

Præter illas pœnas, quæ paruulos ante Baptismum, & vsum rationis consequuntur, aliæ sunt, quas in hac vita etiam baptizati pati coguntur. Omnes autem pœnæ vel ad animam, vel ad corpus attinent. Si anima sumitur pro parte rationali, duo sunt, in quibus homo sauciatus est, nempe intellectus, & voluntas; si pro sensitiua parte, quam cum belluis communem habemus, sunt etiam duæ partes, videlicet sensus interni, & externi, & appetitus irascibilis, atque concupiscibilis. De his in hoc articulo breuiter agimus, de pœnis corporis in tertio.

(Decē pœnę in intellectu ex originali peccato oriuntur. August) Primus ordine occurrit intellectus, in quo decem vulnera inesse communiter aiunt, primum rerum necessariarum ignorationem, quæ maior est in infantibus, quam in belluis teste August. l. 1. de peccat. merit. & remis. c. 38. 2. fatuitas, de qua epist. 28. ad Hieronym. idem Augustinus. 3. difficultas discendi, ex D. August. 22. de ciuit. c. 22. 4. ignoratio vltimi finis. 5. ignoratio mediorum ad finem. 6. difficultas intelligendi naturas rerum. 7. ignoratio propriæ mentis. 8. impedimentum corporis, quod animam aggrauat Sap. 9. 9. curiositas naturalis addiscendi. 10. quia plurima leuia, & inania nolentes volentes animo voluimus, vt de se testatur August. 10. confess. c. 35. 11. quia plus temporis corpori, quàm sibi anima impendere cogitur. Denique facillimè obliuiscitur, quæ didicit. *(Sap. 9.) (August.)*

(7 pœnæ in voluntate ob peccatū originale.) Non sunt minora vulnera, quibus est affecta voluntas, inter quæ φιλαυτία, seu peruersus, atque proprius amor primatum obtinet, ex eo enim omnia mala nascuntur, de quibus S. August. 22. de ciuit. c. 22. 2. est difficultas, quâ in vitiis superandis, & virtutibus excolendis laboramus. 3. incredibilis negligentia in iis, quæ ad beatè viuendum pertinent. 4. immoderata sollicitudo bonorum caducorum, & temporalium, quæ virtute minora sunt. 5. mira voluntatis humanæ peruersitas, & procliuitas ad colendos falsos Deos promptissima, ad verum Deum adorandum tardissima. 6. inconstantia, instabilitas, pugna, qua secum ipsa voluntas contendit, nam statim vult aliquid, statim nō vult, vt bene D. August. 8. confes. c. 9. explicat. 7. est fastidium proprij status, cùm nemo sua sorte contentus viuat. 8. nullus omnia mortalia peccata naturæ viribus vitare potest, nemo renouari, imo neque renouatus sine peculiari priuilegio venialia fugere. *(August.)*

Quod ad animæ partem inferiorem attinet, occurrunt primò sensus externi, quibus sæpe caremus, vt patet ex tot cæcis, surdis, mutis, atque claudis, quod belluis non contingit; videatur August. 6 in Iulian. c. 4. Omitto plurima peccata, quæ per istos sensus veluti per ianuas in animam ingrediūtur. Sequuntur sensuum internorum etiam in ipsa somni quiete frequentes illusiones, de quibus Augustin. 12. de ciuit. c. 12. qui cùm rerum diuinarum contemplationi seruire deberent, ab ea reuocant, dum suas nugas ingerunt. *(August.) (Pœnæ corporeæ, variæ.)*

Quid obsecro de appetendi facultate dicā? quoties irascibilis hominem in feram conuertit, dum furor arma ministrat; de his S. August. 1. confes. c. 7. quoties desperatio nostrum animum deiicit, atque prosternit? quoties timor nos exangues reddit, vt vix respirare possimus? quoties tremorem inducit? quoties audaciâ efferimur, & in alios homines irruimus? statim nos ad illicita spes pertrahit, & à licitis, & honestis desperatio reuocat, vt semper animo perturbato esse oporteat, nisi Dei gratia adiuti motus illos effrænes compescamus. *(Augustin. Pœnæ irascibilis.)*

Iam verò ad mare magnum, & spatiosum pergamus, illic enim reptilia, quorum non est numerus, ad concupiscentiam videlicet, seu appetitum concupiscibilem, qui Oceani sonoris tempestatibus agitati more turpissimarum voluptatum incendio flagrat, adeout homines penè ad insaniam redigat: hinc tam nefariæ libidinum species; hinc tam horribiles tragœdiæ, atque funestæ victoriæ, quibus Sampsonis fortitudo, Salomonis sapientia, atque Dauidis pietas prostrata est. Amor nos insanos reddit, desiderium inflammat, gaudium occidit, vel eneruat: odium nos in Megæras, Scythas, & Tygrides vertit, fuga pedibus alas subministrat, vbi stare deberent, tristitia exsiccat ossa. Denique bellū, quod infert cōcupiscentia, tantum est, vt D. Paulus mortē eligat, vt illud vitare possit; & ij qui reuera mūdo vale dederūt ęternū, ieiuniis, vigiliis, saccis, humicubationibus, spinis, aculeis, cathenis, flagris, forcipibus, & cæteris id genus instrumentis vtantur, vt feram illam pessimam domare valeant; quæ profectò tot, tantisq; stratagematibus vtitur, vt vix omnes artifices arma sufficientia suggerere possint, quibus eludantur, atque remediis oppositis superentur. Deus bone, quis nos à tanta fera liberabit? vt deinceps peccatum, quod nolumus, in nobis minimè regnet. *(Pœnæ appetitus cōcupiscibilis.)*

His

His addi possunt ea, quæ nobis extrinsecus contingunt, inter quæ maximum est, quòd Deum iratum habeamus, vt mirum sit cur non omnis creatura aduersus nos armetur. Deinde traditi sumus in potestatem dæmonis, qui sæpius nostra corpora inuadit, possidet, vel obsidet. Tertiò homo homini lupus dicitur, ab eo enim carcer, exilium, omne genus cruciatuũ, atque mortis. Quartò sequitur animalium inobedientia, quæ lædunt, & mortẽ ipsam inferunt. Quintò calamitas à cœlo, terra, & aëre, quæ adeò multiplex est, vt vix explicari valeat.

6 Mala extrinsecus accidentia in peccatũ originis refundenda.

Denique casus fortuiti vbique, & vndique ingruunt. Superest vt de pœnis corporis ab eodem peccato manantibus fusiùs paulo disseramus, enimuero de cæteris hactenus allatis abundè Bellarminus l. 6. de statu peccati.

ARTICVLVS III.

DE POENIS, QVÆ EX ORIGINALI peccato in corpus influunt.

ARenam maris numerare poterit, qui mala omnia referet corpus, atq; vitam nostram oppugnantia; cui ipsa morborum remedia cruciatus ingentes afferunt, vt constat ex inediis, pharmacis, sectionibus, vstionibus, & mille id genus, quæ sæpiùs sustinenda sunt, licet morbum non sint oblatura. Omitto cibi, potusque inopiam, quibus homines impulsi nequidem ab vrina, fœcibus, & propriorum filiorum carnibus abstinent, vt notat D. Aug. 22. de ciuit. 22. & plurimæ vrbium obsessiones experientia comprobarunt. Labores necessariò subeundos, si quis inopiam arcere velit, vitæ breuitatem, & continuum mortis imminentis timorem minimè commemoro, vt ad quotidianos corporis hostes accedam, quorum numerus adeò magnus adest, vt omnia prælia facilè deterreat.

August.

Enimuero dum in totum corpus oculos animi coniicio, nulla est pars, quæ mille morbis non subiiciatur: nam similares partes κακῶς διακειμένα statim æqualis, vt in hectica febri, statim inæqualis afficit, vt in hydrope, vstione, phlegmone &c. contingit; partes verò instrumentariæ sæpissimè conformatione indecenti, maiori, vel minori particularum numero, magnitudine, atque compositione laborant.

Denique partes vtræque multipliciter diuiduntur, etenim ligamentis σπάσμα, carni ἕλκος, ossibus κάταγμα, neruis σπάσμα, & partibus carnosis ῥῆγμα, diuulsio, vlcus, fractura, conuulsio, atque ruptio ab infœlici peccati originalis charactere imprimuntur; vt sit verissimum, quod de Iob. c. 2. dictum est, *à planta pedis vsque ad verticem non est sanitas in eo:* quod initio ab ipso vertice sumpto palam ostendo.

Morbi generales.

Iob. 2.

Caput igitur non plures capillos, quàm morbos habere videtur, quorum casus verticem caluitio deturpat: Alopecia præstat idem ob humorum vitium, quod caluitium ob alimenti inopiam: Ophtiasis glabrum caput efficit: Phtiriasis pruritus, & furfures generat ob succorum prauorum redundantiam, salsam pituitam, atque serosos humores: Psydracia pustulis subalbidis saniem continentibus idem caput afficit, ad quas tam ἀχῶρ, quam ἰονθώματα referri possunt. Omitto morbum pedicularem, Siriasim, Cephalæam, Cephalagiam, Hemicranium, Scotoma hebetans, phrenitidem mẽbranas cerebri inflammantem, Paraphrosynin, seu delirium, lethargum ei contrarium; τὸν κάρον præcedentis germanum; Catalipsim congelantem; Ephialtem præfocantem; Epilepsiam conuellẽtem, atque viribus Herculeis concutientem; Apoplexiam motu, sensúque destituentem. Paralysim, Paraplegiam: Maniam, Melancholiam, & Lycanthropiam, quibus homines ferarum more effræmes redduntur, furor ex amore ἐρωτικὸς, & ex Musis ποιητικὸς hominem suiipsius obliuiscentem facit. Spasmus neruos, atque musculos conuellit; Tetanus ceruici rigorem, & immobilitatem affert; Emprosthotonus eandem ad pectus inflectit: Opisthotonus caput in scapulas conuenit. Tromus simul ad inferiora, atque superiora trahit: Catarrhus fauces, coryza nates, branchus verò asperam arteriam stillatitio humore impedit.

Morbi capitis.

Quod si ad singulas partes capitis descẽderimus, vnaquæque fatebitur se morbis propemodum infinitis affici, quod clarius est, quàm vt probatione indigeat; vnus siquidem oculus microcosmi phœbea lampas morborum iliade obsidetur; nam Atrophia eum deprimit, Ecpiesmus extollit, & exerit. Morbi oculi.

Strabismus conuellit musculos; Lusciositas remota corpora tametsi magna occultat. Nuscitiositas omnino visum impedit, vbi nox est; oculos obscurat, & hebetat ἀμβλυωπία. Ἐπιφορὰ omnes humores ad oculos impetu mittit. Ῥῆξις membranas secat, & humores effundit. Παράλυσις motiones obliquas oculi impedit, eósque resoluit. Τάραξις perturbat membranam adnatam, quam Ophtalmia inflammat. Chimosis palpebram vtrámque distorquet. Pterygion, seu vngula pupillam obtegit, & inflat.

Corneam φλυκταίναι vesicis, atque pustulis desormant, quam excauat βόθριον, & κοίλωμα. Argemon rubore tingit iridem: Ἐγκαυμα sordidis vlceribus implet oculum: Ἀχλὺς nigrum occupat, cæruleóque colore tingit: Nubecula maiorem caliginem adducit. Ὑπόπυον pus sub cornea generat, & vngueum veluti reddit, eapropter vocatur ὄνυξ. Denique cancer eximium dolorem affert, dum corneam afficit.

Nunquam fecero, si omnes partes oculi transcurrere velim, nam vuea πρόπτωσιν, μυοκέφαλον, vuationem, ἧλον, & clauum patitur; cuius foramen μυδρίασιν dilatationem, vel etiam tabem, atque diminutionem, cataractam, γλαύκωμα, siue glaucedinem sentit. Ipsi angulorum oculi fistulâ lachrymali, enchantide carnem addẽte, quam ῥυὰς minuit, & epinyctide perpetuo humoris fluxu hebetante afficiuntur. O nimis infœlices oculos, qui aperti sunt, vt tantis malis opprimerentur, vtinam æter-

nûm clausi fuissent, nec enim totum corpus nudum, & infinitis morbis obnoxium vnquam vidissent.

Iam iam palpebræ ἐμφύσημα sustinent, dum tumor œdematodes laxat illas, quas scabie ψωροφθαλμία, duritie σκληροφθαλμία, ξηροφθαλμία prurigine, ἐκτρόπιον inuersione, scabritie τράχωμα, σύκωσις ficubus, τύλωσις callo, πώρωσις crassitie callosa, & rubicunda, ἀγκυλοβλέφαρος conglutinatione, λαγοφθαλμία retractione, tuberculo rotundo, lucido, & huc illuc mobili χαλάζιον afficit. Ipsam palpebrarum marginem κριθή, seu πόσθια hordeolo, ὑδατίς superiorem palpebram aquositate, palpebrarum pilos φθειρίασις, seu pediculatio torquet: easdem pilis denudat μίλφωσις, seu glabricies, quos διστιχίασις geminat, triplicat verò φαλάγγωσις. In his λιθίασις generat candicantes lapides, quibus premuntur; Easdem ἵππος reddit instabiles. Hi sunt 55 oculorum cruciatus, quibus longè plures addere possemus, etenim Iacobus *Guillemeaux* vsque ad 113 morbos oculi libello peculiari notauit. Paucos verò subiungam; inter quos ἀμαύρωσις non vltimum locum obtinet, quippequæ neruos visorios obstruit, ῥῆξις meatum è cerebro ad oculum descendentem rumpit, τρίμματωσις meatum obturat, qui videndi facultatem defert, qui symptosi redditur arctior.

Guillemeaux

Intra tunicas vasis contusis, aut fractis ὑπόσφαγμα sanguinem colligit, & maculam generat, denique tenuibus, atque crassis albuginibus νεφέλια, & λευκώματα inficiunt, & obtenebrant. Quod si reliquos humani corporis morbos enumerare velim, quanto Deus bono numero excrescent? cum 62 vnius oculi retulerimus.

ἀτακλία, δυσηκοΐα, κώφωσις, τρῶσις, θρύψις, κωφότης, & ἦχος auditum difficilem aurium morbi atque grauem efficiunt, vel omnino tollunt, aures inflammant, & glandulis aspergunt. ὄζαινα, polypus, σάρκωμα nares: faciem ἴονθος, φακὸς, ἴονθοι, seu vari maculis fœdant. Dentes atque gingiuas eximio dolore torquent ὀδονταλγία, ὀδαξισμός, ὀδοντοφυΐα, αἱμωδία, τερηδών, & ἐπουλίς. His adde ranulam, quæ linguam inferiorem tumore afficit; fauces verò tonsillæ, seu παρίσθμια; columellam, vua; κιονὶς σταφυλὴ ipsum os tortura lædit. Sermonem retardat ἀγκυλόγλωσσον: blæsum hominem τραυλότης, ψελλότης balbum efficit. Guttur ab angina inflammatur, quæ sæpius in mortis discrimen adducit, dicitúrque συνάγχη, dum versatur in interioribus faucium musculis, si in exterioribus, παρασυνάγχη. Et quidem iusto Dei iudicio suppliciis lingua, guttur, os, atque dentes afficiuntur, quæ ad cibi à Deo vetiti esum concurrerunt: quem cum stomachus assumpserit, eique viam dederit, vt ad ventriculum, & intestina descenderet, ideóque suis etiam, iisque exquisitis suppliciis torquentur.

Hinc fit vt tot asthmaticos, tot pleuritides, sanguinis expuitiones, excreationes purulentas, macies, tabes &c. progignant ἄσθμα, ὀρθόπνοια, δύσπνοια, πλευρῖτις, αἱμοπτυϊκοί, ἐμπύημα, φθίσις, μαρασμός, & ἀτροφία. Numera, si potes, Cardialgias, anorexias, καρδιωγμός, caninas appetentias, cruditates, Dyspepsias, seu deprauatas concoctiones, nauseas, singultus, choleras, cœliacas passiones, picas, βραδυπεψίας, & alios morbos, qui ventriculum pene reddunt exanimem. Perscrutare diarrhœas, lienterias, dysenterias, tenesmos, colicos dolores, conuolulos, vermes λυκείας, ταινίας, ascarides, hæmorrhoides, Rhagades, κονδυλώματα, ficus, & alias passiones, quibus intestina dirè torquentur.

Intestinorũ morbi.

Nunquid tot, & tanti dolores apertè Dei iustissimum iudicium ostendunt? Noluisti miser homo sub obedientia diuini numinis integer, & illæsus persistere, quapropter vide iam quæ te, tuósq; maneant supplicia, Hepaticus, ictericus, habitu corruptus eris: hydrops, lienis obstructio, & inflammatio: Nephritis, διαβήτης, ὕδρωψ εἰς ἀμίδα, & διάρροια εἰς οὖρα, calculus, δυσουρία, & ἰσχουρία, ramex, ἐντεροκήλη, βουβωνοκήλη, ὑδροκήλη, σαρκοκήλη, ἐπιπλοκήλη, κιρσοκήλη, & infinita malorum cohors te impugnabunt, & expugnabunt. Præter quæ, mulierem σπασμώδης, θρίασις, hystericæ passiones, σίρωσις, & molæ miris cruciatibus afficient. Ipsæ membrorum compagines arthritide, podagra, ischiade, condylisque torquebuntur: nec ipsi vngues effugere poterunt, nam panaricio, seu reduuiis angentur, ἄλως calcaneum, & plantas: mammas cancer: elephantiasis corpus vniuersum: cutem ψώρα, scabies, impetigines, vitiligines, exãthemata torquẽt, alterant, atque deformant. Hi sunt fructus peccati, quos ex præcepti diuini transgressione decerpimus: hæ corruptiones, quibus nostra corpora pereunt: hæc sigilla, atque characteres iustitiæ diuinæ, & iniquitatis humanæ, qui tot, & tanti sunt, vt vix eos quispiam enumerare valeat. Tantummodo de febribus breuiter edisseram, quæ miserè nostra corpora quotidie depascunt, quæ tamen, nisi peccasset Adam, nullæ fuissent. Febris ratione trium, quæ in corpore humano reperiuntur, in tria genera diuidi potest: quæ ab Hippocrate dicuntur continentia, contenta, & impetum facientia, idest spiritus, humores, & solidæ partes: quæ omnia Auicenna comparauit lebeti aqua bulliente pleno, itaut lebes repræsentet partes solidas, & continentes: aqua humores, & contenta: & vapores, spiritus, seu impetum facientia. Quæcunque verò ad febres attinent, breuiter aperio, si priùs annotauero febrem esse calorem præter naturam, qui à corde initium sumens per arterias, & venas in vniuersum corpus diffunditur, atque actiones eiusdem lædit.

Hic autem non enumerabo febrem, quæ ab aëris pestilentis inspiratione gignitur, & pestilentialis appellatur, quia potest ad putridam reuocari, cùm humores corporis putrescere faciat, nec illas febres, quæ pro variis, quas afficiunt partibus, nomina diuersa sortiuntur, qualis est pleuritica, quæ ex inflammatione membranæ costas succingentis oritur: peripneumonica, quæ ex pulmone, τυφώδης, quæ ex pulmonis, ventriculi, aut iecoris erysipelatibus accidit, & καυσώδης πυρετὸς appellatur. Omittam etiam illas febres, quæ compositæ sunt, & ex mutua complicatione oriuntur: qualis est cum nascitur ex tertiana, & quotidiana: quæ tertiana si fuerit intermittens, & quotidianæ continuæ iungatur ἡμιτριταῖος nuncupatur: qualis est etiam quotidiana intermittens continuæ tertianæ iuncta; vel quotidiana continua tertianæ continuæ: Alias cõplicationes vnusquisque per se reperiet. Itaque febris vel est Diaria, seu Ephemera, vel humoralis, vel hectica, Ephemera ratione triplicis spiritus est triplex, videlicet animalis in vigiliis, vitalis in iracundia, & naturalis in obstructione: vtraque verò diuiditur in exquisitam 24 horarum, & productã ad 2, aut 3 dies. Quando est humoralis ratione 4 humorum ferè semper à Galeno putrida vocatur, quæ vel est continua, vel intermittens, illa quæ συνεχὴς dicitur, quando humores in vasis putrescunt,

Accurata febrium diuisio, & enumeratio.

Febres cõpositæ.

Febris ephemera diuiditur.

Febris humoralis diuiditur.

συνεχὴς, & σύνοχος. scunt, est συνεχὴς nomine generis retento, vel σύνοχος à sanguine, prima est, vel pituitosa, si quotidie, vel biliosa, si tertio die, vel melancholica, si quarto exacerbatur, quę tres possunt etiam esse cõtinuæ; secunda autem putris appellatur, cùm sanguis putrescit, vel imputris, si minimè putruerit: Rursus vtraque vel est ὁμότονος, quando à principio ad finem eodem tenore perseuerat; vel ἐπακμαστικὴ si paulatim semper increscit, vel παρακμαστικὴ cum pedetentim ab initio ad finem vsque decrescit. Superest hectica febris, quæ solidas partes occupare dicitur, cuius 3 ordines enumerantur, siquidem vel est incipiens, cùm humorem alimentarium roris instar dispersum in corde depascitur, vel media, & humorem radicalem depascitur, vel confirmata, quando solidam substantiam consumit, & μαρασμώδης appellatur. Illa verò febris multipliciter iterum subdiuiditur, enimuero si fuerit erratica, triplici diuisione gaudet pro diuersis partibus, quibus inhæret; est enim vel in diuersis partibus, vel in eadem materia, vel cum vna pars materiæ putret, altera nec mota, neque putrente. Stata verò si fuerit, vel quotidiana dicetur, quando singulis diebus de nouo pituitam occupabit, eàque exquisita à pituita dulci, vel epyala ex acida, & vitrea, eáq; quotidiana, si tota materia putruerit, in qua frigus tãdem à calore superatur; epyala verò propriè dicta, si pars vna putret altera non putrente, & in eadem parte, eodemque tempore calorem, & rigorem æger sentit, vel si prædicta quotidiana fuerit à bili salsa, notha dicetur.

Febris hecticæ diuisio.

Erratica.

Stata.

Rursum illa stata tunc dicitur tertiana, si tertio quoque die contingat, quæ si à sola, & sincera bile corrupta oritur, exquisita; alioquin notha vocabitur, quæ fit vel maioris famis à pituita bili permixta in eodem foco, vel minoris famis à melancholico succo permixto. Demum erit quartana, si quarto die; quidam addunt septimanã, & nonanã, licet Diocles eas dari negetur: est autem vel exquisita à melancholia naturali, seu melancholico succo; vel notha ab atra bile, aut alterius humoris cum melancholico permixtione. Cætera vide apud Medicos, & apud te perpende quot, & quantis infirmitatibus corpora nostra obnoxia sint, & ad eum confuge, qui solus ab omni morbo te liberare potest, cuius vocem audire mihi videor, quapropter versiculo sequenti attendas velim.

VERSICVLVS VIII.

Et cùm audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem, abscondit se Adam, & vxor eius à facie Domini Dei in medio ligni paradisi.

וַיִּשְׁמְעוּ אֶת־קוֹל יְהוָה אֱלֹהִים מִתְהַלֵּךְ בַּגָּן לְרוּחַ הַיּוֹם
וַיִּתְחַבֵּא הָאָדָם וְאִשְׁתּוֹ מִפְּנֵי יְהוָה אֱלֹהִים בְּתוֹךְ
עֵץ הַגָּן׃

Καὶ ἤκουσαν τὴν φωνὴν κυρίου τοῦ θεοῦ περιπατοῦντος ἐν τῷ παραδείσῳ τὸ δειλινόν· καὶ ἐκρύβησαν ὅ, τι ἀδὰμ καὶ ἡ γυνὴ αὐτοῦ ἀπὸ προσώπου κυρίου τοῦ θεοῦ ἐν μέσῳ τοῦ παραδείσου.

ALij vertunt, *& audierunt*, sed in idem recidit: quidam verò dictionem *deambulantis* ad vocem referunt, quæ nonnunquam ambulare dicitur, vt cùm vox tubæ procedere dicitur, & inualescere, Exod. 19. adeout eò magis vox progrediatur, quò fortior, & acutior redditur, atque vehementiùs aures percellit. Alij referũt ad Adamum, qui deambulans vocem audierit. Onkelus habet; *& audierunt vocem verbi Domini deambulantis in horto.* Medicus simul & iudex accedit illis patefacturus scelerum pondus, extorturus cõfessionem, quo magis remissionis capaces fierent. Medicus accedit ad ægrotum adumbrans quandóque futurum, vt Dei Filius ad hominem requirendum descenderet, ideóque vox audita est; Dei verò Filius vox est, & verbum Patris æterni, qui apparet velut ambulans αἰσθητικῶς; tametsi enim eos intimo, secretóque afflatu poterat alloqui, non tantùm animum illorum sua præsentia, & reprehensione percelli curauit, sed quò magis culpæ malum expenderent, externo sensu eos terreri voluit. Hæc ergo fuêre præludia humanitatis assumendæ, atque futuræ Incarnationis.

Exod. 19.

OnKel.

Nolim hîc disputare an Deus ipse, vel Angelus eius loco apparuerit, quandoquidem id non ita constat, nec desunt Patres, qui vtramque partem reddunt probabilem; sed quicquid sit, siue Angelus custos Adæ, siue alius à Deo destinatus vices Dei suppleuerit, ambo vocem Dei audierunt, qui potuit eos foliorum, vel etiam arborum concussarum fragore, & voce potentissimâ ad instar tonitrui emissâ deterrere; *vox enim Domini in virtute, & magnificentia, vox Domini percutientis cedros, atq; reuelantis condensa*; frustra se parentes nostri occultabant, frustra turpitudinem abscondebant, cùm oculi Domini penetrent omnia, nec enim quidquam subterfugere possit.

Ad auram post meridiem, seu ad vesperam, τὸ δειλινόν, quod, inquit D. Hieronym. transferre non possumus ad verbum; Hebraicè לְרוּחַ הַיּוֹם Lerouach haiom, quod Aquila vertit ἐν τῷ ἀνέμῳ τῆς ἡμέρας, in vento diei. Symmachus διὰ πνεύματος ἡμέ-

Hieron.

Aquila.

Theodot. æ, per ſpiritum diei; Theodotion *ἐν τῷ πνεύματι πρὸς κατάψυξιν τῆς ἡμέρας*, vt meridiano calore tranſacto refrigerium ſpirantis auræ oſtenderet. Hinc Oleaſter. Oleaſter notat Scripturam Deum introducere, vt magnum dominum, qui tunc in hortum venit, vt deambulet, quando iam ventus refrigerans æſtum diei ſedat. Duplicem ſynecdochem hîc autor cathenæ aduertit; primam, in qua pars totum aperit, cùm lignum pro arbore ponitur, quæ totum eſt: eius autem partes ſunt lignum, folia, & fructus; ſecunda eſt, qua ex vno diſcimus omnes, vt ſit ſenſus primos parentes in medias arbores, denſaque paradiſi nemora ſeſe intuliſſe. Cùm autem in medio ligni paradiſi ſeſe abſconderint, videre mihi videor eos ſub eadem arbore qua peccatum commiſerant, ſe abſcondiſſe, quod ex hiſtoria plantarum confirmatur, in qua legimus quaſdam arbores adeò fœcundas eſſe, vt vnica maximum terræ ſpatium occupare poſſit, dum eius rami ad terram penduli nouas radices agunt, eóque modo pullulant, nouos producunt ſurculos, qui ſtatim in arbores ſuccreſcant, & ſic deinceps, adeout ex vnica arbore nemus integrum confici poſſit; nec illud ita à ficubus abhorret, vt folia ficulneæ docent, quibus ſtatim vſi ſunt protoplaſti, quæ Deus abſtulit, vt indumenta commodiora, pellicea nempe tribueret, vt poſtea dicetur.

Lipom. Verbum deambulandi, inquit Lipomanus, ipſum aduentum, & acceſſum ad hominem, lenem, & humano quodam modo deſignat, ſubduxerat enim ſe Deus tantiſper, qui antea cum eis verſabatur, dum probaret, quid homo faceret, an in mandatis ſuis perſeueraret, ac quaſi procul pugnã contemplabatur propoſitã occaſione coronandi hominis agonothetes. Quod facit interdũ & iſto ipſo tẽpore relinquens nos præcipuè quos imbecilles nouit probationibus. Et Apoſtolos amiciſſimos, familiariſſimoſque ſuos, cũ lacerari videret, & excarnificari, verberari, cõtemni, expelli, vexari (quæ probatio erat, & coronæ occaſio) ſuſtinebat, patiebatur, & quaſi ſpectaculo delectatus, non commouebatur. Sic expectauit quid ageret, quò ſe verteret data libertas, an propoſitam arborem vitæ, ſuperatã cupiditate oblatorum à ſerpente pomorum, quæ & ſenſus expetenda iudicabat, vellet comedere, an breui labore vincendi, arrectóſque ad vetita ſenſus deprimendi, vellet paradiſum incedens coronatus, & ex arbore vitæ laureatus in numerum immortalium adſcribi. Verùm poſthabito Dei præcepto, comederunt de arbore vetita protoplaſti, & ad vocem Domini territi abſconderunt ſe in medio ligni paradiſi. Vides quomodo per peccatum animus alienatur, & confunditur, timet, & à Domino fugere nititur, cuius deſperabundus iuſtitiam odit, conſolationémque in creaturis proſequitur, amiſſa gratiã creatoris. Vbi Rupertus exiſtimat vtrúmque Rupert. de Deo malè ſenſiſſe infidelium inſtar, alioquin fateri debuiſſent Deum vbique præſentem eſſe, nec ſe abſcondiſſent, dicentes cum Pſalte. pſ. 138. Pſal. 138. *Quò ibo à ſpiritu tuo, & quò à facie tua fugiam*: cùm tamen potiùs declinauerint *cor ſuum in verba malitiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis*. Pſal 148. Pſal. 148. ita oculus adulteri caliginem obſeruat, dum ait Iob. 15. *Non me videbit oculus, & operiens vultum* Iob 15. *ſuum perfodit in tenebris*. Igitur ſeſe abſcondunt, quia *omnis qui malè agit, odit lucem*, Ioh. 3. *& non* Iohan. 3. *venit ad lucem, vt non arguantur opera eius. Deus autem lux eſt, & in eo tenebræ nulla ſunt*: nunquid ô miſeri ſciebatis vultum Domini eſſe *ſuper facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum? Ecce non dormitabit, neque dormiet*, Deus, Pſal. 120. ſed palam Pſal. 120. vos arguet, & excitatus *tanquam potens crapulatus à vino* 1. Reg. 4. *iniuſtitias veſtras caſtigabit*. 1. Reg. 4.

Varios loquendi modos, quo Deus vtitur, habes apud S. Greg. 18. mor. c. 3. vbi locum hunc egregiè Gregor. traducit ad mores. Notat autem Rabanus Chriſtum meridie aſcendiſſe, & promiſſo latroni paradiſo poſt meridiem hora nona reddidiſſe ſpiritum, vt eadem hora, qua primus homo lignum præuaricationis tetigerat, ſecundus homo lignum redemptionis aſcenderet, & qua hora præuaricatores è paradiſo expulerat, eadem in paradiſum confeſſorem inferret. Abſconderũt ergo ſe à facie Domini, in quantum potuerunt, & reuera meruerunt Dei præſentiã carere, ac proinde in nihilum redigi, qui eam fugerunt, & odio habuerunt: peccator enim vellet Deum nullum eſſe, vt ſcelera impunè perpetraret.

D. Chryſoſt. animaduertit in ea occultatione conſcientiæ remorſum, vt vocant, & ſynderesim: Chryſoſt. *Quippe iudex incorruptus*, inquit, *conſcientiam puto, cùm aduerſus hominem exurgit, clara voce clamat, & accuſat, & oſtendit, & quaſi ante oculos ſcribit peccatorum magnitudinem. Idéoque miſericors Deus principio cùm formaret hominem, conſcientiam illi indidit accuſatricem perpetuam. Et licet quis admiſſo peccato perpetratóque ſcelere, omnes homines celet, ab illa tamen accuſatrice non poterit deliteſcere, hanc enim intrinſecus habentes, vbicunque ſumus, circunferimus. Ipſa nos circumit, obturbat, laniat, flagellat, nunquam quieſcit, ſed & domi, & in foro, & in templis, & in menſa, & dormientem, & ſurgentem adoritur, rationem delictorum exigit, & ob oculos proponit delictorum grauitatem, & ſubſecuturam pœnam, &c.*

QVÆSTIO XLI.

QVID SIT ILLA SYNDERESIS, ET an in aliquo deleri valeat.

Rectè quidẽ inquirimus quid ſit illa ſyndereſis, quæ primos parentes arguebat, ſine qua non ſe abſcondiſſent, adeout illis fugam ſuaſiſſe videatur. Eam autem D. Hieronymus c. 1. in Eze- Hieron. chielem agnouit, dum ait. *Plerique iuxta Platonem rationale animæ, & iraſcitiuum, & concupiſcitiuum, quod ille λογικὸν & θυμικὸν & ἐπιθυμητικὸν vocat, ad hominẽ & leonem, ac vitulum referunt; rationẽ, & cognitionem, & mentem, & conſilium, eandemque virtutem, atque ſapientiam in cerebri arce ponentes: feritatem verò, & iracundiam, atque violentiam in leone, quæ conſiſtit in felle. Porro libidinem, luxuriam, & omnium voluptatum cupidinem in iecore, id eſt in vitulo, qui terræ operibus hæreat. Quartámque ponunt, quæ ſuper hæc, &* extra

extra hac tria est, quam Graci vocant συντήρησιν, qua scintilla conscientia in Cain quoque pectore, postquam eiectus est de paradiso, non extinguitur, & qua victi voluptatibus vel furore, ipsaque interdum decepti rationis similitudine, nos peccare sentimus: quã propriè aquila deputant, non se miscentem tribus, sed tria errantia corrigentem: quam in Scripturis interdum vocari legimus spiritum, qui interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus: nemo enim scit ea, qua hominis sunt, nisi spiritus, qui in eo est, quẽ & Paulus 1. ad Thessal. 5. scribens, cum anima & corpore seruari integrum deprecatur. Et tamen hanc quoque ipsam conscientiam (iuxta illud quod in Prouerbijs scriptũ est c. 18. Impius cum in profundum peccatorum venerit, contemnit) cernimus precipitari apud quosdam, & suum locum amittere, qui ne pudorem quidem, & verecundiam habent in delictis, & merentur audire, facies meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.

1. ad Thes. 5.

Prou. 18.

Doctè quidem S. Hier. qui non paruum lumen nostræ quæstioni attulit. Verùm non ita constat, quid sit illa συντήρησις, quãdoquidem non sic omnes scribunt, sed vel *Cynteianeem, vel Cynteianein*: in codicibus autem Vaticanis teste aliquo scripto bracteato, quod è manibus Gneti profectum est, quẽ faciunt à secretis Cardinalis Asculani, legitur συνείδησις, sicut & in Florentino codice Bibliothecę Mediceæ: ea propter à συγχύσεως corruptam esse dictionem hanc suspicatur, & apud D. Hier. συνείδησις legendum est, quæ sit conscientia, scintilla, & lumen, quę confirmantur ex duobus locis Græcis, vno desumpto ex commẽtario in Ezechielẽ quem Nazianzeno tribuunt, qui sic habet. νομίζομεν τὸν ἄνθρωπον εἶναι τὸ λογικόν, τὸν λέοντα τὸ θυμικόν. τὸν αἰετὸν δὲ συνείδησιν ἐπικειμένην ταῖς λοιπαῖς, ὃ δὴ πνεῦμα κατὰ Παῦλον λεγόμενον τοῦ ἀνθρώπου: altero loco ex Origene, cuius verba græca in Ezech. nõdũ edita sequũtur. ἔστιν ἰδεῖν ἐν ἑκάστῳ διατυπούμενα τὰς δυνάμεις αὐτῆς. τὸ λογικὸν ἐν τῷ ἀνθρώπῳ. τὸ θυμικὸν ἐν τῷ λέοντι. τὸ ἐπιθυμητικὸν ἐν τῷ μόσχῳ. ἐν δὲ τῷ αἰετῷ τὸ βοηθητικὸν δύναμιν. ὅθεν οὔτε ἐν δεξιοῖς τούτοις ὄντος, οὔτε ἐν ἀριστεροῖς, ἀλλὰ ἐπάνω τῶν τριῶν ὑπάρχειν. τοῦτο δὲ ἐστιν ὥς φασι, τὸ πνεῦμα τοῦ ἀνθρώπου, τὸ βοηθοῦν τῇ ψυχῇ, καὶ τοῦτο οὕτως νοούμενον ἀσφαλές. ἕτεροι δὲ λέγουσι κατὰ τὸ ἡγεμονικόν, τοῦτο τὸ πνεῦμα εἶναι. i. vtique videre est in quaque facie facultates ipsius animæ; nẽpe rationale in homine, irascitiuum in leone, cõcupiscitiuũ in vitulo: in aquila vero vim adiutricẽ: vnde neq; à dextris hãc esse dixit, neque à sinistris: sed eminentiorẽ tribus, hoc autem est, vt aiunt, spiritus hominis, qui in eo est, opitulans animæ: idque sic intellectũ haud securum, aliud verò dico à principali, hunc spiritum esse. Citat etiam Sedulium, qui in 1. ad Corinth. c. 2 spiritum hominis conscientiam appellat, sicut & in 1. ad Thessal. Itaque contendit synderesim esse dictionem corruptam, natam ex dictione συνείδησις, quæ etiam apud D. Hier. corrupta fuerit; denique addit etiam apud Macarium hom. 1. in Ezechiel. legi συνείδησιν: nec Petrum Lombardum synderesis meminisse.

Nazianz.

Sedulius.

Macar.

Certè sicut non displicet illud de notatione nominis, ita minimè placet, quod insinuare videtur non esse firmum, quod Theologi plus minus quadringentis annis de synderesi docuerũt: tametsi enim in dictione errarint, non sequitur in sensu errasse. Imprimis ergo sciendũ est dictionẽ vtramq; græcam vsu tritã esse, συντήρησις enim fit à συντηρέω. i. conseruo, attendo, vnde σωτηρία pro salute, seu ludos faciebant: hinc συντηρητικὸς Græcis est conseruator, quapropter si conscientiã, vel iudiciũ illud naturale, quo vnicuique rei attendimus, nosque à peccato conseruamus, συντήρησις appellari poterit, vel potiùs ipsa conseruatio, seu attentio dicetur. συνείδησις verò, seu τὸ συνειδὸς à συνοίδα. i. cõscius sum, conscietiã significabit. Sed quicquid sit de nomine ad rem venio. Hæc synderesis, vel si mauis syneidesis ad rationẽ practicã attinet, & sẽper ὁρμᾶν, hortatur ad meliora, quæ est vis mentis, custos & cõseruatrix notitiæ legis. i. notitiarũ nobis innatarũ de rectè seu malè factis, quæ propter vitiorũ est aduersaria, quã primorum principiorũ practicorũ habitũ appellãt. i. ad mores pertinẽtiũ, qui instigat ad bonũ, & reuocat à malo; sicut habitus principiorũ speculatiuorũ νοῦς dicitur. Damasc. ait synderesim in syllogismo practico, seu morali, facultate iudicandi adhibita propositionem suppeditare; conscientiã vero, seu συνείδησιν promere, vel suggerere assumptionẽ, & factũ ad regulam accommodare. Dictatrix verò ratio concludit, seu de facto, quod subsumpsit cõscientia, vt iudex in conclusione pronuntiat, atque de facto iudicat, an laude, vel vituperatione, præmio, vel pœna dignum sit: quẽ syllogismum practicum in mente dolor, vel lætitia sequitur, vel etiam spes, aut metus.

Vnde dicta συντήρησις

συνείδησις quid?

Damascen.

Exemplũ esse potest in Ezechia, qui cùm cõsideraret vnum esse verũ Deũ, cui soli verus cultus præstandus est, quia id ei ostendit synteresis ex primo præcepto, *Ego sum Deus tuus*, & ex 2. *Non facies tibi sculptile*: statim accessit mentis consciæ vis, seu conscientia ad synteresin factum accommodans: denique ἡ κρίσις, seu iudiciũ mentis conclusit, vt fieret hic syllogismus, vnicus Deus, & verus Israëlis colendus est, idololatria non vnũ Deũ, sed plures fingit, ergo idololatria abolenda est; quo iudicio incitatus lucos succidit, euertit idola, & idolorum cultum aboleuit. Sic etiam Dauid abstinuit à Saulis interfectione in spelunca sibi oblati, hoc inductus syllogismo, non est vis inferenda personis à Deo constitutis, at Saul à Deo constitutus est, igitur non ei vim inferre debeo. Qui syllogismi sæpiùs adeo potentes sunt vt omnino reuocent ab instituto, & nos ipsos ob scelus à nobis perpetratum sponte pœnis afficiamus; vt patet in Oedipo rege Thebanorum, qui post syllogismum hunc sibi applicatum. Turpissima facta grauissimis suppliciis digna sunt, incestus cum matre concubitus, & parricidium sunt turpissima facta, igitur sunt pœnis atrocissimis dignissima, ob dolorem inde profectum impatiens turpitudinis à se admissæ suos sibiipsi eruit oculos.

Exod. 1.

Oedipus.

Sed hæc omnia breuiter concludo, si conscientiam, synderesim, atque iudicium accuratè distinxero. Antea vero supponendum est duplicem esse portionem in homine, sensitiuam, & rationalem, in sensitiua non quærimus synderesim, sed in rationali, quæ rursus in duas partes diuiditur, apprehensiuam, & affectiuam, quæ nihil est aliud, quàm voluntas, seu rationalis appetitus, ad quem synderesis pertinere nequit, cuius nempe officium est instigare ad bonum, & reprehendere malum, quos actus à principiorum naturalium cognitione procedere necesse est: quapropter in intellectu constituenda est synderesis.

Duplex portio in homine.

Intellectus verò duplici modo spectari potest, vel vt est speculatiuus, vel vt practicus: cùm autem speculatiuus intellectus circa ea versetur, quæ ad operationem minimè referuntur, synderesis autẽ ea spectare videatur, quæ versantur in praxi; videamus in qua parte intellectus, vel potiùs sub qua ratione ad intellectum pertineat. Quicquid

Intellectus duplex.

est in intellectu, cum quoad veri cognitionem perficit, quandoquidem intellectus tam practici, quã speculatiui perfectio in apprehẽsione veritatis cõsistit, cùm facultas quælibet per obiecti sui præsentiam perficiatur, vnde intellectus noster nunquam ex omni parte perficietur, donec ei summum intelligibile coniungatur.

Necessarij, & contingentis partitio.

At quicquid verum est, vel est necessarium, vel contingens, ac proinde virtus omnis intellectualis necessaria, vel contingentia respicit: quando cõtingentia perpendit, vel ea fieri possunt in exteriori materia, vt constat de ædificio, sicque indiget arte, vel ea, tametsi fuerint agibilia, in externam materiam minimè transeunt, sed permanent in operante, ad quæ ritè peragenda prudentia menti congruit, atque tribuitur, quæ regula est eorum, quæ agenda sunt. Si verò necessaria contemplamur; ea vel sunt prima principia, quibus omnis scientia nititur, ad quæ faciliùs percipienda virtus illa, quæ nomen intellectus generale retinuit, vocaturque primorum principiorum habitus, quorum cognitio nobis inest à natura, vel non sunt prima principia necessaria, sed ex ipsis deducta, quibus scientia, quæ est effectus demonstrationis, attribuitur, sicut & sapientia, quæ circa causas altissimas versatur. Hæ sunt virtutes intellectus, quę licet hominibus vim, & facultatem bene operandi tribuant, attamen non eos bonos reddunt, quãdoquidẽ & habitibus istis, & intellectu abuti possunt, & virtutum moralium proprium est hominem bonum efficere, adeout nullus istis virtutibus abutatur.

Aristot.

Iam verò spectemus, num ad aliquem ex istis 5 habitibus synderesis pertineat, sanè Philosophus illius meminisse non videtur 6. ethic. cap. 3. nisi dixerimus sub habitu primorum principorum contineri, adeout sit habitus primorum principiorum operabilium, eiusque proinde obiectum sit quidem bonum, non tamen vt bonum, sed sub ratione veri practici, quatenus refertur ad operationem, vel vt ad eam ordinem habere potest.

Ex ijs igitur elicio synderesim, siue habitum appelles, siue non, esse vim illam intellectus practici, siue ipsum intellectum, quatenus ostendit bonum faciendum esse, malum verò fugiendum:

Hieron.

Confirmatur ex D. Hieron. qui epist. ad Demetriadem, agnoscit in nobis quandam sanctitatem naturalem à Deo impressam, quæ veluti in arce animi residens praui, & recti iudicium exercet; quam etiam in 1. Ezech. superiorem rationis scintillam vocauit, vt suprà retulimus: vt enim scintilla est aliquid modicum ex igne auolans, ita synderesis est quædam participatio illius claritatis intelligibilis, quæ reperitur in Angelis: ideoque comparatur aquilæ, quæ sicut alijs volucribus volat altiùs, ita & synderesis cæteras facultates hominis præteruolat.

Hæc igitur synderesis suprema pars rationis esse videtur, quæ naturam angelicam vt supremum infimi infimum supremi attingere videtur: hanc

D. Basil.

D. Basil. hom. 1. in Prouer. naturale iudicium vocat, quo discernimus bona à malis: Quemadmodum enim participes sumus angelicæ cognitionis, prout prima cognoscibilia nouit, vt patet, dum absque discursu firmiter primis naturæ principijs assentimur, quale est, *totum sua parte maius est*, ita sumus participes cognitionis, quam habet Angelus de primis principijs, quæ ad actionem referuntur.

Synde esis quid sit.

Synderesis ergo eadem est cum habitu primorũ principiorũ, ideoque sicut de illo, ita & de synderesi dicendũ est, quę partim est lumẽ intellectus, partim etiam species acquisitas, vel cognitionem ex illis ortam includit, adeout acquisitus, & inditus sit: acquisitus, quia cùm anima sit instar rasæ tabulæ, in qua nihil depictum est, species acquirere debet, & ita habitus principorum ex sensibus, & experientijs produci dicitur. Superest, vt ostendamus, in quo synderesis à conscientia distinguatur.

Conscientia, & synderesis qui differant.

Hæc non est habitus, sed actus, vt ex ipso nomine constat: conscientia enim idem esse videtur, ac cum alio scientia, vnde & ipsi Græci συνείδησιν à σὺν, & εἰδέναι deriuant, Hebræi verò vocant eam לֵב *leb*, & אדות חֵלֵב *Odoth haleb*, id est, cor, & rationes cordis, sicut & Genes. 31. שָׂהֲדוּתָ testimonium, & עֵדוּת הַכַּנָּנָה *hedoth hacanannah*, internum cordis testimonium: hinc conscientia rationes, & testimonia tam contra se, quam pro se producit, quæ vel hominem excusant, vel accusant. Vnde prout scientiam, vel synderesim huic aut illi rei accommodaueris, varios actus synderesis, seu diuersa illius officia reperies. Tribus verò modis cognitionem nostrã applicare possumus ad ea, quæ agimus: primò dum nos aliquid fecisse, vel minimè fecisse recordamur: hinc tam sæpe dicimus, *scit tua conscientia, & iudicem facio tuam conscientiam*, quòd probè hoc aut illud nosti, vnde

Gen. 31.

Fabius. Eccl. 7.

Quintil. 5. instit. conscientiam ait esse mille testes, quo sensu dicitur Eccles. 7. *scit tua conscientia te crebrò maledixisse alijs.*

Qua profectò ratione Deus nostrum parentem alloqui poterat, sit conscientia tua te præceptum meum præuaricatum fuisse propter quod testimonium erubescis, nec enim tantũ testem tibi adeò internum effugere potes. Secundò dum cognitionem nostram ad synderesis habitum pertinentem rei alicui à nobis peragendæ applicamus, vel etiam non agendæ, ex illa rei faciendæ, vel omittendæ cũ synderesi coniunctione vinculũ, ac veluti lex aliqua suboritur, qua vel ligamur, vel instigamur, vt hoc, aut illud faciamus, vel omittamus; ad quem actũ id pertinet, cùm affirmamus: *conscientia mea me ad id obligat, vel non obligat: ratio dictat hoc mihi faciendum esse, ne non posse hoc aut illud peragere.* Deniq, scientiã rei iã à nobis antea peractæ, vel omissæ accõmodamus, cũ iudicamus id perperam, vel bene factũ esse, hinc illæ formulæ nascũtur, quibus nos ipsos accusamus, vel excusamus, *mea me conscientia non remordet, neque lancinat; non me reprehendit cor meum*, &c. Ex quibus concludendum est omnia, quæ ad conscientiam pertinent, etiam ad synderesim pertinere, quandoquidem consciẽtia ipsa nihil aliud esse videtur, quam ipsius synderesis operatio, qua sua principia generalia, prima, & necessaria rebus singularibus applicat; vnde testificari, ligare, instigare, excusare, accusare, atque remordere, vt S. Doctor. q. 79. 1. p. a. 13. loquitur, sunt actus diuersi, qui ab ijsdem principiis huic aut illi rei accommodatis proficiscuntur, vt sicut ratio per principia speculatiua variis modis accommodata diuersos actus elicit, ita per principia practica plurimos actus circa operabilia exerceat; & sicut intellectus speculatiuus inuenit, & de inuentis iudicat, ita practicus instiget ad bonum, & de malo murmuret.

5. Actus synderesis.

Quæ si paulo latiùs explicaui, non est quod vllus mihi succenseat, cùm id egerim, vt meliùs intelligamus, quomodo noster Adamus synderesi vsus fuerit.

fuerit. Statim igitur vbi vocem Domini audiuit, abscondit se: nunquid priùs audierat? sed non terrentem, non formidabilem, sed amicam, & affabilem, Patris non iudicis, benefacientis, non vltoris, seu punire volentis. Quomodo igitur synderesim exercuit? nonne sciuit omne malum esse fugiendum? nonne pœna dignum? nonne turpe? nunquid se diuino intuitu iudicauit indignum? itaque testis est, ac iudex incorruptus conscientia, vt optimè relatus Chrysost. hom. 7. ait, *hac enim est liber,* inquit homil. 2. in psalm. 50. *in quo inscribimus peccata, quæ gessimus, hi sunt libri in die iudicij aperiendi, conscientia nostra,* inquit D. Aug. 20. de ciuit. cap. 14. & 15.

Adam quomodo synderesi vsus fuerit.

Chrysost.

August.

Primùm igitur conscientia Adami testis ei fuit, quòd peccasset præcepti diuini transgressione: quem, antequã offenderet, ligauerat, & instigarat, vt præceptum diuinum seruaret, nulla hîc excusatio, sed accusatio tantùm, tametsi Deo hanc suæ conscientiæ accusationem Deo manifestare noluerit, quæ lancinabat illum, ac veluti discerpebat, si tamen de sui peccati magnitudine, ac Dei offensi maiestate seriò cogitabat.

Itaque vbi hocce cordis suæ testimonium percepit, statim fugam, & latebras meditatus est: nec desunt, qui eum fidem amisisse putent, neque credidisse Deum vbique præsentem esse, alioquin quomodo sese abscondisset? quomodo peccatum suum ad interrogationes diuinas non aperuisset? veruntamen illud non inde necessariò consequitur: quandoquidẽ post peccatũ, & vbi quis in delicto flagranti deprehẽditur, tanta sæpe perturbatio nascitur, vt peccator infanti, furioso, vel ebrio similis factus nesciat quid faciat; Imo nõ rarò cõtingit post originale peccatũ nos ita perturbari, vt consilij inopes cæcutiamus, decipiamur, & bonũ, malũ, vel malũ, bonũ existimem⁹, vt in motibus accidit, quos Theologi primò primos appellant, quos neq; præuidere, neque cõmotos sedare possumus; cor siquidem hominum est maris feruentis, atque agitati procellis instar, quod sæpiùs tranquillum nequeas reddere, donec cordium scrutator, & penetrans renes Deus iubeat cessare ventos, vt in nobis magna tranquillitas fiat.

Sic igitur Adamus perturbari potuit, vt satis apparet, cùm vix inter peccatum, præceptique transgressionem, & nuditatem discernere videatur. Adde quod timebat diuinam præsentiam non tam vt est in se, & vbique præsens per essentiam, quàm prout in humana forma ei apparere consueuerat: sic enim eius aspectũ aspectui suo conformatum, & ad humanum captum accommodatum reformidabat. Quod etiamnum in nobis contingit, qui magis veremur, ne quis homo scelera nostra, atque vitia deprehendat, quam ipse Deus; ita miseri rebus sensibilib⁹ addicimur, & ab intelligibilibus abducimur, donec Deus Opt. Max. corpora nostra reformet, & cõformet claritati, atque fulgori corporis Christi, vt vix ea percipiamus, quæ menti conducunt.

VERSICVLVS IX.

Vocauitque Dominus Deus Adam, & dixit ei, Vbi es?

וַיִּקְרָא יְהוָה אֱלֹהִים אֶל־הָאָדָם וַיֹּאמֶר לוֹ אַיֶּכָּה׃

Καὶ ἐκάλεσε κύριος ὁ θεὸς τὸν ἀδὰμ, καὶ εἶπεν αὐτῷ πῦ εἶ.

ANtea volunt aliqui vocem aliquam confusam auditam fuisse, quæ nondũ protoplastos efficaciter in apertum pertraheret, fortè vt eis daretur pœnitentiæ spatium, nunc autem ingeminatam fuisse, qua prodirent, & ad confitendum adigerentur: addunt etiam illam auram diei, de qua versiculo præcedenti actum est, non esse vel auram vespertinam, vel zephyrum circa solis occasum excitatum, nec auroram matutinã, vt dicũt illi, qui tota nocte latuisse aiunt parentes nostros, sed ventum non iam tunc flantem, sed qui fuerit excitatus ad Dei præsentiam, quam שכינה *sechina* vocant Hebræi, sic enim 3. Reg. 19. præsentiæ diuinæ signũ fuit ventus vehementior præcedens: respondet etiam Deus Iob ex turbine. c. 38. sed cùm Hebraicè *Ruach* legamus. i. ventum, idque *haiom*, diei, & Onkelus habeat *ad quietem diei*. i. versus finem, postquã diei æstus efferbuit, verus sensus retineri debet, quem verba præ se ferunt: hinc multi credunt Adamũ sub vesperam eiectum fuisse ipso die sexto, quo creatus est; alij die sequente Sabbathi, & singulas horas diei sextæ alicui operi Dei in homine accommodant, vt horã decimã rebellarit, cùm noua mandata accepisset, vndecimã condemnatus sit, duodecimã expulsus, quasi verò Deus sit hominũ instar, vt in hominis formatione tempore indiguerit, & horã primã diei puluerem congesserit, secundã humorem, seu aquam cum ea miscuerit, tertiã præcipuas partes corporis fecerit, vt sex dies creationis totius mundi conueniant in vno microcosmo: apage sis Bahai, & tu R. Elias Mizrahi cum tuo Thalmud, nec enim Deus totum diem in hominis creatione impendit, cùm & eodẽ terrestres animantes formarit, non die præcedẽte sub vesperam, vt aiunt.

3. Reg. 19.

Iob. 38.

Bahai.

R. Elias.

Quidam Hebræi ita condensam aiunt fuisse vetitam arborẽ, vt suis frondibus texerit, & peruenerit vsque ad arborem vitæ, quã etiam prohibitam esse volunt, quòd ex vna perueniretur ad alteram, adeout ad arborẽ vitę non posset quis venire, nisi per arborẽ scientiæ boni & mali: Eugubinus addit arborem vitæ fuisse præmiũ homini constitutum, si perseueraret: ita R. Isaac Caro: sed id non exprimit Scriptura, nisi verba sequentia Dei huc referant: ne fortè manum iniiciat in arborẽ vitę, & viuat in æternũ: sed de his postea. Addit R. Caro non tam esum fuisse prohibitum, quàm tactum, ex eo quòd locus horti medius sanctus esset, vbi Deus ageret, tanquã rex in medio regni, vt ille locus esset tanquã Sanctũ Sanctorũ in tẽplo, in quod nequidẽ licebat ingredi Sacerdotibus, nisi summo, sed quia per esũ perueniebatur ad cõtactũ rei sacrosanctæ, ideo esum fuisse prohibitũ. Quæ gratis esse cõficta puto: nec alia necessaria sunt, vt diuinum institutum exploremus, quàm quæ in Scriptura sacra legimus, volebat enim hominem probare, & in obedientia sui continere, ne plus saperet, quàm oportet, aut ad altiora se aspiraret.

Eugubin.

R. Isaac.

Vocauit itaque Dominus Deus Adam. Vbi notant Hebræi, dictum esse, *vocauit*, non, *dixit*, vt significaretur primos homines à Deo lōgissimè per peccatum alienatos fuisse, adeout illi magnis clamoribus reuocādi fuerint; enimuero de eorum salute actū erat, nisi Deus eis proditorio animo ad aliena castra desciscentibus, perniciterque fugiētibus per infinitam misericordiā adfuisset, & illos in gratiam recepisset. Solum virum appellat, quia est mulieris caput, & ad eum mulieris, ac totius familiæ negotia pertinent, cuius princeps est, & dominus, atque adeò munus est ei impositum, vt Deo rationem reddat de omnibus: eius enim fuit aduertere ad id, quod mulierem suadebat, num Dei voci repugnaret, nec ita mulieris illecebris aures patefacere debuit: Hæc autem vocatio sermonis exordium est, atque iudicij, quod Deus in eos laturus est.

Adam vbi es? Ecce vox illa Dei, quam primi parentes audierunt, ac si esset prima ad iudicium conuocatio, vbi profectò magnam Dei clementiam admiror, atque suspicio, qui per se vocauit Adam, tametsi iudex esset; quod homines nunquam inter se facerent, licet eandem naturam sortiti sint: cùm enim in alto solio iudices sedent, supplicijsque malefactores afficiunt, nec suo eos responso dignantur: hoc ipso illis ostendentes, quantā ignominiā suis se flagitijs aspserserint; & quidem iudex respondet, sed alius quispiam à iudice hæc excipiens, reo annuntiat & iudici quoque, quæ reus dixerit, qui fermè iudicantium mos est, vt suo etiam tempore D. Chrysost. hom. 17. testatur, verus Deus non sic agit, sed per se vocat. Chrysost. O vox clementiæ ineffabilis, quæ erubescentem, & neque os aperire, neque linguam mouere audentem animabat, *vbi es?* quid factum est? nunquid in alio te statu posueram? te gratiā indueram, iam te nudum inuenio. Vnde tibi hoc accidit? quis te in tantam induxit vicissitudinem? Quis fur omnem diuitiarum substantiam auferens, in tantam inopiam te reduxit? Vnde nuditatis sensus tibi contigit? quænam fuit illa causa, vt auferretur à te vestimentum illud admirabile, quo amictus eras? Quæ repentina hæc mutatio? Quæ tanta tempestas ita subitò omnes tuas merces demersit? Vnde fit, vt iam illum fugias, atque timeas, qui tanta tibi dona contulit? Num astat tibi qui accuset? Num premunt testes: vnde tanta formido, tantúsque metus te inuasit?

Vnde S. Chrysost. hortatur iudices, vt cum ius reis dicunt, non tam crudeliter eos alloquantur, neque ferinā in illos vtantur sæuitiā, sed longanimiter, & misericorditer agant, vt pote suis ipsorum membris ius dicturi, cogitentque eos naturā cognatos esse, vt supplicium misericordiā temperent. Non enim frustra tantā verborum humilitate nostræ tenuitati congruā vtitur diuina Scriptura, sed verbis istis docet pro viribus nostris humanis debere nos Domini benignitatem æmulari. Iudices erga reos debent esse misericordes.

Reliqua verba, quæ Deus vnicuique parentum locutus est, per se quilibet excogitare potest; meritò nāq; potuit Deus ob oculos omnia priuilegia, atque gratias ponere, & ingratitudinē exprobrare, quod tantis donis abusi sint. Poterant enim facilè gloriam Angelorum, & paradisi contemplari, poterant omnes actus suos meritorios efficere, & in omnibus Deo creatori suo placere, cùm iam ita sint imbecilli, vt non desint, qui negent eos vllum actum moraliter bonum efficere posse, quia non minus debiles facti sunt, quàm si in puris naturalibus creati fuissent, paucis forsitan exceptis. Nec enim ita constat, an à fide supernaturaliter infusa exciderent; imo facilè crediderim spem infusam in eis remansisse, nec enim vllum desperationis actum in pomi comestione, nec in alijs circunstātiis eos elicuisse deprehendo, quanquam si fidem amiserunt, ex consequenti spes excisa est, quæ secundū legem Dei ordinariam cum infidelitate subsistere nequit, & quidem non adeò parua est difficultas, quæ non mereatur quæstionem integram, in qua disquirendum est, an Adam sese à facie Dei abscondens fidem, & spem amiserit, sicut & Eua, & an hoc supposito actum moraliter bonum naturæ viribus efficere potuerint.

QVÆSTIO XLII.

AN CVM ADAM, ET EVA SESE ABSCONDERVNT, fidem, & spem amisissent, & an in aliquem actum tam ex obiecto, & fine, quàm ex motiuo, cæterisque circunstantiis bonum prorumpere possent.

PLurima sunt, quæ hac in re dubium suggerunt; etenim cùm diuini numinis cōspectum fugerint, in Atheismum incidisse videntur, quandoquidem vel Deus est vbique, vel nullus est, cùm immensitas ei necessariò conueniat, adeout qui tollit immensitatem, simul etiam diuinitatem destruat. Verùm non ausim affirmare primos parentes in verum Atheismum impegisse, nisi dixerimus plures alios idem peccatum contrahere, dum ita facilè scelera perpetrant, ac si non esset Deus, qui eos aspiceret, vel eatenus aliquem Atheum fieri, quatenus in Deo concipiendo errat, & ei absurdum aliquid adiungit, vel demit aliquid necessarium, quæ vitia non sunt Atheismus propriè sumptus.

De hæresi verò, & infidelitate, nec non desperatione breuiter affero, quæ mihi probabiliora videntur. Scio quidem Tertul. l. 2. contra Marcion. Adamum hæreticum asserere, vt patet ex eius verbis. Tertul. *Quod si à primordio homo animalis non recipiens quæ sunt spiritus, stultitiam existimauit Dei legem, vt quam obseruare neglexit, ideoque non habendo fidem, etiam quod videbatur habere, ademptū est illi, paradisi gratia, & familiaritas Dei, per quā omnia Dei cognouisset, si obedisset: quid mirū si redhibitus materiæ suæ, & in ergastulū terræ laborādo relegat', in ipso opere prono, & denexo ad terrā, vsurpatū ex illa spiritū mundi vniuerso generi suo tradidit dumtaxat animali, & hæretico non recipienti, quæ sunt Dei? Aut quis dubitabit ipsum illud Adæ delictum hæresim pronunciare, quod per electionē suæ potiùs, quàm diuinæ sententiæ admisit, nisi quòd Adam nunquam figulo suo dixit, non prudenter definxisti*

definxisti me; confessus est seductionem, non occultauit seductricem, rudis admodum hæreticus fuit. Cui D. Ambros. 5. epist. 33 epist. August. c. 45. enchir. & 14 de ciuit. c. 17. & Leo serm. 4. de Natiuit. subscribunt, & ex recentioribus Bellarm. l. 3. de statu peccati c. 6. & Ludouicus à Paramo l. 1. de origine inquisition. c. 4. & 5. Sed quasdam fidei acceptiones priùs mihi referendas existimo, quàm vt desiniam fuerintne primi parentes hæretici, necne, & fidem amiserint; Vega nouem acceptiones recenset tract. de iustif. q. 1. decem Bonau. in 3. d. 23. vndecim Halens. 3. p. q. 74. membr. 1. quindecim Sotus 2. de nat. & grat. cap. 6. nos autem hîc septem duntaxat referemus.

Ambr. August. Leo Bellar. Lud. à Paramo. Vega. Bonau. Halen. Sotus.

7. Significationes fidei. Tullius.

Igitur fides primò sumi potest pro fidelitate, atque veritate, qua fideliter præstamus, & adimplemus, quod promisimus, quam offic. 1. Tull. definit factorum, dictorumque constantiam, & veritatem, atque totius iustitiæ ciuilis fundamentum, nec enim vlla respublica conseruari potest absque illa fidelitate & veritate, quo etiam sensu fides ad Galat. 5. sumi potest, dum inter fructus spiritus recensetur, sic enim à D. Th. explicatur, sic etiã Gen. 44. dum Iudas recipit Beniamin in suam fidem, sic Ierem. 7. *periit fides*, & ad Rom. 3. *numquid incredulitas illorum fidem Dei euacuauit.* 2. Pro sponsione, voto, seu promissione. 1. ad Timoth. 5. *primam fidem irritam fecerunt.* i. vouerunt, & non reddiderunt, inquit D. Aug. in Psal. 75. vnde fidem ab eo deducunt, quòd fiat illud, quod dicitur.

ad Gal. 5. Gen. 44. Ierem. 7. ad Rom. 3 1 ad Tim. 5 August.

Tertiò pro obiecto fidei, vel rebus, quæ creduntur, qua ratione religio Christiana apud Athanasium in symbolo fides Catholica vocatur; & ad Rom. 16. *patefactum est mysterium ad fidei obeditionem.* i. vt credantur ea quæ ad doctrinam fidei pertinent: & ad Gal. 3. *priusquam veniret fides.* i. religio Christiana; vnde D. Aug. 1. de Trin. c. 13. *alia est fides, qua creditur, alia, quod creditur.* 4. Pro cõsciẽtia ad Rom. 14 *quod non est ex fide, peccatum est.* i. quod contra iudicium conscientiæ pugnat; quo sensu apud Iuriscon. possessor bonæ, vel malæ fidei appellatur. 5. Pro credulitate, & assensu intellectus, qua quis sibi persuadet verum esse, quod dicitur; vnde fidem facere, idem est ac persuadere; quo sensu accedentem ad Deum credere oportet, id est, sibi persuadere, quia est, à qua fide fideles appellamur. 6. Sumitur pro habitu, siue principio assensus, vt 1. ad Cor. 13. *si habuero tantam fidem, itaut montes transferam*, & ad Hebr. 11. *fides est substantia rerum sperandarum*; sic fides est qua credimus. 7. Denique pro fiducia sumi potest, vt Iacob. 1. *postulet in fide nihil hæsitans.* i. cum magna fiducia, & Math. 14. *modicæ fidei quare dubitasti.* i. quare non confidis de meo auxilio, qua ratione idem esse videtur cum spe; & à fide nascitur, quã credimus aliquid esse verum.

ad Rom. 16 ad Gal. 3. August. ad Rom. 14 1. ad Cor. 13 ad Heb. 11. Iacob. 1. Math. 14.

Quibus præmissis facilè constat primos parentes infideles fuisse, siue fidem amisisse, prout significat fidelitatem, qua præstamus, quod promisimus, quandoquidem non seruarunt diuinum præceptum à Deo acceptum. An verò fidem amiserint, prout est vel habitus assensus, vel credulitas, qua quis vera esse credit, quæ à Deo reuelata sunt deinceps inquirimus. Vbi dico imprimis non fuisse necessarium, vt fidem amitteret Adamus ad originale peccatum in posteros transfundendum, satis enim erat quòd gratiã Dei priuaretur, quam præcepti transgressione amisit. Deinde probabile esse, quòd à fide non exciderit, nam similia peccata possumus facere, tametsi fidem non amittamus. Tertiò probabilitate non carere: quòd hæreticus fuerit, tum quia Patres citati illud asserunt; tũ etiã quia protoplasti dæmonis suggestioni, potius quã verbis Dei credidisse videntur; quid scimus, an existimarint Deum fallere, vel mentiri, vel etiã decipi posse? Quartò nihil ea de re certũ concludi posse, sed vnicuiq; prout arbitratus fuerit, & diuersis cõiecturis innitetur, licere opinari: ratio est, quia nullus est Scripturæ locus, qui ad hanc, aut illam partem nos cogat, vt tamen libenter afferam, quę hac in re sentio. Dico quintò mihi probabilius videri, quòd primi parentes hæretici non fuerint; nã ille non statim hæreticus dicẽdus est qui in fide peccat, sed qui Ecclesiæ authoritate neglecta impias opiniones animo pertinaci tuetur. Nullas autem huiuscemodi opiniones legimus, quas Adam, vel Eua secuti fuerint, qui licet existimasse videantur se non esse mortem incursuros, si de fructu vetito comederent contra expressum Dei verbum, attamen illos arbitror paratos fuisse ad sententiã illam mutandam, statim atque à Deo moniti fuissent, qui prælati vices eo tempore gerebat, & sub Dei verbis aliquod mysterium latere, vel alio modo, quàm sonarent, accipienda esse forsitan existimarunt. Vbi deprehendo præsumptionem, atque temeritatem; illi enim Deum cõsulere debuerunt, vbi de sensu præcepti dubium oriri cœpit, vt à legislatore sensum legis acciperent.

An primi parentes hæretici fuerint.

Quid si dicat aliquis eos epijkia vsos fuisse? atque apud se conclusisse præcepto suo Deum eos noluisse obligare, si ad vetiti fructus esum ab alio prouocarentur; at illud sufficere non potuit, nam euidentius erat præceptum, quàm vt hanc exceptionem pateretur. Adde quòd non sit nostrũm superioris præcepta iuxta proprium captum interpretari, sed vel ad eum, vel ab eo constitutos recurrendum est, vbi satis commode fieri potest, vel id nunquam absque euidenti ratione faciendum est. Quapropter nulla ratione possunt excusari, quin vel præsumptionis, & temeritatis, vel etiam hæresis arguantur iuxta probabilem sententiam. Cæterum vide Boroxensem l. cit. titulo 2. vbi facit Deum primum inquisitorem se post instructũ processum aduersus protoplastos accingentem, de crimine inquirentem, & modum præscribentẽ, quo sese gerant, qui de crimine hæresis inquirunt: *Inter alia verò Deus*, inquit, *primos parentes ad confusionem tunicis pelliceis induit veluti sacco benedicto, quo Inquisitores vtuntur, in quo sunt cruces transuersæ:* videatur Eymericus part. 2. tit. de forma pœniten. §. credentes. suspendunt autem illum saccum in Ecclesia parœciæ hæretici ad memoriam sempiternam impietatis, & nomen condemnati, atque condemnationis causa exprimitur.

Boroxen. Saccus inquisitionis dictus in Hispania Sa. benito. Eymericus

VERSICVLVS X.

Qui ait: vocem tuam audiui in paradiso, & timui, eò quòd nudus essem, & abscondi me.

וַיֹּאמֶר אֶת־קֹלְךָ שָׁמַעְתִּי בַּגָּן וָאִירָא כִּי־עֵירֹם אָנֹכִי וָאֵחָבֵא׃

Καὶ εἶπεν ἀδὰμ, τῆς φωνῆς σου ἤκουσα περιπατοῦντος ἐν τῷ παραδείσῳ, καὶ ἐφοβήθην, ὅτι γυμνός εἰμι, καὶ ἐκρύβην.

ADamus prodit in lucem, & è medio ligno, condensisque frondibus exilit ad vocē Creatoris; vnde constat eum bis Dominum audiuisse; sed quæ fuerit illa prima vox non explicatur, quapropter illa prima vox, ad cuius sonitum sese abscōderat, potuit esse terribilis, ac si subuerterētur montes, & petræ contererentur, vt contigit Eliæ 3. Reg. 19. nam quando Deus apparet, vox eius ita voces consuetas excedit, vt appareat Deum esse, vel alium, qui missus ab eo loquatur; ita factus est repentè de cœlo sonus, cùm in die Pētecostes venit Spiritussanctus, sic etiam quando Mosi legem dedit. vt Exod. 2. Deut. 4. & ad Heb. 12. videri potest.

3. Reg. 19. — Exod. 2. Deut. 4. Ad Heb. 12.

Illo igitur sono, fragore, strepitu, aut voce percepta terrore perterritus, & animo turbatus præ pudore, nesciens ferè quid ageret, sese abscondit; rationem autem affert non suum peccatum, sed timorem, & erubescentiam; cùm enim peccati sibi conscius esset, ante conspectum illius apparere non audebat, cuius oculi mundi sunt, ne videat iniquitatem. O miserum peccatorem! te abscondis ab eo, qui te sanare potest, fugis Medicum, fugis, quasi te minimè videret, qui omnia videt, nondum audieras Dominum tuum apud Hierem. c. 23. docentem. *Si occultabitur vir in absconditis, & ego non videbo eum dicit Dominus: nunquid non cælum, & terram ego impleo*: quid Adame fugis? an Dei potestatem, ne te debito supplicio afficiat? an eius iudicium, ne te corripiat, atque condemnet? cur præuaricaris? cur Dei faciem reformidas? egredere de latibulo, accede ad lumen, vt cæcitatem tuam detergat, veni ad medicum, vt te persanet, veni & præueni iudicem, vt tibi misericordiam impertiat, aut aliquid de pœna remittat, accede ad tantum doctorem, vt te reducat ad veram doctrinam. Sed voci secundæ respondentem Adamum intelligamus. *Vocem tuam audiui in paradiso, & timui.* Recordor illius vocis, quam omnes in die iudicij vltimi audituri sumus, quæ magnam iustis, & electis consolationem, sed ingentem metum impijs, & reprobis allatura est. *Venite benedicti, Ite maledicti.* Apage mihi timorem hunc, & metum illum seruilem excute: ne deinceps timeas ante diuinum conspectum stare, quòd nudus sis corpore, tametsi enim displiceat creatori, quod te folijs ficulneis velatum reperiat, quem nudum fecerat, non ita propter tuam illam turpitudinem, & verecundiam inde consequentem metuere debes, ac propter peccatum, quod tibi causa est, cur diuinum conspectum refugias.

Hier. 23.

Sed obsecro in primo nostro parente peccatorum imaginem contemplemur, qui quidem post scelera à se perpetrata timent, anguntur, dolent, at non tam propter Dei offensam; atque donorum cœlestium amissionem, quàm propter incommoda, & mala fortunæ, aut corporis, quæ inde accidunt: vnde patet in seipsum, suáque cōmoda peccatorem conuerti, atque recuruari, vt quandiu versatur in peccato, sit auersus à Deo, & ad creaturam, sed præsertim ad seipsum conuersus, & recuruatus, quia deflexit à summa rectitudine.

Sistit ergo se ante Deum cum maximo sensu ignominiæ, sed solam nuditatem prætexit, quasi peccatum in ipsam naturam refundi debeat, cùm tamen Deus nuditatem per se non moretur, nisi adesset impuritas, sine qua nudos illos mundo exhibuerat.

Admiranda profectò Dei bonitas, qui priùs vocauit, quàm inuocaretur, cùm tamen præuaricator iudicem in confessione præoccupare debuisset: egregiè Rupert. in hæc verba, *Vbi es* quia videlicet mouit pedem suum, & in loco suo non est. Locus enim hominis Deus est, extra quem nusquam bene est. Vnde Iob. c. 7. *Sicut consumitur nubes, & pertransit, sic qui descendit ad inferos, non ascendet, nec reuertetur vltra in domum suam, neque cognoscet eum amplius locus eius.* Non dixit, neque cognoscet amplius locum suum, sed neque cognoscet eum amplius locus eius, quia profectò postquam semel dixerit *nescio vos*, neminem damnatorum cognoscet Deus, neminem perditorum requiret ampliùs. Bene ergo locus suus post lapsum hominem, locus, inquam, suus .i. Deus requirēs dicit. *Adam vbi es?*

Rupert. — Iob. 7.

Tametsi verò non ita se peccator abscondere possit, quin à Deo videatur, quia tamen ex se indignus est, in quem oculi diuini respiciant, id est ad quem diuina prouidentia extendatur, quia se ab eius ordine sponte substraxit, ideóque remotus à Deo, & ab eius cognitione dici potest absconditus, maxime cùm Deus non cognoscat peccatum cognitione approbationis, adde quòd cùm nihil sit, sed nihil voluntarium, odio dignissimum est, at quæ odio habemus, ea nunquam videre cupimus. Sed ad Adami metum redeo, cum quo Euam è latebris exijsse, & metuisse non in dubium reuoco. Sunt autem plurimæ, quæ circa timorem hunc nostrorum primorum parentum inquiri possunt, à quo timores isti, quibus tam sæpe percellimur, traxerunt originem: vt enim ab attributis diuinis tanquam à veris causis exemplaribus omnes virtutes procedunt, & in creaturas diffunduntur: & quemadmodum à iustitia originali protoplastis concessa, omnes virtutes ad eius complementum pertinentes ad nos vsque manassent, sic etiam omnes defectus, & animi motus inordinati, in quos Adamus incurrit, præcepsque ruit, ad nos propagati sunt. Ideóque quæstionem hîc excitabimus de metu illo, vt sciamus, an metuendo peccauerint, & quisnam fuerit ille timor, an cadens in virum constantem, necne.

Deus quomodo peccatores nō cognoscat.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XLIII.

DE METV, SEV TIMORE ADAMI; AN IVSTVS fuerit ille metus, vel ingratus Deo.

VIx aliquid in scripturis sanctis frequentiùs occurrit, quàm metus, & terror: cùm autem primus totius mundi timor, quo solent homines concuti, in hoc versiculo declaretur, operæpretiũ est, vt accuratè metum explicemus, qui quidem vel ad appetitum rationalem, vel ad sensitiuum pertinet, est enim vna ex 4 passionibus, quas Boëtius describit. Boët.

Gaudia pelle, pelle timorem,
Spemque fugato, nec dolor adsit,
Nubila mens, hæc vbi regnant.

6 timoris species. Scio quidem plures enumerari timoris species, segnitiem, verecundiam, erubescentiam, stuporem, agoniam, pauorem &c. quas accuratiùs discutere non est opus, vt timorem Adami deprehendamus. Timor quid? Tullius. Itaque timor, si Tullio credamus, est diffidentia expectati mali; accuratiùs verò definitur affectus animi, seu motus appetitus, quo propter imminentia pericula perturbamur, & affligimur, qui nobis cũ animantibus communis est; est enim vna ex perturbationibus irascibilis facultatis, licet in voluntate hominis etiam situs sit affectus timoris, huic passioni quâdam analogiâ respondens.

Timor quãdo vitiosus, & peruersus sit. Hinc fit, vt timor bonus, aut vitiosus esse possit, vt & cæteræ passiones; Duobus verò modis vitiosus erit, primò si quis aliquid tanquam malum timet, quod reuera malum non est; qua ratione multi timent, ne quid ventri desit, aut mundus hic cum suis carnalibus voluptatibus relinquẽdus sit; hic autem timor à prauitate, iudicijque defectu oritur. Deinde vitiosus est timor, quando timet aliquis, quod verè malum est, sed non in eum finem, vel nõ eo modo, quo oportet, sic enim impij pœnas timent legis præuaricatoribus in sacris literis propositas, ita tamen vt nusquã ad Dei gloriam, sed ad sua commoda respiciãt, vt constat in Cain, de quo postea, qui timuit absque modo, & fide. Peccatores verò timor comitari solet, quanquam timor ex se non est malus, nam ipse Christus timore correptus est, cùm Marci 14. *pauere, atque contristari cœpit*, ideóque cùm impetum eius regere, atque moderari nouimus, nec excusso fræno ferocem, atque indomitum in scelera ferri permittimus, sæpè bonus est, & laude dignus efficitur, idque quoties tãtùm metuimus, quantum, quomodo, & in quem finem debemus, vel, quod eódem recidit, iuxta Dei voluntatem, vel cùm aliquis nunquam ob vllum metum deserit, quæ Deus præcepit; alioqui vitiosus est timor, ob quem homo timidus, ignauusque dicitur apud Philos. l. 3. de morib. c. 10. ὁ δὲ τῷ φοβεῖσθαι ὑπερβάλλων, δειλός. i. *qui metuendo modum superat, is ignauus, timidúsque nominatur*, cuius rationem affert, quia ἃ μὴ δεῖ, καὶ ὡς οὐ δεῖ, καὶ πάντα τὰ τοιαῦτα ἀκολουθεῖ αὐτῷ. i. *quæ metuenda non sunt, & quemadmodum non sunt, metuit, omniáque eiusdem generis eum comitantur.* Verùm præter 6 prædictas timoris species, quas Damascenus l. 2. de fide orthod. c. 15. assignat, placet 6 alias afferre, vt metum, seu timorem Adami, & Euę ad aliquem ex istis reducamus.

Marc. 14. — Aristot. — Damascen.

Primum veluti cæterorum fundamentum naturalem appellare possumus, qui tametsi nobis, & brutis communis est, quia in illis etiam est imaginatio, quæ malum arduum apprehendat, & per consequens motus irascibilis facultatis, quo illud obiectum refugiant animalia; attamen de eo, prout in homine spectatur, agamus. Hoc igitur timore affecti ea timemus, quæ si inferantur, nobis incõmoda, tristitiam, & ingens malum allatura sunt, qualia censeri debent mors, carcer, supplicia, exilium, fames, & id genus alia, ad quem timorẽ Christi agoniam referunt Luc. 22: sicut & metũ Isaaci, quando timuit Abimelech Gen. 26. & Iacob Esau. Gen. 32. qui sæpiùs rationem, & deliberationẽ anteuertit, ideóque peccatum non est. Nec video cur non possimus protoplastorum mentem ad hanc timoris speciem referre; statim enim atque Dei vocem audiuit, pauere cœpit, nec (credo) huic timori resistere poterat, cúmque superare. Sed alias species breuiter percurro. 6 Species timoris explicantur. 1. Timor naturalis explicatur. Luc. 22. Gen. 26. & 32.

Secundam igitur speciem humani nomine vocant, quo timet homo vel corporis pœnã, vel quid simile, sed vehementiùs, quàm ratio præscribat, quod toties fieri solet, quoties contra legem aliquam, vel præceptum agit, quales sunt, qui ne moriantur, fidem negant, periurant, aut aliud facinus perpetrant; qui cùm peruersus sit. Math. 10. prohibetur: ***Nolite timere eos, qui occidunt corpus.*** Oritur autem ex amore sui nimio, vitæque præsentis inordinato, vehementiorique desiderio, adeout qualis est amor sui, talis sit & timor iste: si lethalis amor, lethalis erit timor, qualis fuit Pilati met⁹, qui Ioh. 16. c. ne Cæsaris indignationem incurreret, morti Seruatorem nostrum adiudicauit: hunc autem timorem charitas expellit; quòd si veniâ dignus fuerit amor sui, timorem huiuscemodi conditionis esse concludendum est. Timor human⁹ quis? Math. 10. Ioh. 16.

Adami verò timor non est ad istum reuocandus, nisi dixerimus eum ita sese habuisse, vt rursum cõtra Dei præceptum, ac voluntatem agere paratus fuerit, si ei daretur optio, vt vel se suppliciis ob præcedens facinus imponendis submitteret, & exponeret, vel rursus peccatum committeret. Verùm timor ille potiùs in habitu, quàm actu spectandus esset; & quidem non puto me à veritate aberraturum, si dixero huiuscemodi timorem omnibus inesse, qui culpam lethalem contraxerunt, & in ea persistunt.

Tertius ferè ad præcedentem reducitur, qui vulgò mundanus appellatur, quo nempe quis mundi, seu fortunæ bona timet amittere, adeout malit agere contra salutem, vt ea seruet; ita Iudæi timebant, ne ob Christi dimissionem venirent Romani, & eorum patriam euerterent, eosque honoribus auitis priuarent Ioh. 12 ita auarus, & superbus diuitiarum, & honoris intuitu quid non perpetrãt? quot adulteria, quot homicidia committunt? de hoc autem ex æquo dicendum est, ac de præcedenti, quippequi similem originem, & æqualia habet incommoda. Timor mũdanus quis? Ioh. 12.

Sequitur quartus, qui reuera seruilis est, quo Timor seruilis quid?

nempe timet aliquis offendere, vel bonum operatur, non ob virtutis honestatem, sed tantùm ne pœnas sustineat; quod autem fit timore pœnæ, non amore iustitiæ, nondum benè fit; nec fit in corde, quod fieri videtur in opere, quod mallet homo nō facere, si posset impunè, vt præclarè docuit S. August. l. 2. contra Pelag. Hic autem timor tametsi malus non sit, sed potiùs indifferens, attamē disponit ad bonum, & est velut seta, quâ filū charitatis introducitur, ac velut medicina, quæ animæ salutem præparat: ideóque Deus pœnas suis apposuit præceptis, Deuteur. 26. An dicemus nostrum Adamum illo timore concuti? dum ad secundam vocem ex latebris prodit in lucem, ne grauioribus suppliciis afficiatur, fortè non proditurus, nisi pœnas timuisset? Sed nunquid omnis peccator hocce timore percellitur? vtinam Deus meus à timore tuo parturiremus omnes, & spiritum salutis conciperemus. Sanè vbi quis à gratia Dei decidit, & peccati sui deformitatem apprehendit, Deum vt suarum iniquitatum vindicem timere, peccata odisse, quia tantorum suppliciorum causa fuerunt, & ne supplicia maiora incurrat, à nouis peccatis abstinere incipit.

August.

Deut. 26.

Quintus timor dicitur initialis, quo iam aliquis malum cauet, & bonum amplectitur amore præmij sibi propositi, de quo præsertim Ecclesiast. c. 1. loquitur, *initium sapientiæ timor Domini, & timor Domini peccatum expellit*, qui sicut medius est inter timorem filialem, & seruilem, ita videtur esse inter naturæ vires, & gratiam Dei; partim enim abstinet à malo terrore pœnæ, partim spe præmij; Attamen existimo timorem hunc esse in pluribus, qui sunt in gratia Dei, nec enim ei repugnat, vt quis Dei mādata custodiat, ne pœnas inferni incurrat, aut æternis bonis perfruatur, imo verò illud Deo gratissimum est, & psaltes regius canebat, Psal. 118. *Inclinaui cor meum ad custodiendas iustificationes tuas propter retributionem*: an verò timor iste in Adamo fuerit, non ita constat, qui statim atque peccauit nulla spe præmij, imo neque minis ad peccati confessionem, & resipiscentiam adduci videbatur, imo potiùs resiliebat, & quātum fieri poterat, peccatum occultabat, adeout vix ipse Deus illud ex protoplastorum ore blandis tametsi verbis extorqueret: at siue timore illo concussus fuerit, siue nō, quando per pœnitentiam ad Deum conuersus est: certum est alio metu correptum fuisse, nempe seruili, qualis esse solet in reis, qui ducuntur in carcerem, vel iudicis præsentiam timent, ne corripiantur. Verùm pauca de aliis timoribus subiungamus.

Timor initialis quid? Eccles. 1.

Psalm. 118.

Sextus itaque filialis appellatur, quo timet aliquis ex amore, & reuerentia aliquem offendere, & illo frui desiderat, qualis esse debet timor filij erga patrem, quem veneratur, atque diligit, ita Gen. 27. Iacob timebat ne si vestes fratris indueret, pater existimaret ei filium illi voluisse illudere; quem etiam castum dicunt, quia vxor pudica timet ob amorem sincerum viro suo displicere; & amicabilem, quia veri amici seruant illum inter se; quod satis in Ionatha, atque Dauide constat 1. Reg. 10. quorum mentes agglutinari videbantur: vocant etiam reuerentialem ob reuerentiam, & honorem, quem parit in eorum mentibus, qui hocce timore venerantur sese, & mutuis honoribus afficiunt: hic est timor virtutis, & dilectionis 2. ad Timot. 1. atq; timor sobrietatis σωφρονισμοῦ, & *spiritus adoptionis filiorum Dei*. ad Rom. 8. vno verbo timor iste donum est Spiritussancti; quo nihil frequētius in scripturis inculcatur Deut. 6. & 10. Iosue 10. Eccl. 2. 7. & vltimo. 1. Petri. 2. & Apoc. 14. *Timete Deum, & date illi honorem*; cui etiam omnes ferè promissiones factæ sunt Tobiæ. 4. Eccl. 1. Prou. 28. adeout Eccl. 23. legamus. *Timenti Dominum beata est anima eius*: quo si probè fuisset vsus Adam (Deus enim menti protoplastorum hunc timorem infuderat) nunquā de fructu vetito comedisset, nec tētationi mulieris succubuisset; nā *timenti Deū non occurrent mala, sed in tentatione Deus illū conseruabit & liberabit à malis*. Eccl. 33. Quoniam verò cum timore seruili, quo præcipuè Adamum ad latebras quærendas inductum esse puto, timor naturalis iungi solet, vt omnium timorum fundamentum, pauca de eo disseremus, vt inde concludi possit, quisnam timor in virum constantem cadere valeat.

Timor filialis quid? Gen. 27. Castus. 1. Reg. 10. 2 ad Tim. 1. Ad Rom. 8.

Deut. 6. & 10. Iosue 10. Eccl. 2. 1. Petri. 2.

Eccl. 33.

Timor naturalis, qui tertius inter appetitus sensitiui perturbationes collocari solet, vel secundus, (nam motus primus est spes, cui desperatio repugnat, 2 timor, quē audacia fugare, & expugnare solet) nihil est aliud quàm ipse motus, seu actio appetitus irascibilis, quo refugit obiectum aliquod, quia magnum inde incommodum sibi futurum præuidet, si cogatur in illud incurrere, eique coniungi, siue obiectū sit reuera huiuscemodi, siue in apprehensione æstimatiuæ, vel phantasiæ, quod abundè sufficit, vt quis isto motu perturbetur: Hūc autem affectum maximè iuuat melancholia, iuuāt & tenebræ, & horrida loca, & sanguis dilutior, fibrisque carens, quia frigidior est; quapropter timidiores esse solent, quibus inest sanguis vel nullis, vel paucis fibris respersus: & animalia penitus exanguia omnium timidissima, teste Philosopho 2. de part. anim. c. 4.

Timor naturalis quid?

Vnde timor generetur?

Aristot.

Hinc fit, vt Cerui, & Damæ, cæteráq; animalia, quibus sanguis dilutior est, timidiora sint, & Physiognomi facilè iudicent, an aliquis sit timidior, necne: cuius signa docet Aristot. c. 6. physion. Sunt enim timidi signa, pili molles: si quis corpore inclinatus sit, non erectus: si suræ sursum contractæ, si circa faciem pallidus, oculi imbecilles, & nimiū coniuentes, & extrema corporis imbecilla, & crura parua, manus longæ & graciles, lumbi parui, & imbecilles, figura contenta in motibus: mos qui est in facie, mobilis, & mœstus. Cùm autem subitus est, atque vehemens timor, eum Græci vocant ἔκπληξιν, cui contraria est περιχάρεια, est enim gaudij excessus.

Aristot. Signa plurima timidi.

ἔκπληξις, & περιχάρεια quid?

Quod si quis discernere velit an sit meticulosus, an verò melācholicus, id docet senex Medicorum sect. 6. Aphorismo 23. ἢν φόβος ἢ δυσθυμίη πολὺν χρόνον διατελέῃ, μελαγχολικὸν τὸ τοιοῦτον, *si metus, & tristitia multo tēpore perseuerent, signū est melancholicū*. Ratio est, quia succus melancholicus vapores tetros, & obscuros in cerebro, & cæteris partibus corporis generat, quibus splendidus vitalis, atq; naturalis, sicut & animalis æther, & claritas obtenebratur ad eum ferè modum, quo aër absente sole obnubilatur, vnde sæpius appellamus cœlum triste, ac melancholicum tempus, atque molestum, quia puritatem, atque fulgorem aëris tollit. Cautè verò legendi sunt interpretes huius aphorismi: est enim falsum, quod aiunt animæ substantiam ex splendido æthere constare, tametsi enim humor melancholicus nescio quā malignitate ingenitā menti tenebras offundere videatur, dum sursum attollitur, ac pauores, & tristitias inducat, non ideo putes animę substantiam infici, vel quibusdam spiritibus corporeis esse conflatam: quandoquidem spiritualis est

Hippocrat.

lis est, & incorruptibilis, sed in suis actibus detrimentum patitur, quia semper ab organis corporeis in suis operationibus dependet, quandiu versatur in mortali corpore.

Temperies tumida vnde? Habemus ergo timorem naturalem eò maiorem esse, quò sanguis aut paucior est, & dilutior, aut frigidior, & paucioribus fibris intertextus; hinc fit, vt pro diuerso sanguinis temperamento animi actiones sæpissimè varientur.

Enimuerò si sanguis fuerit melancholicus, animalis spiritus simul cum cerebri substantia nigrore inficitur, ideoque speciem quamlibet externam horridè recipit, non secus ac si triste esset, quod recipitur; animus enim licet spiritualis sit, puris, splédidisque spiritibus gaudet, & impuris, ac tenebricosis eius operatio læditur. An verò dilutiore sanguine protoplasti fuerint, quis diuinare poterit? existimo optimè temperatum fuisse, neque dilutiorem, neque crassiorem. His tamen omissis ad quæstionem redire lubet, an Adami timor iustus fuerit, an verò inordinatus, & vitiosus; qui si iustã timoris causam habere potuit, clarum est eum sine peccato timere potuisse. Quapropter tota difficultas in metus causam refundenda videtur; causam verò noster versiculus exprimit, timuit enim quia nudus erat. Iure autem aliquis timere potest: non solùm ne ab animalibus, hostibus, aëre, aut aliis causis extrinsecis lædatur, quando nudus est, verùm etiam ne conspectum aliorum offendat.

Enimuero statim atque peccatum primum perpetratum est illud naturæ spectaculum in statu iustitiæ originalis honestum adeout nullum rubore suffunderet, cœpit verecundiam afferre, & de nuditate iuste homines erubescere potuerunt; non quòd illum pudorem statim inter virtutes annumerare velim, sed quia iustè timor ille vt peccati pœna, & originalis iustitię priuatio subsecutus est. Non igitur peccauit Adam eo quòd timuerit, eúmque de cognita nuditate puduerit, sed timuit, ac pudore suffusus est, quia peccauerat. An verò pudor, seu timor ille nimius fuerit, aut esse potuerit, non ita facile dictu videtur: tametsi enim passiones animi bonæ, vel indifferentes esse possint, non rarò malitiam cõtrahunt, dum rationi aduersantur, aut limites excedunt.

Ego quidem existimo timorem hunc nimium fuisse, etenim Adamum, & Euam impediisse videtur, quominus ad Deum accederent, & in eius conspectu starent, vt de peccato veniam postularent: vnde puto regulam esse certissimam, quâ dignoscamus, an aliqua passio vitiosa sit, cùm nos ab aliquo bono auertit, ad quod obligamur, sicut & quando mali alicuius causa est, quod alioquin minimè perageremus, nisi passio accederet.

Vtinam ille metus, atque pudor Adamum ad misericordiam postulandam, non autem peccatum occultandum adduxissent, hac quæstione non fuisset opus. Cur non ad Dominum properabas, vbi vocem illius omnipotentem audiisti? cur non ad patrem misericordiæ confugiebas? an de salute tua desperaueras? nunquid vlla spes supererat: quid agebas? quid cogitabas? quid mente, quid phantasia peccatrice volvebas? nunquid ille qui dederat iustitiam, eandem reddere poterat? O cæcitatem, ô pertinaciam animi! siccine te à diuini numinis aspectu substrahere putas, qui terram, cœlumq; sua maiestate replet, atque continet? Pudeat te quod peccaueris; time ne ad supplicia promerita mittaris; verùm metue ampliùs, ne deinceps Deus Opt. Max. suam à te faciem auertat, time ne beatissimo illius conspectu æternùm careas. Iam te ad pœnitentiam expectat, imo prouocat, & inducit, nunquid vocem misericordiâ plenam audis altissimè personantem, *Adam vbi es?* Egredere è latebris; prodi in lucem, & in genua prouolutus veniam pronus, & supplex deprecare; Deus expectat confessionem tuam, vt gratiam impertiat; verbum humilitatis poscit, si misericordiæ verbum impetrare desideras. Apostrophe ad Adamũ.

Deus bone quanta humani cordis durities, quanta peruicacia, quantus animi tumor: Adam excusat peccatum, tergiuersatur, non respondet ad rem, & in peccato iacere malle, quàm veniam postulare videtur. At de his in sequentibus. Quoniam vero de nuditate loquitur præsens versiculus, ob quam omnes deinceps rubore, atque pudore afficimur, placet quæstionem instituere, quanam sollicitudine partes obscœnas abscondere debeamus; nam vltimo versiculo primi capitis discussimus, an ille pudor extingui posset, & an alicui sese nudum exhibere liceret, ac quibus de causis.

QVÆSTIO XLIV.

QVANTO STVDIO, ET SOLLICITVDINE EA tegere debemus, quorum nomina vix efferre licet.

NOn est quod illarum partium infernè sitarum occultandarum morem, atque legem aliunde, quam ex ipsa Scriptura petamus, quandoquidé Exod. 28. ipse Deus Exod. 28. Sacerdotibus illud præcipit. *Facies & feminalia linea, vt operiant carnem turpitudinis suæ à renibus vsque ad femora, & vtentur eis Aaron & filij eius, quando ingredientur tabernaculum testimonij, vel quando appropinquant ad altare, vt ministrēt in sanctuario, ne iniquitatis rei moriantur.* Hieron. D. Hieron. epist. 128. ad Fabiol. rationem addit, *ne si lapsi fuerint, & femora reuelauerint, pateat, quod opertum est.*

Et quidem scurrarum tantùm est nuda membra retegere, vt Michol 2. Reg. 6. Dauidi obiecit. Nec obstat quòd Deus Isaię 20. iusserit Isaiam nudum, & discalceatum populo cœlestia oracula annuntiare, nam licet id solo sermone exprimi potuisset, id tamen Deus exemplo fieri maluit, inquit D. Amb. l. 4. Epist. epist. 30. ad Sabin. vt species ipsa plus incuteret horroris, & quod in corpore Prophetæ aduersabantur, in se pertimescerent; sic enim pueri Iudæorum, & virgines in captiuitatem ducentur. Quod autem ob mysterium contigit, ad exemplum minimè trahendum est. Adde quod diuinũ præceptum omnia licita, & honesta reddit, quæ alioquin turpia iudicãda sunt. Quo fortè exemplo 2. Reg. & Isai. 20. Ambros.

S. Franciscus inductus alicui ex fratribus iussit, vt nudus coram populo Euangelium annuntiaret, sed postea de suo præcepto doluit.

Quantùm verò nuditas illa Deo displiceat, patet ex Chami maledictione, quod nudatum patrem non obtegerit, Gen. 9. alij verò filij laudantur, quia corpus paternum operuerunt: quando verò Deus maximam pœnam minatur aliquibus, hanc profert, vt patet Ezech. 16. *Et nudabo ignominiam tuā coram eis, & videbunt omnes turpitudinem tuam.*

Gen. 9.
Ezec. 16.

Hinc omnes antiqui monachi tam sollicitè cauerunt, ne quis se non tantùm in aliorum conspectu, sed nequidem solus cùm sit, nudaret, & ideo cum veste dormiret. Quod ab Angelo S. Pachomiū accepisse refert Pallad. § 38 histor. Lausiac. sic enim habet regula. *Noctu autē gestēt lebitones linteos succincti: habeat vnusquisque ex his pellem ouilem 'aboratam: absque ea neque comedant, neque dormiant.* Vide Dion. exiguum in vitis Patr. part. 1. c. 54. Niceph. l. 9. c. 114. Sozom. l. 3. hist. Eccles. c. 13. vbi ait Monachis Ægypti minimè licere, *vt cibum, aut somnum sine diphteris, seu melotis capiant:* Fauet D. Basil. in regul. fusior respon. 22. & D. Chrys. hom. 14. in 1. ad Timot. *Neque vero nudos dormire fas est,* vbi de Græcis monachis loquitur. Quam etiam legem S. Benedictus latinis præscribit c. 22. regulæ *Vestiti dormiant, cincti cingulis, aut funibus, & cultellos ad latus non habeant, dū dormiunt.* In quibus ferè Camaldulenses conueniunt, & B. Hugo Cluniacensis tam rigidus erat, vt pedules tantùm de caligis abscindi vellet, quatenus præter pedes totus iaceret vestitus monachus. Ita etiam Prędicatores ex constitut. suis dist. 1. c. 9. lit. B. cum tunica, & caligis cincti dormire debēt; quod eiusdē Ordinis S. Vincentius l. de vita spirit. c. 10. confirmat. Idem etiam apud nos statutum est, ne quis sine graui causa tam die, quàm nocte habitum dimittat, cum quo simul & cingulo, ac caputio dormiunt omnes. Quod inter S. Fulgentij laudes in vita c. 18. refertur, quippe qui suæ continentiæ Deo teste fiduciam gerens in qua tunica dormiebat, in ea sacrificabat.

Pallad.
Dion. exig.
Nicephor.
Sozom.
Basil.
Chrysost.
S Benedict.
Regula Prædicatorum.
S. Vincent.
S. Fulgent.

Hoc autem non fuit statutum absque ratione, nempe vt non habeamus potestatem circumducendi manus huc illuc in nudo corpore, inquit, S. Bonau. p. 1. c. 9. de inform. nouit. 2. vt ad diuinas laudes celebrandas faciliùs surgamus, vt D. Chrysost. meminit loco cit. Tertiò, vt decentius dormiamus, & à nostris aliorumque oculis nuditatem eripiamus, inquit Vmbertus l. 4. de instit. relig. p. 3. c. 5. quam iure D. Hieron. Vigilantio exprobrat; tametsi enim inter dormiendum non simus mentis compotes, quia sensus vaporibus, & somno detinentur, sine quibus ratiocinari non possumus, attamen sollicitè obseruandum est, ne turpe spectaculum alijs edamus; eapropter apud Iustinianum ea de re Cōstitutionem 133. inuenies. *Nam licet casu hæ partes aperiantur,* inquit D. Ambros. l. 1. offic. c. 18. *confunditur verecundia; sicut impudentia æstimatur, si studio fiat.* Hinc fit, vt meritò laudentur sancti viri, qui nunquam denudati visi sunt, aut nuditatem suam vi factam ægerrimè tulerunt; qualis fuit S. Antonius apud Ephrem tom. 2. tract. *in attende tibi.* c. 10. & apud S. Athanas. vbi miraculum de Ammone narratur, qui cùm flumen Lycum transire vellet, rogauit Theodorū socium, vt paululum separaretur; ne nuditatem inuicem vterque conspiceret, sed cùm seipsum denudare vellet, erubuit, quem propterea in alteram ripam virtus diuina trāsposuit. Memorabile est, quod Metaphrast. 12 Maij de S. Epiphanio Constantiæ Episcopo refert, ad quem in naui mortuum cùm nauta accurrisset, & vestem aperire tentasset, vt inspiceret, an esset circumcisus, ille pede sublato eum impegit in faciem, iecitque ad puppim nauis, vbi māsit nauta mortuus. Vide miraculum aliud in Prato spirit. c. 78. de adolescente, quem Virgo mortua in sepulchro detinuit, quod eam vestibus expoliasset, nec priùs eum reliquit, donec eam induisset, & iureiurando promisisset se vitam monasticam suscepturum. Vide S. Athanas. Reg. de virginitate conseruanda, Diadochum lib. de perfect. Spirit. c. 52. qui propterea vsum balnei dissuadet, sicut & D. Hier. epist. 7. ad Lætam. *Mihi omnino in adulta virgine lauachra displicent, quæ seipsam debet erubescere, & nudam videre non posse, vnde sancta Olympias, dum infirmitatis necessitas vrgebat, nunquam nisi camisiā indutā in aquas descendebat,* vt habes in vita S. Chrysost. quia seipsam vetebatur. Legimus in vita S. Dominici c. 13. B. Mariam cum Cæciliā, & Catharinā noctu lectulos fratrum Prædicatorum aspergentem vnius lectum præteriisse, quòd ex incuria nudatus dormiret.

Bonauen.
Chrysost.
Vmbert.
Hieron.
Iustinian.
Ambrof.
Antonius.
Anastas.
Metaphr.
Pratum spirituale.
Athanas.
Diadoch.
Hieron.
S. Dominicus.

Tametsi verò id de solis Monachis, aut viris castioribus dici videatur, nec sæculares, aut clerici colobiis, lebitonariis, melotis, aut etiam propriis vestibus inter dormiendum vtantur, attamen dubium non est, quin debitam honestatem seruare debeant, & saltem camisiis, vel feminalibus inter dormiendum vti, nec vnquam sese nudos exhibere, nam omnes gentes vsque adeò tenent insitum pudenda velare, inquit D. August. lib. 14. de ciuit. Dei cap. 17. vt quidam barbari illas corporis partes nec in balneis nudas habeant, sed cum earum tegumentis lauentur. Per opacas quoque Indiæ solitudines cùm quidam nudi philosophentur, vnde Gymnosophistæ nominantur, adhibent tamen genitalibus tegumenta, quibus per cætera membrorum carent. Vide Clem. Alex. 3. pædag. cap. 5. Hinc Tull. lib. 4. Tuscul. Laudat Ennij dictum, *flagitij principium est nudare inter ciues corpora:* quod ita singulis innatum est, vt neque scenici sine subligaculo in scena prodeant, vt idem 1. offic. aduertit, & iuuenes qui apud antiquos nudi in campo exercebātur, pudenda operirent, inquit D. August. loco proximè cit. quos campestratos ob campestria, quibus succingebant se, vulgus appellabat.

August.
Cl. Alexād.
Tullius.

Ex quibus concludendum est vnumquemque maximè sollicitū esse debere, vt nunquam castum aliorum aspectū siue die, siue nocte offendat, nêue vnquam inguen reuelet, nisi impudentiam in consuetudinem vertere cupiat, quod nefas est; quod facilè quis obtinebit, si semper Deum, si custodem angelum, si ipsam castitatis virtutem præ oculis habeat. Cætera quæ hîc afferri possent alibi proprium locum habere poterunt.

VERSICVLVS XI.

VERSICVLVS XI.

Cui dixit: Quis enim indicauit tibi, quòd nudus esses, nisi quòd ex ligno de quo præceperam tibi ne comederes, comedisti?

וַיֹּאמֶר מִי הִגִּיד לְךָ כִּי עֵירֹם אָתָּה הֲמִן־הָעֵץ אֲשֶׁר צִוִּיתִיךָ לְבִלְתִּי אֲכָל־מִמֶּנּוּ אָכָלְתָּ׃

Καὶ εἶπεν αὐτῷ· τίς ἀνήγγειλέ σοι ὅτι γυμνὸς εἶ, εἰ μὴ ἀπὸ τοῦ ξύλου οὗ ἐνετειλάμην σοι τούτου μόνου μὴ φαγεῖν, ἀπ' αὐτοῦ ἔφαγες.

ADmirabilis sanè Dei clementia, & peccatoris proteruia. Deus tot modis Adamum interrogat, vt tandem extorqueat peccati confessionem, & tamen Adamus nouas semper excusationes obtendit, vel ea respondet, quæ potiùs peccati causam in ipsum Deum reiiciant, adeout Deus ipse veluti cogatur eius peccatum in lucem prodere. D. Chrys. D. Chrysost. ad diuinam bonitatem nos eleganter erigit. *Considera dilectæ bonitatis Dei excellentiam: quomodo quasi amicus amico loquitur, & quasi ei conqueritur, qui mandata prævaricatus erat. Quis annũtiasset tibi quòd nudus esses, nisi de ligno, de quo solo præcepi tibi ne comederes, de illo ipso comedisses?* Non caret emphasi, & latenti quâdam vi, quod dicit, *de quo solo*, quasi diceret. Num adeò angustos fruendorũ bonorum limites tibi præscripsi; Nonne omnem tibi copiam præbui? nonne omnium, quæ in paradiso sunt, potestatem tibi dedi? & duntaxat ab hoc vnico, vt abstineres, præcepi, vt scire posses te sub Domino quodam esse, cui obediẽtiam debes. Quæ igitur impietas illa; vt tot fructibus non contentus ab hoc vnico abstinere nolueris, & sic statim ad violandum mandatum, quod dedi, proruperis temetipsum tantis malis immergendo? Quæ tibi inde vtilitas? An non hæc prædixi? Nonne metu pœnæ volui te coërcere, & munire? Nonne hac de causa, ne in tanta mala incideretis, hunc cibũ prohibui? Quis te post tanta mãdata adeò insensatum factum veniâ dignaretur? Nonne sicut pater germanum filium de omnibus satis dilucidè & distinctè instruxi, & vt de aliis quidem gustares, ab hoc autem abstineres, vt ne omnia bona simul perirent? Sed fortè ratus es alterius consilium meo mandato melius, & fidelius, & expectatione maiorum bonorum hæc fecisti, & offenso mandato meo, de ligno edere ausus es. Ecce quid tibi acciderit, nunc te ipsa didicisti, & expertus es, quanta consilij illius pernicies.

Deus ergo hæc verba locutus est, vt Adami peccatum propalam faceret, quod hic abscondebat, vt eum in eo accusaret, in quo se excusabat; cùm enim pro causa nuditatem efferret; optimè Deus postulauit, quis ei ostendisset nuditatem; ac si diceret; antea minimè nudus eras, te ipsum nudasti, tametsi enim nuditas sit causa sufficiens, vt se quis abscondat, quia nuda caro contemnitur. Isai. 58. Isa. 58. *cùm videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris*: attamen nulla in Adamo nũditas præfuerat, quæ verecundiam generaret. Sunt autem errores Iosephi nobis cauendi, qui ait, Adamum veniam petiisse. Iosephus arguitur. Ἀδάμος δὲ παραιτοῦ τῆς ἁμαρτίας δεήσει. culpæ veniam ab eo deprecabatur; deinde cùm asserit Adamum dixisse se à muliere deceptum peccauisse, quod nec Moses dixit; & Paulus contradixit 1. Timot. 2. protoplastos sibi visos fuisse fœliciores post peccatum? eis ex illo esu sapientiam contigisse: præsente Deo fugisse: Adamum præ conscientia peccati tacuisse. Plurimos alios errores huc illuc dispersos habet: ideóque cautè legendus, semperque reiiciendus est, vbi aliquid Scripturæ sacræ contrarium astruit, tametsi initio libri promiserit se nihil additurum, detracturúmue ex iis, quæ vera sunt, sed minimè promissis stetit, quod semel monuisse sufficiat: videri potest Tostatus q. 633. & Salianus in Annal. Ecclesiast. in quibus Iosephum sæpissimè confutat, num semper bene, & meritò, viderint docti. 1 ad Tim. 2. Tostat. Salianus.

Deus igitur peccati causam aperit, nẽpe præcepti transgressionem, vt quod homo, abscondebat, reuelaret Deus, alioqui cùm per confessionem humilem sua peccata detegit homo, per remissionem occultat illa Deus iuxta id Psal. 31. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.* Psal. 31. Cogita quisquis es in die iudicij peccata tua coram omnibus reuelanda, si ea non confitearis, quandiu viator es. Mirantur aliqui obstinationem, aut verecundiam Adami, qui toties voce diuinâ ad peccati confessionem prouocatus, nouas semper excusationes prætexerat. Verùm seipsos accuratè considerent, dum vitij, & imperfectionis alicuius palam, & coram aliis arguuntur, quomodo sese excusent, & arguentibus succenseant. Alij tamen dicunt Adamum non tacuisse peccatum, itaut confiteri nollet, sed tantùm verbis Dei præcisè respondisse, quæ directè non inquirebant de peccato. Nota Lipom. pro, *nisi quòd ex ligno*, haberi Hebraicè הֲמִן *hamin*. i. *numquid*, vel *nonne de ligno comedisti*, cui Chaldæus fauet: sed eodem recidunt, vt verus istius versiculi sensus sit. Lipom. הֲמִן *Vnde didicisti nuditatem tuam esse confusioni obnoxiam?* Nonne quia malo consultori aurem præbuisti deceptus, & de fructu vetitæ arboris comedisti? voluisti malum scire, supra tuam conditionem erigi, similis Deo fieri, iam sentis pœnam mendacio credentium, & verbo Dei non obsequentium, confusionem, & timorem.

Sanè hisce Dei verbis monitos oportet esse fideles, vt diligenter præcepta sibi imposita obseruent, cùm eorum transgressio ita Deo displiceat, tantisque suppliciis afficiatur, ad quod vt efficaciùs inducantur, paucis hîc de præcepto agendum est.

QVÆSTIO XLV.

DE PRÆCEPTO PRIMIS PARENTIBVS IMPOSITO *& de varijs præcepti nominibus, quibus vtitur Scriptura sacra.*

Rationes cur Deus præcepto negatiuo prius quàm affirmatiuo vsus est.

HOc fuit primum totius mundi præceptum hominibus impositum, quod negatiuũ fuit, prohibeo ne comedas, noli comedere, nisi Deus præceperit aliud antea, quod Scriptura non exprimat, vel nisi in his verbis, *crescite, & multiplicamini*, &c. præceptum, & non solùm benedictionem includi volueris; sed eo in præsenti relicto, de hocce

1. negatiuo agendum est, quod ad obedientiam explorandam impositum fuit. Vbi latissimum aperio disputandi campum, cur potiùs à præcepto negatiuo, quàm ab affirmatiuo Deus inceperit; An quia faciliùs obseruantur negatiua, quàm affirmatiua præcepta, quia in illis nihil faciendum est, nulla operatio exercenda, sed tantùm abstinendum est,

2. cessandum est. Nũquid vt statim initio mũdi Deus ostenderet hominem ex se nihil posse facere, atque adeò præceptum imposuit, quod in nihil faciendo situm esset, vt summa eius bonitas appareret, qui ipsam hominis impotentiam, ipsum nihil meritorium reddere voluit, nec non ostendere se non tũtùm in ea, quæ possumus, sed & in ea, quæ non

3. possumus summum imperium habere. Nunquid optimam morum philosophiam docere voluit, vt sicut Logici duobus axiomatibus innituntur, nempe, *Dici de nullo*, & *Dici de omni*, ita & nos duobus præceptis fulti vitam omnem transigeremus, videlicet negatiuo, quo ab omni malo abstinemus, & affirmatiuo, quo bonum amplectimur, & virtutes

4 comparamus? An vt via morum viæ scientiæ responderet? vt sicut faciliùs ad Dei cognitionem via negationis, dicendo quid non sit Deus, quàm dicẽdo quid sit, affirmatione peruenimus, ita ad vitæ spiritualis perfectionem faciliùs per negatiua, quã affirmatiua præcepta conscendamus, nam vtróque modo nostram infirmitatem fatemur, quippequi solis negationibus vtimur, ac si diceremus in nobis bonorum omnium esse priuationem, in Deo verò bonorum omnium affluentiam; in Deo omnipotentiam, & infinitatem, in nobis meram infirmitatem, & impotẽtiam. Hinc fit, vt sub manu Dei humiliemur, nostram ex nihilo originem agnoscamus, Deum à se, omnia ab eo esse fateamur, quæ humilitas vitæ spiritualis initium est.

Itaque cùm hoc præcepto vitæ spirituali protoplastorum Deus initium dare vellet, rectè cœpit ab iis, quæ ad humilitatem nobis ingenerandam valent. Nam prohibendo fructum aliquem, clarè ostendit se pari iure omnia prohibere posse, nullum esse ius Adamo, vt hac, aut illâ arbore vteretur, nisi quatenus à Deo permittebatur; vt Adamus ita cõuictus se, suáque omnia in autorem suum refunderet, nihil sibi tribueret, & totum se ab arbitrio diuino pendere cogitaret, atque firmiter crederet, nec non persuasum haberet nihil omnino sibi licere præter id, quod Deus Optim. Maxim. concessisset.

Nec mihi dixeris eadem affirmatiuo præcepto cõuenire, etenim vbi in aliquos actus erumpimus, vbi quædam opera præsertim externa peragimus, facilè nobis persuademus illa nostræ industriæ ascribenda esse, vt patet in artificibus, qui tantũdem gloriæ de tabella perfectè elaborata, de horologio affabrè composito, déque cæteris artificiis à se peractis sibiipsis tribuunt, ac si manus, & ingenium à Deo non haberent, ac si tota illius operis pulchritudo ad Deum referenda non esset. Hinc vides eos, qui nonnulla arcana vel experientiâ, vel alio modo reppererunt ita sibi abblandiri, vt ab omnibus gloriâ, & honore affici, ne dicam Dij quidam existimari velint. Vnde nequidem amicissimis, aut sanguine iunctis ea aperiunt, nec ipsis filiis saltem testamento relinquunt. Quod sæpenumero contingit fabris, vitrariis, mathematicis, illis præsertim, qui mechanicis vacant, à quibus si quidquam postules, quod rarum, & arcanum esse putent, eis cor priùs, quàm arcanum euelles.

Interroga fabros lignarios, cur figuram ellipsim, triangularem, pentagonam, hyperbolem, parabolam, & alia schemata conica tornare nequeãt, cùm id fieri possit, cur cochleam infinitã non fabricent, quæ cum vnica spirali linea idem efficit, quod alia instrumenta cum multis rotis; & in qua quotiescũque volueris, quiescere potes absq; eo, quod pondus eleuatum recidat, licet obliquè trahat, atque adeò minus validè, nec pro varia ponderis ratione tarditas temporis minui queat. Statim respondebũt se huiusce modi mechanica peragere nõ posse, quia faciendi modum nunquam docere voluerũt, qui id genus opera fabricare nouerunt. Idem respondebunt practici Catoptrici, se nimirum specula non fabricare, quæ per datum quodcũnque spatium ardentissimè non tantùm per reflexionẽ, verũ etiam per refractionem comburant, quia pro dato foco parabolam construere nesciunt, necdum proprio labore lineam anaclasticam radios omnes ad vnicum punctum refrangentem, sicut parabola reflectit; neque lineam construere possunt, quæ radios parallelos, eodemque modo semper comburentes vel reflectat, vel refrangat. Quid ita, nunquid huiuscemodi operibus vtilissimis caremus, quia multi, qui has lineas repererunt, eas æterno silentio inuoluunt, ne quando alicui proficiant.

Cochleæ infinitæ proprietates.

Linea anaclastica.

Periti artifices arguũtur.

Quanto satius esset, si liberè cæteris ea communicarent, vt vnusquisque ex eorum inuentis proficeret: nec enim sibi solis nati sunt; sibi verò ea reseruant, ne si palam fecerint, deinceps prę aliis non habeantur. Itaque si Deus præcepisset Adamo mirum aliquod artificium peragere, vt sphæram aliquam ei similem, quam Archimedi tribuũt, Claudianus in epigrammatibus his versibus describit.

Iuppiter in paruo cùm cerneret æthera vitro
Risit, & ad superos talia dicta dedit.
Huccine mortalis progressa potentia curæ?
Iam meus in fragili luditur orbe labor.
Iura poli rerúmque fidem, legemque virorum,
Ecce Syracusius transtulit arte senex.
Inclusus varijs famulatur spiritus astris
Et viuum certis motibus vrget opus,
Percurrit proprium mentitus signifer annum,
Et simulata nouo Cynthia mense redit,

Iamque

Iámque suum voluens audax industria mundum
Gaudet & humana sidera mente regit.
Quid falso insantem tonitru Salmonea miror?
Æmula naturæ parua reperta manus.

Quòd si similem sphæram fabricasset Adamus, vereor ne sibi diuinitatem arrogasset, ac si proprio genio tantum artificium sine vlla à Deo dependentia inuenisset; igitur Deus noluit affirmatiuum præceptum dare, siue vt ostéderet, quàm paruum illud esset, quod ab eo postulabat, siue vt eum in humilitate retineret: vel etiam vt constaret non ideò Deum aliquid præcipere, quòd inde proficere debeat, sed tantùm vt se dominum omnium esse demonstraret, & perspicerent homines omnia in suam vtilitatem facta esse.

Possent aliæ rationes inuestigari, cur Deus præceptum negatiuum imposuerit; cur potiùs esum fructus, quàm aliquid aliud prohibuerit, verùm malim cum D. Paulo clamare, *Quis enim cognouit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit?* Itaque ad aliam quæstionis partem accedamus.

Varia nomina diuinum præceptum exprimentia. Diuini numinis præceptum diuersis nominibus insignitur, nam *torah* תורה dicitur, quatenus est regula, iuxta quam actiones nostras, atque vitam dirigere debemus, quæque nos docet summum animæ bonum, quod Cabalistæ נשמה vocant. Sub hoc vocabulo, & sub lege sex alia continentur, nempe עדות testimonium, quo secreta creationis, diluuij, &c. narrantur. דרכים sunt morum, & vitæ institutiones. (עדות Hedouth.)

R. Mathathias arguitur. Vbi aduertendum est R. Mathathiam Isthæraeum præfatione in Psalm. 118 quem Philippus Aquinus gallicè, & alius pro eo latinè edidit, grauiter errasse, dum ait pag. 36 illam morum normam, quam ab illorũ exemplis desumimus, quos illustres fuisse Scriptura testatur, talé esse propter quam neque præmio, neque pœnâ digni sumus; exempli gratia, inquit, liberalitas, humilitas, sui-ipsius abiectio, &c. Cùm enim nullum de istis moribus sit præceptum, non est cur quis mercedem expectet, si istis studuerit, nec pœnam pertimescat, si ijs minimè præditus fuerit Mentiris Rabine, nam opera bona, quæ homines peragunt, suum secum meritum includunt, maximè cùm is in Dei gratia fuerit, qui huiusceemodi studet operibus: ac proinde ille præmio dignus est, quicúnque bonum opus exercet, sicuti supplicio, qui peruersis incumbit; ille præmium æternum, si in gratia fuerit; hic æternum supplicium, si lethale facinus perpetrarit.

Hedouth autem significat doctrinam, quâ Deus de se testatus est, & declarauit quænam esset voluntas sua; decalogum duabus tabulis insculptum; arcam, in qua decalogus: & tabernaculum, in quo arca, & ipsum oraculum reposita erant; fitque à verbo עוד *hod*. i. testatus est, vel admonuit; 70. vertunt, μαρτύριον, siue μαρτυρίας. *Torah* verò venit à radice ירה *iara*, quæ inter alia legem dare significat, vertunt Græci νομοθετῶ, Exod. 24. 12. Tertia dictio, quæ *Torah* subalterna est. פקודים *Pikoudim* mandata in nostra mente veluti deposita significat: Quarta חוקים à חקק *chakak*. i. constituit, vnde חוק *chok*. i. mandatum, & iustificatio. Quinta valde frequens est מצות. i. præcepta, quorum rationem lex explicat, vt cùm dicitur Exod. 20. sabbathum ideo præcipi, quia Deus mundum 6 diebus creauit. Sexta est משפטים iudicia, quæ merces, aut pœna vnicuíque constituta dicuntur. Sunt & alia plurima nomina, quæ eadem fere significant, vt in Psalm. 118. videre est, in quo vix vllum versiculum reperias, qui non habeat aliquam dictionem, quæ iudicia, iustitiam, legem, iustitiámque diuinam referat. Sic enim צדק præceptum esse aiunt, quod procedat ex parte misericordiæ, & beneficentiæ. אמר item, & אמירה atque דבר, אמרה, &c. idem significant. Hoc autem in loco legimus צויתך *tsiuithica* præceperam tibi à צוה *tsiuah*: hinc מצוה *mitsuah* præceptum Græcis ἐντολή, σύνταγμα, νόμος, &c. Vbi nota Rab. præceptum affirmatiuum vocare *mitsua haseh* מצות עשה. i. præceptum fac; negatiuum autem מצות לא תעשה *mitsuat lo tahase* præceptum ne facias. Negatiua præcepta in lege 248 numerant, quem numerum hac voce חרם *herem*, hoc est anathema exprimunt, totidémque partes homini inesse contenduntnegatiua 365 constituunt, quot sunt dies in anno, & vt aiunt nerui in corpore, vt 613 conficiant iuxta Targum in 2. Ruth, vbi ait. *Iussi sumus obseruare sexcenta, & tredecim præcepta.*

(עוד Radix. — Exod. 24. פקודים — חוקים — Exod. 20. מצות משפטים — Psalm. 118. — צדק — צוה — חרם — Targum.)

Ex quibus manifestum est, quanto vituperio, quantáue pœna dignus sit Adamus, cui non 613, non 248, non 7 vt filijs Noë, quæ alio loco retuli, sed vnicum præceptum impositum fuerat, quod tamen facilè nimis transgressus est. Nec est quòd peccatum suum in mulierem reijciat, quandoquidem liberè peccauit; nec enim mulier cogebat, sed blandè alliciebat, cuius errorem corrigere debuit, non illum sequi. Sequens autem versic. excusationem Adami declarat.

ARTICVLVS XII.

Dixítque Adam: Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi.

וַיֹּאמֶר הָאָדָם הָאִשָּׁה אֲשֶׁר נָתַתָּה עִמָּדִי הִוא נָתְנָה־לִּי מִן־הָעֵץ וָאֹכֵל׃

Καὶ εἶπεν ἀδάμ, ἡ γυνὴ ἣν ἔδωκας μετ' ἐμοῦ, αὕτη μοι ἔδωκεν ἀπὸ τοῦ ξύλου, καὶ ἔφαγον.

Miser peccator nouam excusationem offert, imo culpam in ipsum Deum retorquere videtur, dum ait fructum à muliere sibi datum esse, adeout scutum defensionis accipiat, inquit Ruper. & Deum acumine linguæ procaciter feriat, antequam dicat comedi; sociam quidem mulierem dederat ei Deus, sed non, vt propter eam Deum ipsum relinqueret. *Quam dedisti mihi sociam*, vel עמדי *himmadi* mecum, vbi D. Bernar. 1. serm. Sanctor. omn. exclamat, *O peruersitas, pœnam pro ea suscipere refugis, & culpam admittere non recusasti? Quomodo proh dolor omnia confudisti, perniciosè misericors, vbi seuerus esse debueras, & perniciosè crudelis, vbi misericordiam impendere oportebat.* Legatur D Chrysost. qui elegantissimè pro more suo Deum Adami peccatum exaggerantem inducit. 70. cum

(Bernard. — Chrysost.)

hebræo legunt μετ' ἐμοῦ, *mecum pro socia*. Comedit ergo, quia mulier ei præbuit; at cùm esset caput, non obedire, sed imperare, sed arguere, sed docere debuerat: Notant Hebræi עִמָּדִי à verbo עמד aliquam emphasim habere, quod stare, vel paratum esse ad alicui in omnibus seruiendum significare potest. Ac sic diceret Adam: impia illa cum mihi ad obsequium data fuisset, vbi mihi solatio, & adiutorio esse debuerat, me fructu vetito concesso perdidit, & fuit causa, cur iam nudus appaream.

Verùm quàm potiori iure Deus possit de Adamo conqueri, manifestò constat ex eo, quòd suâ culpâ peccauerit. Ne itaque reijcias in me culpam, quod nudus sis; tametsi enim te donis illis à me concessis, quibus ornabaris, effectiuè expoliauerim, te ipsum meritoriè spoliasti, ideo in te culpa, in me verò iustitia est, id enim pactum tecum inieram, vt te dono gratiæ, atque iustitiæ spoliarem, si comederes vetitum fructum. Sunt qui putent istius versiculi sensum hunc legitimum esse. Cùm mihi mulierem assignaris vitæ sociam, nunquam putassem eam mihi cibum illum vetitum præbituram, cùm enim ad eam totum de cibis præparandis negotium pertineat, non percontabar, quisnam ille fructus esset. Verùm probabilius est eam marito narrasse, quæ à serpente audierat, nempe fructum hunc comestum boni, malique scientiam afferre, & eos inde Deo similes euasuros: fatetur enim se de illo fructu comedisse, quem Deus prohibuerat. Optimè verò D. Greg. in hæc verba cap. 3. Iob, *Sit nox illa solitaria, &c.* ait, *Huius erroris ramum in genere humano ex illa nunc vsque radice pertrahi, vt quod malè agitur, adhuc etiam defendatur.* Mirum est autem, quod ait D. Aug. serm. 19. de Sanctis. *Si Adam humiliter se accusasset, & in authorem suum culpam non retorsisset, à paradiso non exulasset.* Immo D. Greg. in 2. Psal. pœnit. ad hunc versum. *Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum*, sentire videtur peccatum originis ad posteros non fuisse propagandum, si peccatum suum confessus fuisset. *Vnde*, inquit, *quia se confiteri culpabilem renuit, mortiferæ damnationis sententiam ad posteros misit.* Videatur pius, & elegans Bernard. 1. sermone in Festo Sanctorum, ad illa verba; *Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam*, vbi ait nos potiùs aduersus carnem, & appetitus nostros rationi, legique diuinæ sese opponentes, quàm aduersus Euam irasci debere: hom. verò 2. super *Missus est*, ostendit Mariam homini sociam esse redditam Euæ loco.

Gregor. August. Gregor. Bernard.

VERSICVLVS XIII.

Et dixit Dominus Deus ad mulierem: Quare hoc fecisti? Quæ respondit: serpens decepit me, & comedi.

וַיֹּאמֶר יְהוָה אֱלֹהִים לָאִשָּׁה מַה־זֹּאת עָשִׂית וַתֹּאמֶר הָאִשָּׁה הַנָּחָשׁ הִשִּׁיאַנִי וָאֹכֵל׃

Καὶ εἶπεν ὁ Θεὸς τῇ γυναικί· Τί τοῦτο ἐποίησας; καὶ εἶπεν ἡ γυνή, ὁ ὄφις ἠπάτησέν με, καὶ ἔφαγον.

MVlier viro similis peccatum suum reijcit in serpentem. Sensus autem interrogationis esse potest. Cur virum tuum, cui obedire debebas, ad peccatum induxisti? cur ei fructum vetitũ præbuisti? Hebræi verò זאת *Zoth* ad omnia præcedentia referunt, vt interrogatio iudicis ad omnia extendatur, quæ Eua peccando commisit; voluntque Deum particulâ מה *mah* vsum fuisse, *cur*, ne ipsa instar Adami excusationem prætexeret. Sanè magnâ consideratione dignum est, quod Deus non ostenderit se vel acceptare, vel reijcere Adami excusationem; verùm satis eam reprehendit, cùm postea pœnas infert; noluit tamen eam statim arguere, vt redargutioni supplicium adiungeretur: deinde ne si Deus Adamum reprehendisset, mulier se peccato liberatam existimaret: tertiò ne si pœna, quæ reprehensionem secuta fuisset, Adamo fuisset imposita, ipse citiùs à timore liberaretur, & Eua minus timeret: quartò vt Eua posset, quæcúnque vellet respondere, & excusationem afferre, quod fortè minus ausa fuisset, si Adami excusationem reiectam vidisset: quintò vt mulier sui peccati grauitatem magis perpenderet, dum velut anxia remaneret, an tota culpa in se reijcienda foret: sextò quia more iudicis procedere voluit, & omnia explorare, antequam ferret sententiam, vt ipsi spontè peccata sua confiterentur, vel conuincerentur, & vt proferrent legitimam excusationem, si quam haberent, quo iudices instruuntur, non esse procedendum ad sententiam de reo ferendam, nisi vel ipse scelus confiteatur, vel palam conuincatur; cùm ipse Deus, *Qui scrutatur corda: ante quem non potest occultari vir in abscondito*, Ierem. 23. quiq; ipsas cogitationes agnoscit psalm. 7. ea ratione progressus fuerit.

8. rationes quare Deus noluerit illicò primos parentes arguere, sed primò excusationes audiuit.

Ierem. 23. Psalm. 7.

Deus igitur de scelere perpetrato priùs interrogare voluit, ne pœnam gratis irrogare videretur, vt peccatores his inquisitionibus durantibus conuerterentur, & veniam postularent, & vt peccatorum distinctio pœnarum inflictarum diuersitate manifestior euaderet. Plenè igitur mulier conuicta est, cùm neque ea negauerit esse vera, imo eadem silentio suo confessa fuerit, & nouum aliquid addiderit. In hac autem interrogatione Deus supponit Euam peccasse, ideóque non dixit, *an*, sed, *quare fecisti:* tametsi non rarò sapientes iudices ita loquantur ad rei confessionem citiùs extorquendam, *Quare miser hoc fecisti*; pro, *nunquid scelus illud perpetrasti?* Sunt qui מה זאת *ma Zoth*, ita vertunt, *quid hoc fecisti*, vt sit maior emphasis ac si dicas, ô quantum scelus commisisti: vide, perpende tuam ingratitudinem. Hebræi volunt transgressionem præcepti Euæ, sicut & Adamo impositam, quia caro censebatur eadem, quippe quæ ex eius costa detracta erat: sed præceptum vtrique datum fuisse probabilius est, tametsi per prolepsin viro soli datum fuisse videatur: nam huiuscemodi figurâ sæpius vtitur Scriptura.

Cur hoc

Cur hoc fecisti: Sanè his verbis ostendit Dominus se velle, vt exactè discutiamus, quænam motiua nos in peccatum induxerint, vt aliàs in illis vitandis, cautiores, diligentiores, atque fortiores euadamus, ac peccatorum nostrorum visa turpitudine, & leuibus causis perspectis, quibus permori Deum reliquimus, deinceps virtutibus oppositis incumbamus, illa nostra vitia abominemur, & ad Deum nostrum reuertamur.

Serpens decepit me, & comedi הַנָּחָשׁ הִשִּׁיאַנִי *hannachas hisiani*, emphaticè dicitur *hic serpens*, quem nempe creasti, *decepit me*. ὁ ὄφις ἠπάτησέ με, vel ἐξηπάτησε. Hebraicum verbum significat *abduxit, sublenauit, aut sublenare me fecit. verum* נשא pro vario puncto super cornua ש imposito diuersos significatus habet. cùm enim *Iamin* scribitur, *decipere* significat, si vero punctum *simol* in sinistro cornu notatur, idem est ac *eleuare, & extollere*: vnde D. Bern. serm. 27. de paruis, Rupert. hîc, & alij coniiciunt internam aduersus Dei præceptum animi superbiam, antequam serpens decipere posset, à quo Deus noluit peccati causam inquirere, sicut à primis parentibus, quia nemine eum instigante per inuidiam id fecerat, iuxta id Sap. 2. *Inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum.* vnde Hebræi aiunt non esse dandum locum se se excusandi ei, qui alios ad idololatriæ peccatum incitauerit, iuxta cap. 13. Deuteur. hinc concludunt peccatum illius grauius esse, qui alios ad peccatum induxerit.

Bernard. Rupert.

Sap. 2.

Deuter. 13.

Addunt in venturo sæculo omnes medelam, atque restitutionem recepturos excepto serpente, & Gabaonitis. i. hypocritis, & illis, qui tota caro sunt, nec quicquam habent spiritus: eorum autem sapientes id circunferunt. *Tres sectæ non vident faciem Dei, hypocritæ, illusores, & mendaces, siue impostores*, quod quidem verum est, nisi Deus magnis illos benedictionibus præueniat, quibus ad eum conuertantur, & peccata sua relinquant.

נשא *Nasa* significat etiam, *desiderare, gloria affici, principem agere, recordari, insurgere, opponere, relucere, consolari, comedere, vngere, opprimere, arma sumere, &c.* his enim modis 70. vertût נשא, addit Pagninus, *ardere, comburere, & honorare*; ex quibus ad mores, & ad modum quo serpens Euam tentauit diuersis modis assurgere potes. Cum autem tot excusationes allatas esse viderimus, pauca de ijs disserenda sunt: nec ita patet, qua ratione serpens Euam deceperit, quin de illa deceptione quæstionem instituemus, ideoque prius de deceptione, deinde de prædictis excusationibus agendum erit.

LXX. Interpr. Pagnin.

QVÆSTIO XLVI.

IN QVO SITA FVERIT ILLA MATRIS EVÆ deceptio, quotue modis quis alium decipere possit?

CErtum est hominem pluribus modis tam ab alijs hominibus, quàm ab Angelis peruersis decipi posse: potest etiam animal aliquod nos decipere: Deus ipse dicitur aliquando decipere ita Ierem. 20. *Seduxisti me Domine, & seductus sum: fortior me fuisti, & inualuisti &c.* quod aliqui ita exponunt, vt Propheta queratur Deum sibi non ita potenter patrocinari, sicut initio libri ei largè promiserat,
1. Alij, quod Deus magnas illas difficultates ei non ostendisset, quæ tamen contigerunt, quas si præuidisset, nequaquam illud tam arduum
2. Prophetæ munus suscepturus fuisset, ideoque seductum, seu deceptum fuisse, quia maiorem facilitatem, atque fœlicitatem in illo opere conceperat, atque sperabat.

Ierem. 20. locus exponitur

3. Tertiò volunt aliqui Prophetam ex opinione Sacerdotum loqui, qui putabant Ieremiam seductum fuisse, siue quia renuentem Deus elegerat ad munus prophetale, siue quia non euenirent, quæ prædicebat, ac si diceret Propheta: si seductus sum, vt hi falsò conqueruntur, tu certè es, qui me seduxisti.

4. Quartò putat D. Hieronym. eum in hoc deceptum fuisse, quod cum audisset à Deo sibi dictum esse: *Prophetam in gentibus dedi te: te constitui super gentes &c.* arbitratus sit nihil se contra Iudæos, sed tantum contra nationes in circuitu positas dicturum, è contrario tamen euenisse, quia Hierosolymæ captiuitatem annunciauit.

Hieron.

5. Quintò, Theodor. & Vatablus aiunt deceptum quia putabat se cõtra omnes instar muri ænei, iuxta Dei promissa præualiturũ, cum tamen omnibus ridiculum se conspiceret: verùm animaduertere debuit Ieremias Deum non dixisse futurum eum liberum à calamitate, sed tantùm superiorem euasurum, quapropter se ipsum decepit, cùm putauit omnia prosperè euentura, & Deus promissis stetit, quia liberauit eum.

Theodor.

Peccatum etiam seducere dicitur ad Rom. 7. v. 11. *Nam peccatum occasione accepta per mandatum decepit me*: quod peccatum nonnulli non ita benè de dæmone explicant, vt Methodius apud Epiph. hær. 64. quandoquidem vir seductus non est. 1. ad Timot. 2. Alij fomitem intelligunt, seu hominem exteriorem, malunt alij de ipso peccato loqui, nos enim seducit, quia tenebras in intellectum inducit, quatenus is, qui peccat, persuadet sibi faciendum esse, quod facit, ad quod sub aliqua specie boni apparentis trahitur, hinc asserunt omnem, qui peccat, ignoratione practica laborare, quod antè discussimus. Alij verò hîc factum exprimi aiunt per dictum, vt innata cordis peruersitas lege patefacta ostenderit deceptum esse.

ad Rom. 7. fusè explicatur. Method.

1. ad Tim. 2.

Iam verò de varijs deceptionis modis agamus, quibus Eua, vel etiam Adam seduci potuit: quo certum est duas illas facultates, quæ sunt in nobis, intellectum, & sensum habuisse: deinde certum est hominem non decipi, nisi cùm apprehendit, vel iudicat de re aliqua non eo modo, quo sese habet: Potest autem seduci per omnes sensus, qui cum perperam dispositi sunt, vel nimis distant ab obiecto, & alijs de causis non rarò falluntur. An vero decepta fuerit Eua vel per oculos, vel aures, aut alium sensum: vel ipsam rationis arcem illa deceptio peruaserit, sensibus exterioribus non antea deceptis inquire-

Sanè cõstat satis per aures seductionem ingressam fuisse, per quas teterrimum sermonis pestiferi venenum serpens infudit: vtinam possemus de protoplastis affirmare; *Aures habent & non audient:* & non: *aures habent, & audierunt*, & nos ad verbum diuinum surdos effecerunt. Oculi etiam decepti fuisse videntur, dum fructum vetitum respexerunt, & bonum ad manducandum iudicauerunt, nec à seductione tactus, gustus, nec forsitan odoratus liberi reperientur, si omnia minutiùs discutere velim: Sed non ita constat, an aliquis sensu seductus fuerit, antequam intellectus ipse deciperetur: Scio plurimos existimare, quod deceptio non potuerit externos sensus fascinare, antequam pars superior hominis per consensum in aliquod peccatum lethale deflecteret ab ente supremo, Deo Opt. Max. eo per singularem prouidentiam technas dæmonis præpediente.

Enimuero si potuerunt decipi, priusquam peccatum committeretur, non igitur à peccato quælibet deceptio manabit: imo si decipitur aliquis, quomodo peccabit? an quia se benefacere putat? an quia debuit præuidere, vel anteuertere seductionem? hæc quæstione sequenti enucleabimus.

QVÆSTIO XLVII.

IN QVO PECCATVM EVÆ SITVM ESSE POTVIT, quandoquidem seducta est; an seductio cum originali iustitia, vel etiam cum peccato stare possit.

DVo hîc agimus: in quo nempe Eua decepta fuit, aut etiam decipi potuit, & quomodo peccatum stare valeat cum deceptione. Imprimis vero Euam deceptam fuisse certissimum est, non tantùm quia dixit, à Deo interrogata, cur peccasset, *serpens decepit me*, id enim pro excusatione prætendere poterat, adeóque mentiri, sed quia D. Paulus id luculento testimonio confirmat 1. ad Tim. cap. 2. versic. 13. & 14. *Adam enim primò formatus est, deinde Eua, & Adam non est seductus: mulier autem seducta in præuaricatione fuit.* Ex quo textu concludo, quod iam antea dictum est, nempe Euam reuera deceptam fuisse. At cum in originali iustitia illam æquè ac Adamum conditam fuisse Patres Ecclesiæ, & Interpretes vnanimi consensu asserant, hîc inuestigandum est, in quo decipi potuerit. Enimuero statum originalem adeo excellentem omnes facere videntur, vt nullam deceptionem, nullum errorem secum pati potuisse videatur.

1. ad Tim. 2.

Quod tamen non facit, vt de hac re disputare nefas sit, quapropter illud discutio, quandoquidem in ea re totus difficultatis cardo situs esse videtur: si enim status ille nullam deceptionem compati valet, igitur Eua iam peccauerat, quando decepta est, & illum iustitiæ statum amiserat. At quis illius peccatum ante deceptionem assignabit? nisi legeremus eam deceptam fuisse facilè, concluderemus eam absque præuio errore peccasse iuxta probabilem non paucorum Theologorum sententiam, qui arbitrantur errorem, aut ignorantiam minimè necessariam esse, vt quis peccato succumbat. Verùm non est alienum à veritate deceptionem illam peccatum iam ante ab Eua perpetratum supponere, adeout serpens eam decipere non potuerit, nisi priùs illa se quodam peccato commaculasset. Nec enim desunt, qui putent Euam statim atque fructum ligni vetiti conspexit, eius amore exarsisse, iuxta id *Vt vidi, vt perij, vt me malus impulit ardor.* Sed illud non caret difficultate: vt enim aduersus diuinum præceptum pomi allecta pulchritudine insurgeret, debuit appetitus sensitiuus ita ferri in lignum vetitum, vt nulla ei fræna ratio imposuerit; vel amor sensitiuus aduersus amorem rationalem præualere. Quomodo in statu iustitiæ originalis seruus imperare potuit? an quia dominus sponte seipsum in captiuitatẽ redegit? an quia legitimum imperium in ancillam trãsmisit? nonne voluntas, quæ suggestioni amoris atque desiderij sensitiui resistere debebat, sua negligentia, sua inaduertentia, suo consensu à statu tam admirabili deiecta est.

His vero missis, vt pote minus ad quæstionem præsentem facientibus, ipsam difficultatem aggredior. An videlicet cum illo statu adeo perfecto aliquis error, vel deceptio stare potuerit: vbi duplicem statum distinguere possemus, vnum si quis in illo statu constitutus esset, idque cum peccato veniali, alium, si absque vllo veniali: nam cum lethali peccato statum illum nusquam esse potuisse certum est. At hîc abunde sufficiet, si Euam in illo statu absque vllo peccato etiam veniali consideremus, præsertim cum multi existiment in illo statu nullum veniale potuisse committi, nisi prius lethale: licet eis minimè subscribam, quandoquidem nullam implicationem moralem in ea re deprehendo: vt vt sit.

Videamus an deceptio num repugnet illi statui, qui iam ex parte baptizatis restituitur: ille status perfectè inferiorem appetitum rationi subijciebat, & rationem Deo, inquiunt omnes Catholici: Sit ita: nunquid seruus, quantumuis domini sui imperio subiaceat, hunc fallere potest? Certè iustitia originalis passionem motus non adimebat, sed illos tantùm cohibebat, ne extra limites ferrentur, idque dummodo ratio sibiipsi attenderet: alioquin credidero appetitum sensitiuum in aliqua ferri potuisse, quæ rationi repugnaret, quandoquidem originalis iustitia non impediebat, quominus passiones in obiecta propria ferrentur, quæ tamen nonnunquam rationi non expediunt, neque legibus diuinis conformantur, nisi mediante ratione, quæ tantis donis affecta, tantisque virtutibus prædicta erat, vt, si vellet attendere, si in omnibus actionibus inuigilaret, nunquam succumberet, nunquam deciperetur: secus vero falli poterat, si negligentia torperet, atque motus sensitiuos regere contemneret. Nec enim in appetitu sensitiuo qualitatem vllam spiritualem, aut corpoream, vel partim spiritualem, partim corpoream fuisse puto, qua sine rationis opera regeretur, eaque duntaxat sequeretur, quæ lex diuina posceret, brutus ille, vel sensitiuus appetitus.

His

Quomodo deceptio status iustitiæ originali repugnaret.

His ergo legibus hominem originali præditum iustitia ab omni prorsus deceptione immunem esse potuisse existimo, si prout valebat, sibi prospiceret, atque motus illos hominis inferioris, & exterioris regeret. Nec enim credendum est numen diuinum, quod omnia suauiter disponit, alio modo hominem à peccato, & errore seruare voluisse, quàm prout humanam naturam decebat, quæ cùm sit rationis particeps, ratione duci debet; quandoquidem nulla est actio humana, nisi ratione velut informetur; adeout actionem humanam tollat, qui rationem tollit. Hinc fit, vt existimem dona iustitiæ originalis, quæ interna dicuntur, in solo animo sita fuisse, & in peculiari, & admirabili Dei prouidentia, quâ totum hominem ita regebat; & omnia ab eo pericula longissimè arcebat, vt quandiu beneficijs originalibus sibi collatis rectè vteretur, nullatenus decipiendus, neque in peccatum lapsurus esset. Vbi obserua me aliorum sententiæ præiudicare nolle, qui quosdam habitus, vt temperantiæ, & fortitudinis, appetitui sensitiuo infusos esse putant; nec enim vllos habitus, qui virtutum nomine debeant appellari, in istiusmodi appetitu statuo, quarum solùm intellectum, aut voluntatem, idest animi facultates capaces arbitror.

Cæterùm tantis donis ratio affici potuit, vt passiones ei, licet omni virtute, & habitu destitutæ, obsequi potuerint, & eius nutum perfectè sequi; at illæ mentis imperio, atque prouidentiâ destitutæ in ea, quæ sunt rationis, ferri non poterant, cùm illa passionum vim omnino superent. Cùm igitur diuina prouidentia motus inferiores mentis beneficio rexerit, eósque intellectus, & voluntatis arbitrio permiserit, ne demireris, si dormiente ratione sensus in abrupta ferri potuerint, & sine gubernaculo, atque nauta naufragium fecerint.

Quodnam verò naufragium passus est homo? nunquid Eua decepta est, nunquid ἐξαπατηθεῖσα? nunquid ita decepta, vt præceptum diuinum transgredi cœperit? Illam obsecro in seductionis statu positam contemplemur, an statum nobilitatis amisit? potuítne, cùm seducta fuisset in originali sanctitate permanere? At quomodo seducta, nisi quia serpenti credidit? quomodo ei credidit, nisi quia Deo fidem non habuit? si Deo non credidit, quomodo in statu illo permanere potuit, qui ante omnia fidem numini diuino habendam præscribit, vel eam supponit? Sanè crediderо Euam seductam fuisse, quia voluit; quatenus voluntariè aduersus Dei verba serpenti credidit.

Eua quomodo seducta sit.

Nec aliam seductionem cum originali iustitia stare posse arbitror, præter voluntariam, quod explico, supposita Dei voluntate de conseruandis in illo iustitiæ statu primis parentibus, non potuerunt decipi, nisi peccatum aliquod, saltem veniale præcesserit, vel enim ab alijs, vel à seipsis decipientur; si primùm vel non erit deceptio, vel erit voluntaria, imo nullus seipsum propriè decipit; si ab alio seducitur, vel quia decipiens seducendi animum habet, & incognita proponit, eáque falsa pro veris, vel tametsi nolit decipere, ita loquitur ambiguè, vt qui audiunt, non possint intelligere. Primos parentes à seipsis deceptos non esse quis nescit? igitur ab alio, nimirum à serpente, eóque decipere volente. Quòd autem hæc seductio voluntaria fuerit, ex eo constat, quòd Eua serpenti potuerit non credere, & mendacium, quod in illius verbis latebat, aduertere, imo licet ei alia suggessisset, quæ ignorasset, poterat etiam omne seductionis periculum euadere, statim enim atque verba illius audiuit, vel ea temnere, reijcere, atque irridere, vel saltem omne iudicium suspendere debuit, vt priùs vel Deum, vel maritum de istiusmodi suggestione consuleret, quam vt ei fidem haberet.

Quomodo Eua seductionem vitare potuerit.

Vnde potiùs Eua Deo respondere debuit se nuditatem suam deprehendisse, quòd diabolo credidisset, eiúsque suggestionem secuta fuisset, séque ideo seductam, quòd ad Dei verba minus respexerit, aut etiam illa saltem interpretatiuè contempserit. Nec coniectura caremus eam priùs vetitum fructum degustare voluisse, & de ea re conceptum aliquem efformasse, qui otiosus esset, & iam ad peccatum collinearet: quanquam nec velim illud asserere, cùm id Scriptura non innuat. In quo verò primum mulieris, peccatum situm fuerit, non ita constat; probè senserit, qui Euæ infidelitatem attulerit, quippequæ potius serpenti fidem adhibuit, quàm verbis diuinis; Deus enim dixerat, *moriemini*; serpens, *non moriemini*; sicut iam dicunt hæretici Christi corpus non esse in Eucharistia: Christus verò asserit, *Hoc est corpus meum*. Iudæi aiunt Messiam nondum venisse, Christus ait, *Ego veni, vt vitam habeatis*: Athei Deum esse negant; Deus ait, *Ego sum*. Deistæ mentiuntur Scripturam sanctam non esse veram; Catholici verissimam, atque sanctissimam esse fatentur. Vnde constat diabolum hæreticorum, & aliorum id genus imperatorem esse, Deum verò, eiúsque filium Christum Iesum Patri suo consubstantialem, coæternum, & coæqualem fidelium Christianorum. Multa alia iam antea de varijs Adæ, & Euæ peccatis dicta sunt.

Impij dæmoni comparantur.

Iam verò Respondeo seductionem illam, ob quam D. Paulus asserit eam seductam esse, non impediuisse, quin peccauerit, imo vel ipsa seductio peccatum fuit, vel peccatum, quod iam perpetrarat, consecuta est: si enim in eo se deceptam existimauit, quòd iuxta verba serpentis se Dei instar omnia scituram existimaret, cùm è contrario rerum omnium potiùs ignara euaserit, suo damno; cur enim alteri, quàm Deo credidit? cur adeò curiosa fuit, vt pomum aduersus diuinum præceptum experiri voluerit. At fortè dices pro ea. Non putabat; si ita se miseram fore credidisset, nūquam pomum comedisset; igitur non credebat Deo, si non putabat, imò putabat, & adhuc sapiens videbatur, quando serpenti verba Dei obiecit, cap. 3. Gen. vers. 3. *Præcepit nobis Deus, ne comederemus, &c.* sciebat igitur illam comestionem esse contra Dei verbum, atque adeò sciens volensque peccauit. Vnde igitur seducta est, nisi quia promissis fictitijs, & æquiuocis pellecta verbis Sathanæ credidit? in quo seducta est, nisi quia omnia his contraria experta est, quæ diabolus pollicitus fuerat: quantum enim Deus bone, quantum ille fallitur, qui dum existimat se fœlicem euasurum, in omnimodam miseriam incidit. Memini cuiusdam, quẽ me alibi referre puto, qui factus ebrius principis alicuius vestibus ornatus, & Regis instar cœna, lectoue exceptus est, qui dum se magnum Regem arbitraretur, exutus vbi dormiuit, illius vestes repositæ sunt, séque miserrimum esse conspexit. Equidem amor excellentiæ propriæ, & concupiscentia oculorum, Euam ita inebriauit, vt nihil magis, quàm fœlicitatem in mente sua, & omniscientiam reuolueret, sed heu quàm infœlix successit.

Nondum tamen difficultas soluta est, nam quî fieri potuit, vt Eua comedendi pomi desiderio inflammaretur, nisi priùs voluntas eius à Deo auersa sit? quandoquidem in hoc omnes Catholici conueniunt, vt existiment concupiscentiam illicito motu fieri non potuisse, quandiu status ille duraret: *Sicut enim in paradiso nullus erat æstus, aut frigus*, inquit, D. Aug. 14. de ciuit. cap. 26. *Sic in eius habitatore nulla ex cupiditate, vel timore accedebat bona voluntatis offensio: nihil omnino triste, nihil erat inaniter lætum; gaudium enim perpetuabatur ex Deo, in quem flagrabat charitas ex corde puro, conscientia bona, & fide non ficta.* Hinc fit, vt idem Aug. ad aliquam elationem recurrere malit, quàm vt peccatū à passione appetitus sensitiui cœpisse, vel à seductione asserat, vt patet 11. de Gen. ad lit. cap. 30. *Quando his verbis crederet mulier à bona, atque vtili re diuinitus se fuisse prohibitos, nisi iam inesset menti amor ille propriæ potestatis, & quædam de se superba præsumptio, quæ per illam tentationem fuerat conuincenda & humilianda.* Quod eiusdem lib cap. 5. confirmat. *Nec enim, inquit, arbitrandum est, quòd esset hominem deiecturus iste tentator, nisi præcessisset in anima hominis quædam elatio comprimenda, vt per humiliationem peccati, quàm de se falsò præsumpserit, disceret: vt extollenti se animæ, & nimium tanquam de propria virtute præsidenti etiam experimento pœnæ fuerat demonstrandum, quoniam non bene se habeat facta natura, si à faciente recesserit. Hinc enim etiam maximè commendatur, quale bonum sit Deus, quando nulli ab eo recedenti bene est.* Igitur si D. Aug. & aliorum doctrinam sequimur, dicēdum esse videtur primum Euæ peccatum fuisse superbiam, seu mentis elationem sine motu præuio concupiscentiæ sensitiuæ.

August.

Quodnam fuerit peccatum Euæ.

Veruntamen non inde sequitur Euam ante peccatum seductam non fuisse, quia deceptio potuit in intellectu exordium sumere; quæ vel fuit fides, quam verbis falsis habuit, dum vera existimauit, quæ falsa erant; vel iudicium, quo conclusit se ex fructus comestione aut illam scientiam, quam serpens pollicebatur, habituram, aut aliquid aliud, quod celauerat eam Deus ob aliquod mysterium, gustato pomo consecuturam. Nec est quod aliquis insurgat illam Euæ opinionem esse seductionem, vel ignorantiam, quæ ambæ statui illi repugnare videntur. Enimuero nō omnia sciebāt parentes nostri, atq; adeò de multis rebus addubitare poterant: hîc autem occurrere potuit aliqua nescientia, vel, vt loquuntur, non cogitantia, seu inaduertentia, itaut vehementer fructus pulchritudinem contemplantes, & ad serpentis verba seriò attendentes, mentem à diuini præcepti consideratione, atque memoria auerterint, vel saltem de ea remissiùs cogitarint; tunc enim Eua potuit hoc iudicium practicum formaliter, aut virtute elicere, nunc mihi licitum, & bonum videtur, vt de fructu isto comedam, siue in iudicio speculatiuo errauerit, apud se cogitando Dei præceptum non iuxta literam, sed alio modo intelligendum, siue non.

Imo verò licet diuino præcepto vehementiùs attendisset, quàm pomo, verbisque serpentis, ea potuit eligere, quæ dæmon suadebat; siquidem in eo libertas hominis viatoris sita esse videtur, vt ad bonum, vel malū siue efficaciùs, siue remissiùs propositum, manum extendere possit, adeout non tantùm aliquod malum sub apparentia maioris boni obiectum eligere valeat, vbi verum bonum ei minus esse videtur, sed etiam malum sub boni longè minoris apparentia conceptum, & suæ voluntati ab intellectu propositum, siue iudicium aliquod practicè practicum antecesserit, vt non pauci Theologi concludunt, siue non præcesserit: nam quandiu bonum non est immensum, vel non ita proponitur homini, vt eum determinet, eique necessitatem imponat, semper aliquod aliud malum illi bono virtute, aut etiam è diametro, seu formaliter contrarium sequi, & eligere potest.

VERSICVLVS XIV.

Et ait Dominus Deus ad serpentem: Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia, & bestias terræ: super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.

וַיֹּאמֶר יְהוָה אֱלֹהִים אֶל־הַנָּחָשׁ כִּי עָשִׂיתָ זֹּאת אָרוּר אַתָּה מִכָּל־הַבְּהֵמָה
וּמִכֹּל חַיַּת הַשָּׂדֶה עַל־נְחֹנְךָ תֵלֵךְ וְעָפָר תֹּאכַל כָּל־יְמֵי חַיֶּיךָ׃

Καὶ εἶπεν κύριος ὁ θεὸς τῷ ὄφει· ὅτι ἐποίησας τοῦτο, ἐπικατάρατος σὺ ἀπὸ πάντων τῶν θηρίων, καὶ ἀπὸ πάντων τῶν κτηνῶν τῶν ἐπὶ τῆς γῆς· ἐπὶ τῷ στήθει καὶ τῇ κοιλίᾳ πορεύσῃ, καὶ γῆν φαγῇ πάσας τὰς ἡμέρας τῆς ζωῆς σου.

Postquam diligens summi iudicis examen peractum est, ac protoplasti propriâ sceleris confessione cōuicti sunt, supersunt irroganda supplicia, quę tamē Deus optimus misericordiâ temperat, alioquin peccatores ad nihilum redacturus, nec enim esse meretur, qui aduersus esse diuinum insurrexit. Priùs tamen serpenti pœnam infligit, quippequi primus fuit peccati causa, quem Deus vt peccati organum & gladium, quo amicus occisus est, detestatur. Tametsi verò hæc serpēti applicentur, non est Sathan excludendus, qui reuera malesuadus anguis est, & velut corporei serpentis anima, quatenus eo perfidiæ suæ velut instrumento vsus est. Sanè post pœnam istam serpens, qui ante

ante cicur erat, iam abominabilis est, horridus, & noxius homini præsertim, cum quo iam habet naturalem antipathiam. Video autem omnes ferè interpretes asserere pœnas istas ei naturales fuisse, antequã ad tentandum hominẽ accederet, postea verò eidem in pœnam & infamiam confirmatas, & ordinatas fuisse, eo ferè modo, quo mors est homini naturalis, & iridis generatio, quæ tamen postea in pœnam, & in signum pacti esse cœperunt. Serpentem verò maledictum fuisse potius in pœnam hominis vergere videtur, nam tametsi eandem haberet ante peccatum antipathiam, vt multi volunt, quàm nunc habet cum homine, Deus tamen impediebat, ne illa inimicitia naturalis in actum prorumperet, adeout primi parentes serpentem non timerent, ac si iam Deus actum antipathiæ cohiberet, quæ lupum inter & ouem, felem & murem, pullum & miluum reperitur.

Maledictus es inter omnia animantia. Per maledictionem intelligunt Hebræi priuationem boni, & accessionem mali; sicut per benedictionem, augmentationem boni, addunt serpentis maledictionem esse, quod tardiùs parturiat, & septem annis gerat vterum: alij, qui putant erectum antea ambulasse, & herbis vixisse, facilè respondent ei iam esse veram pœnam repere, atque terram comedere: quod si ad Sathanam referas, volunt Hebræi consternatum esse, & pulueres edere: idest terrenos homines, qui suis affectibus dediti sunt, consumere, nihilque in viris pijs dæmonem posse, qui neglectis terrenis cœlestia meditantur: cùm enim Sathã spiritus sit, cibus eiusdem generis suggerendus est, quale est peccatum, quo fames eius sedari videtur: & sicut terra repit, atque viuit serpens, ita Sathan ad terrena rapit, & à cœlestibus auocat: ille cauernas perreptat, & in illis se abscondit, hic miris illecebris in sinus cordis sese insinuat, statim enim partem concupiscibilem inflammat, statim irascibilem concitat, vt nos pertrahat ad illicita, & ad peccata sollicitet, adeout continuò lucta sit nobis aduersus eum ad Ephes. 2.
Ad Eph. 2. nec illius opera dissolui potuêre, donec filius Dei venerit, *qui ad hoc apparuit*, inquit D. Ioh. cap.
Ioh. 3. 3. epist, *vt dissoluat opera diaboli.*

Est autem maledictus sed מִכָּל הַבְּהֵמָה *micol habehemah*, præ omni iumento ארור *arour*, est à radice, ארר *arar*. i. maledicere, obloqui, detrahere, vituperare, malè precari: vt hac dictione rerum omnium penuriam designare possis, & omne genus infortunij describere.

Hanc præ cæteris animantibus maledictionem Hebræorum nõnulli ad vitæ serpentis breuitatem referunt, sed alia sunt, quæ non sunt longioris vitæ, & per חיה bestias intelligunt, quæ carnibus vescuntur, & felem, canem, suem, &c. nomine verò בהמה illas, quæ fœno, & herba victitant, aiúntque *behema* magis esse maledictum in vteri longa gestatione, quam חיה *chaiath* septies, quia carnis, & felis 50 tantum à 52 diebus gestant vterum, quod volunt esse minimum tempus inter *chaiath*, cum aliæ bestiæ diutiùs ferant, vt sus 60 diebus, vulpes 6 mensibus; at *behema* bestiam mundam, minutam quidem 5. mensibus: crassiorem, 9. immundam verò *behema* 12. mensibus, quod est septies plusquàm 52. diebus in fele, & cane, quæ septies in anno fœtum gestent, vbi *behema* immunda semel tantùm feret, vt apud R.
R. Elias. Eliam orientalem, & Beresith Rabba, cæterósque
Beres Rab. recentiores videre est, qui subiungunt lupum, leonem, vrsum, pardum, & simiam annis tribus grauida fieri, viperam 70. vnde concludunt septies maledictum esse serpentem plusquam *behemah*, adeóque semel tantùm in annis 7. grauidum fieri; quod cùm aliquis Romanus philosophus experiri vellet, & in dolio serpentes simul congressuros inclusisset, monitus de veritate à quodam sapiente Hebræo, quam tot annis nondum inuestigare potuerat, sibi ad parietem caput illisisse dicitur, vt habes in Beresith Rabba, & R. Caro; R. Caro.
verùm illa nugamenta, atque friuolæ argutiæ risu potiùs, quàm ratione exsibilari, & reijci debent, carent enim fundamento, nec ad rem facere videntur; quanquam si quæ de temporibus diuersis gestationis vteri vera sunt, non sunt indigna consideratione; sed ea discutere iam non vacat; consulatur Plinius, & alij, qui de natura animalium ex professo scripsêre, Aristoteles.

Super pectus tuum gradieris; forsitan enim dæmon serpentem euexerat, vt rectus ambularet, & citiùs mulierem deciperet, nec absonum est, aliquem fuisse, & etiamnum viuere serpentem, qui rectus ambulare valeat, imo nostri caput, & collum cum aliqua ventris parte eleuant, cùm repunt: & alij pedes habent, vt cõstat in lacertis tam viridibus, quàm subcineritijs. 70. ἐπὶ τῷ στήθει σου καὶ τῇ κοιλίᾳ super pectus, & ventrẽ: nam dictio Hebraica גְּחֹנְךָ *gechoneca* trúmque significat: גחון *gachon* enim Massoritæ.
ventrem reptilium designat: vbi Massoritæ notant Leuit. 11.
literam ו vau, quæ est in hac dictione Leuit. 11. v. v. 42
42. scribi longiusculam, quia est media litterarum Haberi ו quæ sit media literarũ
omnium, quæ sunt in toto libro legis. Targum autem vertit מְעָךְ .i. viscera tua. Aliqui verò *gachon* deducunt à גחה .i. educendo deducere, quòd ex illa parte spiritus, & habitus extrahatur, vbi Bibliæ.
Aben Ezra dubitat, an Nun sit radicale, an seruile. Ab. Ezra.

Itaque hoc deinceps in perpetuam ignominiam serpenti cessit, vt super pectus suum ambularet, & terrâ vesceretur, quod ante non nisi bonum ei fuerat. Cabalici de Sathana id exponunt, qui non Cabalistæ.
sit ampliùs habiturus potestatem in animam, sed tantùm in corpus, quod puluis est; ideóque dæmones & malignos spiritus in sepulchris maximè, vbi sunt corpora, versari, & eiusmodi dæmonem *azazelum* vocant: præterea aiunt sæpè corpora induere, & in ea transire; loca deserta, & sepulchra quærere, vt insidientur nobis, & infirmiorum fidem tentent, & labefactent. Dæmonem esu pulueris damnari, quòd in causa fuerit, vt homo in puluerem redigeretur. Quapropter, inquit autor fasciculi Myrrhæ, in hora circuncisionis pueri, cùm circunciditur, apponi vas cum puluere ad ponendum illic præputium, quod abscinditur, vt scriptum ait de præputijs Palæstinorum, quòd ea regi Domino impleuerint puluere, quia iusserat Dominus abscindi præputium, vt membrum illud infirmaretur, & robur pollutionis serpentis minueretur, iuxta id, *Si inimicus tuus esurierit, ciba eum pane, ideo apponi ei puluerem; qui est panis eius, seu cibus*, vt est Isaiæ. 65. in fine. Quæ satis Isai. 65.
ostendunt Rabbinicam stultitiam. His ergo relictis ad Patres accedo, qui nobis spirituales sensus suggerunt.

D. Aug. 2. de Gen. contra Manich. cap. 17. & August.
18. pectus, & ventrem explicat de duabus vijs, quibus nos dæmon adoritur, nempe superbia, & libidine; illa enim per pectus ostenditur, in quo versatur irascibilis, & hæc per ventrem, in quo

concupiscibilis est, quos appetitus inflammat, vt nos præcipites agat D. Greg. 21. mor. cap. 2. executionem luxuriæ, & eius cogitationem, atque desiderium intelligit. Terram verò pro pecatoribus passim vsurpant Greg. in psal. 4. pœnit. & D. Aug. 1. de Gen. contra Manich. cap. 17. qui per terram, tertium peccati genus, nempe curiositatem intelligit. Igitur peccatorem comedit dæmon, quia sicut nos comedere dicimur ea, quibus satiamur, ita quandoquidem Sathan peccatorum affectibus terrenis, atque peruersis, & prauis cogitationibus delectatur, ijsque veluti suam inuidiam satiat, cur non affirmabimus eum peccatores comedere?

Gregor.

August.

Profectò horum omnium verum, & legitimum sensum existimo, vt Deus ostendere voluerit, quantum de peccato commisso irasceretur, adeout nec ipsis animalibus parcat, quando peccati fuerunt organa, sic enim ipsa iumenta, quibuscum aliquis coierat, occidi iubebantur Leuit. 20. v. 15. & Christus ipse ficui maledixit, quòd fructum non haberet Math. 21. vt manifestaret, quantum ei displiceat, & quanto supplicio dignus sit, qui in vinea Domini positus nullum fructum affert, qui excidetur, & in ignem mittetur. Cæterùm graues difficultates hîc se se offerũt, vt vnde tãta inter hominem, & serpentem inimicitia nascatur, an dæmonis pœnæ pro varijs peccatis, quæ facit, in dies augeantur; an pro libito corpus quodlibet assumere possit, vt tentet, &c. de quibus paucis agendum est.

Leuit. 20.

Math. 21.

QVÆSTIO XLVIII.

VNDE SERPENTIS ODIVM NATVRALE PROCEDAT, quo hominem odit, & impetit, & vice versa, vbi præclara de sympathia, & antipathia.

SI quis perfectè loqui velit de serpentium cum inter se, tum inter homines, & alias res sympathia, & antipathia, eorum naturam, essentiam, atque proprietates cognoscat necesse est, alioquin quomodo sciet quidnam appetat, quidue fugiat Ophites, Amotydes, Cenchrias, Iaculus, Echis Vipera, Hęmorrhois, Dipsas, Centris, Melanurus, Præster, Triscalos, Hæmidutus, Chelidrus, Zygnides, Cerastes, Cæcus, Molurus, Typhlopes, Natrix, Salpinga, Catoblepas, Ptyas, Chelidonia, & alij serpentes; quomodo inquam sciet antipathiã, quæ reperitur in illis, nisi prius naturas eorum expertus fuerit? Quapropter leui calamo quæstioné hanc attingo; interim videatur Aldrouandus, Plinius, Bustamant & alij. Itaque certum est iam communiter inter homines, & serpentem odium manifestissimum intercedere: vnde nonnulli aiunt Stellioné propter inuidiam quam habet in homines exutum corio vorare illud, ne eo illi vtantur, qui morbo Comitiali laborant. At illud serpentibus non est singulare, nam ceruus etiam, teste Theophrasto tract. de animalibus, quæ inuidere dicuntur, dextrum cornu fodiens abscondit, quod contra venena ranæ rubetæ, aliaque auxiliatur. Vorat & equa pullorum hippomanes, quod in multis vtile est. Vitulus marinus cùm captum se videt, coagulum euomit, quod epilepticis auxiliatur. Echinus terrestris vrina corrumpit corium. Lynces vrinam terra operiunt, nam lyncurium, quod ex vrina fit, ad sigilla aliósque vitæ vsus vtile est: licet id minimè faciant ex inuidia, vt postea docet.

Theophr.

Cùm autem nesciamus qualis, cuiúsue speciei serpens Euam tentauerit, nec etiam illius naturam, & antipathiam cum homine inuestigare possimus: ea propter nonnulla de omnibus serpentibus dicenda sunt, quæ prædicto serpenti conueniant. Antipathia verò, quam res aliqua cum homine habet, vel ex 4 humoribus profluit, quibus omnia corpora sublunaria constant, vel ex aliqua proprietate occulta, specifica, seu formæ propria, quandoquidem nihil aliud in præsenti assignare possumus nisi ipsam serpentis essentiam, vel animam, quæ cùm per se immediatè non agat, aliquam qualitatem in illius corpore producere debet, ob quam homo naturali odio serpentem prosequatur. Scio quidem serpentium quorundam temperiem frigidam esse, vt patet in ijs, qui hyemis tempore in cauernis absconduntur, & humore quodam frigido in pectore collecto nutriuntur; homo verò contrarium temperamentum sortitus videtur, qui præsertim calore gaudet, eóque constat. Verùm si ob frigus antipathiam inter nos, & serpentem constituimus, quæcúnque vel simile, vel maius frigus habuerit, ex æquo homini opponetur, vt marmor, alabastrum, nix, & quæcúnque frigida sunt, à quibus tamen non ita abhorremus, sicut ab occurrente serpente.

Id tamen nondum cogit, vt ad occultas virtutes ab ipsa forma profectas recurramus; nam fieri potest, vt in serpentibus sit aliquis peculiaris gradus frigoris cum hoc, aut illo humoris, siccitatis, vel caloris gradu ita mixtus, & dispositus, qui illius horroris causa existat, quoad serpentis conspectum afficimur. Quo fortè modo quaslibet antipathias, & sympathias rerum omnium explicare posset aliquis: licet illorum sententiam minimè reijciam, qui qualitates alias specificas, seu occultas admittunt, vt eam explicent Magnetis vim, qua ferrum attrahit, & ad polum conuertitur, similesque rerum aliarum effectus, atque proprietates. Qua ratione Fernelius 2 de abdit. rerum causis cap. 17. fatetur cum Galeno 11. de simplici medicina, cancros fluuiatiles vstos demorsis à cane rabido mederi, & pæoniam morbum Comitialem profligare ingenitã sibi proprietate, quæ sit à tota substantia; adeout asserat nihil esse in vlla naturæ parte, quod non peculiari, & occultâ proprietate vigeat, vnde sympathiæ, & antipathiæ seu consensiones, & dissensiones proficiscuntur, arcanæ quidem & abditæ, quas natura nos mirari potiùs, quàm scire voluit.

Fernel. Galen.

Ea propter

Ea propter statim atque quendam effectum deprehendimus, cuius causam, & rationem ignoramus, protinus ad occultas proprietates confugimus; vt cùm nudæ cutis contactu sanguinem quauis ex parte manãtem Selenite sistimus: cùm felis, nepeta sibi medetur, ceruus, dictamno, serpens, origano, mustella, ruthâ. Sic etiã homines sibipsis rheubarbaro bilem extrahunt, & scammonio, aliisque cholagogis à dyssenteria se liberant. Sapphirus ab anthrace fugatur, aut discerpitur. Scordion, & centaurium minus lethalium bestiarum ictibus prodest. Terra lemnia haustis cantharidibus, & lepori marino succurrit. Terra armena à pestilenti febre vindicat. Omitto cætera propemodum infinita alexiteria, seu amuleta, quibus tuti reddimur. Nam tantus est eorum numerus, quæ inter se consensionem, vel dissensionem exercent, vt à nemine recenseri possit, nisi qui singulas creaturas nouit. Diligenter autem aduertendum est non quodlibet animal æquales cum altero quopiam inimicitias habere, nec cùm multa alicui aduersantur, æquè omnia, sed est quod aduersetur præcipue cuicunque quoddam certum; sic enim leporem canis insectatur, non ita leo: neque ita canis felem, vel murem, felis verò murem, non ita aliud quodpiam animal, quo sensu id Eccles. 33. intelligi potest v. 15. *Contra malum bonum est, & contra mortem vita, sic & contra virum iustum peccator. Et sic intuere in omnia opera altissimi. Duo & duo, & vnum contra vnum*: cuius loci gratissimam, & vtilem explicationem lege apud Valesium cap. 75. de sacra philos. vbi aduertit aconito propriè rutham, generosum vinum opio, & lepori marino lac opponi, deinde Epicuri ἰσονομίας, seu æquilibritatem in humano corpore ostendit.

Selenitis proprietas.

Eccl. 33.

Valesius.

Videndum est autem, an aliquo modo serpentis antipathiam, & eius radicem inuestigare possimus: Vbi licet modos propemodum infinitos antipathiæ illius disquirendæ habeamus: hîc tamen præcipuos solùm afferemus, vt an illa contrarietas serpentis & hominis ex eo contingat, quòd in diuersis terræ locis nascantur, vel educentur, quòd alimentis distinctis vtantur, quòd varijs cœli signis subijciantur, &c. Sanè veram, & immediatam istius antipathiæ causam, quam serpens habet cum muliere, à propria serpentis idiosyncrasia, & interna constitutione oriri arbitror. Nec aliunde nos tot venenis, & deleterijs obnoxij sumus, nisi quia plantarum, serpentum, lapidum, succorum, & reliquorum venenatorum constitutio corporea nostræ constitutioni opponitur: hinc, Parthi, Scythæ, Arabes, Ægyptij, Dalmatæ, Daci, & cæteri sub Turcarum imperio contenti tela sua toxico inficiunt, vt Christianos vulnere insanabili feriant, & ideo sagittas illa toxeumata dicunt, quorum ictibus, vt aliquod paretur alexipharmacum, aduerte Scytharum & Parthorum toxicum ex humano sanguine, & sanie viperina constare, quod ex Lerneæ hydræ ab Hercule occisæ cruore natum aiunt Poëtæ, Scythicum etiam appellant: enixas autem viperas capiunt, & eas contabescere sinunt, donec computrescant, & toto vnius hominis sanguine in ollam effuso eam exquisitè opertam fumo obruunt, vt sanguinis *supernatans ichor*, vel serum cum viperina sanie permixtum lethale toxicum nobis propinent, & hostes lingua, labijsque intumescentibus rabie efferantur, quam confectionem omnino celant, ne saucijs medica manus afferri valeat. Quibus iam passum cum oleo rosaceo potum, raporúmque semen ex vino haustum, ac crebra vomitione redditum auxiliatur, de quibus si plura volueris, lege Nicandrum, & eius interpretem, nec non Dioscorid. lib. 6. cap. 20.

Vnde oriatur antipathia.

Scythicum venenum & eius remedium.

Nicander. Dioscorid.

Omitto Pharicum Ægyptiorum venenum, quod vno die homines furore percitos interimit, nisi statim adsit vinum absynthites, cum cinnamomo, & nardo Ciliciæ: vel malum cotoneum, quod struthion appellant, vel saltem cotton ij rhisco inclusi odor, qui à Pharici virulentia præseruet: de quo videri potest Athen. lib. 3. Aliud verò remedium Pharos ab Asclepiade dictum, & inuentum habes apud Galen. 8. de compos. medicam. Mitto etiam Dorychnium, quo cuspides in bello inungebantur; solanum furiosum: thoram aconiti speciem, quam ob glires, & pantheras eo necatas myoctonum, & pardalianches appellãt: limeum, seu venenum ceruarium Gallorum apud Plin. lib. 27. cap. 11. Celtarum ζωικὸν, de quo Arist. lib. de mirab. aud. si tamen à præcedenti euariat, quod nõnulli toxicum ephemerum esse cõijciunt, quod illud folia quercina extinguant, vel syluestre elleborum, aut Columellæ consiliginem, putant alij Græcorum, & Ægyptiorum esse virulentum helenium, à Dioscoride veratrum heliconium nuncupatum, Ninum vero Dalmatæ vocant, quo spicula illinunt: videatur Galen. de theriaca ad Pison. & Ægin. lib. 6. cap. 88. Denique mitto Cholcicum, Cantharides, & alia venena, quæ nobis infesta esse arbitror ob prauam temperiem, ex qua constant, quandoquidem nunquam crediderо Scammoneæ virus ita nobis cõtrarium esse, nisi ob internam sui constitutionem. Idémque prorsus assero de omnibus alexipharmacis, quæ nobis sunt auxilio, ne venenis pereamus, quippe quæ id ex propria substantia obtinuêre. Itaque non est aliunde quærenda serpentis antipathia cum muliere, quam ex illius constitutione naturali: quapropter siue de serpentibus in communi hic versic. intelligatur, siue de quodam in particulari, vt de iobolo, vel aspide, quibus infusa Pharos infestatur, vel de quopiam alio, parum mihi referre videtur: illud enim odium ex prædicta constitutione deduco. Quodnam vero sit illud temperamentum, quæ constitutio, quæ naturæ facultas, aut proprietas, quis hominum inuestigare potest? Immo licet illam facultatem deprehenderet aliquis, quomodo illius causam agnosceт?

Ægyptiaci veneni, & Ascalonij Philo. meminit lib. de legatione ad Caiũ.

Athen. Galen.

Plin. Aristot.

Galen. Æginet.

Scio non paucos ad astra recurrere, inter quos Langius mediç. epist. lib. 1. epist. 33. numerandus est, quippe qui ob hydrargyrum, succinum, & magnetem, quæ aurum, paleas & ferrum libenter amplectuntur, & tamen olei liquorem refugit hydrargyrum, sicut & magnes allium, & adamantem: ob tympana lupino obducta corio, quæ alia disrumpunt pelle cooperta agnina: ob leonem gallum timentem, ob grassicæ, & hederæ, cucumerum & olei dissidia, ob chordam testudinis vnisonam, quæ licet minimè tangatur, altera vnisona, vel diapason resonante, mouetur, ob heliotropij, & molochi flores motui solis obsequentes: ob siccum pulegium brumali die Pleiadibus occiduis florentem, ob Iaspidem sacrificia Dijs accepta reddentem, & Achatem conciliantem animos coniugum, atque voti compotes efficientem, si fabulis credere fas est, ob acus magnete confricatæ ad poli conuersionem, ob Selenitem pro lunæ modulo crescentem, & decrescentem, deni-

Langius.

que ob plantas, radices, & lapides cum astris, & spiritibus diuina, inquit, lege consortij conspirantes credit vnicuique rerum speciei peculiare astrum, vt polum magneti: & cuilibet astro peculiaris intelligentiæ dæmonem, quemadmodum proprium cuilibet homini genium à diuina mente dicatum esse, adeout quicunque horum sympathiæ consensum, & antipathiæ dissidium nouerit, admiranda per herbas, lapides, & spiritus magiæ opera producturus sit, & spiritus in sui colloquium allecturus.

Langius arguitur.

Vbi malè credi Langius, nec enim herba, vel lapis hanc aut illam virtutem sortitur, quod dæmon aliquis præsit stellis, à quibus herba, vel lapis regatur, nec enim ideo herbæ peculiares virtutes habent, quod dæmones eis præsint, etiamsi per dæmones angelos bonos intelligeret (alioquin enim falsum est cacodæmonem his, vel alijs rerum speciebus præesse, cùm id ad bonos pertineat, si tamen præfectura huiuscemodi admittenda sit, vt plures illam concedunt) etenim priùs est aliquam herbam in sua natura constitui, & cum alijs rebus antipathiam habere, quàm vt angelus ei præficiatur. Angelum verò custodem appellare, mi Langi, quàm genium satius fuisset, si potiùs Christianus, quàm magus audire voluisses. Placet autem huic quæstioni finem imponere, quia cum nesciamus cuius speciei serpens ille fuerit, quo dæmon vsus est, fieri nequit, vt rationem propriam antipathiæ reperiamus, ideoque ad sequentem versiculum progredior, si tamen prius monuero tibi caueas à quibusdam nebulonibus, qui sub antipathiæ, atque consensionis vmbra, quibus mirabilia se facere, & genij sui consortio vti aiunt, operationem cacodæmonis miscent, & eius opera vtuntur, quibus Langius suprà fauere videtur, quæ aliquando aduersus magos, & quosdam medicos Deo bene iuuante discutiemus, & conuellemus. Præ cæteris verò rerum proprietates, & antipathias inquirere possunt, qui varijs fornacibus ex vnaquaque re aquam, essentiam, sal, & oleum extrahunt, & quodlibet experiuntur.

Antequam ab hac quæstione discedam, referre iuuat, quæ vir doctus sæpius expertus est, vt ipse mihi retulit, quod non parum faciet ad inimicitiam intelligendam, quæ inter mulierem, & serpentem intercedit, quæ si manibus ὑμῖν premat, serpens immobilis velut Marpesia cautes fiat, & facillimè à quopiam accipiatur, quod inimicitiam seminis mulieris, & serpentis significat. Idem ferè de viro narrant, qui si μόνος ambabus item manibus compresserit, dum gallus excinditur, vt caponis naturam induat, gallum illum extingui aiunt; quæ profectò si vera sunt, nec id à pacto tenebrarum originem sumpserit, sed in ipsarum rerum in se inuicem agentium natura fundamentum habeat dignum est, quod diligenter à Philosophis, atque Medicis discutiatur: nunc enim nulla mihi ratio occurrit, quæ satisfacere possit. Illa tamen ostendunt mutua serpentis, & fœminæ, galli, & viri occulta odia, sicut & ea, quæ Galen. cap. 4. de theriaca ad Pison. & alij referunt, videlicet fœminas examinari, & animi deliquijs viso serpente corripi, & viros pallescere; alij tamen existimant fœminas odore lactis à serpentibus expeti, licet oua serpentis vmbilico fœminæ applicatum semen, & fœtum ex vtero excludant, & vbi suffumigio applicantur, reddunt illas steriles: ex opposito si fœmina contrectatione, vel habitu serpentis oua tetigerit, infœcunda redduntur, & ea serpens deserit. Huc etiam facit, quod serpentes ex medulla spinæ dorsi generentur, qui cum costas corrodant, & Eua ex viri costa, velut ex aliquo semine producta sit, cum mulieris semine inimicitias gerere dici potest. Rodigin. præterea testatur ex mulieris capillis serpentes oriri. Mitto cætera, quæ apud Busthamantium lib. 1. de animant. Scripturæ sacræ cap. 10. refert, vt ad textum nostrum reuertamur, cum nulla hactenus ratio nobis occurrerit, quæ perfectè satisfaciat, vnde videlicet huiuscemodi antipathia serpentis, atque mulieris oriatur, nisi velimus ad pœnam à Deo ob peccatum impositam recurrere. Qui certiora voluerit, omnes serpentis partes discindat, & cuiuslibet proprietatem exploret, videatque quam virtutem oleum, sal, & cætera, quæ ex eo per Alchymiam extrahi possunt, & cum singulis mulieris partibus accuratè conferat. Galen.

VERSICVLVS XV.

Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius: Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo illius.

וְאֵיבָה אָשִׁית בֵּינְךָ וּבֵין הָאִשָּׁה וּבֵין זַרְעָהּ הוּא יְשׁוּפְךָ רֹאשׁ וְאַתָּה
תְּשׁוּפֶנּוּ עָקֵב׃

Καὶ ἔχθραν θήσω ἀναμέσον σου καὶ ἀναμέσον τῆς γυναικὸς, καὶ ἀναμέσον τοῦ σπέρματός σου, καὶ ἀναμέσον τοῦ σπέρματος αὐτῆς. Αὐτός σου τηρήσει κεφαλὴν, καὶ σὺ τηρήσεις αὐτοῦ πτέρναν.

VErsic. iste difficilior est, quapropter hebraicę dictiones expendendæ sunt, Pagninus enim vertit, *ipsum conteret tibi caput*, supple *semen*, ac si diceret ipsum mulieris semen, id est Christus, vbi vulgata

vulgata legit, *ipsa*, quod ad Virginem matrem Catholici referunt. 70. vertunt αὐτός, *ipse seruabit*: Paraphrastes Chaldæus sic habet. *Et inimicitiam ponam inter se, & mulierem, & inter filium tuum, & inter filium eius, ipse obseruabit tibi quid fecisti ei à principio, & tu obseruabis in finem.* Isidorus Clarius habet etiam, *ipsum conteret caput tuum, & tu conteres calcaneum eius.* Vbi hæc ait. *Semen serpentis impij sunt, qui illius veneno infici se patiuntur, & quodammodo ab eo generari, quare Seruator dixit quibusdam Iudæis, vos ex patre diabolo estis, & voluntatem eius vultis facere*: deinde. *Ipsum semen mulieris Christus Dominus contriuit caput serpentis, hoc est regnum peccati, ipse verò serpens non caput, sed calcaneum contriturus dicitur, hoc est extremos quosque duntaxat vel cùm in Christi humanitatem desæuyt. Pulchrè autem pœnæ infliguntur: serpentis enim arrogantia opponitur, vt super ventrem gradiatur, in muliere deliciæ puniuntur doloribus partus: ignauia Adami laboribus.*

Isid. Clarius. Ioan. 8.

Aliqui rectè dicunt Ecclesiam in Eua designatam fuisse, vt pote inter quam, & diabolum perpetuæ, ac grauissimæ inimicitiæ intercederét; patet verò quàm bene Deus mulieris inimicitiam, & serpentis constituat, vt quæ perierat occasione familiaritatis cum serpente, cum eodem imposterum æternas inimicitias gereret. Hebræus bis ponit *inter*, in dictione verò mulierem significante est *he haiedia*: vt totum mulieris sexum intelligamus, licet non vtatur nomine הנקבה sexum denotante, vt nupta significetur, quæ semen habere possit, inquit Mercerus, quod non vsque adeo solidum existimo, siquidem נְקֵבָה *nekebah* ideo mulierem significat, ob foramen matricis, quo vir caret: fit enim à נָקַב idest perforauit, vnde terebellum dicunt Hebræi מַקֶּבֶת *Makeket*, vel foueam, & foramen, & *Nikiba* penetrationem designat, & fistulæ, seu tibiæ quia perforatæ sunt *Nekabim* appellentur: vbi notandum est verbum *Nakab* metaphoricè significare, *nominauit, & exposuit, & maledixit, seu conuiciatus est*, blasphemans enim, & conuicians veluti transfigit illum, quem conuiciatur: hinc etiam שֵׁם הַמְּפֹרָשׁ *Sembamephoras*, nomen expositum, quando videlicet nomen יְהוָה profertur, sicut scribitur; vide Leuit. 24. vbi morte damnatur qui hoc nomen pronuntiarit, & maledixerit. *Ipse conteret caput tuum*, idest vir caput serpentis, vt vult Merc quia negat esse legendum, *ipsa*, cum cæteris hæreticis, qui propterea in vulgatam insurgunt, quæ controuersia ex dictione הוא nata est, vbi cæteris impudentior Amama venenum eructat, metásque vomit blasphemias, dicens lectionem vulgatæ idololatricas B. Virginis laudes, & has subsecutam eiusdem inuocationem in Christianissimum. Fagius ait האשה quod propter ה *haiedia* certam, & notam mulierem designat, nempe hanc ipsam cuius imbecillitate tam turpiter abusus est, ad Mariam Virginem posse referri, ex qua natum est benedictum illud semen: additque הוא (de quo maior est controuersia) Hebræis esse relatiuum masculini generis, & referre זרע; vnde carpit vulgatam, quæ legit, *ipsa*, quo inquit multũ detrahitur gloriæ Christi, si ad alium, quàm ad ipsum referatur. Vt autem opinioni suæ vires addat Amama refert multos Catholicos, qui negarunt, *ipsa* legendum esse Caiet. Steuch. Pagnin. Arian. Mont. Felisium. Riber. Perer. censétque illum errorem in temporum fatalem cæcitatem refundendũ esse, & incuriæ describentium imputat; at postquam Clemens VIII. & Sixtus V. hanc dictionem reliquerunt, crimen nunquam eluendum admissum esse clamat, vnde & eiusdem criminis homil. 2. D. Bernar. super, *Missus est*, insimulat, quia ex eo Scripturæ loco amplam laudum Virginis materiam arripit, cúmque imperitiæ arguit, cuius tamen vnicam sententiam pluris fecero, quàm omnia quæ scribit hîc Frisius in omnes iniurius, qui Venetum laudat, quod eius opinioni patrocinetur probl. 55. primi tomi, parasitos autem Pontificum vocat Canisium lib. 5. de Virg. cap. 9. Valent. analis. 8. ca. 5. Carbonarium ad hunc locum, Costerum in controuers. Suarem in 3. par. tomo 2. disp. 3. sect. 5. &c.

Mercerus. Amamæ impudẽtia. Fagius. Amama. Bernard. Venet.

Verùm vt viros Catholicos, & vulgatam catholicè tueamur, rem totam diligentiùs excutiendam puto; הוא ergo sine punctis vel *hu*, vel *hi* legi potest tam masculino, quàm fœminino genere, sic enim versic. 12. de muliere dicitur הוא *hi* αὐτή ipsa dedit mihi de arbore, vt habet Vatabl. & Genes. 17. versic. 14. *anima illa* habetur *hi*; item Genes. 24. vers. 44. Genes. 38. quater ita legitur vers. 1. vers. 14. 16. & 25. nec enim punctorum ratio habenda est in Tiberiade Palæstinæ circa annum 476, vel 478 tempore Simplicij Pontificis inuentorum, idque præsertim à R. Ben-Aser, & R. Ben Nephtali; adde quòd Bellarm. 2. de verbo Dei cap. 12. asserit in vetustissimis exemplaribus legisse *hi*, deinde communiter ita Doctores legunt, vt S. Epiphan. hæresi 78. Antidicomarianitarum. D. Chrysost. etiam iuxta Oecolampad. bis αὐτὴ habet. D. Ambr. in oratione funebri Theodosij, & cap. 7. de fuga sæculi explicat locum illum de muliere, & de virgine: videatur D. Hieron. in Psalm. 9. D. August. 2. de Gen contra Manich. cap. 18. & 12. ad liter. cap. 6. Chaldæus in neutro ponit, & 70. neutraliter etiam sumere videntur, cùm post σπέρμα posuerint, αὐτός. Quod autem in Synagoga Hebræorum idem nobiscum senserint, testatur Ioseph. 3. Antiq. cap. 2. *Abstulit autem serpenti vocem iratus eius malignitati, quam gesserat in Adam: & venenum ei sub lingua ponens, quod esset hominibus inimicum, præcepit, vt mulier eius capiti plagas inferret. Ille verò iacens esset hominibus aduersus, & interitum facilem eis pro vindicta portaret.* Audio tamen hæreticos, qui possint obijcere, hîc verbum esse masculinum, & non fœmininum ישופך *ieschuphcca*; at sæpe videas in Scriptura cum verbis masculinis iungi pronomina fœminina, vt cum עשיתם *haschitem* de duabus mulieribus dicitur, & genere masculino per ם terminetur, cum per ן nun desinere debuisset; idem obseruamus Esther 1. vers. 20. vbi verbum masculinum ... *ijthenu* vxoribus tribuitur, de quibus tamen *titthenenna* תתננה dicendum fuisset; idem legito Eccles. 12. vers. 4 quod fieri solet, cùm de mascula, & virili actione agitur, vt Pagninus 2. Grammat. cap. 3. & Iunius lib. 3. cap. 7. notarunt, vel cùm sermo fit de actione laude digna.

הוא discutitur. Genes. 17. 24. & 38. Puncta quãdo inuenta. Bellarm. Epiphan. Chrysost. Ambros. Hieron. August. Ioseph. Esther. 1. Eccles. 12. Pagnin. Iunius.

Sed & ex Caluini confessione 1. Instit. cap. 14. §. 18. locum hunc etiam ad Christi membra pertinere, inter quæ Virgo mater numeratur, quod ex Psalm. 90. & Luc. 10. versic. 9. ad Roman. 16. versic. 20. in Genesim probat; falsum est tamen semen mulieris de omnibus hominibus intelligi, cùm impij semen, seu filij diaboli dicantur Ioh. 8. vide D. Hieronym. in 47. Ezech. versic. 3. D. August. in Psalm. 48. versic. 6. psalm. 103. conc. 4. in

Caluinus. Psalm 90. Luc. 10. Ioh. 8. Hieron. August.

versic.16. Oecolamp. in hunc Genesis locum, qui sic explicant, cùm igitur semen ipsum possit de Ecclesia intelligi, parum refert, si *ipsum*, vel *ipse*, vel *ipsa* dixerimus, vt Coronus aduersus Biblia Geneuensia aduertit, quandoquidem sensus eodem recidit, melius tamen vulgata tribuit Ecclesiæ victoriam, quia semper durat collectiuè, cùm tamen eius filij distributiuè desinant, seu transeant; confirmatur ex decimo sexto Matthæi. *Et porta Inferi non preualebunt aduersus eam*; portæ verò istæ, quid aliud sunt, quàm serpentis caput.

Coronus.

Matth 16.

Iterum ostendimus nos optimo consilio potiùs *ipsam*, quàm *ipsum*, vel *ipse* retinuisse, primùm enim cum *hi*, per ו scribimus, vt masculinum, magna denotatur emphasis, vt ipsissimam magis, quam ipsam significet; vt etiam vers. 12, & 20, &c. 17. v. 14. Genes. 24 v. 44 & 38 vers. 21 patet, in quibus הוא *hi* denotat *ipsissimam*, vel *hanc ipsam*: sed & gratis concedere possumus puncta à Rabbinis rectè collocata esse, etenim mulier est nomen collectiuum totam Ecclesiam designans, ac proinde Virginem partem nobilissimam Ecclesiæ; at Massoretæ nomina collectiua communis generis esse volunt, vt docet Pagninus lib. 2. Gram. cap. 2. adeout in eodem versu idem nomen masculino, ac fœminino accommodetur, vt Genes. 32. vers. 8. vbi מחנה *machane*, i. turba primò fœmininum est, deinde masculinum; quamobrem אשה *ischa* mulieris nomen pro Ecclesia mysticè positum primo loco sumi potest fœminino genere, pro semine, & alio loco vbi habemus, *conteret*, & *conteretur*, masculino, vt inde certamen illud non ad vnicum, sed ad omnes extendi sciamus; imo iam ita sumptum est cap. 2. vers. 24. hæc vocabitur virago, vbi *ischa* coniungitur cum masculino *isschare*, quia tunc Eua mysticè refert Ecclesiam iuxta Paulum ad Ephes. 5. vers. 31. ac proinde nomen est collectiuum.

Genes 17. 24 & 38

Pagnin.

Genes. 32.

Ad Ephes. 5.

Hinc concludendum est non semper Massoretis credendum esse, neque Scripturam sacram iuxta eorum dogma, atque puncta emendendam; siquidem eius sensum, aut intellectum deprauarunt, vbi Christianæ religionis mysterium includi deprehendebant, vel etiam se credebant argui, quod Iudic 19. versic. 3. patet, vbi enim legimus להשיבה *lahaschiba*, Massoretæ mutari volunt ו affixum masculini generis, in ה fœmininum, quandoquidem de muliere sermo est, quod tamen falsum est, cùm ibi Synagoga per fœminam à viro recedentem, & per Leuitam Deus repræsentetur, qui per Prophetas toties conatur Synagogam ad se reducere Ierem. 3. versic. 1. Sic Prouerb. 31. versic. 16. in fine נטע *nataha* dicunt ה ponendum esse, cùm ibi de muliere sermo fiat, at de Ecclesia loquitur Sapiens sub mulieris similitudine: locus tertius 2. Ierem. vers. 24. legitur, vbi in fine נפשו *naphscau* conuertendum esse asserunt ו in ה, quia פרא *pere onager* est fœminini generis, sed omnium animalium nomina Pagnino teste 2. Grammat. c. 2. sunt communis generis; adde quod per onagrum Israëliticus populus intelligitur.

Iudic. 19.

Ierem 3.
Prouerb. 31.

Ierem 2.

Pagnin.

Vt autem eorum malitia clariùs innotescat, affero quædam alia loca, in quibus affixum non mutant, licet masculinum sit cum fœminino: primus locus habetur 57. Esai. vers. 8. vbi זכרונך *vathichchrth* est masculini generis, cætera verò,

Esai 57.

quæ sequuntur, fœminini, idemque verbum Ierem. 3. versiculo quinto, & capite quarto versiculo 14. in verbo תלין *thalin*: in *vathabo* ותבאו. Nahum 3. versic. 11. in תהי *thehi*: in Osee enim cap. 3. versic. 3. תשבי *tisbehi* est fœminini. Denique Cantic. 2. vers. 7. cap. 3. vers. 5. & cap. 5. vers. 8. cap. 8. vers. 14. pronomen אתכם *ethechem*, & tria verba תעירו *thahiru*, & תעוררו *thimehem*, & תעוררו *theherreru* sunt masculini generis, quia filiæ Hierusalem, ad quas referuntur, omnes Ecclesiæ filios collectiuè sumptos spiritualiter designant. Ex quibus vtinam hæretici sapientiores euadant, dum viderint אשה mulieré statim fœmineo, aliàs genere masculino sumi debere; sic enim in Scriptura sacra multa mysticè significantur, vt diuersorum locorum collatione videre est. Septuaginta verò qui verterunt αὐτὸς, non ad σπέρμα, quod est neutrius generis, sed ad אשה *ischa*, quod hîc est masculini, respexerunt, quia tamen interpres noster vidit apud Latinos mulierem semper esse generis fœminini, dixit, *ipsa* quod cùm etiam ex Caluino, Beza, & Vermilio iustis, & electis applicari possit, cur non Virgini? Sed vti victoria ostenditur pertingere ad omnia Christi membra, ita maledictio modò non fertur in diabolum, sed in omne illius corpus, inquit Vermil. Vnde facilè conuelluntur Amamæ obiectiones blasphemæ, qui veritate coactus fatetur pronomen hoc fœmineum היא *hi* semper in Pêtateucho per ו scribi הוא locis 11. exceptis, vt in hac voce Massora notauit, & recensuit; nec obstat, quòd tunc *chiric* subscribatur, cùm recentiora puncta superiùs dixerimus. Superest vt Virginem tueamur, at illud iamdudum Canisius lib. 5. de beata Virg. cap. 9. perfecit.

Ierem. 3.

Nahum. 3.
Osee. 3.

Cantic. 2. 3. 5. & 8.

LXX.

Canisius.

Certè vix satis demirari possum, quomodo laudes Virginis, qua mediante Christiani salutem adepti sunt, nostris nouatoribus nauseam mouere possint, cùm Pater noster Christus Dominus Matth. 23. vocet Abraham Patrem Luc. 16. qua etiam ratione seipsum appellat D. Paulus ad Roman. 4. & Actuum 7. ac Iacobi 2. idem legimus. Vocatur etiam magister, & Doctor Actuum 13. & alibi sæpè; 2. ad Timoth. 1. ad Ephes. 4. idémque de cæteris Christi nominibus, vt pastore, fundamento, lapide, sole, luce, mediatore, filio, &c. dicendum est, quæ quidem Christo præcipuè conueniunt, ita tamen vt hominibus Christi vices gerentibus facilè tribuatur. Ita D. Basil. in 2. Concil. Nicen. & Cyrillus 2. thesauri cap. 10. vocant Apostolos μεσίτας mediatores. Nazianz. in tragœdia Christi patientis Virginem matrem, Δέσποιναν παντάνασσαν, Dominam omnipotentem.

Matth. 23.
Luc. 16.
Ad Rom. 4.
Act. 7. & 13.
Iacob. 2.
2 ad Tim. 1.
Ad Ephes. 4

Basil.
Cyrill.
Nazianz.

Sanctus Athanasius sermone de sanctissima Deipara hæc habet πρέσβευε κυρία, καὶ δέσποινα, βασίλισσα τε καὶ μήτηρ θεοῦ ὑπὲρ ἡμῶν. *Intercede hera, & Domina, & Regina, & Mater Dei pro nobis.* S. Epiphan. in homilia laudum Virg. Αὕτη οὐρανοῦ καὶ γῆς μεσίτης φύσικως ἑνώσεως. *Ipsa est cæli, & terræ mediatrix, quæ vnionem naturaliter peregit.* D. Augustinus videatur sermone 35. de Sanctis, & 36. de natur. & grat. in quo postquam plurimos iustos retulit, hæc habet. *Exceptâ itaque sanctâ Virgine, de qua propter honorem Domini nullam prorsus cum de peccatis agitur, habere volo quæstionem.* Verùm de hac dictione היא satis, supérque dictum sit: Hunc autem versiculum à Thargo Hierosol. ita vertitur.

Athanas.

August.

Thargum Ierosol.

Et erit

Et erit cùm filij mulieris operam dederint legi, fecerintque præcepta, tunc attendent, vt percutiant te in capite, atque ita occidant te. Cùm verò deseruerint filij mulieris præceptum legis, neque fecerint mandata, tu operam dabis, vt mordeas eos in calcaneis eorum, & infirmitate percutias eos. Veruntamen medela erit filijs mulieris. Tibi autem serpenti non erit medela. Vtique futurum est, vt alij alijs faciant contritionem in calcaneo, in fine calcanei dierum, in diebus regis Messiæ. Videatur Gretserus, qui Iu-
Gretserus. nij, Vuitakeri, Kemnitij, & Hunnij aduersus locum hunc obiectiones meritò ridet, & explodit.

Est etiam difficultas in verbo, *conteret*; super quo perperam Hunnius hæreticus D. Augustin.
Hunnius. arguit, quod existimarit τηρήσει significare, *seruauit*, cum tamen idem sit ac *conteret*, cùm autem significat, *seruauit*, per η scribitur τηρήσει, quod si August. aduertisset, inquit, non accommodasset hanc textus particulam mulieri, sed semini eius; at D. Au- August.
gustin. in suo codice legit τηρήσει, quod etiam habetur in Aldina, & Germanicis quibusdam, quod ferè à Patribus lectum est, inquit Lucas Burgensis, Luc. Burg.
& à D. Hieron. in quæstion. Hebr. sic etiam habet Hieron.
Sextina editio 70. quibus eodem Luca teste Chaldæus congruit.

Cùm autem Deus inimicitias posuerit inter nos & diabolum, & tamen aliqui Sancti dæmonis ope non semel vsi sint, quorum exemplo sortiarij, atque magi sibi licitum esse credunt eiusdem vti adminiculo, præcipuè cùm bonum aliquod operantur: eapropter quæstionem de ea re instituerem, nisi in alium locum eam reiicerem, ne tomus hic nimis intumescat. Interim videatur Raphaël de la Torre disput. 1. ad quæst. 95 artic. 4. 2. 2. D. Thomæ.

VERSICVLVS XVI.

Mulieri quoque dixit: Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos: in dolore paries filios, & sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.

אֶל־הָאִשָּׁה אָמַר הַרְבָּה אַרְבֶּה עִצְּבוֹנֵךְ וְהֵרֹנֵךְ בְּעֶצֶב תֵּלְדִי בָנִים וְאֶל אִישֵׁךְ תְּשׁוּקָתֵךְ וְהוּא יִמְשָׁל בָּךְ׃

Καὶ τῇ γυναικὶ εἶπεν πληθύνων πληθυνῶ τὰς λύπας σου καὶ τοὺς στεναγμούς σου. ἐν λύπαις τέξῃ τέκνα, καὶ πρὸς τὸν ἄνδρα σου ἡ ἀποστροφή σου· καὶ αὐτός σου κυριεύσει.

SEquitur pœna mulieris, quę sanè quanta sit, vix vllus explicare potest: Hebræi maiori cum emphasi pœnam hanc exprimunt, verbum enim suo more repetunt, vt pœnæ certitudinem, continuationem, multitudinem, & iterationem designent, maximè cum infinitiuum addunt, qui fortiorem, atque vehementiorem actionem ostendit הַרְבָּה אַרְבֶּה *harbah arbeh*, idest *multiplicando multiplicabo*, à radice רָבָה *rabah*, qua multiplicare, magnificecere, augere, & educare significamus, vnde illud
Isai. 9. לְםַרְבֵּה *lemarbe* Isai. 9. quod cum Mem clauso legendum aiunt Massoritæ, quo Christi regnum notatur, quod non amplius intra Iudææ limites claudetur, sed ad alias nationes transferetur, quod 70 per ἴασις αὐτῷ *sanitatem ipsi*, expresserunt, à radice רָפָא *rapha*, sanauit.

Ex illo nostro verbo inter alia, quæ deducunt, est אַרְבֶּה *arbe* idest locusta, quæ ita apud Africanos, Syros, & Persas abundant vt etiam in cibum illis vtantur, quæ carent alis: & Arabes elixis, at-
Clenard. que tostis in pollinem redactis vescantur, adeout Clenardus epist. de Mauritania Phesa testetur omnia sata deuorare, & eis cœlum totum obductum fuisse, dum ibi peragerer; rusticos verò quibuscúnque modis occidere locustas ait, ita tamen vt saccos illis plenos in foro venditent, & suos illos hostes comedant. Vt igitur in agmina vides locustas multiplicari, ita dolores mulieris multiplicabuntur; hinc etiam vsuram, quæ pecunias multiplicat תַּרְבִּית *tarbith* appellant.

Ærumnas tuas, & conceptus tuos. 70 τὰς λύπας σου, καὶ τοὺς στεναγμούς σου, dolores, & gemitus, עִצְּבוֹנֵךְ וְהֵרֹנֵךְ *hitsebonec veheronec. hitsabon* laborem, dolorem, tribulationem, & ærumnas significat, à radice עָצַב *hatsab*, vnde & עֲצַבִּים, imagines, & idola. הֵרוֹן *heron* autem fit à הָרָה *hara concepit*, & denotat omnes dolores, quos grauida suffert toto tempore, quo gestat infantem.

Sub viri potestate eris, 70 hebræam phrasim secuti videtur καὶ πρὸς τὸν ἄνδρα σου ἡ ἀποστροφή σου, habent enim וְאֶל אִישֵׁךְ תְּשׁוּקָתֵךְ *veel isec tesoukatec*, & & ad virum tuum desiderium tuum, vel appetitus tuus, conuersio tua. Aquila vertit *societatem*, Aquila.
Symmachus impetum. Aben Ezra sic interpretatur, *Desiderium tuum, scilicet auscultatio tua; omnia enim quæ præceperit, exequeris, sub eius enim imperio constituta es.*

Hebræi liberales sunt in coniunctionibus, attamen hîc non apponunt, sed sine coniunctione legunt אֶל־הָאִשָּׁה *el haissa*, ad mulierem,

fortè quia mulier in medio viri atque serpentis collocatur in condemnatione, sicut & secunda fuerat in peccando, & media inter eosdem: vbi mirum diuinæ iustitiæ ordinem considera, nam in interrogatione cœpit ab Adamo, in pœnis autem inferendis à serpente, quia testibus Hebræis in Beresith Rabba, in fauore, & magnitudine, seu benedictione à magnis incipiendum, in maledictione verò à minimis, & vilioribus, vnde hîc Deus à serpente incipit, & in virum desinit.

Hinc habemus mulieris appetitum per virum regendum esse: eam non esse sui iuris, sed ex auctoritate mariti pendere, eique subiectam esse, cui licet ante peccatum subderetur, illa subiectio suauis erat, atque voluntaria, nunc autem veluti coacta idque meritò, cùm pertraxerit virum ad peccandum, & ad suum appetitum eum adduxerit. Hebræi referunt illud ad copulam maritalem: Quamuis tot ærumnas, & molestias tam grauida, quàm pariens sufferas, non ideo tamen viri congressum refugies, aut horrebis, imo eius desiderio ardebis, vt ei rursum iungaris; & ipse tamen tibi dominabitur hac in re, vt non audeas ipsa ab eo petere perfrictâ fronte, sed id totum in viri potestate erit, vt ipse, quoties & quando velit te vtatur, tu verò illum non cogas: sed Hebræi falluntur, si negare velint ius vxori superesse vt debitum petat. Alij non tantùm de congressu, sed & de cæteris rebus concludunt, in quibus viri desiderio mulier ducenda sit, eúmque quærat, eius aspectu gaudeat, tametsi malum grauiditatis, & partus ab eo accipiat: quam verò potestatem vir in vxorem habeat, & quando obedire debeat, aliâs dici poterit.

Ex dictis verò tria pœnarũ genera mulieri imposita fuisse constat, nempe molestiã grauiditatis, dolores partus, & subiectionẽ תשוקה *tesoucha*, quod significat desiderium ratione carens, & ex mero affectu procedens, vt ait autor *Tseror hammor*. Hebræi verò pœnam mulieris quintuplicem faciunt: primam in genere anxietatem, secundam, grauiditatem, tertiam, partum, quartam, ardens desiderium in maritum, denique subiectionem, vt illa quintuplex pœna 5 membris peccati ab Eua commissi respondeat: sed nos postea de mulieris doloribus agemus.

5 Pœnæ mulieris.

Hîc etiam de rebus agere decreueram, in quibus vxor marito sub pœna peccati, vel sine peccato obedire debeat, & quandonam illius imperium detrectare possit; at hoc alio in loco facturi sumus: in præsenti verò sufficit, si dixerimus eam in omnibus marito obedire posse, quę nullum peccatum, aut ipsius peccati periculum inuoluunt, in aliis verò, quæ sine peccato fieri nequeunt, non posse; attamen non ad omnia teneri, quæ velit maritus, etiamsi aduersus conscientiam non militent, sed ad ea duntaxat quæ vi societatis coniugalis exhibenda sunt, quæ partim à legibus humanis, partim à ratione pendẽt, & à viri probi peritique iudicio, vt determinentur; iam verò ad supplicia Adamo imposita conuolemus.

VERSICVLVS XVII. ET XVIII.

XVII. *Adæ verò dixit: Quia audisti vocem vxoris tuæ, & comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ.*

XVIII. *Spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbam terræ.*

XVII. ולאדם אמר כי שמעת לקולאשתך ותאכל מן־העץ אשר צויתיך לאמר לא תאכל ממנו ארורה האדמה בעבורך בעצבון תאכלנה כל ימי חייך׃

XVIII. וקוץ ודרדר תצמיח לך ואכלת את־עשב השדה׃

XVII. Καὶ τῷ ἀδὰμ εἶπεν. ὅτι ἤκουσας τῆς φωνῆς τῆς γυναικός σου, καὶ ἔφαγες ἀπὸ τοῦ ξύλου, οὗ ἐνετειλάμην σοι τούτου μόνου μὴ φαγεῖν, ἀπ' αὐτοῦ ἔφαγες, ἐπικατάρατος ἡ γῆ ἐν τοῖς ἔργοις σου. ἐν λύπαις φαγῇ αὐτὴν πάσας τὰς ἡμέρας τῆς ζωῆς σου.

XVIII. Ἀκάνθας καὶ τριβόλους ἀνατελεῖ σοι, καὶ φαγῇ τὸν χόρτον τοῦ ἀγροῦ.

SEquitur viri supplicium, sed quod etiam vxori commune est, vt sicut commune cum Adamo peccatum commiserat, prætereáque suaserat ei tentatoris instar, vt de fructu comederet, ita duplicis pœnæ particeps esset; quod etiam conueniebat, quia ipsa vxor, (vt & cætera) propter virum creata esse videtur, licet hæ pœnæ, quas Adamo vides infligi, magis ei conueniant, cùm sit familiæ caput pro qua victum quærere debet.

Nonnulli

Nonnulli aduertunt initio legi וּלְאָדָם vuladam cum seua sub, ל, non cum *Kameth*, vt significetur non tantùm ad primum hominem, sed ad totam eius posteritatem hæc omnia referri. Quia ergo audisti vocem vxoris tuæ, hebraicè לְקוֹל lecol, in vocem: qui hebraismus significat ita vocem audire; vt ei obtemperetur, talem enim vim habet verbum שָׁמַע, si præpositionem *in*, vel *ad* sequatur, ac si diceretur, quia obaudisti ei: hinc dicimus, si me audis, idest, si mihi morem geris: Ideo nanque pœnas dedit Adamus, quia de fructu comederat, cuius esu Deus ei interdixerat, comedit autem, quia sermonibus vxoris suæ obtemperauit, cùm eam arguere debuisset, vnde iam omnes creaturæ aduersus hominem rebellasse videntur.

Maledicta terra in opere tuo, Hebraicè *propter te* בַּעֲבוּרֶךָ *bahabourecа*. Totus mũdus tantùm propter hominem creatus est, inquiunt Hebræi: postquam igitur homo peccauit, diminuta fuit terræ perfectio: sensus est, *maledicta est terra propter peccatum tuum*, hinc, ait Aben Ezra, non proferet prouentum multum, antea enim tametsi inculta omnia produxisset abundè, nunc autem licet eam strenuè colant homines, vix speratum, aut cibi necessarium ex ea fructum colligere possunt: ô summam peccati stragem, omnis creatura ingemiscit cum homine ob peccatum illud Adę, donec à tanta vindicetur iniuria. 70. Legunt ἐν τοῖς ἔργοις σου. Theodotion ἐν τῇ παραβάσει σου, idest, in transgressione tua, seu ob peccatum tuum.

Aben Ezra. Theodotiõ

Per illam operis maledictionem nõ tantùm agriculturam, sed omnia opificia intellige in quibus conficiendis homo laborat: opus tamen quod in colenda terra exercetur, rectè hîc exprimitur, vt pote reliquis difficilius: adde quòd antiqui ferè omnem operam in agricultura impendebant. Hîc verò diligenter notandum est vnius literæ mutatione varium sensum effici, nam legendo *bahabourеca*, à verbo עָבַר *hauar*, vt iam in nostris bibliis legimus, vertendum est *propter te*, si ei beth initio iungatur, vt etiam notauit Eugubinus: legendo verò *bahaboudeca* per *Daleth* loco *Resch*, significat *in opere tuo*, ab עָבַד *hauad*. i. operari, & seruire: sic autem 70 & D. Hieron. legerunt.

Eugubin.

Sanè mihi dubium non est, quin textus hebræ' in multis iam sit alius, quàm non tantùm Mosis, sed & D. Hieronymi tempore sese haberet, si non in integris dictionibus, saltem in quibusdam literis, quæ facilè ob vnius cum altera similitudinem immutari potuerũt, quales sunt ב, & כ *beth*, & *caph*, ג & נ *ghimel*, & *nun*: ז & ן *zain*, & *nun* finale, & ד, atq; ר *daleth*, & *res*, vt hîc contingere potuit, quocirca dum hæretici nobis ex hebræo imponunt, acutè perspiciendum est. Hîc autem Chaldæus lectioni hodiernæ Hebraicæ fauet, dum explicat, בְּדִילָךְ *bedilaiecha*, propter te.

In laboribus comedes ex ea, aut iuxta Hebr. *eam*. תֹּאכְלֶנָּה *tocalennah*, idest de fructibus eius, vt sit laconismus Hebraicæ linguæ, teste Aben Ezra: quomodo 2 Reg. 19. dicuntur mensam regis, seu de mensa comedere; qui de cibis ei superimpositis vescuntur. Verbum עָצַב *hatsab*, quo fons Hebræus vtitur significat laborem cum sollicitudine coniunctum, imo dolorem ipsum, & anxietatem, atque tristitiam, quæ ex labore proficiscuntur, & 70 verterunt ἐν λύπαις in doloribus, & tristitiis. *Omnibus diebus vitæ tuæ*, idest quandiu vixeris.

2 Reg. 19.

Versiculus 18 connectitur cum præcedenti per coniunctionem, & apud Hebræos וְקוֹץ וְדַרְדַּר *vecoth vedardar*: vbi Aben Ezra vult *vecoth* spinam esse maiorem, *dardar* verò minorem à דוּר *dour* idest continuè, & successiuè habitauit, quia minores spinæ intra terram, & in medio seminum, atque bonarum herbarum ferè semper habitant, adeout quantum euellis, tantùm redeat, vt constat in carduis, & ononi, seu resta bouis, quibus agri pleni sunt, vt vix agricola ferro sulcare terram, & arare possit. Ita vero R. Eliezer terram maledictam fuisse credit, vt nouum diuinæ benignitatis opus fuerit, quòd terra nobis alimoniam suppeditet: nisi enim de nouo Deus ei benedixisset, nihil nisi spinas, & tribulos ex maledictione Dei proferret, iuxta Psalm. 135. *qui dat cibum omni carni* &c. Beresith rabba קוץ ait esse עכבית dumum, *dardar* verò carduum, ex eo quòd lineatim, seu per lineas succrescat, tribulum, vnde quia non finit alias spinas secum crescere, Aben Ezra dicit non habere fratrem. Verus tamen sensus est omne genus spinæ molestiam homini faciens sub his nominibus intelligi; sunt autem nomina decem, quibus Hebræi spinam explicant.

Aben Ezra. R. Eliezer. Psal. 135. Beres. Rab. Aben Ezra.

Comedes herbam terræ: seu agri, iisque vesceris: vbi R. Salomon intelligit herbas illas noxias frumentis permixtas, quas simul cum bonis metere cogatur, simulque postea molere, pinsere, & coquere, quod apparet, dum in nostro pane lolium, & nigella, aliaque spuria grana miscentur: panem verò, seu frumentum explicat R. Abraham. Non desunt autem qui rem ita explicent: Antea ô Adam fructibus, & herbis amœnissimis paradisi victitabas: deinceps verò viles illas herbas agrorum colliges, vnde cum belluis viuas, qui te per peccatum ad belluinum statum cœlestis originis oblitus sponte redegisti, iuxta psaltem: *homo cum in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Adigitur ergo ad herbam terræ, vt vitam tueatur, quòd vetitæ arboris fructibus abusus sit, vbi mirabilem diuinæ iustitiæ ordinem contemplari possumus.

R. Salomõ. R. Abrahã.

In sequenti versiculo finis imponitur pœnis Adæ, cui sudor frontis prædicitur, ob laboris frequentiam, & magnitudinem oriturus, donec redeat in terram, de qua sumptus est, vbi notant Hebræi, pro *reuerteris*, dictum esse תָּשׁוּב *tasoub* non verò תֵּלֵךְ *talac*, idest redibis, & non tantùm ibis, vt futura resurrectio denotaretur.

Addunt in purissimam, ac minimam terræ portionem hominem resolui, nimirum in quintam tantùm aut sextam vnciam terræ: vnde probant in homine plus esse caloris, & aëris, ac spiritus, quàm terræ atque Deum in homine creando terræ minimum adhibuisse: sed de illo versiculo 19 agemus statim, nec verum est, quod aiunt, vt patet in sepulchris, in quibus corpora in puluerem redacta maius pondus retinere videntur. Inter multa, quæ hîc agitari possent, vnum est quod à nemine discussum esse scio, nempe an terra, quæ quidem hîc maledicta est ob Adæ peccatum, sit minus fœcunda, quàm olim: nam cùm naturalia non fuerint ablata, ac proinde terra in eodem statu esse videatur, ac innocentiæ tempore, si diluuij excursionem excipimus non immeritò quæritur, num terra sit minus

fertilis, quàm vel Adæ tempore, vel saltem, quàm post diluuium, in quod sterilitatis causam refundunt, ob maris salsedinem quæ huc illuc diffusa terræ vbertatem ademisse, vel minuisse videtur. Sed quæstionem illam alibi Deo iuuante latè discutiemus.

VERSICVLVS XIX.

In sudore vultus tui vesceris pane, donec reuertaris in terram de qua sumptus es; quia puluis es, & in puluerem reuerteris.

בְּזֵעַת אַפֶּיךָ תֹּאכַל לֶחֶם עַד שׁוּבְךָ אֶל־הָאֲדָמָה כִּי מִמֶּנָּה
לֻקָּחְתָּ כִּי־עָפָר אַתָּה וְאֶל־עָפָר תָּשׁוּב

Ἐν ἱδρῶτι τοῦ προσώπου σου φαγῇ τὸν ἄρτον σου, ἕως τοῦ ἀποστρέψαι σε εἰς τὴν γῆν ἐξ ἧς ἐλήφθης. ὅτι γῆ εἶ, καὶ εἰς γῆν ἀπελεύσῃ.

IN hoc versu omnes versiones conueniunt. In sudore בְּזֵעַת à radice יזע iezah id est sudor ortus ex זוע zoah commotione, dicitur etiam locus sudoris supra lumbos; cùm enim Ezech. 44. 18. habetur *non accingetur in sudore*, iuxta Hebræum, Targum legit, *super lumbos suos*. Sudorem hunc Aben Ezra refert ad eos labores, quibus maximè sudor excitatur, vt est ventilatio, commolitio, subactio farinæ, pinsio, coctio &c. in quibus comparandis reliqua animalia minimè tempus impendunt; additur *vultus*, quòd in eo loco sudor apparere soleat: pro pane verò Hebræi לֶחֶם *lechem* dicunt, tum quia præcipuus est cibus, quo viuāt homines; tum etiam quia hac dictione genus omne cibi, & edulia reliqua significantur. Nec fuit abs re, vt labor homini tribueretur; quandoquidem otia dant vitia, vnde Ouid. *otia si tollas, periere cupidinis arcus.* hîc autem labor ad obitum vsque præcipitur, vel potiùs in pœnā imponitur. Homo dicitur puluis, עָפָר *haphar*, quod etiam humum, lutum, atque terram designat, tametsi enim homo constet ex 4 elementis, terra seu puluis prædominatur.

Ezech. 44.

Aben Ezra.

Ouidius.

Et quidem hisce verbis vel maxima hominis superbia domari potest, quo respiciens Ecclesiasticus monet, vt in omnibus operibus nostris memoremur nouissima nostra. Idem asserunt Hebræi hisce verbis. *Considera tres res, & non venies in manus transgressionis. Cognosce vnde veneris, & quò tandem sis abiturus, coram quo oporteat etiam te tandem iudicio sisti, & rationem reddere. Vnde venisti? ex guttula sordida. Quò tandem abis? ad locum pulueris, & vermium. Et coram quo futurum est, vt stes iudicio, & rationem reddas? Coram rege, qui rex est omnium regum.*

Hebræorū documentū eximium.

Hunc ergo sudorem Moses velut crucem hominibus ferendam nobis descripsit, primò vt peccati admissi semper admoneamur, cuius causa fœlicitatis iure priuati sumus, & inde nos humiliemus, ac veram resipiscentiam meditemur. 2, vt reliquiæ peccati, seu prauæ inclinationes cum fomite, à quibus homo sollicitatur ad peccandum, improbo labore supprimantur, vt caro domita promptiùs animo pareat.

QVÆSTIO XLIX.

DE SVDORE.

CLarum est sudorem per cutim egredi, quæ propterea velut cribrum perforatur, vt per eam excrementa frequentiùs expelli possint: ideóque superfluitatis receptaculum à Galeno l. de causis morborum vocatur, per quam pororum beneficio, halitus, transpiratio, perflatus, difflatio, & hydros seu sudor excernitur. Verùm quid reuera sit ille sudor, authores inter se disceptare videntur.

Cutis quid? Galen.

Variæ sententiæ de sudoris essentia.

Empedocles enim Atheniensis Philosophus Artaxerxis tempore dixit sudorem ex 4 elementis constare, & ex sanguine liquato, & attenuato procedere, quem Mercurialis lib. de sudore refellit, sed recentior Baricellus approbat. Theophrastus ait sudores fieri ex eleuatis ab vniuerso corpore vaporibus, qui per cutim egredientes ab aëris frigore congelantur, & in aquam conuertuntur: quam sententiam Meletius lib. de hominis structura & Nissenus de opificio hominis amplexi fuisse videntur.

Empedocl.

Mercurialis.

Baricellus.

Theophr.

Meletius.

Nissenus.

Plato in Timæo putat sudorem esse humorem pituitosum, cui Aristot. 2 problem. 4 ait sudorem esse humorem incretum: 3 de partib. animal. c. 5 vaporis humidi excremētum, qui extenuatus in spiritum ad summum corporis euocetur, vt 2 probl. 20 meminit. Diocles teste Galeno 1 aphor. connu. 15 ait sudorem esse partem cibi incocti per cutis foramina contra naturam excreti, quem Actuarius 1. methodi medic. 23 sequitur. Galenus multis in locis, vt 1 de nat. facult. vit. lib. de arte

Plato.

Aristot.

Galen.

Actuarius.

atra bile c. 2. 1. de Sanit. tuen. c. 12. & alibi sæpe ait sudorem esse id humidum, quod pro cibi vehiculo in vasis erat, eiusdem cum vrina naturæ, quod officio perfunctum per cutis meatus secernatur, quod ex potu, sicut & vrinam proficisci docet lib. 10 simpl. medic. c. de sudore, quem ideo potulentam materiam, & humorem serosum vocat lib. de vtil. respirandi.

Auicen. Auicenna lib. 2. de Sudore, ait esse sanguinis aquositatem, cui pus cholericum admixtum sit, vel superfluitatem vnctuositatis, & humiditatis post digestionem vltimam. Paracelsus Paracelsus, (qui teste Seuerino Dano 1. c. de idea Medicinæ vniuersam medicinā commutauit, & à fide apostatauit, vt addit Cæsar l. 1. de hydronosa natura) definit sudorem tom. 1. l. 3 Paramiri de morborū origine tract. 4. sanguinis excrementum; & Tomo 3. in scholio l. de Tartaro cruorem membrorum principalium, qui lethalis sit, quando à pia matre exudat. tomo 3. fragmento de peste sudorem vnum per poros fundi ait, alterum verò per emunctoria, quæ sunt iuxta aures pro cerebro, iuxta alas pro corde, in inguinibus pro hepate, quem sudorem vocat sulphuris, qui cum peste commercium habeat, & à cœlo excitetur, vt lib. de peste 1. cap. 5. l. 5. tract. cap. 7. innuit. Emunctoria.

Fernel. Fernelius 6 physiol. c. 6. putat sudorem esse reliquias humoris serosi ad cutem euecti, tenuisque bile perfusi. Altimar. Altimarus l. de sedimento vrinæ c. 1. serosam, & humidam partem alimenti. Mercurial. Mercurialis esse portionem materiæ potulentæ in iecore alteratam, & sanguini vehendo per venas à natura transmissam, ac demum ex venis ipsis per meatus occultos expulsam. Cardanus. Cardanus, tota substantia medium inter naturalia excrementa. Donatus. Donatus 1. de hist. mirab. c. 2. naturalem excretionem humoris Hollerius. serosi per poros, cui Hollerius l. 2. fauet. Alpin. Alpinus 7. progn. c. 5. ait esse particularem euacuationem sensibilem per poros cutis. Mercat. Mercatus lib. 1. de morbo gallico c. 10 vacuationem vniuersalem, qua venosum corpus, & tertia regio corporis sese ab excrementis exonerat. Sudoris definitio. Ex quibus omnibus hanc definitionem elicere possumus, sudorem esse sensibilem euacuationem, & tenuem corporis, & humiditatis humorum, quæ à calore soluitur; vbi sensibilem diximus ad insensibilis transpirationis, & difflationis differentiam; humiditas locum generis tenet, cùm omnibus humiditatibus corporis conueniat; tenuitas à sudore separat vrinam, & crassas humiditates; additum est corporis, & humorum, vt sanorum, & languentium sudores intelligerentur; denique calor soluens apponitur, sine quo sudoris materia nequit extenuari, vt ad cutim ascendat: Baricel. Baricellus addit: mediis facultatibus, vel expultrice materias sudorificas expellente, vel contentiua eas ex debilitate relaxante, vt fit in hecticis, syncopticis, & morientibus. Et quidem in sudore magnam diuini numinis prouidentiam admirari debemus, quæ eam virtutem venis, arteriis & musculis contulit, vt illam aquosam serositatem excernerent, postquam officio functa est, idest postquam in singulas corporis partes vehiculi modo sanguinem tulit, hæc autem tam ab exculentis, quàm poculentis excernitur, ex quibus superfluit, cùm in alimentum conuerti non potest: Deinde prouidentia diuina relucet in eo, quod serum illud bilis portione perfudit, vt expeditiùs corporis habitum pertranseat. 3. ne excrementa corpus infice- In sudore relucet diuina prouidentia.

rent pro sudore cutis spiracula: pro bile vesicam fellis: pro muccis à capite stillantibus palatum, & nares: pro fœcibus intestina; pro melancholico humore lienem: pro seroso priorum coctionum excremento vesicam constituit. Vasa plurima excrementorum corporis. Quæ vt faciliùs intelligantur, aduertendum est plurimas esse concoctiones, antequam alimentum in substantiam corporis verti possit; prima fit in ventriculo, in quo potus, cibusque commixtus, in candidam materiā ad instar liquoris prisanę mutatur, diciturque chylus: Variæ digestiones. cùm autem sint duæ ventriculi partes, os & fundum, in fundo credere par est, quod suo insito calore, & humiditate connaturali exculenta sicut & poculenta cōcoquit: 1 cōcoctio. in ore verò neruis plurimis induto consistit appetentia, quæ in ventriculis frigidis maior est, sed debilior vis coquēdi, secus autē in calido: vnde quis facilè colligat, an sit frigidiore ventriculo, qui multos vapores acidos generat, vt in vomentibus apertum est: Huius concoctionis excrementa sunt fœces, quę per aluum eiiciuntur, & pituitosum illud, quod & in ventriculo, & in intestinis reperitur, quod multum est, si ventriculus frigidiori temperie constet, quodque cum fœcibus eiicitur, sicut & vomitu, atque sputis: sunt & alia fumida, vaporosáque chyli istius excrementa.

Secunda coctio fit in iecore, statim atque chylus ad hepatis portas mediis mesentericis venis accesserit, in quibus obscuram sanguinis speciem accipit, & in hepate chymi nomen habet, qui ab excrementis superfluis expurgatur, antequam ad venam cauam transfundatur: bilis enim flaua, quæ est velut spuma sanguinis ad fellis cistulam, ac duodenum intestinum demittitur: succus melācholicus, seu chymi fœculētia ad lienem & intestina: humor aquosus à renibus trahitur, & in vesicam per vreteres deturbatur, vt fiat vrina. 2 coctio.

Hinc fit, vt sanguis expurgatus sit, non tamen sincerè, quandoquidem ei cæteros humores commisceri videmus, qui ab excrementis velut à lue defœcati cum sanguine in membra perrepant, vt possint illæ corporis partes alimentum sumere, quæ sit eiusdem secum temperiei: sed & bilis iuuat, vt sanguinis massa per angustos venarum, & arteriarum meatus commodiùs transire valeat. At succus melancholicus robur sanguini tribuit, vt firmior effectus partes animantium solidas confirmet. Denique serosus humor sanguinis ardorem temperat, & venarum, arteriarumque partes lenit, ne ab humorum acredine corrodantur.

Aliud est autem, quod cum illo seroso humore nonnulli confundunt, quod excrementum ichorosum appellant; verùm in eo differt ichor ab humore prędicto, quòd ille non sit excrementum secundum naturam, sed præter illius ordinem prodeat, & è tenui cuiuslibet humoris portione nascatur. Ichor quid. Tot verò sunt ichores, quot humoris species, quod Galen l. 6. de sanit. tuenda docet, & quidem Plato in Timæo ait ichorem sanguinis esse blandum serum, serum verò melancholiæ; ideóque hunc infestissimum esse dicūt, minus infestum bilis flauæ, minus adhuc pituitę, sanguinis autem mitissimum. Galen. Plato. Vnde patet ichorem esse tenuiorem partem, quæ in substantiam humoris verti non potuit, eandem tamen humoris, cuius est, retinens qualitatem, cui supernatat, sicut colamētum, seu serosa humiditas lacti coagulato; id in sanguine de venis extracto cernitur, in quo pars tenuis, quæ est in summa par-

te, eiusdem est cum vrina qualitatis, nam si separetur in vase, concolor erit: quæ verò sanguini vicinior est, & est velut medij coloris inter vrinam, & sanguinem, ichor dicitur.

3 digestio. Tertia, eaque vltima concoctio fit in singulis corporis partibus; cuius excrementa sunt illæ sordes crassiores, quæ cuti adhærent, sudores &c. Nec defuerunt, qui materiam vrinæ, sudoris, & lachrymarum eandem esse crediderunt, vt Theophrast. l. de sudore. Sed probabiliùs est differre, cùm vrina sit nitrosæ naturæ excrementum, quod nullatenus proficit: serum verò præter ea, quæ diximus, dum ad carneas partes peruenit, humidum rorem efficit, qui substantificum humidum tenuius à Medicis appellatur, ad quod reparandum sitis excitatur, sicut ad crassius humidum restaurandum fames: hactenus de sudoris materia, nec enim de lachrymis disceptare velim, de quibus alibi dicetur, interea Nicãder Iossius de fletu, imo si vis etiam de risu, de quo etiam Ant. Laurent. Politianus, nec non Ioubertus scripsit, videri potest. Theoph. Iossius. Anton. Lauren. Ioubert.

Causa sudoris. Causa efficiens præcipua est calor humidus, & innatus in sanis hominibus, cuius instrumenta sũt attractrix, retentrix, concoctrix, & expultrix facultas, qua nisi sudor expelli possit, per meatus cutis ad venas redit, vt ad renes proficiscatur, & per vrinam exeat. Causa minus præcipua sunt illi spiritus, qui cum calore commiscentur, qui cum venas ingressi sunt, motu vehementi serosum illum humorem expellunt; hos autem spiritus in fumo deprehendimus, cùm vel ex venis, vel arteriis sanguis mittitur, quos facultatum animæ ministros Medici vocant: Animalis spiritus siccus est & tenuis, qui generatur in cerebro, vitalis calidior, sicciórq; in corde: naturalis in hepate crassior, & humidior; præter quos alius impurus nebulosi aëris instar generatur, estque flatuosus ortum habens à crassis, & frigidis humoribus, ac inimicus naturæ iure censetur; nec ita sudores excitat, vt præcedentes, qui facilè totum corpus permeant, quia cum sit crassior, & frigidior in cauis corporis locis, vt plurimum moratur, vt stomacho, intestinis, vtero, vacuo circa pleuram, & abdomen; rarò in locis calidioribus, à quibus dissipatur. 3 causa est facultas expultrix caloris natiui ministra. 4 causa coniunctiua, cutis raritas: raritatem, dilatationem, & relaxationem calor efficit; idque benignè, si naturalis fuerit: si verò igneus, & præter naturam, sudores inde suscitati, praui sunt: est enim calor naturalis, & aduentitius, ille conseruandi, hic corrumpendi vim habet, qui propterea spurius dicitur, & innatum, seu naturalem corrumpit. Vtriusq; verò materia versatur in triplici substantia, videlicet solida, humorali, & spirituosa; & innatum ex semine, sanguine, & spiritu nobiscum initio vitę oritur, quod vel est influens, vel insitum, illud in corporis partes à corde, atque iecore per venas, & arterias transfertur; hoc verò à partibus solidis corporis producitur, quod ad actum per influens reducitur, & ex vtróq; compositum naturale vocamus. Potest autem sudor ab illo calore aduentitio excitari, vt patet in morbis, quem triplicem faciunt, elementalem, qui per se tantùm calefacit, & exsiccat; putridum, qui materiam ad corruptionem præparat, & pestilentem, qui materiam corrumpit. Calor naturalis, & aduẽtitius.

Verũ sudoris causa propria efficiens alia non est, quã innat⁹ calor, à quo 4 virtutes ministrãtes prodeunt, attractix, retentrix, cõcoctrix, & expultrix, hãc autẽ causã non parum iuuant illi spiritus, qui cum calore commiscentur. Ad quod externæ causæ accedunt aëris caliditas, sol, ignis, stuphę calidę, motus, venti meridionales, arenæ calidæ, vinacea, & vnctiones plurimæ, nec non alimenta calida, vt vinum potens, iura piperata &c. Negant verò Medici sudorem esse pręter naturam, & animalem, atque voluntarium, voluntque naturalem appellari. Non desunt autem, qui sudorem animæ sanguinẽ appellent, quia sicut corpus labore concussum emittit sudorem, sic anima dolore peccatorum afflicta sudore lachrymarum perfunditur, vt ex D. Hilario referunt. Hilar.

Pluribus autem de sudore non agam, quem ex substantia, quantitate, qualitate, habitu, tempore, aliisque circunstantiis variis nominibus afficiunt, atque crassum, viscosum, fluxilem, seu tenuẽ, paucum, desinentem, interfectum, visibilem, album, flauum, rubeum, sanguineum, nigrum, porraceum, tactilem calidum, & frigidum, audibilem sonorum: & silentem, odoratum, fœtẽtem, acidum, dulcem, amarum, salsum, insipidum, acetosum, melancholicum, cholericum, diurnum, nocturnum, matutinum, vespertinum, in motu, palæstra, sole, laconicis, & aliis modis nuncupant. Pluribus inquam de his non agam, cùm tam latè hanc materiam Baricellus quattuor de hydronosa natura libris prosecutus fuerit. Satis autem ex dictis constat sudorem homini, ac proinde Adamo naturalem fuisse, quandoquidem sudor neque morbum, neque peccatum supponit, vt in Christo videre est, qui sanguineum sudorem emisit; quod sine miraculo contigisse non solum Medici, sed & Theologi nonnulli, vt Medina q. 46. in 3 part. a. 6. contendunt. Attamen sudor in peccati pœnam Adamo præscribitur, quia iam in pœnam conuertitur vtpote sæpius, quàm vellet homo, subeundus; & sudoris nomine genus omne laboris comprehendi arbitror, quem omnes homines suscipiunt, vt victum, atque vestitum sibi comparent. Sudoris differentiæ. Medina.

VERSIC. XX. ET XXI.

VERSICVLVS XX. ET XXI.

XX. Et vocauit Adam nomen vxoris suæ, Heua; eo quòd mater esset cunctorum viuentium.

XXI. Fecit quoque Dominus Deus Adæ, & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos.

XX. ויקרא האדם שם אשתו חוה כי הוא היתה אם כל־חי׃

XXI. ויעש יהוה אלהים לאדם ולאשתו כתנות עור וילבשם

XX. Καὶ ἐκάλεσεν ἀδὰμ τὸ ὄνομα τῆς γυναικὸς αὐτοῦ, ζωή, ὅτι αὕτη ἦν μήτηρ πάντων τῶν ζώντων.

XXI. Καὶ ἐποίησεν κύριος ὁ θεὸς τῷ ἀδὰμ καὶ τῇ γυναικὶ αὐτοῦ χιτῶνας δερματίνους, καὶ ἐνέδυσεν αὐτούς.

REdit Moses ad historiam, & inducit Adamũ vxori nouum nomẽ imponẽtem, de quo philosophãtur Hebræi dicentes mulierẽ sic appellatam à vita per emphasim, quia sicut vita nihil est aliud, quàm ærumna, & mutatio, ita mulier est ærumnosa, & inconstans, & ad omnem ventum instar lunæ mutabilis. Alij verò deducunt à Chaldæo חוה, quod annuntiare significat, quia serpentis sermonem temerè denuntiauit Adamo, quem ad præuaricandum prouocauit; hinc eam loquacem nominant; verùm quid alienis inuentionibus indigemus, cùm ipsa Scriptura asserat dictam fuisse חוה *chaua*, eo quòd esset mater cunctorum viuentium, vel, vt Onkelus reddit, omniũ filiorum hominis, alioqui synecdoche hîc subaudienda, neç enim est mater viuentium alterius speciei, vt pote leonum, vrsorum &c. (Onkel.)

Aduerte autem nõ dici חיה, sed חוה, *chaiah* enim ferã, & bestiã significat, à qua differt Eua, tametsi possumus etiã per חיה vitam significare: proptereà cauendum est à vanis speculationibus R. Leui qui Euã brutorũ matrẽ appellari vult ob mentis ruditatem, & stuporem, quòd sese ad intellectilia minimè tollat, sed mente hebetiore prædita, terrena sapiat, illorum more corpus, non mentem curans. (R. Leui.) Verus igitur sensus est eam esse viuentium omniũ matrem, quia quicunque deinceps procreati sunt, ab ea traxerunt originem, tametsi multis aliis mediantibus. Volunt autem Hebræi nomen hoc simul impositum fuisse ab Adamo, quando nomina bestiis imposuit, & tamen hîc per hysteron proteron enarrari posteriùs, quæ priùs euenerant. (Cur & à quonam & Euæ impositum, 5 sententiæ.)
1 Alij è contrario putant hæc commemorari per prolepsin, seu anticipationem, vt Adamus nomen illud
2 post suam è paradiso expulsionem imposuerit.
3 Tertia sententia est eorum, qui volunt quidem in paradiso post peccatũ admissum ita vocatam esse, non tamen seriò, cùm potiùs culpã suã mater morientium, & damnatorum effecta esset, sed per acerbam ironiam, & amarum iocum, quemadmodum Græci furias Inferi vocant Eumenides, id est faciles, & mites, cùm sint diræ, & execrabiles.

Quartò sunt qui dicant ita nominatam esse, 4
quod etiam Messiæ mater futura esset, cuius tamẽ Adamus, non foret pater, quia sine viri semine, ac commixtione de sola Virgine matre natus est.

5. Rupertus lib. 3. de Trinitate cap. 16. putat (Rupert. 5.) Adamum ex ingenti superbia non illud imposuisse, adeout peruicax sententiam mortis à Deo latam contempserit, & dixerit, non timeo sententiã illã, nec mortem, sed non minus viuam, quàm si minimè peccassem, ideoque volo deinceps Eua nuncuparis, sed hoc minus probabile videtur. Quicquid sit de tempore, vel de ratione, ob quã Adamus vxorem, quam antea *issa* vitam, seu viraginem appellarat, rem habemus; & reuera mater est omnium viuentium etiam Domini nostri, vt iam dictum est.

Alij putant nomen hoc, quod ad indiuiduum pertinet, sicut אשה ad speciem, non impositum fuisse, nisi cùm ex ea liberos suscepit Adam. Huius autem nominis impositio satis apertè significat ius, potestatem, & dominium viri in vxorem. iam ad alium Versiculum accedo.

Fecit quoque Dominus Deus tunicas pelliceas. Onkelus, vestimenta honoris super cutem carnis suę, seu carni adhærentia; alij tunicas de pelle sumptas, vel lanias; fortè vt significaretur eum ad belluarum naturam accessisse, cùm affectibus carnalibus obsequutus est, quibus homo bestiis assimilatur. (Onkel.) In quibus sanè magnam Dei misericordiam suspicio, & vehementer admiror, qui licet eum protoplasti grauiter offenderint, eis tamẽ victum, atque vestitũ suggerat. O bonitas immensa, quæ tã benignè nobis etiam non cogitantibus affectu paterno prospicis! Vbi sunt qui hysteron proteron agnoscant, vt Deus post sequentem versiculũ his illos

pelliceis vestibus induerit. Torquent se plurimi, vt diuinent, quænam illæ pelles fuerint. vnde quidam, vt Eugub. עור *hor*, vertunt corium. 70. χιτῶνας δερματίνους, quod Eugub. vertit vestes coriaceas: alij dicunt fuisse pelles leporinas tenellas, & calidas, vel ouinas: explicant alij de cute mortali primorum parentum: Græcorum nonnulli malunt cortices arborum φλοιὸς intelligere, ad quos δερματίνους referunt.

Eugub.

Vestes Adami quænam.

Qui putant animalium pelles fuisse, Deum faciunt primum pellionem; quicquid sit vestes pelliceas fecit eis, siue ideo quædam animalia occiderit, aut sine occasione pelles eis detraxerit, siue nouas creauerit, siue cortices arborum ad modum pellis extensas in tunicæ formam redegerit.

Nec absonum existimo, si quis asserat antiquorum morem inde profectum esse, qui se pellibus vestiebant; hac enim de causa, teste Platone in Protagora, prisci mortales bellum cum bestijs gerebant pellium gratia, quibus corpora velabāt; enimuero creata sunt partim ad vescendum, partim ad cultus agrorum, partim ad vehendum, partim ad corpora vestienda; ita Philosophi nebridas & ceruorum, damarumque pelles apud Indos induebant, vt refert Strabo lib. 15. quæ Scythis adeò familiares erant, vt pelliti vocarentur, sicut & primi autores imperij Romani iuxta id Propertij.

Plato.

Strabo.

Propertius

Curia, prætexto, quæ nunc nitet, alta, senatu
Pellitos habuit rustica corda Patres.

Quod in S. Ioanne Baptista visum est, & in Sanctis, de quibus agit Apostolus 11. ad Hebr. verùm de pellibus satis, quibus D. Aug. mortalitatem ait designari in Psal. 103. videatur Epiph. lib. 2. aduer. hær. & Theodor. quæst. 39.

Ad Heb. 11. August. Epiph. Theodor.

Quidam ab hac difficultate sese expediunt dicentes Deum non quidem per se immediatè tunicas fecisse, ne primum vestiarium facere cogantur, sed parentes nostros artem vestiariam docuisse, qui postea quibusdam animalibus occisis se eorum pellibus vestierint, quod minimè verum esse puto, præsertim cùm nil cogat, vt ab expresso literæ sensu recedamus. Ionathan Chaldæus paraphrastes, teste Racanati, quia non habemus eius Targhum in legē, protoplastatos serpētis pelle contectos fuisse putat, quam ei Deus detraxerit, sed illud friuolum est; & gratis confictum; Cætera, quæ Cabalici garriunt omitto; vt cùm ex vltima dictione versiculi istius וילבשם *vaialbisem*. i. induit eos colligunt literas ישו לבם per literarum metathesim, & anagrammatismum, idest, *Iesu cor eorum*. Id enim præter ingenij subtilitatem nihil certi continet.

Ionath.

Similiter ex octo dictionibus istius versiculi colligunt hominem octo vestibus sacerdotalibus pretiosis, & magnificis à Domino vestitum fuisse, quibus & primogeniti indui solerent, vnde & vestes pretiosas Chaldæus vertit. Addunt etiam עור pro אור positum esse, vt tunicas lucis, splendidas, & gloriosas astruant, sed hæc ne titiuillitio quidem emerim. Notant verò χιτῶνας ab hebræo כתנות *catenoth* dici, quod Galli dicerent *hoqueton*. Egregiè D. Chrysost. enarrat Deum fuisse patris instar, qui pulchram vestem filio fruges consumere nato prudens aufert, & seruilem induit, vt ad mentem redeat, ac vestes minis pretiosas exprobrat. Sunt & alia plurima documenta, quæ possit vnusquisque ex istis versibus colligere. Quoniam verò de Euæ nomine hîc egimus, breuiter de nominum impositione licet agere; de nominum mutatione postea acturi, cum ad Abram vocatum Abraham peruenerimus.

QVÆSTIO L.

DE IMPOSITIONE NOMINIS חוה. *& aliorum nominum.*

ARTICVLVS PRIMVS

AN NOMINA AB ASTRIS DEPENDEANT.

VAriæ causæ afferri possunt, cur nomina imponantur, inter quas mihi præcipua videtur, cùm imponuntur, vt hominis mores, & affectiones futuræ, & officia, quibus operam daturus est, significentur, quapropter matri omnium חוה nomen rectè tribuitur, quippequæ mater omnium viuentium futura est iuxta nominis etymon: sic enim ipsi Seruatori dulcissimum nomen Iesus impositum est, ipse enim saluum fecit populum suum. Placet tamen alias causas inuestigare, cur nomina vel indantur, vel imponi possint, si priùs errorem eorum ostendero, qui nomina vel ab ipsis rebus, vel ab astris proficisci arbitrantur. Sic enim Hectorem, Tantalum, & innumeros Phryges ea nomina habuisse ferunt, quod cùm die lustrico impositum esset, eorum affectus, & futuras actiones indicabant, vt omnem vitæ seriem in denominatione pictam gererent. Hector enim id est possessor, vt qui patriæ possessionē tutatus est, cui hæres lege futurus erat, si fata non intercepissent. Tantalus verò quasi talantarius, id est, infœlicissimus testimonio Platonis appellatus, aduersa enim plurima viuenti contigerunt.

Hector, & Tantalus, cur ita vocati.

Quæ cùm ex se absurda sint, neque sit vlla ratio, cur nomen omnia significet, quæ vel agere, vel pati debet aliquis, sunt qui hisce mendaciis fauentes dicant illorum nominum impositionem à doctissimis Mathematicis factam esse, qui apud potentes Reges inspectâ natorum genesi futuræ vitæ idonea accōmodarunt. Vnde Reges ipsi Mathematicis studebant, vt patet ex Mercurio Trismegisto Mithridate, Atreo, & nostris seculis post Alphonsum Hispaniæ regem Rodulpho 2. & Mauritio Comite, aliisque quamplurimis; sic etiam Troianis

Reges Mathematicorum studiosi.

Troianis diuinationes familiares erant, vt patet ex Heleno vate, & Cassandra.

Omitto Numam Pompilium hydromantiæ deditum, Actium Nauium augurem, Spurinam Cæsarianum, & quotquot diuinationi studuerunt, vt quorundam nominum, quæ fatalia vocant, exẽpla promam, Aristoteles, id est optimus finis, ea nobis tradidit, quæ ad beatitudinem, optimumque finem ducunt; Philosophia enim cuius princeps fuit, humanarum rerum contemptum, & cœlestium appetitum, mentisque illustrationem præstat, quæ ad beatitudinem prouehunt. Galenus, id est, tranquillus, qui cùm Medicorũ coryphęus sit, sanitatem restituens, vel seruans, humano generi tranquillitatem attulit. Melampus vates & Medicus nigra planta, vel pes niger siderali influẽtia dictus, quia filias Prœti atra bile percitas ita insanientes, vt se vaccas putarent, helleboro nigro sanauit. Epicurus, id est, adiutor, quia remouit opiniones, quæ nobis tristitiam afferre possent, vt inferorum pœnas, immortalitatẽ animæ, & summum bonum in voluptate constituit, de quo Atheus Lucretius lib. 3.

Aristoteles quid significet?

Galeni nomen.

Epicurus.

E tenebris tantis tam clarum extollere lumen
Qui primus potuisti, illustrans commoda vitæ
Te sequor ô Graiæ gentis decus.

Lucretius.

Denique Hippocrates, velut equorum frænator dicitur, quia feros morbos domuit, & aphorismos edidit, qui totidem fræna sint, quæ grassantes, atque ferocientes morbos cohibeant, atque quò Medicus voluerit, flectant. Quæ sufficiunt in præsenti, quibus Camillum, id est puerum ingenuum, Scipionem, baculum: Cæsarem à cæso ventris matre dictum, Pompeium pompa triumphali exultantem, Tullium verba instar proiectionis aquarum stillantem Galeotus subiungit, atque nouam pro aniculis, & plebeiis rationem comminiscitur, vel eandem potiùs illis accommodat; ac si plebeios astra maximè commouerent, quia parum rationis habent; quæ cùm maior sit in doctis, & principibus, magis reluctatur influentiis, nec statim effutiunt viri periti, quæ in mentem veniunt: at imperitum vulgus, pueri, fatui, & mulieres impetu astrorum agitantur, & quæcunque venerint in mentem, sine cunctatione enuntiant, vnde fit vt aliquando diuinent, & futura præsagiant.

Hippocrat.

Galeoti sententia

Enimuero si homini sapienti homo occurrit, qui ad paucos dies infœlici morte sit periturus, & id sibi motu astrorum in mentem venerit, animaduertens hoc sine ratione ei cognita euenisse, nihil dicet; puer verò, & fatuus, & mulieres, & leue vulgus, cùm tale aliquid in mentem venit, nullâ ratione refragante enuntiat, quod astra portendunt, vnde nascitur diuinatio; quomodo victorias, & clades in locis maximè distantibus habitas, eo die, quo habitæ sunt, plurimi cognouerunt, quia id aliquis astrorum virtute commotus annuntiauit, vnde natum est prouerbium, *vox populi, vox Dei*. Tali igitur cœlorum instigatione huiusmodi homines suis natis imponere nomina existimat.

Verùm rationis gladio Galeoti galeam infringamus. Nunquid alij ab Hectore patriæ possessionem tutati sunt; nunquid alij à Tantalo infœlices extiterunt? nunquid ab Aristotele, Galeno, Melampo, Epicuro, & Hippocrate philosophiam tam naturalem, quàm moralẽ non solum docuerunt, sed in praxim redegerunt, medicinam egregiè fecerunt, & tã helleboro nigro, quàm aliis remediis infinitos prope morbos fœliciter curarũt? licet illi patriæ defensores Hectoris nomen non habuerint, nec Philosophi sumpserint Aristotelis cognomen, neque Medici Galeno, & Hippocrati nomina sua inuiderint. Quot obsecro eadem omnino munera obeunt, quibus nomina diuersa imponuntur? licet eorum patres sint eximij Astrologi. Nolo discutere fictitiam artem, qua Galeotus certa significata nominibus, & operibus accommodat, qua quodcúnque voluero, fingere possim.

Galeotus refellitur.

Dicat verò quomodo cæli, & astra hanc vim sibi insitam habeant, vt futurorum cognitionem immittant, ergone Dij nostri sunt astra? loquor enim cum viro Christianos inter educato, eoque vt puto baptizato, qui doctrinam Catholicam audiuit, & vt saltem fingit, amplectitur. Sic enim agnosci possunt Dij scripturâ teste, *Annunciate nobis, quæ ventura sunt, & dicemus, quia Dij estis vos*. Isaiæ. 41. v. 23. quomodo producunt astra species intelligibiles in intellectu nostro, quibus futura sciamus? An ipsa astra rerum omnium semina, atque simulachra continent, quæ his, aut illis immittantur? O miseram hominum partem maximam, quæ huiusmodi simulachra non recipit. Quid ergo tot homines, qui Deo ex corde seruiunt, aduersus astra obijcient? à quibus ne quidem vnius rei prænuntiationem accipiunt. Facessat iste nebulo, qui nobis obtrudit impossibilia, & quæ puer quinquennis irrideat.

Isai. 41.

Attamen alia non minus insulsa subiungit, & præcedentes fabellas ita confirmat. Quod autem nomen astra imponant, non leue argumentum est, cùm habitis cõiugum proprijs nominibus ex numeris illorũ vter prior moriturus sit, facilè dignoscitur; nam nisi hora, copulatio, & nomina ab astris essent, cessaret huiusmodi diuinatio, nomen enim syllabæ, syllabas verò literæ efficiunt, sed literæ abecedarij planetis subiacent. Saturnus enim vt cæteris firmamẽto proximior a, b, c, Iupiter d, e, f, Mars g, h, i, Sol k, l, m, Venus q, r, s, Mercurius t, u, x, Luna n, o, p, caput Draconis y, cauda vero z, sibi vendicarunt.

Sed non est omittendum literarum ordinem rectè seruatum esse præterquam in Luna, quod factum esse deprehenditur ob domicilia solis, & Lunæ coniuncta, ita & literarum ordo congruit, vt literas solis litteræ lunæ subsequantur: non quia lunam in ordine planetarum post solem statim locarint, &c. Qui de capite, & cauda Draconis quibusdam subiunctis ad quæstionẽ redit, & ait in prædictione mortis coniugum nonnunquam errorem contingere propter Scripturæ varietatem: nemo enim ante experientiam discernere valuit; num hoc nomen Bonifatius c, vel t, literam habeat, nam si à facio, habet c, si à fato deriuatur, t, possidet, quod habet diuersum numerum quàm c, ac proinde potestatem aliam: quandoquidem c, Saturnus, t verò Mercurius occupauit, ille tardus, hic celer: ille de natura sui malus, hic autem varius: illum solis coitus maximè infestat, hunc verò parum lædit, &c. Contingit autem error in Scriptura cum aspiratione, & geminatione consonantium, quæ numerum augent, qui inter coniuges morituros diiudicat, & aspiratio Martis est, qui malus habetur.

Ex quibus causis error contingit in supputatione numeri litteris attributi, quæ veritati aliquan-

do aduersatur. Audiamus obsecro aliud argumentum, sed magicum indissolubile, quod demonstret nomina ab astris imposita esse: quandoquidem apud antiquos, Macrobio teste, hæc erat religio, vt cum vrbem oppugnabant, à vatibus intelligere conarentur, cui genio, & quibus spiritibus vrbs illa esset commendata: & hoc intellecto spiritus quibusdam sacrificijs eliciebantur, quibus elicitis promittebant illam incolumem restituturos, si à fauore vrbis desisterent. Id autem fieri nequit, nisi sciatur proprium nomen vrbis illius: spiritus enim addicti ex astris nomini proprio nunquam eliciuntur, nisi nomen loci proprium audiāt: quod ne per hostes aduersus Romam fieret, semper proprium Romæ nomen maximâ curâ celatum est, itaut nemo impune propalare potuerit: inde fit, vt genij Romanam ciuitatem regentes non mouerentur auditis nominibus appellatiuis, non autem proprio Romæ: quapropter nulla vnquam spirituū euocatio fieri potuit, deinde, paucis additis in fauorem Mediceorum, ita concludit, nomina igitur propria fataliter imposita res gerendas præueniunt.

Macrobius

De nominibus autem quæ ob cognationē, & famam, non ex astrorum impetu imponuntur, vt cūm Cæsares, Pompeios, Alexandros, Pharaones, Ptolemæos, & alios suæ gentis nomen sortiri vides, licet minoris sint efficaciæ, inquit, nonnihil tamen ab astris venisse innuunt; quæ si exemplo, aut consuetudine loci, aut cognatione imponantur, in discernenda coniugum morte efficacia sunt. Vt autem occurrat obiectioni, qua diceret aliquis plurimos simul in naui perire, qui diutiùs iuxta nominis numerum viuere debebant, néue cogatur aut astrorū virtuti prędictiuæ vale dicere, aut erroris illā arguere, causam particularē ait ab vniuersali superari: hinc fit, vt multa millia sæpe pereant in bello, aut nauibus, qui tamē iuxta suam genesim diutiùs victuri erant, quos tamen causa vniuersalis, aut discessus à loco, aut infortunatus dux suo infortunio inuoluit; sic enim ex fato vniuersali qui fœlix est, infœlix redditur, & cum aliis perit, vt sæpe numero contingit, dum ab vniuersali pestilentiæ causa plurimi ex natiuitate fœlices absorbentur.

Denique Mediceorum exemplo ait causam particularem aliis causis munitam efficere, vt vniuersale infortunium vitet aliquis, & ex bello, naufragio, peste, & aliis periculis incolumis euadat.

Sic enim Mediceus aliquis ex causa particulari mediocrem fœlicitatem habens ciuem de principatu in vrbe pugnantem fœliciorem genesim habentem superaret, quia ciuis vnico particulari fato, Mediceus verò duplici iuuaretur videlicet vniuersali, ex hypothesi, quod gens Medicea ex causa vniuersali vsque ad ducentesimum annum in vrbe Florētia principatum esset habitura. Quod exemplo Domitiani cōfirmat, qui Pompusianum, Suetonio referente, oppressit, licet hic genesim Imperatorum haberet, quia Domitianus vniuersali familiæ causa iuuabatur, Pompusianus verò solâ particulari causâ; quæ omnia hoc Ausonij epigrammate concludit, ne tot mendacia patrocinio carere videantur.

Qui primus Meroë nomen tibi condidit, ille
Thesida nomen condidit Hippolyto.
Nam diuinare est nomen componere, quod sit
Fortuna & morum vel necis indicium.
Protesilaë tibi nomen sic fata dederunt,
Victima quod Troiæ prima futurus eras.
Idmona quod vatem, medicum quod Iapyga dicūt.
Discendas artes nomina preueniunt.
Et tu sic Meroë non quod sis atra colore,
Vt quæ Niliaca nascitur in Meroë.
Infusum sed quòd vinum non diluis vndis
Potare immixtum sueta merúmque merum.

Hæc sunt quæ ille comminiscitur, atque fabulis confirmat, quorum omnium confutatio alia non est necessaria, quam si quis dixerit, fabulæ sunt, veruntamen ne quibusdam huiuscemodi nebulones imponant, qui non tantùm magiæ, sed atheismo parant aditum, clauâ Herculęâ galeas illas impiorum Atheorum comminuamus, atque conteramus, & claro lucis fulgore nebulas istas dissoluamus, quod breuissimè facio, quandoquidem affert plurima, quæ locum alium postulat: nam quicquid refert ex astris, quæstionibus aduersus Astrologos iudiciarios confodiendum est: quod autem nominibus vim tribuit, id fusissima quæstione postea refelletur: Addit obiter vocem populi ab astris pendere, & dici vocem Dei: at de ista voce agendum erit vbi de terrore panico. Vt iam illa nobis excutienda supersint, quæ de literis attulit.

ARTICVLVS II.

QVOD EA FALSA SINT, QVÆ GALEOTVS cum Magis, & Atheis de literis refert, ex quibus nomina componuntur.

CVm plurima tangat, quæ ad onomentiam pertinent, iure illa referre possem ad peculiarem quæstionem, qua perstringentur onomantici: attamen operæpretium est, vt vnum ex eorum fundamentis euertam, quod etiam Rabini ingerunt literis innixum, quas velut astrorum canales esse fingunt. Existimant enim tantam inesse virtutem literis Hebraicis, vt ab iis omnia dependeant, ac si coalescerent ex vocalibus, punctis, cōsonantibus, & accentibus, vel astra terrestria essent, à quibus omnia producerentur. Præterea literarum totius alphabeti diuersis sitibus, formis, figuris, coniunctione, harmonia, distractione, obliquitate, directione, diminutione, abundantiâ, reuolutione, atque punctorum, & accentuum valore, numero, pondere quæcunque videntur, sciuntur, atque creduntur, explicari posse affirmant. Ideoque totum alphabetum multipliciter diuidunt, vt ex eo mirandos effectus eliciant.

Imprimis autem volunt regionem Angelorum à literis Quinque.

à literis, quæ numerantur ab א vſque ad י deſignari; quicquid autem à י vſque ad ת comprehenditur omnes rerum ſpecies, atque differentias continere, adeout qui contendit vlterius, ad millenarium per א notatum redeat, qui ſoli Deo cōpetit. Deinde literas omnes in 3 ordines diuidunt;

vel plura sunt, metra Cabalistarum & magorum.

1 in primo א מ ש reponunt, quas matres nūcupant,

2 in 2. duplices ב.ג.ד.כ.פ.ר.ת, reliquas ſimplices aiūt.

De literarū Hebraicarum vſu ſecundum Cabaliſtas, & magos

Tribus matribus tria deſignant elementa: per ש ignem ſtridentem exprimunt, quia tribus ſuis apicibus ignem ſurſum naturâ tēdentem ſignificat. מ terram, & aquam demonſtrat, quia *Maim* ex 2 מ productum aquas ſignificat. א denique oſtendit aërem, quia א eſt origo ſpiritus, ſeu aſpirationis: א Patrem, מ Filium, ש Trinitatem; & tres ſimul ſumptæ 3 leges, & circulo coniunctæ punctum, lineam, ſuperficiem, & corpus, 4 bonos Angelos Arielem, Tharſim, Seraphim, Cherubim, & eorū 4 ſpiritus Mahazaëlem, Azaëlem, Samaëlem, & Azazelem; 4 anni tempeſtates, 4. cœli portas Bethel, Ebron, Ieruſalem, & mare; 4 Angelos eis præſidentes Raphaëlem, Michaëlem, Vrielem, & Gabriëlem, 4 paradiſi flumina, 4 præcipuos ventos, eorumque ſpiritus Paymonem, Orientem, Ammonium, & Egyn deſignant.

3 Tertiò per 7. literas duplices intelligunt 7 planetas in vno ſtatim domicilio, mox in alio ſitas, eorumque Angelos Raphaëlem, Hauielem, Michaëlem, Gabriëlem, Zaphkielem, Zadkielem, Camaëlem, & 7 eorum intelligentias Nachielem, Hagielem, Tirielem, Eliuel, Agiel, Cophiel, & Graphiel; denique 7 illorum ſpiritus Semeliel, Nogaël, Cochabiel, Leuanaël, Sabathiel, Zedekiel, Mandineel, ſeptemque canales capitis, 7 terras, 7 ſabbatha, magnique ſabbathi, millenarium ſeptimum.

4 Quartò per 12 literas, quæ ſuperſunt, 12. Zodiaci ſigna deſcribunt, quibus ſequētes 12 intelligentias Malchidaël, Aſmodeel, Ambriel, Muriel, Verchiel, Hamaliel, Zuriel, Zarachiel, Aduachiel, Hanaël, Gambiel, & Barachiel, 12 menſes, 12 Patriachas, 12 pectoralis lapides, 12 filios Iacob, 12 membra corporis, 12 fontes Elim, 12 tribus, & alios permultos rerum duodenarios accōmodant.

5 Quintò per 3 prædictas matres omnia deſignant, quæ in mundo formali, intelligibili, & cœleſti, & in microcoſmo, atque myſtico reperiuntur. Duas autem & viginti literas habent, quia 22 ſeptimas diametri circunferentia complectitur, & per iſtas literas variè conſtitutas eadem ſignificari putant, quæ per 7. planetas varios coïtus cum 12 ſignis Zodiaci habentes, oſtenduntur.

Illis autem 22 literis ſi 5 finales coniungis, eaſque circulo complecteris, 28 lunæ manſiones naſcuntur cum 28 proprietatibus, & intelligentiis: ſi ſolas contemplaris, 22 libri canonici in memoriam redeunt; ſi 5 finales addas, non autem circulum 29, ternarij cubus exurgit, à quo ternario velut maſculo, agente, & rerum omnium forma

Plato. Plato dixit omnia producta fuiſſe, vt ex Timæo referunt, cui

Zohar. Zohar ſuffragatur, qui omnia per 22 literas veluti per rerum omnium ideas producta refert.

6 Sextò literas iſtas 22 manaſſe putant à 10 Zephi-

Zephirath quid?

roth, quæ veſtes diuinitatis appellantur, quorum hæc ſunt nomina Chetet, Hochma, Binah, Cheſed, Gheburah, Tipheret, Neſech, Hod, Iehod & Malchut, quibus Moſes ad cognitionē Merchaua perueniſſe aiunt, aliosque Prophetas eorū virtute futura prænuntiaſſe. Illas autem literas in *Belimah* reconditas fuiſſe aiunt. i. in diuinitatis ſilentio, donec Adam illis vteretur ad nomina rebus ſingulis imponenda, quibus influentias cuilibet proprias deſignaret. O doctos homines, qui ſolis literarum commutationibus ſe in omnium rerum cognitionem deuenire poſſe affirmant; cur obſecro hiſce commutationibus non intenditis? an quia numerus illarum, quem his notis exprimitis 112400259-0817196800000, explicari nequit? at totum hunc numerum vnius diei Arithmeticus efferret, quandoquidem centum quintiliones non ſuperat.

Omitto cætera myſteria, miracula, numeros, pōdera, menſuras, &c. quæ ſuis ſe literis comprehendere aiunt, adeout nullus ſit apex, qui magnos mōtes. i. ſacramenta non comprehendat. Quæ omnia non poſſunt falſa non eſſe, quia principium, quo nituntur falſiſſimum eſt, adeout quicquid ſuperextruant, neceſſario ſubuertatur, iuxta id quod habet Lucretius.

Denique vt in fabrica, ſi praua eſt regula prima,
Normáque ſi fallax rectis regionibus exit,
Et libella aliqua ſi ex parti claudicat hilum:
Omnia mendosè fieri, atque obſtipa neceſſum eſt,
Praua, cubātia, prona, ſupina, atq; abſona tecta,
Iam ruere vt quædam videantur velle, ruantque
Prodita iudiciis fallacibus omnia primis.

Falſum eſt enim literas vel aſtris reſpondere, vel eorum habere figuras: in quo enim a, b, c Saturno conueniunt? aut D, E, F Ioui? quid obſecro vel ſimilitudinis, & analogiæ, vel cōmune habet Mars cū G, H, I. Si numerus è literis exurgens, quibus nomen componitur, vitam longā portendit, cur mariti fœminas non eligunt, aut fœminæ maritos, quorum nomina magnum numerum importent? Reuera non parum eos pudere deberet, qui nęnias iſtas, & tam mera, & aperta mendacia in lucē proferunt, cùm ſe cunctorum mortalium ſannis exponant; adde quòd grauiſſimè peccent, quandoquidem peruerſæ iſtius nō artis dicam, ſed inertiæ ſemina plurima opinionum monſtra pariunt, & Atheos in errore confirmant; quapropter in iſtos fabularum inuentores grauiſſimè Reſpublica debet aduertere, ne tali labe magna pars hominum, plebeiorum maximè, & curioſorum inficiatur.

Scio quidem putidas Rabinorum fabellas, quibus Magi fulciri videntur, ſiue fictitias illas literarum intelligentias, & ſpiritus ſapientibus nullum præiudicium afferre poſſe, ſed quia permulti ſunt, quibus elleborum magis quàm rationes proficiūt, hiſce nugis occurrendum eſt, aduerſus quas concionatores agere debent, vt quibus aliquando hęc inuenta arriſere, ea deinceps irrideant, & procul amandent. Quæ ita explodi poſſunt, ſi oſtenderis impoſſibile eſſe, vt aſtris literæ reſpondeant, quādoquidem hominum inuentioni tribuendæ ſunt, ante quos aſtra fuēre, quæ vim, & influxus ſuos habebant priuſquam literæ inuenirentur. Nec in aſtris quidquam reperiri poteſt, quod cauſa fuerit, cur homines literas inuenerint; quid enim eſt in ſole, quod hominibus ſuggeſſerit, vt K. l. m. inuenirent? an ſolis ſubſtantia, quantitas, lumen, aut figura harum potiùs, quàm aliarum literarum cauſa fuit? ſed iſtas fabulas fabuloſis hominibus permittamus, & Galeotum garrientem relinquamus, vt nonnulla aduerſus onomantiam, atque Rabinorum inuenta ſubiungantur.

ARTICVLVS III.

REFELLITVR ONOMANTIA, ET EVÆ NOMEN diſcutitur, ſicut & Adami, Abel, & Cain.

SCio quoſdam onomantiam cum Geomantia confundere, perperam tamen, quandoquidem hæc per puncta, aut ſtellulas terræ, chartæ, vel cuilibet alteri materiæ impreſſas diuinationibus incumbit, illa verò per numeros à nominis propoſiti literis deſignatos procedit, vtraque ſtulta, falſa, & ſine vllo fundamento. Paucis igitur onomantiæ vanitatem oſtendo. Supponunt imprimis alphabetum literis latinis exaratum, ſi latine, vel gallicè loquantur, græcis, hebræis, &c. ſi Græci ſint, vel Hebræi. Cùm autem nominibus numeros, & nomina numeris implicent, à quibuſdam non immeritò Arithmomantia nuncupatur, vel ſi vis eam vis eam à diuinatione, quæ fit per ſolos numeros, diſtinguere, Arithmonomantiam appellabis.

Sunt autem alphabeta varia, quibus illi abutuntur, ſequentem Cattanus habet in ſtraminea Geomantia; ſecundum Agrippa: tertium verò nunquam in lucem editum ab onomante accepi, qui lapidem omnem mouit, vt eius veritatem experientiâ comprobaret: qui etiam affirmat ſe nunquam à vero aberaſſe, ſed prædixiſſe ſemper vter ex ſibi propoſitis vel priùs moriturus, vel etiam victoriam relaturus, aut in duello fatis conceſſurus eſſet. Quod alphabetum referam, vt videant omnes, quàm facilè dæmon hominum mentes eludat, illudque falſitatis apertè conuincam.

CATTANI ALPHABETVM.

Cattani alphabetum.

A.	B.	C.	D.	E.	F.	G.	H.	I.	K.	L.	M.	N.	O.	P.	Q.	R.	S.	T.	V.	X.	Y.	Z.
1.	3.	22.	24.	22.	3.	7.	6.	20.	1.	10.	23.	12.	8.	13.	27.	13.	9.	8.	2.	6.	3.	4.

IN hoc alphabeto ſingularum literarum valorem habes numericum, quem ſine ratione vel homines, vel dæmones inueniſſe certum eſt, quorſum enim literæ K ſupponunt vnitatem? cur literæ O 8, literæ N. 12, & ſic de cæteris? Sanè Cornelius minùs à ratione abeſſe, vel potiùs ab inſania paulo longiùs abeſſe videtur, quando ſuo alphabeto ſolitum literarum ordinem numerorum ordini naturali ſubiicit, vt l. 2. de philoſ. occult. c. 20. habetur, & ſequitur.

Alphabetũ onomanticum Agrippæ.

A.	B.	C.	D	E.	F.	G.	H.	I.	K.	L.	M.	N.	O.	P.	Q.	R.	S.	T.	V.	X.	Y.	Z.	I.	V.	HI.	HV.
1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.	9.	10.	20.	30.	40.	50.	60.	70.	80.	90.	100.	200.	300.	400.	500.	600.	700.	800.	900.

QVos numeros diuinos appellat, quia per eos de rebus occultis futuriſque ſententiam eliciunt, & hoc inuentũ ad Pythagoricos refert, laudatque Alexandrinum philoſophum, quòd docuerit rationem, quâ ex literarum numeris horoſcopi, dominatriceſque ſtellæ inueniri poſſent; & quis inter virum, & vxorem prior moriturus eſſet, aut ſuperuicturus. Vt autem alphabetum paulo breuius, maius efficiat, addit I, & V, H I, atque Hu conſonantes, ne quis numerus nobis deſit ex iis, quem Græci in ſuo alphabeto denotant. Quæ omnia vides ab hominum inſtituto, atque phantaſia proficiſci. Verùm libet archimagi dementem mentem perſcrutari.

Si ſcire deſideras, inquit, nati alicuius dominatricem ſtellam, computa nomen eius, & vtriuſque parentis per ſingulas literas iuxta numerum præſcriptum, collectamque totius ſummam diuide per nouenarium, ſubſtrahendo illum, quoties potueris, & ſi remanſerit vnitas, aut quaternarius, vterque ſolem indicat: ſi verò binarius, aut ſeptenarius, vterque denotat lunam: ſicut ternarius Iouem, quinarius Mercurium, ſenarius Venerem, octonarius Saturnum, 9 Martem. Quibus ſubiungit nati alicuius horoſcopum, quem ita reperiri audacter æquè, ac mendosè aſſerit. Computetur nomen tam patris, & matris, quàm nati, atque ſumma tota collectâ per 12 diuidatur; nam vbi reliqua fuerit vnitas ♌: dias, ♒ : 3, ♑ : 4, ♐ : 5, ♋ : 6, ♉ : 7, ♈ : 8, ♎ : 9, ♏ : 10, ♍ : 11, ♓ : 12, ♊. Hæc ſunt occulta Mecubalûm ſecreta, & Cabaliſtarum arcana, quæ ne ſalis quidem grano condiuntur: hæc ſunt portentoſa magorum inuenta, qui præterea octonarium aëri, igni tetractyn, terræ ſenarium, duodenarium aquæ tribuunt. A quibus ſi poſtules, cur prædictos numeros planeris tribuãt, reſpondent vnitatem ſoli competere, quia vnicus ſtellarum rex eſt, & omnium planetarum caput, ſicut vnitas numerorum: lunæ dualitatem, quia animam mundi figurat: illi quaternarium tribuũt, quia cœli 4 cardines diſpenſat, & tempora diſcernit. Quinarium Mercurio accomodant, quia ex primo pari, & impari conflatur, ſicut ex fœmineo, & maſculo: ſenarium Veneri, quia ex triade per diadem conſtituitur, & geneſi, nuptiiſque fauet.

Quæ omnia falſiſſima ſunt, alioquin eandem conſtellationem Petrus aliquis, vel eundem planetam pro domino vel horoſcopo natiuitatis ſortietur, ac Petrus alius, qui diuerſo tempore natus fuerit, cuius parentes eodem etiam nomine compellari poterunt, quo primi Petri parentes. Sed & alia ſequuntur abſurda, inter quæ non vltimum locum obtinet, quòd ex parentum arbitrio penderet,

penderet, vt filius sub qua vellent stella, vel sub quolibet planeta nascerentur: quandoquidem facilè nomen aliquod explorarent, quod vnicuique stellæ, vel planetæ congrueret, idque longè antequam nati, imo & concepti essent filij. Verum in rebus adeò falsis, & ridiculis diutiùs immorari displicet: eapropter ad vltimum alphabetum accedo, quod nondum in lucem emissum fuit, licet à primo Cattani parum discrepet. In hoc autem cōuellendo cætera alphabeta satis etiā conuellentur.

Insignis huius sæculi onomantici alphabetum nondū propalatū.

A.	B.	C.	D.	E.	F.	G.	H.	I.	K.	L.	M.	N.	O.	P.	Q.	R.	S.	T.	V.	X.	Y.	Z.
3.	3.	22.	24.	22.	3.	8.	6.	29.	10.	12.	23.	12.	8.	13.	13.	13.	9.	8.	2.	6.	3.	4.

Hîc igitur est alphabetum arcanum, hæc literarum, numerorumque series imaginaria, quæ satis ex se ipsa reuincitur: nec enim est vlla ratio cur primæ literæ A. ternarium, vel literæ B tribuant. Hic autem modus ab Alphabeto Cattani differt in eo, quod literæ A vnitatem Cattanus tribuit, & literis G. I. K. L. Q. numeros diuersos accommodet, vt cuilibet alphabeta conferenti patebit. Itaque per hoc alphabetum inquirunt vter ex duobus propositis aut superaturus, aut diutiùs victurus sit: hac enim ratione dum Marinum, & Nicolaū comparant, & onomanticis regulis discuriunt, *Marinus* pro suo numero sortitur vnum, *Nicolaus* verò septem.

At aliquem audio quærentem, quî fieri possit, vt 7 duntaxat *Nicolaus*, & 1 *Marinus* in suo nomine habeat, cùm iuxta cuiuspiam alphabeti literas, & numeros longè maiorem numerum assequatur. Cui Respondeo maiorem quidem habere numerum illa nomina, dum absolutè considerantur; enimuero si literas omnes quæ sunt in, *Nicolaus*, enumeres, eisque proprium huius alphabeti numerum attribuas, nascetur numerus 97, quia N Respondet 12: & I, 29; C, 22; O, 8: L, 12, A, 3; V, 2: S, 9: *Marinus* verò numerum 91 sortitur.

Hector, & Patrocles per onomantiam iudicati.

Qua ratione putant Græcos agnouisse vter superaturus esset *Hector*, an *Patrocles*, vel *Hector*, an *Achilles*: *Hector* enim habet 79: *Patrocles* 110, & *Achilles* 115, si prædictum alphabetum arcanum sequimur; si verò Cornelianum, quod iuxta literarum simul & numerorū seriem procedit, quodque Græci sequebantur, vt videre est ex eorum litteris, quibus pro numeris vti solent, numerum alium obtinebunt quem vnusquisque per se reperire poterit, siue græcè, siuè latinè, gallicè, aut aliâ quapiam linguâ illa nomina efferas, atque scribas; hinc illi Terentiani versus:

Et nomina tradunt ita literis peracta,
Hæc vt numeris pluribus illa sint minutis.
Quandoque subibunt dubia pericla pugnæ:
Maior numerus qua steterit, fauere palmam:
Præsagia lethi minima patere summa.
Sic & Patroclum Hectorea manu perisse.
Sic Hectora tradunt cecidisse mox Achilli.

Quia verò is Arithmonomanticus diuinandi modus sæpissime fallit, aliis technis vtuntur, nec totam summam ex quibuslibet numeris resultantem alteri summæ conferunt, sed ex vtraque aliquid extrahunt, quod simul inter se comparant, & sic præsagiunt. Quæ omnia breuiter expedio, vt si qui huiuscemodi reperiantur homines, à viris Theologis facilè conuinci possint.

Imprimis ex summa numerica toties nouenarium auferūt, quoties fieri potest, atque residuum apud se retinent: deinde contemplantur illa residua, quibus simul collatis respondent, hunc, aut illum superaturum, aut diutiùs victurum, & si quæ similia fuerint. At non ita illud assequuntur, vt si residuū aliquod altero maius fuerit, statim victoriā suggerat, sed persæpe ex minori, sicut & aliâs ex maiori palmam, & diuturniorem vitam pollicentur. Hæc autem sequenti tabella referamus, in qua duo primi numeri cuiuslibet columnæ residua sunt, quę ex duobus nominibus inter se collatis, & ad amussim onomanticam probatis resultant: numerus vltimus tertio loco positus is erit, ob quem aliquis ex duobus: palmam consecuturus, aut æuo diuturniori fruiturus est. Exempli gratia, 1 & 2-2. significat illum hominem victorem futurum, qui in suo nomine residuum habuerit binarium, alium verò qui vnitatem habuerit occisum iri. Similiter: 1 & 3,-1. significat eum superaturum, qui residuam habuerit vnitatem, quando aduersarius ternarium residuum habuerit, & sic de cæteris, vt in hac tabella vides.

1 & 2	2	2 & 3	3	3 & 4	4	4 & 5	5	5 & 6	6	6 & 7	7
1 & 3,	1	2 & 4	2	3 & 5	3	4 & 6	4	5 & 7	5	6 & 8	6
1 & 4,	4	2 & 5	5	3 & 6	6	4 & 7	7	5 & 8	8	6 & 9	9
1 & 5,	1	2 & 6	2	3 & 7	3	4 & 8	4	5 & 9	5	7 & 8	8
1 & 6	6	2 & 7	7	3 & 8	8	4 & 9	9			7 & 9	7
1 & 7,	1	2 & 8	2	3 & 9	3					8 & 9	9
1 & 8	8	2 & 9	9								
1 & 9.	1										

Hæc est accurata series, quâ passim vtuntur onomantici secretiores, ita quidem arcana, vt qui eâ vtitur à magno se principe accepisse, cui magni muneris instar oblata fuerat, affirmet: cui dum obijcis non esse rationem, cur vnum quinarium superet, non autem vincat quaternarium, cur quaternarius vincat senarium, non autem quinarium, & sic de cæteris, non ad Platonicorum, atque Pythagoræorum scholas, nō ad Chaldæos, magos, aut Cabalistas, non ad Auerroēm, aut Aristotelé, sed ad solam experientiam recurrit. Quæ ferè sola est vnicum diuinantium argumentum, quapropter ipsa experientia pugnare liber.

ARTICVLVS IV.

IN QVO PER IPSAM EXPERIENTIAM, ET onomanticas regulas illi refelluntur, qui per onomantiam præsagiunt.

EXcellentiores onomantici, quos passim consulunt, & qui se nunquam à vero aberrasse aiunt, multiplici pugnant experientiâ, etenim omnes afferũt, qui vel in Scriptura sacra, vel in historiis prophanis cõtinentur, quos victores extitisse contendunt, si numerum illum sortiti fuerint, qui iuxta regulas onomanticas antea relatas vincere dicitur. Verùm ostendo clarissimè illa omnia falsa esse, & ipsam experientiam aduersus tenebriones illos pugnare: enimuero adamussim Onomãticam sequentia nomina expendi, itaut qui numeri vincere, aut victorum signa existere debuissent, superati fuerint. Quod in sequentibus apparet, in quibus numerus vltimus superari debuisset, qui tamen victor fuit. Exempli causa cùm supereSt quaternarius, & ternarius in 2 nominibus, quaternarius vincere debet, & tamen Cain, qui pro residuo ternarium habet, Abel superauit, cui quaternarius superfuerat: ita Absalon cum suo quinario vincere debuisset Ioab cum suo septenario, & tamen ex aduerso contigit. Alios plures in sequenti tabella affero, qui vincere, vel superari debuissent iuxta onomantiam, cùm tamen secus euenerit.

Abel 4.	Cain 3.	Chusam 9	Othoniel 6
Absalon 5.	Ioab 7	Ptolemæus 7	Antiochus 9
Amasa 5	Ioab 7	Timotheus 7	Iudas 4
Abner 8	Ioab 7	Lysias 2	Iudas 4
Zacharias 2	Ioas 4	Nicanor 9	Iudas 4
Apollonius 9	Iudas 4	Demetrius 1	Alexander 5
Chodorlahomor 5	Abraham 9	Apollonius 9	Ionathas 6
Darius 8	Alexander 5	Alexander 5	Ptolomæus 7
Schon 3	Israël 7	Alexander 5	Zabdiel 7
Zambri 3	Phinees 5	Tryphon 9	Demetrius 1
Eui 8	Phinees 5	Arsaces 9	Demetrius 1
Recem 3	Phinees 5	Ioannes 5	Ptolemæus 7
Sur 6	Phinees 5	Pazaites 1	Tamburlanus 9
Hur 3	Phinees 5	Scipio 2	Cæsar 6
Rebe 6	Phinees 5		
Horam 8	Iosue 7.		

Præterea si veræ essent Onomarithmantium regulæ, qui latinè superatur, gallicè vinceret, vt iam nomina, & vocabula Chinensia, Indica, Turcica, Arabica, Chaldaica, Hebræa, & Greca libẽs omittam, in quibus idem contingit: quod omnino absurdum est; nam si consulis onomantem latinè duntaxat scientem, statim affirmabit Mariam superaturam esse Stephanum, eoque diutius victuram, quia omnibus, quæ ad onomantiam attinent peractis, Mariæ superest octonarius, Sthephano verò ternarius, atqui volunt ternarium ab octonario superari, quæ omnia clarissima facio sequenti onomantismo.

Latina Mariæ aduersus Stephanum onomantica victoria.

M A R I A
23. 3. 13. 29. 3.
Hi numeri in vnum summam redacti 71 efficiunt, à quibus si nouenarios omnes abstuleris, octonarius supererit

S T E P H A N V S
9. 8. 22. 13. 6. 3. 12. 2. 9.
Hi numeri simul collecti 84 producunt, à quibus cùm omnes nouenarios abstuleris, ternarius supererit.

Hinc manifestum est Mariam esse victricem, atque diutiùs viuere debere, quàm Stephanum; quos si gallicè efferamus, & ad amussim onomanticam redigamus, Stephanus vincet, illa verò superabitur quod sic ostendo.

M A R I E
23. 3. 13. 29. 22
Hi numeri simul additi faciunt nonaginta, ex quibus si nouenarios omnes vno excepto auferas, reliquus est nouenarius, nec enim eum demunt, vbi superest.

E S T I E N N E
22. 9. 8. 29. 22. 12. 12. 22.
Hi omnes numeri simul additi faciunt 136, à quibus si nouenarios omnes abstuleris, restat vnitas, quæ in victoria onomantica superat nouenarium.

Hęc est igitur Gallica victoria, in qua Stephanus diutiùs viuere debet, cùm in latina citiùs fatis concedere debeat: ergo qui latinè superabitur, gallicè vincet. Vbi placet afferre, quid reuera contigerit: nam præter multos, quorum obitus obseruari potest, cùm ipsâ experientiâ Gallum quendam onomantem conuincere vellem, qui audacter affirmabat nunquam secus accidere, sed regulas præcedentes semper esse veras, in eadem vrbe, in qua degebat, obseruaui coniuges

coniuges admodum senes, *Mariam*, & *Stephanum*, qui iuxta onomantiam ita mori debebant, vt *Maria* priùs moreretur, quia *Mariæ*, pro suo numero onomantico residuo nouenarium habuit; *Estienne*, verò vnitatem, quæ nouenarium superat. Attamen *Stephanus* prior vitam cum morte commutauit.

Cùm autem illud onomanti obijcio, multis imposturis experientiam prædictam, & alias plurimas eludere nititur: vel enim ait cognomen proprio nomini coniungendum esse, vel nomen patris, & matris eorum onomanticè disquirendum esse, quibus mortem præsagire satagis, frustra tamen, quia eodem penitus modo conuincetur: enimuero experientia quotidiana contrarium euincet.

Deinde cur amabo non semper cognomen, aut patris, matrisue nomina non adiungit? Sed & elenchum aliò conuertit, nam vbi videt rem non bene cedere, & eos victores esse per onomantiam, qui reuera superati fuere: aliquam ex nomine victi, aut superantis literam aufert, aut etiam ei addit, vel immutat, donec phantastica onomantia victori faueat; exempli causa, si nomen Gallicum, *Estienne*, non ei fauerit, vel aufert literam S. vel vnum N. vel commutat I in Y & sic de cæteris, egregium profectò sannionem.

Verùm hæc omnia quantumcunque ridicula ei permittamus, auferat S. adhuc supererit eadem vnitas, quæ antea; auferatur N tantùm, & non S: 7 residuum habes, quo nouenarius superatur, idemque contingit, si tam S, quàm N abstuleris. Quid si velit I mutari in Y, non autem auferri S, aut N ex nomine Stephani? Sanè quo iure I nominis Stephani mutauerit in Y, ego mutare potero I nominis Mariæ in Y: tunc autem coniugum vnusquisque binarium residuum habebit, quod nos in nouam difficultatem prouehit, quam hisce nugis relictis etiam tango breuissimè. Quando ex 2 nominibus duo numeri supersunt æquales, vt nouenarius, & nouenarius, vel vt hîc binarius, & binarius, quid obsecro miser onomantes dicet?

At neque mutus erit, tunc enim victoriam assignat fortiori, altiori, vel antiquiori, quod adeò ridiculum est, vt neminem sanæ mentis esse arbitrer, qui hæc non irrideat. Quot obsecro ex illa onomantia absurda sequerentur? nunquid vnus *Ioannes* omnes *Ignatios* vinceret? siquidem Ioanni quinarius competit, Ignatio verò binarius, qui superatur à quinario: nunquid infantulus quinquennis virum quadragenarium superaret, si puer in nomine suo numerum victorem obtinuisset? Verùm de numerorum viribus aliàs dicturi sumus.

ARTICVLVS V.

DE ONOMARITHMANTIVM HORRENDA blasphemia, & an diaboli artem aliquam, scientiam, aut alphabetum, vel quidpiam simile fingere, & adinuenire possint, quibus, vter ex duobus propositis priùs mori, aut vincere debeat, alia id genus præsagire valeamus.

PAtum se profecisse arbitrarentur onomantici, nisi Redemptorem nostrum Iesum Christum cum morte conferrent, nisi Deum ipsum diuinæ maiestatis splendore coruscantem, & quà Patrem, & quà Filium, & quà Spiritum sanctum cum morte, & cum hominibus contulissent.

Summa stultitia, & impietas onomanticorum.

Hinc fit, vt mortem Christo superiorem asserant, nam *Christus* habet 8, & *Mors* 8: sed, inquiũt, cùm duo simul conferuntur, & pares sortiuntur numeros, quod est antiquius palmã refert; at *mors* est Christo antiquior, quia cœpit in Abele, qui Christi figuram prætulit. Idem Gallicè fieri aiunt, nam *Christ* habet 6, *Mort* 7: at septenarius vincit senarium. Eodem modo faciunt Deum Patrem mortis victorẽ, dum idiomate gallico effertur, nã, *Dieu le Pere*, habet 1, *Mort* habet 7, atqui vnitas vincit septenarium. Sed non vident quantis se laqueis volentes nolentes implicent: enimuero latinè, *Deus Pater* 7 habet, *Mors* autem 8, atqui octonarius superatur à septenario, *Mors* igitur saltem latinè Deum Patrem superabit.

O summam impietatem, quibus tormentis, qua gehenna digni sunt, qui tot, & tantas blasphemias euomunt, & aduersus omnium creatorem debacchantur. Nolo referre cætera, quæ simul inter se conferunt, Mahometum cum cruce, crucem cum luna crescente, Moysem cum Christo, Filium Dei cum Spiritu sancto: quid enim non audeant, qui Deum ipsum aggrediuntur. Reuera hanc onomãtiam non ab alio, quàm à cacodæmone profectam esse credidero, miror tamẽ, quomodo non timuit, ne id causa foret, cur multi se ab eius cultu: & familiaritate substraherent, cum ista diuinatio sit adeò falsa, vt ne probabilitatis quidem vmbram in se contineat.

An verò Cacodæmon aliquam artem inuenire, vel aliquod alphabeti genus cõponere valeat, quod nos in futurorũ cognitionem adducat, aliqui forsitan in dubium reuocabũt, quippe qui tam doctus, & subtilis est, vt nihil eum prætersugere videatur.

Verumtamen certissimum est id non cadere sub eius potestatem, aut scientiam, enimuero nihil per vllum alphabetum, characteres, aut alio modo explicare potest, præter ea, quæ nouit, qualia nõ sunt futura, quæ vel à Dei voluntate, vel à nostro libero arbitrio, vel à circunstantiis, quas non potuit præuidere, proficiscuntur, atque dependent.

Cùm autem nesciat, quis post quadringentos annos nasciturus sit, & an ex duobus, qui nascentur, is, qui Petrus appellabitur, Paulum superaturus sit necne, prædicere non potest, an superaturus, an verò superandus sit. Dico præterea cum nõ posse vllum alphabetum efficere, quo postea præsagire valeamus, an aliquis victoriam reportaturus sit; enimuero non poterit fieri, quin istud alphabetum pluribus conueniat, eodemque modo quibusdam accommodetur, vt pote iis, qui eodem nomine vocabuntur.

Dæmones quid facere nequeant.

Omitto permulta, quæ nunc afferre poſſemus, tum quia quæſtio præſens longè ſatis excurrit, tum quia ſermo de his aliàs redire poterit. Tantùm aduertam onomanticos ipſos minimè ſibi ipſis, vel onomantiæ credere, alioquin filiis ſuis imponi nomina diligenter curarent, quæ eis longam vitam allatura eſſent, poſſentque ad libitum vxores ſibi deligere, ante quas, vel poſt quas vitam cum morte commutarent. Quod tamen neque faciunt, neque ſe facere poſſe aiunt.

Idem ferè de Aſtrologia iudiciaria dicendum eſſet, ſicut & de geomantia, & aliis artibus prohibitis, quæ curſus aſtrorum in auxilium aduocant, quas nullus dæmon, ita poteſt dirigere, vt per eas futura ab alicuius libertate pendentia infallibiliter prænuntiet. Quod ab omnibus diligenter aduertendum eſt, ne fortè ex illa parte quiſpiam vereatur, quominus omnium artium illicitarum, & inertium vanitas demonſtrari, atque conuelli poſſit. At de his omnibus alias fuſiùs dici poterit, nunc enim ad textum regredior.

VERSICVLVS XXII. ET XXIII.

XXII. Et ait: Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt, ſciens bonum, & malum: nunc ergo ne fortè mittat manum ſuam, & ſumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum.

XXIII. Et emiſit eum Dominus Deus de paradiſo voluptatis, vt operaretur terram, de qua ſumptus eſt.

XXII. וַיֹּאמֶר יְהוָה אֱלֹהִים הֵן הָאָדָם הָיָה כְּאַחַד מִמֶּנִּי לָדַעַת טוֹב וָרָע וְעַתָּה פֶּן־יִשְׁלַח יָדוֹ וְלָקַח גַּם מֵעֵץ הַחַיִּים וְאָכַל וָחַי לְעֹלָם׃

XXIII. וַיְשַׁלְּחֵהוּ יְהוָה אֱלֹהִים מִגַּן־עֵדֶן לַעֲבֹד אֶת־הָאֲדָמָה אֲשֶׁר לֻקַּח מִשָּׁם׃

XXII. Καὶ εἶπεν αὐτοῖς· ἰδοὺ ἀδὰμ γέγονεν ὡς εἷς ἐξ ἡμῶν τοῦ γινώσκειν καλὸν καὶ πονηρόν. Καὶ νῦν μή ποτε ἐκτείνῃ τὴν χεῖρα αὐτοῦ, καὶ λάβῃ ἀπὸ τοῦ ξύλου τῆς ζωῆς, καὶ φάγῃ, καὶ ζήσεται εἰς τὸν αἰῶνα.

XXIII. Καὶ ἐξαπέστειλεν αὐτὸν κύριος ὁ θεὸς ἐκ τοῦ παραδείσου τῆς τρυφῆς ἐργάζεσθαι τὴν γῆν ἐξ ἧς ἐλήφθη.

HÆc verba Deus vel ironicè, & per Sarcaſmũ, vel per cõpaſſionẽ dicere potuit. Video, tamen omnes ironica fateri, vt Deus primorum parentum facinus exprobret, & eos ad propriæ miſeriæ contemplationem adducat, qui cùm Deo ſimiles, aut æquales eſſe præſumerent, maximè diſceſſerunt, atque ceciderunt à dignitate ſua, atque beſtiis ſimiles facti ſunt: & qui per fructum vetitum ſe omnia cognoſcere ſperabant, in magnam rerum omnium ignorationem deuenerunt. *Ecce Adam*, qui conſcendere volebat, ſed deſcendit, indui veſtibus gloriæ, & ſe Deo reddere ſimilem, ſed veſte corruptibili induitur, & ad eaſdem temporis, aëris, frigoris, caloris, & cæterarum incommoditatum anguſtias redactus eſt, quibus cętera animalia obnoxia ſunt. Quidam exiſtimant dictionem ממנו *Mimmenou* eſſe numeri ſingularis quia in *nun* daghes inſcribitur, cũ tamẽ nõ inſcribatur, quando eſt pluralis numeri primæ perſonæ: attamen Aben Ezra dicit ſe docuiſſe in libro ſuo יסודוק vel יסוד, quare daghes hoc in loco ponatur, & orientales accuſat, quod perperam locum hunc ſine Daghes legant, ſic autem verſiculum hunc ordinat. Homo iam vnus fuit, qui à nobis, vel ex nobis ſcit ſciturus bonum, & malum, quia vt iuſtitia locum habeat, ipſa experientia bonum, & malum docendus eſt, vel ſi pronomen tertiæ perſonæ facias, Ecce Adam factus eſt velut vnus ad ſciendum bonum, & malum ex ſeipſo, vel vt Onkelus: En homo factus eſt velut vnus in mundo hoc inferiori, vt ſicut ego ſum vnicus ſurſum, & ex ipſo ſit, & conſecutus ſit, vt ex ſeipſo ſciat bonum, & malum. Alij *Mimmenou* iungunt cum præcedentibus; vt ſit vnus ex ſe, cùm antea

antea totus esset intellectilis, & spiritualis, iam est effectus, vt vnus ex suis partibus, corporeus, & materialis. Sunt & qui referant ad tempus superius, quod antecedit peccatum: Ecce erat antehac homo, vt vnus nostrûm cognitione boni, & mali, nunc culpâ suâ amisit eam.

Verùm primus sensus ironicus, quem primò dedimus, planior, ac verior esse videtur, quem etiã Patres sequuntur, D. Aug. 2. Genes. contra Manich. cap. 21. & alij, & obscura nimis, quæ Rabini balbutiunt. August.

Quòd ad *Mimmenou* attinet, vtrobique daghes recipit, siue primę personæ pluralis, siue tertiæ singularis fuerit, vt satis Aben Ezra insinuat: adde quod puncta pro libito variari potuêre, cùm D. Hieronym. tempora minime præcessisse videantur. Aben Ezra.

Nunc ergo ne fortè mittat manum suam. Hîc subauditur, quod in alio sequenti versiculo legimus: nempe *eijciamus eum, ne fortè de ligno vitæ sumens viuat in æternum;* vbi persequitur ironicum sermonem Deus, vt magis ac magis peccati deformitatem, odium, & detestationem Adamo inculcet: quem eiectum aiunt per magnam Dei misericordiam, ne si fructu vitæ viueret, æternùm his ærũnis subderetur, quibus per mortem protoplastos, sicut & nos priuari voluit.

Nouator Iunius ita vertit. Ecce homo, estne sicut vnus ex nobis cognoscendo bonum & malum? nunc igitur videndum, ne extendens manum suam accipiat etiam de fructu arboris vitæ, vt comedat victurus in sæculum: vbi Deus præsentem hominis conditionem cùm præterita comparat per membra anantapodota: ecce homo qui sicut nos cognoscebat bonum, vt faceret illud, & malum, vt ab eo abstineret, amissâ nostrâ imagine, seu abiectâ, & deletâ, bonum abiecit, & malum amplexus est, quid assecutus est miser? Id nos videmus, & sibiipsi conscius est; quamobrem nobis prospiciendum est, ne mittat manum, &c. Sanè hîc agnoscere possumus orationem ellipticam, quę Hebræis familiaris est: & sæpe reticemus aliquid, dum furore excandescimus, vt in illo Virgiliano constat. *Quos ego! sed motos præstat componere fluctus:* Moses enim plurima Deo tribuit ἀνθρωποπαθῶς, vt sese nostro captui accommodet.

Nouatores autem Hebræos, & Onkelum arguunt, quòd vertentes, *Ecce Adam factus est vnicus in sæculo, ex eo est, vt sciat bonum, & malum,* liberum arbitrium stabilire velint: at non sunt propterea reprehendendi, quandoquidem & primi parentes, & nos omnes, imo & dæmones arbitrij libertatem non amiserunt: perperam igitur loquitur Iunius cum alijs, dum imaginem Dei in Adamo per peccatum deletã ait. Sanè difficillimus est nodus, an Adam virtute arboris vitæ semper vixisset, & Deus reuera protoplastos eiecerit, ne si comederent ex ea, viuerent in æternum, quod D. August. lib. 11. de Genes. ad lit. cap. 40. & l. 1. contra aduers. legis & Proph. c. 15. satis apertè sentire videtur. August.

Non abs re fuerit, si notemus arborem, cuius esu protoplasti crediderunt se Deo similes futuros, iuxta quorundam opinionem arborem cognitionis appellari, quò eius fructus appetitum concupiscentiæ in homine produxerit, ideoque statim post peccatum obuelasse membra genitalia; quod tamen Nehemãni refellit, nam serpens dixit, *eritis sicut dij scientes bonum & malum*, rectè quidem, sed minus bene sentit ille, dum illo esu voluntatem, electionem, siue arbitrium homini contigisse ait, vt cum animi oblectatione vel hoc faciat, vel cum fastidio respuat; enimuero ante gustum non minor ei, imo maior potiùs libertas adfuit: non ita falsum, quod addit, nempe libertatem nunc ei malam esse ob concupiscentiam ex peccato adhærentem, quam tamen si liber, nõ sequitur. Vult autem omnia hominis opera ante lapsum naturalia fuisse nõ aliter atque cœli, terræ, solis &c. quod falsum est; tametsi enim solam vxorem cogniturus fuisset procreandorum liberorum causâ, & facilè bona opera exercuisset, attamen opera eius plurima libera fuissent, à naturalibus actionibus distincta. Probabilius est, quod aiunt, arbores istas scientiæ boni, & mali, atque vitæ ita nuncupari, quia Deus volebat, vt ab eo disceret Adamus bonum, & malum, quia omnis cognitio à Deo est, sed de his suprà. Nehemãni.

Nunc ergo mittamus eum. Hebræi putant emphasim esse in dictione ועתה *vehatta*, quòd ad resipiscentiam prouocetur Adam, hinc vocem illam aiunt non poni in scripturis, nisi vbi pœnitentia proponitur, quapropter eiecit eum extra paradisum, vt ostenderet ei vias pœnitentiæ. Sanè eiecit eum, vt iustitia locum haberet, sed & aliç considerationes esse potuerunt, vt ne viuat in æternum, id est, tam secundum latinos, quàm לעולם *leholam* Hebræorum, longò tempore.

Et emisit eum Dominus Deus. In hoc 23. versiculo exilium Adami continetur: quod cum honore quidam Hebræi factum esse putant, adeout eum Deus velut sibi dilectum comitatus fuerit, donec esset extra hortum, ne si iussisset, *exi*, noluisset, vel eum vehementiùs contristaret, & extra hortum iussisse, vt terram coleret, vnde sumptus erat, ei verò, cùm foris esset, ianuam, & aditum paradisi clausisse. Malunt alij velut manu inde eiecisse, non quòd resisteret, sed quòd grauatè, & cum dolore inde exiret, tametsi sibi conscius esset, etiam longè grauiora se commeruisse. In verbo autem וישלחהו *vaisalchehou* notant emphasim, vt significet non simpliciter eijcere, sed ita vt nũquam reuersurus sis, vt in lege repudij constat, quę permittit dato libello repudij vxorem dimittere, nec vnquam recipere. Præterea notat Aben Ezra verbum שלח *salac* expulsionem cum ignominia significare, quãdo litera מ sequitur, quod hîc contingit: & Hierem. 15. *eijce eos à facie mea:* tametsi velint nonnulli etiam aliquando in bonum sumi. Versic. 23. Aben Ezra. Hierem. 15.

Videre mihi videor formam excommunicationis Ecclesiasticæ, vel exilium, quo mulctatur aliquis, & suâ dulcissimâ patria priuatur: ecce, primum totius mundi prodigum filium habemus, qui bona paterna dissipauit, & ad porcorum cibum diuertit; sed aliquando redibit sub Christi Domini auspiciis, cuius ope ianua paradisi, non quidem terrestris, sed cœlestis aperietur, & induetur vestimentis gloriæ, in qua non erit ampliùs neque dolor, neque labor, neque sitis, fames, aut sudor, cùm Deus erit in omnibus omnia, qui non continebit in ira sua misericordias suas.

Emisit ergo eum *vt operaretur terram*, vbi *vt*, non est finis, nam propter peccatum eiectus est sed consecutio, quandoquidem necesse fuit eum colere terrã, vt inde viuere posset, nisi dixerimus

ibi pœnam aperiri, quâ puniebatur, quia cum sudore terram deinceps culturus esset. Est autem operæpretium, vt inquiramus quanto tempore primi parentes in paradiso fuerint, & quando expulsi sint, siue illud Angelorum ministerio, siue simplici Dei iussu factum esse credamus.

QVÆSTIO LI.

QVOT HORIS, VEL DIEBVS, VEL ANNIS *Adam fuit in paradiso.*

Opinio. Hebræorũ

9. Opiniones.

SCio hac in materia nil certi esse, imo nec sine diuina reuelatione esse posse, ideoque probabilia dixisse sufficerit. Imprimis ergo Cabalistæ volunt Adamum 20 annos natum fuisse, quando condemnatus est, & ex paradiso eiectus, quia nullos est capax damnationis ante 20 annos, quod ex verbo הי׳ה versiculi 22. colligunt: sed illud bifariam intelligi potest, vel quòd Adam sit creatus in ætate 20 annorum, quod dicere videntur, vel quod ab eius creatione fluxerint anni 20, priusquam expelleretur, quod fortè probabile non est.

Alij plures adhuc annos Adamum in paradiso transegisse aiunt, tot nimirum, quot Christus ipse vixit, vt totidem laboribus annorum redimeret, quæ perdiderat Adam.

Tertia sententia vult in horto voluptatis per 40 dies remansisse, quot Christus ieiunauit. Alij pauciores assignant 8 nimirum, & 8 die, Feria 6, qua etiam Christus passus est, eiectos fuisse, quo etiam creati fuerant, & Christus è Virgine conceptus censetur.

Quintò volunt alij vnico die fuisse in paradiso, vt die sexta creati fuerint, & die Sabbathi expulsi.

Iren.

Iren. 5. lib. aduer. hær. cum aliis ei 12 tantum horas concedere videtur circum circa, vt eodem die eiectus fuerit, quo creatus erat. Imo quidam sex tantùm horas Adamo tribuunt, vt 1 horâ diei sextæ extra paradisum creatus fuerit: horâ tertiâ in eum translatus: hora 6 fructum comederit, hora nonâ Deum protoplastos increpasse, atque pœnis mulctasse aiunt, & circa vesperam eiecisse eos. Quod ex analogia cum Christo Domino confirmant, qui sicut in exordio diei sextæ passionis ante tribunal raptus sputis sordidissimis fœdatus est, ita de luto formatus est Adam, horâ tertiâ Christus acceptâ mortis sententiâ ex vrbe Hierosolyma ad supplicium ductus est; Adam in paradisum: inter Sextam & Nonam Christus suas manus in cruce extendit, vt nos seruaret, Adam manum ad fructum vetitum, vt nos perderet. Denique post meridiem Adamus eiectus est paradiso, & in paradisum latro ingressus est.

Sextò volunt alij 7 horas in horto degisse, ob quas iam 7 Psalmos pœnitentiales recitamus; at supponunt, quod incertum est, sicut & præcedentes, nempe Adamum horâ primâ diei sextæ creatum, & primâ post meridiem horâ expulsum fuisse.

Denique sunt, qui 9, aut 10 horas ei tribuant, quòd existiment tamdiu Christi tormenta durasse, verùm diutiùs passus est nempe à nocte præcedente, qua post cœnam captiuus ductus est vsque ad diem sequentem, cùm hora nona expirauit, quod tempus 20 ferè horas complectitur, adde quod Christus minimè pati debuit ob illud tempus, quo rectè vixit Adam, & in innocentia permansit.

Sanè fateor hanc quæstionem supra modum nobis viatoribus difficilem esse; quis enim possit arguere, si quis velit protoplastos in paradiso fuisse, donec statim eiecti Caïnũ generarent, quod an trigesimo vel quadragesimo post creationẽ anno, vel citiùs, aut tardiùs fecerint, quis hominum scire potest? Attamen eos in paradiso tãdiu fuisse mihi vix persuadere possum, alioquin fieri ne potest Mosem hæc omnia tacuisse, nec ea Spiritũ sanctũ nobis reuelare voluisse, quæ tam longo tẽpore fecissent in horto nostri parentes? qui cũ nullis perturbationibus afficerentur, cogita obsecro, quomodo, quantisque laudibus debitum Deo cultum exhiberent: de his videatur D. Aug. 14. de ciuit. c. 10. & 26. & 1. de peccatorum merit. & remis. c. 2. & 3. August.

Igitur quodcunque tempus in paradiso transegerit, debuit experiri, quàm dulces essent, & quam grati fructus paradisi, quanta delectatio, illic omnia sine labore percipere, & cætera, ad quæ percipienda mensem necessarium fuisse ad minimum existimo, quanquam non multum disceptare velim cùm nouis interpretibus, qui 6, 7, a. 8 dies tantùm Adamo tribuunt, quia nimirum Patres antiqui satis insinuant breui tempore protoplastos ibi degisse; videatur Cæsarius dialogo 3. q. 8. Cæsarius. & Moses Barcepha l. de paradiso.

VERSICVLVS XXIV.

VERSICVLVS XXIV.

Eiecitque Adam: & collocauit ante paradisum voluptatis Cherubin, & flammeum gladium, atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ.

ויגרש את האדם וישכן מקדם לגן עדן את הכרבים ואת להט
החרב המתהפכת לשמר את דרך עץ החיים:

Καὶ ἐξέβαλε τὸν ἀδάμ, καὶ κατῴκισεν αὐτὸν ἀπέναντι τοῦ παραδείσου τῆς τρυφῆς· Καὶ ἔταξε τὰ Χερουβὶν καὶ τὴν φλογίνην ῥομφαίαν τὴν στρεφομένην φυλάσσειν τὴν ὁδὸν τοῦ ξύλου τῆς ζωῆς.

INter alia, quæ circa versiculum hunc difficultatem habent, non vltimum locum obtinere cẽseo, quod innui videtur de Cherubino, qui gladiũ flammeum tenet, cum nempe ad instar gladij corporeum esse debere, quamobrem hîc inquirẽdum esset: An Angeli corporei sint necne: cúmque antea ne verbum quidem de creatione Angelorum, & dæmonũ casu in scriptura legerimus, nonnulla de his subiungenda forent, sed potiùs sensum literæ more nostro discutiamus. Qui putant paradisum altissimum fuisse, & aquarum magnâ congregatione circundatum, vt Tostatus, aiunt ope Angelorum translatum fuisse protoplastum, qui aliâs descendere, & è paradiso migrare non potuisset, ad Hebron autem migrasse 8 leucis ab Hierusalem distantem, vbi creatus, atque sepultus fuerit, cùm tamen in monte Caluariæ dicant alij sepultum fuisse. Verùm de loco certi nihil habemus, in quem expulsus fuit, vel quem inhabitauit: Attamen D. Basil. in c. 5. Esai. refert ex Hebræorum suæ patriæ fauentium traditione Iudæam incoluisse: 70 verò significant è regione paradisi habitasse κατῴκισεν αὐτὸν ἀπέναντι τοῦ παραδείσου τῆς τρυφῆς, *habitare fecit ipsum è regione paradisi voluptatis*. Verùm de loco sepulturæ agemus alibi, quam in Cariatharbe, seu Hebron positam aiunt iuxta c. 14. Iosue. v. 15.

Tostatus.

Basil.

Iosue 14.

Collocauit Cherubin ante paradisum Deus, nimirum postquam eiecit, & expulit eum, siue repudiauit, vt verbum hebræum ויגרש *vaigares* à גרש sonat, ac si ante peccatum Deo protoplasti despõsati fuissent, & iam velut sponsam perfidam, & adulteram repudiet eos, quos cùm in gehennam iustè mittere potuisset, æternam mortem in temporalem, & in quasdam ærumnas commutat, ne omnino perderet, quos condidit; quapropter optimè notant Hebræi misericordiam Dei iustitiâ semper ampliorem exhiberi, quod ex illis Decalogi verbis colligunt, in quibus Deus minatur se visitaturũ iniquitatem patrum in filiis vsque ad tertiam, & quartam generationem, sed misericordiã facturum in millibus. Cherubin autem, qui paradisi custodes positi sunt, Angeli fuêre, de quibus in Exodo, & Ezech. 1. & 10. cap. multa satis legimus. Aben Ezra putat כרוב esse vocem generalem ad omnem figuram, hîc tamen notos Angelos significari, quos 7 esse volunt, quia hîc est terminatio pluralis, quæ saltem duos significat, & ה quod initio ponitur quinque significat, at illud Caballicum est, ac proinde friuolum. Malunt alij duos tãtùm in custodia constitutos; dicúntque vocem esse Arabicam ex כ littera conflatam, quæ similitudinem significat, quia puerorum similitudinem habuêre. R. Salomon interpretatur Cherubin de Angelis vastatoribus; sed & non desunt, qui putent Angelos 2 die creatos esse, & tertio die post paradisi formationem ante eum stetisse, Onkelus enim sic habet. *Et collocauit priusquam hortus Eden esset Cherubim*, iuxta Venetianum exemplar, iuxta Complutense verò, *Et collocauit ad orientem horti voluptatis Cherubin*, quos perperam neutro genere à 70 vocatos esse τὰ χερουβὶν contendit Eugubinus, quod Hebręi neutro genere careant: quem errorẽ ab Alexandro manasse vult, qui dixit, *beata Cherubin*, fatetur tamen ab Aquila, & Theodotione in neutro genere efferri Esai. 6. tametsi Symmachus masculini generis faciat, teste D. Hieron. epist. ad Damasum; verùm à Delrione Steuchus grauiter reprehenditur, cùm neutrum genus iis optimè conuenire possit, qui neutro sexu indigent, nec fœminino, vel masculino. Adde quod facies animalium haberent; vide Villapandum in cap. 41. Ezechiel.

Ezech. 1.
Aben Ezra.

R. Salomõ.

OnKelus.

Eugubin.

Esai 6.
Symmach.
Hieron.

Ex eo verò quod Cherubinos ante paradisum constituerit Deus, inferunt nonnulli ante diem tertium creatos esse, vt iam insinuaui, sed non ita hîc explicanda est particula, *ante*, significat enim partem orientalem, quia per hanc partem ad paradisum aditus patebat, & forsitan ab aliis partibus arboribus oppletus erat. Radix *Cherubim* est כרב *carab*, & per transpositionem רכב *rocab* idest vehi siue curru, siue alis. כרוב *queroub* autem significat quamlibet imaginem, maximè verò formam iuuenis habentem; sic enim duæ imagines vocabantur, quæ erant in arcæ operculo ex auro solido factæ, quæ ex vtróque latere stantes pedibus ita constituebantur, vt sese contingere possent, quarum alæ brachiorum vice sic extendebantur, vt operculum superius contegentes, sedilis formam pararent, vt Dei sedes esset, vide c. 25. Exod. 1. Hinc quia populus illas imagines cognoscebat, se eis accõmodans ita hîc Angelos appellauit. Nonnulli deducunt Cherubim à radice רבב *rabab* multiplicatus fuit, ob ingentem eorum multitudinem. Quibus fauet Oleaster, qui *cherubim* vocat *charabim*, quasi multos, quòd sint in maxima copia: Alij à radice *Rabia* deducunt, quæ puerum denotat:

Cherubim cur sic dicti, & à qua radice, fusè discutitur.

Exod. 25.

Oleaster.

Hieron. Cherub etiam pictum designat. D. Hieron. interpretatur multitudinem scientiæ à *nachar* cognoscere, & *rab* multitudinem; & quidem congruum fuit, vt illi Angeli loco voluptatis custodes præficerentur, vt Angeli scientiæ homines ab arbore vitæ & scientiæ boni, atque mali arcerent, qui Dei scientiam sibi arrogare voluerāt. Hinc patet veros Angelos fuisse, & non μορμολύκια, seu φάσματα spectra, & terriculamenta his similia, quæ in hortis ad abigendas aues collocari solent, ita enim censet
August. D. Aug. 11. de gen. ad lit. c. 40. & D. Chrys. hom. 18. & scriptura clara est.

Denique Cherubos, Cherubinos, aut Cherubin à radice רכב *racab* alij deducunt solâ transpositione literæ *Caph* in medium dictionis, quæ est in principio radicis כרב *carab* de qua priùs dictum est; illa verò radix significat quocúnque iumento superuehi, imo & curru, vel naui, quod rectè quadrat cum illo Dauidis, *ascendit super Cherubin, & volauit, volauit super pennas ventorum*; vnde & hæc dictio de ventis dicitur, & omnia significat, quæ ad equites, vehicula, & vectores attinet. Cherubin igitur sunt Dei sedilia, & currus celerrimi, quia mira sunt agilitate prædìti, vt Dei voluntatem exequantur.

Et flammeum gladium atque versatilem ואת להט החרב המתהפכת *veet lahat hachereb hammithapecet*, idest, & flammam gladij versatilis, vel laminam gladij ob polituram flammas vomētis, vel, vt alij vertunt, gladij sese vibrantis, aut mucronis gladij,
Aben Ezra. quem Aben Ezra dicit ancipitem, vel ex vtraque
OnKel. parte acutum. Onkelus, acutum gladium versatilem. Sunt qui putent fuisse multos Angelos, qui plures enses strictos splendentes, & fulgentes supra modum educerent. 70 vertunt τὴν φλογίνην ῥομφαίαν τὴν στρεφομένην idest *flammantem rompheam versatilem*.

Hic est ergo verus sensus literalis ante paradisum, idest circumcirca, seu ex omni parte, vel saltem è regione orientali, per quam protoplasti eiecti sunt, Cherubinos esse positos, qui militum instar paradisum custodirent, & romphęâ bis acutâ minitarentur interitum illis, qui hortum illum voluptatis vellent ingredi. Qui discesserunt à litera, putant Zonam torridam intelligi, quæ propter ma-
Zona torrida, vel sol num sit gladius seu romphæa. gnum, ac velut igneum calorem omnes incolas arceat, verùm nuperrimæ nauigationes ostendunt illas regiones suis incolis minimè carere. Addunt per versatilem intelligi vel solem, qui æquinoctialem intersecat, in quo cùm stat, ex vtraque parte faciem versare videtur, nam in æquinoctiali veris, qui hoc anno 1622, die 21 Martij circa horam sesquiseptimam matutinam contigit, sol positus partim hyemem præteritam, partim verò futurum ver respicit; sicut & in autumnali æstatem, & hyemem, qui eodem anno 23 Septembris circa 3 horam pomeridianam obtigit: vel cursum cœli, & planetarum, qui huc illuc statim circa Septentrionem, mox versus Austrum declinant.

Num ignis. Alij materialem ignem obiiciunt, qui tendat in acumen gladij instar, vt arceat homines à paradiso, & terreat, qualem in Ætna monte videre licet. להט *lahat* & flammam, & laminam significat, estq; potiùs fulgor, & splendor quæ in lamina ensis accuratè polita micat, quàm ipse gladius, vt notant Hebræi: fulgur etiam hac dictione significatur, quod etiam designat φλογμός, quò 70 respexisse videntur: hinc vertunt illi gladium, cui fulgor inerat. Versatilem verò, gemina facie, seu bipennem interpretantur. המתהפכת *hammitapeced* fit à radice הפך *haphac* posita in *hitphael* התהפך *hithhaphel*. i. conuertere fecit.

Conuertebant igitur, seu vibrabant Angeli gladios suos, vt sicut Ezechielis Cherubini multiplicem faciem in 4 orbis partes conuertebant, ita hîc gladios suos ex omni parte strictos habeant: חרב *chereb* verò à radice חרב *charab* exaruit, gladium significat. *Ad custodiendam viam ligni vitæ*. Sunt qui לשמר *lismor* sine ו scribant, quod supponit Baalhaturim, qui cabalicè referens literas huiusce dictionis ad dæmones, vult significare לילין lamias, שדין dæmones, מזיקים nocentes, & רוחין spiritus, sed illas nugas otiosis relinquimus. Volunt autem per Cherubim summi sacerdotij ministerium hic adumbrari, quod nisi summus Pontifex rectè administrauerit, dum intrat in Sācta Sanctorum, absumendus sit flammeo Cherubinorum gladio, qui è medio duorum Cherubinorum egredietur, & exuret eum, itaut in ipso sanctuario moriatur: sic enim multos ibidem periisse aiunt, quod vel minus benè suum ministerium expleuissent, vel aliquo dolo sese in illud ingessissent, quos ex Saducęis maximè fuisse volunt, qui legi, & Prophetis fidem habebant, nec iuxta legem & verbum Domini incensum offerebant ingredientes in Sanctuarium.

Mihi vero dubium non est, quin plurimi sensus mystici ad hunc versiculum referri possint, quos vnicuique relinquo; tantùm admonebo D. Cyril. Cyrill.
catech. 17. existimare linguas igneas die Pentecostes missas fuisse, vt paradisus igneo gladio circunseptus aperiretur: & D. Ambros. in Psalm. 118. ad Ambros.
versic. *Retribue seruo tuo*, hunc ignem paradisi de Purgatorio interpretari, cui Rupertus suffragatur. Rupert.
Hactenus de casu, & pœnis, atque creatione protoplastorum.

Plurima sunt, quæ hîc discuti possent, vt an si Adamus aliquem genuisset in paradiso, priusquam peccaret, filius ille peccatum originis contracturus fuisset; an si tantùm concepisset Eua in statu innocētiæ, nec tamen genuisset, nisi post peccatum, infans in lucem editus illo peccato inficeretur, quibus ad Theologos remissis, solùm, quod sentio breuiter aperio, nimirum infantem ante peccatum ex vtero egressum nullo originis peccato pollutum iri, tametsi pater paulo post fructum vetitum comederet, imo nec illum, qui tantùm in illo iustitiæ statu conceptus fuisset, quamuis non emitteretur in lucem, nisi post peccatum, dummodo anima fuisset informatus, atque adeo homo ante peccatum, quanquam hæc omnia ex diurno pacto dependent; si enim Deus illos tantùm inuolui voluerit, & peccato teneri, qui post peccatum animam acceperunt, nullus in dubium reuocare debet, quæ dicta sunt, si verò omnes alios, secus dicendum est. Hîc agere decreueram de Angelorum creatione, & accuratè discutere aduersus Atheos num Angeli, vel dæmones dentur, necne, sed illud partim ad 1 partem D. Thomæ remitto, partim in aliud tempus differo, cum Pomponatium aggrediar.

CAPVT IV.

CAPVT QVARTVM.

1. ADam verò cognouit v-
xorem suam Heuam:
quæ concepit & peperit
Cain, dicens: Possedi
hominem per Deum.
2 Rursumque peperit fratrem eius Abel.
Fuit autem Abel pastor ouium, & Cain
agricola.
3 Factum est autem post multos dies, vt
offerret Cain de fructibus terræ munera
Domino.
4 Abel quoque obtulit de primogenitis
gregis sui, & de adipibus eorum: & res-
pexit Dominus ad Abel, & ad munera
eius.
5 Ad Cain verò, & ad munera illius,
non respexit: iratusque est Cain vehemen-
ter, & concidit vultus eius.
6 Dixitque Dominus ad eum: Quare
iratus es? & cur concidit facies tua?
7 Nonne si benè egeris, recipies: sin
autem malè, statim in foribus peccatum
aderit? sed sub te erit appetitus eius, & tu
dominaberis illius.
8 Dixitque Cain ad Abel fratrem
suum: Egrediamur foras. Cumque essent
in agro, consurrexit Cain aduersus fra-
trem suum Abel, & interfecit eum.
9 Et ait Dominus ad Cain: Vbi est
Abel frater tuus? Qui respondit: Nescio:
Num custos fratris mei sum ego?
10 Dixitque ad eum: Quid fecisti? vox
sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.
11 Nunc igitur maledictus eris super ter-
ram, quæ aperuit os suum, & suscepit san-
guinem fratris tui de manu tua.
12 Cùm operatus fueris eam, non dabit
tibi fructus suos: vagus & profugus eris
super terram.
13 Dixitque Cain ad Dominum: Ma-
ior est iniquitas mea, quàm vt veniam me-
rear.
14 Ecce eiicis me hodie à facie terræ, & à
facie tua abscondar, & ero vagus & pro-
fugus in terra: omnis igitur qui inuenerit
me, occidet me.
15 Dixitque ei Dominus: Nequaquam
ita fiet: sed omnis qui occiderit Cain, septu-
plum punietur. Posuitque Dominus Cain
signum, vt non interficeret eum omnis qui
inuenisset eum.
16 Egressusque Cain à facie Domini,
habitauit profugus in terra ad orientalem
plagam Eden.
17 Cognouit autem Cain vxorem suam,
quæ concepit, & peperit Henoch: & ædifi-
cauit ciuitatem, vocauitque nomen eius ex
nomine filij sui, Henoch.
18 Porrò Henoch genuit Irad, & Irad
genuit Mauiaal, & Mauiaal genuit Ma-
thusael, & Mathusael genuit Lamech.
19 Qui accepit duas vxores, nomen vni
Ada, & nomen alteri Sella.
20 Genuitque Ada Iabel, qui fuit pa-
ter habitantium in tentoriis, atque pasto-
rum.
21 Et nomen fatris eius Iubal: ipse fuit
pater canentium cithara & organo.
22 Sella quoque genuit Tubalcain, qui
fuit malleator & faber in cuncta opera
æris & ferri. Soror verò Tubalcain,
Noëma.
23 Dixitque Lamech vxoribus suis Adæ
& Sellæ: audite vocem meam vxores
Lamech, auscultate sermonem meum: quo-
niam occidi virum in vulnus meum, &
adolescentulum in liuorem meum.
24 Septuplum vltio dabitur de Cain: de
Lamech verò septuagies septies.
25 Cognouit quoque adhuc Adam vxo-
rem suam: & peperit filium, vocauitque
nomen eius Seth, dicens: Posuit mihi Deus
semen aliud pro Abel, quem occidit
Cain.
26 Sed & Seth natus est filius, quem
vocauit Enos: iste cœpit inuocare nomen
Domini.

VERSICVLVS I.

Adam verò cognouit vxorem suam Heuam; quæ concepit, & peperit Cain, dicens: Possedi hominem per Deum.

וְהָאָדָם יָדַע אֶת־חַוָּה אִשְׁתּוֹ וַתַּהַר וַתֵּלֶד אֶת־קַיִן וַתֹּאמֶר קָנִיתִי אִישׁ אֶת־יְהוָה׃

Ἀδὰμ δὲ ἔγνω Εὔαν τὴν γυναῖκα αὐτοῦ· καὶ συλλαβοῦσα ἔτεκε τὸν Κάϊν· καὶ εἶπεν, ἐκτησάμην ἄνθρωπον διὰ τοῦ θεοῦ.

AB opere, quod Philosophi naturalissimum vocant, Moses incipit, vt ea nos edoceat, quę primis parentibus in exilio contigerunt, idque rectissimè, cùm singulas generationes vsque ad diluuium, quibus genus humanum ab Adamo propagatum est, continuò narraturus sit. Adam ergo cognouit יָדַע *iadah*, quod ostendit scripturam sanctam videlicet hebręam honestissimis verbis etiam res alioqui turpes explicare, quia, inquiunt, copula maritalis animo sobrio, ac bene constituto fieri debet; vel quia iusti coniugium cum vxore sanctũ, & purum est: hinc linguam suam Iudæi sanctam appellarunt; & quidem Græci rem veneream, & coniunctionẽ maritalẽ verbis honestioribus, quã Latini explicant; quod enim hi maritum rem cum vxore habuisse, vel fuisse congressum, illi communicare dicunt, vt ex Luciano refert Hamerus, vbi (Hamerus.) Stoicos, vel Cynicos reprehendit, qui res quaslibet suis propriis nominibus citra omnem verecundiã appellare volebant; sed contrarium Tullius lib. 1. (Tullius.) offic. docuit, vbi ait turpe esse dicere, quod facere turpe non est, modò occultè. Aliam etiam rationem afferunt, cur Moses verbo cognoscendi *iadah* vti voluerit, quia semen virile à cerebro descendit per venulas, quæ ramusculos huc illuc per dorsum emittũt. Hoc autem verbum per pręteritum plusquam perfectum exponit R. Salomon, *cognouerat*, (R. Salomõ.) quia putat statim atque Eua educta fuit è latere viri, hunc eam cognouisse, quod non ita ridiculũ est, quin suam probabilitatem habeat, quia non ideo carere debuit originali peccato, si quis ex illa coniunctione nasceretur, cùm anima nondum infusa esset, quando peccauerunt, & eiecti sunt, si adeò breui tempore in statu originalis iustitiæ perstiterunt, vt antea dictum est, quanquam non puto in ea actione protoplastos ante eiectionem è paradiso communicasse.

Magis à veritate Iudæi illi recedere videntur, qui sentiunt Euam primo congressu multos concepisse, atque peperisse, vnde inquiunt, bini lectum ascenderunt, & 7 descenderunt; quod tametsi fieri possit, nam & nostris sæculis fœminas & geminos, & plures infantes peperisse legimus, idque quodãmodo necessarium videri posset, vt terra repleretur (Hebræorũ nugæ.) incolis: attamen cùm scriptura nihil eiuscemodi innuat, illud Iudaïcum pro figmento crediderim esse sumendum. Notant verò Hebræi matrimoniũ pro consummato haberi: quando sub חופה *chuppa* maritus, & vxor fuerunt, qui locus erat apud Hebræos, in quo sub velamine sponsus cum sponsa se abdebat, ibi simul colloquebantur, vt mutuis sermonibus animi arctiùs coalesceręt, & matrimonium initum magis corroboraretur, quod nõ antea ratum habebatur, donec sponsus ex Chuppa prodiret, qui magno gaudio circunstantium excipiebatur. Quod etiamnum à Iudæis Germanis fieri referunt, quorum matrimonium sub Chuppa, idest operimento, quod 4 vectibus tenetur, ante synagogam confirmatur. Quòd si alicubi synagogâ carent vestem טלית super sponsum, & sponsam in memoriam veteris consuetudinis, expandunt. Verùm Iudæis Iudaica, nos aliter matrimonium consummatum intelligimus, & à rato distinguimus, vt suo loco videbitur. Placet tamen quod id Psal. 18. *Ipse tanquam sponsus procedens de thalamo* (Psalm. 18.) *suo, exultauit &c.* per illum è chuppa sponsi exitum explicant, quandoquidem ingenti gaudio sol in exortu suo homines afficit.

Non est autem necesse, vt hîc in plusquamperfecto legamus, *cognouerat*, nam quod aiunt horã septimã diei sextæ coniunctos esse, & octaua conscendisse lectum duos, 4 verò descendisse, nempe conceptis gemellis Abel, & Cain, vel etiam 7 descendisse, nempe gemellam cum Cain, & cum Abel, duas, vt initio 7 homines in paradiso fuerint, vt vult R. Salomon, fundamento caret, & gratis af- (R. Salomõ.) firmatur: nec perpetuò verum est toties verbum esse vertendum per plusquam perfectum, quoties aliquid antecedit verbum, & per perfectum, si pręcedit, vt pluribus in locis aduertere poteris in progressu.

Quæ concepit, & peperit Cain. Iam feruet libido statim atque peccatum commissum est, & qui virgines in paradiso fuerant, teste D. Hieron. 1. contra (Hieron.) Iouin. eiecti corrumpuntur; *Adam, & Eua*, inquit, *ante offensam, in paradiso virgines fuerunt, at post peccatum, & extra paradisum protinus nuptiæ. Nuptiæ ergo terram replent, virginitas paradisum*; idem affirmat Chrysost. hom. 18. *Post inobedientiam, post pa-* (Chrysost.) *radisi amissionem, tunc primum vsus rei venereæ cœpit.*

His suffragantur Iren. l. 3. c. 33. Epiph. 3. contra (Iren.) hæres. 78. Iustin. dial. contra Triphon. Tertul. c. 5. (Epiphan.) de veland. virgin. Ambros. de instit. virgin. Basil. (Iustinian.) epist. ad Letoïum de vers. virgin. Aug. 3. de gen. ad (Ambros.) liter. & alij. Facessant igitur nouatores castitatis (Tertul.) inimici, qui cum nugiuendulo R. Salomone vo- (August.) lunt

lunt protoplastos in paradiso zonam soluisse. Postquam igitur cognouit Adam vxorem suam Euam, concepit vbi præter ea, quæ nuper diximus, addendum est, vxorem dici cognitam, quia dum virgo fuit, erat incognita, & abscondita, ideoque עלמה balma dicitur, hinc virgo corrupta, reuelata dicitur. Notat Oleaster fœminam in alio non cognosci fœminam, nisi in congressu, quia sexu excepto in omnibus similis est viro, hinc Hebræi fœminam perforatam seu diuisam vocant, quòd in hoc à viro discernatur; deinde in illo actu fœmina maximè cognoscitur, quia familiariter tractatur, vt nota. Olcaster.

Aduertit etiam nomen Adam esse commune, & non proprium, quia Hebræi non præmittunt ה notificatiuum propriis nominibus, quod tamen nomini אדם Adam hîc præmittitur. Deniq; non esse scripturæ perpetuum, vt vocabulis adeo honestis rem exprimat, sed aliquando verbis propriis vti, vt Isai.36. *Vt comedant stercus suum, & bibant aquam pedum suorum.* & Ezech. 16. & 23. vbi Deus fornicationem, & impudicitiam Iudææ exaggerat. *Adamauit seruos eorum, quorum membra vt membra asinorum sunt, & vt fluxus equorum, fluxus eorum.* & c. 16. *effusa est turpitudo tua.* Isai.36. Ezech.16, 23.

Concepit ergo. ותהר vatahar. à radice הרה, quę significat omnem laborem, & molestiam, quam mulieres grauidæ experiuntur, quæ etiam de conceptu intellectus dici potest, sic etiam pariêdi verbum, & parturitionem, & curam, quam suscipiút matres in educandis, atque fouendis infantibus significat. *Concepit ergo Cain primogenitum suum*; vbi miro compendio Scriptura vtitur, nec enim explicat, quot post partum diebus nomen Cainim - positum fuerit, sed omnia simul exprimit, concepit Cain, & peperit, dicens,

Possedi hominem per Deum. vbi pulchrè verbum קניתי Kaniti respondet קין Cayn, quod emptionem vel possessionem significat; vt enim ea possidere dicimur, quæ emimus, ita potest Eua dicere *possedi*, siue quia multis doloribus, & molestiis, quibus nulla pecunia comparari possit, Cain peperit, ac velut emit. Hinc *Micneh* possessionem, pecus, & emptionem significat, quia in pecoribus olim diuitiæ sitæ erant, quibus etiam emebant alia, vel ait, *possedi*, quia precibus à Deo impetrarat, nil autem charius esse videtur, neque carius, quàm quod precibus emitur: vel quia virum rogarat, vt debitum solueret; Adde quòd antiquitus magna fuit possessio multitudo filiorum. *Acquisiui ergo filium*, sed *per Deum*, aut vt alij legunt, *cum Deo*, vel *à Deo*, vel *hominem Deum*: in quo videtur Eua gratias agere Deo cuius ope, & auxilio filium se peperisse fatetur.

Particula verò, את, quæ hîc habetur, varios sensus induxisse videtur, alij enim vertunt *per*, vt editio vulgata; alij *cum*, vt sit idem cum מן *min* vel cú cum עם, ac si diceret, Deus quidem solus nos creauit, sed nos cooperatores in Cain producendo adhibere voluit. Nehemannides vertit, *coram* iuxta paraphrasim Chaldaicam editionis Complutensis; nam Venetiana legit מן *min.a.* tunc autem sensus erit: *filius noster Cain erit nobis possessio Dei, vt cùm moriemur, nobis ipse succedat, & loco nostri suum creatorem colat.* Alij volunt את esse articulum, seu notam articuli, vt sit sensus; possedi, & acquisiui ipsum Adonai, seu virum illum, qui est Adonai, quem mihi pollicitus est ipse Deus, cùm dixit; semen tuú cóteret caput serpentis; vnde nónulli deducunt argumentú, vt aduersus Iudæos Christi Domini probêt diuinitatem, quandoquidê appellatur יהוה, quod soli Deo competit. Sed hoc refellitur, ex eo quòd potiùs gaudere videatur, quòd masculú pepererit; sexum enim vir significat, & magis de sexu virili, parentes gaudere solent; deinde sciebat Cain esse tam viri, quàm mulieris semen, cùm tamen Messias mulieris semen tantùm futurus promittatur: illam verò sententiam à Ionatha Vzielide profectam esse tradunt; ait enim *Acquisiui virum Angelum Domini.* At verò Aben Amalech hæc habet. *Feci vt existeret in mundo vir, qui non fuit creatus, sicut vnus è nobis, & acquisiui eum cum Domino. Nam ipse posuit in eo partem suam inspirando animam in ipsum.* Gerundensis vertit, *acquisiui virum Domino*, vt את loco ל positum sit. Addit autem R. Iuda libr. Musar. c. 5. *Tres concurrunt ad creationem hominis, Deus laudandus, pater eius, & mater eius. Pater seminat album, vnde ossa, & nerui, & vngues, & medulla, quæ est in capite, & albumen oculi; mater seminat rufum, vnde caro, & sanguis, & pellis, & nigrum quod in oculo. Deus autem benedictus ponit in eo virtutem spiritus, & animam, & aspectum faciei, & visum oculorum, & auditum aurium, & sermonem labiorum, & incessum pedum, & intelligentiam, & scientiam, & intellectum. Cum venit tempus, vt moriatur, & dissoluatur homo, Deus aufert partem suam, & relinquitur pars parentum proiecta coram eis. Sanè ob hanc concurrentiam, siue communicationem dixit Eua, cùm peperisset Cainum, Acquisiui virum cum Domino*; Vnde patet huiusce Rabini sententiam esse, vt את sumatur pro עם, vt iam antea diximus, sicut libro Prouer. *qui ambulat* את חכמים *cum sapientibus, fit sapiens.* Nehemannides. Ionath. AbenAmal. Gerundens. R. Iuda.

Alij verò faciunt את copulam, & hunc sensum habent, *possedi virum, & Dominum*, quia iam Domino reconciliata videbatur, cuius signum fuit, quod dederit ei prolem masculam. Oleaster putat aliquam præpositionem subaudiendam esse, quam Targum, & R. Salomon supplet, *cum*, sicut & Beresit Rabba, vnde colligunt Hebræi tres esse necessarios in generatione liberorum, virum, vxoré, & Deum. Inter quos sensus hunc præfero, quem præ se ferre videtur vulgata: *possedi hominem diuina fauente gratia, sine qua, id fieri non potuisset.* Oleaster. Targum. R. Salomó.

Ex iis autem multa possumus ad spiritualem profectum adhibere: primò sicut in paradiso remanserunt in puritate nostri parentes, ita dum sumus in locis sacris omnem honestatem retinêdam esse. Secundò nunquam turpia dicenda, iuxta Paulum ad Ephes. *omnis immunditia, aut auaritia, neque nominetur in vobis.* Tertiò gratias Deo referendas ob accepta beneficia, sic enim Eua donum illud tametsi naturale totum in Deum retulit, vbi video per inflictionem pœnarum veluti sapientiorem esse redditam, nam vexatio dat sensum, & intellectum. Denique cùm ne verbum quidem contumeliæ, aut submurmurationis legamus, quibus primi parentes aduersus Deum vsi fuerint, licet inflicta supplicia ob vnicum pomi morsum experirentur, admonemur, vt cùm nos arguunt Prælati, superioresque nostri vultum non demittamus, aut vertamus aliò nolentes respicere arguentem, aut punientem: nec postea, si quid superior concedat, respuamus, & cum indignatione sumamus: nam protoplasti suo nos exemplo docent, vt etiam puniti munus oblatum cum gratiarum actione suscipiamus. Tropologia.

VERSICVLVS II.

Rursúmque peperit fratrem eius Abel. Fuit autem Abel pastor ouium, & Cain agricola.

וַתֹּסֶף לָלֶדֶת אֶת־אָחִיו אֶת הָבֶל וַיְהִי־הֶבֶל רֹעֵה צֹאן וְקַיִן הָיָה עֹבֵד אֲדָמָה׃

Καὶ προσέθετο τεκεῖν τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ τὸν ἄβελ. καὶ ἐγένετο ἄβελ ποιμὴν προβάτων, Κάϊν δὲ ἦν ἐργαζόμενος τὴν γῆν.

VIdere mihi videor Esau,& Iacob, dum Cain & Abel considero; adeout non desint, qui gemellos fuisse crediderint, ex eo quòd non repetitur hîc, *concepit*, sed tantùm *peperit*; quod tamen est fragile, stramineúmque argumentum, siquidem verbum peperit, satis ostendit conceptum præcessisse, eúmque diuersum ab eo, quo Cain conceptus est; Iudæi verò ex eo, quòd particula את *eth* bis in hoc versiculo ponatur, existimant Euam duas gemellas cum Abel peperisse, vnam verò cum Cain, quia in eius partu semel legitur אֶת, quod sanè ostẽdit, quàm solidæ sint Iudæorum nugæ. Abel potest vel חבל, vel per transpositionem litterarum אהוי, אבל appellari, quomodo Iosephus,& Eusebius legisse videntur, cùm luctum interpretati sunt, vel ה pro א legerunt: Scriptum verò,& lectum per ה vanitatem significat: & quidem rectè vocatur homo vanitas, iuxta id Psalt. *homo vanitati similis factus est*. Ita sapiens initio Eccles. *hebel hebalim, vanitas vanitatum*;& alibi, *vniuersa vanitas omnis homo viuens*.

Abel quid significet?

Sex rationes cur Eua secundum filium Abel vocarit.

Igitur filium suum secundò genitum Eua vocauit Abel, vel quia contemptibili,& infirmo corpore præ Cain videbatur, vel quia sicut in partu Cain diuina munera considerauerat, ita hîc humanam infirmitatem & miseriam aspexit; vel ita nominauit ab euentu & velut prognosticè, quia futurum erat, vt euanesceret, & à fratre interemptus nullã prolẽ relinqueret, quandoquidem ille, qui sine liberis moritur, post mortem esse censeatur iuxta sensum, ac si nunquam fuisset, sic Hebræi halitum oris, qui citò perit הֶבֶל appellant, sicut & idolum, ventum, & quicquid nihil est, aut statim euanescit, vel superfluum est: vnde non desunt, qui sic appellatum fuisse putent, quòd eum superfluum esse existimarit Eua rata se satis habere in Cain, & ex superabundanti, & affluentia sibi datum à Deo. Denique qui de Messia versiculum primum exponebant, quem se concepisse cogitabat Eua, volunt eam Abeli nomen vanitatis imposuisse, quod se, suásque cogitationes deceptas, vanásque fuisse animaduerteret. Sextam causam appellationis illius, Nehemannus affert, vt significetur omnem possessionem hominis vanam esse, atque superfluam, quid enim præter Deum necessarium est? quod initio Eccles. legimus, *vanitas vanitatum, & omnia vanitas*.

Nugantur Cabalici cùm aiunt Cain improbum genitum fuisse, quod Eua adhuc de herpentis immunditie retineret aliquid, sed non minus peccatò originali fuit obnoxius Abel, neque melior è ventre matris exiit, quàm Cain, ambo siquidem damnati, antequam nati, licet hîc electorum,& reproborum imaginem expressam cogitare possimus. Nonnulla hîc aduertẽda sunt, nempe fœminarum Scripturam non meminisse, tametsi mihi certum sit Adamum & Euam fœminas, æquè ac masculos produxisse: ratò tamen earum meminit, vt in progressu constabit, quia per viros, sicut per capita familiarum generationes enumerantur: Deinde in primo gradu transuerso, nempe inter fratres, & sorores inter se connubio iunctos fuisse; id enim ad hominum propagationem necessarium videbatur, nec est tantum inter eos incommodum, quin Deus id permittere, licitum facere, atque præcipere possit: nec enim ita malum est fratrem sorori coniungi, vt nulla ratione licitum, & honestum reddi valeat: cur enim obsecro prohibentur matrimonia inter cõsanguineos, nisi quia impediunt amicitias, quæ ex affinitate contrahuntur, vel quia sunt occasio, cur magis exerceantur venerea propter assiduam conuersationem,& ardor libidinis ob sanguinis, & carnis coniunctionem nimis exardescit,& inflammatur: vel quia turpe est consanguineo, cui naturaliter debetur honor, reuelare turpitudinẽ suæ consanguineæ: nam in actu venereo est quædam inhonoratio, maximè vero patientis; verùm hæc omnia non sunt maiora, quàm quod Abraham filium suum occideret, quod tamẽ ei Deus præceperat: Itaque prædictæ rationes non sunt eiusmodi, quas maxima propagandorum hominum necessitas, qualis erat initio mundi, supergredi non debeat, imo censent non infimæ notæ Theologi tunc fore licitum patrem, & filiam, aut matrem cum filio iungi, si soli relinquerentur in toto mundo, ita Catharinus, qui nihil ita malum esse putat, quod aliqua circunstantia bonum, & licitum reddi non possit, præter id, quod est contra Dei præceptum, aut voluntatem, vnde concludit illâ Dei voluntate sepositâ, vel malis exceptis, quæ ei repugnant, nullum esse malum: siue peccatum, quod naturâ suâ pœnas æternas demereatur. Verùm de his aliâs. Vbi proderit aduertere homines sæpissimè decipi, quia quos extollunt, Deus sepè reiicit, & quos reiiciunt, eligit, vt in Cain videre est, in cuius natiuitate ita mater exultabat, vt suam in

Catharin.

suam in eo possessionem collocaret, qui tamen ita peruersus fuit, vt innocentem fratrem trucidauerit.

Fuitque Abel pastor ouium. Hîc videmus vitæ vtriusque institutum: cùm enim mox locuturus sit Moses de eorum sacrificiis, & de causa, obquam Cain odium in fratrem concepit, vitæ genus præponi debuit; vnde concludere possumus illis vitæ generibus à patre destinatos fuisse; enimuerò vtrúmque institutum laudabile, commodum & honestum est: tametsi enim carne nondum vescerentur, lacte, & lanâ ad victum, & vestitum, & ipsis carnibus ad sacrificia indigebant, sicut & fimō ad terram colendam. Nec enim probo, quod aliqui dicunt, agriculturam Deo gratiorem fuisse, quòd eam Deus, & non artem pastoritiam iussisset, quãdoquidem ambæ artes in præcepto, vel potiùs inflictâ à Deo pœnâ continentur, imò & aliæ animi sollicitudines, quæ nos torquent, vt nemo sit, qui penitus ab ista pœna eximatur; neque mihi obiiciant nouatores aduersus monachos, ab illis præceptum diuinum transgredi, vel eos nolle se pœnæ à Domino latæ subiicere; enimuero si pœnam illam in sola agricultura, vel arte pastoritia, aut simili collocant, toto cœlo aberrant, nec enim Joannes Baptista, nec ipse Christus, nec alij Sancti plurimi huiuscemodi artibus operam dederunt; omitto Prophetas, Martyres, & quotquot sine labore manuali vitam transigentes ad cœlestia peruenêre, vt ipsos noui Euangelij prædicãtes, vel potiùs antiqui Euangelij corruptores Ministros aggrediar, an illi vocent agriculturæ, sed hæc alibi, *Cain verò fuit agricola*, seu cultor terræ עֹבֵד אֲדָמָה *hobed adama*, fortè vt maius lucrum reportaret. hobed, fit à עָבַד *habad* idest seruiuit siue Deo, siue terræ, illum adorando, hanc arando. Sic etiam Abel dicitur רוֹעֵה *rohe* pastor à רָעָה *raha*, pauit, & pascentem obseruauit: fuit enim opilio, id autem commune est his, & regibus, vt pascant, sed populos reges pascunt, ideóque Homerus Iliad. ὁ ποιμένας λαῶν vocat pastor. צֹאן tson, quod alioqui legitur idest ouium, & caprarum. Targum vertit עָנָא *haga*. An verò Cain solis manibus, & ligone sine aratris, equis, bobus, aut animalibus terram arauerit, non mihi constat. Quantum autem existimata sit agricultura satis patet ex iis, qui hanc artem exercuerunt tam in primo sęculo, quàm postea siue inter populum Dei, siue inter paganos; Cain enim & complures ex Patriarchis diluuium præcedentibus, & consequentibus, Sem, Iaphet, Isaac, Iacob, Esau, Moyses, Booz, Saül, Dauid, Elias, & alij vel agricolæ fuerunt, vel pastores, præsertim ouium: ex nostris Pontificibus Sylucrius, Adrianus, & Syluester fuerunt agricolarum filij; sicut & Cyrus, Fabij, Lentoli, Pisones &c. De agricolæ muneribus vide Columellam, Catonem, Constantinum & alios, qui de rebus rusticis scripsêre; Nec dubium est, quin artes illæ plurimum valeant ad tuendam sanitatem, fruges, fructusque procurandos, amœnitatem, meditationem siderum, pluuiæ, arborum, herbarum, animalium, & quod præcipuum est ad Deum colendum, & contemplandum: hinc etiam prisca Festa profecta sunt, Cerealia, Floralia, Vinalia, Sementina, Agnalia, Palilia, Charistia &c. verùm de his aliâs. Cæteris, quæ in artibus istis Cain, & Abel exercuerunt, omissis, Scriptura alias actiones aggreditur, nam vnico verbo omnia complecti solet, quę alioquin Historici copiosè narrarent. Targum.

VERSICVLVS III.

Factum est autem post multos dies, vt offerret Cain de fructibus terræ munera Domino.

וַיְהִי מִקֵּץ יָמִים וַיָּבֵא קַיִן מִפְּרִי הָאֲדָמָה מִנְחָה לַיהוָה׃

Καὶ ἐγένετο μεθ' ἡμέρας ἤνεγκε Κάϊν ἀπὸ τῶν καρπῶν τῆς γῆς θυσίαν τῷ κυρίῳ.

Aben Ezra. QVantum à natiuitate Cain fluxerit tempus incertum est. Aben Ezra hîc exponit יָמִים *iamim*, pro anno, quandoquidem finis dierum ponitur, at annus ex diebus constatur, nec annus integer est, inquit Kimhi, nisi die perfecto; vnde vult ille sensum esse sacrificia ista post annum integrũ, vel potiùs post annos multos facta esse: Alij malũt tempus certum quidem hominibus illius temporis significari, nobis autem incertum: vbi fateor nos permulta nescire, vt quo tempore, seu quâ ætate homines sacrificia Deo peragere solerent, an etiam infantes ad illum publicum Dei cultum à parentibus ducerentur etiam ante rationis vsum, prout iam ad Ecclesiam, & Missam duci solent, vt statim diuino cultui assuescant: Quòd autem certum tempus assignetur, ex dictione קֵץ *Kets* probant, quæ tempus præcisum, atque determinatum significat: Decet enim certa fuisse tẽpora quibus in omni lege Deo vero sacrificia offerentur in diuinitatis testimonium, atque subiectionis, debitique cultus professionem, & protestationem: illud autem tempus fuit post terram cultam, & messem peractam.

Est & alia difficultas, in quem videlicet locum attulerit fructus terræ ad peragendum sacrificium, nam locus certus esse debuit, in quem conuenirent: nec desunt Hebræi, qui putent sacrificia ad patrẽ adducta fuisse, vt Sacerdotis munere fungeretur. At num in lege naturæ, quilibet sua Deo sacrificia obtulerit, vel aliquis huic muneri publicẽ

Ooo

Aben Ezra. destinatus sit, non ita constat. Aben Ezra censet aliquem locum determinatum fuisse, in quo Deũ colerent, eius verbum audirent, orarent, ac sacrificarent; vt statim à mundo condito celebres conuentus hominum piorum fuerint, quos qui contemnit, inquiunt Hebræi, non habebit partem futuri sæculi. A patre verò doctum fuisse Caïnũ, vt Deo sacrificia, laudésq; persolueret, quis in dubium reuocet?

Munus ergo Domino Cain obtulit de fructibus terræ, vbi מִנְחָה *minchah* significat sacrificium, cibarium, quod ex farina fiebat, cuius forma traditur Leuit. 2. & omnibus ferè sacrificiis animantium vnà cum libamine adhibebatur, quamuis nomen illud ad omne sacrificium, & munus extendi (Leuit. 2.) possit. Oleaster censet illud sacrificium ex pomis fuisse, quòd tunc nondum modus serendi frumentum inuentus esset; *mincah* verò ex simila fieri, ex qua fiebant placentæ in fornace coctæ. Verùm hîc sufficit, quod per *mincah* sacrificium ex fructibus terræ intelligamus. Dicunt autem Hebræi tres fuisse species sacrificij, primam ex farina simplici non mixtâ aquâ: secundam ex panibus coctis siue clibano, siue sartagine, & craticulâ: tertiam ex spicis, seu granulis primitiarum; nec est absurdum si dixerimus Cain, & Abel aliquid in formam altaris erexisse, & igne superposito munera sua, & sacrificia combussisse. Alia postea de sacrificiis subiungemus, nunc verò ad Abel accedamus. (Oleaster.) (3. Genera sacrificiorũ apud Hebræos.)

VERSICVLVS IV.

Abel quóque obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum, & respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius.

וְהֶבֶל הֵבִיא גַם הוּא מִבְּכֹרוֹת צֹאנוֹ וּמֵחֶלְבֵהֶן וַיִּשַׁע יְהוָה

אֶל־הֶבֶל וְאֶל מִנְחָתוֹ׃

Καὶ Ἄβελ ἤνεγκεν, καὶ αὐτὸς ἀπὸ τῶν πρωτοτόκων τῶν προβάτων αὐτοῦ,
καὶ ἀπὸ τῶν στεάτων αὐτῶν. καὶ ἐπεῖδεν ὁ θεὸς ἐπὶ Ἄβελ
καὶ ἐπὶ τοῖς δώροις αὐτοῦ.

OPtimè de primogenitis offert in fide primogeniti Dei, iuxta D. Paul. cap. 11. ad Hebræos. *Fide plurimam hostiam Abel, quàm Cain obtulit Deo, & oues pinguissimas, & optimas Deo optimo sacrificauit.* Vnde putant Hebræi sacrificium Abel שלמים *slemim*, seu pacificum fuisse τῶν τελείων, ac perfectiuum, volebat enim animum suum, & fidem, animique gratitudinem erga Deum testificari: quod existimo Deum illis inspirasse, vt paulatim huiuscemodi sacrificiis assuescerent, & facilius reciperentur sacrificiorum leges, dum in lege scripta promulgarentur. *Respexit autem Dominus ad Abel* וַיִּשַׁע *vaissah* conuertit se, radix est שָׁעָה *scaba*, quę propter suas diuersas significationes varios sẽsus offert, alij enim vertũt, *placuit, & acceptò tulit*, vt Tertul. 2. contra Marc. cap. 22. & lib. 2. contra Iud. Symmach. ἐτέρφθη *delectatus est*: Theodotion ἐνεπύρισεν *inflammauit*, vnde colligi potest, hostiam Abel igne cœlitus demisso consumptam esse, sicut Aaronis sacrificium Leuit. 9. Gedeonis Iudic. 6. Dauidis. 1. Paralip. 21. Salomonis 1. Paralip. 7. Eliæ 3. Reg. 18. & Nehemiæ 2. Machab. 1. (ad Heb. 11.) (Tertul.) (Hostiæ igne consumptæ Leuit 9. Iudic. 6.)

Alij vertunt εὐδόκησεν *accepta habuit*. Aquila *consolationem accepit.* Vbi rectè Procopius ait interpretes peculiarem finem respexisse, Theodotion enim enarrat, quomodo Deus sacrificium acceptarit, & alludit ad modum, quem de Eliæ sacrificio legimus. Aquila docet Deum placatum, & deposuisse iram, qua in Adamum exarserat. Symmachus significat Deum hoc sacrificio oblectatum fuisse, quod viuentibus animalibus, non rebus inanimis constabat. (Procopius) (Theodotiõ) (Aquila.) (Symmach.)

Denique Syrus vertens *placuit*, ostendit Deum Abelis sacrificia prętulisse Caïni muneribus, ideóque hęc intacta reliquit, illa igne cœlesti absumsit. שעה Hebræis est, cùm aliquis delectum facit nutu oculorum, seu fauorem nutu, & oculus indicat, & amanter aspicit, vnde vertit Onkelus. *Et fuit beneplacitum coram Domino in Abel, & in oblatione eius*, vel iuxta Complut. *Et suscepit Dominus cum beneplacito Abel, & munus eius.* (Syrus.) (OnKel.)

Quod autem de igne consumente diximus confirmant Aben Ezra, & Author fasciculi myrrhæ, qui sic ait *Et descendit ignis à Domino, & consumpsit adipem, siue pinguedinem, atque ita beneuolentiam suam erga Abelem & munus eius declarauit.* Addunt Hebræi quidam in illo igne cœlesti sacrificia absumente semper apparuisse leonis faciem, quæ Christi figura esse potuit, qui est leo de tribu Iuda, quique in sacrificiis legis naturæ, & scriptæ fuit adumbratus, donec ipse gratissima Patri hostia in ara crucis oblatus fuerit. Prius autem ad Abelem Deus respexit, quàm ad munera, quippequi offerentis affectum rebus ipsis oblatis anteponit, adeout denarius maiori deuotione oblatus Deo sit acceptior, quàm aureorum milliones plurimi qui minori charitate exhiberentur. (Aben Ezra.)

Respexit ergo Dominus ad Abel. Verbum *Iissa* non tantùm à שָׁעָה, sed etiam à שָׁעָא oriri potest, ac eadem significatione gaudent, ac præter *aspicere*, sumuntur pro, *sperare, terrere, desinere, & narrare*: propriè verò *quiescere, & desinere* significat, inquit Oleaster, vt hîc vertere possimus: *Et requieuit Dominus in Abel, & in munere eius*; quod ex eo suaderi potest, quia vbi dicitur sacrificium fieri in (Oleaster.)

in odorem suauitatis, *quietis* rectè legi possit; quia sicut homini irato cùm fumum odoriferum apponis, requiescit, sic odore sacrificij Deus antea iratus quiescit, quatenus oblationis fumo, prout ex nostra deuotione procedit, delectatur. Ita etiam
Iob.14. Iob 14. *sebeh.* idest quiesce, seu desine. & Isai. 22.
Isai.22. &17 *sebeu* desinite; Psal. 119. *veesbah, delectabor*, verti
Psal. 119. poterat, *requiescam*. Denique Isai. 17. *ysbeh, respiciet homo ad factorem suum*, benè vertetur, *requiescet homo in factore suo*, & non ampliùs mutabit Deos, vbi Hieron. vertit, inclinabitur. R. Dauid, *respiciet*, Hieron.
vel *sperabit*. Thargum, *innitetur*, R. Abraham, *sperabit*, R.David.
rabit, aut *fidet*, & R. Salomon, *respiciet*. Ex quibus Salom.
omnibus prouocari debemus, vt cùm aliquid Deo Abrah.
volumus offerre, id animo sincero, & fronte exporrectâ, idque priùs ab omni sinistro affectu purgati faciamus: Deus enim est scrutator cordium, qui videt in occulto, & vniuscuiusque intentiones iustissimâ lance perpendit.

VERSICVLVS V. ET VI.

V. *Ad Cain verò, & ad munera illius non respexit; iratusque est Cain vehementer, & concidit vultus eius.*

VI. *Dixitque Dominus ad eum: Quare iratus es? & cur concidit facies tua?*

V. וְאֶל־קַיִן וְאֶל־מִנְחָתוֹ לֹא שָׁעָה וַיִּחַר לְקַיִן מְאֹד וַיִּפְּלוּ פָּנָיו׃

VI. וַיֹּאמֶר יְהוָה אֶל־קָיִן לָמָּה חָרָה לָךְ וְלָמָּה נָפְלוּ פָנֶיךָ׃

V. Ἐπὶ δὲ Κάϊν καὶ ἐπὶ ταῖς θυσίαις αὐτοῦ οὐ προσέσχεν. Καὶ ἐλύπησε τὸν Κάϊν λίαν, καὶ συνέπεσε τὸ πρόσωπον αὐτοῦ.

VI. Καὶ εἶπε κύριος ὁ θεὸς τῷ Κάϊν, ἱνατί περίλυπος ἐγένου, καὶ ἱνατί συνέπεσε τὸ πρόσωπόν σου.

VEra reproborum, & electorum imago hîc deprehendi potest, nam eodem ordine Cain,
Cur munera Cain Deus non respexit, rationes 10. & eius sacrificium reiicit, quo munus Abelis acceptarat; Quænam verò causa fuerit, cur Deus Cain reieceerit, & Abel acceptum habuerit, non ita pertium est: Alij enim causam Deo soli cognitam a-
1. iunt, nec curiosiùs à nobis inquirendam esse. Secundò dicunt alij, quia erat ex maligno Cain, Abel
2. verò ex Deo iuxta id Ioh. 8. *vos ex patre diabolo estis*,
Iohan.8. tametsi enim ambo ex maligno nati sint, quatenus in originali peccato concepti sunt, ex maligno, inquiunt, Deus Abelem eruit, Cain verò reliquit in eo, iuxta id Pauli, *non est currentis, aut volentis, sed miserantis Dei*; sic enim apud D. Paulum, & August. celebre est Deum ex massa perditionis alios ad gloriam pro misericordia, & beneplacito eligere, alios pro iustitia relinquere; verùm ambos ab originali liberatos esse mihi certum esse videtur; quis enim in dubium reuocare potest Deum Adamo certum remedium suggessisse, vel mediatoris futuri fidem, vel aliquod sacrificium expiatorium Deo offerendum, quo filios à peccato liberaret? Itaque tertia sententia est erutos quidem ambos
3. fuisse, sed Cain non perseuerasse, quia perseuerantiæ gratiam minimè Deus illi contulit. 4 opinio
4. vult ad eum non respexisse, quia fuit infidelis, nec credidit in Redemptorem venturum, atque adeò munus suum non in fide illius obtulit, sed tantùm Deo, vt creatori, quem vt authorem naturæ apprehendebat; Abel autem credidit, & iuxta traditionem antiquorum agnum in figuram, & fidem agni Dei in holocaustum obtulit: huc sententia D. Ambros. lib. 2. de Cain & Abel cap. 7. referri debet, Ambros.
qui ait maiori fide Abelem obtulisse. 5 est, quia
Cain in offerendo munere iustam diligentiam & 5.
studium non adhibuit, nec secundum legem obtulit, sed de fructibus terræ vtvt illi ad manum venerant; quò refertur sententia Iosephi 1. antiq. Ioseph.
c. 3. & D. Chrys. hom. 18. qui aiunt Abelem præ- Chrysost.
stantiora liberaliori animo obtulisse. Sextò volunt alij eum non obtulisse de primitiis frugum, 6.
sed de reliquiis anno completo, quod eò libentiùs affirmaremus, si constaret, an Adam iuxta diuinam reuelationem sibi factam à Deo, docuerit filios, vt primitias offerrent Deo viuo, ita Suidas. Suidas.
Septimò Cabalici aiunt linum obtulisse, quod probant ex dictione קרבן *Korban*, cuius literæ sunt 7.
קוף ריש בית נון, quarum si literas vltimas iunxeris, habebis פשתן idest *linum*; addere debuissent Cabalici ideo non fuisse acceptum munus illud lini, quia ex eo præuidebat Deus funes factum iri, quibus Messias à Iudæis vinciendus erat, vt suam Cabalam acutiorem redderent: Signum autem, quo deprehensum est Abelis munera accepta fuisse, fumum aiunt, qui in altum ascendebat;

cum fumus muneris Cain descenderet, verùm nul-
lum video fundamentum, cur illud dicatur. Ma-
lunt alij ex rerum successu id eos cognouisse, quòd
Cain res sibi malè cedere, fratri verò prosperè vi-
deret, quod etiam tunc signo manifesto Deus ipse
declararit.
8. Octauò respondet Iosephus, quia Deus multo
Ioseph. magis gaudet sacrificio, quando honoratur spon-
taneis, & à natura ipsa ortis, quàm quæ auari ho-
minis ingenio violentiâ quâdam producta sunt,
adde quòd fruges & fructus oriebantur ex terra,
9. quæ maledicta fuerat à Deo. Nonò dicunt alij sa-
crificium quidem, quod Cain obtulit, in specie
splendidius fuisse, quàm Abelis, sed cum præsum-
ptione, & superbia munus illud suum obtulisse, ita-
ut quia primogenitus erat, Abelem in corde suo
spreuerit, qui animo demisso in misericordia Dei,
non in se confidens sua Deo munera obtulit, vt hi
duo nobis Publicani, & Pharisæi orantium in tem-
Tertul. plo typum ostendant; huc Tertulliani sententia re-
10. ferri potest, *qui cum cordis simplicitate, & metu Dei
obtulit.* Alij volunt Abelem sincerâ in Deum &
proximum charitate obtulisse, cùm tamen Cain
zelum, & malitiam cõtra fratrem foueret, ita Iren.
Iren. l.4. cap.34. Denique certum esse puto sacrificium
Cain non acceptum fuisse, quia non bona fide pro-
cedebat, & ei sinceritas, & candor animi, quem po-
stulat à nobis Deus, non aderat, atque aliquo pec-
cato infectus erat, quod oblationi sacrificij repu-
gnabat, & quidem fortè nescio quod aduersus fra-
trem odium conceperat, & affectu iam fratricidam
se cõstituerat, quod ex sequentibus conijci potest,
vbi progreditur inuidia, & excandescentia, adeout
cõcidat vultus Cain, donec opere compleat, quod
animo in fratrem infensissimo concepit, atque de-
creuit.

*Iratusque est Cain vehementer, & concidit vultus
eius.* Vbi verbum חָרָה *charah* magnam iram, & in-
dignationem significat, & est vehementiùs inter
verba quibus Hebræi significant iram, quæ sunt
עברה קצף, רוגז, בעס, אף, זעם, & tamen illi verbo
subiungitur מְאֹד, vt Caïnum intelligamus ira to-
tum accensum, & excandescentem; vnde mox ad-
ditur vultus eius concidisse, vt volens nolens inui-
diam conceptam ostenderet, & internam animi
mœstitiam aperiret: sic enim impij ex Dei benigni-
tate erga alios ad blasphemiam prouocantur, &
odium Vatinianum in eos, qui sunt affecti quodam
peculiari beneficio, concipiunt, adeout ira, furore,
& odio velut œstro perciti Deum ipsum de throno
deturbaturi essent, si fieri posset. O cæcum, & hor-
rendum furorem! Quo non obstante, in foribus
adest clementissima Dei vox, qua Cain benignè
compellat.

Quare iratus es & cur concidit facies tua? Depone
hostilem animum, redi in gratiam cum fratre tuo,
nunquid nosti, quàm simplex sit, quàm animo can-
dido, quàm sincero. Cur eum vis occidere, an ti-
mes ne tua prærogatiuâ, ac primogeniti priuilegia
ad eum transeant? cura tantùm vt mihi reconcilie-
ris, te peccati tui pœniteat; quod si feceris, quæ-
cunque hactenus mala perpetrasti, remitto, &
insuper maiora polliceor, quod si nolueris, te per-
petuò synderesis illa torquebit, quæ saxi Tantalei
instar tibi semper appendebit, ac ipsum vultum ca-
perabit, & obnubilabit. Sed quid indurato verba
prosũt, quem nec ferreis malleis, nec minis, & sup-
pliciis propositis, nec ipsis miraculis, & præmiis
æternis oblatis comminuere, & ad Deum, peccati-
que veniam postulãtem adducere possis, vt in Pha-
raone manifestum est, cuius hũc Cain veram ima-
ginem existimare possumus, qui Iudæ præcursor
fuit iustum Abel occidentis.

Nonnulli aduertunt deinceps nomen יהוה poni
ab initio huius capitis, cùm tamẽ primo capite so-
lum nomen אלהים, & capite secundo simul vtrúm-
que positum fuisse; hîc verò præcipuè tetragram-
maton scribi, quia maximam Deus clementiam
ostendit in sustinendo homine tam peruerso, ac
velut diabolico, quem non statim puniit, sed insu-
per sermone dignatus est, si quomodo ad pœnitẽ-
tiam adduci posset: est enim יהוה clementiæ nomẽ,
אלהים verò seueritatis; cùm enim Deus præuideret
illud Caïni odium vlterius in cædem fratris eru-
pturum, maturè eum deterrere conatus est. In
hoc autem versiculo duæ sunt interrogationes,
quibus R. Caro duplicem effectum iræ significari R. Caro.
putat, nempe colorem rubrum, & pallidum; aitq;
Abel potiùs debuisse contrahere ruborem, quòd
videret Cain in se infensum, ac si meliora Deo ob-
tulisset Abel, vt fratrem ante Deum fœtere face-
ret, & ei redderetur inuisus. Verùm pallorem con-
traxit Cain, qui grauioris est odij, & iræ symbolum;
Lipomanus aduertit 70 verbum חָרָה, quod est in- Lipom.
trãsitiuum, & significat *excandescere*, trãsitiuum fe-
cisse ita vertentes, ἐλύπησε τὸν Κάϊν, & mœrore affe-
cit, seu tristificauit Cain, ac si Deus mœrorem attu-
lisset, vel potiùs res antea facta, quòd nimirum non
ita fuisset acceptum eius sacrificium, ac munus A-
belis; nam propterea fratri inuidit, & Deum iniquũ Chrysost.
iudicauit. Videatur D. Chrys. hom.18. & Rupert. Ruper. &
hîc. Gregor. 22. moral. c. 12. & 18. D. Ambr. lib. 2. de alij.
Cain & Abel. c.6. D. Aug. & alij. Circa versiculos
præcedentes nonnulla sunt, quæ difficultatem ha-
bent; imprimis verò an lex naturæ doceat offeren-
da esse Deo sacrificia; & an oblata ab originali pec-
cato liberent, vel gratiam conferant. Deinde, quot
sint necessaria, vt sacrificiũ peragatur, atque Deo
gratum, & acceptum sit, tertiò an lex naturæ sine
sacrificiis esse potuerit; quartò quam obligationẽ
inducerent eiusmodi sacrificia. Sunt & alia, quæ
circa Caïni furorẽ, & inuidiam excutienda sunt; vt
quî fieri potuerit, vt tantopere excandesceret: dein-
de an iram illam refrænare potuerit: deniq; vtrum
præcessit iram inuidia fraterna, vel è contrario, sed
aliâs de his agere poterimus.

VERSICVLVS VII.

VERSICVLVS VII.

Nonne ſi bene egeris, recipies: ſin autem malè, ſtatim in foribus peccatum tuum aderit: ſed ſub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius.

הֲלוֹא אִם־תֵּיטִיב שְׂאֵת וְאִם לֹא תֵיטִיב לַפֶּתַח חַטָּאת רֹבֵץ
וְאֵלֶיךָ תְּשׁוּקָתוֹ וְאַתָּה תִּמְשָׁל־בּוֹ׃

Οὐκ ἂν ὀρθῶς προσενέγκῃς, ὀρθῶς δὲ μὴ διέλῃς, ἥμαρτες; ἡσύχασον· πρὸς σὲ ἡ ἀποστροφὴ αὐτοῦ, καὶ σὺ αὐτοῦ ἄρξεις.

Pagninus. VErſiones hîc aliquantulum diſcrepant, ſic enim vertit Pagninus: *Nonne ſi bene feceris, venia erit? Et ſi non bene feceris in porta peccatum cubat, Et in te erit appetitus eius, & tu dominaberis ei.* LXX. 70 verò οὐκ ἂν ὀρθῶς προσενέγκῃς, δὲ μὴ διέλῃς, ἥμαρτες, ἡσύχασον. πρὸς σὲ ἡ ἀποστροφὴ αὐτοῦ ἄρξεις, ideſt. *Nonne ſi rectè offeras, non autem rectè diuidas, peccaſti? Quieſce: ad* Chaldæus. *te conuerſio eius, & tu principatum habebis ipſius.* Chaldæus autem, *Nonne ſi bene egeris opera tua, dimittetur tibi?* vel vt Fagius vertit, *ſi emendaueris opus tuum: & ſi non bene egeris, nec emendaueris opera tua, in diem iudicij peccatum tuum ſeruatum eſt, in qua futurum eſt, vt pœna ſumatur à te, & de te vlciſcar, ſi non conuerteris, ſeu pœnitentiam egeris, & ſi pœnitentiam egeris dimittetur tibi.* Fagius. עבר hebræis, inquit Fagius, nō tam operari, quàm Deum colere ſignificat, ideo quidam hîc intelligunt cultum ideſt ſacrificium, quod Deo obtulerat; quaſi Deus admoneret, vt maiori fide, & pietate ad exemplum Abelis ſacrificia ſua poſthac offerre velit, ſi modò grata & accepta eſſe cupiet; quem ſenſum 70 ſecuti eſſe videntur: alij verò ad bona opera, vitæque emendationem referunt: hoc ſenſu, ſi vitam emendaueris, placebunt mihi ſacrificia tua: nihil moror externa illa, vbi deeſt animus pius, & fidelis, vitæque innocentia.

Malus, impius, & hypocrita Cain erat, & tamen confidebat prærogatiuâ primogenituræ: at Dominus fidem, & pietatem ab illo requirit, ſine quibus abominatio ſunt illi victimæ, vt habetur Caietanus. in Prouerbiis. Caietanus ex hebræo ita vertit. *Iam ſi benefacies, leuare: ſi non benefacies, ad portam peccatum cubans, & tibi appetitus eius, & tu præſidebis in eo.* Mercer. in hæc verba, *ſi bene egeris*, aduer- Mercerus. tit שאת eſſe vocem difficilem, & ambiguam, quandoquidē verbū נָשָׂא octo ſignificat, vnde hîc variè ab Hebræis exponitur, & vt vt exponatur, ſenſus Aben Ezra. redditur inſignis, licebit tamen eligere. Aben Ezra quē potiſſimū hîc ſequeret, exponit *eleuatio faciei, ſcilicet erit tibi, id eſt eris erecto vultu, vultū attolles, ex aduerſo eius quod dixerat, cur vultu es demiſſo? quaſi dicat. Si tibi bene conſcius eſſes, non ita deiecto animo eſſes, & vultu. Vt enim Poëta, inquit, hic murus aheneus eſto, nil conſcire ſibi, nullâ palleſcere culpâ; & conſcientia mille teſtes.* Antitheſis quæ ſequitur de peccato pro foribus cubante, & imminente pœna, qui patrauit illud, bellè huic expoſitioni reſpondet.

Sunt qui שאת *Seet* etiam exponant pro *attollere*, ſed alio ſenſu, *erit tibi eleuatio*, ideſt extolleris, ſicut & hodie frater. Sic infrà in teſtamento Iacob ſumitur pro eo, qui dignitate præſtat, vt ſit ſenſus, ſicut fratri iure primogenituræ excellis, ita & rebus omnibus excelles, & rerum fœliciſſimo ſucceſſu vtêris, non ſecus ac frater videtur. Mihi nonnihil coactum, nec præcedentibus, & ſubſequentibus ita aptè reſpondere, quia ſæpe fit, vt exaltatio externa, & proſper rerum ſucceſſus bonæ conſcientiæ, & vitæ puritati, ac benefactis non reſpondeat: ſæpe enim ſuos Deus affligit, & hîc habere malè patitur. Onkelos exponit, *condonabitur, tibi quaſi erit remiſsio delicti tui*, & ſic deinceps ſenſum totius verſiculi proſequitur. OnKelus. Nam נָשָׂא eſt interdum remittere, vnde inter proprietates Domini in lege hęc ponitur נשא פשע ועון .i. *remittens offenſam, & ſcelus.* Quod etſi altero membro antitheſeos aptè reſpondeat, tamen non poſſum probare, quia Cain nunquam confeſſus fuiſſet ſe peccaſſe, Siquidem exiſtimat nondum aliquod externum peccatum feciſſe, ſed animo tantùm peccaſſe, & corde non integro fuiſſe, quod cùm Deo ſoli notum eſſet, ideo eius ſacrificia non reſpexerat. *Et quomodo*, inquit, *peccatum Domino eſſet confeſſum, quod intra animam erat, & cogitatione tenus commiſſum, cùm infrà ne fratre quidem occiſo ſcelus ſuum fateatur, ſed diſſimulare etiam apud Deum conetur.* Sunt qui inter Hebræos exponant, *ac exceptio erit tibi*, ſcilicet vultus פניך אשא ideſt, *accipiam faciem tuam, tui rationem habebo, mihi gratus eris, & acceptum tuum ſacrificium.*

Hîc autem verſiculo 6 nomen tetragrammaton ponitur, cùm tamen in aliis capitibus nondum legatur, ſed elohim: idque opportunè vt Hebræi dicunt, quod magnâ fuerit opus Domini clementiâ in ſuſtinendo tam malo homine Cain, qui non ſtatim eum punierit, ſed inſuper ſermone ſit dignatus, ſi quomodo ſanabilis eſſet, & ad pœnitentiam adduci poſſet: eſt autem Hebræis יהוה nomen clementiæ Verſic. 6.

... nomen seueritatis, si quidem conatur Deus Cainum in viam reuocare, & à maligno suo ... odio in fratrem concepto auertere, ac ... causam rogat, cur ita grauiter, & sibi, & ... irascatur, cùm huius tantæ iræ nulla subesse ... causa possit. Præuidebat autem Deus eruptu-rum hoc odium vlteriùs in cædē fratris, ideo ma-turè, si qua id ratione fieri possit, eum deterrere conabatur vna ex parte præmiū ostentans, ex altera comminans. Mercer. vertit. *Cur incanduit tibi, idest incandescis, & cur collapsa sunt facies tua, idest vultu ... demisso, ... hac posteriùs signum esse prioris.* R. Isaac huius duplicis interrogationis hanc affert ra-tionem, quia hic duplex pudor innuitur ruber, & albus, seu pallidus, cùm sanguis vultus relinqui-tur, sanguine ab extimis partibus ad cor retracto: censet autem Habelis potiùs fuisse, vt erubesceret, si fratrem aliqua in re offendisset, vt Cain putabat, quasi ille datâ operâ meliora illo Domino obtulis-set, vt faceret eum fœtere in oculis Domini, vt Domino inuisus redderetur cum suo sacrificio: hac verò sublata causâ Cain potius erubescere debuit, atque pudore suffundi, qui sine causa & fratrem de iniuria sibi facta suspectū haberet, & ei infensus esset immeritò: vt hic rubor in pudorem vitiosum abierit, & in fratrem animo tam infensissimo fue-rit, planèque ei malè cogitarit, ac tandem eum voluerit. hæc R. I. Caro. Demissus autem vultus non tam pudoris, quàm iræ grauioris, & odij sym-bolum fuit, cùm non potuerit non vultu indi-care.

R. Isaac.

R. Caro.

Versic. 7. Præcipuæ difficultates in versic. 7 habentur, vbi legimus, *Sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius*, hæretici enim illa pronomina, *eius*, & *illius*, ad Abelē referūt, cui Cain imperare possit, Catho-lici verò ista pronomina, ad nomen propinquius referunt; illi timent, ne hinc animi libertatem asse-ramus, quam non tantùm ex hoc loco sed ex aliis multis euidentioribus cum omnibus Philosophis astruimus.

Itaque pronomina referuntur ad חטאת pecca-tum, quod רבץ seu cubans dicitur, idque ex Tar-go Hierosol. confirmatur, quod sic habet. *In ma-num tuam tradidi potestatem concupiscentiæ tuæ, & tu dominare ei, siue ad bonum, siue ad malum: vel ad bo-num aut malum opus refertur, adeout vtriùsque appeti-tus insit homini, vt Cain agnoscat ex intimo suo suum non benefacere prodiisse, non autem ex Deo, vel Abele, vel etiam oblatione*: Totam verò controuersiam D. Hieron. terminare potest, qui in quæst. Hebraic. sic habet, *Quare irasceris, & inuidia in fratrem liuo-re cruciatus, vultum dimittis in terram? nonne si bene feceris, dimittitur tibi omne delictum tuum*, siue vt Theodotion ait, *acceptabile erit*, idest *munus tuum suscipiam, vt suscepi fratris tui? quod si malè egeris, illi-co peccatum ante vestibulum tuum sedebit, & tali iani-tore comitaberis. Verùm quia liberi arbitrij es, moneo, vt non tibi peccatū, sed tu peccato domineris.* Quod au-tē in 70 Interpretibus fecit errorem, illud est, quia peccatū, idest חטאת *hatat* in hebræo generis ma-sculini est, in græco fœminini. Et qui interpretati sunt masculino illud, vt erat in hebræo, genere trā-stulerūt. Vide D. Ambr. qui locū hunc l. 2 de Cain, & Abel fusè prosequitur, idéque cum D. Hieron. sentit c. 6, & 7. in quibus ostendit omne peccatum inde procedere, quod inter nos, & Deum non be-ne diuidamus, quandoquidem nobis ipsis, vel aliis creaturis tribuimus, quæ Dei sunt. D. Chrysost. pronomina refert ad Abel, cui Cain ratione pri-mogenituræ imperet, cum quo Gennadius con-uenit, qui etiam ad oblationem Caini refert illud, ac si diceretur; rursus quæ tua sunt, habebis, & ni-hil horum capiet Abel: At interpretatio D. Hier. retinenda est, quod ex D. August. patet 15 de ciuit. cap. 7. *Quiesce, ad te conuersio eius, & tu dominaberis illius. Nunquid fratris? absit. cuius igitur, nisi peccati?* His etiam fauent Prosper. 2 de vocat. gent. cap. 15. Greg. 4. mor. c. 22. Verùm cùm nouatores adeò ti-meant, ne libertatem hominis asseramus, paucis de ea hic agendum est.

Targum.

Hieron.

70 Interpr.

Ambros.

Chrysost.

Gennadius.

Hieron.

August.

Prosper.

Gregor.

QVÆSTIO LII.

DE LIBERTATE HOMINIS.

Caluin. VElint nolint, Caluin. 2 inst. c. 5. §. 16, & hæreti-ci cæteri, necesse est arbitrium hominis li-berum admittant, si Scripturæ sacræ credere ve-lint, quæ id tam clarè docet num. 30. versicul. 14. Deuter. 30. versic. 19. Iosue 14. versic. 15. 2 Reg. 24. versic. 12 Ecclesi. 15. versic. 15 & sequentibus. Matthæi 19 & 23 versic. 37 & 1. ad Corint. 7. versic. 37. vt maximo pudore suffundi debeant, qui liber-tatem ausint denegare: nec pluribus sanctorum Doctorum authoritatibus opus esse credo; nisi Pa-trum libros integros exscribere velim; quando-quidem Dionys. hominem αὐτεξούσιον appellat, quod vix sufferre potest Caluin. 2 inst. c. 2. § 4: li-bertatem verò docet esse [illegible] vo-luntariam, ac per se electiuam suiipsius potesta-tem; de qua sic Ignatius epist. 3 ad Magnesianos. [illegible] id est *Si quis pietati studeat, Dei homo est: si impiè agat, Diaboli homo est: non id factus per na-turam, sed per suum ipsius arbitrium* alioqui sine cul-pa hominum est, quicquid agitur: neque quicquam laude dignum facit, nisi in vtramque partem con-uertere, & quasi flectere se possit, vt Iustinus ait apolog. 2 ad Anton. Imper. post medium, & Apo-log. 1 ad Senatum: idem habent Athenagoras in sua pro Christianis Apolog. & Euseb. Cæsar. l. de præp. 6. c. 5. quod vsque adeo verum est, vt in liber-tate nostra constituta sit imago Dei, vt 2 aduers. Marcion. c. 5. Tertul. disserit, quem etiam cap. 6. videas, sicut & August. tract. 4. in Ioan. in hæc verba. *Et omnis qui habet spem hanc in ipso casti-ficat semetipsum, sicut & ipse castus est*, & lib. de vera relig. cap. 4. *Vsque adeo peccatum voluntarium est malum, vt nullo modo sit peccatum, si non sit volunta-rium. Et hoc quidem manifestum est, vt nulla hic do-ctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat.* & paulo post. *Et quoniam peccatur non dubium est, nec hoc quidem dubitandum video habere animas liberum arbitrium voluntatis. Tales enim ... meliores*

Loca Scri-pturæ li-bertatem asserentia.

Dionys.

Ignat.

Iustin.

Athenag.

Euseb.

Tertul.

August.

esse

esse indicauit, si ei seruirent liberaliter. Quod nullo modo fieri posset, si non voluntate sed necessitate seruirent. Pluribus alibi sæpe idem asserit, vt l. de spiritu & litera cap. 34. 5. de ciuit. c. 10. de fide Trinitatis contra Manich. cap. 9.

Omitto reliqua, vt breuiter ostendam, in quo vera, & propriè dicta libertas sita sit, de qua Bellarmin. aduersus hæret. & Scolastici in locis proprijs plurima dicunt. Notum est autem non in intellectu, sed in voluntate collocari: at cùm voluntatis actus sint inter se distincti, ipsaque à suis actibus distinguatur, non ita facilè reperitur, an in actibus, an vero in ipsa voluntatis facultate statuēda sit. Ita vero sentiendum existimo tam voluntatem, quàm eius actus elicitos formaliter liberos esse, quia potest illos producere, aut non producere, vel productos continuare, vel ab ijs cessare; vndè concludo eos omnes actus, eosq; solos propriè
Libertas formaliter in quo cōsistat. dici liberos, quos relinquere potest, vel continuare, elicere, vel non elicere pro mero beneplacito. Ipsa etiam voluntas in se libera est non omnium actuum intuitu, sed eorum quos in plenario potestatis suæ iure continet, quales sunt, qui cadunt sub hominis deliberationem. Non est quod plura de libertate quoad exercitium, aut specificationē, siue contradictionis, aut contrarietatis addam, & quæram an beati in suis actibus si non in omnibus, saltem in quibusdam liberi sint, quandoquidem id latè Scholastici faciunt. Quomodo verò ex eo versu liberum hominis arbitrium concludatur, non est quod edisseram, cùm id à magna nostrorum Cōtrouertistarum turba peractum sit, & nostri regni, sæculique hæretici iam illud admittere videantur, vt ex fidei clypeo constat, quem aduersus Patrem *Arnoux* Societatis Iesu scripsit Petrus à Molendino, qui responsione ad artic. 9 concedit Moulinus. libertatem in actibus hominum naturalibus, ciuilibus, Ecclesiasticis, & alijs id genus, & in omni bono opere exteriori, vt diuinis laudibus decantandis, quod cùm sine actu interiori bonum esse nequeat, si rectè & consequenter loqui velit, in omni bono opere, & actu interiori libertatem cōcedere debet. Neque Catholici negant hominem hanc in se libertatem non habere, vt quoties voluerit, ad fidem, vel amorem Dei perueniat, nisi iuuetur à Deo, quandoquidem facultati naturali supernaturale auxilium addi debet, vt ad obiectum supernaturale per actum supernaturalem ferri possit; quis hoc neget? quis non videt per hominis primi delictum vim illam amisisse, quam Deus veluti connaturalem nobis indiderat? Facessant igitur hæretici, qui nobis imponunt nos libertati concedere, quod ad Dei gratiam attinet, vtrique enim quod suum est, libentissimè tribuimus.

VERSICVLVS VIII.

Dixitque Cain ad Abel fratrem suum: Egrediamur foras. Cumque essent in agro, consurrexit Cain aduersus fratrem suum Abel: & interfecit eum.

ויאמר קין אל־הבל אחיו ויהי בהיותם בשדה ויקם קין אל־הבל אחיו ויהרגהו׃

Καὶ εἶπε Κάιν πρὸς ἄβελ τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ. διέλθωμεν εἰς τὸ πεδίον. ἐγένετο ἐν τῷ εἶναι αὐτοὺς ἐν τῷ πεδίῳ, ἀνέστη Κάιν ἐπὶ ἄβελ τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ καὶ ἀπέκτεινεν αὐτόν.

70 Interp. TExtus Hebręus non habet, *Egrediamur foras*, ideóque dicunt aliqui ex hebræo excidisse, quod probant ex eo quòd 70. legant διέλθωμεν εἰς τὸ πεδίον, *egrediamur in agrum*; deinde S. Hieron. fatetur se ea in Pentateucho Samaritanorum inuenisse; quæ etiam Targum Hierosolymitanum legit, tametsi verba illa superflua dicat, vbi ex aliorum sententia cum quidam interpretes, vt Delrio loqui dicunt. Verba sequentia habet Targum Hier. quæ videntur esse cōmentarius huius versiculi; *Veni, & exeamus in faciem agri, & fuit cū egressi fuissent ambo foras, respondit Cain, & dixit, vel ita loqui cœpit ad Abel, non est indicium neque index, neque sæculum aliud, neque dabitur merces bona iustis, neque pœna sumetur ab improbis, neque in miserationibus conditus est mundus, neque per miserationes ipse gubernat, eo quòd accepit oblationem tuam à te cum beneuolentia, & à me non accepit cum beneuolentia. Respondit Abel, & dixit ad Cain. Est iudicium, & est index, & sæculum aliud, & dabitur merces bona iustis, & pœna sumetur de improbis, & in miserationibus conditus fuit mundus, & per miserationes ipse regit: verùm secundum fructus operum bonorum ipse gubernat, quia fuerunt opera mea tuis rectiora & meliora, accepta fuit oblatio mea à me cum beneuolentia, & à te non fuit accepta cum beneuolentia. Sic ambo rixabantur in agro.* Eadem fere ad verbum habet Ionathan filius Vzielis, quem vocant Pseudo-Ionathan, qui subiungit. *Surrexitque Cain contra Abel fratrem suum, & impegit, seu immersit lapidem in frontem eius, & occidit eum.*

Hieron. Targ. Hieron. Ionathan.

Ex quibus satis constat illa verba, *egrediamur foras*, non ab imperitis addita fuisse, vt perperam aiebat Steuchus, nec à quodam sciolo, vt nouator Fagius mentitur; tametsi enim Origenes perneget haberi in hebraico, & ipse Aquila demonstrauerit

Steuchus Fagius. Origen. Aquila.

Hebræos in arcanis habere, ἐν τῷ ἀποκρύφῳ, quod 70. hoc loco posuerunt; nec ea Theodotion, Symmachus, vel Onkelus explicarint: attamen sufficere debet, quod à 70. hæc afferantur, quod & antiqui patres D. Aug. Ambros. Nicolaus Diaconus, & alij legerunt; adde quod Thargum, & alij inimici nostri idem fatentur. Nec Amama dicat ea conficta esse, quæ citauimus ex Thargo: quandoquidē non est potior ratio cur illi, quàm Thargo credamus, aliquam rationem afferre debuerat: estque certum quædam fratri dixisse Cain; vnde Aben Ezra putat ei narrasse omnia verba, quibus à Deo increpatus fuerat: vnde notant in Hebræis codicibus hîc præter morem hiatum esse, ac si vellent monere verba Caïni supplenda esse, quod tamen in bibliis regiis minimè reperio; quò respexisse videtur Massora in margine editionis Venetæ, vbi ait esse 28 versus, in quorum medio interstitium, vel pausa quædam est. Fortè quædam verba dixit Cain, vt rixam moueret, ac dissidiū illud pareret, quod nos Germanorū rixam, vulgò *querelle d'Allemand*, appellamus, eo ferè modo, quo aliquis duellum mouet, & aggreditur. Et quidem iurgij varias occasiones per se quis excogitare potest: sic enim Hebræi Rabbini putant eos de orbis diuisione contentiorē habuisse, vel de primatu: vel quod Cain vxorē Abelis suâ pulchriorem inuiderit, aut gemellas cum Abele natas vxores habere voluerit; quicquid sit, alicunde Cain arripuit occasionem fratris insimulandi, & cum eo expostulandi. Nonnulli iam vrbes extructas fuisse putant, quia non eum adorsus est, donec essent in agro, vt quæ de vrbe à Cain cōstructa postea referūtur, per hysteron proteron dicta sint: igitur in campum aliquem vicinum fratrem eduxit extra hominum consortium, vbi nullus esset testis, & conscius necis; & cùm egressi fuissent post quædam verba iurgij plena, surrexit Cain aduersus fratrem, vbi אל pro על positum esse volunt, sed multis in locis el אל sumitur pro *aduersus* & *cōtra*. Sunt autem qui putent Abelem priùs inualuisse, & fratrem prostrauisse, sed ei pepercisse, illum postea erectum ipsum occidisse. Impius ergo Cain iustum Abelem occidit, sicut impia Synagoga Christum Dominum: nec vllum Abelis peccatum legimus, nisi fortè apud Hebræos quosdam, qui putant Abelem sibi nimis in sua oblatione placuisse, dum prospiceret Deus in eū, vel fratri inuidisse, nec ante eum offerre voluisse, vt meliora offerret, verū ea gratis cōficta sunt, quorum nequidem vmbram ex Scriptura colligere possis. Quibus autem armis, an lapide, an arundine, vel ligno fratrem occiderit, an verò strangulauerit, parum refert, ideoque Scriptura non meminit: attamen strangulatum non putem, alioqui sanguis non ita fluxisset in terram: sunt qui mandibulā occisum, alij telo dicant: quocunque tandem mortis genere vsus sit, ecce moritur Abel: si rationem quæris, eam disertè suggerit D. Ioan. epist. 1. canon. c. 3. *Propter quid occidit eum? quia opera eius maligna erāt, fratris autem iusta*; cuius cadauer obruit humo teste Iosepho, & Procopio, vt eodem nemo deprehenderet.

Amama.

Aben Ezra

1 Ioan c. 3.

Ioseph.

Multa egregia documenta ex illo versiculo Patres nobis suggerunt, præsertim verò D. August. tam 15. de ciuit. c. 1. quā alibi, & D. Chrys. ille quidem prædicationē veritatis homini nihil prodesse, nisi interior gratia mētem regat, & agat. Facit autē hoc Deus, a vasis misericordiæ, iræ vasa discernens, dispensatione, quā ipsa nouit, multùm oc-

August.
Chrysost.

cultâ, sed tamen iustâ. Nam hoc ipsum quod Deus locutus est ad Cain, eo modo, quo primis hominibus per creaturam subiectam velut eorum socius forma cōgrua loquebatur, quid ei profuit? Nonne conceptum scelus in necādo fratre etiam post verbum diuinæ admonitionis impleuit? Hinc fit, vt Cain sit omnium impiorum, inuidorum præsertim, & homicidarum patriarcha, & primus lapis ciuitatis diaboli; primus enim diaboli voluntatem perfecit, *qui homicida fuit ab initio* Ioh. 8. sed obsecro Chrysostomi eloquentiam considera. *Et dixit Cain ad Abel fratrem suum, egrediamur obsecro in campum, verba quidem fratris, mens autem homicidæ. Quid facis ô Cain? nescis cui loqueris? Non cogitas, quod tibi cum fratre colloquium est? Non reputas, quòd eodem, quo tu vtero natus est? Non expendis abominabiles conatus! Non times iudicem, qui falli nequit? Non horret mens tua facinus? Quamobrem in campum prouocas fratrem, & foris à paternis vlnis abducis? Quæ insania, quæ rabies? Esto excæcatus mente, fraternæ affectionis nullam rationem habeas, neque naturam agnoscas, cur aduersus illum ad bellum te instruis, qui nulla te iniuria affecit? Quid item habes, quod parentibus obijcis, quos tantâ mœstitiâ affligere deliberas, & actor terribilis tragœdiæ, vt primi violentam mortem videant? Has illis retributiones reddis suæ educationis? Quæ diaboli ars in hoc te flagitium impulit? Habes ne quod dicas? An gratia Domini erga illum ipsum aduersum te extolli fecit? Nonne prius ob hanc sanguinariam tuam mentem subiecit illum tibi, & sub tua potestate esse fecit? Et dixit, Quia ad te conuersio illius, & tu ipsius dominaberis? Nam hoc de fratris subiectione intelligendum est.* Aliam explicationem sequuntur aliqui de sacrificio oblato. Ad te conuersio doni, & tu ipsius dominaberis. i. fructis.

Ioh 8.

Rursus postea in fratricidam vehementer insurgit. *O abominabilem manum, ô dextram miserabilem, ô audacem mentem? quomodo non obduruit manus? quomodo potuit tenere gladium: & intentare plagam? quomodo non euolauit à corpore anima? quomodo valuit operari tam nefandum facinus? &c.* vbi aduerte Ferum omnia ferè haurire ex Patribus, tametsi nullius meminerit. Ferus.

Sunt qui putent Cain excanduisse, & occidisse fratrem instigante dæmone, quia cùm Cain, vel dæmon in sacrificio Abel signum aliquod se deprehendisse crederent futuri ex semine Abel Messiæ, ne id contingeret, & Abel maior, quàm Cain fieret, eum occidit, qui in figura Christi venturi ductus est tanquam ouis ad occidendum, præceptum Apostoli perfectè obseruans ad Rom. 12 *non vos defendentes charissimi, sed date locum iræ.* Sunt qui existiment Cain à Domino correptum ad tempus iram dissimulasse, & blandè fratrem compellasse, cùm tamen odium grauissimum in corde gereret; quos sanè imitātur illi *qui loquuntur pacem cum proximo suo.* Psal. 27. *mala autem in cordibus eorum*, qui tantùm homines timent, non Deum, dicentes Isai. 29. *quis videt nos?* Lex quibus iusti concludere debent suam esse conditionem, & in hoc positos esse, vt rectè monet D. Paulus, vt ab impijs multa patiantur; quapropter vnusquisque se præparet, vt bona strenuus exerceat, & aduersa patienter, & æquo animo perferat, quandoquidem omnes, qui piè volunt viuere, persecutionem patientur. 2. ad Timor. 3. sed bono animo, nec enim diu regnabunt impij, & est qui nos eruat Deus opt. Max. adde quòd

ad Rom. 12

Psal. 27.

Isai. 29.

1. ad Tim 3.

mirabil.

Augusta. beati sunt illi, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Superest, vt ex D. Aug. lib. 1. de mirabil. script. obseruemus totius iustitiæ formã in Abele seruatã esse; *tota enim iustitia hæc est, virginitas, sacerdotium, & martyrium. Quæ triplex iustitia in Abel primò fuit, qui & munera Deo placita obtulit, prosapiam generis in seculo non reliquit, & martyrij coronam sanguinis effusione promeruit, competebat enim illi, qui primus figuram Saluatoris gestauit, vt esset virgo, sacerdos, & martyr, qualis fuit Christus:* Plurima circa Caïni homicidium discuti possẽt, vt nũ Adamo patre grauiùs peccarit, an lege naturæ prohibeatur homicidium, quandonam liceat aliquem occidere &c. tamen ea diutiùs ventilare mihi non vacat, consulantur Scholastici ad 2.2. dum ad textum regredior.

VERSICVLVS IX. ET X.

IX. *Et ait Dominus ad Cain: vbi est Abel frater tuus? Qui respondit: nescio: Num custos fratris mei sum ego?*

X. *Dixitque ad eum: Quid fecisti? vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.*

IX. וַיֹּאמֶר יְהוָה אֶל־קַיִן אֵי הֶבֶל אָחִיךָ וַיֹּאמֶר לֹא יָדַעְתִּי הֲשֹׁמֵר אָחִי אָנֹכִי׃

X. וַיֹּאמֶר מֶה עָשִׂיתָ קוֹל דְּמֵי אָחִיךָ צֹעֲקִים אֵלַי מִן־הָאֲדָמָה׃

IX. Καὶ εἶπεν ὁ θεὸς πρὸς Κάϊν, ποῦ ἐστιν Ἄβελ ὁ ἀδελφός σου: καὶ εἶπεν, οὐ γινώσκω. μὴ φύλαξ τοῦ ἀδελφοῦ μου εἰμὶ ἐγώ.

X. Καὶ εἶπεν ὁ θεὸς τί ἐποίησας τοῦτο: φωνὴ αἵματος τοῦ ἀδελφοῦ σου βοᾷ πρός με ἐκ τῆς γῆς.

CErtum est Deum hæc interrogasse, non vt dubium, sed vt facti confessionem ab eo extorqueret, nec inauditum condemnaret, nec vlla impio relinqueretur excusatio, nisi ad pœnitentiam adduceretur: vnde voluit Deus illum conuincere, licet quantum potest non sine impudentia dissimulet, atque perneget; quapropter eorũ Atheorum patrem ausim dicere, qui Deum non esse, aut ea, quæ in terris aguntur, nescire, vel non curare, nec in ea animaduertere putãt; hinc fit, vt Iren. l. 4. cap. 36. censeat eum ita mentiendo peccasse grauius, quàm ipsa nece fratris; & quidem summa fuit impudentia sic Deo præsenti mentiri, & verborum vti petulantiâ: nam in responsione nescio quæ superbia, & arrogantia insolita mihi contineri videtur: ideoque D. Chrysost. & Cyril. eum æternæ gehennæ adiudicatum esse putant, neque tamen fratricidium, & desperationem excludunt. O perditum hominem, qui frontem cum animo obdurat, & Deo clarissimè omnia perspicienti suum infandum scelus, & flagrans peccatum denegat. Nunquid illa verba emphatica, & amoris, *frater tuus*, tibi cor emollire, & ferire, & vulnerare debuit? Te Deus adeò benignè, tantâ clementiâ, tantâ misericordiâ alloquitur, & ad resipiscentiam prouocat, & illi cum indignatione respondes, ac velut eum subsannas. Respondes enim, *nescio*, mẽtiris improbe, nec tibi salutis fraternæ vlla cura relinquitur, quem crudeli nece occidisti? cur ais te non esse custodem fratris, nunquid primogenitus curam veluti paternam de minoribus fratribus suscipere debet? Cain verò eiusque similes Hebræi vocant scientiæ diuinæ fures: *Tres sunt,* inquiunt, *quos scrutatus est Deus, & reperit eos tanquam matulam vrinalem, Cain, Ezechiam, & Bileã. Cain dixit, Nescio, num custos fratris mei sum ego? cùm potiùs respondere debuisset, Domine nonne omnia occulta, manifesta sunt tibi. Ad Bileam dixit Deus. Qui sunt viri isti tecum? Ad quæ respondere debuit, Domine tu nosti, sicut Ezechiel fecit. Verum arroganter respondit, Balak filius Zipper rex Moab misit ad me, qui de multis me interrogarunt, Ezechiam quoque decebat respondere Isaiæ cap 39. Tu Propheta Dei es, & interrogas me? sed cum fastu quodam cœpit respondere illi dicens. De terra longinqua venerunt ad me: ideo punitus fuit, & quod gaudium ab eis conceperat, & quod mensæ suæ conuiuas fecerat*, quod afferunt, vt ostendãt, quàm ægrè ferat Deus, si quis peccatum suum dissimulet, vnde Cain dupliciter peccasse fatentur, nam præter peccatum visus est negare, & inficiari curam, & prouidentiam Dei.

Sensum alium intrudunt quidam Hebræi, ac si diceret: *Nescio quomodo occiderim, nunquid ô Deus, tu es custos totius orbis? quare non me custodisti, aut impediuisti, ne illum occiderem*, ac si culpam suam in ipsum Deum reiicere velit; profectò quicquid sit, non desunt impij, qui hęc blasphema verba vel ore, vel corde proferant. *Si Deus optimus est, & omnipotens, quare non impedit omnia peccata?* cur non me gratiâ præuenit ne peccem, cur me

Iren. · Chrysost. · Dictum notabile Hebræorũ. · Isai. 39.

creauit, cur brachia, pedes, linguam, voluntatem concessit, quibus me peccaturum sciebat? ô nefarias mentis humanæ ne dicam damnatæ ac diabolicæ cogitationes, siccine tanta dona ipsi benefactori exprobras, quæ tibi contulit eo fine, vt illis bene vtereris? sed hisce blasphemiis, & contumeliis, in quæstione aduersus Atheos abunde satisfecimus.

Addunt Hebræi timuisse Cain, ne ex Abele præsertim ædificaretur, & propagaretur orbis, quòd eius sacrificium acceptum fuisset non suum: eóque spectasse, vt ex se solo mundus propagaretur, & sibi in animum induxisse, quòd esset primogenitus, adeout putaret non fore semen aliud patri: deinde causam cur secundus dictus sit Abel, scriptam non esse, quia non erat honesta, quia cùm primum destinassent cultui Domini, vt patet, cùm dixit Eua *possedi, seu acquisiui virum Domino*, vt nêpe ei seruiat, alium vanitatibus sæculi destinauerant: prout nunc fieri solet à quibusdam, qui aiunt hunc faciemus Ecclesiasticum, alius verò ensem R.Caro. feret: & tamen, inquit R. Isaac Caro, præter eorum spem accidit in pœnam peccati, nec eis benè cessit, quia quem Dei cultorem sperabant fore, homicida fuit, & quem contemptum habebant, probior euasit, sed illud gratis afferri videtur, neque nugas Rabinicas amplector, nisi priùs quod aiunt, aliquod in Scriptura fundamentum habeat.

Nunquid custos fratris mei sum ego? satis cōstat hæc verba per indignationem dicta fuisse, quapropter Deus non illi respondet, sed pergit, vt ostendat se fraternum homicidium optimè cognoscere: nec dubium est, quin vnusquisque non tantùm fratris, sed & cuiuslibet proximi sui custos à Deo cōstitutus sit, si quando eum ab aliquo periculo, sine proprio discrimine liberare possit: enimuero debemus vnicuique succurrere in extremis posito, in hoc enim charitas erga proximum sita esse videtur, vt cùm opus est, nostrum erga eum affectum, & amorem declaremus: Qualis autem ordo in charitate proximi seruandus sit, & quam obligationem illud charitatis præceptum inuehat, rectè D.Thom. docet S. Doctor in 2.2.

Quid fecisti? An putas me posse tuum scelus ignorare, nunquid statim atque conceperas illud te monui, vt abstineres? an qui vidi cogitationem tuam, ipsam cædem videre non potui, cogita miser quid feceris; en ante faciem tuā stat peccatum tuum, & etiamnum in mente tua residet: quanto te scelere contaminasti? quæ verba non tam interrogantis sunt, quàm admirantis tantam impietatem, vel etiam ad peccati confessionem, atque pœnitentiam prouocantis.

Oleaster. *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Vbi notat Oleaster minora peccata loqui, maiora verò clamare; habetur autem in plurali, sanguinum, siue quia multorum vulnerum inflictione plurimus sanguis profluxit, quod fieri potuit, si furcā ferreā in stomachū Abelis infixit, vel alio ferreo instrumēto, vt sarculo, illū occidit; nō desunt, qui dentibus, & morsu ei vitam ademisse aiunt; quicquid sit, sanguinem Abelis effusum fuisse certū est, qui cum aliis Martyribus Apoc. 6. clamat, Apoc 6
Vindica sanguinem nostrū, qui effusus est, & ad Hebr. ad Heb.
11. Abel defunctus adhuc loqui dicitur; tametsi verò omnia peccata clamare dici possint, præcipuè tamen homicidium, peccatum Sodomiticum Gen 19.
Genes. 19. & merces operariorum detenta Iacob 5. Iacob.5.
clamare dicuntur: quibus addere possumus pau- Exod 3.
perum, & infirmorum oppressionem, quâ Pharao Exod. 3. filios Israël opprimebat. Sanguines clamant, ac si diceret, vt Hebræi volunt, non tantùm sanguis Abel, sed & omniū filiorum, quos ille suscepturus erat, tanti sceleris vindictam exposcit. Magnum sanè, & crudelissimum peccatum est homicidium, maius verò fratricidium; Quamobrem dubium non est, quin pessimus ille Cain grauissimè peccauerit.

Cuius peccata narrare videtur S. Iudas in sua Iudas in
epist. Canonica, vbi postquam varia quorundam epist.
hæreticorum peccata numerauit, subdit. *Væ illis, quia in via Cain abierunt:* quæ etiam vitia D. Pe- 2 Petr.2.
trus epist. 2. cap. 2. reprehendit, nempe superbiam, gulā, auaritiam, luxuriam, blasphemiam, fidei abnegationem, introductionem sectarum perditionis, & blasphemiæ. Huc attinet vita Caïnorum apud Epiphan. hær. 38. qui inter alia in eadem ver- Epiph.
sabantur opinione, in qua Carpocras erat, neminem videlicet saluari potuisse, nisi per omnia scelerum genera cucurrisset, vt hæresi. 27. habetur; ideoque volebat vnūquemque actus omnes possibiles exercere, ne alioquin anima è corporis expedita carceribus, ad alia corpora denuò remigrare cogeretur.

Clamat ergo sanguis Abelis, non quòd vocem habeat, aut anima sit ipse sanguis, aut in sanguine formaliter collocata, vt ipsi Medici fatentur: sed quia ratio ipsa, quæ dictat neminem iniustè occidendum esse, dictat etiam pœnis eum afficiēdum, qui aliquem occiderit; ideoque Deus ipse scelerū vindex illa maximè peccata suppliciis afficere debet, quæ ab hominibus puniri non possunt, cùm sit vniuersalis prouisor, & omniū pater, dominus, rex, & iudex. Quapropter omnium querelas audit, nec te reiectum putes, cùm improborum flagitiis oppressus, & omnium miseriarum vndis iactatus clamas ad Deum; *ô Deus, haeccine est tua iustitia, vt boni laborent, & mali floreant?* Audit, sed in aliud tempus iuxta suam prouidentiam, & æternum decretum, ipsa supplicia differt supplicij tarditatem magnitudine, atque grauitate compensaturus. At præter hanc difficultatem, an anima sit in sanguine, aut aliquomodo viuat, alia est, quæ non inutiliter discutietur: An nimirum sanguis ex occisi corpore fluat, & exiliens prorumpat in homicidam ad mortuum cadauer accedentem, tanquam ab eo vindictam reposcens, quod plurimi verissimum, & experientiā frequenti comprobatum aiunt: quod si verum est, quis arguet eum, qui coniecerit sanguinem ex Abelis occiso corpore in Caïnum effluxisse, adeò vt maculis quibusdam pollutus fuerit, quibus eum Deus sceleris conuinceret? cuius veritatem in sequenti difficultate inuestigabimus.

QVÆSTIO LIII.

QVÆSTIO LIII.

AN E CADAVERE ABELIS SANGVIS ADVERSVS Cain proruperit, & an id fiat homicidâ præsente, vt vulgò affirmant.

ARTICVLVS PRIMVS

VARIAS SENTENTIAS COMPLECTITVR.

OMnes ferè qui quæstionem hanc attigerunt, rei veritatem manifestissimam supponere videntur, nempe sanguinem, qui iam refrixit, ac fluere desiit, comparente occisore rursus fluere: quod se vidisse Galeotus testatur cap. 22. de doctrina promiscua: & exemplo Patrocli confirmat Hectore homicidâ comparente, quod tamen intra spatium 10, aut 12. horarum fieri tantùm ait: cuius aliqui rationem afferũt ex vtriusque spiritibus, occisi, & occisoris, etenim cùm homicida furibũdus aliquem aggreditur, cuncti eius spiritus in occidendum conuolant, & hominis trucidandi spiritus vicissim tendunt in homicidam, in quo postea viuunt: at vbi ille occisus est, sanguis quidem fluere desiit, vt pote frigidior factus, atque concretus; at homicidâ præsente, spiritus vtriusque diuerso motu agitantur, adeout quilibet suum corpus repetens motum faciat: hinc hominis occisi spiritus redeuntes, atque sedem suam repetentes, & occisoris recedentes, vt ad corpus redeant, faciunt motum eius rei, quam habitant, nempe sanguinis, qui propterea licet frigidior, & ad fluxum ineptus, ab homicidæ, & occisi spiritibus vi multiplicatâ, agitatus, rursus fluitat, estque illis tantus proprij corporis affectus, vt plerumque latitantem hominem, sed proximè existentem intra tempus 12 horarum, tot enim horis spiritus viuere putant, recognouerint, ac repetierint; quod tamen, inquiunt, non in omnibus, sed in plerisque tantũ occisis euenit, quoniam natura debilior est in quibusdam, itaut vno momento spiritus eorum flaccescant, & euanescant. Ideoque corpora, in quibus hæc fiũt, debent esse calida, calore namque spiritus conseruantur.

Prima sententia est Galeotti.

Sunt qui rationes alias afferunt aduersis innixi fundamentis, quos inter noua opinio Campanellæ esse videtur lib. 4. de sensu rerum, & magia, vbi existimat in cadaueribus reperiri sensum, quamuis obtusum, qui in neruis remaneat, ad eũ ferè modũ quo vides in caudis anguillarum, & lacertorum, in pedibus aranearum, & multis animalibus, ex quorum membris etiam abscissis non statim euolant spiritus, & vitam conseruant ob meatus angustos, quibus includuntur, & egredi prohibentur. Id etiam percipiunt Lanij, qui fatentur carnem boum, quibus pellem post mortem detrahunt, in quibusdam partibus tremere, moueri, & manifesto sensu contrahi: Hac igitur ratione vult interfecti sanguinem in homicidæ præsentia fluere, feruere irâ, vel timore contrahi, quia sentit per affectum aëris communem hostem adesse, quo signo iudices ad agnoscendum homicidam vtuntur.

2. Campanellæ.

Confirmatur exemplo Nucerini, qui occidit hominem, & humo obruit, ad instar nostri Caïni, qui cum ob aliam causam in carcerem detrusus esset: illuuium pluuiæ cadauer detexit, quod detulit vsque in plateam ciuitatis, in qua carcere detinebatur: qui cùm per fenestræ cancellos cadauer illud inspiceret, cœpit ebullire cadauer, & sanguinem è vulneribus mittere, non sine terrore homicidæ quo abeunte cessabat ebullitio, redeunte redibat; quod ait se post 29 annos ab ipso homicida audiuisse. Remanet igitur affectus non tantùm in exhalante spiritu, sed etiam in corpulentia, in qua sanguis est, & tenuitas; sic inimicum obuiam habentes, aut ebullimus irâ, aut metu tremimus.

Primum exemplum.

Mirabiles antipathiæ.

Potest etiam confirmari ex aliis rebus, quæ quamtumuis esse mortua videantur, passiones tamen, & affectus proprios, peculiaresque sentientis naturæ inter se exercent: sic enim dum tympanum pulsas ex lupina pelle confectum, frangitur tympanum ex ouina pelle confectum, aut ex pelle alterius pecudis, maximè si vim, aut terrorem à lupo pertulit, quia passio consueta veluti sopita excitatur, ob quam pellis contrahitur, & patitur, quemadmodum nos veluti contrahimur, & occurrentem inimicum refugimus, eumque, si nominetur, timemus, & sæpè refugientis spiritus abcessu comæ eriguntur, pelle constipatâ, atque restrictâ: Hinc verò aiunt quendam Bohemiæ regem præcepisse, vt ex eius pelle tympanũ fieret, quo deterrerentur hostes, qui eum viuentem timere consueuerant: credit etiam tympana lupina, equos, & ex pelle draconis, elephantes posse fugare: sicut sonitus lyræ ex vulpis intestinis confectę gallinas fugat: & nerui viperæ mulieribus terrorem immittunt, & contrariorum animalium chordæ in duobus instrumentis pulsatæ obstrepunt, atque rumpuntur.

Itaque ratio hæc à rerum antipathia sumitur, quæ prorsus admirabilis est, cuius causas vix rimari possumus. Quis enim dicat, cur coluber occisus, & sub vmbra Fraxini positus tandiu agitetur, donec recedat ab ea. Quis inueniat, cur si quis lienis tumorem patiatur, & alterius animalis lienem in camino suspendat, ad fumum tumor, & lien exsiccentur, ad eum modum, quo lien suspensus exsiccatur: nisi recurramus ad aëris cõmunicationem, quâ mediante spiritus agunt in se inuicem.

Omitto fides cithararum, in quibus si chordam vnam pulses, vel tangas, altera chorda secundæ cytharæ illi vnisona tremit, atque mouetur, vt constat ex paleâ superposita, quam excutit: quare? nunquid ex eo quòd simile simili gaudet, & nescio qua symbola affectione sentit. Testatur idem cap. 10. se vidisse aliquem, cuius lien contremisceret, & fugeret, adeout per os, & aluum sanguis fœcu-

lentus exiret, cùm acutâ securi lien incideretur, superpositâ chartâ in loco lienis, & contra eam percuteretur: nil tamen læsâ chartâ, aut ventre. Denique proponit curam vulnerum, si ipsi ensi, quo vulnus inflictum est, medicina adhibeatur, ac si vulnus sentiens affectum eius, qui nocuit, ad auxilium conuersum esse, fiduciam, & spem auxilij concipiat, vel etiam gaudium de vindicta, sicque curetur. Quo referri potest illud vnguentum sympatheticum, quo Crollius absentes curari posse existimat.

Crollius.

Quæ omnia antequam discutiamus, supponendum est reuera præsente homicida sanguinē vel è naribus, vel ex vulnere interfecti cadaueris fluere, & rumpere: Tot enim historiæ fidem huic fluxui, & sanguinis eruptioni faciunt, vt nequaquam illud negandum esse videatur.

Libauius. le Loyer

Nam Libauius libro problematico de mutatione ex sanguine, & Petrus Loyerus 4. lib. de apparit. spirituum cum aliis plurimis, historias sui temporis certissimas referunt, quibus nemo fidem derogare velit: hic enim asserit se rei cuiusdā adfuisse iudicio, qui herum suum nuper occiderat, & sub genistis in quodam agro absconderat, quò cùm ipsum iudicē adduxisset, statim atque seruus ille homicida accessit propiùs, magna sanguinis copia è naribus & vulneribus erupit, tametsi cadauer ante 4, aut 5 dies inhumatum fuisset: Hoc eodem signo quandam matrem de cæde proprij filij conuictam fuisse Boyerius decisione 162. affirmat, idque dies octo post filicidium perpetratum, seu prolem enecatam: quod & in alio cadauere contigisse refert, tametsi duos ante menses humo demandatum esset.

1. Exemplū post 4 dies.

Boyerius.

Ita miles ille Spissius apud Libauium, qui cùm necem vxoris suæ, quam puluino suffocauerat, etiam quæstionibus subiectus fateri nollet, iudicū sententia exutus, atque rasus, & à carnifice post diem 20 ad effossum cadauer adductus, ad confessionem, & supplicium compulsus est, nam cùm accederet coniux sudare, & cùm vxoricida digitos feretro imponeret, sanguinem è cadauere per feretrum distillare cœpit. Simile quid, teste Crusio, anno 1510 accidit apud Albussam, nam cum die Martis, quem Bacchanalia vocant, punctione non magnâ, Ioannes Albusserus occisus fuisset, nec interfector deprehenderetur; Post mensem die item Martis fratres, & propinqui duos aucupes in iudicium rapuerunt, & cædis accusarunt, qui cum se innocētes affirmarent, iubentur se iureiurando purgare duobus digitis, inter quos esset lana, in vulnus impositis: quod factum est à primo, nec quicquam indicij conspectum; altero verò iurante rubere cœpit vulnus, & sanguis per pedem exire numeroso populo cernente: quapropter cædis autor confirmatus supplicium subiit. Quæ omnia confirmantur ex antiquorum more, qui dum aliquem interfecerant, eius sanguinem ter lingebāt, quem postea expuebant, ac si cędis perpetratæ veniam deprecarētur, ne vindictam repeterent interfecti; deinde corporis extrema, vt nasum, aures, digitos manuum, atque pedum abscindebant, quæ cùm ad collum, vel axillas suspendissent, vim totam occisi auferre se credebant, dummodo gladium capillis propriis, vel interfecti abstergerent, vt apud Apollon. Rhodium 4. Argonaut. & Scholiastem Sophoclis in Electra videri potest. Sanguis igitur fluit in præsentia homicidæ saltem aliquando, sed de vera ratione non omnes conueniunt, quam articulo sequenti discutimus.

3. Exemplū post 20 dies

Crusius.

4. Exemplū post mensē

Mira consuetudo.

Apol. Rhodius.

ARTICVLVS II.

VNDE FIT, VT INTERFECTI IN PRÆSENTIA *homicidæ sanguinem emittant.*

Rationes cur sanguis è cadauere fluat.

1 SVnt qui hoc referant ad inspirationem spiraculi vitæ, seu vitarum, quod Deus homini inspirauit, vt sanguis per nares effluens ostendat animam per nares ingressam fuisse tam rationalem, quam sensitiuam; sed hæc ratio non concludit, quandoquidem sanguis non solùm è naribus, sed & ex vulneribus fluit, adde quod illud per se non potest corpus restari, cùm sit emortuū.

2. Alij referunt in immortalitatem animæ, quam illa sanguinis effusio probat; verùm assignanda fuisset ratio, cur fluat, & quodnam sit principium motus istius: & priùs in animalibus experiri oporteret, an eorum sanguis minimè fluat, & erumpat in occidentis, si non hominis, saltem alterius animalis præsentia.

Lucretius.

3. Lucretius libr. 3. de rerum natura id contingere affirmat, quia dum aliquis morte violentâ interficitur, non illico corpus dissoluitur, & sensu destituitur, sed aliquandiu relinquūtur animæ reliquiæ, vt patet in membris humani corporis abscissis, quæ etiamnū palpitant, & oculi furibundi diu videntur in præciso capite, vt Lucretius innuit lib. 3. vbi postquam dixit id omne animale esse, quod est in corpore, ait corpus in quasdam partes scissum quasdam animæ partes retinere:

Lucretius Atheorum princeps.

Si subitò medium celeri præciderit ictu
Vis aliqua, vt seorsum partem secernat vtramq;
Dispertita procul dubio quoque vis animai:
Et discissa simul cum corpore disiicietur:
At quod scinditur, & parteis discedit in vllas,
Scilicet æternam sibi naturam abnuit esse.

Vbi aduerte illum esse Atheorum principē, quem postea cæteri secuti sunt, & quem recentiores plurimi sequūtur in multis, adeout Fludi, Cāpanellæ, & similiū philosophica nugamēta maxima ex parte ex Lucretio, Empedocle, & Democrito, nonullisque aliis antiquis nugiuendulis desumpta esse non dubitem, quicquid ea hactenus incognita nobis obtrudere conentur, idque vt sibi famam, atque nomen comparare valeant.

Falciferos currus memorant abscindere membra
Sæpe ita de subitò permista de cæde calentis,
Vt tremere in terra videatur ab artibus id, quod
Decidit abscissum, cùm mens tamen, atque hominis vis
Mobilitate mali non quit sentire dolorem.
& paulo post.
Et caput abscissum calido, viuenteque trunco,
Seruat humi vultum vitalem, oculosque patenteis,
Donec reliquias animai reddidit omnis.

Hæc

Hæc autem ratio recidit cum ratione Campanellæ, quæ cùm falsum supponat, nulla est; quandoquidem nulla pars animæ, ne sensitiuæ quidem in vlla parte cadaueris relinquitur, quia nulla est sensitiua anima in homine, quæ separata sit à rationali, sed hæc vel eminenter, vel etiam formaliter tam vegetatiuam, quàm sentientem includit.

Petrus de Albano. 4. Quapropter sententia Petri de Albano falsa est, qui supponit animam sensitiuam etiam post mortem in cadauere aliquandiu remanere, quam homicida furore repleuit, ideóque subitò erumpit comparente interfectore, & foras sanguinem emittit: Tametsi verò spiritus aliqui, vel calidi, & feruentes vapores aliquandiu remaneant in cadauere, idque præsertim in corde, non est maior ratio, cur sanguinem cadaueris excitent ad præsentiam homicidæ, quàm alterius hominis; nec enim homicida spiritus vllos in cadauer immittit, qui reclusos ad exeundum prouocent, ac si spiritus ipsi corporei sese ad duellum prouocarent, quandoquidem maximè tunc spiritus homicidæ refrixerunt, atque extincti sunt, quia eum facti potiùs pœnitet, quàm de eo gaudeat, si quando iudicis sententia ad cadauer adducatur sese purgandi causa: nec est vllus sensus in spiritibus cadaueris, quippe qui requirit animam sibi præsentem, quæ abest à cadauere.

Hinc fit, vt non possim admittere hanc per aërem spirituum communicationem, atque consensum, vel antipathiam. De consensu certum est eum non esse inter homicidæ, & interfecti spiritus, qui sibi potiùs infestissimi sunt; quòd si quam inter se habeant antipathiam, quomodo cadaueris spiritus cum sanguine egrediuntur, & ad inimicos spiritus accedunt, quos potiùs fugere debuissent, & sese retrahere; gratis enim diceres eos vltimum impetum in hostes facere, cùm sint imbecilliores, atque adeò suum interitum quærerêt, vbi hostem potentiorem irritarent.

At nunquid finges eos scire homicidam à iudice condemnatum iri, si foras erumpant? quanam ergo ratione, quóue pollent iudicio, vt ita discurrant? Facessant istæ næniæ, quibus nec adhærere debemus, etiamsi nulla legitima ratio nobis suppetat. Sicut neque fateri velim acum magneticum ideo verti ad polos, quod in illis partibus sint ingentes colles magnetici; nec ferrum magnete contactum ideo multis in locis à meridiano diuertere, & euariare, & ab horizonte declinare, ex eo quòd polus mundi distet à polis Zodiaci, vel quòd sequatur stellam caudæ vrsæ maioris, vel minoris, neque hominem submersum die post obitum

Corpus emergitur ex aquis septem aut 9. diebus post submersionem. 7. aut nono emergere, ex eo quòd humanum corpus cœlestes in se essentias habeat, quæ familiaribus cœli radijs ex aqua eleuentur, & cum eis ipsum corpus, sicut cum exhalationibus aliquando crassa corpora subleuantur; quia non ideo falsis rationibus adhærendum est, quòd veram nesciamus.

5. quæ duplex est. prima pars. Leuinus. Leuinus existimat lib. 2. cap. 7. de occultis naturæ miraculis fluere sanguinem, quia tanta est, atque tam valida latentis naturæ vis, atque imaginatio, modò aliquid vitæ superstit, aut corpus mortuum adhuc incalescat vt sanguis ebullire, accensaque bile efferuescere incipiat; Verùm patet ex dictis; quàm futilis sit illa ratio, cùm nulla imaginatio, ne per momentum quidem in cadauere post animæ rationalis separationem relinquatur. Idem verò contingere refert in diuersis cadaueribus, quæ ex aquis assumpta sanguinem ex aliqua parte profundunt, si adsit amicorum aliquis. plerúmque tam ruber, ac floridus, ac si facultates, spiritusque vitales, qui humores agitant, nondum essent sopiti; quod Belgici magistratus obseruant; nam corporibus, quocunque facti genere exanimentur, adesse solent, eaque conspectare propiùs antequam sepulchro inferantur.

Cuius nouam rationem assignare videtur, quod ad tempus vis insit vegetans, qua crines, vnguésque succrescunt, humore insito calori externo suppeditante alimentum, quemadmodum stirpes, fruticésque amputati aliquod dierum spatio frondescunt, ac flosculos proferunt, si irrigari, fouerique aqua contingat. Subest enim, insitaque est vis quædam naturalis cauliculis, quam à radice consecuti sunt, quæ vbi euanuit, arescunt folia, florésque decidunt. Secunda pars.

Aliam affert rationem, sed quæ ipsi homicidæ, non interfecto conueniat; ideo nempe homicidam, vel etiam amicos ad cadauer accedentes sanguinem è naribus mittere, quia conspecto cadauere subitò consternantur, vt euenit ijs, quorum oculis, mentique acerba quædam inopinatò obijciuntur, aut funesta quadam imaginatione concipiunt; sic igitur ex subita consternatione sanguis ex naribus amici, vel etiam homicidæ erumpit, quòd facultates naturales, ac mentem vehementer concuti, ac percelli, humorésque non consistere, sed vltro citróque commeare contingat. Quod reuera non in omnibus amicis, imo nec hostibus, licet præsentibus, & tangentibus cadauer locum habet; quod maximè verum est, si propria morte quis decesserit; quot enim vxores, maritos mortuos cernere est, imo & nudos linteis, ac sindonibus inuoluere, & vice versa; quibus tamen nusquam fluit sanguis è naribus: sed neque semper id contingit, etiamsi violenta nece perempti sint aliqui, vt experientia quotidiana docet; Cùm tamen illud euenit, hanc causam probabilem admodum existimo. 6.

Postea verò ad sympathiam, & antipathiam quandam se confert, qua sanguine iuncti mutuo naturæ consensu sanguinem eliciant; sceleris verò patrati reus dissensione, taciteque discordia idipsum efficiat. 7

Denique notat sanguinem, qui in venis delitescit, agitato motóque corpore erumpere; vt patet, cùm aliqua cadauera baiuli, ac vectores in terram subducunt, ac modò pronos, modò supinos constituunt, sursumque, ac deorsum deuoluunt. Quò fit, vt venarum ora reserentur, atque dehiscant, tum sanguis qui nondum genuinam naturam, aut colorem exuit è corpore profluat, sed in his qui iampridem exanimati sunt, ac seriùs reperti, non sanguis rubicundus, sed cruenta quædam sanies ex vulnere confossi distillat. 8.

Si verò casu, vel ruina, vel aquis oppressi sunt, ex parte qua meatus corporis patescunt, sanguinolentus liquor emanat, nempe per os vel nares, oculos, aures, infernasque sedes, sic enim videmus ex fluido, laxoque cadauere, vbi duobus, tribusue diebus seruatur insepultum, sanguine commixtum, liquorem profluere, cum vespillones crebro motu, atque agitatione feretrum ex humeris gestant; eo ferè modo, quo boues, ac tauri post lanienam laquearibus affixi, solum, ac

pauimenta sanguinis stillicidio cruentant. Sanè hæc est vera causa in ijs, quos vespillones agitant; sed hîc inquirimus, cur ista cadauera, quæ nullo motu agitantur, sed aliquandiu iam quieuerunt, in præsentia homicidæ sanguinem emittant, qui alioqui non erumperet; Enimuero si ea solùm cadauera sanguinem emittant, quæ agitantur, cùm id ex æquo in cuiuslibet præsentia, vel absentia contingat, quæstio nulla foret; imo aliter procederemus, si cadauera licet immota, & quiescentia sanguinem quidem emitterent, sed indifferenter in omnium præsentia, siue semper, siue ad aliquod tempus; tunc enim facilior esset, & fortè verior solutio, si id in quosdam spiritus calidos reijceremus, qui cùm exire contendunt, sanguinem educerent: at nos ab illa via præcludimur, ideoque paulò subtiliùs rem in articulo sequenti disquiramus.

ARTICVLVS III.

QVID TANDEM IVXTA VERAM PHILOSOPHIAM, atque fidem Catholicam de illa sanguinis è cadaueribus eruptione, quæ præsente homicidâ contingere solet, dici possit.

NIsi hominis anima raperetur ad iudicium, & statim vel ad inferos ob peccata, vel ad cælos ob merita transferretur, sed in ipso corpore mortuo, vel prope cadauer remaneret, forsitan non esset absurdum, vt ad eam tanquam ad causam sanguinis vindicis motricem recurreremus, vt diuina permittente prouidentia anima detegeret homicidam, & sceleris reum esse conuinceret, sed isto firmamento caremus. Possemus etiam causam eruptionis sanguineæ in animam sensitiuam refundere, si ipsa in corpore rationali méte destituto relinqueretur; sed cùm vnica sit in homine, triplicis facultate gaudens, id dici nequit; nec proinde licet vllam animam vegetatiuam effingere, quæ tametsi adesset, cùm omni cognitione etiam sensitiua careat, homicidam inter alios discernere nequit, vt eo præsente potius quàm absente sanguinem moueat. Restat igitur vt nullam huiusce motionis causam intrinsecã, seu naturalem agnoscamus, nisi antipathiã velut asylum amplectamur, sed totũ motum in diuinam prouidentiam reijciamus, adeout sit illa sanguinis eruptio miraculosa, quod profectò non dedecet bonitatem Dei, qui toties sese nobis per mirabilem anthropopathiam & benignissimum condescensum accommodat, quique sæpe modis quibusdam sese nostrarum iniuriarum vindicem præbet, quos nunquam excogitare potuissemus.

Itaque antipathiam illam diligenter excutiamus, an fortè nobis satisfacere possit. Et quidem in præsenti nihil in cadauere puto considerandum, præter sanguinem, bilem, plegma, & melancholiam, spiritusq; naturalem, vitalem, & animalem, quandoquidem, prætetea nihil est in cadauere, ad quod motus ille sanguinis referri possit; nisi radicalem humorem addideris, seu natiuum humidum, & calorem, at vel omnino euanuêre, vel à prædictis humoribus, & spiritibus nihil differunt. Quæ omnia in homicida etiamnum viuente spectari possunt.

In quo prætereа sensus visus, phantasia, & ipse animus considerari potest, quandoquidem viuus est. Inquiramus ergo quã inter se vel sympathiam, vel antipathiam homicidæ, & interfecti spiritus habeant, qua vel inter se dimicent, & in se inuicem irruant, vel alij alios attrahant; enimuero si quæ naturalis causa possit assignari, necessariò debet esse quædam vel contrarietas, & repugnantia, vel consensio, & amicitia inter humores, & spiritus occisi, & interficientis, quæ non sit inter eosdem humores interfecti, & aliorum hominum humores, in quorum præsentia sanguinem non emittit, quia eum non interfecerunt. Sunt qui causam ad aëris attractionem, & spiritus infectionem referant; cùm enim homicida transit, vel ad interfectum accedit, aëre rarefacto sanguis cadaueris, vel etiam homicidæ fluit, ne detur vacuum, eo modo, quo sanguis è scapulis eius egreditur, cui cucurbitulæ applicantur (vulgò scarificationem vocant); nam vbi candela sub cucurbitulis posita aërem rarefecit, necesse est vel cucurbitulas confringi, vel sanguinem, aut carnem ascendere, ne detur vacuum, quia aër ita rarefactus ad pristinam condensationem rediens, minorem locum occupat, vt ergo totus locus repleatur, sanguis è locis scarificatis ascendit; ita existimat Vincentius tom. 1. speculi. lib. 4. cap. 13. spiritus interfecti per aliquam similitudinem attrahere spiritus homicidæ, qui nescio quid simile produxerat, & veluti aliquid suorum spirituum interfecti spiritibus communicauerat, adeout sanguis interfecti incipiat ebullire, & nouam infectionem attrahat ex aëre, quem homicida præsens similiter inficit, quam tamen infectionem reijcerent spiritus interfecti, si viui essent, vt pote sibi inimicam. *Noua sententia quæ sanguinis eruptionẽ è cadauere refert in sympathiã, & similitudinem. Vincentius.*

Quod sic explicare possumus, vt in ipso vulnere occisi sit nescio quæ corruptio, & veluti nociua, ac venenata qualitas, quam impresserit homicida, & toti sanguini, ac spiritibus communicauerit; qui percepto aëre infecto veluti nouas sumant vires, & ad vulnus accurrant, vt nouam corruptionem ambabus, vt dicunt vlnis, excipiant: quia non ampliùs insunt cadaueri, vt corpus conseruent, imo potiùs extra locum suum naturalem, atque destituti calore, & vitali animæ præsentia, quapropter, vt seipsos conseruent, statim atque spiritus homicidæ præsentiam subodorantur, erumpunt, vt se eis coniungant, nisi ita debiles facti fuerint, & hanc qualitatem tam leuiter retinuerint, vt illud non sufficiat, quo possint accurrere ad vulnus, & sanguinem commouere. Igitur feruet sanguis ad homicidæ præsentiam, ac si gauderet; eo ferè modo, quo quis sine causa ridet ad alterius ridentis aspectum ob admirabilem, & fortè inexplicabilem naturæ consensum, atque conformitatem, quæ est in vtroque, vt ille risus non à ratione, sed ab ipsa natura proficisci videatur, siue id fiat ob humorum, & spirituum, siue ob ipsius animæ similitudinem intrinsecam.

Verumtamen

Veruntamen istam sententiam in multis peccare credo: inprimis enim quænam fuit illa infectio, qualitas, vel similitudo per occisi diffusa sanguinem? an illa qualitas, est habitus, vel patibilis qualitas, an dispositio, vel passio? Sed ne solùm Aristoteli inhæreamus, nec enim omnes eius philosophiam, aut diuisiones probant, vel amplectuntur: solam rationem afferamus, nec vlli Philosopho subijciamus animum, si quid homicida diffuderit in occisum, id fieri debuit in ipso ictu, siue manibus illum tetigerit, siue ense, lapide, iaculo aut globo plumbeo. Quòd si comminus eum interfecerit, an tactus ipse corporis homicidæ aliquid occiso communicauit, quod esset permanens? si eminus, an sagittæ, vel globo, vel ensi, alteriùs instrumento, vel aëri comiti vim aliquam indidit vsque ad interficiendum perferendam? Quandoquidem necesse est spiritus illos interfecti immutatos, infectos, & corruptos fuisse, quandiu viuebat, vel momento, quo è viuis excessit: hæc autem infectio fieri non potuit, nisi vel noui aliquid interfecto fuerit impressum, quo antea carebat, vel ablatum, quod habebat: si primum eligis, vel illud fuit substantialis forma, vel accidentalis: non illud, cùm nec humores, nec spiritus suam mutarint substantiam, sed solo calore naturali, & cæteris qualitatibus ex animi præsentia orientibus destituti sint, non enim antea viuebant: At fortè dices formam cadaueris esse substantialem, quæ prout est ab homicida producta, nescio quid amicitiæ cum eo retinuit, sicut cum authore suo, & causa efficiente, vt iam ad eius præsentiam tanquam effectus ad causæ præsentiam lætari, & obuiam ire videatur. Sic enim heliotropia multa ad solis præsentiam flores aperire, conuertere caput, & aliqua veluti lætitia videmus affici: verùm dispar est ratio, quia sol non produxit formas heliotropiorum, nisi vt causa vniuersalis, prout etiam stellæ, planetę, & luna concurrerunt, ad quas tamen illæ plantæ non conuertuntur: tametsi sol sit causa præcipua magis influens: ad quem proinde respondebis plantas illas potiùs conuerti: ideoque addo plantas omnes id facere debere, quandoquidem ad omnium productionem sol ex æquo concurrere videtur pro varia materiæ dispositione, si ratio illa, quicquam concluderet: quamuis iterum replicare possis aliquid peculiare in heliotropijs à sole produci, propter nescioquam maiorem materiæ similitudinem cum illo, iuxta id, *Actus actiuorum sunt in patiente disposito*, adeout pro varia dispositione varias formas inducat, & alterationes, atque motus efficiat.

Causa altera subtilis discutitur.

Sanè rationem hanc verissimam censerem, si formæ productæ tantam cum causis per accidens seruarent habitudinem, quantam cum causis per se: quod tamen falsum est: vel si effectus quispiam omnibus modis ad suam causam naturaliter recurreret, tunc enim ex hypothesi, quòd cadauer, eiusque partes singulæ tam solidæ, quàm humidæ forma noua substantiali cadaueris informaretur: dicerem illam formam quibusdam facultatibus, quibus polleret, mouere sanguinē, vt obuiā ante causam suam nempe ante homicidam proximè accedentem procederet. Verùm neque hic est per se causa formæ cadauereæ, neque formæ corporeæ Scoticæ, quippequæ iam tum erat, cùm viueret interfectus: quapropter non magis ille sanguis recurret ad interfectorem, quàm ad lapidem, quo è fenestra decidente aliquis oppressus fuisset.

Non est quod fusiùs discutiam ea, quæ superiùs de anima sensitiua, aut vegetatiua retuli, cùm omnes bene sentientes communi calculo concludunt vnicam animam, quæ corpus informabat, euolasse, nec vllam animæ particulam remansisse: tametsi enim in D. Thomæ sententia, quem multi sequuntur, vegetatiua sensitiuam, & hæc rationalem antecesserit in ipsius humani corporis efformatione: id tamen dici nequit in homicidio, seu corporis destructione: quod non est amplius capax vitæ, nec enim ad perfectionem vlteriorem, sed ad corruptionem tendit, atque festinat, donec in puluerem redigatur iuxta supplicium diuinitus inflictum, de quo iam diximus cap. 3. versic. 19. *Donec reuertaris in terram, de qua sumptus es; quia puluis es, & in puluerem reuerteris*: vnde patet nullam in eo remanere animam, ad quam sanguinis fluxum, & ebullitionem reducere possimus; & quamuis nondum Ecclesia determinauerit, an cadauer sensum aliquem, aut vitam vegetantem retineat, quia id ad salutem minimè facere videtur, attamen absurdum est & ridiculum id affirmare. Genes. 3.

Superest igitur, vt aliquid in cadauere, residuum esse dicatur, quod diebus quibusdam post obitum aliquam dispositionem, vel qualitatem sibi insitam ab homicida reseruet, vt cuius sanguis aliquando moueatur, si quando is accesserit, qui mortem violentam intulit.

Quod cùm assignare non potuerint, qui hanc quæstionem attigerunt, dixerunt illud esse miraculosum, ita Henricus de Assia, & Bartholom. Sibylla in peregrinis qu. decade. 4. c. 8. qu. 4. quod Surius confirmat luculenta historia de Gilberto de Clara Comite Glonerniæ, qui maximis iniurijs B. Thomam Herefordiensem in Anglia Episcopum affecerat, quòd hic Ecclesiæ iura tueretur, ille inuaderet: reperies illam die 5. Octobris, quæ ita se habet. Obijt ergo diem suum Episcopus absens. Necessarij autem ad eius Ecclesiam deferenda ossa prorsus carne ablata curauerunt; mox vbi obuius factus est Comes, à puris nudatisque omni carne, ac sanguine ossibus, plurimus manauit sanguis. Id conspicatus Comes terrore concussus, pœnitentiaque ductus, Ecclesiastica iura omnia à se inuasa restituit; vbi manifestum est sanguinem illum sine miraculo non emanasse, vt scelestus homo concuteretur: hinc plurimi concludunt Deum id miraculo agere, quoties ex occiso corpore fluit sanguis coram homicida, qui alioqui non erupisset, aut ebullijsset, vt homicidæ culpa grauior agnoscatur, seque pœnitentiæ dolore conficiat; vt omnes ab homicidio deterreantur, & homicida reddatur inuisus omnibus, denique vt suus sit iustitiæ locus, & admirabilem Dei prouidentiam volentes nolentes fateamur.

Exemplum miraculosum. Henric. de Assia. Surius.

Quod iterum confirmatur ex eo, quòd non semper emittatur sanguis, Deo iustis de causis nolente: qua ratione non semper ab energumenis dæmones eijciuntur, etiam si exorcismos Ecclesiæ adhibeas, illa siquidem prouidentia diuina, magna, & imperscrutabilis abyssus est.

Verùm nec adeò tutum videtur illam sanguinis effusionem in Deum referre; hac enim ratione dæmon posset innocentibus mortem intenta-

re, & noxios è supplicijs eripere, dum moueret sanguinem in alicuius innocentis ad cadauer accedentis præsentia, quem tunc minimè commoueret vbi homicida præsens esset. Hinc fit, vt quidam Iurisconsulti nullo modo hanc effusionem sanguinis considerent, sed illam irrideant, & inter coniecturas, ob quas aliquis carceri mancipari potest, donec rei veritas elucescat, non annumerent: alij verò maximè qui leges Romanas sequuntur, magnum pondus in illa effusione statuunt existimantes eum carceri mancipari, vel etiam torqueri posse, vt homicidium detegatur. Videantur Thadd. à Garbo in Isagogam Ioannitij. Henric. Gandau. in quodlib. Ægid. Rom. quodlib. 5. quæst. 25. Maior 4. sent. dist. 15. q. 14. Conciliator in 7. section. probl. prob. 6. Langius epist. 40. medicarum: Hieron. Magius 3. miscell. cap. 5. M. Anton. Plancus, comment. in lege fin. num. 408. ff. de quæst. Ludouicus Caterius initio suæ praxeos num. 140. Casonus tractat. de iudicijs, & tortura, & alij, quos partim antea retulimus, partim citat Bisciola lib. 15 horar. subcisiu. cap. 1. tomo. 2.

Iurisconsulti quid senserint de isto sanguine?

Thadd. à Garbo. Ægid. Rom.

Ex quibus satis constat omnes rationes, quas attulimus, quæstioni propositæ nusquam satisfacere: quapropter id in prouidentiam diuinam, cùm sine præuio cadaueris motu contigit, & postea reus ille homicidij conuincitur, refundendum est: alioqui, si, quem suspicaberis patrasse crimen, ante quem sanguis effluxit, innocens esse, deprehendatur: vel alium in propriæ vitæ defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ occiderit, id non est peculiari diuini numinis prouidentiæ tribuendum, alioqui Deus innocentes ipsos opprimere videretur, sed tunc vel dæmonis fraus cauenda est, siue per se, siue per magos suos operetur, vel ad causam naturalem recurrendum est.

ARTICVLVS IV.

VLTIMA SANGVINIS ISTIVS EXILIENTIS resolutio quibusdam conclusionibus affertur.

PRima propositio: nemo naturæ vi scire potest an ille sanguinis effluxus naturaliter contingat, an virtute Dei, aut dæmonis, ac proinde an sit reijciendus in miraculum, necne, nisi plurima, quæ sequuntur, expertus fuerit, loquor autem de sanguine, qui ad eius præsentiam fluat ex cadauere, quem aliqui homicidam existimant, illudque de cadauere vel etiamnum calido, vel frigido, post horas, vel dies aliquos: nam cùm menses integri pertransierunt, vel anni, & putrefactum est cadauer, aut ossa sola remanent, clarum est id in naturalem causam refundi non posse. Itaque prima experientia, quam necessariò præmitti debere, iudico, vt sciamus, an id fiat naturaliter, est, vt quis eidem cadaueri verum homicidam offerat, statim qui laqueo, vel aqua, vel alio modo suffocauit sine vulnere, statim qui vulneribus confodit, vel sustulit veneno: denique cuiuslibet speciei homicidam ante cadauer statuat, & simul obseruet, an in qualibet morte eadem propinquitas necessaria sit, vt sanguis è naribus, ore, oculis, aut vulnere fluat.

Secunda experientia, statuendi sunt amici ante idem cadauer, sicut & parentes tam in homicidæ præsentia, quàm in absentia, vt deprehendamus, an etiam istius fluxus sanguinei parentes, & amici causa esse possint, vel ipsi sanguinem emissuri sint.

Tertia, alij homines, qui neque parentes sint, neque amici, neque homicidæ, similiter adducendi sunt, vt videamus, quid euenturum sit.

Quarta, is producendus est, qui homicidio adfuit, & crimini cōsensit, minimè tamen occidit.

Quinta, is adduci debet, qui quidem occidit, sed tantùm in sui defensionem.

Sexta, miles coram statuendus est, qui militem alium in prælio iusto, immo & iniusto trucidauit, quod & de duello intelligi potest.

Septima, videndum est, an canis, vel aliud quodlibet animal ab homine prouocatum, & occisum in eius præsentia sanguinem mittat, & non in aliorum conspectu: idque siue canis antea ad iracundiam prouocatus, vel quiescens, & obdormiens ense, lapide, baculo, vel sclopulo occisus, aut alioquòuis modo extinctus fuerit.

Octaua, an idem contingat, si canis alium occiderit, vel animal quoduis aliud animal sibi simile, vel dissimile strangulauerit, & ad cadauer accedat. Denique aduertendum est, an ea non tantùm semel, sed sæpius, aut semper contingant: idque siue quis dormiens, & hostem neque videns, neq; sentiens occisus fuerit, vel ab homine, quem non cognouerat, nec hostem existimarat, siue cominus, siue eminus illud factum fuerit.

Propositio secunda. Illæ experientiæ nunquam fient, quia sunt nimis difficiles, ne dicam impossibiles, & periculosæ; neque sanguinis ebullitio tanti momenti esse videtur, vt fieri debeant. Verumtamen si quādo fierēt, concludere possemus, an ad miraculum, vel rationem recurrēdum esset: enimuero si in omniū homicidarum prçsentia, quos retulimus, è cadaueribus sanguis efflueret, siue iustè, siue iniustè, publica, vel priuata iustitia occidissent, tunc ratio naturalis inuestiganda esset, præsertim si idem contingeret in animalibus; rebus tamen more solito stantibus, liberum est vnicuique has ebullitiones vel ad diuinam prouidentiam, vel in rationem naturalem refundere, placet autem in Iurisconsultorum, & iudicum gratiam sequentem addere propositionem.

Propositio tertia. Cùm iudex illam probationem contigisse videt, vt in alicuius conspectu sanguis exilierit, in inquirendo crimine iuxta probabilem Iurisconsultorum opinionem procedere potest, ita tamen vt non debeat illum carceri mancipare, cùm ea sit communis meliùs sentientium opinio: hoc enim iudicium non intrinsecum est, & insitum iuri, sed extrinsecum, & foris assumptum, tantum igitur abest, vt torqueri debeat: si verò sequitur aliam opinionem, aliquo tempore hominem illum detinere poterit, quem sanguinis ebullitio

ebullitio in ſuſpicionem perpetrati ſceleris adduxit, dummodo is illâ detentione nullum corporis, vel bonorum detrimentum patiatur, aut paſſurus ſit, ſi poſtmodum innocens comprobetur: ea propter ſiue hâc, ſiue illâ ratione iudex tutus eſt, nec vllo modo peccat, quia iuxta probabilem virorum Doctorum, atque proborum ſententiam operatur.

ARTICVLVS V.

SI ILLA SANGVINIS EBVLLITIO NATVRALI *tribuenda eſt, cui potiſſimum, ac probabiliùs.*

PLurimos, & ferè omnes iſtius ebullitionis cauſam in cæcum, & occultum conſenſum referre video, perſimilē illis, quibus oſcitatio alterius monet alterum ad oſcitandū, pādiculatio ad pandiculandum; luporum aſpectus raucedinē affert: limæ ferrum terentis ſtridor dentibus moleſtiam, coloris rubri aſpectus ſanguinem è naribus elicit, & ingentium vulnerum apprehenſio tenebras oculis offundit, & animi defectionem in multis parit; denique cùm aliquem ſecari, torqueri, vri, & extremo ſupplicio affici videmus, iure quodam humanitatis illius dolemus vicem, vt notat Ariſt. 7. ſect. prob. probl. 6. Ariſtot.

Qua ratione multi putant occiſoris ſpiritus iracundos, & œſtro vehementiſſimo percitos diſſenſionem, vel antipathiam aliquam occiſi ſpiritibus, & ſanguini ingeneraſſe, adeout cùm præſens adeſt homicida, vel illius ſpiritus victores occiſi victos ſpiritus, qui in cadauere reliqui ſunt, repetant, quod non probo; vel potiùs ipſe ſanguis, qui ſe vel ad cor odij, & amoris organum, vel ad hepar ſanguinis officinam receperat, in homicidam exurgat, velut in hoſtem, vt vindictam ſumat, quod tamen mihi non probatur, quia nullus eſt amplius ſenſus, ſine quo vindicta repeti nequit.

Poſſet aliquis exiſtimare animam, dum eſſet in corpore, odium aliquod, vel aliquam qualitatem ſanguini, atque ſpiritibus indidiſſe, vt etiā in eius abſentia hoſti opponerentur, ſed vix aſſignaret, quidnā ſit illa qualitas, & quomodo imprimi potuit; nec quidquā reale ab anima corpori, vel humoribus, atque ſpiritibus imprimi poſſe exiſtimo præter motum, vel calorem, aut ſimile quidpiam, quæ cùm in morte pereant, quid obſecro remanebit in cadauere, quod ebullitionem ſanguinis efficere valeat? in quo neque motus, neque ſenſus, nec vlla cognitionis vmbra relinquitur.

Nec obſtat, quod Electrum paleam; Magnes ferrum; Rhaponticum, Agaricum, & alia tam ſimplicia, quàm compoſita medicamenta humorem peculiarem educant, id enim ex principijs naturæ ſuæ conſequuntur; at cadauer vim emittendi ſanguinis non habet ex eo, quòd ſit cadauer; reſtat igitur id habeat, quatenus eſt tale cadauer, nempe occiſum ab aliquo: an igitur illa vis ei impreſſa eſt? ſed à quo? num ipſe furor, ac veluti rabies quibus efferebatur dum ab hoſte interficeretur, neſcio quod veſtigium inimicitiæ, & antipathicum quidpiam maſſæ ſanguineæ, vel ipſi cordi, & hepati impreſſit? At iam dixi id nihil aliud, quàm calorem eſſe poſſe; ſit ergo calor; ſed cur potiùs in homicidæ præſentia ſeſe exerit, præſertim cùm non ampliùs incaleſcat homicida, ſed potiùs ſupplicij timore frigidus ſit, & expalleſcat, atque adeò minimè ſanguinem cadaueris prouocet. Hinc fortè ſuſpicabitur aliquis tunc ſanguinem cadaueris erumpere, quia putat ſe victorem futurum, dum hoſtis non reſiſtit, & ſe pœna dignum fatetur; ſed illud abſque ſenſu fieri nequit. Num igitur rationem ex parte occiſoris inueſtigabimus? nunquid ipſe Magnetis inſtar, vel potiùs illius ſpiritus, eo licet non percipiente, neque valente, ſanguinem illum cadaueris attrahunt, & eliciunt? prout Rheubarbarum melancholiam, & Agaricum pituitam educere dicitur: ſed quodnam ſit nouum illud principium attractiuum in homicida, quod in eo non eſſet, antequam interficeret, aut occiſum haberet odio, aſſignabit? præſertim cùm furor omnino extinctus ſit, & homicidam pœniteat, quòd tale crimen perpetrarit: imo licet voluntas peruerſa in eo reliqua eſſet, & furor, ac calor adeſſet, puto ſanguinem è cadauere propterea non exciturum, quia neque id in homine læſo adhuc viuente contigit, ad quem licet is accedat, qui vulnera intulit, vel vt noua vulnera inferat, vel abiecta lædendi voluntate, prodeſſe velit, & remedia ſuggerere, ſanguis non effluit.

Valeant ergo torpedinis, atque remoræ, vel bituminis ignem attrahentis exempla: faceſſant rationes naturales, vt ad mirabilem illam, & æternam diuini numinis prouidentiam recurramus, quam nemo ſatis celebrare poteſt, ad quam ſanguinis effuſio, quæ fieri dicitur in homicidæ præſentia, tunc maximè referenda eſt, cùm iniuſtè quis occiſus eſt. Itaque iam probo id à Deo fieri (vbi ſemper rei veritatem ſuppono) quia id æquè contingit, dum à tergo quis de repente interficitur, vel dormiens ab eo, quem cognoſcebat, vel nunquam viderat, ligno, ferro, vel laqueo, ſuffocatione, vel accepto vulnere, à quo ſanguis manare poſſit. Nam maximum ſignum eſt homicidij cuiuſlibet iniuſti vindictam eſſe Deo curæ, iuxta id Apocalyp. *Vindica ſanguinem noſtrum, qui effuſus eſt*: & noſtrum verſiculum, *Sanguis clamat ad me de terra.*

Quod Gentiles aliquo modo tetigiſſe videntur, dum manes, lemures, laruas, lares, *εἴδωλα φοβερὰ τεράστια*. i. tremenda, portenta: *ἀειδῆ φαντάσματα*, & *φάσματα* memorant: qui crediderunt manes, ſeu animas interfectorum noctu pauorem inijcere peremptoribus, ſi per vim, & inſidias interfecti fuiſſent; vnde piacula ad placandos manes adhiberi ſolita, vt apud Hieron. Magium lib. 1. de ſepult. & ſepeliendi ritu videre eſt, qui tamen in Magius. multis decepti ſunt, vt Plato dum arbitratus eſt quaſdam animas adeò corporum ſuorum amantes, & primæ ſuæ originis oblitas, vt ne tum quidem, cùm à corpore ſeiunctæ fuiſſent, ab eo ſeparari potuerint, quæ poſtea in ſepulchretis apparerent. Videatur Apuleius in Apolog. & D. Chryſoſt. hom. 29. in Matth. Suet. in Nerua de furijs Apul. Chryſoſt. matris, quibus Nero agitabatur. Plutarch. in Sylla de Marianorum vmbris Syllam vexantibus; & de Plutarch.

fera numinis vindicta, &c. nos verò plura de his, vbi de Angelis, & dæmonibus. Hactenus de vindicta sanguinis: Vnde quid de sanguine Abelis sentiendum sit, conijci potest, siue Cain eius sanguinem fuderit, siue illum absque effusione suffocauerit, nec enim existimo necessariam fusionem, vt eius sanguis clamare dicatur, quandoquidem ille clamor potissimè designat prouidentiam diuinam, quæ à diuini numinis iustitia vindictam de sceleribus, ac præ omnibus de homicidio reposcit.

Sunt qui totam hanc quæstionē vnico verbo dissoluant negando illam sanguinis effusionem, quos cum tot, & tantis authoritatibus, & exemplis opprimis, aiunt quotiescunque illud accidit, ideo fieri, quia cadauer de nouo mouetur, qui motus sanguinem commouet, & excutit, vel quia aliquis abscessus, vel pellicula rumpitur, vel dilatatur fortuitò, ex quibus contentus sanguis emanat.

Si prædictæ experientiæ applicentur, rem totam aperient. Non tantùm etiam de cadauere illud asserunt, sed etiam de sanguine in terram effuso, qui licet siccus fuerit, ad homicidæ præsentiam ad pristinum ruborem redire, & ebullire aiunt, quod profectò viâ naturali fieri nequit, quapropter sagaces Iurisconsulti cacodæmonis fraudem caueant, & vbique prudenter se gerant, ne qui fuerit innocens, morti adiudicari possit.

Hîc autem aduertendum est quosdam ad animam mundi recurrere, vt effusi sanguinis è vulnere rationem afferant. Et quidem hæretici plurimi hac ætate nescio quem spiritum balsamicum intrudere conantur, vt rerum omnium occultarum causam reddere valeant, vt videre est in Ernesti Burggrauij lampade, & panaplo, Goclenio & alijs eiusdem factionis hominibus; hic enim vt vnguenti armarij vim tueatur, quo vulneratos, etiam absentes se posse curare innuit, animam mundanam amplectitur, quam in synartrosi sua, & alibi tot nominibus inuoluit, vt vix scias, quid velit, vt fusè docet Iohannes Roberti in suo Goclenio Heautontimorumeno, quem pag. 196. legere poteris, vbi spiritum incolam naturæ inuisibilis, animæ mundanæ scintillulam magneticam, agentem efficacissimè, cœli imaginationem, & eius animam solem macrocosmicum meritò ridet, & lepidè refellit.

Ernestus. Goclenius.

Roberti.

Vt enim Goclenius per suam magicam, & nobiliorem causam, nempe spirituale vehiculum, & vinculum illam vulnerati absentis sanationem explicat, & lucidum mundi spiritum cœlorum vectorem, seu vaporem mediæ inter corporatas, & incorporatas substantias naturæ, opificem, insculptorem, & formatorem introducit, vt magnetica curatio formis quibusdam inter vulnus, & vnguentum media intercapedine mutuo occursu vnitis contingat, sic etiam garrulus aliquis inueniri posset, qui hoc fictitio spiritu per omnes mundi partes diffuso illum sanguinis fluxum prouocari diceret: Verùm cùm hæc anima mundi nulla sit, ab ea diligentiùs cauendum, quo peiùs audiunt illi tenebriones, qui eam post Platonem, Iamblichum, Macrobium, Apuleium, Thaletem, & Agrippam reuocare satagunt, ex ea siquidem illa portenta concluderentur, quæ gentiles astruebant, nempe cœlestem illam animam esse fontem omnium animarum, quæ fabricatori Deo subseruiat, vt apud Apul. de dogmate Platon. videre est; mentem aliquam vniuersalem esse, qua singuli intelligerent, vt impij Arabes cum Auerroë crediderunt; denique vt alia plurima missa faciam, non solùm Magi, sed & Athei hac animâ, & hoc vehiculo spirituali suas impietates tuerentur, atque propagarent.

Apuleius.

Sanè principes, & iudices seriò monitos cupio, ne portenta hæc, & opinionum erronearum monstra in suis ditionibus grassari permittant, & illos acheronticos Roseæ Crucis fraterculos penitus eliminent, qui ferè quibuslibet nundinis Francofurtensibus libellos impietatem redolentes in orbem Christianum inducunt cum antro suo, & spurio patre nondum cognito, blasphema enim sunt, quæ innuunt, & se hæreticos, atq; magos, vel saltem è magorum scriptis plurima furto sumentes plus nimio produnt; vt apud eundem Roberti doctissimū virum legere potes, vbi fratrum illorū impietatē à pag. 204. & deinceps egregiè refellit, & clarè manifestat, postquam virgam è corylo factam, metallariam fortiter exagitauit. Vtinam plurimi Theologi huic similes in lucem prodeant, qui reliquos errores, quos in dies Germania profert, siue ad Astrologiam, siue ad Medicinam, siue ad alias Philosophiæ, Mathematicæ, & aliarum scientiarum partes, vel etiam ad Theologiam pertinent, aperiant, & fortiter expugnent.

Fratres roseæ crucis hæretici & impij.

Non est ô Roberti, quod te excusatum haberi velis à Goclenio, si quidpiam medicum tetigeris, nec enim Theologo repugnat, vt medicinæ peritus sit, & Theologus omni scientiarum genere ad destruendos errores, qui præsertim fidem oppugnare videntur, vti non solùm potest, sed etiam debet, cùm Theologia sit illarum regina. Itaque Theologos omnes obsecro, vt pro viribus hac ætate insurgentes hæreticos, magos, Deistas, & Atheos impugnent, & prorsus expugnent.

VERSICVLVS

VERSICVLVS XI. ET XII.

XI. *Nunc igitur maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua.*

XII. *Cùm operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos: vagus, & profugus eris super terram.*

XI. וְעַתָּה אָרוּר אָתָּה מִן־הָאֲדָמָה אֲשֶׁר פָּצְתָה אֶת־פִּיהָ לָקַחַת אֶת־דְּמֵי אָחִיךָ מִיָּדֶךָ׃

XII. כִּי תַעֲבֹד אֶת־הָאֲדָמָה לֹא־תֹסֵף תֵּת־כֹּחָהּ לָךְ נָע וָנָד תִּהְיֶה בָאָרֶץ׃

XI. Καὶ νῦν ἐπικατάρατος σὺ ἀπὸ τῆς γῆς, ἣ ἔχανε τὸ στόμα αὐτῆς δέξασθαι τὸ αἷμα τοῦ ἀδελφοῦ σου ἐκ τῆς χειρός σου.

XII. ὅτι ἐργᾷ τὴν γῆν, καὶ οὐ προσθήσει τὴν ἰσχὺν αὐτῆς δοῦναί σοι. στένων καὶ τρέμων ἔσῃ ἐπὶ τῆς γῆς.

DIxerat Dominus Adæ; *Maledicta terra in opere tuo*; nunc verò pœnam eandem Caino infligit, quam antea dæmoni: quibus innuitur peccatum hoc esse diabolicum: quia diabolus, est homicida ab initio, & inuidia mortem induxit in orbem terrarum; qua permotus Cain fratrem suum crudeli nece peremit, nec tamen à Deo rogatus culpam voluit agnoscere, sed pertinax factus est, & cor eius induratum est, vt iure coryphæus improborum, & homicidarum, inuidorumque hominum prototypus nuncupari possit. Itaque iure Deus illum maledicit: quod si fratricidio alia peccata subiungere velis, Cyrillus Alexandrinus lib. 1. Glaphyrorum istius ἀδελφοκτόνου peccata septem enumerat; quorum primum est, quòd non rectè partitus fuerit, neque omnium optima Deo consecrarit. Secundum, quòd cognito peccato non sit ductus pœnitentia, neque peccatum suum emendarit, quodque inflammatus fuerit ad iram, proximique sui gloria irritatus, quem imitari potiùs par erat, non inimicum censere, atque iniquis oculis intueri. Tertium autem, ac velut aditus quidam ad cædem committendam crudelis inuidia. Quartum verò, illud, *Egrediamur in campum*, doli, ac fraudis argumentum. Quintum impiæ cædis crimen. Annumerari verò pro sexto potest, *Mentiri Deo*. Pro septimo, quod inuito Deo existimaret se posse effugere supplicium. Ex quibus patet, quàm iure Cain maledictus fuerit.

Cyril. Alexand.

7. Caini peccata.

Hebraicè habetur, *Min hadama*. i. *maledictus à terra, vel ex parte terra*, ac si Dei iussu ipsa terra aduersus Cain consurgeret, & debitam in eum maledictionem vomeret, quod ita sanguinem fudisset innocentis. R. Salomon explicat maledictionem istam comparatiuè, *Maledictus eris præ terra*, seu *magis, quàm terra*. sensus alius est terram in labore Cain magis esse maledictam, quàm in opere Adami, vt iam semina sibi commissa infidelissimè reddítura sit, vt fame, & inedia penè mori cogatur, vt sit hypallage, *terra quam tu coles, erit maledicta*, ita Tertul. cap. 26. de resurrect. carnis, & c. 5. aduers. Iudæos: rationem affert S. Chrysost. hom. 19. quod semen Cain à promissione Messiæ alienum futurum sit, quippe qui ex Adæ semine per Seth oriundus est. Catharinus existimat hanc maledictionem in eo sitam esse, quod ex illa terræ parte eiectus fuerit, quæ aperuit os suum, vt susciperet fratris sanguinem, tantum flagitium abhorrens, & abscondens: ideo enim prohibitus fuit Cain ibi comparere, vbi tantum scelus perpetrauerat, ac si indecens esset terram illum hominem nefarium sustinere, quomodo Iudæi exterminati sunt ex illa terra, vbi veri Abel Christi Domini sanguinem effuderant; Cui suffragatur Oleaster, tantum enim terra execratur homicidium, vt ex se homicidam eijcere videatur, quia cùm quis hominem occidit, perdit terra vnum incolam, & cultorem, & filium, quia homo puluis est, aut quia fœdatur occisi sanguine. Itaque אָרוּר אָתָּה *arour atta* maledictus tu, & eiectus, tanquam execrabilis, & indignus, qui terram hanc incolas, cui iudicium, & vltio de te sumenda relinquitur, quia eam polluisti. Cyrillus Alexandrinus 1. Glaphyr. ait Cain Israëlis typum fuisse, quos dæmonis filios esse affirmat, Ioh. 8. vnde Israëlem filium suum primogenitum vocat Exod. 4. Israël enim instar Cain terrenis rebus intendebat. Abel autem erat pastor ouium: præfectus enim est rationali gregi Emanuel, atque ipse est pastor bonus, qui in loco pingui, & pascuis vberrimis Supernos, ac qui super terram sunt greges pascit, de quo Mich. 7. dicitur: *Pasce populum tuum in virga custodiæ tuæ, oues hereditа-*

R. Salomon.

Tertul.

Chrysost.

Catharin.

Oleaster.

Cyril.

Iohan. 8.

Exod. 4.

Mich. 7.

Isai. 1. Hierem. 6. *tis tuæ.* Quod autem Isai. 1. & Hierem. 6. Deus Israëlitarum sacrificia reijcit, ad sacrificia Cain refert, quæ Deo inuisa fuêre.

Locum in quo cecidit Abel, à quibusdam Damascus esse censetur prope Hebron: vnde Damascum דמשק sanguinis saccum dici putāt, quòd instar sacri sanguinem Abelis ebiberit, sed illud incertum, est ideoque ad aliũ versiculum accedo, in quo maledictionis effectus exprimitur, *Cùm*
Versic. 12. *operatus fueris, eam nõ dabit tibi fructus suos.* Hebraicè כחה *cocha* robur, & virtutem suam, quam in edendis fructibus ostendit, ita Septuaginta, οὐ προσθήσει ἰσχὺν αὐτῆς δοῦναί σοι, non addit dare vim suam tibi, fructus solitos non feret, quamuis eam diligenter excolas: Sed neque in illa terræ sterilitate supplicia tua desitura putes, quandoquidem *Vagus, & profugus eris super terram.* Septuaginta στένων καὶ τρέμων, *gemens, ac tremens:* quibus insinuant Cain nunquam à lachrymis, & gemitibus post illud scelus cessasse, ac coram omnibus semper trementem apparuisse, vt occurrentibus fœdum esset, ac miserabile spectaculum נע ונד *nah vanad*: *Nah* propriè commoueri in se, siue intus, siue extra ad modum ebrij, aut tremuli significat,
Psalm. 107. vt videre est Psal. 107. *Moti sunt sicut ebrius*, vnde sistra à tremore dicuntur *Menahanim*, vt aduer-
2 Reg. 6. tit Oleaster 2. Reg. 6. *Nad* verò significat huc il-
Psalm. 11. & 69. luc vagari. Psal. 11. *Nudi.* i. *transmigra in montem sicut passer*: significat etiam mouere caput super aliquem per compassionem Psal. 69. *Expectaui, lamid ad commouendum*, qui commoueretur: Vulgata, *qui simul mecum contristaretur.* Alij vertunt, συλλυπούμενος, καὶ ... Theo-
Theodor. doret. τὸ τρέμων ὁ κατὰ τοὺς ἄλλους ἑρμηνευτὰς, ἀκαταστα-τος, illi verò alij interpretes sunt Aquila, Symmachus, & Theodorion, qui fluctuantem, & instabilem, ac sedis incertæ Cain fuisse aiunt, quod etiam refert Procopius ex veritate hebraica. Procopius.

Igitur profugus, & palabundus eris in terra, quo quò te verteris, nec vsquam certas sedes, aut animi quietem reperies, quod iusto Dei iudicio, & propriæ conscientiæ flagello contingere solet homicidis, vt animo sint irrequieto, nec vsquam se tutos inueniant, qui tremunt, vbi non est timor, quos etiam ad motum foliorum arboris videas expallescere: hinc Plato sumpsisse videtur, Plato. quod legum 8. scribit recens interfectum in percussorem suum grassari, & ingenti pauore eum afficere, adeout necesse sit percussorem se substrahere: & patriæ loca vitare: alioquin cogitur homicida infestos sibi manes experiri: quod eatenus verum est, quatenus homicida species occisi gestat in memoria, & sibi velut obijci præsentiam illius, vel adesse carnificem, & iudicem imaginatur.

Non semel apud me cogitaui, quî fieri posset, vt anima vi posset à corpore separari, cùm ei nequeat vniri, nisi virtute diuina, quam in qualibet animæ vnione cum corpore interuenire credo, maximè verò si vnio illa sit spirituale, vel partim spirituale, & corporeum aliquid, & quomodo vnica plaga inflicta totam vnionem destruat, quæ in singulis partibus corporis aderat, quæ vt discuterentur, quæstio excitanda esset, quomodo anima virtute propriè è corpore possit egredi, cùm ei virtute propria vniri posse minimè videatur, sed eam in alium locum reijcio.

VERSICVLVS XIII.

Dixitque Cain ad Dominum. Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear.

וַיֹּאמֶר קַיִן אֶל־יְהוָה גָּדוֹל עֲוֹנִי מִנְּשֹׂא׃

Καὶ εἶπε Κάϊν πρὸς κύριον, μείζων ἡ αἰτία μου τοῦ ἀφεθῆναί με.

DEsperationis Caïnum accusant, quod ex ijs verbis colligunt, cui proinde remedium aliquod ferendum est explicata pœnitentia, quæ præsto semper adest, qua Deus placari possit. Septuaginta legunt, μείζων ἡ αἰτία μου τοῦ ἀφεθῆναί με, maior causa mea est, quàm vt ego dimittar; Chaldæus, *Magna est iniquitas mea, vt dimittatur*: Pagninus verò, *Maior est punitio mea, quàm vt feram*: vel vt alij Vatablo referente, *pœna iniquitatis meæ*: Complut. *delictum* habet. Ex hebræo potest verti, *Maior iniquitas mea, quàm remittere, aut parcere*: quæ diuersitas oritur à diuersis significationibus duarum vocum hebraicarum nempe
Caietan. עוני *hauoni*, & מנשוא *minso*. Caiet. vertit magnum peccatum meum de leuari, נשא *nasa* enim inter alia significata, *leuare* sonat, parcet enim peccatum Deus cùm illud leuat. Vox ista Caïni blasphema fuit, quando putauit iniquitatem suam efficaciorem diuinâ misericordiâ, quod falsum est. Sed hoc est desperatorum ingenium priùs peccatum non agnoscere, diu in illo versari, id quasi floccifaciendo; cùm vero postea in ipsum deflectunt oculos, ita in eo toti sunt, vt Dei misericordiam non apprehendant, & in extremam ob id labantur desperationem. Si verò נשא *nasa* pro *ferre* sumamus, iam hæc verba erunt detrectantis diuinam punitionem, & illam accusantis veluti plus æquo duram, & cui ferendæ is esset longè impar. Qua in re spectari potest status desperantium de diuina misericordia, qui adeò rapiuntur in considerationem supplicij inflicti, & sententiæ contra se latæ, vt de Deo nil valeant sibi polliceri. Iudicium diuinum, cùm peccarent, contemnebant, illo iam vrgente, ita se demergunt in eius contemplatione, vt omnem spem salutis abijciant. Nonnulli ex Iudæis putant

putant his verbis Caïnum deprecatum esse suam hanc enormem culpam, quasi diceret interrogando, *Estne grauis adeò mea iniquitas, quàm vt ignosci non possit? Tuô Deus adeò es potens, vt omnia feras, hoc vnum meum crimen tua bonitas ferre non poterit?* Quibus verbis Deum volunt adductum, vt illi vitam relinqueret, imo adiectas esse minas interemptoribus illius, eíque datum esse signum; cùm tamen ei Deus vitam reliquerit ad mœrorem augendum, vel ad generis multiplicationem, & inuentionem illarum rerum, quæ ad victum humanum erant vtiles, vtque hoc exemplo alij deterrerentur ab homicidio. עָוֹן *hauon* à radice עָוָה *haua* prauitatem, malitiam, peccatum, curuitatem significat, quod hæretici perperam hoc in loco pro punitione, seu pœna peccati sumunt ipsis testibus, siquidem Oederanus in lexico ait de culpa dici, metonymicè verò de pœna; rectè peccatum dicitur curuitas, deflectit enim à ratione, & lege diuina, vnde psaltes, *In circuitu, seu curuitate impij ambulant.* Idem significat עָוֶל *hauel*, nempe malum omne, quod ex corde hominis in opus erumpit, & quidem per peccatum homo cùm antea rectus esset, incuruatus est belluarum more. Mentitur autem Amama, cùm ait nos, quos cum cæteris neotericis pontificios vocat, in hoc loco meritum congrui vel fundare, vel inde saltem alere: & מנשא *minneso* pro מנשא *mechinnase*, idest, quàm remitti queat, positum esse, sicut in vltimo versu huius capitis לקרא *liero* pro להקרא *lebikkare*. Quàm verò parum sibi constent hæretici ex eo patet, quod עון vertant alibi iniquitatem, & peccatum, quod hîc nolunt; vide eos 4. Reg. cap. 7. versic. 9. & Psalm. 58. versic. 18. & 1. Reg. cap. 25. versic. 24. cur autem nolunt hîc iniquitatem significare, nisi quia timent, ne aliquid aduersus eorum falsa dogmata inde concludamus? solâ namque peccati resipiscentiâ sine contritione, & satisfactione volunt peccatum remitti, vt habes apud Caluinum tertio Institut. capite quarto, §. tertio, & sectione duodecima, vbi ait, *Sed dico eam* (nempe pœnitentiam) *non operari ad iustificationem, fides enim in verbum Dei iustificat, & purgat:* Vnde sequeretur Caïnum iustificatum fuisse, nec enim legimus eum contra fidem peccasse, sed contra spem; quòd vt vitent hæretici aiunt Caïnum non agnouisse culpam suam, sed pœnam solam confessum fuisse.

Oederan.

Amama.

4. Reg. 7.

Caluin.

Verùm quanti pœnitentia ad peccatorum veniam possit, præter ea, quæ sanctus Ignatius epistol. ad Philadel. Dionysius Areopag. epist. 8. ad Demophil. Clemens Alexandr. lib. pædag. cap. 9. habent, Isidorus Pelusiota lib. 1. epist. 408. audiendus est, vbi hæc habet. Καλὴ μὲν καὶ ἐπαινετὴ ἡ μετάνοια, ἀλλ' ὀλίγοις γέγονε δυνατή· ὁ τοίνυν Θεὸς ὁ θέλων τὴν ἐκ μετανοίας ζωὴν ἡμῶν, ἔβλυζεν ὕδωρ ἐκ τῆς καρδίας σου, δεύτερόν σοι λουτρὸν γενόμενον, καὶ ἑκούσιον κολυμβήθραν, καθαίρουσάν σου τῶν μολυσμάτων τὴν συνείδησιν, ἵνα ποιῇς χαρὰν τοῖς ἀγγέλοις, οὓς ἁμαρτήσας ἐλύπησας, hoc est Præclara quidem & laude digna est pœnitentia, sed pauci eam consequi possunt. Deus igitur, qui nos vitam per pœnitentiam vult obtinere, de pectore tuo aquam educet, quæ tibi pro altero quodam lauacro sit, ac voluntaria piscina, conscientiam tuam ab iniquinamentis repurgans, vt Angelis, quos peccando in mœrorem coniecisti, lætitiæ causam præbeas.

Isidorus Pelusiota de pœnitentiæ virtute.

Testatur autem Deus Isaiæ tertio pœnitentiam esse necessariam, cùm eam imponat, nósque proinde nobis ipsis imponere debemus, vt cùm iudicauerimus nos, non amplius iudicemur. *Et dixit Dominus: pro eo quòd eleuatæ sunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, ambulabant pedibus suis, & composito gradu incedebant: Decaluabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earum nudabit. In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & mitras, & discriminalia, & periscelidas, & murenulas, & olfactoria, & inaures, & annulos, & gemmas in fronte pendentes, & mutatoria, & palliola, & linteamina, & acus, & specula, & sindones, & vittas, & theristra. Et erit pro suaui odore fœtor, & pro Zona funiculus, & pro crispanti crine caluitium, & pro fascia pectorali cilicium:* scilicet vt per quæ quis peccauerit, per illa puniatur. Hîc de desperatione Caïni quæstio facienda esset, nisi latè de ea Scholastici cum D. Thoma 2. 2. agerent; itaque satius erit, si ad textum procedamus.

Isai. 3.

Pœnitentiam Deus iniungit.

VERSICVLVS XIV.

Ecce eÿcis me hodie à facie terræ, & à facie tua abscondar, & ero vagus, & profugus in terra : omnis igitur qui inuenerit me, occidet me.

הֵן גֵּרַשְׁתָּ אֹתִי הַיּוֹם מֵעַל פְּנֵי הָאֲדָמָה וּמִפָּנֶיךָ אֶסָּתֵר וְהָיִיתִי נָע
וָנָד בָּאָרֶץ וְהָיָה כָל־מֹצְאִי יַהַרְגֵנִי׃

Καὶ ἐκβάλλης με σήμερον ἀπὸ προσώπου τῆς γῆς, καὶ ἀπὸ τοῦ προσώπου σου κρυβήσομαι. Καὶ ἔσομαι στένων καὶ τρέμων ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ ἔσται πᾶς ὁ εὑρίσκων με ἀποκτενεῖ με.

CONsidera obsecro verba hominis desperati, qui nesciat quid loquatur præ angustia; cui totus mundus angustiæ videntur, nam quocúnque pergat, nihil solatij reperit. Quod Cain per blasphemiam, & odium effutire videtur, ac si Deus illum è terra penitus eijceret, quod falsum est : deinde infidelis esse videtur, cùm ait se occultum esse futurum à facie Dei, quasi verò *vir aliquis occultabitur in abscondito, & non videbo eum,* (Ierem. 23.) inquit ipse Dominus, Ierem. 23. Vide quomodo desperatus trepidet, & perterreatur ab ipso scelere perpetrato, ac si iam totus mundus contra eum exurgeret. Deus bone, quàm verum est orbem terrarum contra insensatos, & damnatos pugnaturum, cum etiam aliqua ratione id in hoc mundo contingat, sic impius fugit, nemine persequente (Prou. 28.) Prou. 28 : quandoquidem impijs cor pauidum est, vt stupeant ad terrorem eorum quæ (Deuter. 28.) vident iuxta cap. 28. Deuteu. in quo fusissimè describit Moses futura eorum supplicia, qui præcepta diuina transgrediuntur. *Manè dices; quis mihi det vesperum? & vespere : quis mihi det manè? Propter cordis tui formidinem, qua terreberis, & propterea, quæ tuis videbis oculis.* Macte animo quicunque aliquid ab impijs patimini : ne vestri mo-(Psalm 72.)ueantur pedes, aut cum Dauide Psal. 72. vestri gressus effundantur, dum pacem peccatorum videtis, nam si ad Dei Sanctuarium, & iustissima, atque terribilia iudicia accedatis, & consideraueritis impiorũ nouissima, exclamabitis, *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuũ,* qui nostros inimicos ita flagellas : nunc nunc, *dum superbit impius, incenditur pauper,* verùm, *noli æmulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem: Quoniam tanquam fœnum velociter arescent, & qui malignantur, exterminabũtur:* Veniet enim tempus, in quo si libenter ob amorem Dei passus fueris, obseruabis peccatorem, & stridebis super eum, & Dominus irridebit, & subsannabit eum, cuius brachia conterentur, iustus autem germinabit sicut lilium, & florebit in æternum ante Dominum: quapropter si quando te huc, & illuc tentationis vndæ iactauerint, & aduersus diuinam pro-(Psalm 36. 72.)uidentium prouocent, perlege psal. 36. & 72. & totum librum Sapientiæ, præcipuè verò cap. (Sapient. 4. & 5.) 4. & 5.

Ecce ergo eÿcis me à facie terræ: quod aliqui de terra illa explicant, in qua cum parentibus habitabat, vt iam non sit amplius cum illis conuersaturus: *& à facie tua,* i. à fauore, & præsidio singulari, quo me prosequebaris : vbi cernere licet impiorum, & hominum terrenorum animum, qui terram, & præsentem vitam bonis omnibus etiam cœlestibus præferunt, qui sicut mortem existimant esse malum summum, ita vitam pro summo bono ducunt, neque Deum timent, nisi quia potest illis irrogare supplicia, facturi, si possent, ne Deus vllus esset vindictæ potens, & iustissimus.

Notant verò dictionem גרשת *gerasta* significare eiectionem cum ignominia, qualis est, cùm maritus vxorem adulteram expellit, atque repudiat : & esse præteriti temporis, *eiecisti me,* quia solent Hebræi rem præsentem, seu quæ imminet per præteritum exponere, vel per participium præsens. *Et à facie tua abscondar.* i. vt aliqui conijciunt, à societate parentum dulcissima, qui tibi cultum debitum exhibent, & quibus tui fauoris signa manifesta ostendis, vel tanto metu me percutis, vt tuam præsentiam cogar fugere.

Et ero vagus, & profugus in terra, vt iã antea Deus illi prædixerat : *Omnis qui inuenerit me, occidet me:* quibus Deum rogare videtur, ne mortem incurrat, ne grauiùs puniatur, quàm condemnatus fuerit : & quidem ex eo quòd profugus, & palabundus huc illuc iturus esset, sequebatur eum facilè occidi posse, siue à feris, siue ab hominibus : nec in dubium reuoco multa iam prognata fuisse hominũ millia, cùm fluxerint anni ab Adamo creato 130, cùm cædes Abel contigit, vt conijcere possumus ex eo quod statim agnoscat Eua Seth loco Abelis sibi datum esse, quem anno 130. suæ ætatis genuit Adam, & per quem successiones generationum vsque ad Christum Dominum enumerantur. Quod autem ingens hominum multitudo tunc temporis extiterit, ex duobus colligi potest, primò, quia probabile est illo mundi initio mulieres admodum fœcũdas fuisse, & singulis

& singulis annis prolem vel vnam, vel geminam, aut etiam plures vno partu edidisse, vt citò terra repleretur. Secundò ex ipso textu: *Omnis qui inuenerit me*; quibus satis innuit se mox atque à Dei conspectu exierit, occisum iri, siue quia quilibet eum, vt homicidam ex signo ei impresso cognoscet, siue quia non eum agnoscet. Qui tamen existimant nondum alios homines extitisse, sed solos protoplastos admittunt, illud omne ad feras referunt, quandoquidem genere neutro πᾶν in quibusdam exemplaribus Græcis legi aiunt.

Qui verò ciues alios mundi arbitrantur, ab eo ciuitatem Henoch exædificatam aiunt, in quam fugiens se receperit. At Hebræi putant Abelem tantùm in mundo fuisse per 51 dies, fortè quia 50 post Pascha die primitiæ frugum offerũtur; quòd si verum esset, quomodo Abel potuisset offerre sacrificium? quomodo fratrem audire, & eum sequi, cùm dixit, *Egrediamur foras?* nec enim infans 51 dierum ea munera obire potest. Itaque legitimus sensus ille mihi videtur, qui iam plures homines in terra degentes supponit, quamuis Scriptura aliorum ante Cain & Abel filiorum, aut filiarum, quas susceperint Adamus, & Eua, non meminerit, cùm tamen certum sit Cain habuisse sororem, gemellam necne in medio relinquo, quam vxorem accepit, id enim tunc necesse fuit, vt genus humanum propagaretur. Falsum enim est, quod aliqui commẽti sunt Caïnum rem cum matre sua habuisse, & ex ea filias genuisse, ex quibus vxorem duxerit. Sed alia in sequentibus afferentur, audiamus verba Domini.

VERSICVLVS XV.

Dixítque ei Dominus: Nequaquam ita fiet; sed omnis, qui occiderit Cain, septuplum punietur. Posúitque Dominus Cain signum, vt non interficeret eum omnis, qui inuenisset eum.

וַיֹּאמֶר לוֹ יְהוָֹה לָכֵן כָּל־הֹרֵג קַיִן שִׁבְעָתַיִם יֻקָּם וַיָּשֶׂם יְהוָֹה לְקַיִן אוֹת לְבִלְתִּי הַכּוֹת אֹתוֹ כָּל־מֹצְאוֹ׃

Καὶ εἶπεν αὐτῷ κύριος ὁ θεός, οὐχ οὕτως πᾶς ὁ ἀποκτείνας Κάϊν, ἑπτὰ ἐκδικούμενα παραλύσει. Καὶ ἔθετο κύριος ὁ θεὸς σημεῖον τῷ Κάϊν, τοῦ μὴ ἀνελεῖν αὐτὸν πάντα τὸν εὑρίσκοντα αὐτόν.

TExtus Hebræus paulo aliter habere videtur. Nam pro nequaquam fiet, tantùm habet לָכֵן propterea. i. in veritate, certè, vt Vatablus notat. Eugub. *Imo sic*, vel *hoc modo erit*: 70. tamen legerunt οὐχ οὕτω, *non ita* (erit supple) vt לָכֵן *lachen* sit oratio elliptica Caïni dictum reijciens, ideóque vulgata supponens inesse tacitam refutationem, ait, *nequaquam*, non ita te quispiam obuius occidet. Vbi duplicem sensum excogitare possumus, vel ita ut Cain antea mortem deprecatus fuerit: ac si versu præcedenti dixisset: Si sic me eijcis à facie tua, heu quantæ me pœnæ, & tribulationes manent, semper errabo palabundus, & timens singulis momentis, ne quis mihi morte infligat, quanto mihi melius erit, si iam ipse ob meum peccatum occideris: cui Deus respondeat, non ita fiet profectò, nec statim morieris, vt optas, ne pœna tua finiatur, volo enim vt diu viuas super terram, & ipsa vita sit tibi morte grauior, sisque portentum omnibus viuentibus, & tuæ pœnæ exemplo quiuis ab homicidio deterreatur. Volo vt sic, improbe, viuas, alioqui si quis te statim occideret, septuplicem tuam pœnam finiret, quam debes exoluere, quippe qui 7. peccata commisisti: quandoquidem ficto animo sacrificium obtulisti, fratri inuidisti: spreuisti ipsam Dei admonitionem: fratrem eduxisti fraudulenter, & vt Iudæ prototypus, ei dixisti, Aue frater, vt ille, Aue Rabbi, cùm tamen altissimum in fratrem odium concepisses: deinde illum crudeliter occidisti, peccatum vero Deo roganti negasti, denique desperasti: pro quibus omnibus longa supplicia volo perferas, ideóque nemo te occidet. Verùm alius sensus melior est, nempe Cain à Deo petijsse, ne à quolibet occideretur, quamuis id murmurando, atque desperando postulare videretur: vel potius satis ostendisse, quomodo vitam desideraret, qui ita mortem timebat, vt de ea maximè conqueri videretur.

7. Peccata Caini.

Nonnulli conijciunt, nec ineptè Septuaginta legisse לֹא כֵן *lo chen*, quod de verbo ad verbum reddidisse videntur οὐχ οὕτω. *non sic ita fiet, vt times.* Sed quicunque occiderit Cain. Septuplum punietur. שִׁבְעָתַיִם יֻקָּם *sibbathaim iukam*: quod diuersi vario modo verterunt: Nam Septuaginta habent, ἑπτὰ ἐκδικούμενα παραλύσει. i. vindictas exoluet. Procopius, septuplum vindicabitur: alij septemplicitet ἑπτάχα, vel ἑπταχῆ. Vnde D. Hieron. epist. 125. ad Damasum habet. *De eo autem quod Aquila posuit, septemplicitet, & Symmachus hebdomas, siue septimus vlciscetur, maiorum nostrorum sententia est, quòd putent in septima generatione à Lamech interfectũ Cain.* Procopius id latiùs explicat, dum ait numerum septimum hîc pro perfecta pœna intelligi debere, iuxta id Scripturæ, *Percutiam vos septies pro peccatis vestris, & refunde vicinis nostris septuplum in sinum eorum*: Et in Leuitico. *Adijciam vt vos infirmam septem plagis propter peccata vestra.* Quidam magis

LXX. Procop. Hieron.

propriè locum istum interpretantur, dicentes: oportet Caïnum septies puniri ob commissum parricidium. Aquila sic vertit. Septies vindicabitur. Symmachus. Septies dabit pœnas. i. vt aliqui volunt, in septem generationibus pœnas pendet. Verùm Hebræus post dictionem, interficiens, punctum locat. Nam (vt quidem perhibent) Deus repetit orationem Caïni, inquiens. Non sicuti ex te audiui: omnis te interficiet. i. non sic perimere: Nec omnis qui te inuenerit, te occidere instituet, & quasi ab alio principio infert: Cain septies vindicabitur. Vindicabitur verò dicens, intelligit septem vltiones, quæ in caput Cain sint redundaturæ ob trucidatum Abelem.

Aquila. Symmach

Voluit ergo Deus Cain remanere, tametsi fratricidam, cui satiùs fuisset mori illico, & septuplicem vindictam ei minatus est, qui Caïnum occideret, qua pœna mortales ab homicidio deterrere voluit: illa verò supplicij diuturnitate quis dubitat eum ad pœnitentiam inuitare? *Sibbataim* ergo septuplum significat, vt psalm. 12. videre est, vbi eloquia Domini comparantur argento septies expurgato, & Isai. 30. lux solis futura septupla, seu 7. dierum dicitur, item Prouerb. 6. fur deprehensus redditurus est septuplum. i. multo ampliùs, quàm quod furatus est. Hîc autem שבעתים non significat bis septem, aut septies septem. i. 49. vel etiam septies 49. i. 343. vt quidam loco cit. Isaiç exponunt, vt hîc monet Aben-Ezra.

Psalm 12. Isai. 30. Prouerb. 6. Aben Ezra.

Sunt qui mirentur, quomodo is septuplo quàm Cain grauiùs puniendus sit, qui eum occiderit, cùm tam scelestus sit, & velut impiorum exemplar: sed nondum conueniunt Interpretes, quomodo septuplum intelligi debeat, an nimirum ad Cain referendum sit, vt sit sensus eum septem vindictas, & supplicia Cain terminaturum, qui eum occiderit. i. omnes pœnas exoluturum: quia vitam eius, quæ alioqui longissima futura esset, abbreuiaret, ac proinde Cain non tot supplicia perferret, quot si diutiùs vixerit, pertulisset: Hoc ferè modo cùm aliquem arthritis doloribus, calculo, hydrocele, morbo comitiali, aut alijs frequentibus morbis, & aduersitatibus tentari, & penè confici videmus, dicimus, quantam ei gratiam Deus faceret, si eum tolleret è mundo, nec enim tot miserijs conflictaretur, alioqui eius vita continuæ morti simillima est. Hebræi post illa verba, *Qui occiderit Cain*, quiescunt: Deinde velut membrum distinctum legunt: *septuplum punietur*, vel iuxta Theodot. septimus vlciscetur, nempe Cain, qui in septima generatione à Lamech occisus fuerit, quando iam à Cain 7. generationes processerant.

Attamen si sensum hunc cum multis sequimur, eum grauioribus supplicijs afficiendum, qui Cain occiderit, ex hypothesi, quòd non ita grauiter peccaturus sit ac Cain: dicere possumus temporalem pœnam, quæ hîc exhibetur, nec semper magnitudini culpæ respondere, nec è diametro cum ea pugnare, ideóque propter alias causas, vt ex peculiari prohibitione, vel ad terrorem pœna illa crescere potest, vt hîc, vbi Lamech cum septem generationibus filiorum in diluuio submersus est.

Tametsi verò numerus septenarius hîc pro incerto, seu pro magno numero sumi possit, attamen D. Chrysost. Procopij, Cyrilli, & aliorum conatus laudabiles sunt, qui hic 7. Caïni peccata, & 7. supplicia venantur, vt partim antea diximus, partim verò postea dicturi sumus, vbi notandum est obiter numerum binarium, & alios vsque ad 5. pro paruo numero sumi solere in Scriptura. Ita vidua Sarepta 3. Reg. 17. ait colligere se duo ligna. i. pauca, septem verò, 8, &c. vsque ad decem sumi pro multis.

Chrysost.

3 Reg. 17.

Habemus autem viros Catholicos, qui sensum alterutrum sequuntur, vel vt sit Aposiopesis in primo membro, *Qui occiderit Caïnum*, subaudi יקם grauissimè in eum animaduertam, vel aliquid eiusmodi, quia volo, vt durantibus 7. generationibus terrori sit omnibus, ne quis homicida euadat. Ita Lyran. Abul. Chart. & Peret. Aliud membrum non de occisore Caïni, sed de ipso Caïno intelligunt, subaudiendo כי quia in generatione septima punietur Cain, tandem enim post 7. generationes de eo vindicta sumetur. An verò post 7. generationes vnicuique eum occidere licuerit, & an impium, ac scelestum hominem occurrentem vnusquisque authoritate priuata interficere possit, videantur Summistæ. Vbi verò de Lamech agemus, discutiemus, an 7. generationes præterlapsę fuerint à tempore Cain, & an Caïnum occiderit necne: quem alterum sensum plurimi item Catholici interpretes sequuntur, vt Lamech eum occiderit, & propterea grauiora supplicia pertulerit, quia etiam signo cauerat Deus, ne quis eum interficeret, & tam longam vitam pro continua morte ei largitus fuerat. Iuuat autem nonnulla ex Procopio depromere, qui ait non esse mirabile, quod Cain septies pro commisso scelere puniatur, quia iusti iudicis non est æqualibus æqualia vel præmia, vel supplicia decernere. Necesse est enim, vt is, qui malum dederit, auctius damnum datum compenset, quo ipse inde melior euadat, & suo exemplo deinde cæteros corrigat, & à malo deterreat. Igitur peccata Cain reperies septies vindicata, siue consideres iudicem pœnas exposcentem, siue Caïnum delinquentem: de 7. peccatis iam bis diximus, paucas enim variat, quia primum peccatum facit inuidiam, quòd ei præferretur Abel. 2 dolus, cùm foras illum eduxit. 3 cædes. 4. fraterna. 5, quòd fuerit primus homicida, & pessimi exempli author impius. 6, quòd luctum parentibus attulerit, denique Deo mentitus est.

Lyra.

Procopius.

7. Peccata Caïni iuxta Procopiū.

Pœnæ verò sequuntur. Prima quidem terræ maledictio: 2. coles eam magno labore. 3. non tibi pro sua facultate fructus profundet. 4. & 5. gemens, & tremens eris super terra. 6. in ipse commemorat, si me relegas, & à vultu tuo abscondar. 7. fuit signū, quo notatum est, ne possit eius peccatum, vel supplicium celari, & omnes dicerent, iste est insignis nefandi sceleris patrator, & impius carnifex, & quidem magis ab homicidio cæteros auertere potuit, quod viderent fratricidam pœnas expendentem, quàm si morte deletus fuisset, & tantùm audiuissent. Quidam Caïnus capite supplicium luit, quia fratrē occiderat, fortiùs enim mouent exempla, quàm verba. Tribus alijs modis peccata Caïni numerat, qui ferè recidunt cum prædictis.

7 Pœnæ illius.

Alij referunt ad 7. spiritus, qui sicut requieuerūt super illo, qui egressus est de radice Iesse, ita & Abeli incubuerint, vt ex eius pietate colligunt, quos iniuria Cain affecit, ideóque pœnas illas suffert, vt iam vbique Iudæi supplicia suæ crudelitatis perferūt, sunt enim profugi, peregrini, & aduenæ,

7. Spiritus Abelis.

aduenæ, qui ne penitus interciderent, signo notati sunt, ideo enim seruatæ sunt reliquiæ, & instar Caïni exierunt à conspectu Dei, qui orationes eius non exaudit, quia manus habent plenas sanguine, postquam autorem vitæ Christum Dominum interfecerunt, & clamauerunt, *sanguis eius super nos, & super filios nostros*, qui tamen sanguis pro nobis fusus vociferatur aduersus Iudæos, & pro nobis meliora, quàm sanguis Abel postulat à patre, inquit D. Paulus.

Posuitque Dominus Cain signum. לְקַיִן *lekaijn* ipsi Caïno, vel in Cain אות *oth* signum, literam. Omnes in dubium reuocant, qualenam fuerit signum illud, quod alij membrorum tremorem faciunt, id enim à singulis occurrentibus videri potuit, vt rogatus à quopiam, vnde tremor huiuscemodi proficisceretur, ipse responderet, quia fratrem interfeci. Alij canem volunt eum præcessisse, qui ei viam ostenderet, qua tutus incederet. Alij eum inde notabilem fuisse, quod sanguinolentis oculis, truculenta, atque torua facie fuerit. Alij cornu ad frontem eius excreuisse. Alij literam sui nominis ק fronti inscriptam habuisse, cùm *oth* literam significet. Nehemanides autem vultum ei adeò truculentum, & horribilem fuisse putat, vt quicunque eum aspexissent, in fugam illico conuerterentur. Alij posuerunt literam aliquam ex nomine tetragrammato, vt diuina clementia significaretur, qua etiam erga maledictos vtitur; possem pari iure literam comminisci ex nomine Elohim, vt in eo iustitiam diuinam conspicuam cerneremus, & inde cauerent homines incidere in manus Dei viuentis, quod terribile est, Scriptura teste. Malunt alij literam ex nomine תשובה, id est pœnitentia, vt scirent omnes eũ pœnitere, ideóque ei parcerent, & necessaria ad vitam suggererent, eo ferè modo, quo fieri solet erga eos quos flagello se verberare cernimus, quos pœnitentes vocant. Nunquid & ת dici potest inscriptum, sicut Ezech. 9. vt ei parceretur? Alij, teste Aben Ezra, datum ei signum aiunt, audaciam, & confidentiã, vt neminem timeret; ipse verò putat signũ fuisse, vt fidem haberet verbis Domini. Quid si dixerimus eum vel in vestibus, vel in aliqua visibili parte corporis scriptam habuisse causam, cur ita palabundus esset, nullibi consisteret, nempe quia fratrem crudelis interfecerat, quis arguet, nisi quia id expressum non est. Video tamen opinionẽ magis tritam, & à Patribus receptam esse, quod ipsa membrorum concussio, & tremor fuerit signum illud. Sunt autem qui sic explicent; posuit Dominus Cain in signum, sicut & impiũ quemlibet tam iræ Dei, quàm eius misericordiæ, quandoquidem ipsis etiam benefacit. *Vt non interficeret eum omnis*, id est, nullus; quod in Scriptura frequentissimum est, quando particula negatiua sequitur, vel præcedit, omnis. vt Exod. 20 *non omnẽ similitudinem*. i. nullam; *& non facies omne opus*. i. nullum Psal. 118. *non dominetur mei omnis iniustitia*. i. nulla, quod notauit Euthymius.

Tredecim sententiæ de signo imposito Cain.

Ezech 9. AbenEzra.

Exod. 20. Psal. 118.

Euthym.

Porro duæ sic se hîc offerunt difficultates, quæ ex ipso contextu nascuntur, nempe vtrum cuilibet homini etiam authoritate priuatâ licuerit Caïnum interficere, cum ipsius naturæ videatur inimicus, quippequi fratrem innocentem occidit, & à Deo perpetuo exilio mulctari videatur; deinde cur omne genus pœnæ numero septenario potiùs, quam alio, & quiuis numerus per illum designetur: At has quæstiones in aliud tempus reijcio, ne tomus hic nimis intumescat, in quo 6 prima capita Genesis includi volo.

VERSICVLVS XVI. ET XVII.

XVI Egressus Cain à facie Domini, habitauit profugus in terra ad orientalem plagam Eden.

XVII. Cognouit autem Cain vxorem suam, quæ concepit, & peperit Henoch: & ædificauit ciuitatem, vocauitque nomen eius ex nomine filij sui Henoch.

XVI. וַיֵּצֵא קַיִן מִלִּפְנֵי יְהוָה וַיֵּשֶׁב בְּאֶרֶץ נוֹד קִדְמַת עֵדֶן׃

XVII. וַיֵּדַע קַיִן אֶת־אִשְׁתּוֹ וַתַּהַר וַתֵּלֶד אֶת־חֲנֹךְ וַיְהִי בֹּנֶה עִיר וַיִּקְרָא שֵׁם הָעִיר כְּשֵׁם בְּנוֹ חֲנֹךְ׃

XVI. Καὶ ἐξῆλθε Κάϊν ἀπὸ προσώπου τοῦ θεοῦ. Καὶ ᾤκησεν ἐν γῇ Ναὶδ κατέναντι Ἐδέν.

XVII. Καὶ ἔγνω Κάϊν τὴν γυναῖκα αὐτοῦ. Καὶ συλλαβοῦσα, ἔτεκε τὸν Ἐνώχ. Καὶ ἦν οἰκοδομῶν πόλιν. Καὶ ἐπωνόμασε τὴν πόλιν ἐπὶ τῷ ὀνόματι τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ Ἐνώχ.

EXit impius à facie Domini quatenus peculiari illius gratiâ destituitur, vel qui non credit iustitiam diuinam vbique pertingere, in aliam terræ partem vergit: alij per

faciem Domini locum, conuentum, seu Ecclesiam intelligunt, in qua diuinæ laudes celebrantur, quia parentes relinquit actus in exilium, & velut excommunicatus. O miserum exitum, quem Psaltes abhorrens, orabat psal. 50. *Ne proijcias me à facie tua*.

מִלִּפְנֵי *Millipne ab ad coram facie*, quia duæ sunt literæ seruiles ante פְּנֵי ; מ elongationis est, & motum à loco significat, sicut ל approximationis.

Quid sit terra Nod discutitur. *Habitauit profugus in terra*: Hebraicè, habitauit in terra נוד *Nod*, quod alij, vt vulgata sumit appellatiuè, in terra vagationis, & exilij, vel exul, & vagus in terra suam sententiam exequens, vel in terram, in quam post scelus perpetratum rei demigrare solebant, vt volunt Hebræorum aliqui. Paraphrastes Chaldæus, & Nehemanides vulgatæ fauent; vertunt enim, in terra vagus, & mobilis, non quòd oberrauerit in toto mundo, vt hic ait, sed quod in ipsa terra iugiter vltro, citróque migrarit, sic vt in nullo loco eius terræ quietem habuerit, à quo ipsa terra *Nod* perpetuum nomen sortita est. Nonnulli verò terram hanc quocúnque locorũ Cain venerit, sub eo tremuisse aiunt, quod cùm viderent homines, dicebant subinuicem, *fugite*, is enim est crudelis ille homicida, qui fratrem suum occidit, ita refert R. Salomon. R. Salomō. Potuit autem illa terra vocari *Nod* propter illius vagationem, & exilium, quia in ea huc illuc oberrauit. Habitauit igitur. קִדְמַת *Kidmath* ad partem anteriorem, seu orientalem Eden, vt enim Occidens dicitur posterior mundi pars, ita Oriēs anterior, & prima, quia sol ab ea parte oritur, qui præcipua mundi corporei pars esse videtur. Nec quidem mysterio vacat, quod & primi parentes ad Orientem eiecti sint, & illuc aufugerit Cain, atque vrbes refugij ibidem collocatæ sint, quò se receperint, qui fortuitam cædem patrauerant, tres nempe citra, & 3 vltra Iordanum: fortè quia ab Oriente, & à summo cœli throno aduenire debebat, qui vnicum homicidarum & omnium peccatorum refugium erat Christus Dominus; hic enim est *Oriens* ille, *qui visitauit nos ex alto, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis*.

Sunt qui putent Cain non ampliùs vagum fuisse in illa terra, sed tantùm profugum, quia hîc tantùm legitur נוד, & non נע, vnde nihil firmi concluditur, quia נוד vtrúmque significare potest.

Certum est autem Deum, vel Angelum nomine Dei Caïno apparuisse, qui prædictas pœnas imposuerit contra nonnullos, qui volunt ab Adamo, vt Dei ministro totam præcedentem condemnationem factam fuisse: hinc fit, vt sensum literæ retineamus, quamuis id vel per Adamum, vel per reuelationem, aut arcanum instinctum pro Dei voluntate fieri potuisset.

Procop. Nolim autem omittere, quod habet Procopius; si quis propriè reddere velit dictionem *Nod*, eam interpretabitur salum. Nam quæ sedes conuenientior erat deficienti à virtute, quæ concordiam, & pacem gignit, quàm salum mobile, & instabile, quod meritò malitiam, seu vitium nuncupaueris? Meritò igitur incolit Salum perturbatam gerens conscientiam; sed ea potiùs tropologiam spectant, quàm sensum literæ, nec enim Scriptura maris meminit, imo contrarium habet, Massora. dū asserit eū egressū esse in terrā *Nod*. Massora hîc notat *Nod* cū ל וסל ו .i. וּמְלֵאָה לֵית *leth oumale*, hoc est non occurrit ampliùs, & plenè scribitur. Sed ineptit Amama, dum vulgatam arguit, quod vertat in terra, cùm tamen *Nod* terram vagam, & profugij significet, vt ipsi Nouatores eo longè doctiores fatentur, Fagius, Mercerus, Drusius, & alij. Amama arguitur. At non est mirum, si cæcus cæcutiat, & qui lynceos oculos habere credit, non videat: Debuisses à tuo Mercero discere נוד *Nod* idem significare, ac נע ונד *Vagum & profugum*. Fatemur autem 70. vertisse ἐν γῇ ναὶδ κατέναντι ἐδὲμ sed nihil contra nos, nec enim negamus terram, in quam Cain fugit, *Nod* vocatam fuisse. At pecus illud Arcadicum relinquamus, nec enim dictionarium ipsum aut intellexisse, aut legisse videtur, in quo נוד *Nod*, & נד idem significant, nempe, *motus, agitatus, vagatus est, fugit, migrauit, exulauit*, & ניד *Nod* significat motionem, fugam, vagationem, & exilium: Itaque licet *Nod* nomen loci proprium designare possit, vt innuit Iosephus 1. antiq. cap. 3. vbi ait Cain vrbem Naïda condidisse: Iosephus. attamen appellatiuè sumpserunt Targum, & D. Hieron. Hieron. *Nod* præterea significat vtrem, & pellem, qua vinum, & oleum deferri solet, & scribitur etiam cum א נאד, denique idem est per metonymiam ac *condoluit, consolatus fuit, & commiseratus est*, quod ij, qui solantur alios se de infortunio dolere nutu, gestúque capitis ostendant. Adde quod D. Hieronym. in quæst. & de locis hebraic. *Nod* vertat σαλευόμενος, & salum. i. fluctuans, instabilis, & sedis incertæ: motio, & fluctuatio: sic etiam Chrysost. Chrysost. explicat.

Versic. 17 *Cognouit autem Cain vxorem suam*. Non fuit necesse eum sororem accipere in coniugem, sed cognatam potuit, cùm sit admodum probabile multas tunc temporis mulieres productas fuisse, multaque matrimonia præcessisse, adeout mulieri Cain iungi potuerit, quæ ne quidem eius cognata in 2, 3, & 4. gradu fuerit: Nec obstat, quod Scriptura non meminerit aliorum, quàm Abelis, & Cain vsque ad 130 annum Adæ, quia non omnes Scriptura commemorare solet, sed tantùm eos, per quos Christi Domini genealogia texitur, vel qui in aliqua arte, aut malitia insignes fuêre, vel quos ob alias peculiares rationes producit, vt in progressu constabit.

Cognouit ergo Cain vxorem, siue iamdudum ante cædem Abel eam duxisset, & sæpiùs cognouisset, siue postea vel duxerit, vel antea ductam primò cognouerit, parum refert, nec alioquin Scriptura declarat. Hîc autem Lucumones nouos Lutherum, Caluinum, & Musculum lepidè, & argutè quidam irridet, quòd primus miretur, cur Moses priùs de generatione Cain, quàm de generatione Seth agat: rectè si quidem iuxta temporis ordinem, quia Cain præcedit: secundus portenti, monstrique loco existimet, quod Cain profugus ad vxorem, & liberos animum adijcere potuit: tertius, quòd homo sanguinarius, & hostis naturæ genus humanum propagare affectarit, quasi verò non idem nunc ab homicidis peragatur, & ab exulibus, quando suas secum vxores habent. Potius ego mirarer si homo terrenus, & præsidio diuino destitutus, carnali voluptati animum, & corpus non applicaret, quandoquidem Dei gratia requiritur, vt quis ab huiuscemodi voluptatibus, si sint obuiam, abstineat.

Mihi verò placet eorum coniectura, qui censent Henoch

Henoch non fuisse Caïni primogenitum, ne dicamus eũ ab vxore 130. annos abstinuisse, licet Scriptura tantùm meminerit Henoch quia ex eius posteris natus est Lamech, qui fratricidiũ Caïni vltus est. Et quidẽ tunc cum ciuitatẽ Cain ædificauit, plurimos iam fuisse certum est: nec enim 3. a. 4. ciuitatem ædificant. Vbi sanè Dei bonitatem mirari debemus, qui homini tam impio neque prolem, neque vrbis constructionem, nec alias artes denegat, quibus licet ex peruerso fine incumbat, ex iis tamen bona plurima Deus elicit.

Sunt autem multi Patres, qui cùm supponere videantur alias mulieres non fuisse præter sorores, vni Caïnum matrimonio iunctum fuisse, quod tunc licebat, volunt. iam verò nequidem in hoc gradu dispensationem fieri videmus.

Quæ concepit, & peperit Henoch חֲנוֹךְ à חָנַךְ quòd *instruere, & erudire* significat, quòd paternis moribus egregiè imbutus fuerit: vbi tamen Scriptura rationem non affert, cur ita vocatus sit, vel an à patre, vel matre. Cùm autem hæc dictio metaphoricũs significet, *dedicauit, consecrauit, & primordia rei cuiusque fecit, & initiatum, & tyronem, imo & natum*, Hebræi חָנִיךְ *chanic* appellent, vt

Gen. 14.

videbimus Gen. 14. v. 14. hinc fit, vt conijciam hunc Caïni filium appellatum fuisse חנוך *chanoc*, quia domus, & familia Caïni per hunc filium initiata fuit; nec absurdum est, si dixerimus nostros parentes primos sese exhilarasse, & conuiuia magnifica instruxisse, quando eis infans aliquis nascebatur, maximè verò si fuisset primogenitus, quia tunc eorum domus & familia capiebat exordium, & incrementum. Vnde forsitan deriuatum est, quod postea Iudæi in ipsa templi dedicatione tantam celebritatem instituerunt, sciebant enim se non domum peculiarem, sed magnã Dei domũ, & familiam omnibus fidelibus communem instituere. Hinc 4 factæ sunt initiationes, quarum

3 Reg. 8. 4. Templi dedicationes.

prima fuit in Autumno, quando templum Salomonis 3. Reg. 8. v. 63. dedicatum est. יחנכו *iachnecou* 70 ἐνεκαίνισαν dedicauerunt: secunda fuit in vere, quando templum secundum Zorobabel, & Iehu sacerdotis 1. Esdræ cap. 6. vers. 16. etiam dedicatum

1. Esdr. 6.

est: sicut & tertia, quando Iudas Machabæus altare instaurauit & dedicauit mense nono, quod quinquennio ante prophanatum fuerat ab Antiocho Epiphane, & contigit secundum aliquorum computum annis 161. ante Christum 1. Machab. 4. & 2. Mach. 10. quod postea singulis

1. Mach. 4. 2. Mach. 10 Ioh. 10.

annis etiam tempore Christi obseruatum est, vt patet cùm Ioh. 10. vers. 2. ἐγκαίνια in Ierusalem facta esse leguntur in hyeme, de qua dedicatione Ioseph BenGorion hæc habet lib. 3. cap. 13. Iudas

Ioseph BenGorion

filius Mathathiæ fecit dedicationem noui altaris in mense Kisleu, die 25. eiusdem, & posuerunt panes propositionis, accenderúntque lucernas, & laudauerunt Dominum 8. diebus continuis; vnde festum hoc הַנֵּרוֹת דְּלָקַת *dallakat hannerotb*, accensio luminum appellata est; quod ex insperato tanta nobis illuxerit festiuitas, inquit Ioseph. 12. antiq. c. 11. Quarta denique facta est

Iosephus.

ab Herode, qui cùm templum secundum 8. annis extruxisset, idque meliori artificio, quàm Rex Salomon illud ante Christum natum septimo dedicauit. Henoch igitur fuit initiatio domus Caïni, quam vtinam Deo dedicasset.

Et ædificauit ciuitatem. Quæ nempe nempe nomine filij Henochia dicta est, quam aliqui ponunt in India: alij, vt Berosus, referente Oleastro, circa Libanum montem. D. August. 15. de ciuit. c. 8. sa- Oleaster.

tis insinuat Enoch non fuisse primogenitum August.

filium Caïni, sed alios præcessisse: cúmque pauciores homines tunc extitisse censeat, arbitratur etiam longè tantùm post Enoch natum illam ciuitatem institutam, & nominatam fuisse, legatur ibidem. Procopius verò, vt hanc paucorum difficultatem fugiat, conijcit familiam nomine Procop.

ciuitatis appellatam esse, quæ in vna degebat domo. Et ipse homo si per se consideretur, est velut parua ciuitas, dum ad similitudinem ciuitatis suum gubernat animum: postea verò D. August. sententiam proponit, nempe Mosem, quæ longo interuallo temporis insecuta sunt, hîc per anticipationem commemorare.

Quidam autem Hebræi propter illa verba, quæ tempus imperfectum continere videntur, וַיְהִי בֹּנֶה עִיר *vaiehi boneh hir, & erat ædificans ciuitatem*, aiunt toto vitæ suæ tempore Cain in ea Quare Cain ciuitatem construxit.

construenda occupatum fuisse, & huc illuc vagatum redijsse, sed nunquam perfecisse, vt explicent, quomodo diuinum supplicium instabilitatis totâ vitâ pertulerit.

Sed iam inquiramus, quamobrem non contentus paterno tugurio, vel aliquâ humili casâ 1. Opinio.

ciuitatem construxerit. Plurimi id fecisse metus causâ volunt, vt in vrbe tutior esset, ne à feris impeteretur cum sua progenie, quam ob causam Plato in Protagora censet vrbes conditas fuisse. Plato.

Ab initio, inquit, *sparsim habitabant homines, necdum ciuitates erant, interibant à feris, quia vbinis infirmiores erant. Verùm ars opificia* δημιουργικὴ τέχνη *illis satis adiutorij præbebat ad cibum consequendum, verùm in bello contra feras debilis erat, quia nondum ciuilem artem habebant, cuius pars est ars bellica, vt ergo in vnum congregarentur, & saluarentur, vrbes extruebant.*

Secundam causam alij afferunt, vt se suósque 2

ab inimicorum, vicinorúmque iniuriis protegeret: qua etiam de causa Thebas mœnibus ab Amphione, & Zetho fratribus cinctas fuisse refert Homerus in Odyss. λ. sic enim inferiores Homerus.

& debiliores aduersus potentiorum latrocinia sese tuentur. Alij verò è contrario putant vrbem 3

ædificasse, vt meliùs latrocinia sua, & tyrannidem exerceret: quam suos omnes vnâ cum cæde docebat, teste Iosepho: quomodo fures insignes certas arces, castella, turres, aut etiam vrbes habent, ad quas post rapinas & cædes sese recipiant, qui sæpiùs etiam cauernis, & syluis densissimis pro arce vtuntur. Sunt qui referant ad superbiam, & ambitionem, quandoquidem impij 4

regnare appetunt, sibique nomen facere conantur, iuxta Psalm. 48. *vocauerunt nomina sua in ter-* Psal. 48.

ris suis; cùm tamen viri iusti hæc omnia facilè contemnant, & cum Psalte suspirent ad patriam celestem dicentes. *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum: Concupiscit, & deficit anima mea in atria tua. Transibo in locum tabernaculi vsque ad domum Dei.* Vide, inquit, Chrysostom. quomodo hominibus factis mortali- Chrysost.

bus studium fuit, vt immortalem memoriam suam facerent, partim ex filiis, quos generabant, partim ex locis, quibus filiorum nomina imponebant Rupert. ait homicidium fuisse 5

causam primæ ciuitatis, in qua se absconderet Ruper.

Cain, quia omnium odio, sannis, & scommatibus excipiebatur, cum vagus ambularet.

Possumus etiam conijcere ideo ciuitatem ab eo constructam, vt vnà cùm suis vitam agere, & ab iis opem implorare posset, si quæ ei pericula
Aristot. imminerent, iuxta sententiam Arist. qui 1. polit. ait hominem esse πολιτικὸν ζῶον, magis, quàm vllũ animal gregale; vnde concludit ipsa natura ciuitatem esse. Per hanc autem ciuitatem, quæ videtur esse
Plinius. prima totius mundi, (licet Plin. l. 7. c. 56. putet primam fuisse Cecropiam ab Attico Cecrope con-
Strabo. structam, & ἀκρόπολιν vocatam: Strabo verò Argos, seu Pelasgum, Ægyptij Diospolim, seu Thebas) D. Hieron. epist. ad Marcell. mundum intel- Hieron.
ligit, quem diabolus, & Cain eiusque posteri vitiis, atque sceleribus construxerunt. Verùm istius perfidi genealogiam aggrediamur, nam filij terrenæ ciuitatis primi crescunt, & ædificant, cùm iusti intereant, quibus nomen Domini sufficit, quod est turris fortissima Prou. 18. *veruntamen.* Prou. 18. & 20.
Hæreditas ad quam festinatur, in fine benedictione carebit. Prou. 20. *iusti autem in perpetuum viuent, & bene illis erit in nouissimis.*

VERSICVLVS XVIII. ET XIX.

XVIII. Porrò Henoch genuit Irad, & Irad genuit Mauiaël, & Mauiaël genuit Mathusaël, & Mathusaël genuit Lamech.

XIX. Qui accepit duas vxores, nomen vni Ada, & nomen alteri Sella.

XVIII. וַיִּוָּלֵד לַחֲנוֹךְ אֶת־עִירָד וְעִירָד יָלַד אֶת־מְחוּיָאֵל וּמְחִיָּיאֵל יָלַד אֶת־מְתוּשָׁאֵל וּמְתוּשָׁאֵל יָלַד אֶת־לָמֶךְ׃

XIX. וַיִּקַּח־לוֹ לֶמֶךְ שְׁתֵּי נָשִׁים שֵׁם הָאַחַת עָדָה וְשֵׁם הַשֵּׁנִית צִלָּה׃

XVIII. Ἐγεννήθη δὲ τῷ Ἐνὼχ γαϊδάδ. δὲ γαϊδάδ. ἐγέννησε τὸν Μαιὴλ. καὶ Μαιὴλ ἐγέννησε τὸν Μαθουσαλά. καὶ Μαθουσαλὰ ἐγέννησε τὸν λάμεχ.

XIX. Καὶ ἔλαβεν αὐτῷ λάμεχ δύο γυναῖκας. ὄνομα τῇ μιᾷ, Ἀδδά. καὶ ὄνομα τῇ δευτέρᾳ, σέλλα.

Raptim, & veluti perfunctoriè Moses Caini generationem impiam cõmemorat, quò satis ostenditur Deo ingratam fuisse, nec eorum annos ponit, neque dicit genuisse filios & filias, vt fit in iustorum genealogia, quamuis etiam filias genuerint, & inter illos quidam boni esse potuerint, sicut & in generatione iustorum aliqui improbi. Ex ea verò mentione reproborum summa Dei clementia agnosci debet, qui eos florere facit, vsque adeò, vt bonos opprimãt: vt non deficiamus, si nunc aduersarios patimur, sine quibusnunquam Dei fuit Ecclesia, quæ vel hæreticis, vel tyrãnis, vel hypocritis, & falsis fratribus exercetur. Hebræi dicunt Caïni recenseri genealogiam propter septimam generationem, qua punitus est: alij verò, vt videamus, quomodo primùm filij sæculi huius terrena quærant, nomen sibi faciant, & floreant, quorum interitum irridebit Deus. Alij dicunt genealogiam istam vsque ad Lamech enumerari, vt tria genera hominum etiam in lege naturæ nobis proponantur, qui quolibet sæculo futuri erant, iustorum, vt Abel impiorum non pœnitentium, seu obduratorum, vt Cain, & peccatorum pœnitentium, vt Lamech: quorum duo genera, 1 & 2 saluantur, 3 perit iuxta id Apoc. 8. *tertia pars terræ, & arborum combusta est.* Apoc. 8.

Quare genealogia Caini impij recenseturi 1 Causa. 2. 3.

Henoch igitur genuit Irad וַיִּוָּלֵד *vaiyualed, natus est*: Vbi aduertendum est, יָלַד in *cal* de viris dici, quod sæpe ponitur in Hiphil הוליד, quod est transitiuum in tertium, ac si diceremus, Irad fecit parere vxorem suam filium, quod fit quando concipit, vt significetur viros esse principium actiuum generationis, quibus ideo verbum *cal* accommodatur, quando de conceptu sermo est, sicut fœminis, quando loquitur Scriptura de partu, quia solæ pariunt. Ex etymo nominum istorum Mauiaël, & Mathusaël colligunt Hebræi ante diluuium Noë generale, aliud præcessisse, quod tertiam partem hominum ob flagitia submersit, quo cum se nihil profecisse vidisset Deus, & cunctam cogitationem hominum malo intentam cerneret, vniuersali cataclysmo omnes 8 exceptis inclusit, & suffocauit nam עִירָד *hirad* à עירד idest onagro deducunt, qui solitarius est מחויאל à מחה. idest, delendo, quia Deus cum deleturus

deleturus erat, hoc enim verbo vtitur infrà, cùm ait, *delebo hominem.* מְחוּיָאֵל verò à חת Chaldæo, quod eſſet vires eorum eneruaturus, & robur fracturus. Denique לֶמֶךְ à כרג, quòd eſſet eos attenuaturus, vt כ. ſit ſterile. Vbi per literarũ tranſpoſitionem nonnulli מֶלֶךְ regem Lamechum fuiſſe dicunt; ſed hæc omnia incerta ſunt, nec ita hebraicis etymologiis inhærendum eſt, niſi quatenus cum veritate conſonant. Non autem deſunt, qui ex eo quod hiſce nominibus Dei nomen אל ſubiungitur; nondum in eis omnem timorem Dei excuſſum fuiſſe coniiciant, quia veteribus illis conſuetum erat, piis maximè, aut qui aliquo Domini metu tangerentur, calci nominum ſuorum filiorum Dei nomen אל, vel יה ſubiungere; verum id nec firmum, nec vſquequaque verum eſt, vt conſtat in Abraham, Iſaac, Iacob, Ioſeph &c.

Verſ. 19. *Qui accepit duas vxores.* Vbi primum legimus exemplum polygamiæ, ſed difficile eſt oſtendere, vbi Deus Patriarchis poſt diluuium duas vxores, vel etiam plures ducere permiſerit, neque tamen id Patriarchis diluuium antecedentibus licuiſſe videatur, quandoquidem in vtriſque ſimilem rationem militare video; nam ſi debuit genus humanũ in populo Dei promulgari poſt diluuium, debuit etiam antea. Scio quidem nonnullos Hebræos exiſtimare quemlibet improborum paulo ante diluuium 2 vxores habuiſſe, vnam libidinis causâ, quam exornabat, & bellè tractabat, ac alebat, propinato ei poculo radicum, vnde ſterilis fieret: alteram ad propagandam tantùm ſobolem, ad quam rarò accedebat, & tum ſolùm variandi cauſa, ideoque illa contempta erat, & ſquallida, iuxta id Iob 24. *Pauit enim ſterilem, quæ non parit, & viduæ bene non facit:* & ſic aiũt primam vxorem Lamech Iob 24.
nempe עדה ſoboli deſtinatam fuiſſe, & inde nomẽ nactam à Chaldæo magis, quàm Hebræo verbo עדה tranſire, quòd à conſpectu mariti auferretur; ſecundam verò צלה concubitui deſtinatam, quòd in vmbra viri aſſiduè ageret, & ei eſſet in deliciis. Sed hæc incerta ſunt, nec in Scriptura, ſed in ſolis aliquorum Rabinorum coniecturis fundamentũ habent: Hinc aliter nonnulli ſentiunt nempe עדה ab ornatu dici, eóſque ſuis vxoribus illa nomina impoſuiſſe ad excitandam libidinem: צלה verò dictam eſſe, ac ſi ſolam vxoris vmbram haberet; cùm alij dixerint vmbram, quia ſub vmbra mariti continuò aſſidebat, cùm alia ſtatim atque grauida erat, veſte lugubri induta ſepararetur, & tãquam vidua ſola remaneret: Sella item ſignificat amore ſuo torrentem. Verùm hæc inuenta hebræa relinquamus, vt accuratè diſcutiamus, an polygamia licita ſit, tam in lege naturæ, quam lege Moſis, & an in lege noua cum quibuſdam diſpenſari poſſit, vt duas, vel plures vxores accipiant, ex quibus conſtabit, quid de Indiæ incolis dicendum ſit, & quid eos facere oporteat, cùm ad fidem conuertuntur.

QVÆSTIO LIV.

AN LAMECH PECCAVERIT DVAS VXORES ducendo, & quo iure polygamia prohibita ſit.

HÆc duo inter ſe coniuncta ſunt, vt in idem recidere videantur, enimuero ſi polygamia licita fuerit, non peccauit Lamech, ſin minus, peccatum contraxit, quapropter de polygamia nonnihil dicemus. Scio quidem Lamechum adulterij reum à Nicolao Papa epiſt. ad Lothariũ Regẽ appellari c. *an non* 24. q. 3. ſed cùm legis naturæ ſanctos Abraham, & Iacob, ſcriptæ verò Elcana, Dauid &c. polygamos fuiſſe, neq; tamen reprehendi videã, non ita facilè concluſero Lamechũ peccaſſe: nec mihi quis ſine ratione ſuaſerit nullum præter Lamechũ ante magnã eluuionẽ polygamũ fuiſſe: ſi quid enim illud affirmare cogeret, maximè Chriſti ipſius, aut Pontificis authoritas iuuaret: At quãdo ille dixit, *ab initio non fuit ſic*: nõ intelligebat de toto tempore diluuium antecedente, ſed tantùm de ipſa inſtitutione coniugij in paradiſo, vbi cùm Deus vnicam mulierem ex vnica Adami coſta eduxit, ſatis quidem oſtendit ſe monogamiam probare, ſed non inde quis concludere poterat apodicticè polygamiam omnino reprobari: vt igitur liberè dicã quod in eiuſcemodi rebus ſentio, totum negotium duabus propoſitionibus aperio.

Prima propoſitio, certum eſt Monogamiam polygamiæ præponendam, quia id primæ inſtitutioni conformius, at omnium optimè Deus initio res omnes conſtituit; deinde mutua vxoris, & mariti traditio perfectior euadit, dum vnuſquiſque corporis alterutrius poteſtatem habet. 3. mutua obſequia maiori cum amicitia, atque fidelitate redduntur, dum vnus cum vnica contraxit, alioqui vbi ſunt duæ, vel plures fœminæ, contentiones, rixæ, & æmulationes oriuntur, vt patet in Sara, & Agar, Rachel, & Lia &c. de quibus ad c. 21. Gen. dicemus. Denique vix poterit vxorio debito ſatisfacere is, qui plures vxores habuerit.

2. Propoſitio, probabilius mihi videtur nec Lamechũ ideo peccaſſe, quod duas vxores habuerit, nec polygamiam in ſtatu legis naturæ corruptæ etiam ante diluuium prohibitã fuiſſe. His autẽ rationibus ducor: prima, quia non ſunt fingendæ prohibitiones, præcepta, vel peccata, niſi id clarè fuerit expreſſum; nec enim illatio topica ſufficit, cùm non leues coniecturæ in contrarium vrgent, at nihil video, quod aliquid ex prædictis clarè, imo nec obſcurè exprimat. Imo ex Patriarcharum poſt diluuium viuentium exemplo ſatis conijcio id non minus licitum fuiſſe ante diluuium, quia par erat propagandorum indiuiduorum neceſſitas; nec vllam monogamiæ permiſſionem poſt diluuium legimus, ſicut nec antea. Secunda, quia polygamia non repugnat fini primario matrimonij, quin potiùs mirum in modum ei conuenit, nam quo cæteris paribus plures vxores fuerint, eo citiùs homines multiplicantur. Tertia, contentiones, & rixæ optimo totius familiæ regimine vitari poſſunt: adde quod non deſunt illæ, vbi vnica viuit vxor. Denique nulla Patrum teſtimonia vrgent adeò, quin aliter explicari valeant, vel eorum

ſententia non eſt abſoluta, & conſtanter affirmata, ſed tantùm probabiliter allata.

Pontifex autem ibi loquitur, vt Doctor particularis: quapropter eius opinio non præiudicat. Multa ſunt, quę de polygamia quęrere poſſumus, vt an aliquando poſſit in lege gratiæ permitti, & cum aliquo diſpenſari, vt multas ducat, ſtantibus etiam verbis Euang. Matth. 19. Deinde quale ſit peccatum illa polygamia, quaſue pœnas incurrant polygami. 3. de ordine, quem vxores inter ſe ſeruare debent. 4. de filiis inde prognatis, qua ratione hæreditas paterna eis diuidi poſſit, vel debeat, & alia plurima, quæ nunc omitto, quia multoties ſimilia recurrent, in quibus diſſolui poſſint. Quod ad Indos polygamos attinet, quidnam facere debeant, vbi Chriſtianiſmum amplexi ſunt, Theologi viderint: vulgò tamen eis præcipitur, vt ſeruatâ primâ vxore reliquas abijciant.

Matth. 19.

VERSICVLVS XX.

Genuitque Ada Iabel, qui fuit pater habitantium in tentorijs, atque paſtorum.

וַתֵּלֶד עָדָה אֶת־יָבָל הוּא הָיָה אֲבִי יֹשֵׁב אֹהֶל וּמִקְנֶה׃

Καὶ ἔτεκεν Ἀδὰ τὸν Ἰωβήλ· οὗτος ἦν πατὴρ οἰκούντων ἐν σκηναῖς κτηνοτρόφων.

PRimus ecce primæ vxoris filius primorum papilionum paſtoralium inuentor, & ſcenitarum, ſeu nomadum inſtitutor, qui paſcuorũ cauſa tabernacula ſubinde mutabant, vt cùm in vno loco defeciſſent paſcua, in alio loco inuenirent commodiora nondum depaſta.

Hebraicè וּמִקְנֶה *oumikne* paſcentium gregem, 70 *οἰκούντων ἐν σκηναῖς κτηνοτρόφων* habitantium in tentoriis paſtorum, vt hîc non habeamus artes diuerſas, ſed vnicam paſtoritiam, quæ ad commoditatem paſcuorum, & pecorum tabernacula faciat, & commutet è loco in locum; hinc arbitratus eſt R. Elias orientalis primo loco מִקְנֶה, deinde יֹשֵׁב אֹהֶל ponẽdum fuiſſe, quia tabernaculorum confectio ad artem paſtoritiam neceſſaria eſt. Tametſi verò hebræus de verbo ad verbum reddi poſſit, *inhabitantis tabernaculum, & pecoris*, eódem cum noſtro recidit. Cùm autem Abel fuerit etiam paſtor, quomodo hîc Iabel princeps dicitur paſtorum? niſi quia Abel ſine arte, & tabernaculis pecora paſcebat, atque veluti rudi Mineruâ? Nec diſcedere debemus ab hoc verſiculo, quin diuinam bonitatem, atque prouidentiam admiremur, quæ tot, & tam vtiles, atque præſtantiſſimas artes nobis etiam per impij Cain filios ſuggeſſit, ſic enim ferè omnes artes à gentilibus accepimus; à Socrate, Platone, & Ariſtotele Philoſophiam; ab Hippocrate, & Galeno, vel, ſi vis etiam à Paracelſo Medicinam; ab Euclide Geometriam, à Ptolemæo Aſtrologiam: ab Herone, & Archimede Mechanicam: Quis poëtice peritior Homero, atque Virgilio? quis vnquã cum Demoſthenis, & Ciceronis eloquentia cõferri poterit? cùm tamen illi omnes vel pagani, vel impij fuerint. Vt iam non ſit mirum, cur Moſes Cain poſteros enumeret, nempe vt cognoſcamus Dei clementiam in impios, & inde colligamus, quanto maiori clementiâ, & quàm maioribus donis erga iuſtos vſurus ſit: deinde vt diſceremus artes non ab æterno fuiſſe, ſicut nec mundum, ſed vnâ cum mundi primordiis inuentas fuiſſe. Quidã autem Hebræorum aiunt Abelem veluti reſtitutum, quia מִקְנֶה poſſeſſionem ſignificat, & per cõſequens pecus, & peculium, quia olim in pecudibus ſita erat omnis poſſeſſio, hinc pecunia, & peculium à pecudibus oriunda.

R. Elias.

Sequitur inuentio inſtrumentorum Muſicæ, quod bene quadrat cũ arte paſtoritia, ſolent enim paſtores canere, & tibiâ, fiſtulis, & cornu vti, vt maiori cum ſuauitate vitam paſtoralem trãſigant. At non video, cur non poſſimus dicere Iubal non tantùm inſtrumenta, ſed & vocalem harmoniam inueniſſe, cùm hæc neceſſaria eſſe videatur, vt quis exploret, an inſtrumenta aptè concinnata fuerint; quapropter non ſunt audiendi illi Hebræi qui vocalem Muſicam in Noëmam reiiciunt, cui tamen attributa non ſit, quod eius nomen ſuauitatem, & iucunditatem ſignificet ob ſuauitatem vocis, quæ in muliere parum honeſta eſt: nugæ, imò potiùs illa ſuauitas mulieri naturaliter conuenit, atque à Deo honeſta eſt, quia à Deo eſt. Nec probabilius eſt, quòd eam lanificij, & texturæ inuentricem ſine authoritate Scripturæ faciunt.

Cùm autem Moſes dicere potuiſſet, *Ada peperit Jabel, & Iubal*, id diſtinguere voluit, quia celebris eſt inuentio muſicorum inſtrumentorum; nec multùm diſceptare velim cum ijs, qui volunt ambos ſimul paſtores fuiſſe, ita tamen vt quandiu vnus tabernaculis parandis vacaret, alius tibias, & alia inſtrumenta excogitaret, atque fabricaret: ſed de Iubal proximo verſiculo dicturi ſumus.

Non deſunt, qui conijciant Cain ſe ad artes Mechanicas conuertiſſe, quia videbat terram non dare fructus ſuos, idque poſteros docuiſſe, adeout ipſe prudentiam politicam, ſeu artem regendæ ciuitatis inuenerit: ſicut Iabel artem tentoria faciẽdi, vt de loco ad locum migrare poſſent: Iubal Muſicam, vt mœrorem leuaret, ac triſtitiam leniret: & Tubalcain arma quibus ſe defenderent, quas artes tametſi vitæ præſenti commodas, nihil ad æternam conferre aſſerunt: licet enim magnus ſis politicus, excellens ferri faber, & inſignis Muſicus niſi iuſtus fueris, nihil hæc omnia tibi proderunt, adeout illæ quidem artes laudem ſuam coram hominibus, non tamen coram Deo habeant.

Cæterum in filiis Cain totum mundum 4 ordinibus diſtinctum cernere potes: alij enim rei pecuariæ dediti migrãt de loco in locum, vt ſuũ patrimonium augeant: alij vitam voluptatibus cõditam inſtrumentis muſicis adhibitis tranſigunt, & ducunt in bonis dies ſuos: Alij militarem habent animum

animum, & alios violenter opprimunt, ferróque necant; alij denique laudes, & gloriam hominum venantur per Noëmam designati, vt appareat huius sæculi filios auaritiæ, luxuriæ, iræ, atque superbiæ deditos esse.

Verùm licet artes ex se minimè bonum reddant hominem, imo sæpiùs maiorem ei damnationem acquirant, cùm illis abutitur, operæpretium est, vt, quod iusto volumine apud me aliquando exequi decreueram, quibusdam paginis in sequenti quæstione redigam; vt si cui arrideat, ipse perfectum opus conscribendum aggrediatur.

Itaque contendo nullam artem veram inuentam esse siue liberalem, siue mechanicam, quæ non possit nos vel ad salutem propriam, & amorem Dei promouere, vel nobis varios modos suggerere, quibus proximos nostros ad salutem, & æternam gloriam consequendam iuuare, vel adducere possimus. Nos ergo deinceps aquam de petra, oleumque de saxo durissimo educere conemur.

QVÆSTIO LV.

DE ARTIBVS TAM MECHANICIS, QVAM liberalibus, An ad salutem animæ conducant.

ARTICVLVS I.

DE MECHANICIS ARTIBVS, ET earum diuisionibus.

IVuat à Mechanicis incipere, cùm primæ inuentæ fuisse videantur, Iabel enim artem pastoritiam ad perfectionis fastigium adduxisse videtur, sicut Tubalcain ferri fabricam, & opificium; quanquam si sermonem ipsum artem liberalem facimus, & rationis vsum, Grammatica, atque Dialectica Mechanicas antecesserit, vt pote quas Deus Adamo infudit; hoc autem disticho vtræque breuissimè continentur

Lingua, Tropus, Ratio, Numerus, Tonus, Angulus, Astra,
Rus, Nemus, Arma, Faber, Vulnera, Sana, Rates.

In quo 7 dictiones versiculi primi 7 artes liberales, & 7 secūdi 7 mechanicas aperiunt. Itaque per Rus, tam agricultura, quàm cæteræ, quę terram, hortos, & similia respiciunt, intelliguntur. Quòd autem ex Agricultura plurimus spiritualis fructus redūdare possit, clarius est, quàm vt à nobis probari debeat; quandoquidem ipsa scriptura, ipsa veritas Christus Dominus per agriculturam salutis æternæ viam nobis aperit. Quoties enim de vinea loquitur, quoties de messe, tritura, semente, zizania, tritico, vuis, labruscis &c. adeout agricolarū munera ex ipsâ scripturâ haurire possimus. De hac verò fusè locuti sūt Virgil. in Georgicis, Columella, Constantinus, Plinius passim, cæteriq; agriculturæ scriptores, ex quibus agricolarum opera, arborum plantationes, & insitiones, areolarum figuras, & opportunum seminandi, metendique tempus repetere potes; quæ omnia complexus est autor domus rusticæ, quam Galli manibus terunt. Plurima etiam apud Baptistam Portam, & alios qui de magia naturali, vel secretis egerunt, legere poteris.

Artiū omnium diuisio 1. Hanc artem primò inuentam fuisse mirum non est, cùm prius homines ea quærant, quæ ad vitam necessaria fuerint; ideóque pastoritia vel priùs, vel simul inuenta fuit; vnde factum est, vt artes reales primò diuidere possimus in artes vitæ necessarias, quales sunt istæ. 2 in vtiles ad vitam; vt sutoriam, & sartoriam. 3 in eas quæ pertinent ad ornatum, vt artem pingendi. 5 quæ ad voluptatem conducunt, vt coquinariam. 6 quæ solam veritatem spectare videntur, vt artem metiendi cœlum.

Similiter diuidere possumus artes reales in eas, quæ celebriores sunt, & antiquis nominatissimæ: vt Agriculturam, & Pastoritiam, quæ si ruralis est, occupatur in maiore pecore, vt boue, oue, sue: si villatica, in minori, vt auiariis, leporariis, piscinis &c. in Architecturam, coquinariam, seu Appicianam, Graphicen pictoribus, sculptoribus, & cælatoribus symmetriam ostendentem, Theatricam scenicos gladiatores exhibentem, & gymnicos agitatores instruentem, atque Venatoriam. Deinde in artes, quæ vitæ inseruiunt, quarum artifices sint aucupes, hamiotę, piscatores, vrinatores, aquarij, cetarij, macellarij, cupedinarij, salsamentarij, lanij, sophistæ, fartores, condiuentarij, obsonatores, vinarij, pistores, pistrinarij, siliginarij, sitonæ, dardanarij, lupinarij, caupones, tabernarij, hospites, stabularij, popinarij, popinarum institores, biberarij, botularij, crustularij, structores, lactarij, pomarij, herbarij, seplasiarij, medicamentarij, omnes olitores, & ficitores. 2 Diuisio.

Tertiò diuiduntur in eas, quæ corporis curam gerunt, quorum artifices tonsores, balneatores, pilicrepos, alipilos, arcularios, probolas, pigmentarios, mediastinos, mangones, aliptas, ciuiflones, figmentarios, coronarios, cosmetas, funerarios, libitinarios, designatores, & præficas appellant. 3 Diuisio.

Quartò sequuntur artes fabriles, mechanicæ, & vulcaniæ, quarum hi sunt opifices, & fabri tignarij, cementarij, materiarij, ærarij, ferrarij, plaustrarij, carpentarij, vehicularij, pegmarij, automatarij, aurifices, inauratores, bractearij, monetarij, argentarij, vascularij, musinarij, gemmarij, dolearij, figuli, tectores, imbricarij, carbonarij, ferrarij, tornatores, loricarij, telorum ar .fices, vitriarij, sulphurarij. 4 Diuisio.

Quintò diuiduntur in lanarias, & linarias, quarum artifices solùm enumerabimus lanarios, sericarios, linteones, braccarios, fullones, textores, infectores, lanificas, lanipendias, carminatores, par- 5 Diuisio.

nicularios, ſagarios, palliones, interpolatores, farcinatores, patagiarios, flammearios, violarios, manuleatios, molochinarios, ſemiſonarios, limbularios, plumarios, polimitarios, phrigiones, intextores auri, netrices, funicularios, reticularios, caligarios, cerdones, ſutores, calceolarios, crepidarios, ſolearios, veteramentarios, & zonarios.

6 Diuiſio. Sextò in eas, quæ literis inſeruiunt, & circa eas occupãtur, quarum adminiſtri ſequuntur, notarij, pragmatici, ſcriniarij, exceptores, ab actis, à memoriis, à libellis, ſubadiuuæ, calculatores, commētarienſes, ab epiſtolis, ſcribæ, librarij, bibliopolæ, impreſſores, chartularij, capſarij, & nomenclatores; huc etiam referre potes, quidquid circa typos effici ſolet, quibus libri excuduntur.

7 Diuiſio. Septimò in artes, quæ circa terram, & eius animalia ſuum opus exercent; ad quod genus referendi ſunt ſtratores, tabellarij, curſores, muliones, victimarij, manſuefactarij, inſtitores, proxenetæ, ciſiarij, agaſones, equiſones, bubſequæ, præcones, coactores, vicinarij, & foricarij.

8 Diuiſio. Octauò in eas, quæ circa mare, & aquea verſantur, quarum opifices nautæ, gubernatores, remiges, epibatæ, pauſarij, proretæ, naucleri, heliciarij, vectores, nauicularij, atque retiarij dicuntur.

9 Diuiſio. Nonò diuidi poſſunt in mercatorias; ad quas omnes negotiatores referuntur; Deniq; in nugatorias, vt circulatorias, & neurobatas, ad quas pertinent circulatores, petauriſtæ, funambuli, neurobatæ, tichobatæ, ſaccularij, atque pilarij.

Aliæ plurimæ diuiſiones inueniri poſſent, & artes afferri, quæ tam ad nemora, & arma, quàm vulnera, atque rates attinent: his tamen paucis contentus monebo has omnes artes, eas præſertim, quæ vulnera ſpectant, vt Chirurgiam, & cæteras, prout in ſola cõtemplatione verſantur, liberalium nomine vocari poſſe. Principes verò, quibus magis ad ſalutem, & aliorum vtilitatem aliquis vti poteſt, ſunt Agricultura, quæ ſicut eſſe nequit ſine agricola, ita neque totius mundi gubernatio, &, vt ita dicam agricolatio abſque diuina prouidentia ſtare poteſt.

Monet etiam agricultura, quomodo Deus populum ſuum tam in lege naturę, quàm Moſis, & gratiæ velut agricola ſummus excoluit, adeout ipſe aſſerat ſe nihil omiſiſſe, quod vineæ ſuæ nõ fecerit, quæ tamen labruſcas tantũ produxit, vide Iſai. c. 5. verſ. 4. Ierem. c. 2. & alios prophetas, qui vineę Isai. 5. nomine Iudæos intelligunt iuxta id Pſal. 79. verſ. 9. Ierem. 2. *vineam de Ægypto tranſtuliſti*. Nũquid ipſe Chri- Psal. 79. ſtus ſe vitem eſſe fatetur. Ioh. 15. *Ego ſum vitis vera:* Ioh. 15. vt rectè quis omnes partes vineæ Chriſto, omnéſque modos, ſicut & animæ ſuæ applicare poſſit. Ita enim explicant de anima plurimi, quod 1. Cantic. habetur: *vineam meam non cuſtodiui*; quod etiam Cantic. 1. de Eccleſia, quam paſtores Eccleſiaſtici à lupis rapacibus cuſtodire debent, & de quolibet populo alicui commiſſo, & de paſſionibus noſtris, quas ad virtutem excolere, refrænare, & prouocare licet, intelligere poſſumus.

Idem aſſero de plantis, ſegetibus, arboribus, &c. quæ cõtemplationes altiſſimas ſuggerere poſſunt. Quid de venatione, & aucupio, quid de præliis, re veſtiaria, vulneribus, & cæteris afferam, de quibus Scriptura ſacra toties meminit? vt poſſint his artibus concionatores vti pro libito; nam facillimum eſt hæc omnia rebus ſpiritualibus accommodare, quod magnâ ſæpius cum auditorum voluptate, atque beneuolentiâ fieri ſolet, imo & cum vtilitate. Chriſtus enim ipſe nobis exempla luculentiſſima pluribus locis ſuggeſſit, præſertim cùm parabolis vſus eſt, & de ſemine, meſſe, patrefamilias, centurione &c. locutus eſt. His tamen diutiùs non immorabor, quandoquidem artes in vſum ſpiritualem exemplo Chriſti quiſpiam conuertere poteſt. Paucis verò inſinuabo quomodo ſcientiæ, ſeu artes liberales rebus ſpiritalibus præſertim concionibus exornãdis accommodari poſſint, quod cùm aliquando noſter Humblotus fecerit, ex eo ſequentia repetam.

ARTICVLVS II.

DE SCIENTIARVM, ET ARTIVM LIBERALIVM vſu in rebus ſpiritualibus.

SEquentes ſcientias vel alicui dictioni noſtri ſymboli, vel alicui Euangelio quiſpiam applicare poterit; ideoque dictionem apponam, tam ex ſymbolo, quàm ex Euangelio deſumptã, cui celeberrimus ille noſtri Ordinis concionator ſequentes ſcientias accommodabat, licet aliis Euangeliis eas applicare poſsis, prout congruum iudicaueris.

Αὐτοματοποιητική.

DE FIDE, CREDO. CENTVRIO.

HÆc eſt αὐτοματικὴ ſcientia, quæ corporibus immobilibus, & inanimis motum præſtat, ac ſi ſuopte nutu mouerentur; per quam Dædalus ſtatuas; columbam Architas; Ioannes de Monte regio muſcam ferream, alij araneam, aquilam, & id genus alia, vel in aërem volitantia, vel ſeſe mouentia conficiebant; in quibus neceſſariò principium aliquod aderat, à quo motum corpus haberet; ſępè verò alicuius elementi, vel plurium inter ſe congredientium ope id fieri ſolet: ſiue αὐτόματα illa vitæ neceſſarium aliquid ſubminiſtrent, ſiue terribilem aliquam admirationem moueant, vt loquitur Hero initio ſpiritualium. Quâ ſcientia, vel ſi Hero. mauis arte ad res ſpirituales faciliimè progredi poſſumus. Quænam enim αὐτόματα poſſunt cum intrinſeco illo principio conferri, quo homines vſque ad cœlos, Deum, Angelos, & omnia ſubleuantur, & ſuopte mouentur ingenio? quis αὐτομα-

τικὴ

πηγὴς Deo similis, qui non tantùm homini, sed & cuilibet animali,& quibusuis insectis illud motus principium non ad tempus, sed totâ durante vitâ contulit.

Hæc ars diuersa machinarum genera nobis suggerit, inter quæ tria sunt præcipua: primum lignariis, latomis,& eiusmodi opificibus maximè prodest, vt vel è terra, vel ex aquis pondera quæpiam sursum attollant: secundum genus appellatur πνευματικὸν, quòd aquæ,& aëris beneficio fontibus, cæterisque iucundissimis opificiis deseruit; tertium vocant βάναυσον, quod non solùm vehendis, & huc atque illuc transferendis oneribus, sed & molendinis solo vento agitatis vtilissimum est; iuuat etiã horologiorum mechanicorum, cochlearium, torcularium,& flabellorum opifices.

Qualia precor αὐτόματα necessaria fuêre, vt intellectus humanus ad fidem Catholicam ascenderet? nunquid symbolum Apostolorum, *Credo in Deũ &c.* nunquid aqua baptismalis; quapropter apposité quidem noster Humblotus hanc artem Euangelio Centurionis applicabat, qui per fidei αὐτόματα tantùm euectus est, vt Christi sermonibus firmissimè crederet; vel Paralytico, cui non medicina, non natura, non αὐτόματα corporea, sed Dei potentia, atque bonitas motum tribuit, atque paralytica membra vegeta reddidit, & facilè mobilia; pari verò iure omnes Euangelicæ historiæ, in quibus nonnulli suscitati, illuminati, aut alio morbo persanati fuisse referũtur, huius artis adminiculo possent illustrari. Per hanc alludit ad fictitias Caluini machinas, quibus nos vsque ad cœlum eleuat, vt Christi Domini corpus comedere possimus: & quidem machina potentissima requirenda esset, vt hæretici è profundo tenebrarum ad veritatis lucem surrigerentur.

Hac autem ratione concionem præscribit, vt primò omnia, vel plurima opificia proferantur, quæ moueri videntur, ac veluti quasdam vitales actiones exercere. Deinde loca Testamenti veteris, in quibus nonnulla ab aliis moueri dicuntur; possunt exempli gratia columnæ nubis,& ignis Israëlitarum, & ipsum mare rubrum in contrariam sui partem refluens, sicut & Iordanis afferri, de quibus sequentes versus me legisse memini.

Vidit & attonitas trepidum mare diffidit vndas
Iordanis refugas in caput egit aquas.

Ita montes,& colles instar arietum,& agnorum exultare, ac velut trepidare Psaltes dixit Psalm.113. immo,& ipsa terra mota est à facie Iacob, cuius paraphrasim sequentem affero. Psal. 113.

Dura per intonsos salierunt culmina montes,
Vt saturas gestit dux gregis inter oues:
Celsáque frondentes mouere cacumina colles,
Agnus vt in pratis luxuriare solet.
Quid mare vidisti, solito cur cesseris alueo?
Cur fugis in fontes fluminis vnda tuis?
Nempe Dei trepidum præsentia terruit orbem;
Cui cadit in Solymas victima multa focos.
Qui lapidum venas laticum laxauit in vsum,
Cui fluxit largo flumine dura silex.

Quæ sanè magna videntur miracula, cùm res alioqui immobiles mouentur. Tertiò de Paralytico sanato dicendum est, qui debuit machinis quibusdam commoueri. 4 afferantur effectus fidei in intellectu eleuando. 5 qua ratione plurimi cum admiratione ad fidem conuersi sunt. 6 de promptо seruorum obsequio. Denique de Christi miraculis, siue quæ sunt in Eucharistia, siue quæ alibi; in quibus stupenda αὐτόματα reperies. Verùm vnusquisque obsecro in se varia respiciat αὐτόματα & sedulò aduertat, quo vento, quo flatu, quo spiritu, qua intentione moueatur, an sit cœlestis, an terrenus αὐτοματουργός. 6 Partes istius concionis.

SPAGIRICA.

Dilectio inimicorum. *Credo in Deum.*

Est ars, cuius ope succum, aquam, oleum,& vt vocant animam, & quintam essentiam ex omni corpore, præsertim ex plantis, animalibus, metallis, lapidibusque deducimus, adeout vnica guttula multis integris medicinis anteponi debeat; ita guttula olei piperi, vel anisi, vel alteri' rei 40 piperi granis præualet. Id autem facilè poterit applicari Euangelio, quod inimicorum dilectionem imperat, quę est veluti quinta essentia, seu liquor subtilissimus religionis Catholicæ, sicut & hoc præceptum, vel consilium. *Estote perfecti, sicut & pater vester, qui in cœlis est.* Quænam est quinta essentia deuotionis, nisi charitas, quæ est vinculum perfectionis. Sed & nos ad spagiriam exercendam prouocant pauperes, quarum manus sunt ipsa vascula: ignis liberalitas Christiana; essentia quinta, *fœneratur Domino, qui miseretur pauperis.* In istas autem partes orationem diuides. Primò quodlibet genus essentiæ quintæ produces. Secundò varias, & admirandas distillationes ex veteri, nouóq; Testamento. 3 ostendens elixir animæ esse perfectionem. Quartò bonorum distillationem, qua illa essentia educitur, esse eleemosynam. Denique charitatis perfectionem explica,& quomodo credere in Deum sit cum charitate credere. 5 Partes istius concionis.

Θαυματοποιητική.

Nauis. *Patrem.*

Hac arte opificia perficiuntur, quæ admirationem afferant, qua ferunt Apollonium Thyaneum præter diabolicam magiam, etiam vsum fuisse; Inter alia mirabile est artificium nauiũ, quæ nos in mari ferunt,& iam in Anglia naues inter aquas facilè ducunt, quæ nusquam videntur: at Christ' coram Apostolis ambulat super mare, sine naui, aut alio fulcro. Facessãt qui Polyphemũ super aquas volitasse putant: sunt qui ambulent super aquas cum vasculis ex ligno duro, vel ferro, quod

album appellant; verùm nisi summopere caueant, nec ad perpendiculum erecti steterint, statim submerguntur, alia verò vt iuncus, cucurbitæ vacuæ, aut vtres inflati ad hoc minimè prosunt. At sine vllo artificio Christus super aquas ambulat, vnde ait, *Ego sum*, nempe Deus, & quidem stultus est, qui putat se sine artificio super aquis ambulare, id enim fieri nequit. Itaque ex Euangelio, in quo Dominus ambulasse dicitur, & sanctissimis pedibus vndas terræ instar calcasse, Deum esse probare possumus. His autem partibus vti poteris. Primò referes eorum miracula, qui super aquas ambulasse referuntur. Secundò de prodigiis, quæ diuinum aliquod numen arguunt. Tertiò de potentia miraculorum patrandorum, quam pater filio communicauit. Quartò miracula nauium. Quintò deniq; probabis Deum esse, ex mari, & nauigatione. 4 Partes concionis.

CHOROGRAPHIA, ET PNEVMATICA.

PNευματικὰ, sicut, & χωρογραφία Christi tentationibus, quas primâ Quadragesimæ Dominicâ nobis Ecclesia repræsentat, accomodari potest: Hæc peragit admiranda ventorum, & aëris auxilio; ex eo siquidem, quòd vacuum admitti nequit à naturâ (quidquid arpinas ille Nathanaël decad. 2. 2 exercit. 7. oblatret,) sursum ascendunt corpora tametsi grauissima; hinc fontes perennes, ascensus aquarum, instrumenta musica πνευματικὰ, qualia sunt organa, tubæ, tibiæ, tympana, &c. hinc etiam vrbium, atque castellorum fortissimorum euersiones, cùm factis cuniculis per pulueris pyrij inflammationem aër rarefactus etiam montes, turres, rupesque sursum eleuat, concutit, & euertit.

Chorographia verò est ars, qua terræ partem quamlibet in tabella, globo, schemate, aut perspectiuâ referimus. Iam verò quando dæmon Christum duxit in desertum, cum ex omni parte πνευματικὸν suspicabatur, quandoquidem non dixit, comede, Domine mi; sed *si Filius Dei es*, vbi ad Christianam religionem magis, quàm Caluinum accessisse videtur, dum credit lapidem in panem conuerti, & transsubstantiari posse: Deinde tentauit alia ratione, an Christus spiritualis esset, atq; pneumaticam didicisset, dum ait, *mitte te deorsum*, vnde spiritus ei proposuit, *mandauit Angelis suis de te*. Quàm pulchra Chorographia, dum ei omnia regna mundi ostendere pollicetur, quod an facere potuerit, & quâ ratione, dicetur alibi.

Locis verò communibus, quibus vti permittit, senario numero comprehenduntur: in primo de diuina potentia, in 2 de raris opificiis, quæ ventorum, aëris, & spiritus auxilio fiunt, edisseres. 3 de imbecillitate dæmonis, quantum terræ spatium oculus vno intuitu ex quolibet dato terræ loco videre possit, quod ostendemus ad cap. Genesis. 13. vers. 14. 5 de locis spiritualibus mysteriorum in mente Catholicorum describendis. 6 denique de motibus, quibus Spiritussanctus suos commouet. Hîc de raptu D. Pauli, & aliis, de legione malorum spirituum in vnico homine existentium Luc. 8; de corporibus spirituum, quomodo illa compingant, & moueant, de reditu animarum, de variis significationibus huius nominis spiritus agere poteris, de quibus nos alibi diximus. 6 Partes istius concionis. Luc. 8.

Chorographiam verò legimus 18 Iosue, quam viri 21 descripserunt, qui statim atque Iudaïcam terram dimensi fuissent, eam in 7 tabulas partiti sunt, iuxta 7 tribus, quibus partes nondum assignatæ fuerant &c. Poterit etiam quis loca describere, per quæ Christus Dominus dum viueret, transiisse refertur. Iosue 18.

ALCHIMIA.

HIc de Deo creatore, & de iudicio. Hæc autem ars versatur in metallis imperfectis, quæ ad perfectionem redigere nititur, quæque aurum excellens, & argentum efficere conatur, vel metallorum imperfectiorum transmutatione, vel eiusdem multiplicatione: nec ita pridem Medicus mihi retulit, se impositis in aqua forti, seu separationis, quibusdam auri minimis particulis in magnam auri copiam illa grana conuertisse, quæ grana quãtuis modica 100 aureis empta fuissent. Admirabilis alchimia, quæ omnia producit ex nihilo, cùm Alchimistæ ex omnibus nihil producant: qui cum puluere proiectionis artem suam perficiunt, Deus autem ex puluere, quando iudicabit omnes, omnia corpora reformabit, & in statum longè perfectiorem reducet: deinde omnia per ignem transibunt: *Ignis in conspectu eius exardescet*, vt lapidem philosophicũ inueniant homines. *Venite benedicti patris mei, percipite regnũ, Centuplũ accipietis*, Improbi verò Alchimistæ, & qui falsam pecuniam cuderunt, audient: *Ite maledicti in ignem æternum*: tunc rerum omnium creator ostendet se rerum omnium esse principium, & finem, & omnia ad suam gloriam conuertet: tunc ei dicere poterimus, *Domine quinque talenta tradidisti mihi*. Itaque de sequentibus loqui poteris. Primò de creatione: 2 de præmio centuplo. 3 de multiplicatione talentorum. 4 quomodo iustus igne probatur. 5 de pulueris resurrectione, vel potiùs corporis in puluerem redacti. 6 de rerum multiplicatione. 7 de iis qui falsa cudunt numismata, & Alchimistis. 8 de figuris, & historiis Alchimiæ. Sanè multa admodum pulchra, & rara reperiunt Alchimiæ candidati, dum puluerem proiectitium quærunt, si his ad Reipub. vtilitatem incumbere, nec vltra progredi vellent. 8 Partes concionis.

GRAMMATICA.

EST ars eleganter edisserendi, cuius perfectio sita esse videtur in obiecto, vel subiecto, de quo verba facit, adeout suam excellentiam ab illo repetat: Quid altius, quàm de Deo loqui, vel eundem alloqui? id autem in templo fieri solet, *Domus mea, domus Orationis vocabitur*. Hac arte illustrabat Euangelium, in quo de templo, tanquam de domo sua loquitur Deus. Primò verò de dono linguarũ, secundò

secundo de miraculis à lingua procedentibus. 3 de orationis præstantia. 4 quomodo Deus preces nostras exaudiat. Agebat autem de vocatione, de traditionibus, de linguarum diuisionibus, & antiquitate: quomodo Christus sit A, & ω, quibus teste Epiphanio in Ancorato duæ Christi naturæ explicantur. Triplici sapientiâ Ægyptios vsos fuisse notabat pistolographicâ, per quam secretas, sacrasque epistolas scribebant, sicut Plato suas nomine θεὸς serias esse significabat: 2 erat hierogrammatica; 3 hieroglyfica de epistolis D. Pauli ex 2 ad Corint. 3. agebat. Locum hunc, *non præteribit Iota vnum, aut vnus apex à lege*, variè explicabat: deinde de diuersis nominibus, & numeris Antichristi, de Scribarum, & Pharisæorum philacteriis, de Sybilla Cumæa, seu Almathæa, quæ literis capitalibus versuum quorundam nomẽ Iesus docebat, de qua vide Aug. 23. c. de ciuitate Dei, libro 18. Fenestellam, & Euseb. in vita Constantini, de libro signato: & de Thau signato in frontibus electorum apud Ezechielem.

Epiphan. Plato. Triplex Ægyptiorum sapientia. August.

RHETORICA.

HIc applicatur particula symboli, *terra*, cum Euangelio Ionæ, qui Niniuitis pœnitentiam annuntiauit. Est autem ars, qua quis facundè loquitur, & eleganter de re qualibet edisserit, vt suadeat; quis autem Græcorum, vel Romanorum talis orator, ac Ionas, qui Niniuitas omnes ad pœnitentiam prouocauit, cui se Christus comparauit, qui 1. Petr. 3. *his, qui in carcere erant, spiritibus veniens prædicauit.* Capita præcipua sint Rhetoricæ prodigia, atque stupendæ persuasiones. Deinde de Christiana eloquentia disseri poterit. 3 de dono prædicationis, & interpretationis. 4 de concionum effectibus. 5 de excellentia verbi diuini. 6 de concione habita apud limbos, dum Christus patres visitauit. 7 de terrenis hominibus, qui verbo diuino tanquam solis radio ad cœlestia vaporum instar subleuantur. Denique de suasione, qua Ionas vsus est.

Vbi de eloquentia Scripturæ sacræ, præsertim D. Pauli agere potes, cuius eloquentia non in nescio qua verborum phalera, sed in vi rationum, sententiarum pondere, & permouendis, vehementerque concitandis auditoribus, & id genus aliis sita est; vt patet Actuum 24, & 26, cùm ante Fœlicem, & Agrippam dixit. Videatur D. Aug. 4. de doctr. Christ. c. 6, & 7. vbi varias eloquentiæ Paulinæ figuras refert, cuius dum Hieron. verba legit, testatur epist. ad Pammach. esse tonitrua, seu fulmina; videatur Chrysost. homilia 3. in 1. ad Corin. cap. 1. Hîc de virtute Euangelij cum Paulo 1. ad Rom. agi poterit, & de variis illius significationibus.

1 Petr. 3. 8 Partes concionis. Actuum 24, & 26. August. Hieron. Chrysost. Ad Rom. 1.

MEDICINA, ET TOPOGRAPHIA.

Chananæa. Et in Iesum Christum.

MEdicina multa potest, at in dæmones nihil, vt pote quibus non imperat natura: Ideóq; Chananæa dęmoniis obsessa nõ ad Medicos, sed ad Christum recurrit, cuius nomen Iesus dulcissimũ Seruatorem, & medicum significat. Per topographiam Christus regnum Dauid, vineámque Domini exercituum elegit: vnde ait. *Non sum missus nisi ad oues*, &c. at hæc topographia in Cosmographiam mutata est, dum saluberrima verbi diuini pharmaca in totũ orbẽ emisit. Sex capitibus circũscribebat, quorum primum ostendebat Christum esse medicum. Secundum de pharmaco Crucis, & Passionis Domini: tertium, quòd energumeni, seu dæmonium habentes ea faciant, vel patiantur, quę naturæ præuertunt ordinem. 4 de locis, in quibus Christus concionatus est. 5 de terra promissionis ab aliis separata: deniq; de cura, quam circa filios infirmos parentes sumere debent.

Præcipuè verò de terra Zabulon inter alias terræ sanctæ partes excellenti dicebat, quia hîc est Thabor, & ciuitas Nazareth; ibique prædicare cœpit; quod autem loca quædam eligi possint, patet ex eo quòd Patriarchæ sepeliri vellent non in Ægypto, sed cum patribus suis. Omitto cætera breuitatis ergo.

6 Partes concionis.

Θεραπευτική.

HVc particulam hanc symboli, *Christum*, referebat, & cum Piscina opportunè iungebat. Hac enim medicinæ parte morbi curantur; plurimæ sunt aquæ per artem medicam tam ex mineralibus, quàm è plantis eductæ, sed omnibus Piscina antestat, quam Angelus commouet: nec insolitum est, vt Angeli medicinam faciant, vt patet in Angelo Raphaële; verùm Christus est magnus medicus sanãs paralyticum: maximum remedium exterioris medicinæ est oleum, quod ipsum nomen Christi resonat, qui ferè totus in oleum conuersus, *cuius liuore sanati sumus*. 5 habes capita. Primò de remediis, quas Medicina suggerit, & sumit ex aquis. 2 de medicinis factis ab Angelis. 3 de medicinis ex oleo. 4 valere ad paralysim oleum. 5 Passionem esse piscinam, & balneum olei.

5 Partes.

PERSPECTIVA.

MOntem Thabor cum illa particula, *Filium eius*, sumebat. Est autem Optica scientia per quam omnium rationem afferimus, quæ subiiciuntur oculis, quæ de ipsa visione, & videndi modis, cur res maior, aut minor, quàm sit, appareat, de coloribus Iridis &c. fusè pertractat: Hic autem

Apostolorum perspectiua deficit, dum nesciunt, quomodo tot radij è corpore Christi transfigurati emicent; ipsius mentis acumen ad tantum fulgorem obtundebatur. Applicantur loci communes, qui sequuntur.

6 Partes. 1 Christum esse Dei Filium. 2 de visionibus corporeis. 3 de effectibus perspectiuæ. 4 de radiis corporis glorificati. 5 de oculo supernaturali eleuato. 6 de ingenij humani offuscatione, dum mysterium sanctissimæ Trinitatis contemplatur. Initio referebat hanc D. August. in enchirid. c. 13. mirabilem sententiam. August. *Quicquid gestum est in Christi Cruce, in Sepultura, in Resurrectione, in Ascensione in cœlum, in sessione ad dexteram patris, ita gestum est, vt his rebus consignaretur vita Christiana, quæ in terris agitur.*

METAPHYSICA.

Ego principium, qui & loquor vobis; quod optimè quadrat cum particulâ symboli, Vnicum.

Est autem Metaphysica scientia primarum, supremarumque causarum. Christus hic principium vocatur, ad quod tamen metaphysica nunquam accessit, qui quidem est principium, vt creator, vt spirans Spiritum sanctum, sed principium de principio solus est quia à Patre procedit, vt Filius, & ab eo Spiritussanctus procedit.

Capite primo metaphysicam agere de principiis, 2 de principij laudibus, atque præstantia. 3 nullã esse sapientiam humanam, quæ ad Trinitatis cognitionem accedat. Initio locum epist. ad Rom. interpretatur. *Inuisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus eius & diuinitas*, in quo altissima Metaphysica versatur, dũ agit de rebus inuisibilibus à materia re, atque ratione penitus abstractis. Hîc agebat de variis modis, quibus Deum mens humana cognoscit, nam viâ causalitatis, vt rerum omnium opificem, principium, atque finem nouimus; viâ negationis cum longè superiorem existimamus iis omnibus, quæ concipimus, & omni mẽte, atque cogitatione maiorem: viâ excellentiæ, seu eminentiæ scimus eum omnia perfectissimè continere; vnde Ansel. dixit creaturam in Deo esse creatricem essentiam, videatur August. c. 6. de ciuit. l. 8. vbi docet modos, quibus Platonici ad diuini numinis cognitionem ascenderũt, Theodoretus sermonibus de prouidẽtia, in quibus vias 5 aperit huiusce cognitionis, nempe cœlos, & ornatum eorum, elementa, corpus hominis, artes, & dominium, quo homo animalibus imperat: quibus adde motum, causam, contingentia, & necessaria, varios gradus rerum, rerum omnium gubernationem, de quibus 1. parte D. Thomas agit, & omnium hominum consensum: De his omnibus fusè dictum est quæstione aduersus Atheos.

Ansel. August. Theodor. D. Thom.

Nec repugnat sibi D Paulus, dum 1. ad Cor. 1. cũ ait Deum à sapientia mundi minimè fuisse cognitum, neque id D. Ioan. *mundus eum non cognouit*, quia de cognitione affectiua intelligitur, non speculatiua; vel de idiotis, non philosophis. vide apud Theodoretum in 1. ad Cor. c. 1. triplicem sapientiam, primam naturalem homini asserit, secundam in creaturarum contemplatione sitam, tertiam secundum Christum. Locus alter ad Rom. 4. *Vocat ea, quæ sunt, tanquam ea quæ non sunt*, prædestinationi accommodabatur, simul & id Eccles. 24. *Domino Deo nostro antequam crearentur, omnia sunt agnita.* Ostendebatur prædestinationem, & vocationem esse maiorem, quàm creationẽ iuxta D. Aug. tract. 72. in Ioan. *profectò hoc maius esse dixerim: quàm est cœlum, & terra.*

1. ad Cor. 1. Theodor. Ad Rom. 4. Eccles. 24. August.

Sunt alia loca, quæ referantur ad scientiam, vt Actuum 7. Moyses eruditus dicitur in omni sapiẽtia Ægyptiorum, quæ diuidebatur in moralem, mathematicam, diuinam, & naturalem, diuina erat eorum Metaphysica, quæ Theologia multis erroribus scatebat, Metemphychosim enim admittebat; illis sol erat Osiris, Isis Luna; & animalia venerabantur; mystica Theologia Hieroglyphis cõstabat; vnde Clem. Alexand. ait Mosem animaliũ vmbrâ multa secreta occultasse, vt porco gulam, libidinem, & peccati fœditatem; aquilâ rapinas, auaritiam coruo, accipitre iniustitiam &c. Adde locũ Daniel c. 15. *pueris autem his dedit Deus scientiam, & disciplinam in omni libro, & sapientia, & omne verbum sapientiæ, & intellectus, quod sciscitatus est ab eis rex, inuenit in eis decuplum super cũctos Ariolos, & Magos. Dij gentium dæmonia.* Hîc de Magis agi poterit; Chaldæi verò Hebraicè dicebantur *Cashedim*, Magi *Acaphim*, Arioli, seu diuini *Cartumim*, malefici *Mechaisim*, aruspices *Gararim*. Magi habebant omnes scientias, quos Origen. à Balaam oriundos, Laërtius à Zoroastre ait, quem vnicum Deum æternum admisisse pulchrè testatur Euseb. 1. de præpar. vbi verba illius refert. Videatur Philo de specialibus legibus.

Actuum 7. Clem. Alex. Daniel 15. Origen. Euseb. Philo.

POLITICA.

Ad quam symboli particulam, *Dominum*, & Euãgelium *cathedræ*, quæ legitur Feria 3 Dominicæ 2 Quadrages. referri potest, itaut enarretur, quid sit politica scientia, quid Democratia, qualis est Heluetiorum, quid Aristocratia, qualis est Venetorum, quid Monarchia, qualis est Hispanica, & præstantissima omnium Gallica: Inter omnes status, nullus firmior, nulla monarchia solidior cathedrâ Petri. Capita sunt. 1. Domini, atq; dominia. 2. vera respublica. 3. vera politica. 4. mũdi respublica Ecclesiæ confertur. 5. de firmitate cathedræ Petri. 6 eius regimen à Spiritusancto procedit. 7 eius successio perpetua.

7 Partes concionis.

Poterit ostendi quomodo non amittant homines suæ Reipublicæ iura, vel priuilegia, Gall. vocãt *droit de Bourgeoisie*, quamuis opera mechanica exerceant, sic enim D. Paulus Reipub. Romanæ priuilegiis vti voluit, quamuis esset coriarius, & inops, teste Chrysost. hom. 3. in 1. c. 1. ad Corin. ita pagani multos è vilissima conditione ad magnas dignitates euexerunt.

Chrysost.

Hîc de paganorum bonis operibus, qui naturaliter

Hieron. August. raliter ea, quæ legis sunt faciunt: in quæ verba D. Chrysost. & Hier. videantur, & Aug. qui opera Gentilium laudant cap. 27. & 28. de spiritu, & litera: quod sicut obiectum intellectus est ens, ita voluntatis bonum; vnde omnes id sibi habent impressum, bonum amplectendum, malum fugiendum; cui notioni, velut cardini omnia legis naturalis præcepta innituntur, videatur Tullius lib. 1. (Tullius) de officijs. Videatur item Eusebius 6. de præpar. (Euseb.) vbi plurimas leges Gentilium impias, & horrendas refert, Persas matrimonio cum matre iunctos, cum sororibus, & filijs: Scythas humana carne vescentes, prout etiam nunc Margagei: Massagetas, qui dijs parentes suos in sacrificium offerebant, &c. de quibus etiam consule Theodoret. de (Theodor.) curatione Græcarum affectionum.

De differentia politiæ Christianorum & Gentilium Ambr. lib. 1. de officijs cap. 9. vide August. (Ambros. August.) enarrat. 2. in psalm. 32. vbi ait homines etiam malos esse velle, ne miseri fiant: vide & tract. 8. in Ioan. ad Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non enim est potestas nisi à Deo. Ideóque necessitati subditi estote propter conscientiam*: vbi (ad Rom. 13.) de varijs subditis, & obligationibus filiorum, seruorum, &c. agi poterit. Deinde de varijs mutationibus Reipubl. Iudaicæ, quæ primò sub Mose, & Iosue fuit, deinde sub Iudicibus, sub Regibus, & Pontificibus: vbi aduerte quomodo Prophetia Iacob Genes. 49. intelligenda sit de Iudæ dominio, (Genes. 49.) quandoquidem Moses fuit de tribu Leui: Iosue de tribu Ephraim; vide Iosephum, qui putat lib. 6. (Iosephus.) antiq. hanc Rempub. initio Aristocraticam fuisse.

Ex quibus satis apparet hanc concionum præparationem infinitam prope materiæ congeriem continere, vt etiam illis artibus, & scientijs vti valeas, tametsi quamcúnque materiam pro themate eligas, quod vbique dictum intelligas velim.

Φαρμακευτική.

PEr Pharmaciam, quam Pharmacopolæ exercent, dum vnguenta, catapotia, & cætera ex medicorum præscripto componunt, hanc particulam, *nostrum*, cum Euangelio feriæ quartæ de filijs Zebedæi exprimebat. Christus enim excellens Pharmacopœus appellari potest, dum illis medicinā offerret in calice; *potestis bibere calicem, &c.* vt enim medicina corpus penetrat, & ex eo corruptos humores educit, ita calix passionis Christi vitia hominū tollit, dum in Ecclesiæ corpus penetrat, è cuius membris imperfectiones eradicātur. Capita 5. legimus. 1. de vnione membrorū Ecclesiæ. 2. de calice martyrij. 3. quod omnes fratres simus. 4. Ecclesiā esse corpus in suis mēbris optimè coniunctum, & vnitum. Denique passionem esse medicinam, & vnguentum saluberrimum: poteris vti Renodæo, Godronio, & alijs Pharmacopolis. (5. partes concionis.)

CONTRAPONDERANTIA.

De Epulone, & articulo Symboli, Qui conceptus est.

COntraponderantium scientia plurima facit, quæ miracula videri possent ignaris, per eam horologia mechanica ponderibus librata suis iustâ mensurâ progrediuntur. Quæ verò fuerint pondera contraponderantia in Incarnatione, in qua spiritus ponderi, & mensuræ subiectus fuit, in qua tantùm homo ascendit, quantum Deus descendit, *In qua puer qui natus est nobis, paruulus Iesus omnia contraponderantia in se continet. Qui conceptus est.* Moralia contraponderantia sunt Lazarus, & diues, ille ab Angelis tollitur, & in sinu Abrahæ collocatur, hic sepelitur in inferno.

(5. partes concionis.) Quinque loci. 1. De omnibus machinis, quæ ponderibus oppositis perficiuntur. 2. de humanitatis exaltatione per Incarnationem. 3. de Christi descensu, & humilitate. 4. de improborum depressione, & bonorum exaltatione. Denique de ponderibus oppositis iustorum, & iniustorum, beatorum si vis, & damnatorum. Prophetæ dicunt, *onus Domini*, dum aliquid molestum, & iram Dei referre volunt, videatur D. Hieron. in (Hieron.) 13. Isai. Basil. Cyril. &c. Græci vocant onus λῆμμα, vide interpretes: sumitur onus pro pœna peccati ad Galat. 6. Daniel. 5. legit Balthasar in pariete (ad Galat. 6. Daniel. 5.) *Mane, tekel, phares, numera, pondera, diuide*: vbi Cabbalistici dicunt omnia scripturæ verba ponderanda esse.

ARCHITECTVRA.

Natus ex Maria Virgine.

IVngatur cum vinea, de qua huiuscedici tractat Euangelium. Architectura dependet à Mathematicis, & est ars liberalis; Euangelium docet aliquam illius partem; *fodit in ea torcular, & ædificauit turrim*: & *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, factus est in caput anguli*: qualis architectura, *natus ex Virgine. Vidi ciuitatem sanctam Ierusalem nouam descendentem, &c.* Primò de ar- (5. partes concionis.) chitectura, & eius partibus, seu speciebus. 2. de raris, & pulcherrimis ædificijs. 3. de præstantissimis turribus, vt Dauidica. 4. de ædificio cœlestis Hierusalem. 5. de ciuitate descendente de cœlo. 6. de ædificio humanitatis Christi.

Hîc de arcâ Noë, de turre Babylonis, quam Nembrod aquis diluuij superiorem facere volebat, quam D. Hier. in 5. Isai. refert 4000 passus (Hieron.) altam fuisse, quam vi ventorum Euseb. 9. de præ- (Euseb.) par. deturbatam ait. Vide Herodotum, qui turrim in Ægypto fuisse refert 400. passus Geometricos (Herodot.) altam, cui alia & alia vsque ad numerum octonarium imposita erat. Aggæi 2. gloria domus se- (Agg. 2.) cundæ maior, quàm primæ; Chrysost. hom. 34. (Chrys.)

in 1. ad Corin. testatur Deum suscitasse Cyrum, & Darium pro secundo templo, sicut Herodem pro tertio, qui pulchrius & maius templum effecit, teste Iosepho 15. antiq. cap. 24. Cætera tibi excogitanda relinquo. Ioseph.

POESIS, SEV ARS POETICA.

Cum particula symboli, Passus, & prodigo filio.

POëtica verò scientia nō tantum versus scribit, sed etiā eos certis modis harmonicis, & cātibus iungit; hinc elegiaci res lugubres, lyrici modulos iucundos referebant. Cùm prodigus appropinquaret domum, audiuit symphoniam, & chorum? versus homerici durante conuiuio, vel paulo post canebantur: hîc adest conuiuium, cœperunt epulari, cibus erat vitulus saginatus: quibus Musicam, & versus in Natiuitate Christi auditos applicare poteris, Christus ipse est hostia pacifica, immolata: passus est.

6. partes concionis. Capita præcipua. De versibus quæ durante conuiuio, vel circa illud canebantur. 2. Tragœdia passionis Christi cum suis choris. 3. poësim esse sanctam, & sacram. 4. de cantu animarum. 6. de mundo prodigo.

Quinam psalmorum autores? Quomodo in Occidentali Ecclesia Damasus Papa, Paulinus, Prudentius, Marius Victor, Sidonius Apoll. Fortun. Iuuen. & in Orientali Nazianz. & alij sacros hymnos cecinêre. Psalterium dicitur, *Sepher Tehillim*, liber hymnorum, quorū omnium Dauidem autorem existimant D. Chrys. & August. præfatione in psalmo, & 17. l. de Ciu. c. 14. D. Hier. ep. ad Sophr. addit autores Asaph, Idithū, Chore, Eman, Ethan, adde Mosem, & Salomonem: volūt 73 à Dauide compositos, qui titulos haberent, 39 sine titulis Salomoni tribuunt 72. *Deus iudicium tuum Regi da*. S. Athan. 66. *Deus misereatur*, & 127. *Nisi Dominus ædificauerit domum*: 90 Mosi, quem sequentium vsque ad 100 authorem facit S. Hier. ep. ad Cypr. nam quamuis psalmo 98 de Samuele sermo fiat, spiritu prophetico id factum aiunt. Eman 88 autorem faciunt, quem tamen durante captiuitate factum fuisse Philo censet: 89 *Misericordias Domini, &c.* tribuunt Ethan: sicut & 39 *Dixi custodiam vias meas*: filij Chore scripserunt 11: Ezechiel 65. filij Ionadæ 71. *In te Domine speraui*. Ieremias 137. *Super flumina Babylonis*. Aggæus, & Zacharias. *Confitebor tibi Domine. Domine probasti me. Lauda anima mea Dominum. Lauda Hierusalem, & Laudate Dominum de cœlis.*

Chrysost. August. Hieron. Athanas. Hieron. Philo.

D. Hieron. ait versus psalmorum esse varios ad instar versuum Pindari, & Horatij. R. Kimhi ait psalmos, qui magni momenti censentur alphabeticos esse, vt, *Ad te Domine leuaui. Benedicā te Dom. Confitebor tibi Domine. Beatus vir, qui timet Dom. Exaltabo te Deus meus rex. Beati immaculati, & Noli æmulari*, tametsi D. Hieron. 5. tantùm numeret ad Paulam vrbicam. Cantica canticorū, & alij Salomonis libri sæpe constant trimetris Iambicis. Isaias in 3. canticis vrbis Sion, & Ezechiæ hexametris, & pentametris progreditur. Vltima pars libri Prouerbiorum versibus constat alphabeticis. Lamentationes Hieremię sunt versus artificiales: Iob à capite 3. vsque ad 42. versus habet hexametros. Ipse D. Paulus Actuum 17. versum Arati refert, τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν, *Ipsius enim genus sumus*, vide Aratum initio phœnomenon.

Hieron. R. Kimhi. Hieron. De poësi Hebræorū postea dicemus, hic enim tantùm ex alio refero. Act. 17.

Epimenides Cretensis Poëta, & templi Mithræ, siue solis Sacerdos scripsit librum oraculorum, & responsionum, ex quo Paulus contra Cretenses Doctores sumpsit testimonium scribens ad Titum, *Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri*: quem tamen versum Hieron. in hunc locum à Callimacho Cyrenēsi sumptum arbitratur: at D. Aug. & Chrysost. Epimenidi tribuunt, qui huiusce rei occasionem affert, quod Cretenses Iouis sepulchrum fabricassent. August. Chrysost.

Hic iacet, quem Iouem appellant.

Ob quam inscriptionem poëtæ mendacis Cretenses arguit. D. Hieron. ep. ad magnum oratorem ait Paulum è Menandro versum hunc accepisse, *Corrumpunt bonos mores colloquia praua* epist. 1. ad Corinth. qui poëta teste Athen. 49. comœdias scripsit. Ad poësim sacram Sybillarum nos prouocat Clemens Alexandr. lib. 6. strom. quem malè putat Erasmus fuisse Clementem Papam in c. 4. epist. ad Philipp. His autem omnibus pro libito vtere, & quę ad vnumquódque caput pertinuerint, accommoda, nec enim hîc ordinem, sed materiā suggero. Hieron. Clemen. Alex.

HISTORIA.

Luc. 11. *Sub Pontio Pilato. Erat Iesus eijciens dæmonium. Luc. 11. pro Dominica 3. Quadrag.*

HIstoria est veritatis magistra, & morum sciētia exemplaris, quam si ita probè sciremus, ac dæmon, & omnia exempla præterita nostræ memoriæ, sicut eius intellectui, præsentia essent, illū pauci sequerētur; verùm mutus est, nec de his nos instruet vnquam; at Christus regulam præscribit, quæ in omnibus sæculis, & historijs verissima est, nempe, *Omne regnum in se ipsum diuisum desolabitur*, quod & in regnis, & in quolibet homine verū est; quicunque enim aduersus conscientiam suam aliquid peragit, instar Pilati destruetur, qui licet innocentiam Christi manuum ablutione testaretur, eum tamen morti adiudicauit. Vnde postea Pilatus desolatus fuit: Reipublicæ Iudaicæ, Romanorum, & aliorum desolationem ex diuisione natam vide in historijs. Caluinus autem non tantùm sub Pilato, sed sub diabolo Christum passum esse blasphemat, dum ait eum damnatorum pœnas esse perpessum. Loci communes. 1. de scientia dæmonum. 2. de regnorum mutatione, & destructione. 3. de Romanorū ruinis. 4. de monopolijs, & dissidijs hominum. 5. de pœnis, & morte Pilati. Caluinus. 5. partes concionis.

Confundamus linguā eorū, vt non audiat vnusquisq; vocem proximi sui, vbi de linguarū diuisione ex Gen. referebat ex antiquissimo manuscripto Vaticani transcriptam epistolam, quam Pilatus ad Tiberium misit

misit de Christi morte, in qua luculenter testatur eum vera patrasse miracula, & Iudæorum liuore inductum esse, vt eum condemnaret, quem etiam resurrexisse ait, quam vt paulo longiorem minimè refero, ea fruêris, si quando conciones istæ integræ in lucem prodeant.

CHIRVRGIA.

Mortuus. Quæcúnque ligaueris super terram, &c.

CHirurgia est pars medicinæ, quæ manuum opera morbum omnem exteriorem, vulnera, vlcera, tumores, & cætera vitia partium tam similiarium, quàm organicarum curat. Spiritualis autem est pœnitentiæ Sacramentalis administratio, quæ Sacerdotis potestate exercetur. Vterque Chirurgus conferri potest, cùm vtérque seruet à morte: præcipuum Chirurgi munus est, vt accuratus sit in ligamentis, quibus vulnera, & membra luxata alligat: sic & Sacerdotis, *Quæcúnque ligaueritis.* Potestas Sacerdotum, qua tollũt vincula, ex Christi passione oritur, qui per plagas suas mille vnguenta nobis exposuit.

Capita. 1. De vinculis, & ligamentis Chirurgorum, de quibus Tagautius, & alij ex professo. 2. De modo quo ligantur, vel à vinculis absoluuntur peccatores. 3. De virtute passionis Domini. 4. Sanguinem ipsius esse vnguentum mirabile nobis datum, & in nostros vsus destinatum. Denique Christum Dominum esse maximum Chirurgum. De vnguento sympathetico Crollij, Armario Goclenij, & eiusdem curatione magnetica aliquid dici poterit, aduersus quem Roberti egit. 5. partes concionis.

PHYSIOLOGIA.

Quod intrat per os. Sepultus.

PHysiologia est sciẽtia corporis humani, prout eius elementa partes, humores, facultates, potentias, actiones, & alia, quæ ad corporis constitutionem, vel anatomem attinent, docet; illa differit de vijs, quibus alimentum sese in totum corpus insinuat: at spiritualis physiologia corpus hominis tam viuum, quàm mortuum contemplatur, & de eo edisserit eminentiori modo, nec vt humana scientia de corporibus, & eorum effectibus iudicat iuxta id, *Quod in os ingreditur*, nam caro v. g. tempore Quadragesimæ comesta contra præceptum Ecclesiæ non eum effectum producit in anima, quem in corpore, sed eam inficit, & gratia destituit.

Loci communes. 1. De excellentia corporis Christi in sepulchro. 2. De cibis prohibitis. 3. Quod id ab Apostolica traditione manauit. 4. Corpus Christi non fuisse passum anatomiam, seu diuisionem, quia Ecclesia, cuius Christus caput est, vnica est. 4. partes.

PATHOLOGIA.

Cum particula. Descendit ad inferos: Socrus Petri.

ILla verò est scientia, qua morbos humani corporis, eorúmque causas, signa, & symptomata nouimus: inter morbos autem illi frequentiores esse videntur, qui febres, seu πυρετοί nuncupantur. i. ignei, quibus Socrus Petri detinebatur, alij verò aliter infirmabantur, qui sicut post occasum solis salui facti sunt, sic post occasum solis iustitiæ, seu mortem Christi Domini, sanati sunt, qui in limbis detinebantur, & multi à febre liberati sunt. i. ab igne purgatorij.

Loci communes. 1. De febri in communi. 2. De febribus animæ. 3. De descensu ad inferos. 4. De statu eorum, qui sunt in limbo. 5. Quod in descensu Christi quædã animæ purgatorij subleuatæ sint. 5. partes.

MAGIA NATVRALIS.

Crucifixus. Et Nazareth.

EST autem illa praxis operationum physicarum, & naturalium effectuum coniunctione actiuorum cum passiuis: exempli gratia virtus 10. lapidum Magneticorum in vnicum Magnetem transfundi potest, qui tantum ferri solus, quãtum illi decem trahere poterunt: imo non desunt, qui afferant se posse lapidem Magneticum trigesies, imo & centies robustiorem, quàm esset antea, reddere: eo homines inuisibiles reddi posse, quod falsissimum est, nec enim tota magia naturalis quidquam inuisibile facere potest, sicut Christus seipsum reddit inuisibilem, cùm eum è rupe prope Nazareth præcipitare vellent, quod virtute diuina operatus est. Fateor tamen magnam esse virtutem corporis Christi, qui dictus est esse Nazareth à *Natser*. i. flos, cuius tanta est virtus, vt nihil in tota naturali magia simile videas.

Loci communes. 1. De effectibus magiæ naturalis. 2. De Nazareno. 3. Quomodo quis se possit inuisibilem efficere. 4. De effectibus crucifixi. 5. Denique de virtutibus carnis Christi. Hîc de magia licita agi poterit, & de illicita & impia, quæ triplex est, quámque in Zoroastrem inuentorem referunt, Theurgia, Goëtia, & Pharmacia; prima dæmonum beneficorum, & vmbrarum colloquia promittit: secunda, quæ est Necromantia, 5. partes concionis.

mortuos euocat: tertia aliquid porrigit ore sumendum, quod vel amorem, vel odium conciliet. Agebat etiam hîc de reprobatione malorum, eâque temporali, vel alterna: de repudiatione, seu reprobatione Iudæorum loca passim habes in Scriptura, sed præsertim Isai. 50. Ier. 3. Osee. 1. Isai. 7. & 57. Isai. 7. & 57.

PICTVRA.

Tertia die resurrexit. Samaritana.

Exod. 20. HÆc ars etiam à Regibus semper in honore habita fuit, videtur contemni Exod. 20. cùm dicitur, *Non facies tibi sculptile*: verùm paulò post in eodem libro præcipit Deus fieri Cherubinos; & Salomon fecit imagines in templo, non vt adorarentur, nam vt Christus ait Samaritanæ, *Veri adoratores adorabunt in spiritu.* Attamen Sancti id promeriti fuêre præ Regibus, vt eis post mortem imagines erigantur, nec enim Regum imagines honore simili afficiuntur: maximè verò Christo sancto Sanctorum imagines dedicandæ sunt.

Excellentissima pictura animæ post mortem est eius beatitudo, & pulcherrimus corporis humani color apparebit post resurrectionem, tunc enim nec aqua vel oleum Talci, aut oui albugo, sed aqua Samaritanæ, nempe gratia, atque gloria beata corpora lucidissima reddet, quibus inebriata anima non sitiet in æternum.

Capita. 1. De Pictura, Sculptura, Cælatura, & ea parte quæ illuminat. 2. De Pictura animæ in hoc mundo. 3. De pulchritudine corporis glorificati. 4. De excellentia gratiæ. 5. De aqua Samaritanæ. posset etiam quis agere de adoratione imaginum.

Quomodo Ægyptij non tantùm viuos, sed & mortuos adorarent. Vide 7. genera adorationum, quibus Græci vtebantur apud Plutar. lib. 1. de placit. Philos. cap. 6. De Idololatria Romanorum Tertul. Arnob. & Athenag. Ægyptij aureorum 30. millia in funus bouis expenderunt, & in morte canis omnes lugubri veste vtebantur: explicabat loca D. Pauli, *Qui traditus est propter peccata nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram*: & *Quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui*: ecce exemplar picturæ spiritualis: exemplar corporeum traditur ad Philip. 3. *Qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* Inter scientias Ægyptiorum Hieroglifica præcipuum dignitatis gradum obtinebat, quæ in sculptura sita erat; cuius vna pars Chiriologica vocabatur, quæ verbis depictis, seu fictis vtebatur. Alia symbolica, seu imitatiua, qua v. g. solem circulo denotabant: imago hominis prudentiam, equi libertatem referebat, per Tropicam: Denique Ænigmatica referebat prudentiam per oculum in sceptro positum. Hîc de diuersis imaginibus agere potes.

7. Genera adorationũ apud Paganos. Plutar. Tertul. — ad Phil. 3. — Scientiæ Hieroglyphicæ partes.

IVRISPRVDENTIA.

Adultera. A mortuis.

EST scientia, qua nouit aliquis vnicuique ius suum seruare, atque reddere, quæ non tantùm in iustitia stricta, vel, vt vocant, rigorosa, sed in æquitate reperitur. Primus aduentus Christi fuit in virga, seu regula Lesbia, sese enim nobis accommodauit, vt à peccato liberaret, in secundo aduentu veniet in Polycleti regula, & virga ferrea: initio adulteræ pepercit, vt doceret iudices interdum indulgentia vtendum esse.

6. Partes. Loci communes 1. Iurisprudentia. 2. Æquitas, & Epijkia. 3. Iustitiæ rigor. 4. Pœna adulterij. 5. Peccatum esse mortem. 6. De differentia duorum aduentuum, & iustitiæ vtrorúmque. Scimus quoniam quæcúnque lex loquitur, ijs qui in lege sunt, loquitur, vt omnes os obstruatur, & subditus fit omnis mundus Deo. Lex, teste Hieron. epist. 151. responsione 8, sex modis in scriptura sumitur. Hic de lege naturæ, *Alteri ne feceris, quod tibi non vis fieri*, ex quo secunda tabula pendet, quæ quia ferè delebatur ex corde impiorum, Iurisprudentia introducta est. D. Aug. 2. confess. cap. 6. *Lex scripta in cordibus hominum ne ipsa quidem delet iniquitas.*

Hieron. — Augustin.

OECONOMIA.

Panes. Ascendit. Dominica. 4.

HAc familiæ reguntur, & conuentus hominum. Christus non tantùm familiam mundi per doctrinam instruxit, sed in deserto pauit multitudinem: magis verò se communicauit corpus suum tribuendo, qui est panis viuus, in qua distributione mirabilis œconomia cernitur, quia tantum capit vnus, quantum alius: & corpus illud sumptum nõ minuitur: multiplicatio panum in Euangelio huius sacramenti præludium esse videtur: Caluinistarum autem panis siccus est, & œconomia diuersa.

6. partes. Loci communes 1. de speciebus œconomiæ. 2. de officio veri œconomi. 3. de alimentis familiæ. 4. de pane animæ, & corporis. 5. de præparatione necessaria antequam cibus ingeratur. Denique animam non posse ascendere in cœlum absque separatione à corpore.

PHYSIOGNOMIA

PHYSIOGNOMIA.

Annuntiatio. Ad cælos.

Signis exterioribus hæc ars humores, & inclinationes alicuius, imò & futuram capacitatem inquirit, quæ notat quomodo vnus ad alium, vt filius ad patrem assimilatione pertinet: hodie de Annuntiatione agitur, nec meliùs discerni potest, cuius temperamenti filius incarnatus fuerit, quàm si matrem inspexerimus, quæ ei sanguinem præbuit, sed ipse descendit de cælo, nec à matre quidquam præter materiam accepit. Temperamentorum illud est perfectissimum sanguineum, vbi cæteros humores sanguis superat; hinc de pilis, calore, & complexione quis iudicare potest? Hîc non erat opus scientiam peculiarem afferre, quandoquidem hoc mysterium omni maius est philosophia, terra enim ascendit in cælum, & in terram cælum descendit, Deus fit terra. Virgo plena gratia, & scientia ostendit in corpore suo, quàm altè nostra natura conscenderit, dum in vtero gessit, qui omnem Encyclopediam complectitur.

Loci communes. 1. De similitudine filij cum matre, & è contrario. 2. Efficacia Physiognomiæ. 3. De sapientia Verbi. 4. De scientia Virginis. 5. Descensus è cælo. 6. Vterum virginalem fuisse cælum. 7. De mirabilibus mysterij Incarnationis. 7. partes concionis

DIALECTICA.

Literas scit. Sedet ad dexteram.

Hac docemus, & discimus alias scientias, est enim organum aliarum scientiarum. Christus tamen omnia sciebat, licet non studuisset in scholis: Quapropter mirantur Iudæi. *Quomodo hic literas scit*: nesciebant esse Dei filium, qui non tantùm post Ascensionem, sed ab æterno sedet ad dexteram patris, vt ipse ait in hoc Euangelio, *Ab ipso sum.*

Partes 5. concionis. Loci communes. 1. Methodus docendi, & discendi. 2. de diuersis scientijs Christi. 3. Quod sit eadem sapientia æterna cum patre. 4. vis, & subtilitas disputationis Christi. 5. Quod nunquam scholas adierit.

De valentibus memoria. Primò agebat de memoria, & ijs qui ea valuerunt, aut amiserunt eam. Pythagoras dicebat se scire omnia, quæ à Mercurij sæculo contigerant. Clemens Papa sextus post acceptum vulnus in capite obliuisci non poterat, quod semel legerat, teste Petrarcha.

Germanus quidam post sanguinis emissionem legendi, atque scribendi artem oblitus est, reliquorum verò meminit teste Fulgosio lib. 1. cap. 6. Fulgos. S. Antonius totam Scripturam memoria complectebatur, & teste D. Aug. præfat. in libros de doctrina Christ. Apollonius Thyanæus omnia memoriter retinebat. Iouius refert Alexandrum Cardinalem omnes ferè linguas caluisse. Claudius Imperator totum Homerum sciebat, teste Suetonio: Auicenna Metaphysicam. Hermides apud Plin. lib. 4. cap. 2. recitabat memoria libros omnes, quos legerat: Metrodorus verò omnia, quæ plures simul loquendo dixerant. Sueton. Plin.

ASTRONOMIA, ASTROLOGIA, OPTICA.

Cæcus natus. Venturus est.

Astronomia scimus astrorũ motus, per astrologiam ex illis motibus futura præsagiuntur. Optica rationes assignat, cur hoc, & illo modo obiecta percipiamus, vel quomodo oculũ ingrediantur, quæ differt à perspectiua, quia hæc magis conuenit pictoribus, & architectis. Hæ tres scientiæ non sunt in cæcis. Vbi tamen Christus non est vsus lumine, vt cæcos illuminaret, sed limo terræ saliuæ coniuncto, quibus signum immortalitatis, & æternitatis significabatur, imo & Messiam eum esse poterãt inde Iudæi conijcere. Astrologi finem mundi inquirunt, & præsignificant, sed falsò, certò verò Euangelium, quod signum infallibile assignat, nempe mundi cæcitatem. *Erunt signa in sole, & luna.* Cæcitas peccati timenda est propter Christi tremendum aduentum.

Partes 5. Loci communes. 1. Oculi dati sunt, vt astra contemplentur. 2. Stellæ non possunt ostendere iudicium vltimũ. 3. Species cæcitatis. 4. Vanitas Astrologorum. 5. Secundus aduentus.

Deuter. 24. Quod filij patrum mores sequantur, Deuter. 24. patres ob peccata filiorum puniri non debent,

Sapient. 12. nam Sapient. 12. *Condemnare exterum à virtute tua indicas*: tamen Exodi 20. *Visitat iniquitatem patrum in filios vsque ad 3. & 4. generationem.* De his pœnis age, si vis. Astrologi putant Noë diluuium per astra prædicere potuisse: vide Senecam lib. 2. quæstion. natur. vbi Berosum citat: & Anianus ait peritissimum astrologum fuisse, & per stellas diluuium prædixisse: cui suffragatur Henricus de Malinis commentario in Albumazar: aitque tunc magnam Iouis, & ♄ coniunctionem in fine Cancri co[illegible]gisse: & Petrus de Alliaco quæst. in Genesim cataractas cœli vocat constellationes: eásque Guil. Parisiens. 1. parte vniuersi partes cœli pluuiarum productrices appellat, quales sunt Cancer, ♓, Pleiades, Hyades, Orion, Luna, Venus, Mars: verùm Deus satis testatur se diluuij causam fuisse, sicut & finis eiusdem his verbis: *Adducam aquas diluuij super terram, & adduxit Dominus spiritum super terram.* Plato in Timæo dixit mutationem mundi à solo Deo pendere: & Aristot. meteor. 1. negat diluuium posse esse vniuersale: adde quod diluuium necessariò factum fuisset, si in astra refunderetur, cùm tamen illius causa peccatum assignetur: denique fieret iterum, vbi eadem Exod. 20. Seneca. Henric. de Malin. Petr. Alliac. Plato. Aristot.

conſtellatio rediret: iterum vna mundi pars aliam non deſtruit, & vna conſtellatio non exercet ſuas influentias in omnem terram.

Daniel. 3. & 4. Qui Daniel 3. & 4. vocantur *Caſſedim*, Aſtrologi dicuntur teſte Hieron. quorum primus fuit Belus Nini pater iuxta Philonem lib. de Abraham: (Philo.) omnia naturæ tribuebat, & mundum putabat Deum, naturam verò ſempiternam. Liber Enoch, (Enoch liber.) quem citat Iudas, de Gigantibus, & ſtellis loquebatur; nam Origen. hom. 28. in Numeros ait, *Qui fecit multitudinem ſtellarum, omnibus eis nomina vocat, de quibus nominibus plurima in libris, qui appellantur Enoch, ſecreta continentur, & arcana*: (Origen.) & Tertul. de habitu mulierum eius libros à Noë putat in arca ſeruatos eſſe. (Tertul.)

PHYSICA.

Iudicare viuos. Naim.

HÆc profundè cõtemplatur res naturales, & corpora tam viua, quàm mortua conſiderat, & ea, quæ tametſi mortua non ſint, eorum tamen vita deſperata eſt, vt referunt de Aſclepiade, qui cùm filiæ cuiuſdam pulſum tetigiſſet, quæ velut defuncta ferebatur, deprehendit in ea quaſdam caloris vitalis reliquias: verùm quando vera eſt mors, in ea nihil phyſica poteſt; eſt & alia phyſica poſt animæ ſeparationem, quæ licet ad metaphyſicam pertineat, ſi conſideretur, vt intellectus, ſpectat etiam ad phyſicam, quia eſt apta, vt corpus informet, eſtque pars hominis præcipua: verùm ad metaphyſicum iudicem accedit, dum ad ſuũ principium regreditur, vt de ſuis operationibus phyſicis rationem reddat; ab illo enim iudicio non ſenex, non iuuenis, non pauper, non diues abſoluitur. Loci communes. 1. Mortui nõ ſunt mortui. (4. Partes concionis.) 2. Natura ſanctificatur. 3. Iudicium extollit, aut deprimit naturam. 4. Motus corporis ſæpè ſupernaturalis eſt.

Ad Rom. 4. *Qui viuificat mortuos, & vocat ea, quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt.* explicetur, (ad Rom. 4.) *Non intres in iudicium cum ſeruo tuo.* Boni timent iudicium quinque de cauſis, primò quia neſciunt, ſi prædeſtinati & electi ſint, in gratia, vel extra. 2. quia pauci ſunt, qui non commiſerint aliquod lethale, qui neſciunt, an de eo verè eos pœnituerit. 3. ob multitudinem venialium. 4. ob negligentiam, quã bona opera fecerunt. 5. quia præmium bonorum operum ſuam originem ex Dei miſericordia ſumit. (5. rationes cur timeamus iudicium Dei.)

GNOMONICA.

Lazarus. Et mortuos.

HAc horologia ſolaria conficimus horizontalia, verticalia, polaria, &c. Platonici Parcas (Platonici.) cœlis annectebant, quæ vitæ filum mortalibus abſcinderent, vt ſignificarent motus cœleſtes diuerſas horas efficere, quibus agitur vita noſtra, donec ingrediamur aliam, quo Chriſtus reſpexiſſe videtur, dum ait. *Nonne ſunt 12. horæ diei*: eſt enim ſermo de Lazari obitu, morte ſine morte, *Iudicare viuos, & mortuos*: ſic igitur Lazarus bis mortuus eſt. Loci communes. 1. Horologia ſunt ſymbola peregrinationis, & deceſſus noſtri. (5. partes concionis.) 2. Cœli ſunt vitæ noſtræ fuſi. 3. motus doceat nos finem noſtrum. 4. debemus eſſe temporis auari. 5. mors non eſt mors, ſed ſomnus. De horologio Achaz agere poteris.

COSMOGRAPHIA.

Lux mundi. Spiritum ſanctum.

EST totius mundi deſcriptio, quæ totum orbem velut in imagine contemplandum exhibet: & affert lumen, quo totum ſimul vniuerſum aſpici poſſit, quod vix decennio poſſet homo, tametſi nihil eum retardaret. Magna ergo Coſmographia Chriſti, qui ait, *Ego ſum lux mundi*, totum enim mundum oſtendebat. *Omnia per ipſum facta ſunt. Ita ſpiritus Domini repleuit orbem terrarum*: & Deus vera lux eſſentialis, vbique eſt.

Loci communes. 1. Lumen eſt vbique. 2. Deus eſt lumen mundi. 3. lumen eſt ornatus, decus mundi. 4. Chriſtus magis illuminat mundum, quàm lux corporea. 5. ſanctificatio mundi oritur à Spiritu ſancto.

Hîc probabat Deum eſſe ex D. Aug. ſerm. 55. de (August.) Verbis Domini: Theodoreto in 1. caput ad Rom. (Theodor.) & Tertul. in Apolog. (Tertul.) Deinde de charitate, quòd non ſit ipſe Spiritus ſanctus contra Magiſtrum. Poſtea an quis certus eſſe poſſit ſe eſſe in gratia, & qua certitudine, vbi multa loca D. Pauli diſcutiuntur.

ETHICA.

Arguet de peccato. Spiritum ſanctum.

HÆc eſt ars bene viuendi, & medijs virtutibus perueniendi ad fœlicitatem, virtus paſſiones ſuperat, quò tendebant Stoici, virtus purgatiua Academica quãdam tranquillitatem afferre videtur, Ethica nihil prodeſt ſine charitate, quæ fidem habet pro fundamento; hac enim virtute

nouo

nouo colore, videlicet infusione, tinguntur, quando quis actus virtutem per charitatem exercet, quæ in Christo supremum gradum obtinet. *Quis arguet, &c.* Caluinistæ putant sufficere, si aula purgetur, nec peristromata charitatis requirunt, sed Ethica Christiana Spiritum sanctum postulat, & eius gratiam vt pulcherrimam animæ vestem esse fatetur. Loci communes 1. de pulchritudine virtutis. 2. de peccati deformitate. 3. de virtute morali infusa. 4. de excellentia virtutis Christi. 5. de gratia. 6. ethica supernaturalis.

6. partes concionis.

Hîc discutiebat, an quidã ex gentilibus philosophis salutem consequi potuerint sine fide, cùm Iustinus eos Christianos apellet, qui secundum rationem vixerunt, quos Clemens. 6. strom. fidem accepisse putat per Christi prædicationem factam in limbo; attamen contrarium, vt pote verum sequitur cum D. Paulo. 1. ad Tim. 2. *Mediater Dei, & hominum Christus, nec aliud est nomen in quo saluari possimus.* Actuum 4. videatur August. epist. 157. ad Opt. Deinde quomodo concupiscentia non est peccatum contra hæreticos, quam virtus moralis domat. Tertiò de prædestinatione, quòd fiat ante præuisionem bonorum operum iuxta D. Aug. epist. 150. quia finis prior est in intentione; cuius tamen vltimus effectus, nempe retributio gloriæ, supponit opera bona: licet verò quidam effectus præmij, vt vocatio, electio, iustificatio non supponant condigna merita, attamen augmentum gratiæ, & præmij retributio merita supponunt.

Iustin. Clemens. 1. ad Tim. 2. Actuum 4. August.

HYDRAVLICA.

Flumina fluent aquæ viuæ. Sanctam.

HAc arte ducuntur aquæ mensuris, ponderibus, figuris, eleuando, deprimendo, per canales, & foramina, ex quibus varij effectus resultant, vt musica, organa, vlulatus, vocum miræ varietates, & auium cantus, specula, irides, omnes figuræ Geometricæ; inter quæ præcipuas voces esse crediderim. Hanc Hydraulicam Ioannes Apostolus audiuit, *Audiui vocem aquarum multarum*; & in hoc Euangelio, *Flumina fluent de ventre eius*, & alibi, *Fluminis impetus lætificat:* aqua est Symbolum gratiæ, gratia est signum sanctitatis certissimum, ciuitas Dei est Ecclesiæ. *Sanctam.* Loci communes. 1. Sanctitas. 2. aquam esse gratiæ symbolum 3. gratia lætificat. 4. fluxus aquæ Spiritus sancti est vera lætitia. 5. de sono artificiali aquarum. 6. Ecclesia est ciuitas Dei.

6. partes concionis.

GEODÆSIA.

Ascende ad festum. Ecclesiam.

GEodæsia est illud Geometriæ respectu, quod Magia naturalis respectu Physicæ, illa nempe theoriam, atque theoremata Geometriæ redigit in praxim: vno verbo est scientia subtilissimorum Geometrarum, cùm longitudines, latitudines, & profunditates inuestigantur. Hiero rex rogauit Archimedem, vt theoriã paululum intermissâ praxi incũberet, quod cùm fecisset, prælia solus vincebat. Fratres Christi vitã Christi mirabilem, & contemplatiuam agnouerant, suadent, vt mũdo sua opera ostẽdat, Ecclesia fuit, initio contemplatiua, & velut abscondita, parua vt granum sinapis, sed, postea praxis eius, & Geodæsia omnes in stuporem egit, & in admirationem rapuit, nam sicut excellentes Geometræ cùm vnico instrumento cochleari perpetuo, quod Galli vocant *vis sans fin*, integrum castellum eleuare possent, ita cum verbo Christi æterno totus mundus ad fidem adductus est.

Loci communes. 1. De arte ingeniosorum. 2. de practica Geometriæ. 3. Magnus Ecclesiæ progressus, licet à minimis cœperit. 4. stultitia eorum, qui sua opera mundo manifestare cupiunt, vt in pretio habeantur. 5. Sancti semper occulti esse voluerunt. 6. Ipsa Ecclesia sua mysteria occultat. 7. Nemo gratias promulgare debet, quas ei Deus largitur.

7. Partes concionis

Σημειωτική.

Operibus credite. Catholicam.

HAc arte nonnulla ex signis antecedentibus, vel cõcomitantibus cognoscuntur; antecedentia vocantur memoratiua, consequentia verò demonstratiua: v. g. scimus aliquem febri quartana laborare, quia splenis dolores perpessus est: ephemera verò ex aliquo labore solito maiori cognoscitur. Signa etiam dicuntur de ijs, quæ communem ordinem naturæ; & Medicinam superant, vt de miraculis. *Operibus credite.* Verum signum Ecclesiæ est esse Catholicam.

Capita. 1. Ecclesia vniuersalis. 2. Catholicum idem est. 3. Miracula sunt signa fidei. 4. A miraculis Messiam accepisse testimonium. 5. Scientiam signorum excellentem esse. De varijs cognitionibus, quæ de Deo haberi possunt, & de circumcisione, quæ est signaculum iustitiæ fidei, poteris agere Genes. 17. vt sit signum fœderis, signum memoratiuum inter Deum Abraham, & eius posteros; repræsentatiuum fidei Abraham; distinctiuum Hebræorum à gentibus: demonstratiuum purgationis ab originali, Baptismi præfiguratiuũ: vide quomodo fuerit iustitiæ signaculum. Hîc aduersus hæreticos, qui Sacramenta volunt esse confirmatiua remissionis peccatorum solummodo.

7. partes concionis. Genes. 17.

HYDROGRAPHIA.

Magdalena. Sanctorum.

HAc scientia scit homo, quomodo nauigandum sit, maria quomodo tranandа: est enim aquarum descriptio: lachrymæ Petri laudantur, sed eas Magdalenæ lachrymæ præcesserunt, quæ nouam didicit nauigationem, dum exijt cum S. Maximino, & Martha sine velo, & antennis, atque remis, aut gubernaculo, erat enim nauis sanctorum. *Sanctorum.* Capita. 1. Mirabilia, quæ contingunt in nauigijs. 2. Insolitæ nauigationes. 3. Aqua lachrymarum. 4. Pœnitentes flentes. 5. Vita Sanctorum prædictis omnibus conformis.

5 partes concionis.

Si est communio Sanctorum, quomodo intelligitur, quod ait D. Paulus ad Rom. 3. *Non est iustus quisquam, non est qui faciat bonum &c.* intellige per se sine Dei gratia, iuxta id Exod. 34. *Nullusq; apud te per se innocens est.* & Mich. 7. *perit sanctus de terra, & rectus non est in hominibus. Spiritus pro nobis postulat gemitibus inenarrabilibus:* quæ variè explicari possunt. Contra hæreticos agere poteris, qui volunt iustificatum, vel potiùs prædestinatum à gratia decidere non posse, cùm tamen D. August. ep. 99. testetur Adam salutem consecutũ fuisse; & tamen peccauit. Explicetur id Iohan *Qui ex Deo est, non peccat.* De arca Noë agebat.

ad Rom. 3. Exod. 34. Mich. 7. August.

GEOGRAPHIA.

Caiphas. Communionem.

DEscribit illa terram, prout incolitur. Variæ monarchiæ totum mũdum sibi arrogarunt, sed nulla hactenus præter Ecclesiam totum possedit. Caïphas, dum ait expedire, vt vnus homo moriatur pro toto populo, non totius orbis populum, sed tantùm Iudaïcum intelligebat, sed fallebatur, quia id de integro Geographiæ subiecto sumebatur, iuxta hodiernum Euangelium, Moriturus erat non tantùm pro gente, *Sed vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret. Communionem.*

6. partes concionis. Capita. De vnione politica 2. De vnitate Ecclesiastica. 3. Prophetia Ecclesiæ futuræ. 4. Collatio Reipublicæ hierarchicæ cũ cæteris antiquis monarchijs. 5. Nullam Ecclesiasticæ posse comparari. 6. Sacram Geographiam alias omnes superare.

ad Rom. 5. De prophetia Caïphæ hîc agatur. Explicetur locus ad Rom. 5. *Vix quis pro iusto moritur, nam pro bono forsitan quis audeat mori?* Marcion Deum veteris testamenti iustum, noui bonum dicebat, quia pro illo pauci, pro hoc plures mortui sunt. 2. Arrius iustum de Christo, bonum de Patre intelligebat. 3. Explicatio, pauci pro iustitia mortui sunt, quæ in veteri testamento quærebatur, multi pro bonitate; & clementia, quæ propria est testamenti noui. 4. Iustum, & bonum idem esse, ita Hieron. ad Algasiam. 5. Quòd vix reperiatur, qui propter iustum mori velit, iuxta 52. Isaiæ. *Iustus perit, & nemo est, qui recogitet in corde suo.* Iohan. 15. *Maiorem charitatem nemo habet, &c.* 6. De viro iustissimo, qui rarò multos amicos habet, & de bono. i. simplici, & candido viro. Denique bonus præter iustum aliquam liberalitatem & benignitatem habere videtur. Sanson, Codrus Leonidas, & Decius pro patria mortui sunt. Christus verò pro amicis suis.

6. Explicationes loci D. Pauli. Hieron. Isai 52. Ioh. 15.

In omnem terram exiuit sonus eorum. 1. prædicatio Euangelica, iuxta Marci cap. vltimum. *Euntes in mundum prædicate Euangelium omni creaturæ.* Vbi Chrysost. Euth. Theoph. aiunt in omni terra Euãgelium annuntiatum ante destructionem Ierusalem iuxta cap. 24. Math. *Prædicabitur hoc Euangelium in vniuerso orbe. &c. & tunc veniet consummatio.* videatur D. Paulus ad Colossens. 1. *eritis mihi testes &c.* vsque ad vltimum terræ; vbi D. Hieron. & Orig. legi possunt, & Augustin. epistol. 80. Nam. S. Mathias Euangelium annuntiauit in Æthiopia interiori; Iudas in Ægypto; Symeon in Mesopotamia: Thomas apud Parthos, Medos, Persas, Hircanos, & Bactrianos: Bartholomæus in India, & Armenia: Mathæus in Æthiopia: Philippus in Scythia, & Phrygia: Iacobus frater Domini in Ierusalem: Andreas in Asia, Sarmatia, Epiro, Thracia, & Achaia: Ioannes in Asia minori; alter Iacobus in Iudæa, & Hispania, Petrus in Galatia & Bithynia.

Marci vlt. Math. 24. ad Coloss. 1. Hier. Orig. August.

DOMINICA PALMARVM.

NVMERI PYTHAGORICI. MVSICA.

Osanna. Remissionem.

MVsica est scientia, qua quis canit in numero, & mensura, quæ triplex est Diatonica, Chromatica, & Enharmonica: fundamentum illius sunt numeri, præsertim Pythagorici. Consonantiæ sunt æquè variæ, ac ipsæ passiones hominum. Nam Phrygia ad prælia vocabat, Ionica ad choreas, & ludos, Dorica ad modestiam. Cantica erant signa libertatis, & lætitiæ: ita Christo Ierusalem ingrediente *Osanna* decantatum est: quod factum fuerat ab ijs qui ramos ferebant: & vt libertas ostenderetur, asina cum pullo soluta est.

5. partes concionis. Loci communes 1. Numerus est harmonicus, & harmonia numerica. 2. Musica supernaturalis in pueris. 3. Musica est signum lætitiæ. 4. Iubilæum, & iubilus non fiunt sine aliquo spirituali cantu

cantu. 5. remissio peccatorum est excellens musica.

Arguitur error hæreticorum, qui remissionem peccatorum pernegant; volunt enim tantùm non imputari: sed id cautè intelligendum: *Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum*, vbi D. Aug. ait, tecta sunt, quoniam abolita sunt. In peccato lethali sunt. 4. offensa Dei: actio inordinata. 3. esse dignum æterna pœna. 4. fœditas, seu macula peccati: quando dicitur Deus non imputare peccatum, quod tectum est, id intelligi debet quia non ampliùs destinat ad pœnam, nec videt illum actum inordinatum, sed hæc omnia per gratiam tolluntur. Hîc de vi numerum Pythagoricorum. De cantu psalmorum, pro quibus decantandis 4000. cantores constituit: cæteris autem antestabat Eman in cymbalorum, & tubarum sonitu, sicut Idithum in cithara, & Dauid ipse Psal. 17. cecinit, vbi Saulis manus euasit, & ob arcam reducem. vide D. Paulum ad Coloss. 3. *Commonentes vosmetipsos hymnis, psalmis & canticis spiritualibus.* & Eph. 9. *Cantantes Deo in cordibus vestris.* videatur Socrates lib. 6. cap. 8. de S. Ignatio. Philo de vita contemplat. Lucian. in Philopatro. Plin. lib. 10, epist. 97. Aug. epist. 119.

August. Psalm. 17. ad Coloss. 3. ad Ephes. 9. Socrates. Philo.

Διατηλικη.

Magdalena secundò. Peccatorum.

HAc optimè reguntur infirmi, & optimum eis viuendi regimen præscribitur: ad quod hæc sancta hebdomas hortatur exemplo Magdalenæ, quæ in conuiuio maxima suæ charitatis testimonia exhibuit: quapropter ei dictum est. *Dimissa sunt peccata.* Prima diæta est à peccatis ieiunare. Hîc agi poterit de bonis operibus aduersus Lutheranos. 2. Paral. 19. *Bona opera inuenta sunt in te.* 1. Petr. c. 2. *Per bona opera vocationē vestram certam faciatis. Circuncisio non iustificabat nisi in virtute Passionis Christi:* De eius differentia à Baptismo Diætetica contra ebrietatatem, & gulam. De ciborum delectu. Vide Epiph. hær 42. vbi Marcion dicebat illos esse damnatos, qui carnem concedebant: & hær. 66. Manichæi dicebant eos in animalia conuerti, qui carnem illorum comedebant: vide errores eorum apud Aug. de hæres. cuius admirabilem locum lege lib. 30. contra Faustum cap. 5. & 6. vbi carnium, imò & herbarum abstinentiam, quam exercent Christiani, probat, vt ne mutire quidem hæretici debeāt. Poteris agere de pœnis, quibus satisfaciendum est post culpæ remissionem contra hæreticos.

2. Paral. 19. 1. Petr. 2. Epiphan. Augustin.

ARITHMETICA.

Carnis.

EST numerandi scientia, optima quidem, quando quis sua peccata numerare nouit, idque debito ordine, vel si absque ordine, saltem nullum reticent: Quot nunc homines sua peccata reticent, *Carnis. Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est.* vide D. Greg. 4. Moral. cap. 29. in hæc verba, *& rursum circundabor pelle mea*, vbi refert verba, quibus aduersus Eutychium negantem resurrectionem ob illum Pauli locum, *caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt.* 1. ad Corin. 15. disputauit.

Gregor. 1. ad Cor. 15.

ALMVCABALA.

Resurrectionem.

HÆc ars est arcana arithmetica, quæ in numerorum multiplicatione in infinitum progreditur, nam ex radice quadrata producit, ex quadratis cubos, è cubis censicubos &c. Ita iustificatio à prima radice vsque ad resurrectionem semper progreditur. Hæc est Arithmetica noua; illa enim peccata, hæc Dei gratias, & beneficia numerat. Cabala similis est numeris Pythagoricis, estque secreta expositio legis diuinæ ab ore Mosis excepta sine scriptura: estque expositio anagogica: Moses enim legem spiritualiter 70. senioribus communicauit, vt patet Esdræ 4. cap. 14. fauet Hilarius in Psal. 2. vide eum. Nihil autem de hac Cabala scriptum fuit ante captiuitatem: eam verò redegit scripto Esdras 70. voluminibus. Vide Ioannem Picum in Apologia. Hi verò Cabalæ libri prohibiti sunt. Vbi aduerte duplicem Cabalam falsam, & veram, hæc est expositio anagogica mysteriorum. Et quidem Cabala Iudæorum non est vera, sed conficta multas fabellas continens. Hîc de progressu meritorum, & gratiæ dici poterit, num sit arithmeticus, vel geometricus.

4. Esdræ. cap. 14. Hilar.

SCIOTERICA.

Eucharistia. Resurrectionem.

SCioterica, ad quam refertur εὐχαρία, docet vmbrarum rationes, & quomodo mundi partem discernere possimus, in qua versatur aliquis, nam sub æquinoctiali sunt 5. vmbræ, nempe vm-

bra meridiei, septentrionalis, orientalis, occidentalis, & quæ pedibus opponitur, atque circa terræ centrum vergit. Hac etiam scimus altitudinem solis: & est vna ex præcipuis scientijs ad nauigationem pertinentibus. Excellentissima sciotherica est Eucharistia, quæ oculis velut vmbra apparet, sed quæ solem inuisibilem continet. Et in ea velut in vmbra resurrectionem cernere possumus, imò in ea verè comprehenditur, qui surrexit, estque resurrectio nostra exemplaris, & causalis.

ORGANOPIITICA.

Passio. Vitam.

HÆc instrumenta conficienda docet, quibus diuersis modis homines rapiuntur in admirationem, siue de rebus terrenis, siue de cœlestibus loquaris: hodie nobis offertur terræ, atque paradisi instrumentum: nempe sanctissima crux Christi, non vt in aëre efformatur, sed crux dignissima adoratione, idque in monte Caluariæ. Cogita obsecro quot miracula patrauit, quomodo omnes ad Christum adduxit, dæmones vicit, tyrannis restitit, &c.

CATOPTRICA.

Pascha, Resurrectio.

HÆc est speculorum scientia, quæ sunt vel concaua, vel conuexa, vel curua, vel plana, vel ardentia, & quæ speciem extra proijciunt, quemadmodum cylindrica: quam pulchrum hodie speculum resurrectio hodie suggerit, dum corpus è profundo emittit, quod omnino gloriosum est. Virga Aaron germinauit, cùm sicca esset, & fructum produxit in spem vitæ mortua corpora nostra resurrectura significans: ita & virga Mosis lignea animabatur in serpentem conuersa, & resurrectionem indicabat.

ORTHOGRAPHIA.

Feria 2. Paschæ.

HÆc est scientia non tantùm qua quis literas optimè format, sed qua quis bene literas componit. Ortthographia Spiritui sancto cõuenit, qui sacram scripturam dictauit, & quidem excellens est orthographus, qui eam intelligit, & interpretari potest: qualem se peregrinis euntibus in Emaüs Christus exhibuit, nam illis scripturas interpretabatur. Difficile est hæreticis discernere scripturas canonicas ab apocryphis: an oratio Manasses 2. Paralipom. subiuncta, quę neq; græcè, neque hebraicè reperitur: si genealogia Iob, quæ tantùm græcè legitur, sint partes Scripturæ sanctæ: an Psal. 151. de victoria aduersus Goliath, de quo Athan. in synopsi, in canonem scripturæ referendus sit, sicut & præfatio lamentationum Hieremiæ. Psalm. 151.

Ahias Silonites de gestis Salomonis librum scripsit 2. Paral. cap. 9. qui non reperitur. Hierem. 7. peccatum Iudæ scriptum est stilo ferreo. Iulius Cassianus hæreticus Euangelio Ægyptiorum vtebatur teste Clemente. 3. stromat. & Epiphan. 2. Panarij ait eo velut clypeo Sabellianos vsos fuisse. S. Barnabas scripsit epistolam, cuius partem aliquam recitat Origen. 3. periarch. Tertul. ait ab eo epistolam ad Hebræos scriptam fuisse: qui teste Theodoro Lectore in suis collectaneis Euangelium Matthæi vertit. Euangelium autem S. Barnabæ, & Bartholomæi inter apocrypha reponuntur, huius tamen meminit Dionys. Areop. 2 Paral 9. Hierem. 7. Clemens. Epiph. Orig. Tertul. Dionys.

Num. 21. sermo fit libri iustorum, quem R. Menachen ait continuisse reuelationem Mosi factam. AbenEzra putauit esse librum Iudicum: alij eundem librum Numerorum. Est & aliud Euangelium apocryphum Nazaræorum, Ebionitarum, & Encratitarum. S. Hermas lib. pastoris testatur Eldam, & Meldam scripsisse, super quibus requieuit spiritus Domini. 2. Numer. & 1. Paral. cap. vlt. de libro Gad mentio facta est. Libros Hermæ discipuli S. Pauli citant Clem. Alexand. 6 strom. Orig. hom. 8. in numer. Athan. de incarn. Christi. Euseb. 3. hist. cap. 3. Rufinus in Symbolum. vide Concil. Trullense sub Iustiniano. 2. Par. cap. 9. laudatur Iddo propheta. Liber Iudicum citatur 10. Iudic. S. Mathias citatur, vt Apostolus ab hæreticis, vide Orig. hom. in Lucam: illius traditiones refert Clem. 2. strom. Num. 21. Num. 2. 1. Paral. vlt. Clemens Alexand. 2. Paral. 9. Iudic. 10.

Liber vitæ Luc. 10. est prædestinatio: scribitur verò intus, & foris, vide Apoc. 3. *Qui vicerit, scribam super eum*, &c 14. *nomen patris eius scriptum in frontibus eorum.* Sunt autem alia multa apocrypha, vt Euangelium Pauli, & eius Apocalypsis, & actus Teclæ, Pauli, & Petri: sicut & Euangelium Nicodemi, & Philippi. Luc. 10. Apoc. 3 & 4.

PROGNOSTICA.

Feria 3 Æternam. Recapitulatio.

EST autem futurorum cognitio: & in medicina, qualis sit futurus morbus, idest, quod ad nos attinet, nisi fecerit populus, quod à Concionatore inculcatum est, punietur, si fecerit,

fecerit, & conuertatur, præmium accipiet. Omnes autem scientiæ Deum esse palam faciunt, & omnes particulæ Symboli nos ad fidem perducunt, omnia Euangelia Dei cultum, & amorem docent. Xenophon lib. 8. Cyrum morti vicinum introducit, qui arbitretur animam futura præsagire posse & Plato in Apologia Socratem affert idem sentientem: & Tullius 1. de diuinat id contendit: Verum id fieri nequit virtute naturæ: nam quando Iacob filios suos congregauit, & Moses ante mortem Deuter. 2. futura prædixit, & si qui alij de rebus futuris contingentibus certò prædixerunt, id virtute diuina factum est.

Xenophō. Plato. Tullius. Deut. 2.

ARTICVLVS III.

IN QVO PRÆCEDENTIVM intelligentia aperitur.

DVobus modis potest aliquis vna, vel pluribus vti scientijs, vel artibus: primò si omnes illius partes ad aliquem fructum spiritualem inde hauriendum accommodare, & vsurpare velit: vt si quis per omnes medicinæ partes ire tentet, vt medicinam spiritualem explicet, qua Deus animæ remedia suggerit; vel aliquam scientiam, aut etiam artem in Deo, vel aliquo Sancto, vel aliqua virtute includi ostendat, vt si quis explicet charitatem omnes partes mathematicarum continere, vel omnibus vti. Idémque de scientijs omnibus dicendum est, quas non rarò noster Humblotus facillimè in Deo, Christo, charitate, Ecclesia, homine comprehendi elegantissimè disserebat.

Secundò, si tantùm alicuius scientiæ particulam ad salutem animæ reuoces, vt si contendas numerationem primam arithmeticæ partem alicui necessariam esse, vt sua peccata rectè confiteatur, sed & scientiæ, & artes necessariæ sunt, vt multa scripturæ sacræ loca quis probè intelligat. Hinc enim factum est, vt in explicãdo Ezechiele, & templi fabrica, eiusque instrumentis, & ornamentis tam multa ex architectura, geometria, & arithmetica Villalpãdus repetierit. Et quidem fateor eum, qui totam scripturam explicare voluerit; omnium scientiarum peritum esse debere, quandoquidem Deus, Prophetæ, Christus, & Apostoli non rarò quædam vsurpant, quæ ad artes, & scientias attinent, quæ si hîc enarrare velim, nunquam fecero; quot enim habes, quæ pertinent, ad Medicos, Physicos, Astrologos, Geometras, Arithmeticos, Architectores, &c. quis rationum pondus, & energiam agnoscet, quibus vtitur scriptura, nisi Dialecticam, & Logicam calleat.

Quis conuincet Lazari suscitationē fuisse verum miraculum, & reuera mortuum fuisse, non verò vel apoplexia, vel epilepsia corruptum, nisi qui medicus insignis fuerit, & omnia signa mortis nouerit, imo & omnium pharmacorum, plantarum, lapidum, atque metallorum vires, vt ostendat aduersus Atheos Lazarum à mortuis nullo extracto, nullo oleo, aut spiritu, quintáue mixtorum essentia, sed Dei sola virtute reuocari potuisse? quod 1. quæstione fusè præstitimus.

Quis arcæ Noëticæ magnitudinem internam, & eius cubum sciet, nisi qui multiplicatione vti potest, & radicis, atque cubi, quadratorúmue cognitionem habet; quis conuincere poterit diluuium non virtute cœlorum aut elementorum, sed Dei voluntate contigisse, nisi qui totam Astrologiam iudiciariam didicit, & omnia illius fundamenta potest euertere? nisi qui optimis instrumentis per veras demonstrationes omnia futilia esse conuincat quæ Iudiciarij balbutiunt: quis mundi creati partes sine cosmographia, loca, regiones, regna, flumina toties commemorata sine chorographia, & topographia, intelliget? Quis denique perfectam sacrorum codicum intelligentiam consequi poterit, eosque illæso delibare pede, nisi qui scientiarum, & artium omnium encyclopædiam priùs assecutus fuerit?

Sanè maximè desiderarem, vt cùm nullus esse videatur, qui has omnes partes solus obire valeat, vnusquisque partem illam scripturæ sacræ explicandam, & illustrandam aggrederetur, quæ ad eam scientiam pertinet, in qua optimè versatus est; exempli gratia medicus insignis loca scripturæ accuratissimè expenderet, quæ ad medicinam pertinere videntur; Ita iam Leuinus Lemnius de herbis, & arboribus; Franciscus Rueus de gemmis; Bustamantius de animantibus Scripturæ sacræ disseruerunt: verùm admodum imperfectè. Valesius etiam 91 capitibus plurima loca illustrauit. Hinc autem contingit non ita perfectè loca illa explicari, vt locum de mandragoris; quia nemo proprietates illius, vt par est, inuestigauit, antea enim aqua spiritus, oleum, essentia quinta, sal, & cætera è mandragoris extrahenda essent, & eorum vires expendendæ, quod & de cæteris plantis, & mixtis intelligo, quàm vt perfectus sensus è scripturis erui posset. At huiuscemodi nunc vnicuique permitto, vt mecum expendat, atque fateatur, quàm breuis sit hominum scientia, & quàm longè à perfecto scripturarum sanctarum intellectu absimus. De his verò multa reperies in vltimis argumentis, quibus Deum esse probauimus aduersus Atheos: qua, omnes definiuimus, atque diuisimus, vbi de Adami scientia locuti sumus.

Leuinus. Rueus.

Antequam verò huic articulo finem imponam, Theologos seriò monitos velim, ne statim aliquid cõtra fidem esse, vel scripturis diuinis opponi credant, & asserant, nisi priùs diligenti examine prçuio, etenim certum est nos pluribus opinionibus imbutos esse, quæ tamen non adeò certæ sunt, vt patet in ijs, quæ ad physicam, & astrologiam, & omnes ferè Mathematicæ partes attinent, quod mirum non est, cùm Deus hunc mundum disputationibus nostris tradidisse videatur, *Vt non inueniat homo opus, quod operatus est Deus ab initio vsque ad finem*, Eccles. 9. & Iob satis ostendit nos nescire posse, qua ratione cœli administrentur, Iob. 38

Eccl. 9. Iob. 38.

Nũquid nosti ordinẽ cœli, & pones rationem eius in terra? quis enarrabit cœlorũ rationem? Quapropter non ita vllius philosophi siue academici, siue peripatetici, sententijs adhærere debemus, vt nunquam illas melioribus posthabeamus, si quando ratio contrarium euicerit. Hinc fit, vt Theologus non solùm ea, quæ sunt de fide, & ad Scripturã sacram attinent, iuxta Peripateticorum, sed etiam secundum aliorum probabiles sententias explicare, atque defendere debeat, cùm ad maiorem Dei gloriam, & Euangelij propagationem necessarium fuerit.

Quia tamen vnicus omnia scire, atque discutere nequit, operæpretiũ foret, si Reges in suis quique regnis, & ditionibus academiam sacram erigerent, in qua duodeni viri egregij in qualibet arte, & scientia honestis stipendijs alerentur, & iusto præmio afficerentur, qui totâ vitâ in codice sacro explicando continuam operam nauarent, enimuero scientiarum, & artium omne genus ad scripturam intelligendam concurrere debet, vt Theologia vocet omnes ancillas ad arcem diuinam Prouerb. 9. quod si fieret, nullus esset labor, nullus timor, nulla perturbatio, vbi quis in Philosophia, vel Mathematicis, vel Medicina sentẽtiam inauditam proponeret, etenim si ad Astrologiam pertineret, illam duodecim Astronomi discuterent, num aliqua saltem probabilitate fulciretur; vt cùm recentiores astronomi planetas nouos, maculas, & nubeculas in sole, & luna repererunt, vnde nouos mundos conijciunt, quorum incolæ sint in stellis, atque planetis, & alia sexcenta huiuscemodi; cùm noui philosophi nullam materiam, vel substantiam materialem, sed tantùm accidẽtium syndromem admittunt, cum omnia ex nihilo quotidie produci, dari vacuum, animam hominis eandem in embryone extensionem, quàm in sene habere, adeout illis spatijs semper assistat, in quibus brachia, & reliquæ corporis partes futuræ sunt, vbi creuerint: cùm animam vniuersalem in mundo constituunt, & omnia ex atomis constare, & vbique spiritus quosdam adesse putant, &c. tunc, inquam, illi in vnaquaque facultate eruditissimi viri statuerent, quid probabile, quidue minus verum, quid in fide periculosum, &c. Quæ cùm nondum instituta sint, & vix spes vlla supersit, vt illud contingat, vellem omnes, antequam Theologiæ studeant, in omnibus scientijs, præsertim in physica, medicina, & mathematicis optimè versatos esse. Sic enim faciliùs distinguerent, quid sit miraculum, & quid non sit: exempli gratiâ non statim concluderent esse miraculum propriè dictum, si quis aquam vitæ instar chrystalli solidam efficiat, si multam aquam breui in vinum, vel liquorem vino similem conuertat, nam vbi subtilissima aqua vitæ sæpius circulata, & tartaro suo infusa fuit, parua particula illius tartari in vase aliquo per horam infusa facit, vt aqua vasis tam quoad gustum, quàm colorem vinum esse censeatur: quibus similia plurima Chymici reperiunt, licet aliud cogitantes: qua ratione præstans Alchymista nuper fortuitò nactus est vitrum pulcherrimum, quod ex fœniculo factum fuerat, & nitro in frigidam coniecto ventorum causas excogitauit. Quæ omnia nunquam Theologus miracula dicet, si vim alchymiæ nouerit, sicut neque si fuerit catoptricus, mirabitur, cùm aliquem speculis 2. parabolicis in infinitum, seu quodlibet assignatum spatium comburentem siue ante, siue retro perspexerit, illud enim ars demonstrat: quemadmodum & dioptica explicat, quomodo minimum quodpiam obiectum maximum repræsentari possit variorum refractionis angulorum beneficio. At tempus est, vt ad versic. 21. descendamus.

> 12. Medici. 12. Philosophi 12. Theologi Scholastici. 12 Positiui. 12. Chronographi. 12 Cosmographi 12 Iurisconsulti. 12. Mathematici. 12 Linguarum professores. 12. Alchymistæ Palladis arcem restituent. Prouerb. 9.
>
> Subtilia inuenta.

In quo pulcherrimas de musica difficultates Deo iuuante soluemus: quæ si paulo longiores esse videantur, quàm vt commentarius sacer habere debeat, hanc, puto, cogitationem quæstionis vtilitas, atque voluptas adimet. Faxit Deus Opt. Max. vt illa quæstio præstantissimos huius sæculi viros ad harmoniam perfectè restituendam excitet: summatim enim tantummodo delibaui, quæ ad negotium tam arduum necessaria iudicaui, ita tamen vt cætera facilè quis addere valeat.

> Vtilitas, atque voluptas sequẽtis quæstionis insinuatur.

Quam quæstionem etiam viri Theologi in vsum redigere poterunt, præsertim vt hinc eliciant, quid vi musicæ fieri, quidue minimè fieri possit: num Suedi vt ex Olao, & alijs referunt, vi soni, & consonantiarum, atque sonantium instrumentorum ita cadere, & extra se fieri possint, vt postea præterita, vel futura reuelent; num muri Ierícho clangẽtium tubarum virtute ruerint, &c. quæ vnicuique colligenda relinquo. Poterunt etiam concionatores, quibus ista quæstio tota dedicata est, non rarò aliquid è musica depromere, vt conciones suas adornent, illius exemplo, quem hoc anno de musica egregiè concionantem non sine voluptate audiui, qui tria musicæ genera tribus vitæ spiritualis generibus actiuæ, mixtæ, atque contemplatiuæ, primæ videlicet diatonicum facilius, secundæ chromaticum, tertiæ verò enharmonicum comparabat, & cum vnaquaque generum illorum proprietates aptissimè componebat. Nihil verò faciliùs, quàm 12 modos, vel si vis, 8 Ecclesiasticos choris Angelorum accommodare, dum Christi, vel Deiparæ Virginis ascensio cõcione declaratur: quid enim obstat, quominus hypodorius Angelis, Archangelis hypophrygius, dorius Thronis, & reliqui deinceps alijs choris tribuantur? sed neque vllum est interuallum siue maximum, siue minimum, siue intermedium fuerit, quod ad res spirituales facilè traducere nequeas. Adde quòd tam concionatores, quàm reliqui Theologi cantiones, & modos aliquos sibi possint eligere, quibus in priuatis studijs recreati, & ad diuini numinis amorem se ipsos prouocare valeant, nec enim vereri debẽt, ne musici cantus Deo minus placeant, cum ipse quibusdam sanctis Angelos miserit, qui musicè canentes illos mira voluptate perfunderent, quod B. Francisco contigisse aiunt: & illius memini, qui cùm caneret versiculum 7. Psalmi 83. vbi ad mediationem peruenit, respondit Angelus, *Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion.*

> Olaus.
>
> Industria concionatorum.
>
> Psalm 83.

Nec vllus extra rem arbitrari debet, si dum peregrinamur in terris, mirabiles illos Angelorum, atque beatorum omnium concentus, & melodias adumbremus, & imitemur, quæ nostros hymnos excipient, vt quemadmodum charitas, quâ hîc ardemus, & inflammamur, non extinguitur, vbi ad patriam pergimus, sed nouis flammis, & incendijs immensum augetur, ita & concentus nostri minimè cessent, sed æterno beatorum iubilo coniungantur, quo simul omnes personemus, *Beati omnes qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.*

> Psalm 83.

VERSICVLVS

VERSICVLVS XXI.

Et nomen fratris eius Iubal. Ipse fuit pater canentium cithara, & organo.

וְשֵׁם אָחִיו יוּבָל הוּא הָיָה אֲבִי כָּל-תֹּפֵשׂ

כִּנּוֹר וְעוּגָב :

Καὶ ὄνομα τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ ἰουβάλ. οὗτος ἦν, ὁ καταδείξας ψαλτήριον, καὶ κιθάραν.

NE quis mihi nescio quem Apollinem, aut Orpheum Musicæ inuentores obiiciat, cùm hunc Iabelis fratrem Scriptura sacra musicorum instrumentorum patrem asserat, vt antea Iabelem pastorum, atque tentoriis vtentium patrem; quippequi pastores docuit sua tuguriola in chiramaxiis, siue arcuniis statuere, pecora in greges distribuere &c. hebraica phrasis. *Ipse fuit pater omnis tractantis citharam, & organum*, vt Eugubinus, Vatablus, & Fagius verterunt: quanquã dicere possimus. *tangentium, aut pulsantium*, quod in idem recidit תָּפַשׂ taphas enim comprehendere, tractare, pulsare &c. significat. Targum habet דִּמְנַגֵּן *ludentis super nablo, & scientium canticum cithara, & tibia.* LXX vertunt οὗτος ἦν, ὁ καταδείξας ψαλτήριον, καὶ κιθάραν. qui ostendit, seu docuit: ex hebræc Lipom. vertit *tympanizantis*, quòd prædictum verbum tympano personare exprimat, & pro sono quolibet accipi possit. Hîc autem instrumenta duo, vel potiùs instrumẽtorum genera descripta sunt כִּנּוֹר, & עוּגָב *Cinnor, & hugab*: Quod ad primum attinet dicitur κινύρα, seu cithara, aut psalterium.

Versiones diuersæ.

Targum.

Cinnor, & hugab.

2 Vertimus organum: Targum verò רַחֲמַךְ *rachamac* fistulam; nec desunt, qui latinos asserant à Iubal iubiloso, atque iucundo, & ioniali suum iubilare, iubilumque accepisse. Quia verò difficillimum est scire quænam essent illa instrumenta harmonica, quorum Iubal inuentor esse dicitur, an nostris similia necne, videtur operæpretium, vt ad maiorem huius loci illustrationem, & cæterorum scripturæ locorum, in quibus de musicis instrumentis mentio fieri solet, intellectum, de omnibus instrumentis musicis, quæ hactenus inuenta sunt, quibusue vtimur, quæstionem instituamus; cui aliam de vi musicæ antiquorum subiiciemus. Omnes verò musicos prouoco, vt nobiles illos antiquæ musicæ effectus pro viribus reuocent, Gallos præsertim, in quorum gratiam plurima sequenti quæstione proponimus, quæ ad illam musicam in vsum reuocandam mihi necessaria esse videntur, quæque non ita difficilia sunt, quin à nobis fieri valeant, vt experientia docebit.

Attamen priusquam musici nostri quæstionem illam 57 perlegant, omnem affectum abiicere, & omni præiudicatâ sententiâ carere debent, vt de rei veritate iudicare, & rationi cedere possint: sic enim ex ea profectum aliquem futurum spero, alioquin si se Græcis musicis peritiores arbitrentur, vix sine stomacho sequentia legent, quæ non solùm ratione, sed & illorum authoritate probo; Musicam igitur aggrediamur, quæ non ab Apolline, vel Orpheo, aut aliis, quos fabulæ, & historiæ prophanæ commemorant, sed à nostro Iubal inuenta est, nisi tamen priùs Adamo infusa sit, qui suos postea nepotes docuerit.

Facessant igitur, qui primas Pythagoræ tribuunt, & malleos Tubal-Cain proferamus, quos cùm Iubal eius frater audiuisset, & percussionum discrimen annotasset, reperit malleos illos ferreos ponderibus istis 12, 9, 8, 6 respondere, quibus serui Tubal-Cain æs, & ferrum domabant, adeout malleus 12 librarum cum malleo 6 librarum collatus diapason; malleus 12 cum malleo 9, & malleus 8 cum malleo 6 ponderum in epitra ratione inuenti fuerint, ac proinde verum diatessaron; malleus autem 9 cum malleo 6, & 12 cum 8 diapente, denique malleus 9 cum malleo 8 tonum in sesquioctaua, seu epogdoa ratione situm efformarint.

Quas consonantias tympanorum, calamorum, tubarum, & neruorum eandem proportionem seruantium auxilio reperire potuit. Itaque Iubal noster pater canentium, seu tangentium organi, & psallentium esse dicitur, quem postea Chaldæi, Hebræi, Græci, Latini, Galli, & ceteri imitati sunt. Hinc admirabilis templi Hierosolymitani musica, cui Salomon tot cantorum millia præfecerat, in quorum vsus magnuoi tubarum, & aliorum instrumentorum numerum fieri curauerat, vt postea referemus.

Omnes autem ad illorum instar prouoco, & obnixè precor, vt stupẽdos illos antiquę musicę effectus pro viribus reuocent, ita tamen vt quęcunq;

cecinerit, ad honorem Dei colliment, vt cantus vestri, ô musici, cœlestis illius harmoniæ viuæ sint imagines, qua frui speratis, vbi vitam hanc in æternam gloriam commutaueritis. Quorsum enim Deus nobis Musicæ scientiam contulit, nisi vt per eam laudes eius continuò celebraremus? quapropter diuinæ voluntati è diametro repugnant, qui prophanis, atque venereis cantilenis musicam inficiunt, quos loco præmij fletus, & stridor dentium manet. Si verò numinis diuini laudes vbique cecineritis, præterquamquod magno vos honore singuli prosequentur, musicæ splendor restituetur, & æternis Angelorum concentibus, atque iubilis fruemini; quod faxit Deus Optim. Maxim. Interim duas sequentes quæstiones æqui, bonique consulite; & psalmorum instar, quos postea notis musicis exprimi curauimus, *Cantate Domino, & benedicite nomini eius:* omnibusque instrumentis, quæ in vltimo psalmo referuntur, singulos ad concentum prouocate, vt *omnis spiritus laudet Dominum.*

QVÆSTIO LVI.

QVÆNAM FVERINT INSTRVMENTA harmonica, quibus tam Hebræi, quàm Græci, cæteræque nationes vtuntur, aut etiam antiquitus vtebantur.

Quid tubæ nomine intelligatur.

IN vltimo psalmo quotidie canimus, & audimus Dei laudes in sono tubæ, aliâs buccinam legimus; vt facilè credam hîc tubam pro tribus tubarum generibus accipi, tuba, buccina, cornu; sæpiùs etiam citharam, cymbala, organa, psalteria in scriptura legimus, sed antequam ad instrumenta peculiaria descendamus, paulo generalioribus insistendum est. Itaque omnia musica instrumenta sunt vel ἐμφυσώμενα, siue πνευματικά, seu ἐμπνευστά, quæ inflata sonum edunt, vt fistulæ, & tibiæ, cornua, litui, tubæ, buccinæ, classica &c. Vel sunt ἔγχορδα, ἔντατα quæ neruis, seu chordis constant, quæque plectro, vel digitis tanguntur, vt testudines, citharæ, psalteria, lyræ, sambucæ, panduræ, barbiton, nablium, pectis &c. Sunt & κρουστά, quæ pulsantur, vt tympana, sistra, cymbala, & campanæ &c. Quæ omnia priusquam explicemus de Hebræorum instrumentis, de quibus præcipuè inquirimus, pro viribus agendum est. Sunt ergo נגנות *Neginoth*, ea, quæ manu, vel bacillis pulsantur, à radice נָגַן *Nagan.* idest psallit, manúque fides pulsat, licet pro qualibet symphonia vsurpari possit. Quæ aqua, atque flatu sonum reddunt, *Nebalim* נְבָלִים appellantur, quamuis à verbo נָבַל originem sumat idest emarcuit, vnde quia 40 dierum pluuiis omnia elanguerunt מַבּוּל *Maboul* diluuium appellant, & hominem fatuum, illiberalem, vilem, nequam, & nebulonem נָבָל, quia in eo virtus omnis aruit; At hoc instrumentum inflato vtri simile dicunt, quod fortè à nostris dictis *haumsbois* non absimile est, verùm ei statim chordas, statim 10 foramina tribuũt, adeout incertissimum sit, an Hebræi dictionem aliquam peculiarem haberent, qua duntaxat hoc aut illud instrumentum significarent, & non aliud aut saltem illud nunc vix, acne vix quidem determinare possumus, siquidem hoc nomen *Nebel* 70 vertunt *Nablum, canticum psalterium, citharam, organum, lætitiam:* illud autem Iosephus ait 12 chordas habuisse 7 antiq. c 12 quapropter testudine simile fuit; quod si fistulæ vtriculari conferas cum aliis nostram cornamusam referet. Pneumatica עוּגָב dici volunt, Chaldæis אַבּוּב *abub*, vnde quidam deducunt *la Rebube.* Sub ἐντατοῖς, quæ fidibus vtuntur, כִּנּוֹר chinnor reponunt cynnitam, de qua textus noster loquitur, quam cum lyris, seu violis nostratibus confundunt. Huc etiam חָלִיל *chalil*, & מִנִּים; quam cum Manichordio faciunt idem, referuntur; Instrumenta musica Dauid vasa psalmi nuncupat, cùm psalmi non tantũ voce, sed & tubis, cymbalis, psalteriis, citharis, & organis diuersis canerentur, ita tamen vt sacerdotes tubis, leuitæ cæteris instrumẽtis vterentur, vt 1. Par. c. 24 videre est, vbi 24 Asaph, Heman, & Idithun filij canentes enumerantur, quorum hæc nomina 5 de Rep. Hebr. c. 5 Sigonius refert. Ioseph. Godolias. Zaccur. Isari. Nathanias. Bocciau. Isreela. Iesaias. Mahanias. Semeias. Azareel. Hasabias. Subael. Mathatias. Ierimoth. Hanerias. Iesbacassas. Hanani. Mellothi. Eliatha. Othir. Gedelthi. Mahazioth, & Romemthiezer, quorum officia 2 Paral. cap. 5. 7, & 20, & 1 Esdr. cap. 3, & 13 describuntur, de quibus etiam Ioseph. l. 8, & 20 loquitur. Numerant etiam עָשׂוֹר *hasur*, quod 10 chordis instructum fuisse credunt, sicut Chaldeorum רְבוּבָה *Rebuba* 4, sub hydraulicis גִּתִּית *Githith* includunt, quod nõnulli vel cum Græcorum Magadi, de quo Athen. l. 4, vel cum Guitherra, vel Cornamusa nostra comparant. Sub Pneumaticis שׁוֹפָר ex ære factum quidam Gallorum *Cleron* reponunt; deinde חֲצֹצְרָה *hathotsera*, seu tubam argenteam, vel ex alio metallo conflatam, græcis dicitur σάλπιγξ, Cornu item arietis קֶרֶן יוֹבֵל *Keren Iobal*, Æthiopibus מַתְקַע *matKa* vocatur ab Hebræo tubæ sono תְּקַע *teKa*, Genus autem tibiarum יְדוּתוּן *Iduthun* appellant, cùm Iulius Pollux inter antiquas voces ἰδυθοὶ & inter tibias recenseat. מָחוֹל *Machol* etiam à nonnullis inter instrumenta spiritu, flatúque sonantia collocatur, quod fortè cum choro, vel symphonia coincidit, seu vasca tibia, Græcis πλαγίαυλος, quo Satyri frequenter canerent, cuiusue in Bacchanalibus Orgiis vsus esset. Quia verò *Machol* illi voces adiungebant, chorum dixêre, vt in vltimo psalmo, vers. 4 nostra editio legit, Iunius, & Tremelius tibiam malunt, Vatablus fistulam; vbi verò habemus in *chordis*, legunt illi *hydraulis*, hic verò, *fidibus*; denique pro cymbalis iubilationis crotala, vel sistra nobis ingerunt. עַלָמוֹת *halamoth* etiam apud Hebræos

Side notes, left margin: Generalis diuisio instrumentorum. — ἐμφυσώμενα — ἔντατα. — נְגִנוֹת — נְבָלִים — Alij vocant *cheurete.* — Iosephus. — עוּגָב — כִּנּוֹר

Side notes, right margin: חָלִיל מִנִּים — 1. Paral. 24. — Sigonius. — 2 Par. 5, 7, & 20. — עָשׂוֹר — 1 Esdr. 3, & 13 — Ioseph. — גִּתִּית — Athen. — שׁוֹפָר — חֲצֹצְרָה — קֶרֶן תְּקַע — יְדוּתוּן — Pollux. — עֲלָמוֹת

Hebræos fistulas inter reponuntur, quibus Græcorum ἰλόμοι αὐλοὶ respondent, Galli vocant *facquebutes.*

Demum inter כְּלֵי pro crepitaculis, seu crotalis Hebræi מנענעים *Menaganahim* habent, Gallis *cymbales.* Præterea צֶלְצְל *thilsel* sistris nostris tribui potest. His addamus תף tympanum, quod à sono præclarè denominatur à verbo תָּפַף *taphap, manu pulsauit, tympanisauit.* Hoc verò nomen vel pro tympano militari, Gallis militibus *Caisse*, seu *Tambour*, vel pro musico instrumēto sumi potest, prout hîc sumitur, quod ex vna dūtaxat parte clausum sit, quodue digitis non bacillis pulsetur, habens tamen circumcirca laminulas æreas, aut argenteas, Gallis *Tabourin, ou Bedon de Biscaye*, quo tam pueri, quàm puellæ Exod. 15. 20. & 1 Reg. 18. 6. vterentur, de quibus 4 metamorph. Ouid.

[Margin: מנענעים צלצל — תף — Exod. 15. 1 Reg. 18. Ouidius.]

Fœmineæque voces, impulsáque tympana palmis.

Notandum verò à *Toph* תפת *Tophet* deriuari, quia in eo loco prope Hierusalem tympana pulsabant idoli Moloch cultores, ne parentes filiorum suorum eiulatus audirent, qui in Idoli cremabantur honorem. Habet & alium significatum, si pro illo supplicio capiatur, quo reus vi per 4 membra distendebatur, vt bacillis ad numerum in ventre velut tympanum percuteretur, de quo D. Paulum ad Hebr. 11. v. 35. Bolducus explicat; vbi enim legimus, *Alij autem distenti sunt*, Græcus habet ἐτυμπανίσθησαν, seu tympani supplicio affecti sunt; vbi quidam aiunt D. Paulum ad Antiochi persecutionem respicere, quod satis ex 2 Machab. c. 6. confirmatur vers. 19, in quo Græcus habet αὐθαιρέτως ἐπὶ τὸ τύμπανον προσῆγε *voluntariè ad tympanum accedebat*, idemque vers. 18. repetitur: Sed & Aristotelem habemus, qui 2. Rhetor. cap. 6. inducit Antiphonem Poëtam, qui tympano torquendus erat à Dionysio. Hoc autem supplicij genus præuium mortis esse solebat, quod cum equuleo coincidere videtur.

[Margin: Ad Heb. 11. — 2 Machab. 6. — Aristot.]

Imò tympanum pro fustuario, palo, cruce, trochlea, fidulis, catastis, & aliis cruciamentorum generibus, sumi potest, de quibus Pollux lib. 8. vt Serrarius vir doctissimus in 2 Machab. cap. 6. notauit. Verùm vt ad tympanum musicum redeam, Exod. 15. *Soror Aaron Maria præ manibus tympanum habebat, postquam cæteræ mulieres cum tympanis, & choris egressæ sunt*: & Iudic. 11. *Reuertenti Jephte in Maspha domum suam, occurrit ei vnigenita filia sua cum tympanis, & choris.* Vbi aduerto choros tympana sequi cum personis, qui ad certum numerum voce canerent, vel aliis instrumentis. Illi verò chori de personis liberis intelligendi sunt, licet vt plurimùm apud antiquos chorus esset seruorum, vt satis declarant l. si chorus 79 de legat 3. & l. cū eiusdem 34. De ædili. edi. vbi Cuiac. tract. 6. ad Afric, definit chorum, qui constat certo cantorum numero, qui canunt alta voce, vel tibiâ, vel vtróq; mixto, & nonnunquam etiam in comœdiis saltāt, & loquuntur, vniusque comœdi sustinent partes. At ea non de quolibet tympano capias, sed de cistro Ægyptio, de quo Virgil. 8 Æneid.

[Margin: Pollux. — Exod. 15. — Iudic. 11. — Chorus quid sit? l. si chorus. Cuiac. — Virgil.]

Regina in mediis patrio vocat agmina cistro.

Quod erat tympanum breuius crepitaculis circūdatum, nec iniucundum sonum edebat, dum plecteretur, vt loquitur Ouid. nec abhorret à vero Mariam, cæterasque Hebræas plurima id genus instrumenta de Ægypto secum adportasse. Longè igitur abest à nostris, & à Salmoneo quo hic tonitru, Apollodoro teste, æmulabatur. Et pelles detractas in curru cum æneis lebetibus agitans, dicebat se tonare. Porro vel nulla, vel rarissima mentio tympani fit apud Romanos, vt 4 de militia Rom. dial. 10 Lipsius obseruauit; sed apud Indos fuisse Curtius l. 8. & Suidas aiunt, hic enim tubis Indos non vti, sed flagellis in aërem excussis, & tympanis horribilem bombum emittentibus asserit; quod etiam de Parthis Plutarchus in Crasso testatur.

[Margin: Salmone⁹. — Lipsius. — Q. Curtius. Suidas — Plutarch.]

Superest מְצִלְתַּיִם *pahamon*, quod campanulam, seu tintinabulum significat; Quibus omnibus lucem aliquam afferre poterimus, si Græcorum, Latinorumque, cæterarumque nationum instrumenta discutiamus. A cithara sumamus exordium, quam D. Hieron. epist. 28. tomo 9 (si hæc sit eius epistola) Δ formam habuisse, atque fidibus 24 instructam ait, quod nostris quod ad fides attinet, commune est, quæ 40 chordas habere solent, vt Loyerus affirmauit, licet pluribus instrui posse fatear, vel etiam paucioribus.

[Margin: מעבח — D. Hieron.]

Qua verò ratione, quâue figura Dauidis in cithara fabricata esset à nobis dici nequit, quis enim illam aut vidit, aut similem descripsit? quia tamen non desunt, qui nostræ similem fuisse putent, ideóque formam illius in præsenti dabimus, cùm instrumenta cætera explicata fuerint: hoc autem instrumento Neronem vsq; ad insaniam delectatum fuisse Suetonius c. 12 vitæ illius attestatur, adeout citharam à iudicibus ad se allatam adorauerit, quā Horatius 1 carmin. ode 15 vocat imbellem à qua psalterium aliqui distinctum existimant, quòd dulciores sonos emittat, & sic dulcedine soni, magis quàm formâ discrepet, quod fortè Galli dixerint *harpe lutée*, quia fidibus non æneis, sed testudinis instruitur. Hoc autem psalterium idem cum Nablo faciunt; de quo 1. Paral. cap. 15. *In nablis arcana cantabant*: vbi describuntur instrumenta, quibus in arca gestanda Israëlitæ vsi sunt. Nablium dixit Ouid. 3 de arte

[Margin: Sueton. — Horat. — 1 Paral. 15. — Ouid.]

Disce etiam duplici genialia nablia palma
Verrere: conueniunt, dulcibus illa modis.

Nablia verò, & nablias Græci dixêre, quas inter hydraulica collocat Athen. l. 4. c. 13 Psalterij verò epithetum esse decachordum, adeout sint, qui contendant abesse debere coniunctionem, *&*, ab eo psalmi 91, & 143 loco, in quo legitur, in Psalterio decachordo, quod ex Psalmo 32 confirmant. *In psalterio decem chordarum psallite illi*: At in Hebræo in Psal. 91. qui apud eos est 92 vers. 4. ponitur coniunctio וְ *ve*, quæ nostræ, *&*, æquiualet, עָשׂוֹר וַעֲלֵי-נָבֶל *hasor vahale nabel*, licet in Psal. 143. coniunctionem abesse fatear, Quod ad Psal. 32 attinet abest coniunctio, vbi easdem dictiones, quas suprà, habes, sed hîc *Nabel* præcedit *hasor*, vbi miror Nouatorum incōstantiam, qui cùm hebræa clamitent, & coniunctionem omiserint in Psalm. 144, quia non aderat in hebræo, apposuerunt in Psal. 33, in quo non est, vt in Iunij, Tremelijq; bibliis videre est, quæ tantum obiter dicta velim, vt omnes videant, quæ fides huiuscemodi hæreticis habenda sit. Existimo autem parum referre si decachordum cum psalterio idem fuisse putemus, nec à vero multum abesse putem, si tunc saltem psalterium decachordi nomine efferatur, quandò fidibus 10 constabat, aliâs enim fortè vel pluribus, vel paucioribus instruebatur: Quod ad psalmos attinet, non est Hebræis insolitum, vt duo coniunctione iungant, tametsi in idem recidant, vt pluribus exemplis planissimum fieri potest.

[Margin: Athen. — Psal. 91, & 143. — Psal. 144. & 33.]

De chordis, & organo non eſt quod plura dicamus, quandoquidem chordæ generaliter pro quolibet inſtrumento ſonum per chordas emittente, ſicut & organum pro quolibet alio inſtrumento muſico ponitur, cùm ὄργανον Græcis, Latinis ſit inſtrumentum, maximè verò muſicum, quod ſpiritu inflatur, vnde putant aliqui noſtris organis muſicis inditum, & græcum inuentum ad nos tranſmiſſum induſtriâ cuiuſdam Georgij, & ſumptibus Ludouici Pij Frãcorum Regis, vt author eſt Aimonius l. 4. de geſtis Francorum cap. 114. Videatur epiſtola D. Hieronym. ſuperius allata.

Aimonius.

Attamen de Organo notandum eſt ſæpe pro hydraulico inſtrumento ſumi, adeout organo modulari ſit ὑδραυλεῖν; & hoc organum maius erat: minus verò fuit πνευστικὸν, cui folles, Iſidoro teſte, adhibebantur, quibus ventum conciperent, vt iam apud nos frequens eſt: vbi aliud organum aquarum agitatione ſonum edebat. Vtrumque autem fiſtulæ inuerſæ gerit ſimilitudinem. Hydraulicum rectè deſcriptum habes in Panegyrico Porphyrij: hoc eſt autem inter organum, & fiſtulam diſcrimen, quòd fiſtula, qua parte ori admouetur, æquales inuicem calamos expoſcat; organi contra pars infima, quæ inſpiratur, æqualibus conſtet regulis, & ſuperior inæqualis ſit, iuxta id Porphyrij.

Porphyr.

Perque modos gradibus ſurget fœcunda ſonoris
Ære cano, & calamis pariter creſcentibus aucta,
Quis bene ſuppoſitis quadratis ordine plectris
Artificis manu in numeros clauditque, aperitque.
Spiramenta.

Videri poteſt Salomon *de Caux* l. de viribus mouentibus, in quo varia hydraulica deſcribit, & Vuiliel. Maſburien. de rebus Anglicis.

De Caux. Maſburien.

Placet autem ſubiungere, quæ Iudæus aliquis de inſtrumentis muſicis exiſtimat; ait enim in נֵבֶל *Nebel* 3 octauas incluſas, atque adeò 22 fidibus inſtructum fuiſſe; כנור verò 32 fides, & 4 octauas, ſeu teſſaradiapaſon habuiſſe, מָחוֹל *Machol* ſex tantum, aut ad ſummum 8, מִנִּים minim verò 3, aut 4 conſtare fidibus, שׁוֹפָר, & תֹּף nihil à noſtris tubis, & tympanis differre: denique tonarium, Gallis *Cornet à bouquin*, cum צִלְצְלֵי cymbalis confundi, quibus vix fidem adhibuerim, attamẽ id minimè reticere volui, ne quid in re tam difficili, & obſcura neglexiſſe videamur. Addebat cymbala iubilationis שֶׁמַע à cymbalis beneſonantibus תְּרוּעָה tantùm ſecundum magis, & minus differre: *Neuel* inſtar trapezij fabricatum, *cinnor* ad inſtar hodiernæ citharæ, vel vt triangulum, *Machol*, & *Minim*, vt violam, & chelym; fortaſſe manichordio *Neuel* comparaſſet. *Hugal* etiam noſtris organis conferebat.

Ottomar.

Plurima inſtrumenta depinxit Ottomarus Luſcinius l. 1. Muſurgiæ, ſed quæ vix aſpectu digna iudico, cum ſine authoritate, atque ratione loquatur, vnde enim ſcit cymbalum, fiſtulam, organum, tubam, tympanum, triplicem citharam, quæ refert, eſſe Hieronymi, vbi chorum deprehendit, quem deſcribit? Saltem gratiſſimum feciſſet, ſi in rebus tam antiquis, & dubiis leuem coniecturam attuliſſet.

Turneb.

De Cymbalis benè ſonantibus, & iubilationis hoc Turnebus aduertit aduerſar. l. 26. c. 33. ſimilia eſſe foliis herbæ cotyledonis, quod ex Scribonio Largo expiſcatus eſt: illa autẽ benè ſonantia ſunt, cùm ad rationem muſicam componuntur, ſicut, & vaſa, de quibus loquitur Vitruuius l. 5. c. 5. iubilationis verò ſi diutius tunſa ſonum retineant. His Sacerdotes Cybeles vſos fuiſſe conſtat ex Catulli poëmatio de Aty, & ex Propertio l. 3. eleg. 15. Bacchi ſacrificos.

Catullus. Propert.

Cymbala Thebano concrepuêre Deo.

Hæc ferè ſunt quæ de muſicis Hebræorum inſtrumentis dicenda habuimus, quæ 1 Paral. cap. 15. numerantur, videlicet nablon, lyra, cymbalum, buccina, tuba, cornu, quod Pſaltes tubam corneam vocat Pſal. 97. tubam Vegetius l. 3. de re militari cap. 5. ſic deſcribit, *tuba, quæ directa eſt, appellatur, buccina, quæ in ſemetipſam æreo circulo flectitur. Cornu, quod ex vris agreſtibus argento nexum, temperatum arte, & ſpiritu, quem canentis flatus emittit, auditur:* tubâ ceciniſſe Hebræos clariùs eſt, quàm vt probatione indigeat.

1 Paral. 15. Pſal. 97. Vegetius. Tuba. Buccina. Cornu.

In tubis autem aliquid oſſeum poni potuit, ea maximè parte, qua ori ſolent admoueri, quomodo id Propertij intelligi poteſt.

Propertius.

Et ſtruxit querulas rauca per oſſa tubas.

Sex tubarum genera Euſtathius in Iliad ξ. primã, inquit, Minerua inuenit, quę Argiuis colitur hoc cognomẽto, σάλπιγξ Ἀθηνᾶ. 2 apud Ægyptios, quam Oſiris reperit, quę χνοῦν dicitur, quâ & vtũtur ad ſacrificia. 3 Gallicã, cuius os in beſtias deformatũ eſt, habetque canalem, ſeu tubum plumbeũ, à quo tubo tubæ nomen, eſt autem acuti ſoni, & à Gallis Carnyx dicitur. 4 Paphlagonicam ore ad bouis effigiem efformato, graui mugitu, ſurſum inflãdam. 5 Medicam è calamo tubum habentem, graui ſono. 6 Tyrrhenicam tibiæ Phrygiæ ſimilem, ſono valde acuto, oréque ſciſſo; huius inuentorem Hyginus fabula 274 Tyrrhenum Herculis filium *ait*, qui cõchâ pertuſâ buccinarit; Illius os à Suida κώδων appellatur; Cornua tubas præceſſerunt, quæ ex bubulo cornu fiebant: illis ſiquidem oues, & boues calabant, vt apud Columel. habes. Varro buccinatorem à vocis ſimilitudine *Bou Bou* dictum ait, quod de noſtris opilionibus iure dici poteſt, licet Iſidor. buccinam quaſi vocinam nuncupatã fuiſſe credat, quia pagani buccina vocabantur. Inter tubam, & cornu quidam lituum, vtpote minorem tubam conſtituunt, ita dictum inquit Feſtus, quòd ſit teſtis litis, à quo Liticen, lituum autem equitum fuiſſe, peditum tubam Horatij Scholiaſtes ait. Statius oſtendit illius tubum, qui neque totus rectus, neque totus curuus erat, non patulum fuiſſe, quia ſonum acutum reddebat.

Euſtath. σάλπιγξ. Tubarum ſex genera. Carnyx. Paphlagonica. Tyrrhenica. Hyginus. κώδων. Varro. Columella. Vocina. Lituus. Liticen. Statius.

Et lituis aures circumpulſantur acutis.

Verùm ſatis ſupraque pro loco de tubis, de quibus plura reperies apud Serrarium q. 4. ad 6. caput Ioſue, in quo aduerſus Abulenſem, Maſium, & alios probat tubas illas, de quibus præſertim loquitur, arietinas fuiſſe.

Serrarius.

Græci verò pluribus inſtrumentis vtebantur, apud quos videas hydraulin, & clepſydrã, quibus aquâ ſpiritus immittitur; Gingram, quę vocem anſeris, ſeu gingritum æmulabatur, tametſi ab Adonidis nomine Athen. lib. 4. deducat: ſonum enim ſtridulum, & lugubrem edebat: quapropter Gingricis tibiis palmum longis Cares lugebant mortuos, & Phœnices, qui fortè cum Caribus iidem ſunt, Adonim deflebant, quem Gingren nuncupabant, vnde γιγγρασμοὺς luctuoſa carmina, & grande aliquod malum Axionicus in Phileuripide vocauit. Præterea nonnullas alias tibias fuiſſe legimus, quarum aliæ dextræ, aliæ ſiniſtræ, quædam pares, aliæ impares: vnde Poëta.

Hydraules. Clepſydra. Gingra. Athen. γιγγρασμοί.

Est mihi disparibus septem compacta cicutis
Fistula.

Trigonum. Sambuca. Barbiton. Monaulū.

Trigonum Syrorum inuentum est, vt Sambuca Lyrophœnix Ibyci Rhegini, quæ 4 fidibus tendebatur: Anacreontis Barbiton, Monaulum Osiridis, quod obliquis fistulis construitur, quodque Photinga vocāt, diciturq; χελαμαύλης, i. tibia arundinea.

Pandura

Pandurum, vel pandurium; vbi aduerte Panduram veteres trichordum appellasse, quod Pollux Assyriis tribuit. Isidorus inter ἐμπνευστὰ recēset. Hoc autem pandurium à Pan dictum volūt, iuxta id Virg.

Pan primus calamos cerâ coniungere plures
Instituit.

vt pandura nihil aliud fuerit, quàm fistula 7 calamis compacta, quam Euripides χορδὰς τὰς σύριγξ vocarit, quæ per 7 discrimina vocum audiebatur.

Fistula cui semper decrescit arundinis ordo.

Fistula tamen vocari cœpta est, quæ vnica arundine constaret, vt innuit Capella, cùm ait Hercipedi panduram, Syluano arundinis fistulam sibilatricem, rurestri Fauno tibiam conuenire. Vbi Hercipede Pan significatur, cui σύριγγα tribuunt, cuius imaginem vide apud Theocritum, inscriptione σύριγξ. Rapaula, quæ Virgilio eclog. 3. stipula dicitur.

Rapaula. Virgilius. Stipula.

——— non tu in triviis indocte, solebas,
Stridenti miserum stipula disperdere carmen?

Tibiæ diuersæ.

Rursum tibiæ sunt virginales, & pueriles, aliæ viriles, & citharisteriæ, & Dactylicæ, quæ plurima foramina habent, iterum perfectæ, & plusquamperfectæ. Elymi dictæ sunt, quod essent buxeæ; quas à Phrygibus repertas Phrygias, & Scytalias appellant. Dyopi 2 tantùm habent foramina; sunt & musocopi, & hypotræ subtus pertusæ. Hemiopi dimidio pertusæ, cæterisque minores, quas ideo conuiuiis aptas, & teneras Anacreon putat. Quando fit tibia ex calamis Dores Tityrinum vocant. Magadis, seu Palaomagadis grauem, & acutum sonum edit, Lydorumque dicitur inuentum: dicitur etiam tibia citharistica, quæ vnà cum spiritu fides haberet. Erant & Iambi, Clepsiambi, Scindapsi, Enneachorda. Multa alia instrumenta scribit Athenæus hominum inuenta l. 14. vbi sunt Tetracomus, Epiphallon ἐπαυλία, quę tibiarum vicissim, ac rythmorum concentus, & certamen fuit, sicut classicum tubarum.

Tibiæ elymi. Dyopi Musocopi. Hypotrepi. Hemiopi. Tibiæ diuersæ. Tityrinum. Magadis. Clepsiāmus. Scindapsus: huius, vt, & blityri Galen' 2 therapeut. meminit. Atheo. Epiphallō. ἐπαυλία. Tryphon.

Tryphon l. 14. c. 3 multas alias cantiones tibiales recenset, quas ideo commemorare nolim, quòd Athenæus prę manibus facilè haberi possit, vt tandem aliquando citharam describere possimus, eāque perfecto systemate instruamus. Plato autem 3. de Repub. trigona, pactidásque inter polychorda numerat.

Plato. Pactides.

Omitto manichordium, clauicitherium, clauichordium seu spinetam, & aliæ de quibus Cœlius l. 5. cap. 13, 15, & 16 capit. Pollux l. 4. onomast. c. 8. 9. 10 11. & seq. Textor in offic. c. de Musica. Polydor. l. 1. cap. 15 quibus Beda tract. de Musica iungit Atolam; alia etiam, tametsi exoleta refert Rhodig. l. 9. c. 4. vt heptagona, spadicas: Est autem aduertēdum ob panduram Lampridium hoc verbum *panduriżare*, sicut Aristot. in probl. μαγαδίζειν, vsurpasse; quomodo cymbalizare à cymbalo dictū. Non est quod lyrodiam, citharodiam, & aulodiam de horū instrumētorum sono dici moneā, id enim nimis tritum. De tibiis, & instrumentis musicis legi potest præter antea relatos Petrus Gregor. in syntax. mirab. Luscingius l. Musurg. &c.

Manichordium. Clauicitherium. Rhodigin. Pollux. Polydor. Textor. Beda. Atola. Spadicæ. Lāpridius. Aristotel.

Petr. Greg. Luscingius.

Non autem omittendum genus aliquod tibiæ curuæ fuisse, quâ præsertim in sacris Bacchi vtebantur, iuxta id Virg.

Aut vbi curua choros indixit tibia Bacchi.

In cuius honorem ludi theatrales olim solùm exhibitos ait Seruius. Græci hanc tibiam πλαγίαυλον dicunt, Latini vascam, qua Satyri vtuntur. De ea locutum existimant Flauium Vopiscum in Carino, dum ita loquitur. *Nam & neurobaten, qui velut in ventis cothurnatus ferretur, exhibuit: & tichobaten, qui per parietem vrso eluso cucurrit: & vrsos mimum agentes, & item centum salpistas vno crepitu concinentes, & centum camptaulas, choraulas centum, etiam pithaulas centum, pantomimos, & gymnicos mille* &c. Vbi camptaulam tibiam esse aiunt; Salmasius legendum arbitratur, ceratāulas, quæ sint cornicines, quemadmodum salpistæ tubicines, nā σαλπιστὴς est tubicen, κεραταύλης verò, cornicen. Choraulæ erant, qui cum choro tibiis canebant, qui chorus 7 cantoribus, siue symphoniacis constabat, quibus tibia concinens choraules appellabatur, licet eo nomine vocaretur, qui saltabat ad tibiam. Pithaulas non pauci pro tibicinibus dolio canentibus acceperunt: qui confirmant illud ex Seneca 6. natur. quæst. cap. 19. vbi de canente in dolio loquitur. Meminit etiam Aristot. doliorum huiuscemodi, quorum tinnitum diapason resonaturum ait, si dolia fuerint similia, & æqualia, & vnum sit inane, dimidiatum alterum: sect. 19. probl. vlt. — Vopiscus. Senecd. Aristot.

Sunt & alia instrumenta, vt crotalum duabus laminis, aut virgulis æneis constans, quæ manu agitatæ sonum argutum edunt; fiebat etiam ex arundine per medium scissa, cuius 2 partes ita collidebantur, vt sonus audiretur: crepitant, & ossa collisa: & ciconiam ob rostri superioris cum inferiori collisionem, crotalistriam nuncupant. Existimant aliqui Apuleium de crotalo loqui, dum ait: *Pauca virgula traiecta crispante brachio, tergeminos ictus reddebant:* deinde: *Nam dextra ferebat æneum crepitaculum, cuius per angustam laminam in modum balthei recuruatam traiecta media pauca virgula crispante brachio tergeminos ictus, reddebant acutum sonum.* Alij volunt hîc sistrum Ægyptiacum describi, quod erat oualis figuræ, manubrium habens, quo teneretur, & agitaretur, adeout reticuli palmarij formam haberet, atque brachio crispante virgulatum laminā in modū balthei recuruatā traiicientium ope crepitaret. Plura apud authorem citat; videre potes, qui pithaulas per y scribendum contendit, vt non à πίθοις, doliis, sed à πυθίοις, vt significarentur, qui pythia canebant, & tibias pythicas inflabant, & pæanes in honorem Apollinis Pythij in vrbe Pytho canebant. vide Senecam epist. 76. Pythaulæ verò in comœdiis duab' tibiis flabant, & eas flatu veluti animabant, quæ impares vocabantur, quia foramina vnius diuersa erant ab alterius foraminibus; quod primus Hyagnis fecisse dicitur, si Apuleio, vel Marsyas, si Plinio credimus: manarunt autem à Phrygibus, quarum dextram incentiuam, sinistram succentiuam aiūt, quod dextra inciperet, sinistra succineret; dextra vno foramine, vel paucioribus pertusa erat, præcentoriam Solinus appellat cap. 11. quā ad aras Deorum canebant: cuiusmodi etiam erat spondaica, seu σπονδεῖος; sinistra plura foramina habuit, & vasca ob sonum vascum i. leuem, acutum, & inanem, dicta est: Serranam etiam, & Tyriam hanc — Seneca. Variæ tibiæ. Solinus.

appellant; lydiam alterā, & tibicines paribus cecinisse volunt, cum 2 dextris, aut 2 sinistris vsi fuêre. Genus hoc tibiæ Græci πόδεμιαν nuncupant. Præter illos tibicines alij ποδικτύπους, & ψοφοποιοὺς dicebātur, qui veluti mesochori modum canendi pedis sono dabant, quo pulpitum, aut solum ita tundebant, vt æquali, ac perpetuo quodam tenore cantici modulationem temperarēt, atque moderarētur; quod iam in symphoniacis concentibus musicis leuata, positâque manu ab eo fieri solet, qui coryphæus fuerit, qui mensuram percutere dicitur: quod antiqui pedum supplosione præstabant, & ad incentiuum dandum ligneis Soleis, vel ferreis strepebant, quæ scabella, seu κρουπέζια, ποδαρίσματα, pedicula, κρουπέζια, Sandalia, suppedia, ποδικτύπα, ποδοψόφα, & scabilla dicta sunt: de quibus Arnobium loqui volunt, dum l. 7. sic habet. *Sed sit, vt vultis, honor in vino, sit in ture, immolatione, & cedibus hostiarum ira numinum, offensionésque placentur: etiam Dij sertis, coronis afficiuntur, & floribus? etiamne æris tinnitibus, & quassationibus cymbalorum? etiamne tympanis? etiamne symphoniis? quid efficiunt crepitus scabillorum? vt cum eos audierint numina, honorificè secum existiment actum, & feruentes animos irarum obliuione deponant.* Quorum scabillorum, vel si vis scamillorum à scamo, Sueton. in Caligulâ, Tullius orat. pro Cœlio, & D. August. lib. 4. de musica, nec non Isidor. in Glossis meminerunt. Quæro ex te, inquit D. August. *Vtrum possint copulari sibi pedes, quos copulari oportet, perpetuum quendam numerum creare, vbi nullus finis appareat: veluti cum symphoniaci scabella, & cymbala pedibus feriantur, certis quidem numeris, & his, qui sibi cum aurium voluptate iunguntur, sed tamen tenore perpetuo: itaut si tibias non audias, nullo modo ibi notare possis, quòusque procurrat connexio pedum, & vnde rursus ad caput redeatur.*

Arnob.

Suet. Tullius. Augustu.

Nonnulli tamen scamellum dixere symphoniam, quæ est lignum cauum ex vtraque parte pelle extensa, inquit Isidor. suprà, quam virgulis hinc inde Musici feriunt, vt symphonia genus organi musici fuerit; qua ratione D. Hieron. epist. ad Dardan. chorum genus instrumenti facere videtur, quod simplici pelle conficeretur cum duabus cicutis æreis, vt per primam inspiraretur, secunda vocem emitteret; quales sunt vtriculi apud nos, quibus ἀσκαύλαι vtuntur. Salmasius tamen pro, *fuit chorus*, legendum putat *dorus*, quia δορὸς pellem, & vtrem significat. Illa verò scabella syntona dicebantur, nam eundem tenorem seruabant ποδικτύποι, vt patet ex relato D. August. meminit Quintil. lib. 9. cap. 4. syntonorum; vbi rythmis id tribuit, quod Augustin. pedum strepitui, vt qua cœperunt sublatione, ac positione vsque ad finem decurrant; ita enim oratio syntonorum modis saltitare dicitur, quæ rythmicè incedit, & veluti continua semper it in eosdem pedes, & simili cadentiâ desinit, vt videre est in iis, qui apud religiosas domos legunt durante refectione, vel canunt vnisonum sine vllis notulis, aut sine vllo accentu concionantur.

Isidor.

D. Hier.

Quintil.

Hinc syntonarius appellatur, qui scabella percutit, sicut & podarius, & pedicularius; & fistulæ genus aliquod τονάριον, seu πρόσαυλον, quo vox remittebatur, vel intendebatur, apud Quintil. lib. 1. cap. 10. Pedum verò crepitacula, & crotala, Græci vocant κρόταλα, vide Hesych. testis etiam crepitum edebant saltantibus pantomimis, qui priùs simul canebant, & saltabant, vt Sueton. in Caligula, & Nerone, Liuius lib. 7. & Gellius innuunt. Hos dixerūt histriones, forsitan à Tusca dictione, *hister*, i. ludio: qui & cātores appellati, fabulas enim saltabāt, & canebāt; in cāticis enim saltabāt, & in diuerbiis canebāt. D. Hier. vel Euseb. in chronico Pyladis Cilicis pantomimi meminit; qui in tragœdia, sicut Bathyllus in comœdia excellebat, qui saltationem Italicam ex tribus, nempe tragica, comica, & satyrica composuerunt: hinc pantomini, satyri, & saltatores, lentiones dicti sunt, quod corpus in saltando lentarent, & inflecterent, & ludij, seu ludiones, non à ludendo, sed à lydio. Apud Græcos autem κινεσεῖς, & κιναιδοί, & χειρισόφοι prædictis vocabulis æquiualet. Cæterū de his omnibus onomastica Pollucis, Hesychij & aliorum consulātur.

Quintil.

Suet.

Liuius. Gell.

Ad citharam enim festino, si priùs obserues Plinium l. 7. cap. 33. de quodam pantomimo forma excellenti loqui nempe Mithœco, pro quo malè vulgò legunt, Mithico, vnde quidam ait errorem illum promanasse, quo pantomimorum peculiare genus mythicum à scenico distinctum plures arbitrati sunt: quomodo autem pantomini manuum gesticulationibus omnia repræsentarent, & ars illa Chironomia vocaretur, dicemus aliâs, interim videatur Plato, qui legum 7. τὴν ὀρχηστικὴν hanc artem appellat: & Cyprian. lib. de spectac. vbi ait mimis artem esse verba manibus expedire. Athen. vbi Telesten ὀρχηστοδιδάσκαλον appellat. lib. 1. & Lucian. περὶ ὀρχήσεως. Valer. l. 11. c. 4.

Plin.

Plato. Cyprian.

Athen. Lucian.

Vt ergo veniamus ad citharam, cùm nihil videam, cur à sententia D. Hier. vel authoris epistol. iam laudatæ, quæ illius nomine circunfertur, recedam, suppono 24 chordis, siue æneis, siue alterius materiæ parum refert, instructam fuisse: Quapropter perfectissima fuit, & trisdiapason continuit: quod in diatonico genere sic explicare possumus, vt quod de hoc instrumento dixerimus, cæteris applicari valeat: citharæ verò sonum Suidas ψαλμὸν vocauit.

D. Hieron.

Diatonicū Musicæ systema.

Sit igitur 1 chorda ὑποπροσλαμβανόμενος Γ. vt 2 chorda προσλαμβανόμενος, A. re. Tertia, hypate hypaton ♮, mi: 4, Parhypate hypaton. C, sol, fa, vt. 5, Lichanos hypaton. D, la, sol, re. 6, Hypate meson E, la, mi. 7, Parhypate meson, F, fa, vt. 8, Lichanos meson, G, sol, re, vt. 9, Mese, A, la, mi, re. 10, Trite synemmenon, B, fa. 11, Paranete synemmenon ♮ mi. 12, Nete synemmenon, C, sol, fa, vt. 13, Paramese D, la, sol, re. 14, Trite diezeugmenō, E, la, mi. 15, Paranete diezeugmenon, F, fa, vt. 16, Nete diezeugmenon. G, sol, re, vt. 17, Trite hyperboleon, A, la, mi, re. 18, Paranete hyperboleon B, fa. 19 Nete hyperboleon, ♮, mi, sed quia hucusque tantùm nomina Græca suppetunt, 20 ex inuento Guidonis Aretini, qui circa annum 1010 floruit, addemus, etiamque, C, sol, fa, vt. 21, D, la, sol, re, 22, E, la, mi. 23, F, fa, vt. 24, G, sol, re, vt. In quibus triplicem ordinem litterarum septies repetitarum habes, quibus si addideris, A, la, mi, re. trisdiapasson conficies: numerum vnicuique neruo, seu phtōgo proprium habes in latere citharæ, quo possis interualla singula, & omnes consonātias dimetiri, & earū proportiones accuratè inuestigare.

Cùm autem in 3 Musices generibus systematum phtongi nominibus minimè differant, sed intensione, ex dictis tam Chromaticum genus, quàm Enharmonicum disquiri poterit, nam Parhypate hypaton verbi causa distat ab hypate hypaton diesi in Enharmonico genere: sicut in Chromatico, & Diatonico hemitonio.

Quomodo tria genera diatonicū, chromaticū, & enharmonicū differant?

Item

Item in Enharmonico Lichanos hypaton distat à parhypate hypaton diesi: In Chromatico, hemitonio, in Diatonico, tono. Iterũ in Enharmonico hypate meson distat à Lichanos hypaton ditono; In chromatico, trishemitonio: In Diatonico, tono, vt fusiùs postea dicendum erit.

Et his tribus modis perfectum tetrachordon constituitur ex hemitonio, & ditono constans, id est consonantiâ, quæ Diatessaron dicitur, seu quarta, proportione constans epitritâ. At in quolibet systemate sunt 12 Gręcorum modi de quibus postea dicetur, qui proinde fuerunt in cithara Dauidica, cuius figurá antequam exhibeamus, afferre libet Hebræorum rationem, iuxta quam diuersa harmoniæ, aut vocum genera numerát, quæ *Neghinot* appellantur. i. modi, siue discrimina vocum. Primus igitur modus generis nomẽ retinuit נגינות.

Neghinot Hebræorũ quid? & quot sint apud eos modi.

Secundus מַשְׂכִּל *Mascil* 3. מִכְתָּם *Mictam*. 4. שִׁגָּיוֹן *Sigaion*. 5. נחילות *Nehilot*. 6. שְׁגִנוּת *Sigionoth* 7. גִּתִּית *Gitith*. 8. עֲלָמוֹת *Halmuth*. 9. שְׁמִינִית *Seminith*. At de Musica Hebræorum, sicut & de versuum generibus ferè nihil certum habemus. Reliquum est igitur, vt systema citharę accommodemus, licet eam imbellem & effœminatam Horatius l. 1. carm. ode 15 innuat.

Horatius

———grataque fœminis
Imbelli cithara carmina diuides.

Clemens Alex.

Quam nec Clemens 4. pædag. inter instrumenta bellica numerat, cùm ait, *In bellis suis tuba vtuntur Hetrusci: fistula Arcades: Siculi pyctidibus: Cretenses lyra: Lacedemonij tibia: cornu Thraces: tympano Ægyptij: & Arabes cymbalo.* Citharæ faciunt organum simile, quo homines ad turpem lasciuiã commoueantur, quia radix עָגַב *hagab*, vnde עֻגָּב *hugab* organum, lasciuè amare, & velut insanire significat, quod maximè verum asserunt, cum modum ionium canunt, qui iucundos auditores efficit; & quidem à me nullus obtinebit citharam nostram, aut organa per se ad lasciuiam excitare, nisi forte ob cantilenam ad luxum pronocantem, quot enim videas, qui vel citharæ, vel organorum auditu ad pietatem excitantur? Imo iussi aliquando citharœdum, vt eo modo pulsaret, qui ad arma capienda, & ad prælium excitaret, quod optimè cedebat.

Quo Musicæ instrumento varij populi vterentur.

Lydio ad Bacchicum furorem, Phrygio ad Enthusiasmum, seu diuinam furorem, Dorio ad modestiam homines incitari posse credunt. At de vi horum modorum sequenti quęstione dicemus.

Proprietates modorũ

Vt autem vnusquisque meliùs intelligat, quod de cithara dicturi sumus, aduertat necesse est, me curasse, vt eo modo, figurâ, & chordarum numero describeretur, quo vulgò circunfertur, tametsi plures chordas nonnullæ, aut etiam pauciores habeant; deinde idem systema cæteris instrumentis adiungi posse; denique ideo pingi hoc in loco, vt postea discutiamus, quomodo Musica tantam vim exerceat, quantam in historiis passim legimus, quandoquidem vis illa procedit à citharœdo, vel à quibusdam adiunctis seorsim, vel simul coadunatis, si virtus illa, & occultissima energia naturaliter exeratur: nec enim vlli bene sentienti dubium, quin Deus Opt. Max. ex quolibet quodlibet efficere possit, qui omnia verbo, seu voluntatis actu simplicissimo ex nulla præcedente materia, siue ex nihilo creauit; quapropter nequidem in opinionem, vel quæstionem reuocari debet, an mediante cithara, vel alio instrumento ea omnia facere possit, quæ vulgò de vi Musicæ referuntur.

Quapropter solùm inquirimus, an & quomodo tantam vim musica naturaliter habuerit. Sic ergo totum Græcorũ systema disponemus vt 18 phtongis 5 tetrachorda constituentibus 6 nouos addamus, vltra quos non tarò spinetæ nostræ protenduntur. Quod autem hîc de cithara dicimus, id de cæteris instrumentis dictum existima.

Digitized by Google

Hos ergo phtongos, voces aut chordas citharæ Dauidicæ adhibitas fuisse D. Hieronymi auxilio fulti supponimus, siue eiusdem cum nostris, siue diuersæ figuræ, & magnitudinis esset. 4 primæ chordæ primum tetrachordum continent, quod à graui versus acutum desinit in systemate Græcorum, in hypate meson. At in præsenti minutiùs ea discutere, quæ pertinent ad tetrachorda, superfluum aliquibus videri posset, nec enim est instituti nostri cumulatiùs ea suas in partes diuidere, cùm id minus necessarium videatur, vt vel species instrumentorum varias inuestigemus, vel Musicæ vim inquiramus: vel si plura dicenda fuerint, in sequentibus afferentur. Itaque ad 2 difficultatem accedamus.

QVÆSTIO

DE VI MVSICÆ TVM ANTIQVORVM, tum nostræ.

QVæstionem hanc eo libentiùs aggredior, quo difficilior, iucundior, & ad plurima Scripturæ loca meliùs intelligenda commodior esse videtur, inter quæ non vltimum locum obtinent,
1.Reg.16. quæ 1.Reg.16.vers.23. legimus, enimuero *quandocunque spiritus Domini malus accipiebat Saül, Dauid tollebat citharam, & percutiebat manu sua, & refocillabatur Saül, & leniùs habebat, recedebat enim ab eo spiritus malus*; & quod aliqui putant vi clangoris harmonici tubarum, & vocum populi muros Ie-
Iosue 6. richuntinos corruisse Iosue 6. Mitto cætera, de quibus postea. Sunt & aliæ rationes, ob quas hîc difficultatem istam proponam, quas ex sequentibus coniicere poteris. Cùm autem hoc in loco de tota harmonici concentus amplitudine pertractare neque velim, neque reliqua pars istius voluminis ferre possit, abundè cuilibet satisfactum iri arbitror, si ostendero, quid sit necessarium, vt Musica nostra nihil antiquæ tam Hebræorum, quàm Græcorum, vel aliarum nationum cedat. Quod vt melius fieri possit, totum negotium sequentibus articulis conficiemus.

ARTICVLVS I.

AN REVERA CONCENTVS HARMONICVS VIM tantam habuerit, quantam authores asserunt.

CLarum est, quid de vi Musicæ antiqui tam Græci, quàm Latini senserint, quæ breuiter affero relictis tamen fabulis, quales sunt istæ, quas
Horatius. lib.1.ode 12 Horatius exprimit, dum in laudes Augusti sese insinuare cupit dicens.

Vnde vocalem temerè insecutæ
Orphea syluæ.
Arte materna rapidos morantem
Fluminum lapsus, celeresque ventos,
Blandum & auritas fidibus canoris
Ducere quercus.

Quod sanè non ad litteram intelligendum esse satis ipse docet, dum in arte poëtica sic habet.

Syluestres homines sacer, interpresque Deorum
Cædibus, & victu fœdo deterruit Orpheus,
Dictus ob hoc lenire tigres, rapidosque leones,
Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis
Saxa mouere sono testudinis, & prece blanda
Ducere quò vellet.

Quibus manifestum est effectus illos metaphoricè intelligi. Alia verò sunt, quæ Pythagoræ discipulis tribuunt, vt quod Damon ebrios, atque petu-
Varij antiquæ Musicę effectus. lantes ad temperantiam modulo grauiori reduxerit, feruenti vulgi seditiones crebro cantu Asclepiades compescuerit. Ferunt etiam Hismeniam Thebanũ Ischiadis dolores persanasse: & Martianus à Gręcis sancitum fuisse ait, vt animorum, atque corporũ morbi ad lyræ modulos curarentur.

Qua ratione Apuli à phalangio, tarentulam appellant, demorsi saltatione, & instrumentorum musicorum concentu persanantur. Nec minus est, quod Thaleti Cretensi tribuunt citharæ suauitate pestilentiam fugasse. Mitto Terpandrũ, & Arionem, qui Lesbios à grauibus morbis cantu liberasse dicuntur. Herophilum musicis numeris ægrorum venas pensiculantem, Xenocratem lymphatos à dementia carminum modulis vindicantem, & alios, quibus tantam musicæ scientiam cõferunt, vt etiam surdis auditum reddere viderentur. Hinc postea factum est, vt pręcinere dicti sint, qui ægris remedia præstarent. Plura de morbis, & alijs mirandis effectibus non referam, quandoquidem facilè haberi possunt Gaphurius i de Musica instrumentali, & theoretica, Stapulensis, Zarlinus, Ceronus, & alij, qui plurima ab antiquis repetita producunt.

Nonnulla tantùm paulò recentiora subiungam, quæ apud eos me legisse memini, inter quæ mirum videtur, quod Canus apud Philostr. lib. 5 Philostrat.
de vita Apollonij cap. 7. ætatis suæ tibicinum præstantissimus roganti Apollonio responderit, se quicquid vellet, arte sua efficere, *quid enim*, inquiebat, *requiris amplius, quàm vt mœrentibus mœrorem adimam, lætantem verò seipso reddam hilariorem*, τὸν δὲ ἐρῶντα, θερμότερον. τὸν δὲ φιλοθύτην, ἐνθεώτερόν τι, καὶ ὑμνῳδόν: *amantem vero calidiorem, & religiosum diuino numine magis correptum, & ad laudandos Deos para-*

tiorem efficiam. Idem Philostratus in Achille magnam vim Musicæ tribuit, *μουσικὴ γὰρ ἱκανὴ πραΰνειν τὸ ἐπιμανές τι, καὶ ἐκβακχεῦον τῆς γνώμης* ad animi æstum, fastumque deprimendum plurimum valet. Quod quidem facilè concesserim, cùm enim Musica in concordia sita sit, facilè discordem animum ad temperiem reuocare poterit. Sed non paruum negotium aliquibus facessere videtur, quod Timotheus nobilissimus fidicen Alexandrum impulerit, vt ad arma procurreret, vbi *ὄρθιον νόμον* cecinit, etiam si mēsæ accumberet, quem postea remissiori cōcentu ad animi quietem reducebat. Quod ne fabulosum existimes, admirabili exemplo confirmabo, quod Krantzius lib. 5. Daniæ cap. 3. ita refert. Cùm Ericus interea iam reuersus in regnum solemni curiâ vteretur, multorumque militum simul & artificum industriâ delectaretur, aderat inter alios Musicus, qui artis eam peritiam se tenere diceret, vt homines in quoscunque vellet affectus vocaret, ex mœstis lætos, ex alacribus tristes, ex indignabundis placatos, ex placidis indignantes vsque ad furorem insanientes se facere iactaret. Atque is quo faciebat ista maiora, quæ se posse diceret, regem experiundi fecit cupidissimum. Iamque pœnitebat artificem suæ iactantiæ, vellétque non tam de se magna prædicasse; quippe ista in rege expendere non sine periculo esse. Insuper si minus quæ dixit, facto probasset, mendacem se, futilemque haberi non sine discrimine formidabat. Orabat quos poterat regem ab eo desiderio auerterent, sed nihil egit. Quo enim magis recusauit artis experimentum, eo magis regem accendit. Vbi vidit, non se euasurum, quominus impleret, quæ iactasset, orat exportari arma omnia, & quibus læsio posset inferri. Deinde vt extra sonum citharæ consistant nonnulli, qui possint adesse vocati, curauit, ereptamque manibus citharam capiti iubentur illidere canentis. Omnibus iam ritè instructis regem cum paucis in aula reclusum citharâ aggreditur. Primum graui sono mœrorem quendam audientibus ingerebat: inde succinendo plausibilius in lætitiam vertit, vt paulum abesset, quominus iocabundi dissultarent. Tum modis acrioribus intentatis indignationem quandam concitabat, quæ vbi inualuit, furere regem, astantésque cernere erat. Mox signum dedit delitescentibus vt introirent, regémque iam sæuientem continerēt. Illisâ primùm ex condicto citharâ regem deinde aggrediuntur, sed tantum fuit robur viri, vt pugno quosdam exanimaret. Inde multis obrutus puluinaribus ardor ille conquieuit, sed cùm se iam in se recepisset, vehementer indoluit sæuiisse in eos, quos habuit ante fidissimos.

Krantzius.

Addit Saxo Grammaticus lib. 12 Daniæ Regem cognomine bonum effractis atrij foribus arripuisse ensem, quo quatuor transfodit; vbi verò menti restitutus est relicto procuratore regni filio Hierosolymam expiandorum homicidiorum per pios cruciatus gratiâ profectum, atque in Cypro defunctum fuisse.

Saxo Grāmatic.

Eapropter Lydi tibiis, & fistulis, Cretenses citharâ, & fidibus, Lacædemonij carminum concentu animati mirabiles pugnas ediderunt, & etiamnum in prælis, & vrbium expugnationibus clangore tubæ milites animantur, ac ferè in furorem: sicut & equi conuertuntur. Taceo quæ Cassiodor. variar. lib. 1. Ælianus passim. Athen. Capella, Boëtius, & alij plurimi de vi Musicæ referunt, quos vir disertus Claudius Rangolius ad cap. 16. l. 1. Regum fusè, atque disertè laudaturus est. Testis est Virgilius 6 Æneid quantum Musica ad concitandum furorem valeat, dum Miseni præstantiam describit

Cassiodor.

Rangol.

Virgil.

——— *Quo non præstantior alter*

Ære ciere viros, Martemque accendere cantu.

Vt verò furorem excitasse dicitur, sic etiam à furore reuocasse concentus, vnde ferunt Theodulphum è vinculis à Ludouico pio liberatum fuisse, vbi plena voce hymnum, quem in carcere meditatus fuerat, *Gloria laus, & honor tibi sit rex Christe Redemptor* cecinit.

Nota est Sozomeni historia lib. 7 cap. 23. vbi Theodosius imperator iram deposuisse dicitur, quam aduersus Antiochenos ob statuas imperatoris, & coniugis à populo deiectas conceperat; quod ita contigisse refert, vt Flauianus eorum Episcopus persuaserit adolescentibus, qui ad mensam Imperatoriā canere solebant, vt eas pronuntiarent cantilenas, quæ in Antiochensium supplicationibus erant. Quo facto Imperator humanitatis affectu perfusus, & misericordiâ victus confestim vrbi reconciliatus fuerit, & phialam, quam tum manu tenebat, lachrymis irrigauerit, licet Baronius tomo 4 ad annum Christi 388. id falsum esse putet, quia D. Chrysostom. istius historiæ non meminit, ideoque reijcit hanc suasionem in excellentem orationem Flauiani, quam pro suis ciuibus ante Imperatorem habuit: verùm & oratio, & Musica simul concurrere potuerunt, nec sequitur historiā non esse veram, licet Chrysost. illius non meminerit. Huc referri potest adolescens ille, qui fores domus effringere volens, illico cessauit, vbi Musicus modum dorium versibus spondaïcis adduxit. Memini etiam me apud Pontum legisse quosdam egregios viros ad conuiuiū Mediolani vocatos in tantum stuporem ab aliquo actos fuisse, qui testudinem pulsaret, vt propemodum extra se longo tempore rapti fuerint. Quibus positis iam discutiendum est, num reuera effectus illos Musica antiquorum sortita fuerit, an verò illud fabulosum censeri debeat.

Sozomen.

Baron.

Pontus.

Imprimis verò non desunt egregij Musici, qui credant id falsum esse, idque ex Græcorū iactantia ortū habuisse, qui suas artes ad cœlum vsque tollebāt, & partim in famam, quæ vires acquirit eundo, referendum esse. Alij Græcos de sua Musica asseruisse, quod ab ea produci desiderassent. Alij minimè illud reijciunt in iactantiam, & mendaciū Græcorum, sed in illius ætatis homines, qui adeò stupidi, & rudes fuerint, vt quicquid audirent, atque viderent, admirarentur, vnde à qualicunque melodia facilè, quò velles mouebantur, qui proinde negant Græcos ita præstantes in Musica fuisse, quales eos prædicamus, imo nostros iam longè peritiores esse, tum quia credunt eos nunquam pluribus partibus, seu vocibus simul concinentibus vsos fuisse, tum quia negant eorum instrumenta nostris æqualia, quippe qui solâ 4, 7, aut 8 chordarum citharâ, vel testudine vsi fuerint, tum quia scientiæ, & artes quotidie perficiuntur, nunc igitur Musica perfectior esse debet, quàm apud Græcos, dum adhuc esset in cunabulis, & prima rudimenta à suis inuentoribus reciperet.

Possemus etiam Græcorum ignorationem, & præposteram opinionem in medium proferre, qui existimabant

existimabant animam humanam quibusdam musicis consonantiis, & harmonicis proportionibus constare, quod non solùm ex Pythagora, & Platone in Timæo, & alibi, sed etiam ex ipso Ptolemæo cap. 5 ἁρμονικῶν patet, vbi tres partes animæ facit ὅτι τρία μὲν τὰ πρῶτα τῆς ψυχῆς μέρη, τρία. νοερὸν, αἰσθητικὸν, ἑκτικὸν, quibus comparat tres consonantiarum species τὸ μὲν διὰ πασῶν τῷ νοερῷ, octauam animæ intellectuali, quia in vtroque constituit simplex, æquale, & indifferens quispiam πλεῖστον γὰρ ἐν ἑκατέρῳ τὸ ἁπλοῦν, καὶ ἴσον, καὶ ἀδιάφορον.

Ptolem.

Iam verò ad alias consonantias, & animæ partes accedit τὸ δὲ διὰ πέντε τῷ αἰσθητικῷ; τὸ δὲ διὰ τεσσάρων τῷ ἑκτικῷ, quia inquit, sicut diapente magis ad diapason accedit, sic anima sensitiua ad intellectiuam, quam diatessarō, & vegetatiua. Et sicut vegetatrici animæ portioni 3 species tribuit, ita & 3 diatessaron species constituuntur pro incremento, vigore, & declinatione, & sensitiuæ 4 visum, auditum, gustum, & odoratum: tactus enim omnibus partibus cōmunis est iuxta 4 species diapente, de quibus postea.

3 Species diatessaron
5 Diapente

Denique in intellectiua 7 collocat imaginationem, mentem, memoriam, φαντασίαν δὲ περὶ γὰρ ἀνατύπωσιν, καὶ ζήτησιν opinionem ex verisimilitudine ortam, λόγον δὲ περὶ τὴν ὀρθὴν κρίσιν rationem vt rectè iudicet, denique ἐπιστήμην περὶ τὴν ἀλήθειαν, καὶ τὴν κατάληψιν, vt hæ 7 partes 7 speciebus diapason respondeāt.

7 Diapasō

Verùm quàm futilia sint ista, nemo est qui intelligere non possit, enimuero non ita bene 7 illæ partes intellectiuæ, 4 sensitiuæ, & 3 vegetatiuæ statuuntur, quin meliùs plures, aut pauciores partes eis meritò tribuere valeamus; neque vllam in prædictis consonantiarum speciebus analogiam vllus inueniet, quę saltem probabile reddat aliquas in anima symphonias esse, quæ illis respondeant. Quibusdam fortè magis placebit, quod in eodem capite iuxta Platonem, & Peripateticos animam in rationalem, irascibilem, & concupiscibilem, diuidat, vt primæ diapason, secundæ diapente, tertię verò diatessaron conueniat, quoniam in concupiscibili 3 sunt virtutis species σωφροσύνη quidem, quæ contemnit voluptates, continentia qua inopiam suffert, & verecundia, quæ turpia deuitat. τῷ δὲ θυμικῷ τὰ πλεῖστα τῆς ἀρετῆς εἴδη, mansuetudo, qua iræ resistimus, ne nos abripiat, securitas, seu ἀταραξία, ne nos impendentia mala percellant, fortitudo in despiciendis periculis, & in ærumnis perferendis καρτερία. Supersunt 7 pro ratione ὀξύτης μὲν ἡ περὶ τὸ εὐκίνητον: εὐφυΐα δὲ ἡ περὶ τὸ εὔθικτον; ἀγχίνοια δὲ ἡ περὶ τὸ διορατικόν: εὐβουλία δὲ, ἡ περὶ τὸ κριτικόν. σοφία δὲ ἡ περὶ τὸ θεωρητικόν. φρόνησις δὲ ἡ περὶ τὸ πρακτικόν. ἐμπειρία δὲ ἡ περὶ τὸ ἀσκητικόν i. acumen quod nobis aliquam agilitatem & celeritatē in agendo confert: industria tanta, vt rē velut acu tangamus, solertia ad contemplandum, consilium prudens, vt iudicemus, sapientia, vt speculemur, & prudentia in agendo, & experientia, vt quæpiam exerceamus.

Animæ diuisio.

Virtutes animæ iuxta Ptolem.

Propterea paulo inferius ait iustitiam, quæ est potissima animæ dispositio, esse quandam consonantiam, & rectam rationem ὁμοφωνίας, sensum bene se habentem, & fortitudinem, atque temperantiam συμφωνίαις comparat, adeout concludat totam philosophiam harmonicæ constitutioni similem esse ὅλως δὲ τῆς φιλοσόφου διαθέσεως ὅλῳ τῷ τελείῳ συστήματος ἁρμονίας, vt virtus consonantiarum tam in cantu, quàm anima collocetur. Omitto cætera, quæ postea referemus, vt ad istius articuli nodum dissoluendum accedamus.

Imprimis itaque fateor Græcos plurima protulisse, quæ ad suæ patriæ gloriam facere videbantur, & Græciam esse fabularum fontem, ac velut oceanum: fateor etiam multos harmoniæ effectus longè minores fuisse, quàm ipsi prædicauerint, videmus enim temporis successu res quæ narrantur, plurimum amplificari. Verumtamen sicut certum est easdem res interdum etiam minui, ita certum est inter Græcos præstantes tibicines, fidicines, & citharœdos inuentos esse, qui ita psallerent, vt homines ad hoc, aut illud animi pathema cōmouere possent, siue melioribus, quàm nunc, siue deterioribus instrumentis vterentur, nec enim id in præsenti discutio; & fieri potest, vt quis meliùs excitet, si instrumento 8 chordarum, vel etiam paciorum vtatur, quàm si vel ipse, vel alius testudine, cithara, vel quopiam alio instrumento 24, vel plures chordas habente vtatur. Quod satis in minoribus violis cernimus, quibus non pauci tam fœliciter quæcumque voluerint, exprimunt, vt nihil præstantius audiri posse videatur, tametsi tetrachordæ, vel pentachordæ solummodo fuerint, vt iam non possis concludere Græcos ob chordarum paucitatem minores effectus produxisse. Adde quod satis ex præcedenti quæstione colligitur eos polychordis vsos fuisse, & infrà probabimus, cùm rursus de instrumentis agemus.

Aduerte solùm hîc Mercurij tetrachordum 4 neruis constitisse ita inter se distinctis aut quantitate, aut crassitie, aut duritie, vt 1 se haberet vt 6, alius vt 8, tertius vt 9, quartus vt 12, vt primus cum quarto diapason, primus cum tertio, vel etiam quartus cum secundo diapente, denique primus & secundus, & tertius atque quartus diatessaron resonarent, at huic tetrachordo filius Attidis Lydiæ rex 5 neruum, 6 Hyagnis phrygius, Terpander 7 adiecit, adeout instrumentum secundum heptachordum resultarit ex 2 tetrachordis per συναφὴν, coëuntibus, qualia sunt ὑπατῶν, καὶ μέσων, vel διεζευγμένων, καὶ ὑπερβολαίων. Lycaon verò neruum 8, Prophrastus nonum, 10 Estræus, Timotheus 11 adiunxit, vt 3 instrumentum endecachordum videlicet instrueretur, in quo 4 vltimæ chordæ tertium tetrachordum disiunctum à cæteris, quale est διεζευγμένων respectu μέσων produxerūt, denique tetrachordum συνημμένων addiderunt addita chorda decimaquinta, vt instrumentum bisdiapason comprehendens perficeretur à προσλαμβανόμενος ad νήτη ὑπερβολαίων, quod magnum systema Græcorum constituit. At parum refert, vt iam dixi, quot neruis eorum instrumenta constarent, solis 8 neruis, vel 7, vel etiam 5, aut 4 vsi fuerint, admodum simplices in phtongis, & chordis eos esse gratis supponamus.

Verumtamen nego rudes, & ignaros fuisse, quin potiùs ad omnium artium, & scientiarum naturaliū fastigium peruenisse crediderim, enimuero quis Appelle pictor excellentior, quis Ptolemæo maior Astronomus, Apollonio Geometra præstantior, quisue Archimede mechanicus admirabilior vnquā apparuit? Vis eloquentiæ patrem? apud prophanos Demosthenē, apud sacros Chrysostomum obsecro contemplare. Neque musicam excipere potes, vel existimare non ita eos in concentuum, ac in aliarum rerum scientia præstitisse, quandoquidem harmonia nihil habet præter id, quod à physica, arithmetica, geometrica, atque harmonica proportione mutuò sumit, adeout is musicus præstantissimus

habeti possit, qui physicam, & si vis medicinam, cum proportionibus, & numeris sonoris fœliciter, atque perfectè coniunxerit. Quantos verò progressus in philosophia, quantos in harmonia, atque proportionibus omnigenis Græci fecerint Aristotelis, Euclidis, Ptolemæi, & cæterorum virorum incomparabilium opera admiranda hucúsque testantur. At multorum testimonium non indagemus, vnicus vel Ptolemæus, vel Euclides nobis sufficere poterit, quomodo enim genera musicæ tam accuratè diuiserunt, nisi quia eorum ætate citharœdi genus quodlibet ad praxim redigebãt? nunquid fortè cerebri sui malè feriati inuenta nobis recitant, dum aiunt τὸ χρῶμα ἐπὶ μὲν τὸ βαρὺ κατὰ τριημιτόνιον, καὶ ἡμιτόνιον, καὶ ἡμιτόνιον, ἐπὶ δὲ τὸ ὀξὺ ἐναντίως κατὰ ἡμιτόνιον καὶ ἡμιτόνιον, καὶ τριημιτόνιον? an ideo fabulosam mentieris τὴν ἁρμονίαν, quod iam non possis eam simpliter canere κατὰ δίεσιν, καὶ δίεσιν, καὶ δίτονον ἐπὶ τὸ βαρὺ, vel ἐναντίως ἐπὶ τὸ ὀξὺ?

Absit, vt illud concludamus, sed potiùs ad illam perfectam harmoniam aspirare lubet, quæ est veluti corpus respectu diatoni, & chromatis ad instar lineæ, & superficiei sese habentium, vel vt anima rationalis respectu sensitiuæ, & vegetatiuæ, vel vt Theologicè loquar, vt vita contemplatiua actiuæ, & mixtæ collata. Omitto quòd Aristides lib. 1 asserat se harmoniam puram suo tempore cecinisse, & alia plurima, quæ alibi dicere poterimus. Iam verò vt argumento ad hominem vti mihi liceat, postulo ab istis neotericis musicis, à quibus suas consonantias, phtongos, diatonum, modos, &c. acceperint, quæ iam apud eos in vsu reperiuntur: facilè, credo, negabunt se à Græcis sumpsisse, quos nunquam legerunt, forsitan neque viderunt, cùm tamē viri in theoria, à qua practica manat periti longè aliter sentiant, vt satis patet ex doctissimo Salina, qui l. 4. cap. 31. obseruat Glareani errores ex eo manasse, quod nunquā 3 harmonicorum Ptolemęi libros, nec 3 Aristoxeni, & Bryennij legisset, idemque de Frāchino censet, cum quibus Stapulēsis numerari potest. Vbi operæpretiū fuerit, si aduertas errorem Glareani de semitonio inter *fa, mi* reperto, quod minus esse statuit, adeout *fa, mi* quæ in *b, fa,* ♮, *mi* concluduntur, magis inter se distent (vt pote semitonio maiori) quàm ab extremis tam internè, quàm supernè, videlicet quàm *mi* à *c, sol, fa, ut,* & *fa* ab *a, la, mi, re*: At siue harmonia simplici vsi fuerint, siue non, duo mihi certa esse videntur, nempe eos egregiè cecinisse, & saltem cum ditono quasdam chordas enharmonicas aliquando coniunxisse. Ad quid enim in istorum generum theoria, atque diuisione tam strenuè desudassent? Vtinam praxis ad illam cognitionem nos reducat, vt ne quidem vnus sit, qui huiusce rei veritatem non percipiat, ac veluti palpet.

Aristides.

Salina.

Vnum superesse videtur, quòd in illis animæ cum consonantiis proportionibus decepti fuisse videantur: at illud non vsque adeò refert, prius si quidem fuit illas consonantias inuentas fuisse, quàm vt eas animæ virtutibus compararent. Adde quod non omni ex parte decepti fuerint, saltem enim virtutes, & facultates perfectæ se se habent ad animum, sicut musica ad aures, & sicut perfecta musica maximam delectationem affert, ita & animus, omni genere virtutum ornatus. Nec quidquam obstat, quominus diatessaron appetitui concupiscibili, & eius virtutibus, de quibus antea, diapente verò irascibili, & rationi diapason conferamus, præsertim cùm ratio, seu anima rationalis in se contineat sensitiuam, & vegetatiuam, sicut diapason complectitur diapente & diatessaron. De his autem plura, cùm ad consonantias peruenerim.

Placet verò Musicæ Græcæ vim ex optimis authoribus Platone, & Aristotele probare, quos nec Aristarchus reiicere possit, ne si musicos ipsos testes appellem, illos licet iniuriâ, neoterici repudiant. Itaque præter quam quod ille l. 7. de legibus ait omnem musicæ rationem in numeris, & modulis sitam esse morum imitationem βελτιόνων, καὶ χειρόνων ἀνθρώπων, fusè docet 3 de republica μελῳδίας reipublicæ custodi necessariam esse, vt mores suos informet, & eam in animum efficaciter immanare, atque in eo varios effectus edere, quam λόγου, ἁρμονίας, & ῥυθμοῦ constare docet, quamuis ibidem rectè μαλακάς τε καὶ συμποτικὰς τῶν ἁρμονιῶν reijciat, quales esse putat Ionicas, & lydias, quas χαλαρὰς. i. effœminatas appellat, ne videlicet ciuitatis custodes effœminati euadant, quandoquidem maximè dedecet φύλαξιν καὶ μαλακία καὶ ἀργία, mollities, & inertia. Quemadmodum autem ἰαστὶ καὶ λυδιστὶ à Platone reijciuntur, ita δωριστὶ καὶ φρυγιστὶ recipiuntur, quia eum imitantur qui in bellico conflictu, καὶ ἐν πάσῃ βιαίῳ ἐργασίᾳ robur exerunt. Idem paulo inferiùs multa de rythmo docet, qui cùm ad musicam accedere debeat, vt postea dicemus, idem de ea asserere censendus est. Rythmus ergo ad mores hominum informandos non parum valet, quapropter inquirit quinam sint temperantis, & fortis vitæ moduli, vt postea pedem, concentumque orationis sequi vestigia cogat. At longior quàm par sit, fuero, si omnia Platonica persequar, tantùm addo, quæ inferiùs habet; *nonne, inquit, princeps, & primaria illa musica educatio, quæ in modulorum, concentuumque rationibus versatur, efficacissimè* εἰς τὸ ἐντὸς τῆς ψυχῆς *in ipsa animæ interiora influit, & venustate quadam animum vehementissimè tangit, eumque adeò venustatis decore afficit, si in ea accuratè elaboret, & à teneris annis instituatur. sin minus, contrà? Et quoniam is qui eo vitæ instituto fuerit educatus, ea perspicacissimè persentiet, quæ vel desiderantur, vel non rectè sunt effecta, atque optimo indicio res non rectè factas condemnat, præclarè verò constitutas commendat, & ijs delectabitur, atque animo complectetur, vt hoc pacto educatus in bonum virum euadat: contrà res turpes rectè condemnet, & odio prosequatur in hac tenera ætate, in qua nondum constiterit vsus rationis: quæ cùm accesserit, eam alacri animo amabit, atque complectetur, vt pote quam ex huiusmodi educationis habitu agnoscat.*

Plato.

Quid obsecro ad hæc neoterici mutire possunt? O mirabilem harmoniæ vim, quæ iuxta Platonem etiam in puellis vsum rationis supplere videbatur, quandoquidem rectè turpia condemnabant, & honesta probabant, si concentus in interiores animi partes influxissent.

Sciant ex Platone, nullos priùs musicos futuros, quàm: τὰ τῆς σωφροσύνης εἴδη, καὶ ἀνδρείας, καὶ ἐλευθεριότητος, καὶ μεγαλοπρεπείας, καὶ ὅσα τούτων ἀδελφὰ susceperint. Ad discipulum propero cætera, quæ præceptor habet, alibi commemoraturus. Aristoteles 8 politic. cap. 5 fusè de musica pertractans, & inquirens num aliqua qualitate, quæ ad mores pertineat, afficiamur, ita respondet. *Affici autem cum alia, tum concentus olympici declarant: quibus animos constat in furorem rapi*

Aristot.

rapi. furor autem affectio est morum, qui animam attingunt, & paulo post, vbi docuit exiguam esse imitationem eorum, quæ sub aspectum cadunt, cùm figuræ, & colores non sint τῶν ἠθῶν ὁμοιώματα, ἀλλὰ σημεῖα μᾶλλον. At verò in ipsis cantibus ἐστὶ μιμήματα τῶν ἠθῶν, καὶ τοῦτ' ἐστὶ φανερόν. εὐθὺς γὰρ ἡ τῶν ἁρμονιῶν διέστηκε φύσις ὥστε ἀκούοντας ἄλλως διατίθεσθαι. Audis Philosophum? qui manifestum esse docet ipsis cantibus morum imitationes inesse? adeout ipsorum concentuum discrimen existat, vt audientes diuersis modis afficiantur.

Quod magis adhuc aperit, dum subiungit non omnes eodem modo ad omnes concentus sese habere, ἀλλὰ πρὸς μὲν ἐνίας ὀδυρτικωτέρως, καὶ συνεστηκότως μᾶλλον, οἷον πρὸς τὴν μιξολυδιστὶ καλουμένην, habes ergo flebilem, & mœrore afficientem mixolydium: πρὸς δὲ τὰς μαλακωτέρας τὴν διάνοιαν, οἷον πρὸς τὰς ἀνειμένας. μέσως δὲ καὶ καθεστηκότως μάλιστα πρὸς ἑτέραν, οἷον δοκεῖ ποιεῖν ἡ δωριστὶ μόνη τῶν ἁρμονιῶν. ἐνθουσιαστικοὺς δ' ἡ φρυγιστί. ταῦτα γὰρ καλῶς λέγουσιν οἱ περὶ τὴν παιδείαν ταύτην πεφιλοσοφηκότες. quibus ostēdit alios modos esse molliores, & remissiores, alios medios, atque constantissimos, quod soli Dorio tribuit; phrygius verò furorem infert, cùm hæc tradantur ab iis, qui sunt in hac disciplina philosophati.

Quod si dixeris Aristoteli eos quidem ita philosophari, sed nullum effectum ostendere, respondet, λαμβάνουσι γὰρ τὰ μαρτύρια τῶν λόγων ἐξ αὐτῶν τῶν ἔργων. Vis aliquid de rythmis? in quibus eodem modo sese res habet οἱ μὲν γὰρ ἦθος ἔχουσι στασιμώτερον, οἱ δὲ κινητικόν, καὶ τούτων οἱ μὲν φορτικωτέρας ἔχουσι τὰς κινήσεις, οἱ δὲ ἐλευθεριωτέρας. ἐκ μὲν οὖν τούτων φανερὸν ὅτι δύναται ποιόν τι τὸ τῆς ψυχῆς ἦθος ἡ μουσικὴ παρασκευάζειν. aliqui enim rythmi mores constantiores, alij mobiliores habent, ex quibus nonnulli motus importunos concitant, alij liberales, quo planè intelligitur vim musicæ inesse mores animi qualitate quâdam afficiendi.

Quibus existimo me satis ostendisse quantam vim Græcorum musica tam Platonis, quàm Aristotelis ætate habuerit, vt iam nemo sanæ mentis eā de re dubitare debere videatur.

Hinc fit, vt sicut fabulosum est, quod aiūt Apollinem fidibus canoris hyemē hypate chorda, nete æstatē, dorionib⁹, seu vocibus mediis ver, & autūnum producere, nisi illud mythologicè de sole explicaueris, qui radiis suis vario modo per motum ad terram applicatis anni 4 tempestates producit, & discriminat, ita verum est musicam à Græcis tam fœliciter ad praxim redactam fuisse, vt varios motus, & affectus in animo produxerit, siue eam nostrâ perfectiorem habuerint, siue non habuerint. Quod infrà discutiendum est.

Insignis præterea locus cap. 7 habetur, vbi leges, & formulas canendi aggreditur, & μελῶν διαίρεσιν iuxta quosdam philosophos in ἠθικά, πρακτικά, καὶ ἐνθουσιαστικά facit, id est, in cantus morales, actiuos, & furorem incutientes: vnde postea concludit, nos omnibus concentibus vti posse, licet non eodem modo ἀλλὰ πρὸς μὲν τὴν παιδείαν ταῖς ἠθικωτάταις: πρὸς δὲ ἀκρόασιν ἑτέρων χειρουργούντων καὶ ταῖς πρακτικαῖς, καὶ ταῖς ἐνθουσιαστικαῖς, licet illi concentus alios magis, alios minus exagitent.

Longior fuero, si omnia referam, quæ Philosophus de vi cantuum edisserit. Sufficiat, quod ex 8. c. notemus dorium modum ad moralem disciplinam; phrygium ad animos, & affectus commouendos, lydium ad ornatum, & disciplinam valere, phrygium in harmoniis talem vim habere qualem tibia sortitur in instrumentis; ἄμφω γὰρ ὀργιαστικὰ καὶ παθητικά, adeout Philoxenus non potuerit dithyrambum doricè canere, sed natura duce in phrygium conuenientem concentum delapsus est.

Denique fatetur per concentus perturbationum purgationem fieri, cuius explicationem ad suam poëticam reijcit, in qua se plurimum torquent Interpretes, quid per illam purgationem intelligit, dum ait tragœdiam esse μίμησιν πράξεως σπουδαίας, καὶ τελείας imitationem actionis studiosæ, atque perfectæ, quæ per misericordiam, atque terrorem perturbationes purget, licet nouus interpres Benius neget tragœdiam ideo inuentam, vt animi πάθη purgarentur, tametsi iam regibus, & principibus, vt comœdia popularibus, exhibetur, vt à perturbationibus sese eximant, vt illa quemadmodum epopœia heroïbus, ac summis ducibus conueniat, hæc verò vrbium cœtibus, vt eclogæ, & idylia pastoribus. Benius.

Huic articulo finem facio, si exemplum attulero, quod Galenus in 5 sententiarum Hippocratis, & Platonis habet, vbi verba Possidonij philosophi scripsit. Damon inquit, Milesius cùm ad tibicinem accessisset, quæ phrygiis modis adolescentes quosdam temulentos ad furorem vsque incenderat, iussit ad doricas leges tonum demittere, quo illi demulsi quieuerunt. Ex quibus omnibus satis, superque concludi potest Græcorum harmoniam magnam vim habuisse, & animi pathemata facilè commouisse. Quomodo verò id factum sit, & num illud in vsum reuocare valeamus, infrà discutiendum erit. Galenus.

Ne verò, quisquis es, mireris vim illam Musicæ Grçcæ nobis ereptam fuisse, neq; propterea quod nostram eâ videstitui fateris, statim existimes falsa, & fictitia, quæ hîc de illius virtute diximus, & quæ deinceps subiungemus, quandoquidem sunt alia plurima, quę cùm olim vigerent, & cuipiā essent obuia, dudū antiquata sunt, qualia fatemur esse cum Archimedis, tum Procli specula quibus ad milliare flammas instar fulguris vibrabant: licet enim hac ætate plurimi hac in parte laborent, & se repetisse putent, vt cùm aiunt anaclasticā lineā id fieri posse, quæ radios in foco parabolæ collectos, deinceps parallellos quocumque volueris transferat, vel duobus parabolicis solidis idem tentant, vno ad medium perforato, vt aliud à tergo positum radios illos coadunatos, & in vnum punctum confluentes imposterum per rectam lineam eodem modo coniunctos ad quodlibet spatium traducat, hactenus tamen nemo fuit, qui similes effectus, ac Archimedes produxerit, quamuis audierim aliquem in Italia ad plurima milliaria speculis ignem genuisse, & Gethaldum Ragusiæ cum speculo parabolico bipedali trabes ex oceano recenter eductas in amicorum præsentiā inflammasse, ferri massam subitò velut ignitam reddidisse, lapides calcinasse &c. Quæ quidem facilia expertus sum, sed tantùm ex propinquo, neç enim vidi quemquam, qui per milliare Archimedis instar, id efficeret, vel ingentes naues solus, vt ipse, quibuscumque adhibitis pancratiis in altum ciĕ tolleret.

Omitto alia plurima, quæ obsoleta sunt, vt purpuram colorum regem, & encaustum, de quo l. sacri C. de diuersis rescrip. & Plin. lib. 35. c. 11. byssum, & carbasum, de quo Virgil. 6. Æneid. murrhinum, aurichalcum, electrum, musicam mutam, & hydraulicam, æs Corinthium, plurimos ludos, &c. quæ Pancirolus fusè refert licet apud exteras nationes si non omnia, plurima saltem ex istis etiamnum in vsu esse putem. *(margin: Plinius. Virgil. Panciro-lus.)*

Et quidem ne longiùs à Musicæ terminis egrediar, hydraulica satis viget, & ampliùs, vbi voluerint quibus aquæ, & facultates non desunt, vigere poterit. Est enim facilè non solùm auium cantus, sed etiam quaslibet Musicæ partes organorum beneficio per hydraulicam repræsentare, quod in in domo S. Germani regia bellè factitari audio; quid enim faciliùs est, quàm aërem in organa per aquæ fluentis motum immittere? Neque crediderо mutã ita perijsse, quin restitui valeat, immo si in eo solùm sita sit, vt quibusdam gestibus intelligere faciat, quod alioquin scripturâ explicandum esset, vt ait Cassiodorus lib. 1. variorum, quod pantomimis, & chironomis proprium fuit, audio eam apud Turcas in aula Imperatoris ita vigere, vt vix alia ratione seinuicem alloquantur. *(margin: Cassiodor.)*

Cætera quæ hîc opponi possent, infrà suo quæque loco dissoluentur. Hinc tamen abire nolo, priusquam rursus ex Aristotele confirmarim Musicam ad mores valere; quærit enim probl. sect. 19. probl. 27 cur inter omnia sensibilia id solum mores spectare videatur, & probl. 29 cur musici moduli se moribus similes exhibeant, quod ita verum esse docet, vt neque saporibus, neque coloribus, vel odoribus illud congruat; quorum hanc affert rationem, quia moduli musici motibus, sicut & ipsæ actiones constant, ᾗ μὲν ἐνέργεια, ἠθικαὶ, καὶ ποιεῖ ἦθος. Quod adeò verum censet Aristot. vt etiam credat ipsam modulationem sine sermone mores præ se ferre; Voces autem eorum mores referre dicuntur, à quibus exeunt, vnde cũ à turpibus, & lasciuis cantilenæ audiuntur, illorum procacitatem, atque leuitatem referunt; si à virtute præditis procedant, temperantia, castitas, & ipsa virtus in voce relucere videtur. Hinc fit, vt hominis temperamentum, & humorum crasim ex ipsa voce cognoscere possimus; nam quò magis flaua bilis abundauerit, eo vox promptior, acrior, & altior erit, si tamen nihil aliud obstet. Possumus etiam vim illam Musicæ confirmare ex illo celebri tibicine Timotheo, qui cùm Alexandro regi artis suę specimẽ exhiberet, cecinit κατὰ τὸν ἐκείνου τρόπον, inquit Diõ Chrys. orat. 1. de regno, initio, οὐ μαλακὸν αὔλημα, οὐδὲ ἀναβεβλημένον, οὐδὲ τῶν πρὸς ἄνεσιν, καὶ ῥᾳθυμίαν ἀγόντων, ἀλλ' αὐτὸν οἶμαι τὸν ὄρθιον, τὸν τῆς Ἀθηνᾶς ἐπικαλούμενον νόμον, cecinit inquam iuxta illius mores, non mollem, atque remissam cantilenam, neque eam quæ ad ignauiam duceret, sed rectum, opinor nomum Mineruæ appellatum; quibus addit Alexandrum protinus ad arma exiluisse, ac si numine afflatus fuisset, quanquam negat id ex sola vi musices contigisse, sed maxima ex parte ob regis animum incitatum, atque iracundum, nec enim, inquit, Sardanapalum ex cubiculo à mulieribus suscitasset Timotheus, imò neque Marsyas, vel Olympus, vel ipsa Minerua, tametsi τὸν αὐτὸν νόμον cecinissent. Quod satis ostendit Musico considerandam esse naturam, dispositionem, temperiem, atque mores auditorum, nec enim idem in omnium animis eodem cantu præstare valebit, vt postea dicturi sumus. Hactenus autem probatum est reuera Musicæ vim inesse, qua nostros animos ad hoc, vel illud pathema concitet, eapropter, ad reliqua progrediamur. *(margin: Aristoteles. Dion Chrysost.)*

ARTICVLVS II.

VNDE MVSICA TANTAM VIM HABERE POSSIT, *vbi de sono concinno, consono, & inconcinno quædam afferentur.*

Plurima sunt, quæ ad Musicæ vim conferre posse videntur, quam priùs diuidemus, vt eam definiamus, sunt autem qui eam repetentes altius in archetypam, cœlestem, elementarem, humanam, atque vocalem partiantur, quibus angelicam, & instrumentalem addere possemus; ne tamen longius excurramus, malo diuisionem illam afferre, quam Porphyrius cap. 2. comment. lib. 1. in harmonic. Ptolem. habet, vbi mundanâ relictâ, harmonicæ, rythmicæ, metricæ, organicæ, poëticę, & histrionicæ, (mutam appellare poteris) his verbis meminit: τὴν μουσικὴν οὕτω πως διαιροῦσιν ἅπαντες· εἰς τε τὴν ἁρμονικὴν καλουμένην πραγματείαν. εἰς τε τὴν ῥυθμικὴν, καὶ τὴν μετρικὴν, εἰς τε τὴν ὀργανικὴν, καὶ τὴν ἰδίως κατ' ἐξοχὴν ποιητικὴν καλουμένην, καὶ τὴν ταύτης ὑποκριτικήν. Nec desunt, qui eam in σκευαστικὴν, auleticam, quæ flatu per tibias, fistulas &c. exercetur, & citharisticam neruis constantem diuidant. *(margin: Porphyrius)*

Aristides, qui in præfatione lib. 1. putat musicam per omnem materiam peruagari, & per omne tempus mentem harmoniæ decore, & corpus venustis modulis exornare, déque anima tam hominis, quàm vniuersi rationes suppeditare sic eam diuidit, vt vnam illius partem in contemplatione, alteram in actione versari statuat; illa Musicæ rationes artificiosas, & capita atque particulas distinguit, & altiora principia, naturales causas, & conuenientiam cum rerum natura considerat. Actiua verò ex præceptis artis operatur, & scopum assequitur, & παιδευτικὴ appellatur. *(margin: Aristid. Musicæ accurata diuisio in suas species.)*

Rursum contemplatiuam in naturalem, & artificialem dispescit, illa in numeris occupatur, vel in naturæ consideratione, quatenus de iis, quæ sunt, disputat. Artificialis autem tres sunt partes harmonica, rythmica, & metrica. Actiuam etiam in 2 partes diuidit, quarum vna iis, quæ prius allata sunt, vtendi vim habet, alia est τούτων ἐξαγγελτική. Illius χρηστικῆς videlicet tres sunt partes melopœia, rythmopœia, & poësis; huius

huius autem nempe ἐξαγγελτικῆς organica, odica, & hypocritica.

Verùm his omissis, ne simili ratione ζωγραφία poësis ἀσιώπητος, & à quibusdam ποίησις σιωπῶσα nuncupata, poësis tacens, & velut oculorum musica simili ratione ad musicam referatur, & omnia minus aptè distinguamus, de Musica vocali præsertim agimus, pauca de reliquis dicturi, prout ad τὴν ἐντελεχείαν perficiendam nonnihil afferre poterunt.

Proclus Eapropter non hîc expectes illam musicam, quam antiqui totam vniuersitatem comprehendere dixerũt, vt initio synopseos musicæ suæ Proclus habet μουσικὴν οἱ παλαιοὶ, συνέχειν τὸ πᾶν, qua ratione in omnibus rebus deprehenditur, cùm nihil sit in tota rerum vniuersitate, quod symmetriâ non constet, ἡ δὲ μουσικὴ συμμετρία τίς ἐστι καὶ ἀναλογία τῶν, cùm sit τῆς παντὸς ἁρμονία. Vbi aduerte veteres tam altè de Musica sensisse, vt ipsum Deum suipsius, & vniuersitatis ἁρμονίαν appellarint, quia per eum illa totius mundi structura, atque proportio mirabilis conseruatur, & ab eo solo suam originem desumit: quo modo certum est musicam τὴν πάνυ μακαριότητα afferre posse; sic enim ipse Deus esset.

Euclides. Cleonides. Igitur in Musica vocali, vel sonora priùs φθόγγος, seu sonus occurrit, quem Euclides, vel, si mauis Cleonides, (etenim vt alibi dictum est, textus idem sub vtriusque nomine circumfertur,) ita definit ἐστὶ φωνῆς πτῶσις ἐμμελὴς ἐπὶ μίαν τάσιν. *Vocis concinnus casus ad vnam extensionem*, breProclus. uiùs tamen Proclus ἀδιάστατος ἐστιν, id est, *carens interuallo.* Itaque sonus in Musica idem esse videtur, quod in Geometria punctum, & in Arithmetica monas; qui cùm indifferenter prout à quolibet agente manat, siue ab auibus, siue à toniPtolem. tru siue ab alio quopiam, ψόφος dicitur, & à Ptolem. lib. 1. cap. 1. harmon. ita finitur. πάθος ἀέρος πλησσομένου τὸ πρῶτον καὶ γενικώτατον τῶν ἀκουστῶν *passio aëris percussi, primum, & generalissimum audibilium.* Quibus ne diutiùs hæream, hîc de sono agendum est, qui musicæ aptus est, qualis est vox humana, quæ se habet vt numerus sonorus, adeo vt sonus sit velut harmoniæ materia, & numerus, forma.

Vox enim se habet ad vocem, vt neruus ad neruum; longitudo ad longitudinem, numerus ad numerum, denique sicut densum, rarum, tenue, crassum, intensum, & remissum ad sui similia, vt apud Ptolem. l. 1. cap. 3. videre est. His positis inquiramus, num à sono Musica vim suam habeat, & quidem certum est auribus sui speciem sonum ingenerare, & animi delectationem parere: at quomodo lætatur animus, dum vocem aliquam audit? cur oculus non æquè delectatur, vbi color occurrit, cur animus sono magis afficitur, si concinnus est? nec enim ad proportionem recurrere possumus, quæ necdum in simplici phtongo reperitur quippequi non est consonantia, sed illius tantummodo principium: profectò si magis afficitur animus ob soni, quàm coloris perceptionem, sonum cum intellectu maiorem proportionem, atque similitudinem habere necesse est, cùm intellectus, quamdiu non errat, pulchrioribus, sibique conuenientioribus magè delectetur.

Cur sonus magis placeat quàm color?

Nunquid hîc audio philosophos, qui lumen, & colores, seu visibile sonis nobilius esse contendant? quod si lux præstantior fuerit, intellectui magis placebit, quippequi singula verè expendit, & excellentiora præfert; nunquid sensus visus auditui anteponendus est? cum eius operatio mentis actioni similior esse videatur; quinam ergo fieri potest, vt sono magis delectetur? Quod de sono more harmonico deducto velim intelligi, alioquin enim non omnis sonus omni colore gratior esse solet, sed tantùm phtongus optimè deductus.

An fortè magis placent, quæ auribus capiuntur, quia auditus disciplinæ sensus est? adeout qui scientiis imbui possit, licet oculis careat, vt patet in erudito Salina, Didymo, & aliis, quorum cum animi intra se magis reciperentur, faciliùs discebant, & altiùs penetrabant, hinc fit, vt Salinas eum auribus cæcum dixerit, qui minimum interuallum, comma scilicet non discerneret. Salinas cæcus.

Cùm ergo mens seipsam perfectiùs veluti possidere videatur, cùm sonis attendit, vnde vides attentiùs audientes oculos claudere, & eos quibus visus debilior fuerit, subtiliùs audire, hinc fortè contingit, vt sonis vehementiùs delectetur. An sonos malumus, quia recordatur mens se per aures plura, & excellentiora, quàm per oculos accepisse, nam præter scientias, fidem aure percepimus, quâ ad patriam tendimus, & sine qua nemo Deo placere potest.

An potius, quia lumen, & colores, vel potius eorum species à corporibus inanimis egrediuntur, voces autem ab animatis, vt ab homine, qui nititur audientem commouere, & quantum potest, id quod habet in animo ei imprimere, ac, vt ita loquar, suum proprium vel gaudij, vel mœroris, vel furoris affectum ei communicare.

Et quidem vox in aëre fit, vt subtilior effecta quodammodo mentem ipsam imitetur, à qua proficiscitur, & ideo eius essentia ferè tota est in fieri, & in transitu, ac si esset infimum animæ, quo mens supremum corporis alterius attingeret ad mutuam conceptuum communicationem; color autem cum subiecto suo inhæreat, materiæ magis immergitur, & longius distat ab anima, nam ex varia primarum qualitatum mixtione nascitur, adeout potius ad proprij subiecti, quod formaliter afficit, quàm ad videntis perfectionem factus esse videatur; sonus verò minimè nascitur ex mixtione prædicta; sed ex sola aëris collisione, qui ad vitam necessarius est, & ad mentem eò propinquius accedere videtur, quo meatus interior aurium, & aër innatus tympano conclusus longius ab obiectis extraneis distat.

Profectò, si iuxta peripateticam elementorum nobilitatem progredi licet, vno verbo negotium confecerimus; enimuero cùm terram infimã color sequatur, & sonus aërem superiorem, constat sonum anteponi debere, cuius beneficio Dei verbum in mentem ingreditur, non autem per oculos, iuxta id, *qui habet aures audiendi, audiat*: Huc referri potest, quod D. Paulus in æternæ gloriæ descriptione vbi præmisit, *oculus non vidit*, subiungit, vt aliquid maius, *nec auris audiuit*, quot enim audimus, vel audire possumus, quæ neque videri possunt, est enim auditus omnium capax, quæ hîc intellectus concipit, vt patet in oratoribus, qui conceptus omnes adeò facilè verbis exprimunt, vt ipsi conceptus aure ingredi videantur. Sonum colore nobiliorem.

Arist. Quæ ex ipso Arist.sect.11.probl.61 confirmantur, dum ait vocem omnia corpora penetrare, ὁ δὲ ψόφος ἡ φωνὴ διὰ πάντων χωρεῖ, aspectus autem, vel coloris species sola quædam diaphana penetrat. At de sono hactenus, qui cùm in eodem statu, tenore, seu tensione perstat, τόνος appellatur, quòd si supernè, vel infernè attollatur, aut deprimatur ἐπίτασις, & ἄνεσις intensio, atque remissio dicitur.

τόνος, ἐπίτασις, & ἄνεσις, quid?

Iam verò interualla sonorum aggredior, nam sicut 2 puncta lineam, tria verò, vel plura superficiem, & corpus referunt, ita soni 2 interuallum, interualla consonantias, vel dissonantias, & totum Musicæ corpus efficiunt. Eorum autem aliqua sunt ἐκμελῆ, seu ad harmoniam inepta, & inconcinna, quæ horrorem potiùs, quàm delectationem pariunt, quæ à Musico non spectatur, nisi per accidens, vt concinna, atque cõsona dignoscat. Principiũ consonorũ est ὁμοφωνία, seu vnisonantia, in qua omnes idem personant, prout in Ecclesiis deprehendis, in quibus omnes plano cantu Psalmum eundem canunt, in qua vim tantam musici inuenerunt, vt neruus in vno instrumento percussus moueat alterius instrumenti neruum præcedenti vnisonum, quod fit ob mirabilem sympathiam ab æqualitate summa procedentem; huic autem vnisonantiæ philosophus Platonis communitatem confert 2 Polit.c.3, cuius Remp. futuram ait, ὥσπερ κἂν εἴ τις τὴν συμφωνίαν ποιήσειεν ὁμοφωνίαν, ἢ τὸν ῥυθμὸν βάσιν μίαν, sicut qui consonantiam cum vnisonantia confuderit, aut qui metrum cum basi, seu versum cum pede idem esse voluerit.

ἐκμελῆ quid sint?

ὁμοφωνίας vis.

Aristot.

Fortassis verò quæret aliquis, cur hîc de consonantiis agamus, cùm nondum discusserimus, num à sono præcisè sumpto Musicæ vis oriatur. Verùm satis patet ex dictis sonum ἁπλῶς spectatum vim illam non habere, quam inquirimus, & ex parte restituimus; hac enim ratione fateor non magis delectare, quàm visibile, vt patet in sonis tympanorum, & tinnabulorum, qui negligi solent. Ideòque de sono consono, & illa mirabili varietate agendum est, quæ in diuersis sonis reperitur, quam illis coloribus comparare possemus, qui in pauonis cauda, colo columbæ, plumis auium Orientalium, & pannis variegatis, vel etiam in Iride, & chrystallinis triangulis spectari solent. Et quidem vix scio, quid meliùs perfectæ Musicæ conferri queat, quàm mirabilis illa colorum varietas, quam varia solis reflexio, atque refractio per trianguli vitrei latera plana generat, adeout non desint, qui colorum illorum tametsi fictitiorum syndromem æternæ gloriæ imaginem esse quodammodo putent.

Musicæ, & colorum cõparatio.

Vbi tamen aliquis concentus auditur, hisce coloribus à multis anteponitur, siue quia concentus non ita frequens est atque peruius, siue quia præstantior, siue quia faciliùs animum ingreditur: quidquid sit vterque tam sonus, quàm color proportione constat, quâ non rarò vix percipientes rapimur, & iam pictores nostri non minorem industriam in miscendis coloribus, & rebus ad viuum repræsentandis, quàm Musici in cõcentibus simul aptè collocãdis adhibent, itaque si placet vtrosque fusiùs comparare potes; enimuero nunc ad sonos regredior, qui quoties omnino similes fuerint, vnisonantiam procreant, & sicut omnia puncta simul posita nihil maius conficiunt, ita neque soni quilibet similes: quapropter 2 sonos æquales potiùs vnisonare, quàm consonare dicimus, & vnisonantiam omni consonantiæ præferimus, quam præcedit, vt æqualitas inæqualitatem, quia sicut ab æqualitate proportiones omnes oriuntur, ita & omnes consonantiæ ab vnisonantia, vtque sola proportio dupla immediatè fluit ab vnitate, cùm vnitas vnitati superadditur, cæteræ verò mediantibus aliis, ita sola æquisonantia, seu diapason immediatè fluit ab vnisonantia, cæteræ consonantiæ aliis mediis proficiscuntur.

Vnisonãtia similis pũcto.

Iam verò dico vnisonantiam multarum vocum, si iusta est, vim magnam habere, vt quis in illis Ecclesiis experiri potest, in quibus plano cantu solemni plurimi cantores deuotè officium diuinum persoluunt, has enim voces simul diuini numinis gloriam tollentes, & laudem ex corde personantes audire mihi videor, quæ in animis attentè audientium, & Deum verè diligentium similem sonum, & affectum producere videntur, quemadmodum neruus citharæ non percussus ad alterius vnisoni percussionem mouetur, ac veluti per aliquam analogiam, sympathiam, & similitudinem tripudiat, ac si vox nescio quam vim magneticam haberet, vel omnia eodem spiritu fouerentur, quod postea fusiùs cum Aristide explicabimus. Est igitur magnus vnisonantiæ effectus, præsertim cùm pulcher fuerit tonus, & maiestatis plenus, at de tonis postea, vel potiùs de modis. Interim pauca de sonis consonis afferamus.

Vnisonantiæ virtus.

Prima, eáque perfectissima consonantia vocatur διὰ πασῶν, seu octaua, vel æquisonantia, quâ singuli recreantur, est enim καλλίστη συμφωνία, inquit Arist. sect. 19. probl. 35. cum in excellentissima proportione dupla videlicet consistat, si enim ὑπάτη sit vt vnum, νήτη erit vt 2, quod in iis instrumentis antiquorum intellige, qui solis 8 neruis constabant.

Diapason quid sit?

Aristot.

Et quidem ob illam proportionem diapason cæterarum consonantiarum, imo & totius harmoniæ mensura dici potest, omnia enim includit, vt ex ipso nomine patet. Hinc fit, vt ἀντίφωνον τοῦ ὁμοφώνου suauius esse dicatur probl. 39, & in diapason magadari solitum sit probl. 40: est autem consonantia gratior vnisonantiâ, quia hanc includit, & in proportione consistit, quâ caret vnisonantia, licet aliquo modo gratiorẽ vnisonantiam, vt pote simpliciorem asserere possimus, tametsi Arist. contrariũ sentiat, dũ ait 39 probl. συμφωνία δὲ πάσης ἡδίων ἀπλουστέρας, ἢ τῆς ἡ διὰ πασῶν, &c. Magadizant verò in eadem consonantia, quia nulli sunt diuersi soni, qui adeò suaues sint, atque faciles, ac ὑπάτη, & νήτη quibus diapason concluditur, cui canendo fortè magas nerui vnius instrumentum inseruiebat, vnde μαγαδίζειν nomenclaturam accepit: nunquid verò mirum est rem facillimam simul esse suauissimam? Vbi obserua diapason tantam habere cum vnisonantia similitudinem, vt illud etiam pueri siue dictiones efforment, siue teretizent, passim canant, adeout Aristoteles asseruerit ex viris & pueris diapason confici, ἐκ παίδων γὰρ νέων & ἀνδρῶν γίνεται ἡ ἀντίφωνον, vbi particula ἀντὶ non significat contrarietatem, sed potiùs similitudinem, sicut & ἀντίθεος apud Homerum ἀντίθεος Vlysses diuinum, seu Deo similem Vlyssem designat.

Magadare quid?

Aristot.

ἀντὶ quid significat.

Illa verò similitudo tanta est, vt antiqui 7 fidibus canentes hypaten solùm relinquerent, & neten neruum octauum tollerent, quia

ipsa pars

hypate idem esse videretur, quod nete, cuius est antiphonum, seu eiusdem naturæ, imo nete in hypate cōtineri censetur, huius enim vltimæ octauę chordæ principalis dupla est. & cum sit remissior, faciliùs canitur: nec vltima chorda diapason aliud esse videtur, quàm primæ veluti repetitio, quæ

Arist. vltimam continet, inquit Arist. probl. 8, quia sese habet sicut graue respectu leuis, vel vt angulus obtusus ad acutum, grauis enim à maiori corpore oritur, quādoquidem vt se habent corpora sonantia, ita & ipsi soni, ea propter cum neruus ὑπάτη neruo νήτη sit duplo maior, eum bis continet, vnde τῇ διπλασίᾳ inquit Arist. probl. 12. δύο γὰρ ἐν τῇ ὑπάτῃ, hinc præterea concludit sonum deficientem acutiorem fieri probl. 11, quia cùm imbecillior fiat, ex consequenti fit acutior. Nolim autem præterire, quod probl. 21 aduertit errorem grauius canētium faciliùs deprehendi, quàm acutiùs cantantium, quia vox, seu neruus grauior plus temporis obtinet, ideoque maius spatium tribuit auribus, vt de illo iudicent, cùm tamen vox acutior minori tempore fiat, & ob suam velocitatem latitet, minus enim aëris intercipit, vt patet in minoribus arteriis, & organis: an verò difficilius sit acutâ voce, quàm graui canere, videatur Philosoph. probl. 37, & 47 in quibus sibi contrarius esse videtur.

Verùm de hac consonantia plura non addam, quædā iterum dicturus, vbi de modis agendū erit.

Diapente quid? Hanc διὰ πέντε sequitur, quę non in multiplici proportione consistit, vt præcedens, sed in superpar-

Diatessarō. ticulari, videlicet in sesquialtera, sicut διὰ τεσσάρων in sesquitertia.

Hæ sunt consonantiæ, quas Græci admiserunt

Euclides. σύμφωνα μὲν οὖν ἐστι, inquit Euclides, διὰ τεσσάρων, διὰ πέντε, διὰ πασῶν, καὶ τὰ ὅμοια, quæ similia longè postea sic enumerat, diapason, & diatessaron; diapason, & diapente, & disdiapason, quæ cum tribus primis numero senario comprehendit σύμφωνα δὲ ἐστιν ἐν τῷ ἀμεταβόλῳ συστήματι ἕξ, qui locus quia vniuscuiusque consonantiæ quantitatem, & in systemate locum aperit hîc apponendus est. Ἐλάχιστον μὲν τὸ διὰ τεσσάρων, τόνων δύο ἡμίσεως: οἷον ἐστὶ τὸ ἀπὸ ὑπάτης ὑπατῶν ἐπὶ ὑπάτην μέσων. δεύτερον δὲ τὸ διὰ πέντε, τόνων τριῶν ἡμίσεως: οἷον ἐστὶ τὸ ἀπὸ προσλαμβανομένου ἐπὶ ὑπάτην μέσων. τρίτον δὲ τὸ διὰ πασῶν, τόνων ἓξ: οἷον ἐστὶ τὸ ἀπὸ προσλαμβανομένου ἐπὶ μέσην. τέταρτον δὲ τὸ διὰ πασῶν καὶ διὰ τεσσάρων, τόνων ὀκτὼ ἡμίσεως, οἷον ἐστὶ τὸ ἀπὸ προσλαμβανομένου ἐπὶ νήτην συνημμένων, ἢ παρανήτην διεζευγμένων διάτονον. πέμπτον δὲ τὸ διὰ πασῶν καὶ διὰ πέντε, τόνων ἐννέα ἡμίσεως: οἷον ἐστὶ τὸ ἀπὸ προσλαμβανομένου ἐπὶ νήτην διεζευγμένων: ἕκτον δὲ, τὸ δὶς διὰ πασῶν, τόνων δώδεκα· οἷον ἐστὶ τὸ ἀπὸ προσλαμβανομένου ἐπὶ νήτην ὑπερβολαίων. Quæ cùm ex ipsis terminis constent, non est quòd latinè reddantur. Quod autem interualla reliqua dissona veteres existimarint, ex eodem probatur, διάφωνα δὲ τὰ ἐλάττονα τοῦ διὰ τεσσάρων, δίεσις, ἡμιτόνιον, τόνος, τριημιτόνιον, (cuius tamen Cleonides non meminit) δίτονον.

Consonantiæ Græcorum quot?

Ex quibus neotericos audire mihi videor, qui de maiori consonantiarum numero gloriētur, quandoquidem numero quaternario Pythagoræ non sunt contenti, sed vsque ad senarium progrediuntur, vt ditonum, & hemiditonum adijciant; vnde senarium numerum eligunt, quo omnes senorum permixtiones consonas explicent, & includant, vt

6 Neotericorum consonantiæ. hîc videre est 1.1.2.3.4.5.6. vbi 1. & 1. ὁμοφωνίαν refert, quæ cùm in æqua vnius ad vnum proportione colocetur, omnem consonantiam superat, eius enim termini neque superant, neque superantur. diapason inter 1. & 2. dupla proportione gaudet omnium multiplicium prima, atque adeo simplicissima, diapente inter 2. & 3. sesquialtera superparticularium nobilissima, & diatessaron in sesquitertia superparticularium secunda, ditonum inter 4. & 5 sesquiquarta, semiditonum denique inter 5, & 6 in sesquiquinta collocantur. Vbi vides illas consonantias à diapente hucusque omnes superparticulari proportione gaudere, adeout se inuicem proximè consequantur, etenim vox, seu neruus maior diapente continet vocem, vel neruum minorem semel totum, & eius præterea dimidium diatessaron totum, & partem tertiam, quæ post mediam partem est totius maxima; deinde ditonum continet totum, & eius quadrantem, semiditonum continet totum, & eius partem quintam, vt 6 consonātiæ in primis 6 proportionibus, sicut in primis sex numeris inueniantur, quibus senarium nostrum dierum creationis mundi exornare possis.

Verùm non est, quod neoterici nouas consonantias se habere credant, quibus veteres caruerint, licet enim fatear ditonum, & semiditonum inter consonantias adscribi posse, atque debere, quippequæ diapente eodem ferè modo diuidunt, quo diapente, & diatessaron diuidunt diapason, vt patet in proportione sesquialtera 2. 3, quam si duplicaueris, 4, & 6 prodibūt, inter quos 5 reperitur, qui est ad minorē sesquiquartus, & ad maiorē subsesquiquintus, attamen optimè Salinas l. 2. c. 11. Salinā. contendit has consonantias Ptolomæo non penitus incognitas fuisse, tum quia dixit tonum esse optimum dissonantium interuallorum, atque pulcherrimum, vnde sequi videtur alia interualla tono maiora, tametsi minora diatessaron; non esse dissonantia, hæc enim interualla meliora erunt optimo dissonantium, tono videlicet: igitur dissona non erunt, tum quia cap. 6 ait Pythagoræos illarum 3. consonantiarum electionem pro Ptolomęus. libito, id est, sine ratione facere, nec posse demonstrare, id minimè conuenire aliis sequentibus proportionibus οἷον ἐπὶ τεσσάρων καὶ τοῖς ὑπερμορίοις ... qualēs sunt sesquiquartæ, & sesquiquintæ, quæ cum superparticulares sint, sunt eiusdem speciei cum aliis: clariùs verò 7. capite consonantiis istis fauet, vbi postquam de 3 prædictis consonantiis locutus est, subiungit, *His quoque accommodantur, quæ sub sesquitertia sunt superparticulares rationes, &c.*

Verùm non est, quod in illis consonantiis apud Græcos astruendis laboremus, cùm certum sit eos ditonum, & semiditonum in cantilenis suis adhibuisse, alioquin diatonico genere vti non potuissent, in quo per tonos, ac proinde per ditona progredimur, siue ditonum inter consonantias posuerint, siue id ab earum numero eliminauerint. Enimuero satis fuit, si ditonum concinnum fuerit, vt eo vsi fuerint, neque enim illi, qui negant diatessaron esse consonantiam, ab eo, dum canunt, abhorrent

Illa verò interualla superparticularia diapason addita semper idem nomen retinent, hinc fit, vt ditonum cum diapason iunctum semper ditonum appellari possit, & diapente nomen suum retineat, quod hac tabella declarari poterit,

Conſonantiæ omnes.					
1	3	4	5	6	8
	10	11	12	13	15
	17	18	19	20	22

in qua vnitas ὁμοφωνίας, ſeu μονοτονίας, aut ſi mauis ἀντιφωνίας refert, 3, 10, 17, ditonum 4, 11, 18, diateſſaron: 5, 12, & 19 diapente: 6, 13, 20 Sextam, quæ nihil eſt aliud, quàm ditonum cum diateſſaron coniunctum: denique 8, 15, & 22 diapaſon duplicatum, & triplicatum exhibet.

Aliâ ratione perfectas conſonantias ab imperfectis ſeparatas referre poſſumus hoc modo.

Perfectæ.			
1	4	5	8
	11	12	15
	18	19	22

Imperfectæ.	
3	6
10	13
17	20

Ex quibus facilè colliges interualla diſſona, quæ Neoterici ſic enumerant.

Diſſonantiæ	
2	17
9	14
16	21.

Ita verò conſonantias delectationis ordine collocant, 22, 15, 8, 19, 12, 5, 18, 11, 4, 17, 10, 3, 20, 13, 6, perfectionis ordine 8, 15, 22, 5, 12, 19, 4, 11, 18, 3, 10, 17, 6, 13, 20: denique eas ſimpliciter enumerant, prout in primo omnium conſonantiarum diagrammate; verùm de his pauca hæc ſufficiant.

Has autem conſonantias, & diſſonantias à vocum vel neruorũ numero denominant, vt conſtat ex præcedentibus figuris, magis verò ex tabella ſequente, in qua omnia interualla tam diſſona, quàm concinna, & conſona præſertim ad diatonicum genus pertinentia cum numeris vniuſcuiuſque interualli proportionem explicantibus referemus. A minoribus autem interuallis incipio.

Comma ——— 81. 80 eſt exceſſus toni maioris ſuper minorem.
Semitonum minus ——— 25. 24. exceſſus quo ditonum ſuperat ſemiditonum.
Semitonium maius ——— 16. 15. exceſſus quo diateſſaron ſuperat ditonum.
Semitonium medium. ——— 128. 135. quod ſupereſt Semitonio maiori ex tono maiori ſublato.
Apotome maior ——— 125. 128. interuallum inter Semitonium minus, & medium.
Apotome minor ——— 2025. 2048. interuallum inter Semitonium maius, & medium.
Tonus minor ——— 10. 9. exceſſus quo diateſſaron ſuperat ſemiditonum.
Tonus maior ——— 8 9. exceſſus quo diapente ſuperat diateſſaron.

Hactenus de minimis interuallis, quæ diſſona vulgò nuncupantur, & quæ concinna, ſeu ἐμμελῆ dicuntur, ſi cõſonantiis ſeruiant; ἐκμελῆ verò & inconcinna, ſi eas non ingrediantur: ſequuntur conſonantiæ, tam imperfectæ, quàm perfectæ cum ſuis proportionibus, atque numeris.

Semiditonum, ſeu tertia minor ——— 6. 5. componitur ex proportione ſeſquioctaua, & ſeſquidecimaquinta, ex quibus ſeſquiquinta reſultat, & tono maiori, & ſemitonio conſtat.
Ditonum, ſeu tertia maior ——— 5. 4 fit ex tono maiori, & minori.
Diateſſaron, ſeu quarta ——— 4 - 3. fit ex tono maiori, & minori, & hemitonio maiore, cui 2 interualla inter quartam, & quintam licet diſſona iungemus, itaque
Tritonum 45 - 32 fit ex 3 tonis.
Semidiapente, ſeu ſeſquiquinta ——— 64 - 45 fit ex 2 tonis & 2 ſemitoniis.
Diapente, ſeu quinta ——— 3 - 2. fit ex 2 tonis maioribus, vno minori, & Semitonio maiore.
Hexachordum maius, ſeu ſexta maior ——— 5 - 3 fit ex 2 tonis maioribus, 2 minoribus, & Semitonio maiore.
Hexachordum minus, ſeu ſexta minor ——— 8 - 5 fit ex 2 tonis maioribus, vno minore, & 2 ſemitoniis maioribus; iam duo interualla diſſona ſequuntur, nempe
Septima minor ——— 9 - 5 conſtat ex 4 tonis, & 2 ſemitoniis.
Septima maior ——— 15 - 8. ex 5 tonis, & hemitonio.
Diapaſon, ſeu octaua ——— 2 - 1 ex 3 tonis maioribus, duobus minoribus, & 2 ſemitoniis maioribus, cuius
Diſdiapaſon duplum eſt ——— 4 - 1, & conſtat 6 tonis maioribus, 4 minoribus, & 4 ſemitoniis maioribus. Omitto reliquas conſonantias duplicatas, quandoquidem cum ſimplicibus coincidunt.

Pulchra & ſubtilis diuiſio conſonantiarũ.

Illud autem in conſonantiarum diuiſionibus obſeruandum eſt, quod ſicut diapaſon in diapente, & diateſſaron diuiditur, itaut hæ 2 partes tono inter ſe diſtent, ita ſequentes in ſua membra partiantur, hexachordum maius in duo ditona, quæ ſunt conſonantiæ diateſſaron immediatè ſequentes, & in ſemitonium maius, quo diſtant inter ſe. Diapente diuiditur in 2 ſemiditona, quæ ditonum immediatè ſequuntur, & in ſemitonium minus, quod etiam maius ſemitonium conſequitur. Hexachordum minus ſimiliter in 2 ſemiditona ſecatur, ſed quæ tono minori diſtent. Ditonum in 2 tonos minores, & comma. Tonus in 2 ſemitonia minora, & dieſim, qua ſemitonium maius minus ſuperat ex Salinæ ſententia, qui rectè obſeruat ex nullius conſonantiæ duplicatione, præterquam ex diapaſon, conſonum interuallum oriri, ſed aliud quodpiam verâ conſonantiâ minus aut maius eſſe: eodem modo, quæ naſcuntur ex minorum interuallorum duplicatione ſunt inconcinna: enimuero 2 commata dieſim, 2 dieſes ſemitonium minus, 2 ſemitonia minora ſemitonium maius, 2 ſemitonia

semitonia maiora tonum maiorem, 2 toni maiores ditonum commate superant, quo 2 toni minores ab eodem ditono deficiunt: Rursus 2 semiditona diatessaron semitonio maiore, & commate, 2 ditona diapente semitonio minore, 2 diatessaron hexachordum maius semitonio maiori, denique 2 diapente diapason tono maiori superant, adeout solum diapason duplicatum disdiapason efficiat.

Quid prôsius interualla concinna dissona.

Diesis verò minimum est interuallum, quæ cum altero coniuncta, harmonicum interuallum maius procreat, ex ea siquidem, & semitonio minori fit maius semitonium; ex semitonio maiori, atque minori tonus minor, ex quo, & commate fit maior, vt ex 3 minoribus interuallis concinnis tria maiora componantur, sicut ex tono maiori, & maiori semitonio hemiditonum minima consonantiarum; ex tono maiori, & minori ditonũ, ex quo, & semitonio maiori, vel quod idem est, ex semiditono, & tono minori diatessaron: ex quo, & tono maiore, vel ditono, & semiditono diapente; ex eodem diatessaron, & semiditono hexachordũ min⁹ & ex diatessaron, & ditono maius, ex diatessaron, & diapente diapason, ex diapente, & hexachordo minori decima minor, vt maior ex diapente, & hexachordo maiore, ex 2 hexachordis maiori, videlicet & minori diapason, & diatessaron.

Variæ coniecturę cur soni vim habeant.

In quibus nolo diutiùs immorari, quandoquidem hæc omnia, vt accuratè discutiantur, integrũ volumen requirunt, & dicta sufficiunt, vt musicæ vires aperiamus: Iuuabit tamen si notauerimus sonum aliquam angulorum geometricorum proportionem obseruare, & aliorum sensibilium in-
1. star gaudio, vel tristitiâ afficere; hinc fit vt sonus grauior obtuso angulo, sicut acutior acuto comparetur, quemadmodum enim obiecta visibilia per angulos ita recipiuntur in oculo vel, (quod idem est) intentionales species in oculum emittunt, vt cum in neruo visorio, vel in alia parte angulum obtusum efficiunt, ingrata sint, & oculum lædant, & cùm acutiorem angulum producunt, visiua potentia nimis intendi, & vehementiùs quàm par sit, attendere debeat, si verò mediocrem angulum procreent, oculus recreatur, atque perficitur, ita cum sonus est grauior, aut acutior, displicet, quia debitam cum auribus proportionem non habet. Vnde non sine ratione conicere possumus sonos ingratos imaginationem, vel spiritus eidem inseruientes nimium constringere, vel dilatare, quæ postea dolorem suum reliquis partibus communicet.

2. Quid si cum voce quosdam aëreos spiritus è pulmone exilire dixerimus, qui vsque ad imaginationem audientis penetrantes eam iuxta cantoris intentionem moueant? sed motus non semper iuxta
3. musici voluntatem sequitur. Quid si mundi anima concedatur, quæ omnia informet, sitque forma Scotica corporea? nunquid vbi sonum percipiet in vno loco, mouebitur in alio? Verùm præterquam quod illam animam fictitiam existimo, æquè mouerẽtur absentes, ac præsentes, etenim si vnica sit, æquè percipiet sonum hîc, quàm alibi, nisi fingamus eam pro variis locis, & corporibus diuersimodè se habere; vel eandem hunc musicum excitare, vt illum potiùs, quàm alium auditorem moueat; quæ omnia gratis afferri mihi videntur.

4. Nunquid igitur dicendum est sonum in ipsos spiritus tam animales, quàm vitales agere, itaut illi spiritus ad aëris sonum producentis agitationem commouentur, & rythmos pulsatiles cum varia 5.
thesi, & arsi constituant, vt Herophilum censuisse conicimus, prout aëris sonoræ percussiones variæ fuerint? Quid si restituamus atomos, quos ex minutissimis spiritus corporeis, seu particulis vigentibus conflari dicamus? itaut voces, & soni certam in se multitudinem atomorum contineant, quæ, dum illam figuram, aut corpus efformant, cui figuræ atomorum in auribus, vel imaginatione existẽtium correspondent, placeant; displiceant verò cũ minimè cõgruunt: at sine atomis idem per figuras geometricas, quas omnes actiones corporeæ imitari videntur, exponere possumus, quippe quæ secũ congruunt, vel inter se discrepant. Certè mirum non est si prompta ratio non occurrat, cur, & quomodo soni tam varios effectus in nobis edant, cùm in singulis sensibus eadem difficultas occurrat; quis enim scire potest, & vera demonstratione ostendere, cur vnus color sit oculis gratior, cur puerorum pulchritudo tantopere placeat, quomodo tactus sensatio fiat, & alia sexcenta, quæ tacco. Adde, quod peculiaris difficultas in sono reperitur, quippe qui non videtur, sed rerum spiritualium instar oculos fugit, ita tamen vt audito sono statim locum inferamus, à quo vox illa procedit, vt sicut rerum visibilium species suam quodammodo distantiam ab oculo declarant, ita & soni corporum sonantium absentiam auri manifestent. Sanè magnam inter aures, oculos, sonos, & colores similitudinem deprehendere possumus, adeout non sit desperandum, quin arte aliquâ nouâ auditum iuuare possimus, sicut oculum, cuius vires augere videmur, dum illarum dioptrarum beneficio, quas sæculum præcedẽs in lucem, & vsum protulit, obiecta propiora facimus, licet idem omnino fieri nõ possit in voce, quia nec sonus, nec eius species permanent, sed continuo fluxu pereunt; at rerum visibilium colores, lux, & species eodem modo sese habent, quando neque oculus, neque obiectum, neque lux, & medium immutantur, quæ omnia tametsi locum mutent, attamen species intentionales perseuerant. Hinc fit, vt egregiè decipiatur, qui artem ἀκουστικὴν dioptricæ æqualem inueniri posse credunt, & penitus hallucinentur, qui vocẽ aliquo calamo, vel foramine ita concludi posse arbitrãtur, vt in eo bene obturato sonus aliquandiu conseruari possit: viderint, qui speculis cõcauis ad voces absentes audiendas vtũtur, & iisdem echo producũt, num aliquid subtilius in auditus fauorem perfici queat. His tamen omissis, quia de sonis iterũ sermo redibit, & hic articulus nimiũ crescere videtur, definam vbi tabellam apposuero, qua Salinas vtitur, vt sciamus quibus vsibus interualla minora concinna inseruiant, videlicet tonus maior, & minor semitonium maius, & minus, diesis, & comma; idque numeris adscriptis, qui singula interualla, & consonantias ad quas illorum beneficio transimus, clarè denotabunt.

Comparatio sonorũ, & colorũ.

Ars ἀκουστικὴ quid?

Itaque litteræ A B denotabunt interuallum dissonum, quod tamen est concinnum: C, D, referet illa, cum quibus prædicta iuuant, A D consonantias ostendet, à quibus fit transitus: B C consonantias assignabit, ad quas fit transitus, adeout progrediamur ab A D per A B, & D C, ad B C, quæ sequenti diagrammate vnico intuitu capies.

			A. D.	B. C.	A. B. C. D.
A. B. Tonus maior II. modis prodeſt.	Per ſe vno modo, vt tranſeas		à Diapente	ad Diateſſaron	9. 8. 6. 6.
	Cum aliis 10, cum	C. D. Semitonio maiori 4.	à Semiditono	ad Vniſonantiam	18. 16. 16. 15.
			à Diapente	ad Ditonum	32. 36. 45. 48.
			ab Hexachordo maiori	ad Diateſſaron	72. 64. 48. 45.
			à Diapaſon	ad Hexachordum maius	8. 9. 15. 16.
		Tono minori 4,	à Ditono	ad Vniſonantiam	8. 9. 9. 10.
			à Diapente	ad Semiditonum	40. 45. 54. 60.
			ab Hexachordo maiori	ad Diateſſaron.	45. 40. 30. 27.
			à Diapaſon	ad Hexachordum minus	90. 80, 50. 45.
		Diateſſarō 2.	à Diapente	ad Vniſonantiam	8. 9. 9. 12.
			à Diapaſon	ad Diateſſaron	8. 9. 12. 16.
A. B. Tonus minor 14.	Per ſe duobus modis		à Diateſſaron	ad Semiditonum	9. 10. 12. 12.
			ab Hexachordo maiori	ad Diapente	10. 9. 6. 6.
	Cum aliis 12,	Commate 1,	à Diapente	ad Diateſſaron	54. 60. 80. 81.
		Tono maiori 4.	ijſdem, quibus suprà tonus maior cum ipſo.		
		Semiditono 4,	à Diateſſaron	ad Vniſonantiam	9. 10. 10. 12.
			ab Hexachordo maiori	ad Semiditonum	40. 36. 30. 25.
			ab Hexachordo maiori	ad Ditonum	18. 20. 25. 30.
			à Diapaſon	ad Diapente	10. 9. 6. 5.
		Ditono 1,	ab Hexachordo maiori	ad Semiditonum	9. 10. 12. 15.
		Diapente 2,	ab Hexachordo maiori	ad Vniſonantiam	10. 9. 9. 6.
			à Diapaſon	ad Semiditonum	9. 10. 12. 18.
Semitonium maius 13,	Per ſe duobus modis		à Diateſſaron	ad Ditonum	16. 15. 12. 12.
			ab Hexachordo minori	ad Diapente	16. 15. 10. 10.
	Cum alijs 11, cum	Semitonio minore 2,	à Diateſſaron	ad Semiditonum	32. 30. 25. 24.
			ab Hexachordo minori	ad Diapente	15. 16. 24. 25.
		Tono maiori 4	de quibus ſuprà dictum eſt.		
		Semiditono 1,	ab Hexachordo minori	ad Ditonum	15. 16. 20. 24.
		Ditono 3,	ab Hexachordo minori	ad Semiditonum	75. 80. 96. 120.
			à Diapaſon	ad Diapente	15. 16. 24. 30.
		Diapente 1,	à Diapaſon	ad Ditonum	15. 16. 20. 30.
Semitonium minus 13,	Per ſe duobus modis,		à Ditono	ad Semiditonum	25. 24. 20. 20.
			ab Hexachordo maiori	ad Hexachordum minus	25. 24. 15. 15.
	Cum alijs 11, cum	Dieſi 2,	ab Hexachordo minori	ad Diapente	200. 192. 128. 125.
			à Diateſſaron	ad Ditonum	128. 125. 100. 96.
		Semitonio maiori duobus,	vt ſuprà dictũ	eſt in Semitonio maiori.	
		Semiditono 4.	à Ditono	ad Vniſonantiam	25. 24. 24. 20.
			à Diapente	ad Semiditonum	36. 30. 25. 24.
			ab Hexachordo minori	ad Diateſſaron	25. 24. 18. 15.
			à Diapaſon	ad Hexachordum minus	24. 25. 40. 48.
		Diateſſaron 1,	ab Hexachordo maiori	ad Semiditonum	24. 25. 30. 40.
		Hexachordo minori 2,	ab Hexachordo maiori	ad Vniſonantiam	24. 25. 25. 40.
			à Diapaſon	ad Ditonum	24. 25. 30. 48.
Dieſis 3.	Per ſe non prodeſt, cum non ſit exceſſus conſonantiarum.				
	Cum alijs 3, cum	Semitonio minori, vt ſuprà duobus modis,			
		Ditono 1,	ab Hexac. minori	ad Ditonum	128. 125. 100. 80.
Comma tantum,	Cum tono minori vno modo vt ſuprà in tono minori.				

His

His præmissis manifestum est omnes consonantias, imo & dissonantias aliqua proportione constare, adeout nobis superesse videatur, vt discutiamus, quænam sint illæ proportiones, in quibus vis musicæ nostros affectus commouens lateat, & quid nostris musicis desit, quominus ea præstent, quæ veteres fecisse dicuntur. Nunc verò antequam alia prosequamur, accuratè discutiamus, cur consonantiæ vim in animos exerceant, & cur vna magis quàm alia excitet, atque placeat, quod nouo facimus articulo, ne hic secundus longior esse videatur, deinde cætera producemus, quæ ad pristinas musicæ vires suscitandas, & in integrum restituendas nobis videbuntur.

ARTICVLVS III.

QVARE CONSONANTIÆ MVSICÆ VIM in animum exerceant, & cur vna consonantia gratior sit, quàm alia.

PVlcherrimus quidem sed longè difficillimus est hic articulus, enimuero quisque fatetur consonantiis animum nostrum variè commoueri, sicut & solem, & planetas atque stellas quotidie moueri, & alia plurima fieri, sed qua ratione fiant vel pauci, vel nulli sciunt, atque adeò strenuè hîc laborandum est. Non quæro iam num verba, nomina, seu voces, quibus sine musica vtimur, vim aliquam habeant, de his enim fusè alibi dicemus, atque nunc sufficit, si obseruemus falsum esse, quod Agrippa lib. 1. de magia cap. 70 è magorum schola refert, videlicet nomina esse quosdam radios ipsarum rerum, & in iis rerum significatarum essentiam dominari, atque discerni, & nomina iuxta cœlorum influentias tam à Deo, quàm ab Adamo imposita, adeout Apollonius aliquo occulto pronuntiato puellam à morte reuocarit &c. quibus omissis, vt potè stultissimis, ad difficultatem accedo, maximè cùm hîc non de nominibus, sed consonantiis tantùm sermonem habeamus; postea enim disquiremus, quantam vim ipsa verba musicæ iuncta habeant. Possumus autem viâ triplici discutere, vnde vim illam consonantiæ habeant, primò per numeros, quibus soni musici subiici videntur, secundò iuxta figuras geometricas, & earum proportiones, 3 per altissimas causas, si physica transcendamus. Fortassis etiam aspectus signorum, & planetarum annumerari possent. Iuuat autem à supremis incipere, & tentare num in ipsa metaphysica quidpiam nobis suggerere possit.

Agrippa.

Et quidem omnes fatentur totius mundi indiuidua certum inter se consortiũ, & occultam, imo & apertam amicitiam habere, quam licet sympathiam appellent, sicut & eorum odia mutua dixerunt antipathias, certum est tamen hæc omnia contingere ob conuenientiam, & proportionem, vel discrasiam, quæ ad quantitatem, vel qualitatem spectare videntur, quibus solis cuiuslibet rei substantia nostris sensibus peruia sunt, eapropter illa proportio altiùs inuestiganda.

3 Voces animalis naturales

Præterea solis tribus vocis speciebus animantia naturaliter prædita esse videntur, vt alimentum sibi necessarium quærant, & amoris, atque doloris pathemata exprimãt. Vbi vocis nomine quemlibet animalem sonum intellige, quo animalia passiones suas explicãt, sic enim gemitus dolorem, & risus profusus lætitiam ostendit. Passionum exprimendarum vim, & industriam in homine rationem appellare licet, quæ prout interior fuerit, cogitatio, vel intellectus, vt est exterior, & sese foris communicat, discursiua, vel enuntians appellari valeat, quæ pluribus verbis ex hominum instituto depromptis ipsius mentis conceptus refert, & latiùs circa communes vsus, non tamen in prædictis passionibus exprimendis extenditur, enimuero 3 illæ animalium voces omnibus hominibus communes faciliùs, & pluribus in locis cognoscuntur, atque adeò magis afficiunt, vt ex Aristot. probl. sect. 19. probl. 5, & 41 confirmare possumus, qui licet quæsiuisset, cur suauiùs cantilenam, quam nouimus, audire soleamus, quàm eam, quam ignoramus, quod iam minimè discutimus, attamen in præsenti illius rationibus vti nihil vetat; igitur voces animales omnibus cognitæ magis afficiunt, quia scopus, ad quem collimant, manifestior est, atque adeò contemplatu suauior, videmus enim quid requirat, vel significet animal. Hinc fit, vt illas voces non addiscamus, sed illis potiùs vtamur quandoquidem nobis familiares sunt, & naturaliter inditæ, ac propterea sensibus nostris congruæ, & secundum quantitatem, atque qualitatem facultatibus animæ sensitiuæ accommodatæ.

Duplex ratio.

Aristot.

Itaque videndum est quam habeant consonantiæ proportionem cum auribus, vt illis tantopere delectemur, & quidnam sit numerus, pondus, & mensura tam in sonis, quàm in auribus, vel anima prout sonis delectatur, vel iisdem auditis tristitia corripitur, sunt enim soni quidam adeò molesti, & inconcinni, vt eorum sono dentes ipsi stridere videantur. Quibus positis vtinam metaphysica suggereret, vnde vim istam habeant consonantiæ, de quibus agimus: an quia præclarus sonorum ordo mentis æternæ mirabilem ordinem refert, quo seipsam intelligit, & illum sonum, sermonem, aut potiùs verbum audit, quod ab ęterno in sinu Patris æterni dicitur? Verùm nullam rationem hinc accipies, quàm coloribus æquè ac sonis applicare non valeam, cùm in mente diuina rerum omnium ideę reluceant, & omnia repræsentent.

Non est quod essentiam, existentiam, & subsistentiam sonorum, & aurium, vel etiam animæ simul conferam, nam alij sensus, & alia obiecta illis minimè destituuntur. Eapropter non video, quid ex metaphysica in consonantiarum gratiam depromere possimus, nisi fortè dixeris illarum vim oriri ex proportione harmoniæ cum

anima, quæ cùm vnam consonantiam sibi magis conuenientem, quàm aliam percipit, maiori gaudio afficiatur. Sic enim aliqui volunt naturæ vim, & vnitatem in quibuslibet rebus per rationem explicari, quæ vel sonora est, vel muta, sonora per voces, muta per amorem, & inclinationem, ita vt ambæ illæ rationes in numero, atque mensura producantur. Per rationem naturalem aliquam causarum concordiam, ac veluti concatenationem, & coagmentationem intelligunt, quibus actiones rectæ producantur, iuxta quam concordiam spiritus vniuersalis, seu ratio, & anima mundi, quam Hebræi mitraton, seu facierum, atq; formarum principem appellant, de qua Virgil.

Anima mūdi Virgil

Spiritus intus alit, totámque infusa per artus
Mens agitat molem, &c.

Totum mundum regat, quæ cùm per ternarium, videlicet potentiam, voluntatem & effectum sese explicet, omnia procreet, quæ ab illo ternario dependent, quæque ipsius triadis imaginem præ se ferant, sic enim homo formatur ex corpore, spiritu, & anima; hæc verò intellectu, voluntate, & memoriâ constat, spiritus est triplex naturalis, vitalis, & animalis: corpus ipsum trinam habet dimensionem; in circulo centrum, diameter, & circunferentia, & (vt in præsenti ternarios propemodum infinitos omittam) 3. sunt antiquorum consonantiæ diapason, diapente, & diatessaron.

Ternarius in quibus sit?

Addunt è rationis exire limitibus, quidquid istum numerum superat, siue simplex illud, siue compositum fuerit, hincque odium, discordiam, inter animantia nasci, inter vegetantia, & mineralia antipathiam, corporum dissolutionem, & in musica dissonantiam. Vnde concludendum esse videretur præter illas 3. consonantias nullam aliam esse, quod maximè Pythagoricis faueret. Rursus vnam consonantiam aliâ gratiorem aiunt, quia in rebus quibuscunque numero & mensurâ constantibus alia præcedunt, alia verò postponuntur, alia agunt, patiuntur alia, & alia sunt, quæ producantur, alia quæ producant; idemque contingit in partibus totum aliquod constituentibus, sic enim anima tribus expressa facultatibus priùs intellectum habere concipitur, & ideo præstantior esse censetur, & aliqua ratione voluntatem, atque memoriam producere videtur; Eodem modo spiritus animalis vitali, & animali excellentior eos comprehendit: punctum diametro, & circunferentiæ leges præscribit, & diapason anteponitur diapente, & diatessaron, quæ continet, & animæ, atque intellectui correspondet.

Vna consonantia c̄ r aliâ gratior.

Quibus, credo, significare volunt diapason maiorem vnitatem seruare, quàm alias consonantias, quod quidem verum est, eapropter τὸ ἀντίφωνον ab Aristot. per excellentiam sect. 19. probl. 39. & alibi symphonia dicitur, & à nostris æquisonantia, quia νήτη illius eandem cum ὑπάτῃ virtutem, eundemque sonum habere videtur, vt patet ex pueris qui cùm neten canunt, hypaten cantare putant, ἐν μέσῳ γὰρ τὴν ὑπάτην ἀνδρῶν γίνεται τὸ ἀντίφωνον. Sed ὁμοφωνία, seu vnisonantia cùm puncto, & per consequens centro, animæ, & intellectui correspondeat, cur non est gratior diapason? an quia nondum sese explicat? an quia nondum in numero, & mensura consistit, donec exeat in primum actum per diapason. Iam verò sicut ab intellectu, atque voluntate memoria progignitur, quæ eadem est cum illis, ita diapason procedere volunt, vel internum effectum, quem cum memoria vnum esse aiunt, diapason respondere putant; eodem modo diatessaron comparant cum 3. facultatibus spiritus, quæ sensum, vt quartum terminum generant. denique ex 4. corporis elementis temperiem resultantem diapente conferunt, vt sicut anima spiritum, & spiritus 3 facultates in se concludit, ita & diapason vt pote simplicius, & vniuersalius cæteras consonantias comprehendat. Ideóque sicut 3 animalium voces, de quibus antea, sunt magis simplices, & vniuersales, cùm absque scientia probè intelligantur, & lachrymæ dolorem, risus autem lætitiam satis, superque prodant, & efficaciùs animum commouent, ita diapason cæteris simplicius, & animæ conueniens eam suauiùs excitat, ac si eam immediatè, reliquæ verò consonantiæ mediante spiritu, vel temperamento afficerent, adeout lætitia eò minor sit, quo plura inter consonantiam, & animam intercedunt, & consonantiæ imperfectiores imperfectiori corporis temperamento congruant. Hac ratione volunt antiquos animum quò vellent, variis consonantiis impulisse, & etiamnum soni, & voces, atque dissonantiæ nonnunquam occurrunt, quibus auditis pallorem contrahimus, capilli eriguntur, & fremitus, atque stridor dentium licet inuitis contingit.

Aristot. probl 16. idē habet.

Ex illa ratione regulam in arte, & amicitiam in societate, & obsequium serui, & imperium domini procedere aiunt, è quibus si quis exierit, eum ordinis inimicum asserunt; & quemadmodum ea, quæ vel ad effectum, vel ad conuentionem attinent, ad naturam referuntur, ita omnes consonantias ad diapason referunt, quæ cum naturæ, & rationi veluti centro suo vicinior sit, animam suauiùs afficit, quia ratio diapason, vt pote generalius, magis spirituale, simplex, & ad vniuersalem mundi spiritum magis accedens faciliùs cognoscit, & vt sibi similius maiori affectu prosequitur, deinceps verò cæteras consonantias iuxta ordinem, quem inter se obtinent. ita ferè vir doctus. Verùm non video quomodo solidè rationem à mente diuina, quam Pythagoricos per animam mundi intellexisse puto, deducere valeamus, quicquid enim in rerum natura viget, quicquid existit, illi ternario respondere poterit, qui in illo spiritu vniuersali assignatur, vt iam ex illa anima eiusque facultatibus intellectu, voluntate, & memoria nihil efficaciter concludi possit, quanquam non sunt negligendæ 3 illæ voces animalium, de quibus antea, & iterum infrà dicemus. Si quis tamen veram virtutis consonantiarum rationem è profunda diuinitatis abysso haurire possit, per me licet, nunc enim illa omnia, sicut & Rabinorum mitratton, & Pythagoræorum ignem, quem Διὸς ϕυλακὴν appellabant, in præsenti omitto, sicut & Fludi formales, materiales, atque mundanas pyramides, & consonantias, cùm illa omnia ratione carere, & potiùs ad honestum otium, & delectationem, quàm ad veritatem excogitata fuisse videantur, vt iam Keplero assentiar, qui musicam mundanam Fludi symbolismos poëticos, & oratorios, minimè verò philosophicos, aut mathematicos esse ait, alioquin Robertus ille plurima falsa comminisceretur, vt satis ostendit Kepl. in appendice ad 5 librum harmonicorum suorum, quicquid de fluctibus in defendenda

Kepler.

denda sua harmonia impotens armiger in discursu analytico ad appendicem Kepplerian. tex. 14, & alus textibus reclamet. Et quidem miror, quomodo Keplerus in apologia sua appendicis Harmon. tam frigidè Roberto respondeat, fortassis verebatur hæreticus hæretico succensere, iterum Fludus respondit, sed eius responsio nondum ad me peruenit, viderint eam, quibus otium suppetit, eam nenias proferre audio; tantùm aduertam illos authores, qui doctrinæ reconditoris arcana habere se credunt, vel potiùs fingunt, non audere clariùs loqui, nec posse vel vnâ ratione, atque demonstratione sua astruere, quod nisi fecerint, sua sibi nugamenta retineant, nec enim in eorum tricis discutiendis tempus conterere velim. His ergo nugis Hermeticorum omissis ad rationes geometricas accedo.

Qui solis numeris abstractis minimè contenti sunt, interuallorum consonorum terminos quantitates continuas statuunt, adeout termini consonorum interuallorum scibiles, dissonorum verò scibiles esse asserant, quod mens archetypa animos ita conformarit, vt illis potiùs, quàm aliis interuallis delectarentur, ita Kepl. l. 1. qui his axiomatibus vtitur, diametrum circuli, & latera figurarum radicalium propriam demonstrationem habentium determinare partem circuli cum toto circulo consonantem, vnde concludit consonantias infinitas esse, quia figuræ demonstrabiles infinitæ sunt: latera figurarum regularium indemonstrabilia determinare partem circuli dissonantem à toto circulo, figuras cognatis demonstrationibus gaudentes cognatas harmonias parere: ex quibus concludit circuli diuisi proportionem cum toto circulo esse consonantiam in primo gradu simplicem, quia nascitur ex diuisione facta per diametrum, quæ simplicissima lege describitur, ad quam propterea reliquarum figurarum latera notionis, atque demonstrationis causa comparantur, imperfectiùs demonstrantur, & difficiliùs describuntur; insuper diametro tam circumferentia quàm area circuli in 2. partes æquales diuiditur, cæteris autem figuris tametsi circulus in partes multas æquales diuidi possit, aream tamen nunquam in partes æquales secabunt, quandoquidem area figuræ semper maior erit quolibet segmentorum. Vult etiam concinna interualla nasci ex consonis, & per eos definiri, sicut apotomæ, seu lineæ ineffabiles, vel irrationalis, quæ sunt ad rationales potentiâ, definiuntur substractione lineæ effabilis.

Kepler.

Verùm neque Geometria rationem genuinam attingere videtur, cur vna consonantia reliquis anteponenda sit, tametsi Kepl. ad metaphysicam recurrat, dum ait Geometriam Deo coæternam esse, enimuero reliquæ scientiæ, cùm sint æternæ veritatis, non minus erunt coæternæ, quatenus per ideas, quæ sunt ipsamet vnica simplicissima Dei cognitio, repræsentantur. Adde quod Geometria non contemplatur qualitates, qualis est sonus musicæ subiectum, sed tantum quantitatem, idque continuam; eapropter licet Deus in omnium rerum creatione mensuram, & pondus obseruauerit, & res singulæ illâ proportione gaudeant, quam Deus illis indidit, siue id nudâ speculatione, siue sensibus mediis, siue per occultum instinctum deprehendatur, attamen consonantiarum præstantia, & virtus minimè sumi debet ex quantitate continua geometrica, cùm actiua non sit, & forsitan quantitate discretâ sit posterior, nec quidquam affert, quod numeris conuenire non possit, cur enim proportio medij circuli cum toto circulo cõstituit duplũ interuallum, & diapason, nisi quia se habet vt 1. ad 2.

Scio quidem aliquam esse mentis energiam, & facultatem, qua varias harmoniarum proportiones distinguit, & paradigmata rerũ mathematicarum menti inesse νοικῶς, & si vis loqui cum Proclo, & Pythagoricis, in anima ζωτικῶς, quatenus anima est capax scientiarum, & cùm eas addiscit, velut à somno excitari videtur, sed quòd sensus, & animus noster his, aut illis sonis delectetur, & vno magis, quàm alio afficiatur, quod ei hæc proportio, aut figura magis, quàm alia placeat, non magis sequitur ex eo, quod Geometria Deo coæterna supponatur, & sit menti hominum velut impressa, quàm quod hic color, aut hoc lumen, hic odor, aut sapor alio magis tam sensui, quàm animo placeat, horum enim non minus ideæ Deo coæternæ sunt, quàm sonorum ideæ, neque colorum, aut saporum, cæterorumque sensibilium cognitio minus est impressa animæ, quàm figuræ circularis, & aliarum. Eapropter quicquid de Zodiaci, & totius cœli cum terra configurationibus, ac de anima mundi, & terræ cœlestes angulos animaduertente, & harmonicos aspectus instinctu mirabili deprehendente asserat, non mihi satisfacit, & ad summum pro quibusdam oratoriis symbolismis, vt ipse de Fludo sensit, ea sumi velim, qua ratione bassum ♄, & ♃, tenorem ♂, discantũ ☿, ♀, & telluri altum tribuit, & per me licet, vt nostri musici totius mundani temporis perpetuitatem artificiosâ vocum symphoniâ referant, quanquam ille fateri cogitur in periodicis planetarum temporibus nullas esse proportiones harmonicas, vt patet ex hoc diagrammate, in quo tempus declaratur, quo planetæ mouentur.

	Annui motus.		*Diurni motus.*		
♄	18769 diebus, scrupulis diei	12	2. Minutorum secun,	0 tert.	27.
♃	4332. dieb. scrup.	37	4.	59.	8.
♂	686	59	31.	26.	31.
Terra, & ☾	365	15	59.	8.	11.
♀	224	42	96.	7.	39.
☿	87	58	245.	32.	25.

Scio non esse opus accuratam esse planetarum tam in mutua inter se, & cum tellure distantiam, quàm in motibus, & magnitudinibus diametrorum, superficiei, & corporum, vt musica eorum œconomiam repræsentet, quod tamen vtinam adamussim fieri posset, vt per voces, & instrumenta commercium aliquod cum cœlestibus haberemus. Fortè cogitabat illud Kepl. cùm l. 4. epi-

tom. aſtronom. dixit ♄ eſſe duplo altiorem Ioue, ſeſquiplo ponderoſiorem, & ſeſquiplo rariorem, atque adeò ♄ eſſe duplo altiorem, quam ponderoſiorem, & ampliorem duplo quàm rariorem; omnium verò planetarum denſitates ita profert, vt ſol ſit mundi totius corpus denſiſſimum, & ſeſe habeat, vt 1800, vel 1900, cui aurum tribuunt:

♄	vt	324
♃		438
♂		810
●		100
♀		1175
☿		1605

Facilè eſt autem omnes conſonantias inuenire in planetis, atq; ſtellis, ſi variæ partes cælorum, in quibus cernuntur, accipiantur, etenim vniſonantia erit inter arcus æquales, tertia mollis inter arcus hanc inter ſe proportionē habentes, quam 6 ad 5, tertiam duram inter 5, & 4, diateſſaron inter 4, & 3, diapente, inter 3. & 2, ſextam mollem inter 8, & 5, ſextam duram inter 5, & 3 & diapaſon inter 2, & 1, vt 6 libro notat, in quo Saturni motibus tertiam duram, Ioui mollem, Martis quã proximè diapente, Mercurij diapaſon cum tertia molli ferè, lunæ diateſſaron, cum ad terram refertur, terræ ſemitonium, Veneri comma tribuit; vel ſi contemplaris planetas binos inter ſe proximos cũ motibus eorum diuergentibus, & cõuergentibus, Saturno quaſcunque harmonias accommodat, quę ſunt à diapente epidiapaſon vſq; ad diapaſon ſimplex, Ioui, & Marti omnes à triſdiapaſon vſque ad compoſitam ex diſdiapaſon, & tertia minore Marti, & telluri omnes à compoſita ex diapaſon, & tertia minore vſque ad Diapente, Telluri, & Veneri ſextam maiorem, & minorem, quarum eadem ſit differentia, quæ cantus duri, & mollis, vt penes 2 iſtos planetas generum harmonicorũ diſtinctio ſtatuatur; denique ♀, & ☿ ſingulas à diſdiapaſon vſque ad ſextam maiorem.

Quæ omnia nunc minimè diſcutio, ne limites quæſtionis egrediar; & ſatis alioquin conſtat ea veriora eſſe non poſſe, quàm aſtronomorum quorundam opinionem; tametſi enim Copernicani velint diſtantiam ♄ eſſe paulò minorem decuplã telluris à ſole, ♃ quintuplam, ♂ ſeſquiplam, ♀ ſubſeſquitertiam, & Mercurij ſubtriplam, alij etiã inſignes Aſtronomi aliter ſentiunt. Muſicus eam ſententiam ſequi poterit, quæ ad conſonantias cõſtituendas, vel aliqua proportione ſignificandas faciet. Vt autem propiùs ad rei veritatem accedamus omiſſis Metaphyſicâ, Aſtronomiâ, & Geometriâ ad Phyſicam, & Arithmeticam propero, quæ verã, & ſolidam rationem nobis ſuggerent, ſi quæ in præſenti materiâ aſſignari poſſit, vt quantum Deus conceſſerit, non remotas, & communes, ſed proximas atque proprias cauſas afferamus.

Imprimis verò ſupponendum eſt 2 eſſe in conſonantiis & motum, ſeu colliſionem corporum, ex quibus ſonus reſultat, & proportionem, atque adeò duplex principium phyſicum, & mathematicum; phyſica motum conſiderat, mathematicæ proportionem vnius ſoni ad alterum expendunt: hinc ſcimus motum cæteris paribus velociorẽ generare ſonũ acutiorẽ, grauiorem autem à tardiori motu fieri, quapropter tibia breuior, vel æqualis longitudinis, ſed gracilior ſonat acutius, ſi pari virtute tibicen vtatur, ſicut & flatus per foramen primũ ori proximũ emiſſus, quã per 2, 3, &c. ſimili ratione latior organi calamus, qui eſt inuerſa tibia, graciliorẽ, ſoni grauitate, & neruus breuior longiorem, & æqualis, intenſior tamen, æqualẽ remiſſiorẽ acumine ſuperat, deniq; ipſa hominis arteria velut altera tibia, ad cuius effigiẽ aliæ formari poſſent, efficit, vt quo latior eſt, & productior, eò vox hominis ſit grauior, & quo breuior, & ſtrictior, eò acutior, niſi fortè larynx, aut eius valuulæ, vel maior, aut minor flatum expellendi virtus, aut quæpiam alia præpediant.

Vnde concludo neruum æqualem à virtute vt 4 motũ ſubduplo grauiùs, quàm motũ à virtute, vt 8 ſonare; deinde nullã eſſe tibiam, aut inſtrumentum quod arteria vocalis non ſuperet, cum ſine variis neruis, calamis, & foraminibus omnia ſonorum genera mirabiliter exprimat, & ipſam mentem quodammodo in lucem proferat, atque ſingularũ auium voces fœliciter imitetur. Ita verò neruus, aut vox ſeſe habet, vt non ſit aliquid continuum, ſed ex motibus diſcretis, & interpolatis conſtetur, tametſi aures noſtrę illud percipere nequeant, ſicut nec oculi deprehendunt, num ardens titio, quem celeriter quis intorquet, atq; circumagit, in toto circulo exiſtat, vel circulus ſit totus igneus, nec ne, maior enim velocitas non cadit ſub ſenſum; cùm tamen illæ vocis diſcretæ particulæ quodammodo notentur, vbi quis fractiori, & tremulã voce loquitur. Similiter intenſior neruus pluribus ictibus reſilit, atq; tremit, remiſſior, vel longior paucioribus. Quibus ſuppoſitis aio neruum octies reſilientem, vel ſi mauis octuagies cum neruo quater ſolum, vel quadragies reſiliente, vel neruum æqualiter tẽſum 4 digitorum longitudinis cum neruo æqualiter denſo lõgitudinis 8 digitorum facere primam, & perfectiſſimam conſonantiam, quã diapaſon appellamus. Vbi notandũ venit tremoris frequentiã in neruo idem pene facere, quod maior interuallorum denſitas in variis muſicæ generibus; vt enim harmonia, ſeu genus enharmonicum dẽſius appellatur, quia interualla minora, ac veluti celeriora eſſe videntur, ita neruus, vel nerui ſonus & arteriæ denſior appellari poteſt, quia velocioribus, & frequentioribus, pluribuſque motus partibus conſtat, & ideo acutior eſt.

Quid ergo vetat quominus aſſeramus vim conſonantiarum ab illo motu, vel tremore depẽdere? vel ſi mauis à ſono motui coniuncto; vbi non curo ſiue motus cũ ſono ad aures perueniat, ſiue non perueniat, quia in ſono tot ſunt partes, quot in motu. Quæ omnia confirmantur ex Boëtio l. 1. muſic. c. 3. vbi docet neceſſariò ſonos illos eſſe grauiores, qui fiunt à motibus tardioribus, atque rarioribus ipſa tarditate, atque raritate pellendi, acutiores verò, ſi motus celeriores; ac ſpiſſiores fuerint, adeout neruus idem acutiùs ſonet, ſi intendatur, grauiùs ſi remittatur, quia cùm tenſior eſt, velociorem pulſum reddit, celeriùs reuertitur, & frequentiùs, ac ſpiſſiùs aërẽ ferit; qui verò laxior eſt, ſolutiores, & tardiores pulſus effert, & ipſa imbecillitate feriẽdi rarus effectus breuiori tẽpore tremit. Quoties enim chorda pellitur, non tantũ vnus ſonus editur, aut vna eſt percuſſio, ſed aër feritur toties, quoties eã tremebũda chorda percuſſerit, quę tamẽ variæ percuſſiones, & varij ſoni auribus percipi nequeunt, quia iũctę ſunt velocitates ſonorũ, vnde ſonus vnicus vel grauis, vel acutus cenſetur, qui ſenſũ pellit, quamuis vterq; ex pluribus conſtet; quod Boëtius turbinis exẽplo declarat, quẽ pueri flagello circũagunt, cui ſi virgula coloris rubri, vel alterius affigatur, tot⁹ conus rubro colore infectus videbitur, non quod totus ita ſit, ſed quod partes minimè coloratas rubræ virgæ velocitas comprehendat, quas apparere non ſinit.

Hinc

Vnde oriatur vis musicæ?

Hinc sequitur additione motuum ex grauitate acumen intendi, detractione verò motuum laxari ex acumine grauitatem, cùm acumen ex pluribus motibus constet.

Effectus mirabiles harmoniæ.

Itaque cùm sonus sit veluti sonans motus, & motus tantam vim in omnibus rebus corporeis habeat, non est, quod miremur, si musica vires suas exerat, & huc illuc animum transferat; si Pythagoræ iussu tibicina spondæo succinente adolescentem Tauromitanum ebrium Phrygio modo incitatum mitiorem reddiderit, & à riualis domus ambustione auerterit, in qua scortum inclusum fuerat; si Terpander, & Arion Lesbios, & Iones per cantum grauissimis morbis eripuerint, & Hismenias Thebanus Boëtios ischiatico dolore laborantes persanauerit, quid enim motus efficere non potest? Miror tamen qua ratione motum sonorum in neruorum canales, & in alias partes corporis introducere possent, vt causæ morborum, & humores crassi tollerentur, nisi dixeris animam ipsam sonis velocioribus agitatam spiritus vitales, & animales adhibito corporis motu, ad quem potentissimi cantus prouocarent, excitasse, qui fortiter agitati crassos humores, & melancholicum succum discuterent, & ita pristinam valetudinem restituerent.

Opinio Astrologorum.

Memini hîc Astrologorũ, qui harmoniæ mundanæ fauentes totam musicam in 7, vel 8 voces discriminant, vt vnicuique voci quispiam planeta dominetur, siue tardiori ♄ hypatem, siue lunæ tribuas; qui enim vnicum vnicuique cœlo motum tribuunt, optime Saturnum lunâ celeriùs moueri, & omnium lunam tardissimam aiunt, ideoque si terræ προσλαμβανόμενος conueniat, octauæ sphæræ citissimo motu agitatæ μέση tribui debet; reliquũ systema ἀπὸ τῆς μέσης vsq; ad τὴν ὑπερβολαίων his relinquo, quibus angelica, & archetypa musica cordi fuerit. Tametsi verò non negem plurimas inter astra proportiones harmonicis similes inueniri, & quosdam siderum aspectus benignos optimis consonantijs, infœlices autem dissonantijs, & interuallis inconcinnis respondere, atque adeò totum mundum elementarem respectu cœlestis, à quo fouetur, & variè pro varijs stellarum, & planetarum aspectibus alteratur, cum microcosmo à varijs sonis agitato conferri posse, vt sicut vnus aspectus tempestates, alter serenum, vnus grandinem, ventos, & pluuias alius in terra excitat, ita & vnum interuallum, seu vna dissonantia hunc in nobis affectum altera vel dissonantia, vel consonantia alium producat, attamen mihi nunquam vllus suadebit illos siderum aspectus amicos, vel inimicos nostrarum consonantiarum, vel dissonantiarum causas esse, nec enim ideo soni nostri duplam, sesquialteram, sesquitertiam, vel quamlibet aliam proportionem habent inter se, quòd illæ proportiones in sideribus reperiantur, enimuero tametsi nulla essent sidera quæ influerent, vt in æterna gloria videbimus, attamen soni eandem vim, atque λόγον inter se obtinerent. Itaque siue Kepleteanam in corde telluris animam admittas, quæ varijs aspectuum cœlestium angulis correspondeat, statim atque illos deprehenderit, siue animam aëris Fludanam, quæ sit pars animæ mundi, de qua in sua analysi ad 13. text. Kepl. agit, vbi cõtendit interualla incõcinna, vt tonum &c. non oriri à diapason, sed è contrario diapason ab illis, sicut corpus à lineis, & superficiebus, & numerum 8 ab vnitatibus, & maiorem lineam à minoribus, siue nullam in mundo statuas animam, vt reuera nullam esse arbitror, qualem illi noui Platonici fingunt, tametsi Rodericus lib. 1. de meteoris microcosmi cap. 2. illam admittat, vt totius mundi partes vna communis natura constringat, & in vnum compingat, atque conseruet, quem authorem video à doctoribus Florentinis, Nicolino, Noro, & à Paulo Inquisitore probatum.

Kepler. Animam mundi qui nunc ponant?

Flud.

Roderic.

Quicquid igitur statuas, nostrarum consonantiarum vis, atque proportio minimè pendet ab astris, vel animâ mundi, sed ad omnium analogia aspectuum, & planetarum cum vocibus, & interuallis consonis, concinnis, vel inconcinnis admitti debet, vt iam meritò ad motum reuerti possimus. Quod si breue compendium operis harmonici Kepleriani legere cupis, vide Fludum suprà ad textum 12.

Hactenus satis probatum videtur vim musicæ ex variâ sonorum vel motuum coniunctorum agitatione profluere; quod non solùm in musicis instrumentis, sed in bombardis tonitru imitantibus cernitur, quæ nos eò deterrent ampliùs, quo celeriùs aërem agitauerint, vnde maior copia pulueris pyrij, vel auri fulminantis maiorem effectum sortitur, & ora bellicorum instrumentorum quo latiora fuerint, eò grauiorem sonum edunt, idemque de campanis sonantibus, de baculis aërem ferientibus, & diuidentibus, de echo repercutiente vocem, deque cæteris huiuscemodi censendum est, quæ dum mouent aërem, illum ad respondendum prouocare videntur, qui statim atque agitatur, varium sonum edit, ac si variè interrogaretur. Superest, vt inquiramus, vnde vna consonantia alteri anteponenda sit, vel, quod idem est, gratior existat.

Vnde fit, vt consonantia vna præstet alteri, ex Physica.

Motus noster iterum considerandus est, qui duplex est in consonantia, quippe quæ 2. ad minimum sonis constare debet, cùm sit acuti soni, grauisque mixtura, inquit Boëtius 8. cap. suauiter, & vniformiter auribus accedens, sicut dissonantia est 2 sonorum sibimet permixtorum ad aurem veniens aspera, & iniucunda percussio. Eo verò modo soni, ac motus ipsi miscentur; sed curnam vna mixtio sit suauis, vel aspera, potiùs quàm alia, nondum constat. Boëtius existimat duos sonos tunc esse dissonos, ac per consequens insuauiter ad sensum transmitti, quando sibi misceri nolunt, & vterque sonus integer quodammodo peruenire nititur, sic enim alteri officit, ac si quis domum aliquam ingredi cupiens ab alio simul ingredi volente præpeditetur, adeout tantùm nascatur consonantia, quando percussiones grauium sonorum commensurabiles fuerint percussionibus acutorum sonorum, vt optimè Boët. capite 31, qui capite sequenti docet aurem eodem modo sonis affici, ac oculos aspectu, & animi iudicium numeris, vel continua quantitate; vnde concludit diapason esse nobiliorem consonantiam, quia proposita linea nihil facilius est, quàm eius duplum oculo, vel animo contueri, postea verò dimidij, & tripli, & tertiæ partis iudicium collocat.

Boëtius.

Placet autem eius vestigia propiùs vrgere, Illud interuallum, vel sonorum mixtura grata est, quando soni duo facilè inter se miscentur, atqui nulli sunt soni, qui faciliùs inter se maritentur, quàm ij, qui duplam proportionem obseruant, quos immediatè sequuntur soni sesquial-

teri, sesquitertij, sesquiquarti, & sesquiquinti, vt satis constat ex dictis, & clarum facio, etenim omnes fatentur diapason in dupla proportione situm esse; in sesquipla, seu hemiolia diapente, diatessaron verò, vt iam alias omittam, in epitrita, atqui soni, quorum alter ex vnica percussione nascitur, alter ex duabus, facilè inter se miscentur, & ferè vnici soni instar aurem ingrediuntur, neruus siquidem breuior, vel intensior bis aërem feriens priùs aurem sono afficit, deinde remissior vnica sua percussione simul aurem cum vltima prædicti nerui percussione ferit, adeout aliquid simplex esse videatur; hinc æquisonantia vocatur diapason, vt pote vnisonantiæ vicinissima, quia sicut in hac soni omnes monotoni, seu vnisoni simul ingrediuntur, ita in illa sonus vnius nerui sese habentis vt 1 ingreditur cum fine soni se habentis vt duo; in diapente non ita perfectè soni miscentur, quia dum 3 percussiones aurem feriunt, duæ occurrunt cum vltima trium prædictarum, 3 vero cum 4 in diatessaron, & sic de cæteris.

Quando verò soni duorum neruorum, vel 2 voces ita se habent, vt in aurem ingredientes inter se diffideant, ac veluti huc illuc in varias partes auditum discerpant, tunc dissonantia nascitur, vt patet in sono se habente vt 8, & alio vt 9, sesquioctauam proportionẽ constituunt, in nullo enim præterquam in vnitate conueniunt, & perpetuò militant sono durante, vnde tonus, vel secunda ingrata est, sicut & semitonium tam maius. i. sesquidecimaquinta inter 15, & 16, quàm minus. i. sesquiuigesimaquinta, & diesis maior, & minor, nec non comma, cuius extrema ingenti bello dimicant, dum auditui occurrunt, quandoquidem totus numerus 80 pugnat cum 81, donec cum vltima vnitate occurrat. Itaque illa interualla ingratiora sunt, quæ pluribus percussionibus opponuntur, atque adeò sensum auditus diutiùs diuellunt, gratiora verò quæ paucioribus.

Omitto rationem quam omnes ferè Musici referunt ex sola proportione desumptam, iuxta quam aiunt illam consonantiam esse perfectiorem, quæ in nobiliori sita est, illam verò proportionem aiunt esse præstantiorem; quæ prior occurrit, ac maior est, qua ratione dupla, & omnes multiplices præeunt, deinde sesquialtera, sesquitertia, & aliæ superparticulares, denique superpartiẽtes, de quibus nihil dicã, cum Salinas, & alij latè illud præstiterint. Superest, vt ea proponamus, quæ restituẽda sunt, vt perfectè musica vires suas exerat.

Ratio cur vna consonantia cæteris præstat, ex numeris petitur, quia nobilior, quo minus ab vnitate discedit proportio in qua sita est.

13 Quæ requiruntur, vt musicæ perfecta vis restituatur.

Plurima sunt, quæ musicæ nostræ deesse videntur, quominus ea vi polleat, quam apud antiquos habuisse legimus, quæ si restituantur, similes effectus expectare possumus, cùm à similibus causis eodem modo se habentibus similes effectus oriatur.

1. Primum autem, quod fieri debet, ad ipsas dictiones attinet, quæ, dum canuntur, optimè
2. pronuntiari debent, itautab audientibus, quos mouere cupis, distinctè audiantur.
3. Secundum, vt non solum distinctè audiant, sed prætereà verborum sensum probè intelligant.

4. Tertium, dictionum quantitas, seu mensura diligenter à canentibus obseruari debet.
5. Quartum, versibus diuersis vti debemus, prout res tulerit, & cantilena, atque auditores postulauerint.

Quintum, optimæ voces, & apta instrumenta eligi debent, & qui canunt, vel ludunt, esse peritissimi, atque adeò exercitatissimi in arte musicæ.

Sextum, canentes, vel pulsantes aliquo gestu, 6. vel motu corporis, siue capitis, siue digitorum, & manuum, siue pedum vti debent, quibus ad viuum exprimant, quæ canuntur, vt sic ipsa voce, verbis, cantu, & motu rem ipsam propemodum oculis subijciant, quandoquidem musica debet esse quædam veluti rhetorica, atque poësis sonora, & harmonica; ideóque personam illam, quoad fieri poterit, musici etiam ipso habitu referre debent, quæ apta iudicatur, vt id suadeatur, quod cantilena complexa fuerit, quanquam fortè non ita necessarius habitus futurus sit, dummodo is, quo vtentur, honestus fuerit, & virum optimum deceat. 7.

Septimum est, vt ea canantur, quibus auditores affici possint; quapropter ipsa cantilena, & canẽdi modus illorum moribus, humoribus, temperamentis, patriæ, & statui accommodentur, quos 8. excitare volueris. Octauum, vt auditores ijs attendant, quæ canuntur, alioquin quomodo distractos, & aliud omnino diuersum animo reuoluentes, commouere poteris? 9.

Nonum, vt tandiu canat musicus, donec is commoueatur, qui attendit. 10.

Decimum, vt modum varient, & immutent, quoties ad commouendos animos necessarium fuerit. 11.

Vndecimum, vt modis vtantur, qui ad passiones, ad quas collimauerint, mouendas aptissimi sint, quò rythmũ, & arythmopœiã referre possis. 12.

Duodecimum denique, vt musicæ genus eligatur, quod subiecto, seu cantilenæ, & auditoribus aptum fuerit, quanquam nostrum diatonicum nunc adeò perfectum esse non paucis videatur, vt pro chromatico, & enharmonico sufficere possit, præsertim cùm in diatonico quædam semitonia minora, & ipsas dieses Musici nostri non rarò collocent. Vnum addam, quod decimotertio loco numerare possis, nempe musicum non 13. solùm in praxi, & theoria vocalis, & instrumentalis musices instructum esse debere, sed etiam in metrica, & rythmica, deinde in Medicina, & Philosophia, quem plurimum Historiæ, Chronographiæ, Geographiæ, & totius Cosmographiæ cognitio iuuabit; proderit, & Astronomia, sicut & cæteræ mathematicarum partes; denique Theologia, moralis præsertim, illum ex omni parte perficiet, non solùm vt doctus, sed vt virtute præditus sit, & Deum opt. max. ex toto corde diligat, sic enim omnes suis cantilenis ad diuini numinis laudes in æternum decantandas prouocabit, & eiusdem dilectionem in auditorum corda pro viribus insinuabit, vt vnica Dei gloria musicæ, & omnium scientiarum scopus existat, & omnis creatura, ars, & scientia quælibet nostram salutẽ promoueat, quod faxit Deus noster, qui solus dignus est, in cuius laudibus concinendis omnes creaturæ totam vitam, totum spiritum, totum affectum, & ipsam cœlestis beatitudinis æternitatem impendant. Quapropter de prædictis nonnulla breuiter affero, quæ necessaria iudicauero, vt illa templi Hierosolymitani, & Græcorum harmonia mirabilis in nostra Gallia, & in tota Ecclesia Catholica suscitari, & in integrum restitui possit. Imprimis ergo de pronuntiatione dicamus.

ARTICVLVS

ARTICVLVS IV.

DE PRONVNTIATIONE EORVM, QVÆ CANVNTVR, vt diſtinctè audiri poſſint, & de literarum, atque dictionum electione.

CErtum eſt optimam pronuntiationem ad hunc, quem inquirimus effectum maximè facere, vt ſatis patet ex ipſis rhetoricis, oratoribus, concionatoribus, & poëtis, qui omnes eò faciliùs noſtros affectus commouent, & maiori nos voluptate perfundunt, quò meliùs pronuntiauerint, dummodo cætera concurrant. Hîc autem muſicus faciliùs procedet, quàm orator, quia ipſæ notæ ſatis ferè oſtendunt, qua ratione ſingulæ dictiones pronuntiandæ ſunt, ſi eo modo compoſita fuerit harmonia, quem poſtea referemus. Quòd autem pronuntiatio maximam vim habeat, patet ex eo; quòd eadem verba mutatâ pronuntiatione, indicent, aſſeuerent, exprobrent, negent, indignentur, interrogent, irrideant, eleuent, & in iiſdem ipſa virtus nullam gratiam habeat, quin potiùs ipſa vitia delectent. Vnde rebus ipſis pronuntiatio conformanda eſt, vt in lætis rebus vox quodammodo læta fluat, in certamine erigi totis viribus, & velut omnibus neruis intendi debet; atrox ſit in ira, & aſpera, ac denſa &, reſpiratione crebra; in inuidia faciẽda lentior, in blandiendo, fatendo, ſatisfaciendo, atque rogando lenis, leuis, & ſummiſſa; in ſuadendo, monendo, pollicitando, & in conſolando grauis, in metu, & verecundia contracta, in adhortationibus fortis, in miſeratione flexibilis, & flebilis, & conſultò veluti obſcurior; quæ licet Fabius in oratore deſideret auſim ego in muſico requirere, vt cantus perfectiſſimè commoueat, & finem ſuum aſſequatur.

Pronuntiatio qualis eſſe debeat.

Fabius.

Itaque primò nobis ſpectanda veniunt, quæ ad literas attinent, ex quibus dictiones, verſus, & cantilenæ efficiuntur.

Literæ verò ſunt vocales, aut conſonantes, aut ex vocalibus diphtõgi compoſitæ. Certum eſt autem quaſdam vocales, atque conſonantes aptiores eſſe, vt aliquid exempli gratia grandiſonum, & magnificum repræſentetur, quàm alias, de quibus vt pauca dicam, conſtat literam A optimè explicare, quod latum eſt, & clarum, ac illuſtre, ad quod litera o accedit, ſic enim *cano* clarè ſonat, licet per A vagiant infantes, puerique babent, lallent, & tatent; præterea gaudemus hanc literam efferentes *ba ha*, & dolemus *ab ah*, cùm autem in eadem dictione A, & o reperiuntur, illuſtribus aliquid ſonat, vnde *lato*, *caſto*, &c. grandiùs ſonat, quàm *latus*, vel *caſtus* Adde quòd vocales rem meliùs exprimant pro varijs conſonantibus, quibus cohærent, ſic enim r poſt a magnum quid ſonat *parco*, arcus, non ita *aſtus*, vel *aptus*. Illuſtriorem etiam pronuntiationem reduplicata conſonans efficit, vt *flamma*, quàm *fama*, ob duplex *m*.

De virtute, & ſignificatione literarum.

O ſignificat etiam gaudium, ouamus enim exultantes, licet dolorem ſignificemus addito *h oh*. Verùm hîc obſerua ſuper vocalibus ab antiquis accentus quoſdam fuiſſe collocatos, vt quilibet diſcerneret, quandonam vocales longæ eſſent, & quando breues; ſic enim populus aliter pronuntiabant, cùm arborem, aliter cùm homines ſignificabat; quod duobus modis factum inuenio, vel enim his lineolis – ᴗ vtebantur. Vocauit autem Martianus accentum *animam vocum*, & *Muſices ſeminarium*, quapropter accentus minimè debemus negligere, dum canimus, præſertim cùm non deſint, qui eos *vires*, & tenores vocent, ac ſi muſicam ipſam conſtituerent. Itaque accentus vel intendit, & acuit dictionem, & vocem, vel illam deprimit, vel longiore ductu tollit, & demittit, ideoque dicitur acutus, grauis, aut circunflexus, acutus ita dextrouerſum aſcendit, grauis deſcendit, circunflexus ex vtriſque ad modum inuerſi ʌ, vel antiqui ſigma græci inuerſi Ɔ, quod noſtro C ſimile fuiſſe dicitur, notari ſolet, quapropter Capella hunc accentum ſigma deuexum appellauit, cui ſupino nota breuis ſyllabæ ᴗ conferri poteſt.

Martianus.

De accentibus obſeruandis.

Iam verò nos accentu leui non vtimur, quem antiqui per partem H ſiniſtram ⊢, ſicut denſum per dextram ⊣ notabant, quem integro H nunc ſignificamus. Omitto notam coniunctionis, & disiunctionis, quibus iam non vtimur; auerſio tamen non omnino deſijt, quam per ſpiritum lenem Græcorum ita notamus' dum aliquas literas ſcribendo, vel loquendo ſupprimimus, vt *tanton' me crimine dignum*. & *Mult' ill' & terris.* Alio verò modo ſyllabas longas antiqui à breuibus diſcernebant, idque literæ duplicis appoſitione, vt cùm efferebant *amaabam*, *faatum*, *maalum* in naui vt ab homine malo diſtinguerent. *Feelix*, quam pronuntiationem craſſam, & pinguem dixerunt, aliam verò breuem vnica vocali ſcribebant, vt eſſet tenuis, & correpta ſyllaba. Et quidem operæpretium eſſet notas iſtas reſtitui, alioquin enim ſermo ambiguus eſt, quomodo enim diſcernam, an legimus in præſenti, vel præterito efferatur, an prima in palus, malus &c. ſit longa, vel breuis? ſunt qui voces iſtas *Quotiens Vicenſimus*, *formonſus*, *&c* hinc natas eſſe, putent, quòd ita ſcriberentur, *Quotiẽs vicẽſimus*, *formõſus*, *&c.* vt iam accentus ille longus iunioribus abbreuiatio viſa fuerit. Vt vt ſit, pronuntiatio recta mirificè afficit. Eapropter muſici clarè, & diſtinctè ſingulas dictiones pronuntiare debent, & illis vocalibus in ſuis cantilenis vti, quæ meliùs ad rem accommodari poſſint, quam intendunt.

I enim valet ad admirationem, ſi iteretur, ſicut *Io* ad triumphum, præterea valet ad religionem, vt cum pij, vel Dij efferuntur, & ad tractum deſignandum, vt *it*, *mitis*, *litora*, *ciere*, *dicere*, *diripiunt*. *&c.*

E poteſt eſſe ſignũ gaudij, vt cùm *Euge*, *Euoe &c.* dicimus, vel doloris index, vt in *he*, *hei*, *heu*, *&c.* ſignificatque profunditatem, ſicut i longitudinem, o coarctationem, & a latitudinem. E ponitur ſæpe in ijs, quæ indigent conſultatione, vt

regulas ex ipsa natura depromptas ostẽdere possit, quid singulæ dictiones, vel etiam literæ saltem καθόλου significare debeant. θηλυς δὲ ὁ τοῦ η. In breuibus autem τὸ μὲν ο τὸν ἄρρενα δηλοῖ. τὸ θηλυκώτατον δὲ τὸ ι, sicut ο paruum masculum, ita ι fœmininum asserit, dum hiare facit: at ex ancipitibus ad modulationem præstantissimum asserit α, quandoquidem ad longum, & latum sonum aptus est.

Hinc fit, vt Dores, qui fœminina fugiunt, η fœmininum in α masculum commutent, cùm è contrario Iones τὸ στενὸν relaxantes α in η conuertant. Ex quibus ad ipsos phtongos accedit, οἱ μὲν διὰ τοῦ η γινόμενοι φθόγγοι ὑγροί τε εἰσι, καὶ ὅλως παθητικοί, καὶ τεθηλυσμένοι. οἱ δὲ διὰ τοῦ ω, δραστήριοί τε καὶ ἀρρενωποί. τῶν δὲ μέσων οἱ μὲν διὰ τοῦ α, πλείονος ἔχοντες ἀρρενότητος, οἱ δὲ διὰ τοῦ ι, θηλύτητος. i. *Phtongi qui per η efferuntur humidi sunt, & omnino pathetici, atq; effœminati; qui autem per ω efficaces, & masculâ vi præditi: è medijs verò qui per α sunt, plus vigoris masculei obtinent, sicut qui per ι plus fœmineæ naturæ.* Inferiùs autem primi systematis, quod est tetrachordum primum phtongum ait efferri διὰ τοῦ ι, secundum per ε, tertium per η, quartum denique per ω. Quæ profectò satis, superque ostendunt musicam tantâ virtute non pollere, nisi quod canitur, eo modo compositum fuerit, & ipsæ dictiones his, aut illis literis constent, quæ ad affectum, quem musicus commouere voluerit, colliment, adeout litteris α, vel ο longis vti debeat, si quid magnificum sono referre velit, & ita de cæteris. Alia quæ hic dici possent, legere poteris, vbi de phtongis, & consonantijs agimus.

Videatur Antonius Nebrissensis repetit. 1 de vi, ac potestate literarum, & 2 de corrupt. literarum vocibus.

ARTICVLVS V.

QVOD AVDIENTES CANTILENAM, ET VERBA distinguentes, eam insuper intelligere debeant, vt vim integram Musica exercere possit.

DE pronunciatione legitima superiori articulo dictum est, circa quam obserua satis esse, si musici verba pronuntient, prout iam homines docti efferenda censent, ne se frustra torqueant, vt vel Germanis, vel Scotis, vel Hispanis sese conforment. Eapropter antequam admittantur adulescentes, doceri debent, qua ratione dictiones pronuntiandæ sint, ne cacophoniâ Musicæ vim impediant, vel saltem imminuant; quid enim turpius, & doctis ingratius, quam si vel vnus puer canendo versum hunc ex 8. Æneid. circa finem desumptum.

Quadrupedante putrē sonitu quatit vngula campum.

Secundam ex gr. syllabam dictionis sonitu longam efficiat, atque canat sonītu pro sonitu? idēque de cæteris dictionibus esto iudicium: neque sanè in dubium reuoco eos, qui ante Alexandrum magnum, vel alios heroas olim cecinisse dicuntur, optimè cantilenas suas enuntiasse, alioquin nec ita commouissent, nec in tanto pretio habiti, sed potiùs è tantorum virorum conspectu statim eiecti fuissent.

Iam verò ad ipsum verborum intellectum accedamus, qui cum sit veluti dictionũ, & versuum anima, cætera omnia tanquam informem materiam existimo, si intellectus abfuerit; cùm enim musicus sui animi conceptum in audientis animum transferre debeat, id fieri nequit, nisi quis cantilenam intellexerit.

Quemadmodũ enim is, qui literas amico scribit, se ridiculum exhiberet, si ei græcè scriberet, cùm solius Germanicæ, vel Gallicæ linguæ peritus sit, & stultus existimaretur, quia literæ à scopo ad quem collimare debẽt, videlicet, vt scribentis exprimant mentem, omnino aberrarent, ita qui loquitur, vel canit, vt affectus audientium vehementer commoueat, & in furorem agat, vel ab ira, & indignatione ad temperantiam, lenitatem, atque modestiam reducat, & tamen Græcam, vel Hebræam cantilenam ante Gallum occidit, qui solùm Gallicè nouit, is dubio procul irridẽdus est.

Scio quidem aliquos modos ex se iucundos, alios tristes, quosdam ad temperantiam, alios ad iram, & furorem, quosdam lachrymas, alios risum commouere, verùm id languidiùs præstare possunt; & quidem expertus sum viros doctos solo cantu non ita excitari, quam potiùs illorum Musicorum imperitiam deflere, qui scientiam adeò mirabilem inficiunt, & in risum, atque odium trahunt, vt iam vel contemptui habeatur, vel ad infimos quosque amandetur. Quæ tamen regum philosophorum palatijs, & quorumcúmque doctissimorum hominum auribus, imo & manibus, & ingenijs dignissima est, si dignè pertractetur. Sunt qui partem illam Mathematicarum, quæ versatur in numeris, ita admirentur, qui Geometriam tanti faciant, qui Catoptricam, & Diopticam in tanto pretio habeant, vt cæteris scientijs illas facilè anteponant, ego verò Musicæ primas tribuo, quippequæ reliquas ambitu suo complecti videtur.

Quid enim est in totius orbis complexu, quid oculos, quid aures, tactum, odoratum, vel gustum bene afficit, nisi quod in harmonica proportione situm est? Videant Medici quanta sit in toto corpore harmonia, quantus partium principum cordis, cerebri, & hepatis responsus, qualis inguinum, vmbilici, atque cordis proportio, qualis moderati pulsus ῥυθμὸς, atque tenor: quomodo sese habeat ad cordis, atque pulsus systolem, & diastolem respiratio, & inspiratio: nam pulsum quinquies salire durante vna respiratione Riolanus 7. pathologiæ obseruauit. Ipsa ædificia meram harmoniam licet mutam exhibent: nec desunt, qui ipsam mundi creationem, eiúsque systema in harmonica proportione sita esse asserant, atque probare conentur siderum motus, atque magnitudines perpetuam harmoniam obseruare, de quibus iam antea diximus.

Musica est in omnibus rebus.

Riolanus.

Omitto mirabilem illam, & à paucis, vel nul-

lis satis probè notam harmoniam, quam nonnulli inter ipsam animam, & corpus, inter mentem, & partem concupiscibilem, inter hanc, & irascibilem, inter intellectum, & imaginationem, inter 4. humores, inter vocem, scripturam, gressum, atque manuum, aliarumque partium corporis motum, & gestum latere suspicantur, adeout arbitrentur tam ex voce, quàm ex scriptura, vel pedum motu de animo, atque temperamento iudicium ferri posse. Nec impræsentia quærere velim, qualis, & quanta sit vniuscuiusque partis cum toto corpore, & partis cum parte harmonia, quam tantam esse existimant, vt sicut ex vngue totum leonem antiquus ille iudicabat, ita ex vnico corporis humani articulo ex vnico minimi digiti vngue Medici de totius corporis, atque singularum partium magnitudine æstimare possint, si vt par est, anatomicis meditationibus, & humanæ Musicæ incumbant.

Itaque vt ad intellectum reuertamur, assero quod canitur, ab auditoribus, quos vehementer commouere desideras, probè intelligi debere, quapropter si Galli fuerint, Gallicè canas, si latinis, si græcis, si hebræis, vel alijs quibuscunque cecineris eorum lingua tibi canendum erit, si quempiam effectum mirabilem edere cupias.

Attamen non abnuo, quin te possit aliquis excitare, licet nihil pronuntiet, dummodo ita canat, vel solmificet vt in eo cantu cantilenam aliquam contineri deprehendas, sic enim ipsæ musicorum notæ afficiunt, si per eas aliquid mœstum, aut iucundum repræsentari cogites, tametsi nulla dictio proferatur. Quod pluribus exemplis confirmare possem, quæ alibi referre poterimus, quod Remis à Rocco Henrici tertij Galliarum Regis insigni citharœdo factitatum accepi, qui statim atque chelim occurrentem tetigit, omnes rapuit in admirationem, & ad saltationem, atque tripudium illum ipsum excitauit, qui mihi hanc narrauit historiam: qui se ab eodem mœstitia perfusum senserat, dum antea triste quidpiam caneret.

Hinc fit, vt pueros saltare videas, statim atq; iucundum aliquid audierint, si priùs iam aliqua cantilena imbuti fuerint, quam citharœdus cantu suo, vel instrumento referat; Eapropter Gallus magis excitabitur harmoniâ Gallicam cantilenam referente, quàm si Hispana, vel Itala referretur, quod mihi Æthiopem in memoriam reuocat, quem Musicus excitare non potuit vllo cantu, donec moriscam caneret. Verùm magis excitabitur quispiam, si verba ipsa audierit, quamuis enim à cantu referantur, & species cantilenæ, quas iam auditor menti suæ impresserat, facilè refricentur, atque adeo ipsa obiecta per cantilenam significata, sibiipsi repræsentet, attamen si verba ipsa distinctè, atque rythmicè à cantore referantur, vehementiùs excitabitur, & ipsæ res magis ad viuum repræsentabuntur.

Sit itaque ratum, atque fixum id esse canendum, quod auditores distinctè audiant, & intelligant, si eos, vt par est, & iuxta Musicæ vires commouere velis: quod passim in seipso quis experiri poterit; enimuero canatur, exempli gratia: *Popule meus, quid feci tibi*, &c. quod musicis nobis infrà designabimus, canatur, inquam, latinè ante te, qui hebraicæ linguæ ignarus es, latinæ tamen peritus, profectò deprehendes longè te magis affici verbis latinis, quàm hebraicis, quippe quæ tibi nihil referunt, cùm illa nescias.

ARTICVLVS VI.

QVOD VERBORVM QVANTITAS, ET TEMPVS obseruari debeant, vbi fusè de pedibus metricis agitur.

PLurima hoc articulo continetur, quandoquidem rythmum ipsum, & metricam, nec non accentus, seu musicam accentualem aggreditur, de quibus ex multis pauca delibabimus; cætera enim vel alijs addenda relinquimus, qui ex professo vim antiquam Musicæ restituere conabuntur, vel in iustum opus à nobis cogenda in aliud tempus reuocamus, ne quæstio hæc in immensum crescat. Igitur hîc de metrica musica, cuius rythmos sonoræ iungendos arbitror, vt suum effectum penitus sortiatur, paucis agendum est. Qui prout tempus, & motum spectat, tam poëtis, & oratoribus, quàm Musicis communis est. Inde fit, vt quod poëtæ in dactylo quatuor tempora distinguunt, sicut & in spondæo, Anapæsto, & scolio, ita & Musici 4. tempora notis quibusdam designent. Sed in hoc differunt, quòd apud poëtas omnes syllabæ breues sint eiusdem breuitatis, & omnes longæ longitudinis eiusdem, cùm Musici notas habeant, quæ breue, breuius, & breuissimum tempus denotent; variorum igitur temporum, & mensurarum ordo rythmis dicitur, quem Plato 1. de legib. motuum ordinem τῆς κινήσεως, Aristoxenus χρόνων temporum τάξιν appellarunt; adeout minimum aliquod tempus id esse possit in rythmo, quod sonus in Musica, punctum in Geometria, & vnitas in Arithmetica; Rythmus enim fit ex certo motuum, vel temporum tardorum, & celerum ordine, qui deprehenditur in sonis, saltationibus, cordis & arteriarum pulsu, & in alijs quibuscumque motibus, qui statim velociores, statim tardiores aliqua tamen obseruata proportione efficiuntur.

Plato. Rythmus quid sit? Aristoxen.

Ab hoc autem rythmo, qui tarditatem, & celeritatem temporis, & motus cõstituit, quæ in ipso vocum harmonicarum longitudine, atque breuitate deprehenditur, musica rythmica nuncupatur; motum enim vocis ab acuto in graue, velut è loco ad locum, vt soni per debitas interuallorum dimensiones ordinatim suis in locis, atque sedibus disponantur, sola Harmonica spectat; quæ tamen admodum manca est, ac veluti materia informis, nisi rythmus accedat tanquam forma, pater, & anima tam Musicæ, quàm poëseos. Quantum verò differat rythmus à sonorum grauitate, & acumine, constat ex versuum simplici pronunciatione, quæ neque erigitur, neque deprimitur, sed eundem tenorem à principio ad finem obseruat, licet in vna syllaba diutiùs, quàm in alia permaneas, vel eam *tardius* efferas; Dixi vel

Rythmica musica quid?

Augustin. vel *tardius*, quia vt acutè D. Aug. l. 1. music. notauit, quod diuturnum, non semper tardum est, cùm diuturno tempore quis velociter moueri possit. Id etiam in tympano manifestum est, quod cùm milites tundunt, & varia pro varijs belli circunstantijs eius sono significant, rythmum quidem obseruant, sed nullam possunt sonorum grauitatem, nullum acumen exhibere, nam quocúnque modo ferias, semper eiusdem tenoris sonus audietur; cùm tamen ille sonus non parum delectet, & afficiat, vbi debitus rythmus existit, idque ob analogiam, quam primus ictus habet cum sequentibus, aut quam omnes simul collati efficiunt; statim enim primus ictus duorum sequentium longitudinem exequat, statim vltimus duobus antecedentibus correspondet, & sic de cæteris, quos vel in dupla, vel in hemiolia, vel in epitrita ratione facilè deprehendes ex ijs, quæ de consonantijs dicta sunt, & postea dicentur. Bacchius verò circa finem isagoges suæ 4. rythmi definitiones affert, inter quas illa Didymi magis placet, quia musicæ magis conuenire videtur, κατὰ δὲ Δίδυμον, inquit, φωνῆς ποιᾶς σχηματισμός. ἐστὶν ἡ φωνὴ ποιῶς σχηματισθεῖσα ῥυθμὸν ἀποτελεῖ. i. est conformatio, & velut character qualitatis vocis, itaut vox hoc vel illo modo conformata rythmi modulum perficiat, verùm alibi fortè de rythmo plura dicturi sumus; interim consulatur Aristoteles sect. 19. probl. 27. & 38. vbi docet motum in rythmis, sicut in sonorum grauium, & acutorum ordine motum imitationem habere, & omnes rythmo, modulo, cantico & symphonijs gaudere, vbi Blancanus per rythmum modulos illos intelligit, quibus in varijs cantilenis Musici vtuntur, nos vocamus *airs*, qualis est *la gaillarde*, vel *la sarabante* &c. Rythmus verò tam ad motum corporis, quàm melos, & dictionem pertinet, imo deprehenditur in omnibus motibus ordinatis; & qui cantilenæ rythmum nescit, nunquam illam conuenienter efferet. De rythmo & rythmica vide plura apud Aristidem lib. 1. de musica, quem, puto, breui Federicus Morellus primarius eloquentiæ regiæ professor in lucem dabit.

Tympani rythmus.

Quod si Musicus harmonio rythmo poëticum rythmum adiunxerit, auditores in admirationem rapiet, quid enim non potest numerosa melodia? & quo rythmus elegantior, & aptior fuerit, eò faciliùs auditores afficientur, per quorum animos arsi, & thesi veluti pedibus decurret, & motibus concinnis errabit. Idcirco pedes eligat, qui rythmum ad affectus, quos voluerit, commouendos aptissimum suscipiant, nec enim passim quibuslibet vtendum est, nunquam enim per spondæos, aut molossos cursum velocem, aut negotium aliquod celeriter expediendum esse bene significabis, sed per pyrrhichios, tribrachos, proceleusmaticos, orthios, dactylos, dichoreos, & similes, qui plurima tempora breuia contineant, quibus motum velocem veluti præsentem exhibeamus. Eapropter musicus, qui ad bellum excitare voluerit dactylos, vel alios prædictos pedes assumere debet. Quod vt fiat, de pedibus quædam subiungenda sunt. Inter quos omnium minimus est Pyrrhichius, cum 2. solummodo temporibus constet, quem in saltatione armata Pyrrhica vsurpabant, Athen. lib. 14. referente, est enim citatissimus, idcóque ferunt Curetes cymbala, & æra percutientes, ne Saturnus Iouem filium vagientem audiret, hanc saltationem, huncque pedem instituisse, qui deinceps tripudijs aptissimus iudicatus est, vide Pausaniam in Lacon.

Rythmi vis.

Pedũ proprietates.

De pede pyrrhichio.

Athen.

Pausanias.

Hunc etiam victorialem appellare possumus ob hymnũ, qui Pyrrho Neoptolemo decantatũ fuisse hoc metri genere aiunt, cùm primus ex equo Troiano prosilijt. Adde quod pes iste ἡγεμὼν dicatur, vt pote cæterorum principium: Pariambus, quod in fine versus Iambi vices suppleat, Cinesias, & Tripudians, quia celeriter mouetur, & à syllabarum quantitate Dibrachys. Iambus ab ἰαμβίζειν. i. conuiciari dictus, quia conuicijs aptus est, Daunius & Gradarius dicitur. Trochæus ἀπὸ τοῦ τρέχειν cursibus aptus, & Choreus, Chorius, Cordax, Rutilius, & Tribrachys appellatur. Spondæus ob σπονδὴν. i. libationem, in qua facienda longam vitam Gentiles à Dijs postulabant, Hephestione teste.

De Iambo.

Hephest.

Plura non addam de pedum origine, atque significatione, sed tabellam duntaxat subijciam, in qua præcipuos vnico intuitu videre poteris, quorum arses, & theses facilè colligere poteris ex ipsa temporum quantitate, quam vsitatis lineolis annotabimus, vt musicus quamcumque voluerit literam harmoniæ subijcere possit.

Antequam verò prædictam tabellam oculis subijciam, explico, qua ratione tanta pedum multitudo prodire potuerit, & an plures esse possent. Illorum varietatem alij in fabulas reijciunt, alij in varios hominis conceptus, quos singulæ nationes verbis suis exprimere volentes in hunc, aut illum pedem siue ex industria, siue temerè, atque fortuitò impegerunt. Ne verò nos hæc originis controuersia nolentes distineat: Dico nonnullas syllabas, atque dictiones meliùs ex natura sua animi verbi gratia irati notas, quàm alias exprimere; iratus enim inæqualiter pronuntiat; hinc fit, vt pro iræ magnitudine statim post. 2. breues vna longa pronuntietur, statim alio modo pro varijs iræ gradibus; sic enim pyrrhichius illam igneam celeritatem exprimit, quam temperat spondæus: Iambus est præliator, & sanguineus, trochæus volubilis, dactylus bellicosus, heroüs, & politicus, Amphibrachys conuiuialis. Quanquam & pedes à populis nomen suum hauserunt, qui priùs eos distinxisse feruntur, vel à ludis, & actionibus, in quibus vsurpabantur. Sed nobis abundè sufficit, quòd ad effectus exprimendos apti sint, quos affectus ex numero syllabarum breuium, aut longarum, & ex earum quantitate, atque motu variè dispositis facilè iudicare poteris.

Vnde pedũ varietas?

Pedes irati qui?

Pedum variæ proprietates.

Vt ergo ad numerum accedamus, scio vsque ad 124. inuentos esse, quos profectò ad numerum minorem quis reducere possit, etenim Dispondæus nihil est aliud, quàm duplex spondæus, sicut Dicanius triplex, & sic de cæteris compositis dicendum est, quos ad Pyrrhichium, Iambum, Trochæum, Tribrachum, Spondæum, Dactylum, Bacchium, & Anapæstum Dactylo contrarios, Antibacchium, seu Palimbacchium, Amphibrachum & Molossum reducere possumus, vt sint pedes totidem, quot harmonici modi nempe 12. & quot in Zodiaco constellationes. Neque plures constituendos esse arbitror; ecquid enim aliud est Proceleusmaticus, quam duplex Pyrrhichius? qui ab hortatu militari, vel nautico celeumate dictus est: quid est Choriambus? nunquid pes ex Trochæo, & iambo compositus? ea propter pedes istos Græci παλινδίας. i. iteratos pedes

Vide tabulam 124 pedum apud Micyllum.

12. Pedes sufficere.

παλινδίας quid?

appellarunt. Hac ratione Pæon primus ex Trochæo, & Pyrrhichio constat, secundus ad pugnam conducens ex Iambo, & Pyrrhichio. Reliquos pedes compositos vnusquisque per se in simplices resoluere poterit, & iudicare, cui affectui commouendo vnusquisque deseruiat.

Obseruandum est autem in pedum istorum constitutionibus egregias proportiones harmonicis commensas inueniri; est enim Pyrrhichij ad Spondæum proportio subdupla. Spondæi ad Iambum Epitritos, quia Pyrrhichius duo solùm tempora continet, Spondæus 4: Iambus 3; hemiolion inter Molossum, & Dactylum reperies. Possumus etiam in vnico pede aliquam proportionē agnoscere, si enim totū pedem Pyrrhichium, vel Spondæum cum vna parte sui conferamus, erit diplasion: si verò partem cum parte, prima pars dactyli cum secunda, vel tertia sequenti collata diapasonica erit: prima pars Pæonis primi collata cum tribus sequentibus erit hemiolios, quia prima syllaba continet 2 tempora, reliquæ verò 3: 3 autem continent 2, & mediam partem 2. Simili ratione de quibusuis pedibus siue cum alijs, siue cum seipsis ratione diuersarum partium conferantur, ratiocinari poteris.

Proportio metri ex pedum quæ?

Nec vereatur Musicus vt in his operam perdat, mens enim humana proportiones harmonicas ita diligit, vt eas libentissimè, quoties occurrunt, amplectatur: nec est quod dubitet cantus grauitatem, & acumen longè præstantiora visum iri, si corporis, pedum, & syllabarum motibus harmonicè commensis cantus informetur: Ideóque si ad diapason syllabam breuem, & longam, ad diatessaron verò Iambum, Trochæum, vel Tribrachum cum Spondæo, Dactylo, Anapæsto, Amphibracho, vel Proceleusmatico, cum quibus se habent vt 3 ad 4 debitis rythmis accommoder, profectò mirabiles effectus exhiberet.

Proportio pedum, & consonantiarum iungi potest.

Omitto Bacchios, Creticum, & Pæonas quæ se ad 3 illos pedes minores habent, vt 5 ad 3: ad quos Molossus, Choriambus, Ionicus, & eorum compositi se habent, vt 2 ad 1, & ad spondæum, Dactylum, &c. vt 2 ad 5: ad Pæones, vt 4 ad 5: hi verò ad Choriambum, vt 5 ad 6. Non erit mihi difficilè omnes consonantias in ipsis pedibus inuenire, vt enim Pyrrhichius cum spondæo facit Diapason, ita cum Iambo Diapente, Iambus cum Spondæo Diatessaron: Pyrrhichius cum Dispondæo Disdiapason: Palimbachius cum Pyrrhichio Diapason Diapente: Epitritus quilibet cum tribracho Diapason Diatessaron: Pæon quilibet cum Proceleusmatico ditonum: Parapæon cum Orthio semiditonum. Harum nonnullas proportiones Ephæstionis Scholion ad caput de pedibus aduertit, vt patet ex his verbis, τὰ δὲ μέτρα ἀπὸ ποδῶν εἰσί, τῶν ἐχόντων ἢ ἰσονλόγον, ἢ διπλασίονα, ἢ ἡμιόλιον. καὶ τὸ μὲν ἴσον ἐν αὖ δάκτυλος — υυ. μία γὰρ μακρὰ καὶ δύο βραχεῖαι τὸν αὐτὸν ἔχουσι λόγον. τὸ δὲ διπλασίονος τροχαῖος — υ. μακρὰ γὰρ τῆς βραχείας διπλασίων. τὸ δὲ ἡμιόλιν βακχεῖος υ — — βραχεῖα γὰρ καὶ μακρὰ πρὸς τὴν μακρὰν λόγον ἔχει τὸν ἡμιόλιον. *Metra enim*, inquit, *pedibus constant, qui vel inter se proportionem æqualitatis obseruant, vel duplam, vel sesquialteram. Exemplum æqualitatis in Dactylo clara est, cuius videlicet prima syllaba cum duabus sequentibus vnisonantiam, vel proportionem æqualitatis facit, prima enim syllaba rectâ lineolâ – insignita duo tempora, sicut & duæ sequentes continent, atque adeò illa syllaba longa, & duæ breues eandem rationem obtinent. Trochæus verò complectitur duplam proportionem, cum syllaba longa sit breuis dupla – υ. Bachius autem υ – – sesquialtera proportione constat, breuis siquidem, & longa syllaba ad syllabam longam habet rationem sesquatam, in qua Diapente collocamus.*

Ephæstion.

Vbi vides in ipsis pedibus harmonicas proportiones inclusas; ad quid, nisi vt Musicus, & Poëta suis consonantijs harmonicis, atque metricis, veluti pedibus, auditoris animam peruadat, atque transcurrat, & spiritualis illius cubiculi thalamum, & angulos omnes exploret. Vel si mauis, humanum animum huic mundo comparabimus, vt enim in eo variæ belluarum species degunt, atque diuersæ plantæ nascuntur, quas vis astrorum regit, & commouet, ita in animo varij affectus, atque pathemata latent, ac veluti sepeliuntur, quæ Musica regere, & huc illuc pro varijs modis commouere possit, si pedum εὐπορίαν, καὶ ποιὰν ἢ ποσῶν σύνθεσιν συναφθεὶς harmoniæ coniunxerit.

Musica soli, & homo mundo cōparatur.

Ephæst.

Capite cit. Hephæstion pedes diuidit in Dichronos, Trichronos, Tetrachronos, Pentachronos, Hexachronos, & Heptachronos, at cùm ab alijs plures, ijque maiores pedes enumerentur, cū Dicanius pes sit Dodecachronos, siue 12 temporum, & 6 syllabarum longarum, atque adeò Molossus repetitus, tabellam Micylli tam Hephæstionis, quàm aliorum pedes continentem videas: in qua facilè deprehendes quot tempora, quotque syllabas singuli pedes contineant, ac proinde quam proportionem cum inter alia, tum etiam inter se efficiant. Vbi velim obserues Musicam poëtices veluti dominam habendam esse, cùm eam regat, & pro libito huic, aut illi rei accommodet: hinc fit, vt syllabam alicuius pedis, quæ tantummodo breuis est, breuiorem, & breuissimam faciat, quando iudicat id esse necessarium, vt meliùs ad hunc, aut illum affectum animum hominis, vel etiam belluæ flectat. Vt enim ad hunc affectum perueniat musicus, quod in poësi minimum tempus æstimatur, in 4, octo vel plura minora temporis interualla secat, prout id operæpretium fuerit ad melancholiam dissipandam, & vitales, atque animales spiritus commouendos.

Micyllus.

Musici libertas, & industria in poësi.

Quod autem musici antiqui pedes seu rythmos varios in magno pretio habuerint, manifestum est ex ijs, quæ Bacchius habet in fine Isagoges, vbi rythmos 10 refert, nempe Hegemonem, Iambum, Choreum, Anapæstum, Orthium, Spondæum, Pæana, Bacchium, Dochmium, & Anopæum, ex quibus sunt ἁπλοῖ sex primi, quattuor verò postremi συμπεπλεγμένοι compositi. Hegemonem ex 2 breuissimis temporibus compositum ἀπὸ ἄρσεως incipere ait, cuius exemplum assignat in λέγε. Similiter Iambum ab arsi incipit, choreum à thesi. Anapæstum ab arsi itaut in eleuatione 2 breues afferantur, & in θέσει vltima longa pronuntietur. Orthium ait ex ἀλόγου ἄρσεως, καὶ μακρᾶς θέσεως constare, in exemplum affert ὀργὰ i. ira. Spondæus incipit à thesi longa. Pæan ex Choreo, & Hegemone, Bacchius ex Hegemone & Spondæo, Dochmius ex Iambo, & Anapæsto, & Pæane κατὰ βάσιν denique Ænopæus ex Iambo, Hegemone, Choreo, & Iambo componitur.

Bacchius in fine Isagoges.

Vbi aduertendum est in Orthio primam syllabam esse ancipitem, vel, vt melius loquamur, ineffabilem ἄλογον irrationalem. Hi verò rythmi nascuntur ex varijs commixtionibus temporum, quas συμπλοκάς appellat, & 4 admittit, etenim vel breue breui, vel longum longo, vel ἄλογος βραχεῖ, vel

vel ἐλάσσονος ἀρχῇ iungitur. Aristides plura lib. 1. de pedibus, atque rythmis habet, qui cùm breui proditurus sit in lucem, pauca tantum ex multis seligam. Imprimis Dactylum pedem vocat Anapæstum à maiori, cuius arsim, & thesim refert cap. περὶ ποδῶν. ἀνάπαιστος ἀπὸ μείζονος, ἐκ μακρᾶς θέσεως καὶ δύο βραχειῶν ἄρσεων. ἀνάπαιστος ἀπ᾽ ἐλάσσονος ἐκ δύο βραχειῶν ἄρσεων, καὶ μακρᾶς θέσεως, &c. Dactylum verò dictum ait ob syllabarum ordinem digiti partibus respondentem; Anapæstum autem, quod præposterè ordinatus sit, aut vocem breuibus percurrat, desinat verò in longam occurrentem. Proceleusmaticum, & Pyrrhichium, ex eo, quòd in saltationibus pyrrhicis, & certaminibus adhiberentur: ita & Spondæū à spondis, seu libaminibus appellarunt. Ionici dicebantur propter rythmi vim importunam, τὸ ῥυθμοῦ φορτικόν. A Dactylico genere transit ad Iambicum, in quo rythmi triplices reperiantur, ἴαμβος enim ἐξ ἡμισείας ἄρσεως, καὶ διπλασίου θέσεως. secus verò trochæus. Orthium autem ἐκ τετρασήμου ἄρσεως, καὶ ὀκτασήμου θέσεως statuit, ex quadruplici signo elationis, & octuplici thesi: σημαντὸς τροχαῖος iisdem signis vtitur, sed inuerso ordine.

Omitto Iambum à Trochæo, & à Bacchæo. ἴαμβος δὲ ὠνομάσθη ἀπὸ τοῦ ἰαμβίζειν, ὅ ἐστι λοιδορεῖν, igitur conuitijs aptus est. Vide trochæi basim rotatilem bacchicis concentibus aptum, vnde & βακχεῖος appellatur: & Orthij grauitatem. Est & παίων διάγυιος, & ἐπιβατὸς cum eorum rythmis; & εἴδη ῥυθμῶν δοχμιακά, & reliqua rythmorum artificia, de quibus iterum cap. sequenti dicturi sumus. De pedibus enim satis, supérque actum est: viderit musicus quos pedes ad quemcumque affectum animi commouendum vsurpare debeat, quod facilè reperiet, si præclarè nouerit, quos motus animi pathemata obseruent: alius enim motus est in ira, alius in lætitia: plurimúmque iuuabit si Aristotelis ethica, & rhetoricam legerit; enimuero philosophus suggeret abundè, quæ necessaria fuerint, vt aliquis ad iracundiā verbi gratia, aut alium affectum excitetur. Si enim musicus ad viuum canendo referat eos, à quibus aliquis contemptui habitus, vel contumeliā affectus est, is facilè irascetur, prout Achilles Agamemnoni irascitur, dum Iliad. 9. illius contumeliæ meminit, Agamemnon enim ignominia Achillem affecerat, & velut infamem & profugum tractauerat, iuxta id Homeri,

Homerus.

Quomodo aliquis ad iram excitari possit.

Ἠτίμησεν· ἑλὼν γὰρ ἔχει γέρας αὐτὸς ἀπούρας, &c.

Longè verò maior est ira, & excandescentia, quando is, qui contemnit, & ignominiā, vel iniuriā afficit, est infimæ conditionis, & qui contemnitur, diues, nobilis, doctus, vel princeps fuerit; & quidem musicus aliquem principem facilè ad iram, imo & furorem concitabit, si debitis pedibus, rythmis, & modis ei militem aliquem, aut alium quempiam repræsentet, à quo contumeliā affectus fuerit, vt enim Iliad. 1. dixit Vlysses magna est ira ab Ioue natorum Regum,

Θυμὸς δὲ μέγας ἐστὶ διοτρεφέων βασιλήων.

Debet etiam anni tēpestates spectare, & vniuscuiusque ætatem, in quibus homines ad commotionem faciliores esse videntur, teste Philosopho 2. rhet. cap. 2. διὸ καὶ ὧραι, καὶ χῶραι, καὶ διαθέσεις, καὶ ἡλικίαι ἐν τίσι χρόνοις εὐκίνητοι πρὸς ὀργήν, καὶ πῆ, καὶ ποῦ. At de commotione affectuum, & de modis, quibus vel incitari, vel sedari possint pluribus aliâs dicturi sumus. Hîc enim præsertim de pedibus agimus, quorum aliqui ad iram, & furorem, alij ad lachrymas, vel lætitiam commouendam apti sunt, vt ex dictis videre est, quod musicus ex sequenti tabella facilè conijciet, si præsertim Philosophus egregius, qualem eum postulo, fuerit.

Aristotel.

Pedes dissyllabi.

4.

Pyrrhichius	∪ ∪	Deus.
Iambus	∪ —	Parens.
Trochæus	— ∪	Solus.
Spondæus	— —	Verax.

Trissyllabi

8.

Tribrachus	∪ ∪ ∪	Dominus.
Dactylus	— ∪ ∪	vnicus.
Anapæstus	∪ ∪ —	patiens.
Scolius	∪ — ∪	benignus.
Creticus	— ∪ —	excitans.
Bacchius	∪ — —	iacentes.
Palimbacchius	— — ∪	solamen.
Molossus	— — —	oppressis.

Tetrasyllabi.

16.

Procaleusmaticus	∪ ∪ ∪ ∪	cole Deum,
Pæon primus	— ∪ ∪ ∪	viue pius,
Pæon secundus	∪ — ∪ ∪	tene modum,
Pæon tertius	∪ ∪ — ∪	petit vmbram,
Pæon quartus	∪ ∪ ∪ —	mala gerens.
Ionicus à maiori	— — ∪ ∪	viuens bene,
Ionicus à minori	∪ ∪ — —	amat aures.
Choriambus	— ∪ ∪ —	multa senex,
Antipastus	∪ — — ∪	videns discit.
Diiambus	∪ — ∪ —	timens nefas.
Ditrochæus	— ∪ — ∪	vitet iram,
Epitritus 1	∪ — — —	volant horæ,
Epitritus 2	— ∪ — —	currit ætas,
Epitritus 3	— — ∪ —	curas leues,
Epitritus 4	— — — ∪	vitæ finis.
Dispondæus	— — — —	præsto mors est.

Alij plurimos pentasyllabos vt orthiū ∪ ∪ ∪ ∪ ∪, hexasyllabos, vt Dichoreum ∪ ∪ ∪ ∪ ∪ ∪, & ex ijs compositos pedes afferunt, sed præmissi sufficiunt, immo 4 dissyllabi, & 8 trissyllabi abundè musico satisfacient, enimuero cæteri pedes ex istis componuntur, quid enim aliud est proceleusmaticus, quàm duo coniuncti Pyrrhichij? Quid pæon primus, nisi trochæus cum Pyrrhichio? Quid antispastus, nisi iambus cum trochæo? & sic de cæteris. Si quando Gallum reddamus Ephæstionem, pedes, & tautopodias accuratiùs perleges. Pauca verò de versuum speciebus, & virtute, quam in concentibus habent, subiungendæ sunt.

ARTICVLVS VII.

DE VERSIBVS, ET QVANTAM VIM MVSICÆ tribuant, quódque neceſſarij ſint, vt perfectè vires exerat, vbi nonnulla de verſibus hebraicis afferuntur.

DVo hîc nobis agenda ſunt, primum quid peculiare conferant diuerſa metra. 2. De variarum nationũ præſertim Hebrææ, Latinæ, & Gallicæ verſibus in ordine ad harmoniam: certum eſt enim ab antiquis verſus decantatos fuiſſe, adeout non deſint, qui ſuſpicentur tragœdiarum, & comœdiarum verſus antiquos cecinisse, licet enim Terentius proſâ vti videatur, attamen ſunt qui in eo verſus reperiant, quos Flaccus caneret, qui toties modos feciſſe dicitur: huiuſcemodi ſunt illa Andriæ trimetra.

Terentius.

Adhuc Archillis quæ aſſolent, quæque oportet,

Signa ad ſalutem eſſe, omnia huic eſſe video.

Omitto reliqua comica tam trimetra, quàm tetrametra Terentij, Plauti, & quorumdam Græcorum, qualia ſunt priapeium, galliambicum, epionicum comicum, epichoriambicum eupolideum, cratineum ἀσυνάρτητα, & quæcumque ex iambico, atque trochaico genere commixta ſunt, quæque propterea πολυσχημάτιστα ſiue confuſa nuncupantur, vt ad illorum vim accedam, quanquam ex dictis de pedibus virtus illorum ſatis manifeſta ſit, à quibus efficaciam ſuam deſumunt. Nam quales ſunt pedes, tales etiam verſus exiſtimari debent, qui ex illis, quemadmodum corpus ex varijs membris, tabella ex varijs picturis, & harmonia ex diuerſis vocibus componuntur. Vnde verò capiam exordium prorſus ignoro, cùm vix iuſtum volumen ad metricam explicandam ſufficiat, & fortè ſatius fuerit nihil, quàm pauca dicere. Quia tamen ſolita breuitas, qua in tota hac quæſtione vtor, me ſatis excuſabit, aio varias eſſe carminum ſpecies in quolibet illorum genere, præcipuas verò brachycatalecticũ, acatalecticum, hypercatalecticum, catalecticum, vel acatalecticum, ſiue monometra, & dimetra, ſiue trimetra, tetrametra, pentametra, & hexametra fuerint. Omiſſis autem in præſenti, quæ plurimi recentiores Aldus, Salinas, Mycillus, Scaliger, & ex antiquis Ephæſtion, Terentianus, Seruius, Diomedes, &c. commemorãt; nonnulla ex muſico noſtro Ariſtide referam, qui poſtquam de ipſis metrorum elemẽtis & ſyllabis, atq; pedibus diſſeruit, de quibus etiam antea diximus, ita de verſibus loquitur, vt eos à rythmo diſtinguat, quòd hic ſuam naturam in duobus diſſimilibus minimum generantibus in elatione, & poſitione ſitam habeat, cùm ſuam in ſyllabis, earúmq; diſſimilitudine metrum conſtituat, ita enim lib. 1. τοῖν γὰρ γινομένοιν ἐκ δυοῖν ἀνομοίοιν τὸ ἐλάχιστον ἀποτελουμένων, τὸν μὲν ῥυθμὸν ἐν ἄρσει καὶ θέσει τὴν οὐσίαν ἔχειν, τὸ δὲ μέτρον, ἐν συλλαβαῖς, καὶ τῇ τούτων ἀνομοιότητι. Aliorum verò ſententiam refert, qui putant metrum differre à rythmo ὡς μέρος ὅλου, ac ſi eſſet, τομὴ ῥυθμοῦ, ex eo quod metrum à μείρειν. i. partiri vocetur.

Diuerſa metra.

Autores metricæ.

Metrorum verò ſυστήματα numerat, quorum nouem ſpecies eſſe ſtatuit, quando ſimplicia ſunt, δάκτυλον, ἀναπαιστικὸν, ἰαμβικὸν, τροχαϊκὸν, χοριαμβικὸν, ἀντισπαστικὸν, ἰωνικὰ δύο, παιωνικόν. Dactylicum vſque ad 24 tempora procedit, ſicut diapaſon ad 24 dieſes: vnde colligere poſſis antiquos verſibus conſonantias adaptaſſe; nec in dubium reuoco muſicam longè pulchriorem futuram, ſi ei verſus optimè accommodarentur. Alia verò metra non καθ᾽ ἕνα πόδα, ſed κατὰ διποδίαν, ἢ συζυγίας βαίνονται. Dactylicum omnium grauiſſimum ait, cùm longam ἄλογον τεθειμένην habeat, quod logoidicum appelletur, ſi pro Dactylo alij pedes diſſyllabi temporum inæqualium, qualis eſt trochæus, ſtatuantur: illud metrum aliqui per dipodiam ſeu coniugationem ſcandunt tetrametra facientes catalectica. In anapæſtico dactylos reponi meminit, ſicut & ſpondæos, & proceleuſmaticos. Iambicum admittit dactylum, tribrachum, anapæſtum, & in locis imparibus ſpondæum, τροχαῖον δὲ οὐδ᾽ ὅλως; hoc autem metrum, vt & cætera per dipodiam ſcanditur, quæ eſt τοῖς πλείοσι μάλιστα. i. quod muſicus aduertere debet, quandoquidem aliâ ratione verſus iuxta dipodiæ rythmum harmonicè decantatus, quàm iuxta pedem ſimplicem afficiet, cùm varios animi motus prodat. Reliqua genera priùs enumerata vide ſi vis apud Ariſtid. qui epionicum, & epichoriambicum addit, & in fine lib. cit. de ſtrophe, antiſtrophe, & epodo nonnulla docet.

Ariſtid.

Plurimum autẽ intereſt, vt omnia metrorũ genera, atque horũ ſpecies muſicus agnoſcat, ſi muſicæ ſingulos effectus reſtituere velit, alio ſiquidem modo verſus integri, alio claudicãtes, quales ſunt ἀκέφαλοι, λαγαροί, προκοιλοι, λαγαροί, δολιχοῦροι mentem agitabunt: nec idem erit effectus monometri, dimetri, trimetri, ac tetrametri, & plurium pedum, ſicut neque acatalectici, & catalectici, ac hypercatalectici. Et quidem inter catenoplios, periodicos, & ſapphicos, licet hexametri fuerint, magnum diſcrimen intereſt, & ipſa pronuntiatio ſine concentu ſatis oſtendit, quantam in auribus, & animo varietatem verſus ἰσόχρονοι, ἰσόσημοι, ἰσόλεκτοι, ἀπηρτισμένοι, ἀπηλεγεῖς, ἄλογοι, βραχεῖς, μαλακώδεις, καλοί, ἀστρόφοι, λυγροί, πλήρεις, & ποδιαμεῖς producant: imo & inter ἰσόχρονος, ſeu ἰσόποδας tanta eſt differentia, vt eam lalantes pueri agnoſcant, & in his duobus conſtat

Species verſuum claudicantium, & aliæ plurimæ.

Ciues Romani tunc facti ſunt Campani.

Panditur interea domus omnipotentis olympi.

quorũ primus Ennianus eſt ἰσόχρονος ſpondiacus, ſecundus Virgilij Dactylicus. Præterea vt verſus faciliori modo condant, ſcire debent, quid ſit ſyſtole, & diaſtole in verſibus, quid parellipſis, & diplaſiaſmus, quid ecthlipſis, & ſynalephæ, diæreſis, ſynæreſis, ſynecphoneſis, & cætera, quæ ad metra ſcribenda plurimum iuuant, nec minus frequenter apud Gallos; in quorum gratiam præſertim hæc dicta ſint, quàm apud Latinos, vel Græcos reperiuntur: quod illos expendere velim, qui deinceps in poëſi gallica laborabunt, nam quo

Quid ſcire debeat poëta?

Metrorum 9 ſpecies.

quo accuratiùs Græcos, & Latinos ſecuti fuerint, qui nihil ſine ratione conſtituiſſe videntur, eo conatus illorum laude dignior erit, nec Hiſpani, Itali, Germani, Angli, aut aliæ gentes exteræ quidquam nobis obijcere poterunt, ſi noſtræ linguæ pedes, & rythmos adaptemus, quòd maximè nunc fieri poſſe crediderim, vbi ad faſtigium lingua noſtra profeciſſe videtur. Scio quidem non deeſſe, qui putent linguam Francicam longarum, & breuium, vel communium ſyllabarum expertem eſſe, qui proinde contendunt illam metricæ quantitatis capacem non eſſe: verùm toto cœlo aberrant, vt in pluribus ſyllabis, atque dictionibus conſtat, quas niſi longas, vel breues feceris, non minus, quàm apud Græcos, vel Latinos incommodum ſequetur, qui ſyllabam longam corripuerint; quod paucis oſtendo: Eodem vocabulo canem, & matutinam horam nuncupamus *matin*, adeout neſcire poſſis, quid velim his verbis *le matin eſt venu*, niſi primam ſyllabam huius dictionis *matin* aliqua quantitate afficiam, quam ſi corripuero, matutinum tempus, ſi longam fecero, canem intelliges: ſexcenta iſtius generis omitto. Adde quòd non alia ratione Latini, vel Græci hanc, aut illam ſyllabam longam, vel breuem fecerunt, & iam talem exiſtimant, niſi quia ſic ab eis pro libito ſtatutum eſt, qui ſi voluiſſent, prima ſyllaba dictionis *timor*, & [illegible] longa fuiſſet.

An Gallorum lingua breues, & longas ſyllabas habeat.

At dices verſus noſtros quantitati ſubiectos gratia carere, vt plurimi non ſine indignatione de metris Gallicis Baifij conqueruntur, quos dictionibus barbaris, & inuſitatis ſcatere aiunt, eóſque proinde velut lectione indignos repudiant, & irrident, cui tamen potiùs gratias habere debuerint, qui non ſine ingenti labore Athenas in Galliam introducere conatus eſt, vir ſanè in omni genere doctrinæ, præſertim verò in Græcis authoribus eruditiſſimus, vt affirmãt, qui cum eo familiariter vixêre: quod illi verſus, quibus ſingulos pſalmos Dauidicos tam gallicè, quàm latinè ferè de verbo ad verbum expoſuit, abundè teſtantur, qui nondum editi ſunt. paucos infrà refero muſicè redditos, vt quiſpiam intueatur, quos motus varia metrorum genera concentibus afferant. Primi verſus Sapphici ſunt, ijque duplices, latini à Baifio ſcripti 12, gallici à Deportis 126 pſalmum exprimunt: In hoc autem metrum gallicũ Philippi à Portis à metris gallicis Baifij differt, quod illud præter quãtitatem, quam obſeruat, ſit etiam [illegible], quam ſimilem deſinentiam non ſolùm Gallis, verùm etiam omnibus propè nationibus adeò placuiſſe video, vt præter Græcos, & Latinos vix vlla reperiatur, quæ cadentiarum ſimilitudinibus vſa non fuerit, vt etiam apud Arabes, Chaldæos, & Hebræos videre eſt, vt mox oſtendemus.

Baifi verſus quales.

Genera verſuũ quibus in ſequentibus exemplis vtimur

Secundum exemplum deſumetur ex pſalmo 42, quem infra muſicè reddimus, vbi duo primi verſus erunt Dactylotrochaïci tetrametri, brachycatalectici, duo ſequentes dimetri catalectici, & ita de reliquis cenſendum eſt. Tertium exemplum pæonicorum motus oſtendet, qui ſunt tetrametri acatalectici pſalmum 67 exprimentes; quartum denique pſalmum vltimum aperiet; vbi primum metrum eſt Phaleucium antiſpaſticum trimetrum catalecticum; reliqua metra ſunt iambica diuerſæ ſpeciei. Placet autem hîc tentare, num Baifij verſus gallicos noſtris characteribus exprimere poſſimus, nouos enim adhiberi voluit, ac ſi alia ratione verſus noſtri quantitatem pati non potuiſſent, quos infrà deprehendes, reddam verò duos hymnos, quos verſibus gallicis traduxit, eum videlicet quo Spiritusſancti gratiam inuocamus, quem his verbis incipimus. *Veni creator ſpiritus &c.* & alium, quo veſpertinis horis Chriſti Domini gratiam, atque præſidium imploramus. Primus igitur eſt ode tetracolos ſapphica, quæ complectitur tres primos verſus epichoriambicos trimetros, & vltimum monometrum hypercatalecticum, Adonicum, vel dimetrum catalecticum inter dactylos numerandum, ita vero ſe habet.

— ∪ — — — ∪ ∪ | —∪ | — ∪
Vien t'an ô treſſeint crekteur creant nȣs
—∪ — — — ∪∪ — ∪ — ∪
Eſperit, vien t'an viziter nos éſpris.
— ∪ — — — — — — ∪ — ∪
Tu créas nô-cœurs: de la krâce dés cieux
— ∪ ∪ — —
Vien non-lez-anplir.
Toy ki as nom conſolateur, recherché,
Don du tré haut Dieu, viue ſource, ven ſeint,
Seint' amour, l'oinctîue ſacré des éſpris
Kréme des éſpris,

Reliquos verſus omitto, vt quoſdam ex hymno ſecundo referam, qui verſibus Alcaïcis cõſtat; duo primi vocantur epionici trimetri catalectici: tertius iambicus dimeter hypercatalecticus, quartus denique dactylitrochaïcus trimeter acatalecticus, & explicat *Chriſte qui lux es, &c.*

— — ∪ — — ∪ ∪ — ∪ —
O Khriſt ki és ſeul nôtre lumiér' é iour
— — ∪ — — — ∪∪ — — ∪ —
Lés onbrez ôtant dés tenebreuzes nuis
— — ∪ — — — ∪ — —
Klarté le ſurjon klér de klarté
— ∪ — — ∪ ∪ — ∪ — —
Toy de l'hureuſe lumier' anonſeur.
Nous t'an prions nȣs ſeint é clemant Signeur
Gard' é defan nous par céte noire nuis
An toy repos aions aſeurés
Et done nous vne douce nuité.

Qui verſus tametſi nonnullis ingrati, & omnibus gratijs deſtituti videantur, non ita tamen ijs, qui in huiuſmodi verſibus condendis laborauerunt, ſciunt enim quantus labor impendendus ſit, neque miror, ſi, quod non eſt in vſu, diſpliceat, cum etiam id in alijs rebus ferè ſemper contingere ſoleat; verùm id impedire non debet, quominus alij verſus iſtiuſmodi ſcribant, qui noſtram linguam perficere voluerint, in quorum gratiam verſus reliquos hymni præcedẽtis affero.

— — ∪ — | — — ∪ ∪ | — ∪ —
Charjés ne ſoions d'vn tro peȥant ſomeil
— — ∪ — | — — ∪ ∪ | — ∪ —
Surpris ne ſoions par l'anemi méchant
— — ∪ — — — ∪ — | —
La foible chair à lui s'akordant
— ∪ — — — ∪ | — ∪ — —
Point ne mȣ rande coupable vérs toy.
Fermés lés yeux ſoient d'vn gracieux ſomeil
San ceſſe lé-keurs veillét ouurés à toy
Ta dextre gard' ô leur protecteur
Ceux qui te ſernet é teimé loyaux.
Sur nȣs regard' ô nôtre bening ſuport
Rambarre confus nôs aguéteurs malins
Tes ſeruiteurs deignant gȣuerner
Nȣs que tu as rachetés de ton ſang.

Signeur ſouuien-toi ſoir é matin de nus
Nus atrauantés d'vn mizérable cors
O toy dez éſpris dux defanſeur
Vien-nus (émable Seigneur) aſiſter.

Fateor tamen eos pluribus gratiores futuros, ſi ſolitæ Gallorum cadentiæ iungantur, quas ſolas Ronſardus, & alij ſecuti ſunt, licet illos placere credam viris, qui plus iudicio, quàm auri tribuerint. Vtrumque verò & ὁμοιοτέλευτα, & quantitas verſibus noſtris addi poſſunt, quod etiam feciſſe Baifium audio, poſt quem Rapinus, & Callierus optimè, vt apud ipſum Rapinum videri poteſt; nec eſt quod pluribus de poëſi Gallica loquamur, quandoquidem non deſunt, qui proſodiam, & metricam Gallicam polliceantur, licet enim illud aliqui tentarint, non vſque adeò fœliciter perfecerunt: Spartam hanc viro in muſicis erudito Maſſero exornandam relinquo, cuius hi ſunt verſus tam cadentiæ ſimilitudine, quàm metricis conſtantes, quos de Chriſti paſſione conſcripſit, & ſapphicos elegit.

— ∪ — — — ∪ ∪ — ∪ — —
Randre par ſes vers ie te veux Redempteur
— ∪ — — — ∪ ∪ — ∪ — —
Graces é chanter ta celeſte grandeur
— ∪ — — — ∪ ∪ — ∪ — —
Eléu' ô bon Dieu ma deuot' oraiſon
— ∪ ∪ — —
Vers ſon horizon.
Fay que dan mon cœur ton amour triomphant
M'aille d'vn ſaint feu iour é nuit échaufant,
Fay que tou mes ſens ne s'arétent qu'an toy
Leur chéf & leur roy.
Soubs ton eſtendard cheminant de bon cœur
I'eſper' en tous lieux demeurer le vainqueur
Monde, chair, demons anemis de mes vœux
Vaincre ie vous veux.
Vien de grac', ô ſaint debonair' é parfait
Eſprit eternel doner ordr' a mon fait
Plante foy, eſpoir, charité dedans moy
Et maſur' an toy.
Monſtr' a l'œil mortel repreſant' a leſprit
Les cruels tourmans du benoiſt é doux Kriſt
Et comant pour nous redimer des enfers
Il ſe mît aux fers.

Hactenus de noſtris verſibus, quos ſimiliter in omni lingua fieri poſſe arbitror, ſed exteris nationibus illud meditandum committo, vt certis pedibus animum huc illuc commouere, & ad hoc, aut illud animi pathema concitare valeant: pedibus ſiquidem metricis veluti paſſibus quibuſdam audientium animos percurrimus, adeout plurima ille facturus ſit, qui pedum ſimul & animorum commouendorum naturam agnouerit. In præſenti tamen Hebræorum metra ſolùm attingam, ſi priùs noſtros poëtas monuero, vt Græcos poëtas, & Ephæſtionem conſulant, antequam metricæ nos adſtringant, deinde ne ſe ad poëticam perfectionem exiſtiment perueniſſe, donec illam Ronſardi ſuauitatem, facilitatem, & gratias, & ſi vis ſimiles deſinentias ſuis metris adhibuerint. Scio quidem nonnullos arbitrari fore ſatius ſi poëſim noſtram arbitrio ſolo quantitati iungamus, quàm ſi Græcos, vel Latinos imitemur, quia linguam noſtram elegantiorem, & hoc ſæculo latinâ, græcâque perfectiorem aiunt: adde quòd alium loquendi modum, accentus, & rythmos ab iſtis idiomatibus longè diuerſos habet, & ſyllabarum quantitas potiùs à cuiuſlibet populi arbitrio, & inſtituto, quàm ab aliorum imitatione pendet. Verùm docti refragantur indignum exiſtimantes, ſi lingua, quæ plurimum à græcâ, & latinâ manauit, vt conſtat ex multarum dictionum origine, ab iiſdem quantitatem, & metrorum ideam nominè repetat. Vt vt ſit, nunquam poëtam, ſicut neque muſicum pœnitebit, quòd Græcos, & latinos cõſuluerit, & imitatus fuerit, quos Deus ipſe præceptores in humanioribus, atque philoſophicis ſcientijs, ſtudijſque mathematicis nobis conſtituiſſe videtur. Verùm ad Hebræos accedamus, & diſcutiamus, num verſus metricos habeant, aut illis ſaltem vti poſſint, vt ea ratione muſicam Hebræam, quæ in templo præſtantiſſima fuit, pro viribus reſtituamus.

Scio plurimos negare vlla metra in codice ſacro reperiri, licet D. Hier. qui pſalterio nihil canoriùs eſſe aſſerit, illud in morem Flacci, & Pindari nunc iambo currere, nunc alcaïco perſonare, nunc ſap- Hieron.
phico tumere arbitretur: quæ verſuũ genera Scaliger animaduerſ. in prologom. Hieron. in Pindaro Scaliger.
inueniri negat, qui neque in Pſalterio, neque in Threnis, neque in Iſaia, vel alijs Prophetis vllam poëſim admittit, ſed tãtùm in cantico Moſis, quod Deuter. extremo cap. legitur, deinde in Prouerbijs Salomonis, & lib. Iob, adeout illa metra quadam An & qui
rythmi neceſſitate inſtar duarum dimetriarum co- verſus ſint
hibeantur, ita tamen vt illi verſus pauciorum ali- apud Hebræos?
quando ſyllabarum, aliquando plurium exiſtant, quales ſunt apud Græcos ςίχοι καταληκτικοὶ, βραχυκατάληκτοι, ὑπέρμετροι, non quòd fiat compenſatio per ἰσοχρονίας, vt apud Græcos, cum idiomate He- Quinam
braico illud exprimi nequeat, ſed quantum ſenten- bibliorum
tia poſtulat rythmis nunc longiores ſunt, nunc libri poëtici
breuiores: quomodo politici verſus apud Græcos ſyllabarum numero non temporum ratione conſtant, ſic enim in Iobo, & Prouerbijs merum rythmum, non metricam modulationem reperies: licet enim 2, vel tres dipodias Iambicas ſæpius in illis videamus, aliquando tamen mira eſt inæqualitas, vt nequidem rythmus ſeruetur. Pari modo negat ſermonem Hebraïcum, Syriacum, Abyſſinum, & Arabicum metri legem pati, ac proinde B. Hieron. arguit, quòd præfat. in Iob. dixerit li- Hieron.
brum hunc Iobi verſibus hexametris ſpondæo currentibus, vel alijs ἐν ἰσοσυλλάβαις ἀλλὰ ἰσοχρόνοις conſtare. Fatemur autem antiquos Scripturę ſacrę rythmos non eſſe recentioribus Iudæorum rythmis ſimiles, quos à nobis ante annos plus minus quingentos acceperint, ſicut nos ex Leoninis hexametris noſtros deſumpſimus, qui ὁμοιοτέλευτοι & ὁμοιοκατάληκτοι vocantur ob parem ſyllabarum nume- Lex, & can-
rum, & ſimilem deſinentiam. Qua ratione cola, tus Mahu-
ſiue commata Alcorani numero quidem ſyllaba- medanorũ.
rum admodum inæqualia ſimiliter deſinunt, quæ propterea Mahumedani ruptum legunt, donec ad finem peruenerint, & tunc vltimum verbum eodem tono, quo vltimum antecedentis pronuntiant, ſimiléſque deſinentias Floſculo aureo, vel minio notant. Præterea vult illa metra hebraica meliùs à D. Hieron. epiſt. ad Paulã Vrbic. tetrametra, quàm hîc hexametra nuncupata fuiſſe, Hieron.
cum Iobi, & Salomonis verſus ſint 4 dipodiæ, aut 2. veluti dimetriæ licet productæ, vel decurtatę, prout ſententia poſtulat. Arguit etiam ipſorum elementorum hebraicorum ſignificationem, & ſyzygias, quas ait Hieron. ab Euſebio accepiſſe Euſeb.
cui vafer Iudæus illuſiſſet. Canticum moſis ait ad tetrametrum

tetrametrum iambicum, non autem heroicum hexametrum accessisse contra Iosephum, quem reprehendit, sicut & Philonem vt hebraismi imperitissimum, quòd Essenos multiplici metrorum genere conscriptos hymnos canere dixerit, nisi græco sermone, vt Hellenistæ Iudæi Ægyptientes vsi fuerint. Denique licet cœlum mari misceatur, negat hebraismum, syriasmum, aut Arabismum ad latinorum, vel græcorum tenorem reuocari posse.

Ioseph. Philo.

Quod alijs pluribus in hebræa lingua doctis, ipsisque linguæ sanctæ professoribus arridere video, qui putant D. Hieron. non adeò in sancta lingua versatum fuisse, & ea, quæ priùs de versibus censuit, generatim sine diligentiori examine pronuntiasse; nunc verò non deesse, qui ipso B. Hieron. in ea lingua doctiores sint. Nolo iam illam difficultatem aggredi, num quis illo doctior sit, aut fuerit, quamuis non desint probabiles rationes, vt quod non æquale tempus hisce studijs impenderit, quod multis pluribus magni momenti difficultatibus implicitus fuerit, quæ præpediebant, quominus ita linguæ hebraicæ vacare posset, cùm alij plurimi totam ferè vitam in eo studio collocent; sed nec ex alia parte coniecturæ desunt, tametsi enim fieri potuerit, vt verba quædam hebraica D. Hieron. non adeò perfecte nouerit, & fortassis omnia cuiuslibet dictionis significata non agnouerit, vix tamen mihi persuadeo vllum eo doctiorem; tum quia excellebat ingenio, & improbo labore difficultatem omnem superabat, tum quia linguæ origini vicinior erat, denique illum à Deo singulariter adiutum fuisse crediderim, & constitutum, vt biblia latina correcta Ecclesiæ suggereret. Reliquas coniecturas, alibi ex illius operibus depromendas omitto, vt perspiciamus, num reuera nulli sint versus in sacro codice, vel nulli esse possint apud hebræos, quales D. Hieron. descripsit: priùs tamen Briareus ille arguendus est, qui illa metrorum genera in Pindaro esse negat, de quibus primò noster sanctus loquebatur; alcaicum enim istud apud Pindarum in Nemeis legimus ode 5. strophe 2.

D. Hieron. potuit plurimos libros hebræos habere, quibus iam destituimur.

φόρμιγγ' Ἀπόλλων ἑπτάγλωσσον.

Nisi velit negare versum hunc, *& eloquentiæ parentem* esse dimetrum iambicum hypercatalecticum, quòd ab Alcæo poëta vocamus alcaicum, quod etiam in Flacco habemus, *Syluæ laborantes geluque*, quod alij nuncupant archilochium, quod est iambi species, vt constat: quod autem iambici, alij plurimi, & sapphici versus apud Flaccũ habeantur quis scholarium ignorat? igitur satis est, quod apud Flaccum, vel Pindarũ illa genera inueniãtur, vt D. Hier. à virgula Scaligeri vindicemus.

Metrum alcaicum.

Vt verò accuratè perspiciamus, num hebræa lingua versus à Hieron. citatos recipiat, psalmum aliquem, nec non Threnos, & Iobum aggrediamur. Itaque psalterio aperto psalmus hebræis 76 occurrit, cuius vnum, aut alium versum in examen adduco.

הַטֵּה־יְהוָה אָזְנְךָ עֲנֵנִי כִּי־עָנִי וְאֶבְיוֹן אָנִי׃
שָׁמְרָה נַפְשִׁי כִּי־חָסִיד אָנִי הוֹשַׁע עַבְדְּךָ אַתָּה אֱלֹהַי הַבּוֹטֵחַ אֵלֶיךָ׃ Prima syllaba versiculi primi longa est ob punctum in ventre ט; secunda longa est ob vocalem longam, vnde spondæus exurgit; sequens est iambus, tertius spondæus, 4. & 5 iambus, 6 & 7 spondæus, 8. anapæstus, vltimus, spondæus, vt hic

— — ∪ — — — ∪ — ∪ — — —

notatum vides Hatte iehoua azneca haneni ki

— — ∪ ∪ — — —

hani veebiom ani: secundum versiculum ita scandere possumus, vt inter anapæsticos annumeretur, primus enim pes est anapæstus, si scheua pronuntietur, quod hebræo poëtæ musico licitum arbitror: pari iure pes secundus erit anapæstus, vel nisi scheua pronunties, erunt 2 spondæi, &c. quid si puncta de nouo inuenta nihil iuuent? quid facilius, quàm vt omnia versuum genera in psalmis, & alijs libris reperiamus? Et quidem nullatenus in dubium reuoco me quosdam hexametros, & alios dactylicos, sapphicos, & alcaicos versus in biblijs hebræis inuenire posse: sed hæc solùm obiter dicta velim, altioris enim est negotij psalmorum omnium metra, pedésque explorare. Præterea cap. 6. Iob ita habet vers. 1. לוּ שָׁקוֹל יִשָּׁקֵל כַּעְשִׂי וְהַיָּתִי בְּמֹאזְנַיִם יִשְׂאוּ־יָחַד׃ quod variè scandi potest, quandoquidem existimo poëtas hebræos pro libito scheuata omnia legere, vel reticere posse, prout metri commoditas, atque natura postulauerit, quidquid alij potiùs nunquam in poesi legendum esse credant. Deinde cur non eis pedum, atque syllabarum dissolutione, atque cõtractione vti licebit? ita igitur scandi potest, — — | — — | — — | — ∪ ∪ ∪ — | ∪ — | ∪ ∪ — vel si non vtor punctis nisi ad libitum

— — | — — | — ∪ ∪ | ∪ — — | — —

Lousfool iyskel cahsiue hantibe mozenim, Quid enim obstat, quominus sic antiqui poëtæ scandere potuerint; quis ô Scaliger tibi reuelauit D. Hieron. non ita in pluribus scripturæ locis legisse? vt dactylicum pentametrum acatalecticum, aliàs Simonideum pronuntiaret? nonne præter 9 genera versuum, de quibus antea dictum est, species omnium compositorum accuratè legere debuisti, antequam D. Hieronymum erroris, & ignorantiæ accusares? enimuerò si in sacro codice versus nostris compositis similes repererimus, eos illius generis nomine nuncupare fas erit, ad quod plures pedes spectauerint, ex quibus conflabuntur, quare si plures trochæos trochaicus, vel sapphicus, si dactylos, & spondæos, heroicus, &c. vocari poterit. Igitur ne Scaligeriani in arguendo audaces, & qui vel plura, vel omnia suo iudicio metiuntur, ita facilè deinceps de Patribus ecclesiæ iudicent, placet hîc metrorum tabellam cum nominibus, atque dipodijs apponere, quorum collatione de metris Hebræorum iudicare poterimus. Quòd articulo nouo faciemus, ne hic longior esse videatur.

ARTICVLVS VIII.

QVOD LINGVA HEBRAICA VERSVS NOSTRIS similes pati valeat aduersus Scaligerum.

Reuchlinus.

NOn defuerũt qui prosodiam Hebræorum ad Græcorum legem reuocare voluerint, inter quos Raimundum Mithridatem Romanum Reuchlinus lib. 3. accentuum, & orthographiæ nu-

Mithridates.

Accentus Hebraici tonis similes.

merat, vt apud Hebræos θέσει, χρόνοι, πνεύματα, καὶ παθήματα constituerentur, quod ex ipsis accentibus, qui tonis similes sunt, confirmabat, *cadma* enim, & Maarich acutè sonat, grauiter verò *tarha*, & præcedente *Cadmâ Segula*, *Zarka*, & *Azla*; circunflexum sonum edit *Sophar iasar & Iareah ben iomo*. Tempora autem longa sunt initio dictionis *Tharsa*, in medio *Rebia*, & in fine *Acarnepara* præcedente *Iareah ben iomo*, &c. quæ apud Phorsensem loco cit. videre potes. Tametsi verò laborem hunc exantlare nolim, vt apud Hebræos omnia versuum genera constitui posse demonstrem, quæ à Græcis condita sunt, attamen id fieri posse contendo, non solùm quia R. Dauid Iehaias libel. de metris לבורים carmina hebraica verbis suauibus, breuibus, & libratis autoris sententiam aperire velit, vbi carmē definit; *verba copulata, quorum coniunctio proportionem, elegantiam, institutum, & pondus complectitur*; sed quia probabile est Græcos partim ab Hebræis, & Chaldæis suos versus, lyricos præsertim accepisse, vt notat Genebrar. annotat. in R. Dauid; vt iam recentiorum Iudæorum, vel Rabinorum poësim, quæ partim Græcos, & latinos imitatur, partim Gallos, dum ab illis syllabarum quantitatem, ab his rythmum sumunt, omnino diuersam à Mosis, Dauidis, & Salomonis versibus existimare possimus; quis enim non videt, quomodo ὁμοιότελευτον nostram imitentur? Displicet autem quòd singulas 10 motiones producant, & solas syllabas scheuâtas corripiant; cur enim ex illis motionibus 5 breues esse dicuntur, nisi syllabam corripiant, quam efficiunt?

R. Dauid.

Carmen Hebræorũ quid?

Pauca tamen de versibus, & prosodia Iudæorum hodierna dicenda sunt, antequam eos cum versibus latinorum, de quibus Hieron. loquitur conferamus. Itaque syllabam semper producunt, quæ vnam ex 10 vocalibus punctis habet, quam propterea תנועה. i. motionem appellant; breuem autem faciunt, quæ vel scheua mobile, vel compositum habet, vel quando ו loco scheuatis ante literas בומף, vel literam scheuatam ponitur: Duobus autem pedibus solùm vtuntur, quorum primus vnica syllaba longa constat, & est תנועה præcedens: alter est יתד breui, longáque constans syllabâ, nostroque Iambo respondens; horum verò coniunctione suos versus fabricant, etenim ex 2 longis spondæum, ex *Iather*, seu claui & *tenouha* bacchium; ex claui, & motione Creticum: denique ex tribus motionibus molossum componunt: & ex varia pedum istorum collocatione varia metrorum genera condunt, quorum præcipua sunt trimetrum, tetrametrum, pentametrum, & hexametrum.

Syllabæ longæ, & breues apud Hebræos quæ?

Pedes metrorum hebraicorum quot, & qui?

Metrorum hebraicorum species.

Trimetra sunt simplicia, vel composita; illa solis longis syllabis, videlicet 3 spondæis constant, nullum enim scheua retinent: hæc autem longis, & breuibus syllabis gaudent, quorum 6 præcipuæ species enumerantur; prima Iambum habet in primo loco: in 2, & 3 spondæum. 2 species iambicum vnicum habet in medio 2 spondæis conclusum: 3 ponit iambum post 2 spondæos. 4. spondæum, bacchium, & iambum: 5 creticum, spondæum, & bacchium; 6 denique spondæum, & 2 bacchios habet. Tetrametrum eodem ferè modo se habet, est enim simplex, & compositum: illud ob 4 spondæos quadratum appellatur, hoc præcedentis instar 6 species continet, sicut pentametrum, quod à numero pedum nuncupatur, & hexametrum, quod ex 2. trimetris velut hemistichijs constatur.

6. species trimetri.

Tetrametrum.

Vbi verò plures versus coniungunt in modum distichorum nostrorum, primam distichi partem דלת, velut carminis ostium, & aliam סגור clausulam vel periodum; ambo coniuncta בית domum, seu versum integrum appellant: si carmina non perueniũt ad numerum denarium פסוק: si decem, vel plures versus cōditi sint שירה dicuntur. Quòd si Bait sua duo hemistichia diuersi generis habet, dicolon distrophon; si eiusdem generis, monocolon vocatur. Superest, vt de rhythmo, seu homioteleuto nonnulla subiungamus. Rhythmum triplicem habent, quippe qui vel est in vnica voce, vel in 2, vel in 3: in vnica cum in vnica motione, vel litera duntaxat consentiunt, qui quia vulgaris, & transiens est, nec facilè percipitur auribus שיר עובר quando in 2 literis, aut vocalibus conuenit elegans שיר ראוי, cum 2 vel plures syllabæ in literis, vel saltem vocalibus cōgruunt, excellens שיר משבח appellatur. Hunc autem rhythmum non solùm in fine, sed & in medio hemistichiorum nonnunquam, & in illorum membris obseruant: idque tribus modis in fine versuum: si 2 in fine conueniant, carmen קשור constituitur: cætera vide apud Blebelium, & Blancuccium. Cùm singulorum versuum hemistichia conueniunt, videlicet priora in medio, & posteriora in fine חרוז nostris leoninis simile nascitur. Si hemistichia singula in 2. pausas distinguantur, itaut sint 4 pausæ, quarum 3 primæ rhythmum eundem habeant, postrema verò in segor sequente, מחלף diuisum carmen efficitur huic latino simile.

Partes versuum hebraicorum.

Rythmi apud Hebræos quot.

Quanquam tacet, multis placet,
Rarò iacet vir optimus:
Quod loquetur, despicietur,
Nec coletur pessimus.

Præterea synæresi, dialysi, eclipsi, diastole, & tmesi vtuntur, primâ siquidem videlicet synecphonesi 2 syllabas vna vocé pronuntiant, & in vnicam contrahunt: siue scheua à principio, siue à medio auferant, vt litera illius ad sequentem vocalem referatur: vel cum idem scheua post longam vocalem quiescit, & ad præcedentem vocalem eius litera retrahitur. Diæresi etiam, seu dialysi vtuntur, dum scheua mutum post vocem paruam metri gratiâ mouetur, & à sua vocali, & litera præcedenti, cum qua in vnam syllabam coibat, distrahitur: quod animaduertas velim, hac enim diæresi nobis postea vti fas erit, vt Scaligero satisfaciamus.

Priuilegia poëtarum hebraicorum.

Elidunt præterea consonantem, quæ in scansione tam in medio, quàm in principio dictionis supprimitur, & cum suo scheuate mobili dissimulatur, quod eclipsim in hebræis versibus licitam esse probat: sicut & diastole facit, vt syllaba, quæ natura breuis est, per ecstasim producatur, metri necessitate cogente. Denique per Tmesim distrahitur in medio versus illa dictio, quæ occurrit, cum scheua tam simplex, quàm compositum in illud medium incidit, vt sic versus distinguatur; in fine verò eadem dictio in 2 versus distrahitur, vni siquidem finem imponit, & alium incipit: quem si non incipiat ob dages forte, quod vltimam dictionem afficit, sed integra manet, hypermetrum versum ita constituit, vt syllabæ redundantes scandendo ad initium sequentis hemistichij referri debeant, quod alioquin ἀκέφαλον est, & ideo virgula transuersa defectum indicans ei præfigitur. Hactenus de hodiernis metris hebræorum, quæ vt vnico intuitu deprehendas, hîc vnicâ tabellâ refero singula genera, quibus vtuntur.

GENERA

GENERA VERSVVM HEBRAICORVM XIV.

1. genus.
מצא אשה מצא לו בשת הפנים חרפתו לא תמח ימצא כוז וקלונים
היא תשוך כנחש תפריש כצפעונים תשקיף מן האשנב תציץ מחלונים

2. genus.
אני ישן ולבי ער בתחבולות זמן סוער ותוך לבי כאש בוער מאד עצור בעצמותי
ביום זכרי כזימותי הבונותי וערמותי זקורותי והכמותי ואזכור בו חליפתי

3. genus.
ראיתי השמש יזרח בתקופתו ובטהרתו
על חוג שמים יתהלך ירוץ אורח במסבתו

4. genus.
נריבי עם קראוני לרפאות צביה הלתה ימים שמנה
מצאתיה במטת שן אחוזה בחבלי כיץ עלי הולע אמינה

5. genus.
יהודה את השקי ויערת צוף מתקי כחבל את חלקי ללבי את נצחו
זמן בך יתפאר בסתום במבואר אשר תאור יוארותוריר בריחו

6. genus.
סכל לבבי ער ראות שיאך אם רעלה שיא האנוש לשמים
אילו יבינון הלבבות נרלך ים־אסו יתה־לכו במים

7. genus.
את דבר חירתי שמעו נבונים נפלאו אך רעו כי כל חכמי לב לה־נירת לאו
אב כהא־רמה חוליד | ארכ עה האחים
לא כב־דים לא קלים לא | יב־שים לא לחים
בם ירו־צון אופניהם | והם שוקטים נחים

8. genus.
שמעו הרים שיר השירים חבר על ראש השברים
עפרון השר הוא שאכר לשתות מים לבחורים

9. genus.
צבי החברים וגזר נזירים ומשגב לעתות ועזרת בצרות
והרכב עלי חוג זמירות וכל־שר לגזרך אתוכבי אתוגות צחירות

10. genus.
ראה מקרי זמן כונך אנוש אנוש והפלא
ורבר ממך נעלם אני את אדנך גולה

11. genus.
ראה צבי זמן ועת ועל דבר אמת שקוד
זמן ועת לכל יצור ועת ספור ועת רקוד

12. genus.
אדרשה חסדך כי אני עבדך אערוך נגדך מהלל נחמך

13. genus.
בינו עדי עמים ואל תג־בהו הער ברים הת מהז ותמהו
התג פלו ושאו תחינה על אסיר מית מספר את אשר קרתי

14. genus.
רואי ויודעי לפנים עלי שאו תהגונים
אתמול אני חי כמוכם היום כתוך גל אבנים

Ex quibus manifeſtum eſt, qua ratione metra hebraica hodierna ſcandi debeant, longis, & breuibus vnicuique ſyllabæ ſuperpoſitis: duos autem verſus pro vnoquoque metri genere ſtatuimus, vt non ſolùm דֶּלֶת, & סוֹגֵר, & totum בַּיִת, verùm etiam rhythmus, quem 2 verſus inter ſe ſeruare ſolent, oculis pateat: primum igitur genus eſt ſine ſcheua mobili, idque ſimplex, reliqua verò genera, prout annotauimus: 2 genus eſt compoſitum: 3 ſimplex: 4 compoſitum: 5 compoſitum ex ſcheua mobili, & 4 tenugot: 6 in fine deleth, & ſoger eſt homiteleuton; reliqua genera, nempe 7 & 8 omnium facillimum, 10, 13, & 14 ſatis per te contemplari potes ex præcedenti tabula.

Quorum verſuum ex R. Emanuel Ben R. Salomonis deſumptorum ſignificatio hæc eſt.

1. genus. Qui reperit mulierem, reperit ſibi confuſionem facierum: opprobrium eius non delebitur, inueniet contemptum & vilitates. Ipſa mordet, vt ſerpens, diuidit ſicut Baſiliſcus, reſpiciet de feneſtra, proſpiciet per cancellos.

2. genus. Ego dormio, & cor meum vigilans in fallacijs temporis turbati. Et medium cordis mei, ſicut ignis ardens valde clauſus in oſſibus meis. In die memorari mei cogitationes meas, intellectiones meas, aſtutias meas, accidentia mea, ſapientias meas. Et recordabor in eo mutationis meæ.

3. genus. Vidi ſolem lucere in ſphæra ſua, & in ſplendore ſuo. Super horizontem cœlorum ambulat, currit viam in circuitu ſuo.

4. genus. Principes populorum vocauerunt me ad medendum pulcherrimam infirmantem dies iam octo. Inueni illã in lecto eburneo ligato funibus byſſinis ſuper verniculo de Amena.

5. genus. Iuda tu deſiderium meum, fauus mellis dulcedinis meæ. In mundo tu pars mea corde meo, tu victoria eius. Tempus per te decorabitur palam, & occultè quod illuminas lucidum fiet, & dominaberis in odore ſuo.

6. genus. Stultum factum eſt cor meum vſque ad videre excellentiam tuam ſi aſcendet dignitas hominis ad cœlos. Si intelligerent corda magnitudinem tuam, liquefierent, currerent vt aquæ.

7. genus. Verbum ænigmatis mei audite prudentes, admiramini etiam: ſcitote quod omnes ſapientes corde in manifeſtare illud defatigati ſunt. Pater in terra genuit quatuor fratres non graues, non leues, non ſiccos, non humidos; cum illis current rotæ eorum, & ipſi ſunt tranquilli quieſcentes.

8. genus. Audite montes canticum canticorum compoſitum in ſummitate contritionũ. Ephron princeps ille eſt qui prohibuit bibere aquas adoleſcentibus.

9. genus. Gloria ſociorum, & corona Nazareorum, adiutorium in temporibus, & auxilium in tribulationibus. Equitabis ſuper filio cantionum, & omnis princeps coram te quaſi equitantes ſuper aſinas albas.

10. genus. Vide accidentia temporis mendacis ô homo, ô homo, & admirare. Et verbum à te abſconditum, ego aurem tuam reuelabo.

11. genus. Vide pulchritudinem temporis, & horæ, & ſuper verbum veritatis vigila. Tempus & hora eſt omni creaturæ tempus lugendi, & tempus ſaltandi.

12. genus. Quæram miſericordiam tuam, quoniam ego ſeruus tuus ſum. Præparabo in conſpectu tuo hymnum ſiue laudem deſiderabilem.

13. genus. Intelligite teſtes populi, neque ſuperbiatis tranſeuntes moramini. Procumbite, & eleuate deprecationem ſuper ligato à morte narrante quæ ei acciderunt.

14. genus. Videntes me & noti mei prius ſuper me eleuate preces. Heri ego viuens ſicut vos: hodie in medio acerui lapidum.

Supereſt

Superest vt ostendamus cœlum mari non esse miscendum, vt hebraismus ad latinorum, vel Hebræorum si non omnium, saltem aliquorum tenorē reuocetur. Tametsi verò nobis abundè sufficiat, si de versu hexametro, iambo, alcaico, & sapphico loquamur, quorum D. Hieron. meminit, attamen vt res manifestior appareat, operæpretium erit Græcorum, & Latinorum omnes species simul obijcere, vt quispiam vnico videat, & eligat intuitu, quam speciem in hebraismo cōstituere velit. Incipiemus ab Iambicis, & in cōpositis desinemus. Ne verò in singulis versuum speciebus ponendis laboremus, exemplis Micyllianis vtemur, & pro omnibus Iambicis Mercurij hymnū non animo pagano, sed tantummodo in exemplum referemus, & cuiuspiam metri nomen præficiemus, & nonnunquam varia nomina subijciemus. Hæc autem musico proficient, cum diuersa metra varios affectus in animum inducant, vt canendo experietur, inter quos Iambici tragœdiæ proprij indignabundi sunt, vt iam aduerti.

Species 19. iambicorum.

— —
Monom. Brachicatalect. 1 Salue
u — u
Monom. Catalecticum. 2 Deorum
u — u —
Basis Iambica. 3 Caducifer
u — — —, u
Monom. Hypercatal. 4 Nepos Atlantis — Aristophanium, seu Pentemimeris iambica.
— — u —, u u
Dimetrum Brachycatal. 5 Quem Maia candida — Euripideum, hemiolium
u u — u —, u — —
Dimetr. Catal. 6 Peperit Ioui tonanti — Anacreonteum
— u u —, — — u u
Dimetr. Acatalect. 7 Interpretem cœlestium — Archilochium
u — u —, u — u —, u
Dimetr. Hyperc. 8 Et eloquentiæ parentem — Alcaicum
— — u —, — — u —, u —
Trimetr. Brachyc. 9 Qui lucidum testudinis nouæ — Alcmainum
— — u —, u — u —, u — —
Trim. Catal. 10 Fratri repertum Apollini dedisti — Hipponacteum, Colobus.
— — u —, — — u —, u — u u
Choliambicum. Trimetr. Acatal. 11 Quo fretus ille oblectat alta sidera — Scazon.
u u — u —, u — u —, — — u —, —
Trim. Hyperc. 12 Fidibus & arte Musicæ blandæ canorâ,
— — u —, u — u —, u — u —, u u
Tetramet. Brachyc. 13 Vnde omnis ætheris suauitate personat — Aristophanium
u u u u —, u — u —, u u — u —, u — —
Anacreonteum. Tetram. Catalect. 14 Domus, & amœna cœlitum atria vertices olympi
u — u —, u — u —, — — u —, — — u —
Aristophanium, & octonariũ, Boiscum. Tetram. Acatal. 15 Frequente gaudio, & pedum crebris resultat plausibus
— — u —, — — u —, — — u —, u u — u —, —
Tetram. Hyperc. 16 Dum gratulantes, & fauentes voce Pieriæ sorores
— — u —, — — u —, u u — u u u — u u u, u —
Pentam. Brachyc. 17 Ducunt leues circum patris solia aurea facili pede choreas
— — u —, — — u —, — — u —, — — u —, — — —
Pentametr. Catal. 18 Et gratiæ iuxta manu sese tenentes ore stant auerso.
— — — u u u, — — u —, — u u u —, — u u u u —, u u — u u
Pentam. Acatal. 19 Qua non alia minor iret lætitia matris memoriæ pia pectora.

Trochaici metri 18. species.

— u —
Monometr. Catalect. 1 Hei mihi
— u — u
Monom. Acat. 2 Quanta vis est — Tautopodia, seu basis trochaica.
— u — u, —
Monom. Hyperc. 3 Mortis inuidæ — Pancrarium.
— u — u, — u
Dimetr. Brachyc. 4 Quam seuera fati — Ithyphallicum
— u — u, — u —
Dimetr. Catal. 5 Nos premit necessitas — Euripideum, & [illegible]
— u — u, — u — u
Dimetr. Acat. 6 Quam leuant preces nec vlla

— υ — —, — υ — —
Dimetr. Hyperc. 7 Nec merens virtus precantum, —— Bacchilideum
— υ — υυ, — υ — υ, — υ
Timetr. Brachyc. 8 Sed velut adamante vincta duro — Sapphicum.
— υ — υ, — υ — υ, — υ —
Trimetr. Catal. 9 Perstat immota, atque firma, nec loco — Archilochium, seu iambicum acephalũ
— υ — —, — υ — —, — υ — —
Trimetr. Acatal. 10 Cedit vsquam aut destinatam soluit horam — Sotadicum.
— υ — —, — υ — υ, — υ — υ, —
Trimetr. Hypercat. 11 Hæc Alexandrum peremit orbis vnicum — Sapphicum.
— υ — —, — υ — —, — υ — υ, — υ
Tetrametrum Brachyc. 12 Vindicem, & victorem, & à summo fatum tonante — Sotadicum.
— υ — —, — υ — —, — υ — —, — υ υ
Tetram. Catalect. 13 Hæc & Alcidem subegit perdomantem publicè — Archilochium.
— υ — —, — υ υ υ —, — υ — —, — — υ
Tetram. Acatal. 14 Belluas & quidquid homini noxium viuebat vsquam — Anacreonticum.
— υ — υυ, — υ — —, — υ — υ, — υ — υ, —
Tetram. Hypercat. 15 Nec fuit venietue quisquam, cuius hæc colum resoluerit
— — — υ, — υ — —, — υ — —, — υ — υ, — υ
Pentam. Brachyc. 16 Quique posset addere vnum ad pensa fusis aggregata filum,
— υ — —, — υ — υ, — υ — —, — υ — —, — υ —
Pentametr. Catalect. 17 Pergit, & vincit maligna quidquid vsquam virium tentaueris
— υ — υ, — υ — —, — υ υ υ υ υ, — υ — υ, — υ — υ
Pentam. Acatal. 18 Et Ioue vna maior ipso sacra pariter, & profana cuncta miscet.

Dactylorum 11. *species.*

— υ υ, — υ υ, — —, — υ υ, — υ υ, — —
Hexametrum. 1 Fistula es, ipsa tibi inspirat sapientia melos
— υ υ, — —, — —, — υ υ, — υ υ, — —
Hexametrum catalect. 2 Neminis ô coniux longi genitrix Ptolomæi — Heroicum inc.
— —, — —, — —, — —, — υ υ, —
Pentam. hypercat. 3 Non cornutum illum nutritum taurigenis — Chærileũ.
— υ υ, — —, — υ υ, — υ υ, — υ υ
Pentam. acatalect. 4 Quemque biformem Gerionis amor vsserat — Simonideum.
— —, — υ υ, — υ υ, — υ υ, —
Tetram. hyperc. 5 Qui Musæ obtulit vlcera florigeræ.
— —, υ υ, — υ υ, — υ υ
Tetram. acatal. 6 Et Tyri iacet alta potentia — Alcmainũ.
— υ υ, — υ υ, — υ υ, —
Trimetr. hyperc. 7 Nunc animam bona Perigerũm — Hephtemimeris dactylica. Tragicũ.
— υ υ, — υ υ, — —
Trimetr. catal. 8 Gratum opus ô viricalca — Catalecticum εἰς δισύλλαβον. Alcmanicum.
— υ υ, — υ υ, —
Dimetrum hyperc. 9 Furigena absque patre —— Pentemimeris dactylica. Archilochium.
— υ υ, — —
Dimetr. catal. 10 Dúlceque canta —— Adonicum, Sapphicum
— υ υ —
Monometrum hyperc. 11 Calliopa

Coriambicorum sex species.

— υ υ —, — υ υ —, — υ υ —, — υ υ —, — υ υ —, υ — —
Hexametr. catal. 1 Ille ego sum rex hominum qui super vndas stabiliui æquoreas olympum.
— υ υ —, — υ υ —, — υ υ —, — υ υ —, υ — —
Pentametr. catal. 2 Nec dubites quod breuis ipse has patulas atque graues gero alas
— υ υ —, — υ υ —, — υ υ —, υ — υ
Tetram. catal. 3 Tunc etenim sum genitus quando necessitatis
— υ υ —, — υ υ —, υ — υ
Trimetr. catal. 4 Subdita cuncta arbitrio fuêre
— υ υ —, υ — υ
Dimetr. catal. 5 Quæ per aquas humúmque
υ — υ
Monom. catal. 6 Et auras.

Antispaticorum

Antiſpaſticorum ſpecies 17.

		∪— — ∪,—
Monometrum hyperc.	1	Fides omnium
		— — — ∪,∪—
Dimetr. brach.	2	Rerum præſidium
		∪ — — ∪,∪— —
Dimetr. catal.	3	Fide publica ſtat pax
		∪ — — ∪,∪ — ∪ —
Dimetr. acatal.	4	Fide tutus amor manet
		— — — ∪, ∪ — ∪ —,—
Dimetr. hyperc.	5	Et priuata hominum poteſtas
		— — — ∪,∪— — ∪,∪ —
Trimetr. brachyc.	6	Et quodcumque aliqua parte tenes
		∪ — — ∪ ,∪— — ∪,∪ — —
Trimetr. cat.	7	Fide conſtat eadémque paratur
		— — — ∪, — — ∪—,∪—∪
Eiuſdē rationis Phaleuciū.	8	At contra perit infidelitate
		— ∪ — ∪,∪ — — ∪, ∪ — ∪ —
Trimetr. acat.	9	Quicquid egregium eſt, aut validum vſpiam
		— — ∪ —, ∪ — — ∪,∪ — ∪ —
Eiuſd. rat. Alcmainum.	10	Regúmque tecta, & altæ ſuperûm domus
		∪ — — ∪, ∪ — — ∪, ∪—∪—, ∪
Trimetr. hyperc.	11	Cadunt perfidia, & proditione victa
		— ∪ — ∪, ∪ — — ∪, ∪ — — ∪, ∪ —
Tetram. brachyc.	12	Nec firmum aut ſtabile eſt orbe ſub hoc quantus is, &
		— — — ∪,∪— — ∪,∪ — — ∪,∪— ∪
Tetram. catal.	13	Quam latè ſola terræ regit & lumine luſtrat.
		— — — ∪, ∪—∪—, ∪— —∪,∪— ∪
Eiuſd. rat. Priapæum.	14	Quod non ſancta ligat ſuo fides fœdere vinctum
		—∪— ∪,∪ — — ∪, ∪— — ∪, ∪—∪—
Tetr. acat.	15	Illa caſta virûm connubia, & læta cubilia
		— ∪—∪, ∪— — ∪,∪— — ∪, ∪ — ∪ —, ∪
Tetr. hyperc.	16	Seruat illa nurus conciliat cum ſocero, & marito
		— — — ∪, ∪ — — ∪, ∪— — ∪, ∪ — ∪ —,∪ — ∪ —
Pentam. acatal.	17	Communemque domum, & perpetuam patribus, atque liberis facit.

Species 14. *Anapæſticorum.*

		∪ ∪ —, ∪ ∪ —
Monometr. acatal.	1	Sator omnipotens — Itimium
		∪ ∪ —, ∪ ∪ —, ∪
Monom. hyperc.	2	Hominum atque deorum — εἰς συλλαβὴν, penthemimeres anapæſticæ.
		— —, ∪ ∪ —, ∪ ∪ —
Monom. hyperc.	3	Quem terra colit Dominum, —— εἰς διποδίαν
		— —, ∪ ∪ — ∪ ∪ —, —
Dimetr. catal.	4	Quem ſydera celſa tremuſcunt —— parœmiacum.
		∪ ∪ — ∪ ∪ —, — — ∪ ∪
Dim. catal.	5	Veniam miſeris mortalibus
		— — ∪ ∪ —, ∪ ∪ — ∪ ∪ —
Dim. acat.	6	Largire precor pater alme tuis
		— — ∪ ∪ — ,∪ ∪ — ∪ ∪ —, —
Dim. hyperc.	7	Quos dira premunt ſcelera atque gehennæ
		∪ ∪ — ∪ ∪ —, — ∪ ∪ —, ∪ ∪
Dim. hyperc.	8	Metus anticipat factíque latens dolor
		∪ ∪ — ∪ ∪ —, ∪ ∪ — ∪ —, ∪ ∪ —, ∪
Trimetr. catal.	9	Animo reſidens tacitè excoquit, atque reſoluit
		— — ∪ ∪ —, ∪ ∪ — ∪ — ∪ —, ∪ ∪ —, ∪ ∪
Trim. catal.	10	Námque hæc genitor data certa tua eſt patribus fides
		∪ ∪ — ∪ ∪ —, ∪ ∪ — ∪ ∪ —, ∪ ∪ — —
Trim. acat.	11	Fore te facilem domui Iſacidæ, & veteris noxæ
		∪ ∪ — ∪ ∪ —, — —, ∪ ∪ — ∪ ∪ —, ∪
Trim. hyperc.	12	Poſitis odijs regem terræ dominúmque daturum
		— — ∪ ∪ —, — ∪ ∪ —, — — ∪ ∪ —, ∪ ∪
Trim. hyperc.	13	Qui morte ſuâ mortem opprimeret, cœlúmque recluderet
		∪ ∪ — —, — ∪ ∪ ∪ —, ∪ ∪ — ∪ ∪ —, ∪ ∪ —, —
Tetram. catal.	14	Patriaſque vltrò pro pace hominum caderet noua victima ad aras

Species Ionici à maiori.

Dimetr. brach.	1	— — u u, — u Virtus iacet omnis
Dimetr. catal.	2	— — u u, — u u Aurum regit omnia
Dim. acat.	4	— — u u, — u — u Aurum ſuperat pudorem
Dim. cleomachæum.	5	— — u u, — — — Aurum ſubigit caſtas
Trim. brach.	6	— — u u, — — u u, — — Auro capiunt oppida reges
Trim. acat.	7	— — u —, — — u u, — u — u Aurum reſerat mœnia proditori
Tetram. brach.	8	— — u u, — — u u, — — u u, — u Aurum parit artes, & eaſdem moderatur
Tetram. acatal.	9	— — u u, — — u u, — — u u, — u — u Iam quidquid habet terra, mare, & quidquid olympus ingens
Eiuſd. rationis mixtum.	10	— — u u, — u — u u — u u, — u — — Aurum fer, & auferes ſimul omnia, quæ volebas.

Species Ionici à minori.

Dimetr. catal.	1	u u — —, u u — At egeſtas homini
Dimetr. acatal.	2	u u — u, u u — — Docet hæc fallere verbis
Trimetr. catal.	3	u u — u, u u — —, u u — Eadem furibus addens ſtimulos
Trimetr. acatal.	4	u u — —, u u — —, u u — u Docet hæc inſidias arte parare
Tetr. brachyc.	5	u u — u, u u — u, — u — u, — u Neque ſic ingenioſus eſt in orbe quiſquam,
Tetram. catalect.	6	u u — —, u u — — u u — —, u u u Natat hic per fluuios iuſſeris & per maria
Galliambicum.	7	u u — u, — u — —, u u — u, u u u u Volat idem adúſque cœli niue conſita latera
Tetram. acatal.	8	u u — —, u u — —, u u — —, u u — — Nihil illum neque flammæ, neque fluctus remorantur.

Species Pæonicorum, & Creticorum.

Mon. pænic.	1	— u u u Te canimus
Mon. creticum.	2	— u — Summe rex
Dim. brach.	3	— u u —, — u Qui regis & aſtra
Dim. cat.	4	— u u —, — u u Qui regis & æquora
Dim. acat.	5	— u u u, — u u u Quem metuit omne ſolum
Dim. cret.	6	— u —, — u — Quem tremunt impij
Trim. cat.	7	— u u u, — u u u, — u u Aſpice precor genitor optime
Trim. acat.	8	— u u u, — u u u, — u u u Atque populi miſereare tui
Tetram. cat.	9	— u —, — u —, — u — Nec ſines opprimi denuo
Tetram. cat.	10	— u u u, — u u u, — u u u, — u — Quem genitus ille tuus aſſeruit ætheri
Eiuſdem rationis.	11	u u u —, u u u —, u u u —, — u u Neciferum tricipitem pede premens Cerberum
Tetram. cret.	12	— u —, — u —, — u —, — u u Vique facta via regna per deuia

Vnde

— ∪ ∪ ∪, — ∪ ∪ —, — ∪ ∪ ∪, — ∪ ∪ ∪, — ∪ ∪
Pemtam. Theopomp. 13 Vnde remeans placidum ad astrifera pandit iter atria.
— ∪ —, — ∪ —, — ∪ —, — ∪ —, — ∪ —, — —
Hexam. Alcm. 14 Quod parens Eua quondam suo clauserat noxio morsu.

Species omnium compositorum.

Callimachium ex 2 cæsuris semiseptenarijs Iambicis.
— — ∪ ∪, — — —, ∪ ∪ — ∪, — ∪ — ∪
1 Non omnibus mens vna est, nec idem omnibus probatur

Euripid. ex dim. acat. & trochaico Ithyphallico.
— — ∪ —, ∪ — ∪ —, — ∪ — ∪, — ∪
2 Hunc pulchra detinet Venus, & puer cupido

Eurip. ex Dim. ac. & trochaica hephtemimere.
∪ — ∪ —, ∪ — ∪ —, — ∪ — —, — ∪ ∪
3 Amátque tibiæ sonos & choros ludentium

Saturnium ex hephtem. Iamb. & troch. Ithyph.
— — ∪ — —, ∪ — — —, — ∪ — ∪, — —
4 Illum iuuant labores militum frementes

Boetian. ex Pentem. Iambic. & Adonio.
∪ — ∪ —, — — ∪ ∪, — —
5 Et arma forti tendere dextra

Trim. Alcaicum ex pent. Iamb. & dact. dim. acat.
— — ∪ —, — — ∪ —, — ∪ ∪
6 Cursúque fieri densa per agmina

Iamboelegum ex pentem. Iamb. & dimidio elegiaco.
— — ∪ —, —, — ∪ ∪, — ∪ ∪, —
7 Inter strepentes raucisonos lituos

Archiloc. ex iamb. dimetr. ac. & pentem. dacty.
∪ ∪ — ∪ —, ∪ — ∪ ∪, — ∪ ∪, — ∪ ∪,
8 Vbi Mars cruentus imperat, & pauor armipotens

Pindar. ex pentem. Iamb. & pentem. dact.
— — ∪ —, — — ∪ —, — ∪ ∪ —, — — ∪, — —
9 Hastam coruscat cæde ferox hominum, & demente vultu

Periodus ex trochaica basi, & iambica.
— ∪ — ∪, ∪ — ∪ —
10 Contra auarus opum siti

Dim. Eurip. ex basi troch. & anap. monom.
— ∪ — —, ∪ ∪ — ∪, ∪ —
11 Peruagatur mare, & omne solum

Trim. Boet. ex penth. troch. & Adonio.
— ∪ — —, ∪, — ∪ ∪, — —
12 Nil timens sæui flamina venti

Trim. sapphicum ex 2. Ithyphall.
— ∪ — ∪, — — — ∪, — ∪, —
13 Nil inhospitalis vortices arenæ

Tetr ex dim. troch. ac. & Iam. hephtē. vel ex 2 troch. dim. cat. & ac.
— ∪ — —, — ∪ — —, — — ∪ —, ∪ — ∪
14 Dummodo hinc illinc reportet quantum est opum per orbem

— ∪ ∪, — ∪ ∪, —, — ∪ ∪, — ∪ ∪, —
Pentametrum elegiacum. 15 Ast ego Pierides numina docta colo

Tetr. ex 2. dimetr. dact. cat. vel 2. Adonijs.
— ∪ ∪, — —, — ∪ ∪, — —
16 Esse pares dijs quæ faciunt nos

Tetr. Boet. ex penthem. heroic. & dim. eiusd. generis cat. vel Adonio.
— —, — ∪ ∪, —, — ∪ ∪, — ∪
17 Quæ letho eripiunt nomina nostra

Encomiologicum ex 2 cæsuris semiquin. dact. & Iamb.
— ∪ ∪, — ∪ ∪, —, — — ∪ —, —
18 Et prohibent hominem totum moriri

Tetr. Archil. ex pent. dact. & iam. dim. acat.
— ∪ ∪, — ∪ ∪, —, — — ∪ —, ∪ — ∪ —
19 Námque quis Æacidem nouisset, aut quis Hectorem

Trim. Alcaic. ex pent. dact. & basi troch.
— ∪ ∪, — ∪ ∪, —, — ∪ — —
20 Quis celebrem varia fraude Vlyssem

Pent. Plat. extremis dact. semiquin. mediâ iambicâ æquali cæsurâ.
— ∪ ∪, — ∪ ∪, — — — ∪ —, ∪, — ∪ ∪, — ∪ ∪, —
21 Merionémque nigrum, pulsumque patria Idomenea ducem.

Pēt. Venasini ex trim. da & Ithyph. troch. vel ex pent. dact. & heph. iamb.
— ∪ ∪, — ∪ ∪, — — —, — ∪ — ∪, — ∪
22 Ni tua Mæonides hos Musa propagasset

Archil. ex tetr. dact. & Ith. troch.
— ∪ ∪, — ∪ ∪, — ∪ ∪, — ∪ ∪, — ∪ — ∪, — ∪
23 Claráque facta virum super æthera protulisset altum

Dim. Eurip. ex anap. mon. & pen. iambic.
∪ ∪ —, ∪ ∪ — ∪ — ∪ — ∪
24 Celebrant homines, deósque Musæ

Trim. Archil. ex hepht. anap. & ithy. troch.
∪ ∪ —, ∪ ∪ —, ∪ ∪ — —, — ∪ — ∪, — ∪
25 Celebrant pariter superos atque inferos cædem

Tetr. sapph. ex 2 cæsuris choriamb. semisep.
— ∪ ∪ —, ∪ — ∪, — ∪ ∪ —, ∪ — ∪
26 Atque vtinam mihi omne sic liceat per æuum

Tetr. Anacreon. ex chor. dim. acat. & ith. troch.
— ∪ ∪ —, ∪ — ∪ —, — ∪ — ∪, — —
27 Pieridum choros sequi, & inclytas cateruas

Tetr. Cratin. ex choria. dim. acat. & troch. hephtemim.
— ∪ ∪ —, — — ∪ ∪, — ∪ — —, — ∪ ∪
28 Vt nihil hoc vno magis expeto, aut desidero.

— ∪ ∪ —, — ∪ ∪ —, — ∪ ∪ —, — ∪ — —
Tetr. ex chor. trim. & troch. basi. 29 Non ego tum cum Ioue mutare velim regna mundi

Tetr. Pherecr. ex 2 Antis. cæs. semisep.
— — — ∪, ∪ — ∪, ∪ — — ∪, ∪ — —
30 Celsa Iuppiter arce sedens imperet orbi.

Proſodiacum ex ionic. ſyzyg. & chor. mon. — — ᴗ ᴗ, ᴗ ᴗ — —
31 Me Pierides liceat
ᴗ ᴗ ᴗ —, ᴗ ᴗ — ᴗ ᴗ —,
Dim. ex pæon. ſyz. & anap. mon. 32 Sacráque pura Deum colere, &
Dim. ex Pæon. ſyz. & mon. pyrrhichiaco. ᴗ ᴗ ᴗ —, ᴗ ᴗ ᴗ ᴗ
33 Canere digna hominibus.

Quæ omnia hîc afferre volui, tum vt muſici noſtri in tanto verſuum numero non poſſint non eligere, quod ad hoc, aut illud animi pathema mouendum aptum fuerit, tum vt noſtros Gallos ad omnia genera metrorum condenda prouocem, quod iam non pauci tentauerunt, idque non adeò infœliciter: tum denique, vt quicumque verſus hebraicos in lingua ſancta noſtris ſimiles conſtituere voluerit, ſingulas ſpecies in promptu habeat. Articulo præcedenti Gallica quædam metra quantitate affecta propoſui, quæ non parum in D. Hieron. gratiam facere poſſunt, quia non eſt minor ratio, cur in hebraica lingua longæ, breues, & communes, ſeu ancipites ſyllabæ, quàm in Gallica cõſtitui nõ poſſint. Quibus poſitis vnicuique manifeſtum eſt linguam Hebraicam metra pati poſſe, quod clarum eſt ex ſingulis generibus, & ipſe Scaliger fatetur aliquando 2, aut 3 dipodias iambicas in Iobo, & Prouerbijs inueniri: Hieronymum autem illa metra reperiſſe mihi perſuadeo, cum longè aliter ac nos legere, & poëtarum hebræorum leges, & priuilegia metrica meliùs ſcire potuerit. Immo poterit aliquis Hieronymi metra in locis, quæ citat, oſtendere, ſi pro libito ſyneresi, diæreſi, eclipſi, diaſtole & tmeſi vtatur: horum enim beneficio longam ſyllabam corripere, & correptam producere, duas in vnam conflare, & ex vna 2 facere poterit. Quibus poſitis, & ab ipſis Rabbinis ſaltem ex parte conceſſis, vt ſuprà viſum eſt, non eſt quod in re facillima laboremus, etenim vnuſquiſque quos voluerit textus ſacri verſiculos, & hemiſtichia in examen adducere, & eos cum prædictis generibus, & ſpeciebus verſuum conferre poterit. Quod ſi apud nos variarum ſpecierum metra condi poſſe oſtendero, idem in hebræa fieri poſſe contendo, quandoquidem nullæ ſunt difficultates in hac, quæ non ſint in illa. Nonnullas igitur ſpecies in Gallorum gratiam proferamus: ſi tamen priùs aduertas nos plures ſpecies verſuum omiſiſſe, quales ſunt inter dactylos, Heptametrũ catalecticum, ſeu Steſichorium, hept. acatal. Iphicum, ſeu ibicum: hexam. hypercat. dimetr. acat. hymenaicum, ne iam fiſtulares, ὑπόρρυθμος, & alios verſus, quorum nomina priùs allata ſunt, commemorem. Enimuero non hîc ex profeſſo de metris ago, alioqui ſingulæ ſpecies plurimas ſubdiuiſiones pati poſſent: exempli cauſa 32 figuræ in vnico dactylico reperiuntur, vt patet ex ſingulorum locorum pedes recipientium multiplicatione: nam ſi numerus pedum, quos ſingula loca priora ſumunt, per numerum pedum, quos accipiunt ſequentia, multiplicetur, videbis 32 eiuſdem dactyli figuras: quandoquidem primus locus ſpondæum, & dactylum, 2 etiam 3, 4, & 5, duos pedes accipit, igitur ita numerandum eſt bis duo ſunt 4, bis quatuor ſunt 8, bis octo ſunt 16, bis ſedecim 32. Iambicum metrum cum 1 loco quinque pedes, 2 tres, tertio quinque, 4 tres, quinto 5 recipiat, 1200 figuræ verſus iambici exurgunt. Sunt & alia genera, ſed quæ ad præcedentia referantur, vt æolicum ad dactylicum, à quo tantum differt, quia pedem vnum ex diſſyllabis ſemper recipit, & λογαοιδικόν, quòd in fine dipodiam trochaicam habeat, quale eſt carmen illud pſalmi 42.

Priuilegia poëtarum Hebræorũ.

Nomina verſuũ dactylicorũ.

Inge ma cauſe, &c, quem infra notis muſicis explicamus; quod cùm 2 dactylis, & ſyzygia trochaica conſtat, alcaicum appellatur: ſi ſit tetram. acat. Praxillæum nuncupatur.

Sub Choriambico genere epichoriambicũ ponitur, ſiue trochaicam dipodiam, ſiue antiſpaſticam initio habeat, qualia ſunt trimetrum ſapphicum, & tetrametrum Alcaicum: quod ſapphicum trimetrum hendecaſyllabũ à numero ſyllabarum appellatur, & trochaicam dipodiam ἑπτάσημον, vel ἑξάσημον recipit: ideſt 7, vel 6 temporum, quod diligenter aduerte; ſic enim apud Ariſtidem lib. 1. de muſica, & Epheſtionem ἑπτάσημος, δίσημος, &c. 7. ἑπτάσημος vel 2 tempora, non verò ſyllabas ſignificant. At de quid? his ſatis ſupráque vt muſici poëſim Gallicam ad colophonem perducant, quæ ſi non adeò grata videatur, ac ſi rhythmos ſolos obſeruaret, dum legitur, ſaltem excellentior erit, dum canetur, quod hîc ſolùm contendo. Accipe igitur varias ſpecies noſtrorum verſuum tam rhythmum, quàm quantitatem habentium. Qui ſequuntur, Baiſio tribuuntur: 2 primi Iambici dimetri acatalectici, 2 verò vltimi catalecti ſunt.

ᴗ — ᴗ —, ᴗ — ᴗ —
Kikonk l'amȣr noma l'amȣr
ᴗ — ᴗ —, ᴗ — ᴗ —
Vȣlèt le ſurnomer la mort:
ᴗ — ᴗ — — —
Ki eime l'am' il perdra
ᴗ — ᴗ —, ᴗ — —
Ki perd ſon âm' il eſt mort, &c.
Ki dit Métreſſ' ateint d'amȣr,
Vȣlèt detreſſe la nomer:
Ki ſert Métreſſe l'eimant
Vit en détreſſ' è tȣrmant.

Sequentes verò ſunt antiſpaſtici pentametri brachycatalectici, primus autem eſt Ionicus minor dimeter catalecticus: 2 choriambicus dimeter catalecticus: 3 anapæſticus monometer acatalecticus: 4 denique Iambicus dimeter acatalecticus, quibus metris Baiſius exprimebat, quàm ſtultus ſit creaturarum amor.

— — — ᴗ, ᴗ — — ᴗ, ᴗ — — ᴗ, ᴗ —
Pȣr vȣs bèle ne ſeſſér de lamantér jȣr é nuit,
— — — ᴗ, ᴗ — — ᴗ, ᴗ — — ᴗ, ᴗ —
An vȣs ſeule repanſér é n'auoir ôtre deduit,
ᴗ — ᴗ —, ᴗ ᴗ —
Séla ſe peut aualer:
— ᴗ ᴗ —, — ᴗ —
Mès de vȣloir ankȣrir
ᴗ ᴗ —, ᴗ ᴗ —
Pȣr amȣr le mȣrir,
— — ᴗ —, ᴗ — ᴗ —
Vn fat ſi léſſeroit aler, &c.

Quos quidem verſus referre volui, vt præter metricam quantitatem aliquid in eis metris, hebraicis perfectiſſimis ſimile agnoſceres, rythmum enim tam in medio, quàm in fine ſeruant, quæ ex dictis de homioteleuto repetere poteris. Sequuntur verſ. Elegiaci pſal. 6. δίκαιοι explicãtes.
En ta fureur mon Dieu ne me vien ſentence prononcer:
Et ne puny mon fait en ton échauſé couroux, &c.
quos Nauerius condebat, cuius etiam ſunt ij, qui pſalmum 136. gallicum faciunt.

Aus riues des fluues gros de Babel transportés en exil,
Au souuenir de Sion nôtre delaissé pays, &c.

Primos versus psalm. 2. explicantes in modo secundo, sequentes verò etiam hexametros, & pentametros in 3 modo cantari volebat, qui psalm. 8. ἐπὶ γιττίθ exprimunt.

Nôtre suprême Segneur combien est rempli de grãdeur
Ton renom en l'vniuers sur chaque ciel se leuant?
Dés le petis du tetin, tous vont ta grandeur anonsant
C'est ce qui l'annemi rend confus auec le ialous, &c.

Alios versus Gallicos, & latinos musicè redditos vide apud Claudinum Iunium, qui quidem sunt à Baifio cõpositi, sed ab hæretico *de la Noüe* partim immutati, quapropter caue. Quosdã alios diuersi generis affero, quos idem condidit; Iambici sunt qui sequuntur, idque dimetri acatalectici, constant enim 2 integris dipodijs, & eodem genere versuum hymnum natalis Domini, *Conditor alme syderum, &c.* & *Hostis Herodes impie,* exponunt.

Conditor alme siderum.
Ouurier des astres flamboyans
Rayon eternel aux croyans
O Christ rachept de tous é prix
Reçoy de nous les humbles cris, &c.

Hostis Herodes impie.
Herode miserable roy
De Christ venu ne pran efroy
Le roy celeste n'a de rien
Besoin du reigne terrien, &c.

Gloria tibi Domine.
Honeur é los te soit doné
Segneur qui est de vierge né
E' au per' é lesprit diuin
A terme qui n'a point de fin.

Tametsi verò Masseti, & Philippi de portis quosdam Sapphicos superiùs attulerim, placet etiam Nauerianos hîc attexere, quos in explicandis 2 hymnis festi S. Ioannis Baptistæ scripsit.

Vt queant laxis.
Pour doner tant plus de pouuoir à chanter
Tes efêts, & faits à tes humbles seruans
Fay de leur gozier delier le fer-noeu
Sainct & sacré Iean.
Vn courier des cieux ariuant auertit
Ton parent vn iour com' grand tu naitrois:
Declara ton nom, ton état, & tes mœurs
Dordre deduisant, &c.

O nimis fœlix.
O tres-heureux sainct meritant honeur grand
Vierge, qui n'as eu tache d'acte honteux,
Excelent Martyr Eremit, parangon
Des profetizans.

Serta ter denis.
Trente fois on met le chapeau sur aucuns
Autre plus en ont repliés à l'entour:
Mais de trois-cents, toy, sacré sainct auec fruicts
On pare ton chef.

Laudibus ciues, &c.
Sur ce te seruans citoyens de ton ciel,
Vont loüans ton nom Dieu étans vn en trois,
Et nous ô Sauueur te venons abaissés
Grace demander.

Ne tamen aliquis asserat me meæ nationi & hebræis ita fauere, vt latinos obliuioni dedisse videar, præter illos versus antea in vnoquóque genere positos psalmũ 8 Δαυΐδ, versibus pæonicis à doctissimo Baifio redditum, & nondum in lucem editum subiungo: primus, & tertius versus est tetrameter acatalecticus, 2 sequentes, & quartus dimeter acatalecticus.

Domini est terra.
Est Dei terra, & est quicquid vsquam capit:
Orbis atque incolæ,
Stabiliuit hanc Deus facilis altiorem
Fluminibus & mari.
Quis ascendet in montem Dei? quis sacro
Stabit habitans loco?
Manibus integer qui fuerit insontibus,
Et animo candido.
Mente qui flagitium non reuoluit vllam,
Neque dolo peierat.
Accipiet à Deo fausta cuncta: à Deo
Opifero gratiam.
Hoc Iacobi genus Deum quærentium
Illiusque vultus.
Capita tollite, aperite valuas patentes,
O fores perennes.
Vt intret triumphans ille rex gloria
Fulgidus splendida.
At quis est ille rex gloria fulgidus?
Dominus est, fortis est:
Dominus is potens est, bellicis artibus
Prælijsque clarus.
Capita tollite, aperite valuas patentes
O fores perennes.
Vt intret triumphans ille rex gloria
Splendida fulgidus.
At quis est ille rex gloria fulgidus?
Dominus est agminum.
Ille rex splendida gloria fulgidus?
Dominus est agminum.

Eiusdem pulcherrimum sapphicum 23. psalmum explicãtem à nobis infrà musicè redditũ subijcio.

Est Deus pastor mihi: non egebo. Psal. 23.
Me per herbosos aget ille campos:
Fontis ad riuos faciet recumbam
Lene fluentes.
Ipse tranquillans animum labantem,
Dux preit planum per iter sequenti,
Nomen ob clarum celebrandus omni
Temporis hora.
Pone me mortis gelida sub vmbra
Vallibus tetris, ego non timebo
Me mali quicquam feriat. Repellet
Vndique tutans.
Virga securum tua me tenebit:
Me pedo solaberis euagantem.
Instrui lautam dapidibus iubebis
Tu mihi mensam.
Viderint hostes: oleo perungis
Pingue odorato caput: & redundans
Poculum vino mihi das fugandis
Tristibus apto.
Desinet nunquam tua me diebus
Omnibus vita bonitas fouêre.
Quin domus longo Domini colenda
Me manet æuo.

Hactenus de metris, de quibus non plura dico, quia poësim Gallicam hoc sæculo à quibusdam excitari posse confido, ad quod omnes Gallos suæ patriæ amantes aduoco. Antequam verò sequentem articulum aggrediar, aduerte D. Hieron. præter ea, quæ diximus, etiam versus illos, quos apud Hebræos commemorat, de versibus rhythmicis, quales sunt antea relati, intelligi posse, qui tametsi similes dipodias, vel pedes non habuerint, ob rythmum in vnis, quàm alteris excellentiorem, quosdam ex illis alcaico, & sapphico, alios hexametro, & cæteris versibus comparare potuit, ex eo quod apud Hebræos in eodem pretio, & ordine haberentur, & iisdem rebus adaptarentur, quibus latini prædicti. Plura de metris Hebræorum afferri poterunt, si quando ad Exodi, & Deuter. cantica Deo iuuante peruenerimus.

ARTICVLVS IX.

QVOD OPTIMA INSTRVMENTA SI QVIS illorum beneficio paßiones mouere velit, & voces eligi debeant, ſi ad ſcopum peruenire volueris.

PLurima iam de inſtrumentis muſicis quæſtione præcedenti dicta ſunt; nunc verò de ijs in ordine ad commouendos hominũ affectus agendum eſt, de quibus Plato loquitur, dum inquirit 3. de Republ. num opus ſit in cantibus, & melodijs harmonia, quæ multis conſtet chordis, omnibúſque concentibus, reſpondétque non eſſe opus. τριγώνων ἄρα καὶ πηκτίδων, καὶ πάντων ὀργάνων ὅσα πολύχορδα καὶ πολυαρμόνια δημιουργοὺς οὐ θρέψομεν. *Non igitur nutriemus opifices trigonorum, & pectidarum, & omnium muſicorum inſtrumentorum, quæ multis ex chordis, & harmonijs conſtant.* Vbi nota Platonem exiſtimare tibiam inter omnia inſtrumenta chordis maximè conſtare, adeout παναρμόνια ſint αὐλοῦ μιμήματα. Lyram verò, & citharam ad vſus ciuitatis eligit, & fiſtulam paſtoribus commodam. λύρα δή σοι, καὶ κιθάρα λείπεται, καὶ κατὰ πόλιν χρήσιμα, καὶ αὖ κατ' ἀγροὺς τοῖς νομεῦσι σύριγξ ἄν τις εἴη. Denique Apollinem, & Apollinis inſtrumenta Marſyæ, & illius inſtrumentis anteponit. Ariſtoteles verò 8. polit cap. 6. prohibet tibias, vel citharā, aut quid ſimile ad diſciplinam, ſed inſtrumenta ὅσα ποιήσει αὐτῶν ἀκροατὰς ἀγαθοὺς ἢ τῆς μουσικῆς παιδείας, ἢ τῆς ἄλλης; ratio eſt, inquit, quia οὐκ ἔστιν ὁ αὐλὸς ἠθικὸν, ἀλλὰ μᾶλλον ὀργιαστικόν, potiùs furorem incutit, quàm mores inducat. Idcirco tibiâ temporibus vtendum eſt, in quibus non μάθησιν, ſed κάθαρσιν afferre volueris. Itaque meritò tibiam reijcit, cùm eius cantus ratione vti prohibeat, & diſciplinæ contrarius ſit, licet antiqui maiorem animum ad virtutem nacti, & cuncta ſine delectu conquirentes τὴν αὐλητικὴν πρὸς τὰς μαθήσεις induxerint. ὁμοίως δὲ καὶ πολλὰ τῶν ὀργάνων τῶν ἀρχαίων, οἷον πηκτίδες, καὶ βάρβιτοι, καὶ τὰ πρὸς ἡδονὴν συντείνοντα τοῖς ἀκούουσι τῶν χρωμένων, ἑπτάγωνα, καὶ τρίγωνα, καὶ σαμβῦκαι, καὶ πάντα τὰ δεόμενα χειρουργικῆς ἐπιστήμης. Similiter multa ex veteribus inſtrumentis reiecta ſunt, quæ hîc enumerantur, & quæ pertinent ad voluptatem audientium eos, qui inſtrumentis vtuntur, & quæcunque manus pulſationem ſcienter adhibitam deſiderant.

Plato.

Ariſtotel.

In quibus profectò, ne quid diſſimulem, rigidior mihi videtur Ariſtoteles, alioquin enim non video quibus inſtrumentis vti poſſimus, quippe quæ vel oris deformitatem, vt tubæ, tibiæ, & fiſtulæ faciant: vel manus, & digitorum induſtriam requirant, niſi fortè ea excipiat, quæ quidem manus non per ſe immediatè, ſed plectro tangit.

Inter alios verò, qui de muſicorum inſtrumentis egerunt, neminem reperio, qui ita ad noſtrum propoſitum faciat, ac Ariſtides, qui lib. 2. docet illorum vſum ab ipſa appellatione facilè cognoſci poſſe, adeout ipſa nomina oſtendant, quibus vſibus quodpiam inſtrumentum deſeruiat, vt enim nec eadem vox, nec idem concentus omnes auditores oblectare conſueuit, ſed hæc illos, alia rurſus alios, ita etiam in inſtrumentis ſeſe res habet, quibus enim quiſpiam phtongis iuxta mores animi ſimilis fuerit, talia & inſtrumenta ei placitura ſunt. Eapropter in ijs, quæ ſpiritu inflantur, maſculus tubam ſolummodo celebrauerit ob vehemẽtiam, fœmina verò tibiam laudauerit phrygiā, quæ flebilis, & lugubris eſt; è medijs verò pythia, quæ plus maſculei vigoris retinet ob grauitatem; ſic etiam choricam, ſeu chorealem ob vim effœminatam & facilitatem ad acumen excitandum. Præterea in intenſis organis lyra reperitur, quæ mari ob grauitatem, & aſperitatem congruit; ſambucam denique ad fœminam referre poſſis, quæ degener eſt, & plurimum acuminis habet, quæ εἰς ἔκλυσιν ob fidium exilitatem circumducit. Inter media verò polyphrongnm plus fœminei affectus obtinet: cithara non multum à vi maſcula lyræ abſonat. Ex quibus cætera facilè dignoſci poterunt, cùm iam nobis καθόλου cognita ſint. Hinc manifeſtum eſt Græcos non paſſim, & indifferenter omnibus inſtrumentis vſos fuiſſe, quod & nos imitari debemus, & iam in vſu receptum eſt. Quis enim vidit aliquem vtentem teſtudine, aut viola, quando milites ad prælium vocandi ſunt? nunquid ridiculum eſſet inſtrumenta muſica fœmininis moribus conuenientia pulſare, vbi virilis animus induendus eſt? Quicquid autem Plato & Ariſtoteles repudient, & è Republica pectidas, trigona, atque omnia πολυχορδότατα exulare velint, omnia poſſe nos admittere contendo, tametſi epigonium Ambrociotes 40 chordis conſtantem, vel σιμικόν 35 chordarum ſuis fidibus ſuperent, de quibus Iulius Pollux onomaſtic. 4. cap. 9, quorum figuras Vincentius Galil. in ſuo dialog. de antiqua & noua muſica deſcribit. Ibidem ψαλτήριον eandem cum Aſcaro inuenies, cui & πλῆκτρον eſt ὄργανον τὸ ψαλτήριον.

Instrumenta maſcula, & fœminea quæ?

Pollux.

Vinc. Galil.

Ariſtides.

At quænam inſtrumenta vnicuique perſonæ, & cantioni competant, non ita facilè definitur. Scio Ariſtotelem 8 polit. cap. 6. probare, vt pueri τὴν Ἀρχύτου πλαταγὴν crepitaculum, Architæ inuentum, accipiant, eos ſi quidem in aliqua re occupatos eſſe decet, vt hoc vtentes nihil ex rebus domeſticis frangant οὐ γὰρ δύναται τὸ νέον ἡσυχάζειν, inquit philoſophus, & ideo τοῖς νηπίοις ἁρμόττουσα τῶν παιδίων ἐστί. Pollux lib. cit. cap. 10. ſectione 3. tibiam odontiſmo conuenire innuit, ſicut & cantui nuptiali 2. tibias, quas ſpondaïcas pro hymnis fuiſſe refert; πρὸς παιᾶνας δὲ pythicas, perfectiſſimas pro choris virorum: gradarias adde pro peregrinationibus, nec enim alias hîc afferre placet, cùm Iulius vnicuique obuius eſſe poſſit. Sanè Ariſtid. loc. cit. docet vnumquódque inſtrumentum rythmo peculiari aſſignandum eſſe, qui alioquin per ineptum non ſe moueret. Iam verò certum eſt apud nos nullum inſtrumentum prælijs aptius eſſe, quàm tubam in ἐμπνευστοῖς reponendam, cuius ſono Græci multa nomina tribuunt, Polluce teſte εἴποις δ' ἂν τὸ φθέγμα τῆς σάλπιγγος, καὶ φωνὴ, καὶ ἦχος, καὶ βομβεῖ, καὶ τερετίζει, καὶ κτύπον ῥόθιον, ἐρρωμένον, ἰσχυρὸν, βαρὺ, σφοδρὸν, θρασὺ, ἐκπληκτικὸν, πολεμιστήριον, &c. at voces eius præcipuæ ſunt ὁρμητικὸν σήμαινον, παρακελευστικὸν, ἀνακλητικὸν, ἀναπαυστήριον, πομπικὸν, & ἱερουργικὸν, ideſt ſonus incitatorius, adhortatorius in ipſo conflictu,

Pollux.

Ariſtot.

Pollux.

Ariſtid.

De tuba & varijs illius ſonis, & præſertim.

conflictu, receptus è pugna reuocans, sedatorius castrametantium, pompicus in pompis, & sacer in sacrificiis. Mirabilem tubicinem profert Horodorum Megarensem, ad quem accedere difficillimum erat, dum tubam inflaret ob vocis horrendæ stuporem, qua etiam maxima castra replebat, licet à longinquo caneret. Nunc etiam nostri tubicines varios cantus tubis referunt, vt patet, cùm in præliis, & vrbium obsidionibus, tum in theatris ad victoriam aliquam repræsentandam destinatis, & in communi lætitia; quàm etiam viri principes in communiis eâ vtuntur, ac si omni loco, & tempore martialem animum fouere velint. De tympano idem dicendum est, quod variæ nationes diuerso modo feriunt, alij enim pedem anapæsticū, alij pyrrhichianapæstum, alij nonnumquam orthum triplicant, & quoties voluerint repetunt, ac veluti in minutissima tempora diuidunt, quod Gallis frequentissimè contingit, qui postquam aliquo tempore pyrrhichianapæstum ictibus repræsentarunt, frequentissimis, seu densissimis pulsationibus dichoreum frequentant. Fistulâ etiam paruulâ milites procedendo recreantur.

De tympano & illius rythmis.

Gallorum mos in tympano pulsando.

At bellis minimè bellis omissis non vsque adeò musicæ amicis, ad instrumenta pacis accedo, de quibus breuiter assero lyras, seu violas cæteris instrumentis præstare, propiùs enim humanas voces imitari videntur, post quas testudinem collocandam esse puto; & quidem illa duo sufficerent, vt mores hominum purgarentur, vt iam cum Aristotele loquar, nisi forsitan excipias organa, de quibus minime loqui velim, maximè cùm sint templorum propria, de quorum vario temperamento non est necesse dicere; cùm plurimi ea de re egerint, vt Salinas, Ceronus & alij, quorum modū conficiendi *De Caux* tradit lib. 3. de machinis hydraulicis. De iis, quæ ad organa pertinent, Titelouzium virum in illis egregium breui scripturum esse aiunt, qui inter organorum tractatores facilè palmam ferat. Spinetæ verò iam aptissimæ iudicantur, quibus vnusquisq; seipsum recreare, & laboris fastidium leuare possit, ad quas omnia instrumenta organorum instar compacta reduco. Citharam non ita in vsu esse video, qua tamen si quis perfectè vtatur, non ignobiles effectus producere poterit, quales per eam aliquando contigisse ferūt, tametsi non sit certum, an aliquam cum nostra similitudinē habuerit, præsertim cùm Goltiana numismata quibusdam citharis insignita nostratum formam præ se non ferāt, sed potiùs Mercurialis figuram à nobis præcedenti quæstione depictam, quæ velut ex caprino capite fabricatur; cuius duo brachia sint veluti 2 cornua, pars inferior cranium, quæ basi planæ superponebatur, adeout citharœdus eam circūferre nō indigeret, quippe quæ recta sustinebatur: lignum circa finem cornuū transuersarium, cui fides annectebātur, iugum appellabant; quæ vel 4, vel 7, vel 8, vel etiam plures chordas habuit, licet initio solis 4 instructam asserant, vt 4 chordis 4 anni tempestates, & 4 elemēta, & omnis numerus, videlicet denarius, qui ex 1, 2, 3, 4 additis oritur, vel etiam alij quaternarij repræsentarētur. In numismatibus tam Neronianis, quàm aliis, 5, 6, 7, aut ad summum 8 chordas videmus, quamuis Pollux alibi cit. alia instrumēta polyphtonga referat.

De Lyra antiquorū.

Vt verò directè ad rem veniamus, dico bonitatem instrumentorum, quæ optima desidero, vt pathemata excitent, & ea varient, in tribus consistere; etenim primò debent materiâ ad sonos bellè reddendos aptissimâ constare; secundò magna esse, nam quò maiora fuerint, eò meliùs in animos agere poterunt. Tertiò debent ad optimam concordiam reduci, ne quis vel semitonio, vel diesi, imo neque, si fieri possit, commatis interuallo aberret; adde quòd maximè ad vocem humanam accedere debent, & fidibus sonoris instrui. Quomodo verò tangi, vel pulsari debeant, non est hic dicendi locus, sed vbi de musicorū industria loquemur; tantum aduerte antiquos quibusdam ligneis clauiculis tibiarum, fistularumque suarum foramina plus vel minus obturasse, vt certam aëris partem interciperent, & ille solùm in os tibię impactus per ea foramina exiliret, quem ad hunc vel illum solū referendum necessarium iudicarent, quis scit num hac, aut aliâ simili industriâ triplex musicæ genus canerent? Nostris verò non desunt industriæ, quibus aërem regant. Non est etiam quòd abietem, buxum, aut aliam quamlibet materiam suggeram, cùm artifices id præclarè nouerint. Eapropter superest, vt nonnulla de vocibus subiungamus, quæ adeò variæ sunt, vt incredibilem varietatem, atq; differentiam in eadem cantilena faciant. Imprimis verò deprehendes singulas nationes in voce, atque modo canendi differre, adeout Angli concinnēdo iubilare, Hispani fletus promere, vlulatus Germani, Itali, Genuenses præsertim, illisque vicini caprizare, barbari latrare, Toli Galli cantare dicantur, si Franchino Gafuro in fine Theoricæ suæ credimus; neque enim illud experientiæ defectu asserere, vel negare velim quamuis existimem voces superioris, quæ puerorum esse debent, in Galliâ reliquas superare. Notum est voces hominum eo fortiores, atque robustiores esse, quò magis ad polum vergunt, acutiores verò quò Australiores fuerint. Quibus omissis ad nostros redeo.

Bonitas instrumentorum in quibus sita.

De vocibus aptis musicæ.

Qualitates vocum diuersarum nationum.

Itaque calculo musicorum omnium comprobatum est tantum esse musicæ discrimen ob vocum diuersitatem, vt quæ vocibus aptissimis decantata rapiunt animos, & millies repetita placent, si voces ingratas iisdem incumbentes audieris, tibi vel prima vice displiceant. Quoties expertus sum me ad lachrymas præ deuotione prouocari, dū puer regiæ musicæ dicatus 22. psalmū nostrum vnicâ iunctâ testudine (quem postea musicè referam) decantaret? Sanè vix sermone explicari potest, quātam lætitiam pulcherrimæ puerorum Gallorum voces timulæ, & tremulæ, maximè si iustæ, & edoctę fuerint, pariant, & quàm facilè attentos animos ad ea, quæ canuntur, rapiāt. Quis illas attentè audiens mirabitur imposterum coram Græcis principibus musicam tantos effectus exhibuisse? Sed quis potiùs non stupebit, nisi vim illam, quam legimus, habuerit? maximè cùm præstantissimæ voces ad illos concentu delectādos eligerentur, vt etiamnum fieri solet, adeout non defuerint hoc sæculo principes, qui nōnullos pueros excindi iusserint, vt voce puerili excellentissimâ diutiùs vterentur. Quod num liceat iam non inquiro. Nunc autem phonascis non caremus, quos eximiâ voce natura donauerit, inter quos Ballius insignis esse dicitur qui voce suâ instrumenta ad concordiam redigit, & tonum in quatuor partes facilè diuidit; vt iam nullus in dubium reuocare debeat, num genere harmonico vti possimus, licet per diesim,

Efficacia vocum excellētium.

& diesim procedat; horum enim interuallum optimè seruare, & cantu distinguere poterit, qui tonum in 4 diuiserit, quandoquidem Græci docent tonum in 4 dieses diuisum fuisse, & diesim minimum interuallum vocant, cuius hemitonium duplum sit, licet enim sesquioctaua proportio, seu tonus arithmeticè in duas æquales partes diuidi nequeat, quia vnitas per numeros non diuiditur, attamen cùm in materia consideratur, secari potest, vt initio synopseos de musica disertè Psellus habet, qui sicut Bacchius diesim τὸ διαστημάτων ἐλάχιστον appellat, licet Cleonides diesim iterum in tres partes dirimat, & per consequens tonum in duodecim, vt patet ex his illius verbis. Τεμνέσθω γὰρ τόνος εἰς δώδεκα τὰ ἐλάχιστα μέρη διαιρέσεις. ὧν ἕκαστον δωδεκατημόριον τόνου καλείσθω. ἀναλόγως δὲ τῷ τόνῳ καὶ τὰ λοιπὰ διαστήματα. τὸ μὲν γὰρ ἡμιτόνιον εἰς ἓξ δωδεκατημόρια. ἡ δὲ δίεσις ἡ μὲν τεταρτημόριος εἰς τρία. ἡ δὲ τριτημόριος εἰς τέσσαρα: & per consequens ὅλον τὸ διὰ τεσσάρων εἰς τριάκοντα; vnde de genere enharmonico sic infert. Ἡ μὲν ἐν ἁρμονία μελῳδουμένη κατὰ τριῶν δώδεκα τμημάτων μέγεθος καὶ τριῶν καὶ κδ; subiungit de chromatico τὸ δὲ μαλακὸν χρῶμα κατὰ τέσσαρα καὶ τέσσαρα καὶ κβ, habes molle genus, sesquialterum verò τὸ δὲ ἡμιόλιον χρῶμα κατὰ τέσσαρα ἥμισυ, καὶ τέσσαρα ἥμισυ, καὶ κβ; deniq; τονιαῖον χρῶμα κατὰ ἓξ καὶ ἕξ, καὶ ιη καὶ ιη. Et ne diatonum nostrum effugiat σύντονον κατὰ ἓξ ιβ, καὶ ιβ, quæ adeò clara sunt, vt interpretatione non indigeant, quæ ad longum referre volui, quia liber nondum lucem vidit, nec in regio musicorum codice habetur.

Psellus. Bacchius. Cleonides, si tamen ab Euclide differt, vt iam monui, cū hæc omnia sint etiā in Euclide de verbo ad verbum.

Eandem sententiam Aristides sequitur de diesi πάντων δὲ τῶν διαστημάτων ἐλάχιστον μέν ἐστι ἐν μελῳδίᾳ δίεσις ἁρμονίας, & paulo post ἡ τόνος διπλάσιον ἡμιτόνιον; quamuis diesis sit aliquando toni pars tertia, vt patet in præcedenti Cleonidis definitione, qua molle chroma explicat, & Euclides expresè docet, postquam enim triplex chroma constituit ἡμιόλιον, τονιαῖον, & μαλακόν, hoc ita describit: μελῳδεῖται κατὰ δίεσιν τὴν τεταρτημόριον τόνου, καὶ δίεσιν τὴν ἴσην, καὶ ἴσον τόνῳ καὶ τῷ ἡμίσει καὶ τρίτῳ. At fusiùs aliàs de his generibus. Iam ad voces reuertor, quas licet egregias, canoras, perspicuas, & splendidas requiram, attamen non omnem vocem oratorum more repudio, quæ μέλαινα, φαιά, ἀηδής, μικρά, στενή, δυσήκοος, ἀσαφής, διεσχισμένη, ἀμυδρά, διεσπασμένη, λυπηρά, βραγχώδης idest nigra fusca, inamœna, pusilla, angusta, auditu difficilis, subsurda, confusa, neglecta, discerpta, tristis, & infirma fuerit, quandoquidem nonnulla loca in cantilenis occurrunt, quibus illæ voces seruire possint; ἀνάγωγος tamen, ἀπηχής, δυσκαμπής, & τραχεῖα .i. intractabilis, ad persuadendum inepta, rigida, & quę strepitu aures offendit, omnino reiici debent, de quibus consule Pollucem l. 2. c. 26. Omnibus verò vox ab eodem χαλιζουσα, ὀξεῖα, ὑψηλή, ἐύτονος, λαμπρά, καθαρά, βαθεῖα, λευκή, ἐκκαθαρμένη, ἡδεῖα, ἐπαγωγός, ὁμαλής, εὐπειθής, εὐάγωγος, εὐκαμπής, εὐήχητος, γλυκεῖα, λιγυρά, σαφής, & διαφανής dicta recipienda est, siquidem vocis ad harmoniam aptæ conditiones obtinent. Enimuero si symphoneta voces æris instar tinnientis, acutas & penetrantes, altas, excelsas, claras, planas, graues, puras, candidas, suaues, delicatis modulis affluentes, cultas, & facundas, rotundas, tractabiles, flexibiles, veloces, dulces, & molles, canoras, perspicuas, atque pellucidas nactus fuerit, quales Pollux in onomastico suprà describit, non video quid ad restituendam musicæ virtutem nobis deesse possit. Vbi diuini numinis omnipotentiam admirare, qui vnicâ arteriâ humanâ voces tam varias, & inter se dissitas explicari voluit, vt omnia instrumenta superet, etiam si pantodia fuerint, & omnia ludorum, vt vocant, genera in se contineant.

Aristid.

Euclid.

Vocum 36 species.

Iulius Pollux.

Nec alia de causa Musici instrumenta reperisse videntur, quàm vt arteriæ voces pro viribus imitarentur, & quæ naturâ muta sunt, arte vocalia redderent. Præter ea verò, quæ de variis instrumentorum generibus notauimus lituos, tubas, buccinas, & fistulas in columna Traiani reperies, quibus in sacrificiis, ludis, & bello vtebantur. Et quidem vix crediderim plura, & meliora instrumenta Græcis, quàm nobis in vsu fuisse, præsertim cùm non desint clauicymbala, & spinetæ, quibus nostri tam enharmonium, quàm chromaticum genus, & aliud quodpiam, si tantisper laborare voluerint, canerè valeant.

Possunt etiam non solùm diesim, quam Aristoteles 1. poster. tex. 38, & alij antiqui musicorum interuallum minimum censuerunt, sed etiam comma, diaschisma, schisma, & alia minora interualla sensibilia facere. Ad de his clariùs, vbi de variis musicæ generibus.

Aristot.

An verò quosdam modos instrumentorum pulsandorum, atque tractandorum haberent, quibus iam caremus, Iul. Pollux facit, vt in dubium reuocem l. 4. c. 9. dum ait tyrrhenam tibiam inuersæ syringi similem, cuius arundo, seu calamus χαλκοῦς esset, infernè quidem spiritu minore inflatam fuisse, sed propter aquam ebullientem ipsius spiritus auram sono maiorem emissam fuisse. Eadem tibia dicitur; πολύφωνος, & aliarum tibiarum partes à Iul. γλῶττα, τρυπήματα, καὶ βόμβυκες, ὅλμοι, καὶ ὑφόλμιοι vocantur.

ARTICVLVS X.

DE GESTIBVS, ATQVE MOTV CORPORIS, *quos in canendo Musici seruare debent, vt harmoniæ vis perfectum quid edat.*

FOrtasse non deerunt, qui motus istos minimè probent; verùm si rem istam iuxta philosophiæ, rationisque regulas quispiam perpenderit, nullatenus in dubium reuoco, quin statim manus daturus sit; & quidem experientia satis ostendit, quam parum musica valeat ad motus animi concitandos,

tandos, qua nunc nostri musici vtūtur; quorsū hoc? an quia diatonicâ vtuntur, cùm chromaticam, vel enharmonicam amplecti deberent? an quia τὸ κατὰ, ἢ μικρὸν non intelligunt? minimè gentium, sed quia cantibus mortuis, vt ita loquar, aures nostras feriunt, & sæpius torpentem animum cùm erigere debuerint, profundiori mœrore afficiunt. Itaque si quis harmoniæ vires natiuas suscitare voluerit, motus corporis necessarius est, quo ea, quæ canunt, ad viuum exprimant. Scio non paucos vereri, ne si motibus istis in canendo vtantur, histriones habeantur, & explodantur. At illi nos arguant, qui veteres nusquam legerunt, & affectu præpostero, non ratione ducuntur, scimus enim gestum ab antiquis vsurpatum fuisse, dum canerent, cuius rei Meletius testis est locuples; *Musicus, inquit, dum cantu vtitur, manus gesticulationem ad vocis sonum accommodat, & vicissim quæ manu figurat, eadem vocalibus instrumentis emodulando perspicua reddit. Sed & in choris psallentes,* & χορῷ διδάσκαλοι, *nisi manuum gesticulationes psalmorum tono accommodent, quæ comitari psallentes ipsos videatur, de se ridendum spectaculum præbent.* Vnde postmodum infert manus esse peculiare quoddam instrumentum naturæ rationalis ad animi notiones exprimendas, adeout, apud Homerum, desectis manibus pereant quoque Palladis artes,

Meletius.

Laus manuum.

Homerus

Χερσὶν ἐπισταμένως ἔργον πολύτροπος Ἀθήνη.

Et χεῖρας ideo velint quidam ἀπὸ τοῦ χρήσιμος ab vtilitate vocari; hinc Aristot. 4. de part. anim. cap. 10. manus ὄργανον πρὸ ὀργάνων appellat, in quibus Epictetus apud Arrian. lib. 1. cap. 16 Dei potentiam admiratur; Ne verò manuum laudes fusiùs prosequar, satis est, quod summi viri ad hunc potissimum finem manus effictas esse cognouerint, vt earum operâ expeditior in nobis sermonis vsus esset, adeout Nazianz. cap. 8 de hominis opificio vocem ἄναρθρον veluti asserat, nisi in corpore manus extitissent.

Aristot.

Arrianus.

Nazianz.

Quod Ægyptij, Horo teste, repræsentabant, dum sermonem adumbrantes γλῶσσαν καὶ χεῖρα ὑποκάτω linguam subtusque manum depingebant, & Pindarus ode 4 χεῖρες δὲ καὶ ἦτορ ἴσον cor, & manum eodem gradu ponit, quia quæ latent in corde, manus in lucem profert, vt manum alteram linguam ad suadam illuminandam appellare possimus: neque enim lingua adeò necessaria est, vt manus ad aliquid significandum, atque suadendum non sufficiant, cùm Apollonius silentium Pythagoricum obseruans vrbes seditione laborantes manu, atque vultu sedaret, ideoque rectè vetus Poëta 4 epigram. dixit de Chironomia.

Horus.

Pindarus.

Chironomia quid?

——— *mirabilis ars est*

Quæ facit articulos ore silente loqui.

Quam iure cum Theodorico musicam mutam nuncupare possis apud Cassiodor. 1. variar. epist. vigesima, cuius ope gesticulator Memphis apud Athen. lib. 1. tacens gestu omnia manifestabat, quàm qui artem dicendi se docere profitentur; Itaque manus præsertim gestum in musica commendo, quæ ad intimos hominum sensus, & commotiones animorum ita valet, enimuero.

Cassiodor.

Athen.

Pugnat, ludit, amat, bacchatur, vertitur, adstat

Illustrat verum, cuncta decore replet.

Si connixione, consertione, compectinatione, agitatione, commutatione, complosione, deiectione, elatione, iactatione, adductione, compressione, dilatatione, & cæteris manuum motibus, prout fuerit opus vtaris, singula manus egregiè repræsentabit, inquit Philostrat. in iconib. puta furentem, iratum, cogitabundum, gaudentem, incitatum, vel amentem: sed cauendum est, ne eodem gestu ad quippiam triste, & iucundum vtaris, id enim non minus vitiosum fuerit, quàm in voce μονοτονία.

Philostrat.

Præterea capitis motus quosdam in cantionibus admittendos esse non dubito, vt musica ψυχαγωγία, & musicus δημαγωγὸς appellari valeat, atque inter artes non tantùm πρακτικὰς, verùm etiam ποιητικὰς illa reponatur. Pedum, tibiarumque, imo & totius corporis motus non parum valet ad musicæ vim augendam, hinc enim antiqui chori cantum παρόδου triplicem faciebant, quorum primus qui Zodiaci motum referens ad dextram procedendo fiebat, στροφὴ dicebatur, & ipsius μέλη στροφικὰ vocabantur: secundus ad sinistram motu stellarum peragebatur, cuius μελῳδικὰ μέλη dicta fuit ἀντιστροφή, denique canentes ante aram stabant, cùm ἐπῳδὸς, seu μέλη ἐπῳδικὰ peragebatur. Quod satis ostendit motum corporis cum harmonicis concentibus iungi debere, vt vim suam exerat, alioquin de musicis nostris idem, quod Ouid. 5. metamorph. de muliere in saxum versâ dicere possumus.

Mos antiquorum in choro.

Ouid.

Nec flecti ceruix, nec brachia reddere gestus,

Nec pes ire potest, nihil est in imagine viuum.

Sicut, & quod habet Iuuenal. Sat. 8. de trunco Hermæ

Iuuenal.

Nullo quippe alio vincis discrimine, quàm quod

Illi marmoreum caput est, tua viuit imago.

Hæc autem in motibus moderatio esse debet, vt totus cantus sit plenus dignitatis, & animi liberalis index, nec quidquam afferendum est, quod aliqua portenta exhibere videatur, quandoquidem nolo musicæ gestus tales esse, quos in orchestrica fuisse legimus, sed plurimum à mimicâ leuitate dissentire; sufficitque si cum sententiis in cantilena existentibus congruant, quamuis ex saltationibus aliquid retineri possit, si quidpiam verecundum, & honestum in illis deprehenderis, alioquin enim omnino repudiandæ erunt Adonidis, Bacchicæ, & aliæ quæpiam saltationes, quales sunt eæ, de quibus Arnobius lib. 2. *Animarum alia multitudo lasciuiens incompositos corporum dissolueretur in motus, saltitaret, & cantaret, orbes saltatorios verteret, & ad vltimum clunibus; & coxendicibus subleuatis lumborum crispitudine fluctuaret,* & lib. 7 *Quin & ipsos Deos ludere, lasciuire, saltare, obscœnas compingere cantiones, & clunibus fluctuare crispatis,* quod & Iuuenal. sat. 11. & Martial. lib. 5. epig. 80. animaduertunt. Nomina verò harum saltationum λαικαστὴς, ἀπόκινος, βακχευτικοὶ, ἴγδις, & σίβας fuere. Omitto Brydalicam turpem, & Gyngras ad tibias saltatas, & gymnopædiam cum coronis thyreaticis, & pæanibus. Dactylum à Græcis πολιτικὸν dictum, quem Corybantes clypeolis æneis inter se concurrentes exprimebant, ne Iupiter in Creta custoditus vagitu se proderet, teste Diomede Grammat. lib. 3. Eclatisma, in quo calcibus in altum iactatis humeros impetebant, Italicam ex sicinnide, & cordace constantem, & à Bathyllo compositâ, cuius cantus ad tibiam ὑπόρχημα dicebatur, & alias saltationes, atque cantilenas, quæ

Arnob.

Iuuen.

Martial.

Saltationū variæ species.

Diomedes.

Authores qui de saltationibus egerunt.

sæpius ab eo nomen desumebant, qui illas non inuenerat, vel qui in eis celebrabatur, vt apud Iul. Polluc. l. 4. Athen. l. 14. & alibi Hesychium, Lucianum περὶ ὀρχήσεως, Rodigin. Plutar. passim, Etymologici autorem, Platon. 7. de leg. & alibi, Arnob. & Meursium, qui nuper de orchestra scripsit, legere poteris.

Apud antiquos autem tria cantionum genera fuisse legimus, videlicet ᾠδικόν, ἐγκωμιαστικόν, & ἐνθουσιαστικόν; primum cantilenas complectebatur, quæ ad gratulationem, consolationem, dolorem, & alium quempiam affectum animi faciebant, quales Horatij odas, & carmina ὀρθρια dicunt. 2 genus laudationes publicas, & ὕμνους, veterumque heroüm historias continebat, & à bardis antiquis musicis barditum appellabatur. 3 genus amplectebatur, quæ ad animos hominum amoris, iræ, & furoris incentiuis accendendos valere videbantur; sic enim, teste Valerio lib. 2. cap. 1. Lacedæmonij non ante ad dimicandum descendebant, quàm tibiæ concentu, & anapæsti pedis modulo ineundi prælij formam indicentis calorem animo traxissent, admonebat enim ille pes vegeto, & crebro à primarum syllabarum sono strenuè decertandum, & hostem inuadendum esse. Quod etiamnum à Germanis factitari obseruant, qui pyrrhichium cum anapæsto, sicut & Galli in tympanis suis sonant.

Valerius.

Caput verò non omnino immotum habere debet musicus, sed illud eleuare, vel demittere prout cantilena requiret, est enim caput ἡγεμονικὸν in homine, & totus homo in capite esse dicitur; quapropter summopere caueat, ne Cyclopi similis feram, flexiiugamque frontem habens ?????? appelletur. Itaque dum aliquid cecinerit, quod ad numinis diuini maiestatem, attinet, vel quod beatorum patriam, sidera, montes, vel aliud quidpiam excelsum spectabit, caput attollat; demittat autem, si de rebus inferioribus, vel tristitiam afferentibus loquatur, nam capitis demissio animi humilitatem sapit, & vultus tristitiam præ se ferens mirum est, quàm facilè similem mœrorem in spectantibus pariat.

Poterunt etiam musici lachrymas fundere, quod profectò contingere poterit, imò ferè semper continget, dum triste quidpiam canent, vt par est, idque non semel in quibusdam deprehendi, qui partim canentes, partim audientes à lachrymis vix abstinere poterant, quippequæ suopte nutu fluebant. Quod si cantilena Dei triumphos, & victorias celebret, musici capite erecto, totoque corpore præ lætitiâ exiliente paulò vehementiùs commoueri poterunt: Denique quantum fieri poterit, dummodo τὸ πρέπον semper obseruent, motum corporis, vultum præsertim, & manum cantui conformare debent, alioquin musica imperfecta, atque manca erit.

Et quidem motus illius defectu neotericorum musica vix vllam energiam habere videtur, quandoquidem de quolibet ferè nostri sæculi musico id à anthologiæ tit. 37. εἰς ὀρχηστὴν iure dici potest.

Anthologia.

Εἰς ξύλινος Δάφνην ὡς λίθινος Νιόβην

Ligneus vt Daphne, saxeus vt Niobe.

Quotus enim est, qui dum canit, non demittat caput in librum, ac si studeret, quod iamdiu memoriæ suæ mandare debuit, vt ab auditoribus canticum in laudem Dei concinnatum propriâ velut industriâ, propriòque marte elaboratum, & ex tempore decantatum potiùs, quàm aliunde desumptum, & studio comparatum esse videatur. Quanquam minimè necesse est, vt auditores hanc de musico existimationem concipiant, tametsi enim probè nouerint psalmum, exempli causa, postremum non industriâ musici, sed Spiritusancto dictante compositum, à Dauide literis consignatum, & à Baïfio viro in Græcis versatissimo metricè lingua vulgari redditum, attamen sufficiet, si musici ea ratione psalmum concinant, ac si eundem extemplo nouiter eructarent; nec enim in dubium reuoco cuiuslibet fidelis animum mirifico gaudio recreatum iri, si psalmus ille cunctis, de quibus egi, coniunctis cum vocibus atque violis optimis optimè canatur, cùm in eo audiendo, licet plurima ex necessariis abessent, multos non mediocri lætitiâ perfundi viderim. Nota verò paulo difficilius esse, vt quis vi Musicæ in furorem agatur, adeout plerique fabulosum existiment, quod Plutarchus lib. 2. de fortuna Alexandri narrat, quem Antigenide tibicine modulante velut lymphaticum impetu è mediis epulis proripuisse, & manus armis concussis in astantes intendisse iuxta Laconicum illud, *Vrget enim ferrum scitè fidibus canere*, eundem verò sono bellico ita citatum molliori postmodum, atque mitiori citharæ ictu ab armis, ad epulas fuisse reuocatum aiunt: huc etiam confert, quod Fabianus 1. instit. orator. cap. 10. refert de Pythagora qui concitatos ad vim pudicæ domui afferendam iuuenes composuit, vbi tibicen illius iussu modos in spondæum commutauit. Testis locuples Seneca lib. 3. de ira cap. 9. fatetur musicam ad iram comprimendam non parum valere, vbi etiam Pythagoram laudat, quem dixisse ferunt τὴν ἀρετὴν ἁρμονίαν εἶναι, καὶ τὴν ὑγίειαν, καὶ τὸ ἀγαθὸν ἅπαν, καὶ τὸν θεόν, *virtutem esse harmoniam, & valetudinem, & omne bonum, & ipsum Deum.* Quæ vt in præsentiâ relinquam, iuuat ex eodem Fabio motus illos corporis musicæ debitos confirmare, qui postquam ex Archita, & Aristoxeno grammaticem musicæ subiectam, & eosdem musicos, vates, & sapientes habitos fuisse animaduertit, & prouerbium istud, *Indoctus à Musis atque Gratiis abesse*, retulit, duplices in musica numeros esse docet, in vocibus, & in corpore, itaut vtriusque aptus quidam modus obseruari debeat, ex quibus præcipit oratori, vt ea, quæ ad gestum, verborum collocationem, & flexus vocis attinent, depromat, quandoquidem voce, & modulatione grandia elatè, iucunda dulciter, moderata leuiter canenda sunt, vt ars tota consentiat cum eorum, quæ dicuntur, affectibus.

Baïfius.

Plutarch.

Quintil.

Seneca.

Vbi diligenter obseruandum, est non minus in cantibus harmonicis, quibus aliquem incitare, & illius affectum huc illuc impellere cupis, vocis intensionem, remissionemque seruandam esse, quàm in oratione; itaque vox aliter flectenda erit, cùm misericordiam psallendo deprecabimur, & ad misericordiam aliquem excitare, quàm vbi eundem in furorem agere, vel ad tristitiam prouocare voluerimus. Pedibus etiã vti poterit musicus, ita tamen vt suę personę dignitatem, atq; decus retineat, nec enim eum histrioné esse velim, quamuis neq; eum reprehendendum esse putem, qui Dauidis instar præ lętitiâ in diuini numinis laudibus decantãdis ad ipsiꝰ harmonię numeros saltauerit, imo non

non parum illæ saltationes compositæ, & honestæ ad audientium animos commouendos, & ad laudẽ Dei celebrãdam inuitandos proderunt, maximè si saltatio, atque cantus illa Dei opera ad viuum referat, in quibus eius magnificentia, potentia, atque sapientia considerantur. Vtinam Christiani prophanas illas choreas, in quibus canunt sæpissime turpia, vel quæ ad impudicam Venerem incitant, in choreas illas commutarent, quæ, verbi gratiâ motus cœlestes referrent, & angelicos choros, atq; mirabilẽ ordinẽ, quo Domino seruiunt, nec non illa cœlestia gaudia, quibus in patria beati perfunduntur, absque dubio mirabiles illos effectus in omnium animis, & corporibus deprehenderes, quos inquirimus, & omnino pollicemur, si musici ad bonam frugem se recipere, & deinceps nihil aliud præter numinis diuini laudes, & præclara Sanctorum facinora canere voluerint.

Choreæ laudabiles.

At non est, quod latiùs de musicorum gestibus, atque motibus corporis agam, quandoquidem cætera ex Quintil. lib. 11. cap. 3. fusissimo, & aliis rhetoribus petere poteris, è quorum doctrinâ musici proprios sibi motus effingere valent: sed neque est, quod rhetores legant, cùm eos oratores esse, philosophos esse, & optimo iudicio pollere velim, qui facilè gestus, & motus cantui accommodabunt, neque sine admiratione audientur, atque videbuntur. Mirabitur forsitan aliquis, quod tantam eruditionem in musico desiderem, sed mirari desinet, si considerauerit, quàm mirabilis sit musica, quæ tantam vim in animos obtinet, & exerit, & Calchantem Homericum audierit, qui saltatorem scire debere ait τά τ' ἐόντα, τά τ' ἐσσόμενα, πρό τ' ἐόντα. idest *quæ sint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur*: quandoquidem adeò clarè saltator exprimere debet, quod repræsentat, vt nullis interpretibus opus sit; hinc σαφήνειαν idest perspicuitatem ei necessariam asserunt, ne saltationem tibiarum, & fistularum, parerga Cynicus alter Demetrius asserat, ac si ab intellectu seiuncta esset, quem saltator celebris tempore Neronis ante eum Veneris, & Martis adulterium, Vulcanum vtrique struentem insidias, illos claudi fabri technis irretitos, assistentes spectaculo Deos, suffusam rubore Venerem, timidiùs supplicantem belli Deum saltatione repræsentans ita conuicit, vt plurimum oblectatus Demetrius exclamarit ἀκούω ἄνθρωπε, ἃ ποιεῖς· οὐχ ὁρῶ μόνον, ἀλλά μοι δοκεῖς ταῖς χερσὶν αὐταῖς λαλεῖν, idest, *Audio ô homo, quæ facis: nec video solum, sed etiamnum ipsis manibus mihi videris loqui.*

Quintil.

Homerus.

Quocirca non malè saltatores Lesbonax Mitylenæus χειροσόφους manu sapientes appellabat. Quod si gentiles in deorum falsorum, vel potiùs idolorum tot hymnos decantarunt, vt apud eos hypingos Dianæ, pæan, vel hyporchema Apollinis, qui duo hymni prosodia vocabantur, Dionysij dithyrambus, Cereris iulus, eroticus Veneris familiares essent, nec idolorum aras adirent, nisi prosodion, seu κλητικά, vel hyporchema, vel statisimon tria hymnorum genera in ore essent, & cymbalis, tympanis, tubisque psallerent, quid obsecro musici Catholici in veri Dei cultum impendere, imò quid non impendere debent? ergóne filij tenebrarum semper filiis lucis prudentiores erunt? absit, nam quanto maior est Deus noster gentilium idolis, tanto maior celebritas esse debet, & tanto augustior, & excellentiorum cùm vocum, tum instrumentorum harmonia, qua

Hymni Dijs falsis decantati.

fideles Deum Opt. Max. colere, laudare, & toto corde prosequi debent.

Facessant laconicæ, trœzenicæ, creticæ, ionicæ, mantiniacæ, mauricæ, cæteræque paganorum saltationes; procul sit ille Pan chororum proxenus, procul ballismus cymbalis crepitans, enoplion pyrrhichicum, xiphismus, podismus, comus, tetracomusque bellicosus, procul denique ἱμαντελιγμοί Spartanorum μίμη, bancismus, colabrismus armatus, ipsáque χορῶν ἐκτόπους gentilitia, & tota cantionum, atque saltationum turba, neque φορὰ, σχῆμα, & ἡ δεῖξις, lationem, habitum, & demonstrationem 3. antiquæ saltationis partes anxiè curemus, etenim quid nobiscum, & filiis Belial esse commune potest? Valeant gentilium hymni cletici, apopemptici, physici, mythici, genealogici, ficti, eucti, apeuctici, atque ex illis mixti, quibus se dæmoniis deuouebant, nos enim in Dauidico psalterio hymnos habemus, διδασκαλικούς, προφητικούς, vel ἐγκωμιαστικούς, vel εὐχαριστικούς, παραινετικούς, εὐκτικούς, παραμυθητικούς, ἀπευκτικούς, ἐγκωμιαστικούς, ὑμνικούς, & παρηγορικούς, vt iam Christiani nullam excusationem obtendere valeant, si prophanos cantus aggrediantur, nam siue lætari, saltare, & choreas agere, siue flere, siue indignari, siue quopiam alio affectu commoueri velis, tibi sunt obuiam plurimi psalmi qui tuo desiderio perfectè satisfaciant, si præsertim eos harmonicè, deuotéque cecineris; exempli gratia primus est didacticus, 2 propheticus, tertius eucticus, 4 paramythicus, 8 eucharisticus, sicut & 9, qui etiam partim paramythicus, & eucticus dici potest à versicul. 22 à quo Hebræi 10 psalmum numerant: 17 est eucharisticus, & propheticus. Omitto reliquos psalmos, de quibus musicus vel mediocriter eruditus facilè iudicabit, & eliget eum, qui hunc affectum mouere possit, ad quem collimat. Vbi & liberrimum ei facio, vt quâlibet Scripturæ sacræ parte, imo & omnimodâ inuentione, & industriâ vtatur ad omnipotentis Dei bonitatem, prouidentiam, atque iustitiam pro viribus extollendas; nec enim vllum est versuum, pedumque genus, quod non possis in laudibus diuinis frequentare.

Quænam saltationes, & cãtilenæ reiiciendæ.

3 Partes saltationis.

Multiplices hymni gẽtilium.

Proprietates psalmorum Dauidicorum.

Deus bone, quàm gratum, & admirabile fuerit, si musicus psalmos statim anapæsto, vel pæone, tribracho, pyrrhichióq; decurrat, statim trochæo, iambo, spondæo, molosso retardet, aliàs sapphicum metrum, aliàs alcaicum, ionicum tam à maiori, quàm à minori, antispasticum, phaleucium, iambicum, & quodpiam aliud illis adhibeat.

Desiderium autoris.

Vtinam illud vel vni musico suadere possim, vt in Ecclesia militante beatam illam melopœiam cœlestis Hierusalem adumbremus, cuius participatio in idipsum. Quis mihi det voces, & instrumenta, quæ debitis systematibus, atque tropis Psalmum 83. *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini*, & quæ sequuntur, intonent, & auditores qui patriæ cælestis summo desiderio teneantur, vt fœlici raptu viuentes tollantur, & iam iam beatitate frui sibiipsis videantur. Psalmus 21 est ἀπευκτικός, & 126 qui gallice in eadem cantilena legitur διδακτικός; 43 est εὐκτικός; 67 πανηγυρικός, denique vltimus est

Psalm 83.

ἐγκωμιαστικάς, quos musicè reddidimus, inter quos vltimus viri iusti animum maximè semper afficiet, & propè rapiet, si musici debito corporis motu, & deuotè memoriter illum cecinerint.

Egregij professò viri, ad quorum laudem Spiritusanctus, Eccles. 44. hortatur, dum ait, *laudemus viros gloriosos.* v. 1. & v. 5. *in peritia sua* ἐν παιδείᾳ αὐτῶν (sic enim iuxta biblia Sixtina correcta legendum est, non *pueritia*) *narrantes modos musicos, & narrantes carmina scripturarum.* Nec vltimum locum in Dauidis laudibus obtinet, quod musicè diuini numinis laudes prosecutus fuerit ibid. c. 47. v. 11. *& stare fecit cantores contra altare, & in sono eorum dulces fecit modos.* Meminit etiam Regum liber tertius musicorum instrumentorum, quæ Salomon ad Dei laudes occinendas fieri curauit, nam c. 7. v. 50. fuscinularum nomine, quæ sunt Hebræis מזמרות *mezamroth*, psalteria aliqui interpretantur, sicque D. Hieron. Ierem. 52. v. 18. dictionem illam vertit, & Ioseph. 8. antiq. c. 2. asserit nablorum, & cinnyrarum in vsum hymnodiarum ex electro quadraginta millia confecta fuisse, atque tubarum ducenta millia; vbi magnum cantorum numerum ostendit, dum stolas byssinas hymnorum cantoribus numero 200000 fuisse refert.

Eccl. 44.
Eccles. 47.
3. Reg. 7.
Hieron. Ierem. 52.
Iosephus.

Et quidem Salomonem in musica peritissimum fuisse constat ex eo, quòd συνετάξατο βιβλία περὶ ᾠδῶν καὶ μελῶν πέντε πρὸς τοῖς χιλίοις, composuit libros odarum, & carminum quinque supra mille Iosepho teste ibidē. Quid si 6, 9, & 15 c. 1 Paral. legeris? nūquid maximā cantorum curam fuisse fateberis? Me professò mirum in modum arcæ iubilus recreat, cum ibidem cap. 15. eam in sonitu buccinæ, & tubis, & cymbalis, & nablis, & citharis concrepantes deduxerunt, & maximè cuperem, vt in arcæ veræ deductione, videlicet Sacramenti altaris processione Asaphalter cantorum princeps constitueretur, & pulcherrimum illud canticum, *Confitemini Domino, & inuocate nomen eius,* &c. summâ deuotione, & industriâ caneretur, quod non solùm hîc cap. 16. sed & Psalm. 104. habetur.

1 Paral. 6. 9. & 15.
Ioseph.
1. Par. c. 16.
Psal. 104.

Itaque si musici nostri antiquorum hebræorum musicam vocalem, & instrumentalem æmulari conentur, in nablis arcana canant, & viri principes vel ecclesiastici, vel politici peritissimos musicos ad laudes numinis diuini decantandas constituant, vt resonet in excelsis sonus lætitiæ, Dauidis instar 1 Paral. cap. 15. versī. 16. qui Heman, Asaph, & Ethan cymbalis æneis; nablis Zachariam cum aliis pluribus, Mathathiam, & alios citharis, quibus pro octaua canerent epinicon; prophetiæ ad præcinendam melodiam Choneniam Leuitarum principem; tubis denique Sebemam cum aliis præfecit, si, inquam, id nostri faciant, mirabiles effectus musica sortietur. Quod sanè facillimum esset, quandoquidem eundem psalmum eodem affectu canere possumus, quem Israelitæ ferè semper psallebant, vt 2 Paral. 5. versic. 13. & cap. 19. versic. 21. legimus, is erat 135. *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius,* sicut & alias quaspiam Dei laudes: nec minorem à Deo misericordiam, aut fauorem expectare debemus, quàm Israelitæ, si pari deuotione numinis diuini laudes cecinerimus.

1 Paral. 15.
Musicæ præfecti.
2. Paral. 5. & 19.
Psal. 135.

Placet autem in nostræ de corporis motibus sententiæ confirmationem Aristidem adducere, qui lib. 1. idque, si per capita lib. rum distinguas, 3 docet subiectum, seu materiam musicæ esse vocem, & motum corporis, ὕλη δὲ μουσικῆς, φωνὴ καὶ κίνησις σωματική, ex quo concludendum est musicam minimè perfectam esse posse, nisi corporis motiones adhibeantur: & paulo ante vbi definiuit musicam, & in ea cantus μελῳδίας, καὶ ῥυθμὸν, καὶ λέξιν postulauit, sicut & in melodia vocis qualitatem, in rythmo vocis motionem, & in dictione mensuram, subiungit, τὰ δὲ περὶ μέλος πάθη συμβαίνοντα, κίνησις φωνῆς τε καὶ σώματος. ἐν δὲ χρόνοι καὶ οἱ ἐκ τούτων ῥυθμοί, idest quæ concentui perfectò accidunt, sunt motus vocis, & corporis, atque tempora, & rythmi inde procedentes. Homerus autem hymno in Apollinem asserit puellas Deliades Apollinis ministras hominum gestus adeò perfectè imitatas fuisse, vt illi, quos cantibus referebant, ipsi loqui viderentur.

Aristides.
Homer.

Ὕμνον ἀείδουσιν, θέλγουσι δὲ φῦλ' ἀνθρώπων.
Πάντων δ' ἀνθρώπων φωνὰς καὶ κρεμβαλιαστὺν
Μιμεῖσθαι ἴσασιν· φαίη δέ κεν αὐτὸς ἕκαστος
Φθέγγεσθ'· οὕτω σφιν καλὴ συνάρηρεν ἀοιδή.

Hymnum canunt, demulcentque nationes hominum, omnium autem hominum voces, & strepitum imitari norunt, diceret vtique ipse singulus loqui, adeò illis apta est cantio.

Cleonides verò τρία εἶναι τὰ ῥυθμιζόμενα, λέξις, μέλος, κίνησις σωματική, & Bacchius fatetur rythmum æque motioni corporeæ, ac melodiæ, atque lectioni competere, καὶ ζητεῖ ὅτι ἐστὶ περὶ λέξιν, ἢ περὶ μέλος, ἢ σωματικὴν κίνησιν.

Cleonides.

ARTICVLVS XI.

MVSICVM DEBERE SE, SVAMQVE *cantilenam moribus, humoribus, temperamento, patriæ & statui illius accommodare, quem commouere voluerit, & tandiu canere, donec ad scopum peruenerit, auditorem verò attentum esse debere.*

FOrtassis hic articulus plura videbitur postulare, quàm musici nostri cupiant, præsertim cùm ea non ita vnicuiq; obuia sint, quis enim vel vnius ex auditoribus mores, humores, & cætera, quę hîc attulimus, cognoscere potest? cùm etiā ipsi medici vix eorū temperiē agnoscāt, cū quib⁹ familiariter

liariter degunt, ergone medico doctior esse debet musicus noster? Veruntamen ea necessaria esse contendo, vt musica vires suas perfectè exerat, nec tamen aliquid postulo, quod plurimam in se difficultatem habeat, enimuero ex vnica auditoris voce, ne gestum, & vultum obijciam, eum musicus agnoscere poterit, ne iam extra vocẽ excurramus; quis enim in dubium reuocare potest vocem esse certum indicem personæ? nunquid iam abiit in Prouerbium loquelam manifestum hominem facere? qua ratione antiqui philosophiæ magistri iuuenes experiebantur, antequam illos ad suas scholas admitterent, ex quibus Socrates dicere solebat, loquere fili, vt te videam, ac si vox ipsum animum oculis subijceret. Quæ ex Isaaco confirmari possunt, qui cùm tactu deceptus fuisset, voce falli non potuit, dixit enim Genes. 27. vers. 22. *vox quidem vox Iacob est, sed manus, manus sunt Esau.* vnde Iob. 40. v. 4. negat Deus vllam esse vocẽ suæ voci similem dũ ait, *Iudica mihi, &c. si habes brachium, sicut Deus, & si voce simili tonas*: quam Domini vocem iusti facilè deprehendunt iuxta id Christi Ioh. 10 *oues meæ vocem meam audiunt, & sequuntur me.*

Vox persona index.

Gen. 27.

Iob. 40.

Ioh. 10.

Nec est quòd Musici conquerantur se non esse philosophos, aut medicos, vt velut ex vngue leonem, ita ex voce hominis mores agnoscant, enimuero paucis verbis scire possunt, quæcunque ex voce coniiciuntur, quæ Philosophus hisce docet. *οἱ μέγα φωνοῦντες βαρύτονον, ὑβρισταί. ἀναφέρεται ἐπὶ τοὺς ὄνους. ὅσοι δὲ φωνοῦσιν ἀπὸ βαρέος ἀρξάμενοι, τελευτῶσι δ' εἰς ὀξύ, δυσθυμικοί, ὀδυρτικοί. ἀναφέρεται ἐπὶ τοὺς βοῦς, καὶ ἐπὶ τὸ πρέπον τῇ φωνῇ. ὅσοι δὲ ταῖς φωναῖς ὀξείαις, μαλακαῖς, κεκλασμέναις χρῶνται, κίναιδοι. ἀναφέρεται ἐπὶ τὰς γυναῖκας, καὶ ἐπὶ τὴν ἐπιπρέπειαν. ὅσοι βαρύτονον φωνοῦσι μέγα καὶ πεπληγμένον, ἀναφέρονται ἐπὶ τοὺς δυνατοὺς κύνας, καὶ ἐπὶ τὴν ἐπιπρέπειαν. ὅσοι μαλακὸν ἄτονον φωνοῦσι, πρᾶοι. ἀναφέρεται ἐπὶ τὰς οἶς. ὅσοι δὲ φωνοῦσιν ὀξὺ καὶ ἐγκεκραγός, μάργοι. ἀναφέρεται ἐπὶ τὰς αἶγας*, quibus habes, quid ex voce coniici posse doceat Aristot. in physiognomonia, quæ sic verti solent. Qui voce magna grauiter vociferantur iniuriosi, ac petulantes referuntur ad asinos; quicunque loquentes à graui incipiunt, & in acutum desinunt iracundi, & lugentes ad boues, & decentiam vocis; qui verò acutis, mollibus, atque ruptis vocibus vtuntur, cinædi ad mulieres; qui magna, & graui voce clamant, fortes & audaces ad robustos canes; qui molliter, & sine contentione mansueti ad oues: denique qui vocem acutam, & intentam habent iracundi ad capras referuntur.

Aristot. Quid ex voce coniici possit de temperie?

Ex quibus clarum est Aristotelem hoc fundamento vti, homines illarum belluarum mores referre, quorum voces imitantur, quo fere omnes physiognomi vtuntur.

Omitto horum omnium apotelesmatum rationes, & causas, vt breuitati studeam, quas interim ex Baptista Porta lib. 2. physiogn. Sauanarolæ physiogn. quæ autographa in Bibliotheca regia seruatur, & ex interprete Camillo Baldo repetere poteris; Polemonem, & Adamantium iunge, si iubet.

Quid de physiognomoniâ egerint?

Tantùm addam vocis quantitatem, & qualitatem plurimum ab arteria dependere, quæ cùm angusta est tibiæ instar, sonum acutum edit, quem ex spirituum imbecillitate Aristoteles prouenire docet, ideoque pueri ἄγονοι, fœminæ, decrepiti, & spadones sect. 11. probl. 16. vocem acutam edunt, quæ cùm tenuis fit, ex paruo aëris motu efficitur: vox autem grauis à multo aëre incitato oritur, quẽ viri robusti ob spiritus copiam mouent, qui cùm multus sit, tardè mouetur, ac proinde grauem vocem efficit.

Vox acuta, & grauis vnde?

Cùm autem senes calore destituantur, & penuriâ spirituum laborent, acutiùs vociferantur, ideoque cicadis illos Homerus comparat, quæ sunt ἄγονοι: caloris enim defectu arteria vocalis angustior redditur, quam etiam humoris, & pinguedinis copia opprimit, vt patet in eunuchis, qui seminatum more faciliùs pinguescunt.

Aduerte autem in arteria mirabile quidpiam, quæ habet annulos, vt dum grauem vocem edimus, extendatur, & longior fiat, cùm acutiorem breuior, vt nonnulli notauêre: quod si verùm est, ausim affirmare in primo sono edendo longiorem fieri, quàm in secundo, si secundus cum primo diapason faciat: si diapente in primo, & secundo sibiipsi sesquialteram fieri, & ita in reliquis consonantiis, eandem in longitudine proportionem obseruare, quam ipsi soni habuerint: quod non solùm per arteriæ variam longitudinem, sed & per variam dilatationem explicare possumus, vt cum ἀναπνευματικὰ τς effertur, fit duplo capacior, & latior, quàm vbi ἀλλα auditur, nisi ad laryngem solum recurrere malueris, quæ pro variis aditibus diuersas voces effingat.

Motus arteriæ vocalis.

Legant Musici section. illam problematum Arist. de voce, qui cùm deprehenderint auditoris temperiem, eum facilè commouebunt, si accuratè perspexerint, quam vocem is, vel alij in ea passione emittere soleant, ad quam excitare cupiunt: etenim in quolibet animi pathemate exprimendo peculiari vocis tenore, seu tono vtimur: exempli causâ dum ira feruet, & bilis dominatur, atque vires suas exerit, vox celerior, acutior, & frequentior editur, donec ad illam periodum attingat, in qua raucedinem contrahit: debet igitur vnde simili vti Musicus, & iræ tonum, quatenus fieri poterit, imitari, vt auditor ad iram concitetur, ac si tua vox esset testudinis neruus, qui percussus auditoris neruum iracundiæ, tuæ voci vnisonum, vel æquisonum commoueret: statim enim atque auditoris animus sonum deprehenderit, qui affectionis iracundæ imaginem præ se tulerit, exilier, & ad illam affectionem conuolabit vt harmonia, & chorda interior exteriori coniungatur: quem si magis ad iram concitare volueris, sicut iratus vocem intendit, ita nerui, & vox intendi debent: vlterius non progredior, nec enim vllum furore agitari velim, cùm mihi sufficiat, si auditores aduersus omnes impios, & peccata propria, vel aliena irascantur. At de voce hactenus, ex quâ auditorum temperiem, & humores vtcumque Musicus conijcere poterit, nec enim iam discutio, quid, & quâ certitudine temperiem, atque mores ex voce, & reliquis ad physiognomoniam attinentibus indagare possimus, aliâs commodiùs illud disquiremus.

Ira quomodo excitetur.

Patria etiam spectanda est, tum quia vnusquisque nescioquid à patriâ ingenium habet: tum quia leges peculiares, seu νόμοι variæ gentes semper habuerunt, a quibus modi illi antiqui

De patriâ.

dorius, phrygius, lydius, & cæteri nomen acceperunt, qua propter vbi quis modum illum canendi audire cœperit, cui priùs in patria fuerat aſſuefactus, faciliùs commouebitur, quod in Æthiope non ita pridem contigit, qui cùm omnis generis cantilenas audiret, non priùs viſcera ſua commouéri deprehendit, quàm vbi muſicus aliquam cantilenam Æthiopibus propriam videlicet moriſcam cecinit, quâ auditâ protinus ille ſaltauit. Nec in dubium reuocari debet aliter Italum, quàm Hiſpanum, & Gallum, quàm Anglum excitari: quapropter muſica ea ratione parari debet, & ea verba eligenda, verſuſque compingendi, quibus illius regionis, & regni viros affici cognoueris, quos ſuſcepiſti concentu mouendos. Ætas etiam, & conditio ſpectanda eſt, nec enim ſeni placebit, quod iuueni, nec ſemper diuiti, quod pauperi: ſimiliter alia ratione canendum erit, vbi doctos auditores, aliter vbi populares homines, aliter vbi viros probos, aliter autem vbi impios nactus fueris, ſi tamen vllo concentu hoſce dignos iudicaueris, niſi forſitan vt reſipiſcant, & animæ ſuæ cum ratione, & diuino numine diſſonantiam ad concordiam reuocent.

Dignitas auditoris. Supereſt auditoris dignitas, officium, & negotia, quibus implicatur; quæ niſi ſpectaueris, quid mirum ſi à ſcopo aberres: tametſi enim aliquis naturâ lætus ſit, & facilè ad lætitiam incitari valeat, non ita tamen ſi carceri mancipatus, vel morbo, aut calamitatibus oppreſſus fuerit, & tempus flendi, atque ridendi, inquit Sapiens. Muſicorum meditationi cætera relinquo, quæ ad mores, temperiem, & ſimilia pertinent, quibus vtiliſſimum erit, ſi libros ethicorum Ariſtotelis, & politica, imo & œconomica didicerint, vt omnibus circunſtantiis, & ornamentis neceſſariis ſuos concentus perficiant, & auditores pro libito commoueant.

Auditor attendere debet. Vnum verò præ cæteris obſeruare debet Muſicus, vt auditor attendat cantilenæ, parum alioquin proficiet, etiam ſi Arionem, Terpandrum, aut Timotheum canendi peritiâ ſuperet, & lapidibus cantabit: hinc fit etiam ex regiorum ſymphonetarum, & phonaſcorum confeſſo, vt concentus optimi nihil efficiant in animis auditorum, quippe qui etiam ſacro Miſſæ ſacrificio durante (ô pudor!) muſſitant, & perpetuò garriunt.

Muſicus qualis eſſe debeat? Vtinam muſicos inueniam, qui animas, & concentus venales non habeant, qui nunquam canant, niſi vbi auditus fuerit, & auditores attenti fuerint, ne ſuam operam adeò malè collocent, qui nihil vnquam ſiue voce, ſiue inſtrumentis concinant, niſi quod ad animæ profectum, & mentis ad cœleſtia eleuationem, atque Dei laudes efferendas, eiuſque gloriam magnificandam faciat. Et quidem nihil eſt, quod muſicæ dignitatem tantopere deprimat, & eius vim, & efficaciam magis eneruet, quàm vbi ſtultis, venereis, & ridiculis, atque impiis cantilenis adhibetur. Pereant illi, qui tam nobili ſcientiâ tam impudenter, & turpiter abutuntur, & pro concentibus impudicis, quibus procorum, & curioſorum aures feriunt, atque recreant, horrendis damnatorum eiulatibus, & perpetuis clamoribus, gemitibuſque crucientur, niſi reſipiſcant, & vt cum Amos propheta loquar c. 8. Conuertantur omnes feſtiuitates eorum in luctum, & omnia cantica eorum in planctum, qui ſuam induſtriam in cantilenis impudicis harmonicè reddendis collocant, quam in diuini numinis laudibus ritè celebrandis impendere debuiſſent, vt terram cœlo, mundum elementarem cœleſti, megalocoſmum microcoſmo, & totum mundũ in homine concluſum Deo coniungerent. Impudici muſici arguuntur. Amos 8.

Cantilenæ longitudo quæ? Denique muſicus minimè ceſſare debet, ſi primis verſibus auditores pro voto non excitauerit, ſed diutiùs canere, nec enim primis ſonis ſtatim omnes incitantur, etenim quo tardiores fuerint humores, eo pluribus, & vehementioribus ſonis concutiendi ſunt, donec cedant; ſic enim antiqui longum carmen depromebant: vt ſatis ex Pindari, Anacreontis, & aliorum carminibus, & Iulio Polluce conſtat qui lib. 4. c. 9. docet Terpandrum ita νόμον citharœdicum diuiſiſſe: vt partes illius ἔπαρχα, ἐπαρχὰ, μέταρχα, κατάτροπα, μετακατάτροπα, ὀμφαλὸς, σφραγὶς, & ἐπίλογος, eſſent. i. præludia, initia, fugæ, inflexiones, medium, ſigillum, & epilogus, quibus modos partes ſuas habuiſſe inſinuat tragœdiarum, vel comœdiarum inſtar. c. vero 10 pythici modi, qui tibiâ canebatur, 5 partes affert, quæ ſunt πεῖρα, κατακελευσμὸς, ἰαμβικὸν, σπονδεῖον, & καταχόρευσις rudimentum, prouocatio, & ouatio: vnde ſi vehementer ad laudes diuinas excitare cupis, aliquo hymno in Dei laudes compoſito eiuſdem cum hymno Homeri in Apollinem longitudinis id efficere poteris: & qui à Phalangio Apuliano icti ſunt, ſaltare non ſolent, niſi tibicines longo tempore cecinerint, adeout non rarò per quadrãtem, aut ſemihoram, imò & per horas integras violis ludant, & ſæpe cantilenas, & modos varient, antequam optatis fruantur. Nemo autem longitudinem determinare poteſt, cùm illud ab auditorum varietate pendeat: carmen ſatis longum fuerit, vbi effectum muſica ſortita erit, etiam ſi 2 ſolùm verſibus conſtaret. Fortaſſis exemplum aliquod alibi proferam.

ARTICVLVS XII.

QVOD MODVS IMMVTANDVS SIT, QVANDO res ita poſtulat.

SCio plurimos eſſe, qui de hac modorum immutatione conuenire nolint, exiſtimant enim ſufficere, ſi alicui modo per quem inceperimus diateſſaron, diapente, vel tonum, aut ditonum vel infra, vel ſupra ſubiungamus. Verùm illorum ſententiæ ſubſcribere non poſſum, quãdoquidem antiqui clarè docẽt illam modi mutationem apud eos celebrem in vſu fuiſſe: quod ſatis innuere videtur Mart. Capella c. de tranſitu vocis, quem modis 4 contingere ait ſecundum genus, ſyſtema, &c. *vel per tonum, cùm à Lydio, vel in Phrygium, vel in alium tropum cantilena tranſducitur: vel per modulationem,* Mart. Capel.

Bacchius.

lationem, cùm ex alia specie modulandi in aliam desilimus. Id verò Bacchius senior clariùs docet, dum asserit in isagoge septé esse μεταβολάς, seu mutationes, περὶ συστηματικὴν, γενικὴν, κατὰ τόνον, κατὰ ἦθος, κατ' ἀριθμὸν, καὶ ἀγωγὴν ῥυθμοῦ, κατὰ ῥυθμοποιίας θέσιν. Mutationem verò iuxta modum sic explicat, ὅταν ἐκ λυδίου εἰς φρύγιον ἢ εἰς τινα τῶν λοιπῶν μεταχωρῇ. quãdo ex lydio in phrygium, vel in aliquem alium modum transierit. Iuuat etiam mutatio κατ' ἦθος, cùm ἐκ ταπεινοῦ εἰς μεγαλοπρεπὲς ex humili ad magnificum, vel ἐξ ἡσύχου, ἢ σώφρονος εἰς ἐνθουσιαστικὸν ex quieto, & cogitabundo ad concitatum irruimus. Nec est quòd aliquis existimet illam mutationem tantùm intelligendam esse, quando cantilenæ variæ fuerint, satis enim est, quod eadem cantilena, vel idem poëma statim ad lachrymas, statim ad lætitiam prouocet, siquidem pro subiecti varietate modus immutari debet: at quis non videt in eadem cantilenâ tristia, lætaque sæpissime contineri?

Quod si totum subiectum quod canitur lætum fuerit, aut iracundum, aut triste, tunc fateor modum immutandum non esse, licet ab authento in plagalem quis diuertere, atque descendere possit, cùm vtriusque par ratio, & phrasis esse videatur, hoc solo discrimine, quòd diapente in authẽto subiiciatur, in plagali verò superponatur. Idem verò ipsâ experientiâ confirmatur, vt patet in historia, quam initio de musico Daniæ retuli, qui cùm Ericũ regem ad furorem excitare vellet, modum immutauit: primum enim graui sono mœrorem quendam audientibus ingerebat, inde succinendo plausibiliùs in lætitiam vertit, vt paulum abesset quominus iocabundi dissultarent: tum modis acrioribus intentatis indignationem quandam concitabat, quæ vbi inualuit, furere regem, astantesque cernere erat.

Ericus rex in furorem actus à musico apud Krant 5. Daniæ. c. 3.

Fateor quidem vniuscuiusque rationem habendam esse, nec enim passim illam commutatione vtendum est, nisi vbi opus fuerit, neque pari fœlicitate in omnibus procedere possumus, vt enim Glareanus lib. 1. cap 11. obseruauit cum magna audientium gratia ex lydio ad ionicum, vel ex ionico in dorium transimus: ex dorio verò in phrygium transilire prohibent, adeout iamdudum in prouerbium abierit *à Dorio in phrygium*, cùm significamus aliquem à iucundo cantu ad absurdum, & velut ab equis ad asinos transire: quanquam alij volunt hocce Prouerbio innui transitum à re seuera ad iucundam, vt Franchinus lib. 4. musicæ instrum. cap. 2. licet cap. 5. bellum phrygio excitari, ac proinde igneo colore, & anapæsto declarari velit, vbi alij phrygio threnos, & fletus conuenire asserunt, quod profectò verum est, si phrygium in ἐναρμόνιον, seu in Elami cùm cæteris incipiamus, scit enim quispiam, quàm sit aptum tristitiæ semitonium per quod incipit, & definit tam diapente, quàm diatessaron modi istius.

Glareanus.

Franchin.

Aduerte tamen peritum musicum non ita ab illa commutatione dorij in phrygium abhorrere debere, vt nunquam illud sibi licere credat, tametsi enim durum interuallum tritonum videlicet phrygius, & hypophrygius, sicut & lydius, ac hypolydius contineant, adeout ad lydij, hypolydiique fugiendam asperitatem plurimi tetrachordum diezeugmenon, in synemmenon immutarint, vt Ionicum, & hypoionicum efficerent, qui molliores essent, attamen vbi versus, & sensus illas mutationes postularit, id musicus præstare debet, quantumuis auditus magnâ alteratioñe percipiat.

Vix effugies stuporem quendam animi admirantis, inquit Glareanus si ex *re, la*, quæ est Dorij diapente, in *mi, mi*, quæ phrygij est, deflectas; quid tum mi Glareane? ergóne musicus vitare debet, ne animi admirabundi stupore aliquem afficiat? quin potiùs id pro viribus conari debet, quandoquidem musici concentus mihi nunquam meliores, ac potentiores videbuntur, quàm dum aliquem in diuinorum operum admirationem rapuerint, vt præ stupore dicat cum Psalte, *Quàm magnificata sunt opera tua Domine virtutum.* Hinc concludo musicum rectè procedere, qui dum aliquẽ ad tristitiam prouocare cupit, illũ prius hilari concentu afficere contendit: contraria enim contrariis opposita elucescere, atq; maiori virtute pollere videntur. Et parum refert, si quibusdam neotericis displiceas, dummodo ad eum affectum perueneris, quem per concentum efficere proposueras; cùm enim variæ vocis deflexiones necessariæ sint, vt harmoniâ moueatur affectus, viç omnes tentandæ sunt, vt ad propositum venias: alioquin non est, quod effectus illos mirabiles sperare possis, quos Aristides musicæ 2. describit; neque enim tanto gaudio, voluptate, dolore, mœrore, afflatu diuino seu enthusiasmo veteres auditorem afficere potuerunt, nisi pro vario subiecto modos variarint. Nec est quod concentus duritiem objicias, quandoquidem musicæ finis non est sola delectatio, vt Aristides suprà bene aduertit, sed illius scopus est, vt ad virtutem conferat, Vbi Tullium explicat, qui 4. de Repub. genus id hominum non modo honore ciuium carere, sed tribu moueri notatione cẽsoriâ voluerat, aitque non esse probabile, quod concentum reijcere voluerit, cùm oratione pro Roscio, hunc celebratum histrionem, & saltatorem tanto cum stupore admiraretur, vt dixerit eum Deorum prouidentiâ ad homines accessisse; vel artem dicendi à Tullio vituperatam putat ob litigantes rhetores; denique non est crimen artis, si qui concentibus indecorè vtantur. Quibus omissis diligenter annotandum est, quod Aristides docet, duas videlicet esse partes in homine concupiscibilem, & irascibilem, quarum hæc masculo, illa fœminæ respondeat; in illo sunt dolores, & voluptates; in hoc ira, & audacia; quapropter vbi aliquem ad iram excitare volueris, duriori concentu fœliciter vti poteris. Docet præterea modi, seu concentus mutationem faciendam esse, si videris eum immotum, quem agitare decreueras, cuius temperiem si nescieris, obuium quidpiam canendum erit, in quo dum per aliquod tempus moratus fueris, nisi excitetur, alia melodia adducenda erit, quod cytharœdi Apuliæ fœliciter agunt, dum à Phalangio demorsos ad saltationem incitant, & sanitati restituunt.

Glarean.

Aristides Quintil. Tullius.

Verùm non est, quod fusiùs in hac mutatione probandâ discurram, quandoquidem ipsi neoterici sæpissimè mutationem illam faciunt siue ex parte, siue in totum; ex parte, cùm inter canendum tenor, altus, aut alia pars in aliquo loco semel, aut aliquoties tantùm chordam b, id est trite synemmenon inter mese, & paramese statuit, cùm ibi ♮ seu diezeugmenon collocari debuisset: quod tametsi negent mutare modum, quod ibi per accidens, & non per se b inseri videatur, attamen ex parte mutari dicendus est. In totum verò, si partes omnes melodiæ tetrachordo synemmenon vice diezeugmenon vtantur, id est, si per b molle canant, cum per ♮ quadratum canere debuissent.

Hac ratione modus 9 in 3 mutabitur.

Placet autem noſtrorum induſtriam commemorari, qui ſingulos modos ad praxim tam bellè redigunt, vt tametſi modum non mutarint, ſæpius tamen ab eis immutatum fuiſſe putes, idque vel ob varios phtongos eiuſdem modi, quos ex condicto vitant, vel frequentant, vel quia modum à proprijs chordis, ſeu phtongis in alias transferunt. Ita enim primum modum inter C, & c conſtitutum, & 1 ſpeciem diapaſon, atque adeò 1 ſpeciem diapente, & diateſſaron continentem in acutum per diateſſaron inter diapaſon F, & f per chordas tetrachordi ſynemmenon, in quibus inuenitur b, transferunt: Phtongi verò, quos ſæpius repetunt in quolibet modo, & quibus modum agnoſcunt, (cadentiæ dicuntur) ſunt extremæ chordæ diateſſaron, & diapente, in quæ diapaſon diuiditur, & chorda, quæ diapente in ditonum, & ſemiditonum diuidit; qua ratione 1 modi cadentiæ regulares ſitæ ſunt in *C, E, g*, & *c*, videlicet, *vt, mi, ſol, fa*, in quo etiam illas cadentias inuenire poſſis *vt, fa, re, fa*, quibus optimè tubæ clangorem referre & victoriam canere poſſis; reliquæ notæ ſæpius frequentatæ dicuntur cadentiæ irregulares. Obſeruant autem cadentias in eccleſiaſtico cantu in fine mediationis pſalmorum, & in fine verſiculorum, itaut mediationes 1, 4, & 6 modi in a, 2 in f, 3, 5, & 8 in c, & 7 in e faciant; vide Recanetum, Glar. Franchin. & alios. At in harmonico concentu tenor modorum dux cadentias accuratè obſeruare debet, cùm aliarum partium inuentionem nobis ſuggerat.

De primi modi mutatione ſeu tranſlatione.

Proprietates modorum.

Cadentiæ modorũ regulares.

De 2. modo

2 Modus in 5 ſpecie diapaſon ſitus inter Γ, & G cadẽtias ſuas in Γ, G, E & G collocat, qui licet apud Eccleſiaſticos in G pſalmodia triſtis, & ad amorem aptus eſſe feratur, in melodia tamen lætus eſt; hunc autem mediante b ſynemmenon in acutum per quartam inter phtongos diapaſon c, & g transferunt. Conſtat autem 1 ſpecie diateſſaron in parte graui, & 1 diapente in acuta parte, quibus etiam ſpeciebus 1 modus conſtabat, ſed alio modo diſpoſitis.

De tertio modo.

Tertij modi inter D, & d conſtituti, & tam 2 ſpecie diapaſon, quàm diapente, & diateſſaron conſtantis genuini phtongi ſunt *D, f, a, & d, re, fa, la, ſol*, qui vndecimi modi inter a, & a a poſiti affinis eſt, hunc partim lætũ, partim mœſtum, & ad altiſſima aptum aiunt; ob ſemiditoni cadentiam triſtis eſſe videtur, & per ♪ in acutum per b omittendo ♮ transfertur.

4 Modus.

4 Modum precibus accomodant, & ad miſericordiam prouocandam valere putant; vnde Quadrageſimali tempore frequentatur: cuius genuini phtongi ſunt in a f, d, & A, & per quartam in acutum, ſicut præcedens transfertur, atque cum 12 congruit.

5 Modus.

Vin' tu verbum de cæteris ſubiungamus; 5 modus in 3 ſpecie diapaſon, diap. & diateſſ. reperitur per ♮ harmonicè diuiſus; cadentiæ ſunt in E, G, ♮ & e; vbi obſeruant cadentias hîc, & in 6, 9, & 10 modis fieri in ♮, ac proinde duras eſſe: per diateſſaron mediante b aſcendit, & magnam cum 11. cognatione habet ob 3 ſpeciem diateſſaron vtrique communem, lachrymis commouendis, & triſtitiæ aptus.

Cuius plagius in 7 ſpecie diapaſon ♮, & ♮ diuiſa in E arithmeticè collocatur, otium, quietem, fraudem, detractionem, omnia triſtia, vt res ad amorem pertinentes generat, hinc modus adulatorius dictus eſt; phtongi regulares ſunt in c, E, G, & ♮, & per diateſſaron aliorum inſtar transfertur. 6 Modus.

Septimus 4 diapaſon, & diapente, & 1 diateſſaton ſpecie conſtat, & animum tædio affectum, ac velut oppreſſum ſubleuat, victorias optimè refert, & iucundus meritò nuncupatur, cuius chordæ præcipuæ ſunt in *f, a, c, f*, & ſolùm harmonicè diuiditur: per diapente verò transfertur inferiùs, adeout chorda finalis illius ſit b. 7 Modus.

8 Modus eſt in 1 ſpecie diapaſon arithmeticè diuiſa, & in 4 ſpecie diap. & 1 diateſſ. quo vtuntur ad ciendas lachrymas, vt ſit deuotè flens, cuius phtongi communes ſunt *b, a, f, & C*. In acutum etiam per διὰ πασῶν eleuatur. 8 Modus.

9. Conſtat 5 ſpecie diapaſon G, & g, nec non 2 ſpecie diat. & 1 διαπ. laſciuum, & iracundum appellant, cuius natiuæ cadentiæ ſunt in *G*, ♮, *d, & g*, facilè per quintam inferiùs transfertur. 9 Modus.

10 2 ſpecie diapaſon arithmeticè diuiſa D, d, 1 diateſſ. & 4. diap. conſtans mira ſuauitate, atque lætitia mentem afficit, & rebus diuinis theoreticis accommodatus eſt, cuius natiui phtongi ſunt d, ♮, G, & D in acutum per diateſſaron inſtar transfertur.

Vndecimus in 6 ſpecie diapaſon 2. diap. & 3 diateſſ. conſtitutus inter A, & a ſubiectum iucundum lyricis verſibus conſcriptum poſtulat, & magnam cum tertio modo habet affinitatem, cum vtrique 2 ſpecies diapente communis ſit, & ab vno ad alium facilis ſit tranſitus. Eius phtongi præcipui ſunt A, C, E, & A, per diapente inferiùs transfertur.

12 Denique transfertur etiam per quintam in graue, & 3 ſpecie diapaſon E, & e conſtat arithmeticè diuiſa, 2 diap. 3 diateſſaron, cuius cadentiæ ſunt e, c, a, & E.

Quæ de modernorum induſtria, quæ tantundem vnius diateſſaron, vel diapente ſtatim in graue, mox in acutum additione conficiunt, quantum ſi totum modum immutarent, & de modorum inter ſe commutatione dicta ſufficiant: plura ſequẽti articulo de morum varietate dicturi: poſtea verò ſchematiſmis quibuſdam omnia, quæ pertinent ad modos clarè deſcribemus.

ARTICVLVS XIII.

DE MODIS HARMONICIS TAM recentiorum, quàm antiquorum.

CErtum eſt in omni ſcientia modis ipſis nihil eſſe difficilius, atque ſubtilius, vt reuera ſciẽtiarum animam, atque medulam ipſos modos, quibus res fieri ſolent, appellare poſſimus: hinc fit, vt fides

fides non quærat *quomodo*. Ne tamẽ id in omnibus scientiis ostendam, quod facillimum est, in harmonia huiusce rei veritatem habemus.

Enimuero qui modos, tropos, harmonias, systemata, tonos, vel quocúmque alio modo appellare volueris, pręclarè nouerit, & ad praxim fœliciter redegerit, cum antiquis conferre ausim. Hîc autem nullum tempus insumam in variis modorum recensendis nominibus, aut eorum authoribus inuestigandis, quandoquidem id vel nihil, vel parum ad ea conferre arbitror, quæ hîc inquirimus: nam siue nonnulli Dorium pro Phrygio, vel aliũ modum pro alio sumant, atque vnũ cum alio confundant, siue non, sufficit, si modos ita constituamus, vt ipsius rei natura postulat. His itaque libenter omissis, quæ apud recentiores Zarlinum, Salinam, Galilæum, Ceronem, Maillardum, & alios videri poteris, Dico modos 12 optimè constitui, quibus totum systema musicum, & genus quodlibet exhauriatur: differunt tamen aliqui in ordine, adeout non omnes fateantur primum modum illum esse, quem Zarlina cum aliis inter C, & C constituit.

Modi 12. Et quidem cùm tota musicæ varietas ex semitonij nostri maioris diuerso situ contingere videatur, atque adeò semitonium omnes modos, sicut & omnia diapason, diapente, & diatessaron distinguat, ac si totius Diatonici generis esset anima, non sine ratione mihi procedere videntur, qui primum modum à diapente, & diatessaron incipiunt, quæ sui initio semitonium habent. Quapropter modos 12 ea ratione priùs enumerabo, atque discutiam, de aliorum ordine postea dicturus.

6 Modi præcipui explicãtur. 1 Modus. Sunt autem modi sex, qui iure principes, & authentici nuncupantur, quia longè gratiores sunt, & maiori virtute pollent, quos regiis Hebræorum accentibus comparare possumus: nam quemadmodũ accẽtus ministri illis subseruiunt, sic etiã alij 6 modi plagales, seu minus præcipui 6 præcedẽtibus. Primus itaque modus habet semitoniũ in imo partium octauæ, incipitque ab, *E, lami* graui, & desinit in *E lami* acuto, cuius Diapente ita progreditur *mi, fa, sol, re, mi*, terminaturque in *B fa* ♮ *mi*: diatessaron verò *mi, fa, sol, la*. Quod si secundũ constituere velis, tantummodo diatessaron idem primo loco constituendum est, diapente verò secundo: quod & cæteris plagalibus modis solemne est, qui semitonium in quinta, & quarta eadem ratione dispositum habent, ac authentici, ad quorũ veluti latera assident, & ideo laterales dicuntur.

Inde fit, vt diatessaron secundi modi sit *mi, la*, ♮ *mi* ad *E lami*, & eius diapente *mi, mi*, ab *E lami* ad *b fa* ♮ *mi*. Modos istos Phrygiũ, & hypophrygium vocant, an meritò necne, viderint, qui solis verbis innituntur: meliùs fortè qui lydium aiunt.

2 Modus. 2 Modus, & 3 in 2 loco semitonium habent; igitur 2 à *D sol re* graui incipit, & in acuto desinit, cuius Diapente *re mi fa sol la* desinit in A in quo diatessaron *re, mi, fa, sol* incipit. 3 Dorium, 4 hypodorium nuncupant: alij verò phrygium, & hypophrygium esse malunt.

5 & 6 mod. Quintus, & sextus semitonium habebunt in tertio diapente, & diatessaron loco: 5 ita progreditur in Diapente suo, *vt, re, mi, fa, sol*, & in diatessaron *vt, re, mi, fa*,: incipit in C graui, & desinit in acuto, hunc aliqui dorium esse putãt, 4 habet diatessaron primo loco, quod in G graui incipit *vt re, mi, fa*, in C graui, & diapente in eodem C capiens exordium desinit in G. Vnde constat modum quẽlibet plagalem suum diatessaron finire, vbi authẽtus suum diapason incipit, & illius diapason finiri, vbi diapente huius terminatur. 5 Ionicum vocant, 6 hypoionicum.

Supersunt alij 6 modi qui iam semitonia non habent, in locis æqualibus in diapente, & diatessaron, sed in disparibus. Septimus igitur isque authentus in diapente semitonium habet in 2 loco *re, mi, fa, sol, la*, & in primo loco diatessaron, *mi, fa, sol, la*: hunc Æolium vocant, plagalem verò Hypoæolium, & octauum. 9 Mixoæolium, & 10 Hypomixoæolium cum aliis appellare poteris. Incipiet autem 9 in G medio, & desinet in G acuto; cuius diapente sic efferetur *vt, re, mi, fa, sol*, diatessaron *re, mi, fa, sol*, quem sequitur decimus in D inferiori incipiens. 6 Modi plagales qui sint.

Denique modus 11 isque Lydius habebit in quinta, *fa, sol, re, mi, fa*, & incipiet ab F inferiori, quartam *vt, re, mi, fa*, desinetque in F superiori: 12 Hypolydius præcedentis minister incipiet in C inferiori, & desinet in C superiori. Videatur Ioan. Magirus in musica logicis legibus informata, qui diuisionem hanc fusè discutit, & explicat. Si verò quosdam alios de 8 tonis Ecclesiæ, & de praxi Musicæ, legere cupis, ea præstiterunt in eromatibus suis Lucas Lossius, & Fredericus Beurhusius, & illis senior Vvolicus in enchiridio suo ante annos ... conscripto, in quo Gaufurium pro praxi, & Fabrum pro theoria laudat.

Hactenus de illa modorum constitutione, quæ iuxta rei naturam progredi videtur; Attamen aliũ ordinem afferre hîc operæpretium erit, hinc enim modi faciliùs intelligentur, præsertim cum ille ordo, qui sequitur, doctrinæ methodum præ se ferat. 12 Modi numerãtur

Primus modus nascitur ex 1 specie diapente, & diatessaron, seu ex prima specie diapason, & est inter C, & C: hunc antea Ionicum appellauimus quem nonnulli Dorium aiunt: 2 erit subionicus à Γ in G, habebitque in inferiori parte diatessaron primæ speciei, & diapente in superiori. 3 modus constat ex 2 speciei diapente posita in inferiori loco, & 2 specie diatessaron in superiori, estque inter D, & D: quod diatessaron si præcedenti diapente subiicias, nascetur 6 species diapason inter A, & A sita quã 4 modus constituetur: 3 autem modus 2 speciem diapason amplectitur: secundus quintam: 3 est Dorius, 4 hypodorius: Dorium aliqui verum phrygium esse putant. 1 Modus.

Quintus modus ex 3 specie diapente, & diatessaron componitur, ac proinde ex 3 specie diapason inter E, & e posita; subiice diatessaron, prodibit sextus modus, & inter ♮, ac ♮ continebitur; ille Phrygius dicitur, hic hypophrygius & septimã specie diapason constat.

Hæ sunt coniunctiones senario numero comprehensæ, quæ ex prima, 2, & 3 specie diapente, & 1, 2, & 3 diatessaron alternatim infernè, supernéque positis enascũtur. Sed vt alios modos inueniamus, quarta species diapente iungenda est cum prima specie diatessaron, sic enim 7 modus inter f, & f, situs prodibit, cuius diapente *vt, re, mi, fa, sol*, desinet in *C sol, fa, ut*, & hinc diatessaron *vt, re, mi, fa*, vsque ad *f faut* procedet; hunc lydium appellare possis; sicut eius ministrum hypolydium, qui idem diatessaron, sibi tamen subiectum habet.

Vt autem 9, & 10 modus procreentur, 2 species diatessaron subiungi debet primæ speciei diapente, ex quibus 5 species diapason conflatur, & duobus G, g continetur: ita verò progreditur *vt, re mi*

fa sol,re,mi,fa sol. hunc Mixolydium appellant, qui hypomixolydius fiat, si ab eodem diatessaron incipiamus: hic ad 2 speciem diapason attinet. Denique 11,& 12 habes modum, si 3 speciem diatessaron inter E, & A sitam 2 speciei diapente inter e, & a sitæ iunxeris, eritque 6 species diapason A, & a, atque adeò Æolius, sicut hypoæolius, si diatessaron inferiori loco ponatur.

Eundem modorum ordinem nanciscemur, si 7 species diapason statim harmonicè, statim arithmeticè diuidamus, τόνοι cōstāt speciebus diapason harmonicè diuisis: etenim 1 species diapason quæ sita est inter C, & c, & 1 speciem diapente, & diatessaron continet, primum modum suggerit. 2 species inter D, & d continens 2 speciem diapēte, & diatessaron 3 modum suggerit. 3 species diapason inter E, & e posita 3 speciem diapente, & diatessaron continens 5 modum aperit. 4 species diapason F, & f coërcita harmonicè diuisa, quarta specie diapente, & prima diatessaron constans septimum modum tribuit. 5 species diapason inter G, & g sita, & harmonicè diuisa modum nonum procreat, & 1 speciem diapente secundæ diatessaron coniungit. 6 species diapason modum vndecimum generat, & inter A, & a constituitur. Hi sunt modi authētici, licet enim 7 species diapason habeamus, sex tantum modi principales diuisione harmonicâ fruuntur, quia diuisionem hanc 7 species inter ♮, & ♮ sita minimè patitur, sed arithmeticam duntaxat.

12 Modi aliâ ratione numerati.

Sex verò modi plagales ex iisdem speciebus diapason arithmeticè diuisis procreantur, nam 5 species diapason inter Γ, & G. posita arithmeticè diuisa in C continet. 1 speciem diatessarō, & diapente, quæ sibi coniunctæ 2 modum generant. 6. species diapason inter A, & a collocata, & in D arithmeticè diuisa 4 modum ostendit 2 specie diatessaron, & diapente constantem. 6 modum progignit 7 species diapason ♮, & ♮ in E diuisa, & 3 speciem diatessaron, & diapente continet. Modum 8 1 species C, & c arithmeticè in F diuisa, 1 specie diatessaron, & 4 diapente cōstans suggerit. 2 species diapason D, & d in G arithmeticè diuisa 2 speciē diatessaron, & 1 diapente continēs decimum modum affert. Tertia denique species diapason inter E, & e posita, & in a arithmeticè diuisa, atque 3 speciem diatessaron, & 2 diapente obtinens 12 modum astruit.

6 Modi plagij.

Quæ omnia facillimo negotio intelliges, ex figuris, & notulis, quibus hęc omnia statim aperiemus: si priùs cum quibusdam aduerteris non deesse, qui credant modos omnes apud antiquos ea ratione progressos fuisse, vt primus modus hypodorius, & à proslumuanomeno ad Mese per arithmeticam proportionem extensus fuerit: 2 modus Æolius iisdem terminis conclusus, sed harmonicè diuisus. 3 hypophrygius ab hypate hypaton ad paramese arithmeticè, in quo nulla medietas harmonica, licet nonnulli hyperæoliū modum hîc statuere voluerint. 4 modus hypolydius à parhypate hypaton ad Trite diezeugmenon arithmeticè, 5 verò harmonicè Iastius, vel Ionius dictus est.

Nomina modorum omnium.

6 Modus hyperiastius, vel hyperionius, vel hypomixolydius, à lichanos hypaton ad paranete diezeugmenon arithmeticè, harmonicè verò 7 modus Dorius. 8 hypoæolius, vel hypodorius ab hypate meson ad nete diezeugmenon arithmetice, harmonice verò 9 phrygius. 10 lidius à parhypate meson ad trite hyperboleon harmonice: arithmeticè siquidē ista species 6 diapason diuidi nequit, tametsi quidam modum hyperphrygium, vel hyperlydium commenti sint. Modus 11 hypoiastius, vel hypoionius à lichanos meson ad paranete hyperboleon arithmeticè, vbi mixolidius harmonicè. Quæ omnia, vt optimè intelligantur, systema scalæ Græcorum & recentiorum coniungam, in qua modos omnes lineis quibusdam annotabimus, deinde notis communibus idem aperiemus, si tamen priùs nonnulla de modis antiquorum dixerimus, qui vulgò 7 enumerabant, videlicet μιξολύδιον, λύδιον, φρύγιον, δώριον, ὑπολύδιον, ὑποφρύγιον, ὑποδώριον. de quibus Bacchius in isagoge sua ita decernit, vt myxolydium cæteris acutiorem esse velit: huic ait succedere lydiū ἡμιτονίῳ, grauiorem, phrygius verò lydio grauior est τόνῳ, myxolydio trishemitonio. Dorius phrygio grauior tono, lydio ditono, myxolydio διὰ δ', seu epitrito: Hypolydius dorio grauior est hemitonio, phrygio τριημιτονίῳ, lydio diatessaron, mixolydio διὰ δ' τόνῳ. Bacchius.

Rursum Hypophrygius hypolydio grauior est tono dorio triemitonio, phrygio quartâ, lydio diapēte, mixolydio πλεῖον, Hypodorius denique hypolydio grauior est τόνῳ, τῷ δὲ δωρίῳ διὰ δ', τῷ δὲ φρυγίῳ διὰ ε, τῷ δὲ λυδίῳ πλεῖον, ἡμιτονίῳ, τῷ δὲ μιξολυδίῳ quinque tonis. His Ptolomæus hypermixolydium adiunxit, vt ad 8 numerum pertingeret, quem etiam numerum viri Ecclesiastici retinuerunt, vt patet ex 2 sequentibus versibus, quibus suos 8 tonos regulares, vt vocant, ad iuuandam memoriam comprehendunt.

Pri. *re la.* Sec. *re fa.* Ter. *mi fa.* Quart. quoque *mi la.*
Quint. *mi sol.* Sext. *fa la* Sept. *vt sol.* Oct. tenet, *vt fa.*

Sequentes versus idem paulo fusiùs ostendunt, qui sic habent.

Psalmodiam retinent primam, sextámque fa, sol, la
Vt, re fa, octauam, sic ternam sicque secundam,
La, sol, la quartam, fa, re, fa dant tibi quintam.
Septenam verò fa mi, fa, sol tibi monstrant. (Vel.
Primus cum sexto fa, sol, fa semper habeto,
Ternus & octauus vt, re, fa, sicque secundus.
La, sol, la quartus, vt, mi, sol sit tibi quintus.
Septimus fa, mi, fa, sol si bene recordor.

Quibus modis suos 8 tonos Ecclesiastici in memoriam reducunt, vt certo tenore in psalmis decantandis progrediantur, & meminerint exempli gratiâ, quod in primo Ecclesiæ modo seu tono canitur ex *re* in *la* salire frequenter, cuius exemplum in antiphona, *Salue regina* afferunt, itaut *re* finiat modum illum, & *la* sit nota frequentiùs repetita, cadentiam vocitant, 2 tonus salit ex eodem *re* in *fa*, vt in *Salue sancta parens*: 3 ex *mi* in *fa*, ita tamen vt *mi* per sextā integrā distet à *fa*, vt in *Pange lingua* &c. 4. ex *mi* in *la*; 5 ex codē *mi* in *sol*. 6. ex *fa* in *la*. 7 ex *vt* in *sol*. octauus deniq; ex *vt* in *fa*. At his omissis ad Græcos redeo, quorū vestigia eò libētiùs sequi debemus, quo maiorem harmoniæ cognitionem adepti sunt, si tamen priùs exempla musicæ protulero, quæ capite de versibus promiserā. Alia exēpla Claudius Iunior libro de versibus metricis suggerit, quem consulere poteris. Primus Psalmus versibus iambicis currit: vltima verò cantilena, videlicet, *Te Deum laudamus*, Gallicis versibus Pæonicis constat: reliquos psalmos intermedios versibus Gallicis bellè redditos consule: Psalmus 114 elegiacus est 101 versibus latinis hexametris. Psalm. 88 sapphicis constat, his tamen omissis nostros aggrediamur, quibus modum aperimus, quo versus cani debent.

Condidit

COndidit ſequens alphabetum Ioannes Antonius Baiſius, vt Gallica metra Græcorum inſtar conderet. Vocales 10. *a. e. e̍. ę. i. o. ꝏ. u. ȣ. v.* Conſonantes 19. *b. ç. d. f. v. ɉ. j. h. k. l. l̃ m. n ŋ. p. r. ſ. z. t.* Dihptongi 11. *ai. eꝏ ei ia. ię. ie̍. o. iꝏ œ̍ aę ui.* Triphtongi *œi œ̨i.* Vocales breues *e o.* longæ *ę. ꝏ. v.* Ancipites *a. e̍. i. u. ȣ.* Sequentem Muſicam Petrus Ballardus regius Typographus typis excuſſit.

QVATVOR VOC. SVPERIVS.

Hic non ſeruatur perpetua Græcorũ arſis, & theſis.

EST Deus paſtor mihi, non egebo: Me per herboſos aget ille campos, Fontis ad riuos faciet recumbam Lene fluentes.

Hunc pſalmum integrũ intra metris latinis eiuſdem menſuræ, & Gallicis Ionicis a maiorı reperies expreſſum.

CONTRA.

EST Deus paſtor mihi, non egebo: Me per herboſos aget ille campos, Fontis ad ri- uos faciet recumbam Lene fluentes.

TENOR.

EST Deus paſtor mihi, non egebo: Me per herboſos aget ille campos, Fontis ad ri- uos faciet recumbam Lene fluentes.

BASSVS.

EST Deus paſtor mihi, non egebo: Me per herboſos aget ille cam- pos, Fontis ad riuos faciet recumbam Lene fluentes.

IAMBICVM IN ATHEOS. SVPERIVS.



TENOR.



Digitized by Google

QVATVOR VOC. CONTRA.

E Cquæ barathro spurca prosiluit lues? Tellús-ne genitrix vomuit, an tantum nefas Ructare po- tuit ore sacrilego minax? O cæca pecudum pectora, ô ve- cors caput Turbæ rebellis, quidquid est, dominâ regi Naturâ! olympi rector, & mundi arbiter O Christe pateris, pateris inuisum nefas?

VERTE.

BASSVS.

E Cquæ barathro spurca prosiluit lues? Tellús-ne ge- ni- trix vomuit, an tantum nefas Ructare potuit ore sacrilego minax? O cæca pecudum pectora, ô vecors caput Turbæ rebellis, quidquid est, dominâ regi Naturâ! olympi rector, & mundi arbiter O Christe pateris, pateris inuisum nefas.

VERTE.

SVPERIVS.

Crepate ruptis aſtra ſideribus; ruat In capita fuſus empyreæ

molis labor. Si ſe profundo credat, & leuibus notis Animam rebellem

tumeat horriſonum mare, Miſeramque jactet Aquilo; ſi parcant aquæ,

Tellus dehiſcat, fulmen æthereo vomant Ab axe nubes, pereat inui-

ſum ſcelus.

TENOR.

Crepate ruptis aſtra ſideribus; ruat In capita fuſus empyreæ

molis labor. Si ſe profundo credat, & leuibus notis A- nimam rebellem

tumeat horri- ſo- num mare, Miſeramque jactet A- qui- lo; ſi parcant aquæ,

Tellus dehiſcat, fulmen æthereo vomant Ab axe nubes, pereat inui-

ſum ſcelus.

CONTRA.

Crepate ruptis aſtra ſideribus; ruat In capita fu- ſus empy-

reæ molis labor. Si ſe profundo credat, & leuibus notis Animam rebellem

tumeat horriſonum mare, Miſeramque jactet Aquilo; ſi parcant aquæ,

Tellus dehiſcat, fulmen æthe- reo vomant Ab axe nubes, pereat inui-

ſum ſcelus.

BASSVS.

Crepate ruptis aſtra ſideribus; ruat In capita fuſus empyreæ

molis labor. Si ſe profundo credat, & leuibus notis Animam rebellem

tnmeat horriſonum mare, Miſeramque jactet A- quilo; ſi parcant aquæ,

Tellus dehiſ- cat, fulmen æthereo vomant Ab axe nubes, pereat inui-

ſum ſcelus.

A QVATRE. SVPERIVS.

Psalmus 67 versibus per omnia constat ad victoriam celebrandam aptissimis, quos omnes ideo in paralipomenis referemus, vbi & latinos hexametros eiusdem psalmi, expressos, & a Doctissimo Baiffo scriptos dabimus.

TENOR.

Digitized by Google

A QVATRE. CONTRA.



BASSVS.

Digitized by Google

QVINQVE VOC. SVPERIVS.





N son tanple sakre' lȣe's le kran-Diȣ: OO firmamant

Psalmus iste plurimùm ad deuotionem excitat si bellè præsertim lyris, atque vocib' canatur: quod sæpius expertus sum: nec mihi dubium, quin fideles summopere cómoueat, si in eo canendo cuncta seruentur, quæ in hac quæstione postulo. † carmen est Phaleucium, reliqua Iambica diuersæ speciei, vt articulo 7. monui, ex quo conijcere poteris ad quam speciem reuocari debeát.

de son pȣvær lȣe'-Diȣ. Lȣe'-le pȣr sa fœrte vertu. Lȣe'- le pȣr



son ek sélante krandȣr Lȣe'- l'avek lę fanfarans klèronz e' tronbons.



Lȣe'-l'vaęk e harp' e' lut, Lȣe'- l'a- vęk le fi- fr' e' tan- bȣr.

TENOR.





N son tanple sakre' lȣ- e's le kran-Diȣ: OO firmamant



de son pȣvær lȣe'-Diȣ. Lȣe'- le pȣr sa forte vęrtu. Lȣe'-le pȣr

son ek sélante krandȣr. Lȣe'- l'avęk lę fanfarans klèrons, e' tronbons.

Lȣe'- l'avę- ke harp' e' lut. Lȣe'-l'avęk le fifr' e' tanbȣr.

QVINTA-PARS.





N son tanple sakre' lȣe's le kran-Diȣ: OO firmamant



de son pȣvær lȣe'-Diȣ. Lȣe'-le pȣr sa fœrte vertu. Lȣe'- le

QVINQVE VOC. CONTRA.

BASSVS.

QVINTA-PARS.

SVPERIVS.

TENOR.

QVINTA-PARS.

CONTRA.



Lue- l'avękez inſtrumans de koordes tandus. Lue- le ſur lez cor-



ʒes bruians. Lue- l'avę- ke ſinbalons ſonans. Lue- l'avęke ſinbalonz,



e' klooçez eklatans. Ke tut ki ſufle reſpirant Lu' lu' le Seignur.



Lue-Diu.

BASSVS.



Lue- l'avękez in- ſtru-mans de koor-des tandus. Lue- le



ſur lez cor- ʒes bruians. Lue- l'avęke ſinbalons ſonans: Lue-l'avę-



ke ſinbalonz, e'klooçez eklatans. Ke tut ki ſufle reſpirant Lu' lu' le Seignur.

Lue-Diu.

QVINTA-PARS.



lons, e' kloo- çez e- klatans. Ke tut ki ſufle reſpirant, Lu'



lu' le Seignur. Lue-Diu.

Psalmus 42.

Duo primi versus sunt Dactylotrochaici tetrametri brachycatalectici, duo sequentes dimetri acatalectici: quo plures lyræ, atque voces fuerint, & rhythmus accuratius observabitur, eo magis cantabile, vide 7 articulum.

Digitized by Google

CONTRA.

Uje le drǫt de ma kooz' ꝏ mon Siŋvr Div Kontre la jant, ki



ne ſuit ni drǫt, ni bonté Kontre le ſoos é pęrvęrs vien me deſandr' é ſoover.



Puis ke ma fœrſe tu ęs, purkǫ Siŋvr Div M'â-tu ſi lǫin rejeté?



purkǫ tut an dǫl Vâ-je pitus, é çaſrain Dęs anemis travallé?

BASSVS.



Uje le drǫt de ma kooz' ꝏ mon Siŋvr Div Kontre la jant, ki



ne ſuit ni drǫt, ni bonté: Kontre le ſoos, é pęrvęrs vien me deſandr' é ſoover.



Puis ke ma fœrſe tu ęs, purkǫ Siŋvr Div M'â-tu ſi lǫin rejeté?



purkǫ tut an dǫl Vâ-je pitus, é çaſrein Dęs anemis travallé?

QVINTA-PARS.



Puis ke ma fœrſe tu ęs, purkǫ Siŋvr Div M'â- tu ſi lǫin rejeté?



purkǫ tut an dǫl Vâ-je pitus, é çaſrein Dęs anemis travallé?

SVPERIVS.

TENOR.

QVINTA-PARS.

CONTRA.



Montre ta fọę veritâbl' anvọę ta klęrtę, Pυr m'ękle'rant me menėr ſur ton ſakrė mont



Dans le palęs me randant, ʊ ta demυre çọęzis. E ke je vâzę de Div tυ drọęt



a l'ω- tel: Drọęt a ſe Div, de ki vient mon bien, e plęzir. E ke je çante

mon Div ſur ma lir' ω Siɡυr Div.

BASSVS.



Montre ta fọę veritâbl' anvọę ta klęrtę, Pυr m'ękle'rant me menėr ſur ton ſakrė mont



Dans le palęs me randant, ʊ ta demυre çọęzis. E ke je vâzę de Div tυ-drọęt



a l'ωtel: Drọęt a ſe Div, de ki vient mon bien, e plęzir. E ke je çante

mon Div ſur ma lir' ω Siɡυr Div.

QVINTA-PARS.



a l'ωtel: Drọęt a ſe Div, de ki vient mon bien, e plęzir. E ke je çante



mon Div ſur ma lir' ω Siɡυr Div.

SVPERIVS.

OO ki mon âme t'abat, purkoę fremi-tu? Sęse me trubler, e mę sur

Div ton esprer Pur le salut, ke vęrę randrę onvr a mon Div.

TENOR.

OO ki mon âme t'abat, purkoę fremi-tu? Sęse me tru- bler, e mę sur

Div ton es- poęr, Pur le salut, ke vęrę randrę onvr a mon Div.

QVINTA-PARS.

OO ki mon âme t'abat, purkoę fremi-tu? Sęse me trubler, e mę sur

QVATVOR VOC. SVPERIVS.

Psalmus hic centesimus sapphicus est, quē integrū repetes in paralipomenis.

P Ardon, e justis' i me plęt de çanter. S'ęt a toę Seinvr, ke je fę

ma çanson Tant ke vęr-moę viehez, a- koort me tiendrę Dans le çemin droęt.

TENOR.

P Ardon, e justis' i me plęt de çanter. S'ęt a toę, Seinvr, ke je fę

ma çanson. Tant ke vęr-moę viehez, akoort me tiendrę Dans le çemin droęt.

CONTRA.



OO ki mon âme t'abat pȣrkœ fremi-tu? Sęſe me trȣbler, ę' mę ſur



Div ton eſ- pœr, Pȣr le ſalut ke vęrę randrę onvr a mon Div.

BASSVS.



OO ki mon âme t'abat pȣrkœ fremi-tu? Sęse me trȣbler, ę' mę ſur

Div ton eſpœr, Pȣr le ſalut ke vęrę randrę onvr a mon Div.

QVINTA-PARS.



Div ton eſpœr, Pȣr le ſalut ke vęrę randrę onvr a mon Div.

CONTRA.

Ardon, ę' juſtiſ' i me plęt de çanter. S'ęt a tœ Seinvr, ke je fę



ma çan-ſon. Tant ke vęr-mœ vienez akoort me tiendrę Dans-le çemin drœt.

BASSVS.

Ardon, ę' juſtiſ' i me plet de çanter. S'ęt a tœ, Seinvr, ke je fę



ma çanſon. Tant ke vęr-mœ vienez akoort me tiendrę Dans-le çemin drœt.

TRIVM VOCVM.

DITHYRAMBVS.

Tria hexametra.

Vnum pentametrum. Anapæstica duo.

Tria pæonica.

Choriambicum. Ionicum à minori repetitur.

CONTRA.

Or micat, exultant trepidis præcordia fibris: Eructantque nouum grauido de pectore carmen. Nunc celebra- bo nouo te car- mine, nunc tibi neruis Ista modos de- nis barbitos icta canet. Sator omnipotens, quem terra colit dominum, Veniam miseris lar- gire precor; Deus es, quē tremunt impij, quem metuit omne solum. Neciferum tricipitem pede pre- mas cer- berum: Atque populi misereare tui, Qui super vndas stabilis marmoreas olym- pum. Nihil ô te neque flammæ, neque fluctus remorantur. Nihil ô te neque flammæ, neque fluctus remorantur.

BASSVS.

pij, quem metuit omne solum. Neciferum tricipitem pede premas cerberum: Atque populi misereare tui, Qui super vndas stabilis marmoreas olympum. Nihil ô te neque flammæ, neque fluctus remorantur. Nihil ô te neque flammæ, neque fluctus remorantur.

VERTE.

SVPERIVS.

Ionicum à minori Orthium.

Trochaicũ.

BASSVS.

Versuum solo rhythmo Gallico in Atheos.

Hosce versus solo rhythmo affectos affero, ne posteri nostri conquerantur: profecerit tamen, si metricos huic musicæ accommodent, nunc enim longè gratior, & efficacior erit.

QVATVOR VOC. SVPERIVS.

TENOR.

Digitized by Google

CONTRA.



Iam quicquid habet terra, salum, quicquid olympus ingens, Et anima mea,



domine, tua sit: Illa non erit beata, ni tuo fruatur intuitu.

BASSVS.



a, domine, tua sit: Illa non erit beata, ni tuo fruatur intui- tu.

CONTRA.

Ciel, ô Mer, ô Terre armez vous de cole- re, Armez vous de fu-



reur, & de flame seuere; Punissez, outragez, bourelez en tout lieu, Et sacagez sans



fin cette engeance maudite, Qui perfide vomit d'vne bouche depi- te Ce blaspheme e-

xecrable, il ny a point de Dieu!

BASSVS.

Ciel, ô Mer, ô Terre armez vous de colere, Armez vous de fu-



reur, & de flame seuere; Et sacagez sans fin cette engeance maudite,



Qui perfide vomit d'vne bouche depite Ce blaspheme execrable, il ny a point de Dieu.

Psalmus 116 est Ode tetracolos: potest etiã dithyrambus appellari: primus versus est Choriambic* dimeter acatalecticus: 2 Iambicotrochaicus trimeter catalecticus: 3 Iambicus monometer hypercatalecticus. 4 Pæonicus tetrameter acatalectic* Nemo versus istos cõdemnet, vel contemnat, donec similes Græcorũ instar scripserit, & effectũ perpẽderit, quem habet in hac musica, si debito rhythmo, atque motu metri eo tam vocib*, quàm instrumẽtis canatur. Grauis, est prouerbialis diuinarũ laudum præconem decet, & absque fuga, vel litera, quæ musicæ anima esse debet, distinctiùs audiatur, & omnes auditores ad Dei gloriam, & amorẽ promouet.

Hic psalmus 131 Sapphicus Gallicè postea redditus; est autem carmen illud trochaicum dimetrum catalecticum.

A 4.

Desus.

Talle.

QVATVOR VOCVM. SVPERIVS.

TENOR.

Digitized by Google

A 4. *Hœte-kontre.*

ués le Seiŋor tute-jans, Lué- le tus puples: kar ſa favur s'et



Redublé deſur nus. E du Siŋor la vèrité dur' a jamęs. Lué-Diu.

Baſe.



ués le Seiŋor tute-jans, Lué- le tus puples: kar ſa favur s'et



Re- dublé deſur nus. E du Siŋor la vèrité dur' a jamęs. Lué- Diu.

CONTRA.



la verba dicite, Sancta verba, fauſtaque Vos Dei ſerui Deo, Nocte qui in do-



mo Dei Statis, & per atria: Adque ſancta vos manus Sacra veſtras tollite: Vos Deo ſãcta, &



bona Verba ſancto dicite. E Siône te beet, Qui polũ Deus potens Quique terrã condidit.

B A S S V S.

la verba dicite, Sancta verba, fauſtaque Vos Dei ſerui Deo, Nocte qui in do-



mo Dei Statis, & per atria: Adque ſancta vos manus Sacra veſtras tollite: Vos Deo ſãcta, &



bona Verba ſancto dicite. E Siône te beet, Qui polũ Deus potens Quique terrã condidit.

Psalmum hûc 133 supplicum antea versib* trochaicis dimetris catalecticis musicè redditum habes.

Psalmos omnes à Ioanne Antonio Baïfio tam latinis, quàm Gallicis versib* redditos, ut in hoc tractatu monui, breui accipere poteris, si eos petas à Iacobo Mauduito Musico celeberrimo, & huiusce nostræ Musicæ autore præcipuo, qui eos pulcherrimâ Musicâ exornauit, & in lucem, cum volueris, proferet.



E devoos çantans benisés le Seiȝvr:
Lui, du mont Sion te benisse, plein d'vr:
Lui, le ȝrand Seiȝvr, ki la terr', e les Sivs
Bâtit, e fonda.

ARTICVLVS XIV

ARTICVLVS XIV.

DE MODIS HARMONICIS ANTIQVORVM continuatio.

Meursius. ALypium nuper in lucem Meursius emisit, qui totus est in signis describendis, quibus Græci vtebantur in quibuslibet modis; ex quibus Vincen. Galil. Vincent. Galilæus 8 solummodo p. 92 suorum dialogorum Florentiæ anno 1581 excussorum describit, cùm tamen Alypius in isagoge sua 15 enumeret, & vnicuique propria signa, seu characteres non solùm in genere diatonico, cuius solùm Vincentius meminit, sed etiam in chromatico, & enharmonico referat. Nam pro proslamuanomenos modi lydij ζῆτα ἐλλιπές, ἢ ταῦ πλάγιον statuit; pro sequente chorda nempe ὑπάτη ὑπατῶν eiusdem modi, γάμμα ἀπεστραμμένον, ἢ γάμμα ὀρθόν, & ita de cæteris. Vnde non parum miror Galilæum pro lydij προσλαμβανόμενος posuisse iota, & lambda obliquū, nec conuenire cum authore nostro græco; nec enim est, quòd timeamus eum loqui de lydio chromatico, vel enharmonico, quandoquidem Alypius in quolibet genere eadem prorsus σημεῖα habet. Quocirca vel Galilæus aliquem Alypium alio modo scriptum habuit, vel nescio qua ratione illud fieri possit. Adde quod non video cur eadem signa posuerit Alypius pro modis in quolibet genere, quomodo enim exempli causa hyperlydium chromaticum, & enharmonicum à diatonico discernere poterit aliquis, si modus ille in quolibet genere eadem signa habuerit? nisi forsitan initio cantilenæ genus aliquo proprio charactere notaretur, quod verum existimo. Video tamen aliquid dissimile in illis generibus, vt patet in eodem Iastio, qui in chromatico λιχανὸς ὑπατῶν, & μέσων χρωματική variant à Iastio diatonico.

Alypius.

At in illis signis discernendis diutius immorari nolo, viderit, cui suppetet otium, in quibus signis modi in tribus generibus differant, id enim facilè est, si modum quempiam cum suis signis, & generibus in tabulam redigas, quod parum, vel nihil ad rem, quam inquirimus, facere arbitror. Eapropter modos tātùm eodem ordine afferam, quo Alypius vtitur. Lydius ordine primus occurrit, quē hypolydius, hyperlydius, æolius, hypoæolius, hyperæolius, phrygius, hypophrygius, hyper phrygius, Iastius, hypoiastius, hyperiastius, dori*, hypodorius, & hyperdorius sequuntur. Quem numerū, & ordinem alij etiam, vt Capella, & Cassiodorus secuti sunt; Dorio, enim, Iastio, phrygio, æolio, & lydio quinque præcipuis alia 10 ἄνω, κάτω, additis particulis. ὑπό, & ὑπέρ subiungunt. Aristoxenus 13 cōstituit: at de his parum, vel nihil solliciti esse debemus, tum quia distinctiùs modi nostri cōstituti sunt, de quibus suprà; tum quia veteres illos modos nimium inter se confuderunt, adeout in dubium reuocare possit aliquis, num eos, vt par erat, intellexerint, legatur Salina c. 3. l. 4 institut.

Modi 15.

Capella. Cassiodor.

Aristoxen.

Nolim autem reticere, quod in modis antiquorum negotium facessit, num videlicet modus phrygius exempli gratiâ solùm distinctus fuerit à dorio, quod hic quidē grauior fuerit, ille acutior, ita tamen vt easdem chordas habuerint, an verò simul acutior, & in chordis varius, prout sese habent apud nos. Et quidem tabulæ modorum à Boëtio l. 4. c. 14, Ptolemæo l. 2. c. 11. *Alypio suprà, Galileo in dialogo* pag. 52, & 57, rem obscurare videntur, vbi proximè citatus 13 Aristoxeni modos ita describit, vt vnicuique totam scalam, seu totum systema, & eosdem phtongos tribuat, idemque circa 8 Boëtij modos facit pag. 95, licet varios characteres pro variis modis vnicuique phtongo subiungat. Pagina verò 64 propiùs ad neotericos accedere videtur, dum Ptolemæi modos ita exhibet, vt à diuersis phtongis incipiant, & in diuersos terminentur. Vbi obseruandum est modos antiquorū ita constitui, vt vnusquisq; totū systema compleat, vt loc. cit. videre est. Sicque Vincentius à D infimo vsque ad d supremum perfectum hypodorij modum à Philoxeno inuentum extendit: hypophrygium à C ad Cc; hypolydium à Polymnasto repertum à B ab Bb. Dorium Thamiræ ab A ad Aa. Marsiæ phrygium à G ad Gg. lydium Amphionis ab F ad Ff. denique mixolydium à Sappho inuentum ab E ad Ee. hypodorium verò in 7 specie diapason constituit, in 6 hypoph. hypol. in 5. dorium in 4. in 3 phrygium, in 2 lydium, in prima denique mixolydium. Non iam disquiro, num Ptolemæi mentem assecutus fuerit, necne, siquidem non vacat. Hinc tamen colligo veteres in quolibet modo disdiapason inclusisse; quod tamen non facit, vt diuersi fuerint à nostris, quos etiam facilè per duplicem octauam ducere possumus, si opus fuerit, imò solemus id peragere, cùm partes 4 melodici concentus cōnectimus, sæpius enim basis, seu bassus disdiapason à superiori distat, licet eundem modum ambo retineant.

Boëtius. Ptolem. Galilæus.

Nomina, & authores modorum.

Reuera licet aliquem viderim, qui dubitaret, num in eo tantum modi antiquorum variarent, quòd vox grauior, & remissior, vel acutior, & intensior per eosdem phtongos fieret, illud mihi suadere non possum, quandoquidem sola vocis, & soni remissio, & intensio effectus illos producere non potuit, quos antea retulimus; Adde quòd varias species diatessaron, diapente, atque diapason constituerunt, vt ex iis variè mixtis diuersi modi consurgerent. Neque profectò sextus modus exēpli causa in E constitutus variabitur, siue acutâ voce, siue grauissimâ *mi, fa, sol, re mi, fa, sol, la* cecineris, sed idem perpetuò modus illibatus erit, atque adeò à primo modo semper varius, licet 6 modus in infinitum grauior redderetur, & 1 in infinitum acutior euaderet, quandoquidem semitonium nostrum maius, à quo diatonicæ musicæ tota varietas, & modorum omnium diuersitas repetenda est, semper alias sedes in 1, & alias in 6 obseruat.

Quod ita clarū est, vt nulla probatione indigeat, adeout græcos negligere debeamus, si ita senserint; in iis enim quæ ad scientias naturales attinēt, non antiquitati, sed rationi, & experientiæ palma ferenda est. Verùm non est, quod de Græcorum sententia dubitemus, vt patet ex Bacchio supra,

& clarè probabitur, dum modos Græcorũ aperiemus. Vt autē à numero incipiam, dico genus diatonicum syntonũ, quod per tonũ, tonum, & hemitonium progreditur plures modos, quàm 12 habere non posse, & totidem etiam constitui debere, quorum 6 impares præcipui, authentæ, κύριοι, & γνήσιοι vocantur, & harmonicè diuiduntur, cum à diapente incipiant, & in diatessaron desinant; alij 6 pares vulgò plagij, plagales, subiugales, & νόθοι nuncupãtur, & arithmeticâ diuisione gaudent, quia per diatessaron incipiunt, & in diapente perficiuntur. Id clarè Zarlina, & Salinas demonstrarunt, eapropter non est quod de illo numero legitimo, & de optima illorum constitutione pluribus agamus.

12 modorũ nomina.

Tantummodo Græcorum morem in suis modis describendis hic afferam, vt vnusquisque videat non stare per modos, quin eosdem effectus nostra musica habeat, quos Græca edebat. Inter alios, qui de modis agunt, Bryennius nondum in lucem editus sic illos describit, vt in sequenti tabella cernis, quam partim ex Manuele, partim ex Porphyrio compegi; in qua systema 15 chordarum ex vna parte collocatur, vt scias cui phtongo, seu neruo singulæ voces cuiuslibet modi respondeant, & nemo sit, qui videre non possit, vnde singuli modi incipiant, & vbi desinant, & quantum vnius modi principium ab alterius distet initio; num videlicet tono, vt hypodorius, & hypophrygius, vel semitonio, vt hypophrygius, & hypolydius. Hinc facilè poteris elicere, cui ex nostris 12 antea numeratis illi Græcorum modi adaptari possint. Notandum est autem modum, seu tonum quemlibet 4 præsertim phtongos, seu neruos sibi proprios habere, vt bene Manuel lib. 2. cap. 3 his verbis aduertit: ἑκάστου τινὰ ἴδια εἶναι, ἥ τε μέση, καὶ ὑπάτη, καὶ προσλαμβανόμενον, & infrà καὶ γὰρ ἕκαστος τῶν τόνων ἀρχὴν, καὶ μέσον, καὶ τέλος ἔχει, quod omnino simile videtur ijs, quæ recentiores de quouis modo asserunt, dum grauiorem vocem initio toni phtongum vltimum diapente tribuunt, si modus κύριος fuerit; vel diatessaron, si νόθος acutior est phtongus diapente in authenticis, & diatessaron in plagiis. Denique vltimam diatessaron fini γνησίων, vel vltimam diapente fini subiugalis assignant, vt singuli modi suum principium, medium, & finem habeant. Pauca sunt in præcedenti tabella, quæ explicatione indigeant, maximè cùm præstantes musicos alloquamur; ideóque breuiter nonnulla tantùm attingam.

Bryenn.

Imprimis ergo συναφὴ nihil est aliud quàm, vt cum Bacchio loquar, ὅταν δυοῖν τετραχόρδων ἑξῆς κειμένων συνάφὴ μέσος φθόγγος ᾖ τοῦ μὲν βαρυτέρου τετραχόρδου ὀξύτερος εἰς τὴν διὰ δ, τοῦ δὲ ὀξυτέρου βαρύτερος· ἐπὶ διὰ δ συμφωνία, quando phtongus aliquis duobus tetrachordis communis est, adeout illa connectat, ac proinde sit vltima grauioris, & prima acutioris.

συναφὴ quid sit.

Sic enim illa συναφὴ βαρυτάτη, quam ὑπάτη μέσων affiximus, tetrachordum principalium, atque mediarum, sicut ὀξυτάτη tetrachordum disiunctarum, & excellentium coniungit. Bacchius verò 3 copulas astruit, sed tetrachordum synemmenon in systemate esse supponit, cùm tamen in nostro desit, quod sub tetrachordo διεζευγμένων notaui, idéque in prima sua figura systematica Porphyrius obseruauit, licet in 3 sequentibus illud tetrachordum in systemate 18 chordarum collocet, in quo tres copulæ necessariæ sunt, sicque Bacchius intelligendus est, dum 3 constituit, quæ coniungunt ὑπατῶν cum μέσων, καὶ τὸ μέσων τὸ συνημμένων, καὶ τὸ διεζευγμένων τὸ ὑπερβολαίων. Verùm antequam cætera proponam, tabellam omnia continentem accipe,

Vide Euclidem de his 3 coniunctionibus, & reliquis, quæ hic habentur.

in qua

ἄπυκνοι: νήτη νήτη ὑπερβολαίων

ὀξύπυκνος	ὀκτάχορδος λύρα πυθαγόρου ὀξυτάτη.	ἀρχαιότροπος ἑπτάχορδος λύρα ἑρμοῦ ὀξυτάτη.	τετράχ. ὑπερβ.					ὑπερμιξολ. νήτη		παρανήτη ὑπερβολαίων	τόνος	ἑστώς
μεσόπυκνος								μιξολυδ. νήτη		τρίτη ὑπερβολαίων	τόνος	κινούμενος
βαρύπυκνος				νήτη συνημμ.			μέση	λυδίου νήτη	συναφὴ ὀξυτάτη	νήτη διεζευγμένων	ἡμιτ.	κινούμενος
ὀξύπυκνος			τετράχορ. διεζευγ.	παρανήτη συνημμ.			ὑπερμιξολ. μέση	φρυγί. νήτη		παρανήτη διεζευγμένων	τόνος	ἑστώς
μεσόπυκνος				τρίτη συνημμ.			μιξολυδ. μέση	δωρίου νήτη		τρίτη διεζευγμένων	τόνος	κινούμενος
βαρύπυκνος						ὑπάτη	λυδίου μέση	ὑπολυδίου νήτη	διαζεύξις	παραμέση	ἡμιτ.	κινούμενος
ἄπυκνος					προσλαμβ.	ὑπερμιξολ. ὑπάτη	φρυγίου μέση	ὑποφρυγίου νήτη		μέση	τόνος	ἑστώς
ὀξύπυκνος	ὀκτάχορδος λύρα πυθαγόρου βαρυτάτη.	ἀρχαιότροπος λύρα ἑρμοῦ βαρυτάτη ἑπτάχορδος.	τετράχορ. μέσων	πινων.	ὑπερμιξολυ. προσλαμβ.	μιξολυ. ὑπάτη	δωρίου μέση	ὑποδωρίου.		λιχανὸς μέσων	τόνος	ἑστώς
μεσόπυκνος				ὀκτὼ	μιξολυδίου προσλαμβ.	λυδίου ὑπάτη	ὑπολυδίου μέση			παρυπάτη μέσων	τόνος	κινούμενος
βαρύπυκνος				τῶν	λυδίου προσλαμβ.	φρυγίου ὑπάτη	ὑποφρυγ. μέση		συναφὴ βαρυτάτη.	ὑπάτη μέσων	ἡμιτ.	κινούμενος
ὀξύπυκνος			τετράχορδος ὑπατῶν	ἀχορδα	φρυγίου προσλαμβ.	δωρίου ὑπάτη	ὑποδωρίου.			λιχανὸς ὑπατῶν	τόνος	ἑστώς
μεσόπυκνος				πτρ	δωρίου προσλαμβ.	ὑπολυδίου ὑπάτη				παρυπάτη ὑπατῶν	τόνος	κινούμενος
βαρύπυκνος				κοινὰ	ὑπολυδίου προσλαμβ.	ὑποφρυγ. ὑπάτη				ὑπάτη ὑπατῶν	ἡμιτόνιον	κινούμενος
ἄπυκνος				πι	ὑποφρυγίου προσλαμ.	ὑποδωρίου				προσλαμβανόμενος.	τόνος	ἑστώς

ὑποδωρίου. ἑστώς.

ΤΟ ΔΙΣ ΔΙΑΠΑΣΩΝ ΑΜΕΤΑΒΟΛΟΝ ΣΥΣΤΗΜΑ.

in qua diazeuxim, ſeu diſiunctionem vnicam Diazeuxis quid? notauimus, quia duo ſunt tantùm tetrachorda, quę tonus diſiungit, nempe ſynemmenon, & diezeugmenon, quando ſimul omnia collocantur; Bacchius. Bacchius tamen duas διαζεύξεις aſſerit, quia conſiderat ſyſtema duplex nempe 18, & 15 chordarum, quatenus tetrachordum μέσον à διεζευγμένων, & συνημμένων ab ὑπερβολαίων. Omitto hypodiazeuxim, epiſynaphem, paradiazeuxim, & hyperdiazeuxim, quia non reperiuntur in noſtro ſchemate, & facilè apud Bacc. legi poterunt, quem, puto, breui lux aſpiciet. Habes igitur ex Manuelis ſententia quos phtongos aſſumptos, principales, medios, & excellentes quilibet modus habeat. Tonos etiam, & hemitonia, & phtongos mobiles, & immobiles deſcripſimus, quos Euclides clarè, & fusè ſatis explicat, apud quem etiam videas, quid ſit neruus ἄτονος, ὀξύτονος, &c. Attamen obſeruandum eſt Euclidem à Bacchio diſſidere, quòd ille φθόγγους ſtabiles illos eſſe dicat, qui in generum differentiis non mutantur, ſed in eodem tenore manent: hic verò quia ab iiſdem tetrachorda, & pentachorda continentur; hæc tamen in idem recidunt, Ratio modorũ apud Græcos. ſi rem bene percipias. Quibus omiſſis ad ea, quæ maioris momenti fuerint, accedo, & dico iuxta Græcos meliùs ſentientes modos ita numerandos eſſe, vt Dorius à C, phrygius à D, lydius ab E, mixolydius ab F & hypermixolydius à g; ac proinde hypolydios à ♮, hypophrygius ab A, denique hypodorius à G ſumat initium, quantumuis illud vel quibuſdam recentioribus, vel etiam nonnullis Græcis id incognitum fuiſſe videatur; quod pri- Prolem. mùm ex Ptolemæo l. 2. c. 10 probatur, qui docet Dorium, lydium, & phrygium tono differre, & ideo vocat illos ἰσοτόνους: ait verò mixolydium ita vocari, quod lydium non ſuperet tono, ſed ea tantùm parte, quæ cum ditono facit diateſſaron, per quod dorius à mixolydio diſtat, quam partem limma vocat, nos verò ſemitonium appellamus; quæ omnia ex ſequenti tabella manifeſtò conſtant.

F		Mixolydius.
	limma	
E		Lydius.
	tonus	
D		Phrygius.
	tonus	
C		Dorius.
	limma	
♮		Hypolydius.
	tonus	
A		Hypophrygius.
	tonus	
Γ		Hypodorius.

Bacchius. Idem aſſerit Bacchius, qui dum 7 modos enumerauit, mixolydium reliquis acutiorem eſſe docet, lydio quidem ſemitonio; phrygio triſhemitonio, dorio diateſſaron, hypolydio tritono, hypophrygio diapente &c. Quæ profectò vera eſſe nequeunt, niſi deinceps Dorium à C, fa, ut incipiamus, qui in c, ſol, faut deſinat. Eſt & aliud diligenter aduertendum, vt Græci inter ſe concilientur, & noſtri muſici ab eo dubio liberentur, num videlicet modos illos ignoremus, vel illis non adeò legitimè vtamur. Itaque dico variis de cauſis Græcos in numero, & ordine modorum diſſidere, inter quas non vltimam arbitror, quòd alij 7 diapasõ ſpecies arithmeticè, & harmonicè diuiderẽt, alij ſolùm harmonicè, vnde qui tantum harmonicè partiebantur, 7 aut ad ſummum 8, qui præterea harmonicè, 13, aut 15 modos conſtituebant, quos antea commemoraui. Fortaſſis etiam aliqui ſatis fore putabant ad modorum immutationem, ſi melodia per tonum vel ſemitonium acutiùs audiretur; vt enim ſunt in præcedenti ſyſtemate 15 nerui tonis, vel ſemitoniis inter ſe diſtincti, ita & 13 toni Ariſtoxeni iudicio, vel 15 iuxta alios conſtitui poterant. Quæ cùm ratione careant, vt apud citatos authores videre eſt, breuiter, & dilucidè oſtendo, qua ratione modi conſtituendi ſint, quibus vt ex Alypio, Gaudentio modorum ſigna referentibus, & ex Ptolemæo conſtat, non ſolùm 8 phtongi, ſed 15, ſeu totum ſyſtema immobile tribui debet: exemplum affero in Dorio, quod cæteris facilè adaptabis, quippequi totum ſyſtema percurrunt, ita tamen vt eorum principia, media, atq; fines illam varietatem obſeruent, quam antea diximus.

In diapasõ, vel ſyſtemate à προσλαμβανομένου vſque ad νήτην 15 toni, ſeu modi Capellæ reperiri poſſũt, ſi tantum à ſe inuicem diſtent per ſemitoniũ, vt Artuſius diſcurſu 2 notauit.

In ſcala autem Dorij numeros apponam, quibus noſtri Muſici vti ſolent, vt tonos minores à maioribus, & ſemitonia diſtinguant, & mutuas illorum proportiones oculis ſubiiciant; ſic enim vnico intuitu ſingula non ſine voluptate diſcernuntur, quæ ad Græcorum, atque Latinorum, imo & omnium nationum muſicum canonem attinent. Tametſi verò ad citharæ noſtræ latera numeros adſcripſi, qui ſemitonia media inducerent, vbi & notas græcas duplices neruis affixas conſpicis, quibus antiqui Græci vtebantur, vt apud Porph. videre eſt; attamen in ſequẽti ſcala ſemitonia illa omitto alibi diſcuſſurus, num reuera media vel minora vocanda ſint.

Alios etiam characteres nouos Græcorum in cithara noſtra habes, qua vir eruditiſſimus Monmaurtius eloquentiæ regius Profeſſor mihi obtulit.

Num autem illi numeri, & proportiones vniuſcuiuſque nerui diuiſionibus antiqui ſyſtematis conueniant, non eſt, quòd pluribus inquiramus, cùm certum ſit iam à nobis ſcalam muſicam præclarè diſponi; quanquam, neque difficile eſt, vt oſtendamus nos à Ptolemæi ſententia nuſquam recedere, quin potiùs illam perficimus, qui cùm c. Prolem. 10. l. 1 neget diateſſaron duobus tonis, & ſemitonio integro, ſicut & c. 11 diapaſon 6 tonis conſtare, ſatis innuit diateſſaron non conflari ex 2 tonis æqualibus; nec longè ab illius mente diſcedet, qui ex Proportio ſemitonij. ſemitonio illo, quod reiicit, illud abſtulerit, quo tonus maior ſuperat minorem: ille verò ſemitonium ſuum in ratione 258 ad 243 proximè collocat, vt ſit ratio ſemitonij media inter ſeſquidecimam ſextam, & ſeſquidecimam ſeptimam, illâ quidem minor, hac verò maior: quæ fuſiùs hîc diſcutere nolo, vt ad Dorium accedamus, ad cuius latus hypodorium illius Νήτη cum ſuis numeris, & vulgaribus nominibus appoſui, vt eadem ratione de cęteris plagiis iudicares.

MODVS

Modus Dorius constat ex prima specie Diapason harmonicè diuisa, & ex consequenti ex 1. specie diapente, & diatessaron.				Hypodorius modus constat ex quinta specie diapason, quæ præcedens diatessaron eidem diapente subijcit, cui antea postponebatur.			
360	FA	νήτη ὑπερβολαίων	cc	480	νήτη ὑπερβολαίων	SOL	gg
384	MI	παρανήτη ὑπερβολαίων	b♮	540	παρανήτη ὑπερβολαίων	FA	f
432	RE	τρίτη ὑπερβολαίων	aa	576	τρίτη ὑπερβολαίων	MI	e
480	SOL, VT	νήτη διεζευγμένων	gg	640	νήτη διεζευγμένων	RE	d
540	FA	παρανήτη διεζευγμένων	f	720	παρανήτη διεζευγμένων	FA, VT	c
576	MI	τρίτη διεζευγμένων	■	768	τρίτη διεζευγμένων	MI	b♮
640	RE	παραμέση	d	864	παραμέση	RE	a
720	FA, VT	Μέση	c	960	Μέση	SOL, VT	g
768	MI	λιχανὸς μέσων	b♮	1080	λιχανὸς μέσων	FA	F
864	RE	παρυπάτη μέσων	aa	1152	παρυπάτη μέσων	MI	E
960	SOL, VT	ὑπάτη μέσων	g	1280	ὑπάτη μέσων	RE	D
1080	FA	λιχανὸς ὑπατῶν	F	1440	λιχανὸς ὑπατῶν	FA, VT	C
1152	MI	παρυπάτη ὑπατῶν	E	1536	παρυπάτη ὑπατῶν	MI	♮
1280	RE	ὑπάτη ὑπατῶν	D	1728	ὑπάτη ὑπατῶν	RE	A
1440	VT	προσλαμβανόμενος	C	920	προσλαμβανόμενος	VT	Γ

Reliquos modos subijcerem, nisi hi duo κύριος, & δοῦλος abundè sufficerent, vt alij decem intelligantur, quos tamen paginæ sequentes vulgaribus musicæ recentioris notis expriment, ne vel vnus supersit, qui modos omnes, & illorum progressus non intelligat, quorum effectus, seu proprietates adiunxi, vt vnico intuitu videres omnia. Obserua autem in præcedēti tabella modum vtrumque dorium videlicet, & hypodorium ijsdem Græcis nominibus insigniri, licet varios neruos, vel sonos intelligere debeas: hæc enim fuit Græcorum consuetudo, vt ijsdem dictionibus modorum omnium voces complecterentur, vt in Ptolomæo l. 2. c. 11. videre est. Quod ex Alypio, & Gaudentio confirmatur, qui dum vnicuique modo propria signa tribuunt, in vnoquoque easdem voces repetunt, sed eis à latere diuersæ potestates correspondent: quod etiam in præcedenti tabella factum est, in qua προσλαμβανόμενος modi dorij nostro *C fa, vt* correspondet, & hypodorij προσλαμβανόμενος nostro Γ, *vt* tribui debet, quod literis, & notis significauimus. Numeri verò vnicuique notæ, seu voci præpositi proportionem ostendunt, quam soni inter se seruant, vt in tabella nihil requiras. Et quidem nostros musicos non parum miror, qui æquo animo ferre non possunt, quòd modos illos ita disponam, & totum 15 chordarum systema eis iuxta Græcorum doctrinam tribuam: quasi verò sint ipsis Græcis doctiores, qui tantam omnium artium perfectionem attigerunt: & à quibus Zarlinus, Salinas, & alij quicunque bene de musica scripserunt, quidquid boni proferunt, acceperūt. Quid, obsecro, dicent, si aliàs ostendero recentiores istos suis inuentionibus musicæ pulchritudinem, atq; præstātiam obscurasse, & propemodum extinxisse? quid si demonstrauero eos nequidem verum diatonicum antiquorum habere? ac proinde eos non bene modis vti, neque vllam cantilenam ex ipsa arte veræ musicæ canere? sed hæc alibi.

In sequenti diagrammate 7 species diapason continentur, ex quibus 1 species primum, & octauum modum: secunda tertium, & decimum: tertia quintum, & duodecimum, quarta tantummodo septimum, quia non diuiditur arithmeticè: quinta secundum, & nonum: sexta quartum, & vndecimum: septima denique solum sextum modum procreat, quia non diuiditur harmonicè. Quod si vnicuique modo neruos 8 duntaxat, seu voces 8 tribuas, tunc eundem modum in prædicto schemate bis positum, semel infrà in graui, & semel suprà in acuto reperies.

MODORVM SEDES PROPRIA.

	Modus	Species	Descriptio
Modi transpositi.	I	I Species diap. harmonicè diuisa.	DORIVS Ptolomæi, & Bacchij à Dorio Hellenis filio dicitur, & est bellicosus, seuerus, prudentiæ, castitatis, majestatis, & constantiæ custos, heroicis versibus & lyræ aptus est, tubæ sonum imitatur, est authentus, quia harmonicè diuiditur, & I specie diapason constat.
	II	V Arithmi.	HYPODORIVS plagius ob arithmeticam diuisionem, grauior est præcedenti per Diatessaron: spondæus appellatur, & ijsdem ferè proprietatibus gaudet, quibus authentus; tubam enim bellè repræsentat, & cantionum popularium amicus est.
	III	II Harmon.	PHRYGIVS à Phrygibus Trojanis dicitur, & Marsyæ, vel Olympo tribuitur: est entheus, & tibijs, dithyrambisq; congruit, maximè verò rebus diuinis, atq; religiosis amicus est, & primus ab Ecclesiasticis collocatur, & Diapason harmonicè diuisa fruitur.
	IV	VI Arithm.	HYPOPHRYGIVS arithmetica diuisione gaudet, est enim plagalis, quem mœrori congruere aiunt, cùm in eum cantiones b mollares cum blanda tristitia incidant.
	V	III H[illegible]mon.	LYDIVS à Lydis, barbarus, & querulus appellatus est, & a Platone t[illegible]ulentus & mollis, qui iuxta Aristotelem pueris conueniat, qui aliorum mo[illegible]orum instar per quartam superius transfertur, vt hîc vides.
	VI	VII Arithm. non diuiditur harmonicè.	HYPOLYDIVS à Polymnasto inuentus tristem querimoniam, & supplicem lamentationem a quibusdam habere dicitur, ita tamen vt rebus religiosis aptus sit; puto quidem aptum esse, vt referat tristia, & ad lachrymas excitet, quod & præcedenti competit.

MODORVM SEDES PROPRIA:

VII	VIII	IX	X	XI	XII
IV Harmon. non diuiditur arithmeticè.	I Arithmi.	V Harmon.	II Arithm.	VI Harmon.	III Arithm.

Modi transpositi

MIXOLYDIVS à Lydio ſolo ſemitonio diſtans à Sappho inuentus dicitur, & tragœdiarum choris, nec non vernaculis cantilenis, & ſaltationibus aptus; quáuis eum ad res bellicoſas referendas egregij muſici eligant; ad quod tritoni durities inſeruire poteſt.

HYPOMIXOLYDIVS durus eſt ob mediationem ſub tritono factam, niſi ſemitonio chromatico in quarta ſede diapente frangatur, quem ſæpè mutant in hypodorium.

HYPERDORIVS ſuper Dorium ad hypodorij diapaſon collocatur, & Theſſalis puris Æolis proprius eſſe dicitur, ſæpèque vertitur in phrygium ob ſimilitudinem, conueniunt enim in diapente, & ſolo diateſſaron differunt.

SVBHYPERDORIVS ſacris cantionibus frequens dulcedine affluit, & mirum in modum recreat, quo diuini numinis gratiam inuocare ſolemus, turpes vero cantilenas reſpuit: ſed neque vllo modo quis ad impudica explicanda vnquam vti debet.

HYPERPHRYGIVS ſuper Phrygium ad Hypophrygij diapaſon conſtituitur, ab Ione Hellenis filio inuentus eſſe dicitur, Aſiaticorum, & Ionum proprius, iucundus, & lyricis cantionibus, ac ſaltationibus aptiſſimus, quiddam ſpirituale præ ſe ferre videtur.

SVBHYPERPHRYGIVS iiſdem proprietatis fruitur, quibus authentus: principia, ſeu cadentiæ regulares ſunt E, a, c, &, e, alij verò phtongi cadentiæ irregulares vocantur.

Ptolomæus

Sunt autem quibus Ptolemæus non paruum negotium facessat, dum lib. 2. cap. 15. de modis ab vltima, atque media loquitur, quod facilè intelligent, si eundem verbi gratia Dorium nostrum per vnicum diapason ἀπὸ τῆς μέσης, vel ἀπὸ τῆς νήτης extendas: verùm de his aliàs fusiùs. Hîc tamen aliquod dubiolum proferam, num alij modi constitui possint non solùm in chromatico, & enharmonico, verùm etiam in diatonico genere. Ratio dubitandi est, quòd 12 modi non aliâ de causâ positi videãtur, nisi quia toties semitonium variatur, vnde varietas nascitur in diapason, si non in integro, saltem in vna parte, videlicet in diatessaron, vel diapente illius. At in enharmonio genere dieses maior, & minor plures mutationes facere possunt, si locum mutent, quoties fieri poterit: idemque de semitonio maiori, & minori chromatico dicendum est.

Quæ nunc omitto, cùm singula raptim solummodo percurram. Placet autem aliquas recentiorum notarum vtilitates delibare, quæ modorum intelligentiam iuuare poterunt: illæ senario numero comprehenduntur, *vt, re, mi, fa, sol, la*, & 6 modorum authentorum initium cõstituunt, licet aliqui duas alias notas addiderint, vt totidẽ notas, quot tonos, 8 videlicet haberent, *vt, re, mi, fa, sol, la, sy, o*, quæ in Belgio anno Christi 1547 celebrabantur, teste Maillardo cap. decimo de tonis, seu modis: licet alij 4 solas, nempe *vt, re, mi, fa* solùm admitterent. Ericius Puteanius 7 notas in sua Musathena proposuit, *vt, re, mi, fa, sol, la, bi*, vt 7 phtongi diapason peculiares notas haberent. Refert etiam Keplerus 3 harmon. ca. 10. Belgam quemdam has 7 notas inuenisse *bo, ce, di, ga, lo, ma, ni*, pro 7 prædictis. At nostræ 6 notæ sufficiunt, licet Græci suis 7 vocalibus α. ε. η. ι. ο. υ. ω. pro notis illis vterentur, vt quidam aiunt: quam notæ 4 ad cantum sufficere posse videntur, cùm semitonium semper ad summum in 5 loco reperiatur, vt patet in hoc diapente *fa, sol, re, mi, fa*: & Ecclesiastici iuxta 4 notas *re, mi, fa, sol*, suos 8 tonos instituerant, adeout 1, & 2 per *re*, 3, & 4 per *mi*, 5, 6 per *fa*, 7 denique & 8 per *sol* canerentur, vt phtongus *A, re*, apud eos grauissimus esset. Nunc verò constat non solùm apud Musicos, sed etiam in cantibus ecclesiasticis 12 modos esse in vsu, quos 6 illæ notæ optimè declarant, quarum hæ sunt proprietates, *re*, & *sol*, quæ sibi inuicem respondent, grauitatem, & peculiarem energiam præ se ferunt, *mi*, & *la* tristitiam, *vt*, & *fa* molliores sunt, & in præcedentium medio veluti collocantur. Ita verò respectu modorum sese habent, vt quilibet modus non solum per illam notam, per quam, incipit, desinat, sed diapason, diapente, & diatessaron incipit, & desinit per eandem notam, vel saltem per æquiualentem, exempli gratia primus modus incipit per *vt*, eius diapente desinit in *vt* clauis *G, sol, re, vt*: & diatessaron ab eodem *vt* incipiens terminatur in *vt* clauis *C. sol, fa, vt*. Hîc autem dubium oritur, num in diatonico plures modi, vel species diapason, quàm 12, vel 7 constitui possent, præsertim cùm aliæ species diatessaron præter tres, & aliæ species diapente præter 4 esse posse videantur: tametsi enim diatessaron 3 solùm interualla complectatur, & diapente 4, & in illo semitonium ter, in hoc quater tantummodo locum mutare videatur, attamen si supponamus in diatono maiorem, & minorem tonum, plures species statuendæ videbuntur, tunc enim sex variæ vnius tetrachordi, seu diatessaron species numerabuntur, vt post Salinam 3 de Music. c. 3. Kepler. lib. cit. c. 10. aduertit, & hîc factum vides, vbi 6 illæ species cum suis numeris proportionem aperientibus afferuntur.

Maillardus

Ericius.

Salin. Kepler.

Sex species diatessaron.

15	Semitonium maius.	16	Tonus maior.	18	Tonus minor.	20
135	Semitonium maius.	144	Tonus minor.	160	Tonus maior	180.
24	Tonus maior.	27	Tonus minor.	30	Semitonium maius	32
120	Tonus maior.	135	Semitoniũ maius	144	Tonus minor	160
27	Tonus minor	30	Semitoniũ maius	32	Tonus maior	36
36	Tonus minor	40	Tonus maior	45	Semitoniũ maius	48

Quæ omnia diatessaron ita se habent, vt primum & vltimum sint optima, cùm sesquioctaua medio loco reperiatur, vnde fit, vt in vtroque sesquiquarta, & sesquiquinta, seu ditonum, & semiditonum reperiantur: in primo enim à 15 ad 18 est semiditonum, & à 16 ad 20 ditonum. In vltimo verò à 36 ad 45 ditonum, & à 40 ad 48 semiditonum. De quibus Salinas l. 3. c. 3 fusè: quæ tamen omnia corruunt, si reuera tonus minor, & maior admitti non debeant, vel non sint in vsu, quæ voce, & instrumentis canuntur: quod cùm nondum certò constet, quicquid numeris aliqui euincere videantur, ideóque nullam vim in illis 6 speciebus facio: illa enim falsa sunt, si tonus minor reijciendus est. Vbi musicos celeberrimos serió vellem aduertere numeris nudis non ita inhærendum esse, vt ijs omnibus fidem habeant, quæ per numeros de rebus harmonicis concludi videntur, quin priùs id geometricè, & alijs modis in monochordo experiantur, in quò consonantias, & dissonantias, necnon omnes mutationes vnius in alteram longè meliùs deprehendent, si monochordum 15 neruis, & varijs magadibus, seu caballiculis mobilibus instruatur, vt eorum ope varia interualla consona, concinna, & inconcinna discernantur, & vnico intuitu certum iudicium de toto corpore musicæ ferri possit: cùm enim musica, vt priùs dictum est, non sit pura, sed mixta, mathematica, & physicâ indigeat, numeri, lineæ, pondera, & proportiones mathematicæ nunquam sufficient, neque satisfacient, nisi quis ad physicam experientiam deuenerit, & numeri, eorumque proportiones magis ad musicam, sicut & alia plurima intelligenda.

Salin.

Numeris non esse nimis hærendum.

intelligenda, & explicanda, quàm ad conſonantiarum, & poteſtatis harmonicæ cauſam aſſignandam faciunt. Eapropter dum artic. 3 rationẽ inueſtigaremus, cur vna conſonantia reliquis iucundior eſſet, vnitatem, & nobiliorem numerorum proportionem pro vera cauſa non admiſi, licet res eò melior, & perfectior eſſe videatur, quò ſimplicior, & magis vna fuerit, quia magis ad vnitatem accedit, quæ Deum bellè refert, vt alibi fusè diximus. At de modis pro noſtro inſtituto ſatis, præſertim cùm non pauci de illis egerint, & Bergierius Rhemenſis aduocatus, omnium amicitia tam ob animi candorem, & inſignem eruditionem, quam ob pietatem digniſſimus de iiſdem modis, & vocis humanæ, atque ſoni præſtantia breui noſtris Gallis opus integrum daturus ſit. Itaque iam ad articuli difficultatem accedo, vt probem neceſſarium eſſe ad effectus muſicæ reſtituendos, vt eligatur modus qui verſibus decantandis, & rei poſſit accommodari, quam inſinuare cupis; quod ita apud omnes eſt in confeſſo, vt omnes muſici in eo conueniant: quod optimè fecit Iacobus Mauduitus huius ſæculi Orpheus, (qui ſolus præclaram illam academiam, de qua paulo poſt loquor, inſtituere valeat,) dum Pſalmum 42 metro gallico expreſſum per 12 modum, & 67 per 8, vltimum verò, qui maximè ad laudes diuinas prouocat, per 2 modum cecinit: cuius autẽ ſpeciei ſint illi verſus c. 7. dictũ eſt, alij verſus latini, & gallici, qui primo loco poſiti ſunt, ad vndecimum modum attinent: ſicut ad nonum illi verſus, qui hymnum Spiritus ſancti gallicum reddunt: alij ſic incipientes *ô Krit Kies*, &c. ad 4 modum, quos ab eodem eleganti melodiâ redditos habeo.

Bergierius.

Mauduitus

Modi proprij electio

Egregiè verò decipietur, qui rem lætam modo quinto, vel ſexto referre voluerit: ideóque muſicus priùs ſpectare debet, num carmen, ſeu cantilena ad lætitiam, vel triſtitiam, ad timorem, vel audaciam, & iram collimet, vt ei modum proprium accommodet.

Præterea voces iſtius modi eligendæ ſunt, quæ ad deſtinatum effectum faciliùs perducant, quales ſunt illæ, quæ vulgò cadentiæ nuncupantur, vt pote vi maiore pollentes, & illi modo velut eſſentiales. In quo præſtantes muſici non paruam laudem conſequuntur, dum præcipuos modi cuiuſlibet neruos, ſeu notas, & voces ſuo loco tangunt; alioqui vix deprehendas ad quem modum hæc, aut illa cantilena pertineat, & nullus effectus ſequetur.

Cadentiæ quid?

Maillardus

Si quis autem in cantibus Eccleſiaſticis 12 modos deprehendere velit, Maillardus parte 2. cap. 1. exempla ſuggeret: modum enim Dorium in D, ſol, re, incipientem *Aue maris ſtella*, hypodorium *Vrbs beata Hieruſalem*: phrygium 3 reſponſorium Feriæ ſecundæ Hebdomadæ ſanctæ *Inſurrexerunt*: hypophrygium 3 reſponſorium Dominicæ paſſionis *Vſquequo*; lydium 5 reſponſorium vigiliæ Paſchatis *Plange*: hypolydium Graduale diei Iouis Hebdomadæ ſanctæ *Chriſtus*: mixolydiũ antiphona *Introibo* 3 nocturni, quod in feſto S. Sacramenti canitur; hypomixolydium ſequens antiphona *Cibauit nos* Æolium Graduale *ſpecioſus* Dominicæ infra diem natalem Domini, hypoæolium Graduale Sabbathi 4 temporum ante eandem natalem *A ſummo cælo*: Ionicum Graduale Feriæ tertiæ poſt Dominicam 1 Quadrageſimæ, denique hypoionicum *Alleluia*, quod canitur in Miſſa de beata Virgine, obtinuit.

Idem præclarè Subcentor Eccleſiæ Pariſienſis, vir pietate, & muſicâ ſcientiâ inſignis dominus Blondetus ſuâ tabulâ docet, dum pro primo modo in C incipiẽte *Alma Redemptoris* &c. pro 2. *Aue Virginum gemma*, pro 3 *Benedicat nos Deus*: pro 4 *Benedictus Dominus*, &c. pro 5 *Quis Deus magnus*: pro 6 *Tanto tempore*: pro 7 Pſalmodia ſeptimi toni, & octaui Pſalmodiam pro octauo; pro 9. *Aſperges me*: pro 10 *Beata Dei genitrix*: pro 11 *Aue Maria*: denique pro 12 *Benedicta tu* proponit. Qui rurſus iuxta numerum Eccleſiaſticorum exempla pro quolibet modo notis exprimit: At exempla præcedentia ſatis illum ordinem aperiẽt, ſi ſupponas 1 modum in hoc antiquo ordine reſpondere tertio præcedentis ordinis, ſecundum quarto, & ſic de cæteris, donec ad 11, & 12 perueniamus, qui cum primo, & 2 modo recentiorum conueniunt, vt ſuprà in figura modos explicante notauimus.

Blondetus.

Eapropter licet 8 toni vulgò in Eccleſia eſſe credãtur, qui ſuam intonationẽ, mediationẽ, & Euoaẽ, vt ipſi loquũtur, habeant, & in quibus aliqua nota, quæ dominari dicitur, præcipuè ſpectãda eſt, quia ipſa mutatâ tonus variatur, attamẽ, nõ ita de modis exiſtimandum eſt, vt Maillardus ſuprà contendit.

Videatur Artuſus Bononienſis libro, ſeu diſcurſu 2 de imperfectione modernæ Muſicæ, in quo ſpecies diapaſon, diapente, & diateſſaron, & modos ſecundum Euclidis, Ptolomæi, & aliorum mentem deſcribit, quorum ille 420 ante Chriſti natalem annis, hic verò poſt Chriſtum 140 viuebat: Vbi rationem ex planetarum numero petit, cur Ptolomæus 7 modos ſolummodo poſuerit, & dorium atque cæteros modos ex Prol. ſententia diſponit, vt antea fecimus, licet illum nondum legiſſem; de Dorio verò ita loquitur. *Et nel mezo di loro vi poſe il Dorio, come piu preſtante, & excellente, come quello che conoſcena molto bene, che hauena dello auſtero, è perciò, del virile, del grande, del magnifico, del graue, del maeſtreuole, & del diuino, & appreſſo, del temperato, del modeſto, & dell' honorato* &c.

Artuſus.

Euclidis, & Ptolomæi ætas.

Dorij proprietas.

Quæ de modis hîc dicta ſufficiant, cætera enim, quæ apud Ptolomæum de iiſdem habentur, & à paucis, vel nemine intelliguntur, fuſiùs aliquando, ſi Deus voluerit, agitari, atque diſcuti poterũt. Tantùm aduertam non carere probabilitate, quod Ptolemæus, & alij Græci ſuorum modorũ numerum non conſtituerint iuxta diuiſionem illam duplicem arithmeticam, & harmonicam, alioquin non video, cur 12 modos non aſtruiſſent, cùm 5 ſpecies diapaſon vtramque diuiſionem patiantur, duæ verò reliquæ, vnicâ gaudent, tertia ſiquidem ſpecies diapaſon, quæ eſt à ♮ mi in ♮ *fa b mi*, caret harmonicâ; ſeptima verò, quæ eſt ab F fa, ut ad f faut, arithmeticâ. Nec opus fuit, vt in præſenti rem accuratiùs perpenderemus, vt muſicæ vires in ſolidum reſtituantur, & ſinguli ad diuini numinis laudes concinendas ſeipſos excitent. Eapropter ad genera muſicæ progrediamur.

3 & 7 ſpecies diapaſon carent diuiſione arithmetica, vel harmonica.

ARTICVLVS XV.

NVM MVSICVS ALIO QVAM DIATONICO genere vti debeat, vt perfectè vires musicæ restituat, & eam ad perfectionis fastigium adducat.

CErtum est apud antiquos triplex modulandi, seu musicæ genus viguisse, diatonicum videlicet, chromaticum, & enharmonicum, quibus adde si lubet genus mixtum, & commune, de quibus Euclid. in musica. Priusquam verò de his agam aduertendum est Genebrardum ad annum Christi 1572 rectè notasse musicorum academiam, quorũ musica vocibus, fidibus, & fistulis constaret, diplomate regio confirmatam fuisse: aberrasse tamẽ, quòd negauerit illam musicam diatonicam, chromaticam, aut enharmonicam fuisse, sed nouam, è tribus confusam, & plurimorum modorum, seu tonorum mutationibus adstrictam fuisse: enimuerò iam mihi certò constat, quidnam reuera Academici illi cuperent, & quónam collimarent.

Genebrardus arguitur.

Qui non aliud musicæ genus inducere volebant, nisi genus nouum appellauèris, quando aliquid in integrum restituitur, sed versibus gallicis nostræ musicæ diligenter excultæ iunctis illos effectus restituere nitebantur, quos olim à Græcis exhibitos esse legimus: animum enim angustiâ pressum exhilarare, elatum ad modestiam reducere, & ad alia pathemata se suâ musicâ excitare posse sperabant; quorum experientiam non semel ante Regem, & principes fecerant, vt ipse Rex Carolus 9 diplomate propria manu signato, & maiori apposito sigillo anno Christi 1570, regni sui decimo testatur, seque ipsum protectorem, & primum auditorem Academiæ constituit, & eius regulas, atque constitutiones libentissimè probat, atque confirmat.

Academiæ laus, & institutum.

Quæ omnia accuratè perlegi: ideóque ne tam honesti conatus obliuione sepeliantur, paucis illos aperio. Cùm Ioannes Antonius à Baifo, & Ioachimus Theobaldus à Couruillo vnanimes laborassent; vt barbariem è Gallia pellerent, nihil potius futurum existimarunt, vt iuuenum mores ad omnem honestatem formarentur, quàm si musicæ antiquæ effectus reuocarent, & certis legibus Græcorum instar omnes cantilenas complecterentur.

Quod ita peragere voluerunt, nihil vt in Academia deesset, quod ad virum perfectè tam quoad animum, quàm corpus instituendum faceret. Idcirco viros in omni scientiarum naturalium genere versatissimos huic Academiæ destinarunt, & instituerunt præfectum illius, qui μεγαλοδιδάσκαλος diceretur. Omitto reliquos scientiarum, linguarũ præsertim, musicæ, poëtices, geographiæ, cæterarumque Matheseos partium, & picturæ magistros, qui animi bona promouerent, & militiæ pręfectos, qui ea docerent, quæ ad militiam, & omnia honesta corporis exercitia attinent. Erant etiam qui priuatis officiis vt vestibus, horto, victui, pecuniæ, & cæteris id genus præficerentur.

Quæ omnia tametsi authoritate regiâ confirmarentur, ob aliquorum inuidiam imperfecta reliquerunt. Inter alia verò, singulos totius imperij Christiani musicos, qui à Guidone Aretino hucusque vixerant, eos præsertim qui iam in illa arte celebres essent, ad musicum certamen prouocare decreuerant, vt quispiá exploraret, num antiquæ musicę effectus reuera exhiberent, rati nullos esse, qui omnia ad illius perfectionem, ac ipsi hactenus attulissent.

Vtinam illa Academia nostro hoc sæculo radices agat, & flores, atque fructus emittat, quæ nunquam cesset à diuinis laudibus, & musicos educat, quorum vnusquisque toto corde personet.

Me dies nullus tacitum videbit
Quinimmo laudes tibi concinnentem
Audient ipsi mea post secuti
Sacla nepotes.
O quater plusquam quater ô beatos,
Quos leges, lectos facies amicos,
Vt colant puri tibi dedicati
Atria templi.

Quos versus, vel similes, vt *Est Deus pastor mihi, nõ egebo*, &c, quos suprà retuli, & musicos exhibui, dum mente reuoluo vix à lachrymis abstineo; quis enim prę gaudio nõ fleat, dum spe diuinâ fretus paradisi gaudia, & æternam diuini numinis visionem expectat? *Sitiuit, enim anima mea ad Deum fortem, & fontem viuum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei mei. Fuerunt mihi lachrymæ die, ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, Vbi est Deus tuus.* Id enim Athei nos interrogant. O Christiane. *Vbi est Deus tuus! Hæc recordatus sum, & effudi in me animam meam, quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis vsque ad domum Dei.*

Tanta profectò psalmorũ, & versuum psalmos explicantiũ delectatione, tantaq; musicæ voluptate qua musici deuotè psalmos intonant, & concinunt, afficior, vt iterũ quosdam psalmos à Baifio metricè scriptos exhibere velim, quos Moysis cãticum c. 15 Exodi sumptum, & pulchris versibus à nostro Bremanto egregio poëta redditum sequetur. Hîc ergo psalmum 83 quem latinè ex Baifio suprà dedimus, gallicis metris sine rythmo exhibemus. Tres primi versus sunt Dactylotrochaici tettametri brachicatalectici; quartus verò acatalecticus.

Psalmus 83 gallicis metris redditus.

O ton émable palés, Signeur dez armês!
L'âm' afolêr je me san d'anuĩ é d'ardeur
Pur le manar du Signeur. An Dieu tujurs vif,
D'éze ma chér, é mon Keur foẻlerent s'egeiant.
Vn pasereo trgue bien chê-toé sa mézon:
Mêmel'arondél' i vient son ni rebâtir:
Uoér' i éklôt la kyné de ses arondeor.
O le Signeur dez armês, mon Roé é Dieu tez ôtêls!
O lez vreûs abitans de ton palês seint!
Sesse ne sont te lger. Vrêmant à bon droet
Et l'hom' vreus, ki remét sa force dan toé,
Tou chemin êt le santier k'il-se propôzét ô keur.

Sens

Seus ki trauersêt le val dé pleurs, de sȣrjons
Plein le feront: é la pluï pleins le-rezeruærs.
Einsi de band' il iront an bande tȣjours,
Iuskez à tant k'a Sion konpareront dauant Dieu.
Oé ma priere Signeur le Dieu des armés:
Oé me le Dieu de Iakop ò nòtre bȣklier,
Voé le vizaje Signeur ke porte ton Krît.
I estime chê-toé vn jȣr plus ke mil' ôtrez ailleurs.
J'estime plus me tenir ò seuil de mon Dieu,
K'être lojé du megant de dans la mézon.
Sêt le sȣleil dez vmeins é sêt le bȣklier
Nòtre Signeur le bon Dieu. nostre Signeur le bon Dieu.
Gloer' é faueur, liberal òs siêns élarjît,
Il ne détȣrne le bien de seus ki vont droét,
E si ne lésse de rien manker l'om' antiér.
O le Signeur dez armés eur a ki ésper' an toé.

Sequitur canticum Moysis, quod ante pollicitus eram: quod si musicè, vt par est, componatur, mirum in modum fidelium mentes ad Dei amorem, & impiorum odium excitabit: hoc igitur canendum musicis nostris propono.

Cantemus Domino terram qui turbine versat,
Cuius & ignotis nomen memoratur in oris.
Igniuomo iaculans horrentia fulmina cœlo,
Terreo Cornipedem, recreat quem classicus anguis,
Vectoremque suum liquidis demergit in vndis.
Ergo canant dominum, qua cernimus, auspice tanto,
Euasisse maris, lympha cedente, furorem.
His mea mens adiuncta, melos depromet ab imo
Pectore, cùm mihi sit suprema causa salutis,
Æternùmque sonet fortis miracula dextra.
Hic Deus est meritò sternit qui clade Tyrannos:
Nullus & ætheree sub flexo fornice luna
Est potis illius rigidos curuare lacertos.
Niliacos medio consumpsit gurgite currus,
Pharonisque duces tinctis tumulauit arenis,
Non secus atque lapis natiuo pondere pressus
Præceps ima petit rapido per inania gressu,
Sic rabies insana ducum, dum pergit inermes
Isacidas mactare velut de montibus agnos,
Præfocata iacet vitreo sub marmore ponti
Purpurei, Cybeles nunquam visenda colonis.
Scilicet æterna sunt hæc miracula palma,
Isacide innocuo, dirus quâ ceditur hostia,
Dumque parat Iacob soboli diffindere fluctus,
Ipsa furore calens laxis bacchatur habenis,
In Pharios rapidis dans extra voranda procellis.
Non aliter quàm cùm radiis solaribus herbas
Coctas flamma vorat, vel siccas soluit aristas,
Impius Isacidûm spoliis oneranda canebat.
Tergora. sed postquam subeuns delubra profundi
Nixus erat tentare Deum. ferrumque cruore
Tingere, stante Deo, periit redeuntibus vndis,
Inter & aggestos vnde stagnantis aceruos,
Ducitur incolumis populus præeunte columna
Ignita, tacita per amica silentia luna,
Nubecula velante comas, sed luce serenâ.
Quis similis superum Rectori? quisue canoris
Exæquet fidibus, terrâ, tam mira, marique
Ipsius imperio patrata? repagula vasti
Oceani, solo perfringit ahenea nutu,
Innoluitque sinu Pharios telluris hiulco.
Dux fuit at turmæ, Nili quam traxit ob oris,
Donec eam sacras exultim ferret in ædes
Vndique gens infesta ruit, Gethæa propago
Arma parant, & quam septemfluus alluit amnis
Martis Idumei glebas qui findit inertes,
Atque Philistæis miles prognatus in armis,
Quique Chananæis latè spatiantur arenis
Prælia succlamant, illis furor arma ministrat.
Sed Deus omnipotens cœlo miseratus ab alto
Martia compressit torpenti membra rigore,
Et gelido tumidas obstrinxit sanguine venas,
Fecit & immotos, velut & Marpesia, cautes.
Interea plebs grata Deo penetrauit arentis
Auia deserti; donec subcaret Orebi
Saxa iugi, cœlo circumflammante corusco.
Hinc Deus æternùm regnet sine fine per aeuum,
Qui Pharios rubro submersit in æquore currus,
Obruit atque feros lymphis refluentibus hostes,
Isacidæ siccis tererent cùm flumina plantis.

Alia Baifij metra subijcerem, nisi ea tandem aliquando in lucem proditura sperarem, & quæstionis finis vrgeret, ne longior euadat: solummodo metrum vnicum addam, vt illa tria musicæ genera aggrediar, de quibus præsertim hîc agimus.

Hoc autem sapphicum Baifius composuit, vt diem suum natalem, & viros Academicos celebraret, cùm ad 39 ætatis annum peruenisset, die verò Februarij 19 anni 1571 natus fuerat, quod vulgaribus characteribus habeto, ita tamen vt ex parte Baifij scribendi modus obseruetur.

Kompagnons féton se jȣr ȣ je nâki
Da le sein de flôs adriens: é çanton
Kelke çant pleZant ki apres mil ans soét
Ankore çanté.
Jȣr natal marké de Baïf, ki lessa
Les çemins fraiés, é premier dekȣurit
Vn nȣueau santier, a la France montra
L'aruike çanson.
Kant d'an bôt pȣssé de Tibôt s'akosta
Chant'ré [illegible] konpozeur ki premier dauan-tȣs
An la dans' apre... é du for é Klôdin
Ozéret antrér.
For, ki son dȣs lut maniét sauanmant,
Klôdin ô bel art de la musik' instruit,
Ont d accors çoéZis onoré de se vers
Les mezurés çans.
Las! Tibôt n'ét plus: é du for dauan-lui
Nȣs kita, lessant nos ȣurajes nessans,
Puisset lez ansans de Tibôt, é Klôdin
Lȣuraj' akonplir.
Mes vesi Moduit à la Muze bien duit
Dȣs de meurz é dȣs a mener le konçant
DéZ akors suiuis breu' é longue markant
D'un bat ajansé.
Tant ke dans mon keur me batra mon éspriê
L'euure pȣrsiuiuré: vȣz amis d' Apollon
L'antrepriZ' eidés: an oneur é pleZir
L'euure se parfét.

Cùm autem suprà psalmum 83 versibus latinis, & Gallicis Baifij longas, & breues syllabas obseruantibus ex Hebræo fonte redditum videris, ne forsitan existimes eum in Gallico rythmo minus valuisse, psalmum eundem rythmis Gallicis ex eodem fonte sumptum accipe.

O Seigneur, Dieu des armées,
Combien doibuent estre armées
Les maisons que tu choisis.
Seigneur, mon ame est ardante
De grande amour defaillante
Pour entrer en ton logis
Mon cœur, & ma chair outree
D'vne ioye declaree,
S'egayent au Dieu viuant

La paisse à bien sa retraicte
L'aronde sa maisonnette
Ou leurs petits vont couuant.
De sur tes autels logées.
O le Seigneur des armées
Qui mon Roy es & mon Dieu,
Heureux qui ta maison hantent!
Continûment ils te chantent,
Et te loueront en ce lieu.
Hommes heureux, dont remise,
En toy, la force est assise.
Qui tes voyes au keur ont,
Passans de pleur la vallee
Auront mainte eau ruissellee:
Pluies, marés empliront.
Ils iront de force en force:
Viendront sans nulle detorse
Chez Dieu au mont de Sion.
O Seigneur Dieu des proüesses,
Dieu de Iacob ne me lesses
Entan: oy mon oraison
O nostre bouclier, pran garde
Dieu de sur nous, & regarde
Sur la face de ton oingt.
Un iour chez toy en vault mille.
Il seroit trop mal habille
Qui ne s'y aymeroit point.
J'ayme mieux en quelque sorte
Me soir au seuil de la porte
De la maison de mon Dieu,
Que demeurer dans les tentes
De ces personnes meschantes
De leurs manoirs au milieu.
Le Seigneur Dieu debonnaire
Est nôtre grand luminaire,
Est nostre large bouclier.
Le Seigneur qui nous embrasse
Donnera sa saincte grace
Donnera l'honneur entier.
De nul bien il n'aura faute
Qui marche la teste haute
En integrité de foy.
L'heur de tout point se consomme,
Seigneur des forces, en l'homme
Qui met son espoir en toy.

Attamen non est omnino desperandum, imo pulchrior academia institui poterit, si viri in omni sciétiarum, & artium genere celeberrimi suam industriam conferant: solummodo desit inuidia ob quam tam ingentes labores in Gallia perire solent.

Academia potest institui, quæ sẽper diuinas laudes celebret.

Vtinam illa musicorum Academia institueretur, quæ cõtinuis laudibus, hymnis, & psalmis die, ac nocte Deum celebraret: in qua iuuenes disciplinis harmonicis ita imbuerentur, vt Ecclesiarũ cathedralium, & aliarum peritissimi cãtores inde sumerentur, & tota Gallia, imo totus mundus ad maiorem Dei gloriam, & omnium corda amore diuino inflammanda personaret.

Faxit Deus Opt. Max. vt Galli in Gallia, & aliæ nationes in regnis, & ditionibus suis opus illud aggrediantur, vt omnes corde, & ore Dei laudes intonent, & mirabilem gloriæ cęlestis harmoniã pro viribus imitentur. Iam verò ad genera musicæ accedamus, quæ, vt dixi, tria præsertim enumerantur, & à quibusdam interuallis denominantur, vel saltem inter se distinguuntur; in Diatonico semitonium maius, in chromatico minus, in enharmonico diesis est minimum interuallum. Duo verò hîc nobis faciẽda sunt, antequam difficultati propositæ respondeamus, num videlicet musicus vti debeat triplici illo genere ad vim musicæ restituendam: quorum primum est, an antiqui enharmonium genus cecinerint, 2 quid sint illa genera, & quatenus ijs vti possimus. Et quidem primum adeò clarum est, vt probatione non indigeat, ad quid tria ex æquo Græci μελῳδούμενα vocarent, nisi singulis vsi fuissent? Audi obsecro Bacchium interrogantem sibique ipsi respondentem, τὸ ἐναρμόνιον πῶς μελῳδεῖται; ἐπὶ μὲν τὸ ὀξὺ κατὰ δίεσιν, καὶ δίεσιν, ἐπὶ δὲ τὸ βαρὺ κατὰ τοὐναντίον. Quod & omnes Græci, qui de generibus loquuntur, communi calculo docent: quid hoc clariùs. De chromate verò similiter definiunt, τὸ δὲ χρῶμα πῶς μελῳδεῖται; ἐπὶ μὲν τὸ ὀξὺ καθ' ἡμιτόνιον, καὶ ἡμιτόνιον, καὶ τριημιτόνιον, ἐπὶ δὲ τὸ βαρὺ κατὰ τοὐναντίον. Vin tu clarius aliquid? Idem Arist. l. 1. occinit dum ἁρμονίας τῆς συνεχεστάτης; πυκνοτάτων διαστημάτων illam appellat, vbi notat χρῶμα dici ὡς τὸ μεταξὺ λευκοῦ καὶ μέλανος, quia est velut in medio diatonici & enharmonici. ἡμῖν δὲ, inquit, ἕκαστον μελῳδεῖται, idque eo modo, quem antea Bacchius attulit.

3 Genera musica. 3 proponũtur.

Bacchius.

Tria musicæ genera cantari posse.

Ne verò de hac veritate recentiores dubitent, audiant, amabo Quintilianum Aristidem loco cit. qui postquam diatonicum naturæ maximè conueniens, & omnibus etiam indoctis facillimum esse, chromaticum verò maiori artificio indigere dixit, fatetur enharmonium maxima diligentiâ, & industriâ indigere, adeout pluribus impossibile sit, qui propter ignorantiam, & ingenij imbecillitatem omnino negant genus illud vocibus exprimi posse; verùm ipse Aristides asserit se omnia genera canere; ipsissima illius verba profero. τῶν δὲ, idest generum, φυσικώτερον μὲν ἐστὶ τὸ διάτονον· πᾶσι γὰρ καὶ τοῖς ἀπαιδεύτοις παντάπασι μελῳδητέον ἐστί. τεχνικώτερον δὲ, τὸ χρῶμα· παρὰ γὰρ μόνοις μελῳδεῖται τοῖς πεπαιδευμένοις. ἀκριβέστερον δὲ τὸ ἐναρμόνιον. παρὰ γὰρ τοῖς ἐπιφανεστάτοις ἐν μουσικῇ τετύχηκε παραδοχῆς· τοῖς δὲ πολλοῖς ἐστιν ἀδύνατον. ὅθεν ἀπέγνωσάν τινες τὴν κατὰ δίεσιν μελῳδίαν διὰ τὴν αὑτῶν τὴν ἀκατοχείαν, ἀδύνατον παντελῶς ἀμελῴδητον εἶναι τὸ διάστημα ὑπολαμβάνοντες. ἡμῖν δὲ τῶν γενῶν ἕκαστον μελῳδεῖται. Frustra, credo, fusiùs probabimus genus enharmonium in vsu fuisse, ad quid enim tot characteres singulorum modorum Alypius, & Gaudentius afferunt, vt singuli modi in enharmonio genere canãtur, si genus illud non erat in vsu? cur illius interualla tam diligenter constituerunt? cur ne quidem verbum apud illos, quod genus illud cantui adaptari nequeat?

Aristides.

Alyp. Gaudent.

Scio plurima à neotericis obiici, qui putant vocem per dieses progredi non posse, quique negant varias musicæ partes in eo genere vnquam auditas fuisse: quibus tametsi respondere nolim, cùm solam difficultatem obiicere videantur, & iam alia nos vrgeant, solùm dicam varias partes non vsque adeò apud Græcos in vsu fuisse, quippe qui vel vnica voce solitariâ canerent, vel instrumento ei coniuncto, vt omnes ferè sentiunt.

Quod ad vocem attinet, certum est eam non solùm per dieses, verùm etiã per minora interualla progredi posse, si qui his densioribus vocis inflexionibus à teneris vnguiculis assuefaciant; quod apud Græcos solemne fuit, quorum pueri Mathematicas addiscebant, & noster vulgaris loquẽdi modus satis superque probat: vix enim 3, aut 4 periodos pronuntiamus, quin vox attollatur, vel deprimatur per interualla, quæ diesi longè minora sunt, vt patet in choris nostris, in quibus licet quis in G sol, re, ut exempli causâ intonet, & vix ad finem psalmi peruenimus, vbi vox in F fa ut, vel Elami,

Vocis subtilitas.

Elami, vel etiam inferiùs reperitur, quod ita contingit, vt à primo versiculo vsque ad vltimum per aliquod interuallũ proportionale descendamus; sit enim psalmus 30 versiculis constans, si in fine primi versiculi per 30 partem toni deprimatur, per similem in reliquis versiculis continget; at diesis longè maior est, quàm 30 pars toni: licet enim illa depressio contingat ex debilitate vocis, attamen similis per eadem interualla minima depressio artificio contingere posset: adde quod, cùm idem transitus ascendendo percipitur, id minimè procedat ex vocis debilitate, sed potiùs ex vehementia, & maiori intensione; Idem etiam in illis vocibus deprehenditur, quæ tremulis interuallis tonum diuidunt, quod Galli *fredons* appellant. Denique nostræ spinetæ nigra, & alba plectra habentes, quibus semitonia minora chromatica, & dieses enharmoniæ repræsentantur, satis ostendunt vocem per diesim, & diesim progredi posse, cùm etiam ipsum comma in eadem spineta non solùm percipiatur, sed etiam vox per commaticum interuallum transire possit. Verùm de his aliâs; constat ergo enharmonium apud antiquos in vsu fuisse; quidnam verò sint illa genera, & quibus proportionibus constent, quamque inter se conuenientiam obseruent, paucis aperio.

Vox per dieses procedere valet.

Diatonicũ genus est illud systema, quod ita tonis abundat, vt per tonum, & tonum, & semitonium progrediatur; chroma verò minoribus interuallis, videlicet semitonio, & semitonio, & trishemitonio constat, & est inter diatonicũ, & enharmoniũ, velut color inter nigrũ, & albũ, vel vt mediocriter spissum inter rarum, & densum. Denique enharmonium per minima interualla procedit, nempe per diesim, & diesim, & ditonum, quod tametsi maius sit interuallo maximo diatonici, & chromatici generis, attamen non ex eo interuallo nomen, aut proprietatem sumit, sed ex alijs 2 minoribus, sicut chroma denominatur à semitonijs. Illa verò genera recentiores ita se habere credunt, sicut bonum melius, & optimum, adeout neque enharmonium sine chromate, neque chroma sine diatono esse valeat, quemadmodum neque optimum sine meliori, & melius sine bono, neque anima rationalis sine sensitiua, & vegetatiua, neque trigonum sine tribus angulis, neque tectum sine fundamentis esse potest: hinc fit, vt existiment purum enharmonium, vel chroma nunquam auditum fuisse, imo neque vocem per ea interualla progredi posse, sed ea solùm inuenta, vt aliquod ornamentum diatonico duriori adhiberetur, & ita durities illius emolliretur.

3. genera definiũtur.

At illi decipiuntur, vt alibi dictum est, quod etiam experientiâ confirmare possem, non enim hoc sæculo desunt, qui chromatico, & enharmonio genere vti possint, præsertim si quod instrumentum iuxta generum illorum interualla diuisum nacti fuerint; & nuper egregius citharœdus asserebat se chromaticum testudine canere, dum voce diatonicum personaret; quid obstabit, quominus harmoniâ simili ratione vti possit? quæ apud Græcos ita clara sunt, vt ne cæci quidem in dubium illa reuocare possint. Vnum Aristidem legant, amabo, nostri recentiores, cùm in fine secundi hasce trium generum proprietates esse docet, vt diatonum, ita dictum ob tonos, quos frequentiores habet, sit masculum, & austerius ἀρρενωπὸν, καὶ αὐστηρότερον: chromaticum verò, quod ita vocatur ἀπὸ τοῦ χρώζειν τὰ λοιπὰ διαστήματα, sit suauissimum, & flebile ἥδιστον καὶ γοερόν; vbi aduerte chromaticum nullo alio systemate indigere, vt Aristid. notauit μάλιστα δὲ τοῖς ἐκείνων. Denique enharmonium lene quidem est, & tamen animum concitat, habet enim magnum interuallum, videlicet diatonum, & diesim; vnde, credo, διεγερτικὸν δὲ τοῦτο καὶ ἤπιον. Discant ergo nostri musici se nondum ad perfectionem Græcæ musicæ peruenisse; neque eos pudeat, si plurimas opiniones abijciant, quas hactenus obstinato animo tenuisse videntur, quos profectò satis arguisse debuit, quòd nullos effectus Græcis similes producant: quos fabulosos appellare malunt, quàm ignorationem suam fateri, agnoscere, & luce suorum præceptorum (Græcos intelligo in mathematicis artibus præstantissimos) fugare; de quibus aliquando fusiùs dici poterit. Interea meminerint Bacchium inter 7 mutationes, quibus in musica Græci vtebantur, illam enumerasse, quæ fit vnius generis in aliud, vt ἐξ ἁρμονίας εἰς χρῶμα, & Græcos illis generibus vsos sibi facilè persuadebunt.

Trium musicæ generum proprietates. Aristid.

Sanè vt nihil dissimulem, Salinas plurima subtiliùs, quàm veriùs dicere mihi videtur, quando de his generibus discurrit, vt cùm ait diatessaron ob solum diatonicũ ita dictum fuisse, quòd in hoc solo genere hæc vltima, & minima Pythagoræorũ consonantia 4 sonis constet, in chromate verò 6 interualla, & in enharmonio 9 habeat; cur enim chroma in trihemitonium, & semitoniũ, ac semitonium, & harmonia in ditonum, diesim, & diesim diuiditur, nisi ea sint propria generum illorum interualla? At, inquit, ditonum, & semiditonum maiora interualla sunt, quàm tonus, & ideo genera illa non deberent appellari diatonico spissiora: itane verò doctrinam antiquorum reijcis, à quibus didicisse videris, quæcunque 7 libris conclusisti? illi volũt genus spissius esse, quòd 2 interualla reliquo minora habeat, sic enim Bacchius ait illud gen' πυκνὸν esse, quod habet δύο διαστήματα τοῦ ἑνὸς ἐλάσσω; tu verò spissum appellas, quod non solùm minoribus, sed pluribus interuallis constat: vtrum Salinæ, an Græcis credam? Verùm hîc alios refellere non vacat, cùm etiã vix necessaria delibare possimus: quapropter his omissis tabellam affero, qua vnico intuitu triplex illud genus ex eius mente intelligere poteris, vbi eadem interualla, quæ Salinas cum recẽtioribus obseruauit, annotamus.

Salinas arguitur.

Bacchius.

In paralipomenis verò declarabimus, quidnam melius, vel commodius illud systema habeat, quod tam minores, quàm maiores tonos cum semitonio maiori agnoscit, quod Pythagoræ, & aliorum antiquorum systemata non haberent. Enimuero cùm tot sæcula post antiquam musicam deperditam præterierint, totum musicæ negotium ab ouo repetendum est, & monochordo tentandum, num illa interualla, quæ in tetrachordis per duos tonos sesquioctauos, & limma progreditur, voci naturali magis, vel minus congruant, quàm interualla, quibus Zarlinus, Salinas, & illorũ discipuli, quales sunt ferè omnes huius sæculi musici tam Galli, quàm Hispani, Itali, Germani, Belgæ &c. vtuntur. Imo si musicæ colophonem addere volueris, omnes proportiones, & interualla exploranda sunt, quæ in tetrachordo reperiri possunt, itaut non seorsim tantùm, sed cum similibus, vel etiam dissimilibus sequentiũ tetrachordorũ, vel, si mauis hexachordorum interuallis illa conferas. Interim diagrãma sequens accipe, cuius interualla si quod instrumentum habeat, perfectum censeri possit.


Totius harmoniæ vis hoc diagrammate fulget.
Cui nihil omnino iungi, adimiq; potest.
Littera sola genus primum: signata secundum:
At punctata simul monstrat Enharmonium.
DVPLA
DIAPASON
DIAPENTE
DIATESSARON
DITONVS
SEMIDITONVS
Tonus minor
Tonus maior
E
57600
55296
F
54000
51840
G
50000
48000
46080
a
45000
43200
41472
40500
40000
38400
36864
C
36000
34560
d
33750
32400
32000
30720
e
30000

Quatuor instrumenta musica figuram illam tempore D. Hieronymi habuisse dicuntur; duo in vna parte descripta, sunt fistula, & cymbalum; alia duo, chorus, & tympanum Hieronymi, si credamus Ottomaro. Totam verò figuram hanc ita Salinas explicat, vt inter duo *d* commatis interuallum necessarium esse putet, adeout sine eo nulla species diapason inueniri possit; hinc fit, vt in diatonico diapason 9 sonos, & 8 interualla statuat; eapropter sicut in ♮ *fa b, mi* duos sonos semitonio minori distantes, ita & inter duo *d* collocat: ita verò diapason diatonicũ explicat, vt ab E incipiat, & in *e* desinat, facile verò totam dispositionem in sequenti diagrammate conspicies, in quo nouem sonos, & 8 interualla, necnon 2 tonos maiores, 3 minores, 2 semitonia maiora, & vnum comma videre est, vt numeri docent.

Diatonici generis omnia interualla exprimuntur.



In genere chromatico sonos 16, & 15 interualla in diapason statuit, ex quibus 9 soni ad genus diatonicum, & ad chromaticum attinent; diatonicos solitis literis notat, chromaticos verò hocce charactere ✕, vt infra subiectum vides, vbi omnia interualla chromatici diapason explicantur.

Chromatici interualla, & soni.

F	F	✕	✕	G	✕	a	b	b	♮	c	✕	d	d	b	e	
1									2							Duo semitonia maiora diatonica.
			1		2	3					4		5			Quinque semitonia maiora chromatica.
	1			2				3		4				5		Quinque semitonia minora chromatica.
												1				Vnum comma diatonicum.
		1					2									Duo commata chromatica.

Denique in diapason enharmonico 25 sonos, & 24 interualla, videlicet 16 sonos chromatici generis, & 7 ex semitoniorum diuisione, cum 2 commatibus constituit, vt in hoc integro diapason 25 soni existant, ex quibus 9 diatonici literis, chromatici b ✕, enharmonici deniq; signis prædictis, & puncto supraposito, prout aspicis b ✕ notantur, quæ omnia sequenti schemate declarantur.

Enharmonij soni, & interualla.

E	✕	F	✕	✕	b	b	G	✕	b	a	✕	✕	b	b	♮	✕	c	✕	b	d	d	✕	b	e	
		1					2							3			4						5		Quinque semitonia minora chromatica.
						2			3	4					5				6		7				Septem semitonia minora enharmonica.
	1			2				3				4				5		6				7			Septem dieses.
			1		2						3		4							5					Quinque commata.
				1									2												Hæc 2 interualla commate à diesi deficiunt, ideóque cum vtróq; circunstantium sonorũ diesim efficiunt.

Hinc colliguntur omnes soni, & interualla, quæ Salinas in vnoquóque genere statuenda putat, prout infrà describuntur.

- Diatonico
  - Soni 9.
  - Interuallo 8.
    - 2 Toni maiores
    - 3 Toni minores
    - 2 Semitonia maiora
    - 1 Comma.
- Soni 16
  - 9 Diatonici
  - 5 Ex diuisione tonorum
  - 2 Ex accessione commatum.

In genere
- Chromatico
  - Interualla 15
    - 7 Semitonia maiora
      - 2 Diatonica
      - 5 Ex diuisione 5 tonorum.
    - 5 Semitonia minora
    - 3 Commata
- Enharmonio
  - Soni 25
    - 16 Chromatici generis
    - 7 Ex diuisione 7 semitoniorum maiorum
    - 2 Ex commatibus.
  - Interualla 24
    - 12 Semitonia minora ex diuisione
      - 7 Semit. maiorum,
      - 5 Tonorum.
    - 7 Dieses
    - 5 Commata

Quæ nunc de 3 generibus dicta sufficiunt, vt iam discutiamus num musici ad pristinam musicæ vim restituendam his tribus generibus vti debeant; quod aliâs fusè disceptare poterimus, nisi quis munus illud obierit, num rectè, vel perperam Salinas illum sonorum, & interuallorum numerum in quolibet genere statuerit. Interim monochordum consulere poteris. His ergo positis, siue hæc generum illorum diuisio legitima fuerit, siue alia, censent aliqui nostrum diatonicum, prout iam à peritissimis musicis in praxim redigitur, sufficere, vt illius ope ad omnes effectus pertingamus, quos antiqui perfecerūt: enimuero tam diuersis modis genus illud tractant, vt gratius quidpiam vix audire possis. Adde quod semitonio minori, & diesibus vtantur, vbi vident illud esse necessarium, quod tamen non sufficit, vt genus hoc mixtum appellemus: illi siquidem interuallis chromaticis, & enharmonicis non vtuntur, regulariter, sed tantùm per accidens. Quid autem sit genus mixtum, & commune, & quot sint diatonici, atque chromatici species consule Euclidem, & Ptolemæū. Hinc fit, vt aliqui ex nostris musicis de effectibus musicæ restituēdis non desperent, ac si nullo genere præterquam diatonico indigeant, & quæpiam interualla ex alijs generibus mutuò sumere possint. Si tamen illa genera in vsum reuocare voluerint, certum est quosdam alios effectus, vel eosdem, sed longè faciliùs productum iri: chromaticum enim habet interualla, quæ molliora sunt, & lachrymis aptiora videntur, enharmonium ad contemplationem aptissimum arbitror, & pro varijs interuallis diuersi producuntur effectus.

Num 3 illa genera necessaria sint vt musicæ vires restaurentur.

Caue tamen ne existimes me cōcludere nostros musicos ijsdem interuallis in diatonico vti, quibus antiqui vtebantur, etenim aliâs discuti poterit, num differant inter se, & an melioribus interuallis vti possimus, quod perfectum opus requirit. Interim videatur Artusus ragionamento primo pagina 14. & deinceps; qui discursu 2. pag. 38. Nicolai Vincentini, & Vincentij Lusitani disputationem refert, quorum ille nostrum diatonicum mixtum genus esse dicebat, hic verò negabat, ideóque sententiam aduersus Nicolaum latam refert, in cuius tamen opinionem ire videtur, negátque eum pignus amissurū fuisse, si rei istius causam propinquam attulisset, vt patet ex his verbis, *Voglio concluderui che Don Nicola haueua ragione a tenere quest a cōclusione: che la musica, che si canta, & suona sia vna mescolanza di diuersi generi insieme: ma il non saperla dire per le sue cause propinque, le fecero ben perdere la scomessa fatta col Lusitano.*

Artusus.

Vincent.

Omitto iam diatonici, & chromatici species, nempe diatonicum toniæum, molle, contentum, & mixtum, & chroma molle, sesquialterum, & tonicum, quæ diuidit Ptolemæus l. 1. c. 12. de quibus alioqui plurima dicenda essent, vt num aliquam veram speciem ex istis habeamus: num omnes ad praxim redigere possimus: quęnam species sit gratior, &c. quæ iustum volumen, & accuratū monochordi examen postulant: hæc autē omnia quibusdam ingeniosis mathematicis, & musicis indigitanda relinquo, & velut argumentum animi nobilis offero, vt ad industriam musici progrediar, quam sequens articulus aperiet.

Ptolem.

Hîc autē musicos omnes aduertere velim se nūquam ad musicæ perfectionem peruenturos esse, donec in monochordo accuratissimè diuiso omnia interualla tam seorsim, quàm cōiunctim perpenderint, adeout nullum supersit, quod cum omnibus alijs diuisiuè, & collectiuè non contulerint. Alioquin quomodo scient quos effectus hæc, aut illa consonantia cum his, vel alijs coniuncta productura sit? Viderint igitur quot sint interualla, imo quot esse queant, siue consona, siue dissona, & omnia modis omnibus coniungant. Exēpli gratiâ 12 interualla dissona numerātur, vt art. 2. dictū est, quorum omnium systematicæ cōiunctiones vsque ad 4083 perueniunt: prġter quæ numerantur 7 interualla, quæ sunt consonantiæ, vt ibidem videre est, quæ si modis omnibus cum præcedentibus interuallis misceantur, coniunctiones 521068 inde nascentur. Qua ratione scire possunt, quoties omnium cōsonantiarū interualla simul iungi possint, quandoquidem numerus interuallorum, quæ discutere volueris, ita solummodo disponendus est, vt ab vnitate vsque ad vltimum numerum dupla proportione scribas numeros interuallorum: vltimus enim numerus per binarium multiplicatus ostēdet productum, à quo si priùs tollas vnitatem, deinde numerū interuallorū, omnium cōiunctionum possibiliū siue gratarū, siue ingratarum num. exurget, vt patet in 7 consonantijs, videlicet 2 tertijs, & sextis, diatessaron, diapēte, & diapason, numeri enim ita disponuntur 1. 2. 4. 8. 16. 32. 64. vltimus numerus duplicatus erit 128. à quo sublata vnitas, pro summa 7 nu. 127 relinquit, à quo num. consonantiarum ablatus, 120 supersunt, qui docet quoties inter se illa interualla coniungi valeant.

Cōiunctiones omnes possibiles omnium consonantiarum, & interuallorum dissonorum.

Hæc est via, qua Musici discere poterunt, quosnam effectus singulæ toni partes cum quibusuis consonantijs iunctæ producturæ sint; à quibus Cleonidē cum alijs Græcis audiri velim, qui docet tonū εἰς δώδεκα τὰ ἐλάχιστα μόρια diuisum fuisse: qua etiam diuisione cætera interualla gaudebant, ἀναλόγως δὲ τῷ τόνῳ καὶ τὰ λοιπὰ διαστήματα; hemitonium quidem εἰς ἓξ δωδεκατημόρια, diesim verò tetartemoriā seu 4 toni partē εἰς τρία; sicut diesim tritemorium, seu toni trientem εἰς τέσσαρα. ὅλον δὲ τὸ διὰ τεσσάρων εἰς τριάκοντα. Consequēter docet genus harmonicum per tria, & tria, & 24 dodecatemoria, chroma molle per 4, & 4 & 22, &c. his verbis ἡ μὲν οὖν ἁρμονία μελῳδεῖται κατὰ τρία δωδεκατημοριαῖον μέγεθος καὶ τρία καὶ κδ. τὸ δὲ μαλακὸν χρῶμα κατὰ τέσσαρα καὶ τέσσαρα καὶ κβ. τὸ δὲ ἡμιόλιον χρῶμα κατὰ τέσσαρα ἥμισυ, καὶ τέσσαρα ἥμισυ καὶ κα. τὸ δὲ τονιαῖον χρῶμα κατὰ ϛ καὶ ϛ καὶ ιη. τὸ δὲ σύντονον κατὰ ϛ καὶ ιβ, καὶ ιβ. Vide num antiquorum musicam imiteris.

Cleonides.

Tonus in 12 partes diuisus, diatessaron 30 partes habet.

Quomodo genera musicæ procedant in suis interuallis.

ARTICVLVS

ARTICVLVS XVI.

QVOMODO MVSICA COMPONI DEBEAT, VT suum effectum sortiatur, vbi plurima de industria musicorum antiquorum, & de vi ipsius musicæ.

Plurima iam in præcedentibus de musicæ compositione, & industria musici diximus, quæ hic minimè repetemus: præter quæ non pauca subiungi possent. Imprimis verò Musicus virtutis, atque eruditionis specimen egregium exhibeat, ne despiciatur. Quod facilè præstabit, si moribus optimis præditus fuerit, & philosophiæ, atque mathematicis plurimum insudauerit: alioquin enim illius musica contemptui habebitur. Ita Græci musici non solo testudinis sono, atque vocis concentu, sed sapientiæ, atque doctrinæ famâ plurimos rapiebant. Vtinam musici saltem mediocriter in rebus physicis, atque medicis versati essent, vt scirent, quâ ratione commouendæ sint affectiones, & ex cognito pulsu, atque respiratione in quolibet animi pathemate contingentibus motus similes cantilenis ad illos affectus collineantibus efficerent. Sanè non pauci desperant de vi musicæ restituenda, quia vix inter centum musicos reperies, qui viri literati nomen mereatur. Musicus igitur prædictas scientias propiùs salutasse debuit, & fontem Hypocreneum degustasse; vbi enim poëta fuerit, rem magis ad viuum exprimet, quem auditoribus repræsentare cupit: licet ei facilè concedam, vt aliorum poëtarum laboribus vtatur. Et quidem si rex, vel princeps aliquis omnibus poëtis, atque musicis præmia rege digna proponat, qui suos versus præstantiori melodiâ informarint, breui vires illæ restituentur. Quid si luant pœnas illi, qui perperam suos, vel alienos versus musicè reddiderint? prout antiquos musicâ corrumpentes, eique plures chordas addentes exilio pulsos fuisse legimus.

Musicus virtute, & scientia præditus esse debet.

Quomodo musici perfecti reddi possint.

De rythmo.

Insuper musicus non solùm illam speciem metrorum eligere, quam affectui commouendo propriam iudicat, sed eius rhythmū, arsim & thesim obseruare debet: Vbi video musicos omnes aberrare, qui solius manus, vel pedis elatione arsim, thesim verò positione repræsentant, cùm etiam vox in omni arsi eleuari debeat, in positione deprimi: quod præter Græcos Capella lib. 9. cap. de rythmo notauit: *Rhythmus siquidem est diuersorum modorum ordinata connexio, tempori pro ratione modulationis inseruiens per id, quòd aut efferēda vox fuerit, aut premenda, & qui nos à licentia modulationis ad artem constringat.* Hic autem nolo præterire, quod ingestuum, & motuum corporis confirmationem habet, cùm ait perfectam cantilenam effici, dum corporis motum, sonorum, modulandíque rationem cum verbis apta modis ratio colligarit. Rursus vbi pedem definit, ita habet, *Pes est numeri prima progressio per legitimos, & necessarios sonos iuncta: cuius partes duæ sunt arsis, & thesis; arsis est eleuatio, thesis depositio vocis, ac remissio.* De his plurima docet Aristides li. 1. qui tria rhythmicorum genera refert ἴσον, ἡμιόλιον, καὶ τὸ διπλάσιον, quorum primum ἀπὸ δισήμου, 2 ἀπὸ τρισήμου, tertium denique ἀπὸ τετρασήμου incipit.

Capella.

Aristides.

Hinc concludendum est nullum ex musicis nostris Græcorum arsim, & thesim imitari, quod fortassis infrà tentabimus; licet ergo arsis, & thesis in rhythmica manus, & pedis eleuatio esse videatur, quam à Gallis mensuram, ab Hispanis, & Italis compassum vocari aiunt; in harmonica tamen est sublatio, & positio vocis, aut soni, quæ non in temporis longitudine, & breuitate, sed in vocis acumine, & grauitate consistunt, & potiùs ad accentuum considerationem, quàm ad syllabarum pertinent quantitatem, vnde sæpe contingit, vt cùm manus tollitur, vox deprimatur, & contra. Vbi nonnulli satis opportunè pulsus motibus, qui συστολὴ, & διαστολὴ vocantur, ἄρσιν, & θέσιν conferunt, quando de rhythmica quæstio est. Plurima verò sunt, quibus musici vti debeant, vt vocem duriorem, aut molliorem efficiant, nostri recentiores signis istis ♭ X ♮ vtuntur. Vnum est, in quo musicos nostros, & poëtas exerceri velim, nempe vt versus suos tam aptâ musicâ informent, vt nihil adiungi, nihil demi possit; certum enim est cantum aliquem esse, qui his, aut illis versibus magis, quàm vllus alius congruat, & hanc, aut illam syllabam arsi, vel thesi certâ efferendam esse, vt suum effectum sortiatur.

Trāsitus ab vna consonantia ad aliam optimus inuentu difficilis.

Id Græci fœliciter egerunt, quibus addere possumus accuratè perspiciendum esse, quomodo ab vna arsi ad thesim, vel à thesi ad arsim progrediendum sit, quandoquidem aliud est per ditonum, quàm per tonum, & per diapente, quàm per diapason saltare. Viderint igitur musici siue vnicâ voce, siue pluribus cecinerint, num optimo modo ab vna consonantia ad aliam transiliant, necne, alioquin nunquam ex arte nobilem effectum producet. Quod tandem aliquando præstare poterunt, si poëtas, & musicos Mecœnas aliquis foueat, & prouocet, vt versibus suis illam musicam addant, quibus eos decantandos esse putant, vt ad scopum collineent. Caueant autem summopere Musici ne tantùm auribus placere, vel idiotas harmonico cōcentu sibi conciliare velint: quod solùm Musici recentiores efficere velle mihi videntur, dum certas consonantias cum alijs ita connectunt, & ex vna in aliam transeunt, vt solummodo aures, vel animum delectatione pascere velint, quem aliquādo magno mœrore, aliàs ira, & alijs affectibus commouere deberent. Eamobrem recentiores his Zarlinæ regulis innituntur, qui vult contratenorem cum basso 6, vel 5 facere, si superior pars tenori sit vnisona, & bassum cum tenore 4 gignere: contratenorem cum basso 3, vel 10 producere, si cum basso, producant 5, vel 6: reliquas partes 3, 5, 6, 10, vel 12 efficere, si bassus cum tenore faciat 8; cum quo si 10 reddit, contratenorem à basso per 5, aut 12 distare præcipit. Omitto alias regulas, in quas musici nostri iurasse videntur, adeout vix vnum inter mille reperias, qui aliud meditetur, tametsi nonnihil indu-

Quid de Zarlinæ regulis sentiendum.

ſtriæ *Du Corroy*, Claudinus, & alij etiamnum viuentes, & celebres muſici attuliſſe, & Zarlinæ præcepta nouis quibuſdam amplificaſſe videantur. Quos illis præceptis minus adhærere vellem, vt omni præiudicatâ ſentẽtiâ longiùs ſepoſitâ perſpicerent multa nobis deeſſe, quæ apud Græcos in vſu fuerint, quæ tamen reuocare poſſimus, & debeamus, ſi mirabiles effectus producere voluerimus. Gręci recentiores quædã antiquis ſimilia retinuiſſe videntur, vt patet ex illis muſicæ notis,

Mõtmaur.

quas Petrus *de Montmaur* eloquentiæ profeſſor Regius, mirabilis vir ingenij, & verè εὐφύμονος in noſtram citharam inſerendas obtulit, quas de vocis proprietatibus explicandas eſſe putauit: an verò de quantitate, vel qualitate vocis intelligendæ ſint, non ita certũ eſt.

Notæ Græcorum muſicæ in cithara ſculpta explicantur.

ξηρὰ vocem ſiccam, & velut aridam ſignificat: οὐράνισμα vocem inſtar circuli multiplicis contortam, quæ ob ingentem pulchritudinem cœleſtis appellari valeat, neſcio ſi voci tremulæ Gallis *fredonnemens* non reſpondeat. σεισμὸς vocem illam repræſentare videtur, quę alteri aliqua ratione opponitur, ac ſi ſe decuſſarent: ἀπόστροφος non indiget explicatione, ſicut neque βαρεῖα, & ὀξεῖα, cùm apoſtrophi ratio, & vocis acumen, atque grauitas ſatis cognita ſint: κέντημα vocis ſtimulum, ſeu motum acutiſſimum deſignat; κύκλισις verò circuminceſſionem, quando vox in ſeipſam reflecti, ſuiſque motibus implicari videtur: παρακλητική vocem diſtantem reducit, quam κέντημα acuit, & veluti celeriorem, & agiliorem efficit; ὁρμὴ vocis eſt impetus, ὀλίγον, & ἴσον eius paruitatem, & æqualitatem ſonant.

Aristides.

Simile quidpiam apud Ariſtidem lib. 1. legimus, qui poſtquam περὶ φωνῆς, καὶ κινήσεως locutus eſt, de tribus ſpeciebus vocis, quæ ſunt εὐθεῖα, ἀνακάμπτουσα, & περιφερής, hæc addit; εὐθεῖα μὲν ἡ ἀπὸ βαρύτητος εἰς ὀξύτητα; ἀνακάμπτουσα δὲ ἐναντία, περιφερὴς δὲ ἡ μεταβολος, rectam, reuertentem, & circunſtantẽ Martianus explicat: duas primas eaſdem eſſe cum ijs, quæ priùs βαρεῖα, & ὀξεῖα vocatæ ſunt, arbitror. Plurima ſunt, quæ nunc omitto, cùm quæſtionis finis vrgeat, & in aliud tempus ea reſeruanda putem. Iuuat tamen commemorare quorundam muſicorum induſtriam, qui abſque vulgaribus

Martianus.

Muſica literalis, & numerica.

notis muſicam deſcribi poſſe exiſtimarunt, vt cùm Poëtis Gallis, Latinis, Græcis, vel quibuſcumque placuerit, verſus ſuos à quolibet typographo notis vulgaribus carente cum proprio cantu excudi poſſent, rari ſunt enim muſici typographi, vt conſtat apud nos, cùm vnicus ſit in vrbe celeberrima Galliæ. Nauierus illam muſicam inſtituere volebat, quam duplicem faciebat literalem, & numericam; illa ſolis literis, vel ſyllabis ſcalæ vulgaris Aretinæ, hæc verò ſolis numeris vtebatur. De quibus nonnulla referam, ne fortè hoc inſtitutum penitùs obliuione ſepeliatur. Notas Aretinas *vt, re, mi, fa, ſol, la*, 12 modis inſeruientes, vt ſuperiùs inſinuatum eſt, retinuit, quas duplici modo notauit, primò quidem literis capitalibus V, R, M, F, S, L, ſecundò minoribus: vt primis notam ſemibreuem, ideſt menſuram vnam ſignificantem, ex arſi, & theſi compoſitam, ſecundis verò *u*, *r*, *m*, *f*, *ſ*, *l*, arſim tantùm, vel theſim, ſeu menſuræ partem mediam ſignificaret: ſi vis quartam menſuræ partem vni notæ nigrę reſpondentem, habes ů, ṙ, ṁ, ḟ, ſol, lȧ; ſi octauam partem menſurę û, r̂, m̂, f̂, ſ̂, l̂, ſi decimam ſextam: aliâ notâ, vt duplici circunflexione vti poteris, vt menſuræ partem 32 ſignifices.

Caroli Nauierij inuentum.

Verùm non erat, quod Carolus illa breuium notarum ſigna curaret, etenim maiores, vel minores literæ ſufficient, cùm verſus ſuarum ſyllabarum longitudinem, vel breuitatem præ ſe ferant. Adde punctum ſingulas illas literas conſequens, quod earum medium tempus obtinet. Pauſas ita notabat, ſemibreuem. i. vnius menſuræ —, mediam illius partem ʋ vel ↄ, quartam partem r: plures pauſas ☰, magnum pauſarum numerum, verbi gratiâ viginti & octo, ☰ 20 ☰. cantum repetendum C Ↄ, & ✳ Communem manus depreſſionem, & eleuationem, C| , triplam ʒ, & aliam, quam tactus eſſe, Gallicè *Touchet* appellabat ⊥.

Mutationes facilè ſignificabis, ſi cùm vltra hexachordum per ſex notas repræſentatum aſcendendo, vel deſcendendo progrederis, nouum hexachordũ paulo ſuperiùs, vel inferiùs ſcripſeris; exempli gratiâ ſi poſt *vt, re, mi, fa, ſol*, hexachordo à *Γ vt* ad *D ſol re*, protenſo, tranſilias ad *fa, ſol, la* literæ F, g, a. ita ſcribes v r m f s f s l, & ſic de cæteris, vt inferiùs dicemus. Vt verò ſcias, quanto interuallo diſtent illæ literæ ſuperiores ab inferioribus, quibuſdam numeris vtendum eſt; vniſonum per o deſignatur: tonus verò, ſeu ſecunda per 2, tertia per 3, quarta per 4, quinta per 5, &c. ſignificantur. Quæ omnia vides in 7 ſpeciebus diapaſon hîc appoſitis.

1	2R. M. F	F	F
	V. R. M. F. S.	8	
		V	8 V
2	2 R. M. F. S.		
	R. M. F. S.	8 S.	S
		R	8 R.
3	2 R. M. F. S. M	8M	M
	M F S		
		M	8 M
4	2 R. M. F.	F	F
	2 R M F	8	8
	F S	F	F
5	2 R M F S	S	S
	2R M F	8	8
	S	S	S
6	2 R M F. S.	S	S
	V R M F	8	8
		V	V
7	2 R M.	M	M
	2 R M F S	8	8
	M F	M	M

Vnaquæq; verò nota hexachordi duobus modis, præcipuo, & plagio imperat, vt 6 notæ 12 modis reſpondeant, quos 12 ſignis Zodiaci tribue, itaut ♈ primo, ♉ ſecundo, ♊ tertio, ♋ quarto, &c. adaptentur.

Quæ non repetam, cùm antea modos clarè demonſtratos habeamus; ſolummodo in Dorio, ſeu primo modo exemplum aſſignabo, vt illius chordas, ſeu cadentias regulares 4, & totidem irregulares aduertas: illæ maioribus, hæ verò minoribus literis deſcribentur. Modum verò hypodorium bellè coniunctum habes; vbi o docet *fa*, & *vt*, & *ſol*, atque *vt* vniſonare.

o V r m F.
o V r M f S
V r m F

Primum, *vt*, pertinet ad hypodorium, qui quartã infra

infra sitam, & diapente supra cum authento commune habet. Partem musicæ fundamentalem, quam subiectum, vel argumentū dicimus, lilij flore notabat, qualis est superius, vel tenor, vt Gallus sceptrum Gallicum musicæ dominari ostenderet. Cùm autem sint eiusdem notæ sedes variæ, vt scias quando modus transpositus est. F pro primo modo basso præponatur, si in F fa vt incipit, quod si descendat inferiùs, quàm *F vt*, ita inuertetur, vel si in octaua superiori incipiat bassus, ita notari poterit; duo alia superiora, *F faut* superiori, & contratenori seruient. Eodem modo G, & C pro *G sol reut*, & C *sol, fa, vt*, inuerti poterunt. Quæ omnia vt in praxim redigantur, & faciliùs comprehendantur, exemplum affero, in quo arsis, & thesis per ⊥ notatur, quia in qualibet nota manus deprimitur, vel eleuatur.

S^us ⚜ in ♑ cum ⊥

(5) 2 r m F M s m F S — s f M
r m F S 2 L f f M R s f L S — 4
Tyte-jans sus Klakes an main é lyanjés Auek vn kri de ioieus chant le supernel.
C^t
(3) 2 R R f s M R s s M R — f m S
m f 3 L l s F S m s S S — 3
Tyte-jans sus Klakés an main, é lyanjés Auek vn kri de ioieus chant le supernel.
T^r
(1) u u R M f m R s m u R R — r r M f f X
3 l L L s l F S — o
Tyte-jans sus Klakés an main, é lyanjés Auek vn kri de ioieus chant le supernel.
B^s per
(8) S
3 l S V s u R V u m R S — s r L R f s R S l s S V — 8
Tyte-jans sus Klakés an main, é lyanjés Auek vn kri de ioieus chant le supernel.

Vbi vides bassum in *sol* clauis *G sol reut* incipere, tenorem vero in *vt* eiusdem *G sol reut*, quod (1) notatur significante tenorem cum basso vnisonare: (3) ostendit cōtratenorem facere tertiam cum basso: partem verò superiorem (5) esse in diapente cum eodem basso. Itaque contratenor incipit in *mi* clauis *b fa ♮ mi*, & superior subiectum modi decimi continens (vt ostendit Capricornus 10 Zodiaci signum) incipit in *re* clauis *D la, sol, re*.

Aliud exemplum habeto, in quo mensura tripla sit, cuius argumentum primo modo informetur, quem antea verum Ptolemæi Dorium esse probauimus, illi autem versus sunt ionici à minori trimetri.

S ⚜ in ♈ 5

(10) v v m V r M u F r V u M f S s M f S. v v m S l
A laube du soleil leuant te plaise nôtre Dieu viuant Preseruer
S f M r M r V r m s m f m a W — 3
An ta sainte main de tus fés au ne mis l'umain.
T^r
(5) v v u R m F r R m F u F r L m F
3 l S. v v s S F
A l'aube du soleil leuant te plaise nôtre Dieu viuant Preseruer
2 r F u F m f u u V u F u W — o
S
An ta seinte main de tus fés an ne mis l'umain.
B^s △ vocum
(1) v v f R u F 8 f F s F l R s V. v v f L s
s f R s V
A l'aube du soleil leuant te plaise nôtre Dieu viuant Preseruer
L s F m R m F m L f R m F F — o.
An ta seinte main de tus fés an ne mis l'umain.

Hi sunt Iambici versus trione musico affecti, quem triangulus △ basso superpositus ostendit, bassus incipit in *fa* clauis *F faut*, idque in linea, quod pronum docet, sicut inuersum ad inferiorem locum nos relegat: tenor per diapente altior incipit in *vt* clauis c *sol faut*: superius denique incipit in *mi* clauis *A la mire*, & per decimam supra bassum eleuatur.

Bassus, ad quem mensuram, seu arsim, & thesim ostendere pertinet, ad duas istas breues *v v* manum deprimit, quam in *fa* breui correspondente tollit, quam rursus in R longo deprimit, & eleuat in breui *u*, quia mensura tripla est, vt vocant, vel potiùs dupla, quia thesis continet arsim bis. Supersunt illi numeri, qui in fine cuiuslibet partis positi docent quantum finis eiusdem partis à suo principio distet: sic enim in primo exemplo superior pars in fine à suo principio per quartam, seu diatessaron, contratenor per tertiam distat: tenor verò eundem habet finem cum principio, quapropter o nullam esse distantiam ostendit, demum Octauâ integrâ finis bassi distat à principio.

In exemplo secundo superior distat per tertiam; aliæ partes idem sonant. Omnia notarum, & mensuræ genera in versibus Phaleucis, qui sequuntur, exprimere possumus.

Tenor in ♈

(1) XX 2 r M 2 r m f s
V u r m f S f f 3 S 3 2 C| L S S f. m r m f s
O Dieu prince te nant le trône des cieux, Vers toy i'ay

m f L S u F F C| M F — F m f s.
4 S f f M r u r m f s L R *
Soulevé piteuZement l'œil: Tout ainsi come tend le serviteur l'œil,

R M f m
S 2 1 S f m f s u R V — s *
Vers son maistre duquel la main le maintient.

Quæ de literali musicâ in præsenti dicta sufficiant, vt de numerica nonnihil subiungam, quæ præcedenti facilior esse videtur, etenim vbi modum cognoueris, quo versus informabuntur, & primo neruo, seu phtongo, aut primæ voci, & notæ modi tribueris vnitatem, secundæ voci 2, tertiæ 3, & sic de cæteris vsque ad 8, & si prætergrediaris 9, 10, &c. vsque ad 15 seu disdiapason, facilè versus canes: Quod si vltra finalem vocem 1 descenderis, inferiores notas ciphris inuersis, vel alia ratione notare poteris: huius musicæ numericæ exemplum in modo ═, seu 11 assigno ex psal. 135 desumptum & metris gallicis hexametris, & pentametris redditum.

1 3 3 4 3 4 5 5 5 6 5 7 6 5 — 5
Vus celebrés le Signeur car Dieu vit rempli de bonté.
8 7 7 8 6 6 5 3 4 4 5 3 2 1 — o.
Car sa clemance se void estre durable toujours.

Non indigebis vllis signis, quibus notarum, & sonorum longitudinem agnoscas, si versus cecineris, quippe qui suam quantitatem secum ferunt; si tamen vni syllabæ plurimas notas supponere, & correspondere volueris, iisdem signis, vel similibus vtere, quæ superiùs attulimus. Quibus omissis, cùm vnusquisque similia, vel meliora, atque faciliora per se inuenire valeat, & alioquin non ita conferant ad vim illam restituendam, quam inquirimus, quæ minimè dependet ab his, aut illis characteribus, ad alia progredior. Enimuero siue 7 species diapason per 7 planetas, siue per 7 dies hebdomadæ, 4 diapente species per 4 elementa, siue per 4 cœli cardines, 3 species diatessaron per 3 mundos idealem, cœlestem, & humanum, vel per 3 ventres hominis significes, non ideo maiori, vel minori virtute musica nostra pollebit. Idem de plurimis assero, qui vel cœlorum constellationibus, motibus, & astrorum aspectibus, magnitudinibus, figuris, atque distantijs, vel influentijs cœlorum, & intelligentiarum, vel quibusdam entium gradibus, vel Angelis Cabalisticis, & inuentis Rabinicis id tribuerunt, vt musica vis, & consonantiarum varietates inde profluerent, inter quos Boderianum numerant, qui systema Dauidicum, mundanum, & humanum versibus describit; quasi verò Dauid citharam pulsans aliquos cœlestes gradus, & intelligentias, vel proprietates diuinas commoueret: profectò has imaginationes ad Marchauistas, Hochmanos, Ziruphantes, Cabalistas, & eiuscemodi Nugiuendulos relego, qualis mihi videtur esse Fludus ille κενοσυζητικός, dum non solùm geniorum, & fictitiorum Angelorum nomina, & ordines comminiscitur, verùm etiam dum mundanæ, cœlesti, & humanæ musicæ incumbit, & illam tenebris fluctuantibus inuoluit.

Boderianus.

Cabalistæ arguuntur.

Flud.

Placet autem hîc aduertere, quod Alypius initio suæ isagoges habet, illa videlicet signa, quibus in singulis modis vtitur, ita se habere, vt inferiora cantus, & vocis notæ sint, superiora verò pulsationis λέξεως σημεῖα τὰ ἐπάνω, τῆς δὲ κρούσεως τὰ κάτω, vnde nonnulli conijciunt antiquos ita cecinisse, vt cùm aliquis voce caneret, simul aliquod instrumentum musicum pulsaret: quod fauet ijs, qui putant Græcos 4 illas aut 5, 6, 7, 8 vel plures partes non habuisse, quibus iam vtimur, sed vnica voce, & instrumento simul iunctis, vel ad summum duabus vocibus vsos fuisse: quod iunioribus scrupulū eximere poterit, qui genus enharmonicum cani posse negant. Si quis τὰ μελικὰ καὶ ὀργανικὰ μέλους ὀνόματα videre cupiat, legat Manuelem Bryennium lib. 3. cap. 3. in quo πρόληψις, ἔκληψις, πρόσλημμα, ἔκλημμα, προκρουσμός, ἐκκρουσμός, πρόκρουσις, ἔκκρουσις, προκρουσμός, ἐκκρουσμός, κομπισμός, τερετισμός, καὶ διαστολή definiuntur.

Alypius.

Bryennius.

Cætera quæ de Musicorum antiquorum industria, & canendi modis afferri possent, in alium locum reijcienda sunt. Breuiter tamen hîc aduertendum est nullum ad musicæ perfectionem attingere, neque eam intelligere, vel discutere posse, nisi physicæ, medicinæque principia cum mathematicis rationibus coniungat; antequam enim soni naturam, atque proprietates probè noueris, partes, & motus aëris contemplari debes, quæ corpora sese collidentia agitant: spectandum est vocis organum, & qua ratione vocalis arteria dilatetur, vel cōtrahatur, comprimatur, intorqueatur, producatur, corripiatur, quando voces diuersæ ab animalibus exprimuntur. Præterea videndum est, à quo principio vox acutior, & grauior, maior, & minor oriatur, & quo modo spiritus agitentur, quisue calor in corde, & pulmone reperiatur, quando vox timida, vel iracunda mittitur, vt cùm musicus aliquem ad similem perturbationem prouocare voluerit, suo concentu similem

similem calorem, & spirituum agitationem efficiat. Cùm autem illum calorem in ipso cordis viscere conspicere nequeamus, ad pulsus cõstrictionem, & dilatationem recurrendum est, quibus interioris caloris qualitatem, & quantitatem metimur, etenim cordis, & pulsus diastole aëris attractioni, seu respirationi correspondet, cùm ipsa cordis dilatatio fiat, vt nouus aër ad cordis sinus caloris refrigerandi, vel temperandi gratia accedat: systole verò seu contractio, vt excrementitiæ fuligines expellantur, & maioris illius caloris veluti fœces è corde deturbentur. Itaque pulsuum cognitio assumi poterit, veluti principium, cuius ope in turbidos, concitatósq; animi motus deuenire possimus, nam vbi sæpiùs attrahetur aër, quò calor temperetur, quàm expellãtur fuligines, pulsus sæpius resiliet; num verò trochaicũ rythmum efficiat, cum aliquis excandescit, idest num vnius contractionis spatio duę dilatationes contingant, vel quam proportionem in suis rythmis pulsus iracundi, timidi, & cæteri obseruent, hoc opus hic labor est. Vtinam Herophilus aliquis suscitaretur, qui non solùm harmoniam in pulsibus reperiret, sed præterea doceret, quibus sonis, & concentibus pulsuum varietas efficeretur. Nondum tamen omnis illa cognitio perijt, cùm Galenus illam partem multis libris excoluerit, quam medico necessariam esse docuit. Hunc autẽ rythmum qualitatum motus distentionis, & contractionis adinuicem proportionem esse definiuit, idemque de difficultate spirandi asserit, adeout quoties inspirationem expirationi, vel pulsuum distentionem contractioni conferre libet, rythmum appellemus. Musicus igitur Galeni libros de respirationis vsu, & causis, déque pulsuum vsu, differentijs, dignotione, causis, & ex eis præcognitione, item librum de animæ morum, & corporei temperamenti mutua consecutione, atque librum de cognoscendis, curandisque animi affectibus perlegat, de quibus Aloysius Luisinus egregiè scripsit. De pulsibus verò præter alios Hieronymus Capiuacceus, & Iosephus Struthius lib 5. artis sphygmicæ satis accuratè dixerunt, tametsi supersunt plurima, quæ adiungi cuperem. Vt quam proportionem, atque proportionalitatem varij pulsus iracundi, timidi, amantis, &c. in iracundia, timore, & amore seruent: num eadem sit proportio tertij pulsus ad secundum, quàm secundi ad 4: num analogia geometrica, vel arithmetica, vel harmonica λόγος, vel ἄλογος in illis reperiatur, &c. quæ ad Iatromathematicum attinent. Hic enim potest in pulsu varios pedes obseruare; siue 4 tempora distinguat, primum, quo distenditur arteria: 2, quo contrahitur: 3 tempus quietis superæ: quartum denique tempus quietis inferæ: siue distensionem, & contractionem solummodo consideret, & eas inuicem conferat: enimuero vel pulsus æqualis erit, vt in bene valentibus, in quibus spondæum, vel pyrrichium efficit, quia diastole, & systole ęqualia tempora occupant: qui cum pro temperamento, sexu, vel ætate debitam mensuram seruat, eurythmus: si ab ea deflectat, arythmus, qui cùm in alium ętati vicinæ proprium mutatur, pararythmus, si alteri cuicúnque sit similis, heterorythmus: si denique nullius ætatis modulum retinet, ecrythmus appellatur. Viderint Musici quam analogiam habeat illius pulsus, quem commouere voluerint: num proportionem duplam, sesquialteram, sesquitertiã, sesquiquartam, aut aliam quamcunque obtineant: & quo modo eum immutare debeant, vt auditor illis animi motibus afficiatur, quos musicus inducere cupit: suos enim rythmos sonoros ita vsurpare debet, vt illis pulsus rythmis similes existant, quos animi pathema concitabit, quod musicus in auditore producere conatur. In sano pulsus horâ durante 4000 distẽditur: viderit quoties in iracundo, tristi, amasio, & aliter perturbato resiliat, num 6000 plus, vel minus.

De pulsu. — *Diastole, & systole cur fiant.* — *Herophilus.* — *Galenus.* — *Luisinus. Capiuacceus. Struthius.* — *De varijs rythmis, & proportionibus pulsus.*

Quanta verò sit rythmi potestas, & quos effectus rythmorum varietas producat, Musici scire debent, vt illis vtantur, si quem effectum nobilem efficere desiderent: quod docet Aristid. lib. 2. circa finem, vbi asserit rythmos quosdam quietiores esse, qui positionibus mentem perstringunt: alios ob elationes perturbare: in æquali proportione collocatos, propter æquabilitatem elegantiores: illos esse concitatos, qui superpartienti constant analogiâ: eos, qui breuibus temporibus progrediuntur, esse feruidissimos, qui pyrrhichicis saltationibus conueniant. Rythmos autem promiscuos in medijs saltationibus, longissimos in hymnis sacris obseruabant, vt longiori occupatione moram sibi gratam esse testarentur, & mentem illa temporum æqualitate ad elegantiam reducerent, ac si hæc esset animi salubritas, qualis est æqualitas systoles, & diastoles in pulsu.

Rythmorũ vis in musica. — *Quomodo Græci musici rythmis vterentur.*

Si rythmus in sesquialtera ratione fuerit, auditores ad contemplationem, & afflatum diuinum præparat. Paulò post docet rythmum inæqualitate suâ tam varias corporis motiones inferre, vt non exiguâ perturbatione mentem exagitet. Hîc etiam aduertit rythmos, qui mutantur, animum in diuersa rapere, quos minus efficaces ait, si in vno genere maneant. Omitto alia plurima, quæ de rythmis habet, neque textum Græcum affero, vt breuitati studeam. Interim ex dictis colligе rythmum in musica vim ingentem habere, cui si phtongos, & systemata debitè iungas, quid obsecro Musicæ perfectioni deerit?

Et quidem arbitror non aliunde nos tantopere recreari, cùm aliquis voce, vel testudine cecinit, itaut nihil ore pronuntiet, sed instrumento duntaxat, aut voce nihil exprimente canat, nisi quia in suo καλάμῳ rythmum aliquem iucundum vel nesciens obseruat.

De rythmo præter Aristidem hîc, & lib. 1. vbi de eo fusè agit, Cleonides in illa parte, quam Euclides non habet, multa proponit, quæ iam partim alibi diximus, vt παιωνικὸν ἐν τῷ ἡμιολίῳ, ἰαμβικὸν autem ἐν τῷ διπλασίῳ positum esse; illud incipere ἀπὸ πεντασήμου, & crescere μέχρι πεντεκαιεικοσασήμου, hoc autem incipere ἀπὸ τρισήμου ἀγωγῆς, & vsque ad tempora 18 augeri, vt pes maximus rythmi iambici sit ἐλαχίστου ἑξαπλάσιος, pœonici verò πενταπλάσιος. Verùm Aristid. de ijsdem accuratiùs lib. 5. edisserit, & 5 rythmicæ partes facit μέρη δὲ ῥυθμικῆς ε΄· διαλαμβάνομεν γὰρ περὶ πρώτων χρόνων· περὶ γενῶν ποδικῶν· περὶ ἀγωγῆς ῥυθμικῆς, περὶ μεταβολῶν· περὶ ῥυθμοποιΐας; adeout hic autor pro omnibus satis esse possit: quippe de singulis pedibus, & versibus ex professo tractat, & docet an ab arsi, vel thesi incipiant, & quot arses, & theses, quótue tempora complectantur: ideóque opus non est, vt alia subiungamus: nisi Græcos his mutis interuallis vsos fuisse, quæ vulgò Pausas appellant: Arist. inane vocat, κενὸς μὲν οὖν ἐστι χρόνος ἄνευ φθόγγου πρὸς ἀναπλήρωσιν τοῦ ῥυθμοῦ. Defectum in rythmo, seu λεῖμμα vocat tempus inane breuis-

Cleonides. — *Rythmicæ partes quinque.* — *Pausæ à Græcis vsurpatæ.*

simum, περὶ ἐκείνων δὲ facit præcedētis ἐλαχίστου διαιρέσεως. Rythmũ preterea 12 modis immutari ait, videlicet κατ' ἀγωγήν, κατὰ λόγον ποδικόν, ὅταν ἐξ ἑνὸς εἰς ἕνα μεταβαίνῃ λόγον, ἢ ὅταν ἐξ ἑνὸς εἰς πλείους, ἢ ὅταν ἐξ ἁπλοῦ εἰς μικτόν, ἢ ἐκ ῥητοῦ εἰς ἄλογον, ἢ ἐξ ἀλόγου εἰς ἄλογον, ἢ ἐκ τῶν ἀντιθέσει διαφερόντων εἰς ἀλλήλους, ἢ ἐκ μικτοῦ εἰς μικτόν. Hinc fit, vt admirari nō debeamus, si nostri musici nullũ effectum insigné proferãt, cùm rythmopœiâ careant, quæ est δύναμις ποιητικὴ ῥυθμοῦ, sine quo musica veluti corpus absque anima censetur, vt docet Aristides his verbis τινὲς δὲ τῶν παλαιῶν τὸν μὲν ῥυθμὸν ἄρρεν ἀπεκάλουν, τὸ δὲ μέλος θῆλυ. τὸ μὲν γὰρ μέλος ἀνενέργητόν τ' ἐστι καὶ ἀσχημάτιστον, ὕλης ἐπέχον λόγον διὰ τὴν πρὸς τοὐναντίον ἐπιτηδειότητα. ὁ δὲ ῥυθμὸς πλάττει τε αὐτό, καὶ κινεῖ τεταγμένως, ποιοῦντος λόγον ἐπέχων πρὸς τὸ ποιούμενον. Quibus significat melos ex se inefficax esse, ac velut informe, quod materiæ rationem propter aptitudinem ad contrarium obtineat; rythmum verò idem simul formare, atque mouere, adeout efficientis causæ rationem habeat. Hinc fit, vt præ cæteris musici rythmicæ studere debeant, vt concentus harmonici finem consequantur.

Defectu rythmi musici nihil efficiunt.

Et quidem rythmica vnicuique naturalis esse videtur, vt patet non solùm in cantilenis diuersorum populorum, verùm etiam in fistulis, tubis, & tympanis, quibus in pace, vel bello vtuntur, constat enim Heluetiorum rythmum, quem vulgò per *colintanpon* exprimunt, esse ionicum à minori; quem rythmum Horatius obseruauit in ode, quæ sic incipit.

Tympani rythmus Heluetic⁹, Gallus, Anglus.

υ υ — —, υ υ — —, υ υ — —

Miserarum nec amori dare ludum.

Suprà versus similes literatâ musicâ informauimus qui sic incipiunt. *Toute-jans klakés, &c.* quibus vides Heluetios 4 solùm pulsationibus cōtentos esse, cùm tamen Galli 5 vtantur, quorum rythmus quatuor temporibus, vel syllabis breuibus, & vnicâ longâ constat, quem hoc metro explicare possumus, quo charitatis ardor explicari potest, quo Philothei animus vrgetur, in quo plures proceleusmaticos, vel 2 pyrrhichios habes.

υ υ υ υ —, υ υ υ υ —

Ie me rans à toi charité qui vient
A syte rigueur rebatre se keur
Si cruëlemant ne me mène pas
Y subitemant, ie vés à trepas
E ja du trepas, proçe je me voi
Ne m'açeue pas, ie me rans à toi.

Hæ quinque Gallorum pulsationes non includunt plura tempora, quàm Heluet icus rythmus. Angli verò dispódæo vtuntur, & cæsurâ duo tempora includente, vt hæ notæ, & versus ostendunt.

— — — —, — — — —

Sus soldats marchon pour les lis François
Et si nous montrons vaillammant Anglois.

Illi verò, qui vulgò Walons, duobus iambis, & cæsurâ longâ, vel iambo, & bacchio vtuntur, vt patet in sequentibus metris, licet alij asserant eos rythmo concitatiori vti.

υ — υ — —, υ — υ — —

De keur démarchans alon donk aux chans
Sa konbaton ci y prét me voéci
Sa s'it-aséʒ dit le keur me bondit
E bondit aussi à seus ke voéci.

Quæ iam ex parte art. 6, & 7 tetigeram, & hîc exprimere volui, vt musici viderint, quid eis desit: quos probè scio rythmis vsuros, & rythmopœiam magnum operæpretium facturos esse, vbi ter, aut quater experti fuerint, quantam vim habeant musicæ, & debiti rythmi coniunctio, rythmique mutationes, de quibus suprà. Sæpè autem suos rythmos varij populi commutant, vt vno sæculo displiceat, & reijciatur, quod alio maximè placuerat, siue id ex commercio, & familiaritate cum alijs populis id fiat, siue ex varijs temperamentis, quæ ab aëre, & constellationibus sæpius immutantur, idque fortè ob variam æquinoctiorum processionem, varios aspectus: siue ob varias constitutiones, quibus pro libitò, & arbitrio singulæ Respublicæ rythmos suos mutare possunt. Quocirca musicus scire debet rythmum, quo quis nunc vtatur, & delectetur, & quem refugiat, vt rythmo ad hunc, aut illum excitandum aptissimo fœliciter vti possit.

Iuuat autem hîc aduertere rythmum à metro differre, sicut partem à toto, metrum enim μέρος ῥυθμοῦ aiunt ὡς μέρος ὅλου, & μέτρον à μέτρου deriuant, ὃ σημαίνει μερίζειν: rythmum ἐν ἄρσει καὶ θέσει τὴν οὐσίαν ἔχειν: τὸ δὲ μέτρον ἐν συλλαβαῖς, καὶ τῇ τούτων ἀνομοιότητι: ῥυθμοὶ μὲν συνίστανται καὶ διὰ τῶν ὁμοίων συλλαβῶν, καὶ διὰ τῶν ἀσυνθέτων ποδῶν. μέτρον δὲ διὰ μὲν τῶν πάντως ὁμοίας ἐχόντων μὴ δὲ γίνεσθαι, διὰ δὲ τοῦ ἀσυνθέτου, ἐλέγχεται. Hactenus Aristid. lib. 1. qui postquam de varijs metrorum speciebus egit, confert metrum, quod vsque ad 24 tempora procedit, cum diapason ex 24 diesibus constituto, vt versus suas partes instar diapason habeat.

Debet etiam musicus omnia sonorum interualla tam concinna, quàm inconcinna, atque consona explorare, vt perspiciat, quâ vi polleat, & quidquid voluerit ita canat, vt nunquam aliquam syllabam, vel dictionem per quartam deprimat, vel eleuet, quando per solum ditonum, vel tonum deprimi, aut eleuari postulat, nunquam etiam thesi vtatur, vbi arsis requiritur. Vbi verò illa omnia, quæ physicam, atque medicinam spectant, expleuerit, tutò partem mathematicam aggrediatur, quæ sonorum omnium arithmeticas, geometricas, & harmonicas proportiones exploret, & ostēdat, qua proportione debeamus ex vna cōsonātia, vel interuallo quopiam sonoro in aliud progredi: quod Salinas ex aliqua parte tetigisse videtur, vt patet ex tabella, quam ad articulum 2 attulimus. Huc illæ regulæ, & analyses attinent, quibus singulas proportiones harmonicas inuestigamus, diuidimus, multiplicamus, substrahimus, &c. de quibus Salinus, Zarlinus, Clauius, & alij cum Boëtio diuersas regulas præscripserunt.

Pauca hîc addam præter ea, quæ ad finem præcedentis articuli allata sunt, vt nihil ignorent musici, quod ad instaurandam musicam necessarium esse videatur. Certum est autem maximam musicæ vim, & pulchritudinem in illa parte reperiri, quæ vulgò cantus appellatur, in quo præsertim modus, & rythmica locum habere debet, quem certum est varijs modis concini posse: inter quos si musicus omnium pulcherrimum, & verbis decantandis aptissimum eligat, non video quid vlteriùs ad musicæ perfectionem inquiramus. Videat igitur primò Musicus per quod systema cantilenam currere voluerit, num per dis, vel tris diapason, num per diapason diapente, vel per solum diapason, aut diapente, vel per aliud quodpiam interuallum. Secundò perspiciat, quo musicæ genere vti velit. Quibus suppositis omnes modos ita reperiet, quibus exempli gratiâ psalmus hic, *An son tample sakré, &c.* quem suprà musicè protulimus, cani possit. Supponamus igitur versum illum per diapason 8 sonos continens efferri posse, dico 247

cantibus

cantibus diuersis obnoxium esse: si verò per diapason diapente versum extendere velis, seu per duodecimphtongo, 4083, si per disdiapason seu 15 voces idem canatur, 32752 modis varijs eundem psalmum, imo & eandem syllabam canere poterimus. Quid si tonum in 12 partes secare voluerimus Græcorum instar, vt priùs ostensum est? Et quidem non omnes tonos in ista dodecatemoria secari postulo: mihi concedatur vnicus, cuius si 12 partes 15 phtongis disdiapason coniunxeris, ingens profectò numerus diuersorum cantuũ exurget, quibus versiculus vnus cani possit; tunc enim si tonum illum in 12 partes diuidendum è disdiapason tollas, supererunt 14 soni, qui partibus illis 12 additi facient 26, ac proinde illa 26 interualla, & per consequens cantus 134217701 variabuntur. Iam inter omnes illos cantus eligant musici, quod verbis aptiùs congruat, qui si per solum diapente cantilenam efferre voluerint, præstantiorem cantum faciliùs probabunt, tunc enim 16 cantus variari poterit. Nisi cum diapente notarum repetitiones addas, si enim in singulis syllabis notas 2, 3, 4 aut etiam 5 singulas vel semel, vel sæpiùs collocare vis: si præterea longis, breuibus, semibreuibus, minimis, fusis, & semifusis notis vtaris: si denique rhythmum varies, immensus numerus possibilium coniunctionum resultabit, quas neque singuli mortales in hoc vnum intenti vnquam experiri poterunt. Quod satis ostendit in vnaquaque scientia, & in singulis creaturis aliquid abditum esse, quod soli Deo rerum omnium creatori patet, vt etiam recentiores in harmonia, & omnes docti libertimè fatentur, vt hinc quispiam Atheos omnes refellere valeat, cùm enim homo sit musicâ, & singulis artibus præstantior, vnde fit, vt illas minimè complecti, & intelligere possit, nisi quia ab eo non pendent, sed ab alio, qui sit artibus, & homine longè superior?

Diapason diapente quoties variari queat.

Quot modis aliquid cani possit per disdiapason.

Diapente quoties variari poterit.

Verùm omnes Musicos aduertere velim non ita inhærendum esse numeris, vt statim rem eo modo se habere credant, quo numeros esse viderint, quippe qui nihil ad vim musicæ faciunt, sed tantùm vt res priùs inuentæ faciliùs concipiantur, & exprimantur. Quapropter omnia priùs in sonis obseruanda sunt, quàm vt de musicæ perfectione statuamus; plurima siquidem docet experientia. Vnam hîc referam, quam I Titelouzius egregius ερμηνευτής in rebus musicis eruditissimus, & in organis Iubal alter circa tubam obseruauit, quâ si quis ita cecinerit, vt grauissimum sonum edat, si postea canere velit acutiùs, per diapason, id est 8 sonis altiùs, quàm antea; si octauam superare velit, per diapente: si diapason diapente supergreditur, id per diatessaron, deinde per ditonum, semiditonum, tonum, & semitonium fiat; vnde concludendum existimat istorum interuallorum consequentiam, & ordinem ex ipsius naturæ sinu depromi. Cancellos item papyraceos solummodo tremuisse aduertit, cùm certo vocis tenore verba quædam pronuntiaret; qui nunquam alioqui tremerent, quotiescunque eadem verba alio tenore proponeret. Simile quidpiam Iacobus Môduitus se non semel expertum esse ait in quibusdam templis, in quibus cùm certus organorum tubus audiebatur, ingens lapis pedibus subditus mouebatur. Aduertit etiam in ædibus D. Antonij violam vnam inter plurimas licet illâ fortiores, atque maiores tantum valuisse, vt neruus vnus plectro percussus circa fornicem aberrando gratissimum atque perfectum concentum efficere videretur, quod cæteris minimè contingebat. Profectò non semel obseruaui vnius campanę sono 3 partes musicæ reddi, bassum qui erat primus, atque proprius sonus, diapente, & diapason; diatessaron etiam & ditonum puto me quandoque distinxisse: quod & in organorum tubis, & in alijs instrumentis, imo & in voce obseruari posse credidero, quandoquidem ratio communis est, id nempe fieri, quia aër non vniformiter, sed difformiter percutitur, atque frangitur à varijs partibus mallei campanę; ad quod etiam variæ partes illius densiores, rariores, magis, vel minus politæ, ex molliori, vel duriori materia conflatæ non parum conferunt. Idemque de tubis organorum, & violarum neruis, voce &c. dicito. Huc etiam varia loca reflectentia tam in oris palato, quàm in vrbibus, & aëris varij motus conferunt. Quæ omnia satis ostendunt musicæ, vel sonorum vim maximam, vt iam nemo mirari debeat, si passiones animi huc illuc antiqui commouerent, cùm ipsa saxa sono prouocata, & cætera inanima moueantur.

Experientiæ variæ vim sonorum probantes de tuba, & violis.

Admirabiles experientiæ, & illarum ratio.

Insuper musici singula temperamenta quæ fieri possunt in instrumentis, explorare debent, & aduertere, quænam concordia in illis fœliciùs succedat, quandoquidem experientia docet testudinem vario modo ad concordiam redactam diuersos effectus sortiri. Reliqua in aliud tempus seruanda sunt, vt iam pauca de musica Hebræorum afferamus, vbi & alia plurima de musicorum industria dicentur.

ARTICVLVS XVII.

De Musica Hebræorum, & explicatio locorum Scripturæ sacræ, quæ de musica, & vi sonorum loquuntur.

TAmetsi mirabilis illa templi Hierosolymitani musica penitus cum ipso templo, & reliquis Iudæorum priuilegijs deleta fuisse videatur, illi tamen loco musicæ vtuntur accentibus, quorum collatione sciunt qua ratione cantum moderari debeant, vt omnes consentiunt, atque docent, qui de Iudæorum musica ex professo agunt, præsertim verò Ioannes Isaac l. 2. de accent. in fine, vbi ait illâ musicâ pios omnes auditores multum affici, & in admirationem rapi: verùm Cosdræ regis Persarum authoritate probat Iudæos non adeò nunc, ac antea præcellere, qui licet concedat musicam à Iudæis originem duxisse, & primùm apud eos floruisse, attamen suum decorem amisit, quia (inquit) eam ancillæ, & homines nihili exercent, Isaac verò nos ad Capnionem remittit. Paucis omnia complector, quæ de hac musica vulgò feruntur. Vbi aduertendum est accentus musicos à grammaticis figurâ non distingui, sed vsu duntaxat, enimuero cùm grammatici proprias musi-

eorum notulas non haberent, grammaticos accentus vſurparunt, adeout vbicunque grammaticus ſyllabam eleuandam cenſeret, muſicus canendum duceret, vel contra quibuſdam exceptis.) Muſicum accentum נגינה ſeu modulum appellāt, qui non vnicum ſonum, vt noſtræ notæ *vt, re, mi, fa &c.* ſed totum vnius, aut plurium dictionum cantum refert, itaut ſuâ figurâ canendi modum aliquo modo repræſentet: vnde Blebelius cum aliis colligit primùm à muſicis accentus illos inuentos: poſtea verò ad ſimplicem pronuntiationem traductos fuiſſe. Hos autem accentus muſicos in ſolis biblijs inueniri aiunt. Sed cùm incerti ſimus num Iudæi ante natalem Chriſti accentibus illis vterentur, quos iam vſurpant, non eſt, quod huic muſicæ diutiùs inhæreamus; tantummodo Iudaicorum tonorum vnicum exemplum afferam, in quo perſpicias, quem cantum ſinguli accētus tam reges, quàm miniſtri apud illos ſignificent; vbi 4 muſicæ partes apponere nolo, quas apud Capnionem loco cit. videre eſt, ſi Muſicam ingratam, & non ſine grauibus erroribus compoſitam videre cupis. Itaque cantus ſimplicis exemplo ſolùm vtemur, ita tamen vt muſica literata vti velim, vt quiſpiam hoc muſicarum notarū genus in promptu habeat, quotieſcunque verſus proprios aut quid ſimile muſicâ, notiſque muſicis ornare, & ornatos typis vulgaribus cuiuſpiam Typographi exprimere voluerit, alioquin enim muſici typographi pauciores ſunt, quàm vt illorum induſtria paſſim adeſſe valeat. Fœlix ille, qui mirabilē templi Hieroſolymitani muſicam reſtituet, vt omniū fidelium mentes ad cœleſtia deſideria erigat; fœlix, qui muſicis perſuadebit, vt nūquam vllo concentu niſi in depromendis numinis diuini laudibus vtantur; fœliciſſimus, qui cœleſti fruetur harmoniâ, qua beati Deum omnipotētem collaudabunt, iuxta id pſal. 83. *Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſecula ſeculorum laudabunt te.* Interim Iudaicæ muſicæ reliquias accipe.

Regum toni, ſeu נגינות מלכים

RFMSLSM3 VRFMSLSM3
FVI FSFSLFVFFo FV
1 שַׁלְשֶׁלֶת 2 פָּזֵר
RF4
FLLLFV FSFSLFVFFFI RFMFLMFMFI LFSLFFI ILFFI
3 קַרְנֵי פָרָה 4 תְּלִישָׁה 5 זַרְקָא 6 גֵּרְשַׁיִם 7 גֵּרֶשׁ

FRLFFFI FLSSI VVRFMFSI SFSFI FSFI ISFI
8 זָקֵף גָּדוֹל 9 זָקֵף קָטוֹן 10 רְבִיע 11 סוֹף פָּסוּק 12 אַתְנָח 13 פַּשְׁטָא

RFF FRVI FVI FRI FFI IFFI
14 טִפְחָא 15 תְּבִיר 16 יְתִיב 17 לְגַרְמֵיה 18 פְּסִיק 19 סֶגוֹל

Toni miniſtrorum, ſeu מְשָׁרְתִים

VRVRMFVI1
FLFSLFRVRFLFI FSFSLLFSFSLLLI FSFSLLI IFLFSLFFI
1 דַּרְגָּא 2 תַּרְסָא 3 יֶרַח בֶּן יוֹמוֹ 4 מֵירְכָא כְפוּלָה 5 מְכַרְבֵל

SLFF SLFI FRLFI SRI SFI RFFI
6 עִלּוּי 7 מוּנַח 8 מַהְפָּךְ 9 קַדְמָה 10 מֵירְכָה פְשׁוּטָה 11 מְאַיְלָא

Hi ſunt toni, ſeu modi, quibus Iudæi in ſuis ſynagogis vtuntur; præter quos Picus Mirand. in apol. c. de magia naturali, & cabala ſequentes numerat נשא *neſa*, quo canerentur odæ, נאם *neym*, cum organo confunditur. Per מזמור *miſmor* pſalmi, orationes per תפילה *tephila*, per שיר *ſir* cantica, benedictiones per ברכה *beracha*, per הלל *hillel* laudationes, gratiarum actiones per ידדיה *iedidia*, per אשרי *aſre* fœlicitas alicuius, laudes Dei per הללויה *hallelouia*, quod ſi velut *eſoph* conſtituas, pro decimo modo מכיל *maskil* ſtatuetur, per quod contemplationes canentur. Quibus vides modos, inſtrumenta, & id quod canitur, eadem nomina ſortiri.

Plura non addam, quandoquidem recentiores Iudæi, & Rabini hoc ſæculo imperitiſſimi ſunt, & cum eorum templo, atque ſacrificijs omnes ſcientiæ perierunt, vt ſingulis tam corporis, quàm animi ornamentis ſpoliarentur, qui Chriſtum Dominum vitâ ſpoliauerant, & omnes ſcientias amitterent, qui ſcientiarum Deum è medio tollere conati ſunt. Non eſt autem quòd in notis diutiùs verſemur, quibus omnes nationes vtuntur, cùm id vel nihil, vel parum ad muſicam intelligendam facere videatur. Itaque ſua ſibi ſigna Chaldæi, Arabes, & Græci ſeruent, alijs enim pro libito, vt hiſce literis, quas ad horum accentuum Hebræorum melos exponendum exhibui, vel numeris, vt priùs dixi, vel Guidonicis, vel alijs quibuſcunque vti poſſumus. Quemadmodum verò vulgaris iſta Iudæorum muſica, quæ à noſtris recentioribus mutuò ſumpta, quamuis ſatis infœliciter, nihil ſapit, quod viris doctis placere poſſit, ita veterem illam Iſraëlitarum admiror, cuius vel apotome vtinam inueniremus. Profectò non eſſet, quòd vllus Græcos conſuleret, cùm ad vnius pſaltis præſentiam prophetiæ donum à Deo ſuſciperetur, & ad citharæ, vel pſalterij ſonitum ſtupenda contingerēt, vt patet ex Eliſeo, qui vt Ioſaphat regi Iuda, Ioram regi Iſraël, & regi Moab ſiti laborantibus aquam

3. Reg. 4. aquam tribueret 3. Reg. 4. ver. 15. priùs sibi psaltem adduci iubet. *Cumque caneret psaltes, facta est super eum manus Domini, & ait. Hæc dicit Dominus: facite alueum torrentis huius fossas, & fossas. Hæc enim dicit Dominus: Non videbitis ventum, neque pluuiam, & alueus iste replebitur aquis, & bibetis vos, & familia vestra &c.* quæ ibidem legere poteris.

Eapropter ab ijs locis exponendis sumam exordium, quæ prophetiam vi concentus musici prophetis contigisse vel insinuant, vel affirmare videntur. Locus est insignis 1. Reg. 10. ver. 5. vbi Samuel ad gregem prophetarum misit Saülem vnctum in regem, qui cùm occurrissent, & ante eos psalterium, & tympanum, & tibiam, & citharam, ipsósque prophetantes vidisset. *Insiluit in eum spiritus Domini, & prophetauit in medio eorum*, vt vers. 10 legimus; & 12. *Propterea versum est in prouerbium. Num Samuel inter prophetas?* Paralip. 1. c. 25. filij Asaph, & Hemam, & Itiphum in ministerium à Dauide segregati prophetabãt in citharis, & psalterijs, & cymbalis. Huc omnia scripturæ loca referre poteris, quæ simile quidpiã afferunt, quippe quæ eodem modo intelligi debent, ideóque plura non exscribã, iam enim initio quæstionis alia duo attuli, quæ vim citharæ Dauidicæ malũ spiritum à Saüle repellentis, & tubarum efficaciã insinuarẽt: quarum clangore muri Ierícho corruisse videntur, quę ad triplicem effectum musicæ discutiendũ nos prouocant, quorũ primus ad prophetiã, secundus ad morbos, vel dæmones expellendos, tertius denique ad aliquid concutiendum & agitandũ pertinet; quibus vbi satisfactum fuerit, non video quid à nobis in præsenti requiras. Vt ergo ad prophetiã accedamus, breui discutiendum est, quid illis locis per prophetiam, & prophetiare intelligatur, alioquin enim cùm illa verba varias explicationes patiantur, facilè possemus aberrare. Itaque prophetia significat illam rerũ futurarũ præsensionem, atque prædictionem, vel instinctum Dei, quo quis afflatus secreta cordis, vel alia arcana reuelat, quæ viã naturali sciri nequeunt, adeout qui illa arcana, & consilia Dei per afflatũ Spiritussancti sine proprio labore nouit, propheta dicatur; qua ratione doctores, & cõcionatores, qui ex instinctu diuino ea docent, quę ad numinis diuini cultum attinent, & qui vi spiritus eiusdem arripiũtur, vt Dei laudes hymnis, & canticis celebrent, prophetæ dicuntur. & huiuscemodi canentium filij, prophetarum filij nuncupantur, vt 4. Reg. passim videre est: adeout ipsi cantores, qui psallebant, prophetæ dicti sint 1. Paral. 25. quo sensu si Saülem prophetasse dixerimus, mirum non erit, cùm id naturale sit, vt quis libentissimè canat, dũ inter musicos, & eos, qui diuinas laudes celebrant, inueniuntur. Dicuntur etiã prophetæ qui ex mali spiritus afflatu insana effutiunt, vt idẽ Saül 1. Reg. 18. quo sensu poëtæ furore aguntur, dum aiunt cum Ouidio 6. Fastor.

1. Reg. 10. — Effectus musicæ ad tria capita reuocati. — 1. Paral. 25. — Prophetia, & prophetare quot modis sumatur. — 1. Paral. 25. — 1. Reg. 18. Ouid.

Est Deus in nobis, agitante calescimus illo,
Impetus hic sacræ semina mentis habet.

Ad Tit. 1. Et Epimenides poëta ad Titũ 1 propheta vocatur. Addе si vis miraculorum exhibitionẽ prophetiam appellari, sic enim Eccl. 48 Helisęi corpus prophetare dicitur, quia contactu mortuum suscitauit 4. Reg. 13. corpus verò Ioseph prophetiã confirmauit. Eccl. 49, quia eius ossa cum Hebræorum castris ex Ægypto egressa sunt. Cùm autẽ musica facilè inducat aliquẽ, vt canat, imo plurimi non rarò etiam nõ aduertẽtes canant, si quẽ concinentẽ audierint, iam nõ sequor illorũ sententiã, qui volunt Saülẽ eo tantùm sensu prophetasse, quòd cum illo prophetarũ cuneo cecinerit; nisi fortè dixeris in hoc miraculum fuisse, quod ea bellè caneret, quæ priùs nesciebat, quæ tunc diuino numine illustratus didicerit. Vbi aduertendum est simplicem laudũ diuinarum cantum 1 ad Cor. c. 11 prophetiã appellari, quando mulier non velato capite orans, vel prophetãs caput suũ deturpare dicitur. Denique qui de rebus diuinis in ordine ad pietatẽ scribunt, disserunt, vel seriò meditãtur, aut sunt Dei internuntij, vt Moyses, & Aaron, vel facto, aut voce Deum laudant, in scriptura prophetæ nuncupantur, quia prophetæ cãticis vaticinabãtur, & prophetiæ canticorũ similitudinem habere videntur. Hîc autem suppono loca illa, quæ hîc aggredior, de rerum futurarũ, vel secretarũ, & nondum cognitarum notione intelligi, vt Saül vel ea, quæ antea nesciebat, vel saltem cantũ, quem nesciebat, aliorum Leuitarum instar, protulerit, vel etiã futura quædam de rebus diuinis prænuntiarit: alioquin enim nulla est difficultas à fidicine aliquẽ ad Dei laudes celebrandas excitari posse: non quod illa loca, vel saltẽ quędam ex istis sensum illũ non patiantur, sed vt nobis ipsis maiorẽ difficultatẽ creemus. Quomodo igitur fidicen ad prophetiã excitare potest? An quia facultates animi cithara cogit, & eas ab exterioribus auocans in animæ centro figit? An quia mens supra se velut attollitur, & dũ harmonię communi intendit, cõcentus intelligibiles ei cõmunicantur, adeout ipsa futura prædicere valeat? quid obsecro magi, & cabalæ magistri respondebunt? Nunquid intellectum agentem harmoniã dispositũ, & extra se positum ipsi diuinæ intelligentiæ coniungi?

Eccl. 48. & 49. — 4. Reg. 13. — 1. ad Cor. 11. — An & quomodo musica ad prophetiam excitet.

Profectò si magos audiam, scio illos respõsuros ex tripode stantẽ animã, à qua totius magię virtutẽ hauriendam esse nugantur, esse in causa, cur Saül accinente fidicine propheta fieret, enimuero putãt animam pro varijs furoris gradibus mira efficere, adeout animus furore musico percitus è custodito carcere egressus membrorũ vinculа nullo cohibẽte transgrediatur, & diuino spiritu concitatus omnia cõprehendat, & futura prçuideat, ac si Musarũ furor per cõcentũ superiora traheret ad inferiora, & mentẽ hominis diuinã efficeret: quapropter cęlos nouẽ constituũt, quibus 9 musas, velut animas prçficiũt, rati se omnia explicare posse, quęcunque proposuerit aliquis, cùm ex singulis rerũ omnium gradibus superiora versus inferiora se trahere mẽtiãtur: propterea ☽ vegetabilibus, animalibus ☿; subtilissimis pulueribus ♀, solẽ vocibus, & cantibus: vehemẽtibus animi cõceptibus, & affectibus ♂, ♃ ipsis discursibus, contẽplationibus ♄, annulis firmamentũ, occultis denique intelligentijs & cęteris mysterijs primũ mobile præesse supponunt, vt nihil superesse possit, quod in furorẽ musarum non reijciãt, nisi fortè quod furori Dionysiaco, Apollineo, atque Venereo subijciũt. Hęc est insignis illa malitia dęmonũ, qui vt homines absq; Deo faciat, suadet à sideribus omnia profluere, vt sicut gentiles cacodæmonem sub figura Apollinis, Iouis, & aliorũ fabulosorũ Deorum venerabãtur, nunc sub astrorum titulo, & velut omnes scientias ab ipsis Musis edocti eundem sathanam cultu prosequantur. Hinc fit, vt fatidicos spiritus Abrahæ, Semo, Mosi, Dauidi tribuant, quorum aliquis in Saülẽ insiluerit, iuxta id Apollinis apud Porphyriũ.

Magorum opinio de vi musicæ. — Falsum est quod mens egrediatur. — Musæ cœlis præfectæ, nullæ sunt. — Dæmonis malitia. — Porphyrius.

Carminibus domitus Phœbus, nam fulgur ab alto
Defluxit, tacitus purumque per aëra vectus,
Afflatu spirans, labensque in corda sonoro,
Et subijt mentem innocuam, sanctique capacem
Numinis, & peperit mortali ex gutture vocem.

Itaque vt breui mentem illorum circa Saülis prophetiã, & vim prophetandi, quã per concentũ harmonicũ effici putant, aperiã: volunt mentem concẽtu percepto cœlestẽ harmoniã meditari, & illico dulcedinis illius suauitate allectã, quia recordatur, quã admirabilis sit illa musica sphærarũ cœlestiũ, è corporis vinculis auolare, donec futurorũ cognitione repleta redeat, & totũ corpus agitet, & veluti furore corripiat. Quæ omnia refellere nõ vacat, tum quia fusiùs, & cõmodiùs illud alibi fieri poterit, tũ quia satis ostendunt suã falsitatẽ, vt ea prodidisse, magna ex parte confutasse fuerit: tum quia iam suprà discussimus, qua ratione res inferiores astris subderentur. Dico igitur nullas musas cœlos animare, nulla sidera menti, rationi, vel animæ præesse, nihil esse in toto cœlorũ ambitu, vel inter ipsa sidera, quod prophetiã ad nos deducere valeat: quapropter singuli huiuscemodi fabulas, vt dæmonũ, & impiorũ inuenta repudiare debent, & credere nihil prҫter Deũ omnipotentẽ animæ rationali dominari. Ne verò rerũ diuinarũ, & cultui diuino seruientiũ imagine decipiaris: si quãdo cæremonijs nostris Magos abuti videris, aduerte dҫmonẽ nulli rei magis studere, quàm vt cultũ Deo debitũ in se transferat: hinc fit, vt contemplationẽ, & animi puritatẽ, nec non ieiunia, & multas externas obseruationes à magis requirat, vt ea ratione incautos, imò si potest fieri, prudentes, atque pios decipiat. Quod vt cautiùs peragat, eadem postulat, quæ à Christianis fidelibus fieri perspicit, sic enim magi facilè nobiscũ versantur incogniti, & cultũ dҫmonis sub pietatis titulo propagare nituntur. Quҫ hîc ad omniũ cautelã, & Christianã prudẽtiã dicta sint.

Refelluntur magi

Nota.

Opinor igitur musicã eatenus duntaxat prophetiam iuuare, quatenus animũ attentum reddit, & à quibuslibet alijs cogitationibus reuocat, vt vnico concentui vacet: sic enim fidicines, & citharistæ aiunt se nunquã fœliciores esse, quàm vbi testudine cantũ exprimunt: non quod Deus illa præparatione indigeat, sicut nec somnio, vt aliquid reuelet & animũ illustret, sed vt aliqua ratione se rerũ ipsarum naturis accõmodet, quocirca sæpiùs in veteri testamento psalmicine prophetas vti voluit, vt animus ad harmoniã comparatus diuinũ influxum exciperet, quẽ nullæ imaginationes, & rerum caducarum phantasmata interturbarent. Ita igitur Saül, ita prophetæ disponi potuẽre. Quæ forsitan aliquando fusiùs agitabimus: nec enim desunt pulcherrimæ congruentiæ, ob quas Deus harmoniæ sese accõmodet, vt quod ordinis qui in concentu reperitur, & proportionis sit amicissimus, cùm anima Deo grata mirabilẽ proportionẽ, & ordinem in se habere debeat. Sunt qui putent tunc cecidisse prophetas, cùm eis Deus aliquid reuelaret, vt priùs turbari, & extra se positi nescirent, qua ratione diuino numine afflarentur, nec enim Deus omnia opera sua nobis cognita esse patitur. Quod mihi reuocat in memoriã plures aliquo morbo diuinitus liberatos, qui fatentur se ita cõmotos, & agitatos fuisse, dũ cura facta est, vt vix scirent, vbinam degerẽt, & num persanati essent, necne. Fit autem casus, cùm mẽbra spiritu, atque calore destituũtur, quod cõtingere potest, dum aliquis harmoniâ excitatus ad cerebrum, præsertim verò ad auditum suos omnes spiritus pro viribus reuocat, vt voluptate fruantur, quæ per illã partem ingreditur, qua spiritus illos detinẽte, reliqua mẽbra ita debilitantur, vt corruat homo, & tunc spiritibus illis collectis, qui illuc confluxerãt, Deus vti potest, vt menti futura, vel arcana suggerat, vt ibi diuini afflatus incipiant, vbi humana cessat operatio, ne forsitan causis naturalibus, vel mentis alicuius excellentiæ prophetia tribuatur. Nec est quod obijcias idem apud Olaüm de pluribus referri, qui magi existimantur, quos post casum de pluribus garrientes audias, quæ priùs nesciebantur, cũ ante illud idem monuerim, vt caueres à cacodæmone, qui velut angelum lucis se conspiciendum obijcit, vt incautos decipiat; sed nulla futura magum furore correptum docere potest, quæ vel à Dei, vel ab hominis pendent arbitrio, sed ad summum ea, quæ ex rerum naturalium coordinatione fluere possunt. Scio non deesse, qui putent in aëre quandã esse rerum omnium panspermiã, vel ideam, siue sit vniuersalis anima, siue cœlorum influxus, siue atomi, quibus reciproca fiat affectuũ, & conceptuũ communicatio, adeout naturaliter quępiam longissimè remota se cognoscere posse arbitrẽtur: quæ omnia cùm falsa sint, nõ est quòd ijs immoremur: tametsi enim superioribus lationibus inferiores cõnectantur, & ab illis regantur, & plurima supersint, quæ aëris, & astrorum ope fieri, & sciri possunt, quę tamen hîc nunquã detegentur, falsum est rerũ futurarum cognitionem ab aëre, vel cœlis hauriri posse, cùm à libertate pendent, quippe quæ ab astris, vel vllis causis naturalibus minimè regitur, vel eis subditur. Quamuis enim rerum visibilium species in aëre recipiantur, & illarum ope nobis ea manifestentur, quæ alioquin videre non possemus, vt patet cùm catoptricis, vel dioptricis instrumentis ea detegimus, quæ domus, vel parietes occultabant, siue id per alicuius parietis reflexionem contingat, siue radijs solaribus speciem huc illuc superius, & inferius transferentibus, attamen actiones liberę nullam sui speciem in aërem immittunt, ac proinde videri nequeunt, siue pręsentes sint, siue futuræ. Hîc catoptricos, & philosophos inquirere velim, num aliquorum speculorum, vel perspiciliorum beneficio ea spectari possint, quæ multis parietibus, aut alijs obicibus interpositis à nobis longè distant. Cùm enim aër obiectorum speciebus fœcundus vbique diffusus sit, & sit partim diaphanus, partim etiam opacus, maximè cùm à vaporibus condensatur, à quibus ille, quem spiramus, nunquam liber est, forsitan species illas in oppositum speculum reflectere poterit. Quod si contingat, non video quid repugnet, quominus ea, quæ non solùm in tota vrbe fiunt, videantur, dummodo inter obiecta, & speculum repræsentans liber aditus aëri, vel solis radio pateat, qui transferat obiectorum species per quotcunque volueris reflexiones, atque refractiones in speculum expositum, sed etiam quæ fiunt apud Antipodas, & in toto mundo, cuius partes aër connectere videtur, adeout rerum omnium influxus maritet, & mutuam rerum inferiorum, atque superiorum actionem foueat, & huc, atque illuc transferat. Aër fumis quibusdam vt peti, hyoscyami, filicis, aut alijs quibuscunque iuuari poterit, vt densior effectus rerum imagines efficaciùs referat, reflectat, & transmittat. Quo fortè modo nonnulli magi esse iudicantur, dum in aulis, & cubiculis varia spectra diuersis fumis picis, aquę ardentis, & aliarum rerum ope referunt, adeout astantes mortui, asini, vel alterius animalis capite videantur, & totam aulam in flumen succrescere existimes. Omitto quòd aliqui asserunt se aërem lapidis instar solidum efficere posse. Sed hęc aliàs. Qui animam mundi intelligentem constituunt, putant animum hominis per harmoniam excitari esse

Harmonia quomodo prophetiæ seruiat.

Olaüs.

Catoptrica experientia mira.

esse illius particulam, quæ, dum à phantasmatibus corporis absoluitur, eiusdem cognitionis particeps efficiatur, quam habet illa; cum enim asserant totum corpus, totumque mundum ab illa anima penetrari, solùm requirunt, vt singulorum animę ab omni liberentur impedimento, vt eadem cognoscant, quę vniuersalis anima nouit. Verùm priùs demonstrandum esset illam animam Platonicã non esse fictitiã, quod nunquam facient. Huc referre possis alios, qui totius mũdi virtutẽ in anima nostra includũt, adeout illã omnia cognoscere velint, cùm seipsam contemplatur, & omnibus exterioribus relictis ad centrum mentis se recipit, quorum aliqui intellectum agentem à phantasmate liberant, etiamsi versetur in hoc corpore, vt sine conuersione ad corporeas species intelligere possit: alij statuunt in anima rerum omniũ species concreatas, quibus homo ipsa futura videat, dum per harmoniam à rebus exterioribus anima reuocatur: qui omnes non magis placent, quàm præcedentes, cùm falsitate nitantur. Ad summum igitur harmonia prædictis modis hominem disponit, vt illustrationes diuinas congruentiùs excipiat, licet Deus pro libito possit alicui prophetiæ donum sine musica, aut alia dispositione tribuere. Omitto plurima, quæ hîc discuti possent, vt num concentus harmonicus aliquam similitudinem cum illustratione prophetica habeat: num animam ad certum ordinem redigat, qui prophetiæ sit amicus, &c. vt ad 2. effectum accedam, si priùs aduertas in harmonia ad prophetiam disponente non solùm musicam, sed & verba, quæ canebantur, spectanda esse: certum est enim prophetas illos cantica, & similia cecinisse, quæ diuini numinis laudes, atque prodigia continerent, quibus ad altissimas contemplationes excitati, ad prophetici spiritus radium suscipiẽdum præpararentur, ad quem nullus videtur aptior, quàm vbi se totum contemplationi tribuit, quæ idem respectu prophetiæ dici potest, quod elementa cum cœlo, vel anima cum angelis, vel gratia cum gloria, vel fides cum lumine gloriæ, vel cogitatiua cum rationali, vel metaphysica cum theologia comparata, vt vbi vnum ex istis desinit, aliud ibidem incipiat, & contemplationis, raptus, & ecstasis supremum dicatur infimum prophetiæ, quæ tota in Deum refundenda est. Non est autem perpetuum, vt psaltes cecinerit, cum alicui prophetiæ Spiritus immissus est, vt patet ex multis scripturæ locis, & ipse Dauid 1. Reg. 16. spiritum illum suscepit, postquam à Samuële vnctus est, licet ibi nullus psaltes, nullàque musica proponatur. Cap. 19 lictores Saül videntes cuneum prophetarum vaticinantium, prophetare cœperunt; imo cùm ipse in Naioth in Ramatha ad capiendum Dauidem venisset; prophetauit, adeout se vestimentis suis spoliauerit, & nudus tota die, atque nocte ceciderit, vbi nullius musicæ commemoratio. Hinc concludere potes, quod antea de casu prophetarum insinuauimus, quorum corpus ob spiritus ad cerebrum confluentes debilitatum corruebat, vt etiamnum in ijs contingit, qui in ecstasim rapiuntur, qui ob spirituum absentiam vix sentiunt. Hîc autem notare iuuabit Prophetarum morem, qui, vt aliqui sentiunt, inter duo clathra dormiebant, vt Deus in somnio voluntatem suam illis reuelaret; qua ratione versiculum 14 psalmi 67 explicant; *Si dormiatis inter medios cleros*; ac si diceretur, si iacueritis super clathrum inferius, quod

1. Reg. 16. & 19.

Psal. 67.

strati vices suppleat, & aliud clathrum instar conopæi caput vestrum tegat, dorsum vestrum auri pallorem imitabitur, ob lampadis radios, qui per superioris clathri foramina, velut per cancellos penetrabit; lampas enim superiori clathro imminebat, dum propheta dormiret: de quibus eruditum Iacobi Bolduci commentarium in Iob, quem breui daturus est in lucẽ, consulere poteris.

Secundus effectus harmoniæ, quem scriptura sacra proponit, faciliùs ad vsum reuocari posse videtur: quem c. 16. l. 1. Reg. vers. vltimo profert, dũ citharâ malum spiritum à Saüle Dauid expellebat. Vbi similis difficultas circa spiritum occurrit ei, quam superiùs de prophetia discussimus, cum spiritus non solùm pro Deo, Angelis tam bonis, quàm malis, anima, vento, vaporibus, & exhalationibus, & triplici corporis viuentis animali, vitali, atque naturali, sed etiam pro morbis, sicut & pro vitijs, & pro donis, atque virtutibus sumi possit: vt enim spiritum timoris, & amoris, ita spiritum gulæ, & philautiæ dicimus. Verùm ne laboremus in æquiuoco, hîc spiritum malum Saülis vel pro melancholia vsque ad rabiem prouecta, vel pro cacodæmone corporis humores agitante sumo, ne per omnia mihi currendum sit; ita tamen, vt quæ de melancholia dixero, ipsi dæmoni applicari valeãt, quatenus vtitur illa, vt nos torqueat, & humores alios perturbat, ne mens imperet.

Nonnulla principia Picus affert, quibus hic vti possumus, qualia sunt, quæ 7, & 8 thesi mathematicâ proponit, musicam videlicet mouere spiritus, vt seruiant animæ, sicut medicina eosdem agitat, vt regant corpus, & musicam sanare corpus per animam, quemadmodum medicina curat animam mediante corpore. Iuxta mathesim Pythagoricam, rationem ad concupiscentiam habere proportionem diapason: irascibilem ad concupiscibilem rationem diapente; rationem ad iram proportionem diatessaron. Quibus positis inuestigare possumus, qua ratione Dauid Saülem furentem reprimeret. Et quidem præter illas proportiones Pythagoricas Astrologi voces, & concentus astris subijciunt, ac si quis per concentum virtutem siderum ad nos trahere possit. Ita Dauidem aiunt sidus illud cognouisse, cui concentus iungendus esset, vt Saülis phrenesis retunderetur, & se leuiùs haberet. Quæ vt meliùs intelligamus, sciendum est illos tribuere Saturno voces tristes, raucas, graues, & tardas, ac velut in centro positas; asperas verò, minaces, acutas, veloces, & iracundas ♂; ☽ medias: Ioui concentus iucundos, constantes, & graues; venerabiles, & cum gratia dulces, & puros soli: ♀ lasciuos, & in circunferentia dissolutos; remissiores, & cum strenuitate lætos ☿, ita tamen vt tonus Musis 9 obtemperet, & ♃ diapason diapente, sol diapason, & disdiapason; diapente Venus; ☿ diatessaron regant. Qui, ne elementa absque concentu essent, hypate terram, parhypate, vel mese aquam, paranete, vel synemmenon aërem, nete vel diezeugmenon, vel hyperbolæon ignem assignarunt, vt quilibet lyræ Mercurialis neruus elementum referret.

Quinam cantus planetis singulis subijciantur.

Elementorum verò qualitates 4 modis principibus accommodarunt, aquæ, & phlegmati Dorium; phrygium igni, & choleræ; sanguini & aëri lydium; denique mixolydium atræ bili, & terræ. Quos postea modos in cœlum ipsum transtulerunt, dum Vraniæ, seu octauo cœlo in mese

hypermixolydium: in lichanos meson Polymniæ, & ♄ mixolydium: in parhypate meson Euterpe, & Ioui lydium: Erato, & ♂ phrygium in hypate meson: in lichanos hypaton Melpomene, & soli Dorium: Terpsichore, & ♀ in parhypate hypaton hypolydium: Calliope, & ☿ in hypate hypaton hypophrygium; Clio denique cum luna in proslamuanomenos hypophrygium tribuerunt, & ad silentium terrenum Thaliam redegerunt, quæ sequentibus distichis expressere.

Germinat in primo nocturna silentia cantu
Quæ terra in gremio surda Thalia iacet.
Persephone, & Clio spirant, hypodorius ergo
Nascitur, hinc ortum Proslnelédes generat.
Dat hypochorda sequens phrygium, quem parturit ipsa
Calliope, interpres parturit ipse Deum.
Tertius ostendit hypolyda exordia neruus,
Terpsichore occurrit, ordinat alma Paphis.
Melpomene, & Titan statuunt mihi crede modũ, qui
Dicitur in quarto Dorius esse loco.
Vult Erato quintum Phrygio præscribere neruum,
Mars quoque non pacem, prælia semper amans.
Lydius Euterpes Iouis, & modulamen habebis,
Dulce terens iussit sexta quod esse fides.
Septeno Saturnus agit Polymnia neruum,
Principium mixolydius vnde capit.
Vrania octauam dum perscrutatur amicam,
Versat hypermixolydius arte polum.

Quæ omnia non minus repudio, quam ea, quæ de eadem astrologia articul. 3. dicta sunt: cùm enim hæc sine probatione dicantur, non est quod in illis refellendis aliud præter negationem afferam. Frustra itaque laborabunt harmonici, si à terra ad ☽ tonum; à luna ad ☿ semitonium; & ab eo ad ♀ tantundem; à terra ad solem diapente, à luna ad solem diatessaron: à sole ad ♂ tonum: hinc ad Iouem semitonium; tantundem à ♃ ad ♄; & à ♄ ad firmamentum: & per consequens à sole ad firmamentum diatessaron, & à terra ad idem firmamentum diapason quærant; satis enim experientia geometricæ astronomiæ docet illa spatia perperam constitui, vt ex artic. 3. & ex dictis alibi de cœlorum à se inuicem distantia constat. Idemque de proportione motuum concludendum est, quandoquidem proportio motuum ♄ ad ♃ non est dupla sesquialtera, neque Iouis ad ♂ sescupla, neque illius ad ☉, ♀, & ☿ dupla, aut eorum ad ☽ duodecupla, vel ♄ ad cœlum stellatum millecupla, & ducentupla, vt locis cit. videre est. Quapropter nunquam is ad furorem reprimendum perueniet, qui musicos concentus ad instar cœlestium componet, tum quia nulli sunt in cœlis, tum quia licet aliqui essent, nunquam hîc à nobis deprehẽdi poterunt.

Refellitur cœlestis harmonia

Ne verò supersint aliqui, qui reuocent in dubium, num saltem in elementis aliqua proportio sita sit, quam nostra harmonia imitari debeat, vel à qua iuuari possit: de elementis, æquè ac de cœlis assero non esse laborandum: enimuero Pythagorica imaginatio non facit, vt inter ignem, & aërem sit proportio dupla in basibus, sesquialtera in angulis solidis, & in planis dupla, vt diapason diapente resultet; vel vt inter aëris, & aquæ bases sit dupla sesquialtera, & inter angulos dupla; vel vt inter aquæ, & terræ bases sit tripla sesquitertia ad diapason, diapente, & diatessaron constituendum, inter angulos verò sesquialtera; vel denique vt inter terram, & ignem proportio sit in basibus sesquialtera, & in angulis dupla; nam quocunque modo spectaueris elementa, siue iuxta pondus, & magnitudinem, siue iuxta figuram, motum, & qualitates, illæ proportiones in illis non reperientur, quidquid Fludus garriat.

Harmonia elementaris quid sit.

Verùm gratis asseramus proportiones illas inter sidera, & elementa perfectè reperiri, nego tamen concentum inde proficisci, nisi ad harmoniam intelligibilem prouoces. Demus tamen verum esse concentum, minimè tamen concentus nostros ita iuuat, vt vel ad iram prouocare, vel eandem sedare possint, quot enim melodijs vtimur, vt effectus illos nobiles proferamus, qui tamen nusquam contingunt, vnde satis patet concentum cœlestem, aut elementarem non esse rationem, vel causam, cur musica nostra vim suam in animi affectus exerat. Obijcies Marsilium Ficinum virum catholicum, & eruditissimum vires musicæ in sidera referre, adeout cantibus superiores influxus attrahantur. Respondeo Ficinum quidem catholicum non esse, vbi nugas illas magicas, & astrologicas affert, & probat, vt patet ex lib. 3 de vita cœlitus comparanda, in quo characteres & imagines vim in omnia inferiora habere docet, quod singuli verè Christiani negant. Ne verò singula referam, breuiter discutiendum est, quid ille de sonis, & harmonia verum, quid falsum afferat; cætera enim, quæ ad alios sensus, corpus, & animum, & quæ ad res inferiores siue animatas, siue inanimas attinent, in examen aliâs adducemus. Itaque cap. 21 verbis magnum robur iuxta quosdam tribuit, quod probare videtur, cùm nequidem verbo illud refellat: sed hîc de vi verborum, & imaginibus nihil dicam, cùm illa omnia, sicut & Cabalistica nugamenta, & characteres, & astrologica q. 23, 24. & 50 confutarim. Solos igitur cantus hîc prosequor.

Marsilij Ficini sententia de vi musicæ.

3 regulæ pro vi musicæ.

Vt cantus vim habeant 3 regulas præscribit, quarum prima est, considerandum esse, quas vires, & effectus stella qualibet, & aspectus habeant. Secundò, cui loco vel homini dominentur, & quibus tonis hæ, vel illæ personæ, atque regiones delectentur. Tertiò quotidie siderum aspectus obseruare, & explorare, quibus sermonibus, cantibus, motibus, saltibus, & actibus homines sub hac, & illa constellatione, & sub varijs aspectibus afficiantur, vt sidereos influxus cantu imiteris, cùm hunc potentissimum imitatorem appellet, quia intentiones animi tam bellè refert, vt ad eas imitandas audientes subitò prouocet. Ideóque si cantus cœlestia imitatur, spiritum nostrum ad cœlestem influxum, & hunc influxum ad spiritum nostrum prouocari ait, quia cantus fit in aëre, qui non solum cantum, sed mentem, & affectum velut animal viuens rationale transfert: quapropter iuxta canentis imaginationem, & scopum à sidere, cui respondet, virtutem in auditorem traijcit, præsertim si cantor sit naturâ Phœbeus, atque adeò vitali, & animali spiritu abundè præditus. Si enim spiritus ex oculis exeuntes vim tantam in alienum corpus exerceant, quanto magis concentus, qui mentis ipsius vices præstant; vnde mirum non est, si cantus morbos corporis expellant, cùm in se robur, & energiam animi habere videantur, vt patet in perfectis oratoribus, qui auditores quocunque voluerint, velut aureâ cathenâ transferunt. Denique concentus

Vires cantus imitatrices.

centus musicus, qui est veluti cantoris spiritus, agit in spiritum inter corpus, & animam medium; & ista tria mirum in modum afficit. Hæc sunt ferè, quæ Ficinus habet de vi musicæ, reliqua enim superiùs allata sunt. Quæcúque verò de siderũ influxibus in cantum attulit, omnino repudianda sunt, non enim hic, aut ille cantus ad tristitiam, vel lætitiam prouocat, quòd sub hoc, aut illo siderum aspectu fieri contingat, vt patet ex eo, quòd eiusdem rei cantus, & eadem harmonia vim eandem sub varijs sideribus obseruet, vt te docebit experientia, & omnes musici confirmabunt. Fateor tamen in cantu vim illam inesse, vt in audientis animum sæpe nostros affectus transferat, & vsque ad cordis intima penetret, sensúque mores infundat, vt postea dicemus.

Certum est autem aërem esse commune vehiculum, quo nobis omnia communicantur, qui licet per se nullo sensu possit attingi, quia omni sensibili qualitate destitutus esse videtur, attamen per sonum fit sonorus, & auditu percipitur: oculus videt illum coloratum: odoratus olentem: gustus sapidum: tactus calidum, vel frigidum. Quo fit, vt aërem intellectui possibili conferre possimus, qui omnia fieri aptus est, & est in actu, cùm fit aliquid intelligendo, sicut aër est in actu, cum fit lucidus, sonans, &c. Tantisper verò propriam sententiam differo, vt aliud discutiam, quod ad Cabalistas attinet, vt monstris opinionum debellatis palmam veritati feramus. Neque enim Dauid illos siderum aspectus inspexerat, dum Saülis furorem sedauit, sed toties manu suâ pulsabat, quoties Saül imperabat, siue hic, siue alius aspectus vigeret.

Citharam Dauidicam 10 neruis instructam fuisse Cabalistæ supponunt, quod quidem psalmis confirmare possunt, in quibus toties psalterium decachordum appellatur, ideóque ἑπτάκτυπον, seu ἑπτάγλωσσον Pindari φόρμιγγα negligunt (licet 7 nerui totam vocem impleant, & 7 Græcorum vocalibus, respondeant, vt sint septem discrimina vocum) & Virgilianam fistulam, quæ fuit *disparibus septem compacta cicutis*. Sit ita Mercurij trichordon, quod 3 temporum mutationes, calidissimum, frigidissimum, & temperatum, & 2 solstitia cum æquinoctio referebat, & alium quemlibet chordarum numerum repudient: nunquid ideo cithara decem chordarum vim maiorem in Saülis furorem habitura est? Profectò siue Dauid intus sinistrâ caneret, siue foris sinistrâ plectro vteretur, & quibuscunque modis exornarent docilem garrula plectra lyram, non magis 10 chordis, quàm 24, quibus citharam nostram instruximus, Saülem leuare potuit. Quid enim obsecro 10 phtongis, quod non æque 20 fieri possit? Verùm illi mysteria quædam in denario agnoscunt, audiamus obsecro, num veram furoris expellendi rationem ex denario nobis allaturi sint.

Cithara Dauidis, quot neruis constaret.

Intus, & foris canero quid? vide Ascon. in 3. Verr.

Illi volunt Sephiroth omnes, & emanationes diuinas citharæ Dauidis præesse, vt nihil sit, quod ad musicam referri non possit.

Vt autem intelligas, quomodo Dauidis lyræ prædicta *Sephiroth* iuxta Cabalistas dominentur, sequentem tabellam affero, quæ 10 Sephiroth cum 10 nominibus diuinis, & alijs subalternis complectetur, si priùs tamen 5 neruos præmittamus à προσλαμβανόμενος vsque ad ὑπάτη μέσων inclusiuè, vt Sephiroth à παρυπάτη μέσων incipiant, & 15 phtongorum systema efficiant.

Picus Mirand de Cabala 71. conclusiones habet, vide concl. 49. 62. & 66. in quibus de Sephiroth loquitur.

Citharæ Dauidicæ nerui iuxta Cabalistas.

1	προσλαμβανόμενος.	Esse.	Essentia.	*A re*			
2	ὑπάτη ὑπατῶν.	Viuere.	Vita.	♮ *mi*			
3	παρυπάτη ὑπατῶν.	Sentire.	Sensus.	*C fa, vt*			
4	λιχανὸς ὑπατῶν.	Ratiocinari.	Ratio.	*D sol, re*			
5	ὑπάτη μέσων.	Intelligere.	Intellectus.	*E lami*			
6	παρυπάτη μέσων.	מלכות.	אדני	*F faut.*	Anima beata.		*Elementa.*
7	λιχανὸς μέσων.	יסוד	שדי	*G sol, reut.*	Angeli.	☽.	*Vegetabilia.*
8	μέση.	הוד	אלהים צבאות	*A la mi, re*	Archangeli.	☿.	*Animalia.*
9	παραμέση.	נצח	יהוה צבאות	♮ *fa bmi.*	Principatus.	♀.	*Concupiscendi vis.*
10	τρίτη διεζευγμένων.	תפארת	אלוה	*C sol, fa, vt.*	Virtutes.	☉.	*Vitalis facultas.*
11	παρανήτη διεζευγμένων.	גבורה	אלהים	*D la sol re.*	Potestates.	♂.	*Impulsiua virtus.*
12	νήτη διεζευγμένων.	חסד	אל	*E la mi.*	Dominationes.	♃	*Vis naturalis.*
13	τρίτη ὑπερβολαίων.	בינה	אלהים	*F faut.*	Throni.	♄.	*Corpus.*
14	παρανήτη ὑπερβολαίων.	חכמה	יהוה	*G solreut.*	Cherubin.	✶.	*Ignis.*
15	νήτη ὑπερβολαίων.	כתר ש.	אהיה	*A la mi re.*	Seraphin. 1. mobile.		*Aqua.*

Hoc est magnum Dauidis systema iuxta Cabalæ secretioris magistros, quo non solùm furorem, sed & omnes Saülis spiritus malignos Dauidem expellere potuisse arbitrantur. Quod mirum non est, cum illorum *Sephiroth* virtute asserant magos Pharaonis à Mose superatos fuisse: Quos per scalam Iacob, deorum multitudinẽ apud Orpheum, Hesiodum, & alios, per auream Homeri cathenam *Iliad. 8.* per varios solis radios repræsentari volunt. Arborem enim *Sephirothicam* concipiunt, in qua *Ehieh*, vel *Ensoph* pro radice constituatur, à qua per illas Dei proprietates, & nomina superiori tabellâ declarata, necnon per Angelorum ordines, atque cœlos diuini influxus ad nos vsque perueniant, si Hebræorum כונה vtaris: quod illam imaginationem, intentionem, & vehemens desiderium significat, quod magi in operationibus suis omnino desiderant. Quæ quidem breuiter oculis subijcere volui, vt videres, si vel rationis vmbrâ Cabalistæ fulciantur. Et ne iam gradus illos discutiam, quod viris in Rabinorum lectione versatis relinquo, ad quos attinet totam illam Cabalam in examen adducere: qui vtinam illam accuratè perpendant, num reuera simile quidpiam seniores in auxilium Mosi adiunctos, vel saltem Mosem, & Aaron Deus Opt. Max. docuerit.

Homerus.

An verò hæc omnia, quæ *Ziruph, Merchaua, & Sephiroth* continentur, friuola sint, atque fabulosa, vel saltem absque fundamento prolata, alibi discutiã: quæ interim hîc gratis quoad illã partẽ admitto, quæ Christianæ fidei cõgruit. Fuerint igitur illi nerui, quibus cithara Dauidica instrueretur, quã, si

lubet, intus, & foris cecinerit, quæro iam à Cabalistis, quem phtongum maximè tetigerit, dum malum spiritum à Saüle pelleret. Nunquid νήτην διεζευγμένων, cum huic chordæ *Gueburah* dominetur, & per potestates atque ♂ in facultatem impulsiuam influat? adde quòd sit in hoc neruo vltima nota diapente primæ speciei, & primi modi Dorij à C faut incipientis, qui modorum potentissimus est: & illa nota *sol* totius modi vehementior esse videtur, vt sicut ☽ *vt* fuscè mugientem, *re* ☿ tremulè perstrepentem, *mi* ♀ blandè mulcentem, *fa* ☉ temperatè succinentem, ita *sol* vehementiùs personantem ♂ tribuamus, licet eo modo *sol* pronuntiare possimus, vt suauiter personet: *la* vagè lalantem ♃: denique si vis Puteanum *bi* acutè tinnientem ♄ accommodabis, de quo fusè in *Pallade modulata*, & *Musathena*: inter quod, & *la* tonum statuit, Semitonium verò inter *bi*, & quamcúnque aliam notam quæ sequatur, vt *bi* ita sonet, *vt, re, mi, fa, sol, la, bi, vt*: vbi *la, bi, vt*, eodem modo vult efferri, ac *re, mi, fa*. Verùm his omissis ad Dauidem redeo, atque dico potuisse quidem aliquid in primo modo canere, & chordas illas admirabili industriâ pulsare, quæ modi illius cadentiæ vulgò nuncupantur, de quibus antea diximus. Quod tamen non impediebat, quominus aliorum modorum chordis, vel phtongis vteretur, quandoquidem nihil vetat, quin neruos ad alium modum spectantes pulsare valeas: imo sæpius illud necessarium, si tuos auditores mouere cupis, vt artic. 12. probatum est. Hæc sunt, quæ in Cabalæ gratiam dici posse arbitror.

Proprietates sonorũ musicæ, & quibus planetis respondeant.

Potuit etiam נצח tangere, quia victoriam denotat, & paramese neruo, atque numerationi nomen [illegible] præest: nisi malis dæmone Saülem obsessum, aut energumenum fuisse, sed furore tantummodo correptum, tunc enim neruus clementiæ μέση cum *Chised*, & El clementiam designante pulsari debuit. Verùm præ cæteris nomen *Ehieh* valebat, cum sit nomen clementiæ, atque misericordiæ, sicut Iah, & El: quapropter Mosem hoc nomine vsum aiunt, cum pro sororis suæ Mariæ lepra diuinam clementiam deprecaretur. Sed hæc omnia gratis finguntur, neque enim vlla nomina huic, aut illi neruo aptata, neque vlla sidera vim aliam in hos, aut illos sonos habẽt, quam numeri, idest nullam: numeri siquidem nihil omnino possunt, tametsi Cabalistæ, & magi formales numeros sine fronte objiciant. Vbi Musicos nostros aduertere velim harmoniæ præstantiam, essentiam, atque proprietates non esse petendas à numeris, qui ipsa harmoniâ posteriores sunt, & solùm iuuant, & afferri debent, vt ea, quæ ad Musicam attinent, faciliùs concipiantur, & explicentur. Eapropter illi musici, qui Salinæ, Zarlini, & aliorum numeris ita delectantur, vt in ijs musicæ perfectionem sitam, vel ab ijs repetendam esse putant, ab illa sententia, vt pote erronea, & vero philosopho indigna, recedere debent, quidquid subobscurè garriat audax ille Picus, cùm ait in conclusionibus mathematicis per arithmeticam formalem viam optimam ad prophetiam naturalem haberi, per quos Ioachim in prophetijs suis processerit: per quos via habeatur ad omnis scibilis inuestigationem, & intellectionem. Omitto magicas conclusiones 26, & 31 ex Orpheo desumptas, inter quas plurimæ sunt philosopho indignę: Nec est, quòd ob magni ingenij famam illa vera esse putes, quæ defendenda proposuerat, quandoquidem vel ea verbis obscurauit, quæ aliunde facilè nouimus, vt de stupendo ingenio gloriam apud homines consequeretur, vel temerè plurima effutijt, quæ non intelligebat, aut impia erant.

quas chordas suæ citharæ Dauid tetigerit, vt Saülem pacatum redderet.

Ex numeris vim musicæ perperam desumi.

Picus Mirandula arguitur.

Quod etiamnum multis huius sæculi Alchymistis familiare est, quorum ignorantiam ne detegamus, sua mysteria chymica fabulis, & barbaris dictionibus, vel alio modo obscurant, quibus omnia Catholicę religionis mysteria longè faciliùs, subtiliùs, sublimiùs, & veriùs se explicare posse affirmant, quàm tota schola Sorbonica, vel vlli Theologi exponere valeant. Neque enim cõtenti sunt, si magnum illud, & regale, atq; cœleste opus suum inquirant, & elixir, oui alchymici vitellum, nectárque fictitium, balsamum cœleste, aëris soliditatẽ, & eius oleum proponant, nisi in ipsam Theologiam, ne dicam in ipsum Deum, manus inferant, vt satis ex Conrado patet, qui Sapientiæ librum suis nugis adaptat. Verùm suum Cosmopolitagnum, fontem amoris, & alios libros habeant: hos enim omnes ridebimus, donec clarè loquantur: quod nunquam, credo, facient, ne toti mundo fabulam aperiant, & se stultissimos exhibeant. Hinc illæ obstinatæ assertiones, Deum nolle, vt qui magnum opus inuenerit, illud vlli reuelet: inueniri non posse, nisi Deus reuelet, vel genius cabalisticus, aut horoscopi fauor adfuerit: quæ omnia ridicula, fictitia, impia, & in quibusuis regnis, atque ditionibus coërcenda. Videatur Delrio lib. 1. disquisit. cap. 4. quæst. 2. in qua Fabium Paulinum musicæ, & numerorũ virtuti plus nimio tribuentem, & Platonicè, Astrologicè, atque Cabalicè agentem iure notat, & quæst. 3. vbi de vi verborum fusè.

Alchymistarum temeritas notatur.

Quæ omnia sicut vnicuique grata sunt, ita meo quidem iudicio nihil ad vim musicæ conferre possunt, in quam illa nomina, & Sephiroth vel nullam, vel non aliam vim, quàm in res alias influunt. Ideóque falsum assero, quod affirmant Cabalistæ: cur enim potiùs *Malkout* influit in τὴν ὑπάτην μέσων, quàm in λιχανὸν, vel μέσην? quis Dauidi reuelauit, vt hanc, vel illam chordam huic potiùs, quàm alteri *Sephiroth* subiectam esse crederet? Scio quidem Patrem, Filium, & Spiritum sanctum à Dauide inuocari potuisse: scio *Cheter*. i. coronam, & omnem gloriam Patri conuenire, *Iehoua*, seu Filio *hochma*, i. sapientiam: & *binah* seu prudentiam Spiritui-sancto, qui tres sunt sunt vnus Deus, ita vt non magis vni, quàm alteri tria prædicta congruant. Verùm quid hæc ad citharam? *Chesed* significet clementiam, *Geburah* punitionem, vel fortitudinem: *Thiphereth* gratiam: *Netseh* triumphum: *hod* laudem: *Iesod* redemptionem, & *Malkout* regnum: nunquid propterea Dauid illas potestates præ manibus habuit? Vnde obsecro diuinare potuit, proprietatum illarum influxus in suam citharam deriuari? nam si reuelationem diuinam fingis, illam repudio, quam Scriptura sacra nusquam confirmat.

Explicantur Sephiroth.

Non quòd vllum arguam, si in testudine, cithara, lyra, & alijs instrumentis diuina attributa, & qualcunque decades, vt 10 præcepta Decalogi, 10 sphęras cœlestes, nouem ordines Angelorum, & ipsum Deum constituat, vt opera Dei oculis veluti, & manibus contrectentur, & in memoria firmissimas radices agant: imo summopere cupio, vt quibusuis modis nos ipsos, & proximum prouocemus ad continuam diuinorum mysteriorum contemplationem, vt magis atque magis affectus

præ

præ amore diuini numinis inardeſcat: ſed quia nuſquam patiar, quantum in me fuerit, vt falſis perſuaſionibus detentus in rebus muſicis cæcutias. Deus poterat ad ſingularum chordarum pulſum adeſſe, vt malignos ſpiritus expelleret, & omnes produceret effectus, quos Dauid poſtulaſſet, cùm ille ſit omnipotens; verum nullibi legimus hanc fuiſſe Dei voluntatem, quapropter ea de re nihil affirmandum eſt: neque fauor, quo Deus pſaltem noſtrum proſequebatur, me detinebit, cùm hîc non fauorem, ſed virtutis muſicæ cauſam vrgeamus: & textus ſatis innuit Dauidem non ideo adductum fuiſſe, quòd illum Dei amicum inſignem agnoſceret, ſed quòd citharœdus eſſet; Saül enim puerum quæſiuit, qui pſallere noſſet.

Itaque fauore diuino, & Sephiroth in præſentia mente ſepoſitis, ad ſonorum effectus, & veras muſicæ, philoſophiæ, atque medicinæ rationes ſingulos prouoco, atque ſuppono, quod initio monui, ſpiritum illum, qui Saülem torquebat, vel melancholiam acerbam, atque furentem, vel cacodæmonem humore prædicto vtentem fuiſſe, ita tamen, vt ſuccus ille rabidus aliquando magis, minus aliâs ſæuiret.

Quænam impediant, quominus rationem furoris à Dauide ſedati reddamus.

Plurima verò nobis deſunt, quæ præpediant, ne ſcopum attingamus: etenim ſi ſciremus, quibus interuallis, num diateſſaron, quod ab antiquis συλλαβὴ dicebatur: num diapente, quod eſt illis δι᾽ ὀξειῶν, num diapaſon, ſeu harmonia ſæpius, quã ditono, aut ſemiditono, vel quibuſdã alijs ſyſtematibus vteretur; nam ex interuallis effectũ iudicare poſſemus, præſertim cùm ἀρχὰς τῶν ἠθῶν ex eis antiqui iudicarent, vt habet Ariſtid. lib. 1. idque eodem loco, vbi docet quodlibet ex 3. generibus à peritis cani, vt ſuprà notauimus; qui ditonum enharmonij ἀσύνθετον appellat contra Salinam, & alios recentiores, qui præ ignorantia, & inertia credere nequeunt antiquos per dieſim, & dieſim, & ditonum ceciniſſe; malunt enim in media Græcorum luce cæcutire, quàm fateri ſe à vera muſica longiſſimè abeſſe. Quibus amicitiæ gratiâ nonnihil iterum ex Ariſtide obijcio, quod ſi abſque præiudicio perpenderint, nouam induſtriam excogitabunt, qua muſicam hodiernam immutent, emendent, atque perficiant, & χαυνοτέρᾳ arte ſuperent. Certùm eſt non ſolùm harmoniam à Græcis in vſu poſitam, verũ etiam plures chromatis, & diatoni ſpecies eos habuiſſe, nam præter ea, quæ ſuperiùs de ſpeciebus illis ex Ptol. retulimus. Quintilianus loco nuperrimè citato docet chroma in tot interualla diuidi, quot fuerint ῥητὰ inter ſemitonium, & dieſim enharmonicam; diatonum verò in totidem, quot rationabilia poſſunt inueniri inter ſemitonium, & tonum; ex quibus 3 chromatis ſpecies, & 2 diatoni concludit; primum genus vocatur enharmonium, quod ἐκ τῶν τεταρτημορίων διέσεων τὸ γένος χαρακτηρίζεται. In ſecundo reperitur τριτημοριαία δίεσις, & vocatur μαλακὸν χρῶμα. Tertiò, ἐκ διέσεων ἡμιολίων τῆς ἐναρμονίου διέσεως χαρακτηρίζεται, & appellatur chroma ſeſquialterum. Quartò, eſt chroma toniæum ex 2 ſemitonijs. Quintò eſt diatonum molle, quod ex hemitonio, & tribus dieſibus, & 5 reliquis. Sextum deniq; eſt diatonum ſyntonũ ex ſemitonio tono, & tono conſtat: quæ omnia numeris declarat. Videant obſecro muſici, num illis omnibus ſpeciebus vſi fuerint, neque conquerantur de effectibus Muſicæ, quos non exhibent, donec omnes illas ſpecies ad praxim redigant. De interuallis vnum addo; Lydium διάτονον

Conſonantiæ quomodo à Græcis vocatæ. Ariſtid.

Salinas arguitur.

Chromatis interualla. Sex muſicę genera, & eorum interualla.

Interualla antiquorũ noſtris diſſimilia, quæ?

antiqui componebant ex dieſi, tono, dieſi, & dieſi & tono, & dieſi, καὶ τῷ μὲν ὑπερπίπτον σύστημα. Dorium autem interuallum ex tono, dieſi, & dieſi, & ditono, & tono, & dieſi, & dieſi, & tono, quod τόνῳ diapaſon ſuperabat: phrygium diapaſon tantummodo perficiebat, fiebat enim ἐκ τόνου, καὶ διέσεως, καὶ διέσεως, καὶ διτόνου, καὶ τόνου, καὶ διέσεως, καὶ τόνου. Iaſtium συνετίθετο ἐκ διέσεως, καὶ διέσεως, καὶ διτόνου, καὶ τριημιτονίου, καὶ τόνου, quod tono minus erat, quàm diapaſon. Mixolydium fiebat ἐκ δύο διέσεων κατὰ τὸ ἑξῆς κειμένων, καὶ τόνου, καὶ τόνου, καὶ διέσεως, καὶ τριῶν τόνων, quod erat perfectum ſyſtema. τὸ δὲ συντονολύδιον ἐκ διέσεως, καὶ διέσεως, καὶ διτόνου, καὶ τριημιτονίου. Hæc ſunt diaſtemata, de quibus Platonem Ariſtides explicat, cùm ait mixolydium eſſe modum lugubrem θρηνώδεις μιξολυδιστί, ſicut & συντονολυδιστί; ἰαστὶ verò καὶ λυδιστὶ ad συμποτικὰς καὶ λίαν ἀνειμένας ad conuiuia, & recreationem animi percommodas: ſic enim phtongorum proprietates moribus applicabant. Videantur characteres loco cit. qui modos iſtos deſignabant, exempli gratia lydium ſyntonum ita denotarunt.

7 R Ⅴ φ c ρ Π ξ 7 R λ c μ ξ ⅂ Ϲ
c υ ⊃ Ϲ ʃ < ⅂ (Π,

Lydij ſyntoni characteres.

quod noſtri vocarent *tablature*. Qui plures alios Muſicæ Græcæ characteres poſtulauerit, videat citharam noſtram quæſtione præcedenti, Ariſtidem hîc, Alypium, Bacchium, & Gaudentium. Itaque video, quid obſtet, quominus Dauidicæ citharæ poteſtatem in medium proferamus, quia neſcimus, quibus interuallis, atque ſyſtematibus, quo modo, quóue genere, & qua generis ſpecie vteretur. Ignoramus etiam, quid caneret, num pſalmum, vel canticum à Moſe, vel ab alio compoſitum, dubitamus etiam, num pſallens ſimul etiam ſaltaret, aut alios corporis motus ederet: quapropter nodum hunc ſolùm in genere diſſoluere conabimur, alioquin omnes circunſtantias perpenſuri, ſi vel cantilenam, vel canendi modum agnoſceremus. Fuerit igitur Saül furore percitus, qui cerebro per ſe, vel per conſenſum affecto contigerit, & à flaua bile mordaci, vel humore melancholico plurimum vſto, vel nimia feruidioris ſanguinis copia produceretur: neque enim accuratiùs definiri poteſt, quæ ἀφροσύνη regem illum torqueret, num illa, quam Hippocrat. τὴν μετὰ γέλωτος, vel μετὰ σπουδῆς, vel θρασεῖαν, ſeu μανιώδη, vel πολεμικὴν appellat: tametſi faciliùs ſedati furoris rationem inuenire poſſemus, ſi furoris ſpeciem agnoſceremus. Vt autem aliquid certi ſtatuatur, maniam illam fuiſſe credidero, quæ ſigna, cauſáſque ſequentibus verſibus à Franciſco Porto Pariſienſium medicorum decano bellè conſcriptis habuerit.

Maniæ ſpecies.

Portus l. 2. medic. decad. cap. 11.

Hanc ſequitur plerumque furor malè ſanus, & amens:
Quo lucent oculi, facies horrenda videtur,
Tabeſcit vigili corpus miſerabile cura:
Atria tota tremunt ira, clamore, minisque
Noctéque vicini reboant vlulatibus agri.
Nec modò vel clamor: vel ſunt minitantia verba.
Pugna ferox rabid is inſurgit dentibus, vncis
Vnguibus, inſultuque hirtarum more ferarum,
Non parit effrænum ſanguis, pituitáue lenta,
Sed bilis flaua interdum: at magis atra furorem.

Maniæ ſigna, & cauſæ.

Cuius rationem abſque polypodio, cappari, epithymo, tamarice, meliſſa, ſcolopendrio, elleboro, & borragine, quam Græci dicunt εὐφρόσυνον, quia exhilarat, verſu teſte

Dicit borrago gaudia ſemper ago.

Furoris remedia.

Denique sine vllis pillulis, balneis, venarum sectionibus, lotionibus capitis, aut etiam vinculis aggrediamur. Illa maniam curare dicuntur, quia poros reserant, arcent fuligines, obstructiones expediunt, cor recreant, &c. atqui concentus harmonicus id efficere potest, cùm enim musica sonis constet, qui commotione aëris producuntur, vbi sonis illis vsus fueris, qui aëreos furiosi spiritus moueat, hi spiritus per motum calidiores, atque celeriores effecti, melancholicum humorem attenuabunt, atque dissipabunt. Vel si mauis, vt illos spiritus remittamus, & quietiores efficiamus, ne ita cerebri meninges lancinent, sonis admodum lentis, & paruis interuallis vtendum est, vt ad tardorum motuum concentum spiritus illi, & vapores mordaces, qui ex stomacho, liene, & hypochondrijs, in cerebrum euolant, tardiores effecti quietum hominem dimittant. Adde quòd illi spiritus, qui ventriculos cerebri malè afficiunt, ad aurem accurrant, dum quis musicæ vacat, vt patet ex alijs voluptatibus, quæ nonnunquam tantæ sunt in aliquo sensu, vt dolorem in alijs membris illatum licet ingentem vix percipias, quemadmodum enim maioris doloris præsentiâ minor retunditur, ita maioris voluptatis perceptione minor dolor curari videtur, ratio est, quia nihil doloris, aut voluptatis sensu percipimus, nisi spirituum in neruis, & partibus læsis affluentium beneficio, adeout dolor, aut voluptas eò minor efficiatur, quo minor adfuerit copia spirituum, & omnino desinat, si omnes abscedant; quandoquidem illi spiritus sensitiuam facultatem, vel aliquid ei necessarium secum deferunt, adeout quo pauciores adfuerint, eo sensus obtusior existat, quo verò plures, exquisitior.

Verus modus explicatus quomodo musica morbos curet.

Itaque musica Dauidica tametsi nullis cœlestibus influentijs adiuta, & omnibus Sephiroth destituta Saülem duobus modis sedari potuit: primò spiritus, fumosque Saülis ita mouendo, calefaciendo, atque tenuando, vt succum melancholicum dissipauerint, & è cerebri cellulis deturbarint, vel dissoluerint in auras tenues, quæ per transpirationem insensibilem, sudorem, atque poros abierint: Secundò vbi spiritus illi melancholicum succum reliquerunt, non potuit sæuire, donec redirent, quia ex se terrestris est, & velut actione destitutus, nisi spiritus vitales, & animales illum mouerint, atque huc illuc traduxerint. Reliquerunt autem, cùm ad aures laxis velut habenis harmoniæ capiendæ gratiâ conuolarunt, qua durante furor cessauit, qua cessante redierunt quidem, sed leuiores, & expeditiores facti melancholiam ad tempus aliquod expellere, attenuare, minuere, & fortassis aliquam illius partem in benigniorem vaporem, aut halitum conuertere potuerunt. Quis scit, num Dauidis musica proportionem aliquam exhiberet, quæ cerebri temperamento, vel spiritibus ei percommodis ita correspondere, vt cerebrum alteratum, & dissonans in concentum redigeret? Quid si dixerit alius auditui dolorem inferri posse inconcinnis, & dissonis phtongis, qui materiam noxiam à cerebro reuulserit? cùm & ipsi phrenetici vinculorum dolore ita curentur, vt materia illa in partes ligatas abeat. Viderint musici, num ad aliquos nobiles effectus producendos dissonis interuallis nonnunquam vtendum sit, quod non solùm de disparatis, sed & pluribus coniunctis intelligo. De pulcherrima Dauidis cantilena cogitare possumus, quam ore pronunciaret, dum eandem cithara referebat, quæ narraret aliquid, quod Saüli gratissimum esset. Hinc autem reliquorum morborum, vt pestis, paralysis, ischiadis, febris, & aliorum morborum curationem inferre possumus, cùm audita musica spiritus ad aures illicò se conferant, ac proinde locum dolore affectum deserant, cuius dolor eo magis sedetur, quo maiorem delectationem musica pepererit, vel quò calidiores spiritus reddiderit, qui morbi materiam dissipent. Aërem verò contagione infectum soni purgare valent, quatenus eum calidiorem, tenuioremque fecerint. Spiritus celeriores ad paralyticum membrum redeuntes illud faciliùs mouebunt, & sanguinem recreabunt. Quid plura? nisi modum, neruos, cantilenam, motum, imaginationem, orationem, & alia à nobis expectes, quibus Dauid vsus est, quæ nesciuntur. Vbi diligenter aduertendum est Saülem non semper à Dauide curatum, hunc enim licet vt priùs manu sua psallentem bis lancea configere voluit, semel cap. 18. lib. 1. Reg. versic. 10. Secundò cap. 19. versic. 19. vnde concludere possumus odium musici plurimum impedire, ne te commoueat, quid enim tibi prosit, quem odio habueris? si quid gratum cecinerit, tibi videbitur ingratissimũ; odium enim omnia inficit, quapropter Saülem sibi infensum Dauid placare non potuit, tametsi non minus pulchrè caneret, neque minori furoris sedandi desiderio teneretur: musicus igitur auditorum beneuolentiam oratoris instar sibi conciliare, & se in eorum amicitiam insinuare debet, si nobilem effectum producere velit, vel saltem cauere debet, ne odio habeatur. Possumus etiam curationis defectum in furorem magis sæuientem, & melancholiam tenaciorem, & inueteratam refundere.

Dauid quomodo Saülem curauerit.

Pestis, & alij morbi quomodo per musicã curentur.

1. Reg. 18 & 19.

Qualis apud auditores musicus esse debeat.

Quid si cacodæmon per se torserit? nunquid ab ipsa musicâ poterit expelli? num motus physici in eum vim aliquam exercere possunt? cùm dæmones corporis sint expertes, res corporeæ nihil in eos posse videntur, nisi quatenus sunt ordinis hostes infensissimi, qui maximè in harmonia relucet, quæ cœlestis harmoniæ ideam aliquo modo referat; vel quatenus non possunt torquere, nisi mediante humore, cuius motus augere, vel minuere non valeant, Deo hanc eis potestatem non concedente, & ad cuius absentiam absint, & eo redeunte, redeant. Scio quidem numen diuinum quacúnque melodiâ, & quouis sono quemlibet dæmonem expellere posse, quod nullus Christianus in dubium reuocat: Scio cum aliquibus verbis Deum ita concurrere, vel tantam vim illis conferre, vt miracula faciant, vt constat ex forma Sacramentorum: sed num Dauidis sonis vim illam contulerit, quis diuinabit? Dæmon etiam vehementiùs dispensatione diuina, Saülem agitare potuit, cum voluit psallentem Dauidem configere.

Variæ coniecturæ de vi musicæ.

Quomodo Dauid dæmonem à Saüle expellere potuerit.

Profectò si Deus psallentem Dauidem peculiariter iuuit, vt mihi persuadeo, soni dæmonem ipsum expellere potuerunt, rebus enim corporeis Deus vtitur, vt qui spiritus imperium detrectarũt, ab infimis creaturis corporeis patiantur. Ipsa etiam Dauidis intentio, & Saülis attentio iuuare potuit, præsertim si Dauid ore cecinerit, quandoquidem cantus nostros conceptus exprimens viuum ipsius animæ atque cogitationis simulachrum esse videtur, adeout nihil sit, quo fortiùs nostrum animum, & facultatem rationalem alterius animæ, atque rationi coniungere possimus, quàm per ipsum cantum, qui iuxta varia interualla,

Dauidis intentio, & Saülis attentio.

ualla, & animi canentis motum auditoris animam huc, illuc trahit, commouet, rapit, ac si neruis constaret, & nerui neruos eodem ferè modo commouerent, quo testudinis vnius chordæ alterius sibi contiguæ chordas vnisonas concutiunt. Quod musicos aduertere velim, qui cùm aliquid cecinerint, id ex animo, & alterius excitandi desiderio faciendum est, si quem commouere voluerint, vt viuam animi proprij intentionem, & motus harmonicos in auditoris animum infundant. Quæ pluribus Aristides l. 2 prosequitur; vbi rectè aduertit musicam esse veluti medicinam; nam quemadmodum non vnum, & idem medicamentum, licet ad simile morbi genus, pluribus corporibus admotum non similiter operatur, sed in quibusdam velociùs, in alijs tardiùs, ita melos hunc magis quàm alium excitat; enimuero sicut odor vnus, & idem olfactum & color, cæteráque sensuum obiecta diuersorum hominum sensus varijs modis afficiunt, ita etiam eadem interualla harmonica diuersis motibus auditoris animum commouent. Musicæ tamen vim in animos longè maiorem obtinet, quàm alia obiecta, quia ipse canentis animus in voce, & cantu per aërem quodammodo ferri, & auditoris animum aggredi videtur. Hinc fit, vt egregij musici, qui nouerint interualla, & rythmum quæ ad animi pathemata commouenda requiruntur, cuiuslibet passiones commouere valeant, dummodo sciant, cuius sit temperamenti, & quos motus illius passio commota, quosue pulsus obtineat: alioquin enim si rythmum anapæsticum afferant, vbi pæonicus proferendus esset, si interuallis diatessaron pro diesibus, vel semitonijs vtantur, nihil efficient. Verùm de his alibi fusiùs.

Aristid.

Musica medicinæ collata.

Qui plures herbas, mineralia, lapides, & animalia legere voluerit, quibus gentiles spiritus infestos propulsari, arceri, & aduocari credebant, consulat moly Theophrasti, sistram Aristotelis, pentaphyllon, verbenam, anthirrinon, polygonum, artemisiam, Thamnum, palmam Christi, chrysantemum, quercum marinã, & pæoniam Dioscoridis; centaurium, aristolochiam, verbascum, asparagum syluestrem, ocymum, laurum, cœpam marinam, carduum benedictum, conyzam, salicem, & sisymbrium Plinij, Apuleij, Procli. Omitto Actuarij, & Hippocratis antidota, aglaophotim, theangelidam, nyctilopem, origanum Heracleoticum, & alias paganicæ theurgiæ plantas, necnon lapides omnes Mnisurim, Iaspidem, succinum, adamantem, amianthum, æreos, ferreos, plumbeosque annulos, sputum, & lotium hominis, hyenam, pellem lupinam, labracem, seu carillum, vel vranoscopum Tobiæ, annulum temperantiæ, lapidem philosophicum, hypericon Lulli, & alia plurima, de quibus Petrus Loyerius fusè l. 8 de spectris, vbi plurima de musicis instrumentis, & harmonia, quibus ea supplere possis, quæ in quæstione de musicis instrumentis, vel in præsenti omisimus.

Quibus rebus pagani dæmones vocari, vel arceri crederent.

Loyerius.

Ex dictis autem facilè concludi potest, qua ratione musica, febrim lycantropiam, & alios morbos curare possit, cùm id spirituum beneficio contingat, qui tenuiores, celeriores, calidioresque redditi humores illos dissipant, & attenuant, vel relinquunt, quibus morbi procreabantur: ac proinde mentem ita exhilarant, vt excitata spiritus omnes ad infirmitatem propellendam destinet, qui ob efficax mentis imperium huc illuc cursitant, atque conuolant, donec iussa perfecerint; eo ferè modo quo venti scoparij, & aquilonares à sole, vel (vt meliùs dicam) à Deo suscitati ad aërem contagione infectum perfectè expurgandum, & eiusdem aëris tetris vaporibus mixti putredinem arcendam immittuntur. Cùm enim spiritus vitalis, & animalis sit aëreus, vel æthereus, statim atque sonos acutos, & aërem celeriter commouentes percipit, motum illum, & illius rythmum, seu cadentiam imitatur; quemadmodum enim intellectus operatio phantasiæ actiones, & voluntates, atque appetitus sensitiui actus mentis, & imaginationis motus sequuntur, adeout vix motum vnius ab alio distinguere possis, ita spiritus illi corporei, qui sunt animæ instrumenta præcipua, aëris alterationes, impressiones, atque motus facilè sequuntur.

Morbi omnes quomodo per musicam curentur.

Qua ratione spiritus nostri concentu moueantur.

Eapropter Musici videant, quisnam rhythmus seruari debeat, & vbi arsi, atque thesi vtendum sit, vt hunc vel illum morbum curent; à rhythmo enim musicæ vis magna ex parte profluit, cùm sit harmoniæ forma, vis, & anima; hinc fit; vt imperfectior concentus perfecto rythmo coniunctus vim maiorem habeat, quàm perfecta harmonia rhyhtmo imperfectiore formata, vt satis patet ex dictis, & cuilibet, quando voluerit, experientiâ demonstrabo. Quod quidem mirum non est, cùm tota vita nostra, & omnes illius partes, motus, & actus rhythmis quibusdam tam initio, quàm in medio, atque fine dispensentur, vt experientia quotidiana docet, adeout illa omnia ad certos motus rhythmis definitos facilè reuocari posse credam. Neque est, quòd hinc inferas morbos omnes musicâ tolli posse, & ideo nullos medicos, sed solos tibicines, & citharistas sufficere; nam præterquam quod egregij musici desunt, qui eã fœliciter exequantur, quæ ad morbos curandos necessaria diximus, præter vulnera, quę Chirurgorum manus requirunt, & morbos lethales, quibus ne moly quidem Homericum succurrat, morbus sæpè tam pertinax esse solet, vt spirituum motus ad eum expellendum minimè sufficiant; vel quia morbus inueteratus est, vel quia eius materia densior est, & profundiores radices egit, vel ob alias causas, quę necessariò postulant, vt alia remedia foris, & intus adhibeantur: alioquin enim prędictorum spirituum motum sufficere dixero, vt morbus expellatur, si tamen illi spiritus tandiu morbi materiam exagitent, donec omnino dissipata fuerit. Sed ad pristinum locum facilè reuertetur, & morbum reducet, vbi musica desierit, quia motus spirituum simul ferè cessant, vti clarum est in ijs, qui licet varijs negotijs torqueantur, ac veluti furoris œstro perciti sint, dum harmoniam audiunt, Saülis instar, leuiùs se habẽt: at vbi concentus desinit, eadem iracundia, atque melancholia, vel aliæ tum animi, tum corporis perturbationes redeunt, & pristinas sedes occupant, prout in aëre & aqua contingere cernimus, nam quandiu radij solares hęc elementa calefaciunt, & attenuant, frigus, & vaporum densitas abest, adeout hilaris, & iucunda aëris facies esse videatur; sole verò recedente frigus, densitas, tenebrę, tristitia, horror, quæ morbis, vt pote sanitatis, & vitæ fœlicioris priuationibus comparari possunt, & alia redeunt, quæ ex lucis defectu contingere solent.

De vi, & præstantia rhythmi musici.

Num morbi omnes musicâ tolli possint.

Itaque nostris musicis rhythmos commendo, sine quibus nihil vnquam egregium perficient, etiamsi tria musicæ genera diatonicum, chroma-

ticum, & enharmonicum, atque horum species perfectè restituant, & in vsum reuocent: alioquin faciam, vt corpus sine anima vitaliter moueri possit. Rhythmos autem quibuscunque passionibus sedandis, vel commouendis necessarios, & ad hunc vel illum morbum curandum aptos ex art. 6, 7, 8, & 16 petere possunt, si exquisito iudicio polleant: singulis enim morbis, & animi pathematibus rhythmos congruos adaptare perfectum opus postulat, ad quod omnes philosophos, medicos, atque musicos prouoco, qui si mutuis auxilijs se iuuerint, illud cum admirabili delectatione, & vtilitate perficietur.

De rhythmi vtilitate.

Nec enim rhythmica adeò facilis est, vt vnicus eam in solidum restituere possit, sunt qui putent apud antiquos pedem aliquem ita compositum fuisse, vt 1618, aut etiam plura tempora complecteretur, itaut in 8 primis temporibus arsis, & in 8 posterioribus thesis, vel in illis arsis, in his thesis perpetua obseruaretur; sicque conijciunt æquale numeri genus à disemo vsque ad 16, vel 18 tempora processisse. Sanè qui per 8, vel 9 tempora continua arsi progrederetur, plurimum excitare posset, ob ingentem vocis, & animi concitationem, & facile nobis [illegible], & [illegible] repræsentaret, de quibus suprà.

Iam verò ad vltimum effectû accedamus, quem loca Scripturæ circa rerum externarum motum insinuare videntur, nam quæ de locis ad primum librum Regum attinentibus, præsertim de psalte Saülis spiritum expellente hîc addi possent, in 2 tomo commentariorum, quem à Rangolio nostro in dies expectamus, non minus egregiè, quàm copiosè discussa cum ingenti voluptate perleges.

Iosue 6. Mirabilis igitur scripturæ locus Iosue 6 habetur, in quo murorum Ierichuntinorum casus describitur, qui tubarum clangore, & clamore populi corruisse videntur, vt versic. 20 legimus; quod D. Augustin. serm. 106 de tempore cum alijs à Serrario citatis confirmat, qui post Masium opinionem irridet, quæ putat vi soni tubarum muros dilapsos fuisse, quia tametsi plurimæ tubæ crepent, & multi simul voce licet Stentorea clament, exiguus profunditur spiritus, & ideo aëris contriti fuga parua est, quapropter statim languescit. Adde quòd ille sonus clamantes ipsos, & corû castra potiùs, quam hostiû muros, vt pote longiùs positos, deiecissent. Denique ex eo arguit, quòd soli cornicines, & tibicines, nolæ, crepitacula, & stentores Homerici ad vrbes expugnandas necessarij forent, si vera esset opinio præcedens. Loca verò scripturæ; vt psal. 45, vbi à voce Dei mota est terra, & Ezech. 36 sonitu equorum muri mouendi proponuntur, vel per oratoriam grandiloquentiam, vel per moralem efficientiam, vel sumendo homines terrenos pro terra, & ciues pro muris, vel ipsam Dei vocem pro eius imperio explicat, adeout eatenus duntaxat muri sono tubarum corruisse dicendi sint, quatenus angeli ad omnipotentis imperium muros illos diruerunt.

August.

Muri Iericho quomodo corruerint.

Psal. 45.

Ezech. 36.

Sanè quemadmodum hæc explicatio probabilissima est, quia solent Angeli Dei iussa exequi, vt patet in Angelis Sodomam inflammantibus, Pharaonem in mari rubro submergentibus, Ægypti primogenitos occidentibus, &c. attamen mihi proponere liceat, quod non omnibus coniecturis caret, videlicet non implicare, vt ad musicæ, vel sonorum exhibitionem illi muri corruere potuerint, dummodo supponamus illos non absorptos dehiscente terra, quod aliqui Rabini existimant ob textum vers. 4. qui iuxta hebræum ita habeat, *cadet murus vrbis sub eo*, vel iuxta Vatablum, *subse*, apud Iunium in *loco suo*, ac si integri, & coagmentati in ima terra defossi fuissent; tunc enim fateor id à sonis effici non posse. Sepositis itaque tantisper Angelis, quos etiam Roberto Francorum regi Auallonem obsidenti, & precibus, ac canticis cum sacerdotibus vacanti fauisse Lipsius cap. 2. exempl. polit. refert, quia muri similiter corruerunt, de vi musicæ locum explicari posse contendo, non solùm quia campanæ, bombardæ, & tonitrua fenestras, & domos integras non rarò concutiunt, imo fortè diruunt; non solùm quia Deus sonis vti potuit, vt muros in puluerem redigeret, aut vsque in terræ centro infoderet, cùm illius potentia nullos limites habeat, & forsitan ipsis sonis tanquam instrumentis vsus est, postquam dedit in manu Iosue Iericho, & regem illius, vt versic. 2 legimus, sed quia musicæ vis naturalis est, vt plurima obiecta etiam dissita moueat. Sic enim neruus percussus alium tametsi remotum, & à nemine commotum agitat, itaut illum qui in vnisono, octaua, vel quinta fuerit, à se licet alio magis distantem moueat, licet vicinior minimè concutiatur. Idem in vitro contingit, cuius labrum superius cùm digito madido circũdas, aliud vitrum ab eo separatum agitatur, si vnisonat. Aliæ sunt experientiæ, quæ huic rei faueat, qualis est, quam Iacobus Moduitus obseruauit, videlicet ingentis molis lapidem tremere, quando tubus aliquis organi auditur in Ecclesia.

Miraculum in gratiam Roberti Francorum regis. Lipsius.

De vi musicæ in externis obiectis commouendis.

Idem ferè quidam apud Franciscanos Parisienses obseruauit, apud quos dum organa pulsantur, pauimentum circa hypotenusa, seu diametri finem, quæ ex quadrato nasceretur, cuius organa latus essent, ita concutitur, vt verearis, ne ipsa terra dehiscat, quod tamen minimè contingit, si vel propiùs ad organa accedas, vel ab eis longiùs recedas. Omitto reliquas experientias, quas vel superiùs attuli, vel per se quispiam facere potest, vt ex dictis breuiter concludam sonos nihil aliud in se præter certam proportionem habere debuisse, quæ murorum Ierichuntinorum tensioni corresponderet; quidquid enim ad perpendiculum, vel alio modo erigitur certam tensionem habet, quam si viceris, vel æquaueris, concutias.

Quis igitur nouit, num omnes clangores, atque voces aliquod tertium efficerent, quod cum muris illis vnisonantiam, vel octauam obseruaret? Cogita muros esse veluti neruum tensum, qui sit προσλαμβανόμενος; si omnes soni Israëlitarum similem tensionem habuerint, vel saltem in mese fuerint, illos concutere, & sæpius repetiti diruere poterunt. Vbi non est, quod inferas castra, tubicines ipsos, vel domos muro propinquas, quales domus Rahab, casura fuisse, si vis sonorum tanta fuisset: quandoquidem neruus citharæ non mouet sibi propinquum, sed remotum, si remotus cum illo consonet, & simili tensione afficiatur, propinquior verò dissonet: idemque de æqualiter remotis dicendum est, inter quos, etiamsi mille forêt, solus ille neruus siue magis, siue æqualiter, siue minus distet, mouebitur, qui cum priùs moto vnisonantiam, diapason, vel diapente faciet; tametsi enim motum illum reciprocum inter neruos diatessaron, & ditonum reddentes in testudine perceperim, id tamen in alijs instrumentis, & experientijs

Quomodo solâ vi naturali musicæ muri corruere possint.

experientijs minimè contingit? quocirca tabulam singulis neruis subtensam in causa esse arbitror, quòd illi nerui non solùm consoni, verùm etiam dissoni licet minus, quàm consoni tremāt. An verò muri Ierichuntini cum clangoribus vnisonarent, vel diapasonicam, seu duplam, hemioliam, epitritam, vel aliam obtinuerint, quis præter Deum, & Angelos singulas rerum corporearum proportiones clarè perspicientes, aut eos, quibus reuelauerit Deus, nosse potest? Hinc fit, vt ad vehementem aëris commotionem recurrere non debeas, quippe quæ parum facit ad ea, quibus musici concentus externa mouent, sed imprimis concentus, & rei mobilis proportio, atque correspondentia spectari debent, Contemplare, amabo, quot vnisonantiæ, quot octauæ, quot dis, & trisdiapason à tanta vocum, & tubarum multitudine fieret: adde etiam congruam à muris distantiam, quæ omnia Deus ita præscribere, atque docere potuit, vt ingens ille, & admirabilis concentus muros Iericho concuteret, atque dirueret. Viderint egregij mathematici, qui mechanicam harmoniæ iungere voluerint, num quemadmodum mechanici Archimedici dato pondere vim mouentem, aut è contrariò proponunt: perspectiui datum cuiuscunque figuræ obiectum sub ea figura, & quantitate, quam postulaueris, repræsentant, ita datum obiectum vi, arte, vel naturâ tensum aliquo concentu vnisono, vel aliâ ratione consono moueri possit, adeout ipsa terra sonis quibusdam concutiatur: quam non solùm ob incolas commotos, verùm etiam ob proprium motum tam à voce Dei, quàm ab equorum sonitu procedentem agitari posse credidero: licet illa vox Dei de prophetis, & concionatoribus, vel de fulgure, & tonitru commodè intelligi valeat, ad quorum voces, conciones, atque sonitus homines commoueri, timere, tremere, & per morum emendationem immutari solent. Equi verò præterquam quod hinnientes, ac veluti victoriam significantes vicinos populos, si præsertim hostes fuerint, timore afficiunt, & horrore concutiunt, terram ita premere possunt, vt ab æquilibrio, iuxta quod suspenditur, diuergens, in vnam partem declinet, & à centro tantisper dimoueatur, quod & sonis equorum ponderi respondentibus effici valeat, vt ex quæstione nona repetere licet, in qua de motu terræ, & terræmotu fusè diximus. Attamen probabilius esse puto muros virtute diuinâ corruisse, clangorem verò tubarum mox futuram victoriam tantùm significauisse, vt impij perspicerent, quantam de numinis diuini promissis, & auxilio spem, atque confidentiam fideles concipiant, qui cum psalte meritò canere possunt, *Hi in curribus, & in equis, nos autem in nomine Domini nostri inuocabimus; ipsi obligati sunt, & ceciderunt, nos autem surreximus, & erecti sumus.* Psal. 19.

Non est quod hic inquiramus, num tubarum sonitu Israëlitæ siderum, intelligentiarum, Sephiroth, & quorumcunque cabalisticorum graduum influxum, auxilium, atque beneuolentiam sibi conciliare potuerint, quandoquidem ista superiùs discussimus, & confutauimus. Tametsi verò Ptolemæus cum alijs Græcis harmoniam in cœlis, atque stellis constituat, vt l. 3. a. c. 7 & deinceps, vbi docet consonantias, atque dissonantias in signifero reperiri, siue stellarum motum in longitudinem ab ortu in occasum, & contrà, siue in profunditatem, atque latitudinem, iuxta quas

Ptolem. Harmonia cœlestis quæ?

harmoniarum genera, & tonorum mutationes accommodat, consideres: attamen hæ speculationes ad musicæ vim nihil omnino faciunt, nam quidquid tetrachorda lunæ, & aliorum astrorum versus solem aspectibus similia, & stabiles sonos primis mundi sphæris congruere putet, quidquid arbitretur sonorum mutationes mutationibus animæ, & diatonicum genus theologico, atque politico rerum ordini propter magnificētiam, chromaticum verò mathematico, & œconomico propter mediocritatis erga extrema communionem, enharmonium denique naturali, atque morali comparandum ob magnitudinis imminutionem correspondere, musica non alias ideo in animum, vel parietem concutiendum vires obtinebit. Operæ tamen pretium fuerit, si qui rationi studeant, ob quam Græci consonantias sideribus accommodarent, num sub iis aliqua concentus arcana, & modum, quo musici passiones animi concitare, vel sedare possint, reconderent: an solùm id animi gratiâ, & ad maiorem harmoniæ commendationem, vel vt ab alijs nationibus cœleste quidpiam, & diuinum in concentibus suis habere crederentur; Græci etenim præ cæteris fieri voluerunt, ac si omnes scientiæ, & artes ab illis penderent. Plura non refero, quia versibus Gallicis omnia in Paralipom. ad libri finem exhibebimus, quæ vel garrula Græcia, vel alij priùs, aut postea de musica ad cœlos, & elementa, vel ad animam relata prodiderunt. Quisquis verò totum musicæ negotium accuratissimè perficere voluerit, monochordo vtatur, & omnia interualla perfectè statuat, multa siquidem etiamnum in dubio versantur, & consonantiæ non ita consistunt in indiuisibili, quin aliquam latitudinem patiantur, vt monochordo experieris, quo omnia musicæ phænomena probanda sunt, itaut non solis numeris, sed lineis Geometricis vtaris; multa namque his, quæ nusquam illis, fieri, & inueniri possunt: quæ mathematicorum harmonicorum diligentiæ, sicut & alia plurima discutienda committo, qualia sunt, cur semitonium in penultimo loco diapente, & vltimo loco diatessaron, quibus primus modus constat, hunc modum lætum, & ad arma capienda prouocantem efficiat: cur idem semitonium in medio diapente, & in penultimo loco diatessaron collocatum, grauem, atque modestum reddat 3 modum: denique quintum modum tristem, & ad lachrymas aptum exhibet, quando in prima tam diatessaron, quàm diapente sede: alij verò modi partim ad lætitiam, partim ad tristitiam, modestiam, iram &c. excitant pro varia tam in quinta, quàm in quarta semitonij collatione. Quod ideo contingere arbitror, quia semitonium est interuallum tonico interuallo minus, atque adeò languidius cùm sit, arguit infirmitatem naturæ, & virium penuriam; infirmitas autem ad commiserationem, & lachrymas excitat: tonus ex opposito vegetas, atque iucundas naturæ vires ostendit, eo ferè modo, quo in currente, & ambulante fieri perspicimus, nam quo passus, atque saltationes cæteris paribus maiores fuerint, currens, & saltans maiori robore pollere iudicatur: itaque cùm in primo modo 2 toni sese consequantur initio tam in diapente, quàm in diatessaron, in eo maximè natura vires suas exercere, & hilariter currere videtur, donec in vltimo semitonio quiescat, quies autem ista non minus iucunda est, quàm vbi quis post adeptam victoriam triumphum agit.

3 musicæ genera politico, theologico, & mathematico collata.

Semitonium mi, fa, cur modos variet.

Cur ob semitonium 1 modus iucundus, & 5 tristis sit.

At cum primo loco, vt in quinto modo statuitur, præterquam quod virium defectum patefacit, interualla sequentia nescio quo languore retardare, & afficere videtur, sed hæc aliàs fusiùs: licet ex his rationem elicere possis, cur modi intermedij modestiam, atque grauitatem præ se ferant Quæ nunc confirmari possunt ex ditono, & diapente, quæ cum præcedunt, & semiditonum ditono innititur, cantus iucundior est, sicut & cum diatessaron post diapente sequitur, ac si diatessaron respectu diapente, & hemiditonum respectu ditoni idem esset, quod semitonium cum tono collatum. Ideóque cum hemiditonum antecedit ditonum, vel diatessaron diapente cantus est mollior, atque languidior. Tametsi verò quartus modus qui est ab *A re* ad *a, la, mi, re*, cuius cadentię sunt *re, sol, fa, la*, non habeat semitoniũ in primo loco, sed tantum in secundo, à quibusdam omniũ tristissimus, quintus verò & sextus adulatorius existimatur, fortè quia familiare colloquium interuallis minoribus initio prouehũt, quale est, quo aliquem solamur. Alias rationes ijs inquirendas committo, qui fusiùs, & accuratiùs de musica tractarunt sunt. Rursus quónam tono, seu vocis tenore modus incipiendus sit, docet enim experientia modum eundem, eandémque cantilenam magis, vel minus pro varia grauitate, & diuerso acumine, quibus incipiunt, atque progrediuntur, afficere: hinc fit, vt si quis nostrũm *Dieu se leuera* graui voce instar bassi canat, non ita concitet, ac si voce acutiori superioris efferatur. Igitur musici diligenter aduertere debent, quo vocis gradu singulas cantilenas incipere debeant: quibus pro diuersis auditoribus, temporibus, & alijs circunstantijs varium acumen accommodandum erit. Qui si totum systema in accuratum examen adducere cupiunt, non solùm discutere debent interualla, quibus instrumenta nostra diuiduntur, atque constituuntur, & voces progrediuntur, & ea quæ Zarlinus, & Salinas, Boëtius, Ptolemæus, & Aristoxenus probarunt, sed præterea tam sensu, quàm experientiã perspicere, num alia interualla in tetrachordo possint inueniri, quæ alios effectus producant, ita tamen vt non solam aurium delectationem, sed effectuum varietatem inquirant. Quod Ptolemæum respexisse arbitror dum 5 diatonici species post Archytæ, Aristoxeni, Eratosthenis, & Didymi opiniones ex propria sententia constituit, quæ omnia in Paralipomenis inuenies.

Musici quid inquirere debeant, vt musica perficiatur.

Modusquo proportiones inuicem addantur.

Vt autem omnia faciliùs discutias, breuiter insinuo, qua ratione proportiones harmonicæ simul addantur, atque reducantur ad minimos numeros, quoue modo vna subtrahatur ab alia: fusiùs enim illa referre, quæ ad proportiones, atque proportionalitates attinent, opus integrum postulat. Igitur si proportiones addis, vel inæquales erunt, vel æquales: si priùs, detur sesquitertia, & sesquialtera: si maiorem numerum sesquitertiæ in maiorem sesquialteræ, vel contrà duxeris, videlicet 4 in 3, efficies 12: si minorem in minorem, id est 3 in 2, fient 6, & sic 12, & 6 resultabunt ex illa proportionum coniunctione: qui numeri duplam proportionem, ac proinde diapason formant. Vis tu rei probationem? minorem vnius per alterius maiorem, id est 2 per 4 multiplices, 8 resultabit, qui diapason in quartam, & quintam diuidit, vt hic conspicis 6. 8. 12. Si posteriùs, sit exempli gratiã sesquialtera, 2. 3, maior numerus in se ductus 9, minor verò 4 dabit, 9 autem, & 4 est dupla sesquiquarta, vt patet ex antecedenti probatione, quandoquidem 3 per 2 multiplicati 6 producunt, qui inter 9, & 4 positus illos numeros in 2 æquales proportiones, nimirum sesquialteras diuidit. Qua ratione 2 sesquioctauas, sesquinonas duas, tres, 4, quot libuerit, & simul addere poteris.

Nec iniucundum erit si 3 tonos maiores, 2 minores, & 2 semitonia maiora simul addideris, nam perfectum diapason explebunt, vt ex sequentibus numeris colligere poteris.

Interualla omnia minora diapason iuxta recentiores.

Semitonium maius. tonus maior. tonus minor

144 ——— 135 ——— 120 ———

tonus maior. Semitonium. tonus maior.

108 —— 96 ——— 90 ——— 81

tonus minor.

——— 72

Proportionum subtractio quomodo fiat.

Quia verò sæpius vna proportio ex alia subtrahenda est, vt sesquitertia ex sesquialtera, sesqui81, vel sesquiuigesimaquarta à sesquioctaua, vel sesquinona, & ita de cæteris, hac methodo vtêris: quarta à quinta subtrahenda sit, numerus antecedens sesquitertiæ, videlicet 4, ducetur in consequentem sesquialteræ 2, vnde nascetur 8: deinde ternarius antecedens sesquialteræ multiplicabitur per consequentem sesquitertiæ, vt 9 producatur, & proportio 9 ad 8 sit illa, quæ superest post subtractionem sesquitertiæ à sesquialtera. Quod verũ esse concludes ex additione sesquioctauæ ad sesquitertiã, quippequæ sesquialteram restituet.

Numeri radicales proportionum quomodo reperiantur.

Quod si proportionis datæ numeros radicales inuenire cupis, minorem à maiori toties subtrahe, quoties fieri poterit, donec minimum numerum repereris, qui sit cõmunis vtriusque mensura, quod si fieri nequit, illa proportio nullos minores radicales habet, sed numeri dicuntur contra se primi, cùm pro communi mensura solam vnitatem habeant. Exemplum primi sit 24, & 15. primò substrahe 15 à 24, nouem supersunt: quos à 15 aufero, vt 6 relinquantur, quos vbi à 9 abstuleris, 3 supererunt: denique tribus à 6 demptis residui sunt 3, qui cum à se ipso subtrahi nequeat, is erit minimus, seu radicalis numerus, qui vtrumque metietur: eapropter 24, & 15 per 3 diuisa, & ad tertias reducta, 5 & 8 pro radicalibus exhibebunt: quos si radicales esse dubites, 5 ab 8 auferas, 3 supersũt: deinde tres à 5 deme, relinquetur binarius, quo denique à ternario sublato vnitas sola restabit, & ideo 5, & 8 mensura cõmunis erit, & ideo hi numeri proportionis 15 ad 24 minimi cẽsendi sũt. Vnde concludẽdum est nullos numeros contra se primos ad minores numeros reduci posse, vt patet in 5, & 8. in 64, & 81, in 80, & 81 &c: quorum primus est supertripartiens quintas, secundus superseptemdecim partiẽs sexagesimasquartas, vltimus verò superoctoginta partiens. Alia plurima vide in Paralipomenis ad finem libri, nunc enim ad 22 versiculum progrediamur.

VERSIC. XXII.

VERSICVLVS XXII.

Sella quoque genuit Tubalcain, qui fuit malleator & faber in cuncta opera æris, & ferri. Soror verò Tubalcain, Noema.

וְצִלָּה גַם־הִוא יָלְדָה אֶת־תּוּבַל קַיִן לֹטֵשׁ כָּל־חֹרֵשׁ נְחֹשֶׁת וּבַרְזֶל וַאֲחוֹת תּוּבַל־קַיִן נַעֲמָה׃

Σελλὰ δὲ ἔτεκεν καὶ αὐτὴ τὸν θοβέλ. καὶ ἦν σφυροκόπος χαλκεὺς χαλκοῦ καὶ σιδήρου. ἀδελφὴ δὲ θοβέλ, νοεμά.

VErsiculus hic ad morem duarum vxorum ante relatum alludere videtur, cùm textus hebræus habeat וצלה גם היא *Vetsila gambi.i. & Tsila, seu Sella etiam ipsa*, ac si diceretur: illa etiam vxor compta, & ornata, delitijsque reseruata, licet ei sterilitas procurata fuisset, diuina prouidentia ita disponente, & inuito marito peperit Tubal-Cain, vbi 70 solùm legunt θοβέλ. Duo verò nomina sæpe concurrunt ad aliquem exprimendum præsertim in regionibus Orientalibus: sic enim apud Chaldæos Nabuchodonosor diuiditur in duo nomina *Nabuch, & Hazar*: apud Arabes Auicenna, in auem, & Sena, qui sit patris nomen; & nonnulli Germani iam idem factitare solent; ita vocatur Tobias Adami is, qui nuper recensuit librum Campanellæ de sensu rerum, & magia, qui mos Rabinis solemnis est. Huic autem תובל patris nomen impositum aiunt, quòd mores patris, atque vitam imitaretur, cuius malitiæ cùm etiam addidisset, & noua excogitaret Tubal dictus est, quia R. Salomô. תבל teste R. Salomone, significat condire, parare; verùm hanc significationem in radice illa non reperio, quæ vel orbem terræ, vel præposteram, & Sodomiticam libidinem designet, & tunc fit à radice בלל balal, confudit, at illa radix à quibusdam Rabbinica dicitur.

Non tantùm autem patrum nomina filijs, sed etiam auorum, & tritauorum nomina nepotibus imponuntur ad eorum memoriam renouandam, quod quidem non improbo, dummodo sincera intentione id fiat. Igitur Tubalcain expolitor fuit æris, & ferri, quibus Hebræi omne opificium ferri, & omnia instrumenta æraria, & ferraria, quibus opifices vtuntur in arte sua, intelligunt. Sonat hebræus, *Genuit Tubal Cain acuentem, & expolientem omne artificium ferri*, לטש enim significat vtrumque, acuere, & expolire, & gladium fulgurantis instar facere. Hebræi verò per נחשת *nechoset* non æs, sed chalybem intelligunt, quod ferro admiscetur, vt gladij meliùs scindant, & acie prævaleant: sed vtrúmque potest intelligi, hinc 70 legunt σφυροκόπος χαλκεὺς χαλκοῦ, ac si diceremus, *malleo laborans ærarius, qui malleo æs percutit*, à radice נחש, quæ pro לחש, id est augurium facere, & diuinare, sumi potest: quod enim Hebræis est נחש *nachas* Gen. 44. v. 5. 70. est οἰωνίζεται, augurium, vnde Gen. 44. & Nachas serpens dictus est, quod dæmoni conuenit optimè, quippe qui pater, & inuentor fuit ominum.

חרש *chores* verò seu חרש *charas* fabrum, & artificem, vel lapidum, & lignorum, vel ferri significat à חרש .i. arauit, vnde חריש *charis* agriculturam designat, deinde excogitauit, fabrefecit, & machinatus est, & per antiphrasim obmutuit, cessauit facere, audire, vel loqui, quapropter ventum vehementem, quo flante nihil audimus instar surdorum חרישית *charisit*, appellant, denique *charas* magum, præstigiatorem, & incantatorem significat.

Fuit ergo Tubal opifex æris, & ferri, vel vt habet Targum, magister omnium scientium opus æris. Vult autẽ R. Salomon *chores* esse poel.i. benoni, seu toar, non poal, vt Kimhi, qui pro nomine substantiuo accepit. Sed omnium optimè vulgata dixit, *qui fuit malleator & faber in cuncta opera æris, & ferri*, sic enim omnia comprehendit, vt non existimem illam fieri potuisse sine peculiari auxilio Spiritussancti, quandoquidem illa semper aptior, & commodior reperitur, vbi quis omnes radices hebraicas reuoluerit, & discusserit; ac cum 70 contulerit. Targum. R. Salomô. R. Kimhi.

Nonnulli volunt hîc esse transpositionem, qualis est Osee vlt. כי תשא עון pro כל עון תשא, id est, *omnem aufer iniquitatem*: vt hic ו subaudiatur, ita R. Elias Orientalis explicat Rasi: aliqui autem Hebræi, vt R. Isaac, putant hîc esse repetendum אבי, vt sit sensus Tubal fuisse patrem omnium fabrorum. לטש verò iuxta quosdam hebraizantes, est in regimine in Zaceph gadol, qui accentus nõ impedit regimẽ, sicut neq; semper impediunt accẽtus distinguẽtes: & qui in musica maiores sunt, vt præcedẽs, minorẽ vim distinctiuã habẽt: sic antea אבי in regiminẽ erat Zaceph gadol, alioqui potiùs in לטש Zakeph katon magis distinguens, aut alius maior Rex in distinguẽdo positus fuisset; quę apud Merc. videri possũt, vbi לטש putãt gallicè vertẽdũ, *fourbir*. Osee vlt. R. Elias.

Pro more ludunt Hebræi in nomine *Necoset*, de quo antea, quia ex eadem radice *Nachas* oritur, ac si hæc ars, qua tot cædes committuntur, in ipsum serpentem tartareum referenda sit, & hanc inuentionem ab eo Tubal acceperit; quo etiam modo vocatos fuisse arbitrãtur Mahauiel, & Mathusaël nominibus in אל desinẽtibus, quod Cain filius serpẽtis fuerit, qui cùm esset diabolus אל dici potuit: atque adeò volunt Caïnum ea nomina filiorum in El desinere, vt suum parentem referrent. Alij malunt opposuisse El, quod Dei iustitiam significat, quàm tetragrammaton, quod est nomen clementiæ, quia de hac ille Cain desperauerat, Hæc sunt fabulosa Rabinica.

vnde cùm Dei cogitatio etiam nolenti occurreret, cùm eum ſub ratione ſeueriſſimi, & iuſtiſſimi iudicis cogitaret, ad אל potiùs, quàm ad יהוה in poſteris nominandis declinauit; ex quibus vbi quantulámcunque vtilitatem hauſeris, ea ad Cainitarum fabulas referre potes, & ad hæreſes Epiphanij adiungere.

Soror verò Tubalcain Noëma. Quam fuiſſe inſignem, ſanctam & iuſtam colligunt Hebræi: & in Bereſit Rabba putant eam fuiſſe vxorem Noë, quòd autem celebris fuerit arguunt ex nomine, & ex eo quòd hîc nominetur, cùm tamen filiæ, niſi forſitan inſignes fuerint, minimè commemorari ſoleant, idque vt aliqua Cain memoria in vnica muliere reſtaret. Id tamen alij pernegant, qui nomen ex eo ſumpſiſſe putant, quod ſua pulchritudine tam vehementer ad libidinem filios Dei prouocaret, atque pertraheret, vt illam deperierint, & vagis concubitibus in quaſuis mulieres proruperint: Sed hæc infirmam, vel nullam coniecturam habent; quapropter nec vereor illa fabulis iſtis adiungere, quibus vnam faciunt ex 4 dæmonum matribus Noëma, Ohereth, Lilith, & Mahalath, quia ſit mentio illius in inuocatione dæmonum: Addunt & fuiſſe vxorem Aſmedon, vel Someron, aut Sincron, & matrem Aſmodęi principis dæmonum, ex quo multi ſint geniti dæmones. Denique hiſce nænijs adhærentes putant Adamum illis 130 annis, quibus eum fingunt ab vxore ſeparatum fuiſſe, ex fœminis dæmonibus genuiſſe dæmones. Quod quidem afferre volui ex fabellis Rabbinorum, vt moneam eos cautiſſimè legendos eſſe, niſi velis vbique ferè in grauiſſimos, & fœdiſſimos, atque blaſphemos errores impingere. Deinde conijcio ab illorum nugis maximam totius Magiæ partem oriri ſiue quam in Agrippa, ſiue quam in Clauicula Salomonis, & in libris coniurationum, atque ſimilibus legimus, atque deteſtamur; Tertiò fabellas prædictas ex eo hauſiſſe, quod infrà dicitur, *filios Dei cognouiſſe filias hominum*; nam poſtea facilliṁu fuit addere de ſuo capite. An verò dæmon aliquis ſuccubæ, alius verò cum præcedenti vices ſuccubi ita præſtare poſſit, vt inde naſcatur aliquid, poſtea diſcutiemus. Cæterùm tutius eſt, atque ſapientius nos ignorationem profiteri, nec ſcire, qualis fuerit Noëma, quàm cæcorum inſtar multa de ea garrire; nec deſunt alia, in quibus maiori cum vtilitate, atque voluptate nobis inſudandum ſit: Sequentem igitur verſiculum ad generationem Cain pertinentem aggrediamur.

VERSICVLVS XXIII.

Dixitque Lamech vxoribus ſuis Adæ, & Sellæ: Audite vocem meam vxores Lamech, auſcultate ſermonem meum: quoniam occidi virum in vulnus meum, & adoleſcentulum in liuorem meum.

ויאמר למך לנשיו עדה וצלה שמען קולי נשי למך האזנה אמרתי כי איש הרגתי לפצעי וילד לחברתי׃

Εἶπε δὲ Λάμεχ ταῖς γυναιξὶν αὐτοῦ Ἀδδᾶ καὶ σελλᾶ, ἀκούσατέ μου τῆς φωνῆς γυναῖκες Λάμεχ, ἐνωτίσασθέ μου τοὺς λόγους. ὅτι ἄνδρα ἀπέκτεινα εἰς ϑαῦμα ἐμοὶ, καὶ νεανίσκον εἰς μώλωπα ἐμοί.

Sex proponuntur ob quæ Lamech ea verba dicere potuerit.

RAtio cur hic verſiculus adeò difficilis ſit, vt vix eum poſſimus intelligere, eſt quia neſcimus qua de cauſa Lamech ſuas vxores allocutus ſit, & attentas eſſe iuſſerit; quandoquidem nec antea dicitur, an Lamech peccauerit per polygamiam, ac propterea mortem aliqui voluerint ei per vim inferre: An verò totus adhuc furibundus, &
1. in manibus ſanguinem aliquorum à ſe recens occiſorum habens ea ſuis vxoribus dixerit, ne vel il-
2. læ timerent, vt ei pariter mors ab occiſorum parentibus inferretur, vel ipſe Deus iuſtus vindex pœnas de eo grauiſſimas ſumeret. An verò, cùm
3. eſſet ferox, audax, & ſuperbus, & omnes quotidie impeteret, iuſtè timerent vxores, ne tandem aliquando fortiſſimum aliquem nanciſceretur, à quo ſuperatus occideretur. An verò nollent ei debi-
4. tum reddere, imo neque ſimul habitare, ne tanto homicidâ pollnerentur, & eius cohabitatione ipſę maledicerentur; vel ne Deus, aut homines eum occiderent in ipſa maritali copula, adeout ipſæ vererentur inde pati detrimentum, vel etiam mortem, veluti conſentientes homicidio, quod non detexiſſent iudicibus. An, vt R. Moſes R. Moſes.
Gerundenſis ait, timerent ne tot mala, quæ ex 5
armorum inuentione contingebant, in Lamech refunderentur, & aduerſus eum ideo populus inſurgeret.

An verò audiſſent futurum diluuium ob ma- 6.
gnam hominum libidinem, quam in Lamech maximam expertæ fuerant, & ideo nollent ei deinceps coniungi, & ipſe timeret ab illis occidi. Poſſent & alia ſimilia conijci, quibus ſuppoſitis, illud ex abrupto dixerit: *Audite vxores Lamech, ſeu mea*, more Hebræis frequenti, qui de ſeipſis in tertia perſona loquuntur. Hinc autem fit, vt illa verba, quoniam occidi virum in vulnus meum, ſenſus varios patiantur.

Nam ſi primæ ſuppoſitioni reſpondeat, aliud reſpondendum eſt, quàm ſecundæ, tertiæ, &c. Igitur ſi primæ ſatiſfaciat, dixerit, an timetis mihi mortem, quod polygamiam introduxerim, ac ſi virum occidiſſem? ſi ſecundæ; tametſi virum occiderim

occiderim, nolite metuere, cùm mea punitio in longissimum tempus differenda sit, cùm id inscius fecerim, & tamen ipse Cain me peior non statim interfectus est: si tertiæ: tantùm abest, vt quis me superior euadat, quoniam ita robustus sum, vt occidere possim hominem etiam ætate florétem: si 4: non debetis ideo me fugere, nec enim adeo perditę vitæ sum, ac Cain, quem tamen vxor non fugiebat, nec propter mè puniemini, & sic de cæteris: inter quæ omnia communior sententia esse videtur, quòd Lamech in homicidij crimé lapsus, suis vxoribus conqueratur, & quodammodo pœniteat, atque doleat, de eo, quod ei contigerat: quia hominem ita occidi, idcirco me grauissimum manet supplicium. Nam si de Cain septuplex pœna sumpta est, de me quota sumetur? Multo sanè maior, cùm is crimen primus admiserit, ego verò illius exemplo malè mulctati iam ab hoc eodem facinore deterreri debui, cùm Deum viderim ob id tantopere Caïno iratum, atque in eum tam grauiter animaduertisse, quare de me septuaginta septem pœnæ sumentur, qua ratione Lamech nobis proponitur, vt iram Dei timens, ac suum peccatum inter vxores deplorans.

Alij volunt כִּי אִישׁ הָרַגְתִּי *Ki is haragti* sumi interrogatiuè, vel admiratiuè, quod sæpe fieri solet apud Hebræos pręsertim si præponatur כִּי, quid? anne? an verò? An ego virũ occidi sicut Cain, aut puerũ innocenté, qualis erat Abel, vt mihi malum creare velitis; & tamen licet id fecerit Cain, Deus minatur ingentia supplicia ei, qui eum occiderit, cauete ergo ne me Caino iustiorem interficiatis, alioqui longè grauiora supplicia vos manebunt.

R. Salomõ. R. Salomon ait Lamechum fuisse cæcum in senectute, & imprudenter Cainum occidisse sagitta arbitrio filij Tubalcain se ducentis emissa, qua re comperta, cùm admodum doleret, ob mœrorem subitum volens manum ad manum, vt fit fortiter complodere, cùm arcum teneret, & in conspectu haberet adhuc tenellum filium illum imprudens, & nolens interfecit, quo facto illum eius vxores horrebant, quibus se excusat, & ait,

Quamuis sim homicida, id me nesciente contigit: nunquid sum reus instar Caini? & tamen illi dilatum est supplicium vsque ad septimam generationem: multo magis, & mihi: Quamobrem ne timeatis, vt proles nostra statim pereat: tametsi enim nostri filij septimi à Caino futuri sint, ne credatis illos diluuio perituros, vix enim peccatum meum alia futura septima generatione punietur, vt sic vel Lamech peccatum suum defleat, vel vxores deterreat ne quidpiam aduersus eum moliantur, vel vt se purget, & eas sibi conciliando rursus eis coniungatur, quapropter eximit illis

Onkelus. diluuij terrorem. His suffragatur, Onkelus, Non occidi virum, inquit, vt propter eum ego portem peccata. Neque etiam adolescentem perdidi, vt propter eum consumatur semen meum. Alij,

A. Ezra. vt Aben Ezra, exponunt δυνητικῶς הרגתי pro אהרוג præteritum pro futuro potentiali: sicut Græci sæpiùs præteritum, aut aoristum pro futuro sumunt, adiecta particula ἂν vt sit sensus, certè si quis me vellet impugnare, mihique vulnus infligere, non illud ferrem, sed protinus illum confoderem, & inflicto vulnere prosternerem fortiter, & strenuè ei resistens, ideoque ne timeatis, vt me quis aggrediatur. אִישׁ autẽ, & יֶלֶד ad eundẽ pertinere possũt, vt idem repetatur ad auxesim, & [illegible]; sic etiam לְפִצְעִי *lephisthi*, & לְחַבֻּרָתִי *lechabburathi* eadem esse videntur, nisi quòd חבורה ad quodcunque vlcus, seu plagam extendi videtur, vbi sanguis colligitur, vt per contusionem, aut alio modo, cum פצע vulnus gladio inflictum, aut re aliqua illatum significet; חבר autem est *collegit, associauit, coniunctus fuit*: sic enim fit in apostemate, in quo multa sanies coniungitur: Hinc חָבֵר amicum, & collegã, & חֶבֶר collegium, seu communitatem significat: vnde & חֶברוֹן Hebron vrbs Iudææ ab Hierosolyma 12 milliaribus distans, sacerdotalis, & fugitiuorum; quæ sic dicta fuit à Caleb, cum antea *Cariatarbe, & Mambre* vocaretur in quâ speluca duplex fuit, quam excepisse ferunt Adamum, & Euam, vt Abraham, & Saram Isaac, & Rebeccam, Iacob, & Liam: Iesse patrem Dauidis, Abner filium Ner: ad quam etiam ossa Ioseph ex Ægypto delata sunt, & dolia plena ossibus Israëlitarum antiquorum. פָּצַע verò id est, scidit, rupit, transfixit, vulnerauit, percussit vsque ad sanguinis effusionem, quia caro rumpitur in vulnere: dicitur etiam de *Thlibiis*, id est, eunuchis per testiculorum attritionem. Ex quibus omnibus colligo vulgatum interpretem rectè vertisse; *Occidi virum in vulnus meum, & adolescentem in liuorem meum*, id est vulnere à me inflicto & contusione: secundò sensum omnium probabilissimum esse, quem partim ex R. Salomon suprà retulimus, partim ex D. Hier. in tradition. hebraic. & epist. 125 ad Damasum, demptis tamen quibusdam circunstantiis; ideoque breuiter sensum illum refero. R. Salomõ. Hieron.

Lamech igitur coram vxoribus graui se dolore confici testatur, quòd virum, & adolescentem occiderit, ac satis ostendet versiculo sequenti, quanta se promeruisse supplicia crediderit. Cùm autem scriptura non exprimat interfectorum nomen, & alioqui Deus supra satis innuere videatur aliquem inuentum iri, qui Cain occideret, quamuis in eo signum posuisset, ne quis eum interficeret, quod neque sciens, & prudens Lamech fecisse videtur, vt satis tanto dolore, & pœnitentia manifestat: probè mihi conijcere videntur interpretes Cainum occisum fuisse à Lamecho, sicut & eius armigerum, ex eo quòd hominem pro fera ei ostendisset, eique causa cædis fuisset: cum D. Hieron. locis citatis eam sententiam è maiorum traditione desumptam asserat, verùm quomodo, & vbi Cain occiderit, vix credo sciri posse, ne conijci quidem probabiliter: cùm enim in sua ciuitate Henochia permaneret, gratis dicitur in syluam processisse captandi frigoris causã, & inter arbores densissimas consedisse, vbi cùm feram latitare credidisset Lamech, tritauum occiderit, quapropter Theodoret. hîc q. 44. mauult alium à Caïno occisum fuisse, cui author quæst. veter. & noui test. suffragatur, qui tamen paruæ est authoritatis ob errores quos ibi miscet. Cætera sequenti versic dicentur: nec velim hîc quæstionem instituere, an Lamech peccarit, cum imprudens, & inscius Caïnum pro fera interfecit, quandoquidem id neque certum est, neque textus innuit. Hieron. Theod.

VERSICVLVS. XXIV.

Septuplum vltio dabitur de Cain; de Lamech verò septuagies septies.

כִּי שִׁבְעָתַיִם יֻקַּם־קָיִן וְלֶמֶךְ שִׁבְעִים וְשִׁבְעָה׃

Ὅτι ἑπτάκις ἐκδεδίκηται Κάϊν, ἐκ δὲ Λάμεχ ἑβδομηκοντάκις ἑπτά.

POstquam suum peccatum detestatus est, quod vel Caïnum, vel alium quemcunq; virum occidisset vulnere per telum, baculum, aut ensem, vel per aliud armorum genus inflicto, & adolescẽtulum ictibus quibusdam liuorem facientibus: siue hic adolescens fuerit seruus eius, & armiger, siue Tubalcain: siue frater Seth, vt vult Suidas, siue comes venationis, parum refert: Ialed hebræi: 70 παίδιον appellant: seipsum debitis, & iam prædictis suppliciis adiudicare videtur: vbi numerus certus pro incerto sumitur.

Suidas.

Hæc autem verba sicut, & præcedentis versiculi, variis modis explicãtur. Alij enim sic intelligũt: scitote ô meæ vxores, eum qui Cain occiderit, fe-septuplici pœnâ afficiendũ: qui verò Lamechũ interfecerit, septuaginta supplicia manẽt eum: ideóque ne timeatis de mea morte, quis enim adeò temerarius, vt tot supplicia velit incurrere? nec enim ego quemquam vulneraui, vt Cain: & Christus Math. 18. ad hunc numerum alludere videtur, dum ait: *Non dico tibi vsque septies, sed septuagies septies*: vel tametsi duos vulnerauerim tritauum, & armigerũ, id tamen nec ex inuidiâ, nec ex improbitate feci, nam primum occidi, cùm feram esse crederem, prout explorator puerulus retulerat, quod satis constat, ex eo, quòd dolore maximo de cæde perpetrata, & Caïno interfecto veluti rugiens, & extra me factus, tantáque irâ, atque tristitiâ commotus, vt de sede rationis deiicerre, etiam puerulum, quem castigatum, & seuerè correptum de incauta exploratione volebã, occiderim: eapropter aliquâ dignus sum excusatione, vt habitâ ad Caïni malitiam analogiâ, & ad pœnam, quam eius interfector sufficere debet, is qui me interfecerit, ad minimum vndecuplo maiora supplicia perferre debeat: vnde si vindicta illius septupla est: mea septuagecupla septupla erit. Alij sic explicant: si Cain septuplici pœnâ affectus est ob homicidium, cùm nõdum expertus esset, quàm grauiter Deus peccatum illud detestaretur, & quantis suppliciis afficeret, quanta me supplicia manent, qui cùm exemplum diuinæ vindictæ præ oculis haberem, minimè tamen à cæde abstinui: certè septuagies septies maiores pœnas dabo.

Math. 18.

Multa verò de his numeris aiunt, vt quòd Christus post 77 generationes, quas ab Adam ad Christum Luc 3. descriptas habemus, peccatũ Lamech exoluturus sit, & illas pœnas sua passione finiturus, vt vult D. Hier. & Proc. vel 77 generationes per Lamech designari, in quarũ fine puniẽdus sit, vel 77 eius filios diluuio perituros, ita Iosephus. Alij volunt 77 idem esse, ac 490, qui efficiuntur ex 70 multiplicatis per 7 eo modo, quo diceremus ter quater. i. 12, & non ter, & quater. i. 7. Qui verò posteriorem sensum de septuplâ pœnâ Caïno, & septuagecula septima Lamecho inferenda sequuntur, per 7 grauissimam pœnam intelligunt, per septuplam septuagecuplam grauissima grauiorem, ac velut immensam, vt hic numerus sit immensitatis, sicut ille multitudinis.

Luc. 3.

Ioseph.

Sanè tametsi probem numeros hoc vltimo modo sumi posse, nec illis curiosius inhærendum esse velim, aut censeam, quia tamen nihil in Scriptura gratis positum est, nõ abs re fuerit, si discutiamus, cur potiùs hoc numero 77, qui nascitur ex septenario per vndenarium multiplicato, quàm alio, siue ex septenarij multiplicatione oriundo, siue non, Moses, & Spiritussanctus vsi fuerint: poterãt enim afferre 49, vt septenarius quadraretur; potuisset 63 poni, vt ad magnum, & insignem climactericum alluderetur: potuisset non vlteriùs progredi, quàm 70, qui numerus oritur ex duorum perfectorum nempe 7, & 10 multiplicatione, ideóque sequenti quæstione rationes inuestigemus.

QVÆSTIO LVIII.

QVARE SPIRITVSSANCTVS NVMERO SEPTVAgenario septimo potiùs, quàm alio hîc vti voluerit.

REum confitentem habemus, qui libens fatetur ἄνδρα ἀπέκτεινα εἰς τραῦμα ἐμοί, καὶ νεανίσκον εἰς μώλωπα ἐμοί. in vulnus, & liuorem mihi, quod aliqui ita volunt intelligi, vt innuat se maius in conscientia vulnus, maioremque plagam accepisse, quàm ipsi interfecti: nam homicida, & omnis peccator per culpæ contractionem priùs seipsum lædit, quàm alios, vnde perpetuus ille carnifex, & accusator synderesis, & vermis cõtinuò rodens innascitur, quod præsertim homicidis conuenit, qui suâ etiam vmbrâ, & foliorum murmure deterrentur, existimãt enim quibusdam defunctorum manibus se obiici, & laruas imaginantur: quod lucu-lẽtissimo probatur exemplo desumpto ex c. 166. Prati spiritualis Sophronij, vbi legimus latronem, qui Monachus factus fuerat, assiduè à puero his verbis interrogatum fuisse, *Cur me occidisti*? Quapropter monachus monasterio egreditur veniâ priùs peritâ, & vrbem ingrediens captus, & decollatus est: Reum inquam confitentem habemus, sed nondum castigatum; qui etiam addidit,

Sophroni in prato.

כִּי שִׁבְעָתַיִם יֻקַּם־קָיִן וְלֶמֶךְ שִׁבְעִים וְשִׁבְעָה

Ὅτι ἑπτάκις ἐκδεδίκηται Κάϊν, ἐκ δὲ Λάμεχ ἑβδομηκοντάκις ἑπτά.

Quos textus ideo retuli, quia paulo aliter, quàm vulgata habere videntur: græcus enim de verbo ad verbum ita habet: *Quia septies vindicatum est Cain:* de Lamech autem septuagies septem. Paraphrastes Chaldæus. Quoniam si in 7 generationes vindicta

vindicta dabitur de Cain: nonne de Lamech in septuaginta, & septem. Textus autem hebræus, *Quia septuplum vindicabitur Cain, & Lamech septuagies, & septies.* Onkelos ex versione Fagij. *Quoniam generationes 7 suspensæ sunt Cain, nunquid Lamech filio eius septuaginta & septem*: vbi notat se Targum, seu Chaldæum, quod est in exemplari Venetiano, vertisse, à quo Targum editionis Complutensis in aliquibus locis nonnihil variet: sed de sensu horum omnium satis, supráque dictum est, ideoque quæstionem aggredior.

Onkel.

Targum.

Iam antea insinuaui Christum ab Adamo esse 77, qui omnia nostra peccata deleuit, quæ per Lamechi peccatum repræsentantur, vt sicut 7. generatione peccatum Caini abolitum est, ita & delictū Lamech 77 deleatur: vnde volunt Lamech humiliatum significare, qui nisi per Christum surgere potuit, vt habet Alcuinus. At verò in hoc numero considerandus est septenarius, & vndenarius, ex quorum multiplicatione 77 procedunt; Imprimis ergo vndenarius, quatenus à numero perfecto denario exorbitat, peccatum arguit, quo decalogum transgredimur, & vitam æternam denario significatam Math 20. perdimus, cui homo septenarium comprehendens, ternarium in mente, & quaternarium in corpore, totus adhærere debebat, vnde & eius motus ad peccatum per septies vndecim significatur, vt enim homo, cùm Deo inhæret, eúque diligit ex tota anima, ex toto corde, & ex tota mente, suis omnibus facultatibus bene vtitur: sic illis abutitur, dum aliquod scelus perpetrat, fitque corpus vnum cum peccato.

Alcuin.

De numero vndenario.

Math. 20.

Præterea nonnulli colligunt peccatum Lamech fuisse remissibile, quia numerus 77, in 7, & 11 dissolui potest: peccatum autem Cain remitti non posse, quia 7 est numerus primus incompositus nullam habens partem aliquotam. Quod quidem falsum est, nisi in peccato Cain finalem pœnitentiam, & obstinationem in malo concludas.

Alio modo Beda in c. 18. Math. disserit de 77: qui cùm numerum septenarium septiformi gratiæ Spiritussancti dedicatum significet, sicut vndenarius omnia peccata: dicere possumus nullum esse peccatorum numerum, quem Spiritussancti gratia delere non possit. Adde quòd 11. saga cilicina pœnitentium habitū significarent Exod. 36. hœdus enim peccatores repræsentat; Dauid etiam Psal. 11. defecisse ait sanctos, & veritates esse diminutas à filiis hominum. At nunquid licet dicere numerum septenarium omnem perfectionem includentem Christum Dominum, vndenariū verò omnes peccatores repræsentare, quos Christus Dominus suā passione ad seipsum, atque adeò ad perfectionem septenariā reduxit? quid enim Christo perfectius? quidue peccatoribus imperfectius? qui propterea rectè cum vndenario comparantur, qui tātā habet imperfectionem, vt in vndecima numerorū linea, vel sede vnitatis nullus perfectus numerus inueniatur, licet id ferè contingat aliis: vnde & nothis attribuitur: hinc cùm Delphicum oraculum haberent Lacedæmones cum eorum imperium casurum, cùm mancus, ac claudus imperaret: Leander interpretatus est nullum magis debilitatum videri, quàm qui ex adulterio natus malè audiret; vocant etiam illos homines 11 vnciarum, quia à libra perfectionis, vt pote leuiores, deficiunt.

Beda. Math. 18.

Exod. 36. Psal. 11.

Quomodo verò nullus perfectus numerus in vndenaria vnitate reperiatur breuiter explico. Numerus perfectus ille dicitur, qui inter abundātem, & diminutum existit, cuius nempe partes omnes simul coniunctæ totum illum numerum coæquāt: vt constat in numero senario, cuius partes sunt, quæ sequuntur. medietas nempe 3, tertia pars 2, & sexta 1, quæ simul additæ senarium perfectum reddunt, qui neque superfluit, neque diminuitur. Itaque nullus est perfectus in linea vndecim vnitatū: reuolue enim quot volueris 11 numeros per quascūque notas siue per 1 cū 10 ziphris 0000000000, etenim siue 11 vnitates, vel 11 ternarij, quaternarij, & sic de cæteris enumerentur, nullus vnquam numerus ex illis quibuscunque numeris exurget, qui perfectus sit, quod etiam de 17 notis, vel 15 simul additis verum est. Hinc fit, vt cùm adeo rari sint perfecti numeri, virtutibus conferantur, quæ sunt inter 2 vitia, & inter plus, & minus æquitate gaudent, nec ad plus, aut minus deflectunt, vt patet in liberalitate, quæ tametsi sua elargitione prodigalitati cōsentire videatur, & auaritiæ sua acceptione: attamen ab hac, & illa prorsus abest, & vtrámque à se repellit, seseque mediam collocat, quò fit vt virtus etiam posita sit in medietate geometrica, quia in maioribus, & minoribus numeris, spatijs, ponderibus, & actionibus semper æqualem proportionem retinet; Idcóque perfectus numerus existit inter numerum abundantem, & diminutum geometrica medietate, & non inarithmetica, vel harmonica, siquidem arithmetica in minoribus maiorem, in maioribus minorem proportionem obseruat, harmonica verò in minoribus numeris, seu terminis minorem, & in maioribus maiorem obseruat.

Numerus perfectus quid sit?

Proportio geometrica, & harmonica.

Exemplum igitur de perfecto numero assigno in senario, qui inter 4, & 9 positus seruat medietatem, & proportionem geometricam, nam sicut ad quaternarium proportionem habet sesquialterā, ita & cum nouenario subsesquialteram vt patet in hac dispositione 4. 6. 9. quantum enim senarius superat quaternarium, tantum à nouenario superatur, vel quod eodem recidit, quemadmodum se habet quaternarius ad senarium, ita senarius ad nouenarium. Sed aliàs harum medietatum proportionem, & vtilitatem declarabimus. Superest vt aliqua notemus ad hunc versiculum pertinentia; primò syrum non 77. sed 70. tantùm habere, vt ait Procopius, deinde in sententia eorum, qui pœnas illas Lamechum dedisse aiunt, ideo grauiùs afflictum, quia cognouerat signum, quod Deus in Cain posuerat, ne occideretur, quo non obstante illum interfecit, cùm alij omnes propter signum ei pepercissent: hincque 7 generationes, quæ fuerāt affectæ iniuria liberasse, quibus fauet Theodotion dicens, *per septenarium vlciscetur*, vel vt Symmach. *Septimus pœnas dabit.* Proinde Lamechus fortè septimus fuit, qui pœnas Caïno inflixit. Addit & Cain pœnis afflictum propter suam animam, quæ voluit quoque vlcisci eum à quo fuerat offensa. Refert etiam ex quibusdam eas vxores duxisse virorum, quos occiderat; quos viros Dei filios, seu Sethi fuisse dicūt, adeour raptū existiment Enoch, ne occideretur à Lamech, sicut alij; qui cùm eum raptum esse sciret, idémque de cæteris, quos occiderat, apud se cogitaret, doluit de homicidijs, & ea confessus est: Sed ea cautè legenda sunt apud Procop. in c. 4. in fine, quorum plurima tametsi fundamento careant, nec illa doceat ex propria mente, sunt parui momenti, ex quibus tamen facilè conijcitur tantam illo sæculo regnasse impietatem, vt homines iustos improbi vix sufferre possent.

Procopius.

Theodotiō Symmach.

VERSICVLVS XXV.

Cognouit quoque adhuc Adam vxorem suam, & peperit filium, vocauitque nomen eius Seth, dicens: Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain.

וַיֵּדַע אָדָם עוֹד אֶת־אִשְׁתּוֹ וַתֵּלֶד בֵּן וַתִּקְרָא אֶת־שְׁמוֹ שֵׁת כִּי שָׁת־לִי
אֱלֹהִים זֶרַע אַחֵר תַּחַת הֶבֶל כִּי הֲרָגוֹ קָיִן׃

Ἔγνω δὲ Ἀδὰμ Εὔαν τὴν γυναῖκα αὐτοῦ· καὶ συλλαβοῦσα, ἔτεκεν υἱόν. καὶ ἐπωνόμασε τὸ ὄνομα αὐτοῦ σήθ. λέγουσα, ἐξανέστησε γάρ μοι ὁ θεὸς σπέρμα ἕτερον ἀντὶ Ἄβελ, ὃν ἀπέκτεινε Κάϊν.

QVàm bene Abacuc Propheta cap. 2. dixit, *Si moram fecerit, expecta eum:* nunquid enim indicasset aliquis iustorum Deum oblitum fuisse, postquam scelestissimum Cain, & eius progeniem ita florere permittit, bonos autem opprimi? At verò hactenus impia progenies obtinuit, altissimo deinceps silentio sepelienda; vbi iam pretiosa bonorum generatio nouum habet stipitem in Setho; nec abs re fuit, quòd Moses nobis impiorum posteritatem ob oculos proposuit, vt eorum crudelitatem, sæuitiem, inuidiam, luxuriam, & cætera vitia deuitemus. Itaque linea, quæ per homicidium Abelis intercisa videbatur, in Setho redintegratur; nec mireris, si scriptura non commemoret alios Adami filios, quandoquidem eius propositũ fuit, vt nos lineâ rectâ ad Christum dominum rerum omnium colophonem, & consummatorem perduceret, cuius gratia omnia facta sunt, ad cuius genealogiam cùm alij minimè pertinerent, quid necesse fuit eos commemorare. Quapropter neque velim impendere tempus in plurimis inuestigandis, quæ non ita ad rem facere videntur, qualia sunt: An Adam abstinuerit, an verò generauerit alios ante Seth, post obitum Abelis, quot numero cuiúsue conditionis, de quibus alioquin certi nihil habemus. Græcus habet, *συλλαβοῦσα ἔτεκεν υἱόν, concipiens peperit filium*, at nihil refert, quia satis patet non potuisse parere, quin priùs concepisset. *Peperit ergo Seth*, tanquam nouum semen in quo spes esset, & à quo Messias oriturus esset. Ideo autem filium nomine Seth appellauit, quia Deus ei reddiderat Seth pro Abel: hinc Seth est fundamentum iustorum, & generationum sequentium vsque ad Messiam.

Quem occidit Cain, quæ verba Mosis esse quidam arbitrati sunt: at probabilius est esse Euæ: tametsi vertas cum Hebræo *: quia posuit mihi Deus semen alterum pro Abel: quoniam ipsum occidit Cain.*

Deinceps verò filij Seth recensebuntur, & sancta Christi generatio incipiet: vnde in sequenti versu filius אנוש Enos annumeratur, in quo fragilitas, & miseria, sicut antea in nomine Abel mundi vanitas ob oculos ponitur, vt seriò cogitemus, quàm caduca sint, quàm breuia, quàm fragilia, quàm parui facienda, quæcunque videntur, aut tandem aliquo sensu percipiuntur: Constat autem esse tria nomina hominem significantia, de quibus dictum est Adam, Isch, & Enos.

Cùm autem adeò frequenter hisce loquendi modis & Scriptura, & Catholicæ mulieres filios suos à Deo esse fateantur: & ipsa Eua læta de nouo filio fateatur sibi à Deo positum, seu datum esse, posset hîc aliquis inquirere, cum Deus magis ad filiorum, quàm aliarum rerum productionem concurrat: hinc enim sciretur, an magis Dei sint homines, quàm aliæ creaturæ, & an maius in nos, quàm in alias creaturas dominium habeat, & magis ei curæ simus, sed id in alijs locis fieri poterit.

VERSICVLVS XXVI.

VERSICVLVS XXVI.

Sed & Seth natus eſt filius, quem vocauit Enos; iſte cœpit inuocare nomen Domini.

וּלְשֵׁת גַּם־הוּא יֻלַּד בֵּן וַיִּקְרָא אֶת־שְׁמוֹ אֱנוֹשׁ אָז הוּחַל לִקְרֹא בְּשֵׁם יְהוָה׃

Καὶ τῷ σὴθ ἐγένετο υἱός· ἐπωνόμασε δὲ τὸ ὄνομα αὐτοῦ, ἐνώς· οὗτος ἤλπισεν ἐπικαλεῖσθαι τὸ ὄνομα κυρίου τοῦ θεοῦ.

Chald. MIrum eſt, quòd paraphraſis Chaldaica contrarium dicere videatur, iuxta quorundam tranſlationem; tametſi enim Complutenſis vertat conformiter hebraico, noſtroque textui. *Et Seth quoque natus eſt filius, & vocauit nomen eius Enos: tunc inceperunt filij hominum orare in nomine Domini.* Vbi 70 habent *ἤλπισεν ſperauit*, vt ipſe D. Nazianz. orat. ad eos, qui morbo ſacro eſſent implici- (Nazianz.) ti, habet, cùm Aquila verterit *τότε ἤρχθη; tunc cæptum eſt*, quod Theodoretus approbat; attamen (Aquila. Theodor.) alij vertunt, *Tunc in diebus eius inceperunt filij hominum, vt non orarent in nomine Domini*, vbi Fagius (Fagius.) ait quoſdam Hebræos dicere, quòd ita Seth vocauerit filium ſuum Enoſch, quòd tunc miſerum, & calamitoſum ſæculum eſſet, degenerantibus hominibus à verò Dei cultu ad idololatriam, impiâ atque flagitioſâ vitâ magis, atque magis apud eos inualeſcente, quod nomine Enos innui putant: quod autem Onkelos contrariam à veritate Hebraica ſententiâ reddiderit, ex ambiguitate vocis. (OnKel.) הוחל *hucal* factum eſſe ait, quòd alij pro *incipere*, alij pro *violari, & prophanari* exponunt, vt OnKelus legerit, *tunc prophanata eſt inuocatio nominis diuini.*

Video igitur ſenſum iſtius loci bipartitum eſſe, vt alij dicant poſt natum Enos, verum Dei cultum, ac pietatem inter homines laborare cœpiſſe, cum impia ſtirps Cain omnia cæde repleret, ideóque filio ſuo nomen אנוש Enos impoſuiſſe, quam ſententiam reddere paraphraſim exempli Venetiani Fagius in exegeſi dictionum aſſerit; quod ex Kimhi in radicibus confirmat ita loquente. *Eo quòd* (Fagius Kimhi) *in diebus Enoſch errauerùt poſt idololatriam*, & inuocatio nominis Dei tunc prophanata fuit. Sunt item, qui verbum הוחל *hucal*, per incipere exponunt hoc modo, Tunc incœperunt homines inuocare nomina ſimulachrorum, & idolorum nomine Dei.

Alij è contra volunt cultum Dei, qui per impiâ Cain ſobolem collapſus fuerat, per Seth, & Enoſch iterum fuiſſe reſtauratum; vnde quidam Hebræorum aiunt ipſum Seth nomen Enoſch, quod hominẽ ſignificat, filio ſuo indidiſſe, quod illũ natum homines tanquam bruta animantia ſine vero Dei cultu in mundo vixerint; nunc autem cùm cultus Dei, qui Abele interfecto nonnihil conciderat, operâ Seth, & Enoſch rurſus in publicum vſum redit, mereri homines appellationem Enoſch, ſiue obliuioſam ſignificet à radice נשה *Naſa*, ſiue miſerum, vti diximus, certæque morti addictum.

Quæ controuerſia cum ex interpretatione litteræ pendeat, ſtatuenda eſt nobis, & aſſerenda veritati: Duo ſunt quæ negotium faceſſere videntur: 1 eſt אז temporis aduerbium, quod à vulgato Interprete per pronomen demonſtratiuum redditum eſt. 2 verbum הוחל, cuius ambiguitate in varias abitum eſt ſententias: hoc aduertit neſcio quis Amama, & exultat hîc, imo inſultat (non ſecus ac Aman alius) populo Dei, & comprehenſam putat Eſtherem, Eccleſiam dico Catholicam, verùm amabo te Amama, ne triumphum cecineris ante victoriam, nondum euaſit, qui laqueum ſuum trahit. (Amamá impugnatur.) πολυθρύλητος hic locus eſt, ſed bonæ famæ, non qualis tu, & ei patrocinium, quanquam neſcias, præſtari poteſt. Quod enim אז ſignificet (*tunc*) Catholicorum nullus eſt qui negat, noſtra lexica hoc præ ſe ferunt, quare non multùm te iuuant laudati Eugubinus, & Caiet. credidiſti quidem eorum meritis, quod debebas, vt cum honoris præfatione eos allegares, attamen tuum conſilium aliud fuit, cauſæ noſtræ diffidentiam ingerere volebas, quaſi deſerta iam eſſet ab eius patrono Eugubino, ſed fruſtra iacitur rete ante oculos pennatorum. Magni certe viri Eugubinus, & Caiet. & multa viderunt, ſed plus vident oculi, quàm oculus, & oculi plures paucioribus, tu nondum habes obfirmatam ſatis aciem oculorum, qui iuuenis adhuc es, vt ſcripturarum ſolem contemepleris, conſultiùs tibi fuerit aurem præbere, & magiſtris operam dare, audi igitur, & diſce aliam eſſe vim dictionis alicuius in contextus ratione, quàm ſi per ſe ſumatur, exemplum ſit, quod præ manibus habemus, ne doceri impatiens nos non audias: אז ſumptum per ſe aduerbium eſt temporis; orationi iunctum non amittit quidem vim huius ſignificationis, ſed aliò refert, aut certè determinat ex antecedentibus, & conſequentibus, & ſignificat tẽpus, quo res hæc, & ab ea perſona, de qua eſt ſermo, facta eſſe dicitur; tẽpus igitur ſignificat, & conſignificat perſonam, maximè autẽ vbi verbũ eſt ambiguæ ſignificationis (quod apud Hebræos ſatis frequens eſt) tempus aut perſonam à verbo conſignificari ſolitã determinat, verùm quia apud Latinos verba non habent hãc in ſignificando ambiguitatem, & tempus perſonamque ſatis exprimunt, liberum fuit interpreti eorum alterum explicitè ponere, ſatiùs tamen, vt perſonam exprimeret, quo ambiguitatem quæ hebraicè legentibus occurrebat,

tolleret, & amandaret, doceretque verbum הוחל personale esse, non impersonale, quale mauis. Deinde Scriptores sacri vtuntur loco pro persona, & tempore, aliquando etiā tempore, pro persona, vel loco &c. quæ hebraismorum genera docebit te D. Ioannes Alba vir in hebræis præclarè versatus ordinis Cartusiens. lumen, Ariæ Montani discipulus, neque enim ea prosequi animus est, vt iam non sit opus dicere vulgatum legisse זה pro או vt tuus Drusius volebat, qui & addit græcos החל pro הוכל legisse. Denique futuros præuideo, qui hanc Spartam nacti eam gnauiter exornent, ac te iuueniliter exultantem sapere doceant, nec temerè quidquam proferre, aut incogitanter. Cæterùm non video, cur labores in vindicanda τῶν LXX. versione, occurris obiectioni, de qua ne per somnium quidem Catholicorum aliquis cogitauit, hostem tibi fingis puerorum more. Lectionem LXX. hoc loco agnoscimus, eam retinuit vulgatus interpres D. Hieronymus, vtrique te doctrinâ, & ætate prouectiores. Venio ad alterum controuersiæ caput. De verbo quæstio est, imo de puncto, quo deductum fere transiuit in patah, vt pro הוחל à יחל in hiphil, הוחל à חלל in hophol legeretur: Ita enim legisse 70 ex eorum versione satis manifestū est, quorū authoritatē, & lectionē sequutus vulgatus interpres הוחל quidem deduxit à יחל non eodem tum verbo reddidit, sed vim expressit coniugationis, quæ transitiua est, & actionem ad extra significat, idque pro modo rei significatæ, vnde cum expectatione, & spe minus perfectum aliquid indicetur, actionem eius conuenientissimè inceptione definiuit. Quid hîc Amama הוחל, inquit, non significat, *incœpit*, sed *cœptum est*. Axiomaticæ plusquàm fidei pronunciatum, si Deo placet.

Aquila.

Autores profers Aquilam, & D. Hieron. Demus, quid conficis? alteram à nostra huius loci lectionem probes, nostram non improbas: vtramque agnouit D. Hieronymus, à quo habemus vulgatam, vt optimè docet Castrius in Apologetico, & alibi si res tulerit, probabimus, hanc tu reiicias, illam admittas, qua autoritate? hanc probat Ecclesia Catholica, & probauit hactenus, illam tolerauit, putas, præiudices illius autoritati. Nimium iuuenis, & vnius noctis fungus, vnius eiusdemque loci non duas, sed plures lectiones non diffitemur, lectionis vnius plures, ad litteram quoque sensus vltrò concedimus, sed eam maximè probamus, & retinemus, quæ est omnium optima, nec si vires omnes exerueris, quanquam iuueniles sunt, Ecclesiam à sua sententia vnquam poteris dimouere, aut deturbare. Vide sis, quid de Onkelos subtexas; verbum, inquis, impersonale in personale resoluit, sed pluraliter fidem sequutus exemplaris Veneti, ego probatioribus vtor, & inuenio singulariter ab eo redditum, concedam nunc impersonale in personale verbum resoluisse, hocque affirmem fecisse vulgatum interpretem, rides: Admissi spectatum risum tenete. Verum quoniam mihi res tecum Amama, tuum quoque iudicium expecto, diffidis quenquā esse, qui sibi persuaderi patiatur cum Enoso incœpisse adorationis cultum; incœpit Amama, sed eo sensu, quem suprà attigimus. Tu eum assecutus non es, & diffidentiâ probandæ veritatis ab ea resilis. Iuuenilis hoc est, nec sibi constantis animi. Quid tandem, quid Amama reponas, ne fluctuantem lectorem dimittas? Nescis, dubitas: sed vide, ne fraternitatis offensionem incurras; Galli, Angli *tunc inceptum est* (legunt) *denominari de nomine Domini*: pedibus is in eorum sententiam, optimè sensum eorum capis, eadem enim phrasi dictum est, qua nomen alicuius super aliquem dicitur inuocari. Commentum hoc, tuum est illud tibi fraternizantium: (vt ita loquar) cui Mercerus multam autoritatem apud eos conciliauit, sed vtrumque seipso corruit, adeo infirmum est, & vanum: & alij sunt, qui minimo digito pulsatum solo æquarunt. Tuum igitur commentum tibi sit, atque vtinam ipse tu tibi, ne in ea, quam hinc astruis hominum dissectione, & diuisione partem teneas, cui dictum est, vos autem sicut homines moriemini, & sicut vnus de Principibus cadetis, cui & dicendum aliquando, *Ite maledicti in ignem æternum*, &c. nisi seriò resipueris.

Sed vt ad rem veniamus שת Seth, vt puto, venit à radice שתם *satat* idest, *fundauit*, & quidem appositè, cùm Seth fundamentum ciuitatis Dei loco Abel futurus esset, qui Christum verum Ecclesiæ fundamentum 1 Cor. 3. referebat. Iudæi fabulantur Lamech inobedientes mulieres ad Adamum, vt ad iudicem adduxisse, qui cùm mandaret eis, ne marito debitam beneuolentiam negarent, abiecerunt ei mulieres, cur itidem non cum Eua faceret; Eum propterea, qui ab occiso Abele ab vxore abstinuerat, iterum cum ea consueuisse, ne exemplo suo aliis author esset perpetuæ continentiæ, & mundus non multiplicaretur. Iam ergo Dei cultus renouatur, qui Cainitarum impietate velut oppressus erat, quod tamen nunquam fiet, cum illa promissio de semine caput serpentis, & impiorum contrituro sit infallibilis. Nec tamen credendum est omne tempus ab Abel vsque ad Seth sine omnimoda Dei inuocatione transactum fuisse; tametsi dicatur hîc inuocationem Dei cœpisse, quo intelligendum est cultum Dei magis prouectum fuisse, vsque adeò vt non puderet Seth, & Enos palam exercere, idque cæremoniis externis additis, quod antea velut occultè, & minus apertè quidam peragebant. Sunt autem qui ex his 4 capitibus hominum immortalitatem inferant, quandoquidem 1 caput asserit hominem ad imaginem, & per consequens ad immortalitatem conditum esse; in secundo per peccatum hanc immortalitatem amissam esse. In tertio, seminis promissione renouari immortalitatem; in quarto testatur Deus per sanguinis clamorem Abel immortali vitâ donatum esse: ita etiam in 5 exemplum immortalitatis in translatione Henoch habere videmur. Porrò אנוש venit à radice אנש *anas*, quod est, doluit, ærumnisque affectus fuit, siue quia ab impiis Dei cultum expugnare cupientibus afflictus fuerit, siue quia Seth futuram suorum iustorum videlicet sortem præuidebat, *Omnes enim qui piè viuere volunt in Christo Iesu, persecutionem patientur*. 2 ad Timot. 3. Cùm autem hîc ponatur nomen Iehoua, sunt qui nomen hoc יהוה iam in vsu fuisse putent, tametsi dicatur in Exodo Mosi primò reuelatum, quod facit ne mentem S. Cyrilli, Theodoreti, Emisseni, & Suidæ sequamur, qui censent Enoso ob insignem pietatem Dei nomen impositum fuisse, eiusque natos Dei filios nuncupatos esse, verùm probabilius esse videtur Mosem ad suum æuum respexisse, cùm illo nomine vsus est.

1 Cor. 3.

Fabula hebræorum.

Nota pro immortalitate animæ.

2 ad Tim. 3.

Cùm ergo cœperint homines inuocare nomen Domini, cuius cultus profundiores radices egisse videtur, quando natus est Enos, pro viribus inue-

Motiua quibus ad Deum colendum inducamur. stigandum est, quâ ratione nos ipsos ad Deum colendum, amandum, & adorandum inducere possimus; Certum est nos esse Dei seruos, ac proinde nos eius voluntati omnino subdere debere, eius enim sumus, quicquid sumus, magis quàm seruus Domini, vnde D. Aug. tract. 29. in Ioan. August. dicebat, *Quid tam tuum, quàm tu, & quid non tam tuum, quàm tu, si alicuius es, quod es*; propterea *dispositionibus æternis restricti viuere debemus*, inquit D. Greg. 10. mor. c. 10; Gregor. Ad illud vitæ genus voluntati diuinæ subditum maximè prouocamur ex eo, quòd Dei natura nostræ tantis interuallis antestet, vt in conspectu eius nequidem instar puncti, sed nihil omnino simus; deinde quicquid habemus, ei acceptum ferre necesse est, fecit enim mundum, & omnia, quæ in eo sunt Act. 17, & Iob. 41. Actuum 17. Iob. 41. Bernard. *omnia, quæ sunt sub cælo, mea sunt*; vnde D. Bern. ait serm. de quadrupl. debito, *Totum ergo quod es, illi debes, à quo totum habes*, tametsi enim *innumera sint homini prærogata beneficia, quibus ad famulandum Deo astringitur, ex hoc solo, quod ab illo habet esse, vsque ad mortem ei obtemperare tenetur*, inquit Laurent. Iustin. l. de obed. cap. 5; *hac nempe conditione gignimur*, addit Lactant. 4. inst. cap. 26, Laur Iust. Lactant. *vt generanti nos Deo iusta, & debita obsequia præbeamus.*

Tertiò Deus est finis noster, atque adeò propter eum omnia facere tenemur, nosque, & omnia nostra in eum referre, ad quod, existimo, Dei iuuante gratia, sine qua nihil omnino possumus, & quam semper intelligi, atque præsupponi velim, dum in sequenti quæstione, ac similibus ex proprio, seu præpostero, & inordinato nostri amore nos ad Dei cultum, & amorem veluti manuduci assero) per viam amoris facilè peruenire possumus, qua propter relictis cæteris motiuis & rationibus, sequenti quæstione ostendere conabimur, quî possit vnusquisque Dei gratiâ fretus ex amore sui proprio, quo impij reguntur, in amorem Dei sese transferre.

QVÆSTIO LIX.

DE MOTIVIS, QVIBVS AD COLENDVM Deum homines induci possunt.

ARTICVLVS I.

QVÆDAM SVPPONIT, ET DECERNIT.

NEmo est, qui non libentissimè fateatur creationis, atque conseruationis beneficium, sidera, elementa, omnesque creaturas nos ad diuinum cultum, & honorem prouocare, mitto enim in præsenti Incarnationem, & omnia beneficia exinde manantia, quæ nondum patribus exhibita fuerant; sed nouo modo procedere libet, & ab exemplo rei totius vniuersi pessimæ docere, quâ ratione quâue diligentia Deum Opt. Max. ens entium colere debeamus.

Itàque Deus, vt pote bonus, amandus est, & quia summus, summéque bonus sine modo, vel mensura diligendus est; prima verò religio, qua numen obseruari debet, amoris pietas est, vt Christiana religio docet illo præcepto, quo iubet, vt Deum ex toto corde, anima, mente, & viribus diligamus, quod est primum, & maximum mandatum, in quo prima cõsistit hominis iustitia; sic igitur in amore, primus, quo quis colitur, continetur honor, cùm aliquem amare, sit testificari, in quanta quis illum æstimatione, in quanto habeat honore.

Vnde qui primò quempiam amat, primò illum honore dignatur, in maxima se illum reputatione, & honore habere fatetur. Quod igitur quis priùs amat, priùs honorat, quod minus amat, minus honorat, & quod maximè amat, ante omnia, & maximè honorat; adeout honor, & amor in idem coincidere, & coire videantur, si enim amas, honoras, si non amas, non honoras. Deum autem nemo amat, qui non primò illum amat, quia nullus alius amor, quo quis Deum diligit, amoris veri nomine dignus est; Quapropter cùm non primò amatur, odio habetur, maximâ afficitur iniuriâ, quod autem odio habetur, vilipenditur, atque contemnitur; Hinc infero nulla erga Deum religione eum affici, qui seipsum primò amat, imo in continua summi boni blasphemiâ versatur, nam qui seipsum ante Deum amat, idem est, ac si diceret, Deus non est summum bonum, nec amore nostro dignus, ego sum summum bonum, & dignior, qui amer, quàm Deus ipse: nihil est meo amore dignum præter meipsum, quandoquidem hæc omnia firmiùs asserit quis seipsum primò amando, quàm si linguâ proferret, ideóque in continuâ blasphemiâ Dei, & continuo mendacio versatur, nec in eo vlla vera religio, sed falsa, mendaxque residet, siquidem religione seipsum tantùm colit, & veneratur, licet templa Dei frequentet, & se verâ Dei religione teneri profiteatur.

Quantum Deus bone, & quàm profundum est malum, imo malorum omnium abyssus amor ille sui peruersus, quo tamen maxima pars hominum laborat, qui tametsi Deum labiis honorare videantur, attamen cor eorum longè est ab eo.

Ergóne fieri potest, vt quis sibi diuinitatem vsurpet, séque sibi Deum eligat, & faciat, suique ipsius sit idololatra? verum Idolum, quod, teste D. Paulo, nihil est in hoc mundo, etenim omne falsum, non ens est, nihil est, nam sicut ens, verũ, bonum conuertuntur, ita non ens, falsum, & malum; Homo igitur philautiâ se idolum, & nihil facit; nec enim est reuera, quod se esse putat, quia nulla est in eo diuinitas, sed summa diaboli imitatio, qui diuinitatem sibi vsurpare voluit.

Deóque auferre, séq; Dei loco constituere, vt manifestum est ex eo, quòd se à Gẽtilibus, vt Deum in simulachris coli fecerit, crudelibusque hominum sacrificiis, & homicidiis diuinos honores sibi deferri. Et quidem si omnes sui amantes auderent in medium proferre, quod in corde tectum seruant, etiam diuinos honores sibi ab omnibus exhiberi cuperent, atque id desiderare palam, manifestéq; profiterentur, vt quidam Imperatores fecêre, quorum nonnulli eò proruperunt insaniæ, vt publicis edictis diuinos sibi honores decreuerint, séque Deos adorari exegerint, & fecerint, quod nunc post tantam veri Dei cognitionem attentare nullus ausit, ne toti se ridendum orbi propinaret, tametsi quod palã, & publicè fecisse non audent, aut apertè dixisse verentur, velle se, atque cupere de facto in operibus suis euidentissimè prodant, atque manifestent, velle scilicet se à cunctis adorari, venerari, coli, ipsi certè saltem seipsos adorant, colunt, atque vt Deos venerantur, adeout si quis scire manifestè velit, quomodo verus Deus colendus sit, quod quidem hîc inuestigamus, in seipso diuini cultus amplissimum exemplum habeat. Verùm enimuero omnis inimicitia, quæ est inter Deum, & homines sui amantes, ex eo nascitur, quòd de prioritate loci in voluntatis humanæ regno contendant, quis in ea possidebit, & primum locum obtinebit, vt in ea regnet, imperet, & dominetur. Primus autem locus iure naturæ Deo debetur, ad quem ius dominandi, & imperandi spectat; at voluntas sui amans eum è throno suo deturbatum ex voluntatis regno fugat, expellit, & eiicit, primámque sedem occupat, & vsurpat seipsam dominam, reginámque faciendo, & regni animæ suæ coronam assumendo, quæ soli Deo debetur, quam vbi sibi assumpsit, diuinos sibi honores exhiberi, séque vt Deum adorari expetit. Nunc igitur, vt sciamus, quomodo Deus colendus sit, eumque reuera colamus, atque veneremur, pressiùs considerandum est, quomodo sui amans, postquam Dei sedem vsurpauit, se gerat erga seipsum, quidue sibi fieri velit, quidue sui causâ faciat, vt enim rectè Deum colat, & adoret, debet ex Dei sede descendere, & loco sui Deum ponere, eáque illi exhibere, quæ sibi facta volebat, dum se Dei loco constituerat, & sedebat, quæ omnia distinctiùs explicanda sunt.

ARTICVLVS II.

DE VNO, ET TRIGINTA MODIS QVIBVS ad Deum colendum ex amoris nostri proprij consideratione adducimur.

Homo seipsum amans, qui seipsum pro Deo eligit, vt sit sibi ipse Deus, primùm incipit se ante omnia primò, atque principaliter amare; sic autem homo, qui pro Deo summum bonum eligit, Deum in primo loco, & prima sede voluntatis suæ constituere, & incipere illi per amorem adhærere, illum primo suo amore adorare, & colere debet.

2. Deinde philautus volũtatem suam ante omnes alias voluntates amat, eamque solam in omnibus sequitur; sic qui Deum adoratum cupit, debet hoc ante omnia propositum habere, vt Dei de cætero voluntatem solam, & præ cæteris amet, & sequatur.

3. Sicut philautus omni voluntati renuntiat, vt suam sequatur, ita Dei cultor omni voluntati etiam suæ renuntiare debet, vt solam Dei voluntatem teneat, & sequatur.

4. Sui amator voluntatẽ suam cũ omnibus, quæ habet, sibiipsi donauit, & tradidit; at verus Dei cultor voluntatem suam cum omnibus, quæ voluntatis suæ imperio subiacent, ante pedes Dei, quem in sua voluntate sedentem habet, & regnantem, nihil sibi reseruando collocare, & ei ius omnimodum in totum seipsum conferre debet.

5. Sicut philautus vellet ab omnibus se diligi, ita Deum amans, & colens eum ab omnibus amari cupit, & desiderat.

6. Sicut homo sui amans ante omnia proprium honorem amat, & desiderat, eumque conseruare, deffendere, & augere summè cupit, velletque se ab omnibus honorari, & honorem suum conseruari, atque defendi, ita Dei verus cultor amat super omnia Dei honorem, quem vellet à cunctis honorari, & cunctis aliis honoribus anteponi.

7. Vti sui amans, quicquid facit, pro suo id honore facit, & super omnia cauet, ne quid faciat, vnde suus honor offendi, diminuiue possit, sic verus Dei cultor in omni suo opere Dei honorem, quem vellet à cunctis honorari, respicere debet, & in eius honorem omnia quæ facit, fecisse.

8. Vti sui amans omnes suas diuitias, & opes, atque amicorum suorum, ipsam denique suam, suorumque vitam pro suo defendẽdo honore quibusuis, & quantumuis magnis periculis exponit, ita Dei cultor omnia sua, & suorum bona, vitamque ipsam pro Dei seruando honore exponere, & expendere debet & paratus esse millies citiùs mori, quàm vt quicquam dicat, faciat, diciue, vel fieri contra Dei permittat honorem.

9. Sicut philautus odio omnem alium honorem habet, qui suo contrarius sit, cúmque eo non concordet, & summis viribus oppugnat omnem honorem suo contrarium, illique irascitur, & indignatur, ita verus Dei cultor, odio habet omnem honorem Dei honori contrarium, illumque oppugnat, persequitur, & destruere conatur, odio habens quicquid Dei imminuere honorem quoquo pacto potest.

10. Philautia laborans summè laudem, famam, & gloriam suam amat, velletque se ab omnibus laudari, omnes de eo bene loqui, neminem mali aliquid dicere, neminem eius operibus detrahere, à nemine vituperari, & omnem aliam laudem, quæ suę contraria sit, cum eaque minimè conueniat,

ueniat, odio habet; ita Deum amans, & verus fidelis Dei laudem amat super omnia, velletque Deum ab omnibus laudari, omnes de Deo bene loqui, neminem de Deo, aut eius operibus malè sentire, sed omnia, quæ facit, ab omnibus approbari, atque laudari.

11. Vt sui amator nunquam propriis satiari laudibus potest, omnesque suos laudatores diligit, & amat, & odio habet omnes detractores, ita Dei cultor nunquam Dei laudibus satiatur, aut fatigatur, omnesque laudatores Dei amat, & diligit, & eius inimicos odio persequitur.

12. Vt philautus magnum honorem, magnam famam, magnum nomen, magnas laudes desiderat, ita qui Deum colit, cupit, vt maximas laudes, maximum nomen, & maximam famam apud omnes gentes habeat.

13. Sicut sui amans gaudet, & lætatur, idque maximè in propriis suis laudibus, ita Dei cultor gaudet, lætatur, idque summè in Dei laudibus, nunquamque illi tædio est, aut fastidio, Dei laudibus interesse.

14. Sicut sui amans vellet, vt continuè, incessanterque laudaretur, neque nunquam ab eius laudibus homines cessarent, ita Dei amator vellet continuè in diuinis occupari laudibus, illasque semper audire.

15. Sicut is, qui se primò amat, sibi vellet credi, simplicique suo verbo sine vllis testibus, aut argumentis adhiberi fidem, & pro maxima habet iniuria, si quis ipsum mendacij suspectum habeat, ita Dei cultor omnibus, quæ Deus dicit, credere, & simplici eius verbo sine vlla rationis experientia fidem adhibere debet, neque vnquam Deum suspectum habere, quod sit vel mendax, vel deceptor.

16. Vt amator sui omnes sibi credere vellet nullo excepto, ab omnibusque dicta, factaque sua probari, ita Dei cultor vellet omnes Deo credere, & ad agnitionem deuenire veritatis, velletque omnes Dei fidem amplecti omni errore relicto.

17. Vt sui amator dolet, tristatur, irascitur, & pro magna iniuria ducit, quòd sibi non credatur, ita Dei amator, & cultor dolet, atque tristatur ex eo, quòd aliquos nolle Deo credere videt, illisque irascitur, qui Dei fidem abnegant, illique renuntiant, aut eam oppugnant.

18. Vt sui amator se vellet ab omnibus timeri, itaut nullum auderet ipsum offendere, sed omnes illum cum reuerētia, & timore obseruarent, & colerent; ita Dei cultor Deum ab omnibus timeri vellet, & omnes cauere, ne dicto, facto, aut cogitatione illum offendant.

19. Vti philautus se nollet à quoquam contemni, aut vilipendi, sed in summa apud omnes opinione, & æstimatione esse; ita Deum amans, cum contemni patienter videre, vel audire nequit, sed in summa eum omnes æstimatione haberent, cupit, & desiderat.

20. Sicut φίλαυτος sibi vellet in omnibus, quæ iubet, obediri, & contra rebelles, atque inobedientes irascitur, sic Dei amans cupit omnes Deo obedire, & eius à cunctis mandata seruari, doletque grauiter, dum eius mandata perfici minimè videt, vel contra ea quicquam fieri, & ipse Deo super omnia obedit, noctes, atque dies mandata illius meditatur.

21. Sui amator sibi ab omnibus seruiri cuperet; at Dei cultor omnes Deo seruire vellet, ipseque totis viribus Deo famulatur.

22. Sui amator decentibus ceremoniis, & externis signis reuerentiæ, omnes vellet in quanto habeant illum honore testarentur, sic amans Deum ceremoniis, signisque decentibus internum suum amorem, & honorem, quo Deum colit, testatum facit.

23. Vti omnes vellet sui amator honorariis se muneribus colere, & illi sua bona cum honorabili aliquo dono afferre; sic Dei amator externis sacrificiorum muneribus, & oblationibus honoratum Deum cupit, & diuinis sacrificiis libenter interest; gaudetque, quod iustis muneribus, atque tributis Deum homines colant, & honorent.

24. Sui amator vellet ab omnibus, quibus benefecit, sibi gratias agi, susceptorumque beneficiorum immemores odit; ita Deum amans gratias Deo agit, agique ab omnibus cupit, & ingratitudinis vitium maximè abhorret, & gaudet dum omnes acceptorum à Deo beneficiorum memores esse videt.

25. Vt sui amator collata à se in alios beneficia laudari, extolli, & celebrari gaudet, & cupit, ita Deū amans maximè gaudet in memorandis, & laudandis Dei beneficiis, quæ hominibus contulit, & eorum nunquam memoria satiatur.

26. Vt sui amator memoriam sui apud omnes tum viuos, tum posteros, perpetuam, & æternam esse cupit, suumque nomen in omni generatione recoli, & laudari, ita Dei cultor memoriam eius apud omnes continuam vellet, & eius obliuionem odit, & horret.

27. Vt sui amator collata ab eo in alios beneficiā signo aliquo externo, & visibili vellet immortali posterorum, & omnium memoriæ consecrare, nec solùm verbis, sed externis signis beneficiorum suorum memoriam conseruari; ita Deum amans cupit externis signis Dei memoriam Sacramentisque omnium memoriæ inculcatam, velletque erectis pyramidibus, colossis, templis, statuis, beneficiorum Dei memoriam immortalem reddere.

28. Vt sui amator nomen suum apud omnes in honore esse cuperet, & in suo nomine omnes lætari, & cum honoris præfatione nomen eius venerari; ita Dei amator nomen eius summè veneratur, cunctosque mortales ad nomen Dei celebrandum coëuntes libenter videret, & Dei osores temeratores è medio sublatos.

29. Vt sui amator omnes vellet homines amicos, & nullos inimicos, ita Deum amans eius super omnia colit, & desiderat amicitiam, omnesque vellet eam desiderare, Deique inimicitiam cauere.

30. Sicut amator sui vellet omnes amicos suos esse amicis suis amicos, & inimicos inimicis suis inimicos esse; ita Dei amator omnes Dei amicos colit, & amat, & omnibus Dei inimicis inimicus est, nihilque amat, nisi quæ Deus amat, & omnes amat, quos Deus amat, & omnes odit, quos Deus odit.

31. Sicut philautus vellet omnia sua sacrosancta esse, & à nemine violari, nec attingi, nisi iuxta suā voluntatem, & permissionem, eaque augeri, & cōseruari ab omnibus; ita Dei amator, & verus cultor omnia, quæ Dei sunt, & ad eum spectant, vel eius sunt honori dicata, sacrosancta habet, violare, aut prophanare illi dicata timet, in reuerentia, & honore ea omnia habet, illa augere, crescere, seruari sarta tecta desiderat.

Denique qui philautiâ laborat, noctes, atque dies nihil aliud meditatur, nisi quomodo suam in omnibus voluntatem impleat, & omnia media anxius quærit, per quæ eam perficere se posse existimat, & sine vllo præceptore simul atque se sibi Deum fecit per sui amorem, scit se cupere per omnia suam voluntatem adimplere, atque ad hoc totis viribus laborare; Iam verò Deum in sede animæ suæ loco sui collocet, & eum pro vero Deo, vti est, habeat, tuncque faciat omnia Deo, quæ sibi vel faciebat, vel facta cupiebat, dies atque noctes cogitando, quî Dei voluntatem implere possit omnia media quærendo, per quæ eam complere se posse existimabit. Vidimus igitur quomodo ex rei totius mundi pessima videlicet omnium peccatorum abysso φιλαυτίᾳ proficere valeamus.

Quod si qui nesciant, id ex eo prouenit, quòd mentem hisce considerationibus admouere non soleant, & negligant, seipsos nosse, suasque actiones, quò tendant, pressiùs dispicere non curent, alioqui per exempla naturalia rerum, suique ipsius experientiam, quî Deus coli debeant, didicisse potuerant; est enim homini religio naturalis, illique soli inter animantes propria, Cùm enim naturali iure amare, coleréque teneatur illum, qui summum illius bonum est, docet eum ipsa natura, vt eum colat, qui summus, & optimus est.

Hæc profectò maximum erga nos diuini numinis amorem arguunt, nec enim nos siue ante, seu post peccatum Deus sine testimonijs reliquit, quibus eum cognoscere, atque colere possemus, vt etiam hasce leges in medio nostri scripserit; nec ampliùs demiror, cur Scriptura toties ad sui cognitionem homines prouocet; & quidem *mirabilis facta est scientia tua ex me*, vt cum Psalte loquar, cùm etiam ea, quæ penitus à rationis orbitâ deuiarunt, in nostram vtilitatem, & ad maiorem tui gloriam, Deus meus, cõuertere possis, & reuera conuertas, Cùm autẽ nulli sint inter homines, in quibus amor sui maiores scintillas emittere videatur, quàm in regibus, quibus omnia ad nutum obediunt, prædicta eorum exemplo confirmabo, vt illustriora, clarioráque appareant.

De vndecim regum amoris proprij actib. quibus ad Dei prouehamur amorem, & honorem.

Itaque Imperatores, atque Reges vbique regnare, & dominari cupiebant, quod de paganis principibus intelligo, in quibus gratia minimè retundebat varios amoris proprij, seu philautiæ motus; ita nos desiderare debemus, Deum vbique regnare atque dominari, omnibus hominum voluntatibus præesse, & imperare.

2 Deinde sicut illi cupiebant à suis subditis amari, vt sic potiùs amore, quàm timore potestas eorum firmaretur; ita desiderare debemus, vt Deus ab omnibus ametur, & amoris vi eius in hominibus regnum firmetur.

3. Sicut reges sua regna, & imperia dilatari cupiunt, & ad hoc omnes suas vires exerunt, sic debet homo dilationẽ regni Dei cupere, & procurare.

4. Sicut propositis edictis dies festos in sui memoriam indicunt, celebresque esse cupiunt, ita in Dei memoriam dies festos suis indicere, sibique homo debet, in quibus recolendis Dei beneficiis incumbat.

5. Vt diebus certis homagium sibi fieri suis à subditis exigunt, & tributa solui, ita quisque Deo homagium præstare debet, iustáque obsequia exhibere.

6. Sicut res à se præclarè gestas à cunctis narrari, prædicari, scribi, recoli cupiũt; sic Dei res præclarè gestas tenetur homo recolere, prædicare, & illius beneficia multis enarrare.

7. Vt reges sibi ab omnibus seruiri cupiunt, promptamque omnes eis seruiendi voluntatem habere; ita Deo seruire omnes hilariter, sponte, voluntariéque debent.

8. Vt suam voluntatem implere, & contra rebelles irasci solent, & suam pro omni ratione voluntatem habere; ita nos debemus voluntatẽ Dei in omnibus adimplere, eamque pro regula in omni opere habere, neque vllam à Deo operum suorum rationem exigere præter illius voluntatem.

9. Vt reges consilia sua secreta tegunt, neque nisi à paucissimis, & selectis, atque fidis amicis sciri volunt; ita Dei consilia tenetur homo velle secreta, tectaque sint, neque tam temerarius esse, vt in ea quæstionum suarum irrumpat curiositate.

10. Sicut rex offenditur, cùm sui subditi rationem ab eo exigunt, cur hoc, vel illud faciat, ita Deũ illis irasci credendum est, qui diuinæ voluntatis rationes exquirunt, & ideo ad eius cultum spectat cauere, ne qua ab eo ratio diuinæ voluntatis exigatur.

11. Sicut reges sibi constantes in amicitia, fidelésque in promissis alios cupiunt, ita Deo constantes in fide, & stabiles in promissis esse debemus, quia iustè displicet ei stulta, & instabilis promissio. Facilè igitur sibi quis persuadebit ceremonias omnes, & Sacramenta, sacraque Deo instituente, vel inspirante constituta diligenter seruanda, & recipienda esse, sicut & omnia, quæ sacrorum principes, seu Sacerdotes ad Dei cultum augendum, & amplificãdum adinuenerint, & statuerint, dummodo nullatenus à Deo constitutis aduersentur. Vt enim Deus summè venerandus est, ita nunquã nimium coli, honorari, amari, laudari potest, nam cùm infinita illi debeantur, nunquam per obsequia finita illi plusquam par est, seruiri potest, vnde non est, quòd aliquis timeat, ne diuinis in laudibus nimius sit.

Hactenus de φιλαυτίᾳ, qua vtinam homines ea ratione vterentur, quam in hac quæstione declarauimus. Iam verò ad 5 caput accedamus, si priùs aduertas naturæ lumine sui amorem peruersum iniustum cognosci, vt patet ex Aristotele, qui 2 politic. c. 5. sic habet, τὸ δὲ φίλαυτον εἶναι ψέγεται δικαίως, quod postea de nimio sui amore explicat.

CAPVT V.

CAPVT QVINTVM.

1 HIc est liber generationis Adam. In
die qua creauit Deus hominem, ad
similitudinem Dei fecit illum.
2 Masculum & feminam creauit eos, &
benedixit illis: & vocauit nomen eorum
Adam, in die quo creati sunt.
3 Vixit autem Adam centum triginta an-
nis: & genuit ad imaginem & similitu-
dinem suam, vocauitque nomen eius Seth.
4 Et facti sunt dies Adam, postquam
genuit Seth, octingenti anni: genuitque
filios & filias.
5 Et factum est omne tempus quod vixit
Adam, anni nongenti triginta, & mor-
tuus est.
6 Vixit quoque Seth centum quinque an-
nis, & genuit Enos.
7 Vixitque Seth postquam genuit Enos,
octingentis septem annis, genuitque filios
& filias.
8 Et facti sunt omnes dies Seth nongen-
torum duodecim annorum, & mor-
tuus est.
9 Vixit verò Enos nonaginta annis, &
genuit Cainan.
10 Post cuius ortum vixit octingentis
quindecim annis, & genuit filios & filias.
11 Factique sunt omnes dies Enos non-
genti quinque anni, & mortuus est.
12 Vixit quoque Cainan septuaginta an-
nis, & genuit Malaleel.
13 Et vixit Cainan postquam genuit
Malaleel, octingentis quadraginta annis,
genuitque filios & filias.
14 Et facti sunt omnes dies Cainan non-
genti decem anni, & mortuus est.
15 Vixit autem Malaleel sexaginta quin-
que annis, & genuit Iared.
16 Et vixit Malaleel postquam genuit
Iared, octingentis triginta annis: & ge-
nuit filios & filias.
17 Et facti sunt omnes dies Malaleel
octingenti nonaginta quinque anni, &
mortuus est.
18 Vixitque Iared centum sexaginta duo-
bus annis, & genuit Henoch.
19 Et vixit Iared postquam genuit He-
noch, octingentis annis, & genuit filios
& filias.
20 Et facti sunt omnes dies Iared non-
genti sexaginta duo anni, & mortuus est.
21 Porrò Henoch vixit sexaginta quin-
que annis, & genuit Mathusalam.
22 Et ambulauit Henoch cum Deo: &
vixit postquam genuit Mathusalam, tre-
centis annis, & genuit filios & filias.
23 Et facti sunt omnes dies Henoch tre-
centi sexaginta quinque anni.
24 Ambulauitque cum Deo & non ap-
paruit: quia tulit eum Deus.
25 Vixit quoque Mathusala centum
octoginta septem annis, & genuit La-
mech.
26 Et vixit Mathusala, postquam ge-
nuit Lamech, septingentis octoginta duo-
bus annis, & genuit filios & filias.
27 Et facti sunt omnes dies Mathusala
nongenti sexaginta nouem anni, & mor-
tuus est.
28 Vixit autem Lamech centum octogin-
ta duobus annis, & genuit filium.
29 Vocauitque nomen eius Noë, dicens:
Iste consolabitur nos ab operibus & la-
boribus manuum nostrarum, in terra cui
maledixit Dominus.
30 Vixitque Lamech, postquam genuit
Noë, quingentis nonaginta quinque an-
nis, & genuit filios & filias.
31 Et facti sunt omnes dies Lamech, se-
ptingenti septuaginta septem anni, &
mortuus est. Noë verò cùm quingentorum
esset annorum, genuit Sem, Cham, & Ia-
pheth.

VERSICVLVS PRIMVS.

Hic eſt liber generationis Adam. In die qua creauit Deus hominem, ad ſimilitudinem Dei fecit illum.

זֶה סֵפֶר תּוֹלְדֹת אָדָם בְּיוֹם בְּרֹא אֱלֹהִים אָדָם בִּדְמוּת אֱלֹהִים עָשָׂה אֹתוֹ׃

Αυτὴ βίβλος γενέσεως ἀνθρώπων ᾗ ἡμέρᾳ ἐποίησεν ὁ θεὸς τὸν ἀδάμ. κατ' εἰκόνα θεοῦ ἐποίησεν αὐτόν.

IN hoc capite catalogum antiquorum patrum habemus, qui rectâ lineâ deſcenderunt ab Adam, cum annis, quos vnuſquiſque natus erat, quando filium generabat: Adam enim erat 130 annorum, cùm Sethum genuit. Seth 105 annos natus genuit Enos, qui cùm eſſet 90 annorum Caïnum procreauit: hic ſeptuagenarius Malaëlem genuit: Malalëel 65 annorum cùm eſſet, Iared habuit: qui cùm 162 annum attigiſſet, genuit Henoch: Henoch anno 65 Mathuſalem genuit: hic anno 187 Lamechum: Lamech 182 ætatis anno Noë genuit: denique Noëmus annos 500 natus 3 filios Sem, Cham, & Iaphet habuit: & 100 annis tranſactis, vt Noë 600 annorum eſſet, diluuium factum eſt, adeout 1656 anni ab Adamo condito vſque ad diluuium fluxerint, vt patet ex iſtorum annorum additione.

130	162
105	65
90	187
70	182
65	600

1 6 5 6

Septuaginta legunt βίβλος γενέσεως ἀνθρώπων, hominum, vbi verò hominem legimus, ipſi ſecuti textum Hebræum, qui in vtroq; loco habet אָדָם, ſcribunt etiam ἀδάμ, ſed parum refert, cùm hæc dictio propria ſimul, & appellatiua ſit, homo verò ad Dei ſimilitudinem factus dicitur, nullus enim extabat homo, ad cuius ſimilitudinem fieret, at iam de imagine, atque ſimilitudine diximus cap. 1 verſu. 26, nec non illud inquiſiuimus, in quo Dei imago, atque ſimilitudo in homine ſita eſſe videretur: verùm præclara quæſtio ſupereſt, quanam ratione homo, qui totius mundi epitome dicitur, in ſe totum mundum contineat, & an iure, vel iniuriâ Microcoſmus appelletur.

QVÆSTIO LX.

QVOMODO VERVM SIT HOMINEM OMNIA IN ſe continere, adeout μικρόκοσμος vulgò nuncupetur.

PLuribus modis explicare poſſumus, qua ratione homo microcoſmus eſſe dicatur; primùm quidem quatenus omnes naturæ gradus, eſſe cum elementis, eſſe mixtum cum lapidibus, vitam cum plantis, cum animalibus ſenſum, & cum Angelis, atque Deo intellectũ habet, adeout vnus omnia continere videatur. Deinde ſi rerum vniuerſitatem tres in partes Ægyptiorum inſtar diſpeſcamus, quarum ſuperior ſit intellectualis, ſeu angelica, in qua ſedeant intelligentiæ mundi rectores iſtius, media verò cœleſtis, in qua ſol regis inſtar, tanquam dux, atque moderator reliquorum ſiderum præſit: tertia denique ſit elementaris, cuius in procreandis, augendis, alendiſque animalibus, & ſtirpibus mira eſt fœcunditas. Harum partium ſimulachra in humano corpore penitus expreſſa, & velut penicillo adumbrata videmus, caput enim rationis ſedes, memoria, iudicij, ſapientiæ, atque cogitationum domicilium pulchrè ſupremam illam, & angelicam mundi partem refert; mediam, & cœleſtem habes in thorace, & medio ventre ad vnguem expreſſam, nam ſicut in ea præeſt ſol, cuius motu, radijs, & lumine illuſtrantur omnia, ita in medio thorace ſitum eſt cor, cuius tanta eſt cum ſole analogia, vt antiqui ſolem cor mundi, & cor hominis ſolem appellauerint; vt enim perenni ac cõtinua ſolis motione, eiuſdemque calore viuifico vniuerſa exhilarantur, atque vigent, terra floribus redimitur, fruges gignit multiplices, herbarum innumeras varietates fundit ex ſeſe, arbuſta gemmas trudunt, & viriditate foliorum veſtiuntur, animalia cuncta amoris ſtimulis incitantur, in amplexus venereos ruunt, ac vberrimo fœtu vrbes, terram, mariáque frequentant; contra verò ſole longiùs à ſedibus noſtris digreſſo horreſcit

refcit terra, arbusta folijs, & baccis spoliantur, & bona pars eorum, quæ naturæ fœcunditas ediderat, labefactatur; ita perpetuâ cordis motione, eiusdemque vitali calore paruus iste mundus reficitur, conseruatur, viget: nihilque in eo aut ferax, aut ad partus edendos aptum natumue esse potest, nisi vis illa præpotens cordis fœcunditatem largiatur. A corde vitalis facultas manat, à cœlo cœlestis, hæc inferiora conseruat, illa insitum cuiusque partis calorem suscitat, fouet, reficit: cœlum agit in inferiora motu, & lumine, cor perenni suo motu, & spiritu æthereo quasi lumine singulas partes illustrat. Motus, & lumen in superioribus instrumenta sunt intelligentiarum, & cœli; intelligentiarum quidem tanquam primi mouentis immoti; cœlorum autem tãquam primi mouentis moti. Vitalis spiritus, & cordis pulsatio instrumenta sunt animæ, & cordis, animæ tanquam mouentis non moti, cordis tanquam mouentis moti ab anima. Iam verò sublunarem mundi partem in ventre inferiore expressam quis non videt? in eo enim partes nutritioni, & procreationi dicatæ continentur, vt affirmare possimus omnia in humano corpore reperiri, quæ vniuersus hic mundus amplissimo sinu cohibet.

Sed & stellas errantes in microcosmo intueri possumus, quandoquidem Lunæ vim humectam cerebri medulla refert: Veneri genitales humani corporis partes inseruiunt, Mercurio tam vario, quàm ingenioso facundiæ instrumenta conueniunt: Soli cor simile superius ostendimus: benefico Ioui fons gratiosi vaporis hepar ritè confertur; Martis incendium & furorem fellis in se concipit vesicula: Saturnus frigidus, atque maleficus flaccidi lienis carnem, humoris melancholici receptaculum optime refert; hinc factum existimo, vt Astrologi facultatem retentricem, & eam, quæ phlegma procreat, Saturno subdiderint, vt & Ioui virtutem digerendi, nutriendi, concoquendi, tangendi, atque spermaticam. Soli verò volunt facultatem vitalem, augmentatiuam, visiuam & appetitiuam subesse; Veneri attractiuam, & odorandi vim; Mercurio loquelam, imaginationem, cogitandi, memorandiue vim: & Marti vim audiendi; Lunæ denique virtutem seminandi, gustandi, comedendi, & similes facultates concesserunt; quod an, & quousque verum sit alibi discutiemus. Omitto cætera, quæ de signis Zodiaci communi calculo Astrologi docent, nempe ♈ capiti eiusque partibus, sicut & illius morbis præesse; ♉ collo, & melancholiæ: ♊ humeris, & brachijs: ♋ pulmoni, hepati, & spleni: ♌ cordi, dorso, lateri, stomacho, atque diaphragmati: ♍ ventri, visceribusque: ♎ renibus: ♏ innominatis partibus: ♐ femoribus: ♑ poplitibus: ♒ tibijs: quæ omnia ridicula sunt, & falsa, vt aliquãdo, si Deus voluerit, apertè demõstrabimus. Hinc etiam ansam coniectores arripuerũt, vt suas prænotiones defensarent, physiognomiam, præcipuè verò metoposcopiam, atque chiromantiam: enimuero fingunt in humana facie, planetas suos characteres, sedes, atque signacula collocasse, quibus se hominũ inclinationes, propensiones, & affectus discernere, ac iudicare profitentur, adeout existiment tam in ægris, quàm in bene valentibus inde mirabilia prædici posse: quasi frons hominis eã ad cœlos proportionẽ habeat, quàm Diapason ad vnisonum. Sic chiromantia monticulos in manibus assignat, qui planetis respondeant: pollicis enim tuber, inquiunt, à Venere regitur: mons indicis à ♃: colliculus medij à ♄: annularis mons à sole: & auricularis à ☿: partem verò protuberantem, quæ est in percussione manus, Lunæ homines lunatici subijciunt: denique triangulum manus à linea vitæ seu cordis, linea hepatis, atque capitis productum Marti dicant, ob miram cum planetis illarum partium symphoniam, quæ profectò risu potiùs quàm refutatione indigent, vt vnusquisque per se videre potest in præsenti schemate

in quo linea cardiaca, seu vitæ notatur per literam α: linea cerebri per β: linea hepatis est δ: linea fortunæ ε: linea Saturnia ζ: linea Martialis, siue mortis, & soror vitæ η: via lactea θ: via solis ι: cingulum Veneris κ: triangulus Martis ita notatur ♂: Mensa, seu thorus, aut etiam quadrangulus μ: mons Lunæ, seu manus percussio ☾: mons Iouis ♃: mons Saturni ♄: mons Solis ☉: mons Mercurij ☿: mons Veneris, aut secundum alios Martis ♀: in digitorum articulis aperta sunt signa Zodiaci, quæ sine ratione ita collocant: quæ libenter hic omnibus aperire volui, vt volentes nolentes chiroscopi fateantur in his omnibus nihil penitus solidi esse posse, sed vana, atque futilia omnia qui lineam vitæ in 100 partes diuidunt ea ratione, qua in sinistra manu factum esse vides, vt ex varijs notis, punctis, coloribus, sectionibus, & figuris, in illa linea, & singulis illius partibus deprehensis de morbis cum præteritis, tum futuris dijudicent. Primâ verò decade pueri ætatem vsque ad decennium, 2, 3, 4, & reliquis decadibus sequentes annos ætatis significant, adeout si character chiroscopicus quartanæ vel epitritæ febris, aut alterius morbi circa primam decadem existat, homini 15 annorum respondeant morbum illum præteritum; si verò character ad 3, aut 4 decadem vergat, futurum esse dicant. Viderint medici anatomici, num signorum illorum, & characterum aliqua causa naturalis assignari possit; si tamen in ijs tricis vix homine studioso dignis tempus aliquod impendere velint; & cùm illa omnia falsa esse repererint, Goclenium ab istiusmodi nugis ad vtiliora reuocent.

Robertus Flud.

Quapropter Robertus ille Flud hæreticomagus insanire mihi videtur, dum ait manum esse geniti, naturæque veluti tabulam, in qua more occulto natiuitatis mysteria sculpantur, & delineentur, & fatalia characteribus illis, & similibus à natura formatis, tam in bonis, quàm in malis referantur, manifestéque doctis reuelentur, atque ita à sapientibus percepta supercœlesti acumine euitentur; quod addidit cæterorum more coniectantium, qui ne ab omnibus irrideantur, volunt illam scientiam, vel artem inertem ad hoc inseruire, vt qui ex manus suæ lineis præuiderit se verbi gratiâ in mari decessurum, sibi caueat, ne mare nauiget; multa sunt ea ratione futilia chiroscopis familiaria, in quæ multa paraui, quæ, in lucem cum omnium vtilitate prodire possint. Quapropter omnibus lineis naturalibus, accidentalibus, rectis, obliquis, subtilibus, amplis, obtusis, pallidis, rubeis, fissis, punctaque habentibus in præsenti omissis, ad alia pergere libet, cùm interim ex præcedentibus figuris absque ratione propositis, cruces, stellas, lineas, parallelas, ramusculosas, quadratas, craticulares, capillares, semicirculares, tortuosas, spirales, & id genus alia quilibet refellere possit.

Attamen vt obiter aliquid dicam, & ne cui plurimi autores improbatæ lectionis imponant, Roberto Flud, Taisnero, & cæteris chiroscopis obijcio, quod nunquam dissoluere possint, quod tamen nisi dissoluatur, omnino chiromantia reijcienda est, & instar fabulosæ narratiunculæ habenda; & vt iam alios omitto, quia obierunt: Robertū illum cataphractarium suo iudicio militem, qui se πάσῃ doctum esse vel credit, vel saltem fingit, illum, inquam, Fludum cum omnibus suis fluctibus, & pyramidibus formalibus, & materialibus, & cum anima mundi prouoco, vt pronuntiet, quid illi viro contigerit, quid cum eo iam agatur, & quid eidem sit euenturum, cuius hæ sunt manus, & lineæ, quæ non sunt ad libitum effectæ, sed ab excellenti pictore manus ipsas viuas, & veras accuratè perspiciente velut ad viuum, & prout reuera sese habebant, expressæ, & ne forsitan conquereris, non vnicam tantùm dextram theodidacti illius amici mei, sed & sinistram affero, vt si dexteram reijcias, sinistra tibi sufficiat. Age ergo quid tot illæ transuersæ lineæ sub medio digito sinistræ, & annulari dextræ positæ significant? nunquid ei beneficia ecclesiastica polliceris? an fœlix aliquid, vel ominosum portendis, ex eo quod circa rasetam, vbi lineæ vitæ desinit, vel si mauis, incipit, cruces nonnullæ cordis lineam secant? quid de linea hepatis, quid de mensali, & cephalica? Ne tamen te medico doctiorem existimare videar, medica solùm postulo. num meus ille theotimus aliquo viscere laborat? an hepar, vel pulmo malè se habet? quando morbos contraxit? quibus morbis tentari solet? Omitto propemodum infinita, quæ tu cum insanis tibi similibus garris, quæ nisi repudies, nescio quo te helleboro Hippocrates, vel tuus ille Paracelsus curare possit. Quod si quid nobis obijciendum, vel respondendum habeas, nihil admitto, priusquam manus istas explicaueris, & de singulis lineis, aut quibusdam saltem iuxta principia tua conieceris: quod vt melius efficere possis, chiromanticam tuam astrologicam, & vitalem, imo & genium, aut dæmonem aduoca, (huius enim aduocandi modum fusè doces) quem vel puer adhuc lalans, & papans irrideat; adde si vis tuam Geomanticam ecstasim, & vaticinia prophetica: nam quidquid tādem effeceris, scio te nihil veri dicturum: caue tamen ne quid in conijciendo, & iudicium de manibus istis, & de eo, cuius sunt, ferendo in ipsa arte chiroscopica aberres, ille enim egregiè tuos errores excipiet, & toti mundo propalabit, si vitæ, qua fruitur adhuc, superstes fuerit. Quod si tuas illas nugas, quibus tui libri scatent, hæresim verò præsertim abijcere velis, tibi mecum ex corde gratulabitur, & amicè de quibusuis scientijs siue coram viua voce, siue procul literis colloquetur: interim sume tibi ambas illius manus,

Flud arguitur.

quem



quem rogabo, ne quid aduersus te scribat, donec ei satisfeceris, & manus veritati dederis, vt cùm inter Dei, & Ecclesiæ Catholicæ filios teipsum iuuante diuini numinis gratia receperis, & errores abiuraueris, tibi hîc amicus existat, & in beata patria diuinas laudes simul æternum concinatis, alioquin enim flammis sempiternis cruciaberis, quandoquidem æquè certum est hæreticos, & à fide Catholica, quam maiores tui amplectebantur, alienos damnatos iri, si in illa hæresi pertinaces obeant, ac Deum ipsum veracem esse, & eius verbum infallibile: vide tuam conscientiam, & te seriò apud te recipe.

Non omnibus fortè sufficisse videbitur, si iuxta Ægyptiorum opinionem totum in homine contineri mundum ostendero, nisi etiam idem in Aristotelis placitis dicendum esse probauerim. Peripatetici totum mundum in corpora simplicia, atque mixta diriment: statuunt autem quinque simplicia, videlicet cœlum, & elementa 4: mixtorum alia imperfecta esse volunt, meteora vocant, eaque ignea, aërea, aquea, terrea: alia perfecta, vt animata. Huius ergo microcosmi humani simplicia corpora 5 sunt spiritus, & humores 4; spiritus est veluti quinta essentia,ætherea, atque subtilissima proportione respondens elemento stellarum: humores 4 sensibilia corporis elementa dicuntur: bilis temperamento calidissima, & furens, ignem refert: sanguis calidus humidus aëri: pituita frigida humida aquæ; melancholicus humor frigidus siccus terræ non ineptè conferuntur. Sed obsecro ad parui mundi meteorologiam accedamus.

Fulgores primùm terrificos, & coruscationes ignitas rubræ excandescentium oculorum suffusiones indicant, & quæ inde emicant ἐκλάμψεις; intestinorum rugitus, borborygmi, obmurmuratus, strepentes crepitus, & ructus mille tonitruum species exhibēt: ingruentem flatuum vim, vētorumq; tempestates turbidas, cruditatū exhalationes, aurium sibili, & tinnitus prænuntiāt: in faucium spatia, laryngem, atque thoracē decumbens fluentis instar humor pluuias, & imbres insinuat; coacta, rotundaque sputa grandinis gerunt similitudinem, lachrymæ rori assimilantur; concussiui, conuulsiui, tremuli, & palpitantes motus terræ motus designant. Habes etiam in humano corpore fodinas, è quibus metalla, & lapides eruuntur, non ad ædificandam, sed diruendam domum; enimuero vesicæ, renumque calculi, fossilium ac mineralium speciem præ se ferunt. Hinc concludas quanto iure silentium Epicuro, cæterisque momis imponere possumus, qui hominum corpora casu, & fortuito facta, ex turbulento videlicet atomorum concursu affirmabant, nihil enim fortuitum in structura corporis humani, nihil quod sapientiæ summæ maiestatem non referat; vnde Galenus, vt errorem Epicuri conuinceret, dicebat se illi daturum centum annos, vt situm, figuram, & structuram alicuius partis mutaret, neque dubitare se futurum tandem, vt fateri cogeretur non alio, nec perfectiori modo id fieri potuisse; imo Laurentius cap. 3. lib. 1. anat. addit omnes Angelos etiam si mille annos in hominis structura consumpsissent, eam nec dissimili ratione, nec meliùs adumbraturos fuisse. Laurent.

Quòd si per omnes scientias, & artes progredi velim, vnaquæque suum mihi symbolum facilè suggeret, vt alijs modis hominem ostendam iure merito microcosmum, atque velut epitome maioris mundi nuncupari; etenim tam admirabilis est humani corporis symmetria, vt hanc vnam pro exemplari sibi ob oculos proponant artifices, & ad eam tanquam ad Polycleti regulam omnia referant architecti, qui templa, ædes, machinas, nauigia, & ipsam arcam Noë ad humani corporis mensuram fabricatam referunt, quandoqui-

Fabrica corporis humani. dem arcæ longitudo fuit 300 cubitorum, latitudo 50, altitudo 30, ita humanum corpus est in longitudine 300 minutorum, in latitudine 50, in altitudine 30. In eo præterea figuram circularem, quæ est omnium perfectissima, & quadratam reperies; nam vmbilico totius corporis veluti centro constituto si hominem supinum statuas, ac quam maximè tum pedes, tum manus deducere cogas, immotóque circini altero pede, & vmbilico innixo, alterum circumagas, attinges tum crassiores pedum digitos, tum manuum medios; si verò inter expansos pedes mensuum concipias, itemque inter manum, ac pedem vtrinque, perfectum habebis circulo inscriptum quadratum.

5. Zonæ in homine. Geographi quinque zonas in sphæra terrestri, sicut Astrologi in cœlesti circulos constituunt, duæ zonæ extremæ, atque frigidissimæ sunt circa polum arcticum, & antarcticum, quas temperatæ sequuntur, vt in medio torrida collocetur, quarum si naturam accuratè perspexeris, in microcosmo easdem fatebere; zona torrida est pars, in qua cor, pulmones, & cæteræ partes calidæ reponuntur, temperatæ sunt, quæ hinc inde versus collum, & ventrem sequuntur, denique meritò pedes frigori maximè obnoxij, & torporem facilè concipientes, atque cerebrum frigidissima totius corporis pars, duas zonas frigidas perpulchrè referunt: quæ si quis ad animi pathemata referre velit, quænam erunt 2 zonæ frigidæ, nisi, timor, tristitia, atque desperatio: temperatæ amor, & spes, torrida verò risus, & lætitia, audacia, & ira: si ad ipsius animi affectus, & mentis contemplationem, timor gehennæ, & infamiæ, tibi frigidas referent: temperatas filialis timor, & spes gloriæ cœlestis, denique torridam ardens Dei amor, quo maximè quis propter amorem, & gloriam Dei mortem oppetit. Eapropter meritò hominem omnes nationes summis prope laudibus extulerunt, cùm omnia in se contineat, vnde Simonides interrogatus à Pausania, vt magnum aliquid diceret, respondit, *Memineris te hominem esse*, ac si diceret se nihil magnum, & admirabile supra hominem effari potuisse, cui Salomonis omnium sapientissimi verba bellè concinunt. *Magna res est homo, & res pretiosa vir misericors*; vnde intelligitur, quantum immane desipuerint Patriciani, Paterniani, Eunomiani, & Ethicoprocoptæ hæretici, qui hominis conditorem, non Deum, sed Dæmonem fuisse impiè sustinuerunt: Longè meliùs antiqui Poëtæ, simul & philosophi, cùm nostri corporis opificium admirabile cernerent, ab omnibus Dijs conditum fuisse pronunciarunt: vnde Tyberianus in Prometheo dicit singulares sui partes Deos homini contribuisse, quas sibi vendicent, suæque tutelæ proprias agnoscant; caput enim Ioui deferunt, Neptuno pectus, cinctum Marti, & cæt. tametsi grauiter errarent in Deorum multitudine.

Simonides.

Galen. Profectò si Polycletus ab omnibus laudatur propter elegantiam statuæ teste Galen. 17 de vsu partium cap. 1, adeout Canon appellari meruerit, licet partium tantùm externarum proportionem, & ornatum referret, qua veneratione nostri corporis opificem prosequemur? quibus laudibus huius statuæ archetypum efferemus? facessant imposterum Praxiteles, & Phidias, aut quiuis alij statuarij, nec ampliùs Debutades Sycionius tam præclara simulachra effinxisse dicatur, quamuis ex sola argilla, vt quibuslibet alijs ex auro compositis præferrentur, & materiam superaret opus: illud enim nequidem vmbra tenuis æstimabitur, si vas illud admirabile, si templum hoc augustum corporis humani contemplemur, cuius structura non tantùm in partibus externis, verùm etiam in interioribus visceribus exquisitam proportionem, atque summum decus ostentat, vt nescias vtrum in ea maior sit vtilitatis habita ratio, quàm decoris.

Aristot. Narrat Aristot. lib. de mundo Phidiam statuarium cùm admirandam illam Mineruam ære cuderet, clauum fixisse, quem qui auferret, totam effigiem dissolueret: in eius verò claui apice se ipsum expressisse: ita Deus opt. Max. cùm elegantissimum huius mundi opificium fabricasset, veluti colophonem adiecit hominem, in quo suam imaginem posuit, ex cuius inspectione artifex cognosceretur, vt homo suum archetypum cognosceret, & se archetypo subiectum esse sciret: idcirco Deus postquam terram, cœlum, & animalia cuncta creasset, hominem postremum creauit tanquam microcosmum, in quo summatim cœlestia, & terrena omnia velut in parua mappa depicta continerentur, vt iam cum Macrobio dicere possimus mundum esse hominem ingentem, & hominem esse mundum paruum: hinc Irenæus scribit Deum in creationem hominis totum incubuisse, vbi quicquid prius creauerat, mente collegisset: vt duobus libris, vno paruo, altero maiore instructi ad Dei cognitionem faciliùs deduceremur: at quando natura venit ad parui libri compositionem accessit, tanquam nihil honoratius componendum præ manibus haberet, cessauit, inquit Algazel: in eo enim teste Galeno conclusa est omnis naturæ sapientia.

Macrobius

Iren.

Galen.

Quidam μικρονόμον, ἢ μεγαλονόμον hanc esse dicunt analogiam, vt oculi lucentes in homine, sint stellæ in facie vniuersi: sol vt cordis præditus, vt hoc sanguinem, & spiritum suppeditat, sic ex se vegetantem calorem, & lucem diffundat. Mundus etiam terra, & mari, vt nostrum corpus ventre, & vesica vtitur. Luna inter cœlum, & terram posita est, vt iecur inter cor, & ventrem: cætera libens omitto, quæ ex anatomiâ repeti possent, vt quibusdam laudibus hominem prosequar, de quo rogatus quidam Philosophus quid esset, & quis esset Deus, respondisse fertur, θεὸς θεῖν ἄνθρωπος ἄθανατος, ἢ ἄνθρωπος θνητὸς θεός: & Abdala Saracenus nihil homine admirabilius esse fassus est: Phauorinus etiam philosophus hominis fabricā cōspicatus, & admiratus exclamauit nihil magnum in mūdo præter hominē, nihil magnum in homine præter animum: quapropter hominem adeò amabilem esse voluerunt, vt quidam scripserint ab, *amo*, vocatum, vel à dictione ὁμὸς quod sit animal amabile, & sociabile: inde veteres eum homonem dixère, vt est apud Ennium: Et quidem ludere videtur operam ille, qui tanto cum labore mundi fabricam perquirit, cùm illam ex seipso minore compendio possit ediscere: vnde Plinius 2 hist. ait. *Furor est profectò, furor egredi ex homine, & tanquam eius cuncta planè iam sint nota, ita scrutari externa, quasi verò mensuram vllius rei possit agere, qui sui nesciat, aut mens hominis videre, quæ mundus ipse non capit. Eunt homines*, inquit D. Aug. *mirari alta montium, ingentes fluctus maris, altissimos lapsus fluminum, Oceani ambitum, gyrosque siderum, & relinquunt seipsos, nec mirantur.*

Hominis præstantia.

Plin.

August.

Sapienter ille philosophus se philosophari cœpisse

cœpisse dicebat, quando seipsum cognouit, nam in humani corporis cognitione humanæ, diuinæque philosophiæ principium inesse videtur, si Dæmonaco philosopho credimus, imo culmē, & perfectio, vt eleganti gradatione declarat Agapetus ad Iustinianum. *Qui se nouit Deum noscet, Deum noscens, Deo assimilabitur, assimilabitur, qui Deo dignus erit, dignus erit, qui nihil Deo indignum admittit, sed cogitat, quæ Dei sunt, & quæ cogitat, loquitur, & quæ loquitur facit.* Mercurius Trismegistus affirmat diuinam essentiam à nobis comprehendi non posse, nisi per illius comparationem cum natura nostra ὁμοίῳ τῷ ὁμοίῳ νοητόν; ideóque S. Augustinus præ cæteris rebus à Deo postulabat: *Nouerim me, nouerim te: qui enim,* inquit Pisides lib. de vanitate vitæ, *in sui cognitionem laborat, nihil ei in tota natura occultum, & ignotum esse potest, quoniam hominis natura est paruus mundus.*

Agapetus. Trismeg. August. Pisides.

Iure igitur Mercurius ille dicebat hominem magnum esse miraculum, & animal Deo simillimum: Pythagoras μέτρον ἁπάντων: humani quippe corporis longitudo à vertice vsque ad vestigia sexies tantum habet, quantum latitudo, quæ est ab vno latere ad alterum latus, & decies tantum, quàm altitudo, quæ secundum Mediastini longitudinem mensuratur. Mensurarum quoque rationes, quæ sunt in omnibus operibus necessariæ ex corporis membris desumptæ fuêre, vti digitus, palmus, pes, cubitus, spithama, &c. Idcirco reprehendendi sunt, qui corpora humana à Deo creata esse dicunt, vt sint carceres, & supplicij loca, in quæ iam olim animæ creatæ propter præcedentia peccata detrudantur, inter quos Origenes annumeratur, qui corpus, δέμας ideo vocari putat, idest vinculum, & σῶμα, quasi σῆμα, animæ sepulcrum: quod Pythagoricorum, atque Platonicorum dogma fuit, vt patet ex Gorgia, & Cratylo; quibus assentire videtur Platonicus Macrobius 2. lib. in somn. Scip. cap. 12. vbi animam ideo ψυχὴν frigidam vocari refert, quòd corporis consortio refrigeretur: vnde Porphyrius ait omne corpus frigidum à minoribus dijs creari, vt æstuantem peccatis animam refrigerare queat, atque adeò corpus animæ esse fugiendum, si beatam esse cupit, vt de eo D. Augustin. de Ciuit. lib. 22. cap. 26. testatum reliquit: quæ omnia facilè refelluntur ex vnico primi capitis Geneseos versiculo, in quo dicitur post hominis conditionem vidisse Deum omnia quæ fecerat, & erant valde bona, & alijs versic. creasse hominem ad imaginem suam, inspirasse ei spiraculum vitæ, &c. Sed & aliàs stylo copiosiore refellentur.

Origen. Macrob. Porphyr. August.

Homo igitur, momi licet oblatrent, est θαῦμα θαυμάτων, vt loquitur Plato: & vt Theophrastus ἀντίμιμον θεοῦ ἄγαλμα: iuxta Synesium, orizon corporeorum: quod Trismegistus diu contemplatus tandem exclamauit Ω ἄνθρωπε, τῆς μικροτάτης τῆς φύσεως ἄγαλμα.

Plato. Theophr.

Iam verò prouocemus Atheos, qui si in corporis humani contemplatione, vt in pulcherrimo speculo diuinitatem inuenire nequeant, ad ipsam animam istius corporis sociam, atque formam accedant, quæ supra omnes naturales formas sese aliquando extollens, erigensque res incorporeas ab omni materia seiunctas mirificâ illa, prorsúsque liberâ, & cogi nescia vi mentis complectitur. Hæc si oculis cerni, aut saltem animo concipi posset, quàm mirabiles excitaret amores sui? sola hæc creatur non generatur, & licet subiectum in eius productione supponatur, non tamen ex illius potentia educitur, sed illud perficit. Sola hæc indiuidua est, cæteræ omnes formæ naturales augentur, minuuntur, diuiduntur cum subiecto: at hæc tota est in tota, & tota in qualibet corporis particula. Sola est immaterialis, id tamen cum materia commune habet, quòd omnium specierum est capax, non secus ac materia prima formarum omnium. Sola hæc incorporea est, & ἀναλλοίωτος: est quodammodo omnia, 3 de anima: est in medio rerum omnium gradu, cùm supra se Deum habeat, & intelligentias, infra se corpora, & qualitates, vt ita amborum sit particeps, quæ tametsi sufficiant, vt nullus sit, qui Deum tam admirabilis animæ factorem esse non fateatur, alia etiam ex 1. cap. repeti possunt, vbi ostensum est imaginem Dei hominibus inditam esse.

Sunt qui laborent in omnibus Musicæ consonantijs reperiendis in homine, vt humanam harmoniam explicent, & in ea etiam omnes cœlestes globos, aspectus, & astra contineri doceant, sed infœliciter satis, vt ne quidem titiuillitio velim emi historiam Roberti Flud de Microcosmo, qui suam inscitiam satis, superque prodit cum suis pyramidibus versis, atque reuersis; & quàm malè doctrinam Platonicam intelligat, quam sequi videtur, (quamuis dæmoniacam magis) sermone obscurissimo nimis ostendit: doctior malim Venetus in harmonia legatur, vbi repurgata fuerit, quamuis meliores horæ longè vtiliùs in alijs libris impendantur: Quædam alia de hominis excellentia ad caput 2. attulimus, sed diuum Ambrosium lib. 7. hexam. legere iuuabit, dum ad secundum versiculum descendimus.

Flud. Venetus. Ambros.

VERSICVLVS II.

Masculum & fœminam creauit eos, & benedixit illis: & vocauit nomen eorum Adam, in die quo creati sunt.

זָכָר וּנְקֵבָה בְּרָאָם וַיְבָרֶךְ אֹתָם וַיִּקְרָא אֶת־שְׁמָם אָדָם בְּיוֹם הִבָּֽרְאָם׃

Ἄρσεν καὶ θῆλυ ἐποίησεν αὐτούς. καὶ εὐλόγησεν αὐτούς. καὶ ἐπωνόμασε τὸ ὄνομα αὐτῶν Ἀδάμ, ἐν ᾗ ἡμέρᾳ ἐποίησεν αὐτούς.

MOses hîc originem Adami repetit, & recapitulat, vt altiùs infigamus animo Deum esse rerum omnium principium; quicunque verò hîc commemorantur, primogeniti fuisse censentur à quibusdam, quod nec est necessarium, nec simpliciter verum, quandoquidem Cain, sicut & Abel Eua priùs, quàm Seth peperit; nisi dixeris illos primogenitos, quibus honor ille delatus, vt lineam generationis Christi Domini texerent, qui propterea licet posteriùs nati iure primogenituræ digni censeri possint. *Masculum* igitur, *& fœminam creauit eos*, idest tam marem, quàm fœminam creauit, quod satis antea explicauimus, vbi refutatus est androgynus. *Et benedixit eis*, ex quo tot generationes processerunt; vocauitque vtrumque parentem Adamum, vnde patet hoc nomen vtrique, nempe mari, & mulieri esse commune; vnde tamen falsò concludunt Hebræi virum non dici אדם nisi fœminæ iungatur. Notandum est autem ab Adamo ad Noë esse 10 generationes, quæ
1. Paral. 1. lib. 1. Paralip. cap. 1. vers. 1. 10 primis nominibus significatæ sunt; sicut & à Noë ad Abraham 10 fuerunt; ab Abrahamo vsque ad Mosem 7 Hebræi numerant; sed de hac generatione loquemur alibi, nec enim Christus à Mose descendit: ab Abraham ad Dauidem vsque fuêre 14, & totidem à Dauide vsque ad captiuitatem Babylonis:
Genealogia Christi. denique 14 ab illa captiuitate ad Christum vsque, quam genealogiam D. Mathæus solùm ab Abrahamo repetijt, quia futuri Messiæ promissio expressior ei facta fuerat, tametsi maiores id etiam agnoscerent, quippequi fide semper in Christum Domini prospiciebant, & intendebant. Hinc patet generationes omnes simul additas tam quæ hoc, quàm quæ 11. capite ponuntur, & quæ subsecutæ sunt vsque ad Christum iuxta D. Mathæi enumerationem fuisse sexaginta duas, nempe 20 ante Abrahamum, & 42 post illum, seu ter 14: tametsi Lucas generationes 77 enumeres: quia Lucas quasdam addidit, quas Mathæus omiserat: adde quòd hic aliter Christi genealogiam nempe per Nathan alterum Dauidis filium, & non per Salomonem, quemadmodum Mathæus texuit.

Quoniam verò nonnulli putarunt fœminam non fuisse factam ad similitudinem Dei, id cauendum: est enim contra fidem: tametsi enim versu primo dicat ad similitudinē Dei fecit illum, quod & iam cap. 1 versu 27. dixerat, non ideo negat, quia non sit etiam fœmina ad Dei similitudinem producta, licet aliquid peculiare viro possit assignari, primò quia Adamus nullum hominem pro sua causa efficiente habuit, Eua autem è costa illius educta est: deinde Eua non est facta, vt viro præesset, sed è contrario, vnde nec animalibus imposuisse nomina dicitur.

Hîc autem celebrem quæstionem apponere decreueram, quâ diligenter rationes omnes inuestigaremus, quibus nonnulli contendunt fœminas viris esse præstantiores, vbi archimagi quæstionem affirmatiuam confutabam, quam tamen omitto, vt breuitati studeam, itaque sit.

VERSICVLVS III.

Vixit autem Adam centum triginta annis: & genuit ad imaginem & similitudinem suam, vocauitque nomen eius Seth.

וַיְחִי אָדָם שְׁלֹשִׁים וּמְאַת שָׁנָה וַיּוֹלֶד בִּדְמוּתוֹ כְּצַלְמוֹ וַיִּקְרָא אֶת־שְׁמוֹ שֵׁת׃

Ἔζησε δὲ Ἀδὰμ ἔτη διακόσια τριάκοντα. καὶ ἐγέννησε κατὰ τὴν ἰδέαν αὐτοῦ, καὶ κατὰ τὴν εἰκόνα αὐτοῦ, καὶ ἐπωνόμασε τὸ ὄνομα αὐτοῦ, Σήθ.

PRocopius hîc vitæ terminum necessariò prorogatum mortalibus ait, ne deficeret genus humanum ab vno tanquam principio deductum, sed subinde longiùs, latiúsque serperet fertili prole:

le: deinde genealogiam auſpicari à Caino non decuiſſe, quia admodum deprauatus erat, vel ab Abelo, quia nullis liberis ſuperſtitibus ad aſtra volauerat, quod ſumi debet in bono ſenſu, quatenus cum multis meritis diem obijt, ob quæ dignus erat aſtris, & æterna vita: ſed priùs pati debuit agnus immaculatus Chriſtus Dominus, vt cœli nobis aperirentur. Itaque generis catalogus contexitur initio ſumpto à Seth, qui quodammodo primogenitus habebatur: ſed omnium fons, & origo dicitur Adam, qui ab vno creatus omnes genuit, quatenus ex eius ſemine omnes oriundi ſunt: iam de Chriſto Domino non loquor.

Vixit ergo protoplaſtus 130 annos, antequam Sethum generaret. Vbi aduerte Hebræis in more poſitum eſſe, vt minorem numerum præponant, ſicut & nos ſæpe dicimus vnum & viginti: ac ſi cum hebræo diceremus hîc triginta & centum. שלשים ומאר *Sceloſim oumead.* 70. verò legunt *ἔτη διακόσια τριάκοντα, annos ducentos triginta*; quod illis ferè perpetuum eſt in hoc capite, vt hebraicum numerum patribus ante generationem aſſignatum centenario ſuperent. Genuit ergo filium, idque ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam, vt primo capite v. 26. & 27. de ipſo Adam, & eius vxore dictum eſt hac tantùm differentia, quòd ibi præpoſitum fuit בצלמנו, hîc autem poſtponitur; ibi tam, דמות, quàm צלם, ב præponebatur: hic autem vni ב præponitur alteri כ: ſed hoc non variat ſenſum: adde quod 26 ver. capitis primi priùs vtrumque nomen ſimilitudinem, & imaginem ſignificans poſuerat, poſtea verò *betſalmo* tantùm. i. ad imaginem poſuit: hîc è contrario: priùs enim verſ. 1. vnicum habet, nempe *bidmouth*, ad ſimilitudinem: hoc autem verſu legis vtrumque.

Notant Hebræi nondum de Adamo fuiſſe dictum, quod genuiſſet filios ad imaginem ſuam, quia Cain eius virtutes minimè ſecutus fuerat, nec patrem moribus expreſſerat: Habel verò non diu ſuperſtes fuit: at fabuloſum eſt, quod addunt, in illis adhuc aliquid fuiſſe de pollutione ſerpentis, quam Eua ex eo contraxerat: nunc ea expurgata Seth patris integritatem, & mores ſanctos retulerit: enimuerò non eſt alia ſerpentis infectio in natiuitate Cain, & Abel, quàm Seth, quandoquidem omnes ex æquo peccatum originale contrahebant, non minus, quàm nos homines. Non minus falſum eſt, & hæreticum, quod R. Leui ait hîc ſignificari nihil mutatum eſſe in generatione Seth de priori natura, & prima origine Adami, quaſi Seth primam illam imaginem, & ſimilitudinem habuerit, quibus ante peccatum Adam, & Eua fruebantur: quamuis enim imaginem retinuerit, quia indelebilis eſt, prout in tribus animæ facultatibus, vel alijs humanæ naturæ donis, ſeu attributis naturalibus ſita eſt, non tamen illam habuit, quâ per gratiam & ſanctitatem filij Dei nominamur, & ſumus, ſiquidem per peccatum originale filius iræ natus eſt.

Eſt autem factus ad imaginem, & ſimilitudinem patris eo modo, quo leo genitus generanti leoni ſimilis euadit, vi nempe generationis, quæ eſt opus omnium naturaliſſimum, vt loquitur Philoſophus: mortalis ergo mortalem generat. Aben Ezra putat Adamum genuiſſe filium ad imaginem ſuam, quia dedit ei virtutem, vt ſimiliter hominem alium generare poſſet. Fabuloſum autem non pauci arbitrantur, quod ait Adamum vel ob luctum, & mœrorem, quo ex morte Adami afficiebatur, & ob dolorem de fructu vetito comeſto 130 annis ab vxore abſtinuiſſe; & omnino falſum eſt, & horrendum, quòd aiunt illum ex fœminis dæmonibus incaluiſſe, vel illis eo incaleſcentibus multos mares dæmones genuiſſe: ſicut & Euam ex maribus dæmonibus incaleſcentem, aut vice verſa fœminas dæmones genuiſſe: fontem erroris capite 6. v. 2. & 4. aperiemus. At verò præter animæ ſimilitudinem patres etiam corpus ad ſui corporis ſimilitudinem generare ſolent, tametſi nonnunquam proceroſi paruos, & parui magnos progignant. Hinc enim axioma, *ſimile ſibi ſimile generat*, quia generans ſuum eſſe communicare nititur. Sed vnde fiat, vt filij parentibus diſſimiles tam animo, quàm corpore non rarò procreentur, & cur aliquando ſimiliores fiant auis, vel atauis, quàm matri, vel patri, & potiùs huic, quàm illi difficillimum eſt aſſignare, quandoquidem nec adhuc conſtat, è quibus partibus corporis, vel quomodo ſemen proliciatur, nec quantam imaginatio virtutem habeat in ſemen, & fœtum in vtero recluſum; De his tamen quædam attingemus, vbi de phantaſiæ viribus agetur.

Aben Ezra.

VERSICVLVS IV.

Et facti ſunt dies Adam poſtquam genuit Seth, octingenti anni, genuítque filios, & filias.

וַיִּהְיוּ כָּל־יְמֵי אָדָם אֲשֶׁר־חַי תְּשַׁע מֵאוֹתשָׁנָה וּשְׁלֹשִׁים שָׁנָה וַיָּמֹת׃

Ἐγένοντο δ᾽ αἱ ἡμέραι Ἀδὰμ, ἃς ἔζησε μετὰ τὸ γεννῆσαι αὐτὸν τὸν Σὴθ, ἔτη ἑπτακόσια τριάκοντα, καὶ ἀπέθανεν.

VIxit igitur Adam 800 annis genito Seth, non quòd non genuerit niſi tranſactis illis, nam poſt illum multos filios, atque filias genuit, imo & ante illum poſt Cain, & Abel, vnde enim vxorem Caïnus ſumere potuiſſet, niſi expectaſſet, quouſque Seth genuiſſet filiam: horum autem Adami liberorum non meminit Scriptura, ſed ſolius Seth, quòd ex illis ſancta Patrum ſoboles non deſcenderit, quam Moſes inſtituit percenſere, & quòd eorum proles tota vel ante diluuium, vel in ipſo diluuio perierit: cùm autem toties annorum numerum recenſeamus, operæpretium eſt, vt ſemel de annis agamus.

QVÆSTIO LXI.

DE ANNORVM VARIETATE EORVMQVE PARTIBVS.

SÆpiſſimè recurrit ſermo de annis, quibus patres noſtri vixerunt, quos vt probè intelligamus, de annorum varietate hîc agendum eſt, ſic enim inueſtigabimus, quantum Patriarchæ vixerint, quorum à mundi creatione tempus fluxerit, & ſimilia.

Annus quid? Eſt igitur annus illa reuolutio periodica, qua tempora 4 ver, æſtas, autumnus, & hyems in orbem redeunt, peracta ſolis reuolutione per 12 Zodiaci ſigna ferè, quem magnum circulum ſeu annulum vocant, Græci ἐνιαυτὸν ἀπὸ τοῦ ἐν ἑαυτῷ ἰέναι quòd in ſe redeat, & vbique principium, & finem habeat, quem Ægyptij propterea ſerpente caudam ore prehendente repræſentabant, Hebræi שָׁנָה vocant, ideſt commutatus eſt, variatus eſt ob diuerſas alterationes, quæ in anno contingunt. Hebræis autem duo fuerunt annorum genera, vnus erat politicus, cuius ראש ros, ſeu initium ſit æquinoctium autumnale, quo mundum creatum fuiſſe putant; alius Eccleſiaſticus, cuius initium ab æquinoctiali verno ſumpſerunt, quo ex Ægypto in menſe נִיסָן egreſſi ſunt: in nouilunio autem annum hunc incipiunt, ſiue præcedat æquinoctij verni punctum, ſiue ſequatur: hic autem facer cùm ſit, feſta docet, vt aliàs fusè dicemus. Illis etiam alius eſt annus פשוטה ſimplex, ſeu communis 12 menſium, & מְעֻבֶּרֶת impregnatus, ſeu Embolimæus 13 menſibus conſtans. Habent autem 4 initia ſui anni: primum eſt ראש שְׁנַת חֳדָשִׁים i. initium anni menſium, quod eſt Niſan primus dies Exod. 12. *Hic menſis erit vobis initium menſium.* (Exod. 12.) Secundum initium fuit Tiſri, à quo mundi creationem numerant, vt Leuit. 25. (Leuit 25.) Tertium ſumitur habito ad arbores, atque fructus reſpectu 15. Decembris, quo ſuccum ſuum arbores recipiunt. Quartum denique ſumitur à tempore, quo rex cœpit regnare, vel conſtitutus fuit, vt 1. Reg. 13. (1. Reg. 13.) filius שָׁנָה anni erat Saül, cùm regnaret. i. iam per annum regnauerat Saül, cùm Samuel ea pronuntiabat.

Verùm paulò latius de annis ediſſerendum eſt: Duplices igitur ſtatui poſſunt, Aſtronomici nempe, qui vel ad ſolis motum periodicum, vel ad coniunctiones Lunæ cum Sole diriguntur, hinc ſolares, vel lunares nuncupantur.

Annus ſolaris quid? Solaris eſt ſpatium temporis, quo Sol ab vno cœli puncto omnibus Zodiaci partibus euolutis, ad idem punctū motu ſuo redit, qui vel ſidereus, vel naturalis: hic eſt, quo ſol ab vno Tropicorum ſiue æquinoctialium, ſiue ſolſtitiorum egreſſus, & omnem Eclipticæ longitudinem emenſus ad idem punctum reuertitur, quem Græci τροπικὸν à τρέπω, ſeu verto dicunt: vocatur autem naturalis, quia tempori menſurādo à natura deſtinatus eſſe videtur, ſicut & temporarius, quia quatenus anni viciſſitudines temperat, vel tempus optimè metitur, quem ob motum ſolis reſpectu noſtri ſubdiuidimus in medium, & verum.

Medius annus quid? Medius autem Græcis ὁμαλὸς ad medium æquinoctium, & ſolſtitium refertur, & continet dies 365, horas 5, minuta prima 49, ſecunda 15, tertia 45: quarta 52, quinta 48, eſtque cæterorum annorum regula. Verus eſt, qui & φαινόμενος, ſeu apparēs, & ἀνώμαλος inæqualis appellatur, & ad verum æquinoctium, ſiue ſolſtitium refertur, & ideo creſcit, vel minuitur prout æquinoctiorum, & ſolſtitiorum puncta celeriùs, vel tardiùs progrediuntur, & in maxima quantitate dies 365, horas 5, 56′, 51″: in minima verò dictos dies, & horas, minuta 24′, 38″ habet. (Verus annus.)

Annus ſidereus. Sidereus annus, quem [illegible] Græci vocant, eſt ſpatium temporis, quo ſol ad eandem ſtellam fixam, vel erraticam, vnde digreſſus eſt, reuertitur, quapropter vel eſt fixus vel mobilis, ille ad ſtellas fixas refertur, ac proinde inuariabilis eſt, & iuxta Thebit primum illius inuentorem dies 365, horas 6, 9′, 12′ continet, vel vt alij volunt 40″: Tycho minuta prima 19 ſtatuit, & 26″, 43‴, 30⁗.

Annus mobilis. Mobilis eſt, qui ad vnum ex planetis dirigitur, vel ad ♄, cuius quantitas media eſt dierum 378, horarum 2, 12′, 13″: vel ad Iouem, cuius illa quantitas media eſt 398 dierū, horarum 21, 12′, 9″: 779 verò dierum, 22 horarum, 22′, 40″ minutorum, ſi ad Martem referatur.

Annus lunaris. Lunaris autem annus eſt, quo luna poſt aliquot cum ſole ſynodos non procul à priore loco cum ſole vnitur, qui etiam duplex eſt, communis, qui 12 lunationes, & Emboliſmalis, qui 13 complectitur. (Emboliſmalis.) Vterque rurſus vel medius eſt, qui eſt norma omnium annorum ciuilium lunarium, aut verus. Medius communis iuxta Prutenicas tabulas dies 354 habet, horas 8, 48′, 38″, 7‴, 38⁗: Emboliſmalis autem dies 383, 21 horas, cum 32′, 41″, 18‴, & 16⁗. (Medius.)

Politici. Præter hos annos Politici ſtatuendi ſunt, ſeu ciuiles, quibus paſſim vtuntur populi ad tempora denotāda, ſiue ad ſolem, aut lunam, ſiue ad vtrúmque reſpiciant. Ægyptij ſolem reſpiciunt, quorum ſinguli menſes 30 diebus conſtant, & ſub finem anni 5 dies intercalant: quod aiunt ſecutos Hebræos ante aram Alexandri, ita tamen, vt 120 annis elapſis menſem integrum 30 dierum intercalauerint: ſic etiam Perſæ his annis vſi ſunt ſine Embolimo menſe, quos dum nimis paruos cernerent, & dies menſium ſenſim in antecedentia tempora ferri, autoritate Perſici Alb Arſalam annum emendarunt, diémque quarto quoque anno noſtri biſſexti more adiecerunt, adeout 648 annis hebdomadas 33811, vel dies 236677 incluſerint, vt annus fieret dierum 365, horarum 5 minut. 48′ 53″, 20‴. (Ægyptij.) (Perſæ.)

Romani. Romani vtuntur anno à Iulio Cæſare Soſigenis ope conſtituto, qui ſi communis eſt, 365 dies ſolùm complectitur: ſi intercalaris 366 dierum erit; quos etiam Moſcouitæ, Syrogræci, Abiſſini, Copitæ, & Æthiopes ſequuntur, licet à 1. Septembris ſuum annum incipiant Moſcouitæ: Æthiopes verò à 29 Auguſti, qui cum ſingulis menſibus 30 dies tantùm aſſignent in communi 5, in intercalari 6 dies epagomenos addunt. (Moſcouitæ. Æthiopes.)

Annus autem Gregorij 13 Pontificis iuſſu emendatus, eſt dierum 365, horarum 5, minutorum 49, ſecundorum 12, ac proinde 4 tantùm minutis ſecundis (Gregoriaņus.)

ſecundis horæ ferè minor anno ſolari medio. Eſt autem duplex, vel communis 365 dierum in quo 6 horæ negliguntur, & biſſextilis 366 dierum, nam elabi permittuntur 4 anni, vt 6 horæ quater repetitæ diem efficiant, qui ante ſextum diem Calendarum Martij numeratur, vt dies ſextus Calendarum Martij bis repetatur. Et quidem facillimè cognoſcitur tam ante, quam poſt Chriſti natiuitatem, an ſit annus communis, aut biſſextilis; quod apud eos videri poteſt, qui de Calendario, & computo Eccleſiaſtico agunt.

Arabes, Indi, & Turcæ ſuum annum ex 12 lunationibus efformant, & in 30 annis, quibus ipſorum periodus completur, 19 annos dierum 354, vndecim verò 355 dierum efficiunt, vt periodus tota diebus 10631 conſtet; vnde lunationes ſunt in periodo 30 annorum 360, quarum vnaquæque dierum 29, horarum 12, minutorum 44 eſſe cenſetur. Lunam etiam in anno ſuo Romani tempore Numæ Pompilij ſecuti ſunt, teſte Macrobio 1 Saturn. cap. 13.

Macrob.

Hebræi lunam in feſtis conſtituendis ſequebantur ab exitu Ægypti vſque ad tempora æræ Alexandri, vnde ſenſim æquinoctia anticiparunt, donec annum Græcorum reciperent, vt ex libris Machab. elicitur.

Quod animaduertentes Græci, vt ſolis anno luna correſponderet, tertio, vel 2 anno iuxta Calippicam periodum menſem intercalarunt, vt intra debitos terminos ſolſtitia cohiberent, quos Iudæi huiuſce temporis imitari videntur. Annum tropicum incipiunt Aſtronomi à principio ſignorum Zodiaci, ſeu ingreſſu ſolis in ♈, licet in Ephemeridibus annuis, vt ſe vulgo accómodent, à bruma tropicum numerent. Annum autem ſydereum à prima ſtella, quæ eſt in cornibus ♈. Tametſi verò circa æquinoctium vernum olim Romani ſuum annum cœperint, poſtea tamen à bruma, ſeu ſolſtitio hyberno, approbante poſt Numam Iulio Cæſare, inchoarunt iuxta id Ouidij.

Ouid.

Bruma anni prima eſt, veteriſque nouiſſima ſolis,
Principium capiunt Phœbus, & annus idem.

Reliquos annos omitto, qui tantùm per accidens, & ex die, quo ex inſtituto incipiunt hominum, ſuam nomenclaturam ſortiti ſunt; qualis eſt annus Iuliani, quem Moſcouitæ à 1 die Sept. incipiunt, ſicut, & Rutheni, Veneti à prima die Martij; alij à 25 Decembris ſumunt exordium, quia tunc incipit epocha Chriſtiana. Syri, ſeu Sygræci à primo die Octobris poſt æquinoctium autumnale cui Tiſtin applicant; Coptitæ, Æthiopes, & Alexandrini 4 Calend. Septembr. ideſt 29 Auguſt. veteris anni, ac proinde ante æquinoctium autumnale; Attici à ſolſtitio æſtiuo, vel nouilunio ei propinquo.

Verùm ad annos alios progredi lubet, Platonicum videlicet, & climactericos. Ille eſt tempus, quo ſidera omnia ad idem punctum, vel ſtatum reuertuntur poſt annos plurimos; quem aliqui 49000, alij 36000 annorum faciunt: alij 23760, vel 12954, vel 12000, vel 6000, vel 3000, vel 1460; alij 660, vel 60, vel 59, vel 30, vel 19 faciunt.

Et quidem ſi Platonicum annum ſumimus pro tempore, quo ſtellæ Firmamenti ſuos proprios motus peragunt, annus hic 25816 annis Ægyptiacis, vel noſtris 25798, & diebus 110, vel, vt vult Copernicus, 35, aut vt Tycho 36 diebus conſtabit, vt die quolibet prima ſtella, ♈ verbi gratia quolibet die tantum octo tertia, & quindecim quarta conficiat; vnde ſtella, quæ hodierna die correſpondet primo puncto ♈ noui cœli, craſtina die ab illo puncto eodem, quo hodie, momento, diſtabit octo tertijs, & 15^(ta): hinc æquinoctiorum præceſſio naſcitur: quamuis alij communiter hunc ſtellarum curſum peragi velint ſpatio 36000 annorum, alij vero 7000. At de his accuratiùs alibi, quando de motibus ſuperiorum ſphærarum agetur. Anni Climacterici ſunt duplicis generis, nempe vel Hebdomatici, vel Enneatici, ſiue Decretorij; qui cùm ætatem hominum metiri, ac veluti diſpenſare videantur, à climate, ſeu gradu nomen inuenerunt; multi ſiquidem exiſtimant in quolibet anno climacterico mutationem aliquam inſolitam fieri: ſic enim Rantzouius ait ſe ſingulis 7 annis moleſtiarum, & calamitatum quidpiam expertum eſſe, ſuique corporis temperiem immutatam fuiſſe, quod & de cæteris affirmat, ſi id animaduertere velint. Idem Guido *Coquille* Niuernenſis hiſtoriæ ſcriptor de ſe ipſo teſtatur, alioqui ſatis diligens, & lectione dignus hiſtoriographus niſi falcem in meſſem alienam temerè nimis inieciſſet, & de Pontificibus ſummis, atque de Concilijs, rebuſque Theologicis perperam, & falsò quædam hiſtoriæ ſuæ miſcuiſſet. Hebdomatici igitur à numero ſeptenario capiunt exordium, ſuntque 7. 14. 21. 28. 35. 42. 49. 56, & omnium periculoſiſſimus 63, vt aliqui putãt: tametſi hos minores climactericos appellent: magnos verò 70 77. 84, & deinceps vſque ad 119, & 126. quos maximi Climacterici ſequuntur 133, 140, & reliqui deinceps non tantùm vſque ad 1001, ſed vſque ad quemlibet datum annum ex ſeptenarijs confectum, vt omnium hominum, mundi totius ætas ſeptenarijs, & climactericis annis, ſæculis, diebus, momentiſque diſpenſetur. Enneatici verò à nouenario numerari ſolent hac ratione: 9. 18. 27. 36. 45. 54. 63: qui ſunt parui decretorij: ſicut magni 72. 81. 90. 99. 108. 117, & 126, maximi verò ſequentes à 135 vſque ad 1008: quos etiam ad quemlibet numerum ex nouenarijs conflatum extendere poſſis. Sed an illos dies obſeruare liceat, & quid eis veritatis inſit, ſuo tempore dicemus.

Climacterici.

Rantzouius.

Guido Coquille.

Hebdomatici anni.

Enneatici anni.

Inter Hebdomaticos annos, illi Heroici dicuntur 49, 56, & 63, vel quia dicunt annis iſtis viros principes, & heroës obire, vel quia naſcuntur ex multiplicatione ſeptenarij in ſeptenarium, vel 8 in 7, vel 7 in 9, qui proinde omnium periculoſiſſimi cenſentur, ſicut & alij, qui per tres hebdomadas annorum aſcendunt, vt 21, 63, 84, 105, &c. Firmicus ait annum 63 vocari ab Ægyptijs, Andraclam, quòd vitam frangat, quem cùm Auguſtus Cæſar ſuperaſſet, ad filium ſcripſit, apud Gellium lib. 5 cap. 6. *Lætare fili, tranſgreſſus enim ſum omnibus ſenibus periculoſum annum 63.* Multos refert Maiolus colloquio 4 circa finem, qui diebus enneaticis, & hebdomaticis obierint; quæ omnia longo indigent examine, nec enim illa omnia ita ſe habere credendum eſt; & qui contulerit hiſtorias, in annis multos errores deprehendet; vnde coguntur Climactericorum aſſertores annum præcedentem, aut ſubſequentem, vel alios intermedios capere, quaſi parum abſint ab annis decretorijs, quod eſt valde ridiculum; hæc verò perpendemus, vbi de cauſis mortis agemus.

Anni heroici.

Andraclon herba hominem accidit; quam aliqui cum mandragora confundunt.
Maiolus.

Platonicus annus.

Sunt & alij anni; qui vel ab annorum quorumdam simul additorum multitudine, vel à diuersis inuentoribus denominantur: ita Græci, teste Censorino, duos annos ciuiles, quorum vnus 12, alter 13 menses contineret, simul positos magnum annum dixerunt, & trieterida vocarunt, quòd tertio quoque anno intercalarent, quamuis reuera diasteres essent; hinc mysteria, quæ Libero fiunt alternis annis, trieterica poëtis dicta sunt, cùm autem hunc biennij circuitum duplicassent, appellarunt tetraëterida, & penteterida, quòd ad illam periodum quinto post anno redirent: Vnde Ioui Olympio in Elide, & Romæ Capitolino celebratus est agon redeunte 5 anno; Iam verò duplicatum illud tempus, Octoteris fuit, quæ Enneateris appellata est, quod primus eius annus quarto quoque rediret anno; Putant verò Eudoxum Gnidium octoterida instituisse, vel Leostratum Tenedium; Et quidem Delphis Pythia post annum octauum conficiebantur.

Censorin.

Trieteris, & Traëteris quid?

Octoteris.

Δωδεκαετηρὶς fiebat ex 12 annis vertentibus, quæ Chaldaica dicta est, qua periodo non tantùm Chaldæi, sed etiam Persæ, Sinæ, Indi, Chataij, Turcæ, Syri, Arabes, & Tartari vtuntur, vt notat Scaliger lib. 2 de emendat. temporum; qui hoc temporis spatio sterilitates, morbos, & prouentus redire arbitrantur.

Dodecaeteris.

Scaliger.

Quapropter singulos annos Dodecaeteridis animalium nominibus appellant, quæ affectum eius anni indicent. puta annum pestilentem vocant annum serpentis: annum fertilitatis, leporem: annum bellicorum tumultuum, equum: annum agricolationis, taurum: annum famis, murem: Huius autem Dodecaeteridis annum sextum incidisse in annum Christi 1581 Ignatius Patriarcha Antiochenus literis ad Scaligerum missis testatus est, in quibus Arabico idiomate disposita leguntur animalia singulis annis respondentia: primo anno mus: 2 taurus: 3 pardus. 4 lepus. 5 draco. 6 serpens. 7 equus. 8 ouis. 9 simia. 10 gallina. 11 canis. 12 porcus, quæ omnia Genethliacorum esse mataeotechnas probabilissimum est.

Ignatius Patriarch.

Censorinus præterea Metonis Atheniensis annum ex 9 compositum annis recenset: vocaturque Δεκαεννεαετηρὶς quæ à Metone Pausaniæ filio circa bellum Peloponnesiacum instituta est, quem excellentem aquilicem fuisse aiunt: ac proinde, si credamus Manilio, sub ♒ natus est.

Censorin.

Decaenneaeteris.

Cognatas tribuit iuuenilis Aquarius artes
Cernere sub terris, &c.

Vbi notandum est Metonem pro Græcorum horologijs, quæ ad brumam referebantur, & analemmata vocabãtur, aliud horologium à solstitio descripsisse, quod dictum est ἡλιοτρόπιον, & in Comitio Athenarum dicauit. In eo autem anno dies erant 6440, teste Censorino: licet illam periodum 6940 diebus constitutam asseuerent alij, quæ per 19 diuisa pro quolibet anno relinquit dies 365 cum scrupulis diurnis 15 $\frac{5}{19}$.

Meton.

Reliquos annos, & alias periodos referemus alibi: vt illum annum maximum cuius hyems sit κατακλυσμὸς; æstas verò ἐκπύρωσις, quibus mundus exignescere, & exaquescere videtur: quem Aristarchus ex vertentibus annis 2484: Aretes Dyrrachinus 5552: Heraclitus, & Linus 10503, &c. quæ apud Censorinum habes. Sunt & alia, quæ magnam difficultatem inuoluunt, vt de quo anno Moses loquatur, cùm ait Adamum 800 natum annos, post Sethi generationem: quot anni fluxerint à mundi conditu vsque ad nostra tempora, ex ijs annis, quos iam numeramus, & similia, de quibus postea suo loco.

Aristar.

Hîc tamen addendum est annum aliquando apud Ægyptios initio menstruum fuisse, teste Plutarcho in Numa; vel bimestrem, vt vult Censorinus, vel quadrimestrem, vt Solinus habet: tametsi paulopost solari vterentur, quem κυνικὸν, seu canicularem vocabant, quòd cum à mense inciperent, in quo exoritur Caniculæ sidus; Arcadum verò trimestris annus fuit iuxta 4 temporum vices: Apud Cares, & Acarnanes, semestris; Albanorum decimestris annus; sicut Lamnorum annus 13 mensium fuisse legitur; hinc Decembrem velut decimum imbrem dictum esse volunt; sic & Æones decimestrem habebant; qualem & Homericum annum fuisse putant.

Plutarch.

Annus autem Sabbaticus apud solos Hebræos fuit; quo redeunte neque agri colebantur, neque vineæ putabãtur, ne cultu perpetuo exhausta deficerent, & vt recolerent illum magni, primique Sabbathi diem, quo Deus quieuit ab omni creationis opere: hoc etiam anno debita remittebantur ijs, qui non erant soluendo; serui Iudæi manumittebantur, & ideo remissionis annus vocabatur: At septimo quoque sabbatico nempe anno solari, seu vertente quinquagesimo à superiore, maximus Sabbaticus, vel Sabbaticorum Sabbaticus annus, quem Iubilæum nuncupabant, agebatur, cuius initium clangore tubæ solebat indicari: In hoc autem præter ea, quæ diximus, fundi ad pristinos dominos reuertebantur, ne aliæ familiæ immodicè locupletarentur, aliæ exhaustæ interirent. Iam superesset, vt disquireremus quos annos Scriptura intelligat, dum hîc asserit hunc & illum tot annos vixisse, sed illud postea redibit, quapropter vlteriùs pergendum est.

Sabbaticus annus.

VERSICVLVS

VERSICVLVS V.

Et factum eſt omne tempus, quod vixit Adam, anni nongenti triginta, & mortuus eſt.

וַיִּהְיוּ כָּל־יְמֵי אָדָם אֲשֶׁר־חַי תְּשַׁע מֵאוֹת שָׁנָה וּשְׁלֹשִׁים שָׁנָה וַיָּמֹת׃

Καὶ ἐγένοντο πᾶσαι αἱ ἡμέραι ἀδὰμ, ἃς ἔζησεν, ἔτη ἐννακόσια τριάκοντα, καὶ ἀπέθανε.

OMnes verſiones, & interpretes in ætate, & morte Adami conueniunt, quo neminem diutiùs vixiſſe lego præter paucos, qui periodum Adami vel 39 annis ſuperarunt, qualis fuit Mathuſale, verſic. 27. *Et facti ſunt omnes dies Mathuſala 969 anni, & mortuus eſt*, vel 32, qualis fuit Iaredus verſ. 21, vel 20, qualem fuiſſe Noe ad finem cap. 9. oſtendemus. Caietanus tamen cum alijs notat Adamum cæteris diutiùs vixiſſe, quod ætate perfecta creatus ſit, quæ 60 ſaltem annorum eſſe debuit, videmus enim ætatem perfectam eorum qui 100 annos viuunt, eſſe 30 annorũ. Quòd ſi à vita Mathuſalem annos 60 dempſeris, quando mortuus eſt Adamo 21 annis iunior fuerit. Decreueram hîc quæſtionem inſtituere de longæua hominum ætate, vnde procedat, & num dæmones noſtram vitam pro libito prolongare, atque conſeruare; vel etiam nos immortales reddere poſſint, ſed in alium locum illam differo.

VERSICVLVS VI. VII, ET VIII.

VI. *Vixit quoque Seth centum quinque annis, & genuit Enos.*

VII. *Vixítque Seth poſtquam genuit Enos, octingentis ſeptem annis, genuítque filios, & filias.*

VIII. *Et facti ſunt omnes dies Seth nongentorum duodecim annorum, & mortuus eſt.*

VI. וַיְחִי־שֵׁת חָמֵשׁ שָׁנִים וּמְאַת שָׁנָה וַיּוֹלֶד אֶת־אֱנוֹשׁ׃

VII. וַיְחִי־שֵׁת אַחֲרֵי הוֹלִידוֹ אֶת־אֱנוֹשׁ שֶׁבַע שָׁנִים וּשְׁמֹנֶה מֵאוֹת שָׁנָה וַיּוֹלֶד בָּנִים וּבָנוֹת׃

VIII. וַיִּהְיוּ כָּל־יְמֵי־שֵׁת שְׁתֵּים עֶשְׂרֵה שָׁנָה וּתְשַׁע מֵאוֹת שָׁנָה וַיָּמֹת׃

VI. Ἔζησε δὲ σὴθ ἔτη διακόσια πέντε· καὶ ἐγέννησε τὸν ἐνώς.

VII. Καὶ ἔζησε σὴθ μετὰ τὸ γεννῆσαι αὐτὸν τὸν ἐνώς, ἔτη ἑπτακόσια ἑπτά· καὶ ἐγέννησεν υἱὺς, καὶ θυγατέρας.

VIII. Καὶ ἐγένοντο πᾶσαι αἱ ἡμέραι σὴθ, ἔτη ἐννακόσια δώδεκα, καὶ ἀπέθανεν.

COnſtat ex Adam, & Seth tria ſibi Moſem in qualibet generatione propoſuiſſe: Imprimis enim ponit quotannis erat ille, à quo procreatus, & ſuſceptus eſt ſequens, vt hîc verſ. 6, dicitur Seth 105 natus annos, quando genuit, ſuſcepitque Enos. Deinde ſubiungit, quot annos poſt generationem filij, ac prolis ſuſceptæ vixerit, vt hîc verſic. 7 Seth 87 annis vixit, quot autem filios, & filias poſt primogeniti ſuſceptionem genuerit, quis hominum ſine reuelatione ſcire poteſt? Tertiò denique in ſummam redigit omnes annos illius vitæ. Quia verò eadem ferè in quolibet verſu iſtius capitis repetuntur, tres ſemper iungam ſimul, niſi quid obſtet aliud. Seth igitur patriarcha ſecundus ius primogenituræ obtinuit; genuitque tertium patriarcham Enos, cùm eſſet annos 105

FFff

natus; vnde mihi probabiliſſimum videtur Enos non fuiſſe primogenitum, nec enim tantum tempus Seth expectaſſe videtur, maximè cùm tunc hominum genus propagandum fuerit; niſi dixerimus in illo ſæculo nondum ætate matura fuiſſe, atque ſufficienti ad prolem generandam, donec attigiſſent magnum annorum numerum, qui eam cum tota eorum vita proportionem obſeruaret, quam noſtro hoc ſæculo annus aptus generationi ſeruare videtur cum reliqua vita; adeout non fuerit eis tempus longius, per quod abſtinebant, quàm illud, longè quidem in ſe breuius, ſed vel æquale, vel etiam minus, per quod abſtinent homines noſtri, qui non ante 14 annos generare poſſunt, ac 14 anni reſpectu nonaginta, & octo annorum, vel 112, quos iam rarò viuunt homines, ſunt tantum ſeptima, vel octaua pars vitæ; cùm 100 anni reſpectu nongentorum, quos ferè conſumebant, ſint pars nona vitæ illorum. Vel arbitremur eos in mundi principio, & lege naturæ, in qua per inſpirationes diuinas regebantur, diuinum iuſſum, aut Dei licentiam expectaſſe, antequam & connubio iungerētur, & liberos procreatēt. Nec mihi audiendi videntur, qui hos annos menſtruos exiſtimant, alioqui iam vita noſtra longior eſſet, nec eis permitteret ætas illa 130, vel 105 annorum, vt generare poſſent; enimuero 130 anni facerent tantùm 10 annos ex noſtris; quis autem adeò ſtupidus eſt, vt primos parētes decennes filios generaſſe potuiſſe exiſtimet; adde quod ſatis cōſtat, annos iſtos ex mēſibus fuiſſe cōflatos, dum in hiſtoria diluuij menſes ipſi commemorantur. Quòd autem hi non omnes primogeniti fuerint, conijcio ex ijs, quæ poſt diluuium facta ſunt; tunc enim multi primogeniti relicti ſunt, vt Iſmaël, Eſau, Phares, pro quibus Iſaac, Iacob, & Eſron aſſumpti ſunt. Notatur autem zakeph gadol in nomine שת quod aiunt fieri quinquies, quater in ſerie horum 10, & ſemel cap. 11. vbi rurſum (Geneſ. 11.) genealogia patrum deſcribitur à Sem vſque ad Abraham; id autem memoriæ causâ 5 literis ſequentibus שילנע. i. in Seth, Iared, Lamech, Noë, & Eber ſignificant, nam in aliorum patrum nominibus alius accentus habetur. Præterea notant ויולד ante nomen cuiuſcunque horum eſſe cum tarpha; mercha verò miniſtrum ſequente tarha in בנים, quando ita ſcribitur ויולד בנים ובנות excepto vnico loco. 2. Par. 24. (2. Paral. 24.) vbi ſermo eſt de Ioiada: verùm quid inde, parui certè facio huiuſcemodi obſeruationes Maſſoreticas, quæ de vana Rabbinorum ſchola prodiēre.

Sequuntur anni 7. & octingenti, quos vixit Seth à natiuitate Enos, quo tempore tibi fas eſt cogitare, quantam filiorum, atque filiarum multitudinem genuerit, vt docet ſcriptura; quos annos ſi iunxeris, totam vitam Seth declarabis annorum 912 fuiſſe, poſt quorum laudabilem decurſum mortuus eſt, quæ particula deinceps additur poſt vniuſcuiuſque vitam, vt meminerimus pœnæ à Deo inflictæ, atque tempus mortis, & iudicij diuini reformidantes, ac ſi in parato eſſent, in officio noſtro lege diuina contineamur.

Seth verò corpore maximum fuiſſe Methodius (Method.) inſinuat, teſte Radero in chronico Alexandrino, vbi refert eorum ſententiam, qui dixerunt eum 40 anno ætatis raptum fuiſſe ab Angelo, nec per 40 dies viſum fuiſſe, quia didicit, quæ poſtea ventura erant, nempe filios ſuos peccaturos, venturum diluuium, & Chriſtum Dominum, quæ poſtea ſuis annuntiarit, fulgore velut Angelico reliqua durante vita circunfuſum fuiſſe, quod non immeritò quis in Sethianorum libros retulerit, de quibus Epiphan. hær. 40. Archonticorum. Illius (Epiphan.) verò coniugem hær. 39. vocat Azuram, ipſiuſque ſororem, quam eodem partu genitam addunt. Arſuam tamen, Cedrenus vocat, ſed quod poſſis idem nomen, corruptum licet, aſſerere.

VERSICVLVS IX. X. ET XI.

IX. *Vixit vero Enos nonaginta annis, & genuit Cainan.*

X. *Poſt cuius ortum vixit octingentis quindecim annis, & genuit filios, & filias.*

XI. *Factique ſunt omnes dies Enos nongenti quinque anni, & mortuus eſt.*

וַיְחִי אֱנוֹשׁ תִּשְׁעִים שָׁנָה וַיּוֹלֶד אֶת־קֵינָן׃ IX.

וַיְחִי אֱנוֹשׁ אַחֲרֵי הוֹלִידוֹ אֶת־קֵינָן חֲמֵשׁ עֶשְׂרֵה שָׁנָהוּשְׁמֹנֶה מֵאוֹת X.
שָׁנָה וַיּוֹלֶד בָּנִים וּבָנוֹת׃

וַיִּהְיוּ כָּל־יְמֵי אֱנוֹשׁ חָמֵשׁ שָׁנִים וּתְשַׁע מֵאוֹת שָׁנָה וַיָּמֹת׃ XI.

IX. Καὶ ἔζησεν Ἐνὼς ἔτη ἑκατὸν ἐνενήκοντα, καὶ ἐγέννησε τὸν Καϊνᾶν·

X. Καὶ ἔζησεν Ἐνὼς μετὰ τὸ γεννῆσαι αὐτὸν τὸν Καϊνᾶν, ἔτη ἑπτακόσια δεκαπέντε· καὶ ἐγέννησεν υἱοὺς, καὶ θυγατέρας·

XI. Καὶ ἐγένοντο πᾶσαι αἱ ἡμέραι Ἐνὼς ἔτη ἐννεακόσια πέντε, καὶ ἀπέθανεν.

HI anni de quibus Scriptura loquitur, integri cenſendi ſunt, adeout filius genitus nouum annum faciat, ideóque primus annus Cainan erit nonageſimus primus Enos, quod paſſim obſer-

uandum est, vt totum Chronologiæ negotiũ meliùs intelligatur. Possumus autem aliquâ ratione filios Caini cum filijs Adæ, vel vnam generationem cum alia comparare, tametsi posterorum Cain annos Scriptura non assignet, vt Seth opponatur Caino, deinde filius Henoch filio Seth, & sic de cæteris, qua sequitur ratione.

Cain	Seth
Henoch	Enos
Irad	Cainan
Mauiaël	Malaleël
Mathusaël	Iared
Lamech	Henoch
Iabel, & Iubal,	Mathusalem

Vlteriùs non progreditur, Caini progenies, quæ 7 tantum patres-familias habuit, ita tamen vt nesciamus quis ex duobus primis filijs Lamech, an Iabel, vel Iubal, quos Ada peperit, vel Tubalcaim in linea paterna fuerint positi, vbi hoc aduerti debet tanquam peculiare Noemam enumerari, vt muliere tota progenies eorum terminetur, qui passim suis infandis incestis, & fornicationibus omnia commaculabant. Hîc autem sicut & in alijs generationibus, quæ sequuntur 70 plures annos habent, quam hebraicus, & vulgatus contextus; ait enim *Enos centum nonaginta annis genuisse*, quæ postmodum oculis subijciemus, vt vno velut intuitu omnis differentia chronologiæ 70 interpretum, & hebraicæ veritatis considerari possit, quæ à mundo condito vsque ad initium diluuij intercedit.

An verò 70 illos centenarios addiderint, vel postea in eorum versionem amanuensium incuria, negligentia, aut ignoratione irrepserint, non ita constat, & iamdudum quæstionem hanc Patres ventilarunt. Hieron. & Augustin. D. Hieron. in quæst. hebr. & epist. 125 ad Damasum, D. Aug. cap 11, & 12 libri 15. de ciuit. & post eos Beda de sex ætatib. Beda. hæc autem ratio ab omnibus fere redditur, quod quidem non aberrarunt 70 spiritu diuino afflati, sed primus, qui codices eorum ex Ptolemaï a bibliotheca descripsit, non tamen incuriâ, sed industriâ, quia verebatur, ne si sumerentur anni 12 mensium, illa Patriarcharum vita longè diuturnior appareret, & historia Mosis tanquam fabulosa crederetur, & à gentilibus irrideretur: quò fit, vt cum annos breuiores facere vellet; eos quidem menstruos, seu lunares fecerit, sed cùm vidisset eos, quibus genuisse dicuntur tam Adamus, quàm posteri, non sufficere, nec illa ætate quenquam generare potuisse: enimuero noster Cainan exempli causa, qui 90 natus annos dicitur, septennis duntaxat, & anni octaui menses 4 emensus filium procreasset, quod est absurdum: ea propter, dum huiuscemodi angustijs premi se conspiceret, addidit annos centum, quos ferè semper ex annis à chronologis desumpsit, adeout ferè conueniant 70 cum hebræo, si omnes annos consideremus, quos per totam vitam suam patriarchæ emensi sunt. Quod confirmatur ex eo, quod nihil immutauit in generatione Iared, quippequi anno ætatis suæ 162 genuit, idest iuxta illius amanuensis computum anno 13 ætatis suæ cum dimidio: vel vt arbitratur Tornielus, qui putat illum ex 10 annis chronologis vnicum fecisse, anno 16, quæ ætas ad generationem sufficere videtur. At cùm nihil addiderit ad generationes Sem, & Thare post diluuium, qui tamen iuxta hunc Tornieli computum diminutum ante debitam ætatem genuissent Sem nempe decimo, & Thare septimo, coniectura præcedens de illius amanuensis erronea industria aliqui infirma videri poterit, quanquam id reijcit in prouidentiam diuinam, vt audacior ille suo se proderet iudicio. Sed vereor ne id potius diuinare, quàm probabiliter conijcere dicendum sit: vnde enim probare potest illum annos ad senarium dierum quadratum, idest ad 36 dies redegisse? nunquid potiùs ad trimestres annos Arcadum, de quibus Solinus. Solinus cap. 1. loquitur, aut quadrimestres Ægyptiorum apud Plutar. in vita Numæ Pompilij; Plutarc. aut quosdam alios in vsu positos, & non ad fictitios, & gratis ex 36 diebus conflatos recurrisset? Veruntamen D. Aug. loco cit. patrem vtique August. venerandum in eadem sententia fuisse video, qui postquam illorum opinionem retulit de ijs, qui centum annos in decem redegerant, cap. 13. dum neque 70 interpretibus, neque textui hebraico fidem derogat, addit. *Credibilius ergo quis dixerit, cùm primùm de bibliotheca Ptolemai describi ista cœperunt, tunc aliquid tale fieri potuisse in codice vno, scilicet primitus inde descripto, vnde iam latiùs emanaret, vbi potuit quidem accidere etiam scriptoris error.* Deinde. *Itaque illa diuersitas numerorum aliter se habentium in codicibus Græcis, & Latinis, aliter in Hebræis, vbi non est ista de centum annis priùs additis, & postea detractis per tot generationes continuata parilitas, nec malitiæ Iudæorum, nec diligentiæ, vel prudentiæ 70 interpretum, sed scriptoris tribuatur errori: qui de bibliotheca supradicti regis codicem describendum primus accepit*: cætera perlege hîc apud August. & nos iterum postea de ea difficultate acturi sumus.

Hic autem Cainan maior dici potest, ad differentiam illius Cainan, Luc. 3. quem D. Lucas cap. 3. posuit in genealogia Christi versic. 36. *Qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad*; cuius tamen neque textus hebræus, neque vulgatus cap. 11. Geneseos Genes. 11. meminit, tametsi texat eandem genealogiam: Sed ait Arphaxad genuisse Sale, qui Luc. 3. genitus dicitur à Cainan; sicut & Genes. 11. à 70. Interpretibus, vt ibi dicturi sumus, vbi fauente Deo magnam illam controuersiam dirimemus, an illa generatio, & anni Cainan tam ex 70. quàm ex D. Luca tolli debeant: ille verò Cainan vt pote iunior, minor iure dici potest.

VERSICVLVS XII. XIII ET XIV.

XII. *Vixit quoque Cainan septuaginta annis, & genuit Malaleël.*

XIII. *Et vixit Cainan postquam genuit Malaleel octingentis quadraginta annis, genuitque filios & filias.*

XIV. *Et facti sunt omnes dies Cainan nongenti decem anni, & mortuus est.*

וַיְחִי קֵינָן שִׁבְעִים שָׁנָה וַיּוֹלֶד אֶת־מַהֲלַלְאֵל׃ XII.

וַיְחִי קֵינָן אַחֲרֵי הוֹלִידוֹ אֶת־מַהֲלַלְאֵל אַרְבָּעִים שָׁנָה וּשְׁמֹנֶה מֵאוֹת XIII.
שָׁנָה וַיּוֹלֶד בָּנִים וּבָנוֹת׃

וַיִּהְיוּ כָּל־יְמֵי קֵינָן עֶשֶׂר שָׁנִים וּתְשַׁע מֵאוֹת שָׁנָה וַיָּמֹת׃ XIV.

XII. Καὶ ἔζησε Καϊνὰν ἔτη ἑκατὸν ἑβδομήκοντα· καὶ ἐγέννησε τὸν μαλελεήλ.

XIII. Καὶ ἔζησε Καϊνὰν μετὰ τὸ γεννῆσαι αὐτὸν τὸν μαλελεήλ, ἔτη ἑπτακόσια τεσσαράκοντα· καὶ ἐγέννησεν υἱοὺς, καὶ θυγατέρας.

XIV. Καὶ ἐγένοντο πᾶσαι αἱ ἡμέραι Καϊνὰν, ἔτη ἐννακόσια δέκα· καὶ ἀπέθανεν·

QVidam existimant Cainan à Cain deductum esse; alij tamen negant, ne patres sancti cum Cainica familia quidquam commune habere videantur. Alij קינן à lamento dictum putant, vt sicut Seth filium Enos ab hominis fragilitate vocarat, ita Enos filium sum Cainan appellarit, quod humana vita nihil sit aliud, quàm perpetuum lamentum. קין possessionem significabat à קנה; קינן verò dicitur à קין lamentatus est: verùm & inde Cainum aliqui deducunt. Septuaginta legunt, καὶ ἔζησε Καϊνὰν ἔτη ἑκατὸν ἑβδομήκοντα; vbi pro more centenarius ante generationem Malaleël additur, quia ille qui primus exscripsit, videbat 70 annos diminutos non sufficere, vt Cainan ad generandum aptus esset, alioqui septemem genuisse dicendum est, quandoquidem 70 tantum continent decadem septuplicem. Est autem operæpretium tabellam subijcere, quam infrà promisimus, vt vno intuitu græcorum, & hebræorum codicum discrimen percipiatur.

Iuxta

Iuxta codices Hebræos, & vulgatos.

Iuxta Græcos tam regios, quam editionem Græcam, Romanam, Antuerpiensem, & Basileensem.

	Anni quibus genuerunt patres.	Anni quos deinceps vixerunt.	Anni omnes vitæ integræ.			Anni quibus generarunt patres.	Antuerp. & Basile.	Anni quibus deinceps vixerunt.	Anni totius vitæ.	Antuerp. & Basile.
Adam	130	800	930		Adam	230		700	930	
Seth	105	807	912		Seth	205		707	912	
Enos	90	815	905		Enos	190		715	905	
Cainan	70	840	910		Cainan	170		740	910	
Malaleel	65	830	895		Malaleel	165		730	895	
Iared	162	808	962		Iared	162		800	962	969
Henoch	65	300	365		Henoch	165		200	365	
Mathusalē	187	782	969		Mathusalē	167	165	802	969	963
Lamech	182	595	777		Lamech	188		565	753	
Noë	500	450	950		Noë	500		450	950	
Sem	100					100		500	600	

Ex qua tabella manifestò constat quot annis 70. Interpretes à codicibus hebræis, & à vulgata discrepent: omnes enim anni simul collecti, quos illi patres emensi sunt, antequam generarēt vsque ad diluuium numerando centum annos, quos Sem initio diluuij natus erat, iuxta vulgatam, & hebræos sunt 1656, quos ætas prima durauit: at verò iuxta 70. Interpretes editionis Romanæ 2242, Antuerpiensis 2240: ideoque 70. superant vulgatam 576 annis, aut iuxta Basileensem editionem 574: sed de his etiam aliàs sermo redibit, iam verò generationes sequentes aggrediamur.

VERSICVLVS XV. XVI. ET XVII.

XV. Vixit autem Malalëel sexaginta quinque annis, & genuit Iared.

XVI. Et vixit Malalëel postquam genuit Iared, octingentis 30 annis: & genuit filios, & filias.

XVII. Et facti sunt omnes dies Malalëel octingenti nonaginta quinque anni, & mortuus est.

XV. וַיְחִי מַהֲלַלְאֵל חָמֵשׁ שָׁנִים וְשִׁשִּׁים שָׁנָה וַיּוֹלֶד אֶת־יָרֶד׃

XVI. וַיְחִי מַהֲלַלְאֵל אַחֲרֵי הוֹלִידוֹ אֶת־יֶרֶד שְׁלֹשִׁים שָׁנָה וּשְׁמֹנֶה מֵאוֹת שָׁנָה וַיּוֹלֶד בָּנִים וּבָנוֹת׃

XVII. וַיִּהְיוּ כָּל־יְמֵי מַהֲלַלְאֵל חָמֵשׁ וְתִשְׁעִים שָׁנָה וּשְׁמֹנֶה מֵאוֹת שָׁנָה וַיָּמֹת׃

XV. Καὶ ἔζησε μαλελεὴλ ἔτη ἑκατὸν ἑξηκονταπέντε· καὶ ἐγέννησε τὸν ἰάρεδ.

XVI. Καὶ ἔζησε μαλελεὴλ μετὰ τὸ γεννῆσαι αὐτὸν τὸν ἰάρεδ ἔτη ἑπτακόσια τριάκοντα· καὶ ἐγέννησεν υἱοὺς, καὶ θυγατέρας.

XVII. Καὶ ἐγένοντο πᾶσαι αἱ ἡμέραι μαλελεὴλ ἔτη ὀκτακόσια ἐννενηκονταπέντε· καὶ ἀπέθανεν.

מַהֲלַלְאֵל sonat laudem Dei, qua ratione liberis s. nomina patris imponebant, vt vel res magnas significarent, vel de illis admonerent: ita Cainan filium suum diuinis laudibus destinasse videtur; quamuis enim Caini posteri nomen אל etiam nominibus filiorum suorum adderent, id tamen piorum æmulatione, non ex deuotione facere potuerunt; nisi dixerimus ideo subiunxisse, quia recens adhuc in illis erat Dei memoria, nec eius obliti fuerant. Quintus ergo patriarcha suo etiam nomine Dei laudes resonat. 70 legunt ἔζησε μαλελεὴλ ἔτη ἑκατὸν ἑξηκονταπέντε. i. centum amplius annis, quàm vulgata habeat; cùm autem toties loquamur de annis, dequibus plurima iam antea diximus, placet nominis originem inuestigare, & quæ sint varia illius nomina enarrare. Latinis ergo dicitur annus ab *an*, quod apud veteres circum denotabat; alij sumunt inde, quòd ad instar annuli in se redeat iuxta id Virgilij.

Virgil. *Atque in se sua per vestigia voluitur annus.*

Ideoque Græci vocarunt ἐνιαυτὸν, quasi ἐν ἑαυτῷ apud Platon. in Cratylo; (Plato.) malunt alij ἀπὸ τοῦ ἀνανεοῦσθαι deducere, quòd fiat per continuam innouationem: (Eusthath.) Eustathius etymon affert παρὰ τὸ ἐν αὐτῷ ἑνοῦσθαι τὰς τέσσαρας ὥρας, quòd in eo vnitæ sint quattuor anni partes indiuisibili coagmento: (Theon) Theon Alexandrinus, quòd ab eodem puncto, vel tempore in idem recurrat, cùm tamen alij à moræ diuturnitate ab ἐν καὶ ἰαύειν deducant. Hoc tamen pro triennio sumi probant ex Sophocle in Trachinijs: (Sophocles.) Suidas verò in dictione ἐνιαυτὸς ait pro die sumptum ab Ægyptijs. (Suidas.) Sunt & alia vocabula quibus Græci vtuntur, quale est ἔτος in his versiculis, quia ἐτάζει Platone teste, seipsum recenset, & explorat. πλείων etiam appellatur παρὰ τὸ πάντας τοὺς καρποὺς τῆς γῆς συμπληροῦσθαι inquit Hesychius, (Hesych.) quòd vniuersos terræ fructus plenè absoluat: originem à Pleiadibus Theon accipit; ἀπὸ τοῦ πλεῖν enim ἐκ πλειάδων, καὶ συμπληροῦν τὸν ἐνιαυτὸν, quòd curriculo annum constituant. Sunt etiam qui vocarint annum λυκάβαντα, idque παρὰ τὸ λεληθότως βαίνειν quia furtim, ac velut inscientibus nobis elabitur, inquit Didymus, (Didymus.) ac si λυγάβαντα diceres, idque ὅτι μετὰ λυγῆς βαίνει vt in Tharræi commentariis habetur, quòd eadem ratione dies perpetuâ serie inuicem cohæreant, & mutuo horarum successu annus compleatur, vel quòd more luporum tranãtium amnem concatenata annorum series decurrat: quoties enim lupi rapidum aliquod flumen transmittunt, prehensis mordicus præcedentium caudis transnatant, ne vis fluuij eos singulos rapiat. Macrobius (Macrob.) verò λυκάβαντα quasi ὑπὸ λύκου βαινόμενον. i. à sole calcatum exponit: λύκος enim, siue lupus symbolicè pro sole accipitur: siue quia rapit, & vorat omnia, & oculorum acie præstans nocturnam caliginem vincit instar solis, hinc Lycopolin Thebaidos appellitant, quia hæc Ægypti ciuitas pari religione lupum, & Apollinem coluit, & in

vtróque

vtróque solem venerata est.

Præterea dixerunt annum ab anni partibus quattuor ὥραι, quas ὥρας appellant, & πανφόρον quia fruges, & annotinos fructus, & omnia suo quæque tempore perficit, adeout anno rerum velut omnium parenti vim omnium productricem ascripserint, indeque natum fuerit prouerbium
Athen. ἔτος φέρει, οὐχ ἄρουρα. i. *Annus producit, non aruum.* Quod, Athenæo teste, vir quaternis cubitis medius duos inter Silenos ingrediens, tragico cultu, tragicéque in vultu deformatus, aureum gestans Amalthææ cornu repræsentabat in pompa Ptolemæi Philadelphi, & vberem rerum omnium è terra nascentium prouentum significabat. Ægyptij per palmam annum adumbrarunt, quia cùm βαΐν seu ramulum vnū quolibet Lunæ coitu producat, anno integro 12 emittit 12 mensibus cor-
Erasmus. respondentes; vnde aberrauit Erasmus Iunio teste, dum in prouerbio, *festina lentè*, Phœnicem eos pinxisse dicit, deceptus ambigua voce φοίνιξ, quæ tam auem, quàm palmam significat. Iidem,
Orus. vt Orus Apollo testis est, pro anni charactere pinxerunt Isidem, quæ est Canicula, Ægyptijs σῶθις, siue quia cæteris astris dominari creditur, siue quia in eius exortu præsagiebant, quid eo
Martian. anno futurum esset. Vide apud Martianum in Philololog. anguem caudam suam mordicus tenentem pro anni symbolo: & Panos naturam referens pedo, siue baculo recuruo anni recurrentis notam habebat: Bouem etiam appellarunt ob enixum gignendi studium; μόσχον, idest stolonem, & viuiradicem, quòd ἀεὶ θάλλει φύει ... perpetuò vireat, & iuuenescat in omnibus, quæ producit; vbi tamen alij μόσχον pro vitulo sumunt. Orpheus μηνοτόκον finxit, quod vnusquisque mensis vnitatis ritu, peculiaribus munijs destinatus sit. Solemne fuit, quòd Ianus effigie geminus clauem tenens annum designaret iuxta Numæ placitum, in cuius læua ξε, & dextra τ literæ expressæ totius anni dies 365 repræsentabant; si tamen quadriformem Ianum malueris, 4 ætates anni percipe, quas etiam quaternæ Circes pedissequæ, Didymo referente, ostenderunt. Æolum Ponticus ad annum retulit ob varietatem dictum αἰόλον, cui 6 filias, totidémque filios Ho- Homer.
merus tribuit, vt fœcundam æstatem, & firmam hyemis vim intelligeremus. Sanè non erit difficilè omnia nomina explicare de anno, quatenus omnia, quæcúnque fiunt comprehendit, ad quod antiqui respicientes ei varia nomina dederunt, vt diximus. Vnde præterea ταμίας ἀνέμων ventorum promus condus appellatus est, quia pro mensium varietate flatus diuersos experimur.

Ipse Nilus, teste Heliodoro, mystico secreto significabat annum, quia literæ, quibus vox Νεῖλος constat, iuxta numericam significationem 365 efficiunt, quot sunt dies in anno, ν enim 50, ε 5, ι 10, λ 30, ο 70, & σ ducentos designat: Nec defuerunt qui apud Gades aram anno, sicut & mensi posuerint in honorem longioris, & breuioris temporis: quo ferè modo annum Ioui, menses Iuno dicauerunt. Sed hæc de diuersis anni nominibus, & origine dicta sufficiant: ad Iared Patriarcham sextum progrediamur.

VERSICVLVS XVIII. XIX ET XX.

XVIII. *Vixitque Iared centum sexaginta duobus annis, & genuit Henoch.*

XIX. *Et vixit Iared postquam genuit Henoch, octingentis annis, & genuit filios, & filias.*

XX. *Et facti sunt omnes dies Iared nongenti sexaginta duo anni, & mortuus est.*

וַיְחִי־יֶרֶד שְׁתַּיִם וְשִׁשִּׁים שָׁנָה וּמְאַת שָׁנָה וַיּוֹלֶד אֶת־חֲנוֹךְ׃ XVIII.

וַיְחִי־יֶרֶד אַחֲרֵי הוֹלִידוֹ אֶת־חֲנוֹךְ שְׁמֹנֶה מֵאוֹת שָׁנָה וַיּוֹלֶד בָּנִים וּבָנוֹת׃ XIX.

וַיִּהְיוּ כָּל־יְמֵי־יֶרֶד שְׁתַּיִם וְשִׁשִּׁים שָׁנָה וּתְשַׁע מֵאוֹת שָׁנָה וַיָּמֹת׃ XX.

XVIII. Καὶ ἔζησεν ἰάρεδ ἔτη ἑκατὸν ἑξηκονταδύο· καὶ ἐγέννησε τὸν ἐνώχ.

XIX. Καὶ ἔζησεν ἰάρεδ μετὰ τὸ γεννῆσαι αὐτὸν τὸν ἐνὼχ, ἔτη ὀκτακόσια· καὶ ἐγέννησεν υἱοὺς, καὶ θυγατέρας.

XX. Καὶ ἐγένοντο πᾶσαι αἱ ἡμέραι ἰάρεδ ἔτη ἐννεακόσια ἑξηκονταδύο· καὶ ἀπέθανεν.

Hic 70 in annis cum hebræo conueniunt, vt enim hebræus codex habet יֶרֶד וַיְחִי & vixit Iared duos & sexaginta annos, atque centum annos *Setaim vesissim sana oumeat sana* legunt 70 interpretes καὶ ἔζησεν ἰάρεδ ἔτη ἑκατὸν ἑξηκονταδύο: quia iuxta ea, quæ superius ex Augustini mente diximus, qui prior annos Patriarcharum denos ad vnicum reuocasse dicitur, vidit hos annos ad generationem sufficere: quapropter fallitur Eugu- Eugubin.
binus, cùm ait 70 in Iared centum posuisse, quos hebræus non habet: hic enim ad amussim conueniunt. Sicut in Noë, & in Sem. Iared verò fit à יָרַד *descendere*, vel à רָדָה si י est seruile, hoc est *dominari*: nec tamen scire possumus, cur illa nomina imposita fuerint, quia scriptura non insinuat. Est autem notandum וַיָּמֹת *vaiamot* à מוּת *mous* signifi-

-care mortem, tam quæ naturaliter, quàm quæ violentiâ contingit, מֵת verò morientem, & cadauer: nec desunt, qui dicant מֵתִים cum tsere mortuos, cum sceua viuos significare, ac si viui instar punctorum seua starent, mortui tsere instar iacerent, sed hæc leuia sunt: ideoque pergamus ad alia.

VERSICVLVS XXI. XXII. ET XXIII.

XXI. *Porrò Henoch vixit sexaginta quinque annis, & genuit Mathusalam.*

XXII. *Et ambulauit Henoch cum Deo: & vixit postquam genuit Mathusalam trecentis annis, & genuit filios, & filias.*

XXIII. *Et facti sunt omnes dies Henoch trecenti sexaginta quinque anni.*

וַיְחִי חֲנוֹךְ חָמֵשׁ וְשִׁשִּׁים שָׁנָה וַיּוֹלֶד אֶת־מְתוּשָׁלַח׃ XXI.

וַיִּתְהַלֵּךְ חֲנוֹךְ אֶת־הָאֱלֹהִים אַחֲרֵי הוֹלִידוֹ אֶת־מְתוּשֶׁלַח שְׁלֹשׁ מֵאוֹת שָׁנָה וַיּוֹלֶד בָּנִים וּבָנוֹת׃ XXII.

וַיְהִי כָּל־יְמֵי חֲנוֹךְ חָמֵשׁ וְשִׁשִּׁים שָׁנָה וּשְׁלֹשׁ מֵאוֹת שָׁנָה׃ XXIII.

XXI.} Καὶ ἔζησεν ἐνὼχ ἔτη ἑκατὸν ἑξηκονταπέντε· καὶ ἐγέννησε τὸν μαθουσαλά.

XXII. Εὐηρέστησε δὲ ἐνὼχ τῷ θεῷ· καὶ ἔζησεν ἐνὼχ μετὰ τὸ γεννῆσαι αὐτὸν τὸν μαθουσαλά, ἔτη διακόσια· καὶ ἐγέννησεν υἱοὺς καὶ θυγατέρας.

XXIII. Καὶ ἐγένοντο πᾶσαι αἱ ἡμέραι ἐνὼχ ἔτη τριακόσια ἑξηκονταπέντε.

Iste noster Henoch est iunior; senior enim, à quo ciuitas Henochia denominata est, sic enim eam vocat Rufinus, vetus Iosephi interpres, quæ teste Nauclero ex Viterbiensi prope Libanum mõtem sita erat: Beresit Rabba vult Henoch inconstantem fuisse, statimque probum, postea improbum: sed gratis addunt improbum: cùm scriptura dicat tantùm cum Deo Henoch ambulasse: idest ita vixisse, vt Deo placuerit: iuxta 70. εὐηρέστησε δὲ Ἐνὼχ τῷ θεῷ: vel secundum Deum vitam peregisse, vt loquitur D. Aug. cap. 4. lib. 16. de ciuit. Onkelos, ambulauit in timore Domini. i. in pietate: Ionathas, & autor Ierosolymit. Targ. *Coluit in veritatẽ Dominum, vel seruiuit coram Domino*: alij vertunt, *sub cura Dei vixit*; ætatem egit cum Deo, pietate, & fide. Quæ omnia recidunt in idem, vt explicent Enoch in vijs Domini, atque iuxta eius præcepta, & voluntatem ambulasse. Hic igitur patriarcha septimus numero sese ad diuinam voluntatem composuit, atque conformauit. R. Ibbo in Beresit Rabba perperam ait modò hypocritam, modò bonum fuisse, vt dixerit Deus benedictus, *dum est iustus, subducam eum*: enimuero toto tempore, quo post Mathusalam genitum vixit, dicitur coram Deo ambulasse: & Sapient. 4. raptum fuisse, ne malitia mutaret intellectum eius: addit verò Iosephus lib. 1 cap. 5. non tantùm Henoch pium fuisse, sed & nepotes sui similes reliquisse: bene propterea filij Seth Dei filij dicuntur, quippe qui secundũ Deum, atque voluntatem illius mores suos componunt.

Rufinus. Nauclerus. Augustin. R. Ibbo. Sapient. 4. Ioseph.

Hunc placuisse Deo confirmatur Eccl. 44. & ad Hebr. 11. Nec est quod Amama cum suo Vvitakero particulam hanc ex versic. 22, *Et vixit*, quæ ponitur inter. *Enoch autem placuit Deo, & postquam genuit Mathusale*: tantùm enim abest, vt eâ demptâ, omnia sint ἀμφαντώτατα: quin potiùs ex non subintellecta illa particula, *Et vixit* Philo, & Procopius in eam abiêre sententiam, vt existimarint Enoch ante coniugium Deo ingratum fuisse: Philo enim lib. de Abrahamo agens de pœnitentia, & correctione peccatorum videtur pœnitentiam de peccatis tribuisse Henoch ob id 44. Eccles. καὶ μετετέθη ὑπόδειγμα μετανοίας ταῖς γενεαῖς: *Et translatus est exemplum pœnitentiæ generationibus*: vbi Enoch pœnitentiæ exemplum proponitur, non vt Dauid, & Manasses, Petrus, aut Magdalena, sed quomodo Ioannes Baptista, qui vitâ, & linguâ prædicabat hominibus pœnitentiam: quanquam in eo, quòd peccasset antea, deinde pœnituisset eum, nullum incommodum inuenio, si scriptura id affirmaret. D. autem Hieron. apposuit in vulgato textu, *Et vixit*, vt ab eo legantur anni trecenti, qui sequuntur; sic etiam in Biblijs regijs, & Complur. & in duobus manuscr. regijs D. Chrysost legitur. Facessant igitur illa Amamæ ἀμφιβολίαν nihil aliud, quàm obscuritatem parientia. At de Henoch iterum sequenti versu.

Eccles. 44. ad Hebr. 11. Philo. Eccles. 44. Hieron.

VERSICVLVS

VERSICVLVS XXIV.

Ambulauitque cum Deo, & non apparuit; quia tulit eum Deus.

ויתהלך חנוך את־האלהים ואיננו כי־לקח אתו אלהים׃

Καὶ εὐηρέστησεν ἐνὼχ τῷ θεῷ· καὶ οὐκ εὑρίσκετο, διότι μετατέθεικεν αὐτὸν θεός.

PRo *non apparuit* 70. *οὐχ εὑρίσκετο non est inuentus* hebraice ואיננו *veenennou, & non ipse*: & pro transtulit לקח tulit, seu accepit. Vnde quidam
Lactant. arbitrantur Enoch mortuum esse, quia idem esse videtur, si de aliquo dicatur, *non est*, ac *mortuus est*; vnde Lactant. lib. 3. cap. decimo septimo, *Quando nos sumus, mors non est: quando nos non su-*
R. AKiba. *mus, mors est.* Deus autem illum tulit, seu rapuit, & abstulit: quem raptum Hebræi meliùs sentientes agnoscunt, vt R. AKiba in alphabeto Cabalico, teste Racanati, sicut & Ionatas in suo Thargo, eodemque modo raptum aiunt, ac Heliam in turbine, quia litteræ istius versiculi sequentes כי־לקח אתו אלהים *qui lakach otho elohim*. i. *quia accepit eum Deus*, eundem numerum faciunt cum alijs, quæ habentur in raptu Eliæ בורח סערה הע חו nempe 667; translatum verò appellatum fuisse metatorem, scribam magnum, angelum coram Domino ministrantem, sed hæc omnia mihi friuola videntur; conferunt etiam Mosem cum eo, quia sicut Henoch septimus ab Adam ascendit, ita Moses septimus ab Abraham, quem 6 Hieron.
præcesserunt Abraham, Isaac, Iacob, Leui, Caath, & Amram; sed est dispar ratio, vnus enim mortuus est, non alius, vt postmodum probabitur. D. autem Hieron. testatur ad Galat. 1. nos translationis verbum in Genesi primùm legere, quia 70 habent μετέθηκεν. Quòd autem supra vers. 23, omnes anni Henoch 365 fuisse dicantur, inde nonnulli concludunt magnum astrologum fuisse, quia in ætate sua numerum dierum cursus solaris habuit; nunquid R. Salomon ad solem allusit, dum ita scribit; *postea Henoch, qui vocatur Adris, vel Adlis, Atlis, aut potiùs Atlas*: hinc eum Euseb.
dixerunt inuenisse Astrologiam, quod ex Eupolemo confirmari potest apud Eusebium lib. 9. de præpar. euang. cap. 4 qui Mosem inducit Heliopoleos incolis dicentem sibi per successionem ab Enoch astrologiam traditam fuisse. Sed & Atlante, & Enoch eundem fuisse asserit. Plura de Henoch Pererius, Drusius, Marius, & alij habent; ea propter hìc plura non addam.

VERSICVLVS XXV. XXVI. ET XXVII.

XXV. *Vixit quoque Mathusala centum octoginta septem annis, & genuit Lamech.*

XXVI. *Et vixit Mathusala, postquam genuit Lamech, septingentis octoginta duobus annis, & genuit filios & filias.*

XXVII. *Et facti sunt omnes dies Mathusala nongenti sexaginta nouem anni, & mortuus est.*

ויחי מתושלח שבע ושמנים שנה ומאת שנה ויולד את־למך׃ XXV.

ויחי מתושלח אחרי הולידו את־למך שתים ושמנים שנה ושבע מאות שנה ויולד בנים ובנות׃ XXVI.

ויהיו כל־ימי מתושלח תשע וששים שנה ותשע מאות שנה וימת׃ XXVII.

XXV. Καὶ ἔζησε μαθουσαλὰ ἔτη ἑκατὸν ἑξηκονταεπτά· καὶ ἐγέννησε τὸν λάμεχ.

XXVI. Καὶ ἔζησε μαθουσαλὰ μετὰ τὸ γεννῆσαι αὐτὸν τὸν λάμεχ, ἔτη ὀκτακόσια δύο· καὶ ἐγέννησεν υἱοὺς, καὶ θυγατέρας.

XXVII. Καὶ ἐγένοντο πᾶσαι αἱ ἡμέραι μαθουσαλὰ, ἃς ἔζησεν, ἔτη ἐννακόσια ἑξηκονταεννέα· καὶ ἀπέθανεν.

HIc est octauus Patriarcha, quorum anni superauerunt annos reliquorum Patriarcharum: natus est autem anno mundi 688, ac proinde vixit cum Adamo 242 annos, & anno Noe 600,

quo diluuium cœpit, mortuus est, cuius integra vita 969 continet: quem Hebræi instar Enoch filij sui iustissimum fuisse aiunt, ac tanta vitæ longitudine vitam filij breuiorem compensasse, quam scilicet apud nos transegit, alioqui cùm nondum mortuus sit, omnium mortalium vitam longissimè superat. Est autem hîc magna græcos inter, & hebræos controuersia, nam 70 dicunt Mathusalem genuisse Lamech anno ætatis suæ 167, si 70 editionis Romanæ spectemus, vel 165 iuxta 70 bibliorum Regiorum: enimuero cùm vixerit 969 annos, & tamen iuxta 70 ab eius natiuitate vsque ad diluuium reperiantur tantùm 955 anni, supersunt 14: si Romanam editionem sequimur, vel 16; si regiam, quos diluuio superuixit; & tamen non fuit in arca; eapropter dixerunt aliqui in paradisum durante diluuio raptum fuisse; sed illud est merè fictitium, nec ea difficultate laboramus in computo hebraico, siquidem etiam Africano teste in Chronico Alexandrino, cùm Mathusala natus esset 187 annos Lamechum genuit initio sequentis anni 188, deinde natus Lamech annos 182 anno ætatis 183 incipiẽte genuit Noë; Noë verò peracto ætatis anno quingentesimo genuit Sem, cuius anno 100 contigit diluuium; quòd si hos numeros addideris, exurgent 969 anni, vt hîc constat.

167
182
500
100
———
969

Ex quibus satis apparet chronologiam Hebræorum, Græcorum chronologiæ præferendam esse, nam ex illa nihil absurdi sequitur, sicut ex 70 interpretum computo, quos sanè corruptos fuisse existimo; nec D. Hieronymus repugnat, qui præfatione lib. 16 in Isaiam fatetur in editione vulgata, quæ Græcè κοινὴ dicitur, multa contineri, quæ non sunt in hebraico, vel in 70 interpretibus, quales sunt 8 illi versus, quos Apostolus citat ad Rom. 3 *sepulchrum patens est guttur eorum &c.* vsque ad, *Non est timor Dei ante oculos eorum:* quos versus omnes Græciæ tractatores, qui nobis eruditionis suæ in psalmos, commentarios reliquerunt, veru annotant, atque prætereunt, liquidò confitentes in Hebraico non haberi, nec esse in 70 interpretibus, sed in editione vulgata, quæ in totum orbem dispersa est; vbi aduertendum est, quod hîc D. Hier. docuit, sicut & præfatione in 15 librum, nempe tunc solùm Apostolos, & Euangelistas ea de 70 interpretibus vel suis, vel eorum verbis testimonia ponere, quæ cum Hebraico consonarent, si qua autem ab alijs addita sunt, omnino negligere. Quòd si aliter sit in hebræo, aliter in veteri editione, Hebraicũ magis quàm 70 interpretes sequi. Ex quibus, sicut & ex præfatione in librum Paralip. ad Chromatium concludo nos non habere 70 interpretum editionem puram; nam alioqui fatetur se nolle Hebræa volumina latino sermone transferre: si 70 permanerent in sua puritate. Quapropter cùm ita corrupti sint, & immutati, quis scire potest, num in computo præsenti cum hebræis consenserint: sed nos de varijs editionibus aliquando dicturi sumus, si Deus dederit.

Hieron.

ad Rom. 3.

VERSICVLVS XXVIII. XXIX. ET XXX.

XXVIII. *Vixit autem Lamech centum octoginta duobus annis, & genuit filium.*

XXIX. *Vocauítque nomen eius Noe, dicens: Iste consolabitur nos ab operibus, & laboribus manuum nostrarum, in terra cui maledixit Dominus.*

XXX. *Vixitque Lamech, postquam genuit Noe, quingentis nonaginta quinque annis, & genuit filios, & filias.*

וַיְחִי־לֶמֶךְ שְׁתַּיִם וּשְׁמֹנִים שָׁנָה וּמְאַת שָׁנָה וַיּוֹלֶד בֵּן׃ XXVIII.
וַיִּקְרָא אֶת־שְׁמוֹ נֹחַ לֵאמֹר זֶה יְנַחֲמֵנוּ מִמַּעֲשֵׂנוּ וּמֵעִצְּבוֹן יָדֵינוּ מִן־הָאֲדָמָה XXIX.
אֲשֶׁר אֵרְרָהּ יְהוָה׃
וַיְחִי־לֶמֶךְ אַחֲרֵי הוֹלִידוֹ אֶת־נֹחַ חָמֵשׁ וְתִשְׁעִים שָׁנָה וַחֲמֵשׁ מֵאֹת שָׁנָה XXX.
וַיּוֹלֶד בָּנִים וּבָנוֹת׃

XXVIII. Καὶ ἔζησε Λάμεχ ἔτη ἑκατὸν ὀγδοηκονταοκτώ. καὶ ἐγέννησεν υἱόν.

XXIX. Καὶ ἐπωνόμασε τὸ ὄνομα αὐτοῦ Νῶε. λέγων, οὗτος διαναπαύσει ἡμᾶς ἀπὸ τῶν ἔργων ἡμῶν, καὶ ἀπὸ τῶν λυπῶν τῶν χειρῶν ἡμῶν· καὶ ἀπὸ τῆς γῆς, ἧς κατηράσατο κύριος ὁ θεός.

XXX. Καὶ ἔζησε Λάμεχ μετὰ τὸ γεννῆσαι αὐτὸν τὸν Νῶε, ἔτη πεντακόσια ἑξηκονταπέντε· καὶ ἀπέθανεν.

ANtea Moses subiungebat illico filij geniti nomen, præterquam cùm de Adamo locutus est, quod in Lamech imitatur, cuius filium in genere tantùm commemorat: at sequenti versu nomen

nomen illius refert, videlicet Noe, cuius originem aperit: vnde meritò colligimus magnum aliquid in nomine Noe intelligendum, & ab eo expectandum esse: per eum enim genus hominum reparatum fuit, & seruatum in arca, deinde per eius filios instauratum, propagatum, atque multiplicatum: cæteri enim præter 8, diluuio absumpti fuêre. Hîc autem obijcitur difficultas, ob ea verba זה יְנַחֲמֵנוּ מִמַּעֲשֵׂנוּ *Ze ienachamenou mahasenou*, quod 70. reddiderunt, *οὗτος διαναπαύσει ἡμᾶς ἀπὸ τῶν ἔργων*, *iste cessare faciet nos ab operibus:* verbũ יְנַחֲמֵנוּ deducunt alij à נָחָה i. sedare, mitigare, & quiescere facere, vnde nonnulli vertêre, *quietabit*: malunt alij à נָחַם *nacham* cum mem. i. consolari: hac quippe radice Moses vtitur. נח *Noach* verò est à radice נוח *quieuit*, adeout verbum, quoad Noe alluditur, sic efferri debuisse videatur יניחנו iuxta id quod 70. verterunt, *Faciet nos quiescere, vel cessare ab opere nostro*: vbi verò legimus ינחמנו Noe dicendus fuisset נחם, aut מנחם *consolatio*, vel *consolator*, iuxta vulgatam, *iste consolabitur nos*: attamen
R. Salomō. illud verbum exponit, & resoluit R. Salomon in ינח ממנו faciet quiescere, seu leuabit nos ab opere, & opus à nobis, cui non parum fauet R. Elias Orientalis. Alij putãt euphoniæ causâ ם à Noach
R. Elias. נח detractum esse, vt meliùs ei חֵן *chen*. i. gratia, de qua postea, corresponderet. Alij volunt hîc tantùm factam esse allusionem vocum, non etymi: נחם enim vicinum est tam voce, quàm significa-
Ab. Ezra tione nomini נח: quod ex Aben-Ezra confirmatur, qui docet apud Hebræos sæpiùs sensuum fieri, quàm verborum allusionem: Sanè idem ferè mihi videntur, *Quiescere faciet nos à labore*, ac *consolabitur nos*: nam qui liberatur à labore, & opere, quo ante opprimebatur, non paruam consolationem accipit. Et quidem si verbum יניחנו subintelligamus, tota sententia aptissimè cohærebit, maximè cum *min* subiungatur מן: ac si diceret, *Nos consolabitur, quando nos à labore nostro quiescere faciet*.

Quærunt autem Hebræi, vnde Lamech futurum agnouerit, quod Noë homines consolaretur, eosque à nimio labore subleuaret, inter quos illi mentiuntur, qui dicunt Noë genitum visum fuisse circuncisum, quod falsum est, cùm Abraham primus circuncisus fuerit, vt ostendemus. Quapropter alij putant Lamech id ab Adamo doctum fuisse, alij maxima ingenij, qua tunc homines pollebant, præstantia scire potuisse, alij existimant id ex affectu pronuntiasse, ac, cùm pater nato filio plurima nomina imponit ex gaudio quo propter natum filium afficitur. Verùm nihil periculi video, si dixerimus Lamech id per reuelationem diuinam agnouisse, idque diuino numine afflatum asseruisse, & fortè præuidisse Messiam ex Noë nasciturum, qui patres à limbo, & omnes à peccatis, & operibus arduis, quibus sathan opprimebat homines, liberaturus esset.

Quodnam verò fuerit opus illud, à quo nos subleuaturus erat Noe, quis ominabitur? an id de labore, & ærumna potest accipi, quibus homines aquarum vndis vndequaque erumpentibus diluuij tempore afficientur, vt Lamech de filijs suis, & nepotibus loquatur, cùm ait, nos? an de malitia improborum loquitur, à qua diluuium vniuersum homines nequam à probis diuisit, & illorum technas continuit? an ille labor de terræ maledictione potest intelligi, vt quæ propter antecedentem maledictionem vix fructus hominum victui sufficientes licet omni labore exculta proferebat, deinceps fœcundior reddita fuerit? adeout Noe consolator appellandus sit, quia iustè, ac sanctè degebat, & alijs iustitiam annuntians eos ad pœnitentiam prouocabat, & verbo, sicut exemplo inducebat, vt Deus misericordiâ motus terræ virtutem redderet. Sed cùm Noe tempore malitia inualuerit, hic sensus non ita commodus apparet. Tutius fortè quis existimet, si in Christum oculos conuertamus, cuius vmbra patriarchæ, & eorum filij esse videbantur, quod præsertim in Noe verum est, qui fuit pater futuri sæculi, prout ipse Messias in Isaia describitur, qui renera consolabitur nos ab operibus nostris, quando peccata mundi tollet, quæ sunt opera hominis, non Dei, sicut opera bona sunt potiùs opera Dei, quàm nostra: licet nos libero consensu, & concursu aliquid conferamus, & ipsa opera simul cum Deo faciamus: qua ratione sunt Dei, & hominis simul operantium. Non desunt, qui putent eam à laboribus, & opere duro subleuationem in eo sitam esse, quòd Noe vir agricola repererit aratrum, ligonem, plaustra, & boues, quibus deinceps facillimo negotio terrã proscinderent, ac meliori, faciliorique, quàm antea modo excolerent, quia tantùm id manibus ab initio mundi præstiterant: at cùm nihil apertum ea de re nobis scriptura sancta suggesserit, nec ego vlteriùs inquirere velim: quanquam Oleaster huic sensui faueat, dum sic ver- Oleaster.
tendum putat. *Et à compressione manuum nostrarum de terra (nos eruet)*: & quidem non tanto labore manuum indigemus, quia boues ad iugum acti proscindunt terram. Hinc nomen עִצָּבוֹן *histebon* fit à עָצַב *hatsab*. i. *doluit*, vel *contristauit*, *pænituit*, vnde עָצָב *hetseb* idolum arte elaboratũ, quia comprimitur, cùm fabricatur: addit Oleaster *Nicham* significare non tantùm *consolari*, sed & *pænitere*: vt sit sensus, Noe pœnitebit nostri propter opus nostrũ, vices nostras dolebit, & pro sceleribus nostris mittet lachrymas, vel pœnitentiã aget, vt à manuum compressione liberemur, qua terram colendo comprimimur. Putabant alij Noe consolaturum homines, quia vinum reperturus erat, cuius legitimus vsus homines recreat. Denique non erit absurdum si propter iustitiam, atque probitatem Noe terram Deum benedixisse putauerimus: vt iam maiorem frugum copiam ediderit, quàm vbi tam propter Adami, quàm Caini peccatum maledicta fuit, quamuis minimè credam ita sterilem fuisse, quin ad vitam necessaria vnicuique suggesserit. De benedictione, quam Deus post sacrificium Noemicum terræ dedit versu 21. cap. 8. & cap. 9. agendum erit. Ystella putat illa verba Gen. 8. & 9.
tantùm dicta fuisse, quia seniores, & infirmiores parentes nato filio socium in labore nacti sunt; ac si dixissent, iam vir nobis datus est, qui nos consoletur, & adiuuet in labore terræ maledictæ: qui tamen sensus cæteris præiudicare non debet. Hîc verò Patriarcha natus est anno mundi 1056, nempe 126 annis post mortem Adæ, demptis enim 930 annis, quos vixit Adam ex annis 1056, residui sunt 126 vsque ad natiuitatem Noe: hinc patet Lamechum Noe patrem vidisse Adamum, & cum eo 56 annos vixisse: At reliquos primæ ætatis annos in sequentibus inuestigemus.

VERSICVLVS XXXI. ET XXXII.

XXXI. *Et facti sunt omnes dies Lamech, septingenti septuaginta septem anni, & mortuus est.*

XXXII. *Noe verò cùm quingentorum esset annorum genuit Sem, Cham, & Iaphet.*

XXXI. וַיְהִי כָּל־יְמֵי־לֶמֶךְ שֶׁבַע וְשִׁבְעִים שָׁנָה וּשְׁבַע מֵאוֹת שָׁנָה וַיָּמֹת׃

XXXII. וַיְהִי־נֹחַ בֶּן־חֲמֵשׁ מֵאוֹת שָׁנָה וַיּוֹלֶד נֹחַ אֶת־שֵׁם אֶת־חָם וְאֶת־יָפֶת׃

XXXI. Καὶ ἐγένοντο πᾶσαι ἡμέραι λάμεχ, ἔτη ἑπτακόσια πεντηκοντατρία· καὶ ἀπέθανεν·

XXXII. Καὶ νῶε ἦν ἐτῶν πεντακοσίων. καὶ ἐγέννησε νῶε τρεῖς υἱοὺς, τὸν σὴμ, τὸν χάμ, τὸν ἰάφεθ.

NOn est quòd mirentur scripturam non commemorasse alios filios Noë, cùm iam ostenderimus ex D. Aug. 15 de ciuit. cap. 15. vel eos patres non ita citò pubertatem attigisse, quæ nimirum cum longitudine vitæ proportionem habere debet; vel etiam ante filios genuisse, per quos cùm neque Christus descenderit, neque aliud quidquam insigne factum sit, minimè commemorantur. R. Salomon ideo hoc factum ait, vt Noë ante 500 annos non genuerit, ne filij priùs suscepti facilè aliorum vitijs corrumperentur, quapropter eluuionis tempore iuniores esse voluit, ne quemadmodum cæteri nefarijs sceleribus inficerentur: at fabulosus ille Rabinus parum, vel nihil autoritatis habet, qui timet, ne si proles bona Noëmo longè ante nata fuisset, plures fuissent in arca, & in ea tanta fabricanda nimiam operam impédere debeat Noe. Lamech autem quinquennio ante diluuium, ætatis anno 777 mortuus est, atque adeò pater eius Mathusale ei quinquennio superuixit. Taceo mysteria Rabbinica, quæ in numero 777 curiosiùs, quàm veriùs inuestigant, vt quod tunc mundi perfectio, seu consummatio aduenisset, idque per 3 illos septenarios designari, nempe per septenarium vnitatum, decadum, & centenariorum; sed necdum finis huic ætati positus est, cùm fluxerint vsque ad diluuium anni quinque. Scio quidem nonnullos vt Paulum Orosium lib. 7. Eutropium lib. 4. de bello punico, Volaterranum lib. 13. & alios quædam circa numerum septingentesimum annotasse; adeout fuerint, qui regna mundi hocce numero terminari voluerint: sic enim aiunt Macedonicum regnum à Carano conditore vsque ad Persen annos 700 durasse, quod septentrionale regnum appellant: sicut & Meridianum Africanum, seu Carthaginense, quod desijt expugnata Carthagine Scipionis auxilio. Ita etiam orientale Babylonicũ à Semiramide instauratum post 700 annum à Cyro subuersum aiunt. Denique Romanum per 7 reges administratum anno suo septingentesimo magnas mutationes subijt, & Roma incendio repentino corripitur, dum interim M. Licinius Crassus cum exercitu suo deletur à Parthis: omitto Pompeij, Cæsarisque bella post quæ alio centenariorum septenario Constans 24 Constantinopolitanus Imperator Romam deuastauit, anno vrbis conditæ 1400, & ab Imperio I. Cæsaris 700. Totidem annos à diluuio Noe ad ortum Deucalionis, & Thessalicum diluuium numerant: referuntque Constantinũ magnum Valenti Mathematico iussisse, vt inspecto vrbis, quam in Bizantio construebat, horoscopo, durationem illius inueniret, quam 696 annis duraturam annuntiauit. Sed hæc existimo friuola, vt patet ex ijs, qui regnis, & imperijs ætatem præscribere satagunt, nec enim inter eos constat de numero, quandoquidem alij hunc, alij diuersum pro libito eligunt, vt fusè dictum est alibi, vbi nugas illas confutauimus. Ita numerum 1728 duodenarij cubum Plato elegisse videtur 8 Reip. seu politicorum, ipso Aristotele teste 5. politic. cap. 12. his verbis. ἀρχὴν δ' εἶναι τούτων ὧν ἐπίτριτος πυθμὴν πεμπάδι συζυγεὶς δύο ἁρμονίας παρέχεται λέγων, ὅταν ὁ τοῦ διαγράμματος ἀριθμὸς τούτου γένηται στερεός, &c. i. *Horum autem esse principium ea, quorum radix sesquitertia numero quinario iuncta, duas concentus efficit: quod futurum est*, inquit, *cùm huius descripta figuræ numerus solidus factus fuerit.*

Enimuero Socrates dialogo 8. de iusto in numero duodenario Reipublicæ perfectionem sitam esse arbitrabantur, quia continet duas harmonias, seu consonantias, quæ simul iunctæ perfectissimam omnium consonantiam diapason efficiunt: Illæ verò 2 consonantiæ sunt sesquitertia, seu Diatessaron, inter hosce numeros 4, & 3 sita, qui duo numeri simul additi faciunt 7, quem numerum ideo vocauit Aristoteles radicem Epitriti, quia componitur ex numeris 4, & 3, inter quos quarta maior consistit: Qua ratione quinarius est radix hemiolij, quia inter 3, & 2 Diapente reperitur: huic ergo quinario, seu radici, si radicem epitriti iungas, habes duodenariũ, qui duas illas consonantias exhibet. Demum 12 dat cubum 1728, sicut quadratum 144. Quod hîc dictum velim, vt intelligas non vnam esse de regnorum ætatibus inter Astrologos, atque politicos sententiam: sed fusè de his alibi, quando Bodinum cum alijs refellemus.

Dignum est autem consideratione, quod nullus patriarcha millenarium annorum vixerit, vt ne quidem vnius Dei fuerit ætas cuiusquam ante oculos Dei, ante quos mille anni sunt, tanquam Dies hesterna, quæ præterijt, psalmo 89.

Margin notes: August. — R. Salom. — Oros. Eutrop. Volater. — De periodo, & mutatione Rerumpublicarum. — Plato. Aristot. — Socrates. — Psalm. 89.

Noe

Noë verò cùm esset quingentorum annorum genuit Sem, Cham, & Iaphet; siue hucusque ab vxore abstinuerit ex affectu castitatis, vel vt inspirationem diuinam expectauerit, siue alios etiam antea liberos procreauerit: verùm cùm non habeatur ratio horum liberorum ante diluuium, quandoquidem solius patris anni numerantur, & in chronologia sufficiunt, hinc fit, vt hîc plura de illis non existimem esse dicenda. Quapropter operæpretium est, vt fructum aliquem ex isto capite percipiamus, inter quos duo mihi præcipui videntur, quibus Deo gratissimi reddimur, nempè si Henoch instar cum Deo ambulauerimus; & sæpius futuræ mortis seriò meminerimus; ad quod Spiritus sanctus nos hortari videtur, cùm toties repetat; *Et mortuus est.* Quæ sanè cogitatio tantam vtilitatem secum aduehit, vt ipse sapiens asserat eum in æternum non peccaturum, qui illius meditatione mentem armauerit Ecclesi. 7. *memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis*; nam *facilè contemnit omnia*, inquit S. Hieron. Epist. 103. *qui se semper cogitat esse moriturum: hoc enim est testamentum huius mundi.* Eccli. 14. *Morte morietur.* Quò respexisse coniiceres Senecam Epist. 26. si Christianus fuisset, aut literis sacris imbutus, *Incertum est, quo te loco mors expectet: itaque tu illam omni loco expecta: in somnum ituri læti, hilaresque dicamus: vixi, & quem dederas cursum, Deus alme, peregi.*

Eccl 7. Hieron. Ecl. 14. Seneca.

Quantum verò Dei præsentia valeat, & pietatem prouehat, vix ab vllo explicari potest, adeout meritò ars artium appellari possit illa scientia, qua nouit aliquis coram Deo, & in eius conspectu ambulare; nam cùm Deum omnipotentem, optimum, iustissimum, & omnia scientem mihi præsentissimum esse firmissimè credo, cogito, & apprehendo; video me totum ab eo pendere, regi, atque gubernari, vnde fit, vt ex ista sola præsentia ad omnes affectus sanctos facilè quis moueatur, & ab ipso Deo omnem veritatem ad salutem necessariam audire, ad omne bonum induci, & ad omne malum detestandum prouocari videatur. Cùm enim Deum mihi præsentem, me spectantem, me docentem, me conseruantem aspicio, ab eo postulo: Domine quid vis, vt faciam, loquere, audit enim seruus tuus; si me peccata turpem, & me Æthiope nigriorẽ efficiant, me sacrâ gratiæ lymphâ prolue; si tepidus sum, nunquid es ardor ille charitatis vehementissimus, vre me; si cæcus, illumina me: Qua ratione omnia possumus à Deo postulare, quæ nostræ saluti conducunt: At plures hac de præsentia tractatus passim occurrunt, quos cum vtilitate legere potes, Arias, Gaudierius, & alij; Monebo tantùm viros doctis me non putare necessarium esse librum, vt vitam spiritualem, & sanctam ducant, quos vno, aut altero die maiorem profectum facere posse existimem, si per aliquas horas se tantùm in Dei præsentia statuant, quàm si annos integros in librorum piorum lectione absumant.

De vtilitate præsentiæ Dei in vita spirituali.

Quisquis illud diuinæ præsentiæ exercitium perfecerit, reuera fatebitur, quod assero, neque se vnquam tanto Dei confixum timore, vel amore inflammatum fuisse videbit, ac cùm Deum opt. Maximum sibi præsentem serio contemplatus est, aut seipsum Deo præsentem tam corpore, quàm animo reddidit. Hinc facilè cõstat à fide incipiendum esse, si quis ædificio spirituali vacare in votis habeat. Et quidem quo maior est, atque vehementior actus fidei, quo Deum præsentem & omnia videntem, à nobis omnia postulantem, quæ nostrũ spectant officium, & per seipsum nobis inculcantem, quæ vel habentur in scripturâ, vel alioqui à concionatore audiremus, peccata nostra nobis exprobrantem, ad virtutes, ad consilia, ad omne bonum prouocantem; mirum est quanto dolore de peccatis præteritis doleamus, quantum omne genus mali, & omnis imperfectio displiceat, quia ei displicet, qui vult, vt nobis ea displiceant, quæ ipsi inuisa sunt; quanto amore erga diuinam bonitatem afficiamur, dum eam nostræ saluti incumbentem cernimus, ab eâ nos habere omnia, & in ea nostram fœlicitatem sitam esse credimus. Quæ pauca sufficere possint, vt quis ad illam beatissimam præsentiam tam in prosperis, quàm in aduersis recurrat: sic enim neque in illis extolletur, neque deprimetur in istis.

CAPVT SEXTVM.

1. *Cumque cœpissent homines multiplicari super terram, & filias procreassent.*

2. *Videntes filij Dei filias hominum quòd essent pulchræ, acceperunt sibi vxores ex omnibus quas elegerant.*

3. *Dixitque Deus: Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est: eruntque dies illius centum viginti annorum.*

4. *Gigantes autem erant super terram in diebus illis: postquam enim ingressi sunt filij Dei ad filias hominum, illæque genuerunt, isti sunt potentes à sæculo viri famosi.*

5. *Videns autem Deus quòd multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore.*

6. *Pœnituit eum quòd hominem fecisset in terra. Et tactus dolore cordis intrinsecus.*

7. *Delebo, inquit, hominem, quem creaui, à facie terræ, ab homine vsque ad animantia, à reptili vsque ad volucres cæli; pœnitet enim me fecisse eos.*

8. *Noë verò inuenit gratiam coram Domino.*
9. *Hæ sunt generationes Noë: Noë vir iustus atque perfectus fuit in generationibus suis, cum Deo ambulauit.*
10. *Et genuit tres filios, Sem, Cham, & Iapheth.*
11. *Corrupta est autem terra coram Deo, & repleta est iniquitate.*
12. *Cumque vidisset Deus terram esse corruptam (omnis quippe caro corruperat viam suam super terram.)*
13. *Dixit ad Noe: finis vniuersæ carnis venit coram me: repleta est terra iniquitate à facie eorum, & ego disperdam eos cum terra.*
14. *Fac tibi arcam de lignis læuigatis: mansiunculas in arca facies, & bitumine linies intrinsecus & extrinsecus.*
15. *Et sic facies eam: Trecentorum cubitorum erit longitudo arcæ, quinquaginta cubitorum latitudo, & triginta cubitorum altitudo illius.*
16. *Fenes... m in arca facies, & in cubito consummabis summitatem eius: ostium autem arcæ pones ex latere: deorsum, cœnacula, & tristega facies in ea.*
17. *Ecce ego adducam aquas diluuij super terram, vt interficiam omnem carnem, in qua spiritus vitæ est subter cælum: Vniuersa quæ in terra sunt, consumentur.*
18. *Ponamque fœdus meum tecum: & ingredieris arcam tu, & filij tui, vxor tua, & vxores filiorum tuorum, tecum.*
19. *Et ex cunctis animantibus vniuersæ carnis bina induces in arcam, vt viuant tecum: masculini sexus & feminini.*
20. *De volucribus iuxta genus suum, & de iumentis in genere suo, & ex omni reptili terræ secundùm genus suum: bina de omnibus ingredientur tecum, vt possint viuere.*
21. *Tolles igitur tecum ex omnibus escis, quæ mandi possunt, & comportabis apud te: & erunt tam tibi, quàm illis in cibum.*
22. *Fecit igitur Noë omnia, quæ præceperat illi Deus.*

VERSICVLVS I. ET II.

I. *Cumque cœpissent homines multiplicari super terram, & filias procreassent.*

II. *Videntes filij Dei filias hominum, quod essent pulchræ, accepeunt sibi vxores ex omnibus, quas elegerant.*

וַיְהִי כִּי־הֵחֵל הָאָדָם לָרֹב עַל־פְּנֵי הָאֲדָמָה וּבָנוֹת יֻלְּדוּ לָהֶם׃ I.

וַיִּרְאוּ בְנֵי־הָאֱלֹהִים אֶת־בְּנוֹת הָאָדָם כִּי טֹבֹת הֵנָּה וַיִּקְחוּ לָהֶם II.
נָשִׁים מִכֹּל אֲשֶׁר בָּחָרוּ׃

I. Καὶ ἐγένετο ἡνίκα ἤρξαντο οἱ ἄνθρωποι πολλοὶ γίνεσθαι ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ θυγατέρες ἐγεννήθησαν αὐτοῖς.

II. Εἰδότες δὲ οἱ υἱοὶ τοῦ θεοῦ τὰς θυγατέρας τῶν ἀνθρώπων, ὅτι καλαί εἰσιν, ἔλαβον ἑαυτοῖς γυναῖκας ἀπὸ πασῶν, ὧν ἐξελέξαντο.

Isai. 9. HIc vsurpare possumus, quod Isaias cap. 9. *Multiplicasti gentem, non magnificasti lætitiam*, quod etiam in Christianis non raro contingere videmus, vt quo magis crescit numerus, magis decrescant virtutes, inquit Ferus; Igitur descendit scriptura ad flagitia generis humani connumeranda, & causæ malorum, tantíque excidij ponuntur sub oculos, tametsi nullum tempus definiatur, quo hæc fieri cœperint, nisi cùm iam homines essent aucti numero. In 1 versic. omnes Interpretes cum vulgata conueniunt, neque dubium est, quin ingens esset hominũ multitudo ab Adamo creata vsq; ad ea tempora, quibus hæc locutus est Deus. In 2 paulo maior est difficultas, quinã videlicet filij Dei, quæue hominum filiæ dicantur, verùm de his ad problema 74. Vene... gimus: satis erit si dicamus homines è familiã Sethi filios Dei nuncupatos, quòd mancipati essent diuino

uino cultui, & sinceræ religioni, qui tamen describuntur hoc tempore fuisse quoque adeò turpiter lapsi; præterea eorum erat sacrificare, concionari, & homines instituere. Iam ergo vides orbem distinctum in duas congregationes hominum, altera deducitur per Cainum homines terreni, carnales, impij, prorsúsque à Deo alieni, altera per Sethum deriuata, in qua pietas, & Dei cultus vigebat. Vti igitur hæ duæ stirpes erant diuersorum studiorum, ita sibi temperabant à matrimoniis, & affinitatibus simul ineundis, & hoc iure, & meritò, nil enim magis potest animum pellicere hominum ad impietatem, quàm vxor alieno Deo addicta, vel quæ manus alicui hæresi dederit. At nunc perfractis his repagulis cupiditate ducti à filiabus hominum, idest Caïni, non abstinebant. Vbi notandum est eos solâ libidine aspectui oculorum inseruientes, & carnali cupiditati nullo autem delectu, aut ratione, aut iustitiâ adductos hoc fecisse.

Symmach. Procop. Vbi legimus Dei; Aldina habet, θεῶν; Symmachus δυναστευόντων; vbi Procopius, ait *filij potentum*. i. sanctorum, qui diuino auxilio muniti audent Hieron. resistere aduersariis. D. Hieronym. ait Elohim esse numeri communis, vt Deum, & Deos, Aquila. prout locutus est Aquila. i. sanctos, siue angelos, significet. Pro *pulchra* Græci habent καλαί, at in Hebræo legitur טבת *touot*, bonæ. Ergo filij Dei, seu angeli Dei, vt apud 70. Philo, & Euseb. legisse videntur, misti sunt cum filiabus hominum, sicut Israëlitæ cum Madianitis, idque simili exi- Psalm 105. tio, iuxta id Psal. 105. *Permisti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, & seruierunt sculptilibus eorum.* Quomodo autem Seth Deus, eiusque filij Suidas. Dij vocentur, Suidas verbo Seth videndus est; vbi refert Seth Deum vocatum, quod literas hebraicas, & astrorum nomina reperisset.

Prodetit, si aduertamus linguæ Hebrææ morem esse, vt cum præ cæteris aliquid laudare vult, ei nomen Elohim, seu Dei apponat; sic enim Dauid laudaturus Ierusalem Psal. 87. eam ciuitatem Psalm. 87. & 65. Dei vocat. ita fluuius magnus Psal. 65. riuus Dei, 3. Reg. 19. sicut Arabiæ mons 3. Reg. 19. mons Dei, filij ma- Exod. 22. gnatum, & iudicum Exod. 22. Hinc etiam cani- Psal. 136. mus, *Confitemini Deo Deorum*. Psal. 136. & Exod. Exod. 21. 21. *adducet eum Dominus suus ad Deos*, idest iudices.

Varijs autem modis illi filij, & filiæ explicantur; quidam enim existimant filios illos Dei non esse alios, quàm proceres, & magnos, atque potentes, qui non tantùm mulieres sibi dignitate pares, sed quaslibet passim de vulgo sumebant ad explendam libidinē, quo sensu filiæ hominum plebeias significant. Has autem mulieres adhuc virgines, ab istis potentibus, cùm primùm in thalamum ducerentur, priusquàm à maritis, initas fuisse nonnulli aiunt, quos & iumentorum coitu vsos esse putant, at sine fundamento hæc dicta esse credo. Nec arridet, quod ait Ramban filios Dei primos paren- Ramban. tes intelligi, quòd à Deo primùm sine coniunctione maris, & fœminæ facti essent, quorum Deus solus esset pater: Seth enim, & Enos cum Adamo iungit, quia probabile est eos ad perfectionē, & staturam primorum parentum accessisse. Cùm autem illi cœpissent vxores magnitudine sibi correspondentes, primùm ex se tales homines generabant; at vbi rem cum mulieribus sibi non ita respondentibus è plebe sumptis habere cœperunt, filios quidem sibi minimè correspondentes, cæteris tamen proceriores ex illa scortatione susceperunt; quorum parentes cùm non agnoscerentur, iudicati sunt à filiis Dei procreatos esse; quapropter hos secundos נפלים *nephilim* appellarūt, quod à statura patrum decidissent, licet reliquis etiamnum excellerent: sed minimè verum existimo primos patres ita passim in mulieres irruisse.

Filios Dei AbenEzra putat viros fuisse in Astrologia exercitatissimos, qui ducerent vxores, Aben Ezra. quæ eiusdem essent secum constellationis, vnde sibi similes fortes, & magni nascerentur. Verùm id ad fabulas astrologicas relegandum est. Non autem desunt, qui Dei filios dæmones intellexerint, qu tunc cum mulieribus commixti fuerint, quales Aza, & Azael Hebræi faciunt, qui è cœlo delapsi gigantes genuerint. Volunt enim præter casum primum angelorum alium ante diluuium fuisse, idque Angelorum, quos Deus hominum custodiæ destinarat, qui mulierum formâ capti cum illis commixti gigantes procrearint. At vt nunc omittam, an dæmones generare possint, de quibus postea, falsum est Angelos custodes formâ mulierum captos fuisse, & in peccatum illud ruisse, tum quia sunt incorporei, nec affectibus corporeis ducuntur, tum quia licet corpus haberent, nullum amplius peccatum committere potuerunt, nec illâ formâ decipi, quippe qui non tantùm confirmati sunt in gratia, sed beatitudine perfruuntur, cum qua nullum peccatum esse potest. Optimam verò versicul. secundi interpretationem esse censeo, quam priùs attuli de filiis Dei. i. ad Ecclesiam Dei pertinentibus, siue ex Seth genitis, & filiabus hominum. i. Caïni, eiusque posterorum, quò fit, vt connubia non sint cum infidelibus peragenda, cùm eam ob causam Deus ita nobis infensus fuerit, vt illam nequitiam diluuio puniendam decreuerit. Quia verò non ita constat an sit, & cur, vel quale sit peccatum matrimonio iungi cum infideli, ea de re quæstionem aliâs instituemus.

VERSICVLVS III.

Dixitque Deus: Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est : eruntque dies illius centum viginti annorum.

וַיֹּאמֶר יְהוָה לֹא־יָדוֹן רוּחִי בָאָדָם לְעֹלָם בְּשַׁגַּם הוּא בָשָׂר וְהָיוּ יָמָיו
מֵאָה וְעֶשְׂרִים שָׁנָה :

Καὶ εἶπε κύριος ὁ θεός, οὐ μὴ καταμείνῃ τὸ πνεῦμά μου ἐν τοῖς ἀνθρώποις τούτοις
εἰς τὸν αἰῶνα, διὰ τὸ εἶναι αὐτοὺς σάρκας. ἔσονται δὲ αἱ ἡ-
μέραι αὐτῶν ἑκατὸν εἴκοσι ἔτη.

Pagnin. PAgninus ex hebræo vertit. *Non erit vt in vagi-
na spiritus meus in homine in sæculum, eo quòd sit*
Vatabl. *etiam caro.* Vatablus. *Non disceptabit spiritus meus*
Chald. *cum homine.* Chaldæus. *Non permanebit generatio
pessima hæc coram me in æternum, eo quòd caro sunt,
& opera eorum pessima, & terminus eis dabitur cen-
tum, & viginti annorum, si fortè conuertantur:* differũt
solùm LXX. à Vulgata, quod in plurali, *in homi-
Hieron. nibus* dixerint. D. Hieronym. ex Hebræo vertit,
*Non indicabit spiritus meus homines istos in sempi-
ternum, quia caro sunt, hoc est quia fragilis est in ho-
mine conditio, non eos ad æternos cruciatus seruabo, sed
illis restituam, quod merentur.* Ergo non seueritatem,
vt in nostris codicibus legitur, sed clementiam Dei
sonat, dum peccator hîc pro suo scelere visitatur.
Psalm 88. Sic enim Psal.88. promittit se ita visitaturum ini-
quitates, vt tamen misericordiam suam non sit a-
blaturus, quam visitationem negat filiis fornican-
Osee 4. tibus Osee 4.

Porro ne videretur in eo esse crudelis, quod
pœnitentibus locum pœnitentiæ non dedisset, ad-
iecit, *Sed erunt dies eorum centum viginti anni.* Hoc
est habebunt centum viginti annos ad agendam
pœnitentiam. Non igitur humana vita, vt multi
errant, in centum 20. annos contracta est, sed
generationi illi 120 anni ad pœnitentiam dati sunt,
si quidem inuenimus, quòd post diluuium Abra-
ham vixerit 175. annos, & cæteri insuper 200, &
300. annis. Quia verò pœnitentiam agere con-
tempserunt; noluit Deus tempus expectare decre-
tum, sed 20. annorum spatiis amputatis induxit
diluuium anno centesimo agendæ pœnitentiæ de-
stinato. Hæc Hieron. in tradit. heb. Alij verò
existimant Nohæ fuisse dictum, & illius tempesta-
tis concionatoribus, vt illis verbis populum ad-
monerent, hortarenturque ad resipiscendum, cùm
iam illius sæculi mala à Deo non vlteriùs ferenda
essent.

Quomodo spiritus Dei non permaneat in homine. Vox Hebraica ידון diuersa significat, ideo
variant interpretes. Si à נדן quod est *vagina*, deri-
uetur, eo verbo nil aliud nobis significatur, quàm
spiritum in vagina esse instar gladij conditi. Spiri-
tus autem potest ad animum nostrum referri, vel
ad ipsius Dei vim, & potestatem, qua arguit, regit
& hortatur homines ad bona. Quod verò noster Explicat.
animus Dei Spiritus dici possit, ex eo patet, quòd 1
à Deo sit conditus, & ad illum pertineat. Spiritus
ergo meus, idest animus meus, non erit in æter-
num, idest diu in vagina, idest in corpore, quo te-
gitur gladij instar à sua theca, sed curabo, vt citò
absoluatur, & ita subducantur à mundo tot vitia
& scelera. Si verò Spiritus accipiatur posteriore 2.
significatione, sensus est planus, Spiritus meus,
quo castigo, & corripio, non diu occultabitur,
exeretur. Hæ debuerunt esse conciones in Eccle-
sia, orbem subuertendum esse ob scelera. Et hoc
fortè secuti sunt 70, quando dicunt, *καταμείνῃ,
non permanebit,* non multùm differam, & morabor
effundere meam iram. At quia verbum potest de-
duci à דין, quod est iudicare, & rixari, sensus hic
elici poterit : Anima hominis melior pars meo 3.
lumine, & spiritu incitata non ita diu rixabit, iur-
gabit scilicet frustra in homine, nam malis perpe-
tratis conscientia arguit; vel *non indicabit,* ac si di-
cat. De salute hominis actum est, spiritus meus,
meæ salubres monitiones, conscientia, eius me-
lior pars, non ibi dominabitur, non præualebit,
neque summum habebit locum, sed ipsa potiùs ap-
petitui sensitiuo subiicietur.

Notant etiam dictionem עולם non perpetuum
significare tempus, sed certum quoddam satis diu-
turnum, ac si penes istam sententiam dicat Domi-
nus, Ego per sæculi cuiusdam spatium non iudica-
bo, in homines aliquanto tempore vltionem susti-
nebo, vt possint resipiscere. Deditque illis 120 an-
nos. De quibus tamen nonnulli ambigunt, pu-
tantque illos hic esse constitutos, quasi hominum
vitæ terminum; quibus sic opinantibus, si tu obij- 4.
cias plures vixisse vltra taxatam hîc summam an-
norum, vti patet de Abraham, Iacob &c. fortè
responderent hoc fuisse priuatum eorum, & pecu-
liare priuilegium, hanc tamen esse vitæ sum-
mam aliorum hominum, quamuis vt pluri-
mum 70, & 80 dicantur à Dauide. Huius verò sen-
tentiæ est Iosephus, scilicet homines breuiorem
deinceps vitã fuisse sortitos, cum quo & Lactãtius Lactant.

facit 2. l. Suar. instit. At prior via magis est recepta; sicuti etiam Niniuitis Deus tempus præfixit. cùm per Ionam diceret. *Adhuc 40. dies, & Niniue subuertetur.* Quibus Chaldæus fauet: quare putandum est hæc Nohæ, & Ecclesiæ rectoribus tunc fuisse reuelata, vt illis homines eius ætatis corriperentur.

Quibus Berosus Anianus fauet l. 1. dum ait multos tunc prædicasse, & excidisse lapidibus ea, quæ ventura erant orbis perditione; sed illos vt pote impios omnia corrisisse; & quidem non est insolitum, vt familiæ licet amplissimæ, & antiquissimæ, & etiam integra imperia propter improbitatem extinguantur iuxta Psal. 36. *Iniusti autem disperibunt, simul reliquiæ impiorum interibunt,* cùm tamen ibidem iustis hæreditas terræ promittatur, licet non sit perpetuum, sæpius enim in futuram vitam peccatorum pœnas Deus iustissimis, licet occultis de causis, reseruat. Sensus autem propter textum hebræum variare constat, maximè verò quia ידון *Iadon* pro diuersis radicibus ad quas refertur, varia significat. Vt enim dictum est, si à דון *Doun* oriatur, vt Symmachus, & Complutensis putat, significat *iudicare*, vt Gen. 15. *gentem cui seruient*, דן dan .i. iudicabo, tametsi potius litigare significet, inquit Oleaster, vt 2. Samuel. 19. *omnis populus nadon certabat, seu contendebat*, vt eum sensum cæteris præferat, non amplius ob peccata sua homines arguam, sed eos delebo. ac si Deus diceret, dedi eis omne tempus vsque ad annum 480 Noë, vt resipiscerent, eosque toties per concionatores, bonorum exempla, pias inspirationes monui, redargui, & eis comminatus sum, sed inposterum illud facere nolim; eos delebo. Tametsi verò à radice דין veniat iuxta 70. verti potest *iudico, discepto, permaneo.*

Psal. 36.

Iadon à radicibus oriri potest, quarum 4

1.

2. Reg. 19.

Propriè verò significare videtur ex iuris fundamento sententiam pronuntiare, causam agere, & vt Oleaster aduertit, contendere. Hinc iudicium, & contentio דין *din*, iudex verò דין *daian*. de diuersis Hebræorum iudiciis dicemus aliàs. 2 deriuant alij à לון *loun*; quod 70 secuti videntur, idest *permansit, pernoctauit*, diciturque tam de longo quàm de breui tempore, vnde locus dormitionis מלון dicitur; huius sententiæ fuit Castrius l. 3. apolog. quod si verum fuerit, non tantùm explicaremus, *Spiritus meus permanebit*: sed & *dormiet, castrametabitur, intelliget, murmurabit*: hæc enim omnia significat etiam apud 70. Potest etiam esse à נדה inquit Oleaster, quia sæpè *nun* pro *he* ponitur, quo difficultatem omnem remoueri putat, quia tunc significat, *non prolongabit*. Pagnin. enim *elongare*, & *fugare* vertit, 70 verò *commouere, fastidire, venire*. & נדה *nida*, rem significat, quæ propter immunditiem remouetur, & eiicitur, vt monstrum, & similia, vt etiam merces quæ scorto datur נדה, & excommunicatio, qua quis ex cœtu Ecclesiastico, vel hominum eiicitur נדוי, vocatur. Denique si à נדן descendat, vaginam habes, quòd gladius sanguine pollutus in ea recondatur.

Oleast.

2.

Castr.

3.

Pagnin.

Ex quibus mendacium Amamæ redarguitur, qui Vulgatam reprehendit, quòd *permanebit*, vertat, cùm etiam *dun* à 70 per καταμένω vertatur, à καταμένω permaneo, vt etiam Kircherus eiusdem homo factionis aduertit: si tua grammatica postulet *iydon*, quare non puncta mutas? cùm post D. Hieron. tempora scripta sint. Mentiris etiam, dum ais Senensem ex professo lib. 5. annot. 74 docuisse locum hunc malè versum, ait enim tantùm D. Hieron. versionem 70 reiecisse, qui sic habent, vt refert οὐ μὴ καταμείνῃ. Imo ipse probat versionem nostram, dum fatetur Chaldæum nobiscum conuenire. Quod ad Caiet. attinet, quis in dubium reuocat eum non tantùm, quando plus nimio suis Rabinis credidit, *sed etiam in rebus theologicis non semel hallucinatum fuisse*, qui videtur dicere, Deum antea spiritualiter duntaxat homines iudicasse, donec supplicio corporeo per diluuium eos affecerit. Itaque Deus siue 500 anno Noë hæc dixerit, vt D. Chrys. Hier. & Hugo volunt, adeout ob malitiam 20 anni decurtati sint, siue 480; postquam Deus illis pœnitendi spatium dedit, & per Mathusalem, & Lamech auum, & patrem Noë qui iustitię præco dicitur 2 Petri. 2, supplicium futurum annuntiauit, iustissimum fuit vt pœnas luerent, cùm minimè vitam in melius emendarint, quod factum esse postea videbimus. Gretserus c. 12. l. 2 defensionis Bellarminianæ contra VuitacKerum cum Vatablo ait nostrum textum eundem habere sensum, ac si diceremus, *non erit, vt in vagina spiritus meus in homine, quia euaginabitur, & educetur*. idest non diu viuet homo. Verùm de hoc loco satis; sed quia nonnulli, vt diximus, vitam hominum nunc abbreuiatam fuisse existimarunt, illa quæstio agitanda esset: quomodo factum est, vt non ampliùs tot annos quot primi parentes nostri viuamus; at opportuniùs fortè reseruabitur ad tempus, quod sequitur diluuium, quandoquidem aliqui referunt in mare salsum quod frugum, & alimentorum virtutem minuit; vbi & de vitæ longitudine.

4.

Amama arguitur.

Kircherus.

Hieron.

2. Petri. 2.

Iuuat tamen annotare, quod habet Isidor. Clarius super, *Non rixabitur,* Non disceptabo, inquit, perpetuò quid hoc homine faciam, perdamne illum, an seruem: vel vt alius. Non erit spiritus meus cœlestis, quem spiraui in hominem, diu in illa rixa, quàm habet cum corpore, cùm non delectetur voluptatibus illis animalibus, quas quærit corpus. Nec tamen Deus ita spiritum suum ab hominibus aufert, vt nũquam illis redditurus sit, nec enim *holam* significat æternitatem, quando sine vau scribatur, vt capit. 1. ad Galat. D. Hieron. docet, sed durationem aliquam, quæ tamen interrumpatur.

Isid Clar. Explicatio Clarij.

VERSICVLVS IV.

Gigantes autem erant super terram in diebus illis, atque etiam ex quo ingressi sunt filij Dei ad filias hominum, illæque genuerunt, isti sunt potentes à sæculo viri famosi.

הַנְּפִלִים הָיוּ בָאָרֶץ בַּיָּמִים הָהֵם וְגַם אַחֲרֵי־כֵן אֲשֶׁר יָבֹאוּ בְּנֵי הָאֱלֹהִים אֶל־בְּנוֹת הָאָדָם וְיָלְדוּ לָהֶם הֵמָּה הַגִּבֹּרִים אֲשֶׁר מֵעוֹלָם אַנְשֵׁי הַשֵּׁם׃

Οἱ δὲ γίγαντες ἦσαν ἐπὶ τῆς γῆς ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις· καὶ μετ' ἐκεῖνο, ὡς ἂν εἰσεπορεύοντο οἱ υἱοὶ τοῦ θεοῦ πρὸς τὰς θυγατέρας τῶν ἀνθρώπων, καὶ ἐγέννωσαν ἑαυτοῖς. ἐκεῖνοι ἦσαν οἱ γίγαντες οἱ ἀπ' αἰῶνος, οἱ ἄνθρωποι οἱ ὀνομαστοί.

TRes precipuas difficultates in hoc versu deprehendo, quinam sint illi gigantes, quinam filij Dei, atque hominum filiæ, & qua ratione conceperint, quas antequam aggrediar, aliqua circa textum annotanda sunt; primò quidem hebræus non sonat *illæ genuerunt*, sed *illis*, & vbi dicimus, *viri famosi*, habent, *viri nominis*, græcus in his duobus congruit hebræo. Vatabl. Vatablus gigantes illos, qui *Nephilim* dicuntur, à נָפַל, non tam ob corporis staturam, quàm virium robur à Mose gigantes dictos fuisse putat, vtpote qui procellę, tempestatúmque violenter agros deuastantium instar suis irreptionibus, & latrociniis orbem terrarum deuastent. Symmach. LXX qui scribunt γίγαντες, in Aldina ἐπιπίπτοντες irruentes. Symmach. *οἱ βίαιοι*, vel *δυνάσται violenti, sanatu difficiles.*

Nomine verò Gigantum non defectores, seu apostatas intelligendos esse Drusius ait, quia præter familiam Noë omnes defecerant, quapropter nimis generale nomen esse putat, ea verò ratione sumendum, qua Num. 13. vbi Nephilim filij dicuntur Enac, adeout genus quoddam gigantum Num. 13. intelligat, quorum nomina 4 ex autore Phesichtæ refert Raphaim, Enacim, Nephilim, & Zomzommim, quibus alij iungunt Emim, quæ tamen potiùs sint diuersarum nationum nomina.

Alia sunt tria nomina, quæ in Beresith rabba afferuntur videlicet זמזומים, vt iam dictum est, עוים, & גבורים, ex quibus postremum generale est, significat enim robustos, & fortes. Hos autem gigantes centum cubitis proceros fuisse censent Hebræi, quod penitus incredibile videtur. Gigantes ergo, qui in diebus illis fuisse dicuntur, etiam ante tempora Noë fuerunt, quibus nimirum non est minatus Deus, nisi post multa scelera, vt ostenderetur Dei iram non esse præcipitem, aut esse leuem causam immittendi diluuij: Hos gigantes pri- Raban. mùm vi passim mulieres rapuisse putat ex Hebræis Raban, sed post oraculum de superuenturo diluuio publicatum eos clam cum vxoribus aliorum scortatos esse, & cùm non agnoscerentur ex quibus parentibus essent illi liberi, id cognitū, cùm illi adoleuissent ex statura corporis eorum, quòd essent ex proceribus illis staturæ altioris, & robustiori corpore præditis, & tamen illos, qui ex eis geniti erant, non planè illis staturâ, & robore pares fuisse, sed aliquanto inferiores: adde quòd Nephilim semper in malam partem accipiatur, & de hominibus monstrosæ magnitudinis dicitur, vt cùm exploratores missi sunt in Chanaan, vnde reuersi dixerunt se vidisse *nephilim*, præ quibus Isračlitæ muscæ videantur, aut locustæ. Sunt qui negent gigantes, & ex Seth natos proceriori fuisse natura, ex Cain autem humiliori, & deformiores, illos pulchriores & fortiores, hos imbecilliores, vt hoc aperto discrimine vtráque progenies distingueretur sanctorū, & reproborum: Et quidē illud fieri non solet, vt qui ex sanctioribus parentibus nascantur, formosiores sint, qui ex impiis deformes; at siue in vtráque familia gigantes fuerint, siue non, falsum est ideo monstrositate corporis fuisse, vt simul & animi rebellis in Deum monstrositas esset, & suâ potētia, & viribus cæteros opprimerent, nec enim Deus, aut natura monstra intendunt, vt in impietatem abeant.

Aben Ezra dictionem hanc *postquam*, vel *postea* refert ad tempus post diluuium, ac si ex iis gigan- Aben Ezra. tibus ante diluuium descenderint ij, qui post diluuium fuerunt, quasi verò aliqui ex gigantibus euaserint è diluuio, ex quibus Og Rex Basan, & alij orti sint; nugæ! quandoquidem omnia inundata sunt. Alij putant vxores Noë, & filiorum eius ex stirpe gigantum fuisse, ex quibus successu temporis gigantes orti sint. Berosus verò tradit Noë gigantem fuisse, sed pium, & probum, qui alios gi- Berosus. gantes suæ ætatis de iudicio Dei monuerit, vt resipiscerent, & cessarent à nefandis suis sceleribus, cui Mercerus consentire non vult, eo quod monstrositatem illam ex Dei ira profectam arbitratur, vnde & ex illa proceritate monstrosa secuta est animi monstrositas, quam melius ex peruersa voluntate ortam dixero, hæc enim in nostra potestate sita est, non alia. Ezræ fauet Mercer. dum ait, & etiam, vel quin etiam postea, vbi est distinctio per Reuiah. Rasi verò, & Helias Mizrahi illud אחרי־כן *acare Ken* hoc sensu legunt; fuerant iam ante temporibus Enos gigantes, quos Deus perdiderat in tertiam orbis partem inducto Oceano, at postea etiam secuti gigantes non expauerunt, aut exhorruerunt

Domini

Domini iudicium: quoties autem congrediebantur potentum filij cum filiabus vulgi, inde gigantes ſuis nempe ſimiles patribus naſcebantur. Id verò R. Salomon de Irad, Mehuiaël, Mathuſaël, & aliis Caïnicæ familiæ explicat. Quicquid ſit certum eſt illos gigantes terram libidine, cæteriſque nefariis ſceleribus conſpurcaſſe: Minimè verò ſententia eorum probatur, qui per Nephilim angelos interpretantur: tametſi poſſint iuxta multorum opinionem ſuccubos, & incubos agere: quòd autem poëtæ ex eo loco γιγάντας ſuos deſumpſerint, ſatis probabile eſt. Fuſius aliâs Deo bene iuuante de gigantibus, incubis, & ſuccubis agemus. Iuuat tamen aduertere quoſdã per Nephilim non intelligere gigantes, quorum aſpectu cæteri deterreantur, & ob pauorem veluti proſternãtur, ſed è contrario ipſos gigantes eapropter dici Nephilim, quia ob veri Dei cultum à reliquis in eo diſtinguerentur, quòd Deum proſtrationibus adorarent, adeout illa cæremonia eos ab improbis ſecerneret, eo ferè modo, quo patres ordinis S. Franciſci de Aſſiſio ab aliis diſtingueres, cùm eos ſeſe proſternentes ante Sacramentum altaris, & terram deoſculantes aſpicis: illius explicationis ſtrenuum aſſertorem Reuerendum Patrem Iacobum Bolducum doctiſſimis in Iob commẽtariis, quos breui prælo ſubijciet, conſulere poteris, ego enim ad alios verſiculos progredior. Ex quo ſenſu concludendum eſſe videretur illos gigantes filios Seth fuiſſe.

VERSICVLVS. V.

Videns autem Deus, quod multa malitia hominum eſſet in terra, & cuncta cogitatio cordis inte[n]ta eſſet ad mal[u]m omni tempor[e].

וַיַּרְא יְהוָה כִּי רַבָּה רָעַת הָאָדָם בָּאָרֶץ וְכָל־יֵצֶר מַחְשְׁבֹת לִבּוֹ רַק רַע כָּל־הַיּוֹם׃

Ἰδὼν δὲ κύριος ὁ θεός, ὅτι ἐπληθύνθησαν αἱ κακίαι τῶν ἀνθρώπων ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ πᾶς τις διανοεῖται ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτοῦ ἐπιμελῶς ἐπὶ τὰ πονηρὰ πάσας τὰς ἡμέρας.

MOſes ante pœnam flagitiis hominum inferendam enarrat, quomodo Deus omnia hominum peccata viderit, vt ſciamus eum non eſſe crudelem, durum, vel præcipitem, qui nempe ſententiam de illis delendis non protulit, niſi re bene perſpectâ, poſtquam deploratos vidit, & iniquitas ad ſummum excreuit, peruaſitque totam terram, vt nequidem angulum poſſideret integritas; nec enim ante aquarum diluuio genus humanum perditũ eſt, quàm ſcelerum colluuie ſubmerſum. Videns ergo Deus, vel iuxta paraphraſtem Chaldæum. *Et palam fuit coram Deo:* quod multa malitia hominum eſſet in terra ἐπληθύνθησαν αἱ κακίαι, quod multiplicatæ ſunt malitiæ: nam vbi ſcortatio, & luxuria, & tanta intemperantia, veriſimile eſt ibi & ebrietatem, & crapulam, & magnam iniuſtitiam, & auaritiam, & innumera alia naſci mala, inquit D. Chryſoſt. hom. 22. Chryſoſt.

Et cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore, vel vt 70 legunt, καὶ πᾶς τις διανοεῖται ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτοῦ ἐπιμελῶς ἐπὶ τὰ πονηρὰ, πάσας τὰς ἡμέρας, & quòd vnuſquiſque cogitat in corde ſuo diligenter ad mala omnibus diebus vbi ſingula peccatorum oſtendunt magnitudinem: vnuſquiſque, μεγάλην τοῦ ῥήματος ἡ ἔμφασις. Non, inquit, adoleſcens ſolùm, ſed & ſenex eadem agit, quæ adoleſcens, neque vir ſolùm, ſed & mulier, neque ſeruus ſolùm, ſed & pauper. καὶ τὸ διανοεῖται, πολλὴν ἔχει τὴν δύναμιν, adeout nulla dictio ponatur, quæ expendi non poſſit, & quæ non augeat illa peccata. Non enim hoc ἐκ συναρπαγῆς, vt D. Chryſoſt. loquitur .i. ex ſubreptione illis accidit, ſed in corde cogitant, & ex induſtria peccant, & malitiam diligenter exercent, idque diebus ſingulis, & quibuſlibet ferè momentis.

Textus Hebræus habet *Vecol ietſer Machſeboth liborak rab col haiom, & omnis imaginatio, vel omne figmentum cogitationum cordis corũ tantummodo eſſet malum omni die:* nam peccatores ſibi fingunt multas cogitationes peſſimas: Hinc autem eliciunt hæretici nullum fuiſſe, cuius cor non fuerit corruptum, nec ab impio vllum opus bonum proficiſci poſſe, quia ponitur *rak*, i. tantùm, inter quos omnem lapidem mouet Lutherus, vt ſuadeat hominem ſine gratia nihil facere poſſe, quàm peccare iuxta Pſal. 14. *omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt*, & Pſalm. 116. *omnis homo mendax*; & Paul. ad Galat. 3. *omnia concluſit ſub peccato*, denique Ioh. 15. Chriſtus ipſe teſtatur, *ſine me nihil poteſtis facere*. Lutherus arguitur. Pſ. 14. & 116. ad Galat. 3. Ioh. 15.

Quæ omnia ſapienter intelligenda ſunt, ne Cyclopum fabricatoris errorem ſequi videamur, quem non puduit optimas de Deo cogitationes, de cultu Dei, de voluntate Dei eſſe pluſquam Cimmerias tenebras affirmare: addit reprehendendo ſequentia verba Catholicorum, (*Non enim eſt malum Deo gratias agere pro donis ſuis*) *ſed etiam hoc ipſum malum, & impium eſſe dicimus, quia proficiſcitur ex ipſiſſima ignorantia Dei, & verè eſt oratio verſa in peccatum, quæ neque ad gloriam Dei, nec ad ſalutem hominis eſt vtilis. Ratio eſt*, inquit, *corda cùm ſint ſine Spirituſancto, non ſolùm ignorant Deum, ſed naturaliter etiam oderunt. Quomodo autem aliud quàm malum eſſe poteſt, quod ex ignorãtia Dei, & odio Dei enaſcitur?*

Ob quem diſcutiendum eſſet, an reuera quælibet opera hominis vel pagani, vel Chriſtiani quidem, ſex extra Dei gratiam exiſtentis mala ſint, Deoque inuiſa, vt hæreſim detegamus, & refellamus portentum illud; verùm id Bellarminus, & alij Theologi fusè tractauerunt, & nos alibi faciemus.

VERSICVLVS VI. ET VII.

VI. *Pœnituit eum quod hominem fecisset in terra. Et tactus dolore cordis intrinsecus.*

VII. *Delebo inquit, hominem, quem creaui à facie terræ, ab homine vsque ad animantia, à reptili vsque ad volucres cœli: pœnitet enim me fecisse eos.*

VI. וַיִּנָּחֶם יְהוָה כִּי־עָשָׂה אֶת־הָאָדָם בָּאָרֶץ וַיִּתְעַצֵּב אֶל־לִבּוֹ׃

VII. וַיֹּאמֶר יְהוָה אֶמְחֶה אֶת־הָאָדָם אֲשֶׁר־בָּרָאתִי מֵעַל פְּנֵי הָאֲדָמָה
מֵאָדָם עַד־בְּהֵמָה עַד־רֶמֶשׂ וְעַד־עוֹף הַשָּׁמָיִם כִּי נִחַמְתִּי כִּי
עֲשִׂיתִם׃

VI. Καὶ ἐνεθυμήθη ὁ θεὸς, ὅτι ἐποίησεν τὸν ἄνθρωπον, ἐπὶ τῆς γῆς. καὶ διενοήθη.

VII. Καὶ εἶπεν ὁ θεὸς ἀπαλείψω τὸν ἄνθρωπον, ὃν ἐποίησα ἀπὸ προσώπου τῆς γῆς, ἀπὸ ἀνθρώπου ἕως κτήνους, καὶ ἀπὸ ἑρπετῶν ἕως πετεινῶν τοῦ οὐρανοῦ. ὅτι ἐνεθυμήθην ὅτι ἐποίησα αὐτόν.

SCriptura de Deo, sicut de homine loquitur, qui suis passionibus subditus est, κατ' ἀνθρωποπάθειαν. Symmachus vertit ἀπεστράφη auersat' est. Aquila & μετεμελήθη quod vulgatæ respondet. 70 legunt ἐνεθυμήθη cogitauit. Vbi verò legimus, & tactus dolore cordis intrinsecus, Hebræus habet, doloréque affectus est erga cor suũ וַיִּתְעַצֵּב אֶל לִבּוֹ. 70 καὶ διενοήθη *& cogitauit*; cum enim rei alicuius nos pœnitet, sæpe versamus animo, & dicimus in corde, cur hoc feci.

Hîc quæstionẽ paraueram, vt discuteretur num in Deo pœnitentia, & cæteræ passiones inuenire valeant, at illud in alium locum reijcimus, & hîc breuiter tantùm attingo. Certum est omnes passiones propriè sumptas ab appetitu sensitiuo proficisci, atque adeò illos omnes passionibus carere, quibus deest ille sensitiuus appetitus; at quicũq; corporis expertes sunt, illo etiam appetitu carent, proindéque spiritus omnes, inter quos cùm Deus supremum fastigium obtineat, dubium non est, eum omni passione carere. Quapropter vnum est, quod hîc relinquitur inuestigandum, quomodo pœnitentia illa, cæteræque passiones, quas tam sæpe Deo Scriptura sacra tribuit, ei conueniant, ac veritatem contineant, quæ scriptura profitetur. Cui breuiter satisfacio, nulla videlicet alia ratione ei conuenire, nisi quia similes effectus producit, quos verbi gratia ab homine passionibus affecto produci videmus, vel quod in idem recidit, Deo passiones secundum affectum, sed tantùm iuxta effectum conueniunt: quapropter cùm de rebus iudicare soleamus, prout apparent in suis effectibus, sese Deus nostro captui accommodat. Aliquando si Deus voluerit, Empiricum impugnabimus, qui l. 8. c. περὶ θεῶν, pag. codicis, quo vtor Ser. Empiricus. 333. impiorum sententiam astruere videtur, vel saltem pro more suo indecisam, atque dubiam relinquit, qua volebant Deum esse animal sensitiuum, atque adeò passionibus animalis instar subditum, quod sanè tam stultum est, vt vix refutatione indigeat; At scepticis illis omissis ad textum nostrum reuertamur.

VERSICVLVS VIII.

VERSICVLVS VIII.

Noë verò inuenit gratiam coram Deo.

וְנֹחַ מָצָא חֵן בְּעֵינֵי יְהֹוָה׃

Νῶε δὲ εὗρε χάριν ἐναντίον κυρίου τοῦ θεοῦ.

Chryſoſt.

PVlchrè Chryſoſtomus hom. 23. virtutem deſcribit, qua iuſtus cùm præditus eſt, omnia facilè contemnit, quæ ab vnoquóque legi debeāt. Noë inuenit gratiam, ſed coram Domino Deo, vt nos doceat, quòd vnum ille habuerit ſcopum, vt ab illo oculo laudaretur; qui dormitare, ſopirique neſcit, nihilque curauerit humanā gloriam, vel ignominiam, vel irriſionem. Hebræi tamen aiunt eum indignum fuiſſe, qui ſeruaretur, cùm non videretur vni iuſto inter omnes impios parcendum; Verùm aliud ego ſentio, nempe dignum fuiſſe, qui diluuio non permitteretur, cùm tot inter impios ſe incontaminatum ſeruaret, & pro virili ad Dei præſcriptum vitam ſuam, & mores componeret, atque conformaret. Addunt Hebræi condendum fuiſſe de nouo hominem, ſi Deus etiam Noë perdidiſſet, & hunc primi hominis inſtar fuiſſe, vt cum vxore, & liberis veluti ſeminarium orbis futuri admirandâ Dei prouidentiâ ſeruaretur. Hic autem Noë, & gratiæ nomen in Hebræo non differunt, niſi ſolâ literarum metaheſi, Noë enim dicitur נח gratia חֵן *chen*, quam paronomaſiam neque Græcus, neque Latinus interpres habet, nam 70. vertunt Νῶε *δὲ εὗρε χάριν ἐναντίον κυρίου τοῦ θεοῦ*.

Aben Ezra.

Rurſus Aben Ezra in iſto nomine נח annos obſeruat, quos Noë poſt Abrahami natalem vixit, nempe 85. annos, vixit enim 950. annos, vt c. 9. videbitur: ſed tempora locis propriis diſcutiemus. Hîc autem Hebræi ſuam primam ſectionem, quam vocant Bereſith, terminant, cuius verſus ſunt 146. quod מכף deſignant; faciunt autem 12. in Geneſi ſectiones, quas *Paraſcha* nuncupant: quales ſunt in tota lege 53. vel 54. pro numero hebdomadarum anni, quia vnum aut duo ſabbatha præter 52. hebdomadas eſſe poſſunt; quarum ſingulis vnam, vel duas legunt; vnicuique verò ſectioni nomen imponunt à prima eius voce, vel ſecunda, tertia, aut alia minus remota, quæ ſectionis totius argumentum contineat; ſic enim primam appellant בראשית *bereſit*, quia rerum primordia vſque ad diluuium continet; Secundam, quæ ſequitur תולדות נח *toldoth noach*, id eſt, generationes Noë; Tertia לך לך peregrinationes Abrahami deſcribit. Singulis autem hebdomadæ diebus ſectiones minores legunt, quas minori ס ad marginem notant, tranſilientes ſamechin intermedia, quæ per ס *ſamech* deſignantur, & continuationem præcedentium cum ſequentibus ſignificant. Multa ſunt alia, quæ Maſſorethæ notant, vt huius primæ ſectionis literas eſſe 1915. quod tamen falſum eſſe putat Buxtorfius, qui plures arbitratur, quàm quinquies mille, quod vnuſquiſque facilè ſcire poterit, ſi per otium omnes literas enumerare contigerit. Adeò curioſi fuêre Iudæi, vt ipſum numerum literarum ſcire voluerint, & quoties quælibet litera in Scriptura ſacra contineretur, vt א 42377, ב 38218. & ſic de cæteris: Elias autem Leuita præfat. 3. libri Maſſoreth ait literas totius legis eſſe ſexaginta myriodas, & quadraginta quinque .i. 600045. Ita notant Leuit. 11. v. 42. litteram ו in dictione גחון eſſe medietatem legis in literis, ſicut & ע dictionis מיער pſal. 80. v. 14. eſſe mediam literarum pſalmorum omnium. Verùm de his aliâs, ideóque ad ſequentem *Paraſcha*, quæ verſ. 9. incipit, accedamus, nec enim velim hîc proponere, quibus modis diuina gratia inueniri poſſit, cùm id poſtea ſatis à Scripturâ declaretur.

Quot ſint literę in Scriptura ſacra.

Elias.

Leuit.

Pſal. 80.

VERSICVLVS IX. ET X.

IX. *Hæ sunt generationes Noë: Noë vir iustus, atque perfectus fuit in generationibus suis, cum Deo ambulauit.*

X. *Et genuit tres filios Sem, Cham, & Iapheth.*

IX. אֵלֶּה תּוֹלְדֹת נֹחַ נֹחַ אִישׁ צַדִּיק תָּמִים הָיָה בְּדֹרֹתָיו אֶת־הָאֱלֹהִים הִתְהַלֶּךְ־נֹחַ׃

X. וַיּוֹלֶד נֹחַ שְׁלֹשָׁה בָנִים אֶת־שֵׁם אֶת־חָם וְאֶת־יָפֶת׃

IX. Αὗται δὲ αἱ γενέσεις Νῶε. Νῶε ἄνθρωπος δίκαιος, τέλειος ὢν ἐν τῇ γενεᾷ αὐτοῦ, τῷ θεῷ εὐηρέστησε Νῶε.

X. Ἐγέννησε δὲ Νῶε τρεῖς υἱοὺς, τὸν σὴμ, τὸν χὰμ, τὸν ἰάφεθ.

MAnifestum est quanta Deo iustorum cura incumbat, & quam prouidè beatitudinem illis præparet, qui cùm oculis hominum velut anathemata videantur, & à cæteris opprimantur, tunc diuinis oculis redduntur longè gratiores; & cum remotior esse censetur, adest propinquior, vt ipse testatur. *Cum ipso sum in tribulatione.* Noë igitur generationes commemorantur, vtpote cuius vitam cæteris mortalibus iustissimus Deus anteponit. Licet verò conijcere, quantis impiorum subsannationibus, irrisionibus, verbis maledicis, ne dicam verberibus iustus Noë toto vitæ tempore obnoxius fuerit, eo præsertim, quo præco iustitiæ factus est; & tamen omnibus fortissimè restitit, nec à legis diuinæ promulgatione destitit. Quàm igitur pretiosæ debent esse generationes illius in oculis Dei, qui 350. annorum spatio, quos vixit à diluuio, plures filios aut nepotes vidit, quàm Adamus, cuius posteritas spatio 1656 annorum vix Asiam repleuit incolis, nec vltra octauam generationem nepotes vidit, cùm Noë vsque ad vndecimam generationem viderit, qua filij Thare continentur.

Fuit autem Noë vir iustus, & perfectus, צדיק seu *δίκαιος*. Hebræi nomine תולדות *toledot* non tantùm generationes, sed omnia quæ vel dixit, vel fecit, vel etiam passus est Noë, intelligunt, quæ durantibus illius generationibus describuntur; sunt qui vertant in ætatibus suis, quia tam ante, quàm post diluuium suam seruauit iustitiam: Hic autem ponitur *iustus & perfectus*, cùm neque Hebræus, neque 70. coniunctionem habeant; nam post *tsadik* statim subiungitur תָּמִים *tamim*, & post *δίκαιος, τέλειος ὢν ἐν τῇ γενεᾷ αὐτοῦ.* Quapropter ita nonnulli vertunt, qui Noë vir iustus, integer fuit in ætatibus suis: tametsi versaretur inter homines sui sæculi deprauatissimos, & in omnia scelera proiectissimos.

Vt autem meliùs intelligamus, quid illa Noe iustitia, quidue perfectio contineat, aduertendum *Tsadik* à צָדַק *Tsadak* non tantùm in actionibus, sed etiam in verbis iustũ significare, seu veracem, fidelem, & amicũ: nam quicunque Dei fit amicus, iustus est, & fidelis. Hanc autem in צְדָקָה & מִשְׁפָּט differentiam constituunt, vt *Mispat* in impiorum punitione, vel condemnatione, *Tsedaka* verò in iustorum defensione versetur. תָּמִים *tamim* verò à תָּמַם, tam corpore quàm animo perfectum sonat immaculatum, & irreprehensibilem, cuius singulare est תָּם tam.

Itaque ex ipsis etiam verbis constat Noe iustum, integrum, simplicem, & animo candidum fuisse: nec est quod aliqui dicant iustum quidem fuisse respectu peruersorum hominum sui sæculi, non autem si eum cum Abrahamo conferamus: quandoquidem non tantùm respectu improborum, sed absolutè laudatur: Noë enim Eccles. 44. vers. 17. Eccles. 44. *inuentus est perfectus, iustus, & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio: Ideo dimissum est reliquũ terra, cùm factum est diluuium: Testamenta sæculi posita sunt apud illum, ne possit deleri diluuio omnis caro.* ad Hebr. 11 & Apostolus ad Hebræos 11. non minus Noë, quàm Abrahæ fidem extollit.

Cuius sanctitas abundè confirmatur ex iis, quæ sequuntur, *cum Deo ambulauit*, eum semper habens præ oculis, *τῷ θεῷ εὐηρέστησε* Deo placuit, vel placere studuit, eiusque præcepta accuratè seruauit. Egregiè D. Chrysost. hom. 23. Chrysost. *Iste in tanto populo hominis imaginem seruauit. Τότε γὰρ ἄνθρωπος, ὅταν ἀρετὴν μετίῃ. Tunc enim homo est, quando virtutem colit.* At non solùm debet esse rationalis, sed virtutibus deditus, vitia fugere, & illicitis affectionibus imperare, & mandatis Domini obtemperare. Quapropter Deus homines illos sceleribus implicatos carnem, & terram vocat, vt pote hominis nomine indignos; imo & alibi non tantùm carnem & terram, sed & eos non esse ait, vt Esai. 50. Esai. 50. *Veni, & non erat homo, vocaui, & non erat, qui audiret.* Virum igitur vocat Noë, & non alios, qui humanam gerentes formam, & ex hominibus in bestias mutati,

malitia

malitia voluntatis generositatem naturæ amiserunt. Quæ omnia pulchra videbuntur in ipso fonte, in quo D. Chrysostomus admirabili eloquentiâ docet, atque disserit, quomodo pro diuersis peccatis varia bestiarum nomina homines sortiantur.

Noë igitur cum Deo ambulauit, vel iuxta Chaldæū in timore Dei vixit: ideoque meruit ipsum Spiritumsanctum habere laudum suarum præconem. Hæc profectò regno magis desiderabilia sunt ei, qui Deum sincero amore diligit. Verum enim regnum istud est, posse nos optimâ vitâ propitium, & clementem nobis facere Deum. Vt enim gehennam timere non debemus propter ignem illum inextinguibilem, & pœnas terribiles, & perpetuos cruciatus, sed, quia offendimus tam bonum dominum, & ab illius gratia sumus alieni, ita & ad regnum nobis festinandum, non nisi propter illius amorem, vt eius gratiâ fruamur. Nam vt regno desiderabilius est τὸ ἠπίως πρὸς ἡμᾶς διακεῖσθαι τὸν φιλάνθρωπον ἡμῶν δεσπότην, οὕτω γεέννης χαλεπώτερον τὸ τῆς ἐκείνου εὐνοίας ἐκπεσεῖν, *clementem Dominum nostrum nobis beneuolum esse, ita gehenna grauius ab illius beneuolentia excidere.*

Magis cauere debet homo ab inimicitia Dei, quàm à gehenna.

Perperam aiunt Hebræi hîc Noe dici cum Deo ambulare, Abraham verò ante, vel coram, quod ille Deo tanquam fulcro indiguerit, vt homines argueret, alioqui timore correptū id non potuisse, quandoquidem æquè Dei adiutorio Abraham indiguit. Ex eo verò quod ter eius nomen in hoc versiculo repetatur, Caballici dicunt eum tres mundos vidisse, nempe orbem habitatum ante diluuium, desertum in arca, & post eluuionem instauratum, & habitatum. At plura gratis fingere possemus.

Et genuit tres filios, Sem, Cham, & Iapheth: Nullius Patriarchæ filiorū numerum legeramus, alij siquidem filios, atque filias genuisse dicuntur: hic autem tres filios, quos tametsi iam ante commemoratos, hîc repetit propter nouum orbis initium, quod cum patre restaurare debebant. Hîc quidem decreueram de vera Christianorum iustitia pertractare, & sectatores, qui solam imputatiuam iustitiā admittunt, refellere: sed quæstionem illam reiicio ad locum, in quo fides Abrahami ei ad iustitiam reputata fuisse dicitur, vel cum Scriptura tanquam viuum perfectionis exemplar describit. Nonnulla etiam de præsentia Dei præmisi, cuius cogitatio, & assidua recordatio peccatorum omnium remedium iure dici potest.

VERSICVLVS XI. XII. ET XIII.

XI. Corrupta est autem terra coram Deo &, repleta est iniquitate.

XII. Cúmque vidisset Deus terram esse corruptam (omnis quippe caro corruperat viam suam super terram.)

XIII. Dixit ad Noë: finis vniuersæ carnis venit coram me: repleta est terra iniquitate à facie eorum, & ego disperdam eos cum terra.

וַתִּשָּׁחֵת הָאָרֶץ לִפְנֵי הָאֱלֹהִים וַתִּמָּלֵא הָאָרֶץ חָמָס׃ XI.

וַיַּרְא אֱלֹהִים אֶת־הָאָרֶץ וְהִנֵּה נִשְׁחָתָה כִּי־הִשְׁחִית כָּל־בָּשָׂר אֶת־ XII.
דַּרְכּוֹ עַל־הָאָרֶץ׃

וַיֹּאמֶר אֱלֹהִים לְנֹחַ קֵץ כָּל־בָּשָׂר בָּא לְפָנַי כִּי־מָלְאָה הָאָרֶץ חָמָס XIII.
מִפְּנֵיהֶם וְהִנְנִי מַשְׁחִיתָם אֶת־הָאָרֶץ׃

XI. Ἐφθάρη δὲ ἡ γῆ ἐναντίον τοῦ θεοῦ. καὶ ἐπλήσθη ἡ γῆ ἀδικίας.

XII. Καὶ εἶδεν κύριος ὁ θεὸς τὴν γῆν. καὶ ἦν κατεφθαρμένη· ὅτι κατέφθειρε πᾶσα σὰρξ τὴν ὁδὸν αὐτοῦ ἐπὶ τῆς γῆς.

XII. Καὶ εἶπεν ὁ θεὸς πρὸς Νῶε· καιρὸς παντὸς ἀνθρώπου ἥκει ἐναντίον ἐμοῦ. ὅτι ἐπλήσθη ἡ γῆ ἀδικίας ἀπ᾽ αὐτῶν, καὶ ἰδοὺ ἐγὼ καταφθείρω αὐτοὺς, καὶ τὴν γῆν.

IVstissimus Deus præmittit causam ante sententiam damnationis, nec diluuium annuntiat, donec maximas hominum impietates recensuerit, iuxta Psalmum 50. *Vt iustificeris in sermonibus,*

Psa. 50. *& vincas cum iudicaris*, si quis enim eum seueritatis, aut crudelitatis arguat, quòd ita genus humanum vndis obrui sinat, reuera temeritatem hominum, & omne acûmen ingenij longissimè superabit, adeout etiam homines sceleratissimi eum iustissimum fateri cogantur.

Igitur corrupta est terra תִּשָּׁחֵת *tisachet* à שָׁחַת *sachat*, deprauata, & perdita est terra: & quidem ipsa terra, vel res terrenæ deprauant homines, quatenus sunt insipientibus in laqueum, & in peccata, quibus intenti abducuntur iuxta id Sapient. 14. *Quoniam creaturæ in odium Dei factæ sunt, & in tentationem animabus hominum, & in muscipulam pedibus insipientium.* Hinc loca in quibus idololatria committebatur, הַמַּשְׁחִית perditiones, vel מַשְׁחִית retia perdentia dicuntur: obseruant hîc interpretes hyperbolem metonymiæ iunctã; ac si diceres, tanta est hominum iniquitas, vt etiam vsque ad terram erumpat, & eorum sceleribus satiata vindictam aduersus eos postulet, quod ita potest accipi, vt reuera sanguinem proximorum per varias cædes in terram fuderint, & alia nefanda perpetrauerint.

Quis huius sæculi nequitiam satis explicare, & de ea dolere, quis Deus immortalis illã, vt par est, deplorare poterit, in quo etiam videas semen humanum dæmonibus offerri, ex pacto poculentis, & esculentis cõmisceri, philtris adhiberi, vt amasiæ faciliùs ad turpitudinem prouocentur.

Horret animus ad huiuscemodi lubrica phantasmata, & tartareas impietates, horret, & artus omnes contremiscunt. Qui plura volet Gnosticorum hæresim legat apud S. Epiphanium lib. 1. tom. 2. hæresi 26. Quomodo verò peccatores terra sint, facilè quis ex terræ conditionibus ostendere poterit, quæ inter elementa locum vltimum obtinuit, sicut peccator inter omnes homines: illa frigida, & sicca fugit res cœlestes, & quantum fieri potest à sole recedit: hic fugit à conspectu Dei, spernit illius gratiam, qui cum charitatis ardore careat, frigidissimus, & inutilis euadit: siccus est, quia facillimè propriis suorum prauorum desideriorum terminis, voluntatis autem alienæ præsertim diuinæ limitibus difficillimè circunscribitur: quia paruos illos amoris proprij cancellos minimè prætergreditur, nec vsque ad diuina præcepta manum, aut animũ extendit. Illa suis visceribus serpentes, bufones, aspides, & alia infestorum animalium genera comprehendit, & occultat; hic omne malorum cogitationum, & affectionum genus in corde, & in mente fouet, alit, & abscondit; omitto centum proprietates terreni globi, quę peccatori conuenire possunt. Igitur *corrupta est terra*, non vtcúmque, sed *coram Deo*, quod magnam emphasim habet, ante præsentiam, & conspectum Dei ἐναντίον τοῦ θεοῦ; etiam Deo vidente ac si diceres: licet ipsi crederent Deum sibi præsentem esse, & omnia eorum peccata cernere, detestari, & condemnare, nihilominus illi impij scelera perpetrabant, eaque tanta, tam fœda, tam turpia, vt etiam ipsa terra eorum iniquitatibus corrumperetur.

Epiphan.

Ideoque ipsa terra repleta est iniquitate ἀδικίας חָמָס *chamas*, id est superbia, impietate, rapinis, tyrannide, vituperio, violentia, & id genus plurimis. Hebræi verbum corrumpendi ad idololatriam, & incesta referunt. Vno verbo sensus istius versiculi est omne violentiæ genus homines exercuisse, nec vllum ampliùs in terra fuisse metũ diuini numinis, omnemque religionem cessasse, ipsam societatem ciuilem magnis oppressionibus turbatam fuisse, denique ad summum impietatis cumulum mortales peruenisse.

Quod cùm vidisset Deus, non quod ante punitionem non videret, sed quia semper illòs ad pœnitentiam expectabat, vel punire nolebat, donec ad certum iniquitatum numerum peruenissent; alij vertunt iuxta hebræum, *Et vidit Deus terram, & ecce corrupta erat, quia caro omnis corruperat viã suam*; sed idem est sensus. Vbi Moses sæpe hominum iniquitatem & malitiam repetit, vt omnibus appareat maxima Dei benignitas, qui non statim sceleribus debita supplicia, sed post longam expectationem infert; estque iudicibus exemplar, qui diligentissimè rem totam inspicere, & scrutari debent, atque sæpius sententiam differre, donec res manifestior euadat, præsertum vbi de morte hominis agitur, quem priùs conuicisse oportuit: cuius crimen non aliquâ vnius candelæ luce, non solis spiculo, sed tota lancea manifestari debet. Versic. 12.

Omnis quippe caro corruperat viam suam. Hîc sicut Isai. 40, & Zachar. 2. caro pro homine sumitur per synedochen i. omnes propemodum homines iniquitatem instar aquæ bibebant. Quidam Hebræi existimant ipsas bestias carnem suam per insuetam cum aliis animalibus alterius speciei, vel etiam cum homine commixtionem corrupisse. Addit R. Isaac Caro temperamentum aëris nefando coitu corruptum fuisse; sed illud ex vi nostri versiculi concludi non potest; Non autem desunt, qui hominem appellari omnem carnem existimẽt, quòd omnis caro animalium sit facta propter eum & ad illum referatur, cùm aliò possit quibuscunque placuerit. דֶּרֶךְ *derec* autem viam, siue ὁδὸς significat, quod tamẽ metaphoricè pro doctrina, religione, studiis, operibus, moribus, consuetudine, & iudicio sumitur; sicut & pro mente, cogitatione, cantico, iniquitate &c. vt hîc intelligi debet, quia homines ita deprauati erant, vt omnis eorum cogitatio, & affectus, omnia opera, verba, negotia ad impietatem collimarent; quapropter iustissimè sequentem sententiam tulit Deus, & Noe annuntiauit. Isai. 40. Zachar. 2.

Finis vniuersæ carnis venit coram me. Nulla hîc est difficultas, sensus enim manifestus est; ac si Deus ita suam voluntatem aperiret: Iam non possum vltionem, & iudicium meum in tanta hominum insolentia differre, quia nulla est spes emendationis, ideóque abscondam eos קֵץ *Keth* à קָצַץ significat præcisionem, succisionem, & consummationem, ad differentiam חֵצָה quod dimidiationem significat. Igitur homines perdendi sunt, ne magis ipsam terram perdant, atque corrumpant: nihil tutum est, & immune ab eorum violentia, viget vbique eorum impietas, quæ prodiit quasi ex adipe eorum, transierunt in affectum cordis, ipsa facies illorum crudelitatem tyrannidem, furta, violentiam, & omne peccati genus spirare videtur; ideóque disperdam eos, atque delebo à facie terræ: vel eos simul, & terram destructurus sum, attamen אֶת *eth* non rarò sumitur pro מִן, vel עִם: volunt autem Hebræi tres palmos terræ diluuio absumptos esse, vnde virtus eius diminuta sit, adeout herbas non ita salubres, & aptas ad alendum produxerit: sed illud post diluuiũ agitabimus, quòd teste Baalhaturim ex hoc verbo מַשְׁחִיתָם *maschitam*, disperdam eos, colligunt, quod arithmeticè facit גטפחים i. tres palmos: qua ratione concludunt Deum perditurum eorũ staturam, quæ esset centũ cubitorum Versic. 13.

cubitorum, ob tres vltimas dictiones huiusce versiculi, ex quarum primis literis formatur כאה; vbi sanè vicem impiorum illorum Iudæorum dolere debemus, qui dum tempus in istis friuolis commentis, & Cabalisticis nugis insumunt, Euangelicæ lucis radio non illustrantur, sed in crassissimis errorum suorum tenebris inuoluti remanent. Vult igitur & terram, & homines includere diluuio, vt terræ facies renouetur, quapropter iubet arcam fieri, ad quam accedo.

VERSICVLVS XIV.

Fac tibi arcam de lignis læuigatis: mansiunculas in arca facies, & bitumine linies intrinsecus, & extrinsecus.

עֲשֵׂה לְךָ תֵּבַת עֲצֵי־גֹפֶר קִנִּים תַּעֲשֶׂה אֶת־הַתֵּבָה וְכָפַרְתָּ אֹתָהּ מִבַּיִת וּמִחוּץ בַּכֹּפֶר׃

Ποίησον οὖν σεαυτῷ κιβωτὸν ἐκ ξύλων τετραγώνων, νοσσιὰς ποιήσεις ἐπ' αὐτῆς καὶ ἀσφαλτώσεις αὐτὴν ἔσωθεν, καὶ ἔξωθεν τῇ ἀσφάλτῳ.

Non est quod Noë ad instar Abrahæ Gen. 18. roget à Deo, *Num perdes iustum cum impio:* nec cum Psalte dicat Psal. 72. *Ergo sine causa iustificaui cor meum, & laui inter innocentes manus meas,* (Gen. 18. Psal. 72.) quandoquidem clementissimus Deus illum in benedictione præuenit, vt qui ab aliorum iniquitate separatus fuerat, ab eisdem in pœna separaretur. Fac igitur arcam Noë, & omnia, quæ ad eius fabricam necessaria fuerint, præpara: textus Hebræus ita habet תֵּבַת עֲצֵי־גֹפֶר *tebat hatse gopher:* Vbi præsertim gopher discutiendum est, quod aliquod leuissimum ligni genus significare videtur, quod facilè natare possit: (Chald.) cedrum Chaldæus vertit, malunt alij pinum, aut abietem. Quod autem huiusce vocis significatum reddit difficiliorem, est quia hîc tantùm legitur: & ipsi 70 ad præparationem ligni retulerunt, sic enim vertunt *hatse gopher*, ἐκ ξύλων τετραγώνων, ex lignis quadratis, (Oleaster.) Oleaster piceam haber, quia *Gophrith* picem denotat: Sunt qui ξύλων, quo 70 vtuntur, pro frutice gossipij sumpserint; at tam parua frutex est gossipium illud, vt neque quadrari, neque deasciari possit, cùm tamen illa ligna poliri, læuigari, quadrarique debuerint, vt tanta arca fabricaretur; (Hieron.) cùm autem D. Hieron. habeat *ex lignis bituminatis*, suspicantur aliqui כופר *copher* scriptum fuisse, vel כפר, id est, camphora, bitumen &c. Thalmudici verò teste R. Kimhi in (R. Kimhi.) radicibus 4 species cedri faciunt, nempe ארן *oren*, עץ שמן, קדרוס. i. arborem pinguedinis, pinguem, seu piceam, & ברוש abietem. *Gopher* autem electū (R. Salomō.) fuisse putat R. Salomon ob affinitatem cum עפרית. i. sulphure, quòd illi sulphure perdendi essent; verùm non sulphure, sed aquis perierunt; vnde non est solidius, quod alij terebinthum fuisse suspicantur, ex eo, quod sulphureas baccas habeat, & sulphur redoleat. At parum refert ex quibus lignis arca fabricata fuerit; certum est Noë ligna ad id apta inuenisse, quæ magna esse debuerunt, vt arcæ tam longæ, tam altæ, & latæ, costæ, fundus, & aliæ partes fieri possent, potuit cedrus, pinus, & aliæ huiusce generis arbores tantùm opus iuuare, nec is arguendus erit, qui *Gopher*, genus omne comprehendere dixerit, quod ad tantam arcam construendam aptum erat. Fac tibi, veluti præcipuo capiti, & orbis restauratori, *arcam* תֵּבָה *tebat*, vel *tebah*, cymbam, quæ aquis innatet, ad differentiam arcæ fœderis, quam Moses construxerat, quæ אָרוֹן dicebatur, quales duæ fuerunt in templo Hierosolymitano, vna quidem in דְּבִיר Sancto Sanctorum: alia verò iussu regis Ioas facta ante fores templi collocabatur, vt in eam oblationes ad sarta tecta curanda inferrentur: quam γαζοφυλάκιον, seu *Corbonam* tempore Christi vocatam fuisse legimus à קָרְבָּן *Korban*, id est, donum, quia in illa arca, velut in ærario sacro pecuniæ ad ornatum templi, & pauperes alendos asseruabantur.

Plurima sunt, quæ de arcæ fabrica conijcere possumus, vt eam annorum multorum spatio, putâ 120, vel centum absolutam fuisse, vt impij ad pœnitentiam prouocarentur, dum rogantes, ad quid illa arca fieret, Noë filij, vel alij opifices respondebant, ideo se tantam arcam fabricare, vt iusta Dei iudicia, & pœnas impiis paratas illius arcæ beneficio vitarent: quam tamen Iosephus in alia prouincia putat esse constructam, ad quam sibi timens ab (Iosephus.) impiis Noë migrauerat.

Mansiunculas in arca facies. Hebræus קִנִּים, 70 νοσσιὰς *Kinnim* nidos significat à קָנַן vnde קֵן *Ken* nidum, seu auis domicilium designat, sicut & νοσσιά, ac si diceret, facies mansiunculas nidulatim, seu nidorum instar: nec insolitum est nidum pro domo sumi, in qua aliquis habitat, sic enim dicebat Iob 29. *in nidulo meo moriar.* Vbi non tantùm auium, sed & cæterorum animalium domunculas intellige, quarum forte numerum Deus Noë do- (Iob. 29.) cuit: ne bestiæ, quæ naturalem antipathiam habent, sibi inuicem nocerent, quanquam Deus illas inclinationes contrarias ad tempus suspendere potuit: an verò singulis speciebus animalium peculiarem mansionē fecerit, quis diuinabit, sufficit, vt cogitemus omnes in arca fuisse, tametsi Ramban cum Hebræis existimet, (Ramban.) vix arcas 10 sufficere ad omnia animalia capienda cum illis cibis, quæ anno integro necessarij videbantur, quos in dies Noë singulis dispensaret. Ait verò auium immundarum fuisse 120 species, mundarum verò numerum propemodū infinitum, adeout nulla arca quātumuis magna potuerit omnia animantia complecti; sed de illius magnitudine statim dicemus.

Et bitumine linies intrinsecus, & extrinsecus. Hebræus *bituminabis bitumine* וְכָפַרְתָּ בַּכֹּפֶר *vechaphartá bacopher.* ἀσφαλτώσεις ἀσφάλτῳ, idque ἔσωθεν, ἢ ἔξωθεν. *intrinsecus & extrinsecus,* iuxta hebræum מִבַּיִת וּמִחוּץ *mibayt oumichouts,* à domo, & à foris, quæ omnia non sensu, sed verbis solùm euariant. Iubet igitur arcam liniri bitumine, ac velut incrustari, ne vel minima aquæ guttula per asserum iuncturas ingredi valeat: sunt inter Hebræos, qui per כֹּפֶר picem intelligant; verùm hîc non video difficultatem, nam bitumen, pix, resina & similia simul mixta per hanc dictionem intelligi possunt, vt potè aptissima ad cymbas, & naues obliniendas, illa enim omnia constant materiâ glutinosâ. Omitto cæteras significationes *Copher,* de quibus aliâs, nam λύτρον pretium redemptionis, gallicè *raison,* expiationem, & alia plurima designat; qua dictione Iudæi vtuntur, dum ieiunij magni, seu festi expiationis mentionem faciunt ob peccati remissionem, quod in adoratione vituli perpetrarant; quod decimâ mensis septimi, idest Septembris faciunt, nec bibunt, edunt, calceos ligant, aut quidquam aliud faciunt, quo die tantùm summus Sacerdos Sanctum Sanctorum quotânis ingrediebatur; vocatur autem יוֹם הַכִּפֻּרִים Leuit. 23. vers. 27. ieiunium expiationum. Exodi verò 2. vbi de cymba Mosis, qua fluctuauit, scriptura loquitur, legimus חֵמָר *chamar,* quod picem, bitumen, limum tenacem, & argillam significat, quia his omnibus vtimur, dum vasa oblinimus. Leuit. 23. Exod. 2.

Quantum verò bitumen prosit, ex eo patet, quòd Semiramis muros Babylonis bitumine fortiter lateres inter se coagmentante construxerit.

VERSICVLVS XV.

Et sic facies eam: Trecentorum cubitorum erit longitudo arcæ, quinquaginta cubitorum latitudo, & triginta cubitorum altitudo illius.

וְזֶה אֲשֶׁר תַּעֲשֶׂה אֹתָהּ שְׁלֹשׁ מֵאוֹת אַמָּה אֹרֶךְ הַתֵּבָה חֲמִשִּׁים אַמָּה רָחְבָּהּ וּשְׁלֹשִׁים אַמָּה קוֹמָתָהּ׃

Καὶ οὕτως ποιήσεις κιβωτόν, τριακοσίων πηχέων τὸ μῆκος τῆς κιβωτοῦ, καὶ πεντήκοντα πηχέων τὸ πλάτος, καὶ τριάκοντα πηχέων τὸ ὕψος.

O Dei bonitas, & inexplicabilis φιλανθρωπία, quæ non tantùm arcam præparari curat, non tantùm ligna, & bitumina docet, sed accuratè magnitudinem necessariam præscribit, ne vel tantisper Noë dubitet cuiusnam magnitudinis ad tantum numerum animalium capiendum arca fabricanda sit. Vix hebræum de verbo ad verbum quis vertere potest וְזֶה אֲשֶׁר תַּעֲשֶׂה Vatablus habet, *Et hoc modo facies,* Iunius. *Atque hac forma, qua facies eam.* Et quidem aliquid nempe demonstratiuum subintelligi videtur, אֲשֶׁר *aser* enim relatiuum est, quod aliquando ponitur subintellecto verbo, vt 3. Reg. 11. v. 25. Sic autem verti potest, *& sic propterea, & hoc ita facies,* quia אשר pro coniunctione *vt, propterea, quando,* & similibus particulis sumitur vel, *hac est* supple, mensura, *qua facies arcam,* ita Vatablus. Vatabl. 3 Reg. 11.

Cæterùm in hoc versu non est difficultas, nam clarè Moses eius amplitudinem docet, & longitudinem facit decuplam profunditatis, seu altitudinis, latitudinis verò sescuplam, ac si corpus humanum imitaretur, quod in sua longitudine decem eiusdem corporis profunditates, vel soliditates, sex verò latitudines amplectitur: enimuero 30 decies continentur in 300, & 50 sexies.

Cubitus autem, quem Hebræi אַמָּה *amma,* græci πῆχυν, duplex astruitur, communis ab hominis cubito desumptus, qui, ne regulæ Lesbiæ instar variari posset ob diuersas hominum staturas, sesquipede definitus est, seu palmis 6, & digitis 20, quem cubitum solemnem vocant, & pro mensura, & vlna sumunt κατ᾽ ἐξοχήν; qui præterea Mosaïcus dictus est, quia tabernaculum eo mensus est Moses; ita etiam legis, ædificij, & vasorum cubitus appellatus est, illo siquidem ista omnia Hebræi metiebantur, quem 5 tantùm palmorum fuisse nonnulli referunt, hinc minorem dixêre, maiorem verò palmis determinarunt; Velbat autem Iosue cap. 3. vers. 4. cubitorum duo millia Israël ab arca abesse, quod spatium iter fecerunt sabbathi. Cubitus verò noster est quarta pars staturæ hominis, pes sexta. Quòd si capacitatem internam arcæ scire cupis, facilius nihil, quia latitudo 50 ducta in longitudinem dabit arcam cubitorum 15000, quæ arca per altitudinem nempe per 30 multiplicata totam capacitatè arcæ cubitorum 450000 producet: quod verũ erit siue cubitos sesquipede finias, siue 9 pedum facias; tunc autem erit arca amplissima, nec, credo, Marcionis ille discipulus, & hæreticus Apelles dicet historiam Mosis fictam esse, quia arcam minorem facit, quàm quæ ad tot animalia capienda, & alimenta eis per annum necessaria sufficiat, tunc enim 1800 cubitos communes habebit in longitudine, 300 in latitudine, & in altitudine 180, quos si ad palmos, vel pedes reduxeris, arca sanè prodigiosa videbitur; nam si duo millia communium cubitorum iter sabbathi. i. leucam faciant, 1800 cubiti, quos tunc arca haberet in longitudine, eandem leucam, ducentis cubitis exceptis, pro arcæ lõgitudine nobis exhiberent, vt tã & elephantes, & quælibet belluæ tã binæ, & binæ ex

Cubitus duplex. Iosue 3. Arcæ capacites.

Augustin. ex immundis, quàm septenæ ex mundis in ea facilè contineri possint, nec ab ea sententia D. Aug. l. 1. quæst. in Genesim: nec alij interpretes abhorrent, cui & 100 vel 120 annorum spatium, quod impendit Noë in istius arcæ fabrica patrocinatur, cùm etiam vrbes integræ minori spatio possint exstrui. Non est autem quòd diutiùs arcę magnitudini inhæreamus, cùm Buteo, & post eum Pererius accuratè satis munus istud expleuerint, quapropter ad alia accedo. Buteo.

VERSICVLVS XVI.

Fenestram in arca facies, & in cubito consummabis summitatem eius; ostium autem arcæ pones ex latere deorsum; cœnacula, & tristega facies in ea.

צֹהַר תַּעֲשֶׂה לַתֵּבָה וְאֶל־אַמָּה תְּכַלֶּנָּה מִלְמַעְלָה וּפֶתַח הַתֵּבָה בְּצִדָּהּ תָּשִׂים תַּחְתִּיִּם שְׁנִיִּם וּשְׁלִשִׁים תַּעֲשֶׂהָ׃

Ἐπισυνάγων ποιήσεις τὴν κιβωτὸν, καὶ εἰς πῆχυν συντελέσεις αὐτὴν [illegible] τὴν δὲ θύραν ποιήσεις ἐκ πλαγίων· κατάγαια διώροφα καὶ τριώροφα ποιήσεις αὐτήν.

HEbræus legit; צֹהַר quod fenestram, & lumen significat, vt sit idem facies, seu dabis clarum lumen arcæ, quod pluribus fenestris meliùs, quàm vnicâ fieri potuit; dixi *clarum*, quia צָהֳרַיִם *thaforaiym* meridiem significat, cui quintam, & sextam horam tribuunt; duas alias diei partes subiungunt בֹּקֶר mane, cui 4 horas assignant, dum in parte Orientali sol commoratur, alia pars diei tertia est עֶרֶב *hireb* vespera, quæ sex horas amplectitur vsque ad initium occasus solis. *Fenestram* igitur, seu *lumen in arca facies.* Non desunt qui putarint hanc lucem fuisse lampadem duabus de causis, primò quia ob nubes cœlum obducentes, & tanti tamque vehementis imbris densitatem in dubium reuocant an lux solis ad arcam illuminandam sufficeret. At verò sicut credo Noë noctu lampadibus vsum fuisse, ita puto solem noctu suffecisse, nisi fortè fenestram vnicam admittas, qua solis radius ingredi posset, tunc enim vix ad quaslibet partes arcæ penetrare potuit: secundò quia יִצְהָר oleum significat, quod à *tsahar* dicitur, quia limpidum est, & luci lampadis alendæ inseruit. 70 legunt *Ἐπισυνάγων ποιήσεις τὴν κιβωτὸν* idest *colligens facies arcam.* Symmach. *perlucidum facies,* Aquila *μεσημβρινὸν meridianum.* Vbi per *διαφανὲς* Symmachi fenestra intelligenda est, per quam lumen ingrediatur; hanc ex vitro, crystallo, vel lapide speculari factam arbitrantur, vt cœli iniuriam repelleret, & lucis radios admitteret: quod tamen necesse non fuit, nam fenestra potuit ita fabricari, vt per eam licet apertam pluuia non ingrederetur, longissimis subgrundis imbres arcentibus. Aquila. Symmach.

An verò multæ aliæ fenestræ factæ sint, quarum hæc maior fuerit, quis soluere potest? *In cubito consummabis summitatem eius.* Vel consummabis eam מִלְמַעְלָה *milmahala* seu *ἄνωθεν supernè, Milmahala de sursum* oritur à עָלָה ascendit, vnde cœnaculum in superiori parte ædium positum, in quo cœnabant olim Hebræi, vocant עֲלִיָּה *balya* hinc ergo מַעְלָה *vltrà*, vel *suprà*, quod hîc cum ל seruili iungitur, imo & cum מ, quomodo legitur etiam Exodi 25. Est autem magna difficultas, an illa summitas ad arcam, vel potiùs fenestram referatur, nec desunt nobiles interpretes pro vtráque parte. Exod. 25.

Qui referunt ad arcam, de tecto illius vsurpari volunt, quod in supremo fastigio solius cubiti latitudinem habeat, vel quod in modum fornicis constructum vnico cubito sit altius lateribus arcæ, quod exemplo columnæ per medium fissæ secundum longitudinem explicant, vt dorsum tecti sit instar tecti carrucarum nostrarum, quod parum eminet, quodque angulum valde obtusum in fastigio efficit.

Sunt qui tecti fabricam liberam artifici faciant, vt iuxta præcepta architecturæ tectum fabricet iuxta analogiam; atque proportionem, quam tanta arca requirit, vt sit sensus, *& in cubito consummabis,* & perficies arcam supernè semper eadem vtens cubiti mensurâ qua in reliquo opere vsus es, qui propterea tectum faciunt 12, vel 12 cubitorum cum dimidio altum, vt altitudo tecti sit quadrans latitudinis; at hæc sententia non ita arridet, nisi arcam longè faciamus altiorem quàm Deus fieri iusserit, tunc enim cubitos haberet in altitudine non 30 solùm, sed 42 cum dimidio.

Sunt qui se facilè expediant, dum arbitrantur arcam instar pyramidis efformatã esse, itaut in basi, seu fundo latitudinem 50 cubitorum, & longitudinem 300 seruarit quidem, sed ex omni parte sursum deinceps progrediendo diminutam fuisse, & arctiorem, atque minorem semper euasisse, donec ad altitudinẽ 30 cubitorũ surrexisset, vbi clausa est aliqua fenestra plana cubitum vnum lata; quod rursum duobus modis intelligi potest, vel vt illa fenestra hunc cubitum ex omni parte .i. in quadrum habuerit, & figuram quadratam obseruauerit; vel illum cubitum in latitudine habuerit,

qua parte latitudini arcæ respondebat, tametsi longior fuerit, quâ totius arcæ longitudinem aspiciebat.

Sunt & alij modi plurimi, quos posset quis excogitare, quibus in præsenti omissis, alios habemus, vt Aben Ezra, qui de fenestra cubitali intelligit, quæ fuerit in tecto arcæ, lata sexta parte cubiti, integro verò cubito longa, vt quemadmodum in arca longitudo, sit latitudinis sescupla; pari verò iure constitui poterit cubitum. Lata, & longa sex cubitos, vt facilius arca lumen necessarium excipiat. Sanè quamuis vtraque sententia defendi possit, & parum referat, dummodo arcæ magnitudo ad tot animalia, & alimenta capienda apta sit, vtram amplectamur, si ad textum hebraicum respiciamus, probabilius est hanc summitatem ad arcam ipsam referri, quàm ad eius fenestram, quia nomen צֹהַר fenestram, vel lucem significans est masculini generis, non fœminini: quapropter verbum תְּכַלֶּנָּה, quod habet affixũ fœmininum, ad תֵּבָה referri debet, quod est fœminini generis; quod arbitratus est Rasi, dũ ait operculum arcæ in acumen semper ascendisse, donec staret in cubito, vt hinc inde aquæ defluerent; qua propter vulgata paulò difficilior intellectu videtur, quia arca, & fenestra sunt fœminina, imo licet masculina, vel neutra essent, eadem obscuritas remaneret, quia pronomen relatiuum *eius*, ad omne genus ex æquo referri potest.

Aben Ezra.

70 ad hunc sensum trahi possunt, nam *συναγαγών* colligens, significat, arcam facies tendens in acumen pyramidis instar; & quidem probabile est tectum in longitudine cubiti desiisse, in latitudine verò sextæ partis cubiti: Oleaster tamen vult illam summitatem de fenestra intelligi, quæ quidem fuerit in arcæ summitate, quod ita concipere possumus, vt fastigium arcæ eandem arcæ longitudinem 300 cubitorum retinuerit, latitudinem verò cubitalem solummodo habuerit; quam si fenestram existimes, non video, quî fenestra 300 cubitos longa, quamuis lintea, aut papyracea, facilè aperiri potuerit; Itaque si de fenestra vis intelligere, malim ex omni parte cubitalem fuisse: nec obstat, quòd minimè sufficere videatur, vt arca tota lumen intus exceperit, tum quia fortè non adfuit lumen in cœnaculis, vel interstitiis animalium sed tantùm hominum, tum quia plures fenestræ fieri potuerunt, nam hîc per fenestram aliqui plures accipiunt.

Oleast.

Ostium autem arcæ pones ex latere. Ex quo latere dextro, an sinistro ianua posita, sit, & cuius magnitudinis fuerit, vel in qua contignatione, Moses non aperuit: quamuis existimem Deum etiam illa omnia determinasse: quidam ostium ponunt in primo tabulato, vt animalia per illud ingredi potuerint: alij in secundo, quia primam contignationem aquis immersam fuisse putant: ianuam verò 15 cubitos longam, latam octo faciunt, quæ sublicij pontis instar cathenis, vel funibus eleuari, & demitti potuerit: 70 *δόσει* habent *ἐκ πλαγίων*, hebræus בְּצִדָּהּ *è regione*: vbi consuetudinem linguæ sanctæ obseruare licet, quæ nomina sæpissimè rebus imponit ab earundem proprietatibus, & officiis: ex eo enim quòd ianua aperiatur, & liberum transitum cõcedat, eam פֶּתַח *aperuit*. In quibus tantummodo certum est ostium in arcæ latere satis amplum constructum fuisse, vt per illud animalia ad nidos, seu mansiones suas in arca præparatas transire possent.

Deorsum cœnacula, & tristega facies in ea: vertunt alij, *per binas, ternásque contignationes.* Symmachus *κατ' διστεγα, & τρίστεγα per duo, & tria tecta*, quod idem est, ac facies eam duorum, & trium tectorum. 70 legunt *κατάγαια διώροφα, & τριώροφα*. i. *inferiora*, quæ nempe sunt iuxta terram, *bicamerata, & tricamerata:* quorum omnium sensus est, arcam in tria interstitia, seu tria tabulata infima, media, & suprema, velut in tres aulas amplissimas distingues; sunt qui vertant infimarum, secundanarum, & tertianarum mansionum facito eam: sed nouandi studio; nobis sufficit versio nostra.

Multæ circa arcã difficultates breuiter soluuntur.

At non improbo sententiam eorum, qui præter tria hæc interstitia, quartum aliquod 4 cubitorum constituũt, quod aquam tangebat, vt in illud velut, in sentinam sordes tabulatorum superiorum per quosdam canales defluerent, & saburram contineret ad arcæ libramentum; in quo forsitan nonnullæ foricæ construi potuerunt, vt sordes in aquam laberentur, nihil tamen aquæ subintraret. Sequens interstitium quod, omisso primo, dici potest infimum, quia deorsum erat, & vsque ad illud arca mergebatur, animalibus stabulationem præbuit, cui 12 altitudinis cubitos liberè concedunt; tibi verò permitto trecentas, aut plures vel pauciores mansiunculas animantibus ædifices suis cancellis, portis, asseribus, præsepijs, vasis ad cibum potúmque præbendum necessarijs distinctas, & ornatas, & agæiam, per quam Noë vel filij ambularint ad animalia curanda, & pascenda, quandoquidem nihil refert, dummodo terrestria animalia in hoc cœnaculo degere valeant.

Quod autem id fieri possit, constat ex eo, quòd licet huic cœnaculo solos 10 cubitos altitudinis dederimus, in solo, seu pauimento 15 cubitorum millia continebit, vt superiùs dictum est;

Iam verò liberrimè concedamus pro vijs interiectis, & interstitijs tria millia cubitorum, supererunt 12 millia, quæ facilè possis in 2 stabulorum millia partiri, quorum singula 6 cubitorum altitudinis, totidémque longitudinis futura sunt, vt 10 altitudinis;

Nunquid illæ mansiunculæ pro omnibus animalium speciebus sufficient? cùm autores etiam diligentissimi animalium species vix 130 numerent; insectorum, reptilium, & serpentum vix 30 vt apud Gesnerum, Aldrouandum, & Bustamant. videre poteris; qua ratione multa spatia vacua futura vides, licet vnicuique speciei binum, ternum, quaternúmue spatium, licet vnicuique pari eiusdem speciei suum peculiare stabulum concesseris; Iuuat etiam, quòd in ea nullo loco indigemus ad adulterinas species, & amphibia stabulanda, quippe quæ abfuerint teste D. Aug. c. vlt. l. 15. de ciuit. Dei.

Quot sint animalium species?

Augustin.

In secunda contignatione penum cibariorum, & varias apothecas fœni, paleæ, frondium, pomorum, frumenti, seminum, leguminum, doliorum aqua dulci plenorum, cum foraminibus & tubis, quibus cibum, & potum acciperent animalia, nec non prouidi patrisfamilias supellectilem rusticam, & vrbanam post diluuium vsui futuram contemplari licet, cui sex cubitos, vel 8 tribuunt altitudinis; quæ profectò commeatum facilè continere potuerit, quo diu ciuitas satis ampla nutriri posset.

An verò carniuora animalia eo tempore quibusdam animalibus inferioribus ad alimentum in arcam

in arcam inductis, aut Deo ita disponente fœno, & herbis vescerentur, quis hominum scire potest? consulatur D. August. lib. cit. c. 27.

August.

In supremo cœnaculo collocabantur cum hominibus, tum aues, ea ratione, vt arcę fenestra præcipuam partem lucis in aulam Noë, & filiorum infunderet; multa sunt quæ hîc cum Buteone, & aliis interpretibus considerare possis, caminum, & focũ ex lapideo stratu, molas trusatiles cũ clibano, lignile de coctis lignis, quæ vocant ἄκαπνα, strues carbonum, andronitim, & gynecæum, culinam, penum annonæ, & cætera ad vitam humanam anno durante necessaria. Tuum est quæcunque libebit spiracula cum subgrundiorum γεισσῶν, seu proiecturis excogitare, quæ ad aëris exspirationẽ, siue pro auibus in hoc interstitio positis, siue pro hominibus inseruiant. Huic autem interstitio da reliquos cubitos, vt aues in eo suis quæque nidulis distinctæ atque separatæ contineantur.

Auiũ quot species? Aldrouan.

Cùm autem auium non plures species, quam 150 numerentur, vt Vlyssis ornitographia docet, non est quod in dubium reuoces, an eas hoc vltimum arcæ cœnaculum capere potuerit; facessant ergo Apelles ille Marcionita, & Porphyrius, & id genus impostores, qui Mosis historiam sacram calumniabantur, quandoquidem longè plures species, etiam si hybrides, & ex putredine nascentes numeraris, arca comprehendere potuit, quàm si ad cubitos geometricos, quorum vnusquisque 9 pedes continet, ædificatam esse dixerimus, quouis pignore certarim etiam omnes species piscium continere potuisse, si ita fuisset opus, vt facilè colligi potest ex iis, quæ de tabulato terrestrium animalium diximus. Quædam alia de fenestra, & aliis partibus alibi afferri poterunt. Cæterùm hîc arcæ figuram cum omnibus suis mensuris mente reuoluere poteris, si cogites ad modum arcarum nostrarum constructam esse; non ad modum pyramidis, cuius figura quantitatem eius maximè diminueret, si pyramidem faceret, cuius fastigium vnius tantùm cubiti latitudinem haberet. Itaque latera longitudinis & latitudinis inter se æqualiter distare tam in suprema, quàm in infima parte velim de fabrica tecti minus sollicitus, quod tamen cubitum in altitudine, habuisse suppono, vt figura vndequaque perfecta sit.

Quamuis autem ignoremus an cubiti 300 longitudinis & 50 latitudinis à partibus interioribus arcæ, vel ab exterioribus sumendi sint, in præsenti sumemus ab exterioribus, vocant extra opus, quod tamen intimis applicari poterit; seu intra opus constitutis. quæ quia facilè quis imaginari potest; figuram non apponam.

VERSICVLVS XVII.

Ecce ego adducam aquas diluuij super terram, vt interficiam omnem carnem, in quâ spiritus vitæ est subter cælum : vniuersa quæ in terra sunt, consumentur.

וַאֲנִי הִנְנִי מֵבִיא אֶת־הַמַּבּוּל מַיִם עַל־הָאָרֶץ לְשַׁחֵת כָּל־בָּשָׂר אֲשֶׁר־בּוֹ

רוּחַ חַיִּים מִתַּחַת הַשָּׁמַיִם כֹּל אֲשֶׁר־בָּאָרֶץ יִגְוָע׃

Ἐγὼ δὲ ἰδοὺ ἐπάξω τὸν κατακλυσμὸν, ὕδωρ ἐπὶ τὴν γῆν, καταφθεῖραι πᾶσαν σάρκα ἐν ᾗ ἐστὶ πνεῦμα ζωῆς ὑποκάτω τοῦ οὐρανοῦ. καὶ ὅσα ἂν ᾖ ἐπὶ τῆς γῆς, τελευτήσει.

IAm Deus aperit, cur arcam fieri iusserit, dum ait se jam in procinctu esse, vt diluuio terram contegat, ad eum fortè modum, quò mundi primordiis obtegebatur, antequam appareret arida.

Cogita obsecro, quàm libenter ea didicit Noë, arcam videlicet imperari, vt naufragium illud vniuersale deuitaret; quam nonnulli ad Caucasi montis radices factam esse putant, quà spectat Indiam, ex eo quod Prometheum ad Caucasum alligatum opus perpetuò facere dixerunt, quo Noë significetur, deinde magna copia cedrorum ibi crescit, ex quibus arca fabricari potuit, nec desunt amnes, qui facilè ligna aliunde detulerint. Verùm debiles sunt huiusmodi coniecturæ; quibus adde si lubet varios sarcasmos, & subsannationes impiorum in Noe iustum, quem Prometheum appellarent, qui vulturem cor eius depascentem in visceribus aleret; cúmque tortorem illi diuinitus datum esse, quòd diceret totum orbem vndis obrutum iri, quasi vim elementi ignei subtracturus esset Ioui, cuius furti si non patrati, saltem cogitati pœnas lueret; ex quibus irrisionibus à filiis Noe post eluuionem vulgatis fabula Promethei quibusdam orta videri possit. Vnde postea factum est, vt gentiles Deucalionem cum diluuio Noëtico confuderint; illi enim Plutarchus lib. de solertia animal. columbam tribuit; & Philo l. de præmijs, & pœn. ait à Græcis Noe Deucalionem vocatum esse; nec aliud diluuium Lucianus per Deucalionicum, quàm Noeticum in *Misanthropo*, sic etiam Gnostici apud Epiph. hæres. 26. Deucalionem, & Pyrrham in Noe, & Noriam commutarunt: Vnde patet fabulas plurimas

HHhh iij

hominum abusu è Scripturæ sanctæ veritate natas esse.

Rationem statim subiungit, cur diluuium adducat, nempe vt interficiat omnem carnem quæ spiritum vitæ habet, seu quæ viuit. Hebraicè habes, *Ego verò ecce ego adduco diluuium aquarum* מים ואני הנני מביא את־המבול *Vaani hinni mibi & chammaboul maim.* vbi *Chammaboul*, id est, diluuiū נבל oritur, id est, *emarcuit, & elanguit*, & quidem rectè, quia diluuio omnia נבל emarcuerunt, corrupta, & vastata sunt. 70 ἐγὼ δὲ ἰδοὺ ἐπάγω τὸν κατακλυσμὸν ὕδωρ ἐπὶ τὴν γῆν. *Ego autem ecce inducam diluuium, aquam super terram.* Mirabile est quod omnia finiant, seu moriantur & extinguantur animantia, quæ sunt de sub cœlo מתחת, vel ὑποκάτω. 70 habēt καταφθεῖραι, quod significat corrūpere, & trucidare, vnde hunc Græcorū loquendi modum, seu לשחת *lesachet* hebræorum ita vertere possemus, adducam aquas diluuij *ad perdendum*, vel *ad perdere*, quicquid viuit, quod à Gallis optimè dicitur, *pour perdre, & ruiner, pour abysmer tout le monde.*

Vniuersa quæ in terra sunt, consumētur יגוע *igua*, morietur, expirabit, à גוע *gaua*, quod illico mori significat, citò enim moritur, qui submergitur: referunt etiam ad mortem, quam quis facilè, & ferè absque dolore obit.

Plurimæ difficultates in hoc textu includuntur, quas vix dissoluere possumus: vt an omnia animalia, quæ reuera per totam terram dispersa erant, interierint, id est, non ea solùm, quæ versus Orientem, quem primi Patriarchæ habitabant, sed etiam omnia, quæ ad Meridiem, Septentrionem, & Occidentem perrexerant; ratio dubitandi est, quia minimè necessarium fuisse videtur vniuersum orbem terrarum aquis contegi, vt interficerentur omnes homines, ob quos præsertim diluuium inducebatur.

Nec enim homines ab illis partibus Orientalibus excesserant; & omnis terra potest intelligi de illa solùm, quam tunc homines cognoscebant, sicut in scriptura sæpissimè omnis terra pro ea, in qua quis habitat, vel quæ vno intuitu videri potest, intelligitur. Verùm cùm aqua montes etiam altissimos 15 cubitis superauerit, necessarium videtur, vt Alpes, Olympum, Vesunium, Pyrenæos, cæterosque mótes excesserit, cùm Libanum montem, à quo non ita distabant primi homines, etiam transcenderit, quo nullum in toto mundo altiorem se vidisse mihi testatus est Dux aliquis, qui totum ferè mundum (vt dicebat) vltra, citráque lineam emensus fuerat, quique Libanum à 120 leucis se vidisse asserebat, de quo nos alibi fusè dicturi sumus, inde fit, vt totum orbem aquis immersum fuisse credam, quamuis Deus potuisset impedire, ne aquæ licet montibus Alpium verbi gratiâ superiores in alias regiones diffunderentur.

An verò Deus in omni parte mundi produxerit animalia, vel solùm prope Eden in regionibus, quas incoluerunt prius homines, & an ex illa regione iam tempore diluuij migrauerint in Asiam, Europam, Africam, Magellanicam, Americam, & reliquas terræ partes, quis explicare potest? An verò tantùm simul cum hominibus paulatim orbem repleuerint. Sunt & alia multa, quæ nescire possumus, verùm scripturæ intellectus ab illis non depēdet. Pergamus igitur, postquam audiuimus omnia, quæ vitam habent, quæque sunt in terra diluuio consumptum iri; quæ consumptio intelligenda est, quoad formæ viuentis destructionem, res enim quæpiam perit, cum suâ formâ siue naturali, siue artificiali, si fit res arte facta, destituitur.

Cùm autem arbores, & plantæ vitam habeant, aliquis potest in dubium reuocare, an etiam corruptæ, & euulsæ fuerint, quod non arbitror, & satis alioqui constabit ex dicendis postea: vnde pars vltima huius versiculi, *Vniuersa consumentur*, ad ea, quæ spiritum vitæ habuerint, idque vitę sensitiuæ, reducenda est, nec enim scriptura vegetatiuā plantarum, & arborum facultatem, animam, vitam, aut vitæ spiritum appellare solet: Fauet hebræus, qui habet, *quicquid fuerit in terra morietur, vel extinguetur.*

VERSICVLVS XVIII.

Ponamque fœdus meum tecum, & ingredieris arcam tu, & filij tui, vxor tua, & vxores filiorum tuorum, tecum.

וַהֲקִמֹתִי אֶת־בְּרִיתִי אִתָּךְ וּבָאתָ אֶל־הַתֵּבָה אַתָּה וּבָנֶיךָ וְאִשְׁתְּךָ וּנְשֵׁי־בָנֶיךָ אִתָּךְ

Καὶ στήσω τὴν διαθήκην μου μετὰ σοῦ εἰσελεύσῃ δὲ εἰς τὴν κιβωτὸν σὺ καὶ οἱ υἱοί σου, καὶ ἡ γυνή σου, καὶ αἱ γυναῖκες τῶν υἱῶν σου μετὰ σοῦ.

Hic est effectus bonitatis diuinæ, qui iustos tantâ dilectione prosequitur, vt etiam pactū cum illis ineat; vbi cum Noë maiori beneuolentia, quā cum Adamo vtitur, quia hic non stetit in obseruatione mādatorū Dei, hebraicè והקמתי *vahakimothi* & firmabo, vel firmo, στήσω constituam: קום *Koum* enim, vel קום significat *perseuerauit, stetit, vouit, decreuit, iurauit*, vnde fœdus קים, hinc etiam

etiam fit. קים idest resurrectio, hic autem pro fœdere non legunt Hebræi *Keiam*, sed ברית *berit*, quod alij deducunt à radice ברת idest abies, alij fortè meliùs à ברה idest selegit, vnde filius dicitur בר, quia delectus, seu dilectus est, quod in nouo testamento retinuit vulgatus interpres Math.6 *bar Jona*; Math. 10. Bartholomæus idest filius תלמי *talmai* &c. fœdus enim est res, quam duo eligunt, & de ea conueniunt, ideo conuentum appellare possumus.

Math. 6 & ...

Quodnam verò pactum illud fuerit, non ita clarum est; & quidem decalogus pactum dici potest, quia lapides in quibus lex scripta fuit לחת ... tabulæ fœderis vocatæ sunt. Hinc etiam syngrapham, seu apocham ברית vocauerant, quemadmodum cibum & escam ברה, quia schedæ, & cibi solent in fœderibus intercedere. vide sis Gen.35.v.16. vbi hanc dictionem spatium mille passuum significare nonnulli volunt, & Vatablus habet: licet pro verno tempore Vulgatus sumpserit, cuius æstu foraminibus instar cribri terræ hiscere videtur, nam cribrum Hebræi כברה, vel כברת nuncupant, vt etiam c.48. Gen. vers.7. videre est. Fœdus ergo seu διαθήκη se cum Noëmo positurum Deus affirmat: Vatablus ait, *surgere faciam*, vnde volũt fere omnes pactum illud in eo situm, vt Deus ei promiserit salutem arcæ beneficio; ac si diceret, Noë noli timere, quamuis enim omnes submergendi sint, tu saluus, & incolumis euades: Quidam Hebræi putant nondum fœdus percussum fuisse; R. Salomon fœdus illud initum fuisse putat, quòd non putrescerent alimenta in arca reponenda, & quòd eum non occisuri essent homines illi nequam.

Gen. 35.

Vatabl.

Gen. 48.

R. Salomõ.

Sanè versiculi istius sensum legitimum arbitror hac ratione explicari posse: Iam iam fœdus tecum contraho firmissimum, & in veritate polliceor te cum tuis arcam ingressurum, cuius ope seruaberis, vt mundus per te restauretur, nec enim arca tua quibuscunque ventis, procellis, atque furentibus vndis agitata ad rupes allidetur, sed integra vsq; ad finem diluuij permanebit, nullus autem mortalium tibi nocebit; quibus maximã fidem Noë adhibuit. Ideoque reprehendẽdi sunt Hebræi, qui mentiuntur illum fuisse modicæ fidei, quòd non orarit pro sua generatione, sicut Abraham pro Sodomis, & Gomorra, & Moses pro populo. Volunt enim Deum omnibus parciturum, quia 10 iusti reperiri potuissent, si Noë deprecatus fuisset. Alij dicunt eum peccasse, quòd existimarit Deum nunquam inducturum diluuium, sed minari tantùm vt resipiscerent, & ideo, quod mente peccasset, holocausta obtulisse, alioqui si ex omni parte iustus fuisset, non holocausta sacrificaturum, sed pacifica ad gratias agendas.

Verùm sicut eorum fundamentum ridiculum est, (nempe dictio עלה manca, quæ 500 facit, quot dies cælum à terra abesse volunt, à quo tanto interuallo peculiarem Dei prouidentiam non arbitrabantur diluuium immissuram) ita nugas illas ridiculas esse iudico.

Adde quod satis testatur scriptura Noë fuisse iustum, & rectum, facessant ergo Zoardici, & Caballistici, qui aiunt in pœnam peccati Noë cibos ei communes cum belluis tantùm concessos esse, quandoquidem in dubium nemo sanæ mentis reuocare debet Noë cibos illos in arcam intulisse, quibus ipse cum vxore vti solebat, quid enim impediuit?

Ideò autem Deus pactum iniuit cum Noë, vt eũ magis, ac magis de sua in eum beneuolentia, atq; fauore certum redderet, tam bonus est, vt cùm neminem fallere possit, iuramento sua verba confirmare velit, vt firmiùs illi credamus, & nostræ infirmitati sese accommodet. Ramban vero fœdus à ברא creando deducit, quòd ab orbis initio locum habuerit, sed valeat illa cum aliis Rabinis. Nos autem alibi de variis fœderibus agemus.

Ramban.

Ingredieris arcam tu, & filij tui nempe Sem, Chã, & Iaphet, vxor tua, quam Berosus Titeam, Epiphan. hær.26. Barthenam vocat, & vxores filiorum tuorum Pandora, Noëla, Noëgla, vt nonnulli arbitrantur. Hi sunt 8 animæ, de quibus D. Petrus cap.3. epist.1. *quando expectabant Dei patientiam in diebus Noë, cũ fabricaretur arca: in qua pauci .i. octo animæ saluæ factæ sunt per aquam*, cui Baptismum comparat, quo iam à seruitute peccati liberamur. Sequuntur animalia, quorum etiam Deus curam propter homines habet.

Beros.
Epiphan.

1. Petri 3.

VERSICVLVS XIX. ET XX.

XIX. *Et ex cunctis animantibus vniuersæ carnis bina induces in arcam, vt viuant tecum masculi sexus, & fœminini.*

XX. *De volucribus iuxta genus suum, & de iumentis in genere suo, & ex omni reptili terræ secundum genus suum: bina de omnibus ingredientur tecum, vt possint viuere.*

וּמִכָּל־ הָחַי מִכָּל־ בָּשָׂר שְׁנַיִם מִכֹּל תָּבִיא אֶל־ הַתֵּבָה לְהַחֲיֹת אִתָּךְ XIX.
זָכָר וּנְקֵבָה יִהְיוּ׃

מֵהָעוֹף לְמִינֵהוּ וּמִן־ הַבְּהֵמָה לְמִינָהּ מִכֹּל רֶמֶשׂ הָאֲדָמָה לְמִינֵהוּ XX.
שְׁנַיִם מִכֹּל יָבֹאוּ אֵלֶיךָ לְהַחֲיוֹת׃

XIX. Καὶ ἀπὸ πάντων τῶν κτηνῶν, καὶ ἀπὸ πάντων τῶν θηρίων, καὶ ἀπὸ πάσης σαρκὸς δύο δύο, ἀπὸ πάντων εἰσάξεις εἰς τὴν κιβωτὸν, ἵνα τρέφῃς μετὰ σεαυτοῦ, ἄρσεν καὶ θῆλυ ἔσονται.

XX. Ἀπὸ πάντων τῶν ὀρνέων τῶν πετεινῶν τοῦ οὐρανοῦ κατὰ γένος, καὶ ἀπὸ πάντων τῶν κτηνῶν κατὰ γένος, καὶ ἀπὸ πάντων ἑρπετῶν τῶν ἑρπόντων ἐπὶ τῆς γῆς κατὰ γένος αὐτῶν, δύο δύο ἀπὸ πάντων εἰσελεύσονται πρὸς σε τρέφεσθαι μετὰ σοῦ, ἄρσεν καὶ θῆλυ.

SI hebræum de verbò ad verbum reddere velis, ita habet, *De omni viuente, de omni carne bina ex omnibus, seu singulis introduces in arcam, vt viuifices tecum, masculus, & fœmina erunt.* LXX. verò ita verterunt. καὶ ἀπὸ πάντων τῶν κτηνῶν, καὶ ἀπὸ πάντων τῶν θηρίων, καὶ ἀπὸ πάσης σαρκὸς δύο δύο, ἀπὸ πάντων εἰσάξεις εἰς τὴν κιβωτὸν, ἵνα τρέφῃς μετὰ σεαυτοῦ, ἄρσεν καὶ θῆλυ ἔσονται idest. *Et ex omnibus iumentis, & ex omnibus bestiis, & ex omni carne duo duo, vel bina bina ex omnibus adduces in arcam, vt nutrias tecum.*

Quæ omnia in eundem sensum recidunt. Quod autem in generali de cunctis animantibus dixit v. 19, in particulari magis explicat vers. 20. in quo Hebræi notant מִכֹּל Micol positum fuisse ad reptile, non autem in aue, & bestia, ne fortè Noë putaret non esse necesse serpentes, & alia reptilia animantia adducere in arcam, quin potiùs perdenda veluti noxia, & infesta tam hominibus, quàm cæteris animantibus; propterea Deum, *ex omnibus reptilibus*, dixisse, ne ea negligat, quorum vsum, licet sæpe nobis occultum, nouit Deus.

Satis verò colligitur ex istis versiculis illa solùm animalia in arcam introducta fuisse, quæ compari indigent, vt sibi simile generare, & ita speciē propagare possint, quæque in aquis degere nō possunt, vnde pisces, & aues, quæ viuunt in aquis, & animalia, quæ nascuntur ex corruptione, quales sunt mures, pulices, muscæ, & id genus in arca minimè fuerunt. Perpetam verò R. Salomon ait in arcam animalia ingressa fuisse, quæ illa continere potuit, adeóque exclusa fuisse, quæ continere non potuit, nā siue plura continere potuit præter bina ex qualibet specie, vel septena, vt statim dicetur, siue non potuit, plura ingredi non debuerunt, cùm neque id ad propagationem illico post diluuium futuram necessarium fuerit, neque id Deus iusserit, aut voluerit. Falsum est etiam quod sub viuentibus dæmones intelligantur, nec enim sunt ex animantium genere, vt malè feriati arbitrantur, qui Platonicis adhærent. R. Salomō.

Iam verò diuinam admirare clementiam, quæ iubet animalia ex omni parte terræ ad arcam cōfluere, & Noe veluti Domino suo, & velut Adamo alteri ferocia deposita sese sistere, vt sicut orbis vniuersi pater durante cataclysmo eorum curam gerat, eisque cibum administret. Non est autem quod quæramus qua ratione omnia animalia ad arcam adducta fuerint, nam vbi Dei voluntas omnipotens adest, quid obsecro quæris? nunquid enim Deus per se suas creaturas adducere, nunquid per Angelum, nūquid speciebus in phantasia impressis ea determinare potuit, vt ad illum locum omnia tanquam ad asylum accederent, & apprehenderent id ad suam conseruationem esse necessarium?

Quid si dixerimus illa sponte partim, partim etiam

etiam coactè accessisse: sponte prout illuc ab vndis fugiebant, quo poterant, coactè, prout à fluctibus iam iam absorbere paratis semper ea persequentibus tandem ad arcæ locum peruenerunt, adeout plurima natare debuerint ob aquæ multitudinem quæ iam terras obtegebat. Verùm quoniam iure potiori id de hominibus impijs dici posset cùm nullus sit, qui vitam conseruare non appetat, qui ad arcam confugere potuissent; consultiùs fuerit illud ad miraculum, seu peculiarem Dei prouidentiam reuocare, qui nouum animalibus instinctum imprimere potuit, vt ad Noë se se reciperent: quod maximè confirmatur ex eo, quòd si naturaliter id euenisset, non tantùm bina, sed & octona, & centena, & quotquot propagata erant, vel non ita ab arcæ loco erant dissita, ad Noë accedere potuissent, quod falsum est, nisi quis contendat non tantùm bina, sed omnia venisse, ex ijs tamen bina tantùm à Noëmo electa fuisse iuxta præscriptum diuinum, sed illud minimè necessarium fuit, & alioqui diuinam prouidentiam decere videbatur, vt omnia decerneret, quæ in opere tam admirabili contingebant, quod sanè totum in eius bonitatem, & infinitam misericordiam refundendum est.

VERSICVLVS XXI. ET XXII.

XXI. *Tolles igitur tecum ex omnibus escis, quæ mandi possunt, & comportabis apud te; & erunt tam tibi, quàm illis in cibum.*

XXII. *Fecit igitur Noë omnia, quæ præceperat illi Deus.*

XXI. וְאַתָּה קַח־לְךָ מִכָּל־מַאֲכָל אֲשֶׁר יֵאָכֵל וְאָסַפְתָּ אֵלֶיךָ וְהָיָה לְךָ
וְלָהֶם לְאָכְלָה׃

XXII. וַיַּעַשׂ נֹחַ כְּכֹל אֲשֶׁר צִוָּה אֹתוֹ אֱלֹהִים כֵּן עָשָׂה׃

XXI. Σὺ δὲ λήψῃ μετὰ σεαυτοῦ ἀπὸ πάντων τῶν βρωμάτων ἃ ἔδεσθε, καὶ συνάξεις πρὸς σεαυτόν. καὶ ἔσται σοὶ καὶ ἐκείνοις φαγεῖν.

XXII. Καὶ ἐποίησε Νῶε πάντα, ὅσα ἐνετείλατο αὐτῷ ὁ θεός· οὕτως ἐποίησεν.

IVxta hebræum, *Tu verò accipe tibi ex omni esca, quæ comeditur, & collige tibi*; sed idem est sensus. Sanè mirabilis hîc apparet Dei prouidentia, quà Noë omnes herbas & alimenta vnicuique animali propria discernere potuit. Vidisses illum senem cum vxore filijs, & eorum vxoribus huc illuc discurrere, hinc platanum, rutham, ocymum, petum, ononim, hyppolapathum, symphitum, verbenam, fœnum, paleam, & plurimas alias herbarum species colligere, & in domum suam donec veniret diluuium, vel in ipsam arcam comportare, & suis quæque locis vniuersalem omnium Oeconomum reponere, vt quotidie animalibus conuenientia alimenta diuiderentur. Vbi non improbo, quod R. Leui conijcit, nempe ipsa plantarum, & herbarum semina etiam à Noë in arca conseruata fuisse, vt terra post diluuium rursus plantas solitas generare posset, quamuis Deus potuerit virtutem illam terræ seminificatiuam, vt ita loquar, quàm ei primordio rerum indiderat, sub aquis conseruare. Nolim autem hic fusiùs inquirere, an Noe antea herbas omnes cognosceret, & probè sciret, quánam animal quodlibet vesceretur, an verò Deus illi de nouo scientiam hanc infuderit, nam existimo neutrum suâ carere probabilitate, & quidem ætas 500 annorum sufficere potuit, vt Noe hæc omnia sciret, cùm præsertim parentes habuerit, qui ab ipso Adamo hæc omnia ediscere potuerunt, si tamen omnium plantarum & animalium cognitionem Deus Adamo infuderit, nec propter peccatum illam scientiam ei abstulerit, quæ omnia mihi vera esse videntur.

R. Leui.

Ex omnibus escis, quæ mandi possunt. i. quæ mandi solent: nec enim putes eum herbas illas collegisse, quæ nulli animali cedere deberent in alimentum, qualis forsitan est cuscuta, & aliæ multæ. Plurimæ quæstiones hîc proponi possent, vt an aliqua animalia cibis coctis indiguerint, quales sunt porcorum offæ: an quædam animalia viuentia pro cibis leonum, & aliorum carniuororum inducta sint &c. quæ in præsenti omitto, quia nil certi determinari potest; probabilius existimo solis herbis, aut granis, & seminibus, atque fructibus tã homines, quàm belluas vixisse, præsertim cùm initio necesse fuerit etiam carniuora herbis contenta fuisse, si Deus vnicum par cuiuslibet speciei animalium produxit, ne statim periret mas, aut fœmina; alioqui si principio comederunt carnes, dicendum est à Deo non tantùm coniuga, sed plura animalia producta fuisse, quædam ad speciei conseruationem, quędam in alimentum.

Fecit igitur Noë omnia, vel iuxta omnia כְּכֹל quæ præceperat ei Deus: additur in hebræo כֵּן עָשָׂה *quē basah, sic fecit*; ac si diceres, *fecit fecit*, quod fre-

quenter faciunt, dum actionis vehementiam, celeritatem, aut certitudinem significare volunt. Quibus verbis ostenditur prompta Noe obedientia, qui neque latum vnguem à diuinis pręceptis recessit; quod in eo magnam fidem arguit, nam quò ea esse veriora credimus, quæ Deus loquitur, & facienda præcipit, eò libentiùs illa aggredimur. Illa tamen omnia, quæ fecisse dicitur, iuxta R. Salomonem tantùm intelliguntur de iis, quæ pertinebant ad arcam, eiusque dimensiones, cùm alij referant etiam ad ipsum arcæ ingressum, & sic obedientiam Noe ad omnia etiam futura extendunt per prolepsim. Vt vt sit, nobis exemplar esse debet iustus ille, vt diligenter exequamur omnia, quæ Deus præceperit, & à nobis postularit.

Non possumus autem cognoscere, quot ante diluuium diebus herbas Noe collegerit, an ante animalium ingressum eas in arca reposuerit, an ipse arcam ingressus fuerit, priusquam animalia sese receperint in eam, an perfecta fuerit longè ante diluuium, cur nullus hominum cum eo ingredi voluerit, in qua terræ parte arca natare cœperit, & infinita id genus, de quibus solùm dicere possumus ea prout Deus iusserat, & statuerat, euenisse. Alia tamen de temporibus sequenti capite subijciemus, & rem totam accuratiùs inuestigabimus, si Deus Opt. Max. cui totum hunc in 6 prima Geneseos capita laborem dedico, vires subministrauerit, quibus in reliqua capita commentarios edere possimus. Interea notas, & emendationes in omnia Veneti problemata, quæ in librum Genesis scripsit, accipe, quæ commentariorum vices supplere valeant.

FINIS.

Errata potiora, quæ operarum incuriâ, irrepserunt, emendantur; excipio tamen virgulas vel superfluas, vel absentes, quarum numerus ferè in infinitum abit; adde & accentus in Græcis, & puncta in Hebræis, & verborum transpositiones, & similia plurima, quæ per te supplere poteris.

PAginâ 5 ex Hebræo dele superfluum ם quod est ante ואין 12 linea primi probl. pro *ilmeth*, lege *emeth* ciphram 21, & 22 dele, & lege 7, & 8 linea 5 sexti probl. pro *cogitaraimus* l. *cogitaremus*. p 13. l. 10 pro *essentialem* l. *essentiam* p. 15 in penul. l admon. ad lectorem dele *seu* columna 17 l. 2. post *vltimo* l. *caput*. col. 19 l 14 pro *posimus* l *possumus*. col 46 l 36 l *communicamus*. col 77 l. 13, & 14 l. post 15, & 16, & post 24, & 25. col. 75 6 ligneis ante finem l. *diatonico*, col 76 l. 47. & 48 l *quod*, & *seipsum*. col 78. l. penul l. *microcosmica*. col. 82 l. 27. l 55, '1'2. c 83 l. 20 l *omnes*. col. 90. l. 32 l. *maxime*, & col. 89 l. 35 l *principium* l. 55 l. *philosophus* col. 97 post *Archimedeam* circa finem l. *natus fuerit*. col. 116 l penul. l *eadem*. col. 120 circa finem l. *Bodinus*. col 128 circa medium l. *fornace*. col 145 initio l. *theorimi*. col. 190 post medium l *canum* col. 240 l 12 l. *canis*, & nota hucusque mēda negligentiùs annotata fuisse, eapropter ex animo ea suppleas, diligentiùs verò imposterum. Itaque col. 241 l 27, & 28 l *forma*, & dele *significat* col 245. circa finem l. *sensisse*. col. 246 l. 29 lege *abiectum*. col. 248 l. 2 *illa*. col. 253. l. 18 *crususcie*. col. 257. l 9 l. *consuerint*. c. 258. l. 24. *que*. c. 259 l. 24 *omittunt* c 264. satis post medium *elinguis*. c. 270 post medium pinge ☍. 4 lineis postea l. *celum* & non *cum*, paulo post □ in antepenul. linea 8 col. 271 l. 25 *stella*. col. 272. l. 14 dele *non*. l. 58 post contrariam l *atque* c. 273 l. 28 l. *quomodo* c. 274 l 18 l. *quia* col 276 l. 17. ante finem l. *quanto*. c. 278. l 8 ante finem dele *cum*, scribe *illud*, & linea sequenti *factum*. c. 279 l. 6 l. *rationibus* l. 17 *illum*. l 10 ante finem *terra*. c. 281 initio dele *nolunt*. l. 15 *actu*. c. 284 l. 16 l *Ægyptiorum*. c. 284. l. 18 ante finem post *Deus* adde *et assentiri videtur, cùm eum non arguat*. col. 285 l. vltim *examinantur*. l. 7 ante finem post *bona* l. *Deus* l. 16 ante finē *loquar*. l 23 post *cui* l. *appetit* & l 24 post *appetit* l. *sibi* circa medium l. *quam* pro *quem*. c. 286. circa mediū scribe *probatam fuisse*. c. 288. l. 5. post *diuinare* l *potuisse*. l. 21 ante finem *abiecit* c. 298 l. 5. *animaduertit*. l 22 ante finem *potitus est*. c. 301 l 14 ante finem post 7 scribe *docet* c 302 l. 25 *an*. c 303 post medium vbi legis *immortalitatem* adde *neque diuinum numen esse*. c. 310 l 3 ante finem l. *debeat*. l. 15. *flatum* sicut & circa medium & non *flatim* c. 312 l. 20 *peruersis*. c. 314 post medium l. *inscitia* 3 lineis ante finem *fit*. c. 315 l 2. *procedere* c. 316 l. 30 pro *eam* l. *iam*. c. 317. l. 19. l *aeternos*. c. 318 l. 27 *inuincibilis*. l 32. post *intendit* restitue *sed tantùm*. l 44 *vsuras* c. 319. l. 25 l. *animos*. 3 lineis ante finem *continuantur*. c 321 l. 3. l *melioribus*. c. 322 l. 18 post *gloriam* pone *Dei ostendant*. l. 39 l. *diligit*. l 45 *processione* col 324 l. 25 *similia*. l 29 ost *ipse* pone *se* l. 3 ante finem *excitati*. c. 325. l. 22 post *prouidentia* l. *suis*. l 26. *prauidit liberrimè*. c. 326 l. 7 post *diuina* l. *fine* 12. lineis ante finem l. *vobis* & non *bis* 328 l 18 l. *foribus* l. 20 *incurrissent*. c. 330 l 25 ante finem post *ignem* pone *aut aquam* l 20 *perseueret*. c. 331 l. 15 *rogatur*. l. 41 *virtutis*. c. 332 l 9 ante finem dele *non* l. 8 post *simul* l. ☿ *non esse*. c. 334 l. 6 ante finem *praeconceptam*. c 335 ad marginem l *facile*. l. 7 ante finem *exciperemur*. c. 336 l. 21 le. post *homines* à l. 22 l *non*. l 12 ante finem l. *vel* pro *vt*. c. 337 l. 21 post *neque* l. *vitiis* l 25. ante finem l. *sit* pro *fit*. l 12. *sed* pro *vel*. c. 339 l. 5. *deperditur*. c. 340 l 2 ante finē l. *comparatione caret*. c. 342 l. 3. l. *scientiae*. c. 352 l. 9 l. *partem*. l. 10 post *sit* l. *creatura* & *videri*. c. 359 l. 15 le. *vita* l. 28 post 4 *referente*. c. 361 l. 8 *affectant* l 25 *Ioh*. 6 l 27 post *regnum* l *Dei*. l. 37 *habeo*. l. 7 ante finem *Rex es* c. 362. l. 19 l. *tristitiā nimia* col. 363 circa medium *sectantur*. c. 365 l. 23 post *brutorum animas*. c 366. l. 19 *neoterici*. l. 25 *fauentinus*. c. 368. l. 23 *habuerint* post medium *monere* pro *mouere* infra post *rancidus appellatur*. c. 369 circa medium l. *Mosem*. c. 370 l. 16 post *actus* l *necessitant*. l. 18 ante finem l. *si* pro *sit* c. 371 l. 11 ante finem l. *impossibilitatem*. c. 374 l. 8 ante finem *nugis*. c. 375. l. 7 ante finem *videamur*. c. 378 l 14 ante finem l *colligit* c. 379 l. 10 finem l. *declarauit*. c. 38 ante l. 6. lege *verò* l. 15 *syllabum* c. 382 l. 15 *ne mendaciis* c 384 l. 22, & 23 ante finem post *tua* l *& id Origenes*. c. 385 l. 4 ante finem *prophetia*. c. 385 l. 5 *summus*. c. 387 l. 18 *plures*. l. 22. 1022 c. 389 post medium scribe *vt* pro *vel*. c. 391 l. 16 post *nulla* scribe *prouidentia* pro *que qua* l. 32 *redacta*. c. 393 l. 7 dele *quidem* & lege *respondeantur*. l. 22. post *nec à*. c. 394 l. 14 ante finem post *genitura* l. *resistere* l. 10 *restiterint*. l. 9. *immasculam*. c. 395. l. 15 ante finem *rebus*. l. 5 *autem* col 399 l. 9 post *nos* scribe *cum* l. 27 *secunda tertiam*. c. 401 circa medium post *identitate* l *capias* inferiùs pro *nisi mihi*, infra post *est* l *intellectus*. c. 403 circa medium pro *potest possunt* 4 lineis postea l. *agentibus* pro *agentia*. col 405 l 2 *actum* circa medium post 6, *nuncupet*. c. 406. l 8 l. *inter* 12. c. 409 circa medium l. *leniores*. c. 411 post medium ante *Deo* lege *non* c. 423 post medium *exulet*. l. 3 ante finem l. *exaudit*, *aut repudiat*, & dele *ab illis sese aduersit* c. 426 l. 23 *compararent*. c. 429 circa medium dele *aut* lege *quod* col. 435 l. 52 pro *quo* l. *quod* col. 436. l. 33. pro *mene* l. *vel non producant* c. 442 l. 13 pro *cognoscant* l. *cognoscent* col 444 l. 23 pro *friscu* l. *frisicu*. col 448 l. 15 pro *quo* l. *quorum*. col. 449 pro *concidit* in linea 11 lege *comedit* col. 454 l. 6 pro *condita* l. *condita*. col. 462 l. 4 pro *quem* l. *qui*. col. 463 pro *perpenderis* l *perpenderint* col. 465 l. 20 pro *qui* l. *que*. col 466 l. 16 pro *predicta* l. *pradita*. & l. 21 pro *vegetanti*, *vegetandi* ibid. l. 61 post *imaginem* scribe *atque* col 471 l 29 pro *&* l. *quae* c. 472 pro *inuenta inuenta* l. 31. & l 42. pro *tenuitate leuitate*. c 474 l. 32 pro *concitentur concitantur*, c 475 l. 19 pro *illatam illum*. c. 476 l. 6 pro *horam oram* l. 16 pro *rediturum rediturum*. c. 482 l. 58 pro *inconstantia inconstantia*. col. 483 l 19 *afflatos* pro *affectos*. c 485 post *superstitione* l. *detentus*. col. 488 pro *distent in* l. 20 l. *distant*. l. 48 pro *ad perpendiculum* l. *à perpendiculo*. l 63 post *fallere* l. *possint*. l. 66 pro *iidem iidem*. c. 489 l 35 l. *Hydraulicam*. c 491, & 494 malè habet 461, & 464. c. 500 l 29 pro *proportio* l. *portio*. c. 502 l. 27 post *ergo* l. *seipsum* col 503 l. 20 pro *si* l. *fit*. col. 504 l 10 dele *se* c 505 l 4 pro *perpendiculari* l. *linea reflexionis* ibid. l. 28 dele C. l. 47 l. *statim atque* col 506 l. 31 post *statim* scribe *non*. col. 508 l 48 post *specula* l. *prater*. c. 514 l 9 post *comburat* dele quod sequitur, & lege *nec* l. 26 pro *seu eclipsim* l. *vel ellipsim*. c. 517 l. 16 post *statim* l *duo*. c 519 l. 20 pro *si* l. *sic*. & l. 15 post *conspicietur in* c. 523. l. pen l. *obseruent*. c. 528 l. 23. pro *apparent* l. *repraesentet*. c. 551 l. 12 l. *Maginus* l. 15 dele *in*, & scribe *iam*. c 533 l 5 l. *pretio*. l. 8. l. *videlicet*. c. 534 l. 4 dele *exhibeant*. col. 535 l 30 pro *efferret* l *offerret*. c. 536 l. 11 l. *puto*. l. 38 post *circumstantias* l. *si*. l 41 *fingunt* l. *afferri possent* l 56 pro *posita* l. *polita*. col 538 l. 52 l. *contactum*. col. 539 l. 48 l. *morbus* c. 543 l. 43 l. *hydrophobiam* c 544. l 48. pro *quod* l. *quo*. c 549 l. 52 l. *fracastorius*, l 59 l *demer*. c 557 l. 58 l. *vires*. c. 562 l. 45 lege *propinquiores*, & *altiores*. c 565 l. 50 l. *phantasia* c. 568 l 29 l. *imaginandi* l. 54 lege *quae* c. 571 l. 3 l. *perspiciendum*, l. 34. l. *errones*. l. vltima scribe c 572 l 4. pro *Deum* l. *demons*. c 573. l 43 l. *habeas*. l. 59 post *vero* l *si*. c. 576. l. 1 l. *Vlyssen*. c. 578. l. 24 lege *non tantum illa* c. 579 l 8 l. *vniuicari*. l. 49 post *nequeat* pro *nec* lege *illud*, & l. 50 post *transferre* l. *atque adeo nec*. c 580 l. 7 post *quàm* l. *vt*, & l. 8 post *animae redeant*. c. 588 l 36 pro *nonne*. c. 596. l. 28 dele *nam*. c. 601 l. 33. l. *videant* l. 35. *agnoscant* c. 603 l 42 post *q* dele 15, & l 50 lege *quartam* & non *tertiam*. pro 509 & 600 l. 607, & 608. c. 617 l 51 pro *autem* lege *ante*. c. 618. l. 41 pro *obiecta* l. *obiecta*. l. 43 non *qua* sed *quo*, & l 44 *quo* pronomen non *quò* c. 620 l. 31 post *hoc* l. *non*. c. 624. l. 10 non *humeris* sed *chymeris* col. 625 l. 12 dele *quam* l. 21 post annos lege *dormiuisse*. c. 629 l. col. 634 l. 28 lege *porro*. c 637. l. 13 l. *qua* c. 645 l. 24 pro *nisi* lege *mihi*. c. 647 l. 15 dele *ac vinum*, & scribe *seu vite* c. 650 l. 18 l. *commendent* c 657 l 8 lege *obiecto* c. 667 l. 29 lege *nimium* & non *minime* c. 671 l 19 lege *mihi* & dele *nisi*. c. 672 l. 16 post *perquisitores* l. *deridentis* l. 29 lege *superesse*. & *posset*. c. 677 l 32 *sensuique* l. c. 678 l. 18 l. *Hecados*. l. 44 post *Hexados* l *quod* l. 47 post *hoc* l. *ternario sic* col. pro 679, & 680 l. 681, & 682 & sic c 682 l. 11 lege *Stenchus*. c 682 l. 7 l. *quia* non *qui* 47 post Ierusalem. lege Quartò l. 51 pro *dum* l. *te*. col. 683 l. 40 l *Arestis* c. 684 l. 37 dele *o* col. 685 l. 7 l. *apud* c 696 l. 35 post *inuentiua* l. *vel dispositiua*. col 699, & 700 lege 697. & 698 c. 698 l. 30 l. *antiquitus* c. 703 l. 11 l. *illud* non *illum* c. 704 l. 5 *iathar* c. 701 l. 51 pro *dua* lege *duo*. c. 711. l. 53 l. *coagulatum*. col. 719 l. 4 post *ferremus* l. *sed et* l. 19 pro *voluit volunt*. c. 725 l. 22 lege *Autolycum* c. 724 l 33. lege *superferretur*. c. 731 l. 49 dele *à* c 735. in versu hebraico ante מוך supple כי c. 738 post *choze* l. *sed*. c. 743 l. 1. post *abyssis* scribe *crepti sumus* c. 747 l. 8. lege *qui tum*. c. 784 l. 26 dele *vt*. c. 750 l. 27 lege *videtur*. c. 751 l. 17 l. *patrantur*. c. 754 l. 5 lege *incipit* c. 759 l. 47 post

ut l. *ex* c.760.l.23 post *imperfect.* supple *reflexio*, c.764.l 42.l. *continuentur*. c.766 l 3 l *obest* c 770 l.3 l *thesauros* l 34 l. *abiicimus*. c.771 l.30 l. *monadem*. 772 l.42 l. simus c 773 l.23.l. admiratione pro *mirando*. c 776 l.51 l *lumen* non *lucem* c. 778 dele *ut* l. 48 l. *accendant* c. 780 l.23 l *perfunduntur*. c 781 l.20 post art l. *quarto* c.782 l.38 l. *mundo*. c.783 l.21 l *decretum* nō *decrementū*. c. 786.l 24 pro *mox* l. *nox* c.791 l 28 l. *Beda*. c.794 l 56 l *mille quadringenta quatuor*. c 795 l 6 l intelligatur c 802 l 6 l. *quæ* c.808 in 2 linea versiculi hebræi dictione 1 lege יְבִין c 809 l.13 dele *tam*. c.810 l.13 l. *quidpiam* l.30 l. *firmamento*. c 811. l.27 l *gratia* l.29 *Isai.66*. c.812 l.25 l. *explicat*. c 818 l 7.l *oriantur*. l 19 post *ætate* l. *nostra*. c 819 l 5 post *quod* l. *pro*. c. 826 l.17 l *frisius*. c. 829 dictione prima l. *astronomus*. l.23 dele *quam*. c.837 l.39 pro *quando* l *quod cum* post *simulachra* l. *non*. l 53 l. *comminues*. col. 840 l 32 l *celeriter* l.52 dele *locum* c.841 l 7 pro *vinarum* l. *vicinarum*. c 845. l.27 pro *creantur* l *cieantur*. c 849 l. 2. l. *cometa* l 8. *potuerint* l 29 *recedit* c 850 l.11 l *inserta* pro *inseruntur*. c.853 l 26 l. *historia* c.858.l.22 l *Libanius*. c 861 l 2 post *quia* l *si* c 861 versi . græco lege disiunctim ὀκλάλοι ζηλάσσομς. c.863. l 2 probl. 55 l. *quas* c.865 l.5. l *terre* l.29 post *asserit* l *de*. l 40 post *committere* l. *si*. c 8 9 l.41 l Chronographiæ c.870 l.5 post ♂ l ☍. c 873 l 32 l *videantur*. l 35 *omni* c 874 l 4 l. *terra*. c. 875 l 9. post *tulit* l. *et* c.877 l.16 post *cum* l *in*. l.33 *modios*. c.896.l.51 l. *parvum* c 901 l 23 l *hæreticum*. c.903 l.44 post *quod fit*. c.904 l 19 dele *an terra esse* c.905 l 46 dele *quidam mechanici aiunt*. l 39. post *moveri* scribe *aiunt*. l. 40 dele *inquit*. c 906 l. 59 dele *ac universi centrum relinqueret* linea vltima post *pon-* scribe pondus erit 287238507200 c 907 l.9 scribe *octingents*. l. 26 l. *lenticulatum* l 48 l Caus. l.49 *consulas*. c 908 l.2 l. *agitata* l.3.l. *nomenclature*. l.53 l *celsissimus* c 909 l 4 l. *Africam*. c.910 l. 10 l *tetro odore*. c.909 l.48 l *quapropter*. c 912 l.1 l. *qua* l.4. post *peculiaris* l. *exemplo* l.55 l. *celerrimo* c. 915 l. 34 l *hærere*. c 916 l 8 post *ut* l. *ad*. c.917 l.24 l *quid* c 919 l.54 l. *mobilitate*. l 59, & 60 l. *quiete* in ablatiuo c 920 l.13 l. *repugnat*. l. 54 post *distantem* l. *quotidie*. c 922 l. 28 l. *addictos* l vltima l *stupore*. c.924. l.24 l. *detecta*. l.42 dele ☍. c 928 in 2 linea versiculi 13 græci scribe ☌. c 929 l.8 post *miraremur* l. *si* c.930 l 48 scribe *ee* col.832 l.17 scribe *polygonata*. c.934 l 9 scribe *gallinacei* l.53 l. *denotant*. c 936 l 34 l *sambucum* l 58 l *mespilos* l.47 l. *endivia*. c.942 l.45 l. *correptus* c 944 l 29 l *creat*. l 36 l ☐ c 945 vbicūque vides ♊ l. ☐ sexies enim idem error commissus. col 946 l 50 l. *serenus*. c 948 l.28 l. *Rhabarbarum*. l 57 l *quod*. c.951 l 13 post *filio* l *solem* c 954 l 14 post *animatum* l. *asserere* c 955 l.2 l. אירום c 958 l 7 scribe *longior*. c 960 l.24 scribe *plunsa* l.59 l *magna* c 961 l 34 l *advertamus*, & ☐, sicut & in margine & c.964. c.968 l 28 l *non* c. 972 l 40 l *quæ* c 973 l. antepenul. l. *domus* c 977 l 19 l. *eas*. c 981 post medium pro *dicitur* l. *dicuntur*. In reliquis foliis pauciores errores inuenientur, qui cùm facilè suppleri possint, reliquum volumen non percurram Menda verò, quæ ad marginem attinent, ex ipso textu emenda, & alteram editionem puriorem expecta Obiter solùm aliqua deprehendi, quæ sequuntur. c.1153 l.16 ante finem l. *nobilior*, & post, *stannum* supple *nobilius* c. 1155 l.5 dele *ex* 5 l ante finem l. *nolebant*. initio vltimæ lineæ l. *ut*. c.1156 l penul. lege *obtinuere* c 1157 l 14 ante finem l. *metallicus*. c 1161 l.3 l *pyrius seu* l. 27 l *definat*. c. 1162 l. ante finem 10 l *est* pro *&* c. 1164. circa medium l. *recepta*. c 1166 circa medium *emungit*. c.1176. l. 28 l *nam* pro *non* l 53 l. *compendio* c. 1178 post medium leg. *patres* & non *partes*. l.17 ante finem l. *illud*. c.1181 l 23 *lamine*. l.24 post *delectione* l. *eum*. c.1204 l 26 l. *archetypa*. col. 1205 l. 15 ante fin. l. *Statuaria*. c 1213 ex l.18 dele *quæ*. c. 1230 l 9 l. *hinc*. c 1231 l.15 l. *quoniam quis*. col. 1233 l.21 post *similem* l *absque*. c. 1239 l.15 l. *occultat*. c. 1241 l. 7 *opponente*. c.1242. l.8 *principe*. c.1243 l.16 dele *esse*. c. 1245 circa medium l. post *videtur nullam* post *personas* dele *quæ* & l *posse* pro *possint*. c.1257 l.8. l. *vritur*. c.1259 l.3 *accuratiùs*. c.1263 l.8 *Brachmannes*. c.1264 l. 21 l. *hirundinibus* l.9 ante fin *ceteris* c. 1269 l. 22 ante fin. l. *nec* pro *me* c.1282 l.8 ante fin. l. *quia* c.1293 l.2 dele *datum*. c.1293 l 4 l. *cedere*. c.1295 l.4 ante fin l. *attinent* c. 1296 l. 44 l *quia* c.1300 circa medium *comprobet*. c.1301 l.10 *subiicit*. c.1309 l.11. l. *nobis* pro *nouis*. c.1312 l.4 ante fin *eludatur*. l.3 *superetur*. c.1313 l.14 l. *ablatura*. c.1314 l.19 *conuertit*. c.1320 l. 16 pro *multa* l *nulla*. c.1322 l.9. *quapropter*. c.1324 l 45 l *me* pro *ne*. c.1327 l.14 post mulier l *suadebat*. c. 1338 l.6 ante fin. *auersabatur*. c.1342 l.17 ante fin. *notat*. c.1364 l.19 *examinari*. c.1553 l.20 dele *in* c.1557 l 20 *terminos*. l 22. *inscibiles*. c.1572 circa medium l. *notis* pro *nobis*. col. 1606. post medium l. *dapibus*. 1799. l. ante fin. l. *mutuiri*. 1800. l.9 post passiones l. *non* 1802 circa finem *myriades*.

In his erratis nullus error contigit.

PARALIPOMENA, ET OBSERVATIONES IN TOTVM VOLVMEN CVM INDICE CONCIONATORIO, & locorum Scripturæ sacræ, quos explicauimus.

IMprimis, charissime Lector, paucis te monitum velim errores plurimos operarum incuriâ in totum volumen irrepsisse, quorum non paucos emendauimus in errorum catalogo; verùm non omnes varijs de causis notare, sicut nec typis adesse potui, vt folia saltem momento percurrerem, manca supplerem, tollerem superflua: quæ omnia benignè supplenda erunt. Quosdam alios hîc iterum affero, quales sunt, in præfatione ad Lectorem, nam pag. 2. *refulsurus*, non est in vsu, itaque lege *futurus*. pag 5. l. 2. pro *qua* lege *quia* pag. 6. l. pro *refert* leg. *refellat*. In indice quæst. Cap XXXVII post *lethargum* leg. & Quæst. XXX leg. *sopor*. Articuli quæstionis primæ non omnes benè positi fuêre, ideoque supplendi sunt, prout initio quæstionis disponuntur. Reliquos vsque ad quæstionem de Musica transilio, præsertim cùm maximâ illorum partem superiùs attulerim. Itaque col. 1513 scribe אבי cum simplici ב col. 1529 scribe quæstionis numerû LVII. col. 1542 l. 12 leg. *quis* col. 1543 post med. l. *collo*. c. 1557. l. 34. leg. *circuli*. col. 1563 l. 13 à fine leg. *oriantur*. c. 1567. l. 17 leg. *Schomrech*. c. 1580 l. 30 leg. *horum* l. 53. *Synalæpha*. c. 1582. 7 l. à fine leg. *veillet auuêrs* col. 1606 l. 43 leg. *dapibus* col. 1610 l. 3. leg. *epinicion*. col. 1628 l. 10 à fine lege *qua* l. 4. ab eod. fine *modorum*. col. 1630 circa finem pro *vt re mi fa sol*. &c. ita lege *fa, sol, re, mi, fa*, deinde *fa re, mi, fa*, sic enim 7 modus à recentioribus deducitur, vt fusè declarauimus. In musica notis cantui aptis expressa pauci errores: igitur aduerte syllabam vltimam dictionis *super* breui notæ subijciendam esse, idque in omnibus partibus, & *celebrabo*. legendum in eodem dithyrambo. In versibus etiam iambicis super syllaba vltima dictionis, *serui* nota longa collocetur in omnibus partibus, vel duplex breuis, seu nigra. col. 1666 non longè a fine post secundum *fa* leg. *re, mi*, deinde *sol, la*, vt ibi habetur. col. 1676, & sequenti, in quibus modorum proprietates scribuntur, leg. in 3 modo *dithyrambis*, in 9 *sapéque*. in vltimo *proprietatibus*. Reliquos errores vniuscuiusque discretioni committo.

Circa quæstionem illam, qua Atheismum confutamus, aduertendum est non deesse alias rationes, quibus Deum esse probari possit. At verò vt Atheismus penitus eradicetur, Reipublicæ præfecti, Reges, Principes, Episcopi &c. sedulò cauere debent, ne libelli illi, qui diuinum cultum irridere, & contra bonos mores pugnare videntur, venales prostent, & curare, vt debitis supplicijs afficiantur, qui libros impietatem redolentes excudunt, vendunt, & huc illuc clam legendos transferunt, enimuero vnica librorum istorum pagina sæpenumero lectoris mentem tantis offundit tenebris, vt nequidem volumen integrum licet errorem, & impietatem solida ratione confutet, eis postea mederi possit. Et quidem plurimorum Christianorum stultitiam admiror, qui in Luciani Atheorum coriphæi lectione bonas horas collocant, adeout vix in literatorum manibus librum aliquem adeò tritum inuenias. Vereor ne multi ex eo venenum hauriant, quod nullo alexipharmaco superetur. Itaque ij omnes, qui gerunt aliquam præfecturam, istorum librorum memoriam pro viribus tollere debent, ne tot hominibus officiant.

Quibus modis Atheismus euerti, atq; deleri possit.
1 Modus.

Sic enim paulatim facesset Atheismus, si libros impios supprimi, atque flammis tradi curauerint, ne peruersa illorum lectione ingenia malè feriata lethiferum venenum sorbeant. Alius etiam modus, isque egregius, atque breuis, vt euertatur Atheismus, atque Deismus, est, si Reges, & Magistratus eodem supplicio mulctent Atheos, & Deistas, quo Diagoram Melium Athenienses affecerunt: hi quippe ob immanissimum Athei monstrum vnam è Cycladibus insulis eius patriam, quæ appellabatur Melos, deleuisse feruntur. Vbi igitur impius aliquis deprehensus fuerit, debitis, supplicijs, quæ profectò nimia esse nequeunt, corripiatur: domus illius, susque deque vertatur, & perpetuæ ignominiæ nota ei publicè inuratur. Id si non omnes, plurimos saltem Diagoras, Protagoras, Callimachos, Hippones, Theodoros, Euemeros, Theageres, Diogenes, Mezentios, Cyclopes, Lucianos, Vaninos, Rabelesios, Agrippas, & plura id genus portenta hominum auerruncabit. Viderint omnes Reges, quos Dei nomine obtestor istius hydræ caput penitus abscindant, néue sua regna, suas ditiones, & aulas permittant hisce monstris scatere, alioquin enim Deus præpotens tantæ impietatis vindex acerrimus illorum regna confringet, nisi Diuini numinis gloriæ assertores, atque vindices se præstiterint. Vtinam Principes, quibus seruiunt huiuscemodi tenebriones, Regis regum cultum, atque reuerentiam æque ac propriam laudem, & honorem prosequerentur, nunquam sanè paterentur ea, quæ ad diuinum cultum, atque religionem attinent, ab Atheis, & Deistis ita conculcari, atque derideri. Et quidem illos grauissimum manet supplicium, nisi in illud scelus æquali saltem pœna, ac in læsæ maiestatis reos animaduerterint.

2. Modus Atheismi delendi.

Vt verò quispiam istos homunciones deuitet, quorum insignis superbia ad cœlos vsque ascendisse videtur, placet aperire, quibus modis eorum animum tentent, quos peruertere se posse sperauerint: sic enim quispiam ab eorum familiaritate, & improbitate longè faciliùs cauere poterit. Duobus autem modis præsertim totam fabulam ludunt. Vel enim fingunt se Deum probare, Atheismum execrari, vel hanc impietatem, vt rationi conformem amplecti: Primo modo Vaninus progrediebatur, priùs enim vehementer in Atheos insurgebat, adeout illos summo odio prosequi videretur: deinde velut indignabundus eorum obiectiones referebat, & pro viribus vrgebat, quibus postea minimè satisfaciebat, vt imperitorum animum concuteret, & ex solutionibus frigidis, & friuolis iudicarent, & concluderent nullam rationem Diuinitatis existentiæ suffragari. Hæc sunt, quibus hominum impijssimus alios secum perdere satage-

bat; alia eiusdem scelera taceo, ob quæ à Senatu Tholosano iustissimè extinctus est, cuius horrendam mortem, & prodigiosum epiphonema refert Gualterius in noua Tabularum Chronologicarum editione.

Secundo modo procedunt alij, qui ob quasdam Astrologiæ, & Alchymiæ, vel alterius artis experientias omnia prorsus in causas naturales refundunt, & animam vniuersalem mundi astruere conantur, vt in eam omnia reijciant, quæ meritò Christiani miracula nuncupant. Hinc fit, vt incautis suadere nitantur cultum Diuinum ad hoc institutum esse, vt populus in officio contineatur; ideóque viris doctis, atque religiosis arbitrantur se magnā inuidiam conflare, dum audacter mentiuntur neminem esse doctum, qui Deismo, vel Atheismo non faueat. Plura alia comminiscuntur, tum vt impietatem virtutis instar, & vt subtilioris ingenij monimentum venditent, tum vt habeant socios, ne si soli fuerint, singuli ab eorum familiaritate velut à lycanthropis abhorreant. Ad hunc modum reuocari potest laus illa, quâ libros impios celebrant. Pudeat viros rationis compotes nescio quos libellos Atheismo fauentes tanto studio legere, & qui Lucianum, Cardanum, Charontis sapientiam, Amadium, Auerroëm, & alios huiuscemodi sanctissimo Euangelio, aut veteri Testamento præferunt, cum Lucianistis, & Atheis partem habeant.

Tertius modus euertendi Atheismi est, vt vnusquisque pro viribus pestem illam nefariam deuitet, nec cuiuspiam familiaritati se passim committat, eò namque difficiliùs cognoscuntur Athei, atque Deistæ, quo se cautiùs vnicuíque religioni accommodant, adeout censeri possint hostes domestici, quandoquidem per omnes sectas vagantur, nec vllum sibi nomen imponunt, vt discernantur à solis confœderatis. Idcirco inter Caluinistas Caluiniano, inter Lutheranos Lutherano, inter Catholicos Catholico nomine, velut ouinâ pelle se contegunt, vt omnium scelerum fœcem concipientes totum orbem suo fœtore inficiant. Quapropter singulos, quibus Deus Opt. Max. singularem eruditionem indidit, rogo, atque prouoco, vt aduersus Deistas, & Atheos cogitationē, linguam, calamum, & operam dirigant, præsertim cùm hoc sæculo tanta Libertinorum multitudo esse videatur, qui vel Deo, vel Christo Domino, viris Christianis, atque religioni Catholicæ insultant, vt Angelis, imo & omnipotenti Deo opus esse existimem ad tantam impietatem funditus euellendam. Quis amabo tutus tot inter infensissimos Diuinæ veritatis hostes dormire queat? quis eruditorum, ac literatorum hominū absque ingenti peccato, nisi Dei gloriam, quam tot perfidi extinguere nituntur, armis, & ratione tueantur? Deistas igitur aggrediuntor, qui licet fingant se Deum admittere, reuera tamē cum Atheis numerandi sunt, quippe qui committunt omnia rationi, & Deum absq; prouidentia, atque iustitia cōcipiunt, cùm omnia, quæ de Deo sacræ literæ asserunt, pro fabulis habeant. Nunquid æterno pudore, atque supplicio dignū est, si viri docti, & non minus pietate, quàm scientiâ illustres diutiùs tantam impietatem impunè grassari animaduertant, neque tamen illam impugnent, & euertant? Enimuero ad Diuini numinis gloriam amplificandam longè magis profuturum est, si calamum, & ingenium in illis Deistarum, & Atheorum refellendis impietatibus exerceant, quàm vbi tempus insumūt in scribendis libellis, quibus seipsos dētibus, & calcibus impetere vidētur. Deniq; cauendū est, ne Deistis credamus, dum aiunt se ingētem sociorum numerum agnoscere, quod etiam Atheis familiare est: hi enim omnes fingunt plurimos esse in ea opinione, ne iudices illos aggrediantur: ne supplicio afficiantur, vt saltem parcatur multitudini. Verùm hisce mēdacijs nusquam detineri debent, quos Deus iudices atque principes constituit, qui fecerint optimè, si in impios aduertant, & irruant, vt iniquitas adeò horrenda à facie terræ deleatur: alioquin neglecti officij, iustissimo Deo pœnas dabunt acerbissimas. Paucis etiam Ecclesię Pręsules monitos velim, & omnes Sacerdotes, atq; Clericos, qui Diuino cultui mancipati sunt, ne quam ansam, & occasionem scādali perfidis illis Deistis præbeant, qui non rarò suæ opinionis firmamentum in illorum vita non solùm Sacerdote, verùm etiam homine indigna, & omnino perdita collocant: quapropter vnusquisque vitæ religiosæ, hoc est omnibus virtutibus studeat, & prout Dei seruos decet, dignè fungatur officio. Quanquam non ignoro Deistas, Atheos, & Politicos in Sacerdotes insurgere, & Dei templa spernere, quòd doleant ea in altaris ornamentis, sacris domibus ædificandis, atque viris Deo noctu diúq; seruientibus alendis impendi, quibus suum exsatiari marsupiū, & suis vxoribus, atque filiabus monilia fieri summopere desiderent. Qui, si possent, cultum omnem religiosum euerterent, vt omnia cederent in eorum vtilitatem, & infamem voluptatem. Propterea verbis maledicis, imposturis, calumnijs, & horrendis mendacijs vitam monachalem, & omnes viros religiosos insectantur, & odio plusquā Vatiniano prosequuntur, dum eis scelera Vulcano digna affingunt: vt quorum vitam in oculis omnium positam arguere nequeunt, secretas illorum actiones, atque cogitationes in suspicionem aduocent. Ergóne viri Deo dicati omnia libentissimè abiecerint, vt Christum nudum perfectè sequerentur, & tamen se vitæ prostitutæ committant? Deus bone, iuste Deus, qui vides omnia, qui regis omnia, hæccine pateris? Ergóne diutiùs impunè grassabitur impietas? Permitte, vt tecum loquar, seruus cum Domino, creatura cū Creatore. Nunquid mihi testis es, nunquid omnibus, qui tibi Deo meo seruiunt, illas impiorum assertiones falsissimas esse, & mera Cacodæmonum strategemata, quibus omnes ad virorum cultui diuino voluntatis destinatione mancipatorum odium prouocent, & omnes Sacerdotes, ac Religiosos è medio tollere possint? Quamobrem? nisi vt desint canes, qui lupos illos ab ouili diuino arceant? nisi vt omni ex parte regnet impietas? nisi vt ex omnium fidelium mente Deus ipse tollatur? Profectò iurare ausim in familijs verè religiosis nullum esse, qui huiuscemodi perpetret, quæ Hæretici, Deistæ, & Athei obijciunt. Quod si quis inueniatur vitæ adeò perditæ, fœdifragorum instar eijciuntor, & flammis adiguntor. Interea sanctos omnes, qui iam in cælum euolarunt, omnésq; Religiosos hoc sæculo viuentes aduersus illam impiorum colluuiem insurgere velim, vt diuini numinis gloriā, & honorē ab atroci illorū impostorū calumnia vindicēt. Nemo sanè mirari debet, si lupi canes reformidēt, oues tantisper illis cōmittātur, nec sit vllus, qui animaduertat illorum vestigia, nullas deinceps querelas audiem⁹, Ecclesiæ dūtaxat bona postulāt;

Itaque

Itaque si omnes Sacerdotes antra deserti petere, vel Simonis columnam æternùm conscendere voluerint, & omnia siticulosis istis relinquant, nec vllus reuertatur, qui Atheismum, hæresim, & alia crimina arguat, forsitan lupi non vlulabunt. Satius tamen fuerit, si omnes diuino cultui mancipati lupos huiuscemodi scriptis, verbis, precibus aggrediantur, vt aliqui saltem ad ouile Christi redeant, licet quam maximè cupiam, vt Ecclesiastici viri superflua tollant, & post ea, quæ in cultum diuinum, atque pauperes impenduntur, contenti sint ijs, quæ ad victum, atque vestitum necessaria fuerint, vt cultui diuino perfectiùs vacare possint.

III. Tertiò vbi 53, & 54 columnâ modum numerandi in infinitum vides, post millionem, quem octauus numerus designat, immediatè bilionem numerari, magis placet, vt post millioné decadem, & centenarium millionum, & tantummodo bilionem in vndecimo charactere arithmetico proferamus, vel si mauis in decimo charactere mille milliones dicere poteris, & sic vsque ad vltimum numerum 4 ciphras semper vnà collocare, vt quælibet pronuntiatio suos 4 characteres obtineat, & per consequés suas vnitates, decades, centenarios, & millenarios, quod vnusquisque facere poterit: modum illum, qui per 3 characteres continuò progreditur ob maiorem facilitatem antepono: sic igitur numerum illum efferri volo, prout hîc habetur, quod repetere volui, quia minores characteres, qui maioribus impositi biliones ostédunt, qui continentur in toto numero, & in hoc enumerando proferri debent, non accuratè ciphris maioribus, quibus oportuerat, impositi sunt, quamuis optimè numerauerimus iuxta id, quod hîc in ipsis ciphris obseruari volumus, nonagintaquinque vigintinouiliones, centum quadraginta tres vigintioctiliones, septingétos nonaginta octo vigintiseptiliones, 134 vigintisextiliones, & 936 vigintitriliones; sic enim centenarium millionum in loco, & ciphra nono, non autem in octauo, vt in illis ciphris notatũ est, efferemus; igitur ciphras maiores minoribus rectè notatos accipe, vbi 90 characteres depictos habes; qui vsque ad 304 crescere deberent, vt centilionem numeraremus, & vsque ad 604, vt ducentilionem &c.

28 27 26 25 24 23 22 21 20 19 18 17 16 15 14
95143798134919055936 0000000000000000000000000
13 12 11 10 9 8 7 6 5 4 3 2
000000000000000000000000000000000000000000
000

Vbi tamen obseruandum est numerum hunc 2 loco bilionum ciphræ duodecimo impositum non significare duos biliones, sed tantùm vnitates bilionum ibi residere, attamen 2 potiùs quàm 1 posuimus, vt 2 binarium ostenderet, & bilionem pronuntiandum significaret, sicut 3 trilioné, & sic de cæteris. Facit autem ille numerandi modus, vt statim dicere possimus, quot aureos, vel quot alia quælibet is habeat, qui nobis centum, vel mille, vel quotcunque ciphris suos aureos nobis indixerit, etiam si calamus desit, & solâ mente velis operari, quod insinuasse satis: alias siquidem vtilitates quilibet inuenire potest.

IV. Quartò vbi col. 226 dixi alias rationes subiungi posse, quibus Deum esse probetur; maximè cuperem, vt singuli pro viribus illud confirmare niterentur, Alchymici, & Medici suis obseruationibus, & operationibus; Mathematici suis demonstrationibus, & alij artifices omnibus modis, quos Deus ipse, & artes peculiares eis suggererent, vt ea ratione omnia ad maiorem diuini numinis gloriam adorandam reducerentur.

V. Quintò col. 265 vbi Zenonis regis epigramma retuli, quo ludus illius explicatur, & *δίβος* legitur nondum legeram Cl. Salmasium pagina 468 in Vopiscum, qui *δίβον* existimat esse *diuum*, sicuti *ὕπατον summum*, vt diuus Imperatorem Romanum significarit, & tabulæ lusoriæ locus certus fuerit, veluti regis Romani sedes, cuius oppositus in sinistro latere situs Antigonus appellaretur. Ibidem de isto 12 scriptorum Ludo certamen referente fusè disserit, & multa proponit, quæ talorum, alearum, trictraci, & latrunculorum lusoribus grata esse possint, suum igitur Phyllida Brodæus habeat. Verùm siue *δίβος* diuum significet, siue nó, certum est hoc sensu in Arnobio sumi non posse. Salmasius.

VI. Ibidem col. 270 vbi dixi sesquitertium, & sesquioctauum non esse proportiones vltimas, obseruandum est vno sensu inter vltimas numerari posse, si nimirum simplices, seu digitales numeros solummodo spectauerimus: tunc enim certum est sesquioctauum vltimam proportionem continere, quippe quæ reperitur inter 8, & 9, & *ἐπόγδοος* à Græcis, à Latinis sesquioctaua, à musicis tonus maior appellatur: nulla enim proportio inter numeros, qui solas vnitates vsque ad 9 includunt, minor esse potest, quàm inter 8, & 9. Hæc tamen explicatio non ita fortè satisfaciet, præsertim cùm non dicatur *sesquioctauus vltimus*, sed *sesquitertius vltimus*, nisi vltimum ambobus respondere voluerit, vt sesquitertius vltimus sit illa proportio, quæ est inter 3, & 4, quam vltimam iudicemus, quia nulla vlterior in numeris digitalibus inuenitur, tametsi enim 12, & 16 eandem analogiam obseruent, illa numeris vnitatũ non continetur: deinde licet 6, & 8 eodem modo se habeant, & illis numeris concludantur, attamen non sunt vltimi, & vnitati viciniores, quod inter 3, & 4 obseruatur, quorum proportionem Pythagorici vltimam, ac veluti diuinam existimarunt, cùm per quaternarium iurarent, vt alibi diximus, & hæc apud illos, ac reliquos Græcos vltimam consonantiam, diatessaron videlicet, constituisse videtur, cùm apud eos claré non legamus tertiam maiorem, & minorem, nec proinde sextam maiorem, & minorem inter consonantias numerandas esse.

Septimò circa tractatum de speculis, qui col. 497 incipit, aduerte me vel pauca, vel nihil de dioptrica attulisse, ex qua tamen aliquid obiicere poterant Athei, vt quod perspiciliorum ope obiecta quantumuis distantia nobis vicinissima facere possimus, & ea longè maiora reddere, cum tubi nonnulli vigecuplo, centuplo, & millecuplo visum obiectum augere queant, vt exempli gratia acicula instar brachij magna esse videatur, & quidem experientia me docuit culicem, vel pulicem VII.

paruum toti manui æqualem apparere, quod non tantùm contingit, dum illis recentioribus, iisque breuioribus dioptris vteris, sed etiam communibus, dummodo tubum dimidio maiorem facias, adeout sibiipsi duplus existat, statim enim atque tubum 8 digitos longum 16 pedum feceris, aciculam instar crassi baculi ostendet; illud tamen incommodum est, quod ab obiecto circiter pedem duntaxat abesse debeat, vltimum orificium, alioquin nihil distinctè videri poterit; imo neque cùm debitam obseruas distantiam, pulex ita distinctè cernitur, licet in ingentem molem excrescere videatur, vt os, oculos, & cætera minutiora, quæ nostros oculos simpliciter fugiunt, discernere possis, sed totum obiectum veluti confusum est: at cum minoribus tubis vteris, midæ, & acari distinctissimè videntur, adeout in acaro 4 pedes, ad caput, & 6 in posteriori parte deprehendas, &

Mira de perspicilijs.

clarè distinguas, vt expertus sum. Sanè mirabile est midas instar magnorum animalium chrystallinorum celeriter deambulantiū cernere, acaros pauonis instar caudam suam circumuertere, & cum acumine aciculæ excitantur, anteriores pedes, & totum corpus erigere, ac si resistere, & contra prouocantes armare se velle viderentur. Quæ minora

Cornelius Rebellus.

perspicilia à *Cornelio de Rebel* inuenta fuisse aiunt; non assero tamen, quandoquidem testis auritus, & oculatus me docuit falsum esse, quod vulgò circumfertur, eundem motum perpetuum inuenisse, quem coram Anglis, atque Germanis principibus protulerit. Nihil enim aliud esse testis ille ait, præter liquorem, qui iuxta varias aëris mutationes mouetur, & descendit, vel ascēdit, prout in thermoscopio ad varios febris gradus, & caloris cum natiui, tum adulterini differentias, & intensiones dignoscendas inuento contingit; & ipse

Thermoscopium ad quid inuentum?

plumbo conclusit aquam, quæ continuò ferè mouetur, quia temperies aëris vix eundem tenorem obseruat, quod vbi fit, aqua non mouetur: hinc verò Rebellum illum simile quidpiam inuenisse, quod pro motu perpetuo venditarit; ne verò id deprehendatur, nemini permittere, vt instrumentum perspiciatur.

Vt autem ad perspicilia reuertamur, quibus hoc sæculo mirabilia fieri videntur, videtint artifices, num communia inuenire possint, quæ obiecta æquè magna reddant, ac illi breuiores tubi; tunc enim literas exarare poterimus, quas nemo absq; similibus perspicilijs legere valeat. Enimuero cùm acarum pisi, vel lenticulæ magnitudine, atque

Quomodo literæ inuisibiles scribi, & visibiles fieri possint.

figurâ videamus, quem vix sine tubo cernimus, literæ quæ cum perspicilijs ita scribentur, vt pisi magnitudinem habeant, sine perspicilijs non videbuntur acaro maiores; quas si minores cum ijsdem perspicilijs scribas, ita vt quartam pisi partem solùm obtinere videantur, nusquam illas perspicies liberis oculis, sicut neque 4 acari partem.

Qua ratione rerum naturalium acerrimi indagatores plurima hactenus ignota tam in insectis, quàm in singulis maiorum animalium partibus, & in plantis, atque mineralibus, & Medici in humani corporis sectionibus detegere possent, vt num illæ partes, quas simplices aiunt, sint ex alijs compositæ, quas iam minimè perspiciunt.

Adde quod non desint, qui existiment perspicilia confici posse, quibus in mediis tenebris videamus, tametsi inter 4 parietes includeremur, siue id quorundam lapidum vel succorum fulgorem ex se mittentium, siue ipsius aëris beneficio contingat, à quo nunquam ita lucem abesse putant, quin semper aliquid luminis in se retineat, quod vitra suâ figurâ, & densitate colligant; & quidem experientia quotidiana multa profert, quibus alioqui fidem non haberemus. Sunt etiam qui omnia diaphana esse arbitrantur, ac proinde oculos dari posse, qui totum corpus penetrent; quod omnino ridiculum existimo, sicut & id quod de quibusdam Hispanis aiunt, psalmadores vocant, quos 9 vel 15 terræ pedes radiis oculorum penetrare mentiantur, vt aquam inueniant.

Quæ tamen omnia nihil Atheis fauent, quin potiùs aduersus eos militant, cùm Deus ipse proprietates illas huic, & illi materiæ, atque figuræ indiderit. Mitto quæ nonnulli asserunt, videlicet chrystallorum, vel aliorum diaphanorum, vt aëris crassioris, sicut & speculorū beneficio fieri posse, vt quodlibet appareat quodcunq; volueris, adeout existiment calculum vnum, aciculam, aut aliud quidpiam minimum, quale est granum sinapi, velut elephantem, aut domum integram videri posse, quod tamen ab hominibus fieri nequeat, sed angelos siue bonos, siue malos artem illam, cùm aliquid nobis repræsentant, sæpius exercere. Sanè quemadmodum probè scio chrystallum ab angelis in omnem figuram verti, & perfectissimè poliri posse, adeout in chrystallum magnitudinis vnius pisi plura variarum figurarum millia induci possint, ita iudico probabile ex quolibet, quodlibet dioptricæ, vel catoptricæ beneficio referri posse, licet non sit in promptu modus, quem suggerere valeam.

Scio quidem lineam in speculum cadentem in omnes partes per reflexionem remitti posse, quandoquidem speculum variè reflectit, pro diuersa oppositione, qua obiectū respicit, & eius radium suscipit, adeout nullum punctum assignari possit, in quod radius non reflectatur: cùm autem obiecta nobis repræsententur, pro modo, quo radij subintrant oculum, si radij, vel species alicuius rei, verbi gratiâ pisi, ad oculum eodem modo accedant, quo ab homine ad potentiam visiuam, siue directè, siue reflexè peruenirent, pisum instar hominis videbitur, & vicissim homo instar pisi, si speculum ita reflectat, vt radij, qui ad pisum videndum necessarij sunt, ad oculum venerint. Id verò fiet, si facies speculi talis figuræ construatur, vt radij per eam resilientes hominem oculo referant, licet solum pisum suos radios in speculum ita constructum immittat. Idem etiam dioptricorum instrumentorum beneficio fieri nihil vetat, cùm radij refracti in varias partes pro diuersa perspiciliorum opacitate, & conuersione ad obiectum dirigantur; ideóque vbi ex omnibus radiis reflexis, vel refractis, qui à piso, vel ab homine, aut alia re procedunt, illos solùm ad oculum traduxeris, qui ad pisum, hominem &c. referenda necessarij sunt, ex piso hominem, ex homine pisum, & ex alio dato quodpiam datum oculari ratiocinatione concludes. De remotissimis obiectis, quæ propinqua videntur, de proximis, quæ remotissima cernantur, de minimis, quæ in ingentem molem crescant, omitto dicere, tum quia priùs nonnulla de his dicta sunt, tum quia id à solis angulis refractionis pendet, nam quo maior est angulus, sub quo videris, eo maius obiectum videbitur, quantumcunque paruum, aut distans fuerit, tum denique quia de perspicilijs aliquando fortè dicemus, si quis priùs experientiâ comprobet; nam angulus refra-

Quomodo ex quolibet quodlibet apparenter fieri possit via naturali.

ctionis

ctionis iuxta multiplicatum angulum inclinationis, & incidentiæ, & multiplicatam medij diaphani opacitatẽ æqualiter multiplicetur, neque enim vt principium admitto, quod Maurolicus ait angulos inclinationum esse fractionum angulis proportionales, & vnam rationem semper obseruare, quos proportionem duplam superbipartientem tertias in sphæra chrystallina habere asseruit.

Verùm quidquid sit, nihil contra nos; quandoquidem Athei nullos angelos, cacodæmones nullos admittunt; quos tametsi concederent, vt alibi dictum est, Deum potiùs esse, quàm non esse probarent. Tametsi verò prædicta omnia humano artificio fieri posse daremus, necdum probare valerent quæcumque fiunt in angelorum apparitionibus, in causas naturales, & vires hominum reuocari posse, vt ex dictis loco cit. constat; nec quidquam aliud ex illa hominum arte concluderemus, quàm Deum esse omnino mirabilem, qui tantam industriam hominibus suggessit. Quid autem de speculis parabolicis tam ante, quàm retro in infinitum, vel vt loquuntur, in linea comburentibus dicendum sit, an videlicet incendia, quæ pro miraculis sacer codex proponit, in ea refundi possint, necne, suis locis Deo bene fauente discutiemus: de quibus iam antea nonnihil diximus. Illis verò modis, quos attulimus à col. 603 ad 625 dum quærebamus, quomodo dæmones ecstasticis varia reuelare possent, hic catoptricus, & dioptricus repræsentandi modus coniungatur. Quædam alia de his catoptricis infrà dicentur, vbi de vocis reflexione.

VIII. Octauò col. 666 vbi de priuilegijs regum Galliæ quædam obiter attigi, neque tamen illorum originem attuli, videndus est Bezouius in additionibus ad Baronium, vbi ad annum 1255 n. 8 ait Alexandrum IV summum Pontificem illa priuilegia, de quibus loquitur, Beato Ludouico concessisse.

IX. Nonò notandum est circa nouas illas de motu terræ, cælorum quiete, mundorum multitudine, & alias quæstiones, de quibus plura diximus ad 1, & 2 caput Genesis, nonnullos aliquid scripsisse, ex quibus nonnullos, vt Carpentarium duabus decadibus plura aduersus Aristotelem, & fidem Catholicam balbutientem legi, sicut & nuperum Campanellæ de pluribus mundis, sed eos leuioris armaturæ milites esse puto, quos numerasse satis fuerit. Egregiè verò fallitur Campanella, si credat Ecclesiam, aut Doctores Catholicos Catholicè agentes Aristoteli, Platoni, aut vlli Philosopho ita suam fidem addicere, vt illorum sẽtẽtias sequantur, etiam si falsę, vel etiam minus probabiles existant; quandoquidem Ecclesia cùm sit firmamentum veritatis, solummodo rationibus vtitur, quatenus ad fidem illustrandam, & gloriam Dei amplificandam faciunt; neque vlli prohibet, vt sententiam Aristotelicam, Platonicam relinquat, vel Democriticam cæteris postponat. Itaque rerum naturalium veritates quantumcunque volueris inquirito, quæcunque placuerint systemata in explicandis cælestibus phænomenis asserito, versa, reuersa causas naturales, ostende, si potis est, album esse nigrum, vel disgregatiuum visus non esse album, Ecclesia tuas ratiocinationes, & obseruationes nunquam damnabit, dummodo nusquam aduersus supremam veritatem militent, vel religionis veritati præiudicent, aut scãdalum pariant.

Vbi velim aduertat Campanella, & alij, qui vel vnicum cœlum, vel stellas quiescentes, & terram mobilem, vel cœlos corruptioni obnoxios, vel plures mundos, & alia similia admittũt, Ecclesiam non statim illa omnia vt hæretica reprobare, sed ad tempus aliquando prohibere, ne huiuscemodi opiniones pusillis scandalum pariant: vnde quæ vno tempore iustis de causis vt periculosa, vel inutilia prohibentur, alio tempore ambabus vlnis amplectimur. Igitur viri docti sapere debent, nec ita nouas cogitationes suas vulgò propalare, ne quod vni prodest, alteri noceat. Quapropter viderint imposterum cum quibus rem habeant, & vbi nouas illas sententias, & obseruationes nihil prodesse animaduerterint, illas apud se recondant, vt ea ratione talentis sibi commissis, & industriâ, qua pollent, ad maiorem Dei gloriam, & proximi salutem vtantur. Profuerit, si Campanellæ libellum de pluribus mundis legeris. Campanella.

Displicet autem in istis recentioribus, quod nouas illas opiniones, quæ Aristoteli contrariæ esse videntur, in Ecclesiæ Catholicæ odium proferant, vt ex eorum præfationibus, & ingenio videre est, sic enim Carpentarius in sua Philosophia libera falcem in messem Theologicam animo hæretico misit, dum Transsubstantiationem euertere nititur, licet friuolis paralogismis nihil effecerit: neque alij quidquam aduersus fidei nostrę dogmata efficere poterunt, licet ilia rumpantur. Eundem genium in alijs recentioribus Caluinianæ, Lutheranæ, vel alteri hæreticæ sectæ addictis, vt in Verulamio, Fludo, Basso, & Hil reperies; qui omnes si solius veritatis indagãdæ, & nouarum veritatum reperiendarũ gratiâ suas ratiocinationes in mediũ proferrẽt, cordi nobis esse possent, qui pręter veritatem nihil aliud amplecti desideramus, & eos nostris inuentis, & conceptibus libenter iuuaremus. Carpentarius.

Aduerte præter operarum errata, quæ ad finem capitis sexti notaui, quædam alia me reperisse, vt col. 1061 l. 5 delendum est *quapropter*, sensum enim impedit l. 11 ante *sed*, supple *Nos verò Dei imaginem, non illorum instar adoramus*, l. 14 lege *cultus* l. 31 initio lege *Dei*. Eandem verò sententiam de licita hominis adoratione Ragusa tuetur disput. 53 in 25 quæst. 3 partis D. Thomæ, vbi fusè de his col. 1067. l. 39 post *obstringitur* supple *intelligi debere* l. 42 post *quid* le. *de*. l. 45 post 26 le. *docent* l. 52 post *anes* le. *Deus*. col. 1068. l. 2 post *non* le. *inferre*. l. 3. post *illum* le. *finem*. In ipsa præfatione ad lectorem, quæ post errata excussa est, pag. 3. l. 2. pro *qua*, le. *quia*. pag. 4. l. 1 pro refert lege *refellat*. In indice cap. 37 post *lethargum* le. *&* quæst. 30 le. An *sopor* q. 38 art. 3 lege *potuerint*. col. 644 post medium lege *chiromantia* per i ibidem 3 lineis ante finem pro *qui*, lege *cui*. col. 1246 l. 46. le. *obstrinxisset*. col. 63 l. 20 pro 11 le. 10. c. 64 l. 5. le. *proportionem*. X.

Anteqnam verò progrediar vlterius, placet versibus illis Gallicis Græcorum, & Latinorum versuum metrum imitantibus Patriarcharum encomia celebrare, qui toto legis tempore vixerunt, quos Carolus ille, quem Dominus Blonderus dignissimus Ecclesiæ Parisiensis subcentor à blattis, atque tineis vindicauit: sunt autem omnes hexametri, atque pentametri, quos hîc affero, vt nostri Galli poësim hanc imitentur, vt nulla sit versuum species apud Græcos, quæ linguam nostram non exornet, & Athenæ in Galliam traducantur, & vt Adami, Abelis, & aliorum laudes etiam vernaculâ lingua celebremus, de quibus in tota Genesi scriptura loquitur. Igitur à communi patre sumemus initium, & in Iosepho desinemus. Nemo verò

istiusmodi versus contemnat, vel irrideat, donec similia quædam fecerit, & breues, atque longas nostræ linguæ seriò perspexerit, & prosodiam, atque metricam legerit, quas aliqui fortè breui proferent. Hîc autem orthographiam obseruo, de qua iam antea dictum est, & alia postmodum subijciemus, vt etiam extranei nostram linguam rectè pronuntient.

Adam.

— υ υ, — υ, υ, — —, — —, — υ υ, — —
Dors tu Adam ome neuf dès meins du mètre supernel
— υ υ, — —, — —, υ υ —, υ υ —
Mȣlé a son portrét pȣr sète tèrerejir.
Soés debȣt, & de bon œil (kar Dieu la forme de tês os
Pȣr sanblable sekȣrs) Eue ta fame resoé.
An Paradis têrestre tu vis ô kȣple trésєureus
Sans sȣsi, sans annui, sans mal é ôtre défôt.
Orné de fleurs, é sȣflé d'odeurs de durable volupté
Sȣlé de fruis à sȣbét, konblé de biens, é d'oneurs.
For familièr dès Anje-venans sès arbre-frékantér
E' de l'étèrnêl oiant lès amiable-deuis.
Sur vos ïeus le soleil, é sa seur leur ronde retornans
Tanpere lès sêzons non variable-jamês.
Pȣr vȣs s'anplume lêr, lès flos sont pȣr vȣs ékalés,
Lès animôs pȣr vȣs pâture-çans, é forés.
Brêf le vignoble Grapeus pȣr vȣs son raiZin atandrit,
E' degȣtant va le miél dès agreable-roçérs.
Dieu vȣs abandone tȣt, il s'êt seul l'arbre resérué
Dit de sianse du bien, é de sianse du mal.
Koé vȣs alé-gȣtér de se fruit intèrdit abuZés
Par le malin serpant kontre l'édit du Signeur?
Jmmortêls vȣs êtiés; sans sȣci la tère raportet,
Vos anfans nêset sans dolorєuze klameur.
An dȣleuris nêtront au çans pȣr viure traualés,
E' par arêt sȣuerein pleins de malêZe mȣrés.

Abêl.

Viens o premièr pasteur sur mês vêrs pêtre la vêrdeur,
E' de mês eos ô bor vien te rafrêçir Abêl.
I'antans jantil Abêl ton non, non ainsi trepasé
K'êt ton kors pê-vêrs meurtri du traitre Kaïn.
Pȣr pietè le premièr dè mors bieneureus, é martir,
Ainsi tu rans à Dieu l'esprit ès astre-raui.

Enôs.

Viens é le sui toé docteur Enôs, ki contre les êreurs
Relijieus reparas l'ordre de sêruir à Dieu.
Viens i auék gros nonbre d'Enôs du monde repurjé,
Kar autant d'ereurs nure-lè-régne jamès.
Lès vns forje-leur or an Dieus, é lêse-l'étèrnêl
E' veule-tȣt ignorér fors l'ignoranse de Dieu.
Otre la forme dè seins dè-keur d'vn tample demontans
Ont leué dans leur keur vn diuin ôtel à l'or.
E' se vȣlans dès ôtre nomer lè mêtre réformeurs
Vindikatifs é takins meinte-deformités ont.

Enok.

Viens i Enok, konbien ke de toé transporté le corps soét
Loin du regar dès humeins sécrêtemant du Seigneur.
Les ossiers n'ont pas tès ôs ançasés an èrant,
Non plus k'is ne feront seus de MoïZe kaçé.

Noë.

O ke lè-sȣrse je voé sur lès çans tandis inonder,
Sèrte le monde perit d'onde pluuieuze-kȣuêrt.
Pran moé auek lè tiens anklôs an l'arçe se pandant,
E' me prézêrue dès ëos ô sekȣrable Noë,
Sôve se vêrs mezuré dè-flôs, é gonfre detracteurs
An sète nef, ki ne va pȣr l'or an Jnde kȣrir.
Troé foés sèrte le keur portoét diamantin, & l'ésprit
L'injenieus ki premier l'ar truua d'einsi troter
Kar dezireus dè biens, é pansionère dès anfers
Mort dure sur dure mort vn tèl ajȣta mȣrant.
Mês ô iuste Noë ton vêseo sôna pȣr vn kȣp
Tȣ-se ki êt, é sera dês ome-résté viuant.
Vré patron figurant du mônès monde le portrét,
E' de l'Eglise, ki klôt tȣt se ki sôné sera.
Ia la kolonbe revient l'olinier an son bek ébrançé,
E' ja la tère dè-eôs êt dékȣuèrte du tȣt.
Sors Noë, kar le Soleil rit sur ses pante-de kôtaus,
E' là tu kultiueras kelke vignoble nȣuéo.
Voére du jus d'icelui dormant tu çéras aniuré,
O le premier konbien suiure te vont de buueurs!
Signe de pès ie te voè d'vn beo melanje bigaré,
Ark ki de meinte kȣleur peint le sèlèste rideo.
Plus ne reuiendra le flot dèlujant la tère tȣt ô tȣr,
Kar le diuin Amiral einsi la serte promis.

Sém, é Iafét.

Sém, é Iafét sortés du vêseo lêsé sur vn mont
Armenién, é venés v dekȣuèr Noë dort.
Fête deuoér de kȣurir lès honteus manbré du koçé
E' de se fét piteus vȣ-serès einsi benis.
Vôtre kadét temerêre riant du blâme patèrnél
Sèt moké, mès le mokeur pȣr se deuiendra valét.

Abraham.

Kaldéan Vr idolatre païs s'èt par trop amuzé
Seu-la ke Dieu saje s'èt pȣr son Eglize triés
Abram lèse Karan; Kanaant êt ordone d'an hôt
Par ta semanse sera partajé tȣ-se païs.
Voè-tu la hôt ô Siel konbien sont d'astre-reluiZans;
Tél de tês anfans doét kroétre le nonbre futur.
Bien ke brebeigne te soét ta Sarai, koé ke mȣt âjé,
Tu ne pretande-de fis Jsak auoér tu te voés.
Or va le sakrifiér, le Signeur ta même komandé
L'impiteus acte d'alér ton éritiér luy ofrir
L'Anje te garde du kȣp; pȣrtant an seu-la ki nê tront
Einsi de vȣs, é par vn soét çake peuple beni.

Lot.

Lot ie ne sé si ie doé sur mês vêrs sobre te konçér,
Pȣr se ke deu-file-tont iuré de vin, é d'amȣr.
Puiske lès Anje t'auêt dê-fens, é sufre garanti,
An si fol ȣbli d'oneur tu ne deuês te noiér.
Mês ne se vin, ne la nuit n'ont rien ki vale de konseil,
Car l'vne honte n'a pas, l'ôtre n'a kreinte de rien.
Forse dit être le vin, é forte la fame sur ôtrui,
Mês sur soé se konoét foéble la fame sȣuent.
Ainsi se kors kurieus, ki lès ieus ôza retornér,
An simulakre de sél transmuné resta debȣt.

Izak.

Izak, nêtre dukel doét tant d'anjanse si aprés,
Seul fis au vieilard, é la brebeine promis,
Porte le boés de ta mort librement, kar einsi komandé
Ton pere sakrifiér ton petit âje prétand.
Einsi se fis figurér tu doés du mêtre supèrnêl,
Ki pȣr nȣs à la kroés viendra de bon gré s'ofrir
Vn mȣton an ton lieu sera mis au buçér, é oksis,
E' de Dieu ausi l'aneo mis sera pȣr nȣs à mort.
Or konbien d'anfans sont néZ, é à nêtre de tê-reins,
Ki le dira nonbrer pȣra le sable marin.
E' konbien de kroians an krût anjandrés i aura,
Lès gȣte-pȣra de l'eo gran-de memoére çifrér.

Iakob.

Iakob auan, tien bien le talon de ton ìné ki nêsant
Einsi premièr lè-droés d'ènêse deût seul auoér.
Mè-le friand vn jȣr t'an vandra la noble primôté,
E' si sera-tu beni subtilement le premièr,
Grand de Lia, de Raçèl, é leurs seruantes tu auras
Duze, ki tès anfans kroêtre l'Eglize seront.
Iuda, Ruben, Simeon, Zabulon, Isakar, é Leui,
Jôzêf, Benjamin, Néftali, Dan, Gad, Azer.
E' sète Dina ke fol Siçém surprandra la forsant,
Dina ki doét, se dit on, être la fame de Iob.

Iôzêf.

Iôzêf.

Toè Iôzéf tês sonje-te font ôs onze jalozans,
E' le joli vêtemant einsi bigârè haïr.
Tè-frère t'on-vandu, tu vas an E'jipte renandu;
O bêle vêrtu du siêl çasteté sur le tojours.
Voère si sa Dame veut à l'amor l'induire ne pêrmêts
An l'ame du jeune fis un fol amor se niçer.
Bien ke le çaste refus an fin lui kôse la prizon,
Kar s'ête prizon aprês lui sera kôze d'oneur.
Lors ke le Roè Faraon sonjeur intêrprête, l'aura
Tant de la fêrtilité, k'osi du sonjè defôt,
Il sera fêt Viçe-roè sur tos an Ejipte rêjantant,
E' dispansera tot sur le rêôme komis.
Kan l'afamé Kanaan fera sês frêre-çêrçér à manjer,
E' venir ò blé, le pein an son Ejipte kêrans,
Il sera d'eus à jenu rêuéré, lê-sonje-par einsi
(Dieu le voulant) prandront an vérité leur éfêt
Insk'isi san-loè auoèr sé-dis font l'imne solannêl
Sy-la loè ôtre pareils Muze luable produis.

Alium hymnum producemus ad finem Genesis, si occurrerit.

Col. 1207. Vbi scientias enumeraui, & algebram attuli, vide artem Analyticem Vietæ, qui tres partes analysis statuit *ζητητικὴν ϗ ποριστικὴν, ῥητικὴν ἐξηγητικὴν*; & Zetetic en ait esse, qua inuenitur æqualitas proportione magnitudinis, de qua quæritur, cum ijs, quę dicta sunt. Poristicen, qua de ęqualitate, vel proportione ordinati theorematis veritas examinatur; Exegeticè deniq; quâ ex ordinata æqualitate, vel proportione ipsa, de qua quęritur, exhibetur magnitudo. Quæ omnia in eius Isagoge videre est.

Circa versic. 21. & 22. cap. 2. & probl. 29. Veneti, vbi de formatione mulieris locuti sumus, vide si lubet illam fabulam de Lili, quam ex Ben Sira Buxtorfius in Synagoga Iudaica cap. 2. fusè refert.

Alia ad concentum harmonicum attinentia subiungemus, si priùs indicem concionatorium, & Scripturæ sacræ præmiserimus.

Aduertendum est primò quæstionem 55. industriâ suggerere, quâ singulas totius Quadragesimæ conciones parare valeas; imo facilè perficietur aduétus, si quotidie vna pars, vel vnus art. symb. Apostolorum vnicuique scientię accommodetur.

Adde, si vis, 16 modos parandarum concionum admodum vtiles, quos vnicuique subiecto applicare poteris, adeout sine difficultate laborem illum Apostolicum subire possis. Plurima de singulis ferè scientijs in quæstione aduersus Atheos habes, & passim in commentario, quæ ad illam 55, quæ est columna 1478, pertinent, transferre potes. Præterea totius aduentus conciones quæstio fusa de luce, eiúsque proprietatibus col. 738. suggeret; enimuero epist. 1. Dominicæ monet, vt *abyciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis*; Ad Rom. 13
cuius armis omni ratione cominus, & eminus ad fuganda vitia, & virtutes inserendas vtere.

Plurimùm aliquando placuit ille psalmus 84. *Benedixisti Domine terram tuam*, vt esset aduentualium concionum argumentum; nam præter varias benedictiones; quas Deus toti terræ, & varijs illius partibus impertiuit; præter benedictiones, quibus terram viuentium, videlicet paradisum implet, variæ sunt, quibus hominem perficit, inter quas non vltimum locum omnes scientiæ obtinent, quæ meritò benedictiones, & dona Dei vocari possunt: Itaque singulis diebus peculiaris scientiæ bona producantur, & diuini numinis bonitas, & prouidentia per eam extollatur. Quid si terram illam tot explicationibus adornare velis, quot fuerint dies aduentus? nunquid præter hanc terram, & hominis facultates pluribus benedictioníbus affluentes, beata Virgo, Christi humanitas, Eucharistiæ Sacramentum, &c. terræ mysticæ dici possunt? His tamen omissis, quia mille similia vniuscuiusque menti occurrere possunt, quædam solùm Euangelia percurram.

INDEX BREVISSIMVS CONCIONATORVM.

Luc. 21. *Dominica prima Aduentus de Iudicio.*

1. *Erunt signa in sole, & luna, & stellis, &c.* Vide plurima de sideribus illis in quæst. 14. col. 1011. & quæst. 12. col. 958. quænam significentur ab astris, aduersus Astrologos, qui mundi finem per astrorum coniunctiones se scire posse aiunt, quod omnino falsum est: ibidem quæst. 13. fusè refelluntur Astrologi.

2. *Cùm producit ex se fructum, scitis quoniam propè est æstas.* Si plura signa rerum naturalium futurarum ex varijs plantis, animalibus, & astris scire, vel proferre cupis, vide rusticas ephemerides Mizaldi, Maginum initio suarum ephem. & Paulum Mineruam ordinis Prædicatorum de temporum præsagitura fusissimè disserentem.

5. *Cœlum, & terra transibunt.* Num cœli reuera post iudicij diem extremum corrumpentur, vbi de eorum liquiditate, & soliditate agere poteris, de qua fusè quæst. 7. col. 812. vide cùm habeant materiam eiusdem speciei cum nostra, vt plurimi censent, num ideo sint corruptibiles, & cur non; & num cometæ quæ fiunt sole altiores, eius corruptionem arguant.

Dominica secunda Aduentus.

Matth. 11. 1. *Tu es qui venturus es, &c.* Agitari poterit quæstio aduersus Iudæos, num Christus Messias venerit, quod in fine probl. discussimus in illa verba Genes. 49. *Non auferetur sceptrum, &c. Donec veniat, qui mittendus est*, vbi de mittendo pulchras explicationes videre poteris.

2. *Cæci vident, &c.* Proba aduersus Atheos, & Deistas, qui iam passim etiam tecum sæpe, licet nesciente grassantur, proba inquam miracula ostendere Deum esse, & Christum esse verum filium Dei, qui illos impios Deistas iudicabit: id fusè habes cap. 17. col. 538. & deinceps etiam de resurrectione probante Deum esse.

3. *Quid existis videre, &c.* Nota ibi mirabilem eloquentiam Christi Domini, cui non solùm ars oratoria, sed & omnes aliæ scientiæ infusæ fuerunt. Tertiæ Dominicæ eadem ferè accommodari possent.

Dominica tertia, & quarta.

Ioan. 1. Luc. 3. *Ego vox clamantis in deserto.* Plurima de voce, & eius speciebus atque proprietatibus dicta sunt quæstione 57. quæ est de musica, præsertim art. 9. col. 1608. præsertim verò magna virtus humilitatis in hisce 2 Euangelijs emicat, concionatores eodem modo loqui possent, dum seriò pœnitentiam annunciant, & ipsi cum D. Paulo adimplent ea in corpore suo, quæ desunt passionum Christi.

Natalis Domini.

1. Rectè hac die, *Veritas de terra orta est* diceretur de Christo ex Virgine nascẽte, si psalmus ille prædictus 84 pro aduentus argumento sumeretur. 2. *Custodientes vigilias noctis.* De varijs partibus noctis, & diei agere posses, de quibus qu. 5. col. 792. 3. Claritas *Dei circumfulsit illos.* De effectibus claritatis, & lucis, vbi suprà: illius effectus timor hîc affertur, & cur lux timorem pariat. 4. *Gloria in altissimis Deo*; de musica Angelorum, quam sit grata Deo, vide quæst. de musica. In 3. Euangelio Natiuitatis Domini: In principio multa de luce habentur, & ideo multa ex qu. prædicta peti possunt.

Dies sancti Stephani.

1. *Audientes dissecabantur, &c.* Vide quæ de musica dixi, necessarium esse, vt cantilena referat aliquid, quod auditoribus displiceat, vt furore agantur, alioqui lætari poterũt ob eandem cantilenam, cui grata fuerit, quamuis musica præter illam ingratam repræsentationem vim ex se habeat. 2. *Video cœlos apertos.* De varijs modis, quibus cœlum in Scriptura sumitur quæst. 3. col. 682. & an illa apertio corruptibilitatem cœlorum euincat, & quid fuerit.

Quomodo oculus videre possit vsque ad paradisum: num sit necessarium, vt Deus aliquam nouam perfectionem oculo tribuat, & quam; & sub quo angulo Christus è paradiso in terra videri potuit, id est cuius quantitatis fuisset angulus coni facti in angulo. Plurima de his opticis angulis diximus vbi de optica, & catoptrica, quære in indice sequenti. Vide etiam num dioptrarum aliquarum beneficio, vel per Dioptricam hominum, aut Angelorum industria fieri possit, vt oculus naturali virtute Christum in Paradiso aperto videre queat; & quo medio vtendum esset, vt angulus coni sensibilis fieret, num aliqua anaclastica sufficiens dari possit.

Dies sancti Ioannis Euangelistæ.

Ioan. 21. *Et non dixit ei Iesus, quia non moritur.* Num quis industriâ hominum, vel saltem dæmonum semper viuere possit. Vel num saltem vita in multa sæcula prolongari, & num sit peccatum remedia naturalia per alchymiã, & alijs modis inquirere, vt tuam, vel alterius vitam in longos annos extendas.

Dies Sanctorum Innocentium.

Apoc. 14. Epistola inducit Ioannem, qui audierit vocẽ de cœlo. 1 num id fieri possit naturaliter, vt vox per cœlorum densitatem vsque ad nos perueniat, & quomodo. 2 de cytharizantibus, num beati musicâ recreabuntur in cœlo, & qua, quibúsue modis. 3 *occidit omnes pueros*, status hic Ecclesiæ nouæ in status gratiæ principio conferri potest cum initio legis naturæ, in quo Abel occisus est.

Dies Circuncisionis, & Epiphaniæ.

Vide quæ de circuncisione ad problemata Veneti diximus. 1. *Vidimus stellam eius.* Hîc agi poterit aduersus Astrologos, qui aiunt astra fuisse signa omnium, quæ Christus fecit, & ipsius aduentus: habes autem loco cit. horoscopum, quem de Christo Domino faciũt. Refellitur etiam illa astrologia col. 572 2. Memini hîc alicuius meditationis de geometrica epiphania, seu superficie, quæ aliqua ratione Epiphaniæ Domini conferri potest, vt enim superficies, quæ dicitur ἐπιφάνεια totius mundi pulchritudinem detegit, ita & hoc mysterium nobis manifestat Domini nostri maiestatem, vt sit veluti ianua, quâ ad alia mysteria perueniamus, sicut superficie rei intima conijcimus, & concludimus. 3. *Aurum* de quo egimus 1156. 4. *Insomnis.* Cur Deus se potius in somno quàm in vigiliâ manifestet, & quomodo se tunc ostendat, vel mentem illustret. Quædam attuli, vbi de sopore Adæ, & ecstasi.

Dominica 2. post Epiphaniam.

Tametsi non memini quidquam huic Euangelio ex volumine applicari, attamen aduersus Atheos & Deistas, qui iamdudum grassari cœperunt, vt in præfatione, & alibi monui, poteris probare miraculum istud aquæ vinum factæ naturæ viribus fieri non potuisse: atque adeò hinc cõcludes Christum supernaturali virtute vsum fuisse, & verum esse Messiam aduersus Iudæos, & Deum aduersus Atheos, & Dei filium aduersus Deistas, quidquid Alchymiæ proceres asserant, se posse conuertere aquam in vinum, si tartari particulam in vas aquâ plenum immittant, quod tartarum sæpius aquâ vitæ respersum, & cum eo circulatum fuerit. Idem circa Euangelium Dominicæ 3. fieri potest, in quo leprosorum, & paralytici cura miraculosa refertur: de hac lepra, & alijs morbis in scriptura sacra relatis, vide Guillelmum Aderum medicum. Quarta Dominica miraculũ aliud habet de imperio Christi in ventos, quod etiam habet in omnes creaturas quæ ei in omnibus per potentiam obedientialem theologicam parent.

Dominica 5.

1. Epistola hortatur, vt in psalmis, & canticis Deo cantemus, scis vnde musicam petas. 2. parabola occurrit in Euangelio, ideóque consulẽdum 1. problema Veneti, vbi 8. rationes attuli, cur parabolis, & ænigmaticis sermonibus aliqui vtãtur: quod & alijs pluribus Euãgelijs congruit, vt sequẽtibus.

Reliqua totius anni Euangelia percurrere opus non est, rerum enim index satis ostendet, quid eligi debet: vt cùm Deum amandum esse præcipitur, integra questio modum & motiua suggeret, ob quę Deus diligendus est. Si de resurrectione agatur, vel de morborum cura miraculo peracta, plurima capita primę quęstionis peramplam materiam offerent. Cæterùm index quęstionum & articulorum initio positus legatur. Sequitur index locorum Scripturæ sacrę, quos in opere explicatos inuenies, præter quos alij plurimi exponuntur, qui non sunt in indice, pręsertim artic. vltimo quęstionis de musica.

INDEX



INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ.

Cap. 10.

Sequuntur

Sequuntur ea, quæ in quæstione de musica omissa sunt.

PLurima quæstione de musica omisi, qualia sunt, quæ Græci referunt de sideribus, vt cum Pythagora musicam intelligentiâ, & numeris potiùs, quàm auditu constare insinuent. Eapropter systema musicum in humano corpore, anima, elementis, cœlis, & in ipso Deo constituunt. Neque desunt Medici, qui in febribus, pulsibus, diebus criticis, temporibus, quibus in vtero fœtus concluditur, ætatibus hominum, oris, & vultus lineamentis per physionomiam, neque Philosophi, qui in animæ facultatibus irascibili, concupiscibili, & earum passionibus, nec non in virtutibus, cardinalibus præsertim, consonantiam, sicut in morbis, atque vitijs dissonantiam inueniant. Legatur Aristides, qui tria genera musicæ tribus dimensionibus, enharmonium videlicet lineæ, chroma superficiei, diatonum corpori, 3 chromatis species, duas diatoni, & enharmonij vnicam numero senario, atque circulari comparat.

Zodiacum etiam 12 signis ornatum cũ toto diapason systemate 12 tonos habente confert; & 5 tetrachorda 5 sensibus, tactui ὑπατῶν, μέσων gustui, olfactui συνημμένων, διεζευγμένων auditui, visui deniq; ὑπερβολαίων, eademque terræ, aquæ, aëri, igni, ætheri; prudentiæ, iustitiæ, fortitudini, & temperantiæ; adolescentiæ, virili ætati, & senectuti tribuit. Omitto diatessaron adulto autumno respondens, sicut & diapente hyemi, & æstati diapason; thesim rerum ortum, arsim verò interitum designantem, quarum mutationes rerum sublunarium generationem, atque corruptionem significent. Quibus omnibus arbitrantur nonnulli Græcos arcana musicæ occultasse, & intellexisse, quibus sonis, interuallis, tonis, modis, generibus, speciebus, & consonãtijs vtendũ esset, vt auditores huc, illuc pro libito commouerentur. Quæ omnia si referre velim, Ptolemæi liber tertius, & 2, atque 3 Aristidis magna ex parte exscribendi erunt; at satius fuerit, si eos perlegas. Ne tamen Galli, qui neque græcè, neque latinè sciunt, microcosmi, & maioris mundi concentum penitus ignorent, præter ea, quæ bellè refert *Pontus de Tyard* ad finem Solitarij secundi, placet in illorum gratiam afferre, quæ poëtarum Gallorum in rebus hebraicis facilè doctissimus tam accuratè de harmonia cecinit, vt vix apud Hebræos, & Græcos aliquid inueniri possit, quod 4 Galliadis circulo nõ incluserit. Quę eò libentiùs huc transfero, quo liber difficiliùs reperitur, & quo meliùs circa finem ostendit, quid, & qua ratione coram regibus, atque principibus musici canere debeant.

Ita verò primos versus scriptos habes, vt etiam exteri rectè pronuntiare valeant, si legerint, prout scriptum viderint. Sanè cuperem, vt Galli omnino scriberent, prout loquuntur, vt aliæ nationes nostram linguam faciliùs discerent, & hæc latiùs per totum orbem terrarum diffunderetur; nam cum scriptura verbis respondeat, sicut verba conceptibus, cur nõ studemus orthographiæ, quæ mentem bellè referat? Itaque proximos versus habes, prout omnes scribere velim, in quibus nulla litera superflua; nulla etiam abest, quæ pronuntiari debeat. Obserua tamen s, & g vbique fortiter sonare, nam vbi blæsâ linguâ pronuntiari solent, z, & j consonante vtemur, pro c, quando sonat vt x scribimus k: quod etiam pro q statuimus; pro ch scribe ç; pro ph. f. pro &, é, quod vbique accentum acutũ habet, quando syllaba acutè pronuntiãda; quo caret, cum grauis est. ê ponitur pro ai, vt in his iamês êrs, vêrs, iamais, airs &c. & quotiescunque ore apertiori, ac æ sonat. Cætera facilè conijcies, de quibus nos alibi fusè, vbi de recta Gallorum orthographia, prosodia, poësique metrica, nisi alius quispiam hocce munere fungatur.

Reliquos versus communi orthographiâ descriptos habes, quos iuxta præcedentem modum exarare poteris. Cùm autem sonus, seu vox sit Musicæ subiectum, ab ea sumemus exordium, quæ

Se repand dedans l'èr, é y dékrit, é trase
Tut antur de son point meint çerkle, é meint espase
An konpas arondi, komˆ on voit s'ordener
La parol' è le son k'vn ome vient soner
Lakel' an tant de plis dedans l'èr se replie
K'unik' an milions èle se multiplie
E' sortant d'vne buçe èl' antr' é se difond
An di-mil miliars de trus persés an rond
Unike kontantans par suites nonpareiles
D'omes presk' infinis lès uuertes oreiles.
Ne plus ne moins k'on voit k'an k'alm' é dormant' eâ
Le seul jét d'vn kalu meint, & meint çerkle beô
L'vn de l'ôtre suiui tujours an forme ronde
Trase, peint, é dekrit sur le tableô de l'onde.
Ne plus ne moins le sou, ki s'anjandr' é se fêt
De vant, de vois, de korde, u de parlér parfêt.
S'ôgmantant peu à peu an çerkle se dilate,
E' bordone tu-bas, u bien an hôt èklate:
Bas, kand il êt pusé tu tardif, é tu-lant
E' hôt, kand il se fêt sudein, é violant.
Mês d'vn ton balançé, & de teneur naïne
êt la voés non tro pronte, é ôsi non tardiue.
E' tut ainsi ankor komˆ an dès çalumeôs
Antr' eus apariés an sêt orgues jemeôs
Le vant sufié dedans plus hôt l'oreile tuçe
Par lès pertuis, ki sont lès plus près de la buçe.
D'otant k'il êt plu fort, é et moins antandu
D'otant k'il êt plu loin de la buç' étandu:
Ne plus ne moins le son ki sort kome du santre
Du grand ésprit moteur, é dans lès Sferes antre,
Se fet ouir plus hôt ôs ésprits dépulés
De la mase du kors, é dès sans anbrulés,
D'ôtant k'il êt plus près de son princip' é surse
E' d'otant ke le Siel hâte plu-tôt sa kurse.
Portant, dizêt Bardus, le dizième dès Sieus
Ke le grand Apolon non iamès osieus
Antone de sa voix, ki s'ip... rmén' é r...le.
Komˆ an vn instrumant, vn organ' u vn m...le,
Sone plu-hôt é klêr ke lès neuf d'an-desus
Dès neuf Syrènes seurs antonés é sekus:
D'ôtant ke la vêrtu de l'ame surmondeine
Se fêt plus près santir an la Sfere sudeine,
Puis an sele d'après, puis an sele qui suit,
E' l'ordre tut ainsi aus ôtres se conduit
Iusk' au Siêl de la Lune, u la vois étanduë
êt plu-lante, é plu-foeble, é moins klér antanduë.
Kar l'ame, dizêt il, ki konble l'vniuêrs,
Se li' és' antretient de sês nonbres diuêrs
De non pèr, è de pèr kome mâl' é femèle
Ansanble mariés d'aliance jèmèle:
E' deuës par rêzan l'ame ki tut produit,
Ki penètre par tut, é par tut se konduit
Etr' abondant' an soé, é fekondemant pleine
Du non pêr, è du pêr ioins kome d'vne çeine
Dank le nonbre premièr ki s'asiêt, é se mêt
Ainsi k'an Piramide à la point' é somêt

Autor multa passim in opere proponit, quæ ex Timæo, & Procli, Ficini, atque Macrobij cõmentarijs depromũtur, vtcũ hic de anima mũdi seu vniuersi loquitur, caproptet caue ne existimes omnia ex eius sententia recitari, & inter verum, atque falsum discerne.

Et la seint' unité ; après suit le binère
Aranjé d'une part, de l'ôtre le ternère,
L'un dubl' à son premiér, é le tiers ô sekond
Tut antiér, é demi le konprenant sekond,
ét emiol' an soé, é le premiér regarde
Tripl' an proportion ; le katèrnère garde
Desus le deus son lieu, é le neuf sus le tiers
E'galemant distant se ranje volontiers.
L'un ét dubl' ô sekond, l'ôtre tripl' ô troisiéme
Puis l'uit suksed' après, ki ét dubl' ô katriéme
E' oktupl' ô premier, é vis à vis de lui
Pur fonder le triangle an sa baz' é apui
ét asis vint é sét, tripl' à neuf, é ki plie
L'un ke vint é sét foés dedans soé multiplie.
Or de ses nonbres beos dékéts Dieu konpoza
L'ame de l'univèrs, alors k'il dispoza
Tut se ki ét, ki vit, é ki sant an nature
E' tut se ki antand par poés nonbr' é mezure,
Se forment antre nus lés sis janres d'akors
Sur lés tons sonoreus dés grans, selestes kors.

Reliquos versus antiqua orthographia accipe, prout eos autor descripsit, ex scriptis enim cognosces, qua ratione sequentes pronũtiandi sint.

Car Deux à l'Unité de tout sexe comblee
Fait la proportion, que l'on nomme Doublee,
Et d'elle naist l'accord, symfonie, & resor,
Qu'en leur langue les Grecs nomment Diapason.
Trois à Deux comparez font le nombre Hemiole,
D'où naist Diapenté, lors que la voix, qui vole,
Arrive à une Quinte: & de Quatre vers Trois,
Qui est nombre Epitrite, arrive, & vient la voix
A Diatessaron, qu'on appelle une Quarte:
Et depuis Trois à Un lors que la voix s'esquarte
Par muance, elle arrive à un accord vanté
Qu'on dit Diapason avec Diapenté,
Qu'à present nos François, desquels la voix retinte,
Appellent une Octave avecques une Quinte:
Mais le nõbre & l'accord, qui d'Un à Quatre est fait,
Est Disdiapason deux fois partout parfait:
Et depuis Huict à Neuf est le nombre Epogdoüe,
Lequel forme le ton, dont chaque accord avoüe,
Et prend plusieurs en soy: la Quarte est de deux tons
Avec un demy ton, sans quelques menus sons
Ioints, & suradioustez, que la plus riche veine
De nos Chantres François en mots propres à peine
Pourroit bien exprimer: la Quinte en soy comprend
Trois tons, & un demy, & l'Octave, qu'on prend
Pour le Diapason, six tons entiers embrasse:
De neuf tons, & demy, s'entretient, & compasse
L'accord de deux accords, & de deux noms enté,
Nommé Diapason avec Diapenté.
Mais Disdiapason, qu'on nomme une Quinziesme,
Contient douze tons pleins, & est l'accord supreme
De la Musique humaine, & le plus estendu
Soit de vent, soit de voix, ou bien du nerf tendu,
Que l'on puisse imiter, & que l'humaine oreille
Puisse en soy percevoir. Mais des Cieux la merveille
S'estend bien plus avant, & peut dessous sa voix
Du grand Esprit infus iusques à quatre fois
Comprendre, & embrasser par nombreuse ordonnance
Les neuf tons, & demy, en bonne consonance.
Or la suite de voix, ou l'estente de vent
Par marches, & degrez ne parvient plus avant
Que iusques au Septiesme, & Dieu qui tout dispose
Fait qu'au nombre de Sept presque tout se repose.
Mais des hommes divers ia dés les siecles vieux
L'advis fut different quant aux sept voix des Cieux.
Les uns ont estimé qu'au grand Ciel de Saturne
Se fait la grosse voix, & presque taciturne
Comme l'Ut le plus bas: le Ré un peu plus haut
Se fait au Ciel d'apres: puis le Mi fait un sault
En la Sfere de Mars, & le Fa qui s'avance
Sonne au Ciel, où Phebus demene en rond sa dance.
Et par ce que Venus, & Mercure ont leur cours
Parfaict presque d'un temps, & presqu'en mesmes iours,
Quelques uns ont pensé que le Sol s'y entonne,
Et qu'en mesme unison deux fois il y resonne:
Et que le La, qui est le plus haut esleué,
Demeure au Ciel Lunaire enclos, & enclavé.
Les autres ont pensé que dans la Sfere creuse
De Phebé, la voix grosse, & la moins sonoreuse
Bourdonnoit le plus bas, & que les degrez six
Des six restantes voix estoient par ordre assis
Es autres Cieux suivants: si que la plus arduë,
Et claire des sept voix bornoit son estenduë
Au cercle Saturnin, qui plus viste rouloit
Que les six d'au-dessous, d'autant qu'il accoloit
Un espace plus grand, & par muance pronte,
Que dans l'huictiesme Ciel l'Octave pleine monte.
Mais les autres plus murs, qui d'un bon contrepois
Ensemble ont balancé la nature des vois
Sourdes, & enroüees, hautes, claires, & nettes,
Avec les qualitez propres aux sept Planetes,
Ont trouvé une voye, & un sentier moyen
Pour lier leurs accords d'un plus parfait lien.
Et d'autãt que Phenon, quoy qu'il meuve plus roide,
Est d'une qualité maline, seiche, & froide,
Ennemy de la vie, & de voix, & d'accords,
Et des raiz, & regards des six celestes corps,
A ses rayons plombez cy bas ont avouee
La voix qui sonne cas, basse, obscure, enrouee:
Et luy ont assigné en la voix se tordant
La seconde, & neufiesme à iamais n'accordant.
Phaëton ou Zedec en son rang ordinaire
Est au contraire chaud, humide, & debonnaire,
Doux, & amy de tous, & de benins regards
Les guignãt, fors sans plus le rouge, & sanglant Mars.
Pource à son influence, & couleur estamee
La voix grave, agreable, & constante, & ramee
Sur l'aile des Zefirs, des Graces, des Amours
Ils donnerent iadis, & encor en nos iours,
Assignant à son cours, mouvement, & cadance
L'Octave, & la Quinziesme en parfaite accordance.
Pyrois vient apres, qui d'un œil violent
Darde un rayon malin, desechant, & brulant,
Qui n'est amy d'aucun, fors de Venus la douce,
Qui d'un doux ray l'appaise alors qu'il se courouce.
A ses rayons sanglants, meurtriers, prompts, & ferrez,
Ils ont attribué les voix, & sons serrez,
Aspres, agus, soudains, pleins d'ire, & de discorde,
Et la Septiesme voix, laquelle point n'accorde.
La Quatorziesme aussi dissonant en effect
Autant que la Quinziesme est un accord parfait.
Le Soleil chaut, & sec, & qui des rais, qu'il darde
Les Planetes benins beninement regarde,
Par ses rayons dorez preside aux sons tous purs,
Venerables, & doux, sonoreux, non obscurs,
Et entre les accords comme sienne il affecte
La Sixiesme & Treiziesme, en tous points nõ parfaits.
Venus humide, & chaude, & d'œil benin, & doux
Aguignant son Guerrier, & les Planetes tous
Fors Saturne le froid, triste, pesant, & morne,
Elle dans son Toreau, luy dans son Chevre-corne
Par sa couleur d'airain, retintant sonoreux
Preside aux sons plus mols, lascifs, & amoureux,
Espars & dilatez, & sous elle retinte
La Douziesme parfaite, & la parfaite Quinte.
Variable & divers est l'astre de Stilbon,
Avec malins malin, & avec les bons bon:
Pource on luy a donné les sons de plusieurs sortes,
Les variables voix, plus lasches, & moins fortes,
Plaisantes

Plaisantes toutesfois, & entre les accords
Une Quarte, & l'Onziesme, imparfaits, & moins forts.
Mais la Lune argentee, humide, froide, & bonne
Conioincte auec les bons, cause le son qui sonne
Entre graue, & agu, qui argentin, & plein
N'est ny par trop tardif, ny aussi trop soudain,
Ainçois d'une teneur egale, & balancee,
Non trop grosse, ny haute, & non trop abbaissee:
Et entre les accords, elle tient en son ply
Le dixiesme, & le tiers, non du tout accomply.
Que si en qualitez, en mouuement, & stance
Le Monde est Musical, d'interualle, & distance,
Hauteur, & profondeur, & nombre harmonieux,
Ne sont moins accordez par ensemble les Cieux.
Car du depuis la Terre, à tous mere commune
Iusques à la rondeur du Cercle de la Lune
Cent & vingt & six mil stades on a conté,
Non d'Olympe, ains d'Itale, & chacun a monté
A cent vingt & cinq pas, lequel nombre compasse
Six cent vingt & six pieds de mesure, & d'espace.
Or cent vingt & six mil de stades nous conten
Pour faire l'interualle, & distance d'vn ton:
Donc il y a vn ton depuis la Terre sombre
Iusqu'au moindre flambeau, qui fait le iour en l'ombre.
De la Lune à Mercure, vne moitié d'autant
Qui est vn demy ton, de droit on va contant:
Il y a de Mercure, à la Porte lumiere
Vne autre ton demy, en reigle coustumiere:
Hæc interualla incerta, vel falsa reiecimus,
Et depuis le Flambeau, auant-courrier du iour
Iusqu'au Rond lumineux, qui esclaire à l'entour
Du Rond ombreux, & noir, est triple l'interualle
Qui à vn ton entier, & vn demy deualle.
Et de ce grand espace en esprit arpenté
Est la Quinte engendree, ou le Diapenté:
Et du Soleil à Mars tel espace on enserre,
Comme du Ciel Lunaire est distante la terre
Qui fait vn autre ton, dont n'y a que moitié
Depuis l'Astre de guerre, à l'Astre d'amitié,
Qui est vn ton demy, & de la lampe heureuse
Iusqu'à Chrones tardif en sa danse nombreuse
Vn autre demy-ton: mais on a mesuré
De Phénon iusqu'au grand Tabernacle azuré
(Où tant de Lamperons estincellent & brillent
Plus menu qu'en Esté les fourmis ne fourmillent)
Trois millions quinze mil partis par le parmy
De pas Italiens, qui font vn ton demy.
L'espace qui de là iusqu'au Soleil s'esquarte,
Tient deux tons, & demy, dont s'engendre la Quarte:
Ainsi du Ciel huictiesme à nos terrestres parcs
De distance il y a six tons entiers espars,
D'où vient Diapason parfaite symfonie,
Qui le grand luth du monde emplit tout d'harmonie,
Non de la Chromatique, ou genre coloré,
Fleuretis, mol, lascif, lasche, & deshoneré,
Ny de celle qu'on dit Chromatique entonnee,
Ny de l'Enharmonique espece fredonnee,
Mais de celle qui haute, & claire se conduit
Chroma, & harmonia cani possunt, quidquid dicat.
Par deux tons, & demy, dont elle s'entresuit,
Que depuis le Gregeois nomma Diatonique,
D'entre toutes les trois seule espece, & unique,
Qui comme naturelle, & propre en ses accents
Est conuenable au Ciel, mais icy bas nos sens
Tous obscurs, & grossiers n'en peuuent pas comprendre
Le réson, que Raison nous fait par nombre apprendre.
Iadis le Chantre, & Roy, Profete des Hebrieux
Sur les dix Sephiroth, qui sont sur les dix Cieux,
Accorda les accords du parfait Decachorde:
Et Orphee auant luy monta son Heptachorde
Sur la lyre du Ciel, & y tendit sept nerfs
Suiuant les sept Errants, des mouuements diuers,
Et suiuant les sept voix, que la Nature ordonne,
A qui le Chantre Grec noms variables donne:
Mais le celeste son nos vieux Bardes rauit,
Et deuant mon Orphee, & deuant mon Dauid.
Donc des Bardes Gaulois en ensuiuant la trace
Monta son instrument le grand Harpeur de Thrace,
Qui apres soy tira fleuues, rochers, & bois,
Tigres, Lions, & Ours, ainsi que les sept voix
Des Cieux organisez, & du grand Luminaire
Ou Chandelier mystique, l'Ideal septenaire
(Qui sur le Ciel des Cieux en l'Archetype luit
D'vn iour tousiours ouuert, à qui l'ombre ne nuit)
Le tiroient apres soy par musique accordee,
Que secrete ils auoient en son cœur enchordee.
Du Cercle, où le flambeau de la Lune est porté
Il attira la voix, qu'il nommoit Hypaté,
Principale, & plus grosse, & du Ciel de Mercure
Tira Parhypaté moins grosse, & moins obscure,
De Venus Lycanos, & du Soleil Mesé,
De Mars prochain voisin il eut Paramesé
Prochaine à la moyenne, & du rond de la Sfére
Où l'Astre Iouial de ses rayons esclaire,
Il eut presque la haute, ou bien Paraneté,
Et de Saturne haut la plus haute Neté,
Lesquelles il coula dans les flancs de sa Lyre,
Où ses hymnes diuins il voulut faire dire:
Et si bien les enta dessus ses nerfs tendus,
Que les celestes sons en sa Lyre entendus
Des sauuages cruels desroboient par l'oreille
Les cœurs appriuoisez à si douce merueille.
Mais long temps deuant luy nos Bardes plus accorts
Sceurent bien imiter les celestes accords,
Auant que le sçauant, & diuin Pythagore
Le secret des marteaux eust esprouué encore,
Ny aux chordes, & nerfs parlants dessous les doigts **Id melius de Iubale nostro dici posset.**
Allié la raison des nombres, & des poids:
Ny que Maie eust produit en la Grece moussuë
Mercure, qui trouua l'escale de Tortuë
Sonnant dessous ses pieds, & qu'il eust aguisé
Son esprit au patron de ce fust pertuisé,
Sur lequel il tendit maint nerf, & mainte chorde,
Et par là fist sa paix, alliance, & concorde
Auecques Apollon, dont aux pastis herbeux
Il auoit desrobé par finesse les bœufs,
Rendant par les doux sons de sa Lyre inuentee
Du Chantre couronné la colere enchantee.
Or nō des Cieux sans plus, mais des quatre Elements
Nos Bardes empruntoient les quatre fondements
De la Musique humaine, & d'heureuse rencontre
Du plus bas Element prenoient la Basse-contre,
Qui est centre, & appuy, sur lequel tout le chant
S'assied, & se soustient, & se va espanchant
Ainsi que l'eau, & l'air, & la flamme, qui erre
Sont appuyez dessus le centre de la Terre:
Et la pleine Teneur, ils empruntoient de l'Eau,
Qui decoule aplanie, ainsi comme au niueau.
De l'Air, qui est plus haut, plus espars, & plus rare
La Haute-contre, ou chant qui voltige, & s'esgare
Ils empruntoient aussi: & du Feu de là sus
Celle part ils tenoient, qu'on nomme le Dessus,
Qui fend l'air fleuretant sur chaque part diuerse,
Comme le feu subtil le penetre, & le perce.
Ils pouuoient emprunter les pareilles raisons,
Et de nos quatre humeurs, & des quatre saisons,
Dont le temperament accomplit, & consomme
La consonance au Temps, & l'harmonie en l'homme.
Car l'Hyuer froid, & sec, qui deseche, & restreint,
Fait en ce Tetrachorde vn son bas, & contreint:

Et en l'organe humain la voix grosse s'allie
A la plus grosse humeur froide melancholie.
L'automne humide, & froid, qui mouille frissonnant,
Est la seconde chorde au monde resonnant:
Le flegme humide, & froid, qui dedans l'hôme accorde,
Y sonne la Teneur, ou la seconde chorde.
Le Printemps tout flory, qui est humide, & chaud,
Sonne le fleuretis, ou le chant Contre-haut.
Et le sang aëré moite, & chaud en nature
Fleurete vn contre chant, ou la voix de peinture:
Mais l'Esté chaud, & sec, qui son ardeur estend,
Est la chorde du Temps, qui plus haute se tend:
Et en nostre instrument la chaude, & seiche bile
Est la chorde qui tend plus roide à la cheuile.
L'Hyuer garde, & retient en la terre le grain,
Le Printemps fait enfler, & son ventre, & son sein,
Que la Nature ouurant lors que l'an nouueau s'ouure,
La semence natale en plein iour nous descouure,
Boute hors les boutons aux arbres enfermez,
Et attire la séue en leurs tiges germez,
Zefire alors donnant à Flore son-aimee
Sa Cotte toute-verte, & de fleurs parsemee.
L'Esté fait herisser les plaines, & les champs
D'espics meurs barbelez, au doux vents se panchants
Et flotans çà & là de leur perruque blonde
Comme on voit se suiuir les branlements de l'onde.
L'Automne porte apres les fruicts, des arbres meurs,
Aux vignes les raisins, & destrempe d'humeurs
La Terre lors gaschee, à qui baille, & disperse
Le laboureur ses grains, qu'en son ventre il luy verse.
Ainsi par tour se suit l'ordre dans ce grand corps,
Et ainsi sont meslez ensemble ses accords.
Le Tetrachorde humain contient aussi vrie
Liant les quatre humeurs sa nombreuse harmonie,
Et de la vie humaine est l'instrument monté
En parfaite accordance, & parfaite santé,
Quand d'vn, deux, quatre, & huit la proportion double
S'y maintient iustement, & ne se rompt, ny trouble:
Vn à l'humeur terrestre, & Deux au flegme aqueux,
Quatre au feu colleric, dont l'homme est belliqueux,
Et Huit à l'air du sang, qui la bile regarde
En proportion double, & l'humeur noire, & tarde
En octuple regard, la quadruple gardant
Au flegme, qu'au tiers rang sous soy va regardant.
Ainsi nostre Santé s'entretient assonnie,
Et sonnent par accord les chordes de la vie.
Et la Lyre à Phebus tenduë à quatre nerfs
Resonne chacun iour les quatre temps diuers,
Le Printemps au matin, qu'en nous le sang domine,
L'Esté sur le my-iour, que la bile chemine,
L'Automne à la vesprée, où le flegme est en cours,
Et l'Hyuer à la nuict, quand en nous fait ses tours
La noire, & froide humeur, & que tourne, & tracasse
L'Ange de mort, qui donne aux noirs Esprits la chasse,
Qui ont le grand Soleil dans les corps irrité,
Et froids en sont issus sans feu de charité:
Ainsi que l'Esprit sainct veut la lumiere esclose,
Et dessus l'Ame gaye, & chaude se repose.
La Lune aussi qui est vn Soleil de la nuit,
Par chasque mois de l'an les quatre temps conduit.
Car en son premier quart elle est chaude, & humide
Ainsi que le Printemps de l'air, & du sang guide:
Puis elle est chaude, & seiche en son deuxiesme quart
Ainsi comme l'Esté, où la bile nous ard:
Au troisiesme quartier froide, & seiche elle sonne,
Comme la noire humeur, & le temps de l'Automne:
Et en son quart dernier froide, & humide elle est,
Ainsi comme le flegme, & l'Hyuer qui desplaist.
Plus, son cours iournalier par quatre poincts se conte:
Au premier, d'Orient au My-ciel elle monte,
Et augmente en montant par influs, & tumeur
Tant l'esprit naturel que la seue, & l'humeur:
Au second, du My-ciel en l'Occident deualle,
Et fait contraire effect par sa lumiere palle.
De l'Occident au tiers sous terre elle descend:
Lors derechef l'esprit, & l'humeur s'enfle, & tend.
Au quart vers le Leuant de la My-nuit elle glisse,
Et l'esprit naturel, & l'humeur appetisse,
Ainsi qu'il apparoist aux riues de la Mer
Par le flus, & reflus qu'elle enfle, ou vient humer.
Donc ainsi que Phebus touche son Tetrachorde,
Aussi Phebé sa sœur du sien luy contr'accorde.
Mesmes l'aage de l'homme en soy r'assemble, & clost
Iours, humeurs, & saisons que Phebus nous esclost:
L'Enfance est son matin, son sang, & Primeuere,
Ieunesse est son midy, son Esté, sa collere,
Et l'aage declinant son Automne, & son soir,
Où sur les trois humeurs le flegme vient s'asseoir:
Mais Vieillesse est sa nuit, son Hyuer, & la lie
Du vin aigre, & poussé, triste melancolie.
Et l'homme de dedans en l'homme de dehors
A ses quatre Elements, & discordans accords:
Voire l'homme remis en la grace adoree
A quatre vestements d'vne couleur doree
De par Adonaï, dans luy mis, & cachez Hoc est cabalisticum.
Pour couurir, & cacher sa honte, & ses pechez:
Et en a quatre blancs plus que la fine toile
De Malte, ny Hollande, où ainsi que d'vn voile,
Ou bien vn pauillon, dehors il est enclos,
Qu'il tient de Iehouah, auquel est deu tout los.
Son Ame naturelle est sa Terre, & son ombre,
Sa nuit, & son Hyuer, son humeur froide, & sombre,
Sa chorde moins tenduë, & qui sonne tout bas
Vn son pesant, & gros, tout obscur, & tout cas.
La Vitale est son Eau, son soir, & son Automne,
Son flegme, & second nerf, où l'autre voix s'estonne:
Son Esprit est son Air, son Printemps, son matin,
Son sang, sa tierce chorde au rêson argentin:
Et l'Entendement haut, ou claire Pensee
Est son feu, son my-iour plein d'ardeur eslancee,
Sa cholere enflamee, & son Esté plus chaut,
Et le nerf bien tendu qui sonne le plus haut.
C'est ce luth accordé, duquel les voix secondes
Resonnent par dessus le luth des Sferes rondes,
Et qui font retentir leur accord solemnel
Sur la voute du Temps, dans le Temple eternel:
Où deux fois douze vieux tous arrengez par ordre
Harmonieusement les chordes viennent tordre
De leurs harpes pendans en escharpe à leur flanc,
Et les Hymnes de Dieu y sonnent tous d'vn ranc:
C'est l'Arc bien enchordé, qui enfonce, & rejette,
Et dans l'Eternité darde meinte sagette,
De la chorde du Cœur tenduë en oraison,
Qui iusqu'à l'Arc en Ciel fait ouyr son reson,
L'Arc du Ciel coloré de couleur rouge, & perse,
De verd, ou de changeant, ou de couleur diuerse,
Qui est autour du Throne en demy rond vouté,
Sur lequel sied de Dieu la haute Majesté,
Duquel le Nom tres-grand Quatre-lettré s'accorde
Au Quatrein de nostre Ame, ou à son Tetrachorde,
Tetrachorde qui fait en nous la liaison
De Sens, de Phantaisie, d'intellect, & Raison.
Le Sens sonne tout bas, & d'vne voix obscure:
L'Entendement tout pur d'vne voix haute, & pure
Retinte, & retentit: la Phantaisie au Sens,
Ou bien à la Raison accorde ses accens:
La moyenne Raison haut, & basse manie,
Ores à l'Intellect, ores au Sens vnie.

L'Intellect

L'Intellect est diuin, simple, pur, immortel:
Le Sens elementaire, obscur, meslé, mortel,
Et l'Imagination plus claire est atheree:
Mais la Raison celeste est tantost esclairee
Du grand Entendement le sur-mondain Soleil
Sa lumiere, & sa vie, & l'obiect de son œil,
Et tantost plus ou moins elle obscurcit, saisie
Ou du Sens plus grossier, ou de la Phantaisie.
Si donques la Mesé, ou moyenne Raison
A Neté la Pensee accorde en vnison,
La Phantaisie au Sens, alors sont assorties
De sonoreux accords entre elles les parties.
Adõc l'Esprit d'amour des saincts amãts vainqueur
Ainsi qu'en la Rosette entonné dans le Cœur
De la Lyre de l'homme, en ses saincts hymnes loüé
Le grand Harpeur du Ciel par la langue qui ioüe,
Et couppe les mottets en plus menu fredon
Que ne fait vn Archet dessus vn Violon,
Dessus l'Entendement comme en la Chanterelle
Entant le tintin doux de sa voix immortelle,
Et tirant la Raison moyenne à sa Neté,
La Lune à son Soleil, le Deux à l'Vnité.
Adonc sont accordez entr'eux les quatre Mondes
L'humain, l'elementaire, & les Sferes profondes
Auecques l'Archetype, & sonne l'Vniuers
Vne mesme harmonie en quatre luths diuers.
Mais s'il aduient aussi que la Lune se tache:
Si le Deux se desioinct, si la Mesé se lâche
D'auecques sa Neté, & si du pur Penser
La Raison vers le Sens se vient à dispenser,
Tout est desaccordé: les tuyaux, & organes
Par où couloit la voix comme par Sarbatanes
De l'Archetype és Cieux, de là de main en main
Par les quatre Elements dedans le monde humain
Sont rompus, & dissous, & plus soufflant n'inspire
L'Esprit harmonieux dans les flancs de la Lyre:
La Rosette du Cœur plus plus ne le reçoit,
Et nulle consonance en elle ne conçoit:
Alors est violé du Monde l'Hymenee,
Et plus de l'Archetype és Cieux n'est amenee
L'influence d'Amour, Elements ocieux
Restent lors diuorcez, & discordans des Cieux:
Et par ce que le Sens à soy la Raison tire,
L'Entendement diuin s'enuole, & se retire,
Et l'Aigle bauolant sur ses Aiglons esclos
Pour les dresser au vol retourne en son repos,
Et les laisse seulets priuez de toute grace
Ainsi qu'oiseaux bastards indignes de sa race,
Pour n'auoir peu long temps bien soustenir de l'œil
Les rayons eslancez du supreme Soleil.
Adonc la cheine d'or est dissoulte, & rompuë,
Et nostre Ame n'est plus enyuree, & repuë
D'Ambrosie, & Nectar, qu'elle humoit à foison
Du Torrent qui couloit de la saincte maison:
Car alors des douceurs la riuiere est tranchee,
Et toute l'harmonie est aux vents espanchee.
Si donq' l'homme est d'accord, le tout est accordant,
Et s'il discorde aussi, tout s'en va discordant,
S'il est d'accord en soy, & l'Appetit, & l'Ire
Ensuiuent le réson de Raison en la Lyre:
L'Appetit quant & soy ses trois vertus conduit
Continence, Attrempance, & la Honte qui fuit
Les sales voluptez, & des obiects s'esquarte
En Diatessaron, ou l'accord d'vne Quarte.
L'Ire tire apres soy en parfaite Santé
De ses quatre vertus l'accord Diapenté,
Ou la Quinte parfaite, alors que la Clemence
Laschant vn peu le nerf adoucit l'Asseurance,
Qui sa chorde roidit, & Constance entretient

Plura sanè, & gratiora sunt, quæ hic afferuntur, quã quæ ipsi Græci habent; quapropter nostro Gallo, quisquis es, fruere.

L'egal son que la Force en sa chorde soustient.
Et la haute Raison tient, & tire à sa suite
Le Chœur des sept vertus en l'Octaue reduite,
Recherche ingenieuse, & Perspicacité,
Discours bien entendu, Conseil exercité,
La prudence auisee, & meure Sapience,
Et par vsage long l'acquise Experience.
Adonc l'homme accordé tant dehors que dedans
Attire auecques soy en accords euidans
L'harmonie espanduë és cinq grands Tetrachordes
Du Systeme parfait, en cinq diuerses modes:
Le plus bas à la Terre aux Chordes d'Hypaton,
Cil de Méson à l'Eau: qui tient le moyen ton,
Synemmenon à l'Air, qui se conioint, & lie
Tant à l'Eau qu'à la Flame auec soy recueillie:
Et Diezeugmenon au Feu qui peu, ou point
Aux autres Elements ne se lie, & conioint:
Mais Hyperboleon de plus haute excellence
Est aux Cieux assigné qui sont de Quint' essence.
Par là comme au clauier d'vn Manichordion,
D'Orgues, ou d'Espinette, en parfaite vnion
Montent les quinze voix du Systeme d'Orfee:
Et de mon grand David sur la Harpe estofee
Y montent les saincts vers des Cantiques sacrez,
Lesquels il a ioüez sur les quinze degrez,
Lors que du vin diuin nostre Ame est abreuuee,
Et suiuant par les Cieux l'harmonie esleuee
Vient de Ierusalem iusques dedans Sion
Sur la croupe du mont de Contemplation,
Où elle oyt des chansons dont la Musique passe
Les chansons d'Helicon, ou celles de Parnasse,
Autant comme le iour passe l'ombre & la nuit,
Le Ciel passe la Terre, & que le Temps qui fuit,
Loing loing est deuancé de l'Eternité stable,
Et autant qu'est la voix plus douce, & delectable
Des Syrenes des Cieux, que des Seurs qui en rond
Menent la nuit leur bal dessus le double Mont.
Donc la premiere voix au Systeme des Bardes
Acquise, & adioustee en outre les plus tardes,
Proslamvanomené s'appelle d'vn Grec nom,
Qui au Mépartement du quint Tetrachordon
Ne se conte, ny sert: & dedans le grand ventre
Du Systeme d'Orfee, elle respond au centre
Du Globe terrien, le nerf sur-adiousté
Aux Tetrachordes cinq, dont le Monde est monté.
Au grand Systeme humain ceste chorde se nomme
Le sens du Touchement espars au corps de l'homme.
Mais au grand, & diuin Systeme de David,
Qui l'Archetype vid, le vid, & le rauit,
Le nerf sur-adiousté est la chorde de l'Estre,
Qui des quinze degrez premier se fait paroistre.
Et la seconde voix du Systeme vocal
Au premier Tetrachorde en bas ton musical
Hypaté hypaton, ou bien la principale
Des consonantes voix, qui le plus bas deualle,
Au Systeme d'Orfee, ou bien de l'Vniuers,
A la Terre respond le principal des nerfs
De l'instrument mondain, & la plus basse chorde
Qui des quatre Elements fait le bas Tetrachorde:
Et au Systeme humain c'est la chorde du Goust,
Sens ny du tout aqueux, ny terrestre du tout.
Mais la seconde note, où le nerf qui doit suiure
L'Estre dans l'Archetype, est la note du viure.
La Troisiesme d'apres que de rang nous conton,
Se dit Parhypaté des grosses d'hypaton.
Elle respond à l'Eau dans le mondain Systeme,
Et au sens du Flairer dans nostre monde mesme:
Et dedans l'Archetype elle vient consentir
Au troisiesme degré, ou note du Sentir.

Hic pulcherrimè 4 systemata musicæ vocalis, mundanæ, humanæ, & archetypæ describuntur.

Lichanes hypaton au quart lieu se rencontre
Du Systeme vocal, des principales montre:
Au Systeme d'Orfee elle respond à l'Air,
Et au Systeme humain au sens qui oyt plus clair:
Mais en cil de Dauid ceste chorde resonne
Au quatrieme degré qui discourt, & raisonne.
La cinquiesme d'apres est Hypaté Meson,
Des moyennes la grosse, & de moyen réson
Au moyen Tetrachorde: au Systeme d'Orfee
C'est le Feu du fourneau de nature eschaufee,
Et en nous c'est le nerf qui se tend au deuoir
Des verrieres de l'Ame, & fait le sens de Voir:
Mais au Monde Ideal c'est la chorde d'Entendre
Qui au cinquiesme ranc & marche se vient tendre.
Parhypaté Meson suit au sixiesme ranc,
Qui respond à la Lune au Systeme, & au flanc
Du luth de l'Vniuers: en l'humain Decachorde
A la creinte de Dieu ceste voix belle accorde:
Car le commencement de Sapience a lieu
En l'humble reuerence, & creinte du grand Dieu:
Et au Psalterion où luy chantoit loüanges
Son bien-aimé Dauid, c'est l'ordre des saincts Anges,
Et sa Hierusalem, de paix la vision,
Porte d'Adonaï pour entrer en Sion.
Puis Lichanos Meson, la moindre des moyennes,
Est au septiesme ranc, aux Sferes metoyennes,
Respondant à Mercure, & au Systeme humain
Au nerf de pieté enuers le Souuerain:
Mais c'est la chorde, & nerf, & des Archanges l'ordre
Au Systeme à Dauid, que vient tourner, & tordre
El-sadaï Tout puissant, qui les Esprits semond
A monter en Sion dessus le double Mont,
Où l'Ame est eschaufee, & viuement atteinte
Du vray Enthousiasme, & de la fureur sainte.
Mesé tient le milieu & moyenne raison
Au Systeme parfait de Disdiapason,
Ou de l'Octaue double, estant la plus hautaine
Du bas Diapason, & plus basse, & lointaine
Au Diapason haut, ayant son lieu reduit
Entre les quinze voix au rang, & nombre d'Huit:
Au grand Systeme Orfic respondant à la chorde
De la belle Venus, qui auec tous accorde:
Et au Systeme humain elle tient le milieu,
Et la huitiesme voix où la Science a lieu.
Mais dedans l'Archetype elle ioint & s'accroche
Aux Archanges par bas, & par haut elle approche
Des Puissances des Cieux: car les Principautez
Tirent à leur milieu les deux extremitez
Dessous le nom sacré du grand Dieu des armées
Elohim Zevaoth qui les rend animees.
Paramesé la suit, qui au Systeme neuf
Des Bardes inuenté, tient le nombre de Neuf:
En l'Instrument mondain c'est la Sfere estenduë
Que Phebus guide au son de sa Lyre tenduë:
Et en l'Organe humain c'est le nerf roide, & tors
De la Force, qui rend les cœurs des hommes forts:
Mais au diuin Systeme où sont les resonances
Des Esprits sur-mondains, c'est l'ordre des Puissances,
Lesquelles le Seigneur Prince de l'Ost diuin
Iehouah Zevaoth meut, & tire à la fin.
De là souloient iadis les sublimes Profetes
Humer comme à longs traits, influences parfaites.
La dixiesme d'apres entre les Grecs a nom
Trité, la tierce voix de Diezeugmenon,
Tetrachorde desioint, & au Systeme Orfique
Elle respond à Mars mal-ioint, & malefique,
Si la bonne Venus d'vn œil doux, & benin
Ne conuertit en miel l'aigreur de son venin.
Dans le Systeme humain c'est du Conseil la chorde,
Et l'ordre des Vertus dans le grand Decachorde
Du grand Harpeur Royal, qu'Elohim meut, & point
Au senestre costé vers l'Aquilon desioint:
D'où Dauid, qui sçauoit des Mondes l'accordance
Attira l'or du Temple en si grand abondance.

De isto latere sinistro ad Veneti problemata sæpe dictum est.

Apres Paraneté de Diezeugmenon,
Prochaine à la plus haute au Tetrachorde, & ton
Des non conioinctes voix, respond au luth du Monde
A l'Astre Ionial d'influence feconde,
Et à l'Intelligence en l'homme organisé:
Mais au Psalterion parfait, harmonisé
Du Monde sur mondain, l'vnziesme se rapporte
Des Dominations à la saincte cohorte,
Que le grand IEHOVAH, qui premier descouurit
A Moyse son nom, & son sainct Temple ouurit,
Meut, gouuerne, & conduit, & des quatre Systemes
Les quatre accords parfaits, & leurs quinze voix (mesmes.
La douziesme Neté de Diezeugmenon,
Des desioinctes la haute entre les vieux a nom,
Et à Saturne haut en hauteur se rapporte
Desioincte, comme luy aux autres ne s'assorte,
Aux marches du clauier des grands orgues diuers,
Qui resonnent dedans le creux de l'Vniuers:
Dans le Systeme humain c'est la chorde tenduë
De haute Sapience experte, & entenduë:
Et c'est en l'instrument du Monde sur-mondain
Des Thrones l'ordre sainct, constant, & non soudain,
Qu'El maintient & soustient, & gouuerne, & accorde,
El le bras droit, & fort, Dieu de misericorde.
La treiziesme est Trité de Hyperboleon,
Des excellentes tierce au Tetrachorde, & ton
Le plus haut esleué, & est celle qui vole
Iusqu'au Ciel estoillé du Monde en la Viole:
Et en l'Organe humain, qui est d'accord en soy,
C'est la chorde, & le nerf de l'excellente Foy
Tenduë, & ferme en Dieu, non la foy simple, & nuë
Des enfants apprentifs, mais certaine, & connuë,
Qui plus haut d'vn degré que Sapience vault,
Comme le Firmament plus que Saturne est hault:
A laquelle respond au monde des Idees
L'ordre des Cherubins, par lequel sont guidees
Les Ames des Chrestiens iusqu'à l'oracle saint
Du sacré Iehoui, qui le tiers nombre atteint
Des supremes hauteurs, & merueille profonde,
Là où la Trinité en vnité se fonde.

Id est in Trinitate vnica est essentia.

Puis d'Hyperboleon ensuit Paraneté,
Prochaine à la plus haute en ton surexalté,
A laquelle respond des Sferes la neufiesme
Sur le clauier d'Orfee, & du Monde au Systeme:
Et au Systeme humain ceste chorde respond
A l'Esperance vraye, & qui point ne confond:
Mais là où de Dauid les hauts souspirs se dardent,
Ce sont les Serafins, qui du feu d'amour ardent,
La chorde d'Esperance aspirant à la fin,
Et le nerf retintant sous l'amour Serafin,
Que Jah meut embrasé, Iah qu'en ses saincts Cātiques
Le Chantre plus diuin des Chantres plus antiques
Repete si souuent, & mesme aux vers sacrez
De ses Pseaumes iouez sur les quinze degrez
Lors qu'estant esleué au Ciel neufiesme Orfique,
Et dans le cœur bruslant de l'amour Serafique
Jl inuite Elements, Hommes, Anges, & Cieux
A celebrer de Jah le haut nom precieux,
Iah qui d'arde en l'œil droit de l'homme sur-celeste
Les rais du feu diuin, auquel est manifeste
Tout ce qui se contient és supremes rondeurs,
Voire mesme de Dieu les hautes profondeurs.
Puis d'Hyperboleon Neté haut-esleuee
La quinziesme, & derniere, où se voit acheuee

L'entresuite

L'entresuite des voix au Systeme vocal,
Respond au Ciel dixiesme au Monde musical,
Et à la Charité au Systeme de l'homme,
Qui parfait en vertu parfaite se consomme:
Car sa neufue Charité, qui iamais ne froidit,
Sur tous les nerfs tendus des vertus se roidit,
Et resonne si clair de sa voix surhaussee,
Que depuis que du Corps la Guyterre est cassee,
Elle retinte encor, & l'homme esuanoüy,
De Charité l'accord est sur les Cieux oüy:
Car quand l'Espoir sera & la Foy destendue,
Là sus sera tousiours Charité entendue.
Mais l'Hõme Dieu Iesvs, *le Christ, l'Oint, le* David
Qui de David *l'esprit par son Esprit rauit,*
Du Systeme formel est la quinziesme chorde
Et le dixiesme nerf du diuin Decachorde,
Qui pour s'estre abaissé, & comme anneanty
En vestant nostre chair, & y ayant senty
Mort cruelle, & honteuse, & puis dedans le ventre
De Terre enseuely, ayant iusques au centre
Des Enfers penetré, ainsi qu'un arc voûté
Courbé comme vn Croissant, s'est si haut reietté,
Que du sepulchre yssant sans en rompre la pierre,
Trauersa les dix Cieux, comme on voit que le verre
Est des rais du Soleil tout soudain trauersé,
Sans que le verre soit ny fendu, ny percé,
Et monta par dessus les neuf ordres des Anges,
Qui en nombreux accords resonnent ses loüanges,
Iusqu'au cercle infiny de la Diuinité:
Où d'Ebich la couronne en supreme vnité
A de l'humanité la teste enuironnee,
Laquelle auoit esté d'espines couronnee:
Et Dieu luy a donné vn si haut nom là sus,
Qu'il surmonte tout nom, si qu'au nom de Iesvs
Vont courbant le genou tous les Esprits qu'enserre,
Le Ciel dedans son rond, les Enfers, & la Terre.
Si doncques l'Archetype, & les Cieux accomplis,
L'homme, & les Elements sont de l'Esprit remplis,
L'Esprit harmonieux, & si ce qui embrasse
Toute chose dans soy, qu'il accorde & compasse
A science de voix: si vingt & quatre vieux
Font resonner là haut des tons harmonieux
Dans la sainte Cité, auec lesquels s'assemble
Le beau chant nuptial, que font ouyr ensemble
Les Astres du matin, qui d'hymnes tour à tour
Vont loüants le grand Dieu auant le poinct du iour:
Si dessus chaque Ciel s'assied vne Sereine,
Qui sa Sfere remplit de voix claire, & sereine:
Bref si de l'Vniuers (ainsi que veut Platon)
Ceste Ame Archimusee, & qui meine le ton
Dedans le ventre creux du Tout qu'elle dispose,
De nombres Musicaux s'vnit, & se compose,
Se doit-on estonner si elle va formant
La voix harmonieuse au corps de l'Animant?
Se doit-on estonner que par secrette amorce
Elle en face sentir aux Animaux la force?
Et que tant d'Oiseaux peints par l'air, & dans les bois
Decoupent si menu les fredons de leurs voix?
Que le Chardonnet, & les gentes Linotes
Accordent à l'enuy leurs motets, & leurs notes,
Et que le Rossignol caché dans les buissons
Harmonieusement gringote ses chansons?
Et que les Cygnes blancs aux replis de Meandre
Facent les doux accents de leur compleinte entendre?
Et qu'est ce que ne force, & que n'aille allechant
La secrete vertu de Musique, & du chant?
Sous le son d'vn flageol, ou bien à la pipee
Des Oiseaux bigarrez la simplesse est trompee:
Sous le son des bassins les Mouches à miel
La Musique goustant comme filles du Ciel
Aux bois, aux prez, aux chãps, & aux vergers suiuies
Au tintin de l'érain sont à la fin rauies,
Et les ieunes essains bruyants en l'air serain
S'agettent en la Ruche au tintin de l'érain:
Elles menoient ailleurs nouuelle colonie,
Mais leur troupe s'arreste au son de l'harmonie.
On conte que iadis entre les anciens
Pour le Python occis meints bons Musiciens
Sonnants à qui mieux mieux d'Apollon la victoire,
Et la mort du Serpent si grand, & si notoire,
Celebrerent des Ieux, & qu'Eunome Locrois
Aux plus chauds iours d'Esté auec ses souples doigts
Fredõnant vn doux Luth sous sa main blãche, & belle
Sentit à l'impourueu rompre sa chanterelle:
Lors au manche yuoirin de son Luth bien tendu
Vne Cigalle ayant ses accords entendu
Soudain se vint percher, & à sa chanson mesle
Des accents decoupez dedans sa gorge gresle,
Suppleant le defaut du ton entrerompu,
Et remplissant le ieu au lieu du nerf rompu.
O gentille Cigalle ayant l'ame rauie
Des tons harmonieux, le plaisir de la vie!
Ce n'est pas sans raison que Platon dit de vous
Qu'en vos corps se changea des Muses l'accent doux:
Vrayment le son vous plaist, & la voix accordee,
Et vous plaisant vous plaist la Musique enchordee.
Les Cerfs ailez de peur sentent estre surpris
Des flutes par le son leurs estonnez esprits:
Et au son argentin de la Lyre doree
Par troupes vont nageant à la riue, & oree
Des flots Hyperborez les Cygnes doux-chantans,
La secrete vertu de Musique sentans.
D'Inde les Elefans en troupe apprinoisee
Sont rauis par douceur nombreuse organisee:
Orfee à soy tiroit par ses fredons diuins
Les bestes aux forests, Arion les Daufins
Aux vagues de la mer, & dessous sa Guyterre Quod licentiâ poëticâ (sicut & alia multa) dictum intellige.
Faisoit d'ordre arrenger Anfion meinte pierre
Pour ses Thebes bastir: les carmes, & les chants
Font rompre les Serpens par les bois, & les champs:
Par carmes, & par chants les Manes, & les Ombres
Des defuncts sont tirez dehors des tombeaux sombres.
Mesmes, qui le croira? la Mer fait resonner
Des fredons tout ainsi que qui orroit sonner
Les chordes d'vne Harpe à l'Actiaque riue:
Et de Megare encor la roche ou pierre viue
La Harpe va sonnant, & tout autant de coups
Qu'on y frappe, on entend autant de fredons doux.
Tout aupres d'Elusine on voit vne fonteine
Où iallit à boüillons l'eau viue, claire, & saine,
Si tost qu'on vient aupres les flutes emboucher,
Et faire sur les trous les doigts d'ordre marcher:
Y a-t'il là dedans quelque Nymfe ayant vie
Qui des sons animez aux flutes soit rauie?
Ou si ce grand Esprit qui peut tout entonner,
Estant infus en l'eau la fait lors boüillonner?
Varron dit auoir veu des Isles en Lydie
Qui vont dansant en rond dessous la melodie
Des flutes qu'on embouche, en l'Estang desmarchant,
Puis toutes tour à tour du riuage approchant.
En la riuiere noire on voit en Finlandie
Vn Monstre en forme humaine, ayant face hardie
D'vn Harpeur bien expert, qui se voudroit loüer,
Et tient entre ses mains vne Lyre à ioüer:
Qui est certain prodige, & tout asseuré signe
Que celuy qui gouuerne en ce Chasteau insigne
Incontinent mourra, ou que quelqu'vn de ceux
Qui alentour des murs font le guet paresseux,

Endormy tombera, & mort s'en ira boire
Du fleuue de l'Oubly dessous ceste onde noire,
Si cela est commun, pourquoy s'esbahit on
Ou des Syrenes seurs, ou du marin Triton,
Qui d'vne bouche enflee, & d'vne baleine forte
Donnoit l'ame, & le son à sa Trompette torte,
Et alloit excitant en la mer maint poisson
Par ce bruit sonoreux, & puissante chanson!
Les Pasteurs esgayez des monts sur meinte croupe
Font sauter, & danser leurs ouailles en troupe
Dessous leurs chalumeaux, ou bien sous le bourdon
De leur Musette enflee, & pleine d'vn air bon.
Le Laboureur des châps qui ses bœufs pique, & pousse,
Soulage son trauail de quelque chanson douce:
Le Batelier qui rame, & tire és auirons,
Fait de chants retentir de l'eau les enuirons:
Le Charetier guidant son char frayant la voye,
Enchante ses trauaux auec vn chant de ioye:
Mesme au berceau plorant le petit enfançon
Coy s'endort, & s'appaise au bruit d'vne chanson:
Comme si l'Ame estant de Musique rauie
R'assembloit lors en vn ses accords, & sa vie.
O grand Ame combien sont tes accords parfaits!
O grand Ame combien merueilleux tes effects!
Tu es infuse au Monde, & la grande harmonie
Est l'Ame de ton Ame auec ton centre vnie.
Pource les Sages vieux, lesquels ont penetré,
Et dans les cabinets de ton sacraire entré,
Connoissant ta puissance, & secrete energie,
L'Ame humaine ont par chant enchantee, & regie.
Pythagore, & les siens la rage, & le courroux
Des hommes furieux rendoient paisible, & doux
Aux chordes d'vn doux Luth, ou de Lyre accordee,
Tirant à la Raison l'Ire des-accordee,
Et soudain guarissoient les sens empoisonnez
De l'amoureux venin, ou d'ire forcenez.
Asclepiade appaisoit la tourbe fremissante
En tumulte, & discord, par voix adoucissante,
Et chant bien accordé: il guarissoit les sourds
Au son de la Trompette, & au bruit des Tambours.
Damon par graues tons, & bonne consonance
A la sobrieté, & à la temperance
Du vin, & de Venus les Ieunes ramenoit,
Et leurs esprits troublez calme r'asseuroit.
Hismenias Thebain par douceur harmonique
Les fiéures guarissoit, & goute sciatique:
Theofraste accordant motets melodiset,
Les troublements d'esprits rendoit tous accoisez:
Au son des Orgues doux Xenocrate l'antique
Les hommes deliuroit de fureur Lymfatique:
Thales le Candiot chassoit loin des Citez
De sa Cythre la peste, & les maux excitez.
Terpandre, & Arion ont par leur harmonie
Deliuré de grands maux Lesbes, & Aonie:
Et le mesme Terpandre appaisa les discords,
Et la sedition des Spartains peuples forts
Par les accords tresdoux, que lors il sceut eslire,
Comme maistre ioüeur des chordes de la Lyre.
Agrigentin appaisa d'vn chant melodieux
D'vn Ieune la fureur, qui d'vn cœur odieux
Ia-ja le glaiue en main alloit par impropere
Meurtrir l'accusateur de son condemné pere.
Par nombre Musicaux Herofile entre tous
Des maladies puisoit les vaines, & le pouls.
Auec vn ton guerrier, & par sonoreux carmes
Timothee excitoit son Alexandre aux armes:
Si que par ceste ardeur, qu'il luy faisoit sentir,
Tout soudain de la table il le faisoit sortir,
Et aux armes courir, puis de main compassée
Il le rendoit assis, & d'ame reposée.
Et que diray ie plus? le grand Harpeur de Dieu
Mon Dauid, mon Berger, mon Roy choisi au lieu
De Saül reprouué, par diuine harmonie
Appaisoit tout soudain de Saül la manie:
Voire le sainct Esprit lequel fait conceuoir
Les mysteres diuins, & le futur préuoir,
Est luy-mesme excité de l'harmonie infuse,
Et se rauit au son de la Musique, & Muse.
Licentia poëtica.
Iadis lors que trois Rois voulurent attiser
La flamme d'Elisee à leur prophetiser,
Plustost il ne sentit son Ame estre engrossie
De la diuine ardeur d'Esprit de profetie,
Que le chant d'vn Harpeur, que lors on fist venir,
N'eust à l'Esprit de Dieu son Esprit fait vnir.
L'harmonieuse voix qui esgaye, & contente
Vne Ame harmonieuse, y attire la Tente
Et Pauillon de Dieu, & lors elle y reçoit
L'influence diuine, & le futur conçoit.
Et qui ne sçait combien la Musique console
Encontre le Phalange, ou bien la Tarantole,
Lequel rend les humains de son venin infectez
D'vne folie outrez, de meints diuers effects!
L'vn rit incessamment, l'autre pleure à merueille,
L'vn chante, l'autre brait, l'vn dort, & l'autre veille,
Et n'y a point moyen d'aider, ou secourir
Ces pauures infectez au danger de mourir,
Sinon que d'employer vn Menestrier bon maistre:
Lequel faisant mouuoir les chordes sous sa dextre
Resueille les Esprits assoupis dans les corps
Des miserables fouls ja presque demy morts,
Qu'il contreint à danser, & sauter sans relâche,
Tant que ja le venin, qui aux veines se cache
Soit par le mouuement, & la chaleur dissous,
Reuenants en leur sens ces miserables fous.
Et qui s'estonnera que la douce harmonie
Guarisse les humains de fureur, & manie,
Si en sa metairie vn tresgraue Caton,
D'vne chanson Barbare, & mal-accordé ton,
Auquel on n'entendoit parfaites melodies,
A bien de son bestail guary les maladies?
Si la Musique a force en tels brutaux esprits,
Combien plus nostre Esprit en doit-il estre espris?
Mais quels effets produit la Musique guerriere?
Les Tambours tambourez de diuerse maniere?
Le Suisse pesamment le bat à sa façon,
Le François plus gaillard luy donne vn gaillard son
Ores graue, ores prompt, puis menu le redouble
Quand on fait la Lymace, ou qu'au choc on se trouble:
Les antiques Spartains, autrement tres-vaillants
Contre Messeniens vne fois bataillants,
Eussent presque recreuz la bataille quittee,
Si s'en apperceuant le bon ioüeur Tirthee
N'eust lors changé de ton, & r'animé les cœurs
Des siens qui de vaincus deuindrent les vainqueurs:
Et les mesmes Spartains par vn deuot office
Souloient aux Muses faire honneur, & sacrifice
Auant qu'aller en guerre, & de flutes chantans
Animoient au combat les soldats combatans,
Et desmarchoient de rang aux cadanses de l'Ode
Que leurs Chantres nommoient Castorienne mode.
Les Peuples Lydiens dessous les chalumeaux,
Et la flute embouchee, aux combats, & assaux
Estoient tant animez, que la teste baissee
Ils se ruoient dedans la tourbe plus pressee.
Les Candiots hardis alloient s'escarmouchant
Afronter l'ennemy sous la Lyre, & son chant:
Les Grecs sous la Musette, & l'audace Romaine
Sous la Trompe monstroit sa force plus qu'humaine,

Sous

Sous le son du haut-bois l'Amazone, & encor
Nos Gaulois leurs squadrons encourageoient au Cor.
Tartare, Perse, Turc, d'instruments diuers sonnent,
Et de Tambours d'erain les Abissins resonnent.
Les vieux Prestres des Gots auecque harpes, & luts
S'en alloient receuoir leurs bons soldats esleus
Reuenans des combats, & tous comblez de gloire
Pour sur les ennemis auoir eu la victoire.
Mais qui s'estonnera que les peuples polis
Sentent dedans leurs cœurs leurs esprits recueillis
Tressauter d'allegresse, & leur Ame esgayee,
Veu que l'Ame barbare (& encor effrayee
De voir nos hommes blancs) des Azenegues noirs
Sentit s'apriuoiser non tant par leurs miroirs
Comme par le doux son de leurs flutes naiues
Qu'ils croyoient, esbahis, de nature estre viues?
Le son que la Trompette ensle aux trompes d'érain,
Et clerons allongez coup sur coup de la main,
Enfle les cœurs hautains des soldats, & gendarmes,
Et meut les cheualiers, & les cheuaux aux armes:
Lors le hennissement des cheuaux dedans l'air
Aux Trompes, & Tambours bruyant se va mesler,
Et la voix des soldats auecque le tintamarre
Des harnois cliquetans s'accorde à la fanfarre:
Et le Cor embouché du Chasseur dans les bois
Fait redoubler des Chiens la course, & les abois:
Puis d'vn son à faucet la bouche, & gorge experte
Sonne ores la curee, & ores la retraite.
Et bref il n'y a rien dans le Ciel arrondy
Qui ne ressente en soy quelque ton retondy
De l'Ame harmonieuse, & de ceste voix ample
Qui la Scene remplit du grand Theatre, & Temple.
O vous Musiciens des Princes, & des Rois,
Si vous auez appris de Musique les loix,
Si vostre Ame retient tant soit peu d'harmonie
De l'Ame harmonieuse en tous les Cieux vnie:
Si comme aux Instruments vous trouuez les accords,
Vous sçauez accorder la Lyre dans les corps,
Dont les nerfs attachez au Tymbre de la teste
Comme à vn cheualet qui se meut, & s'arreste
Sont tendus iusqu'au cœur, où s'entend l'vnison
Et le melodieux accord de la chanson:
Si vous sçauez vser de la meilleure oreille,
Si vous sçauez choisir le vray ton qui resueille
Dans l'homme la Raison, & lequel est vainqueur
D'ire, & d'ambition, d'enuie, & de rancœur,
Tendez ie vous supplie si roide sur la Lyre
La chorde de Raison, que le reson de l'ire
Ne soit point entendu, ou s'il s'entend par fois
Et qu'il face esclater aigres, & fortes vois,
Que ce soit à l'encontre, & du crime, & du vice,
Contre la tyrannie, & contre l'iniustice,
L'orgueil, la violence, & horribles forfaits
De qui va violant la Musique de paix.
Entonnez, entonnez au cœur des Princes braue
A mode Dorienne, & ton seuere, & graue,
La vraye Pieté, & du grand Dieu les droits
Qui fait, & qui defait les Regnes, & les Rois.
Chantez à leur oreille, & rechantez sans cesse,
Que si vn Roy, ou Royne, ou vn Prince, ou Princesse,
La Dame, ou le Seigneur ne vont obeissant
A cestuy là, qui est le Seigneur Tout puissant,
Qu'il permet à la fin que le sujet s'esleue
Encontre son Seigneur, qui l'afflige, & le greue:
Le Gentilhomme aussi sortant hors de son rang
Ne veut plus obeïr aux vrais Princes du sang,
Ny les Princes aux Rois, parce que les Rois mesme
A Dieu n'ont obey, qui est le Roy supréme:
Ainsi l'Ame est confuse au politique corps,
Et le grand luth du Regne a perdu ses accords.
Mais comme Dauid vn Roy connoist son vice,
Et d'vn cœur abbaissé vient faire à Dieu seruice,
Les Princes à leur tour viennent s'humilier
Deuant sa Majesté, les Seigneurs supplier
Les Princes, & les Pairs, le Gentilhomme moindre
Aux Seigneurs humblement se va sousmettre, & ioindre,
Et ses vassaux à luy: le peuple aux Officiers,
Les bourgeois, & marchans aux iustes Iusticiers,
Et le soldat mutin se range à son Enseigne
A l'exemple du Roy qui tout son peuple enseigne:
Par ainsi l'harmonie au Regne se refait,
Et dans le corps public r'entre l'esprit parfait:
Et d'autant que le Roy tend droict à Dieu sa chorde,
Tout l'ordre des sujets auec le Roy s'accorde.
O Chantres chantez donc aux Rois vn si bon chant,
Qu'ils s'aillent du grand Roy de plus pres approchant:
Chantez en ton guerrier, en Phrygienne mode
Des vaillans les vertus, & animez meinte Ode,
Meint beau chant triomfal, & meint hymne nombreux
Des hardis combatans, des Capitaines preux,
Qui courageusement defendans leur prouince,
Leurs autels, leurs foyers, leur Eglise, & leur Prince,
Repoussent l'Estranger, ou le François mutin
Forcené de vengeance, ou friand de butin:
Et targuans dessous eux l'innocence asseruie,
Prodiguent vaillamment, & leur sang, & leur vie
Pour l'honneur du grand Dieu, & Christ en Croix pẽdu,
Qui pour eux, & pour nous a son sang respandu.
Leur Noblesse ne gist à opprimer, ny battre,
Ains pardonner à l'humble, & l'orgueilleux rabattre.
Pour ceux-là vous deuez, & assouplir vos doigts
Dessus les nerfs tendus, & marier vos voix
Aux fredons decoupez, pour chanter leur vaillance,
Leurs coups de coutelats, ou de pique, ou de lance,
Leur force, & leurs efforts, les courses, & trauaux
Des gentils Cheualiers, & des gentils cheuaux,
Si haut que leur vertu, que vostre main fredonne;
Dedans tout le grand rond du Ciel vouté s'entonne.
Ainsi vos deuanciers les Bardes bien appris
Celebroient des Gaulois la proüesse, & le pris,
Et animoient les cœurs de la Ieunesse esprise
A toute hazardeuse, & loüable entreprise.
Et vous Princes aussi qui aimez gratieux
Les Graces, & la Muse, & Musique des Cieux,
Quelquefois retirez des combats, & allarmes
Sonnez-moy vos beaux faits, & victoires en carmes,
Et me faites parler de la Lyre les nerfs
Dessous vos doigts d'yuoire en plusieurs tons diuers.
Ceux qui sont amoureux des histoires antiques,
Celebrent les autheurs de leur race en cantiques:
Ceux qui se plaisent mieux à raconter de Mars
Embusches, & aguets, surprinses, & hazards,
Rencontres, & combats, assaults, & escarmouches,
Qu'ils sonnẽt de leur Harpe, & chantẽt de leurs bouches
Pour tromper leurs ennuis, les honneurs glorieux
Ou d'eux, ou des Herôs jadis victorieux,
A l'imitation de cestuy-là qu'Homere
Nous a si haut-loüé, dont Thetis fut la mere,
De l'Achille guerrier, qui deuant Troye iré
Pour Briseis sa mie, & s'estant retiré
Attacha par despit son armure pendue
Au croc, & detendit sa Lyre bien tendue
Pour charmer sa colere, & l'outrageux desdain
Que par amour vaincu, il auoit trop soudain
Conceu contre son Prince, & à fin de remettre
La Raison en son siege, & estre de soy maistre:
Et puis r'asseréné sonnoit en tons parfaits
Des hommes illustres les vaillans, & beaux faits,

Comme le vieil Chiron luy enseigna de tendre
Sa Lyre en bons accords, dés sa ieunesse tendre.
Mesmes le parangon des anciens guerriers,
Qui s'acquist tant, & tant de palmes, & lauriers
Par son cœur inuincible, & par sa main tres forte,
De laquelle il obtint victoire en toute sorte,
Quelquefois par esbat se recreant humain
Employoit ses doigts forts, & celle mesme main,
Dont il auoit vaincu les Monstres de la Terre,
A vaincre ses ennuis sur la douce Guiterre,
Ainsi comme Linus, le vray fils d'Apollon
Pour luy faire domter son courage felon,
Et lascher quelquefois sa force trop roidie,
Luy auoit enseigné l'art de la melodie.
Vous Chãtres, vous Harpeurs, qui cõtentez les Ames,
Et les Esprits rauis des Seigneurs, & des Dames,
Des ieunes Damoiseaux, & des Adolescens,
Et des Nymfes de Court, eslisez des accens
Chastes, & purs du tout, dont la douceur distile
L'honneur & chasteté, dans leur Ame gentile:
Aduertant Musici, & musicae auditores. *Et puis de la Musique, & les sons trionfans*
Sont de l'Ame du Monde, & des Cieux les enfans,
N'entonnez en leurs cœurs, ny aux trous de leurs testes
Nuls tons qui ne soient purs, etherez, & celestes:
Les Muses n'eussent eu nulle Diuinité,
S'elles n'eussent vescu en leur virginité,
Et n'est point harmonie, ains discorde peruerse
La charnelle chanson, qui Chasteté renuerse.
Fuyez, Dames, fuyez, & vous Princes aussi
Le mol chant allechant trop lasche, & adouci,
Qui amollit les cœurs, & rend effeminee
Par son enchantement, l'Ame autrement bien nee.
Bouchez, Princes, bouchez de cire, ou de vos doigts
Vos oreilles, de peur que vous n'oyez les voix,
Les voix, & sons pipeurs des trompeuses Sereines
Qui se trouuent ailleurs, qu'en mer, ou aux areines,
A celle fin qu'en fin leur chant trop feint, & fin
Ne vous face abysmer en la mer sans Daufin,
Qui vienne sur son dos vous deliurer de l'onde,
N'ayants point d'Arion la Lyre pure, & munde,
Et n'ayants auecque vous pour leur chant enchanter
De Thrace le Harpeur, qui apprint à monter
De sa Harpe, le fust de d'icelle Calliope
Mere spirituelle, & Reine de sa trope,
Et lequel par les chants, qu'il sçauoit composer,
Des Sereines au son se sceut bien opposer,
Et deliura de mort par sa douce allegresse
Et Hercule, & Iason, & la fleur de la Grece.
Donc Chantres, qui sçauez les diuers tons choisir,
Et apres les trauaux en repos, & loisir
Donnez contentement par modes nompareilles,
Et pouuez satisfaire aux plus douces oreilles,
Si vous voulez mouuoir le courage aux combats,
Vn plein ton Phrygien sonnez moy par compas:
Si vous voulez que l'Ame en paix de là reuienne,
Chantez soudain le ton en mode Dorienne:
Si rompre vous voulez des ennuis le lien,
Et induire au sommeil, prenez l'Eolien:
Si vous auez desir que l'Ame au vif s'aguise
Aux plus diuins secrets, sonnez d'vne autre guise
Le beau ton de Iasis: si chasser les soucis,
Sonnez du Lydien les fredons adoucis:
Si vous voulez que l'Ame à pleindre soit tentee,
Celle mode sonnez par Saphon inuentee,
La Myxolydienne: & si auez desir
Soudain d'egayer l'Ame, & luy donner plaisir,
Autre chorde par vous à cest effect donnee
Vide Aristidem l. 3. *Soit à l'Iastienne esparse, & fredonnee.*
Si l'Ame est harmonie, ainsi qu'ont dit les vieux,
Aux ennuis il ne doit à nul estre ennuyeux
Que d'harmonieux son, qui sur tout luy agree
Par fois en la resueille, en l'vnisse, & recree:
S'elle est faite d'accords, d'accords la faut nourrir,
Et si elle mouroit, viue elle iroit mourir
En sa source premiere, & en concorde vnie
Elle iroit s'allier auecques l'harmonie:
Car le nom de la Mort est vn nom vain du tout,
Et ce qu'on voit dissoudre, en cela se dissout
Dont il est composé: quand il faut qu'vn corps meure,
Cela qui est terrestre, à la terre demeure,
L'eau à l'eau, l'air à l'air, le feu au feu se ioint,
Et le celeste au Ciel: mais l'Ame, qui n'est point
Ny de terre, ny d'eau, d'air, de Ciel, ny de flame,
Ne se reioint, sinon en la nature d'Ame.
S'elle estoit harmonie, il faudroit par raison
Qu'elle s'allast reioindre en harmonie reson:
Mais son harmonie est tres-diuine & tressaincte,
Aussi des sons diuins, & saincts elle est atteinte.
Donc de motets diuins, & cantiques tressaincts
Faites que ses accords dans le corps soient atteints,
Et l'y entretenez par vne nourriture,
Qui de nature soit conforme à sa nature.
Doncques rien de charnel, rien d'impudic, ny rien
Qui sente tant soit peu son amour terrien,
Rien de mol, rien de lasche, & rien au vice esclaue,
Mais tout pur, tout constant, tout honoreux, & graue,
Imitez, imitez, la Musique, & le son
Du Joueur, que laissa iadis en sa maison
Agamemnon le Roy pres de sa Clytemnestre,
Pour garder qu'en son cœur l'amour vain ne peust naistre.
Pendant qu'il entonna ses fredons en son cœur,
Egiste le paillard n'en fut iamais vainqueur:
Mais si tost que de luy Egiste l'eut priuee,
Elle sentit en soy vne flamme auiuee
La brusler dans les os, & luy ardre cruel
Les moüelles, & le sang d'vn feu continuel:
L'amour de son mary, qu'elle y auoit empreinte,
Quant le son fut esteint, fut aussi tost esteinte:
L'esprit impur ayant chassé le pur esprit
Apres vn tiede feu, vn feu ardent s'esprit,
Et d'vne Royne chaste, & en mœurs accordee
Elle deuint paillarde, & putain desbordee.
Donc Chantres, ie vous prie, les vrais tons apprenez,
Et vous Dames aussi exemple icy prenez:
Ne permettez iamais que la constance forte
Cede à la volupté tout soudain vaine, & morte:
Ne permettez iamais que les diuins accens
Se laissent emporter par les chatoüilleux sens,
Ny que le Cheual noir de l'Appetit qui broche,
Entreine la Raison, & le Chartier du Coche:
Ains permettez plustost qu'vn son graue, & rassis
Tienne l'Entendement en l'eschauguette assis,
De peur que l'ennemy cauteleux, & rebelle
De vostre Chasteté, ne force la tour belle,
Et qu'il vous pille en fin par ses soldats tres-ords
Le thresor qui est cher entre tous les thresors.
Comme la fleur secrette és iardins clos prise,
Inconnuë au bestail, & du soc non brisee,
Que flatent les doux vents, qu'affermit le Soleil,
Et que nourrit la pluye en son pourpre vermeil,
Est cherie à l'enuy par grand desir, & zelle
De meint Damoiseau ieune, & ieune Damoiselle:
Mais si de l'ongle tendre on la tranche à l'vny,
Son pourpre se flestrit, & deuient tout terny:
Lors plus ne la cherit d'aucun desir ny zelle
Nul ieune Damoiseau, ny ieune Damoiselle:
La Vierge est tout ainsi, tandis qu'entiere elle est,

Et

Et que non corrompuë aux siens agree, & plaist:
Mais si le corps pollu elle a perdu en haste
L'honneur de sa beauté, & sa fleur pure, & chaste,
Lors elle est mesprisee, & plus n'en a souci
Nul ieune Damoiseau, ny Damoiselle aussi.
Chantez, Chantres, chantez du grand Dieu les loüanges,
Accordez vos beaux chants aux saincts hymnes des Anges,
Gloire soit és hauts lieux à l'vnique Bonté,
Paix en terre aux humains de bonne volonté.
Faites-moy tournoyer par nombreuses paroles
Et les Esprits mouuans, & du Ciel les carolles:
Entonnez és tuyeux des Orgues longs, & ronds
Des Cieux organisez la Musique, & les tons:
Faites sur le clauier d'vne douce Espinete
Marcher d'ordre, & de rang Planete apres Planete
Sous le bal du grand Ciel, qui voit auec tant d'yeux,
Et d'Astres tournoyans au son melodieux
De la Lyre à Phebus, qui meine en rond leur dance
Et les fait arriuer par nombre à la cadance.
Ainsi comme Dauid sous sa harpe conduit
Le Soleil du Soleil, le Ciel du Ciel qui luit,
La Lune de la Lune, & les Signes des Signes,
Et des Astres brillants, les Astres plus insignes
Alors qu'en la minuit l'Aquilon excité
Sonne dedans sa harpe en la saincte Cité.
Ainsi qu'on voit souuent aux carolles, qu'enflamme
Vn impudic amour, l'homme mener la femme
Main à main enfilez le pied suit le pied prompt,
La femme l'homme suit, l'homme la femme en rond,
Et les yeux des Amants, lesquels s'entreregardent
De raiz en quart aspect, sixiesme, ou tiers se dardent:
Quelquesfois les ialoux se mirent vis à vis,
Quand ils voyent de trop pres se ioindre les deuis:
Ainsi les yeux du Ciel, qui çà, & là se virent,
Ores d'vn bon regard, or d'vn malin se mirent,
Tantost Venus, & Mars de trois Signes entiers
Se remirent en quart, puis s'aguignent en tiers
De quatre Signes pleins, tantost Phebus s'oppose
Droit à Phebé sa Seur, tantost elle se pose
Sous luy en ligne à plomb pour à longs traicts humer
Les rais de ses beaux yeux, & d'ardeur s'allumer
En la conionction. Venus dedans la Liure
A Mars dans le Mouton aspect de haine liure,
Et Mars en son Belier de raiz à demy beaux
Va Mercure aguignant, qui est en ses Gemeaux
Par vn sixiesme aspect: puis Mercure en sa Vierge
Regarde Iupiter, dont l'Archer est concierge,
Par vn aspect quarré. Venus dans son Toreau
Mire dans les Poissons Iupiter d'vn œil beau.
Mars en son Scorpion d'vn sextil ray, qu'il terne,
Va Saturne aguignant dedans son Chéure-corne.
Et le Soleil entré dedans son chaut Lion
Enflamme d'vn ray quart Mars en son Scorpion:
Saturne en son Verseau, d'vn autre quart qu'il darde,
Mars en son Scorpion fauorable regarde,
Et au Cancre Phebé au Mouton d'vn ray tiers
Son Phebus esclairé regarde volontiers.
Et le Cercle qui ceint tout le Ciel en escharpe,
Va dansant par compas dessous la douce harpe
D'Apollon, variant les temps, & les saisons
Selon qu'il entre, ou sort dans les douze maisons.
Le Signe masculin le feminin precede,
Le nuital au iournel tour apres tour succede,
Et celuy qui se couche à cil qui va leuant,
En leur danse tousiours ainsi s'entresuiuant.
Faites les donc danser en regard amiable,
Et admirez de Dieu cest ordre inuariable,

Hic domus planetarum cum aspectibus egregiè describuntur.

Si beau, si bon, si coint, si propre, & si parfait,
Que l'Ouurier se demonstre en l'œuure, qu'il a fait.
Tourne de l'Orient à l'Occident la Strofe,
De Ponant à Leuant retourne l'Antistrofe,
Et lors que vous verrez les Astres reposer,
Faites-moy vostre chant en Epode poser.
Les Cieux vont racontant de l'Eternel la gloire,
Et le Ciel estoilé rend son œuure notoire.
Reployez donc vos vers, & leurs tons indtez,
Et au vray point de l'Vn tous vos traits limitez.
Onc la Lyre d'Orfee au Ciel n'eust eu sa place,
S'elle n'eust imité du Ciel la triple Grace,
Et les trois mouuements le Firmament tordant
Detour, & de retour au seul Repos tendant:
Lyre qui fist ses tons (tant il la sceut bien tendre)
Au Ciel, en Terre, en Mer, & aux Enfers entendre.
Et le Cygne qui va à la Lyre touchant,
Ne luiroit point au Ciel, n'eust esté son doux chant.
Si donc on oit chanter à toute creature
Son diuin Createur, vous d'humaine nature
Le chanterez vous point? pour luy sera la voix
Muette en vos gosiers? pour luy seront vos doigts
Sur la chorde engourdis? musera la Musette
Entre vos bras pour luy? clorrez-vous la Rosette
De vostre Luth pour luy, & pour le diuin Chœur
Lequel vous va ouurant la Rosette du cœur?
Ne sera la rondeur de vos Orgues enflee
De vents soufflez pour luy, qui dans vous a soufflee
Et l'Ame, & la Raison, & y souffle encor mieux
Pour plus vous accorder, l'Esprit harmonieux?
Bruira point le Cleron, & la Trompette en pompe
Pour celuy qui monta sous la voix de la Trompe,
Lors qu'il alla pour nous le Ciel des Cieux ouurir,
Et la Musique vraye à plein nous descouurir?
Doutez-vous donc que Dieu ne vous entende, & oye?
Doutez-vous donc que Dieu inuisible ne voye?
Celuy qui a planté l'oreille, orra-t'il point?
Ne verra point celuy, qui le ray des yeux poingt?
Que vostre langue donc decoupe la parole
Ainsi comme vn Archet dessus vne Viole.
Chantez donques chantez, aux nopces de l'Agneau,
Ornez d'habits nouueaux, vn Cantique nouueau,
Accordez moy vos voix à ces Harpeurs, qui iouent
Sur le mont de Sion, & de leurs harpes loüent
Deuant quatre animaux d'yuoire au siege blanc,
Et vingt & quatre vieux arrengez flanc à flanc.
Ne soyez plus assis de Babilon aux fleuues,
Des Saules dependez vos harpes toutes neuues,
Et sonnez auec eux par douce affection
Le Cantique nouueau du sainct mont de Sion.
Nul dire ne le peut fors en la saincte ville
Cent quarante sans plus auecques quatre mille
De la Terre achetez. Ce sont ces Harpeurs dous,
Aux femmes non soüillez, car ils sont vierges tous:
Ceux-là suiuét l'Agneau en quelque part qu'il marche
Sans tache ils sont deuant, de Dieu le Throne, & l'Arche:
Ils ont esté acquis de tous peuples diuers
Premices à l'Agneau, & Dieu de l'Vniuers,
Et n'a iamais esté trouué dedans leur bouche
Rien qui à fausseté, ou à mensonge touche.
Doncques auecques eux vos beaux chants accordez,
Et soyez en Babel de Sion recordez.
Sus sus, Psalterion, sus sus, ô Harpe encore,
Tost tost, resueillez-vous, i'esueilleray l'Aurore:
Il me plaist, il me plaist or' le pas auancer,
Et d'vn saut redoublé deuant l'Arche dancer,
Et par vn Auant-ieu vous monstrer par exemple
Comme on doit loüer Dieu dedans son sacré Temple.

Hic licentia poëtica dictum accipe.

O mon Ame beny le Seigneur Trois fois grand,
O Eternel mon Dieu, que ta grandeur comprand!
D'honneur, & trionfe est ta Maiesté vestuë:
Ainsi que d'vn manteau de splendeur pure, & nuë
Il s'affuble, & se vest, les Cieux tend, & diffend
Comme on voit la Courtine espanouïe en rond:
Ainsi que de planchers, ou bien de voutes cambres
D'eaux il lie, & conioint ses tourelles, & chambres:
Les nuages il va pour son char esleuant,
Il se guinde, & se meut sur les ailes du vent:
Des vents, & des Esprits fait ses courriers, & Anges,
Et du feu enflammé ses ministres estranges:
Sur ses soubassemens en l'air il a fondé
Le globe de la Terre à l'entour inondé,
Afin que de son lieu à iamais ne s'esloche:
De l'abysme de mer qui de plus pres l'approche,
Tu l'auois enueloppé, & couuert de grande eau
Ainsi que d'vne cape, ou bien d'vn bleu manteau,
Si qu'alors on voyoit des ondes les campagnes
S'arrester, & voiler la cime des montagnes:
Mais leur cours print la course alors que les tançàs,
Et à ta voix qui tonne, ils hasterent le pas:
Montent en haut les monts, deualent les valees
Aux lieux par toy fondez, aux places qu'as baillees:
Il t'a pleu à leurs bords vn terme compasser,
Qu'elles ne pourront pas iamais outrepasser,
Et plus ne reuiendront enuelopper la terre.
Fonteines, & sourgeons claires comme le verre
Tu chasses aux torrents, & aux fleuues profonds,
Lesquels s'en vont courants par-entre les hauts monts
Pour la beste abreuuer par les champs, qui s'espanchent,
Et que les Ogres fiers leur soif mesme y estanchent.
Là dessus les Oiseaux du Ciel se vont nichant,
Et dans les bois fueilleus fleuretent leur doux chant.
Tu arrouses les monts là dessus de tes nuages,
Et la terre assouuis du fruit de tes ouurages.
A la beste des champs le foin tu fais germer,
Et f..is l'herbe du grain, que l'homme va semer
Pour produire le pain de la terre sacree,
Et le vin, qui de soy le cœur humain recree:
Et l'huile dou-coulant tu luy vas produisant
Pour en rendre egayé son visage luisant,
Et afin que le pain en nourrissant soustienne
Le cœur au corps de l'homme, & viuāt le maintienne.
Les bois de l'Eternel, en seront contentez,
Les cedres du Liban, que d'ordre il a plantez,
Où les petits Oiseaux vont faire leur nichee:
La Cigongne au coupeau des sapins est iuchee:
La croupe des hauts monts est le repaire aux Daims,
Et le creux des rochers, pour les Lieures soudains.
Pour les temps distinguer tu as la Lune faite,
Et le Soleil connoist le lieu de sa retraite.
Les tenebres tu tends, la nuit la terre vest,
Adonc meint animal se meut en la forest:
Les petits Lionceaux rugissent pour la proye,
Leur pasture cherchans de Dieu qui leur enuoye:
Si tost que le Soleil monte sur l'horison,
Ils s'en vont r'assemblant, & dedans leur maison
Ils se vont recoucher, lors l'homme se descouure,
Et iusqu'au vespre sort à son labeur, & œuure,
Que tes œuures sont grands, ô Seigneur tout parfait!
En Sagesse vrayment toy seul tu as tout fait.
De tes riches thresors pleine est la terre basse,
Voire ceste grand mer, qui de ses mains embrasse
Vn si large pourpris, où se meuuent nageant
Vn nombre, qu'on ne va par nombre aucun rangeant
De petits animaux, & de bestes plus grandes:
Là vont singlant aussi les nauires par bandes,
Et ce Leuiathan, qu'on voit dedans noüer,
Lequel tu as formé pour de luy te ioüer,
Tous s'attendent à toy, que pour leur nourriture
En leur temps, & saison leur donnes leur pasture:
Tu la leur donneras, ils la prendront soudain,
Rassasiez de bien dés qu'ouuriras ta main:
Tu cacheras ta face, & vne peur soudaine
Lors les viendra saisir: leur esprit, & haleine
Tu viendras recueillir, & soudain ils mourront
Et en leur terre, & poudre adonc retourneront:
Ton Esprit r'enuoiras, qui les recree, & face,
Et renouuelleras de la Terre la face.
Soit fait de l'Eternel la gloire à tout iamais,
L'Eternel s'esiouysse aux œuures qu'il a faits.
Il regarde la Terre, & dés que l'œil il cline
Il fait trembler soudain & croller la machine:
Il frappera les monts en son ardent courrous,
Et soudain en fumee on les verra dissouls.
Au Seigneur Eternel de chanter i'ay enuie,
En pseaulmes ie louray mon Dieu toute ma vie:
Luy soit plaisant & doux ce mien chant solemnel,
Ie me resiouyray tousiours en l'Eternel:
Soient esteints les pecheurs de la terre notoire,
Et ne soit iamais plus des peruers fait memoire:
O mon Ame beny l'Eternel Trois fois grand,
Donnez gloire, & honneur à Iah qui tout comprand.

Si vous prenez plaisir d'ouyr la saincte Muse
De ce Roy qui auoit dedans sa Lyre infuse
La Musique de Dieu, & qui d'vn cours soudain
Fist retourner à mont l'eau du fleuue Iourdain,
Et sous les doux accens de ses Muses compagnes
Ainsi comme Moutons fist sauter les montagnes,
Prenez plaisir aussi au chant Musicien
D'vn contre-chantre eslu encor plus ancien,
Qui en ses contr'accords dessus le Nil d'Egypte
A son sainct chant ouyr toute Nature inuite:
Que toute la Nature esparse en l'Vniuers
Ce bel Hymne escoutant retienne ses saincts vers.

O toy la Terre escoute, & prestez audience
Tourbillons pluuieux, forests faites silence:
Car ie m'en vay chanter le Createur de tous
Cestui-là, qui est tout, & vnique dans vous.
O vous Cieux escoutez, retenez vos haleines
O vents, & d'autre son soient vos oreilles pleines:
Que le cercle immortel du grand Dieu de Raison
Vueille ores escouter ceste hymne, & oraison.
Ie chante maintenant le Createur immense
De toute chose faite, & de toute semence,
Celuy, qui a tout seul les terres departy,
Et tient en contrepoids tout le Ciel comparty:
Qui du large Ocean de toutes parts commande
L'eau douce decouler, pour nourrir la grand bande
De tant d'hommes diuers, & commande des Cieux
Le feu luire esclairant aux hommes, & aux Dieux.
O nous tous d'vne voix rendon grace sacree
A luy qui meut les Cieux, & la Nature cree:
C'est l'œil de la Pensée, & luy qui la conçoit,
L'hymne bien volontiers des Puissances reçoit.
Loüez l'Vn, & le Tout, ô mes forces, qu'on oye,
Les vertus de mon Ame accorder à ma ioye.
O Connoissance saincte, Ame pleine d'ardeur
Qui emprunte de soy sa lumiere, & splendeur,
Par toy chantant icy la lumiere entendible
Mon cœur tressaute, & sent vne ioye indicible.
O toutes les Vertus chantez auecques moy,
Chante auec moy constant, Constance sans esmoy:
Ma Iustice par moy le Iuste vnique chante,
Et mon Entiereté luy seul tout Entier vante:
La Verité par moy chante la Verité,
Et chante nostre Bien, son vnique Bonté.

O des

O des viuans la vie! ô des lumieres source!
La benediction de vous en nous prend course.
Les graces ie te ren, ô Pere tout-parfait,
De chacune Puissance acte, & vnique effet:
A toy, ô Dieu, ie ren grace, & obeyssance
De tout acte, & effet l'vne, & seule puissance.
Par moy t'aille loüant ton Verbe tres-sacré,
Par moy reçoy le monde vn sacrifice à gré
De paroles, & vers, haut mes forces s'escrient,
Elles chantent le Tout, & le Tout elles crient,
Et font ta volonté, où toute leur fin tend:
Ta saincte volonté de toy en tout s'estend:
Reçoy donques de tous, de tous païs estranges
Sacrifice de vers, offrande de loüanges.
O vie, sauue en moy tout ce qui est viuant!
O splendeur, de splendeurs va le Tout abreuuant!
Esprit Dieu, Dieu Esprit: ton Verbe qui tout cerne
O porte-Esprit Ouurier, me regit, & gouuerne.
Toy seul, toy seul es Dieu, ton homme ceste fois
Te va chantant ces vers, & crie à haute vois
Par le feu, & par l'air, par l'eau, & par la terre,
Par l'Esprit, & par tout ce que le Ciel enserre,
I'ay de l'Eternité trouué l'heur à propos,
Pour trouuer par desir en ton vouloir repos.
Vous donc Chantres des Rois, d'vne façon loyale
Imitez la Musique, & diuine, & royale:
Chantez comme le Roy, & le sainct Chantre Hebrieu
La haute Prouidence, & les œuures de Dieu:
Comme l'Egyptien Roy, Philosophe, & Prestre,
Imitez la Nature à chanter de son maistre:
Faites moy resonner du los de ses bontez
Les Palais lambrissez, & les Temples voutez:
Ains chantez le si haut, que vostre voix s'estende
Par les temples des Cieux, & en tous lieux s'entende.
Chantez à l'Eternel vn cantique nouueau:
En l'Eglise des saincts son los est tousiours beau:
En celuy qui l'a fait qu'Israel s'esioüisse,
Chaque fils de Sion en s'egayant benisse
Son Seigneur, & son Roy, loüez son nom en chœur,
En tanbour, & en harpe exaltez le d'vn cœur:
Car l'Eternel se plaist en son peuple ordinaire,
En salut il honore vn chacun debonnaire:
Les benins, & clemens soient en gloire esiouys,
Soient des chants de trionfe en leurs couches ouys:
Sublimitez de Dieu en leur gosier on oye,
Vn glaiue à deux trenchãs dedans leur main flamboye,
Pour faire la vengeance entre toutes les Gens,
Et reprendre aigrement les peuples negligens,
Pour mettre aux ceps leurs Rois en contreinte enserree,
Et leurs Princes lier d'vne chaine ferree,
Et exercer contr'eux le iugement escrit.
C'est l'honneur de tous ceux, qui ont vn humble esprit,
De ses benins esleus: dedans le Tabernacle
Louez Iah, louez Dieu en son sainct habitacle:
Dedans le Firmament de sa force, & vertu
Soit de gloire par vous son sainct nom reuestu.
Donnez luy gloire, & los en sa Toute puissance,
Donnez luy gloire, & los en sa grandeur immense:
Donnez luy gloire, & los en la voix du cleron,
Donnez luy gloire en harpe, & en psalterion:
Donnez luy gloire, & los en tanbour & en fluste,
Donnez luy gloire, & los en chordes, qu'on affuste,
Et en orgues complets: Donnez luy los au creux
Des cymbales d'erain, au reson sonoreux,
Donnez luy gloire, & los en cymbales, qui rendent
De trionfe vne voix, & haut leur son estendent:
Que tout Entendement donne gloire, & honneur
A Iah Seigneur puissant, loüez Iah le Seigneur.

Articulo 15 typographus omisit versus Latinos Baifij, quibus psalmum 83, quem ibidem duplici metro gallico dedimus, exprimebat, quem hîc restituo: est autem [illegible], & ad æternam gloriam per templum Hierosolymitanum repræsentatam nos prouocat; sunt autem versus Asclepiadici antispatici trimetri acatalectici. Et quidem Antonius Baifius strenuè laborauit in omnibus psalmis triplici versuum genere reddendis, qui & hymnos Ecclesiæ, & omnes ferè poëtas Græcos, Euripidem præsertim, & Sophoclem, nec non Boëtij versus omnes similibus versibus Gallicis explicauit, quæ omnia cum duplici psalmorum ex Hebræo paraphrasi Gallica, & Latina dies videre poterit, si restituendis musicæ viribus celeberrimi musici attendere voluerint. Enimuero Gallicæ poëseos, & perfectionis harmonicæ Iacobus Mõduitus [illegible], καὶ [illegible] totum psalterium, quod ab interitu vindicauit, Musarum amicis breui tribuet, itaut eodem intuitu paraphrasim Gallicam, & Latinam ex Hebræo, atque Græco, & omnes psalmos versibus Gallicis & solo rhythmo, & solâ quantitate Græcorum instar affectis simul & Latinis expressos magna cum voluptate legere possis. Quos versus musici deinceps harmoniâ poterunt informare, vt omnibus prophanis cantilenis omissis totâ deinceps vitâ Deum omnipotentem hymnis, psalmis, & canticis celebrent, donec ad patriam euehantur, in qua laudes diuinæ continuis concẽtibus resonabũt. Igitur psalmum 83 his versibus redditum alios expectans accipe. Baifij opera quæ, & vbi sint.

Castrorum Domine, ô quàm tua cara sunt
Nobis tecta! animus qua meus expetit: Psalm. 83.
Dum desiderio tendit ad atria
Optandi Domini! cor mihi subsilit:
In viuente Deo corpore gestio.
Passer perfugium repperiat suum;
Hirundo inueniat, quo sibi, quo suis
Pullis nidificet. Bellipotens tua
O altaria, mi rex Deus! ô tuis
Fœlices nimium sedibus incolas,
Te qui perpetuis laudibus efferunt!
O quàm multa beant hunc hominem bona,
In te cuius erit robur! Eis viæ
Rectæ cordis. Eant vallibus Habbachæ,
Has reddent riguas vndique fontibus.
Qui monstrarit, eum cooperient bonis
Vobis. Pergere eant viribus in nouas
Vires. Pérque Sion, qui Deus est Deûm
Cernetur. Domine exercituum Deus,
Exaudi tibi quas increpito preces:
Ausculta dominans ô Iacobi Deus:
O tu qui clypeus noster es, aspice:
Vincti conspiciens ora vide tui:
Atrijs vna dies ducta tuis bona
Extra mille alijs est potior mihi,
Nam mallem Domini limine subdomus
Æuum degere me, tecta per impia
Quàm fœlix habitare. Est Dominus Deus
Sol ipse, est clypeus. Gloria faustitas,
Nobis munera sunt, quæ Dominus dabit.
Quos fert integritas, haud bona deneget
Illis: ô Domine exercituum potens,
Te fretum cumulant quanta virum bona.

Quibus versus mixtos pæonicos subijciemus, qui totum psal. 67. antea musicè redditum Gallicè exprimunt.

Dieu se leuera sudein, sez enemis se ronpront:

Tȣs sês anemis épars dauant sa face fuiront.
Kome se çasse la fumê' Dieu tu lê pȣsseras:
Kome sir' ó feu se fond, lê-mêçans se fondront
Dauant le regard de Dieu. *Seus ki sont jans de bien*
Aront plêzir, é sȣlas, s'éiȣisans dauant Dieu.
Donke çamés à Dieu *: donk sonés à son nom:*
E préparés lê-çemins pȣr selui bien végnér,
Ki ét monté desus le hôs siél, é l'onorés
Surnomé du seint nom, nom d'Ia le kréateur.
Sôtelés, bondisés de gran-ioê dauan-lui,
Le pér' il ét dê pupîs: é lê-veuuez i défand,
Dieu *ki tiént son palês an si grand majêsté,*
Dieu *ki peuple d'anfans à l'ome seul la mêzon.*
Ki délivre seus, ki sont ô-liens de prizon,
Ki le rebêl' an pais mégr' e sék fét lojér.
Lors ke marçant dauant tu menês le peuple tiên,
Lors Signeur ke le désêrt tȣt à trauêrs tu passes,
Tȣte la têre tranblêt, é tȣ le fiél an suét
Dauant Dieu *: ôssi fit de Sinaï le gran mont,*
Dauant Dieu*, dauant* Dieu *le gran* Dieu *d'Israël.*
De ton bon gré Signeur grose pluî' amasé'
Larjemant repandant ton éritaj' arôzas:
E s'il étét traualé, tu li donês rékonfort.
Tȣr fére ta bérjeri' si eberjér an sȣlas,
De ta grase l'indijant tu sekȣrus, Signeur Dieu.
Le Signeur don' argumant, lé-famez anonseront,
*Se ke fera le gran-*Dieu *Kam: séte nȣuêle çantront.*
Tȣ lê-Roês déz armê's anfuiis se sont tȣs:
Tȣ lê-Roês déz armê's tous i se sont anfuiis,
Ki gardêt la mêzon, le butin ont partajé
Bién ke dormi vȣs aiés antre lê çôdarons,
Plus ke le panaje beô dê-kȣlans peinturés.
E' d'arjant, é d'or fin, beôs, énês reluirés
K*and le* Dieu *tȣpuissant lès Signeurs vt çassés,*
Lors tu vins ôsi blank ke la néje de Salmon.
*Le sein mont du gran-*Dieu *s'ét kome le mont Basan,*
Le hô mont sȣrmajeus le fértile mont Basan,
E' pȣrkoé donke, mons, petilé-vȣz ôrgueilleus
Vȣs éleuant pȣr se mont, puiske Dieu *l'éme si fort,*
Puiske Dieu *deigne bien demȣrér dedans le mont?*
A tȣ jamés le Signeur an se mont demurera.
Le grand arȣé de Dieu*, vin miliérs de çevaliérs,*
E' déz Anjez à miliérs. E' le Signeur par antr'eus
Sur le mont sakré vient kom' ó mont de Sinaï.
O Signeur Dieu *tu t'és éleué an ta grandeur:*
Vne grande priz' adonk de prizoniérs tu â pris
E' pȣr omaje lê-dons dês omez as rekeulis,
Même lês réuoltés, ki se liguêt kontre toê
Tu as pris pȣr abitér ton manoêr, Signeur Dieu.
Le Signeur, fôt luér, ki libéral tȣ lê-jȣrs
Nȣz anplit de bién-fés, le Dieu *nôtre Sôueur.*
Nôtre Dieu *s'ét le* Dieu*, ki done la soueté,*
Le gran Dieu*, ki an mein à de la mort lê-moïens,*
Lui ki de sês anemis frape le çéf, lui tȣ seul
Frape le çéf pérruké, de ki suit le trein de mal.
Jȣsk a dit le Signeur, ȣi je vȣ-ramenerê
Ankore du mon Basan: ȣï je vȣ raménerê
Ankorez vn' ôtrefoês hors de la profonde mér.
E' ta plant' é de tê çiéns la langue se feront
Rujez o sang dez anemis, é leur çéf dékonfis.
Il ont vu ton antrê' trionfante, gran Dieu,
La pompe de mon Signeur, de mon Roé, de mon Dieu,
Ki se trionfe fauoriz an sa gran seinteté.
Seus ki çantêt, alêt lê-prémiérs: aprês eux
Lê-Muzisiéns, jueurs d'instrumans, démarçêt,
Filez alêt ô milieu tabȣrinêt, é dansêt.
Vȣz ékȣlés du sȣrjon d'Israël, asanblés
An vn lieu lȣé Dieu*, le sȣuerein, le gran-*Dieu.
La sera and Bénjamin le puiné, mês ki fut

Qui homæoteleuton solummodo quærunt, nec metricam nouêre, versus istos absque dubio irridebunt; at verò qui solâ ratione ducetur, & pœonica ista metra seriò inspexerit, illa mirabitur, maximè si quædam similia facienda aggrediatur, quorũ vnum decem aliis vulgaribus longè prætulerit.

Par antr'eus dê-premiérs, é desur eus komandant.
Lês Signeurs de Iuda, Zebulun, é Néftalin,
Tȣte la fleur, tȣt l'oneur, tȣte la forç' i marçêt.
Israël tu âz u séte valeur de ton Dieu:
E' s'ét lui ki te la mande. S'ét toé Signeur Dieu:
Kontinû' fortifi' se ke tu fis desur nȣs.
De ton seint tanple viént se bién sur Jéruzalém,
Ke Roês puisse i venir fere prézant de leur-dons.
Ron-défé léz amâs dês omes anbatonés,
Lês amâs dê-torôs, lê-trȣpeôs insolans
De torilons debôrdés de sê peuplez éfarés,
E' ki t'aportet arjant an monoê' é lingôs.
Tȣ le-peuplez il épart, ki de la guerre son-fȣs.
Lê-premiérs, é plû-grans de tȣt Ejipt' i viendront.
E' sê-meins, ô Signeur, ki ôs siens lê-plu hôs,
E' de tȣ' ansiéneté se fét porter éleué.
Le voé-la lui ki fét sa voês forte bondir,
A Dieu *randés la forse, ki desus Israël*
Fét paroér sa grandeur, é sa valeur dan le çiél.
Reágabl' il ét se Dieu *de son lieu trés-sakré,*
Lui le Dieu *d'Israël: é ki done fors' é keur*
A son peuple, k'i defand: I fôt bién lȣer Dieu.

Inter alia verò, quæ ad musicum attinent, modus omittendus non est, quo medium harmonicum inter datos numeros assignatur, & quo medietas harmonica dignosci possit, quæ est velut forma, vita, & anima musicæ, vt non pauci existimant; cuius hæ sunt præcipuæ proprietates. Primò, vt in tribus numeris assignatis harmonicè diuisis sit maior proportio maximi ad medium, quàm medij ad minimum. Secundò, vt neque differentias, neque proportiones terminorum æquales habeant. Tertiò, vt sit eadem proportio maximi ad minimum, quæ differentiæ inter maximum, & medium ad differentiam, quæ est inter medium, & minimum. Quartò, medius terminus eadem parte, vel partibus minoris minorem superat, qua parte, vel partibus maioris à maiore superatur. Quintò, summa extremorum superat duplum medij numero, quo differentia maiorum differentiam minorum superat; quod & geometricæ medietati competit. Sextò, numerus ex multiplicatione extremorum inter se genitus superat quadratum medij numero, qui fit ex differentia minorum in differentiam maiorum. Septimò, ex summa extremorum in medium procreatur duplus numerus producti ex primo in tertium, &c. Reliqua in alium locum reseruo, vt aliquid de medij harmonici inuentione afferam, quod à medio geometrico differt, quia medium arithmeticum ab vtróque extremo per æquales differentias, & inæquales proportiones: geometricum è contrario per inæquales differentias, & æquales proportiones distat. Arith. proportionalitas in minoribus numeris maiores, in maioribus minores proportiones geometrica: in vtrisq; æquales seruat.

Medietatis harmonicæ 7. proprietates.

Mediũ harmonicum quomodo ab aliis medijs differat.

Arithmeticum medium nascitur, cùm ex 2 extremis coniunctis media pars sumitur, vt constat in 8 & 16, quæ iuncta 24 faciunt, cuius pars media 12 medium arithmeticum 8. 12. 16 tribuit. Quod cum in numeris non contingat, qui additi numerum imparem gignunt, vterque numerus duplicandus est, vt 10, & 5 faciunt 15, qui non habet medietatem, ideoque 20, & 10 sumendi, & iungendi, vt 30 fiant, quorum pars media 15 exurgit pro medio arithmetico. Geometricum inuenitur, si numerus habeatur, qui in se ductus eandem summulam efficiat, quam 2 extrema sibi addita; sic enim inter 4 & 4, qui in se inuicem ducti

Arithmeticum mediũ quomodo reperiatur.

Geometricũ medium reperitur.

ducti 36 procreant, numerus 6 reperitur, qui in se ductus eandem summulam 36 efficit: quæ nunc dicta velim, vt medium harmonicum, seu diuisor musicus faciliùs habeatur.

Itaque detur sesquialtera proportio 2. 3. harmonicè diuidenda; primò medium arithmeticum ita reperietur, 2 & 3 iuncti faciunt 5, qui non habet medium, & ideo duplicandi sunt extremi, bis igitur 2 sunt 4, & bis tres sunt 6, qui simul additi 10 procreant, cuius pars media 5 medium arithmeticum suggerit, per quem si 4, & 6 multiplices, exurgent 20, & 30, inter quæ medium harmonicum erit, quod proueniet ex 4 in 6 ducto, nempe 24, vt sicut medium arithmeticum ex medio 5 in seipsum ducto proficiscitur, videlicet 25, ita medium harmonicum ex amborum extremorum multiplicatione oriatur, & harmonica proportionalitas sit inter hos numeros 20. 24. 30. sicut arithmetica inter sequentes 20. 25. 30.

Rem verò totam exemplo sequenti faciliùs explico: ex his tribus numeris 1. 2. 3. proportionalitatem arithmeticam seruantibus tres numeri in harmonica proportionalitate siti reperientur, si primus in secundum, atque tertium, & secundus in tertium multiplicetur: nam ex primo termino proportionalitatis arithmeticæ 1 in secundum 2, & tertium 3 fit primus, & secundus terminus proportionalitatis harmonicæ, & ex secundo in tertium tertius, vt hîc vides 2. 3. 6. Idemque contingit, si medium terminum arithmeticum in extremos ducas, sic enim extremi termini harmonici gignentur; medium autem harmonicum dabunt extremi arithmetici inter se multiplicati.

Medij harmonici inuentio.

Est & alius modus, quo mediũ harmonicũ inter quosuis datos terminos inuenias, si numerũ, qui fit ex datorum duorũ numer. differẽtia in eorum minorem, per eorũdem summam diuidas, & minori quotientẽ addas: numerus enim inde resultans erit medium harmonicum, vt constat in exemplo allato 2. 3. 6. duo extremi numeri 2, & 6 per 4 differũt, ducas 4 in 2 fiunt 8, quos si per extremorum 2. 6. simul additorum summam, id est per 8 partiaris, 1 resultat, cum 8 in 8 sit tantùm semel: adde igitur hunc quotientem 1 minori extremo 2, vt pro medio harmonico inter 2, & 6 resultet 3. Idem habebis, si duorum numerorum datorum differẽtiam, vt 4, per numerum, qui denominatorem proportionis, quam dati numeri habent, vnitate superet, diuiseris, idest per 4, vt in exemplo nostro maneamus, nam 2, & 6 sunt in tripla proportione, & 4 superat 3 denominatorem vnitate, quotiens verò est 1, qui minori termino 2 additus ternarium pro medio harmonico suggerit. Denique idem in exemplo nostro contingit, si relicto primo numero 1 proportionalitatis arithmeticæ 2, & 3 retentis, vltimi duplum accipias: sic enim tertius proportionalitatis arithmeticæ numerus medium erit harmonicæ. Plura hîc non afferã, donec de medietate, & proportionalitate harmonica, déque illius vtilitatibus, & de reliquis analogijs ex professo agam. Antequam verò hisce paralipomenis finem imponam, placet in eorũ gratiam, qui Græcæ Musicæ, & veræ harmoniæ instaurationi student, aut fauent, Bacchium proferre, qui nondum lucem vidit, quem eo lubentiùs affero, quo breuior, & clarior esse videtur, qui licet paucas paginas complectatur, plurima tamen habet, quæ neque Prolemæus, neque eius commentator Porphyrius, neq; Aristoxenus, Gaudentius, Nichomachus, &c. tetigerunt, tametsi Bryennius, & Arist. eadem ferè doceãt, Bacchius verò nõ ita facilè reperitur. Vnicum in codice regio vidi, sed perperam exaratum, quem hîc restituo; ita tamen vt tabellam præmittendam existimem, vt intelligi possit: Aduerte autem Bacchium in enumeratione consonantiarum secutum non fuisse systema prædictum 5 tetrachordis constans, sed illud maximè, quod solis 4 tetrachordis perficitur, & 15 phthongos habet, prout suprà multis in locis retulimus. Illas igitur consonantias iuxta phthõgos Græcorum enumerabo, ne textus negotium vllum facessat. Vt tamen ipsis oculis videas cum systemate 15 chordarum vsum fuisse, lege vltimam consonantiam, *δὶς διὰ πασῶν*, quam à primo phthongo ad vltimum, idest ab A ad aa, vel vt proprijs signis vtamur, à ζ vsque ad γ extendit. Vnde constat eum reliquisse tetrachordum coniunctarum, vbi varia, diapason, & diapẽte numerauit, non tamen semper, quandoquidem explicat priori loco disdiapason his notis ζ, & ι quæ *προσλαμβανομένῳ*, & *νήτῃ διεζευγμένων* apud Bacchium respondent.

Hunc verò Bacchium ita profero, vt tamen viros doctos ad alicuius emendatioris editionem prouocem, tametsi enim ita me Porphyrius ad Bacchij characteres intelligẽdos, & phthõgorum græci systematis vulgaribus nominibus in lectoris gratiam appellandos iuuerit, vt omnia Græcorum aliorum doctrinæ congruere videantur, vsque ad phthongos mobiles, qui apud eos *φερόμενοι* dicuntur: attamen omnino discrepat ab alijs, cùm *βαρυπύκνους, καὶ ὀξυπύκνους* enumerat, vt in ipso textu perspicies, si phthongos eiusdem nominis ex Porphyrij tabella superiùs producta repetas. Alia etiam in margine notauimus, quæ Bacchium mutilum ostendant. Quapropter operæpretium fuerit, si quis ex Vaticana, Venetina, vel alijs bibliothecis nobis illum, sicut & tres Porphyrij libros in harmonica Prolemæi, & integrum Ptolemæum Græcum restituat. enimuero codex regius solum primum librum Porphyrij, & secundi particulam habet, & ex Prolemæo plura diagrammata desunt, qualia sunt illa 7, quibus modi explicantur, quæ Gogauinus in sua versione profert. Alios etiã Aristoxeni libros, quos ipse laudat, & Aristotelis musicam, & vel vnum de rhythmica, & praxi antiqua musicæ summopere restitui cupio, vt ad colophonem harmonicus concentus ad maiorem Dei gloriam, & omnium vtilitatẽ nostro sæculo pertingat.

Sequitur tabella, quæ maximè proderit, vt Bacchius, & eius characteres intelligantur: in ea verò triplex genus iuxta Græcorum morem dispositum habes, vt vnico intuitu videas, quibus interuallis vnumquodque genus vtatur. Porphyrij verò characteres, quibus significat phthõgos, cum Bacchij characteribus iunximus, vt lumen à se inuicem acciperent; primus ordo Porphyrianos duplices, secundus Bacchianos suggerit. Ne verò musicorum recentiorũ interualla contemnere videamur, triplex genus in alio diagrãmate prædictæ Græcorum tabulæ respondens afferetur, itaut toni maiores, & minores in diatonico, semitonia maiora, atque minora in chromatico, & dieses maiores, minorésque in enharmonio proprijs numeris significentur, qui duplices erunt in diatonico, & chromatico, de quibus 4 Iosephi discursus consuli poterit.

ΜΕΛΩΔΗΣΙΣ. ΤΟΥ ΔΙΑΤΟΝΙΚΟΥ ΓΕΝΟΥΣ. ΧΡΩΜΑΤΙΚΟΥ. ΕΝΑΡΜΟΝΙΟΥ.

Notae		Διατονικοῦ	Χρωματικοῦ	Ἐναρμονίου	
[illegible]	A	[illegible]	[illegible]	[illegible]	A
[illegible]	♮	[illegible]	[illegible]	[illegible]	♮
[illegible]	C	[illegible]	[illegible]	[illegible]	C
[illegible]	D	[illegible]	[illegible]	[illegible]	D
[illegible]	E	[illegible]	[illegible]	[illegible]	E
[illegible]	F	[illegible]	[illegible]	[illegible]	F
[illegible]	G	[illegible]	[illegible]	[illegible]	G
[illegible]	a	[illegible]	[illegible]	[illegible]	a
[illegible]	b♮	[illegible]	[illegible]	[illegible]	b♮
[illegible]	c	[illegible]	[illegible]	[illegible]	c
[illegible]	d	[illegible]	[illegible]	[illegible]	d
[illegible]	e	[illegible]	[illegible]	[illegible]	e
[illegible]	f	[illegible]	[illegible]	[illegible]	f
[illegible]	g	[illegible]	[illegible]	[illegible]	g
[illegible]	aa	[illegible]	[illegible]	[illegible]	aa
[illegible]	bb♮	[illegible]	[illegible]	[illegible]	bb♮
[illegible]	cc	[illegible]	[illegible]	[illegible]	cc
[illegible]	dd	[illegible]	[illegible]	[illegible]	dd

Quæ omnia per se ita manifesta sunt, vt nulla explicatione indigeant; Itaque Bacchij Isagogem aggrediamur, si tamen prius psalmum illum 67 versibus hexametris eiusdem autoris exprimamus, cuius Gallici pæonici præcessêre.

Psalm. 67.
Se Deus attolat, spargantur protinus hostes;
Ad vultus fugiant, illum qui odire severi.
Pellitur vt fumus, pelles, ceu linquitur igni
Cera fluens calido, sic deperit impia vultu
Irati gens ista Dei; cùm Numine viso
Exultent iusti renouatáque gaudia gustent.
Vos cantate Deo, diuinum psallite nomen.
Tollite eum cœlo, cœlis qui vectus in altis
Ipse potens equitat Dominus, cui nomen Iabus
Illius est placidi renouent bona gaudia vultus.
Pupillis pater est, viduis Deus arbiter æqui:
Qui tenet omnipotens sancti fastigia templi.
Qui Deus expulsos, solosque reducit in ædes
Carcereque educit quos vincula dura premebant.
O Deus tu populo tibi charo præuius ibas,

In sequenti recentiorum diagrammate phthongorum nomina in solo diatonico, & chromatico exprimuntur, sed phthongi chromatici sufficiunt pro enharmonijs, quorum interualla postremi numeri denotant.

Vtque emensus eras deserta deuia terræ,
Contremuit tellus; vultum stillauit olympus
Ante Dei: hic Sinaïs stillauit numine viso,
Numine qui genti Deus vnicus Israëlis.
Tu pluuiam largam tollis Deus; & tua longa
Fessa labore viæ tandem patrimonia firmas.
Grex tuus hic habitant: inopem solabere præsens
Pro bonitate tua, qua tu Deus omnia præbes.
At Dominus nuntij dabit argumenta puellis
Narrandi lætæ sermones agmine multo.
En fugiunt, fugiunt reges! tot bella trahebant,
Totque acies: residesque domi spolia ampla polita
Diuisere sibi. Nigras iaceatis ad ollas
Vt licet, hinc nitida similes fulgebitis alis
Natiuo pictis auro, argentique columbæ.

Omnipotens

1	ton. mai.	Proslamuano.	4320	864
2	sem. mai.	Hypate hypat.	3840	768
3	ton. mai.	Pathyp. hypat.	3600	720
4	ton. min.	Lichan. hypat.	3200	640
5	sem. mai.	Hypate meson	2880	576
6	ton. mai.	Pathyp. mes.	2700	540
7	ton. min.	Lichanos mes.	2400	480
8	sem. mai.	Mese	2160	432
9	135. 128.	Trite synemm.	2025	405
10	sem. mai.	Paramese	1920	384
11	ton. min.	Trite diezeug. & Paran. syne.	1800	360
12	comma.	Nete synnem.	1620	324
13	ton. min.	Para. diezeug.	1600	320
14	sem. mai.	Nete diezeug.	1440	288
15	ton. mai.	Trite hyperu.	1350	270
16	ton. min.	Paran. hyperu.	1200	240
17		Nete hyperu.	1080	216

1	Proslamuano.	ton. mai.	4320	1440	Tonus maior	7200
2	Hypate hypat.	sem. mai.	3840	1280	Diesis maior	6400
3	Pathyp. hypat.	se. minus	3600	1200	Diesis minor	6144
4	Lichan. hypat.	trihemit.	3456	1152	Ditonum	6000
5	Hypat. meson.	sem. mai.	2880	960	Diesis maior	4800
6	Pathy. meson.	sem. min.	2700	900	Diesis minor	4608
7	Lichanos mes.	trihemit.	2592	864	Ditonum	4500
8	Mese	sem. mai.	2160	720	Diesis maior	3600
9	Trite synemm.	se. minus	2025	675	Diesis minor	3456
10	Paramese	comma	1644	648	135. 128.	3375
11	Paranete syne.	sem. mai.	1920	640	Diesis maior	3200
12	Trite diezeug.	sem. min.	1800	600	Diesis minor	3072
13	Nete synem.	sem. mai	1728	576	Tonus min.	3000
14	Para. diezeug.	ton. mai.	1610	540	Tonus maior	2700
15	Nete diezeug.	sem. mai.	1440	480	Diesis maior	2400
16	Trite hyperb.	sem. mi.	1350	450	Diesis minor	2304
17	Paran. hyperb.	trihemit.	1296	432	Ditonum	2250
18	Nete hyperb.		1080	360		1800

Omnipotens ibi cum reges disperfit iniquos,
Tu niue candidior Salmonis pura nitebas.
Mons est ille Deo sacer: at mons iste Basani,
Multiiugus mons est, mons fertilis iste Basani,
Multiiugi montes quid vos iuuat esse superbos?
Hunc Deus expetijt montem mansurus in ipso.
Perpetuum montem Deus hunc habitauit in æuum:
Dena Deo magno armati bis millia currus,
Millia multa nimis. Dominus regnator in illis.
Vt monte in Sinai, nunc maiestate verendus
Excelsus veheris: captiuos vndique ducis.
Dona capis tribuenda viris: ipsique rebelles
Huc habitaturi venient ô Numen Iahi.
Quotidie magis atque magis laudandus in æuum
Fit Dominus, qui nos onerat, cumulátque beatos:
Ipse est nostra salus: Nobis Deus est Deus ille
Seruator: Dominóque Deo sunt plurima lethi
Exitia. Ipse Deus caput hostibus atteret: ipse
Criminibus proprijs spatianti verticis altam
Cæsariem tumidi prosternet, & auferet vltor.
Dixerat hæc Dominus. *Ducam te è monte Basani.*
E pelagi vasto saluum te gurgite ducam:
Vtque pedem victor hostili sanguine figas,
Vtque canes eodem veniant intingere linguam.
O Deus *hi vidêre vias regisque, Deique*
Qui meus est: Sancta qui maiestate verendus.
Ordine cantores primi: post musica docti
Instrumenta sonare viri: quos vndique cinctos
Tympana claudebant docta pulsare puella.
Vos per conuentus Dominum *laudate:* Deôque
Vos canite stirpem qui ducitis Israële:
Beniaminus princeps illorum paruulus adsit;
Et proceres adsint Iudæ validissima rupes:
Adsint & proceres Zabulonis, Nephtalyque.
Ipse tuum robur mandat Deus. O Deus illud
Quod fecisti in nos stabili tu robore firma,
E templo Solymis amplo quod percolis altis:
Oblatum huc venient tibi splendida munera Reges,
Ergo in arundinibus densis armenta ferarum
Increpita taurósque truces, vitulosque feroces,
In populis quos lamina ferax argentea tollit:
In populos, qui bella volunt disperdis inultos.
Ægypti proceres aderunt: accurrere summo
Æthiopum gens prompta Deo est, ac tollere palmas.
Orbis regna Deo cantent, Dominóque recantent,
Qui cœlis cœlorum equitat per sæcla per æuum:
Voce dat ecce suâ vocem violenta sonantem
Robur cede Deo supereminet Israëli
Excelsus: cœlis stetit illi robur in altis:
Terribilis Deus es sancti per culmina templi.
Ipse suo robur populo viresque ministrat
Israelis Deus ille: Deo fas dicere laudes.

Sequitur Isagoge Bacchi, ad cuius marginem plurima notantur, quæ autoris intelligentiam iuuare possunt.

ΕΙΣΑΓΩΓΗ ΒΑΚΧΕΙΟΥ ΤΟΥ ΓΕΡΟΝΤΟΣ.

Musicę definitio.

Μουσική ἐστιν εἴδησις μέλους, καὶ τῶν περὶ μέλος συμβαινόντων. μουσικὸς δὲ τίς; ὁ εἰδὼς τὰ κατὰ τὰς μελῳδίας συμβαίνοντα πῶς ὑπάρχει, ἃ μὲν τῇ φύσει, ἃ δὲ τῇ ἡμετέρᾳ χρήσει. ποία οὖν φύσις αὕτη; ὀξύτητες, καὶ βαρύτητες, καὶ τὰ διαστήματα. ποία δὲ τῇ ἡμετέρᾳ χρήσει; ἡ περὶ τοὺς φθόγγους ἠθοποιΐα. αὕτη δὴ ἡ μουσικὴ ἐκ τίνος σύγκειται; ἐκ φθόγγων ἐμμελῶν, καὶ συστημάτων.

Phthongus quid sit?

φθόγγος δὲ καθόλου τί ἐστι; φωνῆς ἐμμελοῦς πτῶσις ἐπὶ μίαν τάσιν. μία γὰρ τάσις ἐν φωνῇ ληφθεῖσα ἐμμελεῖ φθόγγον ἀποτελεῖ. Σύστημα δὲ τί ἐστι; τὸ ἐκ πλειόνων ἢ δύο φθόγγων μελῳδούμενον. Διάστημα δὲ τί ἐστι; διαφορὰ δύο φθόγγων ἀνομοίων ὀξύτητι, καὶ βαρύτητι. Τί οὖν ἐστιν ἐλάχιστον τῶν μελῳδουμένων; φθόγγος. τί δὲ ἐλάχιστον τῶν διαστημάτων; δίεσις.

Diesis quid sit?

δίεσις δὲ τί ἐστι; ὃ δύναται ἡ ἡμετέρα φύσις ἐμμελῶς ἐλάχιστον ἀνεῖναί τε καὶ ἐπιτεῖναι. τῆς δὲ διέσεως τί διπλάσιον; ἡμιτόνιον. τοῦ δὲ ἡμιτονίου διπλάσιον τί; τόνος. τόνος δὲ τί ἐστι; ᾧ μεῖζον τὸ διὰ ε΄ συμφωνία τῆς διὰ τεσσάρων.

Consonantia quid sit?

Συμφωνία δὲ τί ἐστι; κρᾶσις δύο φθόγγων ἀνομοίων ὀξύτητι, καὶ βαρύτητι λαμβανομένων, ἐν ᾗ οὐδέν τι μᾶλλον τὸ μέλος φαίνεται τοῦ βαρυτέρου φθόγγου ὑπὸ τοῦ ὀξυτέρου, οὐδὲ τοῦ ὀξυτέρου ὑπὸ τοῦ βαρυτέρου.

Sex consonantiæ.

Πόσα οὖν εἴδη συμφωνιῶν ἐν τῷ τελείῳ συστήματι; ἕξ. τίνα ταῦτα; διὰ δ΄. διὰ ε΄. διαπασῶν, διαπασῶν καὶ διὰ δ΄, διαπασῶν καὶ διὰ ε΄, δὶς διαπασῶν. τίνες οὖν αὐτὰ φθόγγοι δηλοῦσι; τὴν μὲν διὰ δ΄ προσλαμβανόμενος, καὶ λιχανὸς ὑπατῶν. τὴν δὲ διὰ ε΄ προσλ. καὶ ὑπατ. μεσ. τὴν δὲ διὰ πασῶν προσλ. καὶ μέση, τὴν δὲ διὰ πασῶν καὶ διὰ δ΄ προσλαμ. καὶ νήτη συνημ. τὴν δὲ διαπασῶν καὶ διαπέντε προσλ. καὶ παραμέση. τὴν δὲ δὶς διαπασῶν προσ. καὶ νήτ. διεζευγ.

Vide characteres in præcedenti tabula his phthongis respondentes.

Ἡ οὖν διὰ δ΄ ἐκ πόσων τόνων συνίσταται; β΄ ς″, ἡ δὲ διὰ ε΄ ἐκ πόσων; ἐκ γ΄ ς″ ἡ δὲ διὰ πασῶν ἐκ πόσων; ς΄. ἡ δὲ διὰ πασῶν καὶ διὰ δ΄; ἐκ τόνων η΄ ς″. ἡ δὲ δὶς διὰ πασῶν; ἐκ τόνων ιβ΄.

11. Diatessaron in systemate. vide characteres ibid.

πόσα οὖν ἐν αὐτῷ ἐστι διὰ δ΄ διαστήματα; ια΄. τίνα ταῦτα; πρῶτον μὲν τὸ ἀπὸ προσλ. ἐπὶ λιχ. ὑπ. β΄ ἀπὸ ὑπ. ὑπ. ἐπὶ ὑπ. μεσ. τρίτον ἀπὸ παρ. ὑπ. ἐπὶ παρ. μεσ. τέταρτον ἀπὸ λιχ. ὑπ. ἐπὶ λιχ. μεσ. ε΄ ἀπὸ ὑπ. μεσ. ἐπὶ μέσην. ἕκτον ἀπὸ παρυπ. μεσ. ἐπὶ τρίτ. συνη. ἕβδομον τὸ ἀπὸ λιχαν. μεσ. ἐπὶ παρυπ. συνημ. ὄγδοον τὸ ἀπὸ μέσης ἐπὶ παρ. διεζευγμ. ἔνατον τὸ ἀπὸ παραμ. ἐπὶ νήτην διεζευγμ. δέκατον τὸ ἀπὸ τρίτης διεζευγμ. ἐπὶ τρίτην ὑπερβολαίων. ἑνδέκατον τὸ ἀπὸ παραν. διεζευγμ. ἐπὶ παραν. ὑπερβ. δωδέκατον τὸ ἀπὸ νήτης διεζευγμ. ἐπὶ νήτην ὑπερβ.

10. Diapente. Hîc nullum diapente incipit ἀπὸ ὑπατ. ὑπ. nisi character fallat.

Διὰ ε΄ πόσα; δέκα; τίνα ταῦτα; πρῶτον μὲν τὸ ἀπὸ προσλ. ἐπὶ ὑπ. μέσ. β΄ δὲ τὸ ἀπὸ παρυπατ. ὑπατ. ἐπὶ λιχαν. ὑπ. γ΄ δὲ τὸ ἀπὸ λιχ. ὑπ. ἐπὶ μέσην. τέταρτον δὲ τὸ ἀπὸ ὑπ. μέσ. ἐπὶ παραμέσην. πέμπτον, τὸ ἀπὸ παρυπ. μεσ. ἐπὶ τρίτην διεζευγμ. ἕκτον τὸ ἀπὸ λιχ. μεσ. ἐπὶ παραν. διεζευγμ. ἕβδομον τὸ ἀπὸ μέσης ἐπὶ νήτην διεζ. ὄγδοον τὸ ἀπὸ παραμ.

*Hîc character errat.

* ἐπὶ τρίτην ὑπερβ. ἔνατον τὸ ἀπὸ τρίτ. διεζ. ἐπὶ παραν. ὑπερ. δέκατον τὸ ἀπὸ παραν. διεζευ. ἐπὶ νήτ. ὑπερ.

Octo diapason.

Διαπασῶν δὲ πόσα; η΄. τίνα ταῦτα; πρῶτον μὲν τὸ προσλ. ἐπὶ μέσην. β΄. δὲ τὸ ἀπὸ ὑπ. ὑπ. ἐπὶ παραμ. γ΄. ἀπὸ παρυπ. ὑπατ. ἐπὶ τρίτ. διεζ. τέταρτον τὸ ἀπὸ λιχ. ὑπ. ἐπὶ παραν. διεζευγμ. ε΄, τὸ ἀπὸ ὑπατ. μέσ. ἐπὶ νήτ. διεζευγμ. ς΄ τὸ ἀπὸ παρυ. μέσ. ἐπὶ τρίτ. ὑπερ. ἕβδομον τὸ ἀπὸ λιχ. μεσ. ἐπὶ παρ. ὑπερ. ὄγδοον, τὸ ἀπὸ μέσ. ἐπὶ νητ. ὑπερ.

Diapason & diatessaron 5.

Διὰ πασῶν δὲ καὶ διατεσσάρων πόσα; ε΄. τίνα ταῦτα; πρῶτον μὲν τὸ ἀπὸ προσλαμ. ἐπὶ τρίτ. διεζευγμ. β΄ τὸ ἀπὸ ὑπ. ὑπ. ἐπὶ νήτ. διεζευγμ. γ΄ ἀπὸ παρ. ὑπ. ἐπὶ τρίτ. ὑπερ. δ΄, τὸ ἀπὸ λιχαν. ὑπ. ἐπὶ παραν. ὑπερ. ε΄ τὸ ἀπὸ ὑπ. μεσ. ἐπὶ νητ. ὑπερ.

3. Diapason, & diapente. Hîc nullũ diapason diapente ἀπὸ ὑπατ. ὑπ. incipit.

Διὰ πασῶν καὶ διὰ πέντε πόσα; γ΄. τίνα ταῦτα; πρῶτον μὲν ἀπὸ προσλαμ. ἐπὶ νητ. διεζευγμ. β΄ δὲ τὸ ἀπὸ παρυ. ὑπ. ἐπὶ παραν. ὑπερ. ἀπὸ τὸ ἀπὸ λιχ. ὑπ. ἐπὶ νητ. ὑπερ.

Disdiapason 1.

Δὶς διὰ πασῶν πόσα; ἕν. τὸ ἀπὸ προσλαμβανομένου ἐπὶ νήτην ὑπερβολαίων.

Melos quid sit?

Μέλος δὲ τί ἐστι; τὸ ἐκ δύο διαστημάτων ἐλαχίστων συγκείμενον ἑκάστῳ γένει. Γένος δὲ τί ἐστι; ἄνεσις, καὶ ἐπίτασις δι' ἐμμελῶν φθόγγων γινομένη. πυκνὸν δὲ τί ἐστι; τὸ ἐκ δύο διαστημάτων ἐλαχίστων συγκείμενον ἑκάστῳ γένει. Γένος δὲ τί ἐστιν ἡ ἐν τετραχόρδῳ γινομένη διαίρεσις.

Genus quid? Densum quid? Genera tria definiuntur enarmonium.

Πόσα οὖν γένη ἐστὶ τὰ μελῳδούμενα; τρία. τίνα; ταῦτα, ἐναρμόνιον, χρῶμα, διάτονον. τὸ ἐναρμόνιον πῶς μελῳδεῖται; ἐπὶ μὲν τὸ ὀξὺ κατὰ δίεσιν, καὶ δίεσιν, καὶ δίτονον; ἐπὶ δὲ τὸ βαρὺ, κατὰ τοὐναντίον.

Chromaticum.

Τὸ δὲ χρῶμα πῶς μελῳδεῖται; ἐπὶ μὲν τὸ ὀξὺ καθ' ἡμιτόνιον, καὶ ἡμιτόνιον, καὶ τριημιτόνιον. ἐπὶ δὲ τὸ βαρὺ κατὰ τοὐναντίον.

Diatonicũ.

τὸ δὲ διάτονον πῶς μελῳδεῖται; ἐπὶ μὲν τὸ ὀξὺ καθ' ἡμιτόνιον, καὶ τόνον, καὶ τόνον. ἐπὶ δὲ τὸ βαρὺ κατὰ τοὐναντίον. τὸ μέντοι διάτονον καθ' ἡμᾶς οὐ μελῳδεῖται ἐν πυκνοῦ τάξει. Διὰ τί; διὰ τὸ λέγεσθαι πυκνὸν τὸ ἔχον δύο διαστήματα τοῦ ἑνὸς ἐλάσσω.

Tetrachordum quid? 3. Species tetrachordi.

Τετράχορδον δὲ τί ἐστι; τάξις φθόγγων ἑξῆς μελῳδουμένων, ὧν οἱ ἄκροι πρὸς ἀλλήλους συμφωνοῦσι κατὰ τὸ διατεσσάρων. τετραχόρδου οὖν ἐστιν εἴδη πόσα; γ΄. τίνα; ταῦτα. πρῶτον μὲν τὸ ὑπὸ βαρυτόνων περιεχόμενον. β΄ δὲ τὸ ὑπὸ μεσοτόνων περιεχόμενον. γ΄ δὲ τὸ ὑπὸ ὀξυτόνων περιεχόμενον.

5. Tetrachorda in immutabili systemate.

Πόσα οὖν ἐστι τετράχορδα αὐτὰ ἐν ἀμεταβόλῳ συστήματι; κατὰ μὲν τὸ πλῆθος ἀόριστα· κατὰ δὲ δύναμιν ε΄. τίνα ταῦτα; ὑπατῶν, μέσων, συνημμένων, διεζευγμένων, ὑπερβολαίων. Πόσοι φθόγγοι ἐν τῷ ἀμεταβόλῳ συστήματι; ὀκτὼ καὶ δέκα, οἵτινες οὗτοι.

Characteres Bacchij phthongos significantes.

Ζ.Λ ⅂ R Φ ε Ρ Π

Ӯ Ⴘ ⊓N Ⴘ Ξ E Ⴘ

θ λ Π ӯ

Mobiles & immobiles phthongi.

τούτων πόσοι ἑστῶτες; ὀκτὼ, οἵτινες οὗτοι; προσλ. ὑπ. ὑπ. ὑπ. μέσ. μέση. νήτ. συνημ. παραμέση, νήτ. διεζευγμ. καὶ νήτ. ὑπερ. φερόμενοι δὲ πόσοι; δέκα, τίνες οὗτοι; παρυ. ὑπ. λιχαν. ὑπ. τρίτ. συνημ. παρανήτ. συνημ. τρίτ. διεζευγμ. παρανήτ. διεζευγ. τρίτ. ὑπερ. παρανήτ. ὑπερ. βαρύπυκνοι πόσοι; ε΄. τίνες οὗτοι; παρυπ. ὑπ. παρ. μεσ. τρίτ. συνημ. * παραν. συνημ. τρίτ. διεζευγμ. τρι. ὑπερ. ὀξύπυκνοι δὲ πυκνοῦ ἐναρμονίου πόσοι; ε΄. τίνες οὗτοι † παρυ. ὑπ. παρ. μεσ. τρι. συνημ. παρ. συνημ. τρι. διεζευγμ. τρι. ὑπερ. ὀξύπυκνοι δὲ χρωματικῶν ἐγκεχαραγμένων, διατόνων πόσοι; ε΄. τίνες οὗτοι; προσλ. νητ. διεζευγμ. νητ. ὑπερ. * ἡ μέντοι μέση δοκεῖ ἔχειν πρὸς τοὺς λοιποὺς τινὰ διαφοράν· κατὰ μὲν γὰρ τὰς συναφὰς βαρύπυκνος. ἑστῶτας μὲν οὖν φθόγγους διὰ τί λέγομεν εἶναι; διὰ τὸ περιέχεσθαι ὑπ' αὐτῶν τὰ τετράχορδα, καὶ πεντάχορδα. φερομένους δὲ τοὺς ὑπὸ τούτων περιεχομένους. δι' ὧν τὰ διαστήματα ταῦτα ἀνίεται, καὶ ἐπιτείνεται πλὴν δύο τινῶν τούτων ἐκλύσεως, καὶ ἐκβολῆς. πῶς; ἔκλυσις μὲν γὰρ ἀνίεται, ἐκβολὴ δὲ ἐπιτείνεται. ἐν τίνι γένει; ἐναρμονίῳ. ἐν ἄλλῳ δὲ γένει, οὔ.

Cùm hic characteres errasse videantur, quia Græci vulgo βαρυπύκνους aliter numerant, id ex Porphyrio suppleas, vt in præcedenti tabella vides.

* Character hic perperam depictus.

† Hîc eosdem, quos priùs, enumero, quia characteres non omnino præcedentibus respondent.

Συναφαὶ οὖν πόσας λέγεις ἐν αὐτοῖς ὑπάρχειν; τρεῖς. τίνας ταύτας; οἷς κατὰ φθόγγον ἡ κοινωνία ἐστί. λέγω δὲ οὕτως. ὅταν δύο τετραχόρδων ὁμοιοσχήμων, φθόγγων ἐφ' ἑκάτερα κοινωνεῖ τοῦ μὲν βαρυτέρου τετραχόρδου ὀξύτερος ὤν, τοῦ δὲ ὀξυτέρου βαρύτερος. ποῖοι οὖν αὐτὰ φθόγγοι συνάπτουσι; τὸ μὲν ὑπατῶν πρὸς τὸ μέσων ὑπ. μεσ. τὸ δὲ μέσων τὸ συνημμένων μέση. τὸ δὲ διεζευγμ. τὸ ὑπερ. τὸ νήτ. διεζευγμ. Διάζευξις δὲ τί ἐστι; ὅταν δύο βαρυτόνων φθόγγων, ὁ τόνος ἀνὰ μέσον.

*2. Characteres hic desunt. Phthongi stabilesqui. Mobiles. Quot sint cõiunctiones.

Πόσας οὖν ἐροῦμεν διαζεύξεις; δύο. τίνας; ταύτας, τὴν μέσων καὶ συνημμένων. τὴν μὲν οὖν μέσων, καὶ διεζ. ὑπὸ ποίων φθόγγων; ὑπὸ μεσ. καὶ παραμ. καὶ τὴν συνημμένων τῶν ὑπερβολαίων ὑπὸ ποίων φθόγγων; ὑπὸ νητ. συνη. καὶ νητ. διεζ. ταῦτα δὲ εἰς τὸ αὐτὸ πρὸς τὸ αὐτὸ πρὸς ἑαυτῷ πῶς συμφωνεῖ; τὰ μὲν συνη. κατὰ τὸ διὰ δ΄. τὰ δὲ διεζευγμ. κατὰ τὸ διὰ ε΄.

Disiunctiones quid, & quot sint. Exsolutio quid sit?

Ἔκλυσις οὖν τί ἐστι; ὅταν ἀπό τινος φθόγγου ἁρμονίας ἀνεθῶσι τρεῖς διέσεις ἐπὶ τὸ ὀξύτονον. οἷον ἀπὸ τρι. διεζ. ἐπὶ παραμ.

Expulsio quid.

Ἐκβολὴ δὲ τί ἐστι; ὅταν ἀπό τινος φθόγγου ἁρμονίας ἐπιταθῶσι πέντε διέσεις. οἷον ἀπὸ τρι. διεζ. ἐπὶ παρ. διεζ. καὶ ἡ μὲν ἔκλυσις κατὰ ἄνεσιν. ἡ δὲ ἐκβολὴ κατ' ἐπίτασιν συνίσταται.

Tres species phthõgorum.

εἴδη πόσα φθόγγων; γ΄ τίνα; ταῦτα. ὑπατοειδῆ,

ὑπατοειδῆ, παρυπατοειδῆ, λιχανοειδῆ. ὑπατοειδῆ οὖν ποῖον λέγομεν εἶναι; τὸν βαρύτερον τοῦ πυκνοῦ. παρυπατοειδῆ δὲ τὸν μέσον τοῦ πυκνοῦ. λιχανοειδῆ οὖν ποῖον λέγομεν εἶναι; τὸν ὀξύτατον τοῦ πυκνοῦ.

Modi tres.

Τρόπους δὲ τῆς φωνῆς πόσους λέγομεν εἶναι; τρεῖς. τίνας; τούτους, ὀξὺν, μέσον, βαρύν. πάθη δὲ τῆς μελῳδίας πόσα λέγομεν εἶναι; δ΄. τίνα; ταῦτα. ἄνεσιν, ἐπίτασιν, μονὴν, στάσιν.

Melodiæ proprietas quadruplex

ἄνεσις τί ἐστι; κίνησις μέλους ἀπὸ τοῦ ὀξυτέρου φθόγγου ἐπὶ τὸ βαρύτερον. ἐπίτασις δὲ τί ἐστι; κίνησις μέλους ἀπὸ τοῦ βαρυτέρου φθόγγου ἐπὶ τὸ ὀξύτερον. Μονὴ δὲ τί ἐστι; ὅταν ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ φθόγγου πλείονες λέξεις μελῳδῶνται. Στάσις δὲ τί ἐστι; ὕπαρξις ἐμμελοῦς φθόγγου.

Remissio, & intensio quid? μονή, & στάσις.

οἱ τοὺς τρεῖς τόνους ᾄδοντες, τίνας ᾄδουσι; λύδιον, φρύγιον, δώριον. οἱ δὲ τοὺς ζ΄. τίνας; μιξολύδιον, λύδιον, φρύγιον, δώριον, ὑπολύδιον, ὑποφρύγιον, ὑποδώριον. τούτων ποῖος ὀξύτερος; ὁ μιξολύδιος. τούτου δὲ ποῖος ἐχόμενος; ὁ λύδιος. πόσῳ βαρύτερος; ἡμιτονίῳ. τοῦ δὲ λυδίου ποῖος βαρύτερος; ὁ φρύγιος. πόσῳ; τόνῳ. τοῦ δὲ μιξολυδίου, τριημιτονίῳ. τούτου δὲ ποῖος βαρύτερος; ὁ δώριος. πόσῳ βαρύτερος; τοῦ μὲν φρυγίου, τόνῳ. τοῦ δὲ λυδίου, διτόνῳ. τοῦ δὲ μιξολυδίου, διὰ δ΄. τούτου δὲ ποῖος βαρύτερος; ὑπολύδιος. πόσῳ; ἡμιτονίῳ. τοῦ δὲ φρυγίου πόσῳ; τριημιτονίῳ; τοῦ δὲ λυδίου, διὰ δ΄. τοῦ δὲ μιξολυδίου τριτόνῳ. τοῦ δὲ ὑπολυδίου ποῖος βαρύτερος; ὑποφρύγιος. πόσῳ βαρύτερος; τόνῳ. τοῦ δὲ δωρίου τριημιτονίῳ; τοῦ δὲ φρυγίου, τῷ διὰ δ΄. τοῦ λυδίου δὲ, τῷ διὰ ε΄. τοῦ δὲ μιξολυδίου, τετρατόνῳ. τοῦ δὲ ὑποφρυγίου ποῖος βαρύτερος; ὑποδώριος; πόσῳ; τόνῳ. τοῦ δὲ ὑπολυδίου, διτόνῳ. τοῦ δὲ δωρίου, διὰ δ΄. τοῦ δὲ φρυγίου διὰ ε΄; τοῦ δὲ λυδίου, τετρατόνῳ, καὶ ἡμιτονίῳ. τοῦ δὲ μιξολυδίου, πεντατόνῳ.

Modus.

Τρόπος δὲ τί ἐστι; ποιοῦ ἐμμελοῦς σχῆμα. ποιοῦ δὲ μέλος τί ἐστι; ὃ διὰ τῶν ἐγγίστα φθόγγων μελῳδεῖται. ὅτε μὲν ἀνιεμένης τῆς μελῳδίας, ὅτε δὲ ἐπιτεινομένης.

Melos.

Mutationes 7. definiuntur.

Μεταβολὰς οὖν πόσας λέγομεν εἶναι; ζ΄. τίνας; ταύτας. συστηματικὴν, γενικὴν, κατὰ τόνον, κατὰ ἦθος, κατὰ ῥυθμὸν, κατὰ ῥυθμοῦ ἀγωγὴν, κατὰ ῥυθμοποιίας θέσιν. Συστηματικὴ ποία ἐστι; ὅταν ἐκ τοῦ ὑποκειμένου συστήματος εἰς ἕτερον σύστημα ἀναχωρήσῃ ἡ μελῳδία, ἑτέραν μέσην κατασκευάζουσα. γενικὴ δὲ ποία ἐστιν; ὅταν ἐκ γένους εἰς γένος, οἷον ἐξ ἁρμονίας εἰς χρῶμα, ἢ εἰς ἕτερόν τι μετατεθῇ. ἡ δὲ κατὰ τόνον, ποία; ὅταν ἐκ λυδίου εἰς φρύγιον, ἢ εἰς τινα τῶν λοιπῶν μεταχωρήσῃ. ἡ δὲ κατὰ ἦθος; ὅταν ἐκ ταπεινοῦ εἰς μεγαλοπρεπὲς, ἢ ἐξ ἡσύχου, καὶ σώφρονος εἰς ἐνθουσιαστικὸς γένηται. ἡ δὲ κατὰ ῥυθμὸν, ποία; ὅταν ἐκ χορείου εἰς ἴαμβον, ἢ εἰς τινα τῶν λοιπῶν μεταβῇ. ἡ δὲ κατὰ ῥυθμοῦ ἀγωγὴν, ποία; ὅταν ὅλος ῥυθμὸς κατὰ βάσιν, ἢ κατὰ διποδίαν, βαίνηται.

Mutatio quid?

Μεταβολὴ δὲ τί ἐστι; ἑτεροίωσις τῶν ὑποκειμένων, ἢ καὶ ὁμοίου τινὸς εἰς ἀνόμοιον τόπον μετάθεσις.

Dissonantia.

Διαφωνία τί ἐστι; ὅταν δύο φθόγγων ἀνομοίων τυπτομένων, τοῦ βαρυτέρου φθόγγου τὸ μέλος ὑπάρχῃ ἢ τοῦ ὀξυτέρου.

Consonantia.

Ὁμοφωνία δὲ τί ἐστι; ὅταν ἅμα δύο φθόγγοι ὁμοίως τυπτόμενοι μήτε ὀξύτεροι, μήτε βαρύτεροι ἀλλήλων ὑπάρχωσι. Παραφωνία δὲ τί ἐστι; ὅταν δύο φθόγγων ἀνομοίων τυπτομένων, οὐδὲν τὸ μᾶλλον τοῦ βαρυτέρου φθόγγου, ἢ τοῦ ὀξυτέρου τὸ μέλος ὑπάρχῃ.

Παραφωνία.

Διάγραμμα δὲ τί ἐστι; συστήματος ὑπόδειγμα. ἢ οὕτως, διάγραμμά ἐστι σχῆμα ἐπίπεδον, εἰς ὃ πᾶν γένος μελῳδεῖται.

Diagramma.

Διαγράμματι δὲ χρώμεθα, ἵνα τὰ τῇ ἀκοῇ δυσκατάληπτα πρὸ ὀφθαλμῶν τοῖς μανθάνουσι φαίνηται. ποσάχορδόν ἐστι τὸ συνημμένον; ἑπτάχορδον. τὸ δὲ διεζευγμένον; ὀκτάχορδον.

Systema coniunctū, & disiunctum.

Συνθετὸν διάστημα καθόλου ποῖον λέγομεν εἶναι; τὸ διαιρούμενον. ἀσύνθετον δὲ ποῖον; τὸ μὴ διαιρούμενον.

Media definiuntur.

Μέσης δὲ φαμὲν εἶναι ὅρος, ἣ τῆς τελευταίας συνημμένων τετραχόρδων τοῦ μέσου ὀξυτάτη ἐστι. εἰ δὲ οὕτως. μέση ἐστὶν ἡ μεταξὺ πάντων, καὶ διτόνῳ ἀσυνθέτῳ κειμένη, καὶ ἣ τῆς τελευταίας τετραχόρδων ἑξῆς κειμένων τοῦ ὀξυτάτου φθόγγου ἐστὶ βαρυτέρα τῇ διὰ δ΄ συμφωνίᾳ. καὶ ἀφ' ἧς ἀνίεται διὰ δ΄, καὶ διὰ ε΄, καὶ ἀφ' ἧς τόνος, καὶ πυκνὸν ἐπιλαμβάνεται. καὶ ἀφ' ἧς ἐστι συναφή τε καὶ διάζευξις, καὶ ἀφ' ἧς ἀνίεται διὰ πασῶν, καὶ ἐπιτείνεται διὰ πασῶν. ὁ τόνος πόσων διέσεων; η΄. πόσων δὲ ἡμιτονίων; β΄. τί αὖ στοιχεῖον τῶν κατὰ μουσικήν; φθόγγος ὅ ἐστι φωνῆς πτῶσις ἐπὶ μίαν τάσιν μέλους. πᾶς δὲ φθόγγος ἔχει σχῆμα, ὄνομα, δύναμιν.

Tonus dupliciter sumptus.

τόνον ἐν μουσικῇ ποσαχῶς λέγομεν ὑπάρχειν; διττῶς. τὸν μὲν ἐπ' ὀξύτητος, τὸν δὲ ἐπὶ διαστήματος. ποῖον ἐπ' ὀξύτητος; τὸ ᾄδειν ἕτερον ἑτέρου ὀξύτερον, ἢ βαρύτερον, ἢ ὄργανον ὀργάνου ἡρμόσθαι βαρύτερον, ἢ ὀξύτερον εἰωθότος(?) διαστήματος. τὸν δὲ ἐπὶ διαστήματος, ποῖον; ᾧ μείζων ἡ διὰ ε΄ συμφωνία, τῆς διὰ δ΄. φθόγγων δὲ πόσα λέγομεν εἶναι γένη; δύο. τούτων δὲ, οὓς μὲν ἐμμελεῖς καλοῦμεν, οὓς δὲ πεζούς.

Toni musici & pedestres.

ἐμμελεῖς ποῖοί εἰσιν; οἷς ᾄδοντες χρῶνται, καὶ οἱ διὰ τῶν ὀργάνων τι ἐνεργοῦντες. τούτου γὰρ μὴ ὑπάρχοντος ἀδύνατόν τι τῶν κατὰ μουσικὴν δεῖξαι. πεζοὶ δὲ ποῖοί εἰσιν; οἷς ῥήτορες χρῶνται, καὶ οἷς αὐτοὶ πρὸς ἀλλήλους καλοῦσι. καὶ οἱ μὲν ἐμμελεῖς ὡρισμένα ἔχουσι τὰ διαστήματα, οἱ δὲ πεζοὶ ἀόριστα.

4. Species phthongorum, & symphoniarū.

φθόγγων δὲ πόσα λέγομεν εἴδη; γ΄. τίνα ταῦτα; ἑστῶτα, μέσον, ἡγούμενον. τῶν συμφωνιῶν εἴδη πόσα; τρία. τίνα ταῦτα; ἀπ' ἑστῶτος ἐπὶ ἑστῶτα, ἀπὸ μέσου ἐπὶ μέσον, ἀφ' ἡγουμένου ἐπὶ ἡγούμενον. πᾶς δὲ φθόγγος ἔχει σχῆμα, ὄνομα, δύναμιν. αὐτὸ οὖν διάστημα νοητόν ἐστι, ἢ ἀκουστόν; νοητόν. εἰ γὰρ ἦν ἀκουστὸν, καὶ ὁ ἰδιώτης ἀκούων αὐλητῶν, ἢ ᾠδῶν, ἢ ψαλτῶν, ᾔδει ἂν τί ἐστι τὸ διάστημα. κατ' ἴσους δὲ τὸ νοητὸν, καὶ ἀκουστὸν δοκεῖ εἶναι. ἀδύνατον γάρ ἐστι νοῆσαι μὴ ἀκούσαντα. τίνι οὖν γνωστόν ἐστι; μεγέθει, τόνῳ, ἡμιτονίῳ, ὀξύτητι, βαρύτητι.

Rhythmus quid sit.

ῥυθμὸς δὲ τί ἐστι; χρόνου καταμέτρησις μετὰ κινήσεως γινομένη ποιᾶς τινός. πόσα οὖν ἐστι πλάτη συστήματος ἐν τῷ ἀμεταβόλῳ συστήματι; β΄. τίνα ταῦτα; συνημμένον τε καὶ διεζευγμένον. τούτου οὖν διαφοραὶ τίνες; τοῦ μὲν συνημμένου διὰ πασῶν, καὶ διὰ δ΄. τοῦ δὲ διεζευγμένου διὰ πασῶν καὶ διὰ ε΄.

Tres species tetrachordorum

4. diapente species.

τετραχόρδων δέ ἐστιν εἴδη πόσα; γ΄. ἐν μὲν διατόνῳ, πρῶτον μὲν οὗ τὸ ἡμιτόνιον ἐστὶ τὸ βαρύ. β΄. οὗ ἐστι τὸ ὀξύ. γ΄. δὲ οὗ περιέχεται. τοῦ δὲ διὰ πέντε, δ΄. ἐστιν εἴδη. α΄ μὲν οὗ πρῶτος ὁ τόνος ἐπὶ τὸ ὀξύ, οἷον τὸ ὑπάτης, καὶ παραμέσης. δεύτερον δὲ οὗ β΄ τὸ παρυπάτης, καὶ τρίτον οὗ γένος τὸ λιχανοῦ, καὶ παρανήτης δ΄. οὗ τέταρτος. οἷον τὸ μέσης, καὶ νήτης.

7. Species diapason, & earum nomina.

τοῦ δὲ διὰ πασῶν εἴδη ἐστὶν ἑπτά. πρῶτον μὲν οὗ πρῶτος ἐστὶ τὸ ὀξὺ ὁ τόνος, οἷον τὸ ὑπάτης ὑπατῶν, καὶ παραμέσης. ἐκαλεῖτο δὲ ὑπὸ τῶν ἀρχαίων μιξολύδιον. β΄ δὲ οὗ δεύτερος ἐστὶ τὸ ὀξύ, οἷον τὸ παρυπάτης ὑπατῶν καὶ τρίτης διεζευγμένων. ἐκαλεῖτο δὲ λύδιον. γ΄ οὗ γ΄. οἷον τὸ λιχανοῦ ὑπατῶν, καὶ παρανήτης. ἐκαλεῖτο δὲ φρύγιον. δ΄ δὲ οὗ τέταρτος. οἷον τὸ ὑπάτης μέσων, καὶ νήτης. ἐκαλεῖτο δὲ δώριον. ε΄ οὗ ε΄, οἷον τὸ παρυπάτης καὶ τρίτης ὑπερβολαίων, ἐκαλεῖτο δὲ ὑπολύδιον. ς΄, οὗ ἕκτος. οἷον τὸ λιχανοῦ, καὶ παρανήτης ὑπερβολαίων. ἐκαλεῖτο δὲ ὑποφρύγιον. ἕβδομον δὲ οὗ ἕβδομος. οἷον τὸ μέσης, καὶ νήτης ὑπερβολαίων. ἐκαλεῖτο δὲ ὑποδώριον, καὶ κοινὸν, καὶ λοκριστί. αἱ οὖν λιχανοὶ, καὶ αἱ παρανῆται ἰσοδυναμοῦσι ταῖς διατόνοις. τοσαῦτα μὲν οὖν ἐστι τῶν συμφωνιῶν τὰ εἴδη ἐν τῇ μουσικῇ τέχνῃ, δι' ὧν πᾶσα μελοποιία συνίσταται.

Melos quid sit.

Μέλος δὲ τί ἐστι; τὸ ἐκ φθόγγων, καὶ διαστημάτων, καὶ χρόνων συγκείμενον. γένος δὲ μέλους ἦθος καθολικόν τι παρεμφαῖνον; ἔχον ἐν αὐτῷ διαφορὰς ἰδίας.

7. Tetrachordorum constitutiones.

θέσεις δὲ τετραχόρδων, οἷς τὸ μέλος ὁρίζεται, εἰσὶν ἑπτά. συναφὴ, διάζευξις, ἀποδιάζευξις. τούτων δὲ ὡρισμέναι μὲν δ΄, ἀόριστοι δὲ γ΄. ἀόριστοι μὲν οὖν εἰσιν ἔτι συναφὴ καὶ ὑποσυναφὴ, καὶ ἡ παραδιάζευξις, καὶ ὑπερδιάζευξις. τὴν δὲ διαφορὰν ἔχουσι καὶ ἀόριστοι θέσεις τῶν τετραχόρδων παρὰ τὰς ὡρισμένας, τῇ δὲ ὅταν ἐν τῷ ἀμεταβόλῳ συστήματι πολὺ τὸ μέλος δύνηται ὑφ' ἑτέρου θέσιν, καὶ ἄλλη γίνεσθαι. τὸ δὲ τοιοῦτον μέλος ἀόριστον καλεῖται.

Synaphe quid sit.

Συναφὴ τί ἐστι; συναφὴ μὲν οὖν ἐστιν, ὅταν δυοῖν τετραχόρδων ἑξῆς κειμένων ἐπίκοινος φθόγγος ὢν τοῦ μὲν βαρυτέρου τετραχόρδου ὀξύτερος εἴη τῷ διὰ δ΄: τοῦ δὲ ὀξυτέρου βαρύτερος ἤτοι διὰ δ΄ συμφωνίᾳ. καὶ τὰ ἄκρα τῶν φθόγγων πρὸς ἄλληλα τὴν διὰ συμφωνίαν ἀποτελεῖ.

3. Coniunctiones explicantur.

συναφαὶ δέ εἰσι τρεῖς. συνάπτεται γὰρ τὸ ὑπατῶν τῷ μέσων. καὶ τὸ μέσων τῷ συνημμένων. καὶ τὸ διεζευγμένων τῷ ὑπερβολαίων. τὸ μὲν οὖν ὑπατῶν καὶ μέσων συνάπτει ἡ ὑπάτη μέσων. κοινὸς ὢν αὐτῶν φθόγγος. τὸ δὲ μέσων, καὶ συνημμένων κατὰ τὴν αὐτὴν ἀναλογίαν ἡ μέση συνάπτει. ὁμοίως δὲ καὶ τὸ διεζευγμένων, καὶ τὸ ὑπερβολαίων συνάπτει ἡ νήτη διεζευγμένων.

Disiunctiones duæ quid.

τί ἐστι διάζευξις; διάζευξίς ἐστιν, ὅταν δυοῖν τετραχόρδων τόνος ἀναμέσον εἴη. καὶ τὰ ἄκρα τῶν φθόγγων κατὰ τὴν διὰ ε΄ συμφωνῇ πρὸς ἄλληλα. διαζεύξεις δέ εἰσι δύο. διέζευκται γὰρ τὸ μέσων τετράχορδον ἀπὸ τοῦ διεζευγμένων, καὶ τὸ μέσων ἀπὸ τῶν ὑπερβολαίων.

Subdisiunctiones

ὑποδιάζευξις δέ ἐστιν, ὅταν δύο τετραχόρδων μεταξὺ τεθῇ ἡ διὰ ε΄ συμφωνία. καὶ οἱ φθόγγοι κατὰ τὸ διὰ πασῶν συμφωνῶσι πρὸς ἀλλήλους. ὑποδιάζευξις δὲ εἰς β΄. ὑποδιέζευκται γὰρ τὸ ὑπατῶν τετράχορδον ἀπὸ τῶν διεζευγμένων, καὶ τὸ μέσων ἀπὸ τῶν ὑπερβολαίων.

Episynaphe quid.

ἐπισυναφὴ τί ἐστι; ἐπισυναφή ἐστιν, ὅταν γ΄ τετράχορδα κατὰ συναφὴν ἑξῆς μελῳδηθῇ, οἷον ὑπὸ τῶν μέσων συνημμένων.

Hyposynaphe quid.

ὑποσυναφὴ τί ἐστι; ὑποσυναφὴ δέ ἐστιν, ὅταν δύο τετραχόρδων ἀναμέσον γένηται ἡ διὰ δ΄ συμφωνία, καὶ οἱ ὁμώνυμοι φθόγγοι κατὰ τὴν ε΄. ὅπως συμφωνῶσι πρὸς ἀλλήλους. ὑποσυνάπτεται δὲ τὸ ὑπατῶν τετράχορδον τῶν συνημμένων.

ὑποσυνῆπται δὲ τὸ ὑπατῶν τετράχορδον τῶν συνημμένων. παραδιάζευξις τί ἐστι; παραδιάζευξίς ἐστιν, ὅταν τινὲς τῶν φθόγγων τονιαῖον διάστημα πρὸς ἀλλήλους ἀποτελῶσι. παραδιέζευκται δὲ τὸ συνημμένων τῶν διεζευγμένων. ὑπερδιάζευξις δέ ἐστιν ὅταν δύο τετράχορδα ἀνὰ μέσον ὑπάρχῃ ἡ διὰ πασῶν συμφωνία. ὑπερδιέζευκται δὲ τὸ ὑπατῶν τετράχορδον ἀπὸ τοῦ ὑπερβολαίων. αἰτίας οὖν πόσας λέγεις εἶναι τῆς; δ'. τίνας ταύτας; τόπον, τόνον, σύστημα, μελοποιίαν. ἐνίοτε μὲν ἡ ποίησις ταῦτα, ἁπλᾶ ἐστι μεταβολῆς, ἐνίοτε δὲ τὰ ἐν ἢ τὸ β'. ἢ τὸ γ'. μέτρων δὲ καὶ ῥυθμῶν συμμίκτων ποῖα μαθεῖται τὰ εἴδη, συλλαβαῖς, ποσί, λέξεσι. Συλλαβὴ τί ἐστι; σύλληψις στοιχείων δύο, ἢ πλειόνων πάντως ἑνὸς τῶν φωνηέντων παραλαμβανομένου.

Dictio quid. Basis quid. Λέξις τί ἐστι; φωνὴ ἐγγράμματος, μέρος λόγου παριστῶσα. Βάσις τί ἐστι; σύνταξις ποδῶν, ἢ πόδες κατὰ λέξιν. κατάληξις δὲ τί ἐστι; ἄπους ἐλλείπουσα μέχρι πλεονάζουσα συλλαβή. ῥυθμὸς δὲ τί ἐστι;

Catalexis. rhythmus. χρόνου καταμέτρησις μετὰ κινήσεως γινομένης ποιᾶς τινος. κατὰ δὲ Φαίδρον, ῥυθμός ἐστι συλλαβῶν κειμένων πως πρὸς ἀλλήλας ἐμμέτρως θέσις. κατὰ δὲ Ἀριστόξενον, χρόνος διῃρημένος ἐφ' ἑκάστῳ τῶν

Rhythmi descriptiones. ῥυθμίζεσθαι δυναμένων. κατὰ δὲ Νικόμαχον χρόνων εὔτακτος σύνθεσις. κατὰ δὲ Λεόφαντον, χρόνων σύνθεσις κατ' ἀναλογίαν τε καὶ συμμετρίαν πρὸς ἑαυτοὺς θεωρουμένων. κατὰ δὲ Δίδυμον φωνῆς ποιὰ σχηματισμός. ἡ μὲν οὖν φωνὴ ποιῶς σχηματισθεῖσα ῥυθμὸν ἀποτελεῖ. καὶ γίνεται οὗτος ἢ περὶ λέξιν, ἢ περὶ μέλος, ἢ περὶ σωματικὴν κίνησιν. συμπλέκεται δὲ οὗτος ἐκ χρόνων. πόσων; τριῶν. ποίων;

Triplex rhythmus. Triplex tempus rhythmi. τούτων. βραχυσυλλάβου τε καὶ μακροῦ, καὶ ἀλόγου. βραχὺς ποῖός ἐστιν; ὁ ἐλάχιστός τε καὶ εἰς μερισμοὺς πίπτων. μακρὸς δὲ ποῖος; ὁ τούτου διπλάσιος. ἄλογος δὲ ποῖος; ὁ τοῦ μὲν βραχέος μακρότερος, τοῦ δὲ μακροῦ ἐλάσσων ὑπάρχων. ὁ πόσῳ δέ ἐστιν ἐλάσσων ἢ μείζων, διὰ τῷ λόγῳ εἶναι δυσαπόδοτον, ἐξ αὐτοῦ τοῦ συμβεβηκότος ἄλογος ἐκλήθη. χρόνων δὲ συμπλοκαὶ ἐν ῥυθμοῖς πόσαι γίνονται; τέσσαρες. συμπλέκεται γὰρ βραχὺς βραχεῖ, μακρὸς

Rhythmus 4. modis per coniunctiones diuersas variatur. Tria phthongo conueniunt. Figura quid. Nomen. Arsis, & thesis quid. μακρῷ, ἄλογος βραχεῖ, ἄλογος μακρῷ. πᾶς δὲ φθόγγος ἔχει σχῆμα, ὄνομα, δύναμιν. σχῆμα τί ἐστι; ὁ τὸ στοιχεῖον σημαίνων τύπος. ὄνομα δέ ἐστιν, ᾧ ἕκαστον τῶν φθόγγων ἐν ὀργάνοις ἐκφωνοῦμεν. Ἄρσιν ποίαν λέγομεν εἶναι, ὅταν μετέωρος ᾖ ὁ πούς, ἡνίκα ἂν μέλλωμεν ἐμβαίνειν. θέσιν δὲ ποίαν; ὅταν κείμενος. τοῦτο ἀνὰ μέσον τῆς ἄρσεως, καὶ τῆς θέσεως χρόνος οὐκ ἄξιον δεῖξαι τινι, ὡς ὄντα τινὰ τῶν κατὰ μέρος. διὰ γὰρ τὴν βραχύτητα λανθάνει, καὶ τὴν ὄψιν, καὶ τὴν ἀκοήν. πόδες δὲ καὶ συνθέσει στοιχείων ἐλαχίστων δέχονται. τῶν δὲ ῥυθμῶν εἰσιν οἱ μὲν ἁπλοῖ, οἱ δὲ συμπεπλεγμένοι. πόσοι

Rhythmi decem enumerantur. Hegemon, iambus, &c. 6. Simplices. 4. Compositi. οὖν εἰσι ῥυθμοί; δέκα. τίνες οὗτοι; ἡγεμών, ἴαμβος, χορεῖος, ἀνάπαιστος, ὄρθιος, σπονδεῖος, παιάν, βακχεῖος, δόχμιος, αἰνοπαῖος. τούτων ἁπλοῖ πόσοι; ἕξ. ἡγεμών, ἴαμβος, χορεῖος, ἀνάπαιστος, ὄρθιος, σπονδεῖος. συμπεπλεγμένοι δὲ πόσοι; τέσσαρες· παιάν, βακχεῖος, δόχμιος, αἰνοπαῖος. τῶν οὖν ἁπλῶν ποῖος ἄρχεται; πρῶτος ἡγεμών· σύγκειται δὲ ἐκ δύο χρόνων ἐλαχίστων. ἄρχεται δὲ ἀπὸ ἄρσεως, καὶ ἔχει σὺν αὐτῷ ἴσα τὸν ἐλάχιστον χρόνον. ὁμοίως καὶ ἐν τῇ θέσει. ὑπόδειγμα δὲ αὐτοῦ λέγομεν, λόγος. β' δὲ ὡς ὁ ἴαμβος. σύγκειται δὲ ἐκ βραχέος καὶ μακροῦ χρόνου. ἄρχεται δὲ ἀπὸ ἄρσεως. γ' δὲ ποῖος; χορεῖος. συνίσταται δὲ ἐκ

Quinam rhythmus ab arsi, vel thesi incipiat. μακροῦ καὶ βραχέος χρόνου. ἄρχεται δὲ ἀπὸ θέσεως, οἷον πῶλος. δ' δὲ ὁ ἀνάπαιστος ἐκ δύο βραχέων ἄρσεων, καὶ μακρᾶς θέσεως, οἷον Καπανεύς. ε' δὲ ὄρθιος ἐξ ἀλόγου ἄρσεως, καὶ μακρᾶς θέσεως, οἷον ὀργή. ς' δὲ ὁ σπονδεῖος ἐκ θέσεως, καὶ μακρᾶς, οἷον, σπονδή. ἕβδομος παιάν, σύνθετος ἐκ χορείου, καὶ ἡγεμόνος, οἷον ἀπλόκαμον. ὄγδοος δὲ βακχεῖος ἀφ' ἡγεμόνος, καὶ σπονδείου, οἷον, Θεοδώρα. θ' δὲ ὁ δόχμιος ἐξ ἰάμβου, καὶ ἀναπαίστου, καὶ παιᾶνος τοῦ κατὰ βάσιν. (ὁ ἡμέτερος ἐκ τριῶν χρόνων) δέκατος δὲ αἰνοπαῖος ἐξ ἰάμβου, καὶ ἡγεμόνος, καὶ χορείου, καὶ ἰάμβου, οἷον, ταῦτα πάντως εἴφασαν. Hactenus Isagoge Bacchij, quam Fed. Morellus Pr.R. Latinè vertit, postquam difficultates, quæ è characteribus nascebantur, enodaui, quibus intelligendis tabella præcedens Isagogem plurimùm inseruiet.

His verò nonnulla subiungemus, quæ nemini ingrata esse poterunt, vt si quid antea dictum fuerit, quod obscurius, aut breuius esse videatur, hîc ex parte suppleamus. Imprimis verò 27 tetrachordorum species afferemus, de quibus Ioseph fusissimus 4 supplem. deinde modos aliâ ratione, quàm antea declarabimus, vt nequidem vnus sit, qui musicam vnicâ horâ, vel ad summum vnâ die discere non valeat. Priùs tamen singulos non solùm musicos, verùm etiam omnes mathematicos, atque philosophos rogabo, vt videant, num vocis, & sonorum cognitio ad aliquam scientiam opticę similem reduci possit, vt aliquid hoc sæculo constituamus, quod antiqui omiserint. *Musicæ, & opticæ collatio.*

Sanè plurima circa sonum, & aurem, atque corpora sonos reflectentia, vel refrangentia videntur occurrere, quę similia sunt radijs opticis; quemadmodum enim ex omnibus lineis radiosis, quibus obiectum in oculos incurrit, illi clariùs obiectum detegunt, qui rectâ, & ad perpendiculum, lineâ videlicet breuissimâ, perueniunt ad crystallinum: illi verò obscuriùs obiectum manifestāt, qui obliqui recipiuntur: ita sonus lineas quasdam auditorias in aures immittit, quarum illæ meliùs sonum referunt, quæ rectiùs, & breuiori compendio ad aures pertingunt, minus verò cum obliquæ sunt. *Sphæra actiuitatis soni.*

Sonus habet actiuitatis superficiem circularem, vel potiùs sphæricam, minorem tamen sphærâ visibilium. Quidquid verò de modo visionis, & de angulis dicitur, sub quibus obiecta videntur, déq; speculis tam planis, quàm concauis, aut conuexis species ad oculos reflectentibus, necnon de varijs medijs radium opticum, catoptricum, atque dioptricum frangentibus, id suo modo de angulis, sub quibus auditur sonus, de parietibus, montibus, ripis, aquis, aëre, &c. tam reflectentibus, quàm frangentibus vocem, iure dici potest. Hinc vocis linea sonora, seu vocalis incidens, reflexa, refractâque constituenda est, cuius naturam si accuratè perspexeris, facilè per longa spatia vox transferri poterit, & cum aliquo ita loqueris à te remotissimo, licet ij, qui propinquiores sunt, nihil intelligant, non solùm tubis, & soniductibus vtendo (quibus, si fuerint occulti, quidpiam fingi potest, adeout vasa quæpiam, & bellaria mensæ imposita, & fontes, & statuæ musicam 4, vel plurium partium canere videantur) sed etiam in aulis, & cubiculis, si caui parietum anguli cum angulis cauis cœnationum concameratarum vsque ad oppositum aliorum parietum angulum continuentur, qualem esse ferunt aulam ducis Mantuani, vox enim in istiusmodi fornicibus pergit vnita, prout in longa trabe contingit. Illa verò multa ex reflexione patitur, & echo vocatur, si distinctè reiteretur, vt in pluribus locis videre est, in quibus audiuntur echo monophona, diphona, triphona, heptaphona, &c. quod tum accidit, cum reflectens corpus est in aperto, alioqui solus bombus audietur, vt patet in puteis, qui cum sub tecto siti sunt, dum aqua vocē reflectit, idem facit tectum, & sic a echo sese confundūtur, adeout nihil præter bombū audiatur, quod & in xistis, atque cubiculis ob parietes, pauimentum, & concamerationem contingere solet, quæ vocem nimis agitant, & confundunt. Quæ nisi per eandem lineam, per quam ad corpus reflectēs exiuit, continuò redeat, nunquam is, qui locutus est, audiet echo, si in eodem loco steterit, nisi angulus adeò paruus esset, vt spatium, quod est ab ore ad aures, non superaret; alius tamen in loco reflexionis positus echo percipiet, dummodo interuallo satis longo à corpore reflectente distet, quod 24 passuum geometricorum aliqui definiunt, vt sit monosyllaba, summam verò distantiam, præter quam echo percipi nequeat, dimidium sphæræ actiuitatis definiunt, quam linea vocalis postulat, vt si

Lineæ vocalis, & sonora quid. *Absenti quomodo loquamur, vt præsens nihil audiat.* *Vox reflexa, & refracta alibi manifestat obiectum, quam vbi fit primarius sonus.* *Echo quomodo fiat.* *Quanta distantia corporis reflectentis esse debeat, vt audiatur echo.*

vt si linea vocalis à nullo corpore reflectente impedita per mille passus audiatur, echo per 500 passus percipietur, nisi reflexio lineam vocalem minuat. Ex quibus facilè concludi potest echo non intelligi, vel quia nimiùm distat corpus reflectens, vel quia vox non incidit per lineam rectam in illud corpus, & ideo reflectitur obliquè, itaut is echum audiat, qui in illa linea obliqua fuerit; quæ si bis, ter, aut quater reflexa sit, secundariam, & tertiariam echum referre poterit, itaut quispiam solius auditus iudicium sequens egregiè decipiatur, si corpus sonorum in illa parte esse putet, in quo illud per echum audire videtur, vt sæpe contingit in campanis, quas in corpore reflectente esse iudicamus.

Echo cur sæpe nõ auditur.

Echo tam primaria, quàm secũdaria fallit

Omitto cætera, quæ Phonimetria, & Echometria suggerere possunt: vt quâ ratione corpora reflectentia disponi debeant, vt echo polyphona reddatur: vbi quis stare debeat, vt voce quapiam ad corpus reflectens allisâ percipiat echum: cur meliùs audiatur sonus, seu vox in puncto reflexionis, vel foco speculorum concauorũ tam sphæricorum, quàm parabolicorum, & ellipticorum, quàm si loquenti, vel mussitáti propiùs aurem admoueres, &c. quæ facilè possunt ex dictis elici. Quòd si quis echum curiosiùs fabricare velit, auditores in orbem dispositi poterunt illam audire, licet vnusquisque stare debeat in linea vocali reflexa, quocunq; tandem abscedat, enimuero iuxta varios angulos incidentiæ lineæ vocalis, variantur anguli lineæ reflexionis, ideóq; si corpus ita Geometer constituat, vt anguli reflexionis lineas in orbem reflectant, omnes auditores tametsi circulum facientes echum audient. Quidam experientiâ freti asserunt echum monosyllabam à 24 passibus auditam tunc futuram disyllabam, si corpus reflectens 48 passus distet; si 96 tetrasyllabam: alij primâ suppositâ, disyllabæ 46, 70. verò trisyllabæ tribuunt, ita tamen vt neque arithmeticam, neque geometricam omni ex parte proportionem in huiuscemodi seruari putem. Eâdem verò ratione corpora concaua polita lineas vocales dispersas in vnum congregant, quâ radij solares flammã edentes colliguntur. Viderint musici, & omnes mathematici num locus polyphonus ita constitui valeat, vt vnica vox, vel pauci homines, aut vnica testudo, tuba, vel aliud instrumentum eadem facere possit, quæ verbi gratiâ centum, mille, vel quotlibet; num aliquâ arte aures iuuari possint, sicut oculi telescopio: num instrumenta fieri valeant, quæ ipsa verba pronuntient; quas regulas in diuersis medijs lineæ vocales obseruent, num easdem omnino, quas dioptrica: num alicuius figuræ, & linearum diuisione genus chromaticum, enharmonium, mixtum, & commune demonstrari possint; sicut diatonicum, cuius omnes consonantias exhibet quadratum in quinq; parallelogrammata diuisum, si ducatur ab eius angulo recta linea ad latus oppositum, bifariam illud secans, tunc enim latera parallelogrammaton omnium à prædicta linea transuersa iuxta consonantias harmonicas diuidentur. Viderint etiam medici num ex varietate vocis, & toni diuersæ proprietates hominis, & robur deprehendi valeant; nec non humoris copia, & morbi remissio, vel augmentum; an etiam mors imminens, vel breui futura, & alia plurima; vt quibus animi pathematibus aliquis maximè subiaceat, cuias sit, quem pulsum habeat, deniq; quæ sint illa, quæ per vocem agnosci possint, necne; quæ seriò meditor: alij ferát opem; quæ dum apud se perpendent, prædictas 27 tetrachordorum species affero, quas omnes quispiam, si lubet, monochordo experiri poterit, vt videat, quæ sit gratior, aut molestior, & quam effectuum varietatem singulæ producant.

Phonimetriæ, & Echometriæ scientia peculiaris statui posset.

Quid musicis inquirendum superfit.

Parallelogrãmo omnes consonantiæ repræsentantur.

Quid medici ex musica conijcere valeát.

Sunt & alia plurima musico perpendenda, vt harmonia ad colophonem perducatur, vt quot modis possit tetrachordum varijs interuallis perfici, quantam latitudinem consonantiæ patiantur, itaut varietas aure dijudicari nequeat: certum est enim singulas aliquam pati, vt non semel monochordo expertus sum. Sed hæc & alia propemodum infinita nondum hucúsque discussa libens omitto, vt ad huiusce quæstionis finé properemus.

Hîc finire decreueram, sed cùm nónullæ paginæ supersint, in quibus typographus operas collocare desiderat, nonnullos versus Gallicos ad Latinorum, atq. Græcorũ regulam exactos in Poëtarum, & Musicorum nostrorum gratiam addam, quibus aliqui psalmi ad canendum apti exprimétur: quorum primus erit psalmus 32 versibus anapæsticis redditus, & stylo, atque charactere Baïfiano scribetur, sicut & psalmus 22. qui versibus ionicis à maiori, & 100, qui sapphicis constat, nec non 103 hexameter: Reliqui charactere communi describentur, obseruatâ tamé orthographiâ, priùs tamé sequentes 27 tetrachordorũ species, & Canticum Mosis omni genere versuum exaratum accipe.

Octo tetrachordorum species in genere diatonico.

Prima.

192 Hypate meson
Sesquioctaua
216 Lichanos hypaton
Sesquioctaua
243 Parhyp. hypaton
Super 13. partiens 243
256 Hypate hypaton

Secunda.

168 Hypate meson
Sesquioctaua
189 Lichanos hypaton
Sesquiseptima
216 Parhyp. hypaton.
Sesquiuigesima septima
224 Hypate hypaton

Tertia.

15 Hypate meson
Superbipartiens 15
17 Lichanos hypaton
Superbipartiens 17
19 Parhyp. hypaton
Sesquidecima nona
20 Hypate hypaton

Quarta.

30 Hypate meson
Sesquisexta

35	Lichanos hypaton
Superbipartiens 35	
38	Parhyp. hypaton
Sesquidecima nona	
40	Hypate hypaton

Quinta.

24	Hypate meson
Sesquioctaua	
27	Lichanos hypaton
Sesquinona	
30	Parhyp. hypaton
Sesquiquinta decima	
32	Hypate hypaton

Sexta.

36	Hypate meson
Sesquinona	
40	Lichanos hypaton
Sesquioctaua	
45	Parhyp. hypaton
Sesquiquinta decima	
48	Hypate hypaton

Septima.

9	Hypate meson
Sesquinona	
10	Lichanos hypaton
Sesquidecima	
11	Parhyp. hypaton
Sesquivndecima	
12	Hypate meson

Octaua.

63	Hypate meson
Sesquiseptima	
72	Lichanos hypaton
Sesquinona	
80	Parhyp. hypaton
Sesquivigesima	
84	Hypate meson

Octo species tetrachordorum in genere chromatico, quarum

Prima.

192	Hypate meson
Tritemit. superttripartiens 16.	
228	Lichanos hypaton
Super 5 partiens 76	
243	Parhyp. hypaton
Limma super. 13. partiens 243	
256	Hypate hypaton

Secunda.

189	Hypate meson
Super 5. partiens 32	
224	Lichanos hypaton
Super 19. partiens 243	
243	Parhyp. hypaton
Sesquivigesima septima	
252	Hypate hypaton

Tertia.

90	Hypate meson
Super. 13. partiens 45	
112	Lichanos hypaton
Sesquiuigesima octaua	
116	Parhyp. hypaton
Sesquiuigesima nona	
120	Hypate hypaton

Quarta.

90	Hypate meson
Sesquiquinta	
108	Lichanos hypaton
Sesquidecima octaua	
114	Parhyp. hypaton
Sesquidecima nona	
120	Hypate hypaton

Quinta.

90	Hypate meson
Super. 7. partiens 30	
111	Lichanos hypaton
Supertripartiens 115	
115	Parhyp. hypaton
Sesquiuigesima tertia	
120	Hypate hypaton

Sexta.

60	Hypate meson
Sesquiquinta	
72	Lichanos hypaton
Sesguiuigesima quarta	
75	Parhyp. hypaton
Sesquiquinta decima	
80	Hypate hypaton

60 E	Hypate meson
Tritemiton. sesquiquinta	
72 ✕|	Lichanos meson
Semit. minus sesqui 24	
75 C	Parhyp. hypaton
Semit. maius sesqui. 15.	
84 ♮	Hypate hypaton

Septima.

462	Hypate meson
Sesquisexta	
539	Lichanos hypaton
Sesquivndecima	
588	Parhyp. hypaton
Sesquiuigesima	
616	Hypate hypaton

Octaua.

105	Hypate meson
Sesquiquinta	
126	Lichanos hypaton

Sesqui

Sesquiquartadecima	
135	Parhyp. hypaton
Sesquiuigesima septima	
40	Hypate hypaton

Septem species tetrachordorum in genere enharmonio.

Prima.

384	Hypate meson
Super 17 partiens 64	
486	Lichanos hypaton
Super 13 partiens 480	
499	Parhypate hypat.
Super 13. partiens 499	
512	Hypate hypaton

Secunda.

84	Hypate meson
Sesquiquarta	
105	Lichanos hypaton
Sesquiuigesima quinta	
108	Parhypate hypat.
Sesquiuigesima septima	
112	Hypate hypaton

Tertia.

90	Hypate meson
Supertripartiens 15	
114	Lichanos hypaton
Sesquiuigesima octaua	
117	Parhyp. hypaton
Sesquiuigesima nona	
120	Hypate hypaton

Quarta.

24	Hypate meson
Sesquiquarta	
30	Lichanos hypaton
Sesquitrigesima	
31	Parhyp. hypaton
Sesquitrigesima prima	
32	Hypate hypaton

Quinta.

276	Hypate meson
Sesquiquarta	
345	Lichanos hypaton
Sesquiuigesima tertia	
360	Parhyp. hypaton
Sesquiquadragesima quinta	
368	Hypate hypaton

Sexta.

924	Hypate meson
Sesquiquarta	
1155	Lichanos hypaton
Sesquiuigesima prima	
1210	Parhyp. hypaton
Sesquiquinquagesima quinta	
1232	Hypate hypaton

Septima species.

300	Hypate meson
Sesquiquarta	
375	Lichanos hypaton
Diesis super 13. partiens	
384	Parhyp. hypaton
Diesis sesquiuigesima quarta	
400	Hypate hypaton.

Quinque semitonia his addi possunt, quæ sequuntur.

Semitonium maximũ 27.25. superbipatiens 25
Semitonium maius 16. 15. sesquidecimaquinta
Semitonium medium 135.128. superseptẽpartiẽs 128
Semitonium minus 256.243. super 13 partiens 243
Semitonium minimũ 25. 24. sesquiuigesimaquarta

Sequitur maximum, & accuratissimum systema, quod Iosephus in medium protulit, vt in ea faciliùs omnes consonantiæ, & singula interualla reperiantur, cui nihil præter diagramma 12 modos nouâ ratione continens subiungemus; Antea tamen placet pulcherrimum illud Mosis canticum afferre, quod Deuteronomij 32 habetur, idque versibus pulcherrimis omnium speciérũ ab egregio poëta concinnatum, vt cùm musici Christiani aliquid canere voluerint, quod sit ad maiorem Dei gloriam, canticum istud simul concinere valeant.

Hic ad marginem versic. cãtici notamus 1. versic.

Audite cœli qua loquor, auribus
Adstet probatis pendula lucidas
Tellus per axes, & recondat
Quæ facili venient ab ore.
Sicut de grauido sinu
Nubes fundit aquas sic sapientiam 2.
Pleno pectoris è penu.
Gnarus parturiam, limpida fertilis
Sic vis eloquij fluet.
Quasi ros gelidus gramina vitreis
Pingens blandula gemmulis
Aut vligo suis montis inebrians
Intonsi lacbrymis iuga,
Glebas exhilarat solibus aridas.
Nempe Dei *sacrum nomen, numénque vocabo,* 3.
Horrore sancto maximum veneremini;
Eia decus Domini, *dignósque repandite cantus.*
Sublimis est enim, ac inimitabilis 4
Dextra, *& in exactis immensa potentia factis,*
Huiúsque rectas iussa currunt semitas.
Illis alma Dei *fœderibus non variat fides,*
Nullos ille dolos, aut sceleri non scelus astruit
Immò recta facit, recta iubet iustus, & integer
Sed blando Domini *quos vocitant nomine liberos,* 5
Tetris impliciti sunt scelerum cassibus, haud Deus,
Et sic dum putrida sorde rigent, mole ruunt sua
Eheu gens hominum visceribus nata nefarijs
Et peruersa nimis! Dona malis haeccine pensitas?
Perfricta Dominum *tu-ne petis fronte superbie?*
Nunquid non pater est ipse tuus, qui in penetralibus
In puris te habuit, quique dedit per varias plagas
Gratâ luce frui, seu facilem ducere spiritum,
In mentem subeant tot veteres præteriti dies,
Longam per seriem discute progenies singulas,

Quare à patre tuo, vera tibi prodere gestiet:
Quære à propositis, prisca dabunt noscere secula.
8 *Cùm diuidebat orbis incolas breues*
Ex turre summus arbiter.
Cùm segregabat Protoplasti filios
Tot cæteris à gentibus
Populos suis discriminandos finibus
Statuit potenti dexterâ
Cùm prole, vt essent Isaci numero pares
Intrante terminos Phari.
9 *Hæreditatis autem vera portio*
Quæ creta supremo Deo,
Hæredij modúsque grex eius fuit.
Iacob propago strenua.
10 *Est inter Ægyptum, atque Chanaam locus*
(Lustris ferarum commodus,
Multis biulcis rupibus longè horridus
Immane quid minitantibus)
Quem solitudo vasta peiorem facit
Silentiúmque territans.
Huc noster à malesuadis mentibus
Plebem remotam repperit.
Quasi manu deduxit illam sedulâ
Per inuias loci vias,
Vt hanc humilem sibi applicaret arctiùs
Ad legis effectum suæ.
Huic ambitu efficace custos affuit
Sicut tenelli luminum
Orbis saluti molle corpus excubat:
11 *Vt imperator alitum*
Videns probatos sole subplumescere
Pullos, sonoro præuolat
Motu, volare suadet, & docet suos:
Sic blandulè passis Deus
Superuolauit alis, & crebris eum
Pennis recepit debilem.
Fouitque lassum bellè humeris vectum suis
Parentis officium gerens.
12 *Dux solus, auspex, antesignanus fuit*
Huius populi verus Deus.
Qui cum Deorum nullus ausus gentium
Adulterinus congredi.
13 *Huic summus dedit arbiter*
Sedes carpere commodas,
Terra cespite verticem
Multis vberiorem.
Cuius dulcia fructuum
Passim fercula sumeret,
Cunctis indulta penatibus,
Nullo & parta labore.
Illuc rupibus in canis
Præmunire fauos apes
Plena crura thymo solent,
Vt mel sugeret ore.
Huc plantaria saxeo
Pubescunt olea solo,
Expresso vnde fames foret
Dulci pulsa liquore.
14 *Huc armenta boum fero*
Intonsos quatiunt pede
Montes vbere butyrum
Vt plebs læta pararet.
Illuc luxuriant oues,
Quarum lactea copia
Præsto essent, aries nouus,
Basánque agnus obesus.
Illuc cogere capreas
Prærruptis licuit locis,
Instaurare & adorea
Puris liba medullis:
Illuc carpere fertilis
Botros palmitis vuidos,
Lautas pérque dapes merum
Degustare superbum.
His chara Deo soboles mensis 15
Distenta gerens viscera, pleno
Genio indulsit ventris opimi:
Opibus profusisque tumescens
Malegrata sub mente rebelles
Animos præceptis opposuit,
Iuga collo excussitque feroci,
Et transfuga summum deseruit
Patrémque, Deúmque suum, signo
Se subduxitque salutifero.
Meritas hinc accendit in iras 16
Dominum, dum thuricremas aras
Falsis erexit numinibus,
Et sculpsit abhorrenda Deorum
Simulachra, quibus vota ferebat,
Lectósque bidentes dæmonibus 17
De grege mactabat, & ignotis
Dijs, non Domino praua litabat:
Operæpretium non fuit illis
Patribus sic procidere ante Deos,
Stolidi quos finxere nepotes
Proh pudor! almum sæua parentem 18
(Haurire leues qui dedit auras)
Tu deseris oblita fauorum.
Solio Deus hæc vidit ab alto, 19
Vnde furoris calor emicuit,
Quem sexus plebs vtriúsque citis
Mouet scelerum flabris. Et ait
Deus in verba hæc ora resoluens.
Ipse meos ab ijs tacitum per inane locatis 20
Subducam placidos semoto lumine vultus;
Ac velut in triuijs positi, quo tramite callem
Instituant, quis erit breuis huius exitus aulæ,
Obseruabo, premet mea tunc sententia casum;
Nam genus infidum est, dubio prolésque labescens
Pectore fert animos sacrata in pacta rebelles.
Vtque mei vltrices acuerunt numinis iras, 21
Dum delubra colunt falsorum falsa Deorum,
Nec me tot prauis metuêre lacessere factis:
Sic ego disiectos æquali sorte lacessam
Mancipijs hominum strictos ratione carentûm,
Vesanaque truci turbabo tyrannide gentis.
Mea iam vindex æstuat ira, 22
Furor & rapidos elicit ignes
Promptos crepero pede bacchari,
Et flamminomis agitare globis
Barathri ad tetros vsque recessus:
Fauce voraci ruet ignitus
Segete grauidos imber in agros,
Sauósque supercilio montes
Rupis ab alto vertice stridens
Populabitur vsque suam ad calcem
Fera dispersis flamma fauillis.
Hos super congestis mala profundis congeram malis, 23
Impios rapere, atque mersos premere pergam gurgite
Tela desertis pharetris felle promam perlita,
Alligabit artus langor ignauos, & ingerent
Se noua facies necis ferociores hac nece:
Facibus & piciferis ruet amens Eumenis
Et auidum rigida mors aperiet guttura, 24
Rabificas ibi acies macra fames instruet
Fremitibúsque crepitantibus agens viscera
Valida corpora meatibus iniustis metet.
Suáque rostra fera Vulturius exasperans

Grauisonis

Grauisonis edet ouans reliquias morsibus
Domibus è semirutis resilientes feras
Reijciam super eos, vt oculis enecent
Maleficis, dapinorisque rapiant dentibus.
Atra trisulca colubris iacula vibrantibus
25 *Dabo nigros furere vindice per artus lue:*
Nemoribúsque, & in agris gladius in iugula
Misera condet inimicus aciem splendidam,
Laribus & gelidus ossa proprijs atteret
Pauor, aget semineces & animas ad necem
Ciuibus: aqua senibus iuuenibusque hæc lues.
26 *Tunc fatus ego: iam nunc vbi sunt?*
Hos ita prauos nube silenti
Condam, feret vt nunquam ad seros
Lacerum nomen fama nepotes.
27 *Meritas sed continui pœnas:*
(Inimicorum furor immanis
Facilis fausta fuit ansa moræ:)
Ne fortè gerens tumidos hostis
Animos insultaret cladibus.
Simul hæc erumperet in verba:
Nostra hæc armipotens, celsáque dextera,
Noster laurigeris dignus honoribus
Tantum neruus opus robore gestiens
Patrauit valido, non Domini manus.
28 *O gens salubris expers consilij, tetras*
Inurens sibi scelesta insaniæ notas,
Quà temeritate fertur in præceps nouâ?
29 *Vtinam latentis turpe rumperet doli*
Velum, quod obtendit furori perdito,
Tutámque numinis indueret formidinem,
Causásque nosset præteritarum cladium,
Acutâ mentis & acie comprehenderet
Qualisque vita sit futurus exitus
Qua vsque scena sit progressus vltima:
30 *Vnde hoc, arenæ sit magister Martiæ*
Vnus feroce pugnâ mille persequens:
Duo decem fuerint, fugarint millia,
Victriciáque arma fixerint interriti?
Num quia Deus pretio addictos arbitrio
Permisit hostili, & duræ tyrannidi?
Miserósque vt inter sacrum, & saxum proditos
Pepulit per hastarum segetes erumpere?
31 *Deus enim noster hominum iustus arbiter,*
Et gentium malè ominata numina
Assueta dolis passu pari non ambulant,
Sceleri ille pœnas irrigat, sceleri hi fauent:
Hæc vera quàm sint nostri inimici iudicent.
32 *Ex vite Sodoma prodiens scrobibus nouis*
Gemmescit Idumes contemerata pampinus,
Sectúsque Gomorrhæ ramus apricis collibus
Vdo paternæ stirpis inolescit libro:
Hinc vua madet immersa felle lurido,
Gelidâ racemus riget amaritudine.
33 *Vinum draconum fœtet atrâ sanie*
Mixtum venenis aspidum lethalibus.
34 *Hæc nonne manent alto reposta pectore,*
Et sculpta celsi tabulis intimis poli.
Tandem recessu promptura prouido,
Vt sentiant sceleribus vltrices manus:
35 *Vindicta nostra legibus potentia*
Parere nouit, & mortalibus negat
Indebitas operas. Nam iudicis gerens
Vices, nefanda plecto, dum cessit dies,
Vt lubrico præceps pes corruat gradu.
Subitis clades dira quadrigis
Aduolat, ipsis & adest foribus,
Lethique ferox imminet hora,
Cuncta ruinâ quassata cadent.
Populos olim sibi dilectos
Arguet vno Deus ore reos: 36
Sed ijs qui mente, fidéque bona
Verum Domini numen adorant,
Radios vultus ille sereni
Exeret, almáque leuabit ope:
Ipse videbit quàm sunt vires
Animis torpentibus attritæ.
Vtque seratis foribus firma
Mœnia scandit miseranda lues,
Cunctósque suis trepidos muris
Dolor inuasit, totásque malum
Grande medullas hausit, & artus
Exedit atros, varijsque locis
Ruit in sparsos vndâ, ferro,
Fame, flammâ, peste, siti raptos.
Et dicet tunc; vbi sunt, vbi sunt 37
Dij, quos vita tenuêre sua
Columen tutum? quorum auspicio
Facinus fuerant omne perausi?
Quorum saturi dape, quæ calidis 38
Falsi cecidit numinis aris,
Et priùs oblatum sculptilibus
Plenis pateris hausêre merum:
Veniant, veniant, ope continuâ
Tueantur vos, numine surgant
Præsente, premet cùm sæua mali
Rabies, & sors impia belli.
Longa per excelsæ nostræ miracula dextræ 39
Me solum esse patrem, & rectorem cernite rerum,
Nullum posse Dei præter me nomen habere.
Nil toto simile orbe mihi, nihil esse secundum.
Fortia seuero prosternam corpora fato,
Si numini meo lubet,
Mox dabo luce frui.
Lurida dissectis infligam vulnera neruis,
Et tum potenti dexterâ
Blanda medella fluet.
Nemo potest, vegeto quamuis sit robore fretus,
Sese lacertis è meis
Vi propriâ eximere.
Tollam & in astra manum, & dicam (me stringere 40
Quasi sacramento mihi) [vellem
Viuo perennis ego.
Ensem flammiuomum si rapidi fulminis ad modum 41
Irritare velim præcipitem sub rigidâ cote,
Et si tergeminis iudicium fascibus excitem,
Hostes ipse meos lethiferis supplicijs premam,
Vltricisque meæ iusta manus pondera sentiant.
Cogam vulneribus condita maximis 42
Riuo sanguineo tela madescere,
(Cæsorum resluus quem generat cruor)
Non vellenda priùs, quàm grauius ebriâ
Singultus properet cuspide pellere.
Et tunc semineces vorax
Ensis pascere gestiet,
Hostilique acies noua
Instabit capiti suis
Orbo per decus comis.
Vos nouâ gentes renatæ 43
Luce, gratulemini
Cœtui lecto, beatos
Dicite Dei milites,
Nam velox fusi suorum
Sanguinis vindex erit:
Cladésque latas immeritis mori,
Pensabit altis stragibus hostium,
Vultúque tellurem benigno
Irradians, populum beabit.

33	aa		4320 Nete hyperboleon	Semitonium maius 16. 15
32			X 4608	Semitonium minus 25. 24
31	g		4800 Paranete hyperboleon	Semitonium maius 16. 15
30			X 5120	Comma 81. 80
29			X 5184	Semitonium minus 25. 24
28	f		5400 Trite hyperboleon	Semitonium maius 16. 15
27	e		5760 Nete diezeugmenon	Semitonium minus 25. 24
26			b 6000	Comma 81. 80
25			b 6075	Semitoniũ medium 256. 243
24	d		6400 Paranete diezeugmenon	Comma 81. 80
23			d 6480 Nete ſynemmenon	Semitonium maius 16. 15
22			X 6912	Semitonium minus 25. 24
21	c		7200 Paranete ſynemm. & Trite diezeugm.	Semitonium maius 16. 15
20	♮		7680 Parameſe	Semitonium minus 25. 24
19			b 8000	Comma 81. 80
18	b		8100 Trite ſynemmenon	Semitonium maius 16. 15
17	a		8640 Meſe	Semitonium maius 16. 15
16			X 9116	Semitonium minus 25. 24
15	G		9600 Lichanos meſon	Semitonium maius 16 15
14			X 10240	Comma 81. 80
13			X 10368	Semitonium minus 25. 24
12	F		10800 Parhypate meſon	Semitonium maius 16. 15
11	E		11520 Hypate meſon	Semitonium minus 25 24
10			b 12000	Comma 81. 80
9			b 12150	Semitoniũ medium 256. 243
8	D		11800 Lichanos hypaton	Comma 81. 80
7			D 12960	Semitonium maius 16. 15
6			X 13834	Semitonium minus 25. 24
5	C		14400 Pathypate hypaton	Semitonium maius 16. 15
4	♮		15360 Lichanos hypaton	Semitonium minus 25. 24
3			b 16000	Comma 81. 82
2			b 16200	Semitonium maius 16. 15
1	A		17280 Proſlamuanomenos.	

Quibus aliqua diagrammata 12 modos iterum explicantia ſubijcio, vt nemo ſit, qui optimè modos illos non agnoſcat. In his verò ſchematibus ipſæ literæ, & aliæ notæper ſe loquuntur, quapropter nulla explicatione indigent.

r Hypoproſl.

		Primus.	Secundus	Tertius	Quartus	Quintus modus	Sextus modus	Septimus modus	Octauus modus	Nonus modus	Decimus modus	Vndecimus modus	Duodecimus modus
Γ	Hypoproslamuanomenos		Γ										
A	Proslamuanomenos				A								
♮	Hypate hypaton						♮						
C	Parhypate hypaton	C	C						C				
D	Lichanos hypaton			D	D						D		
E	Hypate meson					E	E						E
F	Parhypate meson							F	F				
G	Lichanos meson	G	G							G	G		
a	Mese			a	a							a.	a.
♮	Paramese					♮	♮						
c	Trite diezeugmenon	c.						c.	c.				
d	Paranete diezeugmenon			d						d.	d.		
e	Nete diezeugmenon					e						e.	e.
f	Trite hyperboleon							f.					
g	Paranete hyperboleon									g.			
aa	Nete hyperboleon.											aa.	

Sequuntur ijdem 12. modi iuxta morem antiquorum dispositi.

aa.											Nete.	
tonus												
g.									Nete.		Paran.	
tonus												
f.							Nete.		Paran.		Trite.	
Semit.												
e.					Nete.		Paran.		Trite.		Mese.	Profl.
tonus												
d.			Nete.		Paran.		Trite.		Mese.	Profl.	Licha.	Nete.
tonus												
c.	Nete		Para.		Trite.		Mese.	Profl.	Licha.	Nete.	Parh.	Paran.
Semit.												
♮.	Para.		Trite.		Mese.	Profl.	Licha.	Nete.	Parh.	Paran.	Hypa.	Trite.
tonus												
a.	Trite		Mese.	Profl.	Licha.	Nete.	Parh.	Paran.	Hypa.	Trite.	Profl.	Mese.
tonus												
G	Mese	Profl.	Lich.	Nete.	Parh.	Paran.	Hyp.	Trite.	Profl.	Mese.		Licha.
tonus												
F	Lich.	Nete	Parh.	Paran.	Hypa.	Trite.	Profl.	Mese.		Licha.		Parh.
Semit.												
E	Parh.	Para.	Hyp.	Trite.	Profl.	Mese.		Licha.		Parh.		Hypa.
tonus												
D	Hypa.	Trite.	Profl.	Mese.		Licha.		Parhy.		Hypa.		
tonus												
C	Profl.	Mese		Licha.		Parh.		Hypa.				
Semit.												
♮		Lich.		Parh.		Hypa.						
tonus												
A		Parhy		Hypa.								
tonus												
Γ		Hyp.										

Placet autem his tabulis pulcherrimũ hymnum versibus Gallicis in Musicæ laudem exaratũ subijcere, vt post quæstionem adeò fusam lector recreari possit; quem si musicè canere voluerit, cui dubium, licet versus non sint metrici, quin admirabili animi voluptate perfundatur? Hos autem versus ita scribi curauimus, vt nulla littera superflua esset, vbi *k* loco *c* semper ponitur, *ç* pro *ch*, cætera per te colliges, donec nouam orthographiam inGallorum metrorum gratiã exhibeamus.

Musicæ Encomium.

O Muzike ki saurét teindre
Son vèrs riçe de ta kouleur,
Bél art ki pourét ateindre
Le mérite de ta valeur,
Volerét de bas, é haut èrre
Par le siél, l'anfer, é la tèrre.
Tél irét d'oreil' ardie
La bas ouir, é voir komant
L'orféiane melodie
De vèrs, de voix, é d'instrumant
Par audianse volontère
Ferét le triple dogue tère.
Le vôtour ki le keur euantre
D'vn derobé feu kriminél
Retirerét son bek du vantre
Là kiuant son repas çarnél
Pour mieus repêtre sés oreiles
De têles dousèurs nonpareiles.
Il n'i aurét âme côfée
Dedans le regne d'Açeron,
Ki de se sone lut orfée
N'ékoutât le çarme laron
Exante de mal, é suplise
Pandant ke si dous akor glise.
De sête kauérne premiére
Remontant au komun sejour,
Ou le soleil porte lumiere
Dore sur lés ômes le iour,
Il orét la même matière
Sons, é an l'onbre forêtiére.
Le çêne, le fau, é le tranble
Prés de se çantre Trasien
De qui la voés, é korde tranble
D'un dous motét muzisien
Se sérklerét kome nous ômes
Kant pour ouir vn Roé nous somes.
Se çantre pleurant son veuuâje
Ferét le Lion aproçér
Du beuf, é de l'âne sôvaje
Sans aucunement se touçér,
E' le Loup alors non nuisible
Se jourét à l'aneau pêsible.
Tel aprês de plante lejere
Sôterét ôs çans Paléstins
Ou la voés, é l'arpe berjére
Konjurét lés démons mutins,
E' çasét par leur armonie
Dés Roés anrajés la manie.
Puis il vêrét vn Roé profete
Si transporté de ses akors
Deuant l'arçe seintemant fête
K'il sôtrét de keur, é de kors
Raui d'alegrêse jolie
Par vne trèsâje folie.
E' ô tanple Salmonike
Kéls çantres diuins orét il
Ki par leur konsért armonike
Rauirét d'vn larsin subtil
Tout l'ome de l'ome de sorte
Ke kant il sôt ke l'ame sorte.

Quæ more poëtico encomiasticè dicta intellige.

Id poëtica licentià dictum sit, alioquin enim non tãtùm credimus dãnatos musicà liberari non posse, sed & nunquam vlla ratione liberandos. qua ratione cætera intellige, quæ similia fuerint.

Il vêrét se Roé, ki démonte
Daire monarké du leuant
An son guêrrier, ki le surmonte
Se leuér, é kourir auant
(Tant le son de transpor luy taile)
Kome dedans vne bataile.
Il vêrét an sa galerie
Le trèkrétien Roé tout raui
De çarêse venerie
Kourir apres le sér suiui,
Kome Ianekin le pourçase
Dans sa muzisiene çase.
Kontre le noçér ki maçine
D'Arion le meurtre brigant
Le Dausin prête son éçine
Sous vn si dous çantre vogant,
Ki par sa çarmerêse lyre
Peut dés mérs pasifiér l'ire.
Kant mon oreile dédalize
D'vn vol, ki par lês èrs s'epart,
L'êr printaniér rosignolize,
Puis l'alouête d'ôtre part,
Ki sês êles plus au siél done,
Parmi le çant dés vans fredone.
Là s'oé lês Anjes, ki déscendent
Vèrs lês bérjérs garde-moutons,
E' inombrables kondésandent
A loüèr Dieu sur même-tons
A Dieu gloêre sêt ordinére
E' pês à l'ome debonére.
Volons plus hôt: ou seint, ou Anje
Meintenant deuiendra mon vêrs,
O muzike dont la louanje
Le guinde par lês siens diuérs
Ki d'admirable konkordanse
Vont diuêrsifians leur danse.
Le Soleil Roé dês luminéres
Marçe la kome le basus,
Aukel lês ôtres septenéres
Situés desous, é desus,
Bien ke de çemin is diskordent,
Harmonieuzement konkordent.
An vnison auek luy marçe
L'vn de sês séléstes danseurs,
E' d'vn trin aspek, é demarçe
L'ôtre mezure ses pas seurs,
E' l'ôtre d'vn kint le regarde
Ke sa diapente lui garde.
La Lune sa seur, ki s'opoze
De bout an bout de l'oriZon,
Kontre lui vis à vis konpose
Plainement son diapason,
Bréf çakun astre lui dédie
Son kontrepoint pour melodie.
Kar on voit kome Mars trauêrse
D'vn énarmonike diton:
E' Venus molemant diuêrse
KromatiZe son miditon,
E' Saturne d'vn kar s'ékarte
Pour diatonizér sa quarte.

Puis

Puis ou êt celui ki résite
Les fredons, é diuêrs flurtis
De tout l'étoéleus éxêrsite
Mouuant à pasâjes partis
Premiêrement an douze kores
E' an karant'mis ankores.
Plus hôt anker d'vn même branle
Volons ô l'esprit de mon vêrs
Sur la neuvième, ki ébranle
Non quod mensâ, vel musicâ vtatur, sed illud more poëtarum dicitur.
Lês ôtres siens de l'vniuêrs
Ou la muzike délêktable
Flate de Dieu *la seinte table.*
Volons donk outre sês kontrées
Dés siens, é astres radieus,
Es rejions à l'an montrées
Ou sês motés mélodieus
Tels ke l'oreile ne soupçone
La troupe des ansians sone.
Sês vint é katre, ki dorent
Leurs fioles pleines d'odeurs,
E' ki l'aneau diuin adorent
Loüans de violes sês grandeurs.
A Dieu *seul, aukel ils aspirent*
Leur nouuêle çanson soupirent.

Ke lês anfêrs jamês n'oront,
Ni lês êrs, é mérs, ki anpirent,
E' ke lês têrres ne sôront
Çanson tant seulemant konprize
De ki au siel à place prize.

Çanson ke l'vmeine çéruêle
Ne sôrét pour panser jamês,
Çanson dês ansians nouuêle
Ke je te çante desormês,
Muzike di-je solanêle
De sête çanson éternêle.
A l'aneau, ki a daigné prandre
Sur soé la mort de ses déteurs,
E' aukel il a pleu nous randre
Quod intellige de sacrificio laudis, labiorũ, &c. soli enim sunt sacerdotes propriè dicti, qui vncti, creati ab Episcopis.
Seins, Roés, é sakrificateurs,
D'vne Roiauté actuêle
Sur la têrre spirituêle.
Soét omâj' é rekonoésanse
Vêrtu, supériorité,
Majesté, grandeur, é puisanse
Lôs, oneur, é çant mérité
Amen amen, ô adorable
D'vn tans à tou-tans perdurable.

Psalmus 32. anapæsticis versibus redditus.
Lę-bons an Div rejȣisés-vȣs:
OO-justez afięrt sa lȣanje sonèr.
Selèbrès le Siŋvr, çantès son onevr,
Sur lirez, è violons, sistrez, è lus.
Kęlke nȣveœ çant çantès, è sonès,
Fęzans le devœr de jȣèr bien.
Se ke dit le Siŋvr, ęt drœt tȣt afęt:
Se ke fęt le Siŋvr, a fians' ęt fęt.
Drœtur è justis' il eim' è la meintiènt.
Du Siŋvr la klèmanse la tęrr' amplit.
Du Siŋvr la parœle krèa lę-Sivs,
De sa bȣçe le vant tȣte lvr armè.
Par tas il amasse lez eœs de la męr,
Le trezœr dez abimez ètuiant.
Ke la tęrre de pvr tranble devan-Div:
Sœt sœt an kreinte davant le Siŋvr
Tȣs lęz abitans de sa rondvr.
Kant il â parlè, tȣ sȣdein s'ę fęt:
S'il l'a komandè, selâ ęt âsurè.
Le Siŋvr dę-jans brise le konsœl:
Dę-pvplez i męt le dèsein œ niant.
Du Siŋvr le projęt tȣjȣrs durera,
A jamès tiendra l'ème de son kvr.
Eurvze la jant, ki â pȣr son Div
Le Siŋvr: è le pvpl' vrvs, k'il èlut
Pȣr son prœpr' èritâje le kardant.
Dęs sivs le Siŋvr pran-kard' isi bas:
Iète l'vl sur tȣs lę-fis dez umeins.
Du stable manœr, ȣ il ęt rèsèant
Tȣ-lęs abitans de la Tęrr' il vœt.
S'èt lui, ki de tȣs a krèè lę-kvrs.
Il sęt, è konœt se ke çakun fęt.
Une krand' armèe ne prèzerv' un Rœ:
La prȣèsse ne sœve le plus vallant,
Kèlke fœrse k'il ęt: le çeval kęrrièr
OO plus du bezœin te sera tronpvr:
Kèlke fœrçe k'il ęt, il ne te sœvra.
Vesi l'vr du Siŋvr, sur ki le kreindra,
Sur ki se fira de sa kran-bontè,
Pȣr l'âme d'isvs retirèr de la mœrt,
Pȣr lę-fère vivr' œ fœrt de la feim.
Nœtr âme dèpand du Siŋvr, k'èl' atand,
Lui nœtre sekȣrs, lui nœstre pavœ.
Nœ-kvrs mèneront kran-jœi' an Div:
Nœtre fians' ęt an sa majèstè.
Vęle ta bontè, Sire, desur nȣs,
Kom' avons an tœ tȣ bon èspœr.

Le Div, le Siŋvr, le bon Div
Mon pâtr' il ęt, il me karde,
Psalmus 22. versibus ionicis à maiori cõstat, quem antea integrũ sapphicis versibus attuli, & quattuor primos initio, musicæ notis canendum obiecimus.
Parkœ je ne mankerę plus
De pâture, lui me kardant.
Dedan-paturajez ęrbvs
Kȣççèr me fęzant a męme,
OOpręs de la dȣkȣlant' eœ
Ira me menèr repœzèr.
Mon âm' a rekœ remètra.
D'antière justis' è drœte
Il m'adrèsera le santièr,
Pȣr ętr' a l'onvr de son nom.
E' kand alèr il me fœdrœt
Danz un valon d'onbre nœre,

OOskur, ténébrvs, tȣt' oorrvr,
Ie n'ę nule pvr d'avœr mal:
E s'ęt ke tu ęs avęk mœ:
Ton fęrme bâton m'asvre:
I'ę par ta hȣlęte konfoort.
Ki m'oot' é défand du danjér.
La table feras davan-mœ
Trębien aprętér: é mętre,
Vœr' an la prezans' é malɠré
De męz anemis, kimȣrront.
D'vn üile de rare parfum
Oeindras ma tęt' arrȣzęe
Si-plein mon hanap tu tiéndras,
Ke par tȣt an hoot répandra.
Favvr, é bon vr me suivront
Tȣjȣrs urvs an ma vie.
Puis dan-le palęs de mon Div
Vrvs â jamęs demȣrrę.

An tȣt' antiér intéɠrité de kvr nęt.
Nul désein mooves a męz ivs ie métrę
Pȣr fér' ȣ pansér.
Lvvre dę-pęrvęrs devoiés je hęrę.
Pœint ne lę-lęrę m'ataçér. le kvr foos
Vâzę lœin dé mœ. le malin déboordé
Pœint ne konœtrę.
I'ooterę sélui ki flaɠorne dęrriér
Kontre son vœzin. Le supęrbe sȣrsil,
E' le kvr anflé du méçant ne pȣrę
Sȣffrir avęk mœ.
Męs j'arę lęz ivs vijilans â çœzir
Lęs loioos, é bons de la tęrr': avęk mœ
Sœr je lę-férę. Ki le bon çemin suit,
Viéne me sęrvir.
Pręs de mœ çé-mœ ne demvrera pœint
Vn ki fęt métiér de brasér traïzons:
E' davant męz ivs ne se dœt arętér
Nul ome mantvr.

Hic psalmus est 100, cuius versiculum primum musicè reddidimus.

Pardon, é justiss' i me plęt de çanter.
S'ęt â tœ, Siŋvr, ke je fę ma çanson.
Tant ke vęr-mœ viénez, akoort me tiéndrę.
Dan-le çemin drœt.
An privę çę-mœ m'an irę démarçant

Bién matin j'éstęrminerę tȣlé-jȣrs
Tȣs méçans pęrvérs de la tęrre râklés,
Pȣr çasér dehoors la sité du Siŋvr
Tȣs ki feront mal.

Nota illud ę inter a & e pronuntiari, vt sit loco *ai*, vt patet in his dictionibus *iamais*, *iamęs*, *vais*, *vęs*, &c.
OO supplet vices huius syllabæ *au*, nõ quidem semper sed tantùm cum *au* pronuntiatur, vt ω Græcum, vt in dictione *fȣt*, quæ est initio huius psalmi pro *fault*, vbi vides plures literas superfluas reijci.
Hæc littera *v* valet *eu*, vt in *Dieu*, *Div*.
Proi, *oi*, scribetur *œ*, idque meliùs iuxta pronuntiationem, quando non *i*, sed *e* cum *o* audiri debet, vt in tertio versu in dictione *ɠlœre*, pro *gloire*, illud *v* est semper consonans, istud vero *u* semper vocalis.
l supplet duas *ll* cũ

OOr i te foot dire bien du Siŋvr, ma çér' âm', é le vantér,
(OO Siŋvr mon Div, ke tu é-ɠrand an tȣte ɠrandvr!)
Lui, ki d'onvr, é de ɠlœre se vęt: é ki brâve de klerté,
Einsi ke d'vn manteoo, s'an kȣvrit: lui, ki étandit
Einsi kom'vn pavilon, tȣ le ɠran siel: lui, ki sa hootvr
D'eoos ataçés repara, kome d'vn lanbris suspandu:
Lui, ki se fęt son çar de-nûs: ki se pȣrméne monté
Sur l'ele pronte du vant: é ki fęt lez orajez, é le-vans
Sę-mesajérs, é le fv flanbant â sa poosfte le servir
Pȣr ne james remuér, fonda de la terre la rondvr.
An son asiét' asuré. De l'abîme dez eoos tu la kȣvris
Einsi ke d'vn vétemant: sur lę-mons l'onde s'épandœt:
Mes a ta svle menass' éle s'enfuit: Ele s'éperdit
Pleine de pvr, oo son redȣté du tonére k'élansas.
Vœlâ sȣdein lę-mons s'éleuér, lę-voos se rabessér:
An son asiéte çekun se remęt, kome lvr plase fondas.
Loors de la mer reflotant limitas lę-boornez, é lę-boors
K'ęle ne passât plus, ni revînt lę-terrez inondér.
L'eoo vive lâç' oo voos: par lę-mons l'eoo vive s'anva.
Tȣt le bétaîl dę-çams s'i abrvverâ. OOssi de sez eoos
L'âne sovaje sa sœf ɠérira: é la méme lez œzeoos
Dan-le siel voletans s'abitûront, pȣr, lâ se brançant,
Dan-le félaje tȣsu lvr çanson dȣse déɠœzér.

Sęl-ui

Sę-lui męme ki viènt de ſa hoote demor' i rèpandant
Arroozèr lę-mons ! s'ęt s'ęt de ſez vvres le bon fruit,
Loors ke la fęrtile tęrre ſe ſꝏl' è ſe çarje de tꝏ-bièns.
OO bętal il pꝏſſe le fœin : lę-plantez, è lę-blès
Pꝏr l'vzâj' umein , l'alimant de la tęrre produizant,
Balle le vin ſavꝏrvs , ki le kvr de l'umein rèjallardît :
L'üile, ki fręçe fera la kꝏlvr du vizaje reluizant :
Balle le pein, ki le kvr de l'umein ranfoors' è rafęrmît,
Lę-jrans ábres divins ſꝏlès lvr ſęve reprandront,
Sędres de-ſur le Liban, ke jadis lui-męmez i planta,
Pꝏr fère lęs œzeoos s'i lojant lvrz ęrez i bâtit,
E la ſijœŋ' i ſera : le ſapin lui ſęrve de męzon.
Dę-hoo-mons le repęr' oo-deins , è çamœs i dèpartit :
Dans le roçèr ſꝏkavè du konil ſa retręte ſe kruza.
Pꝏr la remarke du tans la L'un' il krèa : E le Sꝏlèl ſęt
Kant i ſe dœt kꝏçèr ſe kaçant : Si le vœle tènebrvs
Vièns dèplièr, tu feras vne nuit. Tꝏte bęte s'èbęrjant
Dan-lę-bœs ſa, èla tꝏte nuit oo-çams ſe rèpandront.
Loors rujiſans â la prœ' ſe jetront an kęte lionſeoos,
Pꝏr s'an alèr çęrçant ſe ke Div lvr oordon' â manjèr.
Kand le ſꝏlèl ſe levra , ſe retręront : è ſe retręiant
Pꝏr tꝏ le jꝏr s'an iront dan-lvr tęnière ſe jitèr.
Męs L'ome ſoort â ſa taçe, trauallant tan-ke le ſœr viènt.
OO ke de fęs tu refęs ſan-nonbre, Siŋvr ! è tu lę-fęs
Tꝏs an jrande prudanſe ! la tęrr' ęt pleine de tę-bièns,
E ſète męr vaje larj' oo-jran-meins. Dęz animoos ſont
Lâ ſan-kont' è jrans , è petis. Lâ ſe vont mile vęſſeoos
Pꝏrmenèr : è la balęne ke fis pꝏr lâ s'èbanœièr.
OOr tꝏſelâ s'aſſvre de tœ, k'an lvr propre ſęzon
Lvr doneras l'alimant, k'il lvr foot, lvr doneras-tœ,
Eus la rekoolte feront. Si ta mein tu dekloos , i ſeront vs
Tꝏs ſꝏlès de bièns. Si tu as le vizaje dètꝏrnè
Hoors deſur vs, il sèfrœront. Si le ſꝏfle tu lvr tièns,
Eſpireront : s'an iront de reçef an pꝏdre ſe çanjèr,
Ton ſꝏfle ranvœras, i ſe krèront loors, è renętront :

Tœ, tu feras de la tęrre la faſſe nꝏvęle rafręçir.
Sœt a james du Siŋvr la jlœre , a james ſa majèſtè :
E le Siŋvr ſꝏuerein prène jœi an l'vvre de ſę-meins.
Lui, k'i rejarde la terr, èle tranblerâ. Il tꝏçe lę-mons,
Eus fumeront brûlès. Par kœ le Siŋvr ie reçantrę
Tan-ke vivant je ſerę : je dirę la jlœre de mon Div
Tank' oo monde ſerę : Ajrèable li ſœt ſe ke çantrę.
Sur le Siŋvr je me rèjꝏirę. Dèpravès, èkſtirpès
Hoors de la terre ſeront : Lę-pervers ! il ne ſeront plus.
Or i te foot dire bièn du Siŋvr, Ma çèr' Ame : Lꝏè-Div.

l, dum leniter pronũtiari debet, vt in dictione *œil*, & *œillet*, ſcribimus *œl œllet*

quoties ſuper aliqua dictione ponitur accentus circumflexus ^ ſignum eſt ſyllabam maximè produci.

Pro *g* quando fortiter ſonat, perpetuò ſcribitur *j* veluti *k* inuerſum.

è ſcribitur quoties *é* acui debet.

h tollitur, quoties pronuntianda nõ eſt, vt ex hac dictione *home* ſcribitur *ome*.

ŋ ſcribitur pro *gn* vt in *Siŋvr*, pro *Signeur*

ç ſcribitur pro *ch*, & pro, *g* dũ leniter pronuntiatur, vtimur *j* conſonante, vt in dictione *mangér manjèr*.

Quę nunc ſufficiunt, vt vnuſquiſque hanc ſcripturã legere valeat, quæ ſcribitur, vt eſt pronuntianda, ne exteri in lingua noſtra diſcẽda laborent, & dictionum quantitas longè faciliùs, atq; certiùs dignoſcitur, ſi verſus metrici ita exarẽtur, quàm ſi communi literâ ſcriberentur: vno verbo manca ſupplent, hi characteres, & ſuperflua tollunt, vt ſicut verba conceptibus, & menti, ita verbis ſcriptura reſpõdeat.

Verſus Gallici ad normã Græcorũ ęquè facilè componuntur, ac Latini : ne dicam longè faciliùs: experto crede : parem verò elegantiam frequens vſus afferre poterit.

Pſalmum hunc in exemplum attuli eò libentiùs, quo meliùs mundi creationem enarrat, de qua præſertim in hoc volumine egimus, & quo elegantiùs Cardinalis Perronius eundem pſalmum verſibus Gallicis ſolum homioteleuton, ſeu deſinentias ſimiles obſeruantibus expreſſit, vt in opere mixto videre eſt.

Psalmum istū 126 nolui ex libro Philippi des Portes afferre, tū quia liber prostat, tū quia in eius sapphicis errores cōtra quantitatē deprehenduntur, vt cùm primam syllabam huius nominis *home* longā facit, quæ naturâ suâ, & pronuntiatione breuis est, ideóque cū duplici m scribi non debet, prout ipse scripsit.

Obserua autem hic, vt iam alibi dictum est K loco c scribi, & sēper fortiter pronūtiari, vt χ Græcum. S etiā fortiter vbique efferatur; lenem enim pronuntiationē supplet facilè littera z.

PSALMVS CXXVI.

Pour neant bâtit l'ome vain sa mêzon
Si l'auant ouurièr le Signeur n'i bâtit
Pour neant, quand Dieu ne le garde, lès guêts
Garde le ranpart.

S'èt labeur pèrdu de matin trauailler
Pour se koucer tard, é le pain épargner
Kar de Dieu seul vient à celui, ki lui plèt
Lèze du dormir.

Voèsi lès anfans, é du vantre lès frûis
Sont de Dieu lè dons, é loièrs départis
Tèls ke dars è meins du robuste dardeur
Lès june fis sont.

Or ie tiens eureus l'ome dont le karkoès
Anplir on vèrra d'vn amas de sès três
L'anvieus plèdant à la porte, konfûs
Point ne le randra.

PSALMVS CXXXII.

Voèsi ô konbien dezirable plèzir
Est de voèr an pès, é akor fratèrnèl
S'antrehantèr tous çarité se portans
Lè frére-konjoins

Tou-têl èt l'ongant présieus répandu
Sur le sakré çéf, é la barbe d'Aaron
Parfumant son poil, é le pli refranjé
Dê-vètemans siens.

Ruisselèr l'on void les humeurs tout ainsi
Dê-moiens kôtans de Sion, é d'Ermon:
Kar là Dieu régnant à jamès départit
Son salut eureus.

PSALMVS CL.

Monde loüés le Signeur au lieu de sa saincte majesté
E' l'onorés où se void ferme sa forse toujours
Anse pouuoèr k'il à grand sîr tout selebré-le volontiers
Voère selon k'el' luît haute sa gloère loüés
Monde loüés klêronans ès sons de la tronpe l'étèrnèl
Même le psaltérion joint à la harpe sonés.
K'on bate haut le tabour, é sousle le fifre le çantant,
Orgue-sonés, é prenés muzètes pour le benir
Monde de cimbale-donk uzés éklatante-de plèzir
Parse ki respire bréf soèt lyé. Hallelouiah.

Vos Domini laudes in sancto dicite fano
Templo potestatis suæ.
Vos laudate illum multa virtute decorum,
Ampláque magnitudine.
Hunc clangore tubæ, cithara, nablóque sonantes
Laudate, laudate hunc Deum,
Tympana pulsantes, nec suauis tibia desit;
Laudate iunctis organis.
Cymbala cum crotalis miscete sonora sonoris,
Laudes Dei sic dicite.
O quidquid spirat vitales atheris auras
Summi canat laudes Dei.

Vides hic quousque nostris characteribus vti possimus ad scribendū iuxta verā pronuntiationem: cani potest 4 partibus iuxta sapphicū musicâ initio expressum. Sequentem psalmū 132. etiam sapphicum subiicimus, quia valet ad fraternā amicitiam conciliandam, atque fouendam.

Vltimum psalmū quē antea 5 partibus musicis expressimus, iterū Gallicis versibus hexametris, & pentametris afferimus, adeout illum ter gallicè habeas, nam 4 Galliadis versus illum in fine continent, vt suprà non sine voluptate, atque deuotione perspicies.

Mallem auferre vltimas literas ex vltima syllaba dictionum, quæ sunt causæ, cur positione longa corripiatur, vt hîc obseruaui in *orgue* pro *orgues*: tum quia lineola subiuncta satis significat esse pluralis numeri, tum quia vix vltimæ illæ consonantes pronuntiari, & audiri debent, & sic nulla syllaba positione longa apud nos, sicut neque apud Latinos corripietur.

Ne verò conquerantur exteri, si solos versus Gallicos, aut Latinos attulerimus, sequentes Græcos à musicis canendos aduersus Atheorum peruicaciam accipe, qui præsenti quęstioni finem imponent.

ΕΙΣ ΑΘΕΟΥΣ ΑΣΕΒΕΣΤΑΤΟΥΣ

ΑΝΑΠΑΙΣΤΙΚΟΝ ΕΙΔΥΛΛΙΟΝ ΦΕΔ. ΜΟΡΕΛΛΟΥ

τοῦ διδασκάλου βασιλικοῦ.

ΑΦΡΟΝΕΣ ὁπόσοι περίφρονες θεοῦ
Οὐκέτι ἄνδρες, ἄνανδρες ἀκίδνοι,
Ζάχολοι, ἀπίθεοι, ἀχάριστοι,
Ἀφρήτορες, ἀγνώμονες, ἠλεοὶ
Ὧν γνώμη στυγός ἐστιν ἀπορρώξ,
Κάτοχοι δαιμονικῆς ἐπιληψίας
Ὀψίγονοι Βελιάρεω ἑκατόγχειρες
Ἔρρετε παμμιάρων σκυλακεύματα.

FINIS.

INDEX



INDEX EORVM, QVÆ IN TOTO VOLVMINE CONTINENTVR, ET QVI SINGVLAS

materias tam commentariorum, quàm problematum complectitur;in quo ſyllaba *col*, vel litera *c* ſignificat ea, quę ad problemata Veneti notauimus, & ipſa problemata ſępe hoc ſigno *probl.* deſignantur;alij numeri, qui ſoli ſunt abſque litera ſignificant ea, quæ dicuntur in indice, reperiri in commentarijs,quos problemata nouis numeris ab vnitate incipientibus diſtincta ſequuntur. Aduerte autem aliquando in indice impiorum, vel aliorum errores velut affirmatiuè poni, non quod huiuſcemodi opiniones ſequamur, ſed vt libentiùs ipſum commentarium conſulas, in quo refellitur error,quod hîc monere volui,ne quorundam inſtar,ſtatim ipſum indicem cenſoriâ virgâ ferias, alioquin enim ſingulos errores ſummopere deteſtor.

A

Atheorum

Christus

D

Denarij

Hierosolymæ

K

L

M

P

S

Specula

T

Tertullianus

V

Obſerua hîc plurima in hoc indice omiſſa fuiſſe; illa verò præſertim omnia, quæ in paralipomenis habentur, in quibus non pauca notatione digniſſima reperies: ibi enim plurimos verſus in quæſtione de muſica omiſſos tam Gallicos Græcorum inſtar compoſitos,& eandem ſolùm deſinentiam retinentes, quàm latinos reperies, quos ad canendum aptiſſimos propoſuimus, vt fidelium animi ad numen diuinum ex animo celebrandum excitari poſſint. Ibi de phono,& echometria; de modis muſicæ,& de alijs plurimis non ingrata leges. Tabellas etiam plurimas triplex muſicæ genus explicantes,& Bacchium integrum de nouo in lucem editum habes, qui plura de muſica Græcorum breuiſſimè proponit. Alia ibidem reperies.

FINIS.

Canticum Deuteronomij priùs Latinis versibus allatum, versibus Gallicis Hexametris accipe, quo finem labori, & vacuis paginis imponimus.

OO Sivs antandés, é je parlerę: œie le parlér
Dit de ma bęce la tęrr': Einsin ke la pluiote tunbant,
Kęle mon ansęhemant: ma parœole kęl' einsi ke rœzé:
Einsi ke fęt la kilé lę-kras paturajez arœzant,
Einsi ke pluîe menû sur l'ęrbéte tandréte tunbant.
Kar du Sivr le nom invokerę. La, k'a nœtre Sivr Div
L'on done la krandvr. Du Sivr l'ęvraje tę-parfęt:
Sęs rętes sont tętes drœt. Div s'ęt vérité, de ki fœrfęt
N'aproçe pœint: kar il ęt drœt, antiér, juste tęt antęt,
La dépravé pęrvęrs' anjanse maline se sęllant,
Non pas sęz anfans, anvęr lui s'ęt tęte katé,
E-se sela k'o Sivr vęs randés, Pvple fol inkrat
Insansé? N'ęt-il pas ton Pére, lui, ki t'a konkis?
Lui, ki t'a fęt, é ki t'a de bél art tęt bâti, é konstruit?
Sęvién tœ dę-jęrs du vięl tans: sonj' é ramantœ
D'âjez an âjes lez ans. œ tién pére va le demandér,
Il te lez ansęhera: œ viellars va le demandér,
Il te diront kant s'ęt ke le trę-hœt juste départit
OO nasions lvs lœs: kant lę-fis dęz omes mœrtęls
Il sépara de païs: kant jęte le nombre dez anfans
D'Isseraęl, asina: kantons œs pvples départis.
S'ęt le domeine de Div son pvpl' éritaje de Iakœp.
Dans le païs du dezert le tręva. O dezert de tęt' œrrvr
Il le mena sa, é-la, le kida, l'instrüizit, é karda,
An le tenant osi çér ke ferions la prunęle de nœz ivs:
Einsi ke l'ękle sonant sa kęvé k'ele vvt tirér œ vœl
Sęz éklerecœs éle kęv': el' étand sęz ęlez, é lęs prand,
L'vn puis l'œtre desur sęz ęles bénines supœrtant.
Svl le Sivr le mena: ni aukę ke li nul Div étranjiér
Onke ne fut. il l'a fęt sur tęrre tré hœte çevœçér:
E manja lę-fruis dę-çans. De la rœçe le dę-miél
Fęt susér: é du kalę du roçér fęt l'huile rekvlir:
Lvr done bvrre de vaç' é du lęt de brébis: é mętons kras,
Bęs, é béliérs enfans de Basan: é la kręsse du fęrmant.
Vœre le sank trę-pur tu buras de la krapé dé-ręzins:
Isseraęl vint kras é rejinba. Donk tu devins krœs?
Donk tu t'ankresşas? é le kvr de ta kręsse t'affublas?
Il kite Div, ki l'a fęt: son Div sa tutęle dépriza
L'on-fęt étre jalęs dé Divs, é d'Idœlez étranjérs.
Par lvrz ékzékrables fasons l'akasérent à kęrręs,
Sakrifians non a Div, męs œs démons é a dę-Divs
K'il-ne konœsœt pas: ki nęvecœs arivœt, é depui-pv:
E ke jamęs pęr lęz adorér lvrs pęres n'avœt kreint.
Donke le Div, ki t'a anjandré l'ębliant tu delęssas?
Donke le Div, ki t'a fęt, é kréé l'ębliant tu delęssas?

Hi sunt noui characteres, qui superflua ex lingua Gallica tollunt, & māca supplēt, licet aliqui accentus, & notæ veræ pronuntiationis hic desint.

E' le signeur le vit, é par kȣrrȣs kontre sez ansans
Fillez, é fis s'anégrit lez abôrrant: Puis dit, é parla:
M a fase leur kaçeré: ke sera d'eus ansin i verront
S'êt vne rasse meçant' é dez ansans, ȣ n'i a nul foè.
Eus m'ont randu jalȣs de ki n'et Dieu: m'ont dez abus veins
K'iz ont fès kȣrȣsé: Moê pȣr vn peuple, ki n'êt pas
Lè-veu-randre jalȣs. D'vne jant fol' a eus je feré deul
An ma fureur vn feu flanboèra: voère tȣt ardra
Iuskez o bas anfèr, déuorant lès têrrez, é leurs fruis:
Voère de flamez ira sakajèr lè-rassines dê-mons
J'anploèré desur eus; é de feim i seront tȣt élanguis,
E' dénoréz i seront manjés de fiéur' é de çô-mal,
E' de l'amére dȣleur de la pêste kruêl infèctés:
Mème lé fiérs animôs lè-dans desur eus je dénoère,
E' le venin dê-noêrs Sérpans sur têrre se treinans.
Guât se fera du glêne debors: ôs çanbres la têrreur:
Mêmez ò jeun' anfant, a la viêrj', ò pȣpart, é çenu viêil
J'usse dit: il lè-fôt éstèrminér: hôrs dez vmeins fôt
Leur sȣvenans' abolir: Mès j'ê kreint l'annemi pêrvêrs
Même ke leurz anemis ne se konpôrtasset débôrdès,
Voère ne disset a bô, Notre mein valureuze paroêssât
S'êt élevê: ni se n'êt leur Dieu, ki a fêt tȣ se fêt si.
S'êt vne jant de movès konseil, é ki n'a nule rêzon.
Kar s'il avoêt kéke sans, tȣ se fêt iz vsset apêrsu:
E' bien l'antandans leur prôpre fin vsset apersu.
Kar kome pȣrroêt bien deus seuls an avoêr mile dissoès
An rȣte mis, si Dieu ne lez ût vandus, é delêssés:
Si le signeur ne lez ût livrés lèssés a l'abandon.
Kar leur Dieu n'êt pas kome nôtre Dieu un tȣ-pȣvant Dieu:
Mêmez a nôs anemis de sela nȣ pȣvons nȣ rapôrtér.

Versus se quêtes vulgatis characteribus scriptos habes, licet Baïfianam orthographiā omnium fieri potuit, imitati fuerimus; quod ex præcedentibus facilè intelliges, vbi plurima de hoc nouo scribendi genere, & eius vtilitate dicta sunt.

Kar du plant de Sodôme retiént leur vigne de fô-plant
E' du plant de Gomôrre. Se sont rèzins tȣte poèzon
Leur rèzins: é se sont tȣt' amêrtume leu-grapes manjês:
Leur vin s'êt du venin de dragons: venin ôrrible d'aspis.
N'êss' vne çôze ke j'ê çê moê sèllé, é resêrré
An mê-rares tre-ôrs? A moê êt la revanç', é la rêzon
Kant leur pié çopera: Le jȣr êt proçe pȣr lez atêrrér:
E' se ki doet avenir desur eus, diliȷante çakun jȣr:
Kar le signeur son Dieu jujera son peupl' é le vanjant,
Çanje d'auis i fera sur lê siéns vnblez, é seruans,
Leur vœiant leur mein an-alê sans klôture lèssés.
Kant l'anemi krira, leurs beôs dieus ôrez ȣ sont-il?
Leur Dieu okél i sȣloêt fonder tȣt' atant' é tȣt éspoèr?
Eus ki de leurs sakrifisses la grèsse kȣlante friandoêt.
Eus ki buvoèt lè-vins ruselans du libâme repandu,
K'ôr se leuans vȣs apôrtet sekȣrs, é kȣvêrture sur vȣs.
Or voyes que ie suis, qui ie suis: nuls autres auec moy
Sont Dieux: Moy Dieu se[...], é la mort, é le viure ie donrai.
Moy ie ferayle blesur' é l'irai guerir: E' n'i a nul, qui
Puisse tirer de ma main, si ma main ie venois leuer aux cieux,
Et que ie disse, ie viu' a iamais, si i'eguize le tranchant
Foudre de mon coutelas: si ma main anpoigne le bon droit:
Certes de mes anemis vne deüe vangeance ie prandrai:
Certes a mes haineus dignement la deserte ie randrai:
Lors mes fleches de sang j'iurerai, mon glaiue se paistra
Chair deuorant au sang des naurès, é prizoniers pris,
Par leur teste desur l'anemi vangeance me faizant.
Sus nations son peuple loues, car c'est li, qui des siens
Vange le sang: qui de ses anemis vangeãce reprendra;
Lui, qui sa terre bening benira, son peuple repurgeant.

Versus reliquos tam literā, quā orthographia vulgò apud nos visitatā accipe: paucis exceptis, vt quantitas adesse possit, ideóque s vbique fortiter sonat: pro s blæsa z scribitur, & cōiunctio et, scribitur é, quia ita pronunciatur.

Huic cantico pulcherrimum sapphicum tam in Musicæ laudem, quàm in Atheos à Ioanne Morello scholæ Remensis in Academia Parisiensi Primario, eóque poëta egregio concinnatum accipe.

QVi tuo mundum, Deus alme, verbo
Conditum, terras, freta vasta, cœlum,
Astra metiris, numeras, & æquo
Pondere libras,

Ad tuas aures canitur sonoris
Mille sexcentum modulis, & Odis:
Iuge diffundit melos Angelorum
Ordo nouenus.

Sanctus, & sanctus triplicique sanctus
Organo psallunt: repetit ter infans
Hoc idem, mater pia, quem gemello
Vbere lactat.

Plectra Dauidis numerosa nunquam
Manè, nec serò, neque cùm citato
Sol iter cursu medium tenebat
Te tacuerunt.

Ciuitas omnis, populúsque cunctus
Barbarus quamuis, idiota, doctus
Te, vel inuiti, Chorago monente,
Carmina mussant.

Membra quot mundi sapiens creasti,
Cuncta cœlestem didicère Musam
Quæ tuum numen canerent, tot ora
Esse dedisti.

Quicquid est, mutum licet, admodúmque
Vile, se cœlis sociare gestit
Musicis; & te celebrare surdis
Appetit hymnis,

Saxa respondent, viridésque valles,
Fluminum ripæ resonant, & ambo
Cardines orbis, geminátque voces
Vocibus Echo.

Nuptias & nos celebramus AGNI
Canticis festis: tibi quæ sacramus,
Quæ Chorus noster modulatur, audi
Aure benigna.

Interim striges, & inauspicata
Monstra, bubones, Athei, sub antris
Tartari stridant, vlulent ad atri
Dæmonis aures.

Hisce versibus hexametris, & pentametris finiamus.

Monde rakonte le lᴔs du trehᴔt, e' çante sa bonte'
Di-ki ne t'a forme' rien ke pȣr etre lȣe'.
Meintenant ᴔ mon kvr bondi-d'alegrę́ss' e' de plęzir,
Puis ke le monde desand lętre de nᴔtre Sigvr.

Hi 2 versus sunt pœonici tetrametri.

Ke se ke j'e', ke se ki vœt, ke se ki vit, ke se ki ęt,
Ke se ke tient sêt univęrs lȣë tȣȷȣrs l'uni ke Div.

Omnia iterum, atque iterum sanctissimæ Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ, Romanæ summíque Pontificis iudicio perfectè, & ex animo subijcimus.